
Haye
Commentarii
in Exodum


Digitized by Google




Digitized by Google




Digitized by Google



Digitized by Google

Toribis

1630

1150

Digitized by Google


6
43 N
21

A IV 0 16-18

# COMMENTARII
# LITERALES
# ET CONCEPTVALES
# IN EXODVM:

VEL

*CONCIONATORVM VIRRGA PERCVTIENS PECCATORES.*

*Cuius materia* LIBER EXODI, *omnigena versionum varietate, earúmque concordia, innumeris animi conceptibus plusquam septingentorum Patrum auctoritate concatenatis, illustratus.*

AVCTORE R. P. FR. IOANNE DE LA HAYE PARISINO,
Minorum Obseruantiæ, vtriusque Majestatis Christianissimæ à concionibus, necnon Terræ Sanctæ Commissario Generali.

Cum triplici Indice copiosissimo. 1. Conceptuum. 2. Sacræ Scripturæ. 3. Concionum.




PARISIIS,
Apud SIMEONEM PIGET, viâ Diui Iacobi, ad insigne Fontis.

M. DC. XXXIX.

*CVM PRIVILEGIO REGIS.*



# LECTORI CANDIDÆ MENTIS ET CHRISTIANÆ.



*CVM idem ordo stylúsque seruetur in his, super Exodum, commentariis, ac in quadruplici meorum (secundum editionem Lugdunensem) super Genesim volumine, nisi quod in concordiis variarum versionum laboriosius insudauerim, in expositione litterali aperienda extensius laborauerim, nec non selectiores conceptus in medium adduxerim, pauca solum admonitione digna proposui tibi subycienda, cætera quæ tibi aliquam parere possent difficultatem, primam ad Lectorem super Genesim monitionem consulère velim & deprecor.*

*Pollicitus fueram laborem nostrum quemcumque in cantica canticorum posteritati consignare, promissis non steti, imo nec potui, nam manuscripti mei codices, saltem maxima pars eorum, nescio quo satis infœlici casu disparuerunt: iam attigeram fere mediam capitis quarti partem, quam innumeris animi conceptibus donaueram. Sed Deus non dedit, alia quæ supererant, quatuor absoluere capita; animum enim despondi in aliorum iactura, nec mens iterum ea commentariis illustrare, sed Deo dante, reliquos Pentateuchi libros, eodem ordine & stylo, quo superiores, prosequar.*

*Nec obiectio quorumdam (an inuidorum, aut adulatorum?) mihi facta ab incœptis reuocabit, scilicet quid in hoc scriptionis genere ad acumina composito, crebræ in sunt hyperbolæque sapientum aures offendunt & animos, dum rem ad laudem vel ad odium exaggero, vtriusque fidem minuo: Nazianzenus enim oratione pro Basilio, de Rhetoribus qui nimia cum exaggeratione dilaudabant magnos viros, sic inquit, quorum ea est ratio, vt quod in ipsis maxime speciosum & illustre est, fide careat, quod autem creditur probrum & contumelia sit. salua tamen pace dixerim; quod enim potest esse acumen in re vulgari scita & facili? dele hyperbolas in sanctis*

S. Greg. Nazianz.

*Patribus, dele in sacra pagina, & multam lituram facies acriori censura dignam: verum est quod frequens exaggeratio irritet animum, rara & tempestiua mulcet, quis autem non videt non ita frequentes, at opportunas exaggerationes esse in meis lucubrationibus?*

*Vrgeor, saltem plures conceptus subtiles non informant mores ad probitatem, potius deliniunt ad voluptatem, eiusmodi acumina blandiuntur ingenio, & subornant vitia non damnant, Nam subtilitatibus non expugnantur peccatorum mores. at hæc obiurgatio specie tenus religionem præfert, sed reuera acumen intellectus respuit. Nam quando acumen rationis obfuit quominus infigeretur animis virtutis aculeus? Vener. Beda explicans illud Luc. 10. abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis, sic scribit, Unde sapientibus, non insipientes & hebetes, sed paruulos, id est humiles opposuit, vt probaret se tumorem damnasse non acumen.] Quis enim nisi hebes damnabit acumen? sane sublimis ratio acuta citius pungit animum, hebes obtundit: sublime argumentum pluris vincit, & tenebrosos peccatorum animos ad lumen virtutis reducit.*

Venerab. Beda.

*Premor, quod plura à sacro contextu obuoluta silentio aperire ausus fuerim, cum nihil solide posit adstrui super soliditatem silentij, silentium enim mutum est: quomodo ergo expendi potest vocibus? non admittenda igitur mens mea, cum inquiro, cur id his verbis dicitur & non alijs? cur id omisit sacer contextus? cur apertè id non expresit sit scriptura? hoc enim est silentium linguatum efficere: sed in defensionem meam digna sunt quæ sistantur verba S. Basilij Seleuciæ Episcopi, cœlum productum est, cum vox anteuerteret nulla, lux vero cum producebatur, Deus voce præiuit. Discamus & scripturam dum tacet, audire, & dum loquitur erudiri.] Pende discamus & scripturam dum tacet audire, silentium enim eius profundioribus scatet mysteriis quam accutissimorum rationes Philosophorum: silentium eius ad sermonem & hunc subtiliorem nos prouocat.*

*Jterum prouocor, innumeris mundum libris abundare, & vtilius concionibus operam dari, quam scriptioni: at mundus libris abundet, credo & abundauit ante annos bis mille, quid dixi? anterior fuit qui docebat faciendi plures libros nullum esse finem: nunquam sane multi libri, si boni, nunquam pauci si mali, nunquam de copia iusta debet esse expostulatio, si quid luminis, quid eruditionis, quid inuentionis nouæ reperitur; non est nouitia hæc cantilena, quæ ex liuore, vel ex inscitia, aut otio inani conqueritur, in immensum excrescere scriptorum multitudinem: nulla enim ætas quæ simili querimonia plena non reperiatur, quam retundens & refellens Ambrosius Ansbertus prol. in Apocal. ait respondeant quæso vbi in diuinis voluminibus legerint, quædam tempora ad exponendum indulta, quædam vero prohibita? quod si non inuenerint,*

Eccl. c. 12

Ambros. Ansbert. ann. 800.

*cedant bona scribenti, ac nequaquam dono gratiæ Dei insultando derogent, dum hominem reprehendere quærunt* ] *quibus verissime dictis, addere liceat quod tuo licet iudicio librorum condemnanda esset copia, tuum erga meos supersedere rogarem, cum ex antiquis paucissimi ex professo librum Exodi litterali expositione illustrarint, quis autem ex recentioribus, (absit à verbo iactantia) conceptuali donauit commentario, omnigena versionum varietate earumque concordia fœcundo?*

*Sed dices, vtilius esset concionibus operam dare, quam eam scriptioni nauare: laudo equidem eos qui è pulpito verbum bonum eructant, qui pacem Euangelizant, quorum speciosi sunt pedes, qui è cordibus auditorum lacrymas compunctionis eliciunt, & ad meliorem mentem suos vel proposito præmio virtuti, vel pœna peccatis debita reuocant auditores: sed quis multiplicem fructũ & vtilitatem fœcundissimam ex librorũ scriptione condemnare præsumet? audiat Venerabilem Petrum lib. 2. Epist. 20. ad Gislebertum, quem à lucubrationibus suis edendis quidam reuocare studebat: seratur (inquit) in chartula verbi Dei seminarium, quot maturis segetibus, hoc est libris perfectis, multiplicatis frugibus esurientes lectores repleat, & sic panis cælestis lethalem animæ famem repellat: sic plane, sic verbi diuini poteris fieri taciturnus prædicator, & lingua silente in multorum populorum auribus manus tua clamosis vocibus personabit: clausus teneberis in speleo tuo, & in codicibus tuis terras ac maria peragrabis, in publicis Ecclesiæ conuentibus Lectoris ore verbum Dei de sublimi loco speculator inclamabis, in remotis claustrorum & domorum angulis, illud idem seruis Dei silentibus insusurrabis: professio te eremitam, deuotio faciet Euangelistam, vt quod per te ipsum non poteris, tuis laboribus promerearis: animet te ad hoc agendum non paruum laboris præmium, quod pro omnibus consequeris, [illegible] studio subuenire potueris: nam quotquot tuorum voluminum lectione, superbiam prostrauerint, luxuriam subegerint, auaritiam contempserint, iram domuerint, à quibuslibet malis vel cauerint vel pœnituerint, vt manipuli sudoribus tuis collecti, æternarum frugum tuarum horrea cumulabunt, & dum cum vita hominis opera eius finiri soleant, & cum deficiente deficere, tu nec morieris, nec à vita deficiens à bono opere cessabis, quando operibus tuis ad vitam mortuos reuocabis, tantoque tempore etiam post mortem tuam apud Deum extendetur lucrum operum tuorum, quanto, vt ita dicam, durare poterit vita laborum tuorum* ] *en multiplex fructus qui è lucubrationibus posteritati consignatis elicitur.*

Venerab. Petrus Abbas Cellens.

*Nostris titulum dedi,* Concionatorum virga percutiens peccatores, *cum enim hæc priora capita decem plagas in Ægyptios immissas contineant, quarum plures mediâ virgâ prodiere, eo fine, vt ad meliorem mentem reducerentur, simul cum suo rege obstinatissimo, sin minus infœlici sorte perirent: hinc est, quod à potiori hac parte sumpsère denominationem, scilicet virga concionatorum: nec insolitum comminationes & flagella virgas prædicantium nomi-*

1. Corint. 4. nari, sic enim Apostolus, 1. Corint. 4. Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? *imo concionatori Euangelico nempe Ieremiæ annuntiaturo iniquitates populi Israel, dixit Deus*, Quid tu

Ierem. 1. vides Ieremia? ait virgam vigilantē ego video, *& iterum*, quid tu vides?

Origen. Ambr. ollam succensam ego video, *quæ verba hac expositione donauerunt Origenes & Ambrosius, quorum primus hom. 2 in Psal. 33. ait: Ieremiæ simul ostendit virgam & lebetem igne succensum, vt si quidem disciplinam accipias, per virgam & emenderis, lebete non indigeas succenso: si vero indisciplinatus & virga non emenderis, in lebetē mitteris, & lebes succendetur] posterior in eumdem Psal. eodem sensu loquitur. Prius vidit baculum nuceum deinde ollam feruentem, sed cur prius baculum postea ollam? quoniam qui baculo non corrigitur, in ollam mittetur, vt ardeat & tabescat] virgam hanc sumat concionator, vt peccatoribus varia comminetur, quibus territi ad meliorem frugem reuocentur: materiam enim harum comminationum de Dei flagellis aduersus sceleratos peccatores Ægyptiis & Pharaone denotatos, abundantissime tibi suppeditant hæc priora Exodi capita.*

*Animaduersum te velim, quod cuidam viro docto negocium facesceBat, nempe quod in meis conceptibus mihimetipsi aduersari videbar; sed si monitionem ad Lectorem in primo volumine in Genesim perlegisset, omnem scrupulum deposuisset, nempe quod licet in concludendis conceptibus, his vtor vocibus respondeo, dico, assero, & his similibus, hoc secundum Patris mentem, cuius sententiam profero, intellige, licet enim probabilis sit, contrariam tamen in expositione literali, vbi mens mea nota est, aliquando sustineo, ne ergo persuasum habeas, mihimet aduersari, & vtramque simul contrariam amplecti sententiam, vel plures quæ inter se dissident.*

*In nostra hac elucubratione, vtilia semper sparsi documēta; nimis enim rudis mihi videtur esse illa eruditio, quæ sola est, & in sola rerum notitia sistit, nec Lectores informat, nec ad pietatem allicit, hos autem deprecor, sicut quondam suos Theodoretus in Epist. in Cant. Canticorum his verbis. Laborem suscepimus, Lectoribus (vt arbitror) non inutilem, quamobrem qui sine labore laborum nostrorum fructus sunt percepturi, rogatos volumus, vt nobis pro laboribus nostris orationes, ac preces impertiant suas] & si quid minus bene dictum condonent, omnia autem à me scripta sanctæ Romanæ Ecclesiæ censuræ omni cum animi demissione subijcio, repudio enim quidquid hæc repudiat, & quidquid hanc repudiat, absit vt aliquid vnquam libris consignem contra eius mentem, cum summi honoris imo maximæ fœlicitatis ego omnium Franciscanorum minimus discalceatus, ducerem, eius adstruendæ veritati & sanctitati, vitam dare, nec non sanguinem profundere, vt illa apud omnes regnaret & viueret.*

*Licentia admodum R. P. & Sapientissimi Magistri nostri du Feu Doctoris Parisiensis, Ministri Prouincialis Franciæ, & in ea cum potestatis plenitudine Commissarij Generalis.*

FRater Anthonius du Feu, Doctor Theologus, Minister Prouincialis Prouinciæ Franciæ Ordinis Minorum, concedo vt *Commentarij literales & conceptuales in Exodum*, compositi à Reuerendo admodum Patre Fr. IOANNE DE LA HAYE Concionatore Regio, & Commissario Generali terræ Sanctæ typis possint mandari. Actum Ambianis anno Domini 1637. Die 10. mensis Decembris.

Locus sigilli. F. ANTHONIVS DV FEV, qui supra.

*Approbatio Doctorum almæ Facultatis Parisiensis.*

NOs subsignati in sacra Facultate Parisiensi Doctores, Arboris vitæ Cōcionatorum cuius ramorum primus sic inscribitur, *Commentarij literales & conceptuales in Exodum*, &c. volumen quartum à superioribus non absonum imò penitus germanum, necnon eximijs refertum conceptibus à R. P. F. IOANNE DE LA HAYE Concionatore Regio apprime elaboratum, serio studio perpendimus, censemusque dignum opus quod in publicum totius Ecclesiæ vsum typis mandetur. Datum Paris. anno Dom. 1638. die vero 2. Ianuarij.

P. DE LA CROIX. DE S. SIMON.

NOs subsignati in alma Facultate Parisiensi Doctores, Commentarios literales & conceptuales in Exodum à R. P. Fr. IOANNE DE LA HAYE, Concionatore Regio, &c. elaboratos diligenti recognitione perpendimus, germanos trium in Genesim voluminum ab eodem editorum iudicamus. Hosque sicut illos nec dogmatibus Catholicis dissonos, nec integritati morum alienos, imo eximiis animi conceptibus fœcundos, multiplici sanctorum patrum eruditione refertos, omnigena varietate versionum earumque concordia illustres, & ideo maximo reipublicæ Christianæ bono, & Concionatorum vtilitati censuimus euulgandos. Factum Parisijs in magno Franciscanorum Collegio. Die 10. Nouembris, anno 1637.

F. BARTHOLOMÆVS MARNEVR. F. GVILIELMVS BELLOT Profess. Theol.

## SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIANISSIMO *Franciæ & Nauarræ Rege concessi.*



LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, & patentibus eius literis cautum, ne quis in Regno ipsius, alijsve locis eius ditioni subiectis intra decem proximos annos à die impressionis primùm inchoandos ac numerandos excudendum vendendumque quouis modo & ratione curet librum qui inscribitur *Commentarij litterales & conceptuales in Exodum, &c.* authore R. P. F. IOANNE DE LA HAYE Concionatore Regio, &c. præter PETRVM BILLAINE Bibliopolam ac ciuem Parisiensem, aut illos quibus ipse concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus eius subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimẽdum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, vel instigare, sine consensu dicti PETRI BILLAINE, sub pœna confiscationis librorum, alijsve pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisijs 20. Aprilis 1638.

De mandato Regis,

Signatum, CEBERET.



# INDEX SACRÆ SCRIPTVRÆ veteris Testamenti.

*EX LIBRO GENESIS.*

## CAP. I.



*EX LIBRO EXODI.*

## CAP. IV.



*EX LIBRO LEVITICI.*

## CAP. III.

*EX LIBRO NVMERORVM.*

CAP. X.



*EX LIBRO DEVTERONOMII.*

CAP. V.



*EX LIBRO IOSVE.*

CAP. II.



*EX LIBRO IVDICVM.*

CAP. IV.



*EX I REGVM LIBRO.*

CAP. I.



*EX II REGVM LIBRO.*

CAP. I.

EX LIBRO PSALMORVM.

PSAL. I.

*EX PROVERBIIS.*

CAP. I.



*EX CANTICIS CANTICORVM.*

CAP. I.



*EX ECCLESIASTE.*

CAP. II.



*EX SAPIENTIA.*

CAP. II.

cap. 48.

EX IEREMIA.

CAP. I.



EX THRENIS IEREMIAE.

CAP. I.



EX EZECHIELE.

CAP. II.



EX DANIELE.

CAP. III.



EX OSEA.

CAP. II.



EX IOELE.

CAP. I.



EX AMOS

CAP. I.





# INDEX SACRÆ SCRIPTVRÆ ex nouo Testamenti.

EX DIVO MATHAEO.

CAP. II.



EX SANCTO MARCO.

CAP. I.



EX SANCTO LVCA.

CAP. I.

EX SANCTO IOANNE.

CAP. I.



EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

CAP. I.



EX EPIST. AD ROMANOS.

CAP. II.



EX EPIST. I. AD CORINT.

CAP. I.

FINIS.



# PROLEGOMENA IN SECVNDVM LIBRVM MOYSIS, ſcilicet Exodum.

## CAPVT PRIMVM.

*De nomine huius libri.*

ABſolutis, Dei adiuuãte auxilio, noſtris in Geneſim commẽtariis triplici cõprehenſis volumine, eodem ſtilo & ordine ſecundum Moyſis librum exponẽdum ſuſcipimus, de quo quædam præludia ſubijcienda à ratione alienum non eſſe iudicauimus, cumque rerum cognitio fiat ex nomine, ab huius libri appellatione initium ducemus: verum apud Hebræos nulla huic nomenclatura reſpondet, cum ipſi quemque ſuorum à ſui exordio indigitent, ſicque hunc ſolum dixerunt, ואלה שמות elle ſemot, id eſt, & iſta ſunt nomina, quia Hebraicè ita incipit liber Exodi, qui à primo operis argumento à græcis vocatur ἔξοδος à latinis autem Exodus, ſiue egreſſus nempe populi Iſrael de Ægypto: nomine autem egreſſus initia ante & poſt contigerũt: ante ceſſerunt quidem primo multiplicatio filiorum Iſrael, ſecundo eorumdem à Pharaone oppreſſio, tertio ortus Moyſis, eiuſdem ex aquis eductio, eiuſdem à filia Pharaonis in filium adoptatio, quarto fuga Moyſis ex Ægypto in Madian, quinto rubi ardentis viſio, & Moyſis ad Iſraelitas miſſio, ſexto eiuſdem in Ægyptum reditus vt ſigna coram Pharaone ederet, ſeptimo plagæ Ægyptiacæ: hæc anteceſſerunt Ægypti egreſſum: quem ſecuta ſunt plura, ſed præcipue celebris datio legis omniumque ſacrificiorum & ſacerdotis Aaronici inſtitutio, hæc enim omnia præſenti libro deſcribuntur cum vituli adoratione, tabernaculi fœderis eodem in loco conſtructione, quæ eatenus cenſeri poſſunt ad Exodum pertinere, quia profectio ex Ægypto ad ea quodãmodo tendebat. & ſi vere etiam ea quæ ſequenti libro deſcribuntur eodẽ tẽpore inſtituta fuerint, voluit tamen Moſes ea à præſenti libro ſeparare, eo quod ad ſolos leuitas & ſacerdotes verè pertineant, vnde & libro ſequenti datum eſt nomen vt Leuiticus appellaretur.

## CAPVT II.

*De authore huius libri.*

NEmini dubiũ eſſe poteſt quin auctor huius libri fuerit Moyſes, qui vt in Geneſi deſcripta totius vniuerſi creatione ac propagatione, mox relicta hiſtoria aliarum gentium, ſui tantum populi hebræi nempe fidelis ex Abraham, Iſaac & Iacob progeniti hiſtoriam, originem, & propagationem deſcripſit, ita & hic in Exodo eamdem proſequitur.

## CAPVT III.

*De argumento huius libri.*

NOn pauci arbitrantur Moyſen ſolum intendiſſe in hoc Exodi libro populo iam fideli adunato datam eſſe generaliter, & ſuccincte legem, & tripartitam quidem deſcribere, tripartitam inquam quoad moralia, iudicialia, ceremonialia, ita tamen quod inter moralia ponantur aliqua ceremonialia: ſed dicendum argumentum huius libri eſſe, poſt deſcriptum in præcedenti libro filiorũ Iſrael in Ægyptum deſcenſum, peregrinationem & manſionem, ſed glorioſam & triumphantem: hic eiuſdem miſerrimam ſeruitutem, & afflictionem aperite, inde vero libertatis initium, id eſt eductio ex Ægypto & Ægyptiorum plagæ deſcribuntur, mox renouatio fœderis cum Deo per promulgationem decalogi, & noui ſacerdotii, ſacrarumque ceremoniarum inſtitutionem, cui denique (quod neceſſarium erat ad conſtitutionem integræ perfectæque reipublicæ) leges politicæ adiunguntur, vt cum decalogus legem naturalem, conſtitutio ſacerdotij & ſacrorum leges politicas ſacras ex-

plicuiſſent, aliæ deinde conſtitutiones legibus ciuilibus inſeruirent, non tamen omnia nec ſacra nec politica hic continentur, ſed quædam ſparſim in Leuitico & in libro Numerorum.

Vel clarius, ſacer textus compendioſe Patriarcharum nempe filiorum Iacob morte deplorata, deſcribit durã Hebræorũ ab Ægyptiis ſeruitutem & tyrannicam oppreſſionẽ, deinde Moſis natiuitatem, geſta quædam & decem plagas, quibus percuſſa eſt Ægyptus: tum tranſitum Hebræorum per mare rubrum, ſubmerſo Pharaone cum omni ſuo exercitu: poſtea aquas amaras immiſſo ligno dulces factas, pluuiã mannæ in deſerto, in eoque aquarum copiam inueniſſe, atque Amalech ſibi aduerſantem cecidiſſe, dein eis dediſſe legẽ in Sina, fœduſque cum eis iniiſſe, poſtea Hebræos rupiſſe, vitulumque ex metallo pretioſiſſimo factum adoraſſe, ideoque Moſen tabulas legis & fædifragos occidiſſe: tandem deſcribitur fabrica tabernaculi eiuſque aræ ſupellex.

## CAPVT IV.

### *De diuiſione huius libri.*

COmmunis & generalis diuiſio huius libri eſt per 40. capita, totidem enim continet Exodus, in quorum primo deſcribitur qualiter nouus Pharao Iſraelis multiplicationẽ onerum impoſitione, maſculorum cæde, & ſubmerſione, niſi obſtetricum induſtria obſtitiſſet, impedire ſatagit: in ſecundo Moſes aquis expoſitus & extractus in aulam regiã à matre ſua enutritus, propter homicidium in Madian fugit, vbi duxit vxorem: in tertio Moyſes paſcens oues, videt Deum in rubo, à quo mittitur ad Iſraelem, & eius oppreſſorem Pharaonem: quarto tribus ſignis à Deo acceptis in Ægyptum proficiſcitur, vxor, circumciſo primogenito, cum vtroque in Madian rediit. quinto, Moyſes & Aaron apud Pharaonem Dei legatione funguntur, quæ ab eo contemnitur: ſexto conſolatur Deus Iſraelitas terræ Chanaan promiſſione: ſeptimo virga Moyſis vertitur in colubrum, aquæ vertuntur in ſanguinem, idem tentant Magi Pharaonis: octauo ex Pharaonis pertinacia ranæ, ſcyniphes, & muſcæ mittuntur in Ægyptum: nono Ægyptus percutitur peſte pecorũ vlceroſis veſicis, tonitru, grãdine & fulgure horribili: decimo locuſtæ mittuntur, pro quibus abigendis orat Moyſes, ſed renitente Pharaone tenebræ fiunt palpabiles: vndecimo Dominus iubet ſpoliare Ægyptios, mors primogenitorum Ægyptiorum prædicitur Pharaoni: duodecimo præceptũ & ritus edendi agni paſchalis, azymorum inſtitutio, mors primogenitorum Ægypti, eiuſdem ſpoliatio, egreſſio filiorum Iſrael: decimo tertio primogenita Deo ſanctificanda, columna nubis & ignis apparet viarum ductrix: quartodecimo induratus Pharao inſequitur Iſraelitas, & ſubmergitur in mari rubro, per quod incolumes ſiccis veſtigiis tranſeunt Hebræi: decimo quinto agunt Deo Iſraelitæ pro victoria gratias. orante Moyſe, dulceſcunt aquæ Marath: ſexto decimo, murmurantibus pro cibo in deſerto pluit Deus & coturnices & man: decimo ſeptimo, murmurantibus datur aqua de petra, vincunt Amalechitas orante Moyſe: decimo octauo, Iethro vxorem cum filiis Moyſi reducit, cuius conſiliarius factus eſt ſuper conſtituendis magiſtratibus: decimo nono, in monte Sinai in peculiarem populum Dei eliguntur Hebræi & iubentur diſponi ad accipiendam legem: vigeſimo dantur à Domino decem præcepta, altare terreum præcipit fieri Dominus. 21. dantur pręcepta iudicialia, 22. aliæ leges iudiciales deſcribuntur; agitur etiam de decimis, primitiis, primogenitis, de carne à beſtiis prægustata. 23. ſubiiciũtur aliæ leges iudiciales, nec non ceremoniales, de anno 7. de Sabbato, & omnis incolumitas & proſperitas Iſraelitis à Deo promittitur: 24. offerũtur Domino ſacrificia, & ſanguine fœderis populus aſpergitur: Moyſes cũ Deo manet in mõte quadraginta diebus & totidem noctibus. 25. dona exigit Deus pro cõfectione tabernaculi, arcæ, propitiatoriũ proponitur: 26. præſcribitur idea & forma tabernaculi fœderis, velorum &c. altare & atriũ tabernaculi, tentoriũ, colũnæ formari iubentur: 28. pontificalia indumenta, & ornatus Aaron ſacerdotis & filiorum eius: vigeſimo nono ſacerdotum conſecratio, rituſque oblationis pro illis: trigeſimo forma altaris incenſi, labium æneum, confectio olei ſancti, & thymiamatis proponuntur: trigeſimo primo, vocatio artificum Beſeleel & Ooliab, dantur Moyſi tabulæ lapideæ: trigeſimo ſecundo, vitulus adoratur, iratus Moyſes confringit tabulas, Idololatræ interficiuntur: trigeſimo tertio, luget populus delictum admiſſum, impetrat Moyſes admitti ad diuinæ gloriæ conſpectũ: trigeſimo quarto, inſtaurantur tabulæ, quædam ceremonialia adhuc præcepta admittuntur, de mõte deſcendens Moyſes faciem ſuam cornutam velat: trigeſimo quinto, repetitur præceptum de Sabbato, exiguntur donaria, Beſeleel & Ooliab artifices commendantur à Moyſe: trigeſimo ſexto oblatis plus æquo donariis, fabricatur tabernaculum cum omnibus ad illud requiſitis: trigeſimo ſeptimo, formantur arca, propitiatorium, menſa, candelabrum &c. trigeſimo octauo, formantur altare holocauſti cum labio æneo & atrio: trigeſimo nono, pontificalia ſacerdotaliaque omnia conficiuntur ornamenta totumque opus iniunctum perficitur, ac Moyſi benedicendum offertur: quadrageſimo erigitur tabernaculum conſecratur ac Dei maieſtate repletur.

Sed ſpecialis huius libri diuiſio præcipuas tres partes continet: prima, vſque ad capitis duodecimi verſum trigeſimum ſextum incluſiue, comprehendit acta annorum centum & quadraginta quatuor vel quinque, nempe à morte Ioſeph vſque ad exitum ex Ægypto: ſecunda extenditur vſque ad caput decimum nonum excluſiue, & comprehendit acta dierum quadraginta ſeptem & octo, nempe exitum ex Ægypto, Pharaonis cum toto exercitu ſubmerſionem, cãticum Iſraelitarum, iter per deſertum, & duodecim manſiones: tertia vſque ad finem libri, complectitur per capita viginti & duo acta nouem reliquorum menſium, nempe à die tertio menſis tertii vſque ad diem primum ſequentis anni, & narrat leges à Deo Iudæis traditas in monte Sinai, & reliqua quæ vidimus in diuiſione communi.

## CAPVT V.

### *De dignitate huius libri.*

Dignitas huius libri facilè æſtimari poteſt ſi

ea quæ Iudæis typicè contigerant in hoc opere, descripta allegoricè ad noui testamenti statum referre velimus, ita sentit noster Lyranus, cuius verba subijcere non inutile iudico; in Pentateucho, excellit Exodus in quo pæne omnia sacramenta quibus Ecclesia instruitur, figuraliter exprimuntur, per corporalem enim exitum filiorum Israel de Ægypto, corporalis noster exitus de Ægypto spiritualis signatur: per mare rubrum & Pharaonis submersionem, atque Ægyptiorũ, baptismi mysterium & spiritualium hostium interitus: per typici agni immolationem & hebræorum liberationem, veri agni passio & nostra redemptio: de cœlo datur manna & aqua de petra, Ioan. hic est panis qui de cœlo descendit, & doctrina Christi: in monte dantur præcepta atque iudicia Dei, vt subijciamur disciplinis: tabernaculum & vasa eius construũtur, cultus & sacrificia imperantur, quibus Ecclesiæ ornatus & spiritualia sacrificia significantur: mystica vnctio & thymiamata conficiuntur, quibus sanctificatio spiritus & orationis odoramenta commendantur: hinc Paulus ait omnes eamdem escam spiritualem manducauerunt & omnes eumdem potum spiritualem biberunt, 1 Cor. 10. hinc quoque Ioannes, facta sunt hæc inquit scriptura vt impleretur, & os non comminuetis ex eo.

---

## CAP. VI.

### *De fine huius libri.*

QVadruplex finis assignari solet, primus vt Deus præstaret id hebræis quod promiserat Abrahæ Genes. 17. scilicet se posteros illius in terrã Chanaan post quadringentorum annorũ curricula introducturum curricula: secundus, vt ex populo suo ex terra Ægypti & Pharaonis iugo educto sibi ecclesiam informaret: tertius vt ostõderet quantam ecclesiæ suorumque curã habeat quamque sit omnipotens & terribilis in puniendis suorum hostibus: quartus vt typum daret ecclesiæ nouæ nempe catholicæ, cuius alumni ex gentilitate per baptismum, & multas tentationes & certamina, perque multa miracula duce Christo tendunt in terram promissionis in regno cælorum.



# COMMENTARII LITERALES ET CONCEPTVALES IN EXODVM

## CAPVT PRIMVM.

### SYNOPSIS.

Nomina filiorum Israel, qui quondam cum Iacob in Ægyptum descenderant, recensentur, qui cum post mortem Iosephi, ex peculiari Dei benedictione singulariter multiplicarentur, nouus Ægypti rex eos odio prosequens, seditionis prætextus periculum, eos conatur, partim onerum impositione, partim masculorum suffocatione opprimere: à Deo in vtrisque afflictionibus mirabiliter prosperantur, & vtrumque malum fœliciter euadunt, nam & sub oneribus magis multiplicantur, & obstetrices misericordia tactæ masculis clanculum parcunt.

### VARIETAS LECT. A VERSV PRIMO AD QVARTVM.

VVLG. Hæc sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt in Ægyptum cum Iacob, singuli cum domibus suis introierunt.

*Sept.* Qui ingressi sunt in Ægyptum vnà cum Iacob patre suo, vnusquisque cum vniuersa domo sua intrauerunt.

*Cald.* Singuli cum viris domus suæ introierunt.

*Pag.* Et hæc sunt nomina, & singuli cum familia sua ingressi sunt.

*Aliqui.* Vnusquisque cum peregrinatione sua.

*Arias.* Vir & familia sua ingressi sunt.

*Vulg.* Ruben, Simeon, Leui, Iudas.

*Vulg.* Issachar, Zabulon, & Benjamin.

*Vulg.* Dan, & Nepthali, Gad, & Aser.

### CONCORDIA.

SGio in Hebræo haberi ואלה שמות & hæc nomina, cum noster vulg. hanc coniunctionem, &, non habeat, sed solum hæc sunt nomina, quia Vau Hebraicè sæpè per pleonasmum redundat, & tantum ornatui seruit, præsertim initio orationis vel sententiæ, vnde & Ezechiel ita incipit: Et factum in anno tricesimo, & ita hic poterit esse nota initij sermonis, inchoatque orationem. איש isch pro viro, singulis, vnoquoque sumitur, certum est בית domum signi- Ezech. 1.



Digitized by Google

ficare, quam tamen alij reddiderunt vel familiam, vel viros domus, quia domus apud Hebræos sæpe significat sobolem, quod ea sit quasi fabrica patris, sic Dominus promisit Dauid se ei domum, id est sobolem regiam daturum 2. Reg. 7. Achab vero domum idest stirpem regiam euersuram 3. Reg. cap. 21. tum etiam quia domus per metonymiam accipitur pro familia & tota re familiari: qui autem vertere cum peregrinatione sua, ideo est quia nomen græcum [illegible] à Sept. positum deducunt à verbo [illegible] quod [illegible] significat ad vel iuxta [illegible] [illegible] peregrinor.

## EXPOSITIO.

HÆc sunt nomina filiorum Israel, vt omnibus compertum esset, quasi materia huic libri gauderet, in principio narrationis voluit eorum nomina, de quibus & ex posteris suis [illegible] texitur, apponere: gesta enim populi Hebræorum continet: ait ergo, *hæc sunt nomina filiorum Israel*, id est filiorum Iacob, *qui ingressi sunt cum Iacob* [illegible] & significat idem quod cum eo, Ioseph autem non recenset, quia ante genitorem ingressus est Ægyptum, *singuli cum domibus suis introierunt*, domus vsicata metonymia pro populo vel familia ponitur. Græci autem dixere [illegible] & eos intelligunt non propriè qui in eadem [illegible] & habitant, sed eos qui in [illegible] [illegible], [illegible] tamen vicinis degunt.

*Ruben, Simeon, Leui*, &c. in recensione horum liberorum Iacob, [illegible] scriptura quatuor fere ordines, primo sunt [illegible], secundo [illegible] benedictionis [illegible] [illegible], quartus [illegible] [illegible] [illegible], nempe [illegible] filij liberarum [illegible] filij ancillarum, [illegible] [illegible] Lia, Bala Rachelis famula tanquam [illegible] Iacob [illegible].

## CONCEPTVS.

### *Deus fidelissimus in promissis suis.*

1 HÆc sunt nomina filiorum Israel qui cum familiis suis in Ægyptum descenderant, cum nihil superfluum in scriptura à Spiritu sancto inspirante conscripta reperiri debeat, & in superiori libro Geneseos, non semel & iterum fuerint recensita filiorum Iacob nomina, dictumque in Ægyptum cum patre descendisse. Hic autem liber (vt ex verbis Hieronymi, imo ex historia Scholastica elicitur) non sit alius à libro Geneseos, sed continuatus, in plures tamen partitiones propter fastidium legentis, diuisus, cur iterum hic memoratur cum nondum obliuione eorum memoria deleta fuerit? obserua iamiam tibi cognitum fore populum Hebræorum in centena milia & multo plura creuisse, quod Deus Abrahæ pollicitus fuerat, dicens semen suum ad instar stellarum Cœli, & arenæ maris se multiplicaturum. non igitur arguendus Moyses tanquam aliquorum scriptor superfluus, imo celebrandus encomiis, cum Deum in promissis demonstret fidelissimum, quippe ex paucis hominibus quorum hic nomina recensentur, in infinitum populus Hebræorum fuerit multiplicatus: *Quam memor* [illegible] *promissionum suarum*, ait Theod. in Cat. Græca, *in ipso statim limine numerum recenset eorum qui ingressi sunt in Ægyptum, vt qui mox audiat egredientium multitudinem, meminerit Deum præstitisse quod Abrahæ benedicendo pollicitus fuerat.*

Theodor.

### *Maxima Dei erga suos elucet misericordia & benignitas.*

2 *Hæc sunt nomina filiorum Israel*; siluerem numerum, vel saltem nomina Ægyptum ingredientium, ne Deus exiguæ in suos argueretur prouidentiæ, cum à tribus sæculis præcedentibus eorum numerum ita auxerit auare, nam cur in alios ita prodigus, in suos autem ita parcus? sed sitte gradum, & eorum egressum ex Ægypto considera præter pueros & mulieres, qui [illegible] innumera [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], virorum sexcenta millia conspicies, & Dei [illegible] [illegible] & [illegible] in populum suum electum commendabis, quem licet innumeris oppressum calamitatibus, breui tempore adauxit incredibili fere numero: subsignat Abulens. *Ponit Moyses nomina & numerum patrum ingredientium in Ægyptum, quia intendebat ostendere magnam Dei munificentiam super populum suum, vbi si ponit in Ægyptum ingredientium exiguam paucitatem, vt egredientium deferret multitudinem numerosam, quibus inter se collatis, [illegible] diuina benignitas elucebit, quæ tanta angustia & [illegible] [illegible] omnium ponderibus aggrauatam, tam paruo tempore specialissima cura ad tantum adauxit numerum* [illegible] *suos.*

Abulens.

### *Labor & afflictio non minuit, sed multiplicat.*

3 *Hæc sunt nomina filiorum Israel*, quasi diceret, [illegible] innumerum populum Dei ex Ægypto egressum [illegible] [illegible]; quæso vobis minime [illegible] [illegible] [illegible] in Ægyptum plures descendisse, hæc enim sunt eorum nomina. sed, vnde nam tanta gentis Hebræorum in Ægypto propagatio? dices omnes mulieres eo tempore fecundas, vt singulis non solum annis parerent, imo quamlibet mulierem, aut certè ex illis pleraque binos aut etiam ternos, aliquando quaternos [illegible] [illegible] edere. dices secundo tantam fecunditatem Hebræarum mulierum singulari beneficio Dei concessam & assignandam miraculo: sed cur non dicemus ex laboribus & [illegible], quos à Rege tyranno perpessos nouimus, in hanc excreuisse innumeram fere multitudinem? testis tibi sit Procop. *Exaltata illa familia enumeratis hic [illegible], vt cernentes mirabilia gentis huius incrementa, similiter cognitam habeamus causam, quæ ad illa deduxit Hebræorum gentem incrementa, aucti sunt enim nempe in laboribus*

Procop.

3 *Vita virorum præstantium nobis proponitur, ut nostra ad virtutem, eorum imitatione deducatur.* A

*Hæc sunt nomina filiorum Israel*, in quorum numero Leui non inferioris nominis ponitur, Leui inquam Moysis progenitor, cuius vita ab origine traditur, nec non illius gesta præclariora recensentur. Cur Spiritu sancto dictante ipsemet Moyses vitam illius describit: cur ipsemet Moyses eximia virtutum facinora posteritati sua manu descripta reliquit? satisfacit tibi D. Gregor. Nyssen. lib. de vita per. siue de Moyse *idcirco credendum* (inquit) *potentissimorum virorum vitas exquisitissime præscriptas vt vita nostra imitatione ad virtutem ac bonum rectius deducatur.*

S. Gregorius Nyssenus.

*A virtutis studio non reuocat locus natiuitatis.*

4 *Hæc sunt nomina filiorum Israel*, vnus inter alios erat Leui progenitor Moysis, cuius vita describitur, vt eius imitatione, sicut & aliorum virorum præstantissimorũ, vita nostra bene instituatur; sed dicet quispiã, nec alũnus Regis Aegypti filiæ (vt de Moyse scriptura testatur) nec Chaldæus sum ego, vt de Abraham dicitur, nec denique cum priscorum aliquo mihi quidpiam commune, alicuius eorum vitam vt possim consequi, cũ nihil habeam quo possim adeo diuersæ vitæ, ac morum, longeque aliorum sæculorum homines imitari. Sed nullum tibi sit virtutis adipiscendæ subterfugium, locus enim natiuitatis ab eius studio minime reuocat. huc aduocanda verba cit. Greg. Theol. *nos respondebimus, neque ad virtutem, neque ad vitium pertinere, si Chaldæus quis sit, nec si in Aegypto viuat aut in Babylone versetur, ideo à recta virtutis vita expellitur, nec enim in Iudæa solum vt quondam Deus cognoscitur, nec Sion illa Dei scilicet domicilium, determinatus quidem locus est, vt littera sonare videtur.* B C

Gregorius Nyss.

*Peregrinatio & exilium multorum suis peccatis tribuenda.*

5 *Hæc sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt in Aegyptum*: quærenti, cur factũ est vt filij Israël in Ægyptum descenderint, qui prius terram promissionis incolebant: dices Deum ita voluisse: id verum esse nullus ambigit: sed difficultatem responsum non dirimit, nam cum Deus sit æquissimus, nihilque sine ratione velit aut iubeat fieri, cur voluit aliam quam terram sibi promissam colere? reuoca in memoriam quid in Ioseph filij Iacob commisere, & dices descensum in Ægyptum & in ea exilium eorum peccatis tribuendum esse: verba subijcio Ruper. lib. 1. in Exod. cap. 2. *respondere oportet ideo Deũ hoc voluisse, quia domus Israël peccauit, fratrem enim suum in seruum vendidit, ob hoc iuste Deus illud voluit, propter hoc famem vocauit, & illi tanquam duro exactori reos suos iuste tradidit, vt abigeret in Aegyptum, in illud ergastulum quo præmiserant fratrem suum: sane pater Israel liber à culpa fuit, idcirco præeũte ac subsequente consolatione instrauit*, idem habet Zeno Veron. Ser. 2. de Moyse: *in Aegypto seruisse diu, non forte peregrini, sed merito.* D

Rupertus Abbas.

S. Zeno.

*Descendens in Aegyptum huius sæculi, tentationibus obnoxius.*

6 *Hæc sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt in Aegyptum cum Iacob*, qui quidem & altero gaudebat nomine, nempe Israël, quod excellentiorem sortitur ethymologiam, si quidem videns Deum interpretatur: nomen autem Iacob luctator interpretatur: cur igitur nomine excellentiori obmisso, aliud assumit cum sermonem instituit de filijs Iacob descendentibus in Ægyptũ? apte quidem, cum enim Iacob interpretetur luctator, hoc nomine innuebat quam grauiter forent in Ægypto tentandi, non autem habitationem pacificam habituri: quod Patriarcha Paludan. confirmat, *ad denotandum quod filij Israel habituri erant multam tribulationem in terra Aegypti, sicut rei probauit euentus, hoc igitur præuidens in spiritu prophetico Moyses describit descendisse in Aegyptum potius cum Iacob quam cum Israel, quia Iacob luctatus est cum Angelo, Israel autem interpretatur videns Deum*, quod ad *pacificam habitationem pertinet.*

Patriarcha Paludanus.

*Vita nostra peregrinorum est.*

*Hæc sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt in Aegyptum cum domibus suis*, Pag. *singuli cum familia sua*, alij cum *peregrinationibus suis* sic enim habent Septuag. ἕκαστος παροικίαις αὐτῶν εἰσήλθοσαν. vocant autem Græci παροικίας non eos propriè qui in eadem domo habitant, hos enim vsitatius συνοίκους appellant etiamsi hæc vox aliter aliquando accipiatur, sed eos qui in diuersis domibus, sibi mutuo tamen vicinis degunt, vnde etiam hodie non παρικίας sed παροικίας vocamus plurium congregationem, qui sub vno pastore sibi mutuo vicini viuunt sed vocem παροικίας plures extendunt ad significationem verbi παροικέω, quod non solum ad vel iuxta habito, sed etiam peregrinor denotat: vnde fit, quod vbi habemus cum domibus, verterunt cum peregrinationibus: sed si domus aliquid stabile & firmum dicit, peregrinatio autem quid transiẽs, quomodo domos verterũt peregrinationes? Sane vt innuerent nullũ habitaculũ hic firmũ & stabile esse, sed omnes hanc vitam tanquam peregrinos & aduenas transigere debere: vnde optime ait Haymo exponẽs illa verba Heb. 11. defũcti sunt omnes non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, salutantes & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram, ait, *quapropter prima virtus est peregrinum mundi esse, & peregrinum nihil habere commune cum regibus huius sæculi, sed remoueri ab eis sicut peregrinus.* 7

Haymo, Hebræo 11.

*Gentiles non negligendi à Deo præ Iudæis.* 8

*Hæc sunt nomina filiorum Israel*, nonne exordium ab alijs verbis, & diuerso ordine duci potuit? nempe Israël hos filios habuit, quorum hæc sunt nomina, itaut eorum pater sicut est & generatione & dignitate prior, sic etiam & positione: hîc enim prius ponuntur filij quam genitor; an hic verborum ordo casu contigit? nonne Israël Iudæos denotat? filij autem eius, quia ipso inferiores populum gentilem Iudaico inferiorem significare possunt? Dic ergo non sine ratione prius filios Israël quam Israëlem nominari, sed vt denotaretur, populum gentilem à Deo non negligendum per Apostolorum suorum instructionem, præ Iudæorum populo; non alienus ab hoc sensu vener. Beda in cap. 1. Exodi, *idcirco filij Israel hic prime dicuntur ante suum patrem, quia illis nempe Apostolis, plebs prior erit quam Israel.*

Venerabilis Beda.

9 *Liber sacramenta & mysteria religionis nostræ continens alijs præferendus.*

*Hæc sunt nomina filiorum Israel*, sic hic liber Exodi ducit exordium, qui inter cæteras scripturas quas Pentateuchus continet, eminet ex plurimorũ testimonio: verũ liber Geneseos sicut ordine prior, non deberet posterior dignitate censeri. cur ergo præfertur ei Exodus? dices propter insignia quæ in eo describuntur facta. Sed an minora continet Genesis, omnium rerum creationem, tot eximia Patriarcharum facinora? &c. cur ergo in dignitate nõ superabitur à libro Geneseos? tibi noster satisfaciet Lyranus: *in Pentateucho excellit Exodus in quo pene omnia sacramenta quibus Ecclesia instruitur, figuraliter exprimuntur, per corporalem enim exitum filiorum Israel de Aegypto, corporalis noster exitus de Aegypto spirituali signatur: per mare rubrum & Pharaonis submersionem, atque Aegyptiorum, baptismi mysterium & spiritualium hostium interitus: per typici agni immolationem & Hebræorum liberationem, veri agni passio, & nostra redemptio: de cælo datur manna, & aqua de petra, Ioa. 6. hic est panis qui de cælo descendit & doctrina Christi, in monte dantur præcepta atque iudicia Dei, vt subijciamur disciplinis: tabernacula & vasa eius construuntur, cultus, & sacrificia imperantur, quibus Ecclesiæ ornatus & spirituales sacrificia significantur: mystica vnctio & thymiama conficiuntur, quibus sanctificatio spiritus & orationis odoramenta commendantur, hinc Paulus ait omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, 1. Cor. 10. hinc quoque Ioannes facta sunt hæc inquit vt scriptura impleretur Ioan. 17. os non comminuetis ex eo &c.*

Noster Lyranus. Ioan. 6. 1. Corint. 10. Ioan. 17.

*Concionator antequam suo munere fungatur, Deum contemplatione videns.*

10 *Hęc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum*, per hos non inepte possunt intelligi concionatores Ægyptum huius mundi ingredientes, idest sine timore, non cum adulatione peccatores arguentes, eorumque saluti solicite studentes: sed qua de causa prius nominantur filij Israël quam in Ægyptũ ingressi dicantur? nam post eorũ ingressũ dici filij Israël potuerũt: pluries obseruatũ à nobis super Genes. Israëlem interpretari, Deum videntem. merito igitur prius filij Israel nominantur, quã eorum ingressus in Ægyptum referatur, *quia prędicator* (inquit Hugo Carens.) *prius debet videre Deum per contemplationem, & post laborare per prędicationem, vnde antequam sponsa euocetur ad laborem prędicationis, prœmittitur de somno contẽplationis Can. 2. cũ enim dixisset, ne suscitetis eã donec ipsa velit, statim subdit, surge propera amica mea & veni.*

Hugo Carensis. Cant. 2.

*Ne in nominum siue natiuitatum ordine simus curiosi.*

11 *Hęc sunt nomina filiorũ Israel*, vnũ deinde quęq; proprio nomine recenset, sed sane diuerso ordine, ac in Genesi nõ solũ cũ in lucẽ editi, sed cũ à Iacob benedictionẽ acceperunt, imo etiã alias cũ numerantur, diuersũ ac in Exodo seruãt ordinẽ. cur nõ sẽper vel ordinẽ natiuitatis vel benedictionis, vel dignitatis, retinent? ad quid toties eũ inuertere? sane peritus non cẽseretur historiographus qui pluries nomina eorũ de quibus sermonẽ institueret, mutato ordine confunderet. ne dicas nomina filiorũ Israël confundere Moysen, quatuor enim ordinibus, nẽpe natiuitatis, benedictionis, castrametationis & dignitatis Patriarchæ numerantur, dic igitur ideo toties hunc ordinem immutasse, *vt nos instruat*, inquit Lyr. *ne in ordine natiuitatum, & nominum curiosi simus, cum his vltimus filiorum Iacob, & ipsius Rachelis, multis primitus genitis anteferatur.*

Noster Lyranus.

*Auctores alicuius partis scripturæ munere periti historiographi funguntur.*

*Hæc sunt nomina filiorũ Israel*, nonne principium huius libri Exodi sic ordiri poterat: Ioseph mortuo, & vniuersis fratribus eius, omnique cognatione sua filij Israël creuerunt: hoc enim exordiũ fini libri præcedentis sane cohærẽs & congruũ fuisset. nec non maiorẽ emphasim & venustatẽ præ se tulisset. cur ergo à nominibus filiorũ Israël toties repetitis? cur ab eorũ in Ægyptũ descensu antea memorato, duxit exordium? quia sane Moyses historiographus peritissimus, nihil à venustate historiæ omittendũ cẽsuit quæ omnia integrè & absolutè posteritati debet tradere. omissis enim & iterũ non repetitis nominibus filiorũ Israël, aliquid diminutũ censeretur, nempe subiectum cuius incrementum, prosecutio & victoria esset referenda. quod obseruat Rup. Abb. *hoc libri principiũ etsi ad solam literam spectes, periti historiographi laudem egregiã possidet, qui quod in prçcedẽti libro latius dixerat, hoc ipsũ breuiter hic repetere idoneũ ratus est, voluit enim huius libri corpus exhibere integrum, idcirco caput præmisit eximiũ nominibus scilicet filiorum Israel qui introierunt in Aegyptum veluti quibusdã stellis illustratũ.* 12

Rupertus. l. 1. c. 3.

*Nihil in sacra historia otiosum.*

*Hæc sunt nomina filiorũ Israel*, deinde recẽset ea nominatim, quasi iã obliuioni tradita, quod quidẽ mihi plus satietatis vsq; ad nauseã quã vtilitatis habere videtur, nã elegãter dictũ fuisset à Moise, omnes filij Israël qui descenderunt in Ægyptũ cũ genitore suo, creuerũt & germinãtes multiplicati sũt, ijs in nominatis: sed hanc nominum repetitionẽ inutilẽ esse ne dixeris, nihil enim nec vnũ iota in sacra historia superfluũ esse arbitrandũ est. huc decurrit D. Chr. ho. 21. in Genes. *ne mireris quod in hac nominũ enumeratione multas latentesque diuitias sententiarũ me ostensurũ pollicear, neque enim syllaba vel apiculus est in sacris litteris, in cuius profundo non sit grãdis quispiam Thesaurus,* rationem vero cur ne vna quidẽ syllaba in sacris literis superflua sit, sed plane necessaria, optimã reddit citatus doct. *nam si in scriptis quæ de secularibus negotijs ab hominibus conficiuntur, & sæpe tẽpore corrumpuntur, vel vnã prœmij syllabam deesse multũ momenti habet, quanto magis hoc in scripturis diuinis à Spiritu sancto compositis inuenitur?* 13

S. Chrysost.

*In historia sacra omnia spiritualis vitæ subsidia.*

*Hęc sunt nomina filiorum Israel*, qui & posteri eorũ, amplissimã plura historice referendi præbent materiã. sed cur quæ in hac referuntur historia, posteritati traditæ? plura enim silẽtio obruenda videntur, vt summa regis Ægypti ingratitudo, Israëlitis tot persecutiones illatæ, primogenitorũ Ægypti interitus & aliæ in idẽ regnũ plagæ immissæ, quæ Deum crudelem innuere videntur: sed nullus ita sit à mente alienus, qui sacram historiam inutilem asserat, cum in ea omnia spiritualis vitæ subsidia reperiantur. religio me esset verba supprimere auctoris 14

Auctor operis imperfecti. imper. hom. 41. in Matth. vbi postquam in communi cumulatissimeq; remedia, nostris spiritualibus malis in sacra suppeditatur historia quæ retulit, exemplis doctrinam illustrat: *vt quid* (inquit) *scriptum est Achar propter furtum lamina aurea lapidatum.* Iosue 7. *nisi vt habeant fures quod timeant: vt quid ibi filij Israel qui fornicati sunt cum filiabus Moabitarum percussi refugerunt in Beelphegor,* Num. 25. *nisi vt habeant fornicatores quod perhorrescant? vt quid concupiscentes carnis castigati sunt in deserto,* Num. 11. *nisi vt nemo delicias concupiscat? vt quid Dauid arguit Nathan & suscepit* 2. Reg. 12. *nisi vt adulteri & homicidæ pœnitentiæ remedium non desperent? Raab meretrix sanctificata* Iacob 2. *vt meretricibus spes daretur.* potes subiungere de ingratitudine Regis Pharaonis & Ægyptiorum persecutione in Israelitas, vt cum seuere à Deo punitos videmus, Deum esse æquissimum, nihilque impunitum relinquere, sed præcipue exosam habere ingratitudinem nouerimus: tandem concludit, *nihil ergo minus est in hoc commercio quam quod necessarium habet salus humana.*

Iosue 7. Num. 25. Num. 11. 2. Reg. 12.



## VARIETAS LECT. Vers. 5.

VVlg. erant omnes animæ eorum qui egressi sunt de fœmore Iacob septuaginta, Ioseph autem in Ægypto erat.

*Sep.* Ioseph autem erat in Ægypto, erant autem omnes animæ de Iacob septuag. quinque.

*Cald.* erantque omnes animæ egredientium de fœmore Iacob septuaginta animæ cum Ioseph, qui erat in Ægypto.

## CONCORDIA.

NOster vulg. habet septuaginta, similiter & Hebræus textus שבעים sibim, sed Septuaginta interpretes cum quibus est D. Aug. Orig. &c. πέντε καὶ ἑβδομήκοντα habent, idest quinque & septuaginta; quæ diuersitas quomodo debeat conciliari explicuimus in 2. tomo Commentariorum in Genes. Cap. 46. consule quæ à nobis ibi dicta fuere.

## EXPOSITIO.

ERant omnes animæ, animæ per synecdochem pro hominibus ponuntur, *qui egressi sunt de fœmore Iacob;* non quia anima per traducem à parentibus infunditur aut gignitur, sed quod conuenit toti homini tribuitur parti eius principali, nempe animæ, animæ enim non egressæ sunt de fœmore Iacob, sed homines de fœmore eius: fœmur per metonymiam ponitur pro facultate generatiua, vnde sensus, qui nati sunt ex eo, vel immediate vel mediate: *Ioseph autem erat in Ægypto,* quasi dicat, & si non introiuit simul cum Iacob, pertinet tamen ad numerum eorum qui egressi sunt de fœmor Iacob, descendit enim ante patrem annis quasi viginti tribus, quia ipse venditus fuit in Ægypto anno 16. vitæ suæ finito & inchoato 17. Iacob autem descendit in Ægyptum anno 39. Iosephi.

## CONCEPTVS.

### *Mira est diuinæ benedictionis efficacia.*

ERant omnes animæ eorum qui egressi sunt de fœmore Iacob septuaginta, numerus sane exiguus, paucissimi homines, si conferantur cū sexcentis millibus hominū ad bellū idoneis, si cū tot pueris, senibus, & mulieribus qui egressi sūt ex Ægypto, vndenā innumera pœne hominū multitudo? reuoca in memoriam benedictionem Abrahæ à Deo acceptam fuisse de propagando suo semine: cur non dicemus igitur tantam esse diuinæ benedictionis efficaciam, vt in eam sit innumera propagatio referenda, fauet auctor græcus apud Lipp. *eos qui ingressi sunt Ægyptum enumerat, vt cum tot millia gentis Israeliticæ, in sequentibus legeris, diuinæ benedictionis quæ Abrahæ facta est, muneri adscribas.*

Auctor græcus.

### *Ingratissimi, si Deo facta non adimplemus promissa.*

ERant omnes animæ eorum qui egressi sunt de fœmore Iacob septuaginta, sane quia promiserat Abrahæ semen adinstar stellarum, arenæ maris, & pulueris terræ multiplicaturum, voluit nunc ea enumerari, vt omnibus constans esset quam breui annorum spatio in tot millaria creuerint: sed quid refert, licet tempus eorum multiplicationis futuræ non assignauerit in tam breui tēporis spatio adeo eos propagari? sane cum Deum stantem promissis per anticipationem cognouerimus, nostra persoluere non differamus, *hac in re admonemur* inquit Oleast. *impleto vota nostra, & quæ Deo promittimus, quemadmodum Deus facit nobis, similiter & bona opera multiplicare quemadmodum Deus multiplicat nos.* Lusitani.

### *Anima nostra incorporea.*

ERant omnes animæ eorum qui egressi sunt de fœmore Iacob 70. quid ait Moyses? sane qui propaginem animarum inconsiderata temeritate defendunt, inter alia testimonia quæ suæ causæ suffragari videntur, nullum manifestius & expressius pro se credent proferendum, quā istud. hoc enim velut manifesta auctoritate possent credi animæ in filios ex parentibus propagari,

quoniam satis aperte dictum videtur, animas de fœmoribus Iacob & non sola corpora filiorum ex jsse: sed quæso premite verba textus : nonne in genere masculino positum est, *qui egressi sunt de fœmore Iacob*, non autem quæ egressæ sunt? vt non intelligeremus animas egressas fuisse ex Iacobi fœmoribus, sed solum eos quorũ erant hæ animæ, per quarum numerũ tot homines per synecdochẽ intelliguntur, quis enim animas eorum incorporeas audet negare? au-

S. August.

diamus B. August. Ep. 157. ad Optat. *hactenus dicimus sine periculo latere animæ originem, vt non tamen eam partem Dei esse credamus sed creaturã, nec de Deo natam sed ab illo factam, atque in eius genus adoptandam mirabili dignatione gratiæ, non pari dignitate naturæ, nec eam corpus esse sed spiritum, non creatorem vtique, sed creaturam, nec venisse in hoc corpus corruptibile quo grauatur; quod illuc eam vita in cœlestibus nec quibuslibet alijs partibus mundi antea male gesta merita compleuerint, &c.*

*Quamuis de carne sis, spiritualis censeberis, si sis in procinctu ad egrediendum ex Ægypto huius sæculi.*

*Erant omnes animæ eorum qui egressi sunt de fœmore Iacob* 70. preme hæc verba, *omnes animæ*, quasi eis denotaretur nihil carnis eis inesse, sed quod toti essent anima & spiritus: quid? an nihil carnis habebant? absit, quin potius fatentur ip-

Exod. 16.

si se adeo carnales in Ægypto extitisse Exod. 16. vt dicant sedebamus super ollas carnium: cur ergo qui super ollas carnium sedebant modo non de carne sed de spiritu censentur? merito de spiritu censentur qui iam expediti & in procinctu videbantur ad egrediendũ de Ægypto, & omnia Ægypti carnalia ab eis relinquenda, & arripiendã etiam per desertum Dei sequelam, ex quo pulchre elicit D. Amb. Ser. 4. in Psal. 118. *ergo illi qui habitant cum Ioseph & de Aegypto exierunt animæ sunt*, non caro: sed anima est & spiritus qui in procinctu cernitur vt carnalia deserat vnde monebat cit. Amb. *non ergo fiat anima nostra caro, hoc est vt dicamur caro, sicut & illi qui in diluuio perierunt, de quibus dictum est. quia caro sunt; sed magis caro nostra obediens animæ gubernaculo fiat anima, & hoc appellari mereatur nomine sicut appellata est familia Iacob, & generationis eius sancta posteritas.*

S. Ambrosius.

Genes. 6.

*Verum hominis esse siue nomen, ex sola virtute censeri deberet.*

*Erant omnes animæ eorum qui egressi sunt de fœmore Iacob septuaginta*, nonne superius nomina singulorum Ioseph filiorum recenset? cur & aliorum præter eos, cum etiam in Ægyptum descenderint plures, nomina non memorat? nam non solum ab his duodecim Patriarchis, sed & ab alijs propagati fuere Israëlitæ: ita satisfacit huic difficultati Steph. in alleg. Tilmani, *hæc sunt nomina filiorum Israël, idest bonorum, soli enim boni habent nomen, vnde diues non nominatur quasi ignotus Domino pauper vero tanquam familiaris La-*

Stephanus Cantuariens.

Luc. 16.

A *zarus nominatur. De malis dicitur vocauerunt nomina sua in terris, econtrario de bonis, gaudete quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis*, vnde in *confirmatione, baptismo, & circumcisione, puero nomen imponitur, ac si dicatur soli interius mundi nomen habent.* Psal. 48.

*Inde onerosi & difficiles fiunt subditi principi, quod princeps non illos vt pater respiciat.*

*Erant omnes animæ eorum qui egressi sunt de fœmore Iacob septuaginta*, enumeratur familia Iacobi, vt reipsa declaretur Deum promissis Abrahæ factis de propagando semine suo iuxta illud Genes. 22. multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terre, abunde satisfecisse: sed immoremur

Genes. 22.

B quæso in illa benedictione cui diximus hanc tot hominum multitudinem adscribendam: ait ergo Deus, multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli. concors est patrum sententia, per stellas intelligi mũdi nationes quæ sub principe Abrahamo fidei palmas accipient: sed quando gentes in veritate sanguinis tam remotæ sint ab Abrahamo, vnde venit quod illi tanquam stellæ affulgeant in eiusque familiæ censu sic numerentur? quasi clarissima eius pignora, ingentem eius ostendentia claritudinem, dãtur Abrahamo nationes in filiorum numerum, vt ipse eas tanquam earum pater respiciat, vnde factum est quod non terrenam molem sed cœlestes virtutes in eis videat. pulchre aiebat D. Leo Ser. 3. de Epiph. *de gentibus quondam beatissimo Abrahæ innumerabilis fuerat promissa successio, non carnis*

S. Leo Papa.

C *semine sed fidei fœcunditate generanda, & ideo stellarũ multitudini comparata, vt ab omniũ gentium patre non terrena sed cœlestis progenies speraretur*, expende ab illis, nimirum *ab omnium gentium patre*; quippe ex quo Abraham vt pater respicit omnes gentes, illæ non terreni ponderis sed cœlestis virtutis & splendoris sperantur esse, qui pater nescit esse subditorum, ille & patitur subditos terrenos, & ponderis prope immensi: qui se patrem gerit sicque respicit omnes quasi omnium pater esset, sub hoc semper spectantur subditi cœlestes multisque virtutibus refulgentes.

*Longe major cura animarum quam corporum habenda.*

*Erant omnes animæ eorũ qui egressi sunt septuagin-*

D *ta*, cum aliqui ex hac auctoritate deducere velint animas potẽtia generatiua produci, nonne cõuenientius fuisset dicere, corpora eorum qui egressi sunt de fœmore Iacob fuisse septuaginta? cur ergo potius nominat animas quam corpora? quia longe maior est Deo cura de animabus quam de corporibus & quasi ea paruifaceret Deus, silentio obuoluit solas memorans animas. obseruatio est Hug. Carens. *Dominus vocat homines animas potius quam corpora, per hoc insinuans animarum potius quam corporum curam habendam, vnde Dominus primo venit propter animas, quia magis diligit eas*, Sap. 11. *parcis omnibus quia tua sunt omnia Domine, qui amas animas.*

Hugo Carensis.

Sapien. 11.

*VARIETAS LECT. Vers. 6. 7.*

Vulg. quo mortuo, & vniuersis fratribus eius, omnique cognatione illa.

*Sep. Heb. & Cald.* mortuus est autem Ioseph, & omnes fratres eius & omnis generatio illa.

*Tigur.* & omne sæculum illud. *Alij*, & omnis ætas illa.

*Vulg.* filij Israël creuerunt & quasi germinantes multiplicati sunt, & roborati nimis impleuerunt terram.

*Sept.* filij Israël creuerunt & multiplicati sunt & effusi facti sunt, & inualescebant valde, multiplicabat autem illos terra.

*Cald.* filij Israël nati sunt in multitudinem, & roborati sunt vehementer nimis, & impleta est terra ex eis.

*Onkel.* filij Israel procreauerunt liberos, auctique sunt atque præualuerunt plurimum, ita ut

A terra repleta sit ab eis.

*Aquil.* diffundebantur more inundationis in omnem terram Ægypti.

*Symmach.* progerminantes aucti sunt.

*Oleast.* filij Israel fructificauerunt, & ad modum reptilium creuerunt.

*Arias* filij Israel fructificauerunt, & se produxerunt, & multiplicati sunt & roborati in valde, valde.

*Lipp.* & roborati sunt ingenti fortitudine nimis.

## CONCORDIA.

HAbemus *omnique cognatione illa:* in hebræo autem est וכל הדור & omni generatione, sane vocem hador D. Hiero. vertit generationem, vix autem cognationem & דר dor ait Pagni. in thesauro, est generatio, & à peregrinando nomen habet, significatque omne tempus quo homo in hac terra peregrinatur: cognatio ergo hoc loco idem erit ac generatio, significans homines illius ætatis, vnde nō incongrue Tigurina dor vertit sæculum, ideo alij ætatem illam, & est metonymia subiecti.

Sane noster interpres hunc locum vertit, vt innumeram Israëlitarum multitudinem denotaret, sunt tamen hebraice quatuor verba diuersæ significationis, ad copiam & abundantiam pertinentia: nam est פרו paru quod vulg. & Sept. vertere, creuerunt, sed verbum פרה parah fructi-

B ficare significat; hinc est quod alij fructificauerunt dixere, quia ad modum arborum fructus ferentium, siue instar seminum in terram proiectorum, vel herbarum vltro ex ea nascentium, creuere, verbum שרץ saras procreari in morem reptilium, vt sunt ranæ, formicæ, & locustæ. quæ semper in maximo producuntur numero vel in morem piscium qui fœtum edunt multiplicem & numerosum, ita Oleast. est רבה rabah apud omnes significat multiplicare, quartum est, עצם hazã, quod valuit siue fortis fuit denotat, sed ex consequenti dicit multiplicare, quod multitudo fortis esse soleat; quod passiue habemus vt est etiam in hebræo, impleta est terra ab eis Sep. legunt actiue ἐπλήθυνε δὲ ἡ γῆ αὐτοὺς multiplicauit illos, sed idem est sensus.

## EXPOSITIO.

QVo mortuo, cum esset decem & centum annorum, *& vniuersis fratribus eius*, qui secundum plures post Ioseph è viuis excesserunt, *& omni cognatione illa*, idest omnibus qui cum Iosepho erant eiusdem ætatis: hoc autem dixit vt ostendat afflictionem illam non contigisse nec viuente Ioseph, nec fratribus eius, aut aliquo ex his qui descenderunt cum Iacob in Ægyptum, nec hominibus illius ætatis qui Ioseph cognouerunt.

*Filij Israel creuerunt*, non quod ante mortem Ioseph non creuissent, hoc enim per se notum erat, nec notatu dignum. Sed quod deinceps post mortem illius, cum miserijs premerentur, & malis opprimerentur, creuerunt deinceps in innumeram pœne multitudinem, & hoc speciatim notari debuit, *& multiplicati sunt quasi germinantes*, vel ad modum germinum & seminum, vel ad instar piscium: ex paucis enim tanta orta est soboles, vt pœne esset innumera, *& roborati sunt*, ex nimia scilicet illa multitudine, *impleuerunt terram*, hyperbole, si sumatur pro tota terra Ægypti, nō autem si solum intelligatur de

C terra Gessen, quam habitantes impleuerunt. Si autem inquiras, quomodo & quanto tempore facta fuerit illa multiplicatio, breuiter satisfaciam: ne mpe ad minimus binos mulieres Hebrææ pariebant, aliquando autem tres & quatuor: quod sane sine præcipuo quodam & singulari Dei auxilio & concursu factum non est, quia omnes mulieres vnius gentis amplissimæ per duo & amplius sæcula quolibet partu plures edere excedit omnem naturæ potestatem: quanto autem tempore facta est hæc multiplicatio, tripliciter considerandum est illud tempus, vel à quo manserunt Hebræi in Ægypto, vel à quo ab ea egressi sunt, & sic ducentis quindecim annis facta est; vel à morte Ioseph, & ante He-

D bræorum seruitutem, ita per annos circiter quinquaginta hæc multiplicatio facta est: sed quomodocumque tempus consideretur diuina commendatione digna est Dei erga homines prouidentia, qui ex tam paucis hominibus multitudinem eorum pœne innumeram adauxit.

## CONCEPTVS.

*Deus ita in suos liberalis & misericors vt vno ablato remedio, aliud exhibeat.*

QVo mortuo filij Israel creuerunt, quomodo crescunt, Ioseph eorum protectore defuncto? nam cum ab omnibus Ægyptijs qui eos sane habebant exosos, defenderentur eo presente, non mirum nulla oppressos miseria multiplicatos, sed eo destituti sicut & animo, ita etiā & prole cur non defecerunt? quia Deus ita liberalis in suos, ita misericors, vt cum eis aliquod leuamen ademerit, aliud præbeat auxilium. quod

Oleaster. obſcurum Oleaſt *non conſentit Deus ſuis ſuam opem auferre, & ſi vnum adiutorium deeſt, aliud affert: cum enim Ioſeph qui ſuis auxilio & robori erat, ab hac luce ablatus eſſet; ita multiplicauit & roborauit eos Deus vt nemo poſſet eos omnino delere.*

*Iuſtus ſuorum contra omnes munimen.*

*Quo mortuo filij Iſrael creuerunt*, antea autem immediate dixerat, Ioſeph autem erat in Ægypto, & tunc nulla omnino facta eſt Iſraëlitarum perſecutionis mentio, nec minimæ quantumlibet moleſtiæ eis illatæ. Sed eo mortuo, licet pœne in infinitum excreuerint, tamen ecce varijs afficiuntur ab Ægyptijs, calamitatibus, & duras tolerare coguntur perſequutiones: quid mirum, iuſtus enim Ioſeph ſuorum erat contra omnes munimen *iſtud dicitur*, inquit noſter Lyran. *quia quandiu vixit bene fuit filij Iſrael in Ægypto & poſt mortem eius, quandiu fuit memoria de beneficijs eius.* (Lyranus.)

*Deus magna ſibi vult adſcribi.*

*Quo mortuo filij Iſrael creuerunt*, Quot ex Ægypto egreſſi ſunt nullus vix enumerare poſſet, nam quanta fuerit eorum propagatio, certe deffiniri haud poſſibile, ex eo tamen quod narratur in libro Numerorum cap. 1. coniectare licet atque exiſtimare fuiſſe maximam atque incredibilem, eo namque loci traditur in primo anno quo egreſſi ſunt Hebræi ex Ægypto, recenſitos fuiſſe Hebræos idoneos ad bellandum à vigeſimo ætatis anno & vltra, & repertos eſſe ad ſexcenta millia bellatorum & inſuper tria millia & quingentos & quinquaginta: extra hunc autem numerum fuit vniuerſa tribus Leui non recenſita, fuerunt item omnes infantes, pueri & adoleſcentes vſque ad annum vigeſimum, quorum in comparatione hominum vlterioris ætatis maxima eſt multitudo, fuit præterea extra illum numerum ſexus muliebris, quem fuiſſe tunc numeroſiſſimum quod vnus vir pluribus per matrimonium iungeretur mulieribus, neceſſe eſt; nec eo numero incluſi ſunt ſenes inualidi atque inbelles, quorum ingentem fuiſſe numerum non eſt dubitandum; nam & veriſimile ſit poſt vigeſimum annum vacaſſe à militia, & pleroſque id temporis centeſimum annum ſupergredi ſolitos conſtat, itaut nonnulli bene ſubducta ratione non temere concluſerint vniuerſam illam Hebreæ gentis multitudinem fuiſſe ad tricies centena millia hominum, quam tamen omnem ex paucis qui ingreſſi fuerant Ægyptum breui tempore ſcimus eſſe propagatam, quomodo ita breui tempore tanta hominum multitudo adaucta? vt non virtuti ſolum humanæ, ſed potius diuinæ tribueretur, fauere videtur Aug. lib. 18. de ciuit. Dei Cap. 7. his verbis, *perſecutionibus affligebatur innumeris, inter quas tamen diuinitus fœcunda a multiplicatione creſcebat*, preme hæc vltima verba, quibus (Nomer. 1.) (S. Auguſt.)

A innuere videtur Aug. ſingulari Dei beneficio tribuendam eſſe hanc propagationem.

*Mortuo Chriſto Domino Eccleſia non diminuta, ſed aucta.*

*Quo mortuo filij Iſrael creuerunt* quid eſt hoc? donec viueret Ioſeph, non referuntur creuiſſe filij Iacob, nec quod multiplicati ſunt nimis, nec aliquid omnino in his de augmentis & numeroſitate memoratur, ſed poſtquam mortuus eſt, germinaſſe dicuntur, cum vtique ſub patrocinio & defenſione Ioſeph magis debuerant creſcere & multiplicari: cum enim omnia reipublicæ proſpere contingunt, ſicut tempore Ioſephi, Hebræorum populo, maius ſane augmentum accipere debuit quam tempore aduerſitatis; nonne Ioſeph mortuus, Chriſtum Dominum defunctum, filij Iacob, fideles denotāt?
B non mirum igitur ſi poſt mortem Ioſeph dicūtur filij Iacob creuiſſe: mortuo enim Chriſto Domino Eccleſia fideliū ſane non diminuta, ſed aucta & in innumeram multitudinem multiplicata: lubet hic ſiſtere B. Aug Ser. 84. de tempore *priuſquam moreretur Chriſtus Dominus, id eſt crucifigeretur, Ioſeph noſter pauci in eum crediderunt: poſteaquam vero mortuus eſt, & reſurrexit in vniuerſo mundo multiplicati ſunt & creuerunt Iſraelitæ, id eſt populi Chriſtiani: ſic & ipſe Dominus in Euangelio dixit, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit multum fructum affert: poſtea enim quam paſsione pretioſum granum frumenti mortuum*
C *eſt, & ſepultum, per vniuerſum mundum, de vno illo grano meſsis Eccleſiæ pullulauit, non enim ſicut antea in Iudæa notus Deus, nec ſolum in Iſrael nomen colitur, ſed à ſolis ortu vſque ad occaſum nomen illius collaudatur.* (S. Auguſt.) (Ioan. 12.) (Pſalm. 75.)

*Mortuo in nobis per pœnitentiam peccato in virtutibus creſcimus.*

*Quo mortuo filij Iſrael creuerunt*, cur creſcunt eo defuncto, cum potius decreſcere deberent? cum enim eſſet caput illorum, hoc ſublato, nullum augmentum accepturi videbantur: ſed ſi cum aliquibus per Ioſeph in Ægypto degentem, ibi tamen mortuum, peccatorem qui Ægypto nempe huic ſæculo, mortuus in media pœnitentia intelligere poſſumus; ſane non mirabimur eo mortuo, filios Iſraël multiplicari, extin-
D cto enim in nobis per veram pœnitentiam peccato, verè maiora de die in diem virtutum augmenta ſuſcipiemus. non diſſentit Orig. hom. 1. *In te ſi moriatur Ioſeph*, inquit, *id eſt ſi mortificationem Chriſti in corpore tuo ſuſcipias & mortifices membra tua peccato, tunc in te multiplicabuntur filij Iſrael, filij Iſrael ſenſus boni & ſpirituales accipiuntur: ſi ergo ſenſus carnis mortificentur, ſenſus ſpiritus creſcunt: & quotidie emorientibus in te vitijs, virtutum numerus augetur: ſed & terra multiplicat te in operibus bonis, quæ per corporis officium miniſtrantur.* (Origen. hom. 1. in Exod.)

*VARIETAS LECT. Verſ. 8.*

Vulg. ſurrexit interea Rex nouus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Ioſeph.

*Sept.* ſurrexit autem alius Rex, qui neſciebat Ioſeph.

*Cald.* ſurrexit Rex nouus in Ægypto, qui non confirmabat decreta Ioſeph.

*Onk.* qui non ſeruabat decretum Ioſeph.

*Targ. Hieroſ.* ſurrexit Rex ſuper Ægyptum, qui non cognouit Ioſeph, neque ambulauit in ſtatu eius.

## CONCORDIA.

ALiæ lectiones præter vulg. & Septuag. funguntur munere interpretum, qui nolunt hunc nouum Regem seruaſſe ea quæ Ioseph bene statuerat & decreuerat, sed nouas leges ac constitutiones fecisse, iuxta istud, nouus Rex, noua lex.

## EXPOSITIO.

*SVrrexit interea Rex nouus*, quia tunc assumptus fuit ad regnum, cum nihil certi reperiatur apud auctores quo nomine fuerit dictus hic Rex, quidam enim asserunt appellatum Ramessen, coniecturam ducentes quod Iudæi vrbem Ramesses ædificarint ad ij sius memoriã. alij dictum Armenophim, alij Aimeleimianũ: ideo sub vniuscuiusque electione relinquam. cur autem dicatur nouus, existimat Caiet. quia Assyrius: sed arbitror per nouum intelligi non A linea recta natum ex Regibus Ægyptijs, qui cum nepotes fuiſſent & posteri eius Regis, qui Ioseph eductum è carcere tantopere amauerat & honorauerat, fuerant ob eius memoriam erga Hebræos beneuoli & benefici. hic autem Rex qui ex linea recta ab eis natus nõ erat non est secutus priorum Regum exempla, *qui ignorabat Ioseph*, idest beneficia quæ Ioseph in Ægyptios contulerat.

## CONCEPTVS.

*Impiorum nomina silentio æterno obuoluenda.*

26 *SVrrexit interea Rex nouus*, sane aliquo nomine hic Rex dicebatur, cur igitur Moyses posteritati non tradidit cognitum? si enim eorum, qui ex stirpe regia non ducunt originem, nomina recenset, cur eorum qui regio diademate cinguntur obuoluit silentio? cuius consuetudinis morum & gubernationis fuit? hic Rex nonne impius? nonne Tyrannus? nonne ingratissimus? cur ergo nomine proprio appellaretur, cum impiorum nomina æterno obuolui debent silentio? nescio si ad confirmationem huius veritatis adduci poſſunt emphatica Christi verba, discipulos ad parandum pascha mittentis Matth. 26. (Matth. 26.) ite in ciuitatem ad quẽdam, & dicite ei, magister dicit, tempus meũ prope est, & preme illud, *ad quendã* cũ Hilario Canone 30. in Matth. objiciẽte, sed oportebat eos scire quo ij pergerent & de hominis nomine edoceri, alioquin incerti ad quem mitterentur? quomodo iuſſi quæ præcepta fuerant exequerentur? occurrit (S. Hilarius) statim opportunissime Hilarius, ideo optimo iure nomen illius hominis reticeri, quod Christianæ appellationis honor nondum ei fuerat conceſſus, ac proinde quasi nomine indignus censeretur, sic enim ille: *hominem enim cum quo pascha celebraturus esset non nominat, nondum enim Christiani nominis honor credentibus erat præstitus, qui vere sunt Deum mentis ac fidei oculis contuentes*: si ergo qui solum charactere Christianitatis insignitus non erat, licet moraliter probus, indignus nominari censebatur, quanto magis omni appellatione indignus censendus est, qui peſſimus & crudelis erat tyrannus?

*Appellatione hominis indignus qui virtutem non sectatur.*

27 *Surrexit interea Rex nouus super Ægyptum*, aliorũ regũ in sacra scriptura mentio facta est, ecce Iobi fit mentio, & sic de eo diſſeritur, vir erat in terra Hus. Sept. erat homo: (Iob. 1.) cur igitur similiter de hoc Rege Aegyptiorum non dicitur erat homo? cur ita diceretur cum omni humanitate destitutus, belluinam naturã haberet? non enim homo dicendus est qui refert figuram humanam, sed qui virtutes homini proprias sectatur. vtiliter hoc premit D. Chrys. in catena Græca in Iob. cap. 1. (S. Chrys.) *externi Philosophi cũ hominis explicant diffinitionem, aiunt homo est animal rationale, mortale: diuina autem scriptura dũ definiuit dicit esse hominem qui id quod Dei similitudinem imitatur, custodiuit, & qui ex virtute cognoscitur: qui vero diuinos typos ac notas confundit ac corrumpit, hic ne hominis quidem nomine dignatur. etenim si quis humanæ naturæ charactere insignitus ob flagitiosam electionem eundem typum iniuria afficit, à Propheta audit, homo cum in honore esset non intellexit comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis*, (Psalm 48.) *quare hoc item loco, suo vtens instituto diuina scriptura, docensque nulla alia re distingui hominem ab irreprehensibili iusto, pro his ipsis Iobum illustrans pronunciat ac dicit, erat homo*: si ergo his titulis carebat Rex Ægyptiorum, indignus censebatur, non solum proprio nomine, sed etiam hominis appellatione.

*Non ex titulo dignitatis, sed ex professionis præstantia, dignus aliquo honore iudicandus.*

28 *Surrexit interea Rex nouus super Aegyptum*, cur Regem nominat, cum regium nomen sit præstantissimum, omni commendatione & veneratione dignum? nonne Reges decet iustitiam & virtutem, cum nullum cognomentum Regibus magis conueniat quam iustorum? vnde D. Hier. in quæst. Heb. dicit librum Regum inscribi apud Hebræos librum iustorum, & eſſe (1. Reg. 1.)

illum de quo fit mentio 2. Reg. 1. vbi sic præcepit Dauid vt docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro, iustorum est quidem hæc in scriptio aptissima, imo Christus Dominus, quos Luc. 10. appellat Reges, dicens, multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, eodem Matth. 11. appellat iustos dicens, multi Prophetæ & iusti. Sic enim interpretatur Beda, quos inquit Lucas Prophetas & Reges dicit, Mathæus apertius Prophetas & iustos appellat Tum nonne discrimẽ est inter Regis & Tyranni appellationem? consulite Synesium Episcop. oratione de regno, sic vtrumque discriminãtem. *Recte omnino vetus sententia subditorum multitudinem, regem non potius facere quam Tyrannum, sicut nec omnium multitudo pastorem potius quã coquum, qui illas abigit, vt mactatis non modo ipsis famem repleat, sed & alijs epulandas nauum proponat, ijsdem prorsus limitibus Regem à Tyranno dissidere, non quod ad fortunam attinet. ambobus haud dissimilis est in multos vterque homines imperium habet, verum qui id in vita ratione, sequitur quod subditis commodum videtur qui laborẽ & molestiam perferre vult, ne quid illis molestum sit, pro illis periclitatur vt in pace & securitate degant, quique vigilare & in maximo concursu sollicitudinum versari sustinet, vt noctu & interdiu subditi malis omnibus vacent. Hic in genere quidem ouium pastor, in hominum vero genere Rex est. At qui super luxum potestate abutitur, & imperium voluptate ac delitiis conterit, suas omnes cupiditates explendas sibi esse ducens, vnde subditi grauissimis damnis afficiantur. Idque ex multorum imperio lucrum deputat, si quam plurimi suis libidinibus & cupiditatibus seruiant. Et vt vno verbo dicam, qui gregem non saginare, sed a grege vult saginari, eum inter pecora coquũ appello, eum Tyrannum esse censeo.* nonne hic nouus Rex Ægypti ita ex Israelitarũ imperio lucrũ deputabat, vt eos verberibus & supplicijs cogebat ad ciuitatũ extructionẽ? nonne vt suis cupiditatibus seruiret, suos opprimebat subditos imperio in eos abutens? quomodo igitur non Tyrannus sed Rex à Moyse nominatur? nominatur secũdum communem vulgi opinionem qui regem arbitratur diademate cinctum, indutum purpura, & alijs dominantẽ, cũ non ex titulo dignitas, sed potius ex professionis præstãtia & virtute dignũs aliquo honore & titulo censendus sit. Apposite ad hãc mentem Tertul. in opusculo ad nationes, nunc nouiter excuso cap. 5. *Multum distantiæ est inter opinionem & veritatem nam & nomina sic sunt instituta vt fines suos habeant inter dici & esse, quot denique Philosophi dicuntur nec tamen legem Philosophiæ adimplẽt? omnes nomen de professionibus gestãt, sed seducunt nomẽ sine professionis præstantia, qui vocabuli superficie infamant veritatem.*

Luc. 10.

Math. 11.

Synesius.

Tertullian.

### *Retributio pro beneficijs acceptis raro fit ab hominibus huius mundi.*

29. *Surrexit Rex nouus super Aegyptũ, qui ignorabat Ioseph*, cur vt ingratũ immemorẽq; beneficiorũ diceret, tradit eũ in Ægypto regnasse? nã de alio nisi de Rege Ægyptiorũ persecutio contra Israelitas non poterat intelligi, cum nõ in alio regno sed solius Ægypti degerent. nonne Ægyptus hunc mundum designat? merito ergo vt ingratitudinem recenseret, dixit à Rege super Ægyptum prouenisse, quia retributio pro beneficijs acceptis nõnisi raro est ab hominibus huius Ægypti, huius mundi; vnde bene Lipp. *in hoc Rege qui non nouerat Ioseph, idest beneficia quæ Ioseph contulerat in Aegyptios, obseruandi veniunt mores huius saeculi, in quo maxima inuenitur hominũ ingratitudo, in rebus enim humanis fere fieri solet quod Pindarus ait in Isthmys, vetus beneficium obliuioni, & quasi somno traditur.*

### *A regibus alienum deberet esse beneficia non compensare.*

*Surrexit Rex nouus super Ægyptum qui ignorabat Ioseph*, nonne satis erat dixisse, surrexit Rex super Ægyptum, immemor beneficiorum quæ sui prædecessores nec non omnes sui subditi à Ioseph acceperant? cur nouum addidit, cum hoc nomine non addito facile quis concipere posset Regẽ Ægypti Israelitis nihil retribuisse pro acceptis beneficiis à Iosepho: merito addidit nouũ, quia nouũ & inauditũ deberet esse: Reges obliuioni tradere, & ea non compẽsare: vnde de gratitudine Regum sic loquens Rex Theodo. dicebat apud Cass. Var. lib. 1. cap. 12. *Nec benignitas nostra vna remuneratione contenta est, honorem geminat, & co studio dona reparat, quasi debeat omnia quæ præstat*: quasi diceret, ita alienũ est à Rege, non retribuere pro beneficijs, quod ea duplicato persoluam honore, & quasi ex debito. 30.

Cassiodor.

### *Deficiente cælestium amore, viget temporalium cupido.*

31. *Surrexit Rex nouus super Ægyptum qui ignorabat Ioseph*, surrexit sane, quia ad regnum, ad dominatum euectus, sed non surrexit, nisi alio Rege qui cum Iosepho fœdus amicitiæ inierat, defuncto. cur vno defuncto Iosephi amantissimo, ad regnum non euehitur eundem Iosephum non tradens obliuioni? cur surgit Rex nouus eum omnino nesciens? Rex ille Iosephum ignorans, est cura rerum sensibilium, & cœlestium quibus Ioseph designatur, obliuio, qui autẽ eũ sciebat amor est rerum cœlestium, & earũ amantissimus! quid mirum hunc nouum surrexisse Regem alio defuncto? quia dum rerum cœlestium refrigescit vel occidit in nobis amor, virtus intercidit, spiritus deficit: sane tunc rerum temporalium amor, & cupido surgit, viget, crescit: quo populum Dei in vltimum immittit discrimen, hoc ex Orig. desumpsi hom. 1. *dum hic viuit in Aegypto idest in carne nostra spiritus noster regnum cum iustitia tenet, si vero perdiderit eorum memoriam, & sensus noster nescierit, spiritum, tunc sapientia carnis quæ inimica est Deo succedit in regno.*

Origen.

### *Malorum caput & origo, Deum benefactorem obliuioni tradere.*

*Surrexit Rex nouus super Ægyptum qui nesciebat Ioseph* deinde illius aduersus Israelitas intolerabilis recensetur persecutio: imo totius pœne 32.

Ægypti excidium; vnde tot malorum origo? A cui tot in Ægyptū immissæ calamitates? quid dicitur nisi quod Rex nouus Iosephum ignorauerit? quis Ioseph? sane qui Ægyptū aluit, qui laborantē rei frumentariæ difficultate & fame nutriuit, qui Regē Ægyptiorū ditauit, sane illū adumbrat, qui sua prouidentia ad victū & vitā necessaria omnium suppeditauit, quid ergo mirū rege nouo surgente & Iosephum ignorante tot calamitates Ægypto superuenisse? malorum origo & caput est benefactorē Deum obli-

S. Bernard. uioni tradere. Hęc enim *obliuio* (inquit D. Bernard. serm. 52. in Cant.) *est ventus vrens siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ*, si ergo fluenta gratiæ, rorem misericordiæ diuinæ exsiccat; quæ calamitas & in-

S. August. fœlicitas inde non erit timenda? & D. Aug. cap. 28. in Solil. *est radix totius mali spiritalis, & ventus quidā desiccans & vrens omne bonū, obstruens* B *fontem misericordiæ tuæ, qua & mala iam mortua oriuntur, & viua iam opera moriuntur.* preme hæc vltima verba.

*Qui communitatibus inseruiunt male compensantur.*

33. *Surrexit Rex nouus super Ægyptū qui ignorabat Ioseph*, itane immemor beneficiorum, quæ sui à Ioseph acceperant, cum eius sagacissima prouidentia interitum pœne fame consumpti euasere? quid? nonne eius res præclare gestas in publicū Ægypti commodum scire debuerat, vt saltem ei sanguine coniunctis benefaceret? quomodo ergo non solum præclare gesta eius, imo ipsummet Iosephū ignorat? quia qui cōmunitati inseruit, non solū non compensatur, imo omnino C obliuione memoria eius deletur. Hoc vidit

Oleaster. Olaster. *Parum erat præclare gesta ignorare nisi & personam notissimam ignoraret, hoc est munus quod ex laboribus & sudoribus suis acquirunt, qui communitatibus inseruiunt, vt facile tam ipsi quam præclara eorum gesta perpetuæ obliuioni tradantur.*

*Ille omnium ingratissimus est & impius, qui in media bonorum affluentia sui immemor est benefactoris.*

34. *Surrexit Rex nouus super Ægyptum qui ignorabat Ioseph.* Hic ob summam in Israelitas ingratitudinem pessime audiuit, & apud omnes memoria eius est in maledictione. Cur ita omnibus exosus? nonne tenebatur regno suo consulere & prouidere, ne Israelitæ fortissimi in illud aliquid perniciose molirentur? omnemque diligentiam adhibere vt eorum vires minuerentur? aduertite hunc Regem annuatim percepisse D reditus quos sua industria Ioseph Regi Ægypti comparauerat: cur ergo non omnium ingratissimus, imo pessimus haberetur, qui in media bonorum affluentia benefactorem suum tradit

Abulens. obliuioni? sic obseruat Abul. *Pessimus Rex & omni indignitate indignior qui cum quotidiana in se Ioseph beneficia experiretur, quintam partem prouentuū Ægypti annuatim percipiens, quod dispositione prouida Ioseph redditibus Regis olim fuerat attributum, benefactorem Ioseph quem ipsa beneficia necessario demonstrabāt ingratæ mentis ægritudine tabefactus, nunquā in recordationem suam saltem tenui rimula reducebat.* Sic improbat huius Regis ingratitudinem, dum præ manibus habens

A Ioseph beneficia illorum immemor, gentem Iosephi dure tractabat.

*Fama bonum inconstantissimum.*

*Surrexit Rex nouus super Ægyptum qui ignorabat Ioseph* nonne ille est qui tantam Ægyptijs contulerat gratiam vt eius interpretatione & prudenti frugum dispositione tota Ægyptus maneret superstes, quæ alias misera periisset fame, nec tātę calamitatis aliud potuisset habere solamē, cui hac de causa quicquid habebat, & quicquid erat iure debebat: quomodo ergo cui tantum honorem exhibere omnes à minimo ad maximum tenebantur, ita ex eorum memoria excidit, vt nulla illius superstes esset memoria? & non solū ita obliuioni traditus, vt non modo cineri iam defuncto debitum honorē non impenderet, sed etiam miseram eius progeniem indignæ serui- 35.

B tuti subiiceret, inuiltis manciparet oneribus? immeritis cladibus superaret? nonne decantata erat apud omnes eius gloria? celeberrimū nomen eius apud omnes vigebat? quomodo igitur ita ignoratur vt nec à Rege cognoscatur; Lippomanus.
*vt hinc deducamus* (inquit Lippom.) *quam fragile atque fallax bonū est fama, cum de tanto Ægyptijs impenso beneficio, cui nullum vnquam alicuius hominis beneficium ad aliquam gentem exæquari potuit, ita abolitum est, sic cito pertransijt vt post aliquot annos nullum de illo recordationis vestigium manserit.*

*Regum mutatio aliquando omnia perturbat.*

*Surrexit Rex nouus super Ægyptum, qui ignora-* 36.
C *bat Ioseph*, & non solum ignorasse dicitur, sed tāquam si ab eo grauissimis affectus fuisset iniurijs, suam vsque ad internecionem persequutus est posteritatem: imo subditi eius Israelitas ita exosos habuere, vt in vitam eorum conspirauerint; vndenam tanta rerum vicissitudo, vt qui in tanto haberentur honore, iam tanquam hostes infensissimi censeantur? qui tanquam Domini tenerentur, tanquam vilissima mancipia tractentur? quid ait textus? surrexit Rex nouus super terram; en quomodo Regum mutatio aliquando omnia in regno perturbat huc aduoco Lyrani verba, *causa vna afflictionis populi Israel fuit mutatio regni, quod fuit translatū ad aliā domum, & in talibus mutationibus frequenter contingit, quod qui prius erant in Regno dilecti, sunt exosi.* Noster Lyranus

*Dedecet magnos principes præteritum regni sui statum nescire.*

*Surrexit Rex nouus super terram qui ignorabat* 37.
*Ioseph*, in hoc non solum Regis ingratitudo, inquit Lippom. notatur, sed etiam stultitia & impudentia: sed cur stultus & imprudens arguitur? nonne prudentiæ argumentum non leue in Regibus futurum regni sui statum præuidere, vt ei bene consulat? de hoc autem Rege legimus quod cū suspectā haberet Israëlitarū potentiam studuit eam eneruare. ne sibi aliquid in regno suo timendum haberet. ne dicas ergo Lippomane eum stultum & imprudentem, imo ita censet nominandum, *quia*, inquit, *non solum futura, sed & præterita non ignorare oportet mundi* Episcopus Metonensis.

*rectores, & magnos principes* : ita sane, non enim satis est vt futuro regni sui statui consulant, eius conseruationi inuigilent, sed necesse est vt in memoriam reuocent, obsequia prædecessoribus suis exhibita, vt ea remunerent.

*Non qualibet excusat ignorantia.*

38 *Surrexit interea rex nouus super Aegyptum qui ignorabat Ioseph*, hunc Regem ingratitudinis, alij tyrannidis, alij impietatis accusant, quod Ioseph ignoraret: nonne excusat à delicto ignorantia? nonne dicebat Paulus, quia ignorans feci, misericordiam sum consequutus, cur ergo hic Rex tot delictorum fit reus? si Ioseph ignorauerit? aduertamus quæso potissimam esse speciem ignorantiæ affectatam, quæ est omnium pessima, & ea est qua quis non vult intelligere ea quæ sunt intelligenda, vt bene agat, odio habens ea omnia quæ eum instruere possunt ad ea implenda, quæ illi à Deo vel à iustis principum legibus præcipiuntur: ignorantia crassa & supina ea est, qua quis inertia quadam resolutus, quæ suæ sunt salutis non curat, renuitque addiscere ea, quæ scire, credere, agere aut cauere oportet, non quia odio habeat scientiam, sed quia pœnam quam subire oportet addiscendo, habet exosam: hæc à tanto & non à toto excusat, idest aliquantulum facit quod non sit tam grande piaculum, perinde atque aliquis malitia præmeditata, data opera & ex industria offenderet, nequaquam tamen à læthali excusat culpa, maximè si fit de præceptis legis aut naturæ: ignorantia inuincibilis est ea, quam nemo repellere astringitur, quoniam velut criminis expers, nequaquam pœnæ subiacebit: ignorantia autem istius Regis sane fuit affectata; nam vbi habemus qui ignorabat Ioseph, Cald. qui non confirmabat decreta Ioseph, & Onk. qui non seruabat: sciebat ergo quæ Ioseph in bonum suæ Republicæ statuerat, sed ex ignorantia affectata, vel potius ex malitia ea seruare nolebat, quid mirum igitur si ab omnibus tanquam ingratitudinis & impietatis arguatur? non quælibet enim à delicto excusat ignorantia, non affectata, non crassa, sed inuincibilis.

Paulus. 1. Timo. 1.

Cald. Onk.

*Principes aliquando ignorant veritatem quia eam audire nolunt.*

39 *Surrexit interea Rex nouus qui ignorabat Ioseph*, si tonsoribus atque lippis cognitum erat, quantis omnes Ægyptij obstricti tenebantur beneficijs erga Iosephum, quomodo ignorabatur à Rege? an omnem noctem terebat in voluptatibus, fabulis, ludis, choreis? nonne codices habebat omnium rerum tum à se tum à superioribus Regibus gestarum, quibus per otium liceret operam dare? in his etiam audisset bonorum principum virtutes, malorum scelera, quorum exemplis plurimum promoueretur ad sectandam saltem gratitudinis virtutem, & ingratitudinis iniquitatem fugiendam: rursum in eisdem multa legere potuisset, quæ non ab amicis forsitan audire voluisset, historia enim verbis res gestas repræsentans omnem complectitur vtilitatem, nam contentientes ad honestum impellit, detestatur vitia, probos extollit, deprimit improbos: nonne Assuerus qui quod debebat Mardochæo ignorabat, noctem duxit insomnem, iubens sibi historias afferri, & annales priorum temporũ, in quibus euoluendis agnouit Mardochæum insidias detexisse Bagathan & Thares Eunuchorum, Ester 6? cur igitur vel ab annalibus sui Regni, vel saltem ab aulicis similiter non didicit Ægyptum innumera accepisse à Ioseph beneficia? quia principes aliquando ignorant veritatem, quia eam minime volunt audire. hinc est quod cum olim ad Iobum ex innumeris infortunijs ad pristinam fortunam restitutum omnes eius cognati & amici conuenirent, singuli singulas ei inaures præstiterunt: dederunt ei, inquit textus Iob 42. ouem vnam, & inaurem auream vnam, quasi dicerẽt, ad regiam dignitatem ex qua cecideras, rediisti. en tibi offerimus inaures, memento vt aures arrigas, & eas ab omnibus vellicari, hoc est te ab omnibus admoneri, veritatem ab omnibus audire libenter patiaris, & propterea fortasse non tantum vnam aurem in accepit, sed singuli singulas inaures præbuerunt, vt ipse non tantum vnam aurem omnibus patefaceret, quæ multitudine loquentium facile obtunderetur, sed singulis singulas reseraret, vt suas singulæ voces, & cum eis veritates attentius & distinctius audirent, & singulæ à singulis monitoribus commodius vellerentur, nec sine mysterio cum inaurem obtulerunt pariter & ouem, *quæ* interprete D. Greg. ibi *innocentiæ typus est, quia principum ac Regum innocentia, in audiendi veritatem patientia, magna ex parte consistit.*

Ester. 6.

Iob. 42.

S. Greg. Mag.

*Impius ab aliorum beneficijs ad inuidiam surgit.*

*Surrexit interea Rex nouus super Aegyptum*, si antea nec sedisse nec iacuisse legimus, cur nunc surrexisse dicitur? nullus enim surgere dicẽdus, nisi sedens vel iacẽs, vnde ergo surrexisse fatebimur? Patriac. Palud. huic satisfacit difficultati, *prædecessores sui quasi iacebant sopiti in magnitudine beneficiorum Ioseph, non enim se erigebant contra filios Israel per oppressionem, hic autem quasi excitatus inuidia dicitur surrexisse.* en quomodo impius ab aliorum beneficijs surgit ad inuidiam. 40

Paludanus.



*VARIETAS LECT. vers. 9.*

*Vulg.* Et ait ad populum suum, ecce populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est.

*Sap.* Et dixit genti suæ, ecce genus filiorum Israël grãdis multitudo est, & valet super nos.

*Onk.* Ecce populus filiorum Israel multus est vt præualeat nobis.

*Ara.* Robustus præ nobis est.

CONCOR-

## *CONCORDIA.*

VBi habemus multus est, & Hebraice רב Septuaginta legunt τὸ μέγα πολὺ πλῆθος, magna valde multitudo, sed idem est A sensus, nisi quod Septuaginta magis exaggeratiue vertunt.

## EXPOSITIO.

AIt ad populũ suum. Persuadens ei suam mentem peruersam exequi, *Ecce populus filiorum Israel multus*, vt supra ex contextu vidimus, *& fortior nobis est* hyperbolico mendacio hoc dictũ à Rege. Licet enim ditiores multis essent ex plebe, non tamen nobilibus, nec numero Ægyptiorum multitudinem superabant.

## CONCEPTVS.

### *Inuidorum pœna alios se fortiores arbitrari.*

41 POpulus Israel multus est & fortior nobis, sane collectiue loqueris, conferẽs populi Israel multitudinẽ multitudini Ægyptiorũ, quis autem nescit populum Ægypti & in numero & in fortitudine collectiue sumptum, Israelitas superare? cur ergo vt tui persuasum sibi habeant, se Israelitis in viribus esse inferiores, obiicis eos fortiores esse? nonne inuidia tabescens aduersus Israelitas ferebatur? quid mirum igitur si populum suum & viribus, & numero arbitratus est Israelitico inferiorem? inuidorum enim pœna alios se excellentiores credere, sic obseruat Oleast. *Hæc est inuidorũ pœna alios plures & fortiores se sẽper existimare, vt non nisi paruulos & pusilli animi inuidia occidat*: & noster Lyran. *Iste est modus inuidi, quod bonum aliorum maius sibi videatur quàm sit.* Hieronym. ab Oleastro. Lyranus.

### *Inuidus mendax, & mente obcæcatus.*

42 *Populus Israel multus est & fortior nobis est.* Sane hoc veritati contradicit, quis enim credere potest populum vnicam incolentem prouinciam fortiorem esse tot incolis prouinciarum quæ in tota Ægypto continentur? nonne indecens est quemlibet hominem mentiri, à fortiori Regem? quomodo ergo mendax sic populum tuum alloqueris? quid mirum cum inuido animo erga Israelitas tabesceret? inuidia enim mendacium gignit, mentem obcœcat, *Non oportet* (inquit Diony Cart.) *hæc verba impii Regis à mendacio excusaret, ipse namque sic loquebatur, quatenus Ægyptios vehementius inflammaret contra Hebræos ex passione inuidiæ, quam contra eos concepit, prosperitas eorundem videbatur ei maior quã fuit, passiones namque quando non reprimuntur per rationis iudicium, & virtutes morales semper abducunt rationem à medio & eius peruertunt iudicium, tanto plus, quanto magis intensæ sunt, sicut intensæ in ipsis.* Dionysius. Cartus.

### *Impudicitia vires hominum eneruat.*

43 *Populus Israel multus est & fortior nobis est.* ait Abulensis, quod si fiat comparatio singulariter inter virum Ægyptium & Hebræum, fortiorem secundum, primo cui credit quemlibet Israelitam Ægyptio fortiorem? nonne eisdem fere cibis vterque alitur? nonne vterque ferè sub eodem degit climate? aduerte Ægyptios impudicitiis deditos. Optime igitur colligit Abulensis, eos Israelitis imbeciliores, impudicitia enim vires hominum eneruat. audiendus est noster Lyranus, *Ægyptii luxuriosi erant & inordinate viuentes, & ex hoc debiliores fiebant in corporibus, & minus apti ad productionem corporis, filij autem Israel contrario modo viuentes erant fortiores in corporibus & multiplicabãtur in prole & diuitijs.* Abulens. B Lyranus.

### *Fælicitas aliorum inuidiam excitat.*

*Populus Israel multus est & fortior nobis*, non solum fortior viribus, sed & diuitiis, ita vt mirè continuo labore Israelitæ innumeras sibi 44
C comparauerant facultates, & ideo Rex impius nullomodo eos tolerare potuit, quin eis lethaliter inuideret: nonne Regis honor, immo regni sui fortitudo, est subditos habere opulentissimos? cur ergo? nonne inuidia tabescit in eos, quia aliorum prosperitas excitat liuorem? mens est Ioseph lib. 2. de antiq. Iud. cap. 10. *Ægyptiis delicatis & desidiosis existentibus in labore, & aliis libidinibus subiectis, valde etiam propter amorem lucri contigit, vt pessime circa Hebræos inuidia eorum fælicitatis afficerentur: videntes enim Israelitarum genus augeri, & propter virtutem & labores ingenium diuitiarum affluentia valde nobilitatũ contra se eos augeri suspicabantur.* Iosephus.

### *Multos tyrannos ipsi patiuntur tyranni.*

D *Populus Israel multus est, & fortior nobis*, nonne plurimorum militum armata manus te circundat? nonne munitissimæ sunt tuæ ciuitates? Reges vicini amicitiæ fœdere tibi coniuncti? liceat ergo populus Israeliticus te fortior esset (quod nullus sibi persuasum habere potest) quid tibi timendum foret? nonne iis omnibus auctoritate & potentia præuales? sed si hunc Regem tyrannum esse diceremus, vt ab omnibus talis censetur, merito dicemus sibi formidini fuisse populum Israeliticum, quia qui ab omnibus vult timeri, omnes timet, & tyrannus omnes alios sibi futuros tyrannos arbitratur. Religio sue esset verba supprimere B. Cypr. Mart. epist. 2 in vlt. edit. Paris. *An tu vel illos putas tuos,* 45 B. Cyprian.

*illos saltè inter bonorum insulas & opes largas stabili firmitate securos, quos regalis aulæ splêdore fulgêtes armorũ excubantium tutela circumstat? maior illis quam cęteris metus est, tam ille timere cogitur quam timetur, exigit pœnas pariter de potentiore sublimitas. Sit licet satellitis manu septus, & clausum ac protectum latus numeroso stipatore tueatur, quæ securos non sinit esse subiectos, tam necesse est non sit ipse securus, ante ipsos terret potestas sua, quos facit esse terribiles.*

### *Tyrannus arridet vt sæuiat, blanditur vt fallat.*

46. *Populus Israel multus est & fortior nobis*, vt publicæ paci quam maxime fauere videretur, tum æquitatis summam rationem habere, sic callidè populum suum alloquitur, sed nonne eo fine vt postquam Israelitas diuites & fortes & ideo timendos esse aperueris, tandem concludas omni odio & vsque ad internecionem prosequendos? quomodo tuo blandiris populo, innuens te cordi esse omnium pacem & concordiam, vt bellum Israelitis etiam tibi subditis inferas grauissimum? quia tyrannus arridet vt sæuiat: quod prosequitur cit. Cypri. *Blanditur vt fallat, illicit vt occidat, extollit vt deprimat, fœnore quidem nocendi quam fuerit amplior summa dignitatis & honorum, tam maior exigitur vsura pœnarum.*

S. Cypri.

### *Homo belluas feroces superat ingratitudine.*

47. *Populus Israel multus est & fortior nobis*, quid inde concludis? opprimamus eos, quid? nonne satis est te immemorem beneficiorum esse quæ à Ioseph, cui Israelitæ sunt sanguine coniuncti accepisti? quomodo ergo non solum gratiam de te bene merentibus refers, non solum memoriam impertiti boni nempe tui census argumenti non seruas, sed in posteros benefactoris tui excandescens eos consulis, imo statuis opprimendos? nonne gratissima fuere pro exiguo beneficio bruta animantia non domestica solum, sed etiam ferocissima? quomodo ergo accepta beneficia non solum eorum obliuione compensas? quia homo ipsas belluas etiam ferocissimas ingratitudine superat, quod historia multis incognita relata à Mathæo Paris Monacho Vest monasteriensi Anglo rerum Britanicarum studioso indagatore relata inquam ab eo ad annum ferè 1195. incarn. & quia non exiguæ fore vtilitatis ad ingratos reducendos existimo, integram eam subiicio: *Vitalis Venetus ciuis, diues & auarus; cum daturos esset filiam suam nepoti, vt mensam præpararet lautiorem, Venatum iuit in quandam forestam vastissimam, & desertam mari conterminam, & cum per deuia Eremia solus vagaretur, arcum extentum baiulans cum sagittis, cupiditate ferina ductus, incidit fortè in foueam & pedicam, leonibus, vrsis, & lupis subtiliter præparatam. A qua cum os strictum esset, & pauimentum profundum & amplum, nullo modo potuit ascendere vel euadere. Inuenit autem in ea quæ eodem casu in ipsam inciderant, duo crudelia animalia, leonem & magnum serpentem, sed ipsum Vitalem, qui se signo crucis præmuniuit nequaquam inuaserunt, licet famelici nimis & proterui; morabatur ergo illic tota illa nocte, & die sequenti clamans & eiulans & mortem suam tam probrosam lamentando deplorans. Accidit autem vt quidam pauperculus carbonatorum syluicola, dies pergeret, quisquilias ibidem lignorũ colligendo, audiret clamorem & planctum quasi subterraneum, & vocem sequens peruenit ad os putei, & introspiciens ait: quis es, quem audio? & Vitalis gauisus supra id quod dici potest, respondit alacriter, ego sum miser Vitalis cognomento Venetus qui ignarus muscipularũ incidi in foueam istam, feris nociuis deuorandus, qui fame & timore contabesco, sunt enim hic duo quæ nimium pertimesco animalia, Leo scilicet quidam & anguis: sed adhuc Domino protegente, cuius signo me communiui, non me inuaserunt: tibi reseruatus sum, vt tibi benefaciam, erue me & bene tibi erit: ecce tibi dimidium bonorum meorum concedo, videlicet quingenta talenta, sunt enim mihi mille. At pauper: si dictis facta compenses, faciam quod desideras & hortaris. At Vitalis dicta sua multis & magnis iuramentis Domino interposito pro fideiussore, & fide media confirmauit, & cum colloquerentur, Leo motu caudæ saltuque iucundo & similiter anguis blando sibilo, & totius corporis volubilitate eidem pauperi applauserunt, quasi liberationem suam cum Vitale postulantes. Et statim pauper domum suam festinus abiit, scalamque cum funiculis, quos nouerat necessarios præparauit cum summa festinatione, & rediens dimisit eam in puteum solus, & statim, imo raptim & certatim leo & anguis per gradus scalæ ascendentes ipsi pauperi applauserunt & circumeuntes pedes eius volutabantur coram eo lætabundi quasi gratiarum actionem pro liberatione sua eidem referentes. Postea verò pauper ipsius Vitalis ascendentis manum apprehendit, & deosculans ei dixit: viuat manus hæc. Eia, Eia gaudeo planè quia voti compos effici merui, & duxit eum donec ad notitiam itineris perueniret. Et Vitali recedenti ait Syluanus pauperculus, quando & vbi persolues mihi debita? & Vitalis intra diem quartum in Venetia, videlicet in Palatio meo, quod quidem famosum est & reperire non est difficile. Rediit Syluanus ad domunculam suam vt pranderet, quo sedente ad mensam ecce leo, quem liberauerat, apportans hinnulum intrauit & apposuit mensæ prandentis blandus & mansuetus, quasi offerens illũ pro præmio beneficii liberationis & applaudens mitissimus sine rugitu & ira, aut alicuius læsione recessit, & sequebatur eum Syluanus ludentem coram eo & lingentem pedes eius, vt sciret vbi nam foret cubile eius (admirabatur enim vehementer tantam leonis mansuetudinem) & postea rediit, vt pranderet, & cum cibum sumeret, ecce & serpens liberatus adfuit, gemmã pretiosã in ore deferens, apposuitque eidem Syluano tanquam liberatori suo, & illam in disco suo reposuit, seseque spiris volubilibus ante ipsum voluens & ludens applausit, quasi grates referens ei pro impenso sibi beneficio, & blando emisso sibilo nullum lædens recessit: quem similiter sequebatur Syluanus, pro admiratione, vt de cauerna eius certificaretur. Elapsis igitur duobus vel tribus diebus Syluanus secum deferens gemmam suam pretiosam, quam serpens suus attulerat, Venetiam adiit vt à Vitali promissa reciperet, & inuenit eum cum concitibus vicinis, præ gaudio liberationis conuiuantem, quem Syluanus seorsim euo-*

Mathæus Paris.

*cans, & secretius alloquens (quia ignotum se simulauit) dixit: Amice redde quod debes. At ipse torno vultu respondit: quis tu? quid exigis? At ille quingenta talenta mihi à te pro beneficio tibi facto, ex pacto promissa. At Vitalis, ita tam leuiter velles lucrari, quæ ego per longa tempora laboriosè acquisiui? & præcepit familiæ suæ vt caperetur, quasi delirans pro tanta temeritate incarcerandus. quod Syluanus intelligens repentino saltu à domo exiliuit: & veniens ad prætorium, hæc omnia seriatim Iudicibus ciuitatis intimauit, qui* A *cum non plane crederent, ostendit gemmam sibi à serpente gratiarum loco datam, & illico vnus ciuium, quem virtus lapidis non latebat ipsum magno pretio comparauit. Vt autem omnes inde redderet certiores Syluanus aliquos de ciuibus duxit ad latibula leonis & serpentis qui adhuc Syluano tanquam liberatori applauserunt. Certificati igitur Iudices de rei veritate, compulerunt Vitalem reddere quæ promisit, & satisfacere pro iniuria. Hæc referebat Rex Richardus munificus, ingratos redarguendo.*

## *VARIETAS LECT. Vers.* 10.

V*ulg.* Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra.

*Sep.* Venite itaque & circumscribamus illos, ne forte increscant, & cum acciderit nobis bellum adiiciantur & isti ad aduersarios & expu- B gnantes nos exibunt de terra.

*Cald.* Sapienter agamus contra eos.

*Pag.* Affer, sapienter simus propter eum.

*Oleast.* Da, callide agamus cum illo, ne forte multiplicentur, & cum proclamatum fuerit bellum egrediebantur.

*Aria.* Agite sapiamus in illum.

## *CONCORDIA.*

IN Hebræo est הבה quod licet aliqui verterunt da, alii venite, aut agite, sane particula est exhortantis ad opus eleganter. Sept. κατασοφισώμεθα αὐτούς, est enim κατασοφίζω Græcis fraudulenter decipere & circumuenire: eandem emphasim habet verbum Hebræum נתחכמה nitchancema: est autem in hitpael à verbo חכם chacam, quod sapiens fuit vel sapuit significat. Sumitur autem in bonam vel in malam partem. Et hic ob contextum, in malam debet sumi; vbi autem habemus cum ingruerit bellum, potest etiam dici cum proclamatum, verbum enim תקראנה etiam clamare significat.

## EXPOSITIO.

V*Enite, sapienter opprimamus eum.* Venite, id est, eia, quo modo loquendi sæpe Scriptura vtitur. Porro sapienter, id est callide: sapientia enim potius astutia dicenda est, sed ille prudentiam putabat huius scilicet sæculi, quam expertus tantum fuerat, *opprimamus eum* inuoluntariæ seruituti subiicientes, & dure deprimentes, vt eorum numerus minueretur, vnde addit *ne forte multiplicentur*, ne maiora sumat incrementa, C ita vt nobis possit bellum inferre, & ita prosequitur, & *si ingruerit bellum*, si acciderit illatum à nostris hostibus, *addatur inimicis nostris*, eos solos sane non timemus, sed coniuncti nostris aduersariis poterunt nos superare & vincere, *egrediturque de terra* quod in maximum cedet damnum Ægyptiorum. cùm enim nobis magna annuatim persoluāt tributa; & aliis operibus publicis inseruiant omni hac priuabimur vtilitate.

## CONCEPTVS.

***Bona terrena maxime contemnenda sunt ab iis qui spiritu Dei aguntur.***

48 S*Apienter opprimamus eum.* Timeo enim ne populus iste in nos rebellet, expugnatisque nobis egrediatur de terra, sane nullus mihi videtur hic timor, quid post totius Ægypti propugnationem, times Israelitarum ab Ægypto egressum? acute hic Rupertus. *Non addit, expugnatis nobis obtineat terram, sed egrediatur de terra*, sane qui terram, qui regnum aliquod expugnat, ibi figit tentoria, ibi sedet labores manuum suarum manducaturus: sic enim vniuersi qui regna expugnarunt, in illis manserunt, clauum ibi tenentes: cur ergo non timeret Pharao quod captiui & peregrini homines expugnata D terra Ægypti ibi incolæ & domini manerent? sed erat Dei populus, ea superioris spe promissionis mouebatur, vt de illo non posset timere, quod remaneret in expugnata terra, sed quod potius mille periculis largo sanguine terram despectam emeret, & habitam despiciens gloriosius egrederetur. *Hoc sibi persuadeant principes tenebrarum mundi huius rectores.* Pergit Rupertus, *quod Christiani hoc solum emolumenti habent in possessionibus terrenis, quod illas despiciamus, expugnatisque nobis egrediamur de terra, quia cælum nos expectat.* Rupertus.

***Peruerso exemplo ad male operandum inducimur.***

49 *Sapienter opprimamus eum.* Defectionem Israe-

litarum à se suspicans, hoc consilium sumpsit, vt eos opprimeret; sed quibus medijs eos opprimere molitur? præposuit eis magistros operum, vt affligerent eos, vide callidum Regis Ægypti ingenium, expugnaturus Israëlem, ei magistros operum præficit qui eos ad opera lutea adigant: iuxta Orig. hom. 1. Ille Rex Ægyptius diabolum significat, hic quidem intendit nos ad opera lutea & terrena adigere, cæterum qua ratione id perficit audi: præposuit eis magistros operum, magistri operum præponuntur qui minis verbis, & exemplis eos ad fictilia inducant opera, imo & ad ea cogant, hæc sunt sane iniquorum exempla qui quidem occulta vi quadam nos ad peccatum traducunt, callide opprimimur, & ad peccata traducimur, cum iniqui homines nos prauis exemplis ad peccata alliciunt. subijcio verba Orig. *Igitur conuocata omni gente sua circumuenire & circumscribere cupit in omnibus rationabilem suum qui nunc figuraliter dicitur Israel, & ideo præficit eis magistros operum, qui eos cogant discere opera carnis, sicut & in Psalmis dicitur, & admixti sunt inter gentes & didicerunt opera eorum.* (Origenes. — Psalm. 105)

## *Irascenti ira sua non videtur iniusta.*

50 *Sapienter opprimamus eum.* Quid ais *sapienter?* si insipienter vel potius crudeliter diceres, tacerem equidem, crudelitate enim plena fuit ista oppressio. an sapientem, crudelem nominas oppressionem? ita equidem, quia cum iratus in populum Israëliticum hæc diceret, sibi videtur quod iuste sit iratus & quod cum sapientia etiam bene consulat. huc spectauit D. August. Epist. 148. *Nulli irascenti ira sua videtur iniusta, ita enim inueterascens ira fit odium, dum quasi iustæ doloris admixta dulcedo, eam intra se detinet donec totum accescat:* similia habet Epist. 87. cui consentit D. Greg. Mag. 5. moral. cap. 30. *Per iram iustitia Dei relinquitur, quia dum perturbata mens sibi iudicium rationis exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat.* (August. — C — Greg. Mag.)

## *Iratus peruersè consulit.*

51 *Sapienter opprimamus eum.* Quid cōsulis ô Rex! sane peruersa & Rege indigna & tyrannorum propria, quid enim aliud mente & animo reuoluunt tyranni, quam media quibus suos opprimere possint subditos? vnde nā Rex qui in omnibus censeri debet prudentissimus, tam iniqua & ita à ratione aliena suggerit? quid mirum si aduersus populum Israëliticum spiritu iracundiæ concitatur? ita enim teste Cassiano lib. 8. Colla. cap. 1. *mortiferum virus est de recessibus animæ nostræ funditus eruendum, hac enim in cordibus nostris insidente, & oculum mentis tenebris noxijs obcæcante, nec iudicium rectæ discretionis acquirere, nec honestæ contemplationis intuitum nec maturitatem consilij possidere, nec iustitiæ tenaces esse,* &c. preme hæc verba *nec maturitatem consilij possidere.* (D — Cassianus.)

## *Iratus, insipiens.*

52 *Sapienter opprimamus eum.* Dicas insipienter, A sapienter dicit, quia non solum sibi sapiens videtur, sed vt talis ab omnibus suis celebratur, sed licet à suis ita æstimetur subditis, insipientissimum dicere possimus, quia spiritu iracundiæ aduersus populum nihil mali cogitantem commouetur, ita est. Cassian. *nec sapientiæ participes efficiuntur, tametsi sapientes omnium opinione pronuntiari videantur, quia ira in sinu insipientium requiescit, & quamuis prudentes videamur definitione hominum iudicari, tamen ira etiam nos perdit.* (Cassianus.)

## *Deus etiam hic præmio temporali virtutem iustorum remunerat.*

*Sapienter opprimamus eum,* Qua de causa? ne forte multiplicetur, in maximam ergo creuerat 53
B multitudinem, & ita innumeram, vt omnem terram Gessen repleuerat: sed ô Deus si præuidisti tā duram seruitutem subiturū, grauē persequutionem toleraturū, propter hoc omnē fidem superans laborū augmentū. cur ita multiplicari permisisti? vt nihil detraheret virtuti Abrahæ, quem etiam numerosa voluit munerare sobole, huc decurrit Basil. Seleu. oratione 9. *admiratus olim Deus animum Abrahami, Religionis ergo mores compensat generis nobilitate, & patrem multorum scribens arenæ maris & cœli stellis filiorum numerum coæquauit, promissa re affirmauit, obsecundans autem creatori suo natura numerosissimam sobolem regenerat.* (Basil. Seleu.)

## *Inuidus superbus.*

*Sapienter opprimamus eum.* Nonne dicis te velle 54
C opprimere Israelitas? qui autem alios opprimit est ne dicendus sapiens? imo insipiens, sapientia enim solum est respectu finis honesti, peruersus autem est innocentium oppressio. cur ergo ita loquitur? si inuidiæ liuore aduersus populum Dei tabescit, quid mirum si in hunc prorumpat sermonem? inuidus enim superbus est. *Iste modus superbi* (inquit noster Lyran.) *quod astutiam serpentinam suam putet esse sapientiam, cum tamen sapientia non possit esse nisi respectu finis boni & per medium conueniens.* (Lyranus.)

## *Tyrannorum est malis cogitatis per mala præsentia remedium ad bibere.*

D *Sapienter opprimamus eum.* Times enim ne si forte bellum ingruerit, aduersarios manu 55
armata virorum selectorum adiuuent pecunijs & quibuscumque ad bellum aut parandum aut prosequendum necessarijs subleuet, & nobis expugnatis terram Ægypti deserant: sed quibus medijs hæc mala futura & solum cogitata impedire niteris? oppressione, an futura vel præsenti? præsenti, ait enim opprimamus eum. cur non ais de futuro eum opprimemus? tunc enim temporis satis esset cum insurgerent, eos opprimere. quid miraris cum ita loqui? tyrannorum enim est proprium, malis cogitatis per mala præsentia remedium adhibere. *Aduerte* (inquit Oleast.) *qualiter iste Tyrannus vt malis cogitatis medeatur, mala præsentia perpetrat.* (Oleaster.)

56 *Impiorum est, malo, alteri occurrere malo.*

*Sapienter opprimamus eum*, qua de causa? quia cum bellum ingruerit, addetur inimicis nostris, nobisque expugnatis de terra egredietur; licet hæc omnia forent futura, an tibi liceret subditos opprimere? punire quidem tibi licitum, sed opprimere quis dicet? hoc permissum nequaquam. sed ita se habent impij, qui malo velint alio malo occurrere. *Similiter disce* (prosequitur cit. auct.) *non esse malo occurrendum alio malo præsertim maiori, quemadmodum fecit Dauid qui homicidio adulterium voluit operire.* Procopius.

*Vis vi potest repelli, sed non indebitè.*

57 *Sapienter opprimamus eum.* Timeo enim ne si ab aduersarijs nostris bellū in nos moueatur, stet à partibus eorum ita se res habeat: nonne optimum foret consilium, mœnia armata militum manu cingere, nouum parare exercitum, arma vndique conquirere, vt generosè & honorificè cum eis pugnare concedatur, imo & detur expugnare: consilium ergo ab innocentibus opprimendis depone, nequaquam deponet, cum enim sit impius, non solum vim vi repellet, sed modo iniusto & indebito, ecce enim de necandis innocentibus in vnum coniurat facinus.

*Impiorum est se mutuo ad praua opera cohortari.*

58 *Sapienter opprimamus eum*, sed quid ante hoc consilium præcessit? venite inquit, cur tuos ad oppressionem conuocas? nonne tui muneris esset eos ad bonum inducere? ita sane; nam Regis ad exemplum totus componitur orbis. sed cum esset impius mutuo suos ad praua cohortatur opera, ad populi innocentis internecionem concitat, *Callide consultant* (inquit Lipp.) *astuteque circumueniunt filij huius sæculi, & sapientiores sunt semper ad malum filijs Dei, semper solent rebus velle consulere per fas vel nefas. mutuum sese exhortantur ad praua studia & crimina consentientes.* Lippom.

*Impij rerum temporalium præ omnibus iacturam timent.*

59 *Sapienter opprimamus eum*, ne si contra Regnum nostrum bellum moueatur, ab externis hostibus, eis coniungatur, & nos expugnet: si autem ita contingat, quid aget vlterius? egredietur de terra. nonne hoc in votis habere deberes? quis enim princeps ita à mente alienus, qui si in regno suo ab hoste superetur, eius egressum summopere non desideret? egrediatur ergo ab Ægypto Israelita. Sed aduerte ei maxime vtilem ob tributorum annualem solutionem, quid mirum igitur si nolit etiam se oppugnato, & deuicto, suum egredi regnum? quia impij rerum temporalium præ omnibus timent iacturam, fauet Abul. *Non recedat de terra ista, nam in ma*- Abul.

A *gnum damnum Israelitarum cederet, quia Hebræi magna tributa annuatim persoluebant, & præter hoc cogebantur ad faciendum quælibet alia opera publica, vt construere, ciuitates reficere, & instaurare pontes, & similia facere.*

*Diabolus ne beatitudinem promissam consequamur, omnibus modis impedit.*

*Sapienter opprimamus eum*, ne bello in nos ab aduersarijs commoto, nobis expugnatis, ipse de terra nostra egrediatur: imo omnem diligentiam adhibere, & omnem laborem impendere deberes, vt egrederetur, quis enim se fœlicem non arbitratur, cum sibi B timoris ablata est occasio? tu autem fateris te timere, ne si bellum ingruerit, populus Hebræorum aduersarijs coniunctus te expugnet: si autem semel expugnauerit, quis dubitat te iterum atque iterum posse expugnare? nota per hunc Ægyptiorum Regem, dæmonem iniuste populum Dei affligentem intelligi: per terram autem Chanaam posteritati Abrahæ promissam, beatitudinem: quid mirum igitur si Rex ille nolit populum Israeliticum ab Ægypto egredi? dæmon enim velis & remis contendit, ne veri Israëlitæ ab hoc sæculo in vitam æternam, terram viuentium sibi promissam tendentes egrediantur: adest Nissen. lib. de vita Moysis. *Tyrannus ac hostis noster humana natura deprauator, semper studet, ne* C *ad cœlum oculos eleuare possimus.* 60 Nissen.

*Ingratus nescit in vno malo sistere.*

*Sapienter opprimamus eum*, quid cogitas? omnes nemine dempto vis opprimere, si quis sit alicuius criminis conscius, cum pœna coerce: nonne satis fuerat beneficia à Ioseph accepta intercidisse? cur & tyrannicè eius posteros opprimere moliris? non mirum equidem, quia cum fuisset ingratissimus, non potuit in alia non prorumpere crimina, quod animaduertit Petrus Riga in suo de aurora lib. super Exod. 61 Petrus Riga.

*Rex nouus inde Iosephignorās, vexat Hebræos.*
*Opprimit, affligit, dat mala multa pati.*

D En quia ignorat Ioseph, idest quia immemor est eius beneficiorum, cogitat de posteris eius opprimendis: quasi non satis esset vitio ingratitudinis infici, ni in alia scelera laberetur crimina.

*Impij fraudulenti.*

*Sapienter opprimamus eum*, hoc *sapienter* intelligendum venit callide, astute, fraudulenter, cur aperta vi eum exosum habeas hunc populū, & potens sis viribus & auctoritate præualeas, non opprimis? quis enim te arguere posset de oppressione huius populi? aduerte pacta oppressionis materiam non habuisse: quid ergo mirum si malitiosè & callidè eum solum nunc circumuenit, vt accepta deinde occasione eum penitus deleat? impij enim 62

Procop. fraudulenti. Hoc vidit Procop. *Callidè agamus, id eſt dolis deludamus & circumueniamus iſtum populum, conuertitur ad ſutelas & techinas, quibus implicent Hebræos: deerat enim occaſio apertè opprimendi populum Hebraicum.*

### *Etiamſi contraria media videantur prouidentiæ diuinæ aſſequendæ, infallibilis tamen erit illius effectus.*

64 *Sapienter opprimamus eum.* Nonne iam tempus fere libertatis populi Hebręorum aderat? nonne iam ferè adimpleta quadringenta erant illa annorum curricula, quibus expletis promiſerat Deus Abraham liberaturum ſemen ſuum? quis non crederet media ad hoc exequenda, exaltationem futuram populi in Ægypto, principatum in illa terra, gratiam apud Reges, primateſque eius? at non ſic, ſed econtra factum, nam quo eorum libertas erat propior, eo oppreſſio maior, eo ſeruitus ſtrictior, motiuum oppreſſionis timor exiuit, exitus populi è terra velim dicere eo apud illum Regem animam recidendi populum creuiſſe, quo propior erat eius egreſſus, medium hoc contrarium fini videtur, vnde ex hoc deſiderio euenit vt amplius, ampliuſque filii Iſrael opprimerentur, tum laboribus, tum oppreſſionibus, tum occiſionibus, & quod præcipuum eſt Deo permittente, vt ſummopere ipſi Ægyptii odiſſent filios Iſraël: quis ergo hæc conſiderans, ſimulque ea diligenter attendens, crederet propinquam liberationem imo remotiſſimam, tamen imminet: nam ſi contraria media videantur fini prouidentiæ diuinæ aſſequendæ, infallibilis tamē erit illius effectus. Vnde optime D. Chryſoſt. lib. 1. de prouid. admirans diuerſa diſiunctiſſimaque inter ſe concordi fine per diui- S.Chryſ.
nam prouidentiam connecti ait: *Mirabile hoc eſt sed veriſſimum, quę enim fiunt à Deo, cum diuerſa videantur & diſiunctiſſima, vno tamen concordique fine ſibi inuicem conſentiunt.*



## *VARIETAS LECT. Verſ. 11.*

*Vulg.* Præpoſuit ei itaque magiſtros operum, vt affligerent eos oneribus, ædificaueruntque vrbes tabernaculorū Pharaoni, Phiton & Rameſes.

*Sep.* Et præfecit eis præfectos operum, vt affligerent eos in operibus, & ædificauerunt ciuitates multas Pharaoni Phito, Rameſſe & On, quæ eſt Heliopolis.

*Cald.* Conſtituerunt ſuper eos principes malefactores, vt affligerent eos in operibus ſuis, ædificaueruntque vrbes theſaurorum Pharaoni Phiton & Rameſſes.

*Onk.* Conſtituerunt ſuper eos principes, qui affligerent & humiliarent eos in ſeruitute ſua, ædificaueruntque vrbes theſaurarias.

*Pag.* Et poſuerunt ſuper eos principes theſaurorum.

*Oleaſt.* Poſuerunt ſuper eos principes diſſolutionum, vt humiliarent eos, & ædificauerunt vrbes incluſionum.

*Marius.* Conſtituerunt ſuper eos principes conſtitutionum.

*Targ. Hieroſ.* Ædificauerunt vrbes Ianis & Peluſium.

---

## *CONCORDIA.*

Legimus in Hebræo שרי מסים missim ſare, eſt autē Hebræis מס mas, omnis contributio quæ vni ab altero præſtatur, ſiue perſonalis, ſiue realis, vt laboris aut pecunię, vnde aliqui vertere præfecti contributionum, realium ſcilicet & ſeruilium, quas Iudæi Ægyptiis præſtabant: alii autem à מסס maſſas quod ſecundum eos eſt liqueſcere vel diſſolui, mas quod eſt tributum ſic dictum, quod ſoluatur dominis, vnde dixerunt principes diſſolutionum, vel theſaurorum, quia modus tributis theſauri poſſunt acquiri, ab hac voce, eiuſque radice מסס maſſas nonnulli nec male deriuauere vocem Miſſa, quaſi ea ſit tributi Deo debiti ſolutio, & obſequii exhibitio, cum autē tributa illa non fuerint pecuniæ, ſed laterū, bene dixit noſter Interpres principes operū quia quotidie ab Hebræis exigebant penſum operis: vbi habemus vrbes tabernaculorum, in Hebræo eſt מסכנות miſkenoti à radice סכן ſachan quæ ſignificat includere & occultare, vnde סכן ſochan eſt theſaurarius & occultator opum, hinc ſit quod aliqui vertere vrbes theſaurorum: & quia vrbes vbi debent eſſe theſauri regum debent aſſe munitæ, dixere Septuag. πόλεις ὀχυρὰς vrbes munitas, & quia diximus verbum ſachan ſignificare includere vel abſcondere, alij dixere vrbes incluſionum, includi autem poterant vel opes, & ita dixerunt aliqui vrbes theſaurorum, vel arma, vel frumenta, & ſic dictæ ſunt vrbes munitæ, & ita non impropriè dictæ ſunt vrbes tabernaculorum à noſtro Vulgato, quia tabernacula ſunt, loca in quibus ſupradicta etiam recondebantur, vel quia tabernacula etiam ſunt domus regiæ. Sic enim Scriptura vnum pro altero vſurpat: Septuaginta addiderunt tertiam vrbem, nempe On ſeu Heliopolis. Sed cum On ſeu Heliopolis etiam antequam filii Iſraël Ægyptum ingrederentur fuerit ędificata, duxit enim Ioſeph filiam ſacerdotis On ſeu Heliopolis. Ædificatio quæ hic ponitur non eſt accipienda niſi pro dilatione & munitione, vel ſi deſtructa fuerit pro reparatione, niſi duplicem ciuitatem On velis inſtituere, perperam dixit Targum vrbes Ianis & Peluſium,

## EXPOSITIO.

P*Rapofuit magiſtros operum.* Non qui eos inſtruerent, ſed qui eos opprimerent, ab eis quotidie penſum laboris exigentes, vnde textus ait vt affligerent eos oneribus: Licet enim ab eorum laboribus non exiguam vtilitatem acciperent Ægyptij, tamen id præcipuè nõ intẽdebãt, ſed eorum afflictionem & oppreſſionem: cogebant enim eos maxima deferre onera quibus vires eorum minuerentur, & omnino debilitarentur, *Et ædificauerunt vrbes tabernaculorum*, id eſt, vel quæ antea ſolum erant tabernacula, ex quibus maximas ciuitates conſtruxerunt, vel quod in illis eſſent militum excubiæ, ne alienigenæ regnum intrarent, aut Hebræi exirent ſine Regis licentia: vel quia in eis recondebantur vniuſcuiuſque generis munitiones *Phiton & Rameſſes* A erant hæ vrbes in regni limitibus, nam de Rameſſe egreſſi narrantur Hebræi in Socoth cap. 12. Rameſſes forte dicta eſt à Rameſſe terra in Geſſen, quam Hebræis incolendam dedit Pharao, vel ab hac vrbe Rameſſe tota regio dicta eſt Rameſſes Geneſ. 47. vt vocetur Rameſſe per prolepſin terra quæ poſtea ab hac vrbe dicta eſt Rameſſes hanc poſtmodum vrbem heroum dictam volunt aliqui, vnde Geneſis 46. vbi Ioſeph dicitur occurriſſe Patri Iacobo in Geſſen ſiue Rameſſe. Sept. habent ad Heroũ ciuitatem, eandẽ dictam deinde pagũ Arſenoëtarum, ac deinde Thebas ac Thebaidas tot monachorum incolatu & monaſteriis celebrem: de Phiton autem nihil ab auctoribus in particulari dicitur.

## CONCEPTVS.

*Seruitus mundi lutum colligit, ſeruitus Dei bona copioſiſsima.*

65 P*Rapoſuit eis magiſtros operum, vt affligerent eos oneribus.* Diximus in concordia, magiſtros præfectos eis fuiſſe vt exigerent ab illis tributũ, non argentum vel aurum, ſed laterum luteorum, de quibus Iſraëlitarum operibus à Pharaone decretis, ait Regius Vates Pſal. 80. (Pſal. 80.) manus eius in cophino ſeruierunt, quæ licet aliqui exponant de Ioſeph Patriarcha, quod menſæ Putipharis miniſtrauerit portando & aſportando panes, ciboſque alios in cophinis, quod erat honeſtius opus, quam ad grana mundanda vel exportandum fimum, vel ſimilia, tamen longè verior eſt ſententia, quæ hæc exponit de populo qui geſtabat cophinis paleas, lutum, lateres, nec non vt indicat Auguſt. mundabat ſtercora, & alia ſeruilia opera obibat, nam cophinis vel corbibus vilis exercetur ſeruitus, vnde D. Iſid. 1. ethymol. cap. 9. (Iſidorus Hiſpalenſis) cophinum eſſe dicit corbem qua terra portatur, fatale quidem Iudæis ſeruis videtur hoc ſeruitium, quod etiam exciſa Hieroſolymitana ciuitate exercuiſſe etiam in vrbe plures teſtantur: quo poſito poſſumus dicere præfectos eis fuiſſe magiſtros operum, qui eos miſeros cogebant in cophinis colligere lutum, vt ſtrenuis ædificatoribus materiam præberent ad ædificandas ciuitates: nunc recolamus facinus illud Chriſti Domini in ſaturandis hominibus Ioan. 6. (Ioann. 6.) vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis, colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant, collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum: cur non iſtas iubet impleri, ſed cophinos? vt vel in ipſo operarũ inſtrumento videatur quam alius ſit fructus ſeruorum Chriſti & ſeruorum Pharaonis, ſeruitur Pharaoni, id eſt mũdo in cophino, ſeruitur Chriſto in cophino, ſed in Pharaonis obſequio cophinus operarũ lutũ & alia quæque vilia colligit, lutum porrigit, nihil præter lutũ & vile habet, in obſequio Chriſti operarum cophini non lutũ ſed cæleſtem colligunt alimoniam. Ad hæc Amb. lib. 9. in Luc. (Ambroſ.) *Qua ratione duodecim cophi-* B *nos Chriſtus impleuit, niſi populi Iudaici illud ſolueret, quia manus eius in cophino ſeruierunt, hoc eſt, populus qui antea lutum in cophinis colligebat, hic iam per crucem Chriſti vitæ cæleſtis operatur alimoniam.*

*Qui voluptatibus ſæculi oblectantur, arcendi ab Euchariſtiæ ſacramento, qui vero corporalibus premuntur anguſtiis ad illud accipiendum diſponuntur.*

P*Rapoſuit eis magiſtros operum, vt affligerent eos.* 66 Sane vterque populus Hebræorum & Ægyptiorum luteis operibus intendebat, ſed Ægyptius inſtabat operi, Hebræus vero lateres conficiebat, Ægyptius volens huic ſe adiunxerat, C Hebræus inuitus tyrannidem patiebatur: ſed quodnam genus hominum hic vterque populus ſignificat: ſane Ægyptius eos qui volentes vitiis inſeruiunt, qui ſe ad peccandum incitant, Hebræus autem eos qui nolentes & quadam vi acti ad peccandum impelluntur: quod de ſe fatetur Paulus, ſentio aliam legem in membris (Rom 7.) meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Quis eſt enim qui quandoque non adigatur ad peccandum, & veluti ab æſtu reſluo arripiatur, qui renitens non trahatur, ſed quis vtriuſque exitus? nonne Hebræus propter hanc vim ac tyrannidem quam ab Ægyptiis patiebatur, abductus quidem ab ergaſtulo Ægyptiorum & manna paſtus in deſerto, & de ſilice aqua potatus? quod figuram D gerebat Euchariſtiæ, aſt Ægyptius nonne in priſtina ſua relinquitur infidelitate? quod quidem portendit eos non vtique indignos Euchariſtia, qui licet quandoque peccent, reluctantes ad peccandum abducuntur, ſed facile peccati iugum excutiunt, illos vero à pane cæleſti Euchariſtico arcendos, qui volentes ſe prædã peccato abiiciunt, & ſe in ſeruitutem criminibus obiiciunt, tum etiam hoc denotat Euchariſtiã quidem deberi eis qui alicuius mali labore, conformes diuinæ voluntati premuntur, & in triſtitia & lachrymis panem ſuum comedunt, illos vero

qui voluptatibus obluctantur, indignos se pane Angelorum reddere. Huius enim sacramenti effectus est lætitia spiritualis, quæ eis impenditur qui libenter sæculi premuntur molestiis. Vtiliter hoc agnouit D. Amb. cap. 5. de parad. *Sed & de veteri testimonio* (inquit) *accipe illos ad gratiam peruenisse, qui contristabantur in operibus corporalibus, illos vero in supplicio remansisse, qui delectabantur eiusmodi operibus, denique Hebræi qui ingemiscebant operibus Ægypti instorum gratiam consequuti sunt, & quia panem in tristitia manducauerant, esca donati sunt spirituali, Ægyptij vero qui alia opera cum exultatione celebrans Regi detestabili seruientes, nullam veniam sunt adepti.*

S Ambrosius.

A

*Impius potius aliorum oppressionem quàm suam vtilitatem intendit.*

B

66. *Præposuit eis magistros operum vt affligerent eos.* Cur ait vt affligerent? nonne dicere debuit Moyses, vt sibi prodessent in ciuitatum constructione? quod enim emolumentum non habuerunt Ægyptii ex labore Israelitarum populi? in quam vtilitatem eorum non cessit continua Hebræorum exercitatio quamuis tyrannica? nonne domos, nonne palatia, & vrbes munitas ædificauerunt? ne dicas ergo Regem constituisse eis præpositos operum vt affligerent eos, sed potius vt suæ consulerēt vtilitati: recte ita loquitur, quia Tyrannus ita impius vt suum non quærat præcipue commodum, sed aliorum oppressionem. subscribit noster Lyran. *Licet ad vtilitatem Regis essent corporales labores, tamen principaliter intendebant debilitatem filiorum Israel.*

Nicolaus Lyranus.

C

*Labor & angustia à carnis voluptatibus nos arcet.*

67. *Præposuit eis magistros operum vt affligerent eos.* In quam eorum afflictio nobis cedet vtilitatem? seruus enim qui tyrannicè ad laborem cogitur, sane nihil perfecte absoluit, satius ergo esset vt huiusmodi præpositi eos hortarentur ad laborem: sed reuoca in memoriam, ea quæ à Rege dicta superius, ecce populus Israel multus & fortior nobis est: intendebat ergo Rex eorum decrementum! quid mirum igitur si eos afflictione, & labore opprimit? quid enim à carnis voluptatibus, ab amplexibus, & ideo à generatione magis reuocat, quā angustia & oppressio? Fauet Rup. lib. 1. cap. 5. *Vt affligerent eos, vt non liceret eis coniugales amplexus inire, filiosque procreare, labore vel iniuria voluptatis obliuionem afferente.*

Abbas Triniensis.

*Vrbes pauperum labore crescunt in ciuitates regias.*

68 *Præposuit eis præfectos operum, ædificaueruntque vrbes tabernaculorum*, Sep. *vrbes munitas*, alii *thesaurorum*, si tabernaculorum sunt vrbes, quomodo munitæ? nihil enim debilius tabernaculis; non pauci tamē has ciuitates Ramesses & Phitō fuisse pauca pauperū tabernacula asserūt, quid mirum igitur si euaserint in vrbes munitas & thesaurorum? labore enim quod est exiguum & fere nihilum, crescit in aliquid regium & munitissimum. Non abest ab hoc sensu Hugo Vict. annot. in Exod. *In Hebræo vbi nos habemus vrbes tabernaculorum, est quidem sermo qui transpositione puncti modo ad dextram, modo ad sinistram, vel sonat in voce miscenoth, & significat pauperum, vel sonat mischenot & significat positionum, & secundum hoc quod prior vox subinnuit vrbes pauperum ædificatas, intelligitur vrbes prius debiles & pauperum mansiones, operatione Hebræorum fortiores effectas, secundum autem hoc quod mischenot significat positionum, intelligitur ita vrbes fortes cōpositas quod thesauri Regis reponerentur ibi in custodia pro fortitudine loci.*

Hugo Victorinus.

*Miseri ad suam calamitatem ædificare coguntur.*

*Præposuit eis præfectos operum, ædificaueruntque vrbes tabernaculorum.* Sept. *vrbes munitas.* Cur vrbes munitas construere sollicitus conatur? & vbinam? sane in confinio, ecce igitur Hebræi vrbes extruunt, arcibus roborant, turribus ac propugnaculis muniunt, sed maximo labore & sudore: an in suam vtilitatem & commodum? non equidem, sed in suam crudeliorem oppressionem, constructæ enim sunt huiusmodi ciuitates in Ægypti limitibus, militibusque in eis excubias agentibus, ne regnum fugientes egrederentur. Sic Abul. *Istæ vrbes erant in finibus Ægypti, in quibus posuerat Pharao custodes, vt viderent quis egrederetur ex Ægypto, & ne permitterent aliquos ex Hebræis egredi de terra illa.* 69.

Tostatus.

*Diuitiæ timore conseruantur.*

*Præposuit eis præfectos operum, & ædificauerunt vrbes tabernaculorum.* Septuag. *vrbes munitas*, Cald. *vrbes thesaurorum*, cur vrbes munitæ thesaurorum ciuitates dicuntur? an quia nihil ita munit hominem quam thesaurus? an quia nihil pecunia validius? non equidem hac de causa, sed quia in eis Regis diuitiæ recondebantur: sed cur tanta soliditas murorum, turrium tam robusta proceritas, his debet inesse vrbibus, in quibus regii debent recondi thesauri? vt cum quanto timore diuitiæ multo labore comparatæ conseruentur, sit compertum, quod vere dixit noster Bernard. serm. 49. in quadrages. de Christ. Relig. art. 1. *Inuenies timorem in possidendo diuitias, licet promittant securitatem, diues enim quem tu fœlicē existimas, cunctis admirantibus sæpe dolet, sæpe suspirat, multi illum comitantur, mel muscæ sequūtur, cadauera lupi, frumentum formicæ, prædam sequitur turba ista, non hominem, diues quotidie potentum violentiam timet, suspectam habet familiarium fidem, semper imminentes pauet insidias exterorum, cum retinet maledicitur, in malis præsentibus non confidens, sed semper mala timens imminentia.* 70

Bernardinus Senensis.

D

*Apud malos prælatos plus sonant verba timoris quam amoris.*

*Præposuit eis præfectos operum*, vt eos ad laborem inducerent, vt ad ciuitatum constructionem impellerent, sed cum potius amore quam timore duci debeamus, quibus medijs eos ad huiusmodi opera inducebant? sane verberibus, fla- 71

gellis, verbis asperis onerum nimia impositione; ait enim, vt affligerent eos. sed quid mirum ita eos oppressisse? cum enim essent pernitiosissimi præfecti, eos nesciebant amore ducere, sed timore. sic noster Card. Vital. in speculo morali S. Script. in titul. de princip. explicans enim hūc locū sic ait, *Tales hodie habent et spirituales principes & Ecclesiastici, & magis sonant apud eos verba timoris, quam amoris* & infr. de præl. *sic sunt aliqui prælati crudeles, qui volunt habere baiulos & ministros crudeles & exactores.*

Noster Cardinalis Vitalis.

***Mortales cum aliorum oppressione celebre nomen se consequi credunt, infamiam sibi comparant.***

72 *Præposuit eis præfectos operum &c. & ædificauerunt vrbes tabernaculorum Phiton & Ramesses.* Non pauci arbitrantur, Regem qui populum Israeliticum opprimebat, dictum fuisse Ramesses, & hanc ciuitatem suo nomine donatam condidisse: cur tot laboribus ciuitatem sui nominis ædificari voluit? sane vt celebre apud posteros nomen suum redderet. sed an eam, quam intendebat consequutus est famam? imo maximam sui nominis hoc facto comparauit infamiam apud omnes, quod crudelitatis & inhumanitatis arguatur, qui tot hominum innocentium sudore & labore has ciuitates construxerit, quod annotat D. Chrysost. hom. 30 in Genes. *Multi splendidas domos ædificant, & balnea porticus, & deambulacra, quorum si aliquem rogaueris, quare ita laboret tam miserè, tantosque pecuniarum faciat sumptus, eosque inutiles, nihil aliud audies quā hæc verba vt immortalem seruet memoriam, & audiat quod illius domus est, sed hoc non est tam laudem quam crimen sibi parare, nam statim ad hæc subiungentur plurimarum contumeliarum verba domus hæc est huius auari, huius rapacis, huius viduarum & orphanorum seu pupillorum spoliatoris, igitur hoc non est memoriam assequi, sed perpetuis obijci criminibus, & post mortem infamari.*

S. Chrysost.

*Quam male securum est impiorum refugium.*

73 PRæposuit eis præfectos operum & ædificauerunt vrbes tabernaculorū Phiton & Ramesses, Aliam addunt Septuaginta nempe On, quæ est Heliopolis. sane has ciuitates munitas condidit, vt tempore belli refugium in eis posset habere: sed quomodo hæ interpretantur ciuitates? Phiton idem est quod os abyssi, Ramesses commotio. quomodo in ciuitatibus quarum vna est commotio, & altera os abyssi potest haberi refugium? sane quale possunt habere impij male securum: quod optime expendit D. Bernard. in sentent. *Triforme est refugium peccatorum, decepticis documentum fallaciæ, quæ est Phiton, secularis munimentum potentiæ, quæ est Ramesses, simulatricis figura iustitiæ quæ est ciuitas solis has ædificari iubet Pharao.*

S. Bernard.

*Qui ex innocentium labore sibi aliquid acquirit, sibi infernum præparat.*

74 *Præposuit eis magistros operum & ædificauerunt vrbes Phiton & Ramesses*, ædificari sibi eas curauit Rex Pharao, populi Israelitarum oppressione, nonne muniæ dicuntur à Septuag. [illegible] bi igitur construere fecit in munimen Pro[illegible] ciæ, alij legūt, vrbes thesaurorum, v[illegible] ex tributis collectos reconderet thesauros [illegible] interpretationem vnius ciuitatis nempe P[illegible] inquiramus. nonne os abyssi interp[illegible] & merito, quia qui sibi aliorum labore, m[illegible] oppressione, aliquid sibi munit acquir[illegible] nihil sibi comparat quam os abyssi quo [illegible] deuoluatur in infernum.

*Diuitiæ corruptioni obnoxiæ, & ideo non quærendæ.*

*Præposuit eis magistros operum & ædificauerunt vrbes Phiton & Ramesses*, Vbi legimus vrbes tabernaculorum, habet Pagni. ex Hebræo, vrbes Thesaurorū, in quibus scilicet quæcūq; pretiosa quæ possidebat, recondebantur: sed quomodo interpretatur illa ciuitas præcipua suorum thesaurorum nempe Ramesses? sane commotio tineæ. quid? nonne diuitias putabat se posuisse in loco munito, in quo incorruptibiles & in æternum seruari possent? quomodo igitur locus in quo eas recondidit, commotio tineæ nuncupatur? sane vt omnibus constet mortalibus, quascumque diuitias non incorruptibiles, sed corruptioni nempe tineæ obnoxias & ideo non quærendas: quod Christus Dominus Matth. 20. monuit dicens nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur: quæ exponens Albert. mag. ait, *Thesaurus non potest esse nisi aut de metallis, aut de pannis, aut de vestibus, aut de lapidibus pretiosis. & si est de metallis consumitur ærugine, quia ærugo dicitur æris rubigo, si autem est de pannis consumitur tinea si autem de lapidibus, suffoditur, & à furibus tollitur. vel dicamus, omnes diuitiæ thesaurus dicuntur, & illæ triplici subiacent noxietati. aut enim de ipso thesauro consumpto nascitur aut non de ipso, sed aliunde, si de ipso hoc contingit dupliciter, aut enim est ex ipsius rei thesaurisatæ destitutione simplici, aut de destitutione similiter & generatione consumentis ipsum, & primo, consumitur per æruginem, quia ærugo non est materia alicuius generationis propter amaritudinem sulphuris & frigiditatem argenti viui, ex quorum destitutione fit ærugo, aliæ autem molliora sic corrumpuntur quod ex alteratione generantur vermiculi, qui consumunt residuum, quæcūq; sunt alia maiorum patent auaritiæ, & suffossio furum vocatur quæcumque alienatio rei quæ fit fraude vel rapina, vel furto, vel quocumque alio modo perditiuus eorum.*

75

Matth. 2.

Matth. 20.

Albertus Mag.

*Quod ab hominibus non remuneratur, à Deo expectandum est præmium.*

*Præposuit eis magistros operum & ædificauerunt vrbes Phiton & Ramesses.* Sane multo labore & sudore, nonne dignus est mercenarius mercede sua? ita testatur ipsamet veritas, quam ergo Israëlitæ mercedem ab Ægyptijs accepere, pro harum constructione ciuitatum? nihil equidem quam verbera, & corporis afflictionem, an irre- 76

numerati manebunt? nequaquam, Deus enim thesauros Ægyptiorum in egressu suo illis largietur, quod annotat Tertul. lib. 4. aduersus Marcion. cap. 24. *Quod si Christus Luc. 10. dignos pronuntiat mercede operarios, excusauit praeceptum illud creatoris de vasis aureis & argenteis Aegyptiorum auferendis, qui enim villas & vrbes operati fuerant Aegyptijs digni vtique operarij mercede non ad fraudem sunt instructi, sed ad mercedis compensationem, quam aliàs à dominatoribus exigere non poterant.*

Tertulia. Lucæ 10.

77 ***Qui terrenis rebus studens, quid habent nisi opera auaritiæ, superbiæ, & luxuriæ?***

*Præposuit eis magistros operum & ædificauerunt vrbes Phiton, Ramesses*, tertiam addidere septuaginta nempe *On*, quæ est Heliopolis: quomodo & quando has construxere ciuitates? sane cũ esset sub imperio Pharaonis in Ægypto, lateribus autem quibus semper intendebant: cur tũc? Ramesses interpretatur commotio tineæ vel malitia. Phiton interpretatur os abyssi & significat cupiditatem quæ sicut infernus satiari non potest. Heliopolis interpretatur vrbs solis, & significat superbiam? quid mirum igitur has ædificasse ciuitates dum essent sub Pharaonis imperio, & intenti luteis lateribus? quia qui terrenis & luteis rebus student sub dominio dæmonis, quid aliud operari possunt quam opera auaritiæ, luxuriæ, & superbiæ? præstat hanc veritatem audire à sancto Dorotheo doctrina 13. *Cum essent filij Israel in Aegypto sub Pharaonis seruitute & laterum exercerent, semper in laboribus erant, & solo fixos oculos semper tenebant, sic & anima cum diaboli imperio subiecta erit, fuerit & ex peccati affectione infirma, sapientiam suam conculcauerit; cogitur à diabolo ipso terrena semper & sapere & facere, & spiritualia quæque negligere: ædificarunt sibi deinde filij Israel ex lateribus quos fecerant tres munitissimas ciuitates, scilicet Phito Ramasim & On, quæ est vrbs solis, hę autem sunt luxuria, auaritia, & inanis gloria, ex quibus omne peccatum conficitur.* idem habet Absalon Abb. ser. 4.

S. Dorotheus. Absalon Abbas.

***Impij non vno genere tentationis, sed pluribus iustos exercent.***

*Præposuit eis magistros operum vt affligerent eos.* Sed in quo genere afflictionis? eos ædificare ciuitates constringendo, an hac vnica afflictione contenti? hanc enim solam sacer textus referre videtur, non hac sola sane, sed multiplici eos tyrannice probauerunt, testis est Ioseph lib. 2. antiq. cap. 10. quod est Exodi, *Opprimentes Israelitas studebant illis varias inferre miserias, fluuios namque per multas deriuationes eos diuidere, murosque ciuitatibus ædificare, & fossata circumducere, vt eas inundare fluuius valuisset, & pyramides ædificare præcipiebant, vt nostrum hoc modo genus attererent.* 78

Iosephus.

## *VARIETAS LECT. Vers. 12.*

VVlg. Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & crescebant.

*Pag.* Et quatenus affligebant eũ, catenus multiplicabatur.

*Sep.* Quanto autem eos humiliabant, tanto plures fiebant & inualescebant valde.

*Cald.* Tanto roborabantur, *Onk.* præualebant.

## *CONCORDIA.*

NVllum verbum in Hebræo ad varias significationes ita deductũ quam ענה anah, sed ijs missis, dicemus opprimere, affligere, humiliari, deprimere, interpretari; hinc varietas lectionum.

## EXPOSITIO.

Q*Vanto opprimebant eos*, durissimis subijcientes operibus, crudelissima opprimẽtes seruitute, *Tanto magis multiplicabantur*, filijs & robore, non tamen sine Dei speciali auxilio, natura enim nimio labore & angore desiccata, arctata, & suppressa, tot prolibus generandis humidũ spiritũque vitalem suggerere nequibat, & ideo quo maiori opere & molestia tam corpus quam anima opprimebatur, eo ad generandum erat ineptior natura, & ideo speciali Dei beneficio indigebat vt fœcundaretur.

## CONCEPTVS.

***Quæ natura negat gratia largitur.***

79 Q*Vanto opprimebant eos tanto magis multiplicabantur & crescebant.* Vnde crescebant? vnde multiplicabãtur? an quia exacuebatur naturæ vis, vinidior potentiorque fiebat? an corpus nimio labore & angore desiccatum, arctatum, & suppressum fit fœcundius? non equidem Deus solius naturæ potentiam expectabat, sed gratiam suam adhibebat, quæ concedit à natura negata. accipite D. Cyril. lib. 4. de ador. *cum Pharao malignitate summa conaretur tantum illius gentis prouentum atque incremẽtum cohibere, imposuit eis præfectos operum, vt affligerent eos operibus, sed hoc eius consilium contrarios euentus habuit, nam ea ipsa quæ inferebatur vexatio, occasio illis incrementi fuit cum Deus eam rem sua sapientia moderaretur & Pharaonis astutia gratiam suam opponeret*, expende quid Dominus opponat Pharaoni curanti vt Israel sterilis fiat, nimirum huic Pharaonis astutiæ opponit Dominus gratiam suam, & apposita Dei gratia in multiplicatas segetes fructus exurgunt.

Cyrill.

*Serui Dei persecutionibus crescunt.*

80 *Quanto opprimebant eos tanto magis multiplicabantur*, si diceret quãto magis opprimebant, tanto magis imminuebantur, nullus dubitandi manebat locus. quo enim quis magis oneribus, labore, cruciatu premitur, secundũ naturæ ordinẽ eo magis debilitatur, minuitur, desiccatur. sed non leue facescit negotium, quod oneribus non opprimerentur sed multiplicarentur: at nullum hoc tibi facescat, nam certum est Deo auxiliante, seruos Dei persecutionibus crescere, profero S. Luciferi Calaritani in libro moriendum est pro Dei filio, inuehentis in Cõstantium Imperatorem in Catholicos sæuientem verba,

S. Lucifer.

*Aduertis, quomodo caduca dominatio tua, quanto contra nos sæuire conatur, tanto ea iudicetur esse infirma, contemptibilis, inanis, debilis & abiecta, furore enim & scelere concitata manus tua ad perimendum nos quoties præualuit toties, nos creuisse & magis atque magis victores extitisse meminimus.*

*Vere Deus omnipotens qui miserias facit esse potentes.*

81 *Quanto opprimebant eos tanto magis multiplicabantur*, nonne innumeris eos afficiebant calamitatibus? pluribus vrgebant miserijs, verberibus cruciabant? an ita fœcundæ miseriæ, vt multiplicent & adaugeant? fœcundas dixero, si Deum omnipotentem credidero, qui eas facit esse potentes, teste Cassiod. lib. de anima cap. 19. apto hic verba Prosp. lib. 2. de vocatione gentium cap. 5. *Fremebant gentes, irascebantur populi, sæuiebant Reges & potestates, contradicebant superstitiones & totius mundi reluctabantur errores. sed de resistentibus, furentibus, persequentibus populum suum Christus augebat ac per vincula & supplicia, mortemque sanctorum roborabatur fides, vincebat veritas, perque vniuersum mundum Dominici agri segetis multiplicabatur vbertas*, expende, *roborabatur fides*, vndenam? ex morte, ex vinculis ex supplicijs, & miserijs, quæ Deus omnipotens reddidit potentissima.

Cassiodor. Prosper.

*Persecutio quasi crassitudo Ecclesiæ, eam impinguans & fœcundans.*

82 *Quanto opprimebant eos tanto magis multiplicabantur*, Quã fuerit dura, acerba, atque intolerabilis illa Hebræorum in Ægypto oppressio. Philo lib. 1. de vita Moysis ita declarat. Hebræos qui relictis patrijs sedibus in Ægyptum se contulerant, vt eam secure incolerent, tanquam alteram patriam, Rex indigna seruitute subiugabat, quasi iure belli captiuos, aut emptos de lapide, cogebatque ad opera seruilia homines non solum ingenuos, verum etiam hospites supplices, inquilinos, nihil veritus numen, cui exosæ sunt id genus iniuriæ: ad hæc imperabat eis grauiora quam ferre possent, alios super alios labores cumulans: si quis labori ob infirmitatem se subtraheret, capitalis noxa iudicabatur, operibus præerat immitissimus quisque ac crudelissimus, quos exactores operum appellabant, ab hoc officio, operabantur autem partim lutum formando in lateres, partim in comportando paleas, nam paleis cohærent lateres: alij iussi sunt publica & priuata ædificia extruere, fossasque fodere, dies noctesque conuehendo materiam, sine intermissione, nec tãtisper permissi quiescere, dum somno se reficerent & ipsi ministrorum simul & opificum præstabant operas, vt breui primum animi, mox & corpora deficerent: itaque alij post alios emoriebantur pestilentia, quos insepultos ejiciebant extra terminos, nec humo sinentes corpora tegi, nec lachrymis cognatos aut amicos tam misere mortuos prosequi, adeo etiã affectibus animi, quos pœna solos natura fecit liberos iugum imponebant homines impij premendo eos, necessitate grauissima, hæc ille: si ergo varijs laboribus conterebantur, si iniquis vexationibus premebantur vsque ad interitum, quomodo multiplicabantur? quia persecutio eis illata erat sicut crassitudo, quæ magis populum Israëliticũ impinguabat, & ideo magis fœcundabat. hanc veritatem illustrat D. Aug. explicans illa verba Psal. 140. vers. 7. audierunt verba mea, quoniã potuerunt, sicut crassitudo terræ erupta est super terram, ait, *& quid factum est de mortibus sanctorum? sicut crassitudo terræ disrupta est super terram; quid est crassitudo terræ? nouimus crassitudinem terræ contemptibilia quæque esse, quæ sunt quasi contemptibilia hominibus fœcundant terram, non dictum est in quodam Psal. iacuisse carnes sanctorum & non fuit qui sepeliret, sed illæ omnes mortes factæ sunt crassitudo terræ, quomodo accipit terram, quandam pinguedinem de rebus contemptibilibus & abiectis, sic ex eo quod contempsit hic mundus, accepit crassitudinem terræ vt inde segetes Ecclesiæ feracius pullularent.*

Philo. August. Psalm. 140. Psalm. 78.

*Quos Deus prædicit victores, non superantur.*

83 *Quanto opprimebant eos tãto magis multiplicabantur*, nonne medijs, omnibus conantur Ægyptij populum Israël delere, nonne eis sunt potentiores, cum auctoritate regia hanc oppressionem imperante præualeant? quomodo tanto dolori non succumbunt, imo superiores euadunt? quia quos Deus victores futuros prædixerat, victi non superantur, *Consimili præcepit rex impius* inquit D. Aug. ser. 89. de temp. *Hebræos luto, latere, paleis denegatis, vt tandem afflicti sibi illum contingeret, Ægyptij non valerent resistere ciuitatis: leuantur machinæ vsque ad cœlum, turres eminẽt, & aptissime construunt, fabricant non quod deessent ædificia ciuitati, sed populum perire quærebat. qui diuino fauore pollebat, augetur populus dum opprimitur, & dum putas minui, quotidie crescit, plus insequitur, quasi posset vincere quos diuina maiestas prædixerat esse victores.*

S. August.

*Ficti amici occasione oblata in offensissimos euadunt inimicos.*

84 *Quanto opprimebant eos tanto magis multiplicabantur*, nonne populi Israëlitici amicos se esse profitebantur? nonne honore eum prosequebantur? nonne varijs eos deuinciebant beneficijs? quomodo ita eorum cor immutatur vt vsque ad internecionem eum opprimant? aduerte

Æ gyptium populum fictum fuisse Israëlitarum amicum: ne mireris igitur in infensissimum, occasione oblata nocendi, inimicum euasisse: quod obseruat Incognitus in Psal. 104. explicans hunc versũ, Et auxit populũ suum vehementer, & firmauit super eum inimicos eius, *Notandum* (inquit) *quod filij Israel quandiu vixit Ioseph, qui dominabatur in Aegypto, propter ipsius Ioseph potestatem fratres eius ab omnibus alijs Aegyptijs timebantur, & honorabantur, & quia tamen Aegyptij hoc faciebant non amore, ideo corde eis maledicebant, quibus ore benedicebant: propter quod etsi apparenter amici erant, tamen erant realiter inimici, & hoc est quod ait, & confirmauit eum super inimicos eius, scilicet quandiu vixit Ioseph, propter quod statim eo mortuo Aegyptij aperte ostenderunt se inimicos eorum, vt habetur Exodi primo.*

Incognit. in Psal. 104.

A

### *Maior est bonitas Dei ad protegendum, quam potentia diaboli ad impugnandum.*

B

85 *Quanto magis opprimebant eos tanto magis multiplicabantur,* nonne omnem adhibuit conatum non solum Pharao, sed etiam diabolus cum eo, vt omnino populum Israëliticum opprimeret, ac ad internecionem deleret? quomodo vterque ita viribus destitutus, ita robore infirmus, vt aduersus vtrumque Dei præualeret populus, & multitudine & virtute? quia longe maior est Dei bonitas ad suos protegendos, quam quæcumque potentia etiam diaboli, ad eos impugnandos. quod vtiliter premit S. Cyp. tract. de exhort. martyr. cap. 10. *Timendas non esse iniurias & pœnas persecutorum, quia maior est Dominus ad protegendum quam diabolus ad impugnandum, Ioanne in Epist. sua probat, maior est qui in nobis est quam qui in isto mundo: item in Exodo declarat diuina scriptura pressuris multiplicari nos potius & augeri, dicens quantoque eos deprimebant, tanto plures fiebant & inualescebant magis.*

S. Cyprianus.

1. Ioann. 4.

C

### *Virtus in infirmitate perficitur.*

*Quanto magis opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur,* Iudæi miseri extruendis mœnibus, muniendis ciuitatibus laborabant ædificandis, sed hic labor alio longe grauiore multiplicabatur, ad infinitam enim laterum multitudinem conficiendam adigebantur, quoniam lateribus pro saxis vti conditores turris Babylonicæ vtebantur, itaque ad fornaces laterarias, atque calcarias, tetri, aridi, seminudi, dies noctesque versabantur, vt maximum quendam numerum explerent, imo coacti fuere miseri fæces ac stercora ex vrbibus euertere, & cophinis impetita suis deferre humeris: ad magnitudinem laboris accedebant plagæ, quibus feruilem in morem afficiebantur, nisi diurnum pensum licet iniquissimum quotidie persoluerent, non enim propositum eis erat opus, sed vitam miseris extorquere, cum de industria opus exigerent, quod illi explere non poterant. quamuis autem plerique in tota Ægypto paleis cõquirendis excursarẽt, aliquos tamen ferreis catenis oneratos, alligatosq; fuisse in Leuitico significatur, vbi Dominus cap. 26. ego Deus vester qui confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis erecti, quæ pœna fortasse fugitiuorum fuit, aut eorum qui ob delictum aliquod rapiebantur ad flagrum, aut eorum qui ex vno loco in alium operis conficiendi causa circumferebantur. illud autem erat acerbissimum quod flagri pœna non infimæ plebi aut capite censis ferebatur, sed etiam ijs qui præerant operibus filiorum Israël, præcipuis scilicet Hebræorum, qui quasi prolætarij ad hanc militiam dirumque tyrocinium trahebantur, in quo tam crudeliter cædebantur, vt plerique sub verberibus animam exhalarent: si ergo tanta opprimebantur tyrannide, quomodo non omnino succumbebant, imo magis multiplicabantur? & crescebant? *Virtus enim* inquit Petrus Carnotensis in expositione Biblior. (quæ in manuscriptis codicibus habeo) ad hunc vers. *in infirmitate perficitur, & cum infirmus sum, tunc fortior sum & potens.*

Leuit. 26.

Petrus Carnotensis.



## *VARIETAS LECT. Vers. 13.*

D

**V***ulg.* Oderantque filios Israël Ægyptij, & affligentes illudebant eis.

*Sep.* Et abhorrebant Ægyptij à filijs Israël, & opprimebant Ægyptij filios Israël vehementer.

*Cald.* Et tribulatio erat Ægyptijs propter filios Israël, & seruire fecerunt Ægyptij filios Israel duriter.

*Onk.* Et anxij erant Ægyptii propter filios Israel, & seruire fecerunt Ægyptii filios Israel cum seruitute.

*Pag.* Et angustijs afficiebantur propter filios Israel.

*Oleast.* Spinis puncti sunt Ægyptii à facie filiorum Israel, & faciebant eos seruire cum superbio.

*Caiet.* Et fecerunt seruire filios Israel cum confractione.

*Lippom.* Et nauseam habuerunt à facie filiorum Israel.

*Alij* Tædio afficiebantur propter filios Israel.

*Alij* Tædebat eos vitæ propter filios Israel.

*Alij* Stomachabantur in filios Israel.

CONCORDIA.

## CONCORDIA.

QVod noster vertit vulg. oderantque filios Israël Ægyptij, Hebr. habet ויקצו מפני בני ישראל vaiacutzu mipene bene Israël, sed recte vertit, nã ex odio filiorũ Israël ad nauseã eorũ veniunt, angebantur, excarnificabantur, tædio afficiebantur, est autem קוץ kuts pungi vel configi A vnde & koch spinam significat, quia pungit, quasi dicat configebantur Ægyptij dolore, præ fœcunditate Hebræorum, aduerte quod פרך duritiem, sæuitiam, rigorem, confractionem significat.

## EXPOSITIO.

ODerantque filios Israël Ægyptij, Tum ob cultus & morum disparitatem, tum quod omnium pastores, quales Hebræi erant, inueterato odio persequebantur, & eos despicerent, tum denique quod Ioseph omnem terram Ægypti, quam in tritici pretium acceperat, in regiam seruitu- B tem redegisset: Hebræi autem absque talibus tributis degebant, *& affligentes illudebant eis*, hoc est tyrannicè eos quasi mancipia tractarunt & exercuerunt, nam summa tyrannis est & sæuitia, ei quem opprimis, illudere.

## CONCEPTVS.

*Odium ex inuidia.*

87 O*Derantque filios Israël Ægyptij*, Vndenam originẽ habuit hoc Ægyptiorũ in Israelitas odium? quis suos odio prosequi potest benefactores? quot autem saltem ab eorum progenitore beneficia accepit tota Ægyptus? vel an aliquam ab eis accepit iniuriam vel damnum? non legimus, an aliquas ei struxere insidias quamuis potentes viribus & magnitudine animi eis non inferiores? nequaquam: vndenã igitur huiusmodi odium? dices ex morum dissimilitudine, ex religionis varie-

Lyranus. tate, attamen respondet noster Lyranus, *istud odium oriebatur ex inuidia.*

*Ita ingratus peccator, vt conspectis beneficiis magis indurescat in malo.*

*Oderantque filios Israël Ægyptij*. Huius odij

Psalm 104. memor regius vates Psal. 104. ait, conuertit cor eorum vt odirent populũ eius: quid? an hoc dicens impios iustificat odientes? an eorũ excusat odiũ? an cor eorũ de bono conuertit in malũ? nunquid intelligendũ & credendũ Deum cor hominis ad facienda mala cõuertere? an peccatũ non est vel leue malũ est odisse populum Dei, & dolũ facere in seruos eius? nõ vtique, quis hoc dixerit? num tã grauiũ peccatorũ est Deus qui nullius vel leuissimi auctor, credendus est? quid ergo dicemus? D.

D. August. Aug. in hunc Psal. satisfacientem audiamus, *ipsa est illa admirabilis bonitas, per quã etiam bene vtitur malis, vel Angelis, vel hominibus, cũ enim vitio suo mali sint, ille de malo eorum benefacit, non enim antequam odissent populum eius boni erant, sed maligni & impij cum essent, facile incolis suis fœlicibus inuiderunt, in eo ergo quod populum suum multiplicauit, hoc beneficio suo malos ad inuidendum conuertit, inuidia enim est odium fœlicitatis alienæ: non itaque cor illorum malũ faciẽdo, sed populo suo benefaciendo cor illorum sponte malum conuertit ad odium. non enim illos malos faciendo, sed ipsis, bona quibus mali facillime possent inuidere largiendo incitasse dicitur ad odium, quo tamen illorum odio & ad exercitationem populi sui & ad gloriam nominis sui, quomodo Deus fit vsus consequentia docent quæ in eius laude commemorantur cum cantatur alleluia.* Ait ergo D. August. dici Deum conuertisse D. August.

vel mutasse cor Ægyptiorum in odium Hebreorum, non per se, quasi tale odium infunderet illis, & efficienter vel ad id voluntatẽ eorũ inclinasset, sed occasionaliter, occasione tamen ab illis male accepta, prosperitas enim quam tribuit Hebræis, mouit Ægyptios ad odium & inuidiam Hebræorum.

*Peccatum aliquando pœna peccati.*

*Oderãt filios Israël Ægyptij*. Cuius odij aucto- 89

C rem fuisse Deum innuit (vt videtur) regius psalmista, conuertit cor eorum vt odirẽt eum; si enim ad huiusmodi odium cor eorum conuertit, & eo inuitatore commissum est, sane pro peccato haberi non debet: cur igitur Deus id operatur? non operatur quidem effectiue, sed permissiue, permittens eos in hoc odium incidisse in pœnam suę ingratitudinis & inuidiæ, ita Ruper. lib. 1. cap. 5. Rupertus Abbas.

*Hoc dixisse sufficiat, quod lutosam illorum gratiam in qua dudum Israël exceperant, propter Ioseph, fœlicium aduenarum, ita splendor vssit, vt in odij duritiem conuerteret, & vt meritam illis pœnam tribueret Deus, vt quia non solum non compatiendo, verum etiam illudendo affligebant eos, idcirco quemadmodum illa luti & lateris opera prius mollia, deinde coquente igne fiebant dura, sic eorum cor-*

D *da paulatim æterna indurarentur impœnitentia.*

*Odium magis odientem, quam exosum cruciat,*

*Oderant filios Israël Ægyptij*. Aliorum lectio-

90 nem consideremus, Cald. *Tribulatio erat Ægyptijs propter filios Israël.* Pag. *angustiis afficiebantur.* Oleast. *spinis puncti sunt Ægyptij à facie filiorum Israel*, Quis non diceret Israelitas spinis expunctos, non autem Ægyptios, cum omni gauderent prosperitate, illi autem omnimoda opprimerentur aduersitate? en tamen ipsi pungentur acerbissimis spinis Ægyptij odientes Israelitas, vt notum sit omnibus odium ipsum magis odientem quam exosum cruciare & torquere *tanto odio eos prosequebantur* (inquit Oleast.) Oleast.

& torquere: *tanto odio eos prosequebantur* (inquit Oleast. Oleast.) *vt cum eos viderent quasi aculeis pungebãtur.* D. Ambros. Sed D. Ambros. precatione ad Missam prece 2. *O mala progenies quæ si animo intromissa dominari cœperit, omnem sanctitatis sobolem extinguit, qui itaque alium odit non alium prinsquam seipsum occidit, qui exultat in aduersis proximi & affligitur in prosperis eius, alieno proximum se petit gladio,* D. Gregor. & D. Greg. lib. 10. Moral. cap. 18. *seruatus contra proximum dolor occidit, menti namque veluti gladius figitur, & mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur.*

*Odium inter vitia maxime graue.*

91 *Oderant filios Israël Ægyptij.* Nonne persecutionem & tyrannicam Ægyptiorum oppressionem aduersus Israëlitas referebant? quis autem ignorat hanc non ex amore, sed ex odio originem habere? cur ergo memorat odium eorum? vt intelligeremus non quocumque delicto in Israëlitas deliquisse, sed omnium maximo nempe odio, D. Ephrem. *quemadmodum enim* (D. Ephrem. inquit in interrogat.) *omniũ virtutũ excellentissima est charitas, ita vniuersorum vitiorum grauissimum est odisse proximũ, nã qui fratrem suũ odit homicida est, &c.*

*Nihil irrisione grauius & intolerabilius.*

92 *Oderant filios Israël Ægyptij, & affligentes illudebant eis.* Cur quæso memorato Ægyptiorum odio in Israëlitas, eorum tyrannide & oppressione relatis, illusionem & irrisionem in medium proponit? si enim irrisio est quid leue si conferatur cum odio vel oppressione, cur tanquam quid graue post alia grauissima refertur? quia sane nihil irrisione grauius & intolerabilius, Cassianus. *Leuius tolerantur inimicorũ vulnera,* inquit Cassian. Coll. 6. ca. 18. *quã irridentiũ subdola blãdimẽta, de quibus* Psalm. 54. *proprie dicitur per Prophetam* Psal. 54. *molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula, &* Proverb. 18. *alibi,* Prouerb. 18. *verba callidorum mollia hæc autem feriunt in penetralia ventris.*

*Impius cultum veri Dei ferre non potest.*

93 *Oderant filios Israël Ægyptij,* in quod principium huiusmodi odium referendum? an in iniurias ab Israëlitis acceptas? non equidem: cur igitur odio prosequuntur eos? nonne dissimiles erãt in cultu Dei, idolis seruientes Ægyptij, Israëlitæ vero numini? ne inquiramus igitur huius odij originem, quia impius veri Dei cultum ferre minime potest: hanc assignat rationem Ioseph lib. 1. con- Iosephus. tra Appionem, *sacrorum diuersitas multas inter eos fecit inimicitias, in tantum præstantiore nostra pietate, quam solemnitates illorũ, quantũ Dei natura animalibus rationalibus sine dubitatione præstat.*

*In afflictionibus consolationem habeamus.*

94 *Oderant filios Israël Ægyptij.* Ex quo odio deducti sunt omnes illati Israëlitis labores; sed nonne animo intus defecerunt? nonne in discrimen desperationis prolapsi sunt? antequam satisfaciamus quid dicat regius Vates de hoc odio videamus, Psal. 104. conuertit cor eorum vt odirent eum, quis conuertit cor eorum? Deus; cur ergo medijs in laboribus deficerent? cur præ ærumnis & miserijs in desperationem laberentur, cum Deo specialiter id permittente eis contigerit? *abolita quidem ab ingratissimis Ægyptiorum cordibus* (inquit Baptista Folengius) Baptista Folengius. *prima illa beneuolentiæ memoria, pessimo incitantur odio contra Dei populum, fallacijsque ac dolis pacem illam antiquam interturbãt, verum hæc Domino auctore qui in suos interdum electos, imo plane semper qui illos vexent immittere consuescit, at illud summa animi consolatione auditur, quod Deus est qui hoc fieri permittit, imo etiam nostram ad probationem promouet.*

*Impij in iustos intumescunt, cum ea habere non possunt quæ ipsi consequuntur.*

*Oderant filios Israël Ægyptij,* Et ideo eis grauissimæ subiecere seruituti: quid in vos commisere Hebræi? nihil equidem, sed à Deo varia accepere beneficia, itaut opulentissimi euaserint: an acceptum à Deo donum vestrum in eos odium concitare debuit? imo potius lætitiam; cõceptum ergo contra eos odium deponite: ita impij sunt vt in eos intumescant, quia ea obtinere non possunt quæ ipsi consequuntur. fauet Cassiod. in Psalm. Cassiod. 104. *Præstando fœlicia populo Israëlitico conuertit Dominus ad odium & dolos cor Ægyptiorum, non quia ipse mali auctor est, scilicet præstando alijs beneficia mentes excitauit obliquas, necesse est enim vt scelerati homines alienis prosperis intumescant, qui se norunt mereri non posse similia.* 95

*In nostram affligimur vtilitatem.*

*Oderant filios Israël Ægyptij, & affligentes illudebant eis.* Cur populũ tibi selectum, aduersarijs suis prosperãtibus, tot ærũnis opprimi permittis? 96 Nonne pacifice in Ægypto tuo protegente eos auxilio in delitijs licitis, & in suarũ abũdantia facultatũ cõmorari potuerunt? quis habens amicitiæ vinculo coniunctum, quem à calamitate liberare valeat, sine suo damno non eripiat? eripe ergo à tot ærumnis populum tibi obsequẽtem; imo in suam affligit vtilitatem, vt oppressus tot miserijs, toto affectu feratur ad possidendam terram promissionis, ita auct. Cat. Græc. Auctor Catena Græc. *Quo numerus Hebræorum erat maior, in dies tanto magis inuidia & odium Ægyptiorum concitabatur, in qua re Deus facile conniuebat, vt Ægyptiorum simul & eorum superstitionis pertæsos Hebræos libenter ex Ægypto tanquam ex ergastulo secederet, quod nõ fecissent si delitiis emolliti regionis in perpetuo otio vixissent.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 14.*

*Vulg.* Atq; ad amaritudinẽ perducebãt vitã eorũ operibus duris luti & lateris, omnique famulatu quo in terræ operibus premebantur.

*Sep.* Et amaram faciebant eorum vitam in operibus duris, luto &, opere lateritio, & omnibus operibus quæ in campis secundum omnia

opera, quibus seruiliter premebat eos cum violentia.

*Cald.* Et ad amaritudinem perduxerunt vitam eorum in seruitute dura, in luto, & in lateribus, & in omni seruitute, & in agro, in omnibus operibus suis quibus eos grauiter seruire fecerunt.

A *Onk.* Omnis seruitus eorum, qua eos sibi seruire faciebant, dura erat, *Alij*, tyrannica.

*Alij.* Afflixerunt eorum vitam in operibus duris.

*Procop.* Excarnificabant vitam eorum &c.

## CONCORDIA.

IN Hebræo est וימררו חייהם vaimarru haiechamà verbo autem מרר marar deriuatum est nomen מרים mariam quo appellata postmodum Maria soror Mosis, quasi amaritudo, eo quod circa tempus huius oppressionis & maximum B eius rigorem ipsa nata sit Sep. ἐ κατεδυνάστευον αὐτῶν τὴν ζωὴν pertinet autem κατοδύνας ad acerbissimos acutissimosque dolores, qui in scriptura prouerbij loco positi vsurpari solent, vnde bene Procopius vertit excarnificabant eos.

## EXPOSITIO.

ATque *ad amaritudinem perducebant animam eorum* tantis oneribus, quæ tolerari minime possent, eos premebant, mortem vita eligibiliorem ducerent tanquam malorum præsentium terminum, *operibus duris luti & lateris* ad infinitam enim laterum multitudinem conficiendam adigebantur, quoniam lateribus pro saxis vti conditores turris Babylonicæ vtebantur, nec non coacti fuere miseri fæces, & stercora ex nobilibus euertere, & cophinis imposita suis ferre humeris, vocat autem huiusmodi opera dura non solum propter immensum laborem, quo in conficiendis lateribus, & in exportandis fæcibus luteis cruciabantur, sed quia ad magnitudinem laboris accedebant plagæ, quibus seruilem in morem afficiebantur, nisi diurnum pensum licet iniquissimum quotidie persoluerent, *omnique famulatu quo in terræ operibus premebantur.* eorum opera in omni opere non solum domestico, sed etiam rurali, inclementi quidē & nimis dura seruitute, & sine vlla misericordia vtebantur.

## CONCEPTVS.

### *Cupiditas bonorum temporalium insatiabilis.*

197 AD *amaritudinem perducebant animam eorum operibus duris luti & lateris*, Expendamus quæ opera à diuino spiritu vocentur dura, nimirum opera adhibita conficiendo luteo lateri, quibus operibus Israëlitæ maxime premebantur: & quidem si Israelitæ addicti essent marmoribus excauandis, contundendo calybi, non mirarer quod dicerentur oppressi operibus duris, at quando luteis lateribus conficiendis instent, cur in iis duritiem operum adeo diuinus spiritus exaggerat? inuehebat diuinus spiritus in iis duritiem vitæ, qua misere premuntur homines sub insatiabili diuitias habendi cupiditate: quod apprime exprimitur in forma lutei lateris, proponitur enim in medio lignea forma quæ luto impletur, & impleta non finitur sic esse, sed protinus vacuatur, vt rursus alio luto impleatur; quid similius pecunias desiderantibus? nunquam miseri quiescunt, sed cum primum vt lateritia forma luto alicuius lucri temporalis implentur, statim festinant vacuare in arca recondentes, & alia impleri, quod quidem durissimum est vitæ genus de quo D. Gregor. Nissen. in vita Moysis ait, *quemadmodum laterum fictor aliud atque aliud lutum formæ, qua lateres figurat imponit, adeo ut forma plena semper, & vacua luti semper dici possit, quoniam cum hoc receperit atque formauerit, nullus amplius vsus ipsius ad hoc est. sed aliud ad quod* C *vacua est: sic appetendi vis, si quis eam his terrenis cupiditatibus replere studeat, & si quod in dies cupit, assequatur, eoque se repleat, vacua tamē semper est, cum ea quæ habuit respuat & in aliud atque aliud continue feratur, nec finis miserrimi ardoris esse potest, nisi quis carnalem vitam repellat.* Siccine affliguntur sub insatiabili habendi desiderio, qui operibus luti dant operam, qui terrenis & caducis inhiant bonis, nunquam quiescunt, sed vt laterum forma in perpetuo sunt motu, vt & vacuari & impleri semper possint.

Gregor. Nissen.

### *Frustranea sunt lauacra Iudæorum ad abluendas peccatorum sordes.*

*Ad amaritudinem prouocabant animam eorum* 198
D *operibus duris luti & lateris.* Ad fornaces latericias atque calcarias totos dies noctesque versabantur, itaut ad eos abluendos fontes nec flumina sufficerent: ad quod respiciens Diuus Gaudent. tract. 9. in Exod. ait, *non possum parcere transiens purificationi Judæorum immundæ, lauant polluta corpora, semper lauant, semper immundi sunt, & vt dici solet laterem lauant, illum laterem quem parauerunt in Ægypto Pharaoni diabolo exhibentes, seipsos arma iniquitatis peccato, ad constructionem hostilium ciuitatum, terreni enim sunt & igneo spiritus sancti calore nequaquā solidati, quapropter vsquequo deliquescant in mortē, laterem suū non desinunt*

D. Gaudent.

*Lauare polluendum.* Cur semper immundi etiamsi semper se abluant? nam aqua sordes contractas purificat, ita sordes corporis, non animæ, & sic Iudæus laborat si lauacrorum frequentia putat abluēdas sordes Ægyptias, quas animo infixas & inueteratas habet, nulla enim flumina ei sufficiēt, vt se lauet, imo inter ipsas lotiones sic sordebit quasi laterem lauaret.

*Dæmon consuetudine peccandi nos opprimit.*

99 *Ad amaritudinē prouocabant animam eorum operibus duris luti & lateris.* Vide quæso, quo opere opprimebant Ægyptij Israëlitas, nimirum operibus luti & lateris, idest conficiendis, siccandis, coquendis lateribus: cur Pharao hoc omnium operum, Israëlitis grauissimum imponit? quia Diabolus, cuius typum gerebat, hoc etiam grauissimum onus hominibus imponit, vt non modo lateres conficiant, sed & igne obdurent, & in modum lapidum rigeant, & accipiant firmitatem: impellit enim vt non modo peccent, sed & consuetudine peccandi obdurescant. hoc Philo pro nobis exponit lib. de confusione linguarum, verba Philonis subscribo, *inducuntur autem hos lateres igni coquere, quod significat affectus ac vitia calido molitoque sermone firmari, ne à sapientiæ satellitibus deleri possint, qui semper moliūtur perniciem.*

Philo. Alexand.

100 *Nulla intolerabilior iactura quam libertatis.*

*Ad amaritudinem prouocabant animam eorum operibus duris luti & lateris.* Quæ maior seruitus quā tyrannide cogere homines ingenuos (quales erant Israëlitæ) vilissimo operi, luteis lateribus coquendis, imo & luto ex locis publicis vehendo, & proprijs humeris asportando? sed an solius libertatis iacturam fecere? non credo, imo & facultatum, etiam quas vi ab eis Ægyptij extorquebant vel surripiebant, quomodo ergo non fit memoria huiusmodi iacturæ, sed solum libertatis? quomodo non conqueruntur de perditis facultatibus, sed solum durissimam seruitutem memorant? quia sane nulla intolerabilior est iactura quam libertatis: nihil seruitute intolerabilius. videndus hac de re Philo lib. 1. de vita Moys. dicens, *nec est par iactura libertatis & pecuniæ, cum nemo sanus non malit vitæ quam libertatis adire periculum.* Similia habet in lib. quod omnis probus sit liber.

Philo, Iudæus.

*Labor & afflictio in cælum mutatur, nec non in lapides pretiosos.*

101 *Ad amaritudinem prouocabant animam eorum operibus duris luti & lateris*, Consulamus quæso locum Exod. 24. num. 10. vbi Deus in gloria sua & maiestate apparuit Moysi, Aaroni, Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus populi, sub pedibus autē eius erat quasi opus lapidis Saphirini, sic enim habet textus, viderunt autem Deum Israël & sub pedibus eius quasi opus lapidis Saphirini, & quasi cælum cum serenum est: sed Septuaginta sic habent: viderunt locum vbi steterat Deus, & quæ sub pedibus eius, sicut opus lateris Saphiri, & sicut species firmamenti cæli, ipsa puritate: imo & plures ex Hebræo ita legunt, nempe pro lapide Saphirino laterem Saphirinum: quid hoc est? nonne Saphirus lapis est pretiosissimus, coloris cælici, aut cerulei, & aureis punctis distinctus? later autem vilissimus, ex luto, paleis cōfectus? quomodo ergo fieri potest, quod lapis ille pretiosus sit later? quidni? cum afflictiones & ærumnæ populi Israëlitici denotatæ lateribus, quibus conficiendis dure vexabantur, in lapides pretiosissimos & cælicos, sint, adepta libertate, commutatæ? *Dicunt Hebræi* (inquit Oleast. in cap. 24. Exod.) *Deum laterem eis sub pedibus ostendisse, vt scirent quod ex populo seruili populus diuinus & liber facti essent, itaut lutum illud in quo operati erant in Aegypto, in pretiosissimum lapidem mutatum esset.* Idem Oleast. in annot. ad mores, *premebantur inquit scriptura, Dei filij scilicet Israel in Aegypto operibus duris luti & lateris, nunc vero laterē quo anxie premebantur, pretiosum videt splendere sub pedibus Dei, vt discas quid valeant sudores, labores & quæcumque mala propter Deum perpessa lutosa & lateritia ac immūda tibi videbuntur, & his qui terrena sapiunt: sed apud Deum pretiosi lapides sunt quibus sedes eius decoratur! expende ergo quanti Deus faciet hæc, visi sunt oculis insipientium mori & insensati vitam eorum æstimabamus insaniam, sed illi in pace sunt, & lutum laboris illum in saphirum versum est & margaritum.* Sapien. 3.

Exod. 24.

*Deus gloriosum & præpotentem se credit cum suorum libertatem & salutem consequitur.*

*Ad amaritudinem prouocabant animam eorum operibus duris luti & lateris.* Diximus huiusmodi lutum & lateres mutata in pretiosissimos lapides & saphiros, iuxta illud Exod. 24. viderunt Deum Israël & sub pedibus eius quasi opus lapidis saphirini ex heb. quasi opus lateris saphirini, & quasi cælum cum serenum est: ecce ergo Deus libertatem populo suo restituit, cum à tyrannide Pharaonis eripuit, lateres quibus conficiendis opprimebatur, pro gloriæ stemmate in sede ac throno maiestatis suæ collocat: cur vt se præpotentem ac gloriosum ostentet, suppositos lateres suis pedibus exhibet? vt se præpotentem ostendat infinita Angelorum multitudine se accingat, vt gloriosum gloria sua se circumdet, ornat se lateribus pro gloria, quia suorum salutem & libertatem reputat gloriam suam & magnificentiam. hoc confirmat locus ille Psal 94. vbi Christum Dominū celebrās ait, saluabit sibi dextera eius. quæ verba de nostra salute interpretatur Basil. dicēs *hominum salutem virtutis ipsius opus esse dicit, immensa vero benignitate vsus, mortalium vitam suum dicit esse emolumentum propterea non dixit saluabit, sed saluabit sibi.* (Basilio accedit Theodor. dum sic ait, *immensa benignitate vtens suum quæstum hominū vitā dixit, propterea dixit nō saluabit ipsum dextera eius, sed saluabit ipse sibi*, quę expositiones optime ostendunt in casu dandi sibi veluti commodum & vtilitatem Deo prouenire ex nostra salute quam ipse maxime curat. 102

Exod. 24. Psal. 94. Basilius Mag.

*Mors optabilior est vita ærumnosa.*

*Ad amaritudinem prouocabant animā eorum operibus duris luti & lateris.* Si innatum est hominibus, imo & omnibus viuentibus, vitam diuturnissimam conseruare, quomodo vitam suam 103

ad amaritudinem prouocant Israëlitæ itaut eos illius tædeat? quia longe optabilior est mors vita ærumnis & calamitatibus referta, *tantum premebantur laboribus* (inquit Abul.) *quod vitam suam exosam haberent, & amaro animo viuentes quietam mortem laboriosæ præponerent.* Abulens.

## *Quam misera & dura peccati seruitus.*

104. *Ad amaritudinem prouocabant animam eorum operibus duris luti & lateris*, sane hæc omnia contingebant in figura populo Iudæorum, scripta autem sunt propter nos, quod in illis carnaliter figurabatur, in nobis spiritualiter adimpletur: sed si spiritualiter intelligenda veniunt, quomodo qui tyranni Pharaonis nempe Tartarei Principis subijciuntur, ad amaritudinem prouocatur anima eorum? nam impij in viis suis prosperantur, abundāt diuitijs omnigenis fruuntur voluptatibus, nihil mœstum, nihil triste perferunt, læti vitam transigūt: sed falleris, miserrima enim eorū est conditio, *Postquam enim* (inquit Cyrill. Alex. cit. à Lip.) *graui atque exitiali domino Sathanæ subiecti sumus, luto & laterum coctione contriti sumus, hoc est noxijs circa terram studiis non sine dolore impensis, neque enim à laboribus liber est, qui huiusce vitæ studiis vanis licet atque inutilibus distractus est*: & Procop. *relata sub violentas Pharaonis manus, luto efodiendo lateribusque parandis, grauiter afflicti sumus, per lutum & lateres nimirum accipienda sunt studia & solicitudines sæculi & reliqua humanæ vitæ instituta, quæ magno cum labore nec sine sudore peraguntur, præsentis enim vitæ curriculum plurimis obnoxium est laboribus.* Cyrill. Alex. Procopius.

## *Nihil grauius & onerosius peccato.*

105. *Ad amaritudinem prouocabant animam eorum in operibus duris luti & lateris*, quibus eos tyrannice premebant & crudeliter opprimebant. si de Tyrannica dæmonis in peccatores seruitute hoc spiritualiter intelligimus quibus oneribus eos opprimunt? grauia enim onera eis non videntur imponere, sed leuissima, vt eos ad suum prouocent obsequium: sed si peccata in eis qui Pharaoni Tartareo obsequuntur, consideres, grauissima dices, quid enim grauius & onerosius peccato, teste D. Chrysost. hom. 1. de pœnit. *nihil onerosius inquit graue atque portatu difficile quā peccatum, propterea & Zacharias id plumbi figurauit similitudine: Dauid vero describit eius naturam dicens, iniquitates sunt supergressæ caput meum & sicut onus graue grauatæ sunt super me* Psal 37. *Christus autem ad eos qui in peccato vixerant dixit.* Matth. 21. *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiā vos.* S. Chrysost. Zachar. 5. Psal. 37. Matth. 21.

illud autem probat de Iona in naui cuius vasa licet proijcerentur in mare non alleuiabatur, & ait *ipsum ergo peccatum & scaphum tunc grauabat & perfundari cogebat.*

## *Diabolus iustos persequitur, non iniustos.*

106. *Ad amaritudinem prouocabant animam eorum operibus duris*, Ægyptij Israëlitas, sed vt minuerent aliquando laborem Israëlitarum, cur Ægyptij ad huiusmodi opera non rapiuntur? cur eis non præficiuntur præfecti operum, sicut & Hebræis vt ad lateres conficiendos impellant? non dubitas quin huiusmodi præfectis intelligantur dæmones, sicut & Ægyptij iniusti & improbi, Israëlitis autem iusti & pij: quid mirum igitur à Pharaone solis Hebræis, non autem Ægyptijs præfici magistros operum? quia diabolus per se aut suos magistros, cum sui sint iuris, nō persequitur, sed pios: id testatur D. August. *Certum est quia quomodo tunc Ægyptij filios Israel multis tribulationibus ad amaritudinem perducebant, luto & lateribus eos affligentes, sic in hoc tempore diabolus & eius Angeli fideles christianos & bonis operibus deditos, impugnare vel inquietare non cessant: hoc tamen scitote quia diabolus nō persequitur nisi bonos, malos enim luxuriosos, auaros, & superbos diabolus persequi non consueuit, quia eius iam sunt, & voluntates eius semper faciunt, & in tantum eos non persequitur, vt etiam per illos alios persequatur, malos enim homines diabolus quasi malleos vel flagella habere consueuit: denique non persequitur bonos nisi per malos.* Augustinus serm. 85 de tempore.

## *Deus hominum amantissimus, quippe eos etiam ad bona promouenda compellit.*

107. *Ad amaritudinem prouocabant animam eorum operibus duris* Deo sic permittente, cur permittit adeo grauibus premi oneribus, nonne ipse semet ait, venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos? si ergo oneratos sublevat, cur sua diuina permittente prouidentia, sui premuntur & opprimuntur oneribus? aduerte quod Israëlitæ in Ægypto tot bonis affluentes, ad terrā promissionis pergere noluissent Ægypto contenti: prudenter igitur Deus tamquam hominū amantissimus, suos permittit affligi, vt his ærumnis oppressi, ad alia promouenda bona cōpellat; certum est enim quod Israëlitæ prosperitate Ægyptiaca illecti, in desideriis aliā terrā non habebāt, igitur vt in ipsis desiderium excitaretur terrā Chanaan patribus suis promissam possidendi, eos hac tentatione probari voluit, & ita verum est illud Greg. *mala quæ hic nos premunt ad Deum ire nos compellunt.* Matth. 11. S. Gregor.

## *VARIETAS LECT. Vers. 15. 16.*

*Vulg.* Dixit autem Rex obstetricibus Hebræorum, quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua.

*Vulg.* Præcipiens eis, quando obstetricabitis Hebræos, & partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, interficite eum, si fœmina, reseruate.

*Pag.* Cum obstetricaueritis Hebræos, & videritis super sellas, si filius est interficite eum, si filia est viuat.

*Chald.* Cum obstetricaueritis Hebræas, & videritis super cardinem.

*Oni.* Quando parere facietis Hebræas, & videritis eas in partu.

## CONCORDIA.

EX Hebræo bene verterunt aliqui super cardines, vel aliqui super sellas, sedis autem seu sellę nomine non intelligitur sedes in qua obstetrices puerũ excipiunt vel obstetricãt, vt aliqui opinantur, sed ea in qua puerpera ipso partus tempore sedet reclinata, vel potius vulua ipsa quæ pueri sedes est, nam Hebræa vox אבניים obnaijm dualis numeri est, diciturq; à בנה à bana, quod est ædificauit, vnde בן ben filius quasi ædificatus à parentibus vel ædificans domum parentum, exprimiturque in duali, ad significandum quasi duos vuluæ cardines in quibus proles ædificatur, estque hæc significatio huic loco commoda quia consiliũ Pharaonis pœne explicat; neque enim Pha- A rao intendebat prolem aliquanto tempore viuam seruari, ac post noua crudelitate interimi, sed callida quadam obstetricum vafritie id fieri in ipso partus momento, non quasi per industriam, sed casu & ex ipsa partus difficultate, vt non malitia Regis aut obstetricum, sed naturæ aut maternæ potentiæ defectus videretur, quasi dicat cum אבניים obnaim ostiis vuluæ prolem videritis, inspicite diligenter an fœmina sit vel mas, si mas, curetis suffocatione vel aliqua compressione in ipso partu seu susceptione prolis eum necare: sed hoc bene expressit noster vulgatus cum ait, cum partus tempus aduenerit, in eo enim masculos interficietis.

## EXPOSITIO.

PRæcepit Rex obstetricibus Hebræorum. Probabilius est has obstetrices Ægyptias fuisse, Hebrææ enim facili misericordia omnem prolẽ occultassent, tanquam eiusdem cum ipsis familiæ aut gentis: deinde ex versu 29. videtur idipsum satis colligi, nam nisi Ægyptiæ fuissent, nõ potuissent respondere Regi seu Regis præfectis, Hebræas nõ egere obstetricibus, potuissent enim ij regerere, quid ergo populo vestro vos obstricabimini? nunquid Hebrææ estis, & hactenus Hebræis seruiuistis? *quarum vna vocabatur Sephora, alia Phua.* Iudæis omnibus sine dubio non sufficerent duæ obstetrices, sed hæ præ aliis nominantur, quod illæ essent præcipuæ inter omnes, ex quibus aliæ regiã voluntatem discerent, vel quod hæ nobilioribus Hebræorum familiis assignatæ, à quarum liberis maius regno periculum. *Quando* B *obstetricabitis Hebræas & tempus partus aduenerit,* hic accipitur tempus partus strictissimè, scilicet pro ipsa emissione fœtus à ventre, & hoc experiũtur obstetrices, applicantes manus suas partibus interioribus parturientis, vt admouetur in effusione infantis. *si masculus fuerit*, antequam fœtus in lucem prodeat, obstetrices inter ipsa vasa genitalia cum manibus contrectantes an masculus sit vel fœmina perspicuis cognoscunt argumentis: si masculus ergo fuerit *interficite eum*, ne scilicet gens Hebræorum multiplicaretur, sed omnino deleretur: *si fœmina est reseruate eam*, quia cum huiusmodi sexus sit imbellis & bellis non idoneus gerendis, non timebat Rex, quod si bellum ingrueret fœminæ aduersariis suis coniungerentur. C

## CONCEPTVS.

### *Viri pij aduersa patienter tolerant.*

108 PRæcepit Rex obstetricibus si masculus est, interficite eũ. Nõne iam variis oppressi calamitatibus? nõne diuersis ia satis tẽtati miseriis? cur ergo noua & inaudita premuntur ærumna? quomodo non rebellarunt, sed tot labores sustinuerunt sine murmure? nec enim legimus, se inobedientes iussis Regis exhibuisse, præfectis vel potius tyrannis non obtemperasse: quia viri pij (quales censendi Israëlitæ) aduersa patienter tolerant, quid dico tolerant? imo tribulationum certamine carere timent: ita Guill. Paris. lib. de moribus tract. de spe prope finem, *sicut enim gaudent equi, atque strepunt cum signum eminentis cõflictus audierint, sic & viri sancti huiusmodi gaudio gaudent, cum bellũ tribulationis aduersũ se cõsurgere cognouerũt.* Guillelmus Parisiensis.

### *Impij Tyranni etiam vellent occulte perpetrare scelera.*

109 *Præcepit Rex obstetricibus, si masculus est interficite eum.* Quandonam masculos interficient? cũ tempus partus aduenerit, quid refert vt tuis satisfacere possis desideriis, quod tunc temporis interficiantur? nam quælibet hora morti eorum erit opportuna: diximus in cõcordia hoc tempore partus infantes potuisse suffocari ab obstetricibus, mortis eorũ incognita origine: quid curat Pharao etiãsi cõpertũ sit interitũ eorũ pręcepisse? quia impij, etiãsi tyranni, vellent occulte sua perpetrare scelera. Lipp. *vocatis duabus obstetricibus mandat crudeliter, vt tempore partus in ipsis sellulis super quas mulieres pariunt, masculos Hebræorum clam interficiant.* preme hæc vltima verba, *clam interficiant*, nollet vt sua agnoscerentur scelera, & crudelissimum mandatum. Lipponianus.

### *Astuti & callidi sunt Tyranni.*

D *Præcepit Rex obstetricibus, si masculus est, interficite eum.* Nonne obstetrices aduocatur, vt vitam infantium in discrimine positam conseruent? cur 110 ergo vt eos interficerent, illis præcepit? cur non suis militibus hanc prouinciam demandauit? *nunc calliditas eius* (inquit Orig.) *supereminet, multum cum obstetricum ministerio sobolem gentis conatur extinguere, quarum arte, vita solet seruari:* cum maior Tyranni calliditas potest excogitari, cum ad mortẽ inferendã eligit, quæ vitam conseruare ex charitate imo & ex officio tenentur. Origenes.

*Nullus Tyrannis crudelior.*

111 *Præcepit Rex obstetricibus, si masculus est interficite eum.* Si nondum nati sunt, nondum hac luce fruuntur, cur eam illis adimere moliris? quid in te commisere infantes nondum rationis capaces, cũ iam pœnis solum grauissimis sceleribus debitis subijciuntur? nonne nasci deberent antequam punirentur? nullum seruat ordinem Tyrannus, nam omni immanitate crudelior, *o prodiga*, inquit D. Aug. ser. 89. de tempore. *furoris audacia, necdum natis pœna mandatur, & ante principium vitæ periculum cõcitatur, cohibe nefarie homo tuam insaniã, quos necdum vides i. sequeris, quid scelestius? nondum natos occidis, seruet ordinem feritas tua, nascantur antequam punias.*

D. August.

*Ita cæca Tyrannis, vt infirmiorum auxilium quærat, in suis perpetrandis sceleribus.*

112 *Præcepit Rex obstetricibus, si masculus est interficite eum.* Quis manus conijciet in eos, qui necdũ corpus habent quo capiantur? quis nocebit eis, qui necdum offendere quemquam nouerant, sed tantum vagire didicerant à natura? quorum cum vita simul effusæ lachrymæ durum pectus pulsare deberent: nihilominus sola sæuit Pharaonis crudelitas; sed quibus imperat eam exercere? sane mulieribus: cur fœminis? quia ita cæca est Tyrannis, vt infirmiorum auxilium quærat in perpetrãdis suis sceleribus: *impudẽtissima* (obseruat Lipp.) *& maxime execranda Tyranni crudelitas intelligitur, quod fœminarum quoque officio tunc obesse conatur, cum maxime illis necessaria est fides & commiseratio.*

*Lasciui materiam lasciuiæ suæ satisfaciendi quærunt.*

113 *Præcepit Rex obstetricibus. si masculus est, interficite eum. si fœmina, reseruate.* Cur vtrumque sexum internecione non tollis, cum vterque tibi sit exosus? cur occidis masculos, fœminas seruari præcipis? dices, nullus ex eis poterat esse timoris locus, cum viribus sint imbecilles, & exiguæ fortitudinis animi: sed nonne Ægyptij maxime impudicitiæ deditì? cur ergo non dicemus eas fœminas solum reseruatas, vt suorum possent satisfacere libidini? ita noster Rober. de Lycio Episc. Aquinas in lib. de timore iudiciorum Dei tract. 10. de iudicio Dei contra Pharaonem cap. 1. *fœminæ reseruatæ sunt, quia volebat illas ad luxuriam Ægyptiorum.*

Robertus de Lycio Episcop.

*Omnibus vtilitatem nostram anteponimus.*

114 *Præcepit Rex obstetricibus, si masculus est, interficite eum, si fœmina, reseruate.* Etiã si soli interficiantur masculi, & fœminæ seruentur, nonne tandem alijs poterunt matrimonio copulari, & ad vindictam sumendam de Ægyptiis maritos prouocare, ob gentis suæ crudelem interitum? eas igitur simul cum maribus interfice: sibi erant vtilissimæ propter plurima lanificia, quorum erant insciæ Ægyptiæ: quid mirum igitur si eas non interficiant? omnibus enim nostram anteponimus vtilitatem. *monebat Regem* (inquit Abul.) *ad reseruandum fœminas, enecatis masculis, quia cum ingenuæ Hebrææ perspicaciores essent mulieribus Ægyptiis, faciebant quædam muliebria opera pertinentia ad lanificium, vel subtiles tincturas vel alia in hunc modum, quæ nullatenus Ægyptiæ faciebant, & hanc ob rem nimis eas habere volebant.*

Episcopus Abulens.

*Princeps huius mundi vitiosos vult viuere, studiosos autem interire.*

*Præcepit obstetricibus dicens si masculus est, interficite, si fœmina, reseruate.* Nonne contrariũ præcipere potuisti? sic enim quod desideras consequutus fuisses, times enim ne in maiorem numerum crescant Israelitæ, si autem fœminæ de medio tollerentur, viri non haberent quibus matrimonio iungerentur, & sic eorũ multiplicatio deficeret: sed quid mas, quid fœmina denotent? videmus sane fœminis affectus carnis designari, sicut viris studium virtutis: quid mirum igitur si solum masculis mortem inferri satagit, fœminas autem seruari? quia Pharao tartareus vitiosos vult viuere, studiosos autem interire, *si meminissis* annotat Origenes, *sæpè ostendimus, quod in fœminis caro & affectus carnei designentur, vir autem rationabilis sensus & intellectus sit spiritus, sensum autem nobilem qui potest cœlestia sapere, qui potest intelligere Deum, & quæ sursum sunt quærere, hunc odit Pharao Rex & Princeps Ægypti, hunc necari cupit & interimi, cupit autem quæcumque carnis sunt & quæ ad materiam carnalem, hæc non solum viuere, sed & augeri & excoli cupit, vult enim vt omnes carnalia sapiant, temporalia desiderent, quæ supra terram sunt quærant, nemo eleuet oculos suos ad cœlũ, nemo requirat vnde huc venerit, nemo patriam paradisum recordetur: cum ergo videris homines in voluptatibus & delitiis vitam ducere, luxu feruere, vino, epulis, conuiuiis, libidinibus, impudicitiis operã dare, in istis scias quod Rex Aegypti masculos necat, & viuificat fœminas: si vero rarum quemque videas vnum ex mille ad dominum conuerti, oculos sursum erigere, quæ perpetua sunt & æterna quærere, contemplari non ea quæ videntur sed quæ non videntur, odisse delitias continentiam amare, luxuriam fugere, excolere virtutes. istũ quasi masculum, quasi virum necari cupit Pharao, persequitur, insectatur, mille aduersus eum machinis pugnat.* 115

Orig. hom. in Exod.

*In hoc laborat diabolus ne virtus augmentum accipiat, & ne studiosius progressus faciat.*

*Præcepit obstetricibus dicẽs, si masculus est interficite eũ.* Quandonã? cũ tẽpus partus aduenerit, cur ita sollicitus vt in ipso partu antequã luce fruãtur, interficiantur? nõne cũ ad decimũ vel ad duodecimũ annũ peruenerint, vel antequã sint nubiles, potes iubere vt vita eis adimatur; si enim tantæ auctoritatis es, vt genitores eorum ærumnis & miseriis valeas opprimere, nemini dubiũ est quin & eorum sobolẽ internecione possis delere: certum est per masculum virtutẽ intelligi posse, teste Lact. Firmi. lib. de opifi. Dei cap. 12. vbi ait, vir dicitur ex eo quod maior vis est in viro quam in fœmina, & hinc virtus nomen accipit: quid mirum igitur si Pharao tartareus in ipso partu masculos interficere conatur? quia in hoc, omni conatu laborat vt sanctum desiderium 116

Lactantius Firmi.

in vtero adhuc animæ, vt virtutem adhuc tene- A
ram sopire, & extinguere curant, ne ad exitum nascendo prodeat, & in actu oriatur ac executione conualescat: ab hoc sensu non est alienus D.
D.Ambros. Ambros. lib. 1. de Abel & Cain cap. 10. in fine, *Sicut fœminis dedit natura vuluam in qua vniuscuiusque animantis corpus generatur, & per menstruas formatur ætates; ita est quod virtus animæ quæ velut quædam vuluæ genitales secreta cogitationum nostrarum suscepit semina, conceptus fouere, partus soles edere, neque aliter diceret*
Isai. ca. 26. *Isai. cap. 26. in vtero accepimus, & parturiuimus spiritum salutis, nisi vuluam nouisset, harum generationũ, quædam fœminea sũ: malitia, petulantia, luxuries aliaque eiusmodi vitia, quibus animi nostri quædam eneruatur virilitas: masculinæ sunt castitas, patientia, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia, quibus mens nostra & caro ipsa firmatur, & ad obeunda impigre munera virtutis erigi-* B
*tur, post partus venter ille propheticus parturiuit & ideo ait, in vtero accepimus & parturiuimus spiritum salutis, masculum igitur & parturiuit & peperit qui spiritum salutis effudit*, hoc cum vidit diabolus Pharao extinguere nititur & suffocare procurat, antequam ad perfectionem & exitum perueniat.

*Ita Deus iustus, vt omnibus iustam punitionem quam de impiis exigit, velit esse compertam.*

117 *Præcepit obstetricibus dicens si masculus est, interficite*, cur pergit Moyses describere peccata Ægyptiorum & immanitatem præcipue Regis? nonne tyrannidem eius cognitam habemus, ex tot iniustorum oppressione, ex tot Israëlitarum mediis in ærumnis, interitu? cur ergo etiam sæculis inauditam eius crudelitatem in medium adducit? vt cũ
C eum deinde cum exercitu suo aquis submersum viderimus, iustissime propter scelera sua, imo pro-
A pter excessum criminum à Deo punitum fuisse nouerimus.

*Peruersum consilium quam nociuum.*

*Præcepit obstetricibus dicens si masculus est interficite eum*. Cur potius imperat Pharao masculos
interfici quam fœminas, cum non minus generationi & multiplicationi necessariæ sint quam viri, & ex eis non minus multiplicetur genus humanum quam ex masculis? interficite masculos, inquit Pharao, quis tibi ita peruerse consuluit? quis tantam tyrannidem & inauditam suggessit? audiamus Ioseph. lib. 2. antiq. cap. 5. histor. Exodi, *quidam sacrorum scriba enuntiauit Regi pariendum quendã illo tempore inter Israëlitas, qui humiliaret* Iosephus.
*quidem Ægyptij principatum, augeret autem suo incremento Israëlitarum genus virtuteque transcenderet vniuersos, & gloriam in perpetuum memorabilem possideret, cuius consilio iussit vt omne masculum quod ex Israëlitis nasceretur iactantes in fluuium consumerẽt*, pende hæc verba *cuius consilio iussit* & vt inde sit compertũ, quam peruersum vnius consilium, pluribus & pœne innumeris noceat.

*Quis in suos inhumanus esse potest?*

*Præcepit obstetricibus dicens si masculus est, interficite eum*, Hebræi tradunt istas obstetrices fuisse 119
Hebræas, quarum altera vocabatur Iochabed, altera vocabatur Maria, sed eos variis rationibus refellit noster Lyranus, probans fuisse Ægyptias non autẽ Hebræas: sed cur ô Lyrane non admittis Lyranus.
eas esse Hebræas? quia Rex tam atrox mandatum de necandis infantibus Hebræorum non dedisset Hebræis mulieribus, vt quas existimare debebat ob naturalem gentis suæ amorem & pietatem minime obtemperaturas; sic enim ait, *non est verisimile quod Rex volens interficere masculos Hebræorum, hoc exequeretur per mulieres Hebræas*, quasi diceret, quis inhumanus põtest esse erga suos?



## *VARIETAS LECT. vers. 17.*

VVlg. Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti, sed conseruabant mares.

*Cald.* Timuerunt obstetrices à facie Dei, & non fecerunt sicut loquutus fuerat Rex Ægypti, sed conseruabant filios.

*Sept.* Et viuificabant masculos.

## *CONCORDIA.*

IN Hebræo habemus ותחיין את הילדים vathecajona eth hailadim viuificarunt masculos, vnde noster vulg. legens conseruabant ma- D
res intelligit in vita, sic etiam accipiendus est Caldæus.

## EXPOSITIO.

T*Imuerunt obstetrices Deum*, ab Hebræis vtique edoctæ, & cum multa de Hebræorum Deo vidissent innoxiorum mortem horrebant, ac proinde eorum Deum offendere timuerunt, *& non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti*, licet à principio suæ voluntati obtemperare promisissent, *sed conseruabant mares*, sicut & fœminas visceribus misericordiæ erga eos commotæ.

## CONCEPTVS.

### *Indignum est omnino scientia & munere nostro abuti.*

120. T*Imuerunt obstetrices Deum & non fecerunt iuxta præceptum Regis.* Exierat iussio nefarissima à Pharaone, qua obstetricibus Ægyptiis præcipiebatur, vt in Hebræarum partubus masculinos fœtus protinus enecarent: quid vrgente Regis edicto fœminæ idololatræ facerēt? quid vererentur quominus Regi obtemperarent? nihilominus iuxta illius præceptum non fecerunt: cur Regi nō obediunt præcipienti? nonne Rex ius necis habet in populares? cur fœminæ non sese Regis cōformant voluntati & imperio? (S. August.) D. Aug. serm. 84. de tempore ait, hanc causam attingens, *præstiterunt contra Regis imperiū partuum ministræ, noluerūt exercere ad perniciem quod didicerant ad salutem.* Merito prudentissimæ obstetrices ab abusu salutaris muneris cauent, scientiam obstetricandi acceperant in popularnū salutem, illæque ex populis vitam & sibi victum comparant: vnde merito timent ne tam salutare munus earum culpa alicui nocumentum & perniciem daret: non sic impiissimus Tyrānus vel quilibet alius de quo Psal. (Psal. 25.) 25. sicuti nouacula acuta fecisti dolum: non arguit modo quod fecerit dolum, sed quod fecerit dolū sicut nouacula acuta, quæ cum totam virtutem suam accipiat & vim cędendi ad obsequium hominibus præstandum, aliquando solet & vulnus præstare: sic impius homo quod accipit ad vitam, nefarissime conuertit ad dolores molestiasque causandas, sicut Pharao qui à Deo acceperat potestatem regiam in suorum commodum, ea abutitur in plurimorum perniciem.

### *Nullus fere principum solus pergit in præcipitium.*

121. *Timuerunt obstetrices Deum & non fecerunt iuxta præceptū Regis.* Quid Rex eis præcipit? quādo obstetricabitis Hebręas & tēmpus partus aduenerit, si masculus fuerit interficite illum: nonne satis erat tuam in adultos exercere tyrannidem? cur & mulieres impellis præcepto ad innocentum interitum? quia nullus fere principum solus pergit in (D. Basilius.) scelus & in præcipitium. sic D. Basil. oratione in sanctum Gordium fatur, *Gordius spretis omnibus, vrbanos fugit tumultus, fori clamorem, magistratuum ambitionem, tribunalium fastum, quibus magnæ vrbes refertæ sunt, multosque secum tanquam naues alligatas puppibus cymbas per æquora trahunt.* Ecce tibi, vt magna nauis nunquam sola per pelagus graditur, sed alias cymbas & nauiculas secum pro ministerio trahit, cum quibus & patitur naufragiū, ita quilibet principū vel mundialium magistratuum quilibet, diuitum aut potentum fere nunquam solus ingręditur sceleris, sicque nec supplicij tempestates, sed & secum innumeros rapit.

### *Deus summus index timendus est.*

122 *Timuerunt obstetrices Deum.* Quod nomen in Hebræo respondet huic dictioni *Deus*? Elohim, cur non est Iehoua, cum certum sit mulieres Hebræas docuisse obstetrices Ægyptias vnum esse Deum summum essendi principium? apte quidem nunc positum est nomen Elohim, significans indices, quia Deus ab eis vt summus index erat timendus, *dictio interpretata Deus* (inquit Caiet.) *est Elohim congruum timori, summus enim index timendus est.* (Cardinalis Caietanus)

### *Discant aulici magis timendum esse Deum quam Regem.*

*Timuerunt obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis*, Nonne vltra præceptum Regis pœna fuerat eis comminata, vt omnes Hebræarum masculos interficerent? cur ergo non solum neglecto Regis præcepto, imo & omni supplicio contempto, parcunt vitæ innocentium? vt ex fœminis discant alij aulici Deum Regibus anteferendum. *Quid his fœminis habuit tunc fortius mundus* (ponderat Oleast.) *quæ animositatem Regis non timentes, masculos contra eius imperium seruauerunt? à quibus discant aulici timendum magis esse Deum quam Regem, qui vt voluntatibus Regum obtemperent, Dei mandata non curant & pro dijs habent.* 123. (Oleaster)

### *Timor Domini alium quemlibet timorem expellit.*

*Timuerunt obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis.* Nonne timēdus erat Rex, quem immanissimum esse eis satis erat compertum, & quem debebant credere se eis non condonaturum? ambitiosus enim Rex & suæ iacturam coronæ timens, qualis erat Pharao, vt eam sibi conseruet, nulli scit parcere, imo potius vniuersum genus humanum deleret, si in sua situm esset potestate, vt sibi soli sceptrum imperij seruaret: cur ergo Regi non obtemperant eius seueritatem timentes? quid ait textus? timuerunt obstetrices Deum: quid mirum igitur si timori non fuerit illis Rex iniqua præcipiens? timor enim Domini quemlibet alium timorem expellit, vnde dicebat Hermas discipulus B. Pauli lib. 2. mandato secundo. (Hermas) *Time, inquit, Dominum & mandata eius custodi, seruans enim præcepta Dei eris potens in omni actu, & omne negotium tuum erit incomparabile, timens enim Dominum omnia bona operaberis, hic est timor quo timere oportet vt saluus esse possis, diabolum autem ne timeas, timens enim Dominum, dominaberis illius, quia virtus in illo nulla est, in quo autem virtus non est, is ne timendus; in quo vero virtus gloriosa est, is etiam timendus est, nam qui virtutem non habet ab omnibus contemnitur: time plane facta diaboli, quoniam maligna sunt, metuens enim Dominū timebis & opera diaboli non facies, sed abstinebis ab eis: duplex enim timor est, si enim malum operari volueris timens Dominum, ne id quidem facies; si autem bona operari volueris, timor vtique Domini validus & ingens & gloriosus est: time igitur Deum & viues, & quicumque eum metuerint custodientes mandata eius, eorum vita est apud Dominum, non custodientium autem nec in illis vita est.* 124.

*Mens timore vallata omnia quæcumque superat.*

*Timuerunt obstetrices Deum & non fecerunt iuxta*
125 *præceptum Regis.* Vobis supplicia sane proposita sunt, in Regis præcepto obtemperare velitis nonne sexus muliebris sicut nullius est fere animi, ita pauidus est, vt ad quamlibet pœnam sibi infligendam, toto contremiscat corpore, ad quemlibet oblatum cruciatum animo defluat? quomodo ergo nihili facientes Regis crudelissimi præceptū omnia despectui habuere eius supplicia? nõne timuerunt Deū? quid mirū igitur si mens eorum timore Domini vallato omnibus aliis superior euadit? audiendus est hac in re grauiter differens S. Theoph. Alexan. Epistola 5.
Theoph. Paschali de digna Paschæ celebratione, *quid memorem* (inquit) *insignes Machabæorum victorias, qui ne illicitis carnibus vescerentur, & communes tangerent cibos, corpora obtulere cruciatibus, totiusque orbis in Ecclesiis Christi laudibus prædicantur fortiores pœnis, ardentiores quibus comburebantur ignibus, victa sunt in eis omnia crudelitatis ingenia, & quidquid ira persecutoris inueniebat patientium fortitudo superauit. inter pœnas magis paternæ legis quarum dolorum memores lacerabantur, tabo & sanie artus diffluebant, & tamen sententia perseuerabat immobilis liber erat animus, & mala præsentia futurorum spe despiciebant, lassabant tortores & non lassabatur fides, frangebantur ossa, & volubili rota omnis compago neruorum atque artuum soluebatur, & in immensum spirantia mortem incendia consurgebant, plenæ erant feruentis olei sartagines, & ad frigenda sanctorum corpora terrore incredibili personabant, & tamen inter hæc omnia paradisum animo deambulantes nõ sentiebant, quod patiebãtur, sed quod videre cupiebãt, mens enim Dei timore vallata flammas superat, varios tormentorum spernit dolores.*

*Non solum apud Hebræos, sed etiam apud plures alios ante legem gratiæ Deus erat notus.*

*Timuerunt obstetrices Deū*, ergo Hebræas fuisse dices, non Ægyptias, vt plurimi sentiunt: Ægy-
126 ptij deos plurimos tanquã idololatræ colebant, apud Hebræos autē solū Deus videbatur cognitus, sed falleris, non enim apud eos solum, sed etiam apud plures alios ante legem gratiæ, cognitio vnius veri Dei habebatur, quod confirmat Phil. Abb. lib. de Cont. Cleric. cap. 17. *Illo tempore etsi præcipue plebs Hebræa Deū colere videbatur, quæ segregata à cæteris quasi peculiaris populus habebatur de alijs tamē multis & diuersis nationibus Deū* (Philippus Abbas.) *aliqui diligebãt eique vel fide vel hostiarū quoq; muneribus vel modis quibuslibet placentes seruiebãt, legitur Melchisedech Dei summi sacerdos extitisse, legitur Iob Deo non mediocriter placuisse, filij quoque eiusdem Iob & amici vel consolatores eius Deum verum credunt coluisse. quos tamen Hebræos certum est non fuisse.* (Genes. Iob. 1.) *Ægypti quoque obstetrices illæ quæ vt Hebræarum parientium mares occiderent mandatum acceperunt, Deum potius quam Regem timuerunt, & quis istos solos quos hic apposui æstimet diuino cultui fuisse mancipatos, & non potius alios eodem spiritu diuersis in locis & temporibus inspiratos, qui errore gentium procul facto, creatorem suum & omnium coluerunt eique vera fide & operibus cohæserunt.*

*Regibus non obediendum cum aliquid iniuste contra Dei cultum præcipiunt.*

*Timuerunt obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta mandatum Regis,* Nonne tenetur inferior iure 127
naturali obedientiam suo superiori præstare? nam recta ratio quæ diuinæ sapientiæ quædam delibatio est, perspicue docet hominum multitudinem non solum legibus & præceptis, sed etiam principum ac magistratuum prudentia atque auctoritate regendam ac moderandam esse, Reges si quidem sunt adeo instituti ab eoque acceperunt potestatem, tum quia id bona ratio postulat, quod est eximium Dei munus, tum quia hoc ipso quod reipublicæ præficiuntur, eadem recta ratio monet aliquam illis auctoritatem atque potestatem iure deberi, vt subditos omnes in officio eis obedientes contineant: si ergo tenebantur Regi suo obedire, cur earum commendatur inobedientia? quia iniqua præceperat, cui non tenebantur obtemperare: Regibus enim non obediendum cum aliquid iubent iniquum & iniustum: huc spectat Aug. de hac materia plura scribens ser. 6. de verbis Domini sic ait, *si aliquid iubeat Proconsul, & aliud iubeat Imperator, nunquid dubitatur illo contempto, huic esse seruiendum: ergo si aliud iubeat Imperator, aliud Deus quid iudicatis?* & Epist. 50. *quando Imperatores pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes & coronantur perseuerantes, quicumque ergo legibus Imperatorum quæ contra veritatem Dei feruntur obtemperare non vult acquiret grande præmium:* & Epist. 48. *terror potestatum temporalium quando veritatem oppugnat, iustis fortibus gloriosa probatio est.* (D. August.)

*Vtilis est bonorum societas.*

*Timuerunt obstetrices Deum,* Cur timent Deum 128
quem non agnoscunt? quod enim incognitum, timorem incutere non potest. scio me dixisse plures extra Hebræorum populum vnius Dei notitiam habuisse, sed demus aliquibus, ante Regis edictum, falsis numinibus studuisse, quomodo vnius Dei timore percelluntur? nonne ex debito sui officij cum mulieribus Hebræis conuersabantur? cur non dicemus earum colloquium ita eis profecisse & vtile fuisse, vt in cognitionem Dei eo medio deuenerint? non alienus est ab hoc sensu noster Lyran. dicens, *informatæ fuerunt per mulieres Hebræas ostendentes eis offensam Dei.* (Lyranus.)

*Æterna memoria digni qui miseris misericordiam præstant.*

*Timuerunt obstetrices Deum & non fecerunt* 129
*iuxta mandatum Regis.* Quænam sunt illæ obstetrices? vna vocabatur Sephora inquit Moyses, altera autem Phua. miror equidem nomina earum retulisse, tum quia Ægyptiæ, tum quia fœminæ, non enim facet textus solet nomina mulierum recensere: tum nonne ad historiæ seriem satis erat dixisse Pharaonem obstetricibus, iis innominatis præcepisse, vt omnes Hebræarum masculos in ipso partu interficerent? quid de eis dicitur? non fecerunt iuxta mandatum Regis, innocentibus enim pepercerunt merito igitur earum nomina posteritati traduntur, æterna enim memoria & nomine immortali dignæ sunt, quæ miseris præstant misericordiam, vitamque seruãt innocentiū.

*Mulieres superant pluries viros in misericordia & compaßione.*

130. *Timuerunt obstetrices Deum, & non fecerũt iuxta praeceptum Regis.* Ea quæ à Moyse dicta fuere superius, recolamus, præposuit magistros operum vt affligerent eos oneribus duris luti & lateris, qui affligebant eos illudentes eis & ad amaritudinem pronocabant animam eorum, sane vsque ad plurimorum interitum. extat apud Clement. Alexád. 1. strom. Ezechiel Poëta, qui Iudæorum tribulationem versu iambico describit.

Ezechiel

*Nostrorum videret nam genus cum crescere,*
*Est machinatus in nos plus satis doli*
*Rex Pharao laterum acribus laboribus*
*Ædificiorumque opprimens nos molibus,*
*Et extruendo turrium munimine*
*Edicit inde totum vt Hebræum genus*
*Quos procrearat flumini immergat mares &c.*

Quomodo nullus ex Ægyptiis qui dictante conscientia hoc mandatum iniquum esse agnoscebant, Regi contradicit? quomodo omnes eius iussa exequuntur? quomodo summa cum crudelitate vitam adimunt innocentibus, cum mulieres animi longe inferioris edictum Regis habentes côtemptui, incolumes Hebræorum masculos seruauere, cum occulte eos possent occidere? quid dicam nescio, nisi mulieres viros superare in misericordia & côpassione? quas ita extollit Abſalô Abbas serm. 41 in dedic. Eccles. *Quid aliud obstetrices Hebræarum nobis contulerunt, nisi compassionis exemplum, quæ non metuebant mandatum Pharaonis contemnere, vt filios Hebræorum de morte possent eripere?* Abſalon Abbas.



## VARIETAS LECT. Vers. 18.

*Vulg.* Quibus ad se accersitis Rex ait, quidnam est hoc quod facere voluistis vt pueros seruaretis?
*Sep.* Vocauit Rex Ægypti obstetrices, & dixit eis, quid quod fecistis rem hanc? & viuificastis masculos?
*Chld.* Reseruastis filios:

## EXPOSITIO.

Quibus accersitis, cum videret infantes Hebræorum incolumes seruari, collegit obstetrices iussis suis non obtemperasse, eas accersiri iussit, *Quidnam est hoc quod facere voluistis?* quænam fuit intentio vestra, in non adimplendis mandatis meis? nonne vobis præcepi omnes masculos Hebræarum in ipso partu interficere, & nihilominus pueros seruastis incolumes?

## CONCEPTVS.

*Ita impius est Tyrannus vt iniqua velit æstimari iusta.*

131. Quidnam est hoc quod facere voluistis vt pueros seruaretis? Cur id sciscitaris? cum ratione naturali notum sit vitam innocentibus adimendam non esse, sed eos seruandos incolumes, quid ergo accersens & interrogans aduersus eas accusationem intendis? an eas alicuius noxias criminis arbitraris? ita impius est Tyrannus vt iniqua velit æstimari iusta, & ab innocentibus pœnam exigere, quasi à noxiis. subscribit Abul. *Quid facere voluistis vt pueros seruaretis? quod metueram quasi dicat pessimam rem operata estis, ideoque supplicio hec noxa luenda erit.* Abulens.

*Impius, quo magis crudelitas sua impeditur, eo magis insanit.*

132. *Quidnam est hoc quod facere voluistis vt pueros seruaretis?* Nonne finem imponere immanitati tuæ deberes? peccatis peccata non adiicere? Dauid gaudebat quod Abigail in occursum suum veniens, præuenerat ne sanguinem funderet; lętare ergo quod obstetrices tuæ nô satisfecerint immanitati: imo eas grauiter obiurgat; impius enim quo magis sua retardatur crudelitas, eo magis insanit, imo lætatur cum male fecerit & exultat in rebus pessimis Prou. 2. quæ verba exponens Euseb. Emiss. *Impij exultant de rebus pessimis, & de sui perditione lætantur, similes forte illis qui sumentes exitiales herbarum succos cum risu perire dicuntur,* idem cecinit Greg. Naz. Poëm. de virtute humana. Prou. 2. Eusebius Emiss. Gregorius Nazianz.

*Id facio quod mens mea damnat & odit,*
*Oblectorque malis, mortemque in pectore fixam*
*Rideo Sardonico risu.*

Est autem in Sardone insula, herba apio similis, quæ Sardone nomen ab ipsa insula asciuit, hæc pota vel comesta, mentem adimit, in vesaniam adigit, deductisque labiis in ridentium morem emori tandem cogit. 133

*Impij serpentium sunt gressus.*

*Quidnam est hoc quod facere voluistis vt seruaretis pueros?* Nonne præceperas vt in ipso partu eos interimerent, ne tua impietas haberetur comperta, cũ in ipsa matrice suffocari potuissẽt, mortis eis illatæ tuo imperio, nullo habito euidenti signo; quomodo nunc coram omnibus vis manifestam haberi tuam immanitatem, vt increpatione seuera arguas, quæ tuo nô obtemperauere imperio? quid mirum? serpentina est eius malitia, serpens enim callide aggreditur, sed deinde venenũ eius apparet manifestum, accômodata sunt verba D. Aug. Psal. 139. ad hunc sensum, *in serpente maxima astutia & dolus nocendi, propterea etiam serpit, non enim vel pedes habet ne eius vestigia au-* 134. D. August.

*dianturin eius itinere, velut leuis est tractus, sed non est rectus, ita ergo impij repunt atque serpunt ad nocendum habentes occultum venenum sub leui contactu.*

A

## *VARIETAS LECT. Vers. 19.*

VVlg. Quæ responderunt, non sunt Hebreæ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsę enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt.

*Sep.* Non sicut mulieres Ægypti, sic Hebreæ, pariunt enim priusquam ingrediantur ad eas obstetrices, & pepererunt.

*Cald.* Quia ipsæ sapientes sunt, & antequam veniat ad eas obstetrix, pariunt.

*Pag.* Obstetrices sunt ipsæ, antequam veniat ad eas obstetrix, pepererunt.

B

*Bib. Antiq.* Non sunt mulieres Ægyptiæ, & Hebreæ sunt, nam viuaciores sunt ipsæ, antequam veniat ad eas obstetrix, pepererunt, *sic Oleast. Caiet.*

*Alij.* Nam robur vitæ multum est eis.

*Rab. aliqui.* Similes sunt bestijs, quæ dum pariunt non indigent obstetricibus.

*Targ. Hieros.* Quoniam viuificant ipsæ antequam ad eas obstetrix veniat, orant enim coram patre suo cœlesti, & exaudit eas atque ita pariūt.

## *CONCORDIA.*

NOster vulgatus sequutus est Caldæum legentem, quia ipsę sapientes, in Hebræo autem est כי חיות הנה Ki Chaioth hena, quoniam ipsę Chaioth, vox autem חיות non deducitur vt Rabbini volunt ab חיה sed ab חיה chaia quod bestiam significat, quasi dicat, mulieres Hebræas instar bestiarum sine obstetrice parere, sed à חיה chaia, quod viuacem significat, pertinetque aut ad robur & firmitatem corporis sicut aliqui verterunt, quasi dicerent eas esse ita corpore robu- C stas, vt vix partu infirmentur, adeoque facile seipsas iuuent: aut ad animi vigorem, quo noster vulg. respexisse videtur & Cald. qui habet, ipsæ enim sunt sapientes: scio tamen חיה simpliciter pro obstetrice accipi posse, vt illæ sic dicantur חיה chaia, id est vixit, quod in piel habet חיה chija viuere fecit, seu vitam conseruauit eo quod magna pars sint vt proles viua permaneat, & conseruetur, & ita ex Hebræo verti potest, ipsæ enim obstetrices scilicet sibi sunt.

## EXPOSITIO.

QVæ respond rūt, Regi cōquerēti de masculis interficiendis in ipso partu præceptū suū nō obseruari, meditatā diu vt par est credere attulerunt respōsionē, eoq; confugerunt, vt dicerēt, non potest tuū consiliū perfici in Hebræis sicut Ægyptiis, *non sunt enim Hebrææ mulieres sicut Ægyptiæ*, ipsę enim obstetricandi scientiā habēt, id est peritiā scilicet earū plurimæ, *& priusquā veniamus ad eas pariunt*, scilicet plures ex eis, aliarū Hebræarum ope adiutæ: in hac responsione passim mendaciū officiosum agnoscunt interpretes, quia dicunt hac responsione significasse se non euocari ab Hebræis ad ministeriū obstetricandi, sed eas per se huic necessitati satisfacere, cū tamē & euocatas fuisse & seruasse mares Moyses ipse testatur, sed quamuis vt diximus, interpretes pas- D sim in eis agnoscant mendacium, fortasse tamen non dixisse, sed veritatē celasse dūtaxat probari potest: tota enim earū respōsio vera est, tametsi ad mentē Regis iniqui prolata nō est, nō esse Hebræas sicut Ægyptias mulieres, vtique verum est, verū quoq; eas scientiā obstetricādi habuisse saltem aliquas, quis enim existimet in tanta Hebręarum mulierum multitudine, & tam frequentatis partubus nullum earū istā didicisse peritiā, præsertim cum se tanto apud Ægyptios odio atq; inuidia laborare cernerēt: verū quoque fuit plerasque mulieres Hebræas parere solitas, antequam ad eas prædictæ obstetrices accederent vel vigore proprio vsas vel sociarum Hebræarum ope adiutas, licet Rex de omnibus Hebræis mulieribus id forte intellexerit, neque dixerunt se non affuisse parientibus Hebræis, quod fuisset vtique mendacium, sed id Regi existimandum relinquere.

## CONCEPTVS.

*Castitas cōiugia fœcūdat ad filiorū procreationē.*

135 NOn sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, priusquam veniamus ad eas, pariunt, Vnde fœminæ Hebræorum præ cæteris fœminis Ægyptiis, habent & fœliciores & faciliores partus? dices quia dexteritatis obstetricandi peritę sunt, sed peritiores sunt Ægyptiæ in hac arte, vel saltem ita peritæ, cur ergo Hebrææ in partubus suis sunt fœliciores & faciliores? sane quia apud Hebræos maior vigebat castitas, & longius libidinum turpitudo aberat; quod notās Lippoman, *Hebræorum fœminæ sicut castiores erant, sic in partu fortunatiores Domino promouente opus suum in fidelibus* (Lippoman.) *viuidiores, hoc est fœcundiores esse dicuntur; quia à maritis suis religiosius amata & tractata castius.* Comes est temperantiæ castitas. Ne mireris familias, nobiliū & aliorum sterilescere, facit hoc effrænis voluptatū intemperantia, absedat lues & fœlicibus replebuntur familiæ partubus.

*Via virtutis acclinis & aspera est impiis.*

*Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiā, & priusquā ad eas veniamus pariūt.* Cur se mulieribus Hebræis in arte obstetricādi fatentur esse imperitiores? quis enim in arte sua alio inferiorem se existimat? imo figulo figulus inuidet iudicans se eo 136 superiorem

ſuperiorem: aduertes Ægyptiis mulieribus impiorum animas intelligi, quæ multa difficultate bonorum operum partus edunt, & alieno auxilio indigent, quo iuuentur: mulieribus autem Hebræis ſanctorum virorum animæ adumbrantur, quæ obſtetricandi habent ſcientiam, & facile bona pariunt opera, quid ergo mirum mulieres Ægyptias majorem difficultatem habere in pariendo quam Hebræas? pij enim virtutis viam inueniunt facilem, impij autem difficilem. Quod annotat D. Amb. lib. de fuga ſæculi cap. 8. *Et denique de aliis mulieribus habes, quia Hebrææ prius pariunt quã veniant obſtetrices, & quod animæ iuſtorum non expectant artes & diſciplinas propter inuentionum genera, nec requirant adiumenta generandi, ſed ſponte partus ſuos fundant expectationemque præueniant.*

*Quos Deus extollit, multo labore ad culmen pietatis aſcendunt.*

137. *Non ſunt Hebrææ mulieres ſicut Ægyptiæ, ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priuſquã ad eas veniamus pariunt.* Ægyptiæ igitur eis diſſimiles, quod cum ſumma difficultate & labore ſuos edant fœtus. Sed Hebrææ mulieres quæ ſine alieno pariunt adiumento, antequam ad eas veniant obſtetrices, quorumnam quæſo tenent figuram? illorum quos Deus ſubito ad ſummam euehit virtutem, Ægyptiæ vero mulieres, quæ non pariunt niſi obſtetrices ſint eis adiumento, quoſnam referunt? eos ſane qui per gradus ad virtutem aſcendunt. Quid mirum igitur primas ſine difficultate, ſecundas autem cum labore parere? quos enim Deus extollit nulla fere opera ad culmen pietatis aſcendunt. Qui vero labore ad virtutem veniunt, multis egent quibus ad eam perducantur. quod annotat Philo de congreſſu quærendæ eruditionis gratia. *Tenera virtus quantum ad res malas attinet ſterilis eſt, bonorum vero tam fœcunda, vt ne obſtetricum quidem opem imploret, partu præueniens earum operam.* Philo.

*Beneficia quæ aliis impendimus celemus.*

A *Non ſunt Hebrææ mulieres ſicut Ægyptiæ, priuſquam ad eas veniamus, pariunt.* Nonne verum eſt veſtro labore à partu liberas euaſiſſe, & eorum filios veſtra miſericordia incolumes ſeruatos? cur ergo non veſtræ pietati & induſtriæ beneficium mulieribus Ægyptiis, imo & vniuerſo populo Iudæorum impenſum tribuitis? quia beneficia quæ aliis impendimus, celare debemus. *Decentius obſtetrices mulieres,* inquit Oleaſt. *beneficia quæ aliis facimus, tegere, & aliis tribuere potius quàm nobis, quemadmodum de Chriſto legimus, qui beneficia ſalutis quæ ipſe præſtabat in fidem ſanctorum collocabat.* Oleaſt.

*Mulieres ne ſe fingant delicatulas.*

*Non ſunt mulieres Hebrææ ſicut Ægyptiæ,* in quo ſunt diſſimiles? in cultu & Religione, ſcimus Hebræas vnum Deum colere, alias autem idolis ſeruire. In quo ergo? priuſquam ad eas veniamus, pariunt. Nonne obſtetrices ſolent conuocari vt partum fœliciorem & faciliorem B reddant? quomodo ergo eas non conuocant Hebrææ, vt ſibi in partu faueant? reſpondet Oleaſt. *debent fœminæ robuſtæ eſſe, & ſeſe roborare ad ardua peragenda,* quaſi diceret, fingit ſe hic ſexus delicatum, imitari tamen deberet Hebræas, quæ ardua & difficilima quæque ſuperant. 139. Luſitanus.

*Cum aliquid per te potes efficere, ne alium adiutorem aduoces.*

*Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres, priuſquam ad eas veniamus, pariunt.* Cur ne aliquod vitæ diſcrimen vobis contingeret, cum nullum majus quàm in partu habeatur, in pœnam primæ noſtræ protoparentis delicti, cur obſtetrices Ægyptiæ à vobis, vt facilior & fœlicior ſit partus veſter, non aduocantur? quid reſpondent C Ægyptiæ Regi increpanti cur maſculos Hebræorum non interfeciſſent, videamus. Hebrææ obſtetricandi habent ſcientiam, quid mirum igitur ſi eas non aduocant? cum enim aliquid per nos ſolos efficere poſſumus, ne alios adiutores conuocemus. 140.

## *VARIETAS LECT. Verſ. 20.*

*Vlg.* Bene ergo Deus fecit obſtetricibus, & creuit populus, cõfortatuſque eſt nimis.
*Sep.* Creſcebat populus, & inualeſcebat valde.
*Pag.* Et roborati ſunt valde.
*Cald.* Confortati ſunt nimis.
*Onk.* Præualuerunt valde.

## EXPOSITIO.

*Bene ergo fecit Deus obſtetricibus,* non quia mentitæ ſunt, tenuimus enim in expoſitione præcedentis verſus mentitas non fuiſſe. Sed ſupponamus cum pluribus interpretibus imo & ſanctis Patribus mendacium officioſum protuliſſe, ſane Deus non illud remunerat, ſed D opus miſericordiæ in ſeruandis pueris innocentibus exhibitum, & *creuit populus confortatuſque eſt nimis,* ſcilicet in numero & multitudine.

## CONCEPTVS.

*Cum ſanctis obſequimur, duplex præmium accipimus.*

*Bene fecit Deus obſtetricibus.* Nullus in dubium reuocare poterit, quin Ægyptiæ obſtetrices ab Hebræis, ob ſingulare beneficium ſibi exhibitum, remuneratæ fuerint, quis enim crederet ita ingratos & auaros Hebræos, vt ob vitã ſuis infantibus ſeruatam, irremuneratas dimiſerint? ſi ergo mercedẽ accepere, vel ſaltẽ dona

in suæ argumentum gratitudinis, cur iterum Deus eis confert beneficia? *bis soluitur*, inquit Oleast. *qui sanctis administrat, semel à Deo, iterum à sanctis.*

*Ita Deus iustus remunerator, vt etiam ea opera ad quæ aliàs tenemur, remuneret.*

142 *Benefecit Deus obstetricibus*, qua de causa hoc à Moyse specialiter obseruatur? tum nonne obstetrices tenebantur innocentes non interficere, edicto Regis vrgente? vnusquisque enim ex lege naturæ & dictante sola ratione naturali nullo proposito præmio, vitam innocenti non adimere tenetur, cur ergo huiusmodi obstetricibus Deus confert beneficia? cur eas præmiis remunerat? quia Deus ita iustus remunerator, vt etiam ea compenset opera, ad quæ aliàs tenemur.

*Deus minime mendacium remunerat, sed bonum opus.*

143 *Benefecit Deus obstetricibus*, supponamus esse probabilem aliquorum opinionem, qui asserunt obstetrices mendacium Regi protulisse, cur ergo Deus eis beneficia confert, cum potius supplicium mererentur? omne enim mendacium sicut est peccatum, sic etiam est malum. Quod autem malum est remunerari non debet, non remunerat Deus mendacium obstetricum, sed earum in pueros misericordiam, non earum peccatum etiamsi leue & officiosum, sed potius pietatem erga innocentes, audiendus B. Aug. lib. contra mendacium, cap. 10. *Quando nobis de scripturis sacris mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non sunt, sed putantur esse dum non intelliguntur, aut si mendacia sunt, imitanda non sunt, quia iusta esse non possunt: nam quia scriptum est bene Deum fecisse Hebræis obstetricibus & Raab Hiericuntinæ meretrici, non ideo factum quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt, non est itaque in eis remunerata fallacia, sed beneuolentia, & benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim non esset mirum si priori tempore commissa ab ipsis opera mala propter posteriora opera bona vellet Deus ignoscere, ita mirandum non est quod vno tempore in vna causa Deus vtrumque conspiciens, idest factum misericorditer & factum fallaciter, & bonum remunerauerit & propter hoc bonum illi malo ignouit: si enim peccata quæ propter carnis concupiscentiam non propter misericordiam fiunt, ea propter posteriora opera misericordiæ dimittuntur, cur non merito misericordiæ dimittantur? grauius enim est peccatum quod animo nocentis, quam quod animo subuenientis efficitur.* — D. August.

*Etiam veniale mendacium minuit meritum. quoad aliquid.*

144. *Benefecit Deus obstetricibus*, an beneficio temporali vel æterno? respondet Hugo Victo. solam mercedem habuisse temporalem, nonne propter timorem Dei quiquidem videtur filialis, & ex charitate procedens, præmium æternum merebantur, cum Deus vltra condignum muneret? audiamus citat. Hugonem *mentitæ sunt quidem obstetrices, sed propter pietatem veniale fuit earum mendacium, misericordiam exhibuerunt obstetricibus, sed propter mendacium diminutum est earum meritum, & conuersum in temporale præmium, & ita vtrumque quodammodo minuit alterum, & reducit ad mediocritatem, idest, tam culpa mendacij meritum pietatis: quàm pietas damnationem mendacij.* — Hugo Victorinus. Idem habet D. Greg. in lib. 18. Mora. cap. 2. & 3. en quomodo mendacium etiam veniale ita minuit, secundùm Hugonem meritum, vt præmium ex æterno fiat temporale, sed hoc dictum Hugonis sicut & B. Greg. nempe obstetrices per actum timoris Dei, & per opus pietatis erga Hebræos potuisse mereri æternam mercedem, verum propter mendacium quod postea dixerunt, commutatam illis fuisse retributionem mercedis æternæ, in temporalis mercedis retributionem, hoc inquam dictum non videtur probabile, aut enim actus ille timoris Dei & benignitatis erga Hebræos profectus fuit ex Dei gratia ipsas sanctificante, aut non? si non, non poterant per illũ actum mereri vitam æternam, si mendacium postea non dixissent, si autem illa profecta sunt ex Dei gratia, sine dubio meruerunt vitam æternam, etiamsi postea mendacium dixerunt, tum quia peccatum postfuturum non potest impedire meritum præsentis gratiæ ac iustitiæ, tum quia mendacium illud fuit officiosum, ideoque leuis ac venialis culpa vt ipsimet Greg. & Hugo fatentur, peccatum autem veniale, sicut non tollit gratiam, ita nec meritum vitæ æternæ, cum autem dicimus mendacium veniale meritũ minuere, hoc intellige quantum ad feruorem &c. — D. Gregorius magnus.

*Potius moriendum quam mentiri etiam venialiter.*

*Benefecit ergo Deus obstetricibus*, cur immediatè postquam obstetrices dixere Regi Hebræas parere, antequam ad eas veniant, quod mendacium esse videatur, cum ipsæ ad eas venientes earum masculos seruabant incolumes, cur immediate inquam post hæc verba, quę secundùm plurimos mendacium continent, dicitur, quod Deus eis benedixerit? dices quia licet mendacium protulerint hoc mendaciũ licitum fuisse, quia officiosum, & ideo à Deo remuneratum, ita tenere videntur Ruper. lib. 1. cap. 7. & Cassia. coll. 17. à c. 17. ad 23. vbi docet licitum esse mentiri, vel mali vitandi vel lucri acquirendi causa, verbi gratia ad acquirẽdam humilitatem, quibus aliqui alij consentiunt, vt Beda in 1. Reg. 21. Clem. lib. 7. strom. certum tamen nunc est tanquam de fide, omne mendacium esse & peccatum & illicitum, patet ex Prouer. 12. abominatio est Domino labia mendacia, definitum est ab Inno. 3. titul. de vsuris, cap. super eo, ratio est quia mendacium est intrinsece malum, tum quia repugnat veritati aut veracitati, tum quia in se turpe est homini fallere aut falli. Quid ergo faciendum erat his obstetricibus? quũ Pharaoni vrgenti respondendum? videtur enim quod licite mẽtiri potuerunt vt suę vitæ consulerent, & innocentes seruarent, nequaquam, sed potius à facie eius fugiendũ & latendum, aut aliquo tegenda erat artificio veritas non neganda, aut certe quod ait D. Aug. lib. cont. mendaciũ, cap. 17. *fidentissime recusandum & moriendum erat potius pro innocentissima veritate.* — 145. — Rupertus Cassianus. — Beda Clemens Alex. — Prouer. 12. — Innocent. 3. — Augustinus.



*VARIETAS LECT. Verſ. 21.*

V*Ulg.* Et quia timuerunt obſtetrices Deũ, ædificauit eis domos.

A

*Sep.* Quoniam autem timuerunt obſtetrices Deum, fecerunt ſibi domos.

*Cald.* Et factum eſt cum obſtetrices timuiſſent à facie Dei, fecit eis domos.

## *CONCORDIA.*

C*Ald.* vertit להן lehen fœminine *eis*, licet in Hebræo ſit pronomen maſculinum, להם lahem, tamen illud per enallagen Hebræis familiarem ponitur pro fœminino להן lahen vt hic & cap. 15. verſ. 20. & alibi, ſic vice verſa fœmininum ponitur pro maſculino, Ruth. 10. verſ. 13. 2. Reg. 4. verſ. 6. vtitur autem hîc Moyſes maſculino pro fœminino, quia fœminæ & familiæ à viris nomen accipiunt; verum eſt Septuaginta in antiqua editione non vertiſſe domos eis ædificaſſe, ſed eas ſibi. Quod & à Theodor. viro Græco doctiſſimo reprehenditur, qui cum editione Aquilæ, Symmachi ac Theodotionis emendauit codices Septuaginta, quare hodie eorum lectura in Complutenſi editione ab Hebraico & à noſtro vulg. non diſſidet; habet enim ἐποίησεν ἑαυταῖς οἰκίας & quamuis antiqua adhuc Septuag. lectio retineretur, ſcilicet fecerunt ſibi domos, tamen eorum ſenſus non longe abeſſet à noſtro, nam quod Deus facit efficiendo illæ dici poſſunt feciſſe, merendo, merendo inquam non per mendacium, ſed per miſericordiam erga pueros & Dei timorem.

B

## EXPOSITIO.

E*T quia timuerunt obſtetrices Deum*, parcendo innocentibus, *fecit eis domos*, non populus Hebræorum fecit obſtetricibus domos munitas, in quibus illæ ab incurſu Ægyptiorum tutæ eſſent, non enim credibile eſt Hebræos qui in ſummo diſcrimine verſabantur, voluiſſe aut potuiſſe eas defendere aduerſus Regem Ægyptiorum, nec etiam fecit Pharao eis domos in quibus clauſæ manſiſſent obſtetrices, vt ad eas Hebreæ parturientes adducerentur, vt ibi Ægyptiis inſpectoribus exploratè cognoſcerentur mareſne an fœminas parerent Hebreæ. Sed dicendum, *quod illud fecit* refertur ad Deum, quibus autem fecit non. Iudæis, licet enim in ipſo Hebreo pronomen *ipſis* ſit in maſculino genere, ſed diximus in concordia in vſu eſſe apud Hebræos pronomina maſculina vſurpari pro fœmininis & fœminina viciſſim pro maſculinis, ſed ſenſus germanus eſt Deum feciſſe non Iudæis, ſed obſtetricibus domos: ſed difficultas non exigua, quid per facere vel ædificare domos hîc intelligatur, nam quidam volunt fuiſſe latibula ſeu abſcõditoria, vt protegerentur à Pharaone, cuius edictum contempſerant: alij notabilia matrimonia cum primariis Iudæis, ad quorum Religionem tranſierant nutrices: alij domos cœleſtes, exiſtimo tamen hæc verba, *fecit eis domos* eſſe phraſim Hebræam, ſignificantem facere progeniem & familiam & poſteritatem, nomine enim domus in ſcriptura non C ſolum habitationis locus, ſed & filij, quibus tanquam lapidibus domus ſeu familia conſtituitur & creſcit, denotantur per domos etiam recte intelligi poſſunt peramplæ bonorum facultates,

## CONCEPTVS.

### *Miſericordia in miſeros facit ampliſſimas domos.*

146. Q*Via timuerunt obſtetrices Deum ædificauit eis domos*, quid eſt ædificauit eis domos, in præmium condignum tam eximio opere nempe vitæ innocentium conſeruationis, vel diuino timore? plures cum quibus ſentimus dixere non ſolum hæc verba materiale ædificium, ſed potius metaphoricum, quale fit ex progenie, perennitate, importare, ſic vulgo domorum erectores vocantur, à quibus familiarum ſplendor in ædificiis & in longa progenie ortum habuit. huc ergo aduocandi ſunt omnes mundiales homines, qui operam nauant domibus illuſtribus erigendis, æternandis, & videant quibus copiis id præſtare valeant nimirum miſericordiã & charitate, ad hæc dicebat D. Chryſoſt. ho. 15. in epiſt. ad Hebr. *In hoc igitur ædificio ſtudeamus noſtras euacuare pecunias nec fabris, nec ſtructoribus, nec operariis opus habebimus, manus namque pauperum tales domos ædificant, claudi, cæci, vel debiles iſti qui domos illas ædificant & non mirteris, eleemoſyna quippe artifex magna conſiliis & auxiliatrix eorum qui illam faciunt*, qui domos in Neſtoreos annos duraturas erigere meditatur, non curet alios artifices perquirere, eleemoſyna in pauperes vel miſericordia in miſeros artifex eſt, de cuius munere venit, quod domus ſtabiliantur, & nouis in dies augumentis irradient.

D.Chryſoſt.

### *Miſericordi in miſeros, domus æterna & caleſtis praparatur.*

D *Quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit eis domos* Certe videtur Deus bonorum operum exiguus & parciſſimus remunerator, cum ſolas domos timentibus ſe ædificet: aduerte vocabulo *domus* interdum in Scriptura ſignificari cæleſtem gloriam, perſpicue indicant illa verba Domini Ioan. 14. in domo patris mei manſiones multæ ſunt, & illa Pauli 2. ad Corint. cap. 5. ſcimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactã ſed æternã in cælis: ne dicamus igitur Deũ remuneratorẽ parciſſimum, ſed potius liberaliſſimum cum 147.

Ioannis 14. 2. ad Cor. 5.

obstetricibus, quæ in pueros ex timore diuino S.Hyeron. misericordes fuere domos cœlestes & æternas parauerit. id expresse tenet Hiero. in cap. 65. Isa. *Ergo domus (inquit) in quibus habitaturi sunt qui ędificant eas, vel virtutes intelligendæ sunt, vel diuersæ mansiones apud patrem, quas iugiter possidebit qui eas ædificauerit, quales sibi ædificasse obstetrices dicuntur in Exodo quia timebant Deum.* & Rupertus. Rup. lib. 1. *cap. 7. ędificauit eis domos subintellige æternas, quod enim ædificat Dominus æternum est.*

### *Misericordi nunquam deficient clarissimi consanguinei.*

148 *Quia timuerunt Deum ædificauit eis domos*, Noster Lyranus interpretatur per domorũ ædificationem factã eis à Deo, nihil aliud esse quam obstetrices illas receptas in populũ Hebræum, quæ nubentes viris eius populi primariis, nobilium atque illustriũ familiarum inter Hebræos capita fuerunt: quomodo ad tantum honorem illectæ, cum essent Ægyptiæ vilissimæ, vt fierent virorum nobilitate & sanguine illustrium coniuges? nonne misericordes? quid mirum igitur viris nobilissimis matrimonio coniunctas? misericordi enim nunquam deficient consanguinei nobilissimi. Lubet subiicere verba nostri Lyran. Lyranus. *Fuerunt autem obstetrices in populo Iudæorum inter maiores promotæ, & sic ædificauit eis domos temporales, sicut in lib. Iosue factum legitur de Raab quæ suscepit exploratores, quæ conuersa ad fidem iuncta est matrimonio Salomon principi tribus Iudæ, & in lib. Iudith de Achior, quomodo conuersus ad fidem & in illo populo promotus.*

### *Mores filiorum debent à parentibus perpoliri & efformari.*

149 *Quia timuerunt Deum ædificauit eis domos.* Satis nota & vsurpata Phrasis sacræ scripturæ, secundum quam dicitur quis ædificare sibi domum, facere progeniem & familiam verbum enim Hebræum bana significat ædificare, vnde ducitur nomen Ben significans filium, quod filius sit quoddam ædificium patris. sed procreatio filiorum solumne ædificatio dicitur? quod sicut ex multis lapidibus & lignis inter se coniunctis fit domus, ita ex multis filiis fit familia & progenies? non equidem, sed quod sicut ligna ac lapides ad construendam & ædificãdam domum perpoliti & ad normam concisi, dispositi, ac dolati suis coaptantur locis per manus artificis, sic mores filiorum debent efformari, disponi, ac perpoliri ad amussim diuinæ legis, & ad regulam & mensuram virtutis, vt nihil asperũ, nihil indecorum, curuum, contractum, aut lacunosum appareat, meminisse proinde debent parentes esse velut artifices harum domorum construendarum, quibus maxime incumbit omnia disponere, dirigere, & ordinare, vt nihil incompositum, curuum, aut subnotandum appareat. hunc loquendi modum vsurpauit D. Chrys. ho. 16. in Matth. quando dixit S.Chrysost. *omni statuario excellentiorem hunc iudico qui iuuenum animas fingere non ignorat*, & Chrysol. ser. 1. de duobus filiis in hanc sententiam dixit, *sapiat nos paterna reuerentia, matris componat affectio, cognatorum custodiamur affectibus inter propinquorum lumina non valent delicta versari, propinquorum tot oculi, tot lucerna, dies est aspectus matris, sol patris rutilat in vultu, vnde viuentes inter tot virtutum duces, criminum tenebræ propinquare non possunt: sed mensa patris nos alit virtutis cibo, salutis epulo, deliciis honestatis & gloria.* Petrus Rauennas.

### *Deus in quo recte egimus, aliquando remunerat.*

150 *Quia timuerunt Deum ædificauit eis domos*, idest secundum plurimos progeniem suam & genus multiplicasse. sed quodnam est huiusmodi præmiũ? quænam merces pro tot infantibus à vitæ discrimine liberatis? nonne non parentibus edicto Regis obstetricibus, genus Iudæorum multiplicatum? aucta eorum progenies? bene ergo Deus ædificat eis domos, idest progeniem suam multiplicat, vt in quo recte egerunt, in eo remunerentur. ita Euseb. Cęsar. cit. à Lypp. Eusebius Cæsariensis *Quia Israelis genus seruarunt illarum genus Deus multiplicat*, ita & Diodorus sentit. Diodorus.

### *Deus vult compertum haberi bona opera ab se remunerari, vt omnes ad agendum virtuose excitentur.*

151 *Quia timuerunt Deum ædificauit eis domos*, Quod plures solum temporale præmium fuisse arbitrantur. sed si solum collatum est eis temporale præmium, cur in eo recensendo detinetur Moyses, cum id ita sit parui momenti, vt potius silentio obuolui deberet, quam referri? nonne maximum contulere beneficium populo Iudæorum, eorum pueros seruantes incolumes: merito igitur licet fuisset earum solum merces temporalis, memorię traditur: vult enim Deus compertum haberi bona opera ab ipso remunerari, vt omnes ad agendum virtuose excitentur: fauet Abul. Tostatus. *Si scriptura hic tacuisset beneficia illis exhibita, benefacere volentium intentio refrigesceret, cum tanto beneficio, quod in sacra scriptura reperiebant, nullum condecens præmium redditum legeretur, valde ergo condecuit, ad beneficos accendendos insinuari bene merita sine congruentibus præmiis non transiri.*

### *Timor Domini præparat animam ad præcepta seruanda.*

152 *Quia timuerunt Deum & ædificauit eis domos*, Antiqua Septuag. Interpretum lectio habet, sibi domos ædificauerunt. ita S. Aug. & Dorotheus S. August. S. Dorotheus. statim citandus: an de materialibus domibus hoc intelligendũ? negat D. Doroth. doctrina 14. cuius titulus est de ędificio & harmonia virtutum animę quia inquit contrarium facere docemur, vt scilicet quas habemus domos ad tempus relinquamus ob timorem Dei: de quarũ ergo domorum ędificatione sermo est? sane inquam spiritualium: sed cuiusnam domus spiritualis? audiamus cit. Archimandritam. *Clarum est* inquit *non de sensibilibus domibus sed de domicilio animæ habere sermonem, quod quisque sibi extruit, eum diuina mandata custodit, nos igitur docet per hoc sacra scriptura, quod Dei timor animam præparat ad ipsius præcepta custodienda, & per*

*Dei præcepta animæ domus extruitur : quare nobis vtilis fratres intendamus, timeamus, & nos Deum, ædificentur nobis domus quibus hyberno tempore protegamur & tonitrua, fulgura & pluuiam declinemus.* A

### *Qui virtutis ædificium construit vndique munitissimum reddat.*

153 *Quia timuerunt Deum & ædificauit eis domos*, diximus eũ sibi ædificare domũ qui diuina mãdata custodit : sed quo pacto ędificabitur huiusmodi domus spiritualis animæ, quæ in hyeme duræ tentationis, in pluuiis aduersitatis, necnon in calore nimio libidinis protegetur? aduerte quod à materiali ædificio nostri spiritualis possumus perquirere notitiam, opus primum est ei qui voluerit domum condere, vndique illam præmunire, à quatuor partibus attollere ædificia, ñec vnius tantum partis habere curam, cæteras vero negligere, quandoquidem nihil proficit, sed & laborem, & sumptum, atque omnia denique perdit: dicamus similiter in ædificio virtutum, sic laborare debemus, vt animam nulla ex parte non munitam patiamur, cuius nihil debet negligi, quin ęqualiter & apte erigatur, *hoc est* (inquit cit. Doroth.) *quod aiebat sensu ille venerabilis Ioan. Abbas, libet mihi hominem ab vnaquaque partem virtute pauxillum quid decerpere, & non vt plurimi faciunt, vni semper virtuti insistere, cæteras negligere. Hi enim cum in ea ipsa virtute cui insistunt principatum forte teneant, nec ab opposito & contrario vllo ipsius virtutis oppugnentur, à reliquis tamen passionibus subducuntur & oppugnantur; nullaque illis cura est deinceps, sed existimant sese magnum quidpiam tenere. His similes mihi videntur eius qui cum parietem ædificare voluerit, & attollere quantum quiuerit ad ipsius altitudinem tantum prospectum habet, & magnum aliquid se extruxisse credit, non perspicit autem quod quiuis ventus etiam si modicus spirauerit, illum potest ad terram deiicere, non enim catenam habet & coniunctionem aliorum parietum; neque potest quis tectum sibi facere ex vno pariete, priuatus est enim cæteris partibus, at vero minime sic agendum est, sed potius qui ędificare sibi voluerit domicilium & tectum facere, ex omni parte illud ædificet, & vndique munitissimum reddat.* Deinde prosequitur, quomodo construendũ est huiusmodi spirituale ædificium, vt sit ex omni parte absolutum & vndique munitum: *Primum*, inquit, *iacienda sunt fundamenta quæ fides est, sine fide enim, ait Apost. Heb. 11. impossibile est placere Deo, construas deinde supra fundamentum ædificium excellentissimum, occurrit obedientia, adiicias lapidem primum obedientiæ, contingit ira vel commotio vlla fratris in se, apponas patientiæ alterum lapidem, intercurrit incontinentia, tertium addas continentię lapidem, & sic à quacunque virtute quæ occurrerit sumendus est lapis & ædificio ipsi apponendus, & sic per circuitum attollendum. Hinc quidem lapides misericordiæ, inde mortificatio voluntatis, alia ex parte lapides mansuetudinis, atque aliarum huiusmodi virtutum, ante autem omnia procuranda est patientia & longanimitas, hæc enim anguli domus sunt, quibus ædificium ipsum constringitur, & paries parieti annectitur & copulatur, cæmentum humilitas est, &c.*

Dorotheus

Ad Hebr. 11.

### *Timenti Deum innumera bona euenient.*

*Et quia timuerunt Deum ædificauit eis domos.* 154.
Quid est domos eis Deum ædificasse? aliqui respondent diuitias eis plurimas concessisse, item familiarem amplissimam eis dedisse, alii posteritatem & progeniem, alij ad principum matrimonia euexisse, alii domos spirituales & æternas præparasse. His hæc omnia debebantur, quia timuerunt Deum, inquit textus, & merito, timenti enim Deum innumera euenient bona, quę recensens Dionys. Papa 2. in Epist. decret. ad Vrbanum præfectum ait, *Timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis, timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, in longitudine dierum: timenti Deum bene erit* B *in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur, timor Domini scientia religiositas omnem domum impleuit à generationibus, & receptacula à thesauris illius.*

Dionysius Papa.

### *Bona opera Deus ex iustitia remunerat.*

155

*Et quia timuerunt Deum ædificauit eis domos.* Quod nomen in Hebræo respondet Deo? an Iehoua, vel Elohim? sane Elohim. Cur cum hic agitur de bonis spiritualibus vel temporalibus, quorum Deus est fons & origo, non dixit Iehoua? hoc enim nomen significat principium omnium bonorum, recte elohim dixit, quod iudicem significat, quia bona opera ex iustitia remunerat, nec dissentit Caiet. *nomen Elohim*, inquit, *est conueniens iustæ retributioni, & meritum apud summum iudicem manifestatur.* C

Cardinalis Caietanus.

### *Mulier si compassione erga miseros ducitur, nomine masculino decoratur.*

156

*Quia timuerunt Deum ędificauit eis domos.* Quibus? an Israelitis, aut obstetricibus? aliqui existimant quod Israelitis, quia in Hebræo est pronomen masculinum lahem; sed sanior & verior sententia est non ipsis Iraelitis, sed ipsis obstetricibus domos ædificasse: cur ergo Moyses non posuit pronomen fœmininum lahen mulieribus proprium? dices quia per enallagen, id est Hebræis commune, vt pro fœminino pronomen masculinum substituant. Cur etiam non dicemus ideo pronomine masculino Moysen eas cohonestasse, quia cum maxime misericordes & in miseros compassiuę fuissent, nomen D masculinum merentur? Fauet Seraph Porr. Conclus. 3. *Erant siquidem homines illæ obstetrices, homo autem dicitur ab humanitate habita quasi humanus & benignus.*

Seraphinus.

### *Ampliori manu remunerat Deus quam mereamur.*

*Quia timuerunt Deum ædificauit eis domos.* Per domos intelligit auctor catenę Grecę, omnium bonorum abundantiam, nonne satis erat ob vitam innocentibus seruatam, etiam obstetricum vitam seruari, ne à Rege propter sua iussa contemptui habita, interficerentur? cur ergo propter vitę suę conseruationem, omnium bonorum genere cumulat? quia Deus longe maiori manu remunerat quam mereamur: *Quamobrem* 160

prix præferunt, *Gaudebat lætissimus hostis* (inquit cit. August.) *inter madentes omnium fletus, quantæ perierunt dolentium preces? quantæ incassum effusæ sunt lachrymæ? suos iam casus in alijs alij cernebant, quanti pro filijs optauerunt mori, quantæ sententiam cōtemnere voluerunt Tyranni?* (Cit. Aug.)

*Tyrannus vt suam adimpleat crudelitatem, in paucis non potest sistere peccatis.*

164 *Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proijcite*, Nonnne satis erat tot ærumnis Israelitas, vsque ad crudelem eorum interitum oppressisse? vel siste saltem in illo inaudito crimine, quo præcepisti obstetricibus vt masculos Hebræorum in ipso partu occiderent. cur vlterius progrederis? quia nescit Tyrannus vt suæ immanitati satisfaciat, in paucis sistere peccatis. *Tria scelera subsequenter*, inquit Rupert. (Rupertus.) *commisit Pharao, primum quod hoc intendit opprimendo filios Israel quatenus voluptate generandi emortua filij non procrearentur: secundum quod obstetricum dolo agere nisus est, vt nati paruuli clam interimerentur. tertium cum aperta sæuiens persecutione, præcepit omni populo suo vt masculos in flumen proijcerent.*

*Cum maximis vrgemur malis nostra instat salus.*

165 *Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proijcite*, Quid hac sæuitia crudelius excogitari potest? sed quid Pharao hac conficit crudelitate? num extirpat genus Hebræorum radicitus? minime, non enim est contra Dominum consilium: voluit immanissimus rex Hebræos delere, hancque voluntatem tot repetitis declarat mandatis. an Deus? an Pharao inter hos præualuit? certe Domini voluntas ita promouit, vt Pharao longe aliud agens adiuuerit potius voluntatem Dei Tyrannide sua quam impedierit, imo creuit populus, & confortatus est nimis, sed in immensum ô Deus augebitur eius inhumanitas, quanto magis creuerit tāto eorum salus propinquior imminebit: *Per gradus, aucta sæuitia* inquit Lypp. (Lyppomanus.) *signum fuit instantis salutis, non enim permittit Dominus suos diuexari supra quam ferre possunt.*

*Quos habuimus sceleris consiliarios, hos aliquando etiam carnifices experiemur.*

166 *Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proiicite.* Cur suos ita dire permittit cruciari Deus? nonne ab eo omnino derelictos quis facile credet? quis enim vsque ad hanc immanitatem vidit vnquam etiā impiissimum populum cruciari? nonne hoc permittens nimiæ arguetur sæuitiæ? aduerte aliquos Israelitas tunc temporis etiam fuisse idolis seruientes, quod patet ex Ezechi. 23. (Ezechiel. 23.) vbi dicitur de fornicatione eorum cum dijs Ægyptiorum sub quadam metaphora corporalis ac venereæ fornicationis in hunc modum; insuper fornicationes suas quas habuit in Ægypto non reliquit, nam & ibi dormierunt cū ea in adolescentia sua, & ibi confregerunt vbera pubertatis eius, & effuderūt fornicationem suam super illam, & iterum ibidē multiplicauit fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Ægypti, insaniuit libidine super concubitū eorū, quorum carnes sunt vt asinorum, & fluxus equorū, fluxus eorum, visitastis scelus adolescentiæ tuæ, quādo subacta sunt in Ægypto vbera tua, & cōfractæ mammæ pubertatis tuæ; ne dicamus igitur Deum nimis seuerum si ab ipsismet Ægyptiis à quibus didicerant idololatriam permittit Israelitas cruciari, quia Dei iusto fit iudicio, vt quos sceleris habuimus consiliarios, hos etiam carnifices experiamur: mens est Abul. (Abulensis.) *Hebræi tunc idolorum cultui operam dabant imitantes mores Ægyptiorum, ideo illos quos in scelere magistros ac præuios habuerunt in irrogandis pœnis, tortores senserunt: sic enim est in inferno vt homines qui dæmonibus suggerentibus sceleribus enormibus se inseruerunt, ijsdem assligentibus crucientur.*

*Rex & alij principes si inhumani & Tyranni, non nobiles sed ignobiles censendi sunt.*

*Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proijcite.* Quis hoc præcipit? Pharao? cur rex nō dicitur? quibus id præcipit? omni populo suo: debuit dicere Moyses vt populum à populo distingueret, præcepit tū nobilibus suis, tū alijs domesticis, rusticanis &c: nonne immanissimū hoc erat facinus? nōne omnem sæuitiam superabat? cur ergo rex nominaretur id præcipiens? cur nobiles dicerentur iussa illius exequentes? nō enim nobiles, sed ignobiles censendi sunt, qui virtuti non student, sed sæuitiæ & crudelitati inuigilant. 167

*Vera enim & summa est nobilitas*, inquit D. Hier. (S. Hierony.) Epis. ad Celantiam, *clarum esse virtutibus, vā qui claro, nobili, regali semine aut genere creti & nati sunt, in eam potissimum curam incumbere debent, vt seruiant Domino in timore, eiusque populo cum æquitate*, & D. Greg. Naz. (Greg. Naz.) oratione in laudibus Heronis Philosoph. *Nobilitatē dico, non quam plerique existimant, & quæ vulgi opinione censetur, absit, neque enim nostrum est, acne Philosophi quidem eam generis claritatem admirari, quæ à fabulis & sepulchris, superciliоque iampridē corrupto ac putrefacto manat, nec eam quæ sanguine ac diplomatibus comparatur, quippe quam nobis adferāt ac regum, ignobilium quoque fortasse manus nobilitatē velut quiddam aliud impetrantium atque decernentium, sed eam demum nobilitatē intelligo, quam pietas vitæque sanctimonia atque ascensus ad primarium illud bonum, ex quo originem traxit, insculpsit.*

*Miserrimæ principum aulæ in quibus impietati non contradicitur.*

168 *Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proijcite.* Scythis terrior, Massagetis inhumanior, Echete & Phalaride crudelior, dirus Pharao animaduertens se ab obstetricibus delusum in occulta infantium nece, ad alterum se nocēdi aditum vertit, vt palam faceret quod antea occulte patrauerat; suis præcipiens omnem Hebream masculinam prolem in flumē deijcere: an aliqui tā diro edicto renuerunt obedire? an aliquis eorum dixit rem iniustā esse, tot infantes occidi? an aliquis eorū solo naturę instinctu, miserabilem Iudæorū sortē deflere? qui apud regē pro eis intercederet? qui tot regis emolliret mul-

lus equidē, & ideo miserrimas profectò dicere possumus, principum aulas, & dæmonum potius quam hominum lustra, ex quibus sic exulat omnis humanitas, pudique consiliis nullus relictus est locus, & veritas non auditur, & impietati non contradicitur.

*Dæmon dū in nos sæuit in hoc sæculo, ad futurum prosequendum nos impellit.*

169. *Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proiicite.* Non potuit immanitas maius augmentum malitiæ accipere, aliud sane non habuit nisi dæmonem, ad hanc tot infantium occisionem impellentem: sed cur laboras in tot submergendis innocentibus? an nocitura est toti Israelitarum populo hæc inaudita persecutio: non equidem, imo vtilissima, quia dum in eū sæuit in Ægypto, ab ea egredi compellit, terramque patribus suis promissam possidere: ita similiter dum tartareus Pharao in nos sæuissimè agit in hoc sæculo, ad futurum prosequendum toto affectu impellit, quod eleganter obseruat Petrus Dami. cit. in alleg. Trim. *, sicut prouidentia diuina disposuit ad educendum de Ægypto Israeliticum populum ducem Moysen, cum iam Pharao ad opprimendum duris operibus esset excitatus, quatenus Israelitarum populos Ægypto deformiter inhærentes, alius eum vocaret, quasi traheret, alius velut impelleret dum sæuiret, vt dum plebs in seruitio turpiter figitur, dum malisi pulsa vel prouocata bonis moueatur: hoc etiam in populo Dei agitur frequentius, cum cælestibus præmiis prædicatis sæuire in electos reprobi permittuntur: vt si vocati ad terram promissionis venire negligimus, pressuris saltem sæuientibus impellamur: atque hæc Ægyptus vita videlicet præsens, quæ nos oppressio blandiens, adiunet premens, quatenus quę dum foueret, iugo nos seruitutis attriuerat, libertatis viam dum affligit, ostendat.*

Petrus Dam.

*Molles & impudicos diligit dæmon.*

170 *Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proijcite.* Quid autem de fœminis agetur? seruate, inquit, quid muliere periculosius, de carbonibus enim, inquit Cypr. de singul. Clericor. scintillæ desiliunt, de ferro rubigo mittitur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam quam Salomon sic comparat dicens, de vestimento procedit tinea & à muliere iniquitas viri, quid de ea sentit Chrysost. in ser. de decollatione S. Ioan. Bap. ò malum omni malo peius! mulier mala siue illa pauper sit, siue illa diues. Si facultates habet, cōparatrices sunt malitiæ suæ, ò malum intolerabile! vipera irremediabilis, venenum insanabile, mulier mala, si iniuriam patitur, insanit, si honorem accipit, extollitur, blanditur nequiter, & quod vult importuna rapit violenter. Timor Dei non refrænat linguam suam, nec irata futurum iudicium prospicit, nec ad Deum attendit, mulier malitia omnes prostrauit, omnes iugulat, omnes interficit, omnes elidit, mulier impudens nemini parcit: si ergo ita periculosa mulier, cur solas fœminas seruari iubes? sed si Pharaone Dæmonem intelligas, sicut fœmininis mollitiem & impudicitiam: quid mirum si incolumes seruari iubet? nihil enim ita diligit ac molles & impudicos, quod cecinit Pet. Riga.

Cyprianus

B. Chrysost.

*Ægypti princeps, muliebrem viuere sexum.*
*Imperat, & mergi cogit in amne mares,*
*Dæmon fœmineos, & molles diligit actus,*
*Et sanctos odit, prosequiturque viros.*

Petrus Rig in suo libro de aurora

*Idololatriæ peccatum in pœnam homicidij*

*Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proiicite* Iussa exequuntur Ægyptij, an eorū mansit delictum impunitum? an in flumine, vel ex flumine pœnam non sentient? pœna enim vt plurimum respondet peccato, & in quibus delinquimus in ipsis punimur, nonne Apim ex flumine egredientem tanquam verum numen coluerunt impii idololatræ? dicemus ne in pœnā innocentium submersionis in aquis fluminis incidisse in idololatriam Apis ex flumine egredientis? ita sentit Magi. hist. Schol. cap. 4. in Exod. *Multi eo tempore submersi perierunt, pro quo peccato, creditur Deus Ægyptios tradidisse in hunc errorem, vt Apim pro Deo colerent. Erat autem Apis vt ait Plinius, qui testatur se vidisse eum, quidam taurus, qui ex improuiso egrediebatur de flumine, habens in humero dextro signum candidum, instar Lunæ corniculatæ, ad quem cum statim confluerent Ægyptii omni genere musicorum psallentes leuabatur in aera, super eos tanquam psallens ferebatur, & ad motum vel stationes ipsius ipsi in terra mouebantur & stabant, & eadem die euanescebat, dicunt autem quidam, quod in festo Serapis annuatim emergebat, vnum & ipsum Serapim, idest Serapi consecratum autumant vocatum. Alii autem semel per decennium apparere dicunt. Alii tantum tempore iusti sacerdotis Heliopoleos, iniusti non, vt quasi diuinitus iustitia iudicaretur sacerdotum. Peccatum ergo fluminis punituit Deus in errorem fluminis.* 171.

*Prius quod in nobis est virile & forte nititur diabolus eradicare, vt quod fœmineum est crescat.*

*Quidquid masculini generis natum fuerit, in flumen proiicite*, fœminas autem reseruate. Cur prius non iubet vt fœminæ seruentur, deinde vt masculi aquis suffocentur? videtur enim præcipere vt masculis interfectis prius, seruetur sexus muliebris: quia diabolus scit in nobis fœminea non vigere posse, dum quod forte & virile est perseuerat, ideo ne hæc augmentum in nobis accipiant, prius quod robustum est & virtuosum nititur eradicare. *Considera* (inquit B. Hier. in cap. 3. Nahum) *quod Ægyptius Imperator viros Hebræorum non possit occidere, nec eos qui iam egressi sunt de infantia, sed quorum adhuc ætas tenera est & molle corpus & profectus incipiens, scit non posse nutriri fœminas nisi interfecti fuerint masculi, vult itaque in Hebræis quidquid forte est & virile, hoc gurgite sui fluminis suffocare, vt quæ fœminea sunt liberius sola succrescant.* 172

B. Hierony

*Melius est sine liberis mori quam eos habere Dæmonem colentes.*

*Quidquid masculini generis natum fuerit in flu-* 173

*diantur in eius itinere, velut leuis est tractus, sed non est rectus, ita ergo impij repunt atque serpunt ad no-* A *cendum habentes occultum venenum sub leui contactu.*

## *VARIETAS LECT. Vers. 19.*

V*ulg.* Quæ responderunt, non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsę enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt.

*Sep.* Non sicut mulieres Ægypti, sic Hebrææ, pariunt enim priusquam ingrediantur ad eas obstetrices, & pepererunt.

*Cald.* Quia ipsæ sapientes sunt, & antequam veniat ad eas obstetrix, pariunt.

*Pag.* Obstetrices sunt ipsæ, antequam veniat ad eas obstetrix, pepererunt.

B

*Bib. Antiq.* Non sunt mulieres Ægyptiæ, & Hebrææ sunt, nam viuaciores sunt ipsæ, antequam veniat ad eas obstetrix, pepererunt, *sic Oleast. Caiet.*

*Alij.* Nam robur vitæ multum est eis.

*Rab. aliqui.* Similes sunt bestiis, quæ dum pariunt non indigent obstetricibus.

*Targ. Hieros.* Quoniam viuificant ipsæ antequam ad eas obstetrix veniat, orant enim coram patre suo cœlesti, & exaudit eas atque ita pariût.

## *CONCORDIA.*

NOster vulgatus sequutus est Caldæum legentem, quia ipsę sapientes, in Hebræo autem est כי חיות הנה Ki Chaioth hena, quoniam ipsę Chaioth, vox autem חיות non deducitur vt Rabbini volunt ab חיה sed ab חיה chaia quod bestiam significat, quasi dicat, mulieres Hebræas instar bestiarum sine obstetrice parere, sed à חיה chaia, quod viuacem significat, pertinetque aut ad robur & firmitatem corporis sicut aliqui verterunt, quasi dicerent eas esse ita corpore robu- C stas, vt vix partu infirmentur, adeoque facile seipsas iuuent: aut ad animi vigorem, quo noster vulg. respexisse videtur & Cald. qui habet, ipsæ enim sunt sapientes: scio tamen חיות simpliciter pro obstetrice accipi posse, vt illæ sic dicantur חיה chaia, id est vixit, quod in piel habet חיה chija viuere fecit, seu vitam conseruauit eo quod magna pars sint vt proles viua permaneat, & conseruetur, & ita ex Hebræo verti potest, ipsæ enim obstetrices scilicet sibi sunt.

## EXPOSITIO.

Q*Væ respond. rũt*, Regi cõquerẽti de masculis interficiendis in ipso partu præceptũ suũ nõ obseruari, meditatã diu vt par est credere attulerunt respõsionẽ, eoq; confugerunt, vt dicerẽt, non potestuũ consiliũ perfici in Hebræis sicut Ægyptiis, *non sunt enim Hebrææ mulieres sicut Ægyptiæ*, ipsę enim obstetricandi scientiã habẽt, id est peritiã scilicet earũ plurimæ, *& priusquã veniamus ad eas pariunt*, scilicet plures ex eis, aliarũ Hebræarum ope adiutæ: in hac respònsione passim mendaciũ officiosum agnoscunt interpretes, quia dicunt hac responsione significasse se non euocari ab Hebræis ad ministeriũ obstetricandi, sed eas per se huic necessitati satisfacere, cũ tamẽ & euocatas fuisse & seruasse mares Moyses ipse testatur, sed quamuis vt diximus, interpretes passim in eis agnoscant mendacium, fortasse tamen D non dixisse, sed veritatẽ celasse dũtaxat probari potest: tota enim earũ respõsio vera est, tametsi ad mentẽ Regis iniqui prolata nõ est, nõ esse Hebræas sicut Ægyptias mulieres, vtique verum est, verũ quoq; eas scientiã obstetricãdi habuisse saltem aliquas, quis enim existimet in tanta Hebrçarum mulierum multitudine, & tam frequentatis partubus nullum earũ istã didicisse peritiã, præsertim cum se tanto apud Ægyptios odio atq; inuidia laborare cernerẽt: verũ quoque fuit plerasque mulieres Hebræas parere solitas, antequam ad eas prædictæ obstetrices accederent vel vigore proprio vsas vel sociarum Hebræarum ope adiutas, licet Rex de omnibus Hebræis mulieribus id forte intellexerit, neque dixerunt se non affuisse parientibus Hebræis, quod fuisset vtique mendacium, sed id Regi existimandum relinquere.

## CONCEPTVS.

*Castitas cõiugia fœcũdat ad filiorũ procreationẽ.*

135 N*On sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, priusquam veniamus ad eas, pariunt*, Vnde fœminæ Hebræorum præ cæteris fœminis Ægyptiis, habent & fœliciores & faciliores partus? dices quia dexteritatis obstetricandi peritę sunt; sed peritiores sunt Ægyptiæ in hac arte, vel saltem ita peritæ, cur ergo Hebrææ in partubus suis sunt fœliciores & faciliores? sane quia apud Hebræos maior vigebat castitas, & longius libidinum turpitudo aberat; quod notãs Lippo. ait; *Hebræorum fœminæ sicut castiores erant, sic in partu fortunatiores Domino promouente opus suum in fidelibus*

Lippomān.

*viuidiores, hoc est fœcundiores esse dicuntur; quia à maritis suis religiosius amata & tractata castius,* Comes est temperantiæ castitas. Nemo enim familias, nobiliũ & aliorum sterilescere. fiet hoc effrænis voluptatũ intemperantia, abscedat lues & fœlicibus replebuntur familiæ partubus.

*Via virtutis acclinis & aspera est impiis.*

*Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiã, & priusquã ad eas veniamus pariũt.* Cũ se mulieribus Hebræis in arte obstetricandi fatentur esse imperitiores? quis enim in arte sua alio inferiorem se existimat? imo figulo figulus inuidet iudicans se eo 136

superiorem

superiorem: aduertes Ægyptiis mulieribus impiorum animas intelligi, quæ multa difficultate bonorum operum partus edunt, & alieno auxilio indigent, quo iuuentur: mulieribus autem Hebræis sanctorum virorum animæ adumbrantur, quæ obstetricandi habent scientiam, & facile bona pariunt opera, quid ergo mirum mulieres Ægyptias majorem difficultatem habere in pariendo quam Hebræas? pij enim virtutis viam inueniunt facilem, impij autem difficilem. Quod annotat D. Amb. lib. de fuga sæculi cap. 8. *Et denique de alijs mulieribus habes, quia Hebreæ prius pariunt quã veniant obstetrices, & quod animæ iustorum non expectant artes & disciplinas propter inuentionum genera, nec requirant adiumenta generandi, sed sponte partus suos fundant expectationemque præueniant.*

*Quos Deus extollit, multo labore ad culmen pietatis ascendunt.*

137. *Non sunt Hebrææ mulieres sicut Ægyptiæ, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquã ad eas veniamus pariunt.* Ægyptiæ igitur eis dissimiles, quod cum summa difficultate & labore suos edant fœtus. Sed Hebrææ mulieres quæ sine alieno pariunt adiumento, antequam ad eas veniant obstetrices, quorumnam quæso tenent figuram? illorum quos Deus subito ad summam euehit virtutem, Ægyptiæ vero mulieres, quæ non pariunt nisi obstetrices sint eis adiumento, quosnam referunt? eos sane qui per gradus ad virtutem ascendunt. Quid mirum igitur primas sine difficultate, secundas autem cum labore parere? quos enim Deus extollit nulla fere opera ad culmen pietatis ascendunt. Qui vero labore ad virtutem veniunt, multis egent quibus ad eam perducantur. quod annotat Philo de congressu quærendæ eruditionis

Philo. gratia. *Tenera virtus quantum ad res malas attinet sterilis est, bonorum vero tam fœcunda, vt ne obstetricum quidem opem implores, partu præueniens earum operam.*

*Beneficia quæ alijs impendimus celemus.*

A *Non sunt Hebrææ mulieres sicut Ægyptiæ, priusquam ad eas veniamus, pariunt.* Nonne verum est vestro labore à partu liberas euasisse, & earum filios vestra misericordia incolumes seruatos? cur ergo non vestræ pietati & industriæ beneficium mulieribus Ægyptiis, imo & vniuerso populo Iudæorum impensum tribuitis? quia beneficia quæ alijs impendimus, celare debemus. *Decent nos hæ mulieres*, inquit Oleast. *beneficia quæ alijs facimus, tegere, & alijs tribuere potius quàm nobis, quemadmodum de Christo legimus, qui beneficia salutis quæ ipse præstabat in fidem sanctorum collocabat.* Oleast.

*Mulieres ne se fingant delicatulas.*

*Non sunt mulieres Hebrææ sicut Ægyptiæ*, in quo sunt dissimiles? in cultu & Religione, scimus Hebræas vnum Deum colere, alias autem idolis seruire. In quo ergo? priusquam ad eas veniamus, pariunt. Nonne obstetrices solent conuocari vt partum fœliciorem & faciliorem Lusitanus. 139.

B reddant? quomodo ergo eas non conuocant Hebrææ, vt sibi in partu faueant? respondet Oleast. *debent fœminæ robustæ esse, & sese roborare ad ardua peragenda*, quasi diceret, fingit se hic sexus delicatum, imitari tamen deberet Hebræas, quæ ardua & difficilima quæque superant.

*Cum aliquid per te potes efficere, ne alium adiutorem aduoces.*

*Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, priusquam ad eas veniamus, pariunt.* Cur ne aliquod vitæ discrimen vobis contingeret, cum nullum majus quàm in partu habeatur, in pœnam primæ nostræ protoparentis delicti, cur obstetrices Ægyptiæ à vobis, vt facilior & fœlicior sit partus vester, non aduocantur? quid respondent 140.

C Ægyptiæ Regi increpanti cur masculos Hebræorum non interfecissent, videamus. Hebrææ obstetricandi habent scientiam, quid mirum igitur si eas non aduocant? cum enim aliquid per nos solos efficere possumus, ne alios adiutores conuocemus.

## *VARIETAS LECT. Vers. 20.*

*Vulg.* Bene ergo Deus fecit obstetricibus, & creuit populus, cõfortatusque est nimis.
*Sep.* Crescebat populus, & inualescebat valde.
*Pag.* Et roborati sunt valde.
*Cald.* Confortati sunt nimis.
*Onk.* Præualuerunt valde.

## EXPOSITIO.

*Bene ergo fecit Deus obstetricibus*, non quia mentitæ sunt, tenuimus enim in expositione præcedentis versus mentitas non fuisse. Sed supponamus cum pluribus interpretibus imo & sanctis Patribus mendacium officiosum protulisse, sane Deus non illud remunerat, sed
D opus misericordiæ in seruandis pueris innocentibus exhibitum, & *creuit populus confortatusque est nimis*, scilicet in numero & multitudine.

## CONCEPTVS.

*Cum sanctis obsequimur, duplex præmium accipimus.*

*Bene fecit Deus obstetricibus.* Nullus in dubium reuocare poterit, quin Ægyptiæ obstetrices ab Hebræis, ob singulare beneficium sibi exhibitum, remuneratæ fuerint, quis enim crederet ita ingratos & auaros Hebræos, vt ob vitã suis infantibus seruatam, irremuneratas dimiserint? si ergo mercedẽ accepere, vel saltẽ dona

in suæ argumentum gratitudinis, cur iterum Deus eis confert beneficia? *bis soluitur*, inquit Oleast. *qui sanctis administrat, semel à Deo, iterum à sanctis.*

### *Ita Deus iustus remunerator, vt etiam ea opera ad quæ aliàs tenemur, remuneret.*

142 *Benefecit Deus obstetricibus*, qua de causa hoc à Moyse specialiter obseruatur? tum nonne obstetrices tenebantur innocentes non interficere, edicto Regis vrgente? vnusquisque enim ex lege naturæ & dictante sola ratione naturali nullo proposito præmio, vitam innocenti non adimere tenetur, cur ergo huiusmodi obstetricibus Deus confert beneficia? cur eas præmiis remunerat? quia Deus ita iustus remunerator, vt etiam ea compenset opera, ad quæ aliàs tenemur.

### *Deus minime mendacium remunerat, sed bonum opus.*

143 *Benefecit Deus obstetricibus*, supponamus esse probabilem aliquorum opinionem, qui asserunt obstetrices mendacium Regi protulisse, cur ergo Deus eis beneficia confert, cum potius supplicium mererentur? omne enim mendacium sicut est peccatum, sic etiam est malum. Quod autem malum est remunerari non debet, non remunerat Deus mendacium obstetricum, sed earum in pueros misericordiam, non earum peccatum etiamsi leue & officiosum, sed potius pietatem erga innocentes, audiendus B. Aug. lib. contra mendacium, cap. 10. *Quando nobis de scripturis sacris mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non sunt, sed putantur esse dum non intelliguntur, aut si mendacia sunt, imitanda non sunt, quia iusta esse non possunt: nam quia scriptum est bene Deum fecisse Hebræis obstetricibus & Raab Hiericuntinæ meretrici, non ideo factum quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt, non est itaque in eis remunerata fallacia, sed beneuolentia, & benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim non esset mirum si priori tempore commissa ab ipsis opera mala propter posteriora opera bona vellet Deus ignoscere, ita mirandum non est quod vno tempore in vna causa Deus vtrumque conspiciens, idest factum misericorditer & factum fallaciter, & bonum remunerauerit & propter hoc bonum illi malo ignouit: si enim peccata quæ propter carnis concupiscentiam non propter misericordiam fiunt, ea propter posteriora opera misericordiæ dimittuntur, cur non merito misericordiæ dimittantur? grauius enim est peccatum quod animo nocentis, quam quod animo subuenientis efficitur.*

D. August.

### *Etiam veniale mendacium minuit meritum, quoad aliquid.*

144. *Benefecit Deus obstetricibus*, an beneficio temporali vel æterno? respondet Hugo Victo. solam mercedem habuisse temporalem, nonne propter timorem Dei quiquidem videtur filialis, & ex charitate procedens, præmium æternum merebantur, cum Deus vltra condignum muneret? audiamus citat. Hugonem *mentitæ sunt quidem obstetrices, sed propter pietatem veniale fuit earum mendacium, misericordiam exhibuerunt obstetricibus, sed propter mendacium diminutum est earum meritum, & conuersum in temporale præmium, & ita vtrumque quodammodo minuit alterum, & reducit ad mediocritatem, idest, tam culpa mendacij meritum pietatis: quàm pietas damnationem mendacij.* Idem habet D. Greg. in lib. 18. Moral. cap. 2. & 3. en quomodo mendacium etiam veniale ita minuit, secundùm Hugonem meritum, vt præmium ex æterno fiat temporale, sed hoc dictum Hugonis sicut & B. Greg. nempe obstetrices per actum timoris Dei, & per opus pietatis erga Hebræos potuisse mereri æternam mercedem, verum propter mendacium quod postea dixerunt, commutatam illis fuisse retributionem mercedis æternæ, in temporalis mercedis retributionem, hoc inquam dictum non videtur probabile, aut enim actus ille timoris Dei & benignitatis erga Hebræos profectus fuit ex Dei gratia ipsas sanctificante, aut non? si non, non poterant per illũ actum mereri vitam æternam, si mendacium postea non dixissent, si autem illa profecta sunt ex Dei gratia, sine dubio meruerunt vitam æternam, etiamsi postea mendacium dixerunt, tum quia peccatum postfuturum non potest impedire meritum præsentis gratiæ ac iustitiæ, tum quia mendacium illud fuit officiosum, ideoque leuis ac venialis culpa vt ipsimet Greg. & Hugo fatentur, peccatum autem veniale, sicut non tollit gratiam, ita nec meritum vitæ æternæ, cum autem dicimus mendacium veniale meritũ minuere, hoc intellige quantum ad feruorem &c.

Hugo Victorinus.

D. Gregorius magnus.

### *Potius moriendum quam mentiri etiam venialiter.*

*Benefecit ergo Deus obstetricibus*, cur immediatè postquam obstetrices dixere Regi Hebræas parere, antequam ad eas veniant, quod mendacium esse videatur, cum ipsæ ad eas venientes earum masculos seruabant incolumes, cur immediate inquam post hæc verba, quę secundùm plurimos mendacium continent, dicitur, quod Deus eis benedixerit? dices quia licet mendacium protulerint hoc mendaciũ licitum fuisse, quia officiosum, & ideo à Deo remuneratum, ita tenere videntur Ruper. lib. 1. cap. 7. & Cassia. coll. 17. à c. 17. ad 23. vbi docet licitum esse mentiri, vel mali vitandi vel lucri acquirendi causa, verbi gratia ad acquirēdam humilitatem, quibus aliqui alij consentiunt, vt Beda in 1. Reg. 21. Clem. lib. 7. strom. certum tamen nunc est tanquam de fide, omne mendacium esse & peccatum & illicitum, patet ex Prouer. 12. abominatio est Domino labia mendacia, definitum est ab Inno. 3. titul. de vsuris, cap. super eo, ratio est quia mendacium est intrinsece malum, tum quia repugnat veritati aut veracitati, tum quia in se turpe est homini fallere aut falli. Quid ergo faciendum erat his obstetricibus? quid Pharaoni vrgenti respondendum? videtur enim quod licite mētiri potuerunt vt suę vitæ consulerent, & innocentes seruarent, nequaquam, sed potius à facie eius fugiendũ & latendum, aut aliquo tegenda erat artificio veritas non neganda, aut certe quod ait D. Aug. lib. cont. mendaciũ, cap. 17. *libentissime recusandum & moriendum erat potius pro innocentissima veritate.* 145.

Rupertus Cassianus.

Beda Clemens Alex.

Prouer. 12.

Innocent. 3.

Augustinus.



## VARIETAS LECT. Vers. 21.

*Vulg.* Et quia timuerunt obstetrices Deũ, ædificauit eis domos.
*Sep.* Quoniam autem timuerunt obstetrices Deum, fecerunt sibi domos.
A *Cald.* Et factum est cum obstetrices timuissent à facie Dei, fecit eis domos.

## CONCORDIA.

*Cald.* vertit להן lehen fœminine *eis*, licet in Hebræo sit pronomen masculinum, להם lahem, tamen illud per enallagen Hebræis familiarem ponitur pro fœminino להן lahen vers. 8. & cap. 15. vers. 20. & alibi, sic vice versa fœmininum ponitur pro masculino, Ruth. 10. vers. 13. 2. Reg. 4. vers. 6. vtitur autem hic Moyses masculino pro fœminino, quia fœminæ & familiæ à viris nomen accipiunt; verum est Septuaginta in antiqua editione non vertisse domos eis ædificasse, sed eas sibi. Quod & à Theodor. viro Græco doctissimo reprehenditur, qui cum editione Aquilæ, Symmachi ac Theodotionis emendauit codices Septuaginta, quare hodie eorum lectura in Complutensi editione ab Hebraico & à nostro vulg. non dissidet; habet enim ἐποίησεν ἑαυταῖς οἰκίας & quamuis antiqua adhuc Septuag. lectio retineretur, scilicet fecerunt sibi domos, tamen eorum sensus non longe abesset à nostro, nam quod Deus facit efficiendo illæ dici B possunt fecisse, merendo, merendo inquam non per mendacium, sed per misericordiam erga pueros & Dei timorem.

## EXPOSITIO.

ET *quia timuerunt obstetrices Deum*, parcendo innocentibus, *fecit eis domos*, non populus Hebræorum fecit obstetricibus domos munitas, in quibus illæ ab incursu Ægyptiorum tutæ essent, non enim credibile est Hebræos qui in summo discrimine versabantur, voluisse aut potuisse eas defendere aduersus Regem Ægyptiorum, nec etiam fecit Pharao eis domos in quibus clausæ mansissent obstetrices, vt ad eas Hebreæ parturientes adducerentur, vt ibi Ægyptiis inspectoribus exploratè cognoscerentur maresne an fœminas parerent Hebreæ. Sed dicendum, *quod illud fecit* refertur ad Deum, quibus autem fecit non. Iudæis, licet enim in ipso Hebreo pronomen *ipsis* sit in masculino genere, sed diximus in concordia in vsu esse apud Hebræos pronomina masculina vsurpari pro fœmininis & fœminina vicissim pro masculinis, sed sensus germanus est Deum fecisse non Iudæis, sed obstetricibus domos: sed difficultas non exigua, quid per facere vel ædificare domos hîc intelligatur, nam quidam volunt fuisse latibula seu abscõditoria, vt protegerentur à Pharaone, cuius edictum contempserant: alij notabilia matrimonia cum primariis Iudæis, ad quorum Religionem transierant nutrices: alij domos cœlestes, existimo tamen hæc verba, *fecit eis domos* esse phrasim Hebræam, significantem facere progeniem & familiam & poste- C ritatem, nomine enim domus in scriptura non solum habitationis locus, sed & filij, quibus tanquam lapidibus domus seu familia constituitur & crescit, denotantur per domos etiam rectè intelligi possunt per amplæ bonorum facultates.

## CONCEPTVS.

### *Misericordia in miseros facit amplissimas domos.*

146. QVia *timuerunt obstetrices Deum ædificauit eis domos*, quid est ædificauit eis domos, in præmium condignum tam eximio opere nempe vitæ innocentium conseruationis, vel diuino timore? plures cum quibus sentimus dixere non solum hæc verba materiale ædificium, sed potius metaphoricum, quale fit ex progeniei perennitate, importare, sic vulgo domorum erectores vocantur, à quibus familiarum splendor in ædificiis & in longa progenie ortum habuit. huc ergo aduocandi sunt omnes mundiales homines, qui operam nauant domibus illustribus erigendis, æternandis, & videant quibus copiis id præstare valeant nimirum misericordiâ & charitate, ad hæc dicebat D. Chrysost. ho. 15. in epist.
D. Chrysost. ad Hebr. *In hoc igitur ædificio studeamus nostras euacuare pecunias nec fabris, nec structoribus, nec operariis opus habebimus, manus namque pauperum tales domos ædificant, claudi, cæci, vel debiles isti qui domos illas ædificant & non mercens, eleemosyna quippe artifex magna consistit & auxiliatrix eorum qui illam faciunt*, qui domos in Nestoreos annos duraturas erigere meditatur, non curet alios artifices perquirere, eleemosyna in pauperes vel misericordia in miseros artifex est, de cuius munere venit, quod domus stabiliantur, & nouis in dies augumentis irradient.

### *Misericordi in miseros, domus æterna & cælestis præparatur.*

D *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos* Certe videtur Deus bonorum operum exiguus & parcissimus remunerator, cum solas 147.
domos timentibus se ædificet: aduerte vocabulo *domus* interdum in Scriptura significari cæle- Ioannis 14.
stem gloriam, perspicue indicant illa verba Do- 2. ad Cor. 5.
mini Ioan. 14. in domo patris mei mansiones multæ sunt, & illa Pauli 2. ad Corint. cap. 5. scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactã sed æternãin cælis: ne dicamus igitur Deũ remuneratorẽ parcissimum, sed potius liberalissimum cum

obstetricibus, quæ in pueros ex timore diuino misericordes fuere domos cœlestes & æternas parasse. id expresse tenet Hiero. in cap. 65. Isa. *Ergo domus* (inquit) *in quibus habitaturi sunt qui ædificant eas, vel virtutes intelligendæ sunt, vel diuersæ mansiones apud patrem, quas iugiter possidebit qui eas ædificauerit, quales sibi ædificasse obstetrices dicuntur in Exodo quia timebant Deum.* & Rup. lib. 1. cap. 7. *ædificauit eis domos subintellige æternas, quod enim ædificat Dominus æternum est.*

S. Hyeron. — Rupertus.

*Misericordi nunquam deficient clarissimi consanguinei.*

148 *Quia timuerunt Deum ædificauit eis domos*, Noster Lyranus interpretatur per domorũ ædificationem factã eis à Deo, nihil aliud esse quam obstetrices illas receptas in populũ Hebræum, quæ nubentes viris eius populi primariis, nobilium atque illustriũ familiarum inter Hebræos capita fuerunt: quomodo ad tantum honorem illectæ, cum essent Ægyptiæ vilissimæ, vt fierent virorum nobilitate & sanguine illustrium coniuges? nonne misericordes? quid mirum igitur viris nobilissimis matrimonio coniunctas? misericordi enim nunquam deficient consanguinei nobilissimi. Lubet subiicere verba nostri Lyran. *Fuerunt autem obstetrices in populo Iudæorum inter maiores promotæ, & sic ædificauit eis domos temporales, sicut in lib. Iosue factum legitur de Raab quæ suscepit exploratores, quæ conuersa ad fidem iuncta est matrimonio Salomon principi tribus Iudæ, & in lib. Iudith de Achior, quomodo conuersus ad fidem & in illo populo promotus.*

Lyranus.

*Mores filiorum debent à parentibus perpoliri & efformari.*

149 *Quia timuerunt Deum ædificauit eis domos.* Satis nota & vsurpata Phrasis sacræ scripturæ, secundum quam dicitur quis ædificare sibi domum, facere progeniem & familiam verbum enim Hebræum bana significat ædificare, vnde ducitur nomen Ben significans filium, quod filius sit quoddam ædificium patris. sed procreatio filiorum solumne ædificatio dicitur? quod sicut ex multis lapidibus & lignis inter se coniunctis fit domus, ita ex multis filiis fit familia & progenies? non equidem, sed quod sicut ligna ac lapides ad construendam & ædificãdam domum perpoliti & ad normam concisi, dispositi, ac dolati suis coaptantur locis per manus artificis, sic mores filiorum debent efformari, disponi, ac perpoliri ad amussim diuinæ legis, & ad regulam & mensuram virtutis, vt nihil asperũ, nihil indecorum, curuum, contractum, aut lacunosum appareat, meminisse proinde debent parentes esse velut artifices harum domorum construendarum, quibus maxime incumbit omnia disponere, dirigere, & ordinare, vt nihil incompositum, curuum, aut subnotandum appareat. hunc loquendi modum vsurpauit D. Chrys. ho. 16. in Matth. quando dixit *omni statuario excellentiorem hunc iudico qui iuuenum animos fingere non ignorat*, & Chrysol. ser. 1. de duobus filiis in hanc sententiam dixit, *sapias nos paterna continentia, matris temperat affectio, cognatorum custodiamur affectibus inter propinquorum lumina non valent delicta versari, propinquorum tot oculi, tot lucernæ, dies est aspectus matris, sol patris rutilat in vultu, vnde viuentes inter tot virtutum duces, criminum tenebræ propinquare non possunt: sed mensa patris nos alit virtutis cibo, salutis epulis, delitijs honestatis & gloria.*

S. Chrysost. — Petrus Rauennas.

*Deus in quo rectè egimus, aliquando remunerat.*

150 *Quia timuerunt Deum ædificauit eis domos*, idest secundum plurimos progeniem suam & genus multiplicasse. sed quodnam est huiusmodi præmiũ? quænam merces pro tot infantibus à vitæ discrimine liberatis? nonne non parentibus edicto Regis obstetricibus, genus Iudæorum multiplicatum? aucta eorum progenies? bene ergo Deus ædificat eis domos, idest progeniem suam multiplicat, vt in quo rectè egerunt, in eo remunerentur. ita Euseb. Cęsar. cit. à Lypp. *Quia Israelis genus seruarunt illarum genus Deus multiplicat*, ita & Diodorus sentit.

Eusebius Cæsariensis. — Diodorus.

*Deus vult compertum haberi bona opera ab se remunerari, vt omnes ad agendum virtuose excitentur.*

151 *Quia timuerunt Deum ædificauit eis domos*, Quod plures solum temporale præmium fuisse arbitrantur. sed si solum collatum est eis temporale præmium, cur in eo recensendo detinetur Moyses, cum id ita sit parui momenti, vt potius silentio obuolui deberet, quam referri? nonne maximum contulere beneficium populo Iudæorum, eorum pueros seruantes incolumes: merito igitur licet fuisset earum solum merces temporalis, memoriæ traditur: vult enim Deus compertum haberi bona opera ab ipso remunerari, vt omnes ad agendum virtuose excitentur: fauet Abul. *Si scriptura hic tacuisset beneficia illis exhibita, benefacere volentium intentio refrigesceret, cum tanto beneficio, quod in sacra scriptura reperiebant, nullum condecens præmium redditum legeretur, valde ergo condecuit, ad beneficos accendendos insinuari bene merita sine congruentibus præmijs non transiri.*

Tostatus.

*Timor Domini præparat animam ad præcepta seruanda.*

152 *Quia timuerunt Deum & ædificauit eis domos*, Antiqua Septuag. Interpretum lectio habet, sibi domos ædificauerunt. ita S. Aug. & Dorotheus statim enandus: an de materialibus domibus hoc intelligendũ? negat D. Doroth. doctrina 14. cuius titulus est de ędificio & harmonia virtutum animę quia inquit contrarium facere docemur, vt scilicet quas habemus domos ad tempus relinquamus ob timorem Dei: de quarũ ergo domorum ędificatione sermo est? sane inquam spiritualium: sed cuiusnam domus spiritualis? audiamus cit. Archimandritam. *Clarum est* inquit *non de sensibilibus domibus sed de domicilio animæ habere sermonem; quod quisque sibi extruit, eum diuina mandata custodit, nos igitur docet per hoc sacra scriptura, quod Dei timor animam præparat ad ipsius præcepta custodienda, & per*

S. August. — S. Dorotheus.

*Dei præcepta animæ domus extruitur: quare nobis ipsis fratres intendamus, timeamus, & nos Deum, ædificemus nobis domos quibus hyberno tempore protegamur & tonitrua, fulgura & pluuiam declinemus.* A

## *Qui virtutis ædificium construit vndique munitissimum reddat.*

153 *Quia timuerunt Deum & ædificauit eis domos*, diximus eũ sibi ædificare domũ qui diuina mãdata custodit: sed quo pacto ędificabitur huiusmodi domus spiritualis animæ, qua in hyeme duræ tentationis, in pluuiis aduersitatis, nec non in calore nimio libidinis protegetur? aduerte quod à materiali ædificio nostri spiritualis possumus perquirere noticiam, opus primum est ei qui voluerit domum condere, vndique illam præmunire, à quatuor partibus attollere ædificia, nec vnius tantum partis habere curam, cæteras vero negligere, quandoquidem nihil proficit, sed & laborem, & sumptum, atque omnia denique perdit: dicamus similiter in ædificio virtutum, sic laborare debemus, vt animam nulla ex parte non munitam patiamur, cuius nihil debet negligi, quin ęqualiter & apte erigatur, *hoc est* (inquit cit. Doroth.) *quod aiebat senex ille venerabilis Ioan. Abbas, libet mihi hominem ab vna quaque partim virtute pauxillum quid decerpere, & non vt plurimi faciunt, vni semper virtuti insistere, cæteras negligere. Hi enim cum in ea ipsa virtute cui insistunt principatum forte teneant, nec ab opposito & contrario vllo ipsius virtutis oppugnentur, à reliquis tamen passionibus subducuntur & oppugnantur: nullaque illis cura est deinceps, sed existimant sese magnum quidpiam tenere. Hi similes mihi videntur eius qui cum parietem ædificare voluerit, & attollere quantum quiuerit ad ipsius altitudinem tantum prospectum habet, & magnum aliquid se extruxisse credit, non perspicit autem quod quiuis ventus etiam si modicus spirauerit, illum potest ad terram deiicere, non enim catenam habet & coniunctionem aliorum parietum; neque potest quis tectum sibi facere ex vno pariete, priuatus est enim cæteris partibus, at vero minime sic agendum est, sed potius qui ędificare sibi voluerit domicilium & tectum facere, ex omni parte illud ædificet, & vndique munitissimum reddat.* Deinde prosequitur, quomodo construendũ est huiusmodi spirituale ædificium, vt sit ex omni parte absolutum & vndique munitum: *Primum*, inquit, *iacienda sunt fundamenta quæ fides est, sine fide enim, ait Apost. Heb. 11. impossibile est placere Deo, construat deinde supra fundamentum ædificium excellentissimum, occurrit obedientia, adiiciat lapidem primum obedientiæ, contingit ira vel commotio vlla fratris in se, apponat patientiæ alterum lapidem, intercurrit incontinentia, tertium addat continentię lapidem, & sic à quacunque virtute quæ occurrerit sumendus est lapis & ædificio ipsi apponendus, & sic per circuitum attollendum. Hinc quidem lapides misericordiæ, inde mortificatio voluntatis, alia ex parte lapides mansuetudinis, atque aliarum huiusmodi virtutum, ante autem omnia procuranda est patientia & longanimitas, hæc enim anguli domus sunt, quibus ædificium ipsum constringitur, & paries parieti annectitur & copulatur, cæmentum humilitas est, &c.*

Dorotheus

C

D

Ad Hebr. 11.

## *Timenti Deum innumera bona euenient.*

*Et quia timuerunt Deum ædificauit eis domos.* 154.
Quid est domos eis Deum ædificasse? aliqui respondent diuitias eis plurimas concessisse, item familiarem amplissimam eis dedisse, alii posteritatem & progeniem, alij ad principium matrimonia euexisse, alii domos spirituales & æternas præparasse. His hæc omnia debebantur, quia timuerunt Deum, inquit textus, & merito, timenti enim Deum innumera euenient bona, quę recensens Dionys. Papa 2. in Epist. decret. ad Vrbanum præfectum ait, *Timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis, timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, in longitudine dierum: timenti Deum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur, timor Domini scientiæ religiositas omnem domum impleuit à generationibus, & receptacula à thesauris illius.*

Dionysius Papa.

B

## *Bona opera Deus ex iustitia remunerat.*

155

*Et quia timuerunt Deum ædificauit eis domos.* Quod nomen in Hebræo respondet Deo? an Iehoua, vel Elohim? sane Elohim. Cur cum hic agitur de bonis spiritualibus vel temporalibus, quorum Deus est fons & origo, non dixit Iehoua? hoc enim nomen significat principium omnium bonorum, recte elohim dixit, quod iudicem significat, quia bona opera ex iustitia remunerat, nec dissentit Caiet. *nomen Elohim, inquit, est conueniens iustæ retributioni, & meritum apud summum iudicem manifestatur.*

Cardinalis Caietanus.

## *Mulier si compassione erga miseros ducitur, nomine masculino decoratur.*

156

*Quia timuerunt Deum ędificauit eis domos.* Quibus? an Israelitis, aut obstetricibus? aliqui existimant quod Israelitis, quia in Hebræo est pronomen masculinum lahem; sed sanior & verior sententia est non ipsis Iraelitis, sed ipsis obstetricibus domos ædificasse: cur ergo Moyses non posuit pronomen fœmininum lahen mulieribus proprium? dices quia per enallagen, id est Hebræis commune, vt pro fœminino pronomen masculinum substituant. Cur etiam non dicemus ideo pronomine masculino Moysen eas cohonestasse, quia cum maxime misericordes & in miseros compassiuę fuissent, nomen masculinum merentur? Fauet Seraph Porr. Conclus. 3. *Erant siquidem homines illæ obstetrices, homo autem dicitur ab humanitate habita quasi humanus & benignus.*

Seraphinus

## *Ampliori manu remunerat Deus quam mereamur.*

*Quia timuerunt Deum ædificauit eis domos.* Per domos intelligit auctor catenę Grecę, omnium bonorum abundantiam, nonne satis erat ob vitam innocentibus seruatam, etiam obstetricum vitam seruari, ne à Rege propter sua iussa contemptui habita, interficerentur? cur ergo propter vitę suę conseruationem, omnium bonorum genere cumulat? quia Deus longe maiori manu remunerat quam mereamur: *Quamobrem* 160

(inquit Euthr. creditur enim auctor Catenæ Græcæ in Pentat.) *Deus gratiam de tam ciuili inge nio cumulatissime retulit, omnium illas bonorũ gene-* A *re exornans, quibus maxime domus & familiæ exornantur.*

## *VARIETAS LECT. Vers. 22.*

VVlg. Præcepit ergo Pharao omni populo suo dicens, quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiicite, quidquid fœminini reseruate.

*Sep.* Omne masculinum quodcunque natum fuerit Hebræis, in flumen proiicite, & omne fœmininum viuificate illud.

*Cald.* Omnis filius qui natus fuerit ex Iudæis in flumen proiicite illum, & omnem filiam reseruabitis.

*Onk* Omnem filiam viuam seruate. *Pag.* viuificabitis.

*Caiet.* Omnem filium in riuum proiicite.

## *CONCORDIA.*

NEscio cur Lyppomanus dicat in Hebræo nullam mentionem fieri fluminis, sed in hoc vulgatum sequutum fuisse Caldæum & Sep. illud habentes, in Hebræo enim est היארה תשליכהו hairah taslichuhu in flumen proiicite, abiicite, vel exponite. Certum est autem quod licet יאור ieor sæpius riuum quam flumen significet, tamen etiam flumen denotat, vt pa- B tet infra cap. 7. vbi dicitur omnes aquas quæ erant baior, id est in flumine, fuisse versas in sanguinem, si autem soli riui in sanguinem commutati fuissent, Ægyptij non ita fuissent afflicti, cum flumina ad potum haberent: item Amos. 8 Chiior sicut fluuius Ægypti, & Ezech. 29. mihi ieori, id est meus est fluuius.

## EXPOSITIO.

PRæcepit Pharao. Pharao nomen commune omnibus Regibus Ægypti, *omni populo suo*, nempe Ægyptiis, non autem Hebræis, quamuis etiam ei essent subditi: *quidquid masculini sexus fuerit natum proiicite in flumen*, non solum Nilum, vt aliqui autumant, sed in quodcunque aliud sibi vicinum, præcepit autem flumine submergi pueros, non autem iugulari, quia hoc facilius, *Quidquid fœmininum reseruate* propter rationes iam assignatas.

## CONCEPTVS.

### *Impiorum consilia in eorum perniciem relabuntur.*

156 QVidquid masculini sexus natũ fuerit in flumen proiicite. Nullum scelestius consilium dari potuit, quam de tot innocentibus flumine mergendis, quod autem ad ita inhumanum consilium præter alia Regem mouere potuit, fuit quidam scriba Regi annuntians nasciturum per id tempus apud Israelitas quendam res Ægyptias grauiter afflicturum, Israelitas contra euecturum, si modo ad ætatem adultam peruenisset, nam & virtute fore præcellentissimum, & gloria per omne æuum celebrem: quo tempore perculsus Rex edicit ex ipsius monitoris sententia, quidquid masculini sexus inter Israelitas nasceretur in flumen proiectum necari, sed D quid cõtingit? an qui quærebatur ad mortem periit? imo qui quærebat eum, tandem ab aquis suffocatus, vt euidens nobis sit consilia impiorum in eorum perniciem relabi, vnde D. Chrysostomus ho. 54. in Acta, (S Chrys.) *iussit Pharao in flumen proiici pueros, nisi proiecti fuissent pueri non fuisset seruatus Moyses, non in aula educatus fuisset, quando seruabatur non erat in honore, quando expositus est tunc factus in honore.*

### C *Diabolus vbi fœmininum animum inuenit, nihil amplius requirit ad euomendum omne suum virus.*

*Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proiicite, quidquid fœmininum reseruate.* Cur non æqualiter desæuit in fœminas? an melioris sunt conditionis quàm viri? imo ignobilioris: cur ergo mauult populi adeo exosi mulieres seruari incolumes, masculis amne submersis? nonne ab eis multiplicari potest populus Hebræorum, cuius multitudo innumera tuum excitauit in eum liuorem, & tibi timorem incussit? sed in Pharaone cum pluribus sanctis Patribus, intellige diabolum, qui vt viriles animos expauet, sic fœmineas mentes eligit, vt possit per eas suum virus euomere, suam saniem diffundere. Pulchrè D. Cyrill. Alex. libro de adoratione sic lo- (S Cyrillus Alexandr.) quitur: *Pharao omni populo dicens, omne masculum proiicite in flumen, omnem fœmininam viuificate, nec enim de fœminarum genere vlla cura erat illi, imbecillis namque muliebris sexus est neque ad prudentiam accommodatus, in vtroque autem virilis molestus est, qui cum sapiens sit, tum etiam ad bellum aptissimus; iucundissimus est igitur atque gratissimus tetro illi Draconi sathanæ, inquam mulie-*

*bris ille animi sensus, effœminatus, & imbecillis ad sapientiam quoque parum aptus, inimica porro omnis illa ad fortitudinem alacritas & animi vis, languore, metuque superior mens: item summa prudentia prædita, propterea muliebrem sexum viuum seruat, & in eo solo deponit cruentam illam determinationem atque consilium* : expende ab illis verbis *in illo solo*, &c. Quippe in solo fœmineo inuento, in sola muliebri astutia ponit diabolus totius nefarissimi sui consilii adimpletionem.

*Qui alios occidit, sanguinem occisorum habet carnificem & occisorem.*

158 *Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proiicite* Iussis Pharaonis obtemperauere Ægyptii, suffocantes aquis innocentes, Nunc consulamus cap. 6. Exodi vbi dicitur, quod eleuans Moyses virgam, percussit aquam fluminis coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in sanguinem. Glossa interl. ibi in qua necauerunt paruulos Hebræorum. Sed qua de causa Anselmus Laudunensis, flumen in cuius aquis submersi sunt innocentes, commutatur in sanguinem? vt ii qui innoxios occidebant, sanguinem occisorum haberent carnificem & vltorem. Sic enim Orig. Orig. in Exod. *Quod aquæ fluminis vertuntur in sanguinem satis conuenienter aptatur. vt is fluuius cui Hebræorum paruulos crudeli nece tradiderunt auctoribus poculum sanguinis redderet, & cruorem polluti gurgitis quem parricidali cæde maculauerant, potando sentirent.*

*Impius ab occulto crimine procedit ad manifestum.*

159 *Quidquid masculini generis natum fuerit proiicite in flumen.* Si tibi male cessisse iussionem factam obstetricibus de pueris Hebræorum interficiendis conspicis, quæ quidem iussio tuæ crudelitatis, erat occulta & Ægyptus incognita, cur nunc non solum coram omnibus, sed omni populo tuo imperas masculorum populi Israelitici submersionem? quia impius ab vno crimine in aliud prolabitur, ab occulto in manifestum. vnde recte noster Lyran. Lyran. *Videns Rex Ægypti quod per obstetrices masculi Hebræorum non occidebantur occulte, voluit hoc facere manifeste.*

*Impius supplicium quod infert, non vult differri.*

160 *Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proiicite.* Cur non omnes gladio iugulari præcipis? nonne aquæ tot cadauerũ putredine faciliter corrũpẽtur & exinde variæ exorientur infirmitates? aduerte in iugulandis tot pueris longiores temporis moras protrahendas, quam in eis submergendis. Quid mirum igitur si præceperit immergi non iugulari? impius enim supplicium à se iussum, nec per tempus minimũ vult differri. Lyran. *Non dixit iugulate* (inquit noster Lyran.) *quia proiectio in flumen cito poterat fieri, quia fluuius Nilus in multis locis diuiditur per Ægyptum.*

*Insatiabilis Tyrannorum crudelitas.*

161 *Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proiicite,* Nonne tot hominum qui tantis ærumnis & in iustissima oppressione pereunt, interitus, tuæ satisfecit Tyrannidi? tuã satiauit immanitatem? quomodo nunc ab vberibus matrum tot innocentes auellis, submergendos? nonne eorum gemitus & lacrymæ ab ipso conspectæ? quomodo adamantinum pectus eius flecti minime potuit, ut edictum non reuocauit? cur tot animæ innocentes eum ad miserationem non prouocarunt? quia insatiabilis est prorsus Tyrannorum crudelitas; quam S. August. serm. S. August. 86. de temp. copiosissime describit. *Omnem prolem Hebræam iussit occidi, quod vbi ad aures matrum rumor aduexit, pulsatum est planctibus cælum, & cum ab ipsis vberibus auulsa proles raperetur ad mortem, succedebat dolor vincens parturientis dolorem: nulla tamen mater infœlicior erat nisi quæ fœcundior erat: optabant omnes steriles esse quam fœcundæ parerent. quid impie insanis? quid crudeliter sæuis? licet plurimis insontiũ mortes acerbas inferas, & animas miserorum crudeliter cremes, tibi nceis augetur & pœnæ non detrabitur meritum, audistis nefariam crudelissimamque vocem durissimi Pharaonis, masculos in amnem proijcite, iubet hostis in flumen paruulos proijci, iubet innocentes crudeli morte necari, non prohibet nasci dum natos decernit occidi, quos enim necdum viuere natura concesserat, eos sententia iam sustinet ad pœnam, ô noua & inaudita crudelitas!*

*Peruersissimum est Tyrannorum iudicium.*

*Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proijcite,* Nonne antequam in aliquem feratur sententia, vel audiendus vel citandus? quomodo igitur inauditi puniuntur, etiam extremo supplicio tot innocentes? si nulla eorum habetur culpa, cur pœnis mortis plectuntur? quia peruersissimum est tyrannorum iudicium: quod Citatus Doctor. prosequitur cit. Aug. *Ante iudicium celebratur quam reus ipse damnetur, ante sententia profertur, quã obnoxius sentẽtiæ demonstretur, vtique reorũ mos est vt reatus sui sententiã expectare soleãt: nec enim reus potest ante damnari quam eius culpa cœperit manifestari, hic vero nec rei nati, nec reatus sui sententia merito mancipati; nascebantur enim non vt vitæ salutis perciperent fructum, sed vt esset quos crudelitas sæculo faceret luctum, nunc præcipis quod factum deberes vlcisci.* 162

*Parentes ita filiorum amantissimi vt illorum vitam suam ducant.*

*Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proijcite,* Verior sententia est id solum præcepisse Ægyptiis, vt filios Hebræorum submergerent: sed cum Hebræos aliis opprimeret modis, nonne hunc etiam (cũ modum non habeat Tyrannus) addere potuit, vt proprios interficerent filios? potuit, sed nihil minus obedissent, etiam si sub pœna mortis id iussum fuisset, quia vitam propriam potius profudissent, quam illis adimere. sed nonne cum ab vberibus matrum auellerentur, nonne pro eis elegissent occumbere? quis dubitat? vitam enim filiorum pro- 163

ptiæ præferunt, *Gaudebat lætissimus hostis* (inquit cit. August.) *inter madentes omnium fletus, quantæ perierunt dolentium preces? quantæ incassum effusæ sunt lachrymæ? suos iam casus in alijs alij cernebant, quanti pro filijs optauerunt mori, quantæ sententiam cõtemnere voluerunt Tyranni?* Cit. Aug.

*Tyrannus vt suam adimpleat crudelitatem, in paucis non potest sistere peccatis.*

164 *Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proijcite*, Nonnne satis erat tot ærumnis Israelitas, vsque ad crudelem eorum interitum oppressisse? vel siste saltem in illo inaudito crimine, quo præcepisti obstetricibus vt masculos Hebræorum in ipso partu occiderent. cur vlterius progrederis? quia nescit Tyrannus vt suæ immanitati satisfaciat, in paucis sistere peccatis. *Tria scelera subsequenter*, inquit Rupert. *commisit Pharao, primum quod hoc intendit opprimendo filios Israel quatenus voluptate generandi emortua filij non procrearentur: secundum quod obstetricum dolo agere nisus est, vt nati paruuli clam interimerentur. tertium cum aperta sæuiens persecutione, præcepit omni populo suo vt masculos in flumen proijcerent.* Rupertus.

*Cum maximis vrgemur malis nostra instat salus.*

165 *Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proijcite*, Quid hac sæuitia crudelius excogitari potest? sed quid Pharao hac conficit crudelitate? num extirpat genus Hebræorum radicitus? minime, non enim est contra Dominum consilium: voluit immanissimus rex Hebræos delere, hancque voluntatem tot repetitis declarat mandatis. an Deus? an Pharao inter hos præualuit? certe Domini voluntas ita promouit, vt Pharao longe aliud agens adiuuerit potius voluntatem Dei Tyrannide sua quam impedierit, imo creuit populus, & confortatus est nimis, sed in immensum ô Deus augebitur eius inhumanitas, quanto magis creuerit tãto eorum salus propinquior imminebit: *Per gradus, aucta sæuitia* inquit Lypp. *signum fuit instantis salutis, non enim permittit Dominus suos diuexari supra quam ferre possunt.* Lyppomanus.

*Quos habuimus sceleris consiliarios, hos aliquando etiam carnifices experiemur.*

166 *Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proiicite.* Cur suos ita dire permittit cruciari Deus? nonne ab eo omnino derelictos quis facile credet? quis enim vsque ad hanc immanitatem vidit vnquam etiã impiissimum populum cruciari? nonne hoc permittens nimiæ arguetur sæuitiæ? aduerte aliquos Israelitas tunc temporis etiam fuisse idolis seruientes, quod patet ex Ezechi. 23. vbi dicitur de fornicatione eorum cum dijs Ægyptiorum sub quadam metaphora corporalis ac venereæ fornicationis in hunc modum; insuper fornicationes suas quas habuit in Ægypto non reliquit, nam & ibi dormierunt cũ ea in adolescentia sua, & ibi confregerunt vbera pubertatis eius, & effuderũt fornicationem suam super illam, & iterum ibidẽ multiplicauit fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Ægypti, insaniuit libidine super concubitũ eorũ, quorum carnes sunt vt asinorum, & fluxus equorũ, fluxus eorum, visitastis scelus adolescentiæ tuæ, quãdo subacta sunt in Ægypto vbera tua, & cõfractæ mammæ pubertatis tuæ; ne dicamus igitur Deum nimis seuerum si ab ipsismet Ægyptiis à quibus didicerant idololatriam permittit Israelitas cruciari, quia Dei iusto fit iudicio, vt quos sceleris habuimus consiliarios, hos etiam carnifices experiamur: mens est Abul. *Hebræi tunc idolorum cultui operam dabant imitantes mores Ægyptiorum, ideo illos quos in scelere magistros ac prauos habuerunt in irrogandis pœnis, tortores senserunt: sic enim est in inferno vt homines qui dæmonibus suggerentibus sceleribus enormibus se immiscuerunt, ijsdem affligentibus crucientur.* Ezechiel. 23. Abulensis.

*Rex & alij principes si inhumani & Tyranni, non nobiles sed ignobiles censendi sunt.*

*Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proijcite.* Quis hoc præcipit? Pharao? cur rex nõ dicitur? quibus id præcipit? omni populo suo: debuit dicere Moyses vt populum à populo distingueret, præcepit tũ nobilibus suis, tũ alijs domesticis, rusticanis &c: nonne immanissimũ hoc erat facinus? nõne omnem sæuitiam superabat? cur ergo rex nominaretur id præcipiens? cur nobiles dicerentur iussa illius exequentes? nõ enim nobiles, sed ignobiles censendi sunt, qui virtuti non student, sed sæuitiæ & crudelitati inuigilant. *Vera enim & summa est nobilitas*, inquit D. Hier. Epis. ad Celantiam, *clarum esse virtutibus, nã qui claro, nobili, regali semine aut genere creti & nati sunt, in eam potissimum curam incumbere debent, vt seruiant Domino in timore, eiusque populo cum æquitate*, & D. Greg. Naz. oratione in laudibus Heronis Philosoph. *Nobilitatẽ dico, non quam plerique existimant, & quæ vulgi opinionem tinetur, absit, neque enim nostrum est, ac ne Philosophi quidem eam generis claritatem admirari, quæ à fabulis & sepulchris, supercilioque iampridẽ corrupto ac putrefacto manat, nec eam quæ sanguine ac diplomatibus comparatur, quippe quam noctes adferũt ac regum, ignobilium quoque fortasse manus nobilitatẽ velut quiddam aliud impetrantium atque decernentium. sed eam demum nobilitatẽ intelligo, quam pietas vitaque sanctimonia atque ascensus ad primarium illud bonum, ex quo originem traxit, insculpsit.* 167 S. Hierony. Greg. Naz.

*Miserrimæ principum aulæ in quibus impietati non contradicitur.*

*Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proijcite.* Scythis tetrior, Massagetis inhumanior, Echete & Phalaride crudelior, dirus Pharao animaduertens se ab obstetricibus delusum ■ occulta infantium nece, ad alterum se nocẽdi aditum vertit, vt palam faceret quod antea occulte patrauerat; suis præcipiens omnem Hebræam masculinam prolem in flumẽ deijcere: an aliqui tã diro edicto renuerunt obedire? an aliquis eorum dixit rem iniustã esse, tot infantes occid? an aliquis eorũ solo naturę instinctu, miserabilem Iudęorũ sortẽ defleret? qui apud regẽ pro eis intercederet? qui cor regis emolliret? nul- 168

his equidē, & ideo miserrimas profectò dicere possumus, principum aulas, & dæmonum potius quam hominum instra, ex quibus sic exulat omnis humanitas, pulsaque consiliis nullus relictus est locus, & veritas non auditur, & impietati non contradicitur.

*Dæmon dū in nos sæuit in hoc sæculo, ad futurum prosequendum nos impellit.*

169. *Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proiicite.* Non potuit immanitas maius augmentum malitiæ accipere, aliud sane non habuit nisi dæmonem, ad hanc tot infantium occisionem impellentem: sed cur laboras in tot submergendis innocentibus? an nocitura est toti Israelitarum populo hæc inaudita persecutio? non equidem, imo vtilissima, quia dum in eū sæuit in Ægypto, ab ea egredi compellit, terramque patribus suis promissam possidere: ita similiter dum tartareus Pharao in nos sæuissimè agit in hoc sæculo, ad futurum prosequendum toto affectu impellit, quod eleganter obseruat

Petrus Dam.

Petrus Dami. cit. in alleg. Tilm. *sicut prouidentia diuina disposuit ad educendum de Ægypto Israeliticum populum ducem Moysen, cum iam Pharao ad opprimendum duris operibus esset excitatus, quatenus Israelitarum populos Ægypto deformiter inhærentes, alius eum vocaret, quasi traheret, alius velut impelleret dum sæuiret, vt dum plebs in seruitio turpiter figitur, dum malis pulsa vel prouocata bonis moueatur: hoc etiam in populo Dei agitur frequentius, cum cælestibus præmiis prædicatis sæuire in electos reprobi permittuntur: vt si vocati ad terram promissionis venire negligimus, pressuris saltem sæuientibus impellamur: atque hac Ægyptus vita videlicet præsens, quæ nos oppressit blandiens, adiuuet premens, quatenus quæ dum foueret, iugo nos seruitutis attriuerat, libertatis viam dum affligit, ostendat.*

*Molles & impudicos diligit dæmon.*

170 *Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proijcite.* Quid autem de fœminis agetur? seruate, inquit, quid muliere periculosius, de carbonibus enim, inquit Cypr. de singul.

Cyprianus

Clericor. scintillæ desiliunt, de ferro rubigo mittitur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam quam Salomon sic comparat dicens, de vestimento procedit tinea & à muliere iniquitas viri, quid de ea sentit Chrysost. in ser. de decollatione S. Ioan. Bap. ô malum omni malo peius! mulier mala siue illa pauper sit, siue illa diues. Si facultates habet, cō-

B. Chrysost.

paratrices sunt malitiæ suæ, ô malum intolerabile! vipera irremediabilis, venenum insanabile, mulier mala, si iniuriam patitur, insanit, si honorem accipit, extollitur, blanditur nequiter, & quod vult importuna rapit violenter. Timor Dei non refrænat linguam suam, nec irata futurum iudicium prospicit, nec ad Deum attendit, mulier malitia omnes prostrauit, omnes iugulat, omnes interficit, omnes elidit, mulier impudens nemini parcit: si ergo ita periculosa mulier, cur solas fœminas seruari iubes? sed si Pharaone Dæmonem intelligas, sicut fœminis mollitiem & impudicitiam: quid mirum si incolumes seruari iubet? nihil enim ita diligit ac molles & impudicos, quod cecinit Pet. Rig.

Petrus Rig in sen libro de autora

*Ægypti princeps, muliebrem viuere sexum.*
*Imperat, & mergi cogit in amne mares,*
*Dæmon fœmineos, & molles diligit actus,*
*Et sanctos odit, prosequiturque viros.*

*Idololatriæ peccatum in pœnam homicidij*

*Quidquid masculini generis natum fuerit in flumen proiicite* Iussa exequuntur Ægyptij, an corū mansit delictum impunitum? an in flumine, vel ex flumine pœnam non sentient? pœna enim vt plurimum respondet peccato, & in quibus delinquimus in ipsis punimur, nonne Apim ex flumine egredientem tanquam verum numen coluerunt impii idololatræ? dicemus no in pœnā innocentium submersionis in aquis fluminis incidisse in idololatriam Apis ex flumine egredientis? ita sentit Magi. hist. Schol. cap. 4. in Exod. *Multi eo tempore submersi perierunt, pro quo peccato, creditur Deus Ægyptios tradidisse in hunc errorem, vt Apim pro Deo colerent. Erat autem Apis vt ait Plinius, qui testatur se vidisse eum, quidam taurus, qui ex improuiso egrediebatur de flumine, habens in humero dextro signum candidum, instar Lunæ corniculatæ, ad quem cum statim confluerent Ægyptii omni genere musicorum psallentes leuabatur in aera, super eos tanquam psallens ferebatur, & ad motum vel stationes ipsius ipsi in terra mouebantur & stabant, & eadem die euanescebat, dicunt autem quidam, quod in festo Serapis annuatim emergebat, vnum & ipsum Serapim, id est Serapi consecratum autumant vocatum. Alii autem semel per decennium apparere dicunt. Alii tantum tempore iusti sacerdotis Heliopoleos, iniusti non, vt quasi diuinitus iustitia iudicaretur sacerdotum. Peccatum ergo fluminis puniuit Deus in errorem fluminis.* 171.

*Prius quod in nobis est virile & forte nititur diabolus eradicare, vt quod fæmineum est crescat.*

*Quidquid masculini generis natum fuerit, in flumen proiicite*, fœminas autem reseruate. Cur prius non iubet vt fœminæ seruentur, deinde vt masculi aquis suffocentur? videtur enim præcipere vt masculis interfectis prius, seruetur sexus muliebris; quia diabolus scit in nobis fœminea non vigere posse, dum quod forte & virile est perseuerat, ideo ne hæc augmentum in nobis accipiant, prius quod robustum est & virtuosum nititur eradicare. *Considera* (inquit B. Hier. in cap. 3. Nahum) *quod Ægyptius Imperator viros Hebræorum non possit occidere, nec eos qui iam egressi sunt de infantia, sed quorum adhuc ætas tenera est & molle corpus & profectus incipiens, scit non posse nutriri fœminas nisi interfecti fuerint masculi, vult itaque in Hebræis quidquid forte est & virile, hoc gurgite sui fluminis suffocare, vt quæ fœminea sunt liberius sola succrescant.* 172

B. Hierony

*Melius est sine liberis mori quam eos habere Dæmonem colentes.*

*Quidquid masculini generis natum fuerit in flu-* 173

*men proiicite.* Fœminis reseruatis, quid ô Israelitæ, si tam crudele emanauit edictum, vt omnes vestri submergerẽtur infãtes, cur ab amplexibus nõ abstinetis? dices potuisse fœminas suscipere. Sed quibus matrimonio locabuntur? sane Ægyptiis qui eos ad idololatriam prouocabunt: ita opinati sunt Israelitæ, & ideo teste Phil. Heb. Bibl. antiq. seniores populi congregauerunt populum cum planctu, & planxerunt cum luctu, & dixerunt constituamus nobis terminos, vt non appropinquaretur mulieri suæ vir: sed ô seniores populi, nonne vestrum sic deficiet genus? quid aliud intendit Pharao? satius est vt deficiat & sine liberis moriamur, quam eos habere vero numini nõ seruientes, ita cit. auctor, *Constituamus nobis terminos, vt non approinquetur mulieri suæ vir, ne fructus ventris earum contaminetur, & viscera nostra Idolis seruiant, melius enim est sine filiis mori, donec sciamus quid faciat Deus.*





# CAPVT SECVNDVM.

## SYNOPSIS.

Dux futurus Hebræorum Moyses nascitur, qui aquis fluminis expositus, inde extrahitur à filia Pharaonis inuentus, ac à matre sua iussu Regis filiæ, nutritus, ab eadem in filium adoptatur: hic adultus pro Hebræis Zelat, Ægyptium occidit, propter cuius cædem in Madiam metu Regis fugit, vbi accepta vxore filia sacerdotis, duos genuit filios: Israelitæ interea in Ægypto duriter oppressi, clamant ad Deum pro liberatione.



### *VARIETAS LECT. Vers. 1.*



*VLG.* Egressus est post hæc vir de domo Leui, & accepit vxorem stirpis suæ. A

*Sep.* Erat autem quidam de tribu Leui qui sumpsit vxorem de filiabus Leui.

*Cald.* Et abiit de domo Leui, & accepit filiam Leui.

*Targ. Hier.* Abiit vir de Tribu Leui, & duxit vxorem Iochabed, amitam suam in vxorem.

### *CONCORDIA.*

ABundant in nostro Vulg. duæ dictiones, videlicet, *post hæc*, quæ non sunt in Heb. quæ tamen superfluè non sunt additæ, sed vt innueret hæc quæ narraturus erat contigisse post mandatum Regis de mergendis Hebræorum infantibus; & quod apud nos est, & accepit vxorem stirpis suæ, cum solum in Hebręo ita sit את, ויקח, לוי, בת, eth beth Leuj vaiкach, & accepit seu duxit filiam Leui, sed subaudit vxorem, an autem filia fuerit Leui, & ideo amita Amram, dicemus in concordia vers. sexti huius capitis.

### EXPOSITIO.

EGressus est post hæc, id est ad certum actum, & determinatam prolificationem de loco orationis, & de tribulatione processit, *post hæc* post edictum crudelissimi Pharaoni, de nece populi B Israelitici, *de domo Leui* de stirpe, qui licet hic non nominetur, tamen cap. sexto huius libri nomen eius recensetur, nempe Amram filius Caath & nepos Leui, *& accepit vxorem stirpis suæ* non

quod de nouo copularetur matrimonio, iam A enim susceperat ex eadem coniuge Mariam & Aaronem, sed quia abrupto actu matrimoniali per aliquod tempus, ad coniugem prolis habendę gratia accesserat, vocabatur autem hæc coniux Iochabed, quæ licet ab aliquibus censeatur filia Leui & amita Amram mariti sui, tamen probabilius est solum neptem Leui, & consobrinam Amram, id enim expresse docet noster Interpres cap. 6. num. 20. vbi eam vocat patruelem Amram, si ergo vocatur filia Leui, intellige Leuitidem, siue oriundam ex stirpe Leui, sic enim vocantur filiæ Iuda, quæ ex Iuda sunt oriundæ.

## CONCEPTVS.

### *Vir ille dicendus, non qui humana forma, sed qui virtutibus præditus.*

1 E*Gressus post hæc vir de domo Leui.* Nescio cur virum hunc dicit, cum immediate asserat vxorem accepisse ex genere suo: qui autem matrimonio cū muliere iūgitur, quis dubitare potest eum hominem esse? dicat igitur quidam de domo Leui, accepit stirpis suæ vxorem: aduerte sacram Scripturam viros appellare consueuisse teste Greg. lib. 18. Moral. cap. 7. qui vias Domini fortibus & non dissolutis gressibus sequuntur. Cur igitur non dicemus patrem Moysis emphatice dictū fuisse virum, non quod humana solum forma, sed quod virtutibus præditus esset? vide D. Chry. hom. 21. ad populum Antioch. ait, *Si communi generis nostri nomen cogitauerimus, maximam ad virtutem disciplinam & exhortationem capiemus, nam homo non est quicunque sim pliciter manus habet & pedes humanos, nec quicunque tantum rationalis est, sed quicunque pietatem & virtutem cum fiducia exercet.* S. Chrysost.

### *In oratione & tribulatione diuinum percipitur auxilium.*

2 *Egressus post hæc vir de domo Leui, & accepit vxorem.* Id est, vt diximus, de nouo accessit carnaliter ad coniugem, cum cessasset ab amplexu coniugali per aliquot tempora: nonne audito crudelissimo edicto Regis, de submergendis omnibus suis infantibus, Israelitæ statuerant ad vxores suas non accedere, eligentes potius sine liberis vitam finire, quam post eorum susceptionem, inauditum eorū spectare interitum? Quomodo ergo Amram transgreditur, quod omnium consensu statutum fuerat? ait Ioseph iussū sibi fuisse à Deo, vt ad vxorem accederet, & quod ab ea filius saluator populi Israelitici nasceretur, sed quandonam hoc accepit oraculum de libertate futura populi sui? in oratione, & merito, tunc enim diuinum percipitur auxilium. D Verba subiicio Iosephi lib. 2. Antiq. cap. 11. *Amram vnus Hebræorum nobilis, cum metueret pro cuncta gente, ne defectio in nutrienda iuuentute proueniret, & grauiter ferret, ne eius vxor pareret, dumque in hæsitatione consisteret ad Dei supplicationem conuersus est, rogans vt aliquam miserationem haberet hominum, qui in nullo eius Religionem præuaricasse viderentur, daretque rerum eis libertatem. Pro quibus illo affligebantur in tempore: Deus autem misericordiam eius habens, & ad supplicationem inclinans, astitit ei per somnium, & nequaquam eum desperare de futuris exhortabatur, nunc me vtilitatis vestræ & tuæ gloriæ scito prouidentiam habiturum, is puer, nempe per quem Israelitarum fiet salus, tuus erit.* Iosephus.

### *Plura longe concedit Deus, quàm ab eo postulamus.*

*Egressus post hęc vir de domo Leui accepit vxorem.* 3 Diximus superiori conceptu, hunc virum de genere Leui à Deo in oratione petentem à tam dura seruitute libertatem, quodquidem ei Deus E pollicitus est; sed an hoc solum? ait textus, accepit vxorem stirpis suæ, vt denuo generationi darēt operam habendi filij gratia, qui totius populi dux & legislator esset futurus, qui populum suum ab omnibus quibus opprimebatur miseriis, eriperet: an hæc omnia à Deo Amram postulauerat? nequidem cogitauerat, quomodo ergo hæc omnia consequutus est? quia Deus longe plura solet concedere, quam ab eo petantur. Fauet cit. Iosephus, *Nunc ergo scito gloriæ tuæ me prouidentiam habiturum, is ergo puer cuius generationem Ægyptij metuentes cuncta perdere decreuerunt, quæ ex Israelitico semine gignuntur tuus erit, & disperdet quidem eos qui eius interitum intendebant, nutritusque mirabiliter, Hæ* C *bræorum quidem genus ab Aegyptiorum necessitate liberabit, eritque eius memoria, quantisque temporibus permanserint, aliàs vixerint vniuersa, apud homines, non solum Hebræos, sed etiam alienigenas gentes, me vtique & alia præbente tibi & his qui de te nascituri sunt.* Iosephus.

### *Quantumuis peccatores Deus ad pænitentiam expectat.*

*Egressus post hæc vir de domo Leui*, vt ex vxore 4 sua suscitaret filium: quandonam temporis? post hæc, inquit textus, quid est post hæc? post crudelissimum de submergendis Hebræorum infantibus edictum. Cur Deus ita distulit liberationem populi sui de durissima seruitute Ægypti? nonne satis erat expertum habuisse, quantis calamitatibus opprimebantur adulti? cur ergo permittis etiam infantes submergi? cur solum post hæc notatur à sacro textu Amram suscepisse filium liberatorem populi Israelitici? Quia Deus semper Ægyptios quantūuis peccatores essent, Basil. Seleuc. infinita sua misericordia ad pœnitentiam expectabat. Ita S. Basil. Seleu. Or. 9. in Moysen, *Talis erat hominum cum Deo contentio, impediri se tantisper ab hominibus patiebatur, & promissioni suæ de Israele liberando animaduertens iniuriam obijci, ferebat spe pænitentiæ supplicium differens, procrastinansque punitionem vt sensum, notitiamque sui daret Aegyptiis, videns autem male pænitentes animos, machinas in omnem partem versat.*

### *Impietas hominum cum Dei liberalitate & beneficentia contendit.*

*Egressus post hęc vir de domo Leui.* Cur hęc ver- 5 ba

ba..est hæc cum in Hebr. Cald. & Septuag. non reperiantur, addita sunt à Vulgato? emphatice quidem quasi diceret post rem vsque ad 5 tempora inauditam, post edictum Regis quod quamlibet naturam velut obsidione cingebat, post edictum inquo fluuius innocentium carnifex constituebatur: vel sane commiseratione digna, edictum Regis seruabatur, & vbique natura mulctabatur, & si qua periculi redemptio iudicio erat obnoxia, parituræ damnabātur, & partus explorabantur, naturæ quoque libertas spoliabatur, fluuius partum insidiis excipiebat, & matris aluo fluminis alueus succedebat; fœtus recens editus, ac nondum solare iubar contuitus, ad fluuii dolores transmittebatur. Post hæc ergo, post tot infantes quos Deus liberaliter Hebræis concesserat, & quibus vitam ademerat Pharao, sed cur hæc ita gesta sunt? Deūne suorum immemorem esse dicemus? non equidem, sed tantam esse hominum impietatem, vt B crudelitate sua velit cum Dei liberalitate & beneficentia contendere, ita cit. Basil. *Quod Dei* Cit. Episcopus. *manus efformabant, an Dei liberalitas Regis manus aquis oblitterabant? an hominum crudelitas talis erat hominum cum Deo contentio?*

*Vita & mors coniunguntur.*

6. *Egressus post hæc vir de domo Leui.* Post hæc, postquam immaturi naturæ racemi vindemiabantur, postquam post conceptum partumque ventres matrum fructu ventris priuati reperiebantur, post condemnationem inhumanam masculæ sobolis Hebræorum. Sed ô Deus misericors, cur saltem p[illegible] aliquot menses, non dedisti infantibus populi tui lucem Solis intueri, vbera matrum sugere, patrum amplexibus frui, parentumque delicias sentire? cur à ventre matris ad tumulum quasi si nunquam in viuorum numero recensiti fuissēt, transferuntur? vt notum sit omnibus sæpissime vitam & mortem simul connecti, & nullo separari medio. *Infantium iugulator erat fluuius*, inquit cit. Episc. *pariter &* Basil. Sel. *sepulchrum, ac gemitus mortis coæuus, stragesque cum generatione concurrebat*, preme hæc verba, *gemitus mortis coæuus*, ita nectuntur mors & vita vt videatur mors vitæ coæua.

*Dei propria, soli Deo non creaturæ tribuenda.*

9. *Egressus post hæc vir de domo Leui, & accepit vxorem stirpis suæ*, quæ ipsummet Moysen hæc scribentem suscepit, an nominū parentū tuorū es immemor, cur virum innominatum de domo Leui, qui tuus fuit genitor, cur vxorem eiusdem familiæ, quæ tua fuit genitrix, innominatam relinquis? an proprios erubescis parentes, sicut plures obscuris orti natalibus, qui eos à quibus vitam accepēre, omnium ingratissimi, non D solū habent contemptui, sed nec volūt nominari ne quid de Moyse humillimo simile suspicari velimus, cur ergo eorum propria silet nomina? cum nullum inconueniens esset eorum habere notitiā, imo hoc videretur necessariū? silet, quia cum ortus suus & incolumitas, contra Regis edictum, sæuientibus tot suis ministris in Hebræorum infantes, ab vna potuit esse diuina virtute, sic parentum nomina obuoluit silentio, ne aliquid videretur tribuere creaturis: vnde Hebr. Lyran. apud Lyran. *Miraculose factum est, quod Iochabed Moysem conciperet, cum esset annorum centum & triginta, sicut & diuina reuelatione conceptus est.*

*Ne sis vanus tui generis iactator.*

7. *Egressus est post hæc vir de domo Leui. Accepit vxorem stirpis suæ.* Quid Moyses? si nihil aliud in votis habere videmur, quam generis nostri nobilitatem omnibus compertam haberi, & nulla oblata occasione, auos, proauos, genitoresque nostros nominamus, eorum nomina iactantes, vt inde eliciamus gloriam, cur ergo occasione data, nomen patris & matris silentio obuoluis? an eorum contemptus gratia? an pudoris ergo, quod tales haberes parentes? neutrum equidem, sed ne præproperus generis sui ostentator haberetur, quodquidem gentis suæ satis commune est. Teste Apost. ad Titum 3. stultas Ad Titum 3. quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita, sunt enim inutiles & vanæ, *Iudæi enim*, vt in dictam Epist. annotat Hieron. Hier. *à teneris annis vernacula vocabula penitissime imbibunt, & ab Adam ad extremum vsque Zorababel, omnium generationes memoriter, velociterque vt nomen suum percurrunt.*

***Non accusandi veteres tanquam incestuosi, quod ante legē cum cōsanguineis cōtraxerint.***

8. *Egressus est post hæc vir de domo Leui, & accepit vxorem stirpis suæ* Cald. accepit filiam Leui, Targ. Hierosol. duxit amitam suam vxorem. Caluinus pro suo erga sanctos affectu, quos semper vel minima occasione oblata, dedecore maculat impudenter, & incestuoso matrimonio natū esse Moysen proclamat, ex eo quod amitam suam duxerit vxorem genitor suus: sed non solum impudens, verum etiam ineruditus dicēdus est pessimus ille Hæresiarcha, quis enim ignorat, vel parum in diuinis versatus litteris in eis appellari C filium vel filiam alicuius, & si ab eo non sit natus immediate? Sic enim Daniel. cap. 13. Susanna vocatur filia Iudæ, cæteræ mulieres seniorū impudicitiis præ animi imbecillitate consentientes filiæ Israel, non quia immediate ex Iuda vel Israel natæ, sed per antonomasiam, quia illam constantiam tribus Iuda, hę vero mollitiem decem Tribuum imitabantur, & Dominus noster, nonne dicitur filius Dauid, vel Abraham? & generatim apud Prophetas, filii Iuda Israel Simeon &c. vocātur omnes posteri, vt idem sit esse filium alicuius quod esse de eius Tribu, si sit caput tribus, vel de eius familia si sit filiæ caput: aut generatim esse de eius posteritate: sed demus Caluini ignorātiæ nomen familiæ pro immediate ex Leui nata positū, & Amram duxisse amitam suā coniugem, debuit ne hoc matrimoniū fuisse incestuosū, an primaria lege id vetitum erat, ita vt in nullo casu id liceret: filii ergo Cain & Seth & aliorum deberent esse in incestu geniti. Daniel. 13.

*Christus vt homo sine patre.*

10. *Egressus est post hæc vir de domo Leui, & accepit vxorem stirpis suæ.* Nō miror nomen vxoris viri illius non declarari, cū in sacris litteris nomina mulierum sileantur: sed cum nomina virorū passim exprimantur, nescio cur nomen Patris sui hic Moyses posteritati non tradiderit: licet enim aliquando nomina impiorum non referātur. nullus asserere potest in eorū numero fuisse Mosis genitorem, cur ergo non recensetur? aduerte Moysem typum fuisse Christi Domini: cur non dicemus igitur speciali prouidentia factum esse, vt nomen patris Amram silentio obuo-

Procopius. uetetur ad denotandum Christum Dominum in terris Patrem non habuisse. Ita Procop. *Non sine diuinam perspicaciam, silentio præteritus est Mosis pater, nam indefinite scriptum erat quidam siquidem & Christus quatenus homo erat, Patre carebat; plurimi tamen suspicabantur eum habere patrem in terris: putabatur enim filius Ioseph.* Et Euthy. auctor catenæ Græcæ. *Non sine œconomia Pater Moseos silentio prætermittitur: nam & Christus, cuius typum gerebat Moyses sine patre est.* Euthimius.

## *VARIETAS LECT. Vers. 2.*

VVLG. Quæ concepit & peperit filium, & videns eum elegantem abscondit tribus mensibus.

*Sep.* Et in vtero accepit & peperit masculum, videntes autem eum elegantem occultauerunt eum tribus mensibus.

*Cal.* Vidit eum quod esset bonus.

*OnK.* Videns eum esse pulchrum, *ita Pagninus.*

*Alii.* Videntes eum vrbanum.

*S. Chrys.* Gratum Deo.

## *CONCORDIA.*

SCio Septuaginta in plurali legere ἰδόντες δὲ αὐτὸ ἀστεῖον, vt significent rem communi cõsilio mariti & vxoris ita gestam esse, tamen noster Vulg. in singulari loquitur, *videns elegantem*, sed nulla est discordia, vterque enim parens elegantiam pueri conspexit, & sic legendum est, videns vterque parens טוב tob bonum proprie significat: sed vocat Hebraismus pulchrũ, bonum vocẽ ἀστεῖον pro grato gratioso accipere possumus, significat enim vrbanum proprie ab ἄστυ quod vrbem significat, quæ autẽ vrbana eadem quoque polita & gratiosa ac decora sunt.

## EXPOSITIO.

QV*æ concepit & peperit filium.* Regis exploratoribus absentibus, qui diligentissime omnes Hebræorum domos scrutabantur, vt cõpertum haberent vtrum infans qui natus fuisset, foret masculus vel fœmina, *& videns eum elegantem*, pulcherrimum, itaque vterque parens pueri speciosissima forma captus, *abscondit eum tribus mensibus*; tertio enim mense fiebat diligens inquisitio per domos, circa prægnantium partus, & ideo solum eis licuit per tres menses puerum incolumem seruare.

## CONCEPTVS.

### *Quos Deus ad aliquid eximium elegit, aliquo dono insigniuit speciali.*

11. VIdens eum elegantem abscondit tribus mensibus, quid? propter corpoream pueri venustatem, debuitne vterque parens se mortis periculo exponere? supra naturæ conditionẽ erat elegans: elegantem enim non solum natura, sed gratia reddebat: cur Deus speciali venustatẽ puerulum condecorat? nonne Deus statuerat eum futurum populi sui liberatorem? quid mirum igitur ita contigisse? quos enim Deus ad aliquid eximium eligit, aliquo speciali dono reddit insignes. *Natus infans*, inquit Philo Iudæus lib. 1. de Moyse, *vrbaniorem præ se ferebat vultum, quam quis de priuato homine suspicari posset.* Nescit Deus quos ad aliquid eximium & excellens prædestinat, non aliqua speciali gratia condecorare. Philo Hebr.

### *Prouidentia Dei nostram superat admirationem.*

12. *Videns eum elegantem abscondit tribus mensibus*: ita autem elegans & decorus fuisse traditur, vt ex facie venusta, non ex ignobili & rusticana stirpe, sed ex nobilibus & ingenuis parentibus originem habere facile quis posset conicere: sed cur Deus vult hunc infantem, ita eximiæ nasci formæ? nonne pulchritudo, qualis huic puero inerat, suos ad inuidiam concitabit aduersarios? imo eorum mouebit suspicionem, vt eum viuum, in flumen iuxta Regis edictum proiiciant: si autem nasceretur deformis, toruis oculis sic forte contemptui haberetur tanquam nihil virile aggressurus: ideo Deus elegantissimum vult eum nasci vt eius singularem erga suos prouidentiam admiremur, cum quasi per contraria media finem intentum consequatur; hoc vidit B. Chrysost. ho. 54. in Act. Apost. *Hoc enim mirabile est, quod non per ea quæ videntur securitatis non esse, sed plane per contraria omnia pro nobis fiunt, & vt discas, iussit Pharao, vt in flumen proiicerentur pueri, nisi proiecti fuissent, non fuisset seruatus Moyses, &c.* B. Chrys.

### *In iis quæ in nobis sunt eximia, referendis parcissimi simus.*

*Videns eum elegantem abscondit tribus mensibus*, cum de pulchritudine Rebecæ, sermonem instituisti, plura in eius venustatem dixisti Genes. 24. decora nimis, virgoque pulcherrima, cum ergo tuæ elegantia formæ, omnem aliam superaret venustatem. Cur non dixisti videns eum elegantissimum & pulcherrimum? cur ergo solum locutus est positiue, non autem superlatiue de tua pulchritudine? quia de se loquebatur, in iis autem quę in nobis sunt eximia, referendis parcissimi esse debemus. Fauet Rup. lib. 1. cap. 8. *Breuiter quidem & parce de semetipso loquens Moyses, dixit infantem se esse elegantem, & reuera tanta fuit elegantia, quanta diuinum splendorem præsignare decuit, quo postea facies eius ex collocutione Dei facta est splendida.* 13. Genes. 24. Rupert. Abbas.

### *Cum humanum deest auxilium, adest diuinum.*

14. *Videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus.* Ecce tandem totius populi Israelitici saluator, qui non suis solum libertatem afferet, sed ex aduersarijs pœnas exiget debitas, quando nam nascitur? cum Rex præcipit, vt omnes Hebræorum masculi flumine submergantur: nonne præsumere potuerunt Hebræi sui generis finem imminere, cum modus multiplicandi omnino eradicaretur? quomodo ergo puer nascitur Tyrānidis Ægyptiorum destructor, & suorum liberator? quia ita misericors Deus, vt cum humanum nobis deest auxilium, suo fauet diuino. Adest Lippo. hoc obseruans, *Nascitur tunc salutis auctor, dum maxime gloriatur perditionis crudelitas, & vbi omnis spes desinit & humanum auxilium, tunc adest diuinum, filius nascitur mortis qui morti expositus viuificet morituros.*

Lippoman.

### *Deus fidem nostram firmat mirabiliter.*

15. *Videns eum elegantem abscondit tribus mensibus,* Iosephus quomodo enim mater sua peperisset referens, ait, tam facile est enixa, vt obseruatores fefellerit, nihil sentientes eorum quę in vulgaribus puerperijs sentiri solent, cur tot beneficiis Moysis parentem cumulat, ita vt filiū nō solum incolumem & elegantem præbeat, sed etiā vt ab iis quæ in puerperio sentiri solent, eximat? nonne Deus genitori eius aperuit, qui idē vxori suæ declarauit puerum ex eo nasciturum, cuius natiuitatis metu Ægyptij fœtus Israelitarum dānauerāt neci, & suos ex Ægyptia seruitute liberaturum? Quod quidem satis creditu difficile erat, quid mirū igitur si Deus à doloribus partus liberat, & à sordibus puerperii, vt fidem iis quæ reuelata fuerant, firmiorem haberet. Hanc subiicit rationem citat. Ioseph. *Mox oraculo fidem*
Iosephus. *facit mulieris partus, quæ tam facile est enixa vt obseruatores fefellerit, &c.*

### *Fortis est vt mors dilectio.*

16. *Videns eum elegantem abscondit tribus mensibus.* Id factum matri tantum, cuius est propria lactatio, tribui videtur, tamen Septuag. imo D. Paulus Heb. 12. vtrique parenti, quorum facinus, ne dicam audaciam miror: vtrique enim constans erat edictum Regis, vt non solum infantes flumine submergerentur, sed quod eos abscondentes capitale luerent supplicium: quomodo ergo propriam habentes vitam contemptui, tribus mensibus recens natum abscondunt? quia fortis est vt mors dilectio, imo ipsam mortem superans. Subsignat Clem. Alex. lib. 1. Strom. *Tribus mensibus celantes eum parentes alebant, naturali amore vincente Tyrannicam crudelitatem.*

Hebræor. 12.

Clemens Alexandrinus.

### *Fides difficillima aggreditur.*

17. *Videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus.* Sed Apostolus non naturali amori, sed fidei hoc tribuit Heb. 12. fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem. Plerique Interpretes hanc fidem interpretantur prudentem coniecturam ab externa specie ductam fore,

Hebræor. 2.

A vt hic infantulus in magnum virum euaderet, ita D. Chrys. & eum secuti Theophil. & Oecum. sed melius dici videtur Paulum alludere ad oraculum quod nos ante de Iosepho retulimus, de quo Ioseph iterum, de Deo vero spem certam habebat promissorum, vt oraculi veritatem euentus indicaret: hæc expositio confirmatur ex Steph. verbis Act. 7. vbi legimus, existimabat autem intelligere fratres quondam Deus per manum ipsius daret salutem illis, vnde enim id suspicari poterat, nisi quia oraculum illud in ore Iudæorū versabatur, quo liberator populi prænūtiabatur. Posito igitur cū eximia & quasi supernaturali infantis pulchritudine, potuerunt Mosis parentes diuino præsertim impulsu acti diuinum aliquid in infante agnoscere, & existimare eum Deo cordi & curæ esse quod pertinet ad fidē. Supponamus ergo fide occultādū esse tribus mensibus: nonne eos monere deberet edictum Regis, cuius crudelitas nulli scit parcere ad vitæ
B conseruationem? Cur fide armati infantem tribus mensibus seruastis incolumē? quia fide inuicta quæque difficillima superare debemus. Audiamus B. Chromatium Aquil. Episc. conc. 1. in 5. cap. Matth. de octo beatitud. *Nunquid propter aduersarios, nempe qui tempore persecutionis ad nefanda cogebant sacrificia, hoc agendum? quemadmodum voluntati ipsorum consensum sacrilegum commendemus, ne inimici permaneant, quorum sacrilegæ persuasioni non modo consentiendum non est, verum etiam inuicta fide resistendum.* expende hæc vltima verba, *Inuicta fide resistendum*, si enim spes inuicta est, quid arduum & difficile non superabit?

D. Chrysost. Theophil. Act. 7. B. Chromatius.

### *Ita persuasiua pulchritudo vt ad conspectum eius nihil timendum censeatur.*

C

*Videns eum elegantem abscondit tribus mensibus.* Quid? an è memoria Regis edictum excidit? an omnino deficiunt carnifices, vel an muneribus eos vincere arbitraris, vt ab infantis cæde abstineant, & tibi eius incolumitatem condonent? nequaquam, cur ergo cum tanto vitæ discrimine audes puerum abscondere? cur non magis edicti vrgentis furorem caues? quid ait textus? videns eum elegantem, Heb. videns eū pulchrum, vbi pulchram pueri formam vidit vterque parens, ita persuasiua fuit, vt ad conspectum illius omnia pericula negligeret: *Scribitur*, inquit Greg. Niss. in lib. de vita Mosis, *Moysem, quando Ægyptij legem Tyrāni masculi Hebræorum infantuli viuere vetabantur, tunc in lucem editum fuisse, quem gratia quadam statim ab incunabulis scitum ac elegantem cum vidissent parentes*
D *maiori studio fuisse vt vitam conseruarent, conatos.* Quo maiori studio videntes eum elegantem seruare? tali equidem, vt nihili edictum, rabiemque tyranni facerent, vt habet Philo Iud. lib. 1. de vita Moys. *Eo tempore natus est hic puer, visus est præ se ferre haud vulgarem indolem, adeo vt eius parentes edictum Tyranni contemnerent.* 18.

S. Gregor. Nissenus. Philo.

### *Bona opera celanda, ne inani gloria pereant.*

*Videns eum elegantem abscondit tribus mensibus*, imo manifestum omnibus facere debet, 19.

cuius eximia pulchritudo omnē superaret venustatē. pulchritudo autem nonne vincit armatos? nonne ferrum pulchritudo captiuat, & vincuntur specie qui non vincuntur prælio? viso ergo infantis incōparabili decore crudelitas Regis & exploratorum mansuescet: aduerte hoc infante pulcherrimo, præstantiores actiones nostras viriles intelligi, quibus tartareus Pharao magis inuidet, calidiusque insidiatur. Prudenter igitur coniux Amram natum masculum abscondit, ne à Pharaone in flumen proijci iuberetur, quia teste Orig. ho. 2. *ita nos debemus occultare bona opera quæ facimus, ne demergantur in profundum inanis gloriæ.* Origenes.

*Indignus est Dei donis, qui vix accepta, aliorum auribus absque delectu, committit.*

20. *Videns eum elegantem abscondit tribus mensibus.* Cur puerum tibi cælitus datum, futurum populi tui saluatorem abscondis? cur Ægyptiis non detegis, vt maior eis terror incutiatur, vel saltem Israelitis, vt in nouam spem erigantur, & forti animo aduersa tolerent viso suo Saluatore? noluit manifestare, sed suppressit, silentio obuoluit, vt mulieres discerent sua passim non effundere, nec Dei dona in publicum iactare. Non sunt enim alienis auribus facile committenda, quæ in secreto mentis cubiculo operatus est nobis Deus. Apponam hic B. Thomę Archiep. Valentini verba qui conc. 2. de Annunciatione, hæc habet, *Disiste occultare secreta, discite ostensa vobis celare mysteria, si quid secretiore mentis cubiculo in aure cordis auditis, non statim effundere super tecta, ad nos illud Prophetæ verbum spectat, secretum meum mihi.* Indignus Dei donis est, qui vix accepta aliorum auribus absque aliquo delectu committit, & ea promiscue reuelat, quæ quidem rationis velamine fuerant occultanda. B Thomas, Archiepiscopus Valentinus.

*Pulchritudo facit virtutes illustriores.*

*Videns eum elegantem abscondit tribus mensibus.* Heb. videns eum pulchrum. Toti sunt interpretes in aperienda huius infantis pulchritudine, cur ita commendatur in puero, quod commune est pluribus impiis? Quis Absalone pulchrior, & tamen quis eius erga patrem impietatem ignorat? ne ergo tot encomiis celebretur venustas Moysis: sane magni facienda cum virtutibus sociatur, ipsa enim virtutes reddit illustriores. quod annotat D. Bernard. in libro de ordine vitæ, *Nos certe in pulchritudine locum virtutis non ponimus, gratiam tamen non excludimus, quia verecundia etiam vultus ipsos solet pudore suffundere gratioresque reddere; vt artifex in materia commodiore melius operari solet, sic verecundia in ipso quoque corporis decore plus eminet, ita tamen vt ipse non sit affectatus corporis decor, sed naturalis.* 21. B. Bernar.



*VARIETAS LECT. Vers. 3.*

VVlg. Cumque iam celare non posset, assumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice, posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis.

*Sep.* Sumpsit ei mater Thibin, & liniuit eam bitumine cum pice, & iniecit infantem in eam, & posuit eam in palude secus flumen.

*Cald.* Accepit ei arcam scirpeam.

*Gnx.* Accepit pro eo arcam iunceam.

*Pag.* Accepit sibi arcam ex iunco, & bituminauit eam bitumine, & posuit eam in iunceto iuxta ripam fluminis.

*Oleast.* Et posuit arcam in iunceto super labium fluminis.

*Alii.* Et posuit in papyrione.

---

*CONCORDIA.*

APud Vulg. habemus sumpsit fiscellam scirpeam, in Hebræo est תקח לתבת גמא Vatikkah lo thebat gome, & tulit ei arcam arundineam siue iunceam, sed sane idem est sensus, verum apud Septuag. non habetur vel arundinea vel iuncea, nomen autem Thibin quod ponunt pro arca, inusitatum apud Græcos est, vnde Aug. quid sit thibin difficile est agnoscere, quia nec Græcus ex Hebræo, nec Latinus ex Græco hoc nomen vertit: sed transtulit, vt inuenit: ast in Hebræo thebat dicitur arca, quam vt dicunt aliqui exprimere volentes Septuaginta, ipsam vocem non immutarunt, sed θιβὼ protulerunt, & licet dicat Orig. thibin esse tegmen ex papyro contextum patet non esse verum: nam thebat significat omnem arcam, siue papyream, siue ligneam, arca enim Noe Theba vocatur, quæ tamen non erat scirpea, aliqui ergo potius credunt fuisse scriptoris vitiū, hoc enim inoleuit crebro, vt vna littera in dictione pro alia ponatur, & apud viros doctos Septuag. fuisse θήκην arculam scriptum, vnde in editione Complutensi est ἔλαβεν αὐτῷ ἡ μήτηρ αὐτοῦ θήκην transcribentis ex exemplari errore factum est, vt pro κ sumpto β, & primo η, in ι commutato, cuius facilis commutatio, cum sonus sit idem & θίβην pro θήκην redditum esse. Non est discordia in his dictionibus in carecto, iunceto, papyrione siue palude: nam carectum locus est carice consitus, carex autem frutex est acuminatus, papyrio locus est papyro consitus, papyrus autem est arundo, vt non male iuncis præsertim maioribus, & corticibus comparetur, & locus iuncetum dicatur, bene Septuag. ad paludem ponunt, quia non ad ipsos fluminis margines, sed potius ad quosdam eius sinus, vbi iuncorum papyri sunt, scirporum copia crescebat.

## EXPOSITIO.

*CVmque iam celare non posset*, quia forte Regis scrutinium instabat quod tribus quibusque mensibus fieri consueuerat, vel celauit quandiu potuit, non potuit autem diutius, *assumpsit fiscellam scirpeam*, id est arculam iunceam, siue ex iuncis, quasi uiminibus contextam: scirpus autem est herba sine nodo, quæ in paludibus reperitur. Scirpus vulgariter iuncus, & alio nomine papyrus vocatur. *Et liniuit eam bitumine ac pice* ad aquam arcendam ne per rimulas in arculam ingrederetur, *posuitque intus infantulum*, pannis inuolutum, *& exposuit eum in carecto ripæ fluminis*. Carectum nomen est herbæ & loci, in quo carices & iunci nascuntur, qui locus frequenter est in ripis fluminum, quorum ora ripæ dicuntur, sicut & maris littora, cum autem suam & pueri vitam maximo periculo expositam videret, dum valuit puerum abscondit, cum vero vltra nequiret, diuinæ prouidentiæ commisit, oraculo innixus, si Iosepho credimus, quod à Deo acceperat.

## CONCEPTVS.

### *Quid non operatur & inuenit amor?*

22 *SVmpsit fiscellam scirpeam*, & in ea bitumine & pice delinita infantem, quem amplius celare non poterat, posuit, quis te fiscellam componere docuit? quis eam pice & bitumine delinire ne per rimulas eius aqua ingrederetur? nam equidem artifice quis indiget, vt similes arculæ conficiantur: sed quæso ne scisciteris, quis vtrumque parentem Moysis, arculam iunceam componere docuit, cum enim maximo amore in infantem pulcherrimum ferretur, non potuit mira non operari & inuenire in eius salutem.
Oleaster. *Mirabilis artifex* (inquit Oleaster) *omnium rerum est amor, qui matrem arcam facere qua puerum poneret, docuit, quam pice bituminauit.*

### *Gubernator populi debet esse gratus & acceptus.*

23. *Sumpsit fiscellam scirpeam*, & in ea bitumine delinitam infantem posuit, quem noster Vulg. appellat elegantem: Hebr. pulchrum, Sep. ἀστεῖον quem gratum aliqui interpretantur, alii vrbanum, nonne futurus erat populi Israelitici gubernator? cur ergo tanquam pulcherrimus commendatur? quid enim ad regimen populi confert pulchritudo? imo pulchri, molles & delicatuli inueniuntur. Fortem ergo & robustum prædicet, non autem venustũ, cum sit potius encomium mulieris quam viri: nonne oris dignitas, & totius corporis pulchritudo omnium animos ad sui amorem allicit? non immerito igitur qui futurus est populi gubernator venustus & elegans prædicatur, quia populo debet esse amabilis, gratus & acceptus. Vnde D. Basil. ho. 1. in Hexam. ait: *Moyses sane is existimandum pendens ad matris vbera, Scripturæ testimonio probatur amabilis Deo fuisse, & gratiosus*, adde & populo, vt totus populi futurus rector.
Basilius Magnus.

### *Adulatores & delatores apud Reges non deficiunt.*

24. *Sumpsit fiscellam scirpeam*, in qua committens diuinæ prouidentiæ infantem, posuit: cur adhuc per plures menses lacte nutritum non seruasti, ne filicida dicaris, si ministrorum Regis crudelissimi exponis immanitati? recte Philo lib. 1. de vita Moysis, *cum non deessent, vt fit sub Regibus, qui scrutarentur etiam recondita, captando gratiam nouis delationibus, timentes ne dum vni consulunt, ipsi necis eius fieret accessio, deplorantes puerũ exponunt, in ripa fluminis*. Hæc verba preme, Philo: *cum non deessent, vt fit sub Regibus, qui captarent gratiam nouis delationibus*: tot enim aulici, tot adulatores, qui non nesciunt etiam in aliorum detrimentum, imo & interitum ad aures Regũ deferre quæ vel audiunt, vel intuentur, vt eorum captent per fas vel nefas gratiam.

### *Calidissimi sunt impii in perficiendis quæ desiderant.*

25. *Sumpsit fiscellam scirpeam*, in qua expositus puer seruaretur incolumis, cum amplius eum seruare non posset: sed si trium mensium spatio, eum illæsum abscondit, cum tunc difficilius sit occultare, non solum propter pueri vagitum, sed etiam ratione eorum quæ sequuntur puerperiũ, facile enim deprehenditur vtrum mater grauida pepererit. Potuisset equidem, nisi fuissent exploratores, qui tertio quoque mense domos omnes Israelitarum scrutarentur, sic noster Lyran. *Rex fecerat statutũ quod in tribus mensibus semel scrutarentur Ægyptij domos Hebræorum, ne pueri essent ibi absconditi.* Quomodo vt hoc scrutiniũ fieret iussit? quia calidissimi sunt impii in perficiendis quæ desiderant, præceperat quidem vt omnes pueri Hebræorum flumine submergerentur, sed cum sciret plures à parentibus abscondẽdos, hoc scrutinium trimestre excogitauit callidè. Lyran.

### *Pulchritudo dificillime potest occultari aduersariorum oculis.*

28. *Sumpsit fiscellam scirpeam*, vt quem amplius seruare non poterat in ea reponeret: vt formetur conceptus, præmittenda sunt verba Rupert. cap. 8. lib. 1. Clarum quod non impletum est vniuersum nequam Regis præceptum, alioquin non fuisset in Israel exitu de Ægypto vir inter eos infra ætatem quadraginta annorum, neque ante Moysen quidem, sed infantes Hebræorum absconditi à parentibus incolumes tyrannidem Regis euaserunt, cur ergo si plures seruantur pueri, cur vnus post três menses illapsos, Moyses non absconditur, cum id anxie desiderarent parentes? quid de Moyse dicitur, nisi quod elegans & pulcherrimus esset? quid mirũ igitur si amplius celari non potuit? pulchritudo enim difficillime potest occultari aduersariorum linceis oculis. Vnde sapienter de eleganti & venusta fœmina dicebat Hier. ex Theoph. lib. 1. aduers. Iouinia. *Minori miseria deformis habetur quam formosa seruatur, difficile custoditur, quod plures amant, nihil tutum est, quod totius populi vota suspirant.* Hierony.

*Durum laboribus non frui.* A

54 *Sumpsit fiscellam scirpeam.* In qua positum infantem exposuerunt in carecto ripæ fluminis: sed ita ne ab omni humanitate alieni, & sine paterno affectu, vt infantem pulcherrimum tanto obiiciatis discrimini? Gementes, inquit Philo, discedunt, miserantesque tum suam necessitatem, qua expressum sit infanticidium filii, tum pueri necem iniquam & miserabilem. Deinde seipsos incusabant, quod calamitatem auxissent, sed in quo à vobis calamitas aucta? an maior quam infantis pulcherrimi violenta mors, iactura? eam quidem auxerunt cum sine vtilitate puerum lactauere trium mensium spatio, ita cit. auctor. *Debueramus recens natum exponere, quando prius quam nutricis intercedat officium, vulgus vix habet pro homine, nos nimia cura per tres integros menses aluimus nobis maiorem parantes tristitiam,* B preme hæc vltima verba, *nobis parantes maiorem tristitiam*, quasi summæ calamitatis, qualis fuit filii charissimi iactura, alia sit superaddita, nempe oleum & operam perdidisse, in eo per tres menses lactando.

Philo.

*Quo quis magis ad rationem accedit, eo magis doloris aut voluptatis capax est.*

28. *Sumpsit fiscellam scirpeam*, cuius beneficio committunt, non sine lachrymarum profusione, sed cum maximo dolore, quod tamdiu distulissent præsenti exponere discrimini; nonne puero vtilius quod per aliquot menses liber à Tyrannide Regis euaserit? quod aquis fluminis suffocatus non fuerit? nequaquam hoc sibi suadet cit. Philo. Sed cur maiori cruciatu nunc afficietur puer expositus quam si recens natus edictum Regis C subiisset? *quia vt voluptatum* (inquit) *dolorumque per ætatem capacior se perire sentiet.* Nam quo quis magis ad vsum rationis accedit, eo magis sicut voluptatis, sic etiam & doloris capax est.

Philo.

*Licet auxilii Diuini spes affulgeat, non negligendum quod possumus.*

29. *Sumpsit fiscellam scirpeam, liniuit eam bitumine ac pice, deinde exposuit infantem in ea positum carecto ripæ fluminis.* Nonne oraculo diuino certus vterque parens, puerum quem susceperat, futurum populi sui liberatorem, necnon Ægyptiorum vindicem & triumphatorem? cur ergo in arcula cõponenda ex iunceis quasi viminibus, in ea bitumine & pice illinienda, in carecto ripæ fluminis, D tanta cum sollicitudine ponenda, tantum laborem impendit? id enim videtur exprimere Apost. Heb. 11. fide Moyses natus occultatus, occulta enim reuelatione (inquit noster Grandis) didicerant nequaquam eis desperandum esse, super futura eorum liberatione, puerum quoque ab ipsis nasciturum, qui Hebræorum genus ab Ægyptiorum necessitate vendicaret: si ergo ita certi vt fide credant, futurum puerum incolumem, cur domi non relinquunt, ei Regis exploratores condonabunt, non ita diligenter in arcula iuncea bituminanda & componenda laborent: ita prudenter hæc omnia perficiunt, licet enim nobis diuini oraculi spes affulgeat, & de illo certissimi simus, non negligendum tamen

Hebræor. 11.

Noster Nicolaus Grandis.

A operari quod possumus. *Vides*, inquit Lipp. *non omittendum ingenii & artis obsequium, vbi etiam speratur futurum Dei auxilium, omni diligentia incumbunt, vt tuto reponatur infantulus, exponendus non minori fide quam olim Noe, arcam quoque suam disposuit, nihil omittendo eorum quæ fieri poterant, reliquum diuinæ cõmittentes prouidentiæ, cui & omnium operum nostrorum euentus committendus.*

Lippom.

*Maiori malo succurrendum.*

*Sumpsit fiscellam scirpeam in qua positum infantem exposuerunt carecto ripæ.* Nonne per tres menses illæsum domi seruastis? cur vsquequo adolescat non absconditis? nonne in euidens vitæ discrimen à vobis coniicitur, tanquam inhumanis? aduerte quod si Regis ministri puerum post tres menses domi reperissent, non solum in B puerum, sed in totam familiam crudeliter deseuissent: quod equidem longe maior calamitas, quam si solus puer expositus è viuis excederet: non inhumanitatis igitur arguamus, sed prudentiæ, parentes Moysis extollamus, quia maiori malo succurrendum, ita Ioseph *Veritus Amram, ne re deprehensa, mox & ipse cum puero omnique familia sublatus è medio promissionem faceret irritam, maluit salutem filii totam Dei prouidentiæ committere, certam spem habens eum promissurum, vt oraculi veritatem euentus declararet,* preme hæc verba, *ne mox & ipse cum puero, omnique familia sublatus è medio, &c.* quasi diceret, satius est vt solus puer pereat, quam tota deleatur familia. 30

Iosephus.

*Pater exponens filium compellente maximo & infallibili periculo, non peccat si alio modo seruare non potest.* C

*Sumpsit fiscellam scirpeam, liniuit eam bitumine ac pice*, & in ea positum puerulum exposuit cum inquit textus in carecto ripæ fluminis: quid ais Moyses? crudelitatis & peccati patrem & matrem arguis? dicis enim te ab eis expositum esse, qui autem exponit aliquem, negat ei viscera pietatis, cui obligatur viscera pietatis ostendere, quodquidem peccatum non leue est: nam si peccatum non esset, iura pueros exponentes minime punirent, vt patet extra de infantibus expositis, & languidis, vbi dicitur quod pater qui negato pietatis officio, filium exposuerit, caret ex hoc patria potestate, quam antea naturaliter & ex lege humana tenebat. Obserua quæso exponere puerum sumi dupliciter, aut improprie vel D proprie, accipiendo proprie sic potest definiri, est abnegare pietatis officium cum potest ei exhibere, exponere autem improprie, est aliquem relinquere sine subsidio, cum ei conferre non potest: reuoca autem in memoriam quod dixit textus, quod absconditũ tribus mensibus, cum autem iam celare non posset, tunc eum exposuit imminente totius familiæ suæ & pueri vitæ discrimine: ne dicamus igitur Amram peccati conscium in sui expositione pueri, quia in quantum potuit viscera pietatis non denegauit, immo summo cum amore exhibuit. Audiendus est Abul. *Cum aliquis secundum verba capituli allegati dicitur puerum exponere, quando negato vel relegato pietatis officio ad fortunam exponit & perniciem, tunc autem quis pietatem relegare dicitur, quando po-* 13.

Abulen.

*tens aliquomodo pietatem exhibere, hoc vel non vult, vel negligit, & sic sunt viri vel mulieres qui propter pietatem vel paupertatem, vel ob aliam similem causam filios suos in aliquibus locis exponunt. Sed ille qui nō potest aliquid vltra agere, non dicitur exponere, vel nō peccat in exponēdo, sic fuit in Amrā, quia adhibuit diligentiam quam potuit, postquam autem vlterius seruare non potuit, quia seruatio redundabat in certam pueri necem, & in periculum patris, posuit eum in flumio & non totaliter exposuit, quia non destituit eum omnimode officio pietatis, nam Maria soror pueri astabat respiciens à longe quid fieret de puero, vt si quem forte aduerso videret quantum posset, succurreret.*

*Nemo cito ad officia & labores promouendus.*

32. *Sumpsit fiscellam scirpeam,* & in ea positum puerulum Moses exposuit in carecto ripæ fluminis, cur antea non expositus à parentibus? cum enim vigeret edictum Regis, & periculum vitæ immineret, potuit recens natus etiam in arcula iuncea bituminata, ne per rimulas eius aquæ ingrederentur, positus carecto ripæ fluminis exponi, cur ergo non exponitur? aduerte ante tertiū mensem, nihil tentasse parentes, vt saltem quantū possent filiolum nutriendo firmarent & nutrirent, quo expositionem postea ferre posset incolumis, non laturus si statim expositus fuisset, quid hoc quæso denotat? sane quod qui ad Ecclesiasticos labores, grauesque molestias sunt applicandi, non statim obijciendi periculis, sed infirmum animi robur eorum antea fouendum & firmandum, vt quascumque difficultates minori cum periculo & molestia possint tolerare, Episcopum, inquit D. Paul. 1. Timot. 3. oportet esse non Neophytum, qua de (1.Timoth 3.) causa? *nam ignorat* vt ait Hieron. epist. 83. ad (Hieronym.) Oceanum, *momentaneus* idest citò promotus, *Sacerdos humilitatem & mansuetudinem rusticorum ignorat, blanditias Christianas nescit seipsum contemnere, de dignitate transfertur ad dignitatem, non fleuit, non mores suos sæpe reprehendit, & assidua meditatione correxit, non substantiam pauperibus erogauit; de Cathedra quodammodo ducitur ad Cathedrā, idest de superbia ad superbiā,* & in eandem (Ambros. epist. 82. ad Vercell) sententiam Ambros. *verum,* ait, *quia rudis in fide solet extolli superbia, maxime si accipiat ordinem: nouitate nimirum & potestate inflatur, arbitrans se* A *præ cæteris digniorem. Vides enim primo anno natiuitatis, collatum in se honorem, putat non magis ad suum sed aliorum profectum se vocatū; quasi beneficium Religionis dei magis, quam accipiat ab ea: per quam tem illatus incurrit iudicium diaboli: inuenta enim occasione superbiæ illius sanat enim præcipitat.* Atque hæc causa fuit cur idem Ambros. sedulò alibi suam præproperam & festinatam initiationem excuset. Itaque & Anselmus: *nec nuper inquit baptisatus, nec nuper* (Anselmus.) *à secularibus negotiis, vel à militia separatus fieri debet Episcopus, quia vnusquisque talis est Neophytus.* Eodem spectat Canon Apostolicus cu- (Canon 80.) ius sententiam explicat Origenes his plane ver- (Orig. lib. 3.) bis: *Qui ex Gentili, vel Iudæo fit Christianus, aut* (cont. Cels.) *in vita praua ad honestam conuertitur, ne statim Episcopus fiat; indignum enim est vt qui nondum documentum vitæ suæ dederit, aliorū fiat magister.*

*Humanæ salutis auspicium in Christi similitudine.*

*Sumpsit fiscellam scirpeam,* in qua positus infan- 33.
tulus exponitur à parentibus carecto ripæ fluminis, cui arculæ iunceæ confidens incolumem seruauit puerulum: si nihil infirmius iuncis & viminibus ex quibus confecta erat illa fiscella, quomodo salus pueri eis creditur? quomodo seruatur? audiamus quæso quid dicat Oecumenius de Moysis similitudine cum Christo Do- (Oecumenius.) mino explicans hæc verba, act. 3. Prophetam (Actuum 3.) suscitabit nobis Dominus Deus noster, è fratribus nostris mei similem, ipsum audietis, ait. *Quid illud est, mei similem? nascitur Christus in Bethleem & Moses in Aegypto, ille Israelita sicut etiam hic, iuxta carnē, ille ex genere sacerdotali velut Christus, ex Dauid propter virginem; Pharao illum persequitur, hunc Herodes, infantes occidit, ille infantes & hic interimit; & vterque masculus per matrem seruatur: ille per matrem & cum matre seruatus, hic in capsula, ille & ad ripam fluminis, hic etiam in lyco Aegypti ciuitate iuxta idem flumen.* En quomodo Oecumenius agnoscit imaginem quandam & similitudinem Moysis cum C Christo Domino? quid mirum igitur, si parentes Mosis, quem ipsi seruare non poterant, arculæ iunceæ committant? de tanta enim Christi Domini ventura similitudine certissimum iam dabant puero vitæ auspicium.

## *VARIETAS LECT. Vers. 4.*

*Vulg.* Stante procul sorore eius, & considerante euentum rei.

*Sept.* Et obseruabat soror eius de longe, vt videret quid ei accideret.

*Cald.* Quid fieret de eo.

*Pagn.* Quid fieret ei.

## EXPOSITIO.

*Stante procul sorore eius*, ita factum imperio parentum, vt si quæ daretur occasio saluandi puerum, illa præsens adesset facile, & fletu suo & pueri vagientis motura misericordiam, sin autem nulla opportunitas occurreret, D vt parentibus nuntiata illi de nocte eum reciperent, alio rursum die benignitatem Dei tentaturi, hæc autem puella erat soror Moysis, & nomine Maria, ætatis forte duodecim vel tredecim annorum.

## CONCEPTVS.

### *Oratione, Deo commendanda ardua negotia.*

34. *STante procul sorore eius*, vt obseruaret, quid futurum esset, nonne conuenientius vtipsamet mater præsens afforet, tũ vt si necessitas præsens vrgeret, lactare filium posset, tum vt filiam Regis Pharaonis, quæ hic expectabatur, descensura, posset in eius fauorem alloqui? cur ergo non remittitur in domum puella, & mater puero præsens accedit? nonne exigui materni in puerum affectus arguetur, quod in tanto discrimine positum reliquerit? non reliquit equidem, nam domi remanens cum patre, ad Deum cum lachrymis preces vterque fundebat, ita arduum suæ misericordiæ commendans negotium: fauet Abul. *Manebat domi orans cum vxore sua pro paruulo, quem eis donauerat, vt nunc in extrema discriminis angustia eum tueri dignaretur, super quo Maria solicita quod Deus vellet facere, prospectabat.* Abulensis.

### *Deus minime tentandus in futuro rerum euentu.*

35. *Stante procul sorore eius*, vt quid futurum esset puero exposito diligenter obseruaret. Nonne satis erat arcam iunceam cõposuisse, & in ea infantulum posuisse, vt incolumis seruaretur? cur ergo puella mittitur exploratura, quid ei continget? diuinæ committatur prouidentiæ. aduerte quod Deũ tunc tentare proprie dicimur, cum neglecto quod per industriam humanam agere possumus, totos nos diuino regimini subijcimus, expectantes à Deo spem: merito igitur non solum arculam iunceam composuit mater, vt puerulum seruet incolumem, sed præcipit filiæ vt illius iam expositi curam habeat ne in aliquo Deum tentasse videretur, *expositus* inquit Lipp. *infantulus curæ quidem Dei committitur, sed tamen interim non cessat humana sedulitas instinctu diuino, qui vt finem decreuerit operis, sic ad finem media ordinare non omittit; non semper miraculis opus est, sed admodum raro, non est tentanda Dei bonitas & potentia Dei.* Episcopus Metonēsis.

### *Ne nostræ bonæ cogitationes pereant, necessariis ad salutem muniendæ.*

36. *Stante procul sorore eius*, nihilominus attenta consulere saluti fratris sui. Cur ita solicita angeris? cur quæ circa eum geruntur, diligenter prospicis? timesne aquæ fluminis arculam ingrediãtur? bitumine delinita est, an times ne submergatur? tutus iacet in fiscella scirpea, timesne quod regis ministri inuentum interficiãt? viribus infirmior es, quod eis possis resistere, secede ergo precibus eum commendatura: dubium non est per masculum elegantem, (qualis erat Moyses,) intelligi sanctas & viriles cogitationes nostras, quas vellet omnino Pharao tartareus perire in aquis huius sæculi, merito igitur non solum in arcula bene munita ponitur, sed etiam soror eius diligenter prospicit, ne quid ei mali contingat, ne quis eum surripiat: quia ne nostræ bonæ cogitationes pereant, omnibus necessariis ad salutem muniendæ: præstat hic innectere verba S. Greg. Niss. lib. de vita Moy. *fluctum aquarum hanc vitam dico, in qua perturbationibus alternis multi obruuntur; at vero cogitationes castæ & prouidæ viriles partus parentũ, si quando vitæ necessitate bona pignora cogantur fluctibus vitæ exponere, illam muniunt arculam, ne undarum fluctibus submergatur, est autem arcula veluti ex diuersis asseribus compacta doctrina vt arbitror, ex qua multis ac variis disciplinis in vnum collecta, super fluctus huius vitæ fertur, neque immergi patitur, sed impetu exagitata, tandem ad stabilẽ ripam extra huius vitæ turbationes animum educet, naturaquidem ipsarum rerum ita fieri crediderim; videmus enim reipsa si quis turbinis ac procellis huius vitæ resistit, nec se obrui patitur cum a corrupta hominũ societate ac vita, tanquam onus graue reijci atque repelli.* Gregorius Nissen.

### *Homines magis expertes misericordiæ quam ipsa inanimata.*

37. *Stante procul sorore eius* à loco vbi arbitratur stetisse capsulam iunceã, Iosephus scribit puerum à parentibus proiectum in flumen esse, & filiam regis iussisse missis natatoribus fluctuantem lectulum ad se in ripam extrahi, imo Greg. Niss. Iosephum ex parte imitatus est, sic enim ait, quare non simpliciter, sed in fiscella quadam pice ac bitumine illita, impositum, in Nili fluenta exposuit infantem, diuinaque voluntate ad eam ripam amnis, fiscellam vorticibus aquarum eiectã, qua regis tunc filia forte spatiabatur accepit ab his non abest Basil. Seleu. putant Iosephus rem non satis admirationis habituram, nisi pro palustri ripa, flumen ipsum, pro vna ex famulabus, natatores substitueret, aut non recte dici posse puerum extractum ex aquis, nisi quem parentes ad madentem ripam gementes collocarent, ipse immisericors in flumẽ proijceret: sed ne credamus Iosepho, sed sacræ scripturæ, inundabat tamen aliquando Nilus illam paludem, in qua erat illa capsula iuncea, nec tunc aquis carebat: ad quid enim eam bitumine & pice liniissent, nisi timerent aquas quæ possent ingredi per rimulas eius? sed quomodo aquæ capsulam non submerserunt? quomodo ei condonauerunt, cum nec rex nec eius ministri ei pepercissent? quia homines aliquando minus capaces sunt misericordiæ, quam ipsa inanimata insensibilia: quod ita confirmat cit. Basil. Seleu. or. 8. *Ferebatur ille expers periculi per fluenta contra inimici edictum seruatus, Dei vero iusti infantis cuius virga, futurum erat, vt non multo post secaretur & mare, fluuius parcebat, cuius quoque ipse virga percussus scaturigines in sanguinem transmutauit,* preme hæc verba, *fluuius infanti parcebat*, cui scilicet homines parcere noluerunt. Iosephus. Greg. Niss. Basilius Seleu.

### *Virtus virginitatis perpetuæ vsque ad legem gratiæ ferè incognita.*

*Stante procul sorore eius, & considerante euentum rei*, cuius sane sagacitati multum debuerat Moyses, cum eius prudentia a propria matre educatus est, quomodo ergo ita beneficij huius immemor, vt nec saltem eius virtutem commendet? cur silentio obuoluit, quæ ab ea recte gesta fuere? in eius enim encomium dicere po- 38.

rat, ſtante procul eius ſorore ſemper virgine ſecundum enim D. Amb. & alios Patres, in æuum virgo permanſit, prædica pro ſingulari in te collato beneficio, ſaltem eius virgineam virtutem, ſane priſcis temporibus non erat puritas virginalis in pretio habita; hanc enim Chriſtus Dominus tanquam eximiam ſuaſit virtutem, quod confirmat D. Athanaſ. de incarnat. verbi explicans, quæ Chriſtus mundo noua induxerat, ait enim *Quis igitur hominum vel poſt mortem, vel in vita auctor ſeruandæ virginitatis fuit? at non contra arbitratus eſt eam virtutem præſtari non poſſe: attamen noſter Saluator & omnium rex Chriſtus, tantum voluit in huiuſmodi præceptis, vt pueri nondum maturi lege diſciplinæ, virginitatem quæ ſupra leges eſt, profiteantur.*

D. Athanaſius.

### *Vſque ad extremum alijs ſubueniamus.*

39. *Stante procul ſorore eius & conſiderante euentum rei*, in domum parentum ſecede, eos conſolatura, indecens eſt enim puellam & virginem ſpecioſam, ſine comitatu foris manere, cum ſe diſcrimini perdendæ pudicitiæ obijciat: imo maneat quamuis ſola, proſpiciens quid futurum ſit de puero, vt ſi neceſſitas vrgeat, poſſit ei ſubuenire, vſque ad extremum enim, ſi in noſtra ſitum ſit poteſtate, proximis ſuccurrere debemus, vnde Seraph Port. *Stabat ſoror pueri ad conſiderandum euentum rei, vt forte ſi quid inſolitum fluminis periculum immineret, puero ipſi modo meliore ſuccurreret*, non ceſſandum, quin ſemper aliorum ſaluti conſulas.

Seraphinus.

### *Maximus debet eſſe ſororum in fratres amor.*

40. *Stante procul ſorore eius & conſiderante euentum*

A *rei*, quæ iuſſu matris ex aduerſo per ripam deſcendens, obſeruabat quis futurus eſſet capſulæ iunceæ, & infantis fratris ſui in ea poſiti fauſtus vel infœlix euentus: ſed ô puella, nonne tibi compertum eſt edictum regis? nam illud à parentibus audire potuiſti, qui præcepit ſub pœna capitali, vt omnes maſculi Hebræorum aquis ſuffocarentur, quomodo ergo nullo timore perculſa, fratrem comitans, proſpiciens futurum eius euentum? ſi miniſtri regis accedant infantemque reperiant, ſine dubio te illius ſalutis conſciam credent, ſicque pœnas tranſgreſſionibus edicti regis debitas exigent, longius ergo ſede, imo non recedit, tanto enim amore fratris erat accenſa, tanto in eum affectu ferebatur, vt nulla crudeliſſimi regis edicti habita ratione, & contemptus etiam regis miniſtris, cum ſuæ forte vitæ periculo, fratrem perpetuo obſeruabat.

### *Chriſtus Dominus ab initio in ſuis patitur.*

B *Stante procul ſorore eius & conſiderante euentum rei*, nempe Moyſis expoſiti in carecto ripæ fluminis, caretne myſterio, quod innocens Moyſes, perſequente Pharaone, ſic exponitur? an ſolus patitur vel aliquis cum eo? dices parentes eius non leui dolore affectos, addere potes etiam Chriſtum Dominum in eo fuiſſe expoſitum, ita D. Paulinus epiſt. 2. quæ eſt prima ad Aprum, *ab initio ſæculorum Chriſtus in omnibus ſuis patitur, ipſe enim eſt initium & finis qui in lege velatur, in Euangelio reuelatur, mirabilis ſemper & patiens & triumphans in ſanctis ſuis, Dominus in Abel occiſus eſt & in Moyſe expoſitus & fugatus.* 41.

D. Paulinus.



## *VARIETAS LECT. Verſ. 5.*

V*Vlg.* Ecce autem deſcendebat filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine, & puellæ eius gradiebãtur per crepidinem aluei, quę cum vidiſſet fiſcellam in papyrione, miſit vnam ex famulabus ſuis, & allatam.

*Sept.* Ancillæ eius gradiebantur ſecus flumen, & videns thibim in palude, mittens ancillam & accepit eam.

C *Cald.* Puellæ eius gradiebantur iuxta ripam fluminis, & vidit arcam in medio carecti, & extendit brachium ſuum, & tulit eam.

*Onk.* Puellæ eius deambulabant in littore fluminis. &c.

*Pag.* Puellæ ibant iuxta locum fluminis, & vidit arcam in medio iunceti,

*Oleaſt.* Ambulabãt puellæ iuxta manũ fluminis.

## *CONCORDIA.*

DIctio סוף Suph ſcirpus eſt, carex, iuncus, & papyrus, quandoque autem & carectum ſignificat, & locum caricum plenum quem noſter interpres papyrionem vocat, ſi מ. in אמה Amah ſit ſine dagues, ſiue punctulo in ventre, ſignificat cubitum ſiue brachiũ, propterea vertit Caldæus paraph. extendit brachium ſuũ; tamen hoc alijs non probatur, ſed volunt hic ſignificare famulam.

## EXPOSITIO.

E*Cce deſcendebat filia Pharaonis*, eam Themuthim vocat Ioſephus, deſcendebat autem ex regia domo in prominenti loco ſita, vt *lauaretur in flumine* refrigerij vel munditiei gratia, Ægyptus enim regio calidiſſima eſt, & *puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei*, crepidinem vocamus, tum ſaxa prominentia, tum terræ extremum, quod aqua alluitur, ſic dictum quod aqua ibi repercuſſa crepitet, eſt autem iſta crepido apud alueum, quia iſta terminat fluuium, *quæ cum vidiſſet fiſcellam*, arculam iunceam *in* D *papyrione*, papyrio dicitur à papyris, papyrus autem arbuncula eſt in Ægypti paluſtribus, naſcens, habens radicem obliquam triangulis lateribus decem, non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem faſtigiata thirſi modo cacumen includens, ex hoc frutice præparabantur chartæ acu diuiſæ in pertenues & latiſſimas philluras, quæ eo meliores erant, quo mediæ papyro propinquiores, quæ ab eius fruticis appellatione, etiam papyri nomen accepere, ab huius quoque fruticis nomine etiam hodie

chartas nostras, quæ ex contritis linteis fiunt, papyrum appellamus, exeo quod eundem nobis præstent vsum, quem olim Ægyptiis præ- A stabat papyrus, *misit vnam de ancillis suis, vt fiscellam inuentam adferret.*

## CONCEPTVS.

*Deus efficit vt remotißima cõsiliis suis seruiãt.*

58. *DEscẽdebat filia Pharaonis vt lauaret se in flumine.* Quid refert ad salutẽ infantuli Moysis scire, vtrũ filia regis se aquis fluminis ablueric necne nõne satis erat nosse filiã regis, infantẽ in capsula inuentum vt præcepisse à matre lactari? sileat ergo Moyses huiusmodi lautionem, nonne eam dixisses nihil habere commune cum sua salute? sed falleris, Deus enim remotissima & quæ nullam habere cum aliquo fine proportionem videntur, efficit vt suis seruiant consiliis,

Lippom. *Lotionis casualis & carnalis* (inquit Lipp.) *instituti opus quis credidisset in operis diuini notionem futurum?* quasi diceret, en prorsus nostram superat prouidentia diuina admirationem, vnde

Procopius. Procop. *Non citra prouidentiam diuinam filia Pharaonis in hunc locum venerat.*

*Antiqui quod nobilius & vtilius arbitrabantur, tanquam numen venerabantur.*

43. *Descendebat filia Pharaonis vt lauaret se in flumine.* Magna erat, inquit Abul. Ægyptiorum cura, frequentare aquas, sed quare hic populus tanto affectu aquas frequentat? dices refrigerij causa, cum terra Ægypti sit calidissima, non hac de causa solum, sed quia tanquam verum numen eas venerabãtur: verum ex quo motiuo soli Deo honorem debitum impendunt creaturæ? quia hoc elementũ quacunque alia re creata, nobilius esse credebant & sibi vtilius experiebantur, ita cit. Abul. *Sicut Caldæi ignem, &*

Abulens. *aliæ gentes terram siue Cererẽ, quæ idem est, ita Ægypty, colebãt aquas quia intentio antiquorũ apprehẽdentium per hoc nomen Deus, quidquid in omnium rerum latitudine melius excogitari poterat, rem suam natura nobiliorem atque in effectu vtiliorem Deum vocauerunt; cum autẽ apud Ægyptios aqua nihil vtilius inueniretur, quia cœlo non pluẽte sola aqua Nili inundante per planiora Aegypti loca in alueis deriuata, rerum omniũ copiosa habebatur vbertas, quam ob rem aquarum Aegyptij præcipui cultores aquas & nymphas aquarum cultrices frequentabant, quandam reuerentiam fluminibus exhibendo, & in eis sæpissime lauando.*

*Verecundia maxime decens fœminis.*

44. *Descendebat filia Pharaonis vt lauaret se, puellæ eius per crepidinem aluei gradiebantur*, cur obseruat Moyses huiusmodi famulas non adesse filiæ regis, sed deambulãtes, quovsque ipsa se ablueret? nonne ei præsentes adesse deberent, vel vt eam abluerent, vel vt ablutam linteis tergerent? recte obseruat per crepidinem aluei obambulantes, dum ipsa Domina se lauacro purgat, vt quantum fuerit verecũdiæ compertum sit, cum noluerit etiam in cõspectu ancillarum nudam lauari, *memento verecundiæ fœmineæ* inquit

Oleaster. Oleast. *cum enim filia Pharaonis voluit lauare se, puellæ eius abiere & gradiebantur iuxta ripam fluminis.*

*Mulieres sine comitatu domum non egrediãtur.*

*Descendebat filia Pharaonis vt lauaret se, puellæ*

45. *eius per crepidinem aluei gradiebantur*, nonne vt lauaretur, sufficeret vnam in comitatu suo habere ancillam, eam tergendi gratia? cur ergo tot cum ea ancillæ è domo regia egrediuntur? an fastus & arrogantiæ gratia, qualis in principibus reperitur, qui se ex plebeis crederent, nisi plurimis stiparentur famulis? dicamus tamen forte honestatis gratia, cum tot ancillis egressam, mulieres enim sine comitatu domum egredi non deberent, ita sentit Oleast. *aduerte* Busitanus. inquit *etiam filiæ regis honestatem, nam filiæ regum inter puellas in societatem enutriri debent, neque vnquam sine ea domum exire.*

B *Lauentur fœminæ in secreto.*

*Descendebat filia regis vt lauaret se in flumine.* 46. Quid? nonne indecens, ne dicam principes, sed claris ortas natalibus, coram omnibus in flumine lauari? nam etiam plebeiæ nocturnum tempus ne ab aliis conspiciantur, sua balnea eligunt, quomodo ergo filia regis, sole lucente ex domo regia egreditur, vt se lauet in flumine? ne per flumen intelligas locum omnibus publicum, sed aliquem fluminis recessum, vt in eo honestè & nullo conspiciente se ablueret, *erat flumen circa palatium suum in descensu, & erat locus secretus ibi*, inquit Abul. *& forte aliqua bal-* Abulensis. *nea in quibus ipsa lauaretur, quia non est credendum filiam regis, nec aliquam honestam fœminam in loco publico, conspicientibus cunctis velle lauari.*

*Licitum est, non solius voluptatis, sed vtilitatis & sanitatis gratia, balneum.*

C *Descendebat filia regis vt lauaret se in flumine.* 47. Nonne indecens est lauari? nonne balnea inhonesta esse videntur? an igitur hæc filia regis commendanda, vel vituperanda dicetur quod balneis vtatur? legimus Iudith 10. corpus Iudith. 10. suum lauasse, & vnxisse se myrto optimo, crinemque capitis sui discriminasse, legimus & Susannam Daniel. 13. ingressam pomarium cum Daniel. 13. duabus puellis frequenter se lauasse, imo & D. Irene. lib. 3. cap. 3. aduersus hæreses, testatur Ioannem Euangelistam in balneis se lauan- D. Irenæus tem, sic enim habet sunt qui audierunt eum dicentem, nempe Polycarpum, quoniam Ioannes Domini discipulus in Ephesum iens lauari cum audisset intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens quod timeat ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus

D veritatis, de se Tertul. in Apol. aduersus gentes Tertullianus. 42. cap. scribit, *non lauor diluculo saturnalibus, ne & noctem & diem perdam, attamen lauor honesta hora & salubri, quæ mihi & calorem & sanguinem seruet*, an dicemus igitur balnea prohibita lautionemque ciuilem vetitam esse? minime, dummodo non fiat solius voluptatis & mollitiei gratia, sed vtilitatis & sanitatis.

*Maximũ est in nuptiis habendi filios desideriũ.*

*Descendebat filia regis vt lauaret se in flumine*, an solebas ò filia regis in flumen descẽdere lautionis ergo? hoc minime sentit Philo Iudæus, lib. 48. 1. de vita Moysis, sed inquit hactenus solita erat domi se continere, cur ergo nunc potius ducitur

lauandi se in flumine desiderio? sane non sine instinctu Dei, audiamus cit. Philo. scitum dudum nuptam non potuisse matrem fieri, quamuis liberorum cupidam præsertim sexus potioris, vt esset qui in auiti regni fortunarum sortem succederet migraturi alioqui in familiam aliam nepotum penuria, alludit Philo ad regias Ægyptiorum familias, quas dynastias vocat Euseb. qui plurimas in Ægypto & antiquissimas memorat, vsque ad Cambysem, in cuius regno ad vigesimam septimam peruentum erat; sed pergit Philo. *Qua cura pressa, & ea die maxime anxia cum hactenus solita esset domi se continere, ac ne limen quidem transcendere, proripuisse se cum puellis familiaribus ad flumium*, preme hæc verba antecedentia, *qua cura pressa, & hac die maxime anxia*, nihil ita nuptas angit, quam filiorum carentia, quos ardentissime & impatientissime præ omnibus aliis desiderant.

*Virginitate & humilitate munitur Maria sanctissima, vt fiat digna mater Dei.*

49. *Descendit filia regis vt lauaret se in flumine*, quæ oculos in fiscellam conjiciens, in qua iacebat Moyses, sibi ab ancilla præcepit afferri. Sane Moyses Christum Dominum figurabat, per menses autem tres quibus absconditus est à parentibus, tria designantur tempora, vnum ante A diluuium, secundum post diluuium vsque ad Moysem, tertium à Moyse vsque ad aduentum Domini, in istis tribus temporibus quomodo homines aduentus Christi secundum carnem latuit à multis prophetis prædictum est. sed quid fiscella scirpea in qua positus est puerulus Moyses, denotat? D. Ambr. in cap. 6. Apocal. in hæc verba, Et cum aperuisset sigillum tertium. ait per fiscellam scirpeam, B. Virgo Maria designata est, quid ais Ambrosi? quæ proportio inter fiscellam iunceam cum B. Virgine? quid leuius & mobilius iunco? quid Maria in virtutum studio solidius & constantius? cum nonne hæc arcula bitumine & pice delinita fuit? quomodo hæc deiparæ possunt accommodari? audiamus quæso cit. doctorem satisfacientem. *Mater fiscellam scirpeam in qua Moyses ponebatur, comparauit, quia sapientia Dei quæ est filius Dei, B. Virginem* B *Mariam elegit, in cuius vtero hominem, cui per vnitatem personæ coniungeretur, formauit, per bitumen vero quod ab aquis solui non potest, Virginitatem B. Mariæ, quæ nullo æstu carnali violari potuit, intelligere possumus, per picem autem quæ custos est bituminis, humilitatem custodem cæterarum virtutum, de qua ipsa loquitur dicens, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Apocalyp. D. Ambrosius.

## *VARIETAS LECT. Vers. 6.*

V*Vulg.* Aperiens cernensque in ea paruulũ vagientem, miserta eius, ait de infantibus Hebræorum es.

*Sept.* Aperiens autem vidit infantem flentem in thybin, & miserta est eius filia Pharaonis.

C *Pag.* Ecce miserta est super eum.

## EXPOSITIO.

A*periens*, sibi allatam fiscellã ab ancilla, *cernensque in ea paruulum vagientem* ex eo quod vberibus matris careret, *miserta eius* quis enim ita inhumanus, qui in puerulum flentẽ compassione non duceretur? *ait de infantibus Hebræorum es*, cum enim tunc Ægyptij circuncisionem non accepissent, quam tamen postea ad exemplum Hebræorum susceperunt, colligere potuit, videns eum esse circuncisum, de infantibus Hebræorum esse, cum præcipue de iis submergendis instaret edictum.

## CONCEPTVS.

*Lachrymæ tutissima hominis præsidia.*

50. A*periens cernensque in ea paruulum vagientem, miserta eius*, nõne derelict' Moyses à parẽtibus, fiscellæ scirpeæ creditus & discrimini vitæ expositus? quomodo nunc illa quæ illum deberet odio prosequi infensissimo, tamquam populi sui futurum destructorem, amplectitur compassione commota? quid ait textus? cernens paruulum vagientem, Sep. infantem flentem, quid mirum igitur quod quem cognati & parentes minime à morte custodissent, fletu tutatum infantem & lachrymas consuluisse saluti? accipe B. Greg. Niss. lib. de vita Mos. ita philosophantem, *videmus reipsa si quis turbini aut procellis humanæ vitæ resistit, nec se obrui patitur cum à corrupta hominum societate, vita tanquam onus graue resci ac repelli, quam qui effugit, vagitum imitetur Moysis, nec lachrymis parcat; lachryma enim fidelis quædam est custos eorum qui veram quærunt virtutem.* Numquam magis puerulus Moyses seruatur, numquam certius à morte eripitur, numquam securior & tutior redditur, quam lachrymis creditus, hæ illum custodierunt & certius incolumem seruarunt.

D. Greg. Niss.

*Lachrymæ pulchriores nos efficiunt.*

51. *Aperiens cernensque in ea paruulum vagiẽtem*? Sep. *flentem*, nonne erat speciosissimus infantulus? sed cum quis in fletum prorumpit, oris venustatẽ, nec vultus decorem retinet, non enim tunc illius est debita proportio, an quæso lachrymæ vagientis pueri eius venustatem in aliquo D macularunt ita ut in conspectu filiæ regis appareret deformis? imo formosissimus, quamuis lachrymans, lachrymæ enim pulchriores nos reddunt, teste Sancto Laurent. Nouari. de eleemos. *Et quæ est species quam virtus animæ & in ea plena plenitudo? quæ est plenitudo quam lachrymæ oculorũ?* immensã pariũt pulchritudinẽ oculi qui nõ tã lumine mouẽt quã in lachrymas fundũtur.

S. Laurent. Nouar.

*Lachrimæ efficacissimæ voces ad impetrandũ.*

*Aperiens cernensque in ea paruulum vagientem*, Septuag. *flentem miserta est eius*. Qui alterius miseretur, nonne implorantem eius misericordiam audiuit? hic autem præter lachrymas & vagitum nihil edidit: nondum enim voces supplices formare nouit, quomodo ergo exauditur, cum.

misertta, vt seruaret incolumem? quia non solum vidit lachrymas eius, sed etiam audiuit, lachrymæ enim suis vocibus constant, quibus salutem deprecantur, ita Petr. Dami. lib. 13 de perfect. Monach. cap. 12. ait. *Qui enim non oculis attendi, sed auribus percipi lachrymas postulat, voces inesse lachrymis manifeste designat, lachrymæ nempe cum in conspectu pij iudicis supplicant nihil hæsitant, sed sic misericordiam tanquam rem quamlibet proprij iuris sibimet vendicant, & impetrare se quod petierant, confidenter exultant.* Petrus Damianus.

*Innata est fœminis misericordia.*

52. *Aperiens cernensque in ea paruulum vagientem misertaest eius*, nonne præcepit edicto rex genitor tuus, vt nulli ex Hebræorum infantibus condonaretur, sed omnes in flumen proijcerentur? cur ergo eius misereris? nonne omnes ministri regis eos quærunt ad interitum? cur ergo in eo saluando laboras? quid mirum? est fœmina, & ideo ei quasi innata misericordia, *etiamsi contra patris edictum facere videretur* (inquit Oleast) *masculum Hebræorum seruans, maluit tamen patrem quam misericordiam offendere, ita innata est fœminis misericordia.* Oleaster.

*Muliebris sexus auri cupidissimus.*

53. *Aperiens cernensque in ea puerum vagientem*, an cum præcepisti vt fiscella iuncea aperiretur existimasti puerulũ inuenire vagientem? non equidem; cur ergo solicita & anxia iubet ad se arcam deferri vt quid in ea latitet inueniat? quia credidit in ea pecunias, quarum muliebris sexus cupidissimus est, se inuenturã. ita Procop. *Aegyptij natura pecuniæ sunt auidissimi, quapropter arculam curiosius perscrutatur regis filia*, en quomodo ex cupiditate auri possidendi, etiam si filia regis, arculam diligentissime scrutatur. Oleaster.

*Miserrima ab incunabulis hominum vita.*

54. *Aperiens cernensque in ea paruulum vagientem*, Sep. flentẽ. quomodo nõ dicitur quod intuita est eum ludentem, cũ extra periculũ se esse sentiret, & à mulieribus reciperetur vt incolumis seruaretur & lactaretur? vidit eum vagientem & plorantem, & quid mirum? ab incunabulis enim miserrima est hominum vita *vidit eum plorantem* inquit Isidor. *in signum mortalis miseriæ.* D. Isidorus Hispal.

*Misericordia quod alienum est, nostrum efficit.*

55. *Aperiens cernensque in ea paruulum vagientem, miserta est eius*, matris affectum induens (inquit Philo Iudæus,) nonne ad patris exemplum potius deberet odio prosequi, quam diligere? siquidem futurus est populi Ægyptiorum vindex & destructor: quid ait textus? miserta est eius; misericordia eã vrgebat, cõpassione ducebatur, quid mirũ igitur si tanquã mater eum diligat? misericordia enim quod alienũ est, nostrũ efficit, *conspicata* (inquit cit. Philo) *iussit afferri puerum, tum à capite ad calcem conspicata, mirataque formam & pulchritudinem ploranti condoluit, affectu iam ad maternam pietatem vergente, ac si ex ipsa infans fuisset progenitus*, preme hæc verba *affectu ad maternam pietatem vergente*, matris affectum induit quæ neci & interitui eius deberet consentire. Philo.

*Ecclesia vnius cordis & affectus.*

56. *Aperiens cernensque in ea paruulum vagientem miserta est eius*, cit. Isidorus. filia Pharaonis inquit descendens ad lauacrum fluminis collegit infantem; Ecclesia ex gentibus lauacri salutaris sanctificationem desiderans excepit Christum à Synagoga matre carnali expulsum, quasi infantem, quia tunc paruulus videbatur, cum in homine cerneretur, inuenit illa Moysem inclusum in vasculo thibim, quod ex multis agrestibus virgultis fit; inuenit Christum Ecclesia: sed curô Isidore confers Redemptorem generis humani cum illo vasculo thibim, quod ex multis fit virgultis? quid enim Christus commune habet cum illa capsula iuncea? sic satisfacit cit. doctor, *inuenit Ecclesia Christum reconditum in cordibus sanctorum, qui in vnitatem sui, contexti ex multorum fratrum membris, omnes vnum corpus effecti sunt, & eum religiosa obseruatione suscipientes tuentur.* D. Isidorus.

*In Ecclesia virtute seruamur.*

*Aperiens cernensque in ea paruulum vagientem, miserta est eius*, en vt in eum compassione ducta seruatur infans? sed solane compassione, an alia ex causa saluatur? nullam enim legimus in sacra pagina. sed cum sanctis Patribus asseramus etiam in virtute Ecclesiæ saluum & incolumem factum fuisse: *seruatus est*, inquit Euseb. cit. a Lippom. *per Symbola communis salutis Ecclesiæ, nam & arca è ligno fuit & lignum super aquam ferebatur.* Et Procop. *Moyses salutem adeptus est interuentu sacramentorum Ecclesiæ, ad quem modum nos omnes ad salutem tendimus.* 57. Eusebius Cæsariensis.

*Pulchritudo aduersariis etiam nos reddit amabiles.*

*Aperiens cernensque in ea paruulum vagientem, miserta est eius.* an solus pueri vagitus, an solæ illius lachrymæ, filiam Pharaonis vt puero condonaret, prouocauere? non equidem, quid ergo cum edictum regis vrgeret de necandis omnibus Hebræorum infantibus? cum sciret oraculo quemdam nasciturum Hebræum puerum Ægyptiorum populum deleturum? nihilominus tanta erat pueri pulchritudo, vt non potuerit misereri non condonare & à periculo liberare, sic Dominus venustauerat infantem vt etiam ab hostibus amaretur, & dignus alimento haberetur. 58.

*Christus Dominus peccata hominum deflens figuratur.*

*Aperiens cernensque in ea paruulum vagientẽ, miserta est eius*, non dubium quin Moyses Christi Domini gerat typum, Moyses ad ripam fluminis expositus reperitur, & Dominus Iesus ad flumẽ lauacri & ad aquam baptismatis reperitur à credẽtibus. Moyses speciosę formę, Christ⁹ Domin⁹ secundũ diuinitatem & humanitatem anteibat, in decore omnes spiritus Angelicos, speciosus autem forma præ filiis hominum, sed si Moyses vagiens suam miseriã plorans, tanquam ferens eam violenter reperitur, sane Christi Domini typus esse nõ potest, cum oblat⁹ sit quia ipse voluit, & ideo nõ ferẽs indigne vitæ presentis calamitates, quomodo ergo dicemus Moysem vagientem typum esse Christi Domini plorantis? bene equidem vt optime D. Isidor. *Plorabat infans, quia Christus veteris hominis quem induerat peccata deflebat, vnde & ad resuscitandum Lazarum flens deplorans Iudæorum perfidiam.* 59. D. Isidor.

VARIETAS

## *VARIETAS LECT. Vers. 7. & 8.*

V *Vlg.* Cui soror pueri, vis inquit vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum?

*Pag.* Nunquid vadam, & vocabo tibi mulierem lactantem ex Hebræis, & lactabit tibi puerum?

A *Vulg.* Respondit vade, perrexit puella, & vocauit matrem suam.

*Sep.* Illi autem dixit filia Pharaonis, vade, profecta autem puella, vocauit matrem infantis.

## *CONCORDIA.*

Breuitati consuleris noster doctus interpres, aliquas voces quæ sunt in Hebræo, & apud Septuaginta, nempe respondit ei filia Pharaonis, omisit, sine sensus tamen mutatione.

## EXPOSITIO.

C*Vi soror pueri.* Quæ videns fiscellam ab ancilla filiæ Regis eleuatam, visumque in ea infantem, accessit quasi ex improuiso, *vis vadam & vocem tibi mulierem Hebræam?* Hebræam dixit secundum Iosephum, Greg. Niss. Petrum Comestorem & Zonaram, quia cum non admisisset mammam mulierum Ægyptiarum, sed auersata B dixit Reginæ, si gratum haberet vt vocaret nutricem Hebræam, forte non renuet eius lacte nutriri, existimo tamen non sine speciali prouidentia, nutricem Hebræam nominasse filiæ Pharaonis *respondit vade* consilio puellæ assentiens, vocauit matrem suam.

Petrus Comestor, Zonaras.

## CONCEPTVS.

*Nouum miraculi genus Tyranni filiam misereri.*

60 V*Ade, & perrexit puella.* An tibi ignotum est C Pharaonis Patris tui edictum, quo præcepit vt omnes Hebræorum infantes, aquis fluminis suffocarentur? an quid dixerit scriba quidam ex vestris, nasciturum quendam puerum ex populo Hebræorum, qui liberabit populum suum à captiuitate, & tuum delebit? quomodo ergo præcipis puellæ, vt vocet nutricem, quę infantulum in arca inuentum, lactet & nutriat? quod infantem conspexeris, quod illius misperta, nō præceperis in flumen proijci, & innata muliebri sexui compassione, non equidem miror, sed debuisses fiscellam, & positum in ea infantem paludi iterum exponere, quomodo ergo pręcipis puellę nutricem, vt incolumis seruetur, vocari? quid ad hæc Aug. serm. 89. de tempore. *Nouū miraculi genus fecit misericordiam filia parricida*, Preme hæc verba, *nouum miraculi genus, &c.* Quasi diceret, Tyrāno ita innata crudelitas & inhumanitas, vt totam inficiat familiam, vt miraculum sit, omnem excedens admirationem, Tyranni filiam misereri.

D. August.

*Crudelitas Tyranni alterius misericordia punitur.*

61 *Vade, & perrexit puella*, Vt nutricem quæ lac infantulo in arcula reperto exhiberet, auocaret: sed ô Regis filia, pater tuus hoc duce puero, cum exercitu suo aquis maris submergetur, cur ergo lactandum imperas? vt crudelitas Tyranni iusto Dei iudicio filiæ misericordia puniatur, ita cit. August. *Dignum malitiæ eius sceleris erat, vt filiæ prouisione periret, qui genitrices interdixerat parturire, competens processit diuina vindicta, vt suis affectibus puniretur.*

Cit. S. Doctor.

*Qui Deo negotia sua committunt, fæliciter ea absoluunt.*

C *Vade, & perrexit puella & vocauit matrem suā.* 62
Ita apud se decreuerant parētes, vt puella filium Pharaonis conueniret, & consuleret nutricē Hebræam ad lactandum infantem vocari, quomodo ita fœliciter hoc cessit consilium? quomodo ab eadem qua expositus est filius suscipitur educandus? nonne diximus quod dum pergeret puella, exploratura quid puerulo contingeret posito in arcula, Deo in oratione fælicem huius exitū commendasse? quid mirum igitur si omnia ex voto prospere contigerint? *nam qui Domino* (inquit Oleast. *rem quam faciūnt commendant, ab eo consequuntur, vt quemadmodum volunt eueniat, sicut de seruo Abraha legimus: putarem ego matrem & filiam ante hac de re pueri tentasse, & ad optatum illis euenisse.*

Oleaster.

*Nescit innocens cum impiis communicare.*

D *Vade, & perrexit puella & vocauit matrē pueri.* 63
Nonne plures sunt Ægyptiæ nutrices, quarum vberibus lactari posset? cur aliquam ex iis vocari nō præcipit filia Pharaonis? notāda sunt quæ memorat noster Lyran. primo sibi fecit porrigi mamillas pluriū mulierū Ægyptiarū, sed ipse renuebat & tunc soror pueri quæ astabat, dixit quod si mulier Hebræa mamillā sibi porrigeret, forsitan ipse acciperet tanquā de muliere Hebræa natus, cui dicto tanquam rationabili filia Regis assensit; sed Lyranum præiuit Iosephus, *iubet Thermutis aliūde mulierē adduci, quæ puero mammā præbeat; sed auersante, idque cum alia post aliam adduceretur Mariame quasi nō data opera, sed fortuito ad spectandum interuenisset, nihil agis inquit, Regina, dum nutrices adhibes infanti alieni generis mulieres, quod si Hebræam aliquam accerseres, tum forte*

Lyranus.

Iosephus.

*popularis mammam admitteret, cumque rectè monere videretur puella, iussa est ipsa hoc negotium exequi* Sed cur mammas infans renuit nutricis Ægyptiæ? nonne à pluribus horis matris vberibus caruit? caruit, tamen renuit alia quam matris vbera sugere, nescit enim innocens cum impijs communicare.

*Bona opera non differenda.*

*Vade, & perrexit puella & vocauit matrē pueri.*
64 Cur ô Regis filia, ilico vt tibi cōsuluit puella, accersendam esse nutricem Hebræā, id fieri præcepisti? cur non consuluisti vtrum hoc esset conueniens? quare non inquisisti cur mammillas Ægyptiarum renuebat? cur fidē puellæ adhibuisti? nōne bonū opus censebatur infantē forte deficientē quocūque lacte nutriri? quid mirū igitur non distulisse, quin statim præciperet vocari nutricem? bona enim opera minime differēda sūt: *discimus,*
Lyppom. inquit Lypp. *dubios aut oblitos bonorū operum quæ ad manū habent admonere, vt faciant bona quæ tūc temporis facere possunt, quoniā animus dū in dubio est, paulo momento huc vel illuc impellitur cuius simile habes Samuelis 2. cap. 9. vbi cū serui David*
1.Reg.9. *vidissent eum ad misericordiā in domū Saulis pronū, & inquirentē an aliquis de domo eius superfuisset, cū quo vteretur misericordia Domini, dixerunt superesse nepotē filium Ionathæ in quem optime bona opera collocare posset, quod fecit.*

*Matres alienis nutricibus filios suos nō præbeāt.*

*Vade, & perrexit puella & vocauit matrē pueri.*
Noluit māmillas Ægyptiarum sugere, an enim 65
Greg. Nissen. natura quadā insita mammillam omnino fastidiens, consilio propinquarū cuiusdam à Gregor. Nissen.
propria enutritur parente, quid est quod à natura insitum fuit, aliena quam matris vbera fastidire? sane vt in hoc doceantur matres, quanto incommodo suos afficiant filios, quos nutricibus præbēt alendos, cum Moyses noluerit aliena sugere vbera. vnde D. Ambros. lib. 1. cap. 7. de Abrahā D.Ambros.
consulens matres suos alere filios ait, *in hoc enim prouocantur meminisse dignitatis suæ & lactare filios suos, hæc enim matrum gratia, hic honos quo se propriis commendent viris, denique eo plus amare filios solent, quo ipsæmet vberibus suis lactauerunt.*

## *VARIETAS LECT. Vers. 9.*

VVlg. Ad quam locuta filia Pharaonis, accipe ait puerum istum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam, suscepit mulier, & nutriuit puerum, adultumque tradidit filiæ Pharaonis.

*Sep.* Conserua mihi hunc infantem, & lacta mihi illum, ego autem dabo tibi mercedem, & suscepit mulier infantē, & lactauit eū, adulto autem puero introduxit illum ad filiam Pharaonis.

*Pagni. Cald.* Creuit puer, & tradidit eum filiæ Pharaonis.

*Ari.* Et magnus factus est puer.

## CONCORDIA.

Verbum גדל gadal magnum esse significat, & inde adolescere & crescere in pueris.

## EXPOSITIO.

AD *quā locuta filia Pharaonis,* scilicet ad matrem Moysis, quam puella vocare nō distulit, *accipe puerum & nutri mihi,* in obsequium meū vel in meam commēdationē, *dabo tibi mercedem:* nutrices enim mercede compēsantur, *adultūque tradidit filiæ Pharaonis,* hic adultum accipe ablactatū, post enim tres aut quatuor annos, filia Regis à propria matre Moysem accepit.

## CONCEPTVS.

*Parentes naturales omnibus aliis præferendi.*

66 A*Ccipe puerum istum & nutri mihi.* Cur matri naturali restituitur filius? nonne filia Pharaonis, quæ materna viscera eius miseriæ compatiens ostendit, quæ matris affectu eum suscepit, potuit alteri tradere nutriendum, quā genitrici? potuit, sed Deus aliter statuit, à Deo enim prouisum est in isto puero, vt semper proprij aliis præferantur parentibus, ad hæc Ruper. lib. 1. in Exod. cap.
Rupertus. 9. *Elegans infantulus eleganti è cœlo miserationis occursu except' est, vt matri suæ cui natus fuerat nō periret, & aliā matrē præpotentē adoptādus inueniret.* Sane hoc ex Dei cura spectabatur in Moyse, quod minime deficeret parentibus naturalibus, quod licet regali cognationi insertus esset, tamen non periret illis, qui à natura fuerant parentes.

*Quod iniustitia aufertur, virtute cum emolumento recipitur.*

*Accipe puerum istum & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem.* Quid? nonne satis erat filium suū accepisse, cuius iacturam fecisse potuisset credere? 67
cum enim in fiscella positum exposuit, de eius salute & incolumitate potuit esse dubia & anxia, quomodo ergo nunc non solum ei restituitur, sed merces datur pro eius alimento, quem gratis nulloque accepto præmio aluisset? nonne iniustissimo & crudelissimo edicto ablatus ab eis fuerat? quid mirum igitur tanto cum emolumēto eis restitutum? quod enim iniustè aufertur, virtute melioratum recipitur: obseruatio est Lypp. *Plenam* Episcopus
*fuisse fidem familiam Amram, tunc quoque vel* Metonēsis.
*ex Moysi sanctitate conijcitur, pro qua quoque remuneranda etiam in præsenti beneficio insigni affecit eos, vt quem exposuerant prouidentia Dei ipsum reciperent, cum pace Regis, deque ipsius alimonia non propriis impendiis alendum: sicut matris quoque vberibus restitueretur lactandus, quo quid erat mirabilius?*

*Deus non solum necessaria, sed & suis iucunda tribuit.*

68 *Accipe puerum istum & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem.* Nonne Deus optime, vt eorum desiderijs satisfaceres, sufficeret Moysem incolumem seruari, & à nutrice etiam Ægyptia lactari? sic enim mortem quæ indicta fuerat à Rege omnibus Hebræorum infantibus, euasisset, cur igitur hoc ei confers beneficium, non solum vt eis filius restituatur, sed vt etiam ipsamet genitrix lactet, & pro ipso alimento ei dato mercedem accipiat? quia Deus non solum suis tribuit necessaria, sed etiam iucunda concedit: *matrem vocat pueri puellam,* inquit cit. Lypp. *vt sit illustrius beneficium, & amplior iucunditas Domino sese totos credentium.*

Auctor citatus.

*Mercenario merces soluenda.*

69 *Accipe puerum istum & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem.* Vt verissimile est (inquit Abul.) quod promisisset ei dare aliquid, & realiter tunc vel postea dedisset, nonne cum omni calamitate Hebræi opprimerentur à Pharaone, potuit præcipere regina eius filia, nutrici Hebrææ, vt eum lactaret, nulla data mercede? nulla remuneratione facta? quis enim eius mandatis potuisset resistere? imo quis se ex Hebræis beatissimum non prædicaret, eius mandata exequẽs nullo proposito præmio? æquissima tamen fuit filia Regis, nam actus iustitiæ est mercenario mercedem soluere: vnde Leuit. 19. sic præcipit Deus, *non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane.* & iterum, *non negabis mercedem indigentis & pauperis fratris tui siue aduenæ qui tecum moratur in terra.* & Tobiæ 4. *quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat.*

Leuit. 19. Tobiæ 4.

*Bona indolis filius suos parentes incredibili afficit gaudio.*

70 *Accipe puerum istum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedẽ.* Nonne Amrã & eius coniux, filiũ coacti sunt exponere inclusum in arcula iuxta ripam fluminis? quomodo cum orbitatẽ tristissimã timerẽt ex edicto à Rege crudelissimo emanato, eum absque vllo illius obstaculo, excipiunt lætantes, imo cũ regiis alunt expensis? quid de eorũ filio Moyse dicitur à patribus? vnus sufficiat iã citatus Basil. ho. 1. hexam. *Moses sane is est qui etiamdũ pendẽs ad matris vbera scripturæ testimonio probatur amabilis Deo fuisse & gratiosus.* Quid mirum igitur si vbi talis filius iam Deo amabilis & gratiosus inuenitur, is valeat parentes suos, imo & vniuersum populum suum lætificare?

D. Basilius.

*Bona filiorum educatio maximi ponderis & momenti.*

*Accipe puerũ istũ & nutri mihi.* Nonne aula regia sed domus tuæ, cur cũ in puerum elegantissimæ formæ maximo ferretur amore, nõ præcepit apud se educari? an sine speciali Dei prouidentia contigit, vt in domo materna aleretur? respondet Phil. Deo prouidente vt prima educatio contingeret infãti domi apud ipsos, ex quibus procreatus fuerat: sed qua de causa De' voluit vt prima eius educatio domi apud parentes fieret? quia prima rudimenta ita efficacia apud illum fuere, optima à parentibus excepta, vt licet in domũ Pharaonis sublcuatus, & per quadraginta circiter annorũ curricula inibi demoratus, vt inquit S. Steph. Act. 7. magis & amplius cũ ipso præualuerint quia semel à pueritia imbuta, quã domus regiæ mores, præceptorũ suasiones, imperij ac dominatus cupiditas, regales delitiæ ac honores, quapropter grandis iã effectus suæ recordatus matris, præceptorum institutionẽ hanc solam amplectẽs, & in animo habens respuit omnia, aulęque regiæ abiiciens vitam, domumque Pharaonis, aperte negauit sese filiũ Pharaonis, & elegit magis cũ populo Dei affligi, quã temporalis peccati habere iucunditatem Heb. 11. hoc est in domo Pharaonis manere, tã potens cũ illo matris extitit educatio, tam efficacia in eius animo præcepta, quæ semel recens ipsius imbiberat animus. 71

Philo. Act. 7. Hebr. 11.

*Quos Deus ad aliquid magnum præordinat, eximium quid illis concedit.*

*Accipe puerum istum & nutri mihi.* Nã secundũ plurimorũ sententiã iã renuerat sugere mulierũ Ægyptiarũ vbera, & ideo aduocanda nutrix Hebrea, quid ergo rationis vsu præuẽtus, in sua ætate infantili? quis enim infans non habito rationis vsu tot nutrices renuere potest, & vnã seligere? tum nonne cum trium esset annorum diadema impositum capiti suo à Pharaone reiectum pedibus conculcauit? sic enim Petrus Comestor cap. 5. admirãs Rex pueri venustatem, coronam quam tũc forte gestabat, capiti illius imposuit, erat autem in ea Hamonis imago fabrefacta, puer autem coronam proiecit in terram & fregit, quis ergo non dicet rationis vsu præuentum? ita sentit Guillelmus Pepinus, sed cur Deus quod paucis concessit, Moysi dedit? quia quos Deus ad aliquid magnum præordinat, eximiũ quid aliis nõ datũ tribuit, *grandem & validum habemus Moysem,* inquit Orig. *nihil de eo paruum, nihil humile sentiamus, sed magnificum totum, totum egregium.* 72

Petrus Comestor. Guillelmus Pepinus. Origenes.



## VARIETAS LECT. Vers. 10.

*Vulg.* Quem illa adoptauit in locum filij, vocauitque nomen eius Moyses dicens, quia de aqua tuli eum.

*Sep.* Et factus est ei in filium, cognominauit autem nomen eius Moysen dicens, de aqua sumpsi eum.

*Cald.* Quia de aquis extraxi eum.

*Aben. Ezra.* Et vocauit nomen eius monios.

## CONCORDIA.

Aben-Ezra nomẽ *Moses* non putat esse Hebræũ, sed à voce Ægyptia monion deflecti, cũ Ægyptius dictus fuerit Moses moniõ, alij autem dicunt esse nomen Hebræum, sed inde flexum ex aliena lingua deriuatum, ab Hebræa radice משה masa, idest extraxit, eduxit, eripuit

Psalm. 17. quo verbo vsus est Dauid ימשני iamsem extraxit me de aquis multis Psal. 17. & ad hoc Etymō allusisse videtur ipsa filia Pharaonis, cū puero huic nomen imponens simul pro causa nominis ei ethymon subdit כימן המים משית הו Kimin hommain Mesithi hu, idestquia de aquis Mesithi eduxit eū. Sed quia aliquibus nō videtur probabile, filiam Pharaonis Hebræā linguā caluisse, aut Hebræum nomen filio adoptato imposuisse,

A etiamsi ad Hebræum Ethymon nomen eius satis commode referri possit, vnde dicunt esse nomē Ægyptium, nam mos Ægyptus, aiunt, aquam significat, addit Philo ses Ægyptus idem esse quod seruatus, quod satis conuenit cum Hebræo ישע iasca, idest saluauit, nec mirum si idem nomen in duplici lingua Ethymon inueniat, quia linguæ hæ, Ægyptia scilicet & Hebræa, in multis sibi mutuo vicinæ sunt.

## EXPOSITIO.

Q*Vem illa adoptauit.* Thermutis cum sine liberis esset, finxit se, inquit Philo, esse grauidam, & genuisse Mosē, quasi Moses nō ascititius sed naturalis ei⁹ filius fuisset, quod videtur innuere Apost. Hebr. 11. cum ait, Mosen grandiorem factum negasse se esse filium filiæ Pharaonis, ergo ante habebatur filius genuinus: alij autem dicunt vere adoptatum esse id permittēte Pharaone, cuius cor Deus immutauerat: iure humano fœminæ neminem in filium possunt adoptare, nisi ex indulgētia principis, ad solatium liberorū amissorū, textus est in §. fœminæ, instit. de adopt. vnde dicit textus in l. mulierē §. eodē, mulierē adoptare nō posse certum est, verū quoniā in solatiū amissorū tuorū filiorū cupis priuilegiū in vicem legitimæ sobolis obtinere, annuimus votis tuis, vt eum perinde atque si ex te progenitum ad fidem naturalis legitimique filij habere permittimus. hæc ibi, *vocauit nomen eius Moyses*, ab euentu huic puero nomen imponitur, scilicet *quia de aqua tulit eum*. Clemens Alex. lib. 1. strom. de varijs eius nominibus sic scribit, puero nomen

Clemens.

B imponit Moyses apta Ethymologia, eo quod eum ex aqua sustulisset, aquam enim mos vocant Ægyptij, in qua moriturus fuit expositus. Mosen autem vocant eum Ægyptij, quia ex aquis emersus respirauerit, clarum est ergo quod prius circumciso puero parentes aliquod aliud nomē imposuerint, vocatus autem fuerat Ioachim, habuit quoque tertium nomen in cœlo postquam in aliud assumptus est, vt dicunt mystę, nempe Melchi.

## CONCEPTVS.

### *Electorum nomina non vacua significatione & bono omine.*

73 V*Ocauit nomen eius Moyses, dicens quia de aqua tuli eum*, Moysis nomen aquæ denotabat periculum, quid tūc? mansit ne illud nomen postmodum inane quoddam & vacuum vocabulum? absit, imo quia de populo Dei erat Moyses, non potuit non ostendere rem maximi triumphi, qui peractus fuit, vbi submerso in mari Pharaone populum Israëliticum in sicco locauit: id quod

D. August. ponderans D. Aug. ser. 79. de tempore fatur, *à fluctibus denique mystica lingua Moyses nomen accepit, & Pharaonis necem quam præparauerat in nomine, in flumine maris inuenit*. expēde illud *præparauerat in nomine*, quippe electorum nomina nunquam non præparāt in se præclaros triūphos de hostibus referendos, nescit enim nomen electorum vacuū esse significatione & bono omine.

### *Tandem apparet quis sit vnusquisque.*

74 *Vocauit nomen eius Moyses dicens quia de aqua tuli eum.* Ecce à regina adoptatur in filium illius, vocatur & à pluribus creditur filius, quomodo nō diceretur & haberetur iuuenis Ægyptius Pharaonis nepos, totius Ægypti curis obseruatus, nihilominus dicitur inferius quod Ægyptium qui male affecerat Hebræum, occidisset: cur Moyses factus princeps Ægyptius, potius non fauet Ægyptio? cur Ægyptius non magis meretur hæc de te? in discrimine vitæ positum suscepit, in filium Regis te adoptauit & nomine, & ratione, & adoptione, & mille modis curauit vt Ægyptius habereris, cur ergo aduersus hunc stas pro

Imperfect. Hebræis? non potuit tādem non apparere quis in veritate esset, id quod notans Imperfectus hom. 25. in Matth. ait, *perdidit beneficium suum Ægyptus, non potuit bene nutriendo facere suum qui melius nascendo fuerat alienus.* Vocetur licet Ægyp-

C tius Moyses, imo licet totas in eum effundat tenebras Ægyptus, non poterit sic illum perpetuo habere, quia necessum est quod appareat quis quisque fuerit.

### *Minus beneficium exhibitum solet ad maiora prouocare.*

*Vocauit nomen eius Moyses dicens quia de aqua tuli eū.* Non solū autem nomen ei imposuit, sed & in filium adoptauit, ad fœliciorem potuitne gradum euehi? maiorem potuitne honorem consequi? nonne ô Regina satis erat eum seruasse incolumem in fiscella positum, & ripæ fluminis expositum extraxisse, & nutrici alēdum dedisse? cur ergo etiā & in filiū adoptas? quia minus beneficiū quale erat seruare puerum incolumem, solet ad maiora prouocare, *considera viscera pietatis* (inquit Oleast.) *& disce non sat illi fuerat pepercisse & enutrire fecisse, nisi in filium adoptasset.* 75

Oleaster.

### D *Deus suos euehit, ea via, quam nullus attingere potest.*

*Vocauit nomen eius Moyses dicens quia de aqua tuli eum.* Sed quasi parum fuisset ei nomen indere, in filium adoptat, quo nihil maius excogitari potest, hæres enim Regni hac adoptione constituebatur, quibus quæso medijs ad hanc regni peruenit futuram hæreditatem? ecce omnes inuisi Regi Hebræi! ecce omnes eorum masculi submergi præcipiuntur! ecce ipsemet Moyses tanquam expositius abijcitur! quis diceret his medijs ad coronam regni Ægyptiorum peruenturum? nullus equidem, quid enim magis alienum ab hoc diademate obtinendo, quam ea quæ diximus? ad illud tamen his peruenit medijs, vt sciat mens humana Deum suos euehere, ea 76

Lyppom. via quæ nullus attingere potest, *tantum abfuit* (inquit Lypp.) *vt Moyses perire potuerit per Regis crudelitatem, vt ipsum quoque intra regiã aulã suã educari oportuerit, sic parabatur à Rege contra Regem volente Deo, vides quomodo prouidentia Dei agit per homines quasi per media?*

*Beneficium Dei non est solitarium.*

77 *Vocauit nomen eius Moyses dicens quia de aqua tuli eum.* Adoptione de eo in filium facta, beneficium Dei non fuit exiguum in puerulum Mosem exhibitum, quod incolumis seruatus, quod à propria matre nutritus; quod & in filiũ hæredem regni euchit, sed eius adoptio itane fuit sterilis, vt in eo solo sisteret & nõ in aliud extenderet? neutiquam, beneficia enim Dei non possunt non esse Abulensis. fœcunda, fauet Abul. *Ista adoptio & affectatio Moysi in Palatio Regis fuit ad duo vtilis, primo ad euadendam mortem, quia si filia Pharaonis non accepisset eum de flumine, necesse erat eum perire, quia alij Ægyptij non nutrirent; nullus enim auderet in discrimen capitis sui puerum Iudæum nutrire: secundo profuit vt Moyses urbanior atque audacior esset.*

*Rectores populi decet esse generosos & magnanimos.*

78 *Vocauit nomen eius Moyses.* Et adoptatum tanquam futurũ Regni hæredem, inter magnates & principes voluit nutriri, cur in aula educatur regia? inter delitias, conuiuia, & cum grauibus vrgetur populus suus ærumnis & calamitatibus opprimitur? nonne qui humili loco nutriuntur abiecti sunt animi, nihil egregium audentes moliri? qui autem inter principes adolescunt, quid nõ attentare præsumunt? tum nonne futurus erat totius Israëlitarũ populi gubernator? recte igitur à Deo prouisum est, vt in aula regia inter magnates educaretur, quia rectores populi decet esse generosos. Tostatus. *Rectoribus populorum*, inquit Abul. *recte conuenit, vt sint audaces ad magna.*

*Prodigium ex dignitate non superbire.*

79 *Vocauit nomen eius Moyses.* Quem in filiũ suum adoptauit, ecce prædicatur tanquam futurus hæres regni, ab omnibus colitur, inter delitias regias educatur, nihil ex iis quę in votis habere posset deficit: quid enim aliud in hoc sæculo quã diademate coronari, sublimius? quid excellentius quã Dominum vnius regni haberi? sed an sui immemor generis? an alios licet Ægyptios habet contẽptui, ex animi elatione & sibi prospera ridẽte fortuna? nequaquam, quod sane prodigium, non enim ex dignitate & præcipue regia non superbire mirabile est, vnde Petrus Riga sic canit in Exod.

Petrus Riga.
*Hic & fortuna sensum natura maritat.*
*Et quasi coniugium fecit vtroque nouum:*

Res quidem noua est, & fere inaudita, cum prospera fortuna humilitatem seruare.

*In nomine Dei plura operamur.*

80 *Vocauit nomen eius Moyses, quia de aqua tuli eum.* Proueniens ab illo fonte qui diuiditur in quatuor capita, idest à nomine magno Dei, vt nomen eius indicat, nam משה Mose reuolutum more Hebræorum dicit השם quod per antonomasiam aliquando ponitur pro nomine Dei: cur nomen suum confert Deus creaturæ? quid enim diuinum continet vt eo cohonestetur? sane vt significetur, Mosem per nomen idest per virtutem Dei mirabilium patratorem futurum, ait Lypp. *Nomi-* Lyppom. *na infantibus non importune imponuntur ecce enim nomen aut virtus Dei, quæ peculiariter ei data est,* sane vt mirabilia operaretur.

*Mulieres nonnunquam suis perniciosæ.*

*Vocauit nomen eius Moyses.* In suum adoptans 81
filium, an tibi ignotum sapientis tui oraculũ, quod à puero quodam Hebræorum populus tuus delebitur Ægyptius? imo te præsente coronam patris tui suo impositam capiti pedibus conculcans exclamauit, ille hunc puerum esse, quem occidendum tanquam in omnium perniciem natum dixerat, quare ergo hunc adoptandum, tanquam futurum regni successorem suscipis? consilium mulieris fuit, & quid mirum si toti Ægypto perniciosissimum? mulieres enim non raro in suorum nascuntur perniciẽ, *Arcanã* exclamat D. Basil. Basilius Seleu. Seleu. orat. 9.) *diuinamque admodum rationẽ, contra Ægyptios humanitatis legislator alebatur Moyses, versatur inter eorum vlnas à quibus erat iste terror, Pharaonisque tyrannidem conculcans.*

*Quid non meretur pulchritudo?*

*Vocauit nomen eius Moyses.* Apte hoc equidem 82
ei nomen inditum, sed adoptationem eius improbo tanquam in totius regni perniciem futuram, quid ergo te compulit ô Regina hunc tibi filium comparare? non enim tibi ignotũ ex circuncisione, de infantibus Hebræorum esse; non equidem, sed tanta est eius pulchritudo, tam speciosa eius forma, vt non possim in filium mihi non adoptare, ita sentit Iosephus lib. 2. cap. 5. *Nemo erat adeo* Iosephus. *tetricus vt visa Moysis pulchritudine, non obstupesceret, quo factum est vt Thermutis hunc sibi filium adoptauerit, cum alioquin germanis liberis careret; allatumque patri ostentabat, dicens de successore se cogitare etia si Deus illi nullum filium gignere dedit: hunc puerum inquit educaui non minus indole quam pulchritudine diuina excellentem, quem Nilus ipse in sinum meum tradidisse videri potest, quem decreui mihi adoptare filium, tibi vero in principatu & imperio successorem, & cum dicto patri infantem in manus imposuit.*

*Populi gubernatores, inter viros principes educentur.*

*Vocauit nomen eius Moyses,* In aula regia eum 83
enutriens, regali cura & dignitate educans, sed cur inter priuatos parentes non alitur, vt omnis suspicio ab Ægyptiis dematur, quod futurus sit eorum destructor? nõ enim cognitus, qualis sit animi, & ominis ignorabitur; mortuo autem rege, regni eum successorem institues: non ita disposuit diuina prouidentia, vt qui futurus erat tanti populi gubernator, vt in domo paterna & priuata adolesceret, sed quod puer inter principes educaretur vt facilius præclarũ fingeretur in gubernatorẽ; à quo nõ dissentit Iustin. Martyr in oratione ad Gentes, *hæc sunt quæ de Moysis vetustate* Iustinus martyr. *externi & à religione nostra alieni homines historias scribentes tradiderunt, omnia ista se ab Ægyptiis sacerdotibus accepisse confessi, apud quos non natus solum, sed etiam qui omni Ægyptiorum disciplina imbueretur dignus habitus est: propterea quod à Regis filia in filium fuerit adoptatus, propter quam itidem causam magno est doctus studio,* Et Diu. Basil. hom. 1. in Hexa. *ille Moyses magnus* Basilius.

*quem sibi adoptatum filia Pharaonis magnifico & regali impendio curauit educandum, & de se accitis sapientibus Ægyptiorum inque magistros præfectis puerum tradidit erudiendum.*

*Decet populi gubernatores esse doctos & eruditos.*

84 *Vocauit nomen eius Moyses*, Et in aula regia eum nutriri præcipiens, in omnibus liberalibus, optimisque artibus, vt decebat regium filium, curiose & studiose instituere curauit, sic enim Philo lib. 1. de vita Moys. accesserunt confestim præceptores quidā vltro venientes è Græcia, eos autem puer intra modicum tempus superauit, natiua docilitate, institutionem præcurrens vt reminisci videretur in rebus difficilioribus, de suo cōminiscens aliquid, quippe præclara multa nouans circa scientias, & quemadmodum bonæ habitudinis corpora membris omnibus agilia securos prædotribas faciunt exhibendo illis, vel nihil negotij, vel minime: itidemque agricolis generosę plantæ per se proficientes in bonas arbores, sic anima bene nata præceptis obuiam se offerens, à se ipsa magis quam à magistris adiuuatur, arreptisque rudimentis cuiusque scientiæ: itaque numeros & geometriam vniuersamque musicam, tum praticam tum contemplatiuam accepit ab Ægyptiis doctoribus, & insuper occultam Philosophiam descriptam litteris, vt vocant hieroglyficis, hoc est notis animalium, quæ ipsi venerantur pro numinibus, reliquas liberales artes Græci docebāt: ex propinquis autem regionibus vocati Assyrij suas litteras, & Caldæi syderalem scientiam tradebant, eadem ferme Philoni de instit. Mosis tradidit Clemens Alex. lib. 1. strom. cur tot eruditus scientiis Moyses, ita ut miraculum quoddam non solum priscis illis temporibus sed nostris, propter eruditionem crederetur? quid mirum, cum populi gubernator esset futurus, quem decet esse doctum & eruditum? vnde optime Caiet. *Cum hic dicit scriptura Moysen fuisse adoptatum in filium à filia Regis, & vt Beatus Steph. inquit actor. 7. pro filio ab ea nutrito, satis ea re significasse eum quoque omnium liberalium optimarumque artium genere, vt decebat regium filiū, studiose curioseque fuisse instructum.* Preme *vt decebat regium filium*, scilicet regni habenas tenere deberet.

Philo. | Clemens Alex. | Caietanus.

*Gubernator populi celebratur potius propter pietatem & virtutem, quam propter scientiam.*

85 *Vocauit nomen eius Moyses*, Quem etiam tanquam regiā sobolem erudiendum studiose curauit, vnde Stephanus act. 7. de eo loquens ait, & eruditus est omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis & in operibus suis: si institutus erat in omni sapientia Ægyptiorum, adeo vt factis dictisque potens esset, vt tradunt diuinæ litteræ, consequens vtique est vt astromantiam, geometriam, & astrologiam, quæ apud Ægyptios errorum documenta tradebant, etiam Moses didicerit; quomodo ex talibus dictis & factis, taliumque disciplinarum cognitione & vsu, Mosen celebrari dignum fuit? audiamus respondentem Iustinum Martyr. quæst. 25. inter quæstiones orthodoxorum, *Celebrat Mosem diuina scriptura* A *ob dictorum factorumque potentiam, non propter dicta & facta per se. erant enim indigna ob quæ celebraretur Moyses, sed quia propter vtraque percelebris & admirabilis apud Ægyptios erat Moyses, videlicet propter orationis disciplinam & ciuilis vitæ claritatem cui tamen vtique pietatē prætulerat Moyses, atque ob eā causā laudatur & celebratur in sacris litteris*, preme quæso hæc Iustini verba, *cui prætulerat pietatē Moyses atque ob eā causam laudatur & celebratur*, gubernator enim populi longè maiori encomio dignus est propter virtutes, quam propter scientiarum notitiam, deinde prosequitur Iustin. *Astronomantia porro, astrologia & geometria erant tunc temporis apud Ægyptios disciplinæ forenses, vulgares, & humiles & abiecta habebantur, in pretio autem & honore apud illos erant disciplinæ quæ vocantur hieroglyficæ, quæ quidem in penetralibus abditisque locis & sacris nec quibuslibet hominum, sed eximiis tantum* B *electisque tradebantur, harum Moyses quidem scientiam habebat, vsum vero minime, vt pote contrarium diuino Hebræorum regimini, propter quod ille contempta vniuersa in Ægypto potentia maluit cum populo Dei aduersa pati.*

Acta 7. | D. Iustinus.

*Libros gentilium legere non illicitum, dummodo à legibus ecclesiasticis non prohibiti.*

*Vocauit nomen eius Moyses*, Qui vt testatur 86
Steph. Act. 7. eruditus est in omni sapientia Ægyptiorum, nonne eruditio Ægyptiorum in pluribus erat profana? nonne plures eorum libri superstitiosi? quomodo ergo vnius Dei cultor fidelis hac eruditione permisit se imbui? cur talia C docentes non respuit? cur commendatur de hac sapientia? nam cum verus esset Israëlita sæculares litteras floxipendere debebat, quid D. Hiero. gentilium libros & præcipue Ciceronis opera legentī accidit? accusatur ante supremum iudicem, & verberibus afficitur, quod plus Ciceronianus quam Christianus esset, ne autem fabulam narrare videamur, ipsum sua verba in epist. ad Eustoch. de virg. seru. audiamus. *Referam* (inquit) *tibi meæ infœlicitatis historiam, cum ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, cognatis, & quod his difficilius esset, consuetudine lautioris cibi propter cœlorum me regna castrassem, & Hierosolymam militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi studio & labore confeceram summo, carere non poteram, itaque miser ego lecturus Tullium ieiunabam.* D *post noctium crebras vigilias, post lachrymas quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus, si quando in memet reuersus, Prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus, & quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis, dum ita me antiquus serpens illuderet, in media ferme quadragesima medullis infusa febris, corpus inuasit exhaustum & sine vlla requie (quod dictu quoque incredibile sit) sic infœlicia membra depasta est, vt ossibus vix hærerem, interim parantur exequiæ & vitalis animæ calor, toto frigescente iam corpore, in solo tantum repente pectusculo palpitabat: cum subito raptus in spiritu, ad tribunal iudicis pertrahor, vbi tantum luminis, & tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, vt proiectus in terram sursum aspicere non auderem.*

Act. 7 | D. Hieron.

*Interrogatus de cõditione: Christianum me esse respõdi, & ille qui præsidebat: Mentiris, ait, Ciceronianus es, nõ Christianus: vbi enim thesaurus tuus ibi & cor tuum. illico obmutui & inter verba (nam cædi me iusserat) conscientiæ magis igne torquebar illum mecum versiculum repetens: in inferno autem quis confitebitur tibi: clamare autem cœpi, & eiulans dicere: Miserere mei Domine, miserere mei: hæc vox inter flagella resonabat, tandem ad præsidentis genua prouoluti, qui astiterant precabantur, vt veniam tribueret adolescentiæ, errori locum pœnitentiæ commodaret, exacturus deinde cruciatum, si gentilium litterarum libros aliquando legissem. Ego qui in tanto constrictus articulo, vellem etiam maiora promittere deierare cœpi, & nomen eius obtestans, dicere: Domine si vnquam habuero codices sæculares, si legere te negaui, in hæc sacramenti verba dimissus, reuertor ad superos, & mirantibus cunctis, aperio oculos tanto lachrymarum imbre perfusos, vt etiam incredulis fidem facerem ex dolore nec vero sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur testis est tribunal illud, ante quod iacui: testis iudicium triste, quod timui: ita mihi nunquam contingat in talem incidere quæstionem, liuentes habuisse scapulas plagas sensisse post somnũ: & tanto dehinc studio diuina legisse quanto non ante mortalia legere.* Quid ergo dicemus de Moyse, qui eruditus erat omni Ægyptiorum sapientia, quæ maiori ex parte erat profana & omnino sæcularis? asseremus in hoc non vituperandum, & ideo etiam licitum Catholicis libros gentilium legere, dummodo cedant saluti nostræ: quod facile probabitur primo ex D. Pauli citationibus, ipse enim in epist. ad Titum citauit Epimenidis Poëtæ hunc heroicum versum, Cretẽses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri: & alibi, trimetrum iambicum de Comedia Menandri in suæ propositionis confirmationem sumpsit, corrumpunt bonos mores confabulationes pessimæ, siue colloquia praua. idem apud Athenienses cum concionaretur ad populum & in Areopago (quæ est Atheniensium curia) disputaret, hemistichum Arati in medium adduxit: sicut & quidam de vobis Poëtæ dixerunt: ipsius enim & genus sumus. nec mirum si pro opportunitate temporis (obseruatore D. Hieronymo) gentilium poëtarum versibus abutatur: cum etiam de inscriptione aræ aliqua commutans, ad Athenienses loquutus sit: pertransiens (inquit) & contemplans culturas vestras, inueni & aram in qua superscriptum est: ignoto Deo, quod itaque ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis: inscriptio autem aræ non ita erat, vt Paulus asseruit, ignoto Deo, sed ita: diis Asiæ, & Europæ, & Africæ, diis ignotis & peregrinis. verum quia Paulus non pluribus diis indigebat ignotis, sed vno tantum ignoto Deo, singulari verbo vsus est, vt doceret illum suum esse Deum, quem Athenienses in aræ titulo prænotassent. & recte cum scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant: hoc autem Paulus faciebat raro, & vt loci potius, quam ostentationis opportunitas exigebat, in morem apium quæ de diuersis floribus solent mella componere, & fauorum cellulas coaptare. Ideo non est credendum, Apostolum omnia horum Poëtarum poëmata propter hos tres versus citatos approbasse, sed potius cætera confutasse, ipsomet Hieronymo teste.

ad Tit.

Hiero. in c. 1. epist. ad Titum.

*Christus Dominus longe Moysen excedit.*

*Et vocauit nomen eius Moyses, quia de aqua tuli eum.* 87
Possumus igitur dicere de Moyse, quod in aqua venerit, quique deinde populum vnum congregauerit, sed nonne etiam in sanguine venisse possumus dicere, cum edicto Regis inumanissimi obnoxius, etiam morti fuisset sicut alij Hebræorum infantes? hoc Christo Domino reseruatur, qui non solum in aqua venit, sacramento baptismi nos regenerans, sed etiam in sanguine, cum sui effusione nos redemerit, audiendus est D. Bernard. pulchram inter Moysen & Christum Dominum ponens antithesim. *Apostolus Ioannes dicit* 1. Ioan. 5. *hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus, non in aqua solum. sed in aqua & sanguine ad Mosis differentiam, arbitror accipiendum. Moyses quidem in aqua venit, à qua & nomen accepit, vt Moyses vocaretur. Recole quibus nota est historia veteris testamenti, quemadmodum in Ægypto dum paruuli omnes Israelitici germinis necarentur expositum in aquis Moysen tulerit filia Pharaonis. Et vide si non manifeste Christi, & in hoc ipso videtur præcessisse figura, simili nempe cum Pharaone etiam Herodes, suspicione laborans, ad eadem conuersus est crudelitatis argumẽta, sed eodẽ modo est & ipse delusus vtrobiq; pro vnius suspecta persona trucidatur numerositas puerorum. vtrobique qui quærebatur euadit. Et quemodo Moysen filia Pharaonis, ita Christum quoque Ægyptus, quæ non immerito Pharaonis intelligitur filia, suscipit conseruandum, manifeste tamen plusquam Moses hic: vtpote qui venerit non in aqua tantum, sed in aqua & sanguine. Aquæ enim multæ, populi multi: venit ergo in aqua tantum qui congregauit quidem populum, sed populum non redemit: nam & ipsa quoque de seruitute Ægyptia liberatio non Moysi, sed sanguine agni facta est: liberandos nos præfigurans à vana nostra conuersatione huius sæculi, sanguine agni immaculati Christi Iesu: hic est verus legifer noster apud quem copiosa est redemptio: mortuus est enim non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in vnum.*

D. Bernard. serm. 2. in octaua Paschæ.

1. Ioan. 5.

*Gratia in filios Dei nos adoptat.*

*Vocauit nomen eius Moyses.* Eum in filium & 88
hæredem regni adoptans, quænam cum adoptat? filia Regis postquam eum ex aqua eduxerat, & matri suæ educandum dederat, quæ non erat Ægyptia sed Hebræa: sed mysterione caret, quod morti obnoxium infantem filia Regis liberat ab aqua, suumque efficiat filium adoptionis? nonne filia Regis gratiam Dei denotare potest, Moyses, quemlibet in fluuio præsentis sæculi iacentem? dicamus ergo non mirum filiam Regis hunc Moysen extractum ex aqua adoptasse, cum gratia Dei nos erutos fluxu sæculi in filios ipsiusmet Dei adoptet & hæredes regni cœlorum constituat: apposite ad hanc mentem Hugo Victor. lib. alleg. in cap. 1. Exod. *Moyses iuxta flumen significat quemlibet hominem iuxta fluuium præsentis sæculi positum, filia Regis gratiam designat, quæ quemlibet ad vitam prædestinatum de fluxu sæculi liberat & in filium adoptat, vt qui prius fuerat filius iræ, deinceps existat filius gratiæ: quæ tradidit eum mulieri Hebrææ scilicet matri eius Berle-*

Hugo Victorin.

*sit. vt quem Ecclesia regeneraverat, Ecclesia nutriat. quæ videlicet sancta Ecclesia mulier recte dicitur, quia sponso suo Christo fideliter multos fideles* A *parit & nutrit, & hæc est Hebræa, id est transiens. quia non habet hic manentem ciuitatem, sed aliam inquirit.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 11.*

VVlg. In diebus illis postquam creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos, viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis.

*Sep.* Factum est autem in diebus illis multis, cum grandis esset Moyses exiit ad fratres suos filios B Israël, considerans autem laborem eorum, vidit hominem Ægyptium verberantem quēdam Hebræum de fratribus suis filiis Israël.

*Cald.* Egressus est cum fratribus suis, & vidit seruitutem eorum.

*Pagni.* Et vidit onera eorum.

## *CONCORDIA.*

VBi noster vulgatus legit vidit afflictionem eorum, in Hebræo habetur בסבלתם besiblotham, idest laborem vel onera aut sufferentiam laboriosam illorum, significat enim סבל sabal ferre, pati, sustinere, & similia Hebræus habet percutientem מכה makke pertinet autem נכה nacka ad graues percussiones.

## EXPOSITIO.

IN *diebus illis*, Scilicet cum Moyses ageret ætatis suæ annum quadragesimum, *Egressus est ad fratres suos*, vt videret quibus premerentur laboribus, *viditque afflictionem illorū* qui iniuste & tyrānice opprimebantur, *& virum Ægyptium percutientem quendam*, Hunc Ægyptium ferunt C ex magistris operum fuisse, qui Hebrei pulchram vxorem secundum aliquos, Salomith dictam, dum Hebræus primo mane ad opera consurgeret, turpiter agnoscens, cumque sceleris conscius Hebræus, audiente Moyse, illum argueret, ab ipso Ægyptio immaniter percutitur.

## CONCEPTVS.

### *In dignitate maxima constitutus, tuorum ne sis immemor.*

*EGressus est ad fratres suos*, Nonne in aula edu-
89 caris regia? nonne omnibus frueris delitiis? nonne à populo Ægyptiorum tanquam futurus regni successor censeris? cur ergo Israëlitas obliuione non deles? cur eorum memor palatium Regis relinquens, eos visitandi gratia conuenis? hi ærumnis & miseriis confecti, tu autem cinctus diademate, nihilominus ad eos descendis, quia licet maximam consequutus sis dignitatem, non tamen tuorum debes esse immemor, *Non est* Oleaster. *oblitus generis sui infimi* (inquit Oleast.) *& laboribus afflictis iuuenis in aula regia nutritus & a filia* D *Pharech in filium adoptatus. quod docet aulicos ex infimis eleuatos non obliuisci suorum debere.*

### *Nostrorum miserias attente consideremus, vt eis subueniamus.*

*Egressus est ad fratres suos, viditque afflictionem*
90 *illorum*, Si ab omni liber es calamitate, si à te remotissima est quælibet aduersitas, cum ad tuos descenderis, nobis est enim innatum nostros inuisendi desiderium, cur vt eorum afflictionem videres? quia nostrorum miserias attente considerare debemus, vt eis si in nostra situm sit potestate subueniamus, *discant* (inquit cit. Oleast.) Lactantius *qui in sublimioribus constituti sunt, labores & dolores miserorum maxime suorum considerare.*

### *Dignus imperio, qui miserorum causam tuetur.*

*Egressus est ad fratres suos, viditque afflictionem* 91
*eorum.* Et cum quemdam Hebræum ab Ægyptio percussum iniuste, considerasset, ab eo sceleris sui pœnas exegit, nonne postea populi sui gubernator constitutus? & merito quidem, ille enim aptus est ad regnum, qui nouit pauperem eripere de potentium manibus, at ille contra de sede deturbandus, qui pauperi vim infert, qui miserum affligit, opprimit, verberat: hoc dixerim notante Chrysost. hom. 5. de laudibus Pauli his verbis. D.Chrys. *Moyses cum à nullo in principatum populi ordinatus esset contribules suos tamen à barbarorum feritate defendit, quia vero iustè opus arripuerat, Deus hanc postea contulit dignitatem.*

### *Ne voluptatibus seruiamus, cum alij afflictionibus premuntur.*

*Egressus est ad fratres suos vt videret afflictio-* 92
*nem eorum.* Cur cum in summo honore esses apud principes Ægypti, à culmine eius descendis, visiturus afflictos? fruere delitiis, quæ in aulis Regum communiter habentur, quid tristia inspecturus, ad tuos egrederis? merito quidam curiam deseris regiam, voluptates etiam licitas vilipendis, quia eis minime seruire debemus, cum alij pre-

Procop. num calamitate, fuit? Procop. *ad inspiciendos fratres eum Deus perpulit, ne videretur ipse delitiis abundare, & voluptate diffluere, & populus Dei scilicet filii Abraham fatigarentur opere faciendo immersi luto.*

*Ne erubescamus amicitiam habere cum afflictis.*

93 *Egressus est ad fratres suos vt videret afflictionem eorum.* Quis alterius videns calamitatem, fatetur se fratrem illius? quis ab afflictione oppressis non refugit, ne vel cum eis in ea inuoluatur, vel ne teneatur eis subuenire? nonne legimus in Euangelio quod sacerdos & leuita iter facientes, iuxta hominem male à latronibus percussum, noluerunt eum inuisere, sed vlterius progressi sunt? quomodo ergo Moyses sciens suos tyrannicè opprimi ad eos inuisurus egreditur? vt illius exemplo discamus non erubescendum amicos afflictos habere, vt eis subuenire possimus, *ea tempestate*; prosequitur citat. Procop *vt tum Iudaeorū res erāt,* Gazaeus. *alius fortassis erubuisset se Iudaeum profiteri, verum Moyses omnibus anteferre religionem.*

*An homo vel Deus censendus sit princeps, qui fræna non laxat concupiscentiis.*

94 *Egressus est ad fratres suos vt videret afflictionem eorum.* Sed antequam à Palatio Regio descenderet, fratres suos inuisurus, quibus rebus intendebat? an fræna laxabat concupiscentiis, cum plurima non deessent eis incitamēta, quæ se vbertim offerunt in Regum domibus? non equidem, sed sobrietate atque temperantia tanquam habenis quibusdam cohibebat, ne ferrentur nimio impetu atque ita singulos affectus suapte natura impotentes & indomitos cicurabat; quantum poterat in vniuersum dabat operam, vt ad primos animi impetus resisteret, quasi contumacem equum obseruans, nimirum ne inuito auriga ratione, cursum plus satis accelerantes confunderent perturbarentque omnia: sed quid quæso de hoc principe iudicabimus? an vel hominem vel Deum esse dicemus, qui fræna concupiscentiis laxare nesciuit? audi Philon. lib. 1. de Moyse, Philo. *Merito stupori erat omnibus familiaribus tanquam nouum naturæ miraculum incertis, qualis mens habitaret in corpore eius humana an diuina vel mixta ex vtroque, cum nihil vulgare haberet, angustiora cæteris omnia; nam nec ventri quidquam dabat præter tributum naturæ necessarium. nec voluptatum sub ventre nascentium nisi liberorum causa meminerat, frugalitatem colebat vt nemo alius.*

*Prospera fortuna mores nostros non mutet.*

95 *Egressus est ad fratres suos vt videret afflictionem eorum.* Cur Hebræos non despicis ab omnibus oppressos? cur eis non illudis cum futurus sis regni possessor? quid enim te eorum mouet calamitas? nonne tu in summum rerum euectus es fastigium? ita equidem, sed tamen prospera fortuna illius animum non peruertit, nec mores aliquando immutauit, quin semper in sua virtute & æqualitate maneret. *Cæteri mortales,* annotat Philo. cit. *si vel leuis aura fœlicitatis aspiret, inflantur superbe illudentes obscurioribus, amicos despiciunt, contemnunt leges sub quibus nati educatique sunt, mores patrios quantumuis probatos mutant pro libito, & intenti præsentibus obliuiscuntur veterum: at hic euectus in summum rerum fastigium, nepos tanti Regis habitus, spe omnium destinatus successor auiti solij, nec aliter quam iunior Rex appellatus est, maiorum suorum gentilitia instituta, ad optimorum parentum bona etsi splendida tamen adulterina indicans.*

*Principes potius virtutibus quam satellitibus custodiantur.*

*Egressus est ad fratres suos vt videret afflictionem eorum.* Quo comitatu ab aula regia egreditur? cum enim nepos tanti Regis haberetur, & filius filiæ Pharaonis, videtur fore indecēs quod absque satellitibus prodiret in publicum, nullo tamē cum comitatu discessit, sed solus fratres in afflictione positos visitat, cur milite non stipatur? cur satellitibus non coronatur? quia potius virtutibus quam milite custodiri voluit: quod obseruat D. Greg. Niss. in libro. de vita Moys. sub finem, *Magnitudine animi omnem honorem humanum omnemque regiam dignitatem aspernatus est, magnificentissimum enim ac regium iudicauit non satellitibus ornatuque regio, sed virtute custodiri & virtutis ornatu gloriari.* 96 D. Gregor. Nissen.

*Mira est aliquorum crudelitas.*

*Egressus ad fratres suos vidit afflictionem eorum.* An solum oneribus affligebantur? an solum laboribus premebantur? vidit Ægyptium percutientem vnum ex Hebræis fratribus, nonne satis erat vt miseria Israëlitarum nobis innotesceret, scire quibus premebantur calamitatibus? quibus vrgebantur miseriis? cur ergo etiam grauiter ab Ægyptiis percutiuntur? vt quanta fuerit eorum inhumanitas nobis esset compertum, *Ex hoc loco,* inquit Lypp. *coniectari potest sæuitia inexplebilis Ægyptiorum, quandoquidem hic Ægyptius non contentus miseria Hebræorum oneratorum sarcinis & tributo, ac cordis amaritudine, etiam percutiendo impellebat iniquè fratrem & virum bonum, id Moyses ferre non poterat.* 97. Lyppoman.

*Viri eximij nesciunt otio indulgere, osores ignauiæ.*

*Egressus est ad fratres suos.* Cum annum ætatis suæ quadragesimum attigisset, nam immediatè ad Madiam perrexit, quid? an tot annis quibus in aula regia vixit, princeps deses vel otiosus fuit? nihil enim tot annorum curriculo ab eo peractum dignum encomio legimus, sed falleris, viri enim eximij (in quorum numero adscribendus est Moyses) otio indulgere nesciunt, osores ignauiæ. sed quę digna laude perpetrauit? quænam heroica sunt opera illius? consulendus est Iosephus 2. antiq. cap. 1. *Moses adoleuit breui sua virtutis speciem dedit. Æthiopes qui supra Ægyptum incolunt, agebant & ferebant facultates Ægyptiorum, illi moti indignatione ducunt in eos exercitum contumeliam cum iniuria coniunctam vlturi: Mox prælio commisso, partim in acie ceciderunt, partim in fugam turpiter compulsi retro ad suos se receperunt, quo successu elati Æthiopes fugientibus instabant, & ignauum rati si fortuna non vterentur, concepta spe subiugandæ Ægypti late eam populabantur: degustataque præda dulcedi-* 98 Ioseph.

*ut, non temperantes sibi ad maiora audenda accendebantur, cumque vicinas regiones peruagantibus nemo cum armis obuiam iret, pergebant vlterius Memphim vsque & mare, nulla ciuitate resistere valente, quibus calamitatibus Ægyptij pressi, mittunt qui remedium ab oraculis petant, cumque responsum esset, Hebræum in auxilium aduocandum; Rex à filia postulat Moysem qui vniuersis copijs cum imperio præsit: paruit illa, sed prius Rege iureiurando obstricto, nihil in perniciem iuuenis machinaturum, pro magno hoc auxilium imputans, & sacerdotibus probra dans quod non puderet nunc eius opem implorare quem prius vt hostem occidendum esse monuerint ac iusserint. Moyses vero Thermutidæ ac Regis rogatu libenter hoc negocium suscipit, quod factum gentis vtriusque vatibus lætitiam attulit, Ægyptij post partam eius virtute de Æthiopibus victoriam, occasionem sibi per dolum tollendi non defore sperabant: contra Hebræi Moyse copijs præposito, adfore sibi facultatem euadendi ex Ægyptia seruitute, ille vero volens hostem opprimere priusquam de aduentu suo cognosceret non per fluminis ripam, sed per interiora terræ expeditionem fecit, qua in re satis declarauit quantum ingenio polleret ac prudentia, cum enim hoc iter difficile esset præ multitudine serpentum, commentus est ad securum iter exercitus stratagema dignum admiratione, vasa enim plexilia non pauca e papyro in arcæ formam fieri curauit, quæ completa ibibus secum deferebat, est autem hoc animal infestissimum serpentum generi, quapropter fugitant earum infestationem, & inter fugiendum sicut à ceruis retroacti deuorantur, sunt autem mansuetæ alites & contra solos serpentes feroces, de quibus nunc desino plura, vtpote apud Græcos non incognitis: postquam igitur ventum est in terram venenosis bestiolis scatentem, ibes illis immisit, quarum bona opera vsus, itinere impune peracto nec opinos Æthiopes inuasit: commissoque prælio fusos ac fugatos, & spe occupandæ Ægypti frustratos retro in suam regionem compulit, nec hoc contentus oppida illorum euertebat, & vbique magna cædes hostium patrabatur.*

*Calcare mundana debemus & amare cælestia.*

99 *Egressus est ad fratres suos.* Quo tendis, aulam regiam deserens? nonne satius tibi principum delitiis frui, omnibus potiri voluptatibus quam ad tuos descendere, & subire exilium voluntarium? maluit præ amore iustitiæ incommoda quæcunque tolerare, quam in Tyrannidis fastigio peccati perfunctionem delitiis acquirere, maluit despicere & calcare mortalia, quæ sunt in aulis principum, & cum suis licet miseris & afflictis amare cœlestia, à quo non dissentit D. Basil. hom. 1. in hexa. *Moses tyrannidis fastum negligens prorsus ad suæ gentis contribules requirit, eorumque humilitatem complexus, prælegit calamitates ærumnasque cum Dei populo experiri, quam vt temporali voluptate perfruitus se obnoxium redderet peccato.* D.B.silias.

*Miseros verbis & operibus subleuemus.*

100 *Egressus est ad fratres suos.* Agens iam annum ætatis suæ quadragesimum, suos ab Ægyptiis vexatos inuisere placuit, vt D. Steph. docet Act. 7. cum impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, vt visitaret fratres suos filios Israël: sed nunquid nunc primo inuisit fratres Moyses post quadraginta annos? quid tam sero afflictos respexit? non est dubium ante hoc tempus sæpius eos inuisisse, sed huius tantum visitationis scripturam meminisse propter cædem Ægyptij, quæ causa fuit fugæ in Madian: quod autem sæpius visitauerit consolandi gratia testatur Philo. lib. 1. de Moys. *Hebræos oppressos verbis quantum poterat, subleuabat, præfectos admonens vt moderarentur laxarentque nimiam in vrgendo duritiem, operarios vero vt præsentem statum ferrent fortiter, sicut viros decet, neque animis deficerent & sperarent mutationem in melius.* Act. 7. Philo.

*Vitam boni principis decet sermoni congruere.*

*Egressus est ad fratres suos.* Nempe ab aula Regis ad locum vbi fratres laborabant, sed de eo testatur Stephanus, quod cum inter principes Ægypti versaretur, erat potens in verbis & in operibus suis, nonne satis quod vel in verbis solis vel in operibus potens esset? non equidem, sermo enim boni principis, optimi gubernatoris, qualis futurus erat Moyses, debet congruere operibus eius, & è contra opera sermoni, vnde Philo. de eius virtutibus agens sic loquitur, *frugalitatem colebat vt nemo alius, in vniuersum abhorrens à delitiis, animo enim malebat viuere quam corpore, Philosophiæ præcepta quotidie factis repræsentabat, mentem verbis exprimens, facta dictis accommodans, vt cum sermone vita congrueret, in summa qualis erat vita talis & oratio, cum nihil discreparet non aliter quam in instrumento musico.* 101 Philo.

*Qui Christi improperia fidei oculis respicit, omnia facile despicit.*

*Egressus est ad fratres suos.* Afflictos inuisens ab excelso honoris maximi culmine descendens, absque vllo comitatu, mirum sane est virum Regis filiæ filium, stipatorum dimisisse cateruam, solumque & incomitatum Hebræos inuisisse, nonne mira res negasse Mosem se filium esse filiæ Pharaonis, maluisseque pauperis & afflicti Hebræi filium nuncupari, quam Regis filiæ? nonne mirum magis voluisse affligi cum populo Dei Israël, quam summæ dignitatis iucunditate oblectari? sed audiamus Apost. Hebr. 11. sic de eo disserentem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi, aspiciebat enim in remunerationem: quid mirum igitur si omnia Ægypti oblectamenta contempserit? qui enim Christi improperia fidei oculis respicit omnia facile despicit Bruno, *affligi mauult quam breuissimi huius temporis frui voluptatibus, pro Christo improperia tolerata omnibus mundi opibus antepenit.* 102 Hebræo. 11. Bruno Chart.

*Crucis Christi opprobrium, sublimiorem & gloriosiorem Thronum super omnes Thronos statuit.*

103 *Egressus est ad fratres suos vt videret afflictionem eorum.* Imo seligens potius cum eis affligi, quam se filium filiæ Pharaonis dicere, maiores diuitias æstimans inquit cit. Paulus, thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: sane improperium Christi erat crucis aridum lignum, omni decore viduatum, sic Moysi ex vna parte obiectum est Ægyptiorum sceptrum auro gemmisque diues, ex altera parte nuda ligni virgula quæ pauperes He-

bræos captiuos in desertum ageret, in sceptro vniuersa erat Pharaonis gloria, in nuda ligni virgula totum Christi crucis improperium videbatur, contempsit ille glorias Ægyptiorum, arripuit ignobilem virgam, quid inde? ignobiliorne ideo factus? absit, quin potius, vide Exod. 14. Moysen extendentem manũ virga sola armatam super maria, & ecce virgę ignobili cedunt maria, & iter Israëlitis parant, quando talia præstaret Pharaonis sceptrum? quando plenæ thesauris manus? equidem non mundiales thesauri, sed ignobile crucis lignum, sed Christi improperium nouit super omnes creaturas solium exaltare, ait D. Amb. lib. 2. de Iacob ca. 9. *Opprobrium Christi thesauris Ægypti pretiosius æstimatũ est, & ideo Moyses Pharaonis Regis aulam reliquit, & fidei elegit opprobria, cui se opprobrio maria diuidebant*, non regali chlamidi, non aureo & potentissimo sceptro, sed Christi opprobrio sese subdunt maria.

Exod. 14. Ambros.

*Ab afflictione, Magni caracter sumitur.*

104 *Egressus ad fratres suos, postquam creuerat, vt videret afflictionem eorum.* Sed etiam vt in passione & afflictione eorum esset socius; vnde D. Paulus grandis factus, negauit se esse filium Pharaonis filiæ, magis eligẽs affligi cum populo Dei. nonne antea dicebatur paruulus infantulus? quomodo nunc grãdis dicitur? dices quia creuerat, sed compone hæc verba, grandis factus, cum istis, magis eligens affligi cum populo Dei, & dices recte nunc grandem appellatum, quia ab afflictione, qua à populo Dei voluit probari, Magni caracterem & notam sumpsit: vnde de eorum qui affliguntur magnitudine regius Vates arcana locutione dicebat, Psalm. 103. extendens cœlum sicut pellem, vbi Cassiodor. *Senserunt aliqui cœlum de iusto dictum, quem sic per gratiam probatur extendi, quemadmodum potest tensa pellis excrescere.* Sed quomodo extendi siue explicari pellis solet? accipe ab Arnobio in id loci, *quia quando tenditur pellis super eam aqua aspergitur*, ergo pellis iusti, aqua, scilicet tribulationibus, quę in scriptura passim significantur, extenduntur, dilatantur, crescunt.

Psalm. 103 Cassiodor. Arnobius.

*Aulici, peccatores: sicut aula regia peccatum videtur.*

105 *Egressus est ad fratres suos vt videret afflictionem eorum.* Sed innuens Paulus, qua ductus ratione Moyses regiam Pharaonis aulam sponte deseruerit, vt se Dei castris adiungeret, inquit, maluit affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem; quid intelligit Paulus per hæc verba, quam temporalis peccati habere iucunditatem? pulchra periphrasi aulicam vitam quam Moyses despexit, temporale peccatum intellexit, ita fere Theoph. & Theodor. sic enim ille *per temporariam peccati iucunditatem regiarum delitiarum communicationem & participationẽ declarat.* hic vero, per peccatum, *vitam agere cum impiis*: imo si velis peccatũ per omnes aulæ partes & angulos diffusum, & sese extendens, videre, atria principum perscrutare, quam non videbis ibi assentatorũ exaltationẽ? speculatorũ acceptionẽ? militum audaciam? fœneratorũ voracitatẽ? quæstorum improbitatem? quam non potentum hominum in tenuiores vim atque insolentiam? quas non concussiones? quas non populationes? quos nõ innocẽtes accusari? criminari, carcerari, proscribi? de curialibus & aulicis D. Bernard, lib. 4. de consid. loquens ait *hi sunt qui subesse non sustinẽt, præesse non norunt, superioribus infideles, inferioribus importabiles, hi inuerecundi ad petendum, ad negandũ frontosi, hi importuni vt accipiant, ingrati vbi acceperint, docuerunt linguam suam loqui grãdia, cum operentur exigua, largissimi promissores, & parcissimi exhibitores, blandissimi adulatores, mordacissimi detractores, & malignissimi proditores.*

Theodor. Theophil. D. Bernard.

*Deum in laboribus nostris præsentem habemus, & ideo patienter ferendi.*

106 *Egressus est ad fratres suos vt videret afflictionem eorum.* Sed nõ solum eorum laboribus cõpatitur, imo etiam magis eligit affligi cũ populo Dei quã temporalis peccati habere iucunditatẽ, sed cur reiectis Ægyptiorũ delitiis, ad sufferendos labores quos Hebræi patiebãtur se accingit? si causã quęras, vide quid subiungit Paulus, inuisibilem enim tanquam videns sustinuit, idest Hebræis qui tunc patiebantur Deum præsentem adesse sciebat: merito igitur & ipse quoslibet labores non renuit tolerare, quia quis eos patienter sufferat, cum agnouerit Deum sibi adesse præsentem: hac ratione exponit hunc locum S. Chrysost. in Psalm. 41. his verbis. *& ideo de Moyse quoque dicens Paulus quod relictis opibus & thesauris regnique claritate, maluit cum Iudæis affligi, deinde nos causam docens quod hæc omnia faceret propter Deum, inuisibilem enim tanquam videns sustinuit.*

Chrysost.

*Ex diuina præsentia ingentes bonorum spiritualium thesauros possidemus.*

107 *Egressus est ad fratres suos vt videret afflictionem eorum.* Et deinde propter interfectum Ægyptiũ, aulam regiam deserens peregrinus & profugus vixit, sed tamen tã multis cœlestibus donis abundabat, vt ea thesauris Ægyptiorum anteferret, teste D. Paulo. Hebr. 11. sed si ab eodem Paulo exquiras, vnde sibi eas diuitias compararit spirituales? respondebit inuisibilem enim tanquam vidẽs sustinuit, quasi diceret, quia præsentem Deum sibi sẽper habere videbatur: vnde D. Chrysost. ho. 25. in Epist. cit. *Si videmus*, inquit, *mẽte sẽper Deũ, si semper in recordationem eius conuertimus mentem nostram, omnia nobis facilia apparebunt, omnibus superiores efficiemur.*

D. Paul. Citatus Doctor.

*Contemnens dignitates & honores, eos consequitur.*

108 *Egressus est ad fratres suos vt videret afflictionem eorum.* D. Paulus de eo sic loquitur, Moyses grãdis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, sed non solum in adolescentia honores contempsit, imo & in infãtia, vidimus enim superius quod cũ aliquando Pharao infantẽ Moysem, quẽ eius filia amanter nutriebat, inter brachia susciperet, & eius capiti regium diadema, quod in suo gestabat, imponeret, puerum quasi per infantiæ ludibrium diadema in terram proiecisse, certo præsagio fore vt ille puer regiam dignitatem aspernaretur: sed anne quia contempsit honores eis indignus iudicandus? anne quia diademata conculcauit ea non obtinuit? imo ea consequutus, totius populi sui creatus gubernator, qui enim honores fugit honoribus coronatur, quod aliquando dixit Hieron. Epist. 3. ad Heliodor. loquens de Nepotiano sacerdotium recusante, *eo dignior erat* inquit *quo magis se clamabat indignum.*

D. Paulus. Hieron.

*De nobis humiliter loquendum.*

109 *Egressus est ad fratres suos ut videret afflictionẽ eorum.* Anno scilicet suę ętatis quadragesimo, sed cum plura ante præclare gesta narrentur cum in aula Regis Pharaonis degebas: nã prætor eximiã quæ in ea cõseqũutus es eruditionẽ, itaut in omni sapientia Ægyptiorum doctissimus euaseris, heroica facta à Iosepho recensentur, nempe parta de Æthiopibus victoria, Meroe vrbs inexpugnabilis capta, cuius expeditionis meminit etiam Artapanus, antiquus auctor apud Euseb. lib. 9. de præp. Euang. cap. vltimo cuius verba subiicio, *hunc Moysẽ instrumenta bellica inuenisse affirmat, litteras quas sacerdotibus tradidit, Ægyptiorũque vrbem in sexdecim partes diuisisse, ac singulis præfectos instituisse, quæ omnia videlicet fecerat ne populi vt solebant conspirantes, modo hũc, modo illum regno expellerent, vnde factum est vt quasi Deus ab* B *Ægyptiis coleretur, quibus rebus Chenephrim inuidia commotum causa interficiendi Moysis quæsiuisse, & se aduersus Æthiopes in Ægyptum irruẽtes, cum imperio ipsum misisse, exercitumque sibi à Iudæis maxime conscripsisse, vt propter imperitiã militum cum eis periret, quod bellum vt ab Heliopolitanis accepisse asserit, decennio gestum fuit, & propter diuturnitatem eius ciuitatem in eo loco conditam, vbi sedentes Æthiopum impetum sustinebant, quã Hermopolim inquit, idest Mercurij ciuitatem appellant, Æthiopas autem admiratione virtutis ita Mosem coluisse vt circumcisionem ab eo didicerint, ita peracto bello cum victor rediisset.* Sed cũ plura alia digna laude tot annorũ curriculo gesserit, cur ipsemet ea non recenset? cur posteritati scripta non commendat? quia de nobis humiliter sentire debemus & loqui, quod annuit Euseb. Emiss. in natiuit. Innocent. *Hæc Moyses fortasse* B *prætermisit ne suum præconium scribere videretur.*

Arthapanus apud Eusebiũ Cæsari.

Eusebius Emissen.



## VARIETAS LECT. Vers. 12.

V*ulg.* Cumque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.

*Sep.* Percutiens Ægyptium abscondit eum in arena.

*Oleast.* Vertit se huc atque illuc.

## CONCORDIA

VErbum פנה Phanah proprie significat vertere se, & ex consequenti respicere, quod C respicientis vertat se ad locum quem respicit.

## EXPOSITIO.

CVmque circumspexisset huc atque illuc, ne ab aliquo posset accusari, quod hominem Ægyptium interfecisset, *& nullum adesse vidisset*, futurum testem vel homicidij accusatorem, *percussum Ægyptium abscondit sabulo*, in arena eum sepeliens. sed inquires vtrum liberatur à crimine & peccato homicidij Moyses, hunc hominẽ Ægyptiũ interficiens? dices ideo Moysem non peccasse, & à crimine immunem fuisse, quod iam tũ iudiciariã à Deo potestatem accepisset ad regendum & protegendũ populum, quamuis nondum satis euulgatã, idque probatur ex verbis D. Steph. dicentis existimasse Moysem Israëlitas intelligere, quam ipse iampridem ex patre suo didicerat Deũ ad salutẽ & liberationẽ populi sui ipsũ destinasse, D simulque ei auctoritatẽ ac iurisdictionẽ dedisse, sic autẽ ait D. Steph. act. 7. *Cũ vidisset quemdam iniuriã patientẽ, vindicauit illũ & fecit vltionẽ ei qui iniuriã sustinebat, percusso Ægyptio, existimabat autẽ intelligere fratres quoniã Deus per manũ ipsius daret salutẽ illis.* Si autẽ dicas hanc circũspectionem & vitationẽ consciorũ, fuisse argumentũ vsurpatæ auctoritatis & potestatis, nequaquã, quia etiã legitimi iudices cũ verentur vim maiorẽ, clã de reis sumũt supplicium, cũ ergo auctoritate diuinitus à Deo accepta, quã per singularem reuelationem compertam habuit, cędem hãc faceret, immunis à peccato iudicandus est, quia pluribus aliis modis vindicatur hoc homicidium à crimine hos in conceptibus aperiemus.

Act. 7.

## CONCEPTVS.

*Adulterium non manet impunitum.*

110 P*Ercussum Ægyptiũ abscondit sabulo.* Si hominum nondũ iudex es constitutus, imo licet iudiciariam in eos haberes potestatẽ, cur hominem interficis? pœna enim mortis illata huic homini iniusta esse videtur, vt pote pro simplici percussione mortem inferendo, cum sola repercussio deberetur secundum legem talionis, in qua dicitur dens pro dente & vulnus pro vulnere; iam diximus ex diuina reuelatione iudiciariã potestatem accepisse: sed qua de causa pro simplici percussione mortem intulit? posset dici non omnia de illa cæde narrari in scriptura, quæ contigerunt, Ægyptius ita grauiter & instãter percutiebat Hebræum, vt proxime abesset ab occidẽdo, sed supponamus non ita grauem fuisse percussionem, an cũ iuste occidere potuit? reuoca in memoriã quid à nobis dictum fuerit superius, nempe Ægyptium hunc cum fraude cõmisisse adulterium cum vxore Hebræi percussi, quid mirum igitur si iudex à Deo constitutus, ab Ægyptio licet Hebræum grauiter non percutiente, pœnã mortis exegerit? adulterium enim hoc supplicio potest puniri, ita

noster

Noster Lyra. *noster Lyr. ait interfecit Aegyptium non solum propter cussionem Hebræi, sed etiam pro adulterio commisso sua diebus cum vxore ipsius Hebræi, de quo cum ab Hebræo argueretur, ille percutiebat Hebræum id autem superueniens Moyses audiuit ex ipsis inter se super eo re altercantibus.*

***Innocentes proximos ab iniuria defendamus.***

111. *Percussum Aegyptium abscondit sabulo.* Supponamus cum aliquibus Moysem abique singulari inspiratione & potestate aliqua publica hūc hominē interfecisse, ita sentit Burgensis, an licitè eum occidere potuerit? videtur enim hoc omnino prohibitum Dei præcepto, non occides. Sed supponamus hunc præfectum inter alios immanissimum, iniustè & crudeliter percutientem Hebræum, sic enim Philo. lib. 1. de vita Moysis, Abulensis. erant inter præfectos quidam efferati rabie, nihil differētes à venenatis carniuorisq; bestiis humana specie belluæ, sub qua mores ferinos celabāt, ferro adamanteque duriores, ex his vnus erat hic immanissimus, 2. nisi Moyses eum interfecisset fore vt Hebræus ab ipso occideretur, quacumque diligentia etiam adhibita, vt à violenta oppressione deffenderet quo posito non pauci sentiunt ex debito charitatis fraternæ, quo tenemur proximum innocentem ab iniuria deffendere, licitè eum occidisse, ita B. Ambros. lib. 1. D. Ambros. de offic. cap. 36. *Qui socium inquit non defendit ab iniuria cum potest, tam est in vitio quam ille qui facit, hinc tentamenta suæ fortitudinis bellicæ orsus est Moses:* & lib. 1. hexam. cap. 2. *Moses priusquam ad munus liberandi populum vocaretur, naturali æquitatis studio prouocatus, quemdam de suis popularibus accipientem iniuriam, vltus est.*

***Cum magna circunspectione nostra perficienda.***

112. *Percussum Aegyptium abscondit sabulo.* Nonne huius homicidij testem aliquem times, vel accusatorem? circumspexit huc & illuc, inquit textus, cur vt hominem impium auctoritate iudiciaria interficias, huc atque illuc cōijcis oculos? nonne non adhibita hac diligentia cædem hanc patrare potuisti? potuit sed noluit, maturè enim & cum circumspectione, omnia sunt perficienda, *videns Moyses* inquit Abul. *Quod ille merebatur mortem, & quod ipse iustè eam infligere poterat, voluit negligere, sed timens quod si Aegyptij scirent vergeret in periculum capitis Moysi, habuit circa hoc diligentiam quantam potuit, captata opportunitate loci ad occisionem.* Abulensis.

***Spectanda naturæ aptitudo in eo qui munus aliquod demandari debet.***

113. *Percussum Aegyptium abscondit sabulo.* Licet diuina inspiratione dixerimus id fecisse, nihilominus plures à seipso raptum ad hoc facinus arbitrantur, vt Israëlem ab Ægyptio liberaret, cur à seipso mouetur ad hanc fratris sui liberationem? nonne ad totius populi Israëlitici natus erat? hinc bona planta eligitur, vt producat fructum S. August. naturæ consentaneum, nempe suos ab iniuriis acceptis vindicare. Quod annuit B. Aug. in qq. super Exod. *Sicut terra ante vtilia semina ex inutilium herbarum fertilitate laudatur: sic illud Mosis factum vitiosum quidem fuit, sed magnæ fertilitatis*

A *signum gerebat, inquantum scilicet erat signum victuri eius, qua populum suum liberaturus erat,* quod enim ex propria natura venit, id certo superari consueuit in homine: vnde Nazian. Epist. ad Eudox. *quæ ad natura ductum fiunt plerumque bene succedunt, quæ vero præter naturam præsumuntur, frustrantur.*

***Qui cor suum à vitijs expurgauit, in præclara facta prorumpit.***

*Percussum Aegyptium abscondit sabulo.* Ecce qui Ægyptio palatio nutritus fuerat, qui Ægyptiæ reginæ filius habebatur, vbi vidit Ægyptium, Hebræis aduersarium, non dubitat, non cunctatur, imo non se continet, quin Ægyptium neci tradat, vnde Moyses sic fertur in Ægyptij cædem, 114.
B & Hebræi liberationem? Consulamus B. Paul. ad Hebr. cap. 11. fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, iam corde abnegauerat vir sanctus regalem filiationem, totam illam suam apud Ægyptium regem adscriptam natiuitatem, & si plenam temporalibus bonis, & si delitiis sæcularibus redundantem, mente expuerat, eligens præ illa pauperem Israëlitarum cognationem, de quibus mentis conceptibus, non potuit non exire exterior actus, qui & Ægyptium interficeret, & Israëlitam liberaret: ad hæc D. Amb. lib. de Abel. cap. 4. *Interfecit* nempe D. Ambros. Moyses, *Aegyptium & fugax factus est de terra Aegypti vt declinaret tyrannum terræ, sed non ante illum interfecisset Aegyptium nisi prius in se nequi-*
C *tiæ spiritualis Aegyptium interfecisset & abdicasset regalium luxum bonorum maius patrimonium æstimans thesauris Ægypti opprobrium Christi,* prius fuit quod Moyses in animo suo sæculares glorias & iucunditates abnegaret, eligens præ illis Christi improperia, nisi prius hæc in corde fecisset, minime ad Ægyptij mortem externam exiret, sed vbi prius illa mente perfecit, iam statim ad externam Ægyptij mortem, & ad Israëlitarum liberationem prosiluit.

***Nomen Dei impijs terribile.***

*Percussum Ægyptium abscondit sabulo.* An ense? an ligno? an lapidibus percussit? percussum vidimus, & quo instrumēto percussus fuerit ignoramus. Clemens Alex. tenet Mosem non gladio interemisse hominem Ægyptium, quomodo ergo? pronuntiantem sanctissimi Dei nomen Tetragrammaton, subiicio illius verba lib. 1. strō. aiunt mystæ, *eum solo verbo occidisse Ægyptium, sicut certe postea Petrus in Actibus fertur eos qui pretium agri sibi vsurpauerant, & mentiti erant, verbo interfecisse*: en quomodo nomen Dei ita terribile impiis vt eo audito moriantur & interficiantur, 115. Clemens Alex.
D sed quamuis sit probabile de Anania & Zaphira interfectis, idem iudicium ferendum esse de Ægyptio percusso, non arbitror. Scriptura hoc loco dicit Mosem percussisse Ægyptium, & abscondisse sabulo, idest arena: quod si eo modo Ægyptius ille interfectus fuisset, nemo aduertisset fuisse eum à Mose occisum, quod tamen & fuisse ab aliis animaduersum & delatum ad regem testatur scriptura,

### *Zelus aliquando probatur, factum negatur.*

116. *Percussum Aegyptium abscondit sabulo*, qua auctoritate hominem tibi non subditum interficis? nonne innatum est omnibus quod tibi fieri non vis alteri ne feceris? cur homicidium cum crimine perpetras? satius esset Ægyptium delinquentem liberum dimittere quam Deum offendere, plures factum eius non approbant. Sed zelum commendat, zelum approbat Euseb. (Eusebius.) pud Lipp. interfecit Moyses Ægyptium inquit non fauori cedens, nec ira superatus, sed zelo erga Deum inductus. Zelum similiter commendat Aug. (D. Aug.) sed cædem iniustam arguit, sic autem loquitur, August. lib. 22. contra Faust. cap. 70. *consulta æterna lege reperio non debuisse hominem ab illo qui nullam ordinatā potestatē gerebat, quamuis iniuriosum & improbum, occidi. Veruntamen animæ virtutis fertiles ac capaces, præmittunt sæpe vitia quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimum accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ, sic enim & agricolæ quam terram viderint, quamuis inutiles, tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam esse pronuntiant: & vbi filicem aspexerint, licet eradicandam sciant, validis vitibus habilem intelligunt, & quem montem Oleastris syluescere aspexerint, oleis esse vtilem cultura accedente non dubitant: sic ille animi motus, quo Moyses fratrem peregrinum à ciui improbo iniuriam perpetientem, non obseruato ordine potestatis, inultum esse non pertulit: non virtutum fructibus inutilis erat, sed adhuc incultus vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat. Ipse denique per Angelum suum diuinis Moysem vocibus euocauit in monte Sina, per quem liberaretur ex Aegypto populus Israel, eumque miraculo visionis in rubo flammante, & non ardente verbisque dominicis ad frugem obedientiæ præparauit: qui etiam Saulum Ecclesiam persequentem de cœlo vocauit, prostrauit, erexit, impleuit, tanquam percussit, amputauit, inseruit, fœcundauit: illa namque Sauli sæuitia, cum secundum æmulationem paternarum traditionum persequebatur Ecclesiam putans officium Deo se facere, tanquam syluestre erat vitium sed magnæ feracitatis indicium. Hinc etiam erat illud Petri cum euaginato gladio, volens defendere Dominum, aurem persecutoris abscidit, quod factum Dominus satis minaciter cohibuit dicens, recondegladium: qui enim gladio vsus fuerit, gladio cadet, ille autem vtitur gladio qui nulla superioris ac legitima potestate, vel iubente, vel concedente, in sanguinem alicuius armatur. Nam vtique Dominus iusserat, vt ferrum discipuli eius ferrent, sed non iusserat vt ferirent, quid ergo incongruum si Petrus post hoc peccatum factus est Pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Aegyptium factus est rector illius Synagogæ? vterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate iustitiæ regulam excessit: vterque odio improbitatis alienæ, sed ille fraterno, iste Dominico: licet adhuc carnali, tamen amore peccauit. Resecandum hoc vitium, vel eradicandum: sed tamen hoc magnum cor, tanquam terra frugibus, ita ferendis virtutibus excolendum.*

### *Crudelis potentia, si fœmineo nitatur fauore.*

117. *Percussum Aegyptium abscondit sabulo.* Aliqui, vt vidimus, Patres, asserunt hanc cædem iniustam fuisse non solū quia facta fuit auctoritate priuata, sed quia delicti pœnā excessit. si autem iniustam diximus, etiam crudelem nominabimus, cum species crudelitatis sit infligere pœnā vltra modum delicti. Nonne benignissimus & mitissimus prædicatur Moyses? cur ergo cum benignitate Ægyptium non corripit? nonne alio modo quam illius morte interueniēte Hebræum liberare poterat? cum enim esset regni successor designatus potuisset imperare Ægyptio, vt à percussione Hebræi cessaret. Cur ergo morte corripit? nonne censebatur filius filiæ Pharaonis? nonne ab ea intensissimo diligebatur amore? quid mirum igitur excessisse modum iustitiæ, & ad crudelitatem vsque peruenisse? Quia potentia terribilis & crudelis, si fœmineo fauore nitatur. fauet quamuis in alio instituto B. Ath. Epist. ad solitariam vitam agentes, qui de Eusebianis hereticis sic loquitur, *Eusebiani contra neque causam dixerunt neque de impietate scriptorum suorum conuicti pudore repressi sunt, sed potius grauius in omnes sæuierunt, & quia per fœminas ad Cæsarem commendationē habent, cunctis se terribiles præbuere*, preme hæc verba, *quia per fœminas ad Cæsarem commendationem habent, cunctis se terribiles præbuere*, fœminarum adiuti fauore, sæuitiam & crudelitatem in omnes alios spirabant. (D. Athanasius.)

### *Futuri gubernatores populi æquitatis sint tenacissimi obseruatores.*

*Percussum Aegyptium abscondit sabulo*, indignam benignitate tua cædem perpetras. Nonne potius vt ad meliorem frugem reuocare posses, ei condonare deberes? peccauit quidem alterum percutiendo, sed vitam ei non ademit, cur igitur eum interficis? iam præsignabat se futurum populi gubernatorem, qui nescit iniquitatem & iniustitiam tolerare, *sic erat*, inquit D. Basil. ho. 1. in hexam. *Natura suapte compositus vt summo semper amore iusti & æqui obseruās ac tenax fuerit, quādo vel prius quā principatus populi ipsi esset concreditus, tam ad totius improbitatis odium natura propendebat, vt ad necem vsque de his vltionem expetiuerit qui iniuriam proximo priores intulerant.* Et B. Isido. Pelus lib. 2. Epist. 70. *Si placet illum sacrorum antistitem Moysem consideremus, ille enim quoniam Aegyptium qui iniuriam inferebat, vltus est, ideo Aegyptiorum quidem excruciator, popularium autem suorum legislator institutus est.* 118.

(D. Basil. Mag.) (Isidorus Pelusiota.)

### *Quid non operatur amor?*

*Percussum Aegyptium abscondit sabulo.* Quid commisisti, ò Moyses, hominem cuius vita nihil charius haberi potest, interfecisti? quo motiuo ductus? quamuis auctoritate iudiciaria clarus, mortis pœnam ab eo exegisti. Nonne Hebræus erat cui inferebatur iniuria, quem secundum morem populi, fratrē sacer textus nominat? motiuo igitur amoris in Deum ductus, ab alterius tyrannide liberat, & iniustum oppressorem interficit, mens est Procop. *Flagrantissimum amorem quo tenebatur suæ gentis, testatus est Moses cæde illa exprompta.* 119.

(Procopius.)

*Viri iusti delicta sua non taceant.*

120. *Percussum Aegyptium abscondit sabulo.* Supponimus cum aliquibus ex sanctis patribus, peccatum in hac cæde commisisse, quibus subscribit
Oleaster. Oleast. si ita se res habet, cum illud silentio obuoluere potuisset, cur omnibus aperit? non enim narratio huius homicidij ita connexa cum historiæ serie, quin potuisset obmitti, ad aliud transeat, hac cæde suppressa, licet esset iustus, tamen suos lapsus non tantum hic, sed & alibi vt pote quando Deum non sanctificauit ad aquas contradictionis eodem Spiritu quo Dauid & alii plures, non supprimit, sed palam aperit, quo confiteantur se peccatorem & Dei gratia indiguisse.

*Radicitus tollenda vitia, & impietas de medio tollenda.*

121. *Percussum Aegyptium abscondit sabulo.* Quid in te commisit Ægyptius? verberauit dices Hebræum cum præfectus operum constitutus pugno vel flagellis Hebræum læserit, an vita illius A tam parnipendenda vt hac de causa ei adimatur, & deinde arenæ sepeliatur? desine vt à suis honor sepulturæ ei impendatur. aduerte per hunc Ægyptium posse impietatem & vitia intelligi, sicut per Hebræum pietatem & virtutes. Quid mirum igitur hunc interfectũ fuisse Ægyptium deinde sine vllo honore sub arena absconditum? quia vitia radicitus tollenda & impietas de medio auferenda est. fauet Greg. Niss. lib. de vita Moys. *Inimici duo inter se colluctantes Hebræus atque Aegyptius, inter quos medius factus Moyses cum eos conciliare non posset, Aegyptium interficit, pietas sunt atque impietas, primam scripturæ sacræ per Hebræum significata instituunt, alteram sæcularis ac exterior doctrina suis nugis insinuat; quam qui Moysem imitatur, vno ictu reluctantem occidit, nec aduersus piissimam fidem insurgere ipsam patitur, quãquã etiam latius id accipere pro omni virtute ac vitio possumus, est quasi medius inter iustitiam & iniustitiam, luxuriam atque modestiam, humilitatem atque superbiam, cæteraque huiusmodi propositus homo docet, igitur nos exemplo suo Moyses, radicitus tollenda esse vitia, virtutem autem tanquam naturæ consentaneam fouendam esse.* S. Greg. Niss.



## VARIETAS LECT. Vers. 13.

*Vulg.* Et egressus die altero, vidit duos Hebræos rixantes, dixitque ei qui faciebat iniuriam, quare percutis proximum tuum?
*Cald.* Ecce duo viri Iudæi rixabantur, & ait, impie, cur tu percutis proximum tuum?
*Sept.* Quare tu verberas proximum tuum?
*Oleast.* Ecce duo viri eleuabantur alter ad alterum.
*Arias.* Ecce duo viri Hebræi contendentes & dixit ad impium vt quid percutis proximũ tuum?
*Aly.* Dixitque violento, *aly.* reo.

## CONCORDIA.

Ierem. 48. Verbũ נצה natsa aliquãdo significat eleuare se, aut volare, vt patet Hier. 48. date alam Moab, quia natotese idest eleuando eleuabit se aut volando volabit: inde Nosah idest pluma, sic dicta quod auem eleuet aut vento facile leuetur; vnde hic non impropriè vertit Oleast. Ecce C duo viri eleuabantur, licet in Hiphil, & Niphal significet rixari, litigare, & contendere: vnica est hic Hebraica dictio רשע rasa quod impium, improbum, iniquum, violentum & reum significat, vnde diuersi diuerso modo reddiderunt.

## EXPOSITIO.

*Egressus altera die*, an hic dies immediate fuerit post diem in quo percussit Ægyptium, aut aliquibus iam elapsis diebus, minime con-
Act. 7. stat. verum est quod Act. 7. dicitur, quod egressus fuit die sequenti, *conspexit duos Hebræos rixantes*, plures arbitrantur fuisse Dathan & Abiron, *dixitque ei faciebat iniuriam*, vnus enim reus erat, vtpote alterum in factis offendens, *quare tu percutis proximum?* nulla occasione iusta habita.

## CONCEPTVS.

*Primo debemus nobis attendere quam alios carpere & arguere.*

122. *Conspexit duos Hebræos rixantes, dixitque ei qui faciebat iniuriam* &c. Ecce male ex eo accipitur, suis etiã exosus, ab Ægypti rege ad mortem petitus, fugit hominum conspectum, & diu in solitudine moratur, aliorum oblitus vni sibi vacauit. Cur sibi vni vacat, natus omnibus? vt hoc modo regno sit aptior, Deo gratior & vt enati populi acciperet gubernacula, id eleganter D D. Greg. Niss. in eius vita. *Videmus Moysem antequam perfectiore se virtute firmauerit, duos inter se contendentes conciliare nequiuisse: postea vero cum sibi ipsi longo temporum spatio vacauerit, à multis hominum millibus facile in protectorem recipi.* Greg. Niss.
Ecce tibi quam male audiat præmaturus ille zelus, qui totus ponitur in aliis corrigendis, is ab hominibus non admittitur, nec ad duorum gubernationem videtur aptus, nec Deo acceptus, donec longe & diuturno silentio castigatus, sibi vni vacet, & cæteros obliuiscatur.

*Nimia seueritas animos discordes in concordiam non reuocat.*

123. *Conspexit duos Hebræos rixantes*, quorum vnus alterum percussit. Nonne sibi notum erat à Moyse occisum Ægyptium eò quod percussisset Hebræum? cur ergo punitione cognita, ad concordiam non reuocantur, præcipue cum eadem & natio & Religio facere debuisset amore germanos? nonne eis satis visum fuit iuxta legem Talionis percutientem repercutere, mortis pœna ei non inflicta, quæ nimis seuera imo crudelis sibi visa est? quid mirum igitur à discordia non reuocatos? quia nimia pœnæ seueritas aliis inflicta non extinguit rixas & contentiones, imo eas fouet & in maius erumpit incendium.

*Oppressos iniuste regij animi est deffendere.*

124. *Conspexit duos Hebræos rixantes, dixitque ei qui faciebat iniuriam, quare percutis proximum tuum?* Quod factum expendens Chrys. ho. 6. de laudibus Pauli, in hunc modum ait, hoc signum propriæ liberæque sententiæ, nequaquam in aliorum afflictionibus tenere patientiam, sed benigne tueri oppressos. vbi expendẽda veniunt illa verba, signum propriæ liberæque sententiæ. Sensum esse existimo hominem propriæ, liberæque sententiæ significare eum qui suopte ingenio quemdã exhibet in tractãdis ac decidendis rebus principatum. sic ergo videtur Chrysost. explicandus, vt voluerit Moysem eleganti periphrasi Hebræorum principem futurum, ex hoc facto conjicere, quod in oppresso iniuriis, non posset tenere patientiam, sed illic in mediũ se daret, vt afflictis esset auxilio seuerè opprimẽtes obiurgans, *hoc ipsum* inquit Chrysost. *Signum est propriæ liberæque sententiæ*, idest hominis suapte natura instructi, vt per se de aliorum rebus iudicet quique aliorum sententias minime spectet, aut quasi animi pendeat, quid acturus pro re nata sit, sed omnino sit propriæ liberæque sententiæ, & adeo aptissimus moderandis aliorum rebus, & quise exponat omnibus periculis, quantumuis maximis pro aliorum salute. Chrysost.

*Ideo non deberemus offendere proximum, quia proximus est.*

125. *Conspexit duos Hebræos rixantes, & ait vt quid percutis proximum?* Cur non ait vt quid alium percutis, ei grauem inferens iniuriam? bene proximum dixit, quia alios offendere nec in minimo lædere deberemus, quia proximi sunt: quod recte animaduertit Oleast. *Docet nos hic sanctus Moyses pacificos esse & inter fratres pacem componere ac culpabiliores arguere, argumentum a fraternitate sumens, quæ nos maxime deterrere debet à nocumentis in proximum.* Oleaster.

*Benigne & non contumeliose alios corrigamus.*

126. *Conspexit duos Hebræos rixantes & ait ei, qui iniuriam faciebat quare percutis proximum?* Quid? A eadem eos sociat Religio & natio, si ergo vnum iniuste percussum intuens, cur percutientem alloquens, inhumanum, crudelem, tyrannum non nominas? inhumanitatis enim argumentum est alios iniuste & ab eis non læsos percutere: modestissimus est Moyses, & quamuis alios corrigat, non id contumeliose, sed benigne increpat, vnde B. Chrysost. commendat reprehensionem factam à Loth concubinus suis, quod contumeliosa non fuerit, ait enim, ho. 43. in Genes. *O iusti longanimitatem! ò excellentem modestiã! hæc vera virtus ita modeste alloqui illos, nullus enim ægrum volens curare & insanientem castigare cum furore & austeritate hoc facit.* B. Chrysost.

*Reprehensio sit breuis.*

B 127. *Conspexit duos Hebræos rixantes & ait ei qui iniuriam faciebat, quare percutis proximum?* cur vt delictum commissum acrius sentiat in plura sermonem non protrahis? cur culpam illius verbis correctiuis non aggrauas? quia reprehensio breuis non vituperanda, cum pungat, seuerius. Quod obseruat eit. Chrysost. hom. 5. de verbis Isaiæ in sacerdote Azaria reprehendente sacrilegum Oziam. *Sermonem accusationis in longum non protraxit, sed quemadmodum hi qui secant, hoc breuiter facere student celeritate sectionis cruciatus sensum fallentes, itidem & hic asperitatem obiurgationis paucis verbis constringens, regis iracundiam cohibuit.* D. Chryso. hom. 5.

*Omen boni gubernatoris futuri, leniter increpare.*

C 128. *Conspexit duos Hebræos rixantes & ait quare percutis proximum?* Seuere obiurga, acriter increpa, qui enim alium offendit iniuste dignus est increpatione seuera. nonne futurus erat populi Israëlitici gubernator? in omen igitur futuræ huius gubernationis & regiminis decebat suauem esse reprehensorem. *Cum occurrisset fratribus*, obseruat Procop, *inter se contendentibus non spirauit cædes, sed eorum animas amica castigatione mitigare instituit, quod quidem omen erat ipsum futurum iudicem populi Israëlitici.* Proco.

*Correctio si non proficit correcto, saltem corrigenti prodest.*

129. *Conspexit duos Hebræos rixantes & ait quare percutis proximum?* Hominem reprehendis qui in te insurget, te homicidii reum arguet, quo cum iure arguas inquiret; desine à reprehensione, cum ei non sit profutura: imo cum zelo reprehendat, nam licet ei non proficiat, saltem proderit Moysi corripienti. *ad meritum proinde*, ait] D. Greg. 23. moral. cap. 20. *Charitatis Zelus mala quæ corrigere non valet, increpare non desinit, ne se participem delinquentium ex consensu taciturnitatis adiiciat.* ideo D. Aug. de correp. & D gratia *sine dispensatione ait corripimus quia si filius pacis quem corripiamus, requiescet super eum pax nostra, sin autem ad nos reuertetur cum merito conualata gratia & gloria sempiterna.* D. Greg. Mag. S. August.

## *VARIETAS LECT. Verſ. 14.*

V*Vulg.* Et reſpondit quis te conſtituit principem, & iudicem ſuper nos? num occidere me tu vis ſicut heri occidiſti Ægyptium? timuit Moyſes, & ait, quomodo palam factum eſt verbum iſtud?

*Cald.* Quis te poſuit virum principem, & iudicem ſuper nos? nunquid vt occidas me tu dicis hoc, ſicut occidiſti Ægyptium, & timuit Moyſes, & ait, vere notum factum eſt verbum.

*Pag.* Vere ſcita eſt res.

*Sept.* Et ſic manifeſtum eſt verbum hoc.

*Oleaſt.* Certe cognita res eſt.

*Aly* Hoc negotium palam factum eſt.

## *CONCORDIA.*

PAmi refert quod deeſt vna dictio quæ eſt in Hebræo לאיש leis in virum, dictio אכן achen certè, verè, ſiquidem, ergo, ita, ſignificat, in alius idem eſt ſenſus.

## EXPOSITIO.

QVi reſpondit, ſcilicet qui alteri iniuriam inferebat, *quis te conſtituit principem & iudicem ſuper nos.* Quia quæ dixerat ei Moyſes nempe cur percutis proximum? videntur fuiſſe iudiciariæ poteſtatis, quam ipſe negat in ſe habere, *nunquid occidere me tu vis ſicut heri occidiſti Ægyptium?* quia ab aliquo notum habuerat ab eo occiſum fuiſſe Ægyptium, propter iniuriam Hebræo illatam, *timuit Moyſes* quamuis Pharaonem timuerit, altiori tamē vi Ægyptum reliquit. *Quomodo palam factum eſt verbum hoc?* creditur palam factum incauto ſermon eius quem deffenderat in commendationem & laudem Moyſi quod forſan in hunc finem quibuſdam ex Hebræis retulerit.

## CONCEPTVS.

### *Qui poteſtatem corrigendi non habet, difficile admittitur.*

130. QVis te conſtituit principem & iudicem ſuper nos? Nōne ille eſt Moyſes, qui populo Iſraëlitarum leges dedit? qui Pharaoni Deus fuit datus? qui tot illum plagis mulctauit? quomodo ab vno homine ſolo rixante, & ſuæ nationis & Religionis non admittitur? imo audita ſua contradictione, & quod compertum fuerat homicidium quod commiſerat, timens & pauens ab Ægypto fugiens in Madiā diſcedit: aduerte hunc Hebræum rixantem forte non agnouiſſe poteſtatem iudiciariam, quam à Deo acceperat Moyſes, non mirum igitur eum reſpuiſſe; quia qui poteſtatem corrigendi non habet, difficile admittitur, ſic Diodor in cat. græc. *Moyſes qui prior inter duos rixantes reiectus iudex, & habitus indignus æqualibus conciliandis, nunc tot inter hominum millia & inter Pharaonē non iudex quidem, ſed Deus conſtituitur, ſcriptura nobis tantum vociferante non debere quemquam ſuæ doctrinæ ſuæque prudētiæ confidere, priuſquam iuſta vis & auctoritas accedat.* Nulla accepta poteſtate, nec fortiſſimus quiſque atque prudentiſſimus homuncionem gubernabit, ſub iugo correctionis trahet. Diodorus.

### *Qui diuinos oculos non timet ſed humanos cauet, nullos effugit.*

131. *Quis te conſtituit iudicem & principem ſuper nos?* Deinde audiuit detectam fuiſſe cædem Ægyptij. Nonne circunſpexit huc & illuc? & cum nullum vidiſſet? percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo, ecce Moyſes peccatoris perſonam gerens, potius peccator ſub Moyſis typo occultatus, cum facinus aggredi vellet diuinos oculos non timuit, humanos curauit effugiendos. Quod plane tanquam maxime præpoſterum admiratur D. Amb. ſer. 2. in Pſal. 118. *intemperantiſſimus* inquit nempe peccator, *quamuis inueniat paratam occaſionem, explorat diligenter omnia in diuerſum, oculos ſuos incurioſus iuſtitiæ, ſolicitus famæ detorquet, frequenter erubeſcens teſtimonium erroris, qui non erubeſcit errorem; ac ſi quem forte ſpectatorem agnouerit, facinoris ſui verecundia ſequeſtrat intemperantiam, quanto magis ſi quis alleuet mentis oculos & conſideret plena eſſe Angelorum omnia concepto poteſt renunciare peccato*, quomodo humanos non effugit oculos, qui effugiendos curauerat, & non diuinos? quia diuinos non timuerat, qui autem eos non cauet cum aliquod facinus vult aggredi, ſed ſolum humanos, nec diuinos nec humanos effugit. D. Ambroſius.

### *Poteſtas in alios non ſine timore & periculo exercetur.*

132. *Quis te conſtituit principem & iudicem ſuper nos?* Deinde inquirit ab eo, vtrum velit ſibi mortem inferre, ſicut intulerat Ægyptio quod audiens, inquit textus, timuit Moyſes, iam annum ætatis ſuæ quadrageſimum attigerat, & plura commendatione digna geſſerat, bellum cum Æthiopibus inierat in quo non parum timendum; quomodo non dicitur quod aliquid timuerit, ſed ſolum cum poteſtatem exercere iudiciariam voluerit? quia ſane nulla eſt in alios poteſtas, quæ pluribus non ſit referta periculis, & quæ innumeros non inducat timores: audiēdus eſt Aruernorum Epiſc. Sellius Sidonius Appollinaris, lib. 2. epiſt. 13. qui in hanc rem ſic vere loquebatur, *nunquam ego aſſentior vt fortunatos putem qui reipublicæ præcipitibus ac lubricis culminibus* Aruernorum Epiſcopus.

*[illegible], nam dici nequit quantum per horas fere in hac vita miseriarum, vita felicior [illegible], nunquam qui [illegible] commune, summam [illegible] existimant, summam potestatem, hoc ipso [illegible] miseriores, quod parum intelligunt: inquietissimus [illegible], maximus ille nuncupatus Augustus, ac sub hac specie palatinis liminibus inclusus ante crepusculum ingemuit, quod ad vitam peruenerat*, & merito, nam quis numeret curas, sollicitudines & metus gubernantium?

*Bona ingratis collata pereunt.*

133\. *Quis te constituit iudicem & principem super nos?* Ad concordiam cum fratre tuo cum quo erat tibi contentio, voluit te reuocare, tuas lites componere, tui defensor populi, vt tibi compertum est ex morte illata Ægyptio Hebræum iniuste percutiente: cur ergo iudiciariam eius potestatem non agnoscis? cur eum alieno fungi officio arguis? nonne potius pro beneficio in populum tuum collato, gratias immortales referre deberes, & pro eo quod tibi vult impendere, ingratus es? & quid mirum quod eum B non agnouerit? beneficia enim ingrato collata

Tertullian. pereunt. Sicut optime aduertit Tertul. lib. de pœnit. cap. 2. vbi ait *quantulum dispendii si ingrato benefeceris*, quod etiam dixit D. Bernard. ser.

D. Bernard. 2. in cœna Domini, *nunquam* (inquit) *non perit quod datur ingrato.*

*Christus non vult esse Iudex ad diuisionem, qui venerat ad vnionem.*

*Quis te constituit principem & iudicem super nos?*

134\. Ecce Moyses reijcitur Iudex ab Hebræo, cum eius rixas vellet componere. Iudiciaria ergo potestate in eum vti volebat Moyses, sed quæso expendamus locum Luc. 12. nempe quod quidam de turba dixit Christo D. magister dic fra-

Luc. 12. tri meo, vt diuidat mecum hæreditatem, at ille dixit ei, homo quis te cõstituit iudicem, aut diuisorem super nos? super quæ verba Tertul. con-

Tertullian. tra Marci, cap. 28. ex Marco referens ait, *ecce plane diuersum exemplum*, Moyses rixantibus fratribus vltro intercedit, & iniuriosum increpat, quid proximum tuum percutis? & reiicitur ab illos Christus vero postulatus à quodam, vt inter illum & fratrem ipsius de diuidenda hæreditate componeret, operam suam & quidem tum probæ causæ denegauit: cur ô Christe saluator fieri iudex ad diuidendam hæreditatem noluisti, cum omnium sis iudex supremus? scio quid docte respondeat B. Amb. lib. 7. in Luc. in cap. de res-

D. Ambros. ponsi. Domini, bene terrena declinat qui propter terrena non descenderat, nec iudex dignatur esse litium, & arbiter facultatum viuorum, D habens mortuorumque iudicium, meritorumque arbitrium, non igitur quid petas: sed à quo postulas intuendum est, nec maioribus intento animo putes minoribus obstrependum, vnde non immerito refutatur hic frater, qui dispensatorem cœlestium gestiebat corruptibilibus occupare, cum inter fratres patrimonium non iudex medius, sed pietas debeat sequestra diuidere, quanquam immortalitatis patrimonium non pecuniæ sit hominibus expectandũ. Dicamus etiam quod quasi iudex tunc noluerit esse, quia non ad diuisionẽ, sed ad vnionem venerat, quod optime annotauit Alber. A

Mag. *Hic igitur quia ab vnitate & communione recedere volunt, apud vnitatis & communitatis auctorem hac ira rationabiliter proposuit, & ideo increpationem meruit.* — Albertus Mag. in ca. 12. Luc.

*Inter pessimos semper periclitantur optimi.*

*Quis te constituit principem & iudicem super nos?* 135.
Deinde audito quod te occidisse Ægyptium compertum esset, timuit, nonne iustissime occidisti, cum iudiciariam haberes potestatem? quis autẽ timere debet cum aliquid recte gesserit? sane nullo metu percellitur propter actum iustitiæ quem exercuit, sed quia inter pessimos semper periclitantur probi, sic autem ait Lipp. *Timuit ex iusto opere propter iniustos homines, semper enim periclitantur inter pessimos optimi & leuis occasio arripitur contra eos.* quotidianum esse malum asse-

D. Ambros. rit D. Amb. libro de Nabuth. cap. 1. dicens, *non vnus Achab nascitur, & nunquam huic seculo moritur: vnus occidat, assurgunt plurimi, non vnus propter Nabuthe occisus est, quotidie Nabuthe sternitur, quotidie pauper occiditur, perpetuæ inimicitiæ durant in. er iniustos ad iustos.*

*Impij timidi.*

*Quis te constituit principem & iudicem super nos?* 136.
Deinde ei obijcit cædem Ægyptij quo audito, timuit, quia vt diximus, optimi inter pessimos periclitantur. sed qua de causa ad insligendum malum viris iustis & optimis impij congregantur, vniuntur? sane id ex timiditate prouenire arbitror, est enim timida nequitia, vnde B.

D Ambros. Amb. in offic. cap. 3. loquens de impiorum natura ait, *mens praua metuit, ne sibi ab aliis inferatur quidquid contra proximos excogitat:* & B. Ber-

Bernard. nard. de vita solit. ad fratres de monte Dei, *malus* inquit *homo nunquam tute secum habuit, quia cum nullo homini habitat, & nemo molestior es est quam ipse sibi.*

*Impij sua vellent impunita manere delicta.*

*Quis te constituit principem & iudicẽ super nos?* 137.
C Licet super te iudex non esset constitutus, cum te alterum percutientem iniustè viderit, nonne licitum ei est te reprehendere? verum fateor, sed impius sicut vellet sua impunita manere delicta, ita & irreprehensa, *in hoc ostenditur*, inquit

Oleaster. Oleast. *impios nolle principem & iudicem habere, malaque sua impunita fore desiderare.*

*Qui alios in concordiam reuocare student sæpe ab ijs male afficiuntur.*

*Quis te constituit iudicem & principem super nos?* 138.
Deinde eum accusat homicidij, nonne eo fine te arguit, vt omni alieno deposito odio, ad vnionem cum fratre redeas? cur ergo in bene consulentem insurgis? cur homicidij arguis? cur potius ei non refers gratias? quia hoc commune malum, vt sæpius qui alios in concordiam reuocare student, ab ijs male afficiantur, *hoc est mi-*

Oleaster. *nus*, prosequitur Oleast. *quod referunt, qui inter discordes componunt, dura verba, obiectionem occultis criminis & non nunquam ab vtroque discordantium percutiuntur.*

*Impij correctionibus meliores non fiunt.*

*Quis te constituit principem super nos?* Et quasi non 139.
satis esset exprobrasse, quod nullã habes iudiciariam potestatem, ea tamen fungeretur, eum etiam tanquam homicidam accusat, nonne eum ex zelo iustitiæ arguerat? nonne vt suas lites

componeret, rixasque dirimeret egressus ex palatio fuerat. quomodo igitur eum appetit? in eum inuehit? quis ille? nonne impius? nam vbi habemus dixit ei qui faciebat iniuriam, quare percutis proximum tuum, Arias ex Hebræo legit dixit ad impium, quia nimium igitur non resipuit ille, impii enim correctionibus non fiunt meliores: *Beneficium agnoscit*, inquit Lypp. *reiicit Moysem, & accusat ipsum homicidii.* Lyppom.

### *Impii etiam coguntur hominem Zelo iustitiæ accensum, futurum gubernatorem agnoscere.*

140. *Quis te constituit iudicem & principem super nos* cur non ais in numero singulari super me? alius enim qui iniuria affectus non conqueritur, nec tanquam iudicem respuit: nonne Zelo iustitiæ accensus Moyses obiurgauit Hebræum alterum? bene ergo, quamuis non animaduertens, in numero plurali Moysem alloquitur de iudicio communi, & principatu super eos sermonem instituens, quia impii etiam coguntur hominem Zelo iustitiæ accensum, agnoscere gubernatorem: ita sentit Procop. *Omen erat ipsum futurum iudicem populi Israelitici occisis Ægyptiis, proinde contumax ille Hebræus numero plurali alloquutus est Moysem, quis te nobis præfecit iudicem & principem?* Procop.

### *Iudæus ingratissimus.*

141. *Quis te constituit principem & iudicem super nos?* Deinde eũ accusat homicidij, quis nã est ille cõtumax accusator? scio quosdam respondere fuisse Datã vel Abirõ, sed Procopius existimat eũ fuisse quem liberauerat ab Ægyptio, cum ab eo percuteretur: quomodo cum vita tibi auxilio Moysis seruata fuerit, eum homicidam nominas, quem vt Saluatorem revereri deberes? nullo enim maiori alicui obstringimur, quam ex vitæ conseruatione, iniuriis tamen eum afficit, nec miror: Iudæus enim ingratissimus, *cæterũ* (inquit cit. Procop.) *Contumax ille nimirum is erat quem liberauerat de manu Ægyptii Moses cæde perpetrata.* Procop.

### *Licet aliquando superiores etiam cum vitæ discrimine suo munere rectè funguntur, summã inuidiam sibi conciliant.*

143. *Quis te constituit principem & iudicem super nos?* Deinde eum contumelia afficit, homicidii accusans, dicensque aliam adhuc in eum cædem moliri: nonne aulæ regiæ valedixit Moyses, vt vobis subueniret? nonne elegit potius vobiscum aduersa tolerare, quam filium filiæ Regis vocari? nonne etiam cum vitæ suæ discrimine vobis subuenit? ecce enim ad necem quæretur, quia Ægyptium Hebræi percussorem occidit. quomodo cum igitur iniuria & contumelia afficis? sane quemadmodum Moses omnium eorum qui fidelissimè & diligentissimè suo munere, maximo etiam vitæ suę discrimine, funguntur, forma est, ita vnus ille improbus Israëlita contumeliose in Moysen inuehens, ingenij omnium ferme hominum simulachrum est, qui contumeliosius, suos magistratus & vtriusque ordi-

A nis superiores tractant quo illi salubrius ipsis consultum cupiunt. Hæc est fortuna quamplurimorum publicæ vocationi syncere seruientium, vt summo labore & fidelitate summam inuidiam & aduersa quæque sibi parent: nam quod Mosi accidit hoc ipsum multis aliis, sed inter alios vnum in medium adducam Belisarium, qui cum magnus fuisset copiarum ductor pro imperio Romano, qui formidabilem Cosdroem Persarum Principem exterruerat, qui Reges seruitutis iugo subiecerat, qui gladio tot Lybiæ nationes domuerat, vir denique mauortius & in prælijs animo Leonino præditus, dolis tandem eorum quibus benefecerat, circumuentus, in ruinam indignam & lachrymis dignam incidit, quam Ioannes Græcus auctor Iambis describit, apud Cardin. Baron. ad annum Christi 561. Ioannis Papæ 3. & Iustiniani Imper. 35. Ioannes græcus auctor.

*Iste Belisarius Imperator magnus,*
*Iustinianeis existens temporibus Imperator,*
B *Ad omnem quadrantem terræ, cum explicuisset*
*Victorias, postea inuidia excæcatus, ô fortunam instabilem!*
*Poculum ligneũ detinens, clamabat plebi in stadio;*
*Belisario obolum date Imperatori.*
*Quem fortuna quidem clarum fecit, excæcauit inuidia.*

Alij dicunt Chronici, non excæcatum fuisse hunc, ex honoratis autem infamem profecto factum esse.

### *Nihil occultum, quod non reueletur.*

*Quis te constituit principem & iudicem super nos?* 143. Imo contentiosus ille Israelita homicidij reum agit, qui cum capitis sui periculo populi salutem studebat tueri. sed à quo Moysis factum maledicentissimus ille Israelita didicit, cum neminem C circumspexisset Moses cum occidit Ægyptium, itaut admirans dixerit, quomodo palam factum est verbum istud? sed id non inquiras, quia nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur. Matth. 10. *Duo proponit*, inquit Paschas. lib. 6. in Euang. Matt. *opertum & occultum, quia nihil in carne aut anima geritur, quod non reueletur aut nesciatur, reuelanda sunt autem illa quæcumque perpetrata sunt & commissa, scientur vero quæcumque fuerint cogitata.* Matth. 10. Paschas.

### *Qui alios corrigit, seipsum emendare debet.*

*Quis te constituit principem & iudicem super nos?* 144. D temerarium de illo fert iudicium, nam ex ordinatione diuina, ex inspiratione superna, habuerat iam quandam auctoritatem corripiendi, & iudicandi Hebræos. Sed audiamus quid illi obiecerit? num occidere me tu vis sicut heri occidisti Ægyptium? cur hoc ei homicidium obiicit cum eum ad concordiam & vnionem reuocare nititur? quia sane qui cædem in alium molitus est, alium de rixis & contentionibus arguere non deberet: vnde Dionys. Carth. *Quasi dicat*, inquit, *tu es violentus & homicida, ideirco emenda teipsum*, alienum est à sensu alium velle arguere, in aliquo delicto, cuius etiam & grauioris ipsę est conscius. Dionys. Carthus.



## VARIETAS LECT. Vers. 15.

*Vulg.* Audiuitque Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysem, qui fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum. A

*Sep.* Audiuit autem Pharao verbum illud, recessit autem Moyses à facie Pharaonis, & habitauit in terra Madian, veniens autem in terra Madian, sedit super puteum.

## EXPOSITIO.

*Audiuit Pharao sermonem hunc*, per aulicos qui ad eũ cædem Ægyptij retulerunt, *quærebat occidere Moysem*, iam ante suspectam habens eius virtutem & magnanimitatem, *qui fugiens de conspectu eius*, per deuia ne inueniretur, *moratus est in terra Madian*. D. Hier. in locis Hebraicis geminam agnoscit Madian, alteram trans Arabiam ad meridiem in deserto Saracenorum, contra orientem maris rubri, vnde vo- B cantur Madianæi & Madianæa regio, ab vno filiorum Abraham, & Cethurà, sic vocata, de altera vero subdit, legimus & filias Obab soceri Mosis filias Madian. Sed hæc alia ciuitas est ὁμώνυμος eius iuxta Arnonem & Areopolim, cuius nunc ruinæ tantummodo demonstrantur, *sedit iuxta puteum*, ad quem conuenire solebant pastores vt greges suos adaquarent.

Hieron.

## CONCEPTVS.

### *Aulici apud principem de aliis conqueruntur.*

145. *Audiuit Pharao sermonem hunc.* A quibus audiuit? sane ab aulicis. Cur ad eum quæ ingrata sibi sunt futura referunt? cur defectus aliorum regi aperiunt? quia aulici nacta occasione apud principem, vt iusti & conscientiæ timoratæ censeãtur, de aliis conqueruntur. *Hanc occasionem*, annotat Philo lib. 1. de vita Moysis, *nacti purpurati & suspectum habentes iuuenem, quem norant aliquando exacturum pœnas præsentis crudelitatis, quam plurimum potuerunt patulas aui aures impleuerunt plurimis calumniis, hinc inde insusurrantes vt de amittendo principatu reddiderint sollicitum.*

Philo.

### *Aulici mendaciis alios apud principem appetunt.*

146. *Audiuit Pharao sermonem hunc*, nempe occisum à Moyse Ægyptium. An quæso hanc solum Ægyptij cædem ab aulicis suis accepit? non equidem, imo plurima confingunt mendacia, quibus exosum & suspectum regi reddant iuuenem, *dicebant*, enim inquit Philo. *Te ipsum aggredietur, nihil mediocre sapit, semper molitur aliquid, ante tempus ad regnum aspirat, aliis pollicetur, alios territat, indemnatos interficit, quo quis est tui amantior, eo magis eum persequitur, quid cunctaris? an vt quod conatur efficiat, proderit insidiatori hæc dilatio.*

Cit. Philo.

### *Princeps delationum amator, adulatores impios habebit aulicos.*

*Audiuit Pharao sermonem hunc.* Nonne maxima cum circumspectione cædem Ægyptij perpetrauit, ne quis illius esset testis aut accusator posset esse, huc illucque enim prius attẽtè respexit, quomodo ergo homicidium huiusmodi Ægyptij ad aures regis potuit peruenire, itaut hoc audito mortem nepotis molitetur? quid ait textus? audiuit Pharao: vbi autem princeps delationum est amator, nequit fieri quin plures adulatores aulici insurgãt, qui occultissima quæque sine vlla veritatis discussione, imo mẽdaciis obuoluta referãt, vnde princeps sic se gerere debet, vt calumniatorum mendacia sibi perquam inuisa esse nunquam non ostendat, ita suadet Basilius Imperator Leoni filio in libello exhortationum cap. 55. *Præbere aures auditioni vanæ noli, & calumniatores in sinu tuo ne foue, & improbis ne temere crede: isti enim sæpius viros bonos solent affligere, & propriæ impietatis iras euomentes, innocentis sanguinis reum te constituent, aut suspectum reddent quasi improborum consuetudine gaudeas, quibus* C *enim consueseere familiariter lætaris, & quibus fidem adhibere soles, eorum mores tu quoque habere non immerito iudicaberis.*

Basilius Imperator

### *Princeps qui aulicos fallaci assentatione blandientes habuerit, improbos præfectos habebit.*

*Audiuit Pharao sermonem hunc*, nempe Ægyptium interfectum fuisse à Moyse. Sed quis ille Ægyptius? censet Philo, cum pluribus fuisse præfectum à Rege constitutum, vt miseros Iudæos excruciaret: sed an solus ille? non equidem, sed omnes alii erant eiusdem impietatis & immanitatis: inter præfectos, inquit cit. Philo, quidam efferati rabie, nihil differentes à venenatis carniuorisque bestiis, humana specie D belluæ, sub qua mores ferinos celabant, ferro adamanteque duriores: quomodo tot impiis præfectis scatet Regis familia? quid ait textus? vt audiuit Pharao, princeps enim qui detrectationibus delectatur, qui gaudet adulationibus, & eorum sermones, qui aliorum famam & honorem iniuste violant, sibi probari annuit, nullum nisi improbum rei gerendę præficiet, ita Rodolphus in Prouerb. 29. num. 13. qui sic ait, *Vbi semel corruptus est Regis animus, & improbus effectus, vt nolit audire veritatẽ, ministri eius qui ex eo pendent, qui non videntur alium habere* 148.

Rodolph.

*Deum, tantopere student placere Regi, vt nunquam veritatem præsente Rege loquantur, atque ea ratione improbi euadunt in Regem & rempublicam peccantes, imo maxime in Deum qui ipsa veritas est, ea ratione quoque opprimuntur boni & innocentes viri pessimique ad publicas functiones vocantur, iustitia oppressa, pessum eunt omnia.*

*Nullum apud Reges sit malum impunitum.*

149. *Audiuit Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysem.* Nonne filius filiæ tuæ censetur, & sic tuus nepos habetur? nonne ab omnibus tanquam legitimus regni successor, & hæres creditur? quomodo ergo si vnicum hunc habes hæredem, vitam ei moliris adimere? audiuit suorum interfectorem, Moysem suæ bono reipublicæ aduersarium, suarumque legum contemptorem: in hoc ergo eum vituperare non deberemus, quod hominem homicidam ad mortem requisisset, apud Reges enim nihil impunitum debet manere, *nullum debet esse malum,* inquit Oleast. (Oleast.) *ignotum Regi aut impunitum, quorum omnium male gestorum ab eo exigenda est ratio.*

*Aliquando ad tempus persecutionem licet fugere.*

150. *Audiuit Pharao sermonem hunc.* Tunc in Moysem odium concepit vehemens, itaut statueret ei vitam adimere, quod cum compertum fuisset Moysi, timuit & fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian, nonne Paulus ad Hebr. 11. (Hebr. 11.) planè contrarium sentire videtur? ita enim scribit, fide reliquit Ægyptum, non veritus Regis animositatem: si ergo Moses fatetur hic se timuisse, quomodo scribit Apostolus Pharaonem non veritum fuisse? timere autem & non timere contradictoria esse videntur. Aduerte duo in timore esse distinguenda, quorum vnum vituperabile est, metus videlicet causa aut malum facere aut bonum omittere, alterum salua fide & sine detrimento proximi, fugere ad tempus instans periculum, & hoc laudabile est, & à Domino nostro & verbis commendatum, & præcepto præscriptum, exemploque suo confirmatum: quo posito dicamus non timuisse idest causam metus non habuisse, timuisse autem hoc salua fide ad tempus persecutionem fugisse, mens est S. Thom. (S. Thom. Angelicus.) in prædictum caput epist. ad Hebr. *Dicendum quod in timore duo sunt consideranda, & vnum est vituperabile si propter timorem aut fiat quod non est faciendum, aut quod est faciendum non fiat, & sic non timuit Moses, quippe qui propter timorem non omisit iuuare fratres suos: alterum est laudabile si quis salua fide refugiat periculum instans; sicut Dominus præcepit discipulis suis* Matt. 10. (Matth. 10.) *cum persequentur vos in ciuitate ista fugite in aliam: si quis enim salua honestate sua posset vitare periculum, & non vitaret, stultus esset, & tentaret Deum.*

*Qui virtutem sequitur, tentationibus variis probatur.*

151. *Audiuit Pharao sermonem hunc:* Ecce ilico struit ei insidias, mortem ei molitur, fugit & moratur in terra Madian, suis destitutus, nonne ille est qui ab omnibus in aula regia summo habebatur in honore? qui omnibus Ægypti thesauris abundabat? cui nihil quod ad fœlicitatem humanam conferre poterat, deficiebat? quomodo timidus fugit & tanquam reus capitis quæritur? quia qui virtutem solide amplectitur, qui pietatem sequitur, variis tentationibus probatur. *Obserua obsecro* (inquit Lyppom.) (Lyppom.) *in Moyse quid accidere solet his qui derelicta impietate, sectantur vocationem Dei, Moyses enim dereliquit aulam regiam, in qua videbat se non posse pie viuere, & coniunxit se cum Israelitis vt vocationem Dei sequeretur, mox igitur coorsuntur in ipsum quasi collecta manu paupertas, ignominia, contemptus non ab Ægyptiis tantum, sed etiam à suis Israelitis, ad quos liberandos aulam reliquerat, insidiæ Regis, pericula mortis, fuga, exilium, & quidquid est huiusmodi calamitatum; solemne est vt qui relinquit impietatem & sectatur vocationem Dei, maximis statim periculis & calamitatibus obiicitur.*

*Vir iustus exilium non agnoscit.*

*Audiuit Pharao sermonem hunc.* Et ilico in 152.
Moysem mortis sententiam tulit, quod cum ad eius aures peruenisset, fugit, & in terra Madian commoratus est: quis non arbitratur Moysem in terra aliena vitam cum exilio ducere? in Ægypto enim natus & nunc degens inter Madianitas, exul censebitur, sed qui hac cogitatione ducetur, toto cœlo aberrabit, nam vir iustus nusquam est exul, in carne enim vbique est peregrinus: ita D. Basil. teste Nazian. (S. Basilius.) orat. 20. quæ est de laudibus Basilii. *Exilium non cognosco qui nullo loco circumscriptus sum, ac nec terram hanc quam nunc incolo meam habeo, & eam omnem in quam proiectus fuero pro mea duco, imo vt rectius loquar, vniuersam terram Dei esse scio cuius aduena sum & peregrinus.*

*Cum aliis nos exosos esse cognouerimus, abeamus.*

*Audiuit Pharao sermonem hunc.* Quo audito, 153.
Moysem ad supplicium petit, fugit ille & in terra Madian moratur, cur fugæ te committis? dedecet enim virum magnanimum fugere, tum nonne excusatum te habere potes apud Regem, qui auditis tuis rationibus cædem Ægyptii tibi condonabit? vita enim tua illius debet esse charior. Sed videamus quibus exosus est Moyses, sane primo Ægyptiis, qui eum apud Regem calumniati fuerant, deinde Hebræis, qui alienum exprobrant homicidium, qui eum principem & iudicem habere renuunt: fugiat ergo si tot hominibus exosus est, cū enim nos agnouerimus ab aliis odio haberi, discedere debemus, vnde Procop. (Procop.) *Quid agit Moyses videns se esse tum Ægyptiis tum Hebræis inuisum? profugit ad gentes ingressus Arabiam.*

*Ingratus supplicio non caret.*

*Audiuit Pharao sermonem hunc.* Cui consen- 154.
sum præbens, indignumque iudicans auctori-

tate regia si Moysis crimen maneret impunitum, tunc fugit Moyses, timiditati & pusillanimitati hanc fugam adscribam? quis enim liberator populi in Deo confidens dubitaret in Ægypto manere etiam Rege persequente, præcipue cum futurus Regni successor ab omnibus est proclamatus? sed non sine Dei speciali prouidentia Moysē se fugæ cōmisisse asseramus, sed vt populi ingratitudo puniretur, potuisset enim plurima bona Israëlitis præstare, sed quia indignos Dei beneficiis & bona voluntate Mosis se reddiderunt, auferetur ab eis destinatus liberator: nam quadraginta annos exulauit, quorum curriculo vniuersus Israëlitarum cœtus iustum Dei iudicium in Pharaonis tyrannide expertus est, qua primo liberari potuissent, nisi Mosem repulissent.

*Deus suis vult vxores coniungi non incognitis moribus.*

155. *Audiuit Pharao sermonem hunc.* Ita accensus supplicium mortis à Moyse sumere tentat, fuga quærit salutem, sed quo fugit? Madian, an sine Dei dispensatione factum est vt potius in hanc quam in aliam fugeret terram? non sine mysterio inquit Lyppom. Sed quò ô Lyppom. in- (Lyppom.) consulto enim Madianæam petit regionem, respondet, *ad Madianitas fugit, progeniem quippe Abrahæ ex Cethura & Lot, vt inde sumeret vxorem sibi conuenientem, & ex progenie sua, & vt inde influxum ac robur regionis illius susciperet.*

*Deus suis consulit viâ nobis incognita.*

156. *Audiuit Pharao sermonem hunc.* Et Moysi struit insidias, ad mortem quærebat, qui fugit in terram Madian, liberator populi futurus cogitur fugere, quis credidisset eum liberaturum populum? poterant Israelitæ nonnullā de eo spem habere, cum tam mirabiliter à Domino præseruaretur à submersione, item cum tantæ esset in aula Regis auctoritatis, item cum tanto animi Zelo Ægyptium interfecisset, nunc autem confugere cogitur, & ad mortem tanquam reus quæritur, nonne omnis spes eorum peribit? sed bene in Deo sperantibus perire non debet, liberatorem enim hunc obtinebunt; sic enim Deus suis prouidet eâ via quam nulla sapientia humana potest pertingere.

*Prudenter quæ meditati sumus, prosequamur.*

*Audiuit Pharao sermonem hunc.* Sollicitantibus & irritantibus eum aulicis, ad supplicium 157. quæritur, itaut minimo minus abfuerit à pernicie, opprimendus dubio procul, nisi rem olfaciens, in ipso mortis articulo, se clam subduxisset. Sed nonne Rex eum insequi suis præcipere potuit? præcepit equidem, quomodo ergo non deprehenditur & adducitur? optime satisfacit Ioseph lib. 2. cap. 5. *Cum vias obseruari* (Ioseph.) *intelligeret, per solitudines fugam arripuit, qua euasurum inimici minime suspicabantur,* en quam fuerat fugam meditatus, prudenter prosequitur!

*Qui peccata sua non cogitant, aliena impatienter sustinent.*

*Audiuit Pharao sermonem hunc.* Nempe Æ- 158. gyptium à Moyse occisum, quod ferens impatienter, statuit huius cædis pœnam exigere, itane graue delictum censetur à te homicidium à nepote commissum? nonne minuere eius grauitatem deberet hæc circumstantia, nempe quod à Moyse futuro regni successore fuerat interfectus? nonne tu plurimos submergi Hebræorum infantes iussisti? nonne immanitate tua & tyrannide plures ex viris Hebræis periere? si ergo tot cædes iniuste commisisti, cur vnicum non potes homicidium dissimulare? cur ita graue censes, vt dignum morte iudices? quia qui sua peccata non cogitat, sicut suorum fuit immemor hic Pharao, aliena sustinet impatienter, quod obseruat S. Prosp. lib. 2. vitæ (S. Prosp.) contem. cap. 4. *Tandiu enim quis peccata sua quæ nosse aut deflere debet, ignorat, quandiu curiose aliena considerat, quod si mores suos ad seipsum conuersus aspiciat, non requirit quod in aliis specialiter reprehendat, sed in seipso quod lugeat: proinde fratrum nostrorum vitia non facile debemus accusare, sed gemere, vt inuicem onera nostra portantes, legem Christi possimus implere, qui vtique non accusauit peccata nostra, sed tulit.*



*VARIETAS LECT. Vers. 16. & 17.*

*Vulg.* Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam, & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui.

*Sept.* Sacerdoti Madian erant septem filiæ pascentes oues patris sui Iothor, aduenientes autem hauriebant donec impleuerant canales ad potandas oues patris sui Iothor.

*Cald.* Principi autem Madian erant septem filiæ.

*Vulg.* Superuenere pastores, & eiecerunt eas, surrexitque Moyses & defensis puellis adaquauit oues earum.

*Sep.* Aduenientes autem Pastores expellebant eas, exurgens autem Moyses liberauit eas.

## CONCORDIA.

HÆc dictio כהן cohen aliquando miniſtrum Dei, ideſt ſacerdotem ſignificat, aliquando vero ריש עמא caput & magiſtratum populi, in qua ſignificatione hic accepit Cald. Paraphraſtes, vocantur autem magiſtratus & principes כהנים. Sacerdotes etiam in ſcriptu- A ris, eo quod olim vtrumque officium & ſacerdotale & politicum pœnes illos erat, etiam apud Ethnicos. Septuaginta nomen illius ſacerdotis poſuere nempe Iothor, quod tamen non eſt in Hebræo.

## EXPOSITIO.

E*Rant autem ſacerdoti Madian.* An iſte ſacerdos fuerit cum ad eum acceſſit Moyſes ſacerdos Idolorum, an veri Dei, adhuc ſubiudice lis eſt, & ideo vtrumque probabile cenſetur, tamen poſteà ad verum Dei cultum conuertitur, *quæ venerunt ad hauriendam aquam,* B quod tunc indecorum non erat filiabus virorum ditiſſimorum, vt patet in Rachele filia ditiſſimi & opulētiſſimi Laban, *& impletis canalibus* cum labore, vt *greges patris ſui adaquarent,* ſuperuenere Paſtores & *eiecerunt eas,* nolentes vt ipſæ ſuo labore fruerentur, quæ cum reſiſtere non poſſent abierunt, *ſurrexit Moyſes,* plures exiſtimant cum comitatu diſceſſiſſe ex Ægypto & ideo ſimul cum Moyſe puellas defendiſſe à paſtoribus: *& adaquauit oues earum,* id eſt in hoc laborauit eiectis paſtoribus, vt oues puellarum adaquarentur.

## CONCEPTVS.

### *Sacerdotalis dignitas ſuper regiam.*

159. E*Rant autem ſacerdoti Madian ſeptem filiæ.* Cald. erant autem principi Madian, & apud Euſebium lib. 9. de prepar. Euang. cap. vltimo vetus ſcriptor Artapanus appellat eum Regem Arabiæ: dicamus ergo eundem fuiſſe & principem & ſacerdotem eius gentis, ſicut in more fuit antiquitus apud illas gentes, nam & Melchiſedech ſacerdos erat ſimulque Rex Chananæorum, & apud Iudæos poſt captiuitatem C Babylonicam iidem fuere Pontifices atque principes & Reges in populo: ſi ergo hic ſacerdos erat ſimul & Rex Madianitarum, cur noſter Vulg. obuoluta ſilentio regia dignitate, quæ omnibus eminere videtur, quæque apud omnes tantæ eſt æſtimationis & auctoritatis, ſolam ſacerdotalem memorat? quia cum quis duobus titulis nobilibus quorum alter alium ſuperat, gaudet, omiſſo minus nobili, ab alio trahit ſplendorem, ſacerdotalis autem dignitas apud nos regiam ſuperat, vnde S. Ignat. Epiſt. ad Sminnenſes. *Sacerdotium eſt omnium bonorum quæ in hominibus eſt, apex, honora Deum vt omnium auctorem & dominum, Epiſcopum vt principem ſacerdotum, imaginem Dei ferentem, Dei quidem pro-* D *pter principatum, Chriſti vero propter ſacerdotium: honorare oportet, & Regem, nec enim Rege quiſquam præſtantior aut quiſquam ei ſimilis in rebus omnibus creatis, nec Epiſcopo quidquam maius in Eccleſia, omnia igitur veſtra decenti ordine perficiantur in Chriſto, Laici è quorum numero ſunt omnes etiam Reges Chriſtiani Diaconis ſubijciantur.* S. Chryſ. hom. 33. in Matth. Diaconos altaris miniſtros alloquutus hoc ait, *ſi Dux igitur quiſpiam, ſi quis diademate ornatur indigne adeat, cohibe & coerce, maiorem tu illo habes poteſtatem.* Docuit hoc idem exemplo S. Martinus Epiſc. qui cum à Maximo Imperatore, conuiuio exceptus rogaretur pateram à miniſtro oblatam tanquam dignior prius acceptare, & Regi præbibere, obtemperauit Regis petitioni, ſumptis poculum ac præbibit, *Sed Martinus, vbi bibit,* (verba ſunt Sulpitii in vita Martini cap. 23.) *Pateram presbytero ſuo tradidit, nullum eſſe æſtimans digniorem qui poſt ſe biberet, nec integrum ſibi fore ſi aut Regem ipſum aut eos qui à Rege erant proximi presbytero prætuliſſet.*

Euſebius. Cæſarienſ.

S. Ignatius. Martyr.

S. Chryſ.

### *Regalis dignitas antiquitus ſacerdotalem ſuperabat.*

*Erant autem ſacerdoti Madian ſeptem filiæ.* Cald. 160.
erant autem principi Madian. Diximus in præcedenti conceptu, ideo mentionem factam nominis ſacerdotis, non autem Regis, quia dignitas ſacerdotalis regiam ſuperat, ſed hoc quibuſdam difficile videbitur, nam ſi nobilius ſacerdotium quam regium, vnde ſacerdotalis auctoritas regia ſuperior? nam Moſes, Dauid, cæterique Reges ſummis ſacerdotibus imperabant tempore legis & naturæ, non autem tempore gratiæ, hoc verum non aſſeritur. Sed cur potius his temporibus quam illis præferuntur ſummi ſacerdotes regibus, imo & eis imperant? hoc duabus de cauſis eueniſſe arbitror. altera, quia legis & gratiæ conditiones admodum differunt, legis enim tempore, ſicut ipſa lex erat imperfecta, cum neminem ad perfectum duceret, & ſacramenta pariter imbecilla extarent, quia gratiā ex vi ſua non conferebant, ita & ſacerdotium erat imperfectum: econtra gratię tēpore, ſicut eſt lex diuina & ſacramenta gratiam conferunt, ita & ſacerdotium perfectum, quapropter congruè dignitati regali perfectæ tunc, illud imperfectum ſacerdotium ſubijciendum eſt, hinc attendat qui ſcripturarum lectione oblectatur, quare in teſtamento veteri legatur regnum ſacerdotale, in nouo autem dicatur ſacerdotium regale, vt quod illi ſubſtantiuè, nos adiectiuè, & quod ipſi adiectiuè, nos ſubſtantiuè explicemus, quia regalis dignitas quæ apud eos perfecta erat, apud nos imperfectior reddita eſt: & ſacerdotium quod apud

eos imperfectum extabat, nobis perfectissimum euasit: vel dicamus subtilius, lex Moysis lex erat iustitiæ, iuxta illud, *ego Deus Zelotes vindicans iniquitatem patrum in filios*: Lex Christi misericordiæ lex comperitur, Deus enim Zelotes, *pater misericordiarum & Deus totius consolationis*, effectus est: regalis auctoritas, iustitiam expetit, non enim sine causa gladium portat, sacerdotalis misericordiam postulat, *talis enim*, vt testatur Paulus ad Hebr. *decebat vt nobis esset Pontifex, qui posset compati infirmitatibus nostris.* Eleganter igitur iustitiæ tempestate, regalis præeminebat auctoritas, misericordiæ vero tempore, effecta est sacerdotalis dignitas præstantior, si ab illa regia potestate iustitia, ab hac sacerdotali pietas expectanda erat.

Hebr.

*Vile officium non dedignemur.*

161. *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Cald. erant principi Madian septem filiæ, quem principem dixere, quem Regem fuisse aliqui autumant, sed si ita se res habet, quomodo filiæ eius pecoribus pascendis indulgent? quis enim vidit regio genere claras virgines, artem pastoritiam exercere? exercent nihilominus istæ, vile officium non dedignantes. *Honorabilis occupatio erat*, (inquit Abul.) *tempore illo pascere greges, quod patet quia Abraham, & Isaac, & Iacob, filijque eius, & Laban cum filiabus suis qui viri potentes & diuites valde erant occupantur in pastu pecorum, & scilicet pater istarum puellarum vir honoratus erat, tamen filiæ suæ non dedignabantur pascere gregem.*

Abul.

*Virtutis studio nos exerceamus vitium fugientes.*

162. *Erant autem sacerdotis Madian septem filiæ.* Ecce quomodo sacer textus narrat subuenisse Mosem sacerdotis Madian filiabus, nonne dabimus tempus aliquod, & moram Mosi apud Madianitas, antequam officiose eis faueret? quidni? multa enim in textu subaudienda sunt, vbi nempe in Madian cum aliquando moratus fuisset, quieuit, & sedit aliquando iuxta puteum, sed quid in illa quiete agebat? an indulgebat otio? non equidem, sed virtutum studio se exercebat, testis est Philo lib. 1. de vita Moys. *Deum inuocabat, vt alteros Hebræos videlicet è grauissimis calamitatibus eriperet, alteros nihil non per vim agentes puniret, atque ita ipsi duplex gaudium præberet, & mox ipse interim exercebat se in virtutis studio sub ratione magistra, parans se ad optima vitæ genera, actiuum contemplatiuumque simul euoluens Philosophiæ dogmata.*

Philo.

*Vilis animi est cum fœminis contendere.*

163. *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quæ cum canales aquæ adimpleuissent adaquandi gregis gratia, pastores superuenientes eas à canalibus violenter eiecerunt: qui nam pastores? non sane alicuius principis filij, sed vilis conditionis homines, cur non nobiles sicut erant filiæ sacerdotis Madian? quia infimi & abiecti animi est, cum fœminis contendere, & eis molestiam inferre, quod testatur Abul. *Vilis conditionis & abiecti animi est, in fœminam velle contendere, quæ infirmioris sexus est nec viro resistere potest.*

Abul.

*Vnus alienigena stans à partibus iustitiæ, quoscumque impios superabit.*

*Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ,* Quæ cum patris ouium curam gererent, exhausta aqua, quantum satis videbatur, gregibus eam potandam in lacunas ad hunc vsum factas, diffundunt, cumque pastores superuenissent, & repellendo puellas sibi aquam vsurparent, Moyses abactis pastoribus, filiabus auxilium præbuit: suppono ex multorum sententia Moysem sine comitatu solum fugisse, (licet contrariam teneat Hugo Victorinus) si solus Moyses peregrinus, hi autem pastores plures, quomodo non solum in illos insurrexit, imo & repulit? nonne pro æquitate pugnabat? quid mirum igitur si eis superior euaserit? vnus enim stans pro partibus iustitiæ, quoscumque impios potest superare. 164.

Hugo Victor.

*Principes non ad delitias, sed ad laborem filios nutriant.*

*Erant autem sacerdotis Madian septem filiæ.* Quæ pascendis gregibus exercebantur, cuiusnam sunt filiæ? sacerdotis Madian, Caldæus, principis Madian, alii, Regis. Cur filiæ principis in aula Regia delicatissime non nutriuntur? cur in saltationibus, quibus magnopere nobilium puellæ student, non exercentur? quid enim laboriosius quam greges pascere? pascăt ancillæ ipsæmet filiæ principis in pastu pecorum occupabantur, vt eius exemplo principes non ad delitias sed ad laborem filios nutriant, *obserua hic*, inquit Lyppom. *in filiabus istis veterum principum consuetudinem, hi enim educarunt liberos suos non ad delitias, sed ad laborem, & tanto honestius, duxerunt sibi laborare, quanto ordinationi diuinæ & naturæ humanæ magis quam otio indulgere conuenit.* 165.

Lyppom.

*Inter castos, vel minimum cauendum est, quod ad impudicitiam prouocare potest.*

*Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quas cum vidisset male à pastoribus impediri, ne suos adaquarent greges, eas à pastorum inurbanitate deffendit, itaut possent potum præbere suis gregibus, puellæ accepto beneficio nullum verbum officiosum, nullum vrbanitatis obsequium, inter eas & Moysem intercedit, cur defensorem vestrum non salutatis? cur pro accepto beneficio, nullæ à vobis gratiarum actiones redduntur? timentur inter castos vel vrbanæ salutationis obsequia, vt quæ possent læthales flammas accendere, huc respiciebat Athanagoras in cap. 5. Prouer. ver. 4. cum ait, *iam accurate ergo temperare osculum seu potius adorationem salutationum debemus, nam si quomodo pauxillum mens polluta fuerit, ab æterna vita nos proscribit Verbum.* 166.

Athanag.

In assi-

*In afflictione ne simus pietatis immemores.*

167 *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quas cum vidisset Moyses male à Pastoribus offendi, earum causam suscepit defendendam, nam eos expulit, ita ut liberum fuerit puellis, greges adaquare: an immemor tuæ fugæ, cui te commisisti, quia Hebræum offensum, ab alio defendere voluisti? nonne tibi non solum homicidium à te commissum exprobrauit, sed quod etiam ei vitam velles adimere arguit? nonne etiam Pastores idem tibi possent imponere? fides tanquã incolis potius quam tibi pauperi alienigenæ adhibebitur, ne ergo cum Pastoribus velis contendere: quodcumque aliud negligit, dummodo pietatis officia exhibeat, dummodo iniuste oppressos protegat, ita auct. Cat. Græ. *quisquis amat Deũ contentus in vrbe degit, in agris pauper, diues, liber, & seruus, neque etiam in squallore carceris obliuiscitur pietatis.* Auct. Cat. Græca.

*Etiam impij cedunt iustitiæ.*

168 *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quæ cum ad puteum accessissent, demissis per funem vrnis per vices certatim hauriebant fundebantque aquam in proximos alueos, donec implerentur, superuenerunt Pastores, qui contempta debilitate virginum, conati sunt eas submouere, vnà cum gregibus suis, ad paratum potum agẽtes sua pecora, alienis laboribus fruituri, id Moyses qui non longe aberat, conspicatus, clamitans, confestim accurrit, non desisteris ab iniuria, in solitudine qua ad fraudem abutimini non pudet vos circumferre ignaua brachia, inertesque humeros! cur non ceditis his quæ priores venerunt, quæ ius aquæ habent, haustæ ipsarum opera, quo vberior esset copia, itane paratam auferetis? non facietis per cœlestem oculum qui videt etiam quidquid fit in locis desertissimis, non auferetis impune, is me præter opinionem misit in auxilium, nec enim decro iniuriam patientibus, sentietis sententem nisi resipiscitis, Pastores his auditis recesserũt, quid? ita ignaui, vt homini loquenti cedatis? non homini sed iustitiæ cedunt, quam etiam impij reuerentur & timent: vnde Philo. lib. 1. de vita Moys. *his territi quæ videbantur hominis afflati diuino furore, vel itaque ne vera caneret, paruerunt; admissisque virginum gregibus, ad alueos passi sunt earum pecora prius bibere.* Philo.

*Perfecti viri inter durissimos viuendi rigores, & asperitates, teneritudinem spectant, qua facile vinci possunt in vtilitatem aliorum.*

169 *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quæ cum à Pastoribus male tractarentur, pietate & quadam in eas teneritudine Moyses compulsus, subuenit; nonne pedes viam confecisti? nonne omnes delitias fugiens, abiurasti? & nihil non asperum non assumpsisti, vitam pauperem & ideo asperam degens? quomodo ergo ad puellas accedens sic tenerescis, vt in eas compassione ductus, ab aliorum molestiis protegas? quis à te asperrimæ vitæ sectatore, aliquam expectaret teneritudinem? credidissem in te lapideum rigorem, nisi mihi aliud persuasisset auxilium

A puellis exhibitum, sed hoc proprium est virorum perfectorum inter ipsos vitæ rigores & asperitates, non obdurari penitus, sed eam teneritudinem seruare, qua in aliorum vtilitatem facile illi flecti possent. Quod probat exemplo D. Pau- D. Chrysost. hom. 4. in Epist. ad Coloss. *cogita mihi quæso, Paulus ille adamantinus, igneis corpore robustus, & immobilis, timore Dei confixus, inflexibilis, quis enim inquit nos separabit à charitate Christi? afflictio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? qui iis omnibus restitit, adamãtinas inferorum portas derisit: is inquam Paulus cum videret quorundam lachrymas, ita perfrangebatur adamas ille, vt animi afflictionem non absconderet, sed mox diceret, quid facitis flentes & affligentes cor meum?* aliud in medium produxit exemplum de D. S.Chrysost.

B Ioanne Bap. hom. 38. in Matth. *dum in deserto erat neminem vidit vnquam conseruorum, nec ab aliquo visus est, non lacte nutritus, non lecto susceptus, non tecto, non foco, non alia re humana vsus est, tamen mitis simul & acer, mitis discipulis, & acer Iudæis.*

*Viri sancti ad subeunda pericula propensi.*

*Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quibus auxilium præbuit aduersus Pastores, qui maliciosè, ne suos adaquarent greges, ex aqua quã propriis manibus & non sine labore ex puteo hauserant, impediebant, cur vnus plures non vereris? puellis condole, nonne eminenti te committis periculo? audacissimus nihil timet, eos aggreditur, puellas liberat, & eos à canalibus 170

C remouet, & reiicit: nam vt optime D. Cyrill. Alex. lib. de adoratione, *vides quam prompti sunt ad audendum sancti viri, quamque sponte sua ad subeunda pericula propensi.* non dubitat vir sanctus subire discrimen, non timet pericula dummodo aliis subueniat. Cyrill. alexand.

*Mores ex loco non mutantur.*

*Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quæ cum male haberentur à Pastoribus, in Moyse auxilium inuenere, omni enim neglecto discrimine, eos repulit, nonne cum Ægyptum incoleres, volens subuenire iis qui iniustè ab aliis opprimebantur, eam deserere, tuæ consulens salũti fugã, fuisti coactus? cur nunc cum in Madian saluus & incolumis peruenisti, periculo prætcrito factus prudentior, ab ferendo aliis auxilio 171

D non cessas? nonne mutatio loci etiam morum mutationem inferre deberet? nequaquam ait D. Basil. Sel. oratione 9. in Moys. *interim Moyses locum demutabat, non mores.* S.Basi.Sel.

*Prælatus non solum suos defendere debet, sed etiam iis alimenta præbere.*

*Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quas Moyses defendens adaquauit, etiam oues earum, nonne satis erat cum periculo suo ab iniustitia Pastorum defendere? cur igitur suum laborem in adaquandis earum gregibus impendit? ipsæmet accepto iam protectionis auxilio, potum eis præbeant, respondet Steph. Cant. in alleg. Tylm. *sic & bonus prælatus subditos suos* 172 Stephan. Cantuar.

*protegere debet, & pascere, vnde sicut dicit Greg. boni prælati per ligna pomifera designantur, lignum enim pomiferum pascit & vmbraculum facit, sic & prælatus suis subditis debet vmbraculum protectionis, & pabulum refectionis.* A

### *Deus suis occasionem exercendæ virtutis præbet.*

173 *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quæ cum aquam canalibus effudissent, adaquandi gregis gratia, tunc superuenere Pastores ejectis puellis, earum labore fruituri, an sine dispensatione Dei hoc contigit, itaut præsente & vidente Moyse, hæc fuerint gesta? nequaquam equidem, sed vt Moyses occasionem haberet exercendæ virtutis, sic enim Deus benefaciendi occasiones nobis obijcit, quamuis plures eam negligant, quemadmodum sacerdos ille & Leuita præterierunt vulneratum ipsis oblatũ, & vix pauci Samaritanum imitantur, qui occasionem nactus benefaciendi, statim vulneratum illum ad se perduxit.

### *Persecutio maxime vtilis.*

174 *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Ad hanc Madianitarum regionem fugit Moyses, cum ad mortem quæreretur à Pharaone, sedebatque inquit textus ad puteum, an in hac quieto indulgebat otio? consulamus D. Greg. Nissen. lib. de vita Moys. *ab eo qui præmio iniuriam afferebat, impulsus ad contemplationem, hac contumelia impellitur, ciuitatum enim tribulationibus relictis, secũ omnino viuere maluit,* an quomodo persecutio quã à Pharaone patienter tolerant, ei vtilissima fuerit? cum sedens quietus vacauerit contemplationi, sed quomodo Madian, ad quam ex Ægypto fugiebat Moyses, iniquitas vel iudicium? cur in huiusmodi terra moratur? si enim deserit Ægyptum quæ interpretatur tenebræ, cur ad terram iniquitatis & iudicij confugit? cõfugit equidem vt non solum in contemplationis vtilitatem cedat persecutio, sed & in peccatorum quæ in iuuentute commissa fuere, dolorem, & in iudicii futuri recordationem. C

Gregor. Nissen.

### *Qui iuxta puteum sacræ scripturæ sedet, eximia non potest non operari.*

175 *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quæ cum gregem vellent in canalibus adaquare, conciuntur à Pastoribus, quod conspicatus Moyses tantam puellis iniuriam inferri dissimulare non potuit, sed solus eos aggreditur, eos superat, & expellit: vnde tanta animi magnitudo, vt solus contra plures contendens, eis superior euaserit? quid dicitur de Moyse? sedebat iuxta puteum, quo sacræ scripturæ denotantur, iuxta illud Cant 4. fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ verba exponens D. Greg. Mag. in cap. 5. Cant. ita infit, quid per puteum nisi sacra designatur scriptura, quæ sic aquam sapientiæ generat, vt & potantes semper reficiat, & tamen manare non desistat? quid mirum igitur si Moyses iuxta puteum sedens, omnibus superior euadat? qui enim iuxta puteum sacræ scripturæ moratur, eximia non potest non operari, quod annotauit S. Ephrem. de patient, & compunct. *disserunt de Moysis gratia, quæ refulget in mentibus sanctorum tuorum Domine, cum virtutum matrem à simulatione alienam charitatem inductæ sunt, quocirca omni labore ac studio amo diuinarum literarum audire dogmata, comede quotidie panem quem diuina largitur sapientia, & bibe aquam ex spirituali scaturientem petra, vt mens tua corroboretur.* B

Cant. 4. S. Greg. Mag

S. Ephrem

### *Mira est vis pulchritudinis & eloquij.*

176 *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quas à Pastorum violentia eripuit Moyses, quod equidem miror, nam pauci non erant, & laboribus assuefacti, non est dubium quin viribus pollerent, quomodo vnus his omnibus superior euadit? quomodo tot fortissimi vnius cedunt robori? ne robori dicas cessisse, sed eius eximiæ pulchritudini & eloquio, quo victi à canalibus discessere, quod credit Abul. *Licet Moyses esset vnus & Pastores essent multi, ita reuerendus erat & elegantis formæ & diserti eloquij, vt eo insurgente, omnes tanquam Domino cesserint.*

Abul.



## *VARIETAS LECT. Vers. 18. & 19.*

*Vulg.* Quæ cum reuertissent ad Raguel patrem suum, dixit ad eas cur velocius venistis solito? D

*Ser.* Quid festinatis venire hodie?

*Vulg.* Responderunt, vir Ægyptius liberauit nos de manu Pastorum, insuper & hausit aquam nobiscum, potumque dedit ouibus.

*Cald.* Eruit nos è manu Pastorum, & insuper hauriens hausit nobis, & adaquauit oues.

## EXPOSITIO.

*Quæ cum reuertissent ad Raguel patrem suum.* Constat hunc plura habuisse nomina, dictus est enim Raguel, & Iethro siue Iether, & Cynæus cap. 4. alij addunt quartum nomen nempe Obab. Iudic. 4. sed Obab longe alius videtur fuisse ab eo, nam Obab socius fuit peregrinationis Israëlitarum toto tempore, Num. 10. & mansit cum Iudæis, Iethro non item sed postquam Mosy adduxit vxorem & liberos in terram suam retrocessit, Cynæus vero non est nomen proprium, sed & gentilitium, vnde & Heber Cynæi fit mentio in libro Iudicum, qui & ibidem à cæteris Cynæi fratribus suis recessisse dicitur, *cur velocius venistis solito?* quia tardius venire solebant, *vir Ægyptius,* vel ex vestibus, vel ex loquela Ægyptium esse agnouere, *liberauit nos de manibus Pastorum,* qui ne ouibus potum daremus, violenter impediebant, *insuper hausit aquam nobiscum*, ne in haurienda tantopere laboraremus.

CONCEPTVS.

*Paterfamilias filiarum adolescentularum omnes gressus agnoscat.*

177 QVæ cum reuertissent ad patrem suum, dixit ad eas, cur citius solito venistis? Moyses enim rusticitatem & iniuriam Pastorum repellens, iuuenculis adaquandi copiam permittit, imo etiam eis aquam hausit canalibus effundendam, & ideo citius solito rediere, sed cur pater qui pascendis gregibus suis filias præfecerat, simul omnes illarum morulas considerat, itaut quia citius solito venerat, sciscitetur? quia verus pater familias filiarū omnes gressus & passus debet habere trutinatos, adeout omnes illarum morulę vel festinationes illum non lateant, quod optime obseruauit Lipp. *Boni patris familias est curare, si sedula sit familia in agendis, morarum quoque causas inquirere maxime filiarum*, præclari parentes qui adeo filialibus custodiendis inuigilant, adeout earum extra domum gressus numeratos, & ponderatos habeant, vt nec parua morula nouiter accidere posset quæ fugeret patris censuram. Lyppom.

*Beneficia silentio non obuoluenda.*

178 *Quæ cum reuertissent ad patrem suum.* Qui ab eis sciscitatus, cur citius solito domum petiissent, illæ hominem Ægyptium sui liberatorem inuenisse referunt, qui greges suos ad aquas duxerat, qui Pastores qui sibi impedimento fuerant, ne gregibus potum præberent, eiecerat, cur in hominis alienigenæ laudibus referendis ita attentæ? quia beneficia à quocumque sint accepta silentio non sunt obuoluenda, *enarranda sunt*, inquit Oleast. *beneficia in nos collata cum benefactore, et qui potest, & debet remunerare.* Oleast.

*Virgo vere regia est, quæ beneficos iuuenes citius fugit.*

179 *Quæ cum reuertissent ad patrem suum.* Qui cum interrogasset, cur cito regressæ fuerant, properati regressus causam reddidere, *vir Ægyptius liberauit nos de manu Pastorum, insuper & hausit aquam nobiscum potumque dedit ouibus*, hæc nulla causa citati regressus videtur esse, nam quia nactæ fuistis hominem officiosum, cum eo detineri, cum alloqui, ei pro collato in vos beneficio gratias referre deberetis, quæ enim puellæ non detinentur ab officiosis iuuenibus? sed cuius filię erant hæ virgines? sacerdotis Madian, Cald. principis Madian, alij Regis, quid mirum igitur licet hominem beneficum & officiosum inuenerint, cum eo non detineri? quia horum officiis detinentur mulierculæ, non vero Regiæ fœminæ, puella enim regia & casta quæ pudori & honori studet, à nullo citius discedit, quam à iuuene, quem officiosum experta est, hinc virgines monebat D. Greg. Nazian. in præceptis dicens, *à cunctis abscede viris, sed maxime illis quos significatos nos de more vocamus*, significati autem sunt officiosi protectores & defensores, qui maxime inter alios debent esse suspecti virginibus. Nazian.

A

*Non sexus teneritudo emollit animos, sed cultus corporis delicatus.*

*Quæ cum reuertissent ad patrem.* Obtenta à Pastoribus victoria, licet enim Moyses pro eis pugnasset, illæ etiam eis timorem augere potuerunt, nam formidolosius est exercitus ceruorum, duce Leone, & sine dubio viriliter restiterunt, quomodo fœmineus sexus & qui vt plurimùm mollis & delicatus est, potuit cum hominibus & his pastoritia arte exercitatis, contendere? quid de huiusmodi virginibus dicitur? quod pascebant oues patris sui, licet principis, ne eas igitur molles & delicatas nominemus, quamuis fœminæ sint, quia non sexus teneritudo emollit animos, sed cultus corporis delicatus, pulchre D. Chrys. hom. 30. in cap. 11. ad Hebræos rationem infirmitatis fœmineæque mollitudinis reddens ait, *vnde putatis, aut ex qua ratione mulieres sic esse debiles & infirmas? num ex conditione sexus tantum? nequaquam, sed etiam ex conuersatione & educatione, quod enim sub vmbraculis degunt, quod oleo vnguntur, quod frequentibus lauacris vtuntur, quod assidua vnguentis abundantibus perfunduntur, & iacent in straminibus delicatis, hoc est quod eas tales efficit: quod verum & certum hoc sit attende, mulieres quæ in agris degunt vitam, fortiores namque viris sunt, qui sunt in ciuitatibus constituti & si eas permittas cum illis athletico more certare, multos huiusmodi viros illæ sine dubio superabunt.* Non sexus teneritudo emollit fœmineos animos, sed cultus corporis delicatus, sed vita in delitiis transacta. 180 S.Chrysost.

B

C

*Impij habent odio bonos eo quod boni sunt.*

*Quæ cum reuertissent ad patrem*, conquesturæ de violentia sibi illata à Pastoribus: sed cum sexui fœmineo quilibet soleat esse vrbanus, & nullus nisi grauiter ab eo offensus, in eum non insurgat, quomodo Pastores nulla accepta ab eis iniuria, ipsis molestiam inferunt? cuius erant filiæ? sacerdotis Madian; quo nomine nō debemus intelligere nisi virum probum, ne inquiras ergo cur hi Pastores violenter reiiciunt virgines à canalibus, ne greges suos possent adaquare, quia impij, sicut erant hi Pastores, odio habent bonos, vel quia boni sunt, vel quia descendunt à viris probis. mens est Lipp. *vide iniquitatem Pastorum, reiiciunt nulla legitima causa, sed mera tantum lasciuia & petulantia puellas à potandis gregibus suis, vel quod puellæ propter imbecillitatem virium suarum iniuriæ facile paterent, vel quod homines impij sacerdotem patrem puellarum oderant.* 181 Lippi.

D

*Virum probum & sapientem maxime dedecet, quod verbis contumeliosis vtatur.*

*Quæ cum reuertissent ad Patrem.* Encomiis Moysem apud Patrem celebrarunt, quod eius auxilio à Pastorum violentia ereptæ fuerint, & quod gregibus suis adaquandis aquam canalibus effuderit. Sed ò Moyses, pro iniuria virginibus illata ab huiusmodi inurbanis Pastoribus nonne grauiter & dure eos lacessisti? cur eos iniustos, inurbanos, viles & abiectos 182

*[illegible] , non dici nequit quantum per horas fere in hac vniuersi cura [illegible] , vt a felicissimis [illegible], nimirum qui fuere egressi int [illegible] commune, summam beatitudinem existimant, summam potestatem, hoc ipso satis miseriores, quod parum intelligunt inquietissimos se subiacere famulatui, maximus ille nuncupatus Augustus, ac sub hac specie palatinis liminibus inclusus ante crepusculum ingemuit, quod ad vota peruenerat,* & merito, nam quis numeret curas, sollicitudines & metus gubernantium?

*Bona ingratis collata pereunt.*

133. *Quis te constituit iudicem & principem super nos?* Ad concordiam cum fratre tuo cum quo erat tibi contentio, voluit te reuocare, tuas lites componere, tui defensor populi, vt tibi compertum est ex morte illata Ægyptio Hebræum iniuste percutiente: cur ergo iudiciariam eius potestatem non agnoscis? cur eum alieno fungi officio arguis? nonne potius pro beneficio in populum tuum collato, gratias immortales referre deberes, & pro eo quod tibi vult impendere, ingratus es? & quid mirum quod eum non agnouerit? beneficia enim ingrato collata pereunt. Sicut optime aduertit Tertul. lib. de pœnit. cap. 2. vbi ait *quantulum dispendij si ingrato benefeceris*, quod etiam dixit D. Bernard. ser. 2. in cœna Domini, *nunquam* (inquit) *non perit quod datur ingrato.*

Tertullian.

D Bernard.

*Christus non vult esse Iudex ad diuisionem, qui venerat ad vnionem.*

*Quis te constituit principem & iudicem super nos?*

134. Ecce Moyses reijcitur iudex ab Hebræo, cum eius rixas vellet componere. Iudiciaria ergo potestate in eum vti volebat Moyses, sed quæso expendamus locum Luc. 12. nempe quod quidam de turba dixit Christo D. magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem, at ille dixit ei, homo quis te cōstituit iudicem, aut diuisorem super nos? super quæ verba Tertul. contra Marci, cap. 28. ex Marco referens ait, *ecce plane diuersum exemplum*, Moyses rixantibus fratribus vltro intercedit, & iniuriosum increpat, quid proximum tuum percutis? & reijcitur ab illo: Christus vero postulatus à quodam, vt inter illum & fratrem ipsius de diuidenda hæreditate componeret, operam suam & quidem tum probæ causæ denegauit: cur ô Christe saluator fieri iudex ad diuidendam hæreditatem noluisti, cum omnium sis iudex supremus? scio quid doctè respondeat B. Amb. lib. 7. in Luc. in cap. de respons. Domini, bene terrena declinat qui propter terrena non descenderat, nec iudex dignatur esse litium, & arbiter facultatum viuorum, habens mortuorumque iudicium, meritorumque arbitrium, non igitur quid petas: sed à quo postulas intuendum est, nec maioribus intento animo putes minoribus obstrependum, vnde non immerito refutatur hic frater, qui dispensatorem cœlestium gestiebat corruptibilibus occupare, cum inter fratres patrimonium non iudex medius, sed pietas debeat sequestra diuidere, quamquam immortalitatis patrimonium non pecuniæ sit hominibus expectandū. Dicamus etiam quod quasi iudex tunc noluerit esse, quia non ad diuisionē, sed ad vnionem venerat, quod optime annotauit Albert. Mag. *Hic [illegible] quia ab vnitate & communione [illegible] recedere voluit, apud vnitatis & communionis auctorem hæc terra venabiliter proposuit, & ideo [illegible] tacet meruit.*

Luc. 12.

Tertullian.

D. Ambros.

Albertus Mag in ca. 12. Luc.

*Inter pessimos semper periclitantur optimi.*

135. *Quis te constituit principem & iudicem super nos?* Deinde audito quod te occidisse Ægyptium compertum esset, timuit, nonne iustissime occidisti, cum iudiciariam haberes potestatem? quis autē timere debet cum aliquid recte gesserit? atque nullo metu percellitur propter actum iustitiæ quem exercuit, sed quia inter pessimos semper periclitantur probi, sic autem ait Lipp. *Timuit ex iusto opere propter iniustos homines, semper enim periclitantur inter pessimos optimi & leuis occasio arripitur contra eos.* quotidianum esse malum asserit D. Amb. libro de Nabuth. cap. 1. dicens, *non vnus Achab nascitur, & numquam huic sæculo moritur: vnus occidat, assurgunt plurimi, non vnus propter Nabuthe occisus est, quotidie Nabuthe sternitur, quotidie pauper occiditur, perpetuæ inimicitiæ durant in. er iniustos ad iustos.*

D. Ambros.

*Impij timidi.*

136. *Quis te constituit principem & iudicem super nos?* Deinde ei obijcit cædem Ægyptij quo audito, timuit, quia vt diximus, optimi inter pessimos periclitantur. sed qua de causa ad infligendum malum viris iustis & optimis impij congregantur, vniuntur? sane id ex timiditate prouenire arbitror, est enim timida nequitia, vnde B. Amb. in offic. cap. 3. loquens de impiorum natura ait, *mens praua metuit, ne sibi ab aliis inferatur quidquid contra proximos excogitat:* & B. Bernard. de vita solit. ad fratres de monte Dei, *malus* inquit *homo numquam tute secum habuit, quia cum malo homini habitat, & nemo molestior ei est quam ipse sibi.*

D Ambros.

Bernard.

*Impij sua vellent impunita manere delicta.*

137. *Quis te constituit principem & iudicē super nos?* Licet super te iudex non esset constitutus, cum te alterum percutientem iniustè viderit, nonne licitum ei est te reprehendere? verum fateor, sed impius sicut vellet sua impunita manere delicta, ita & irreprehensa, *in hoc ostenditur*, inquit Oleast. *impios nolle principem & iudicem habere, malaque sua impunita fore desiderare.*

Oleaster.

*Qui alios in concordiam reuocare student sæpe ab ijs male afficiuntur.*

138. *Quis te constituit iudicem & principem super nos?* Deinde cum accusat homicidij, nonne eo fine te arguit, vt omni alieno deposito odio, ad vnionem cum fratre redeas? cur ergo in bene consulentem insurgis? cur homicidij arguis? cur potius ei non refers gratias? quia hoc commune malum, vt sæpius qui alios in concordiam reuocare student, ab ijs male afficiantur, *hoc est minus*, prosequitur Oleast. *quod referunt, qui inter discordes componunt, dura verba, obiectionem occulti criminis & non nunquam ab vtroque discordantium percutiuntur.*

Oleaster.

*Impij correctionibus meliores non fiunt.*

139. *Quis te constituit principem super nos?* Et quasi non satis esset exprobrasse, quod nullā habēs iudiciariam potestatem, ea tamen fungeretur, eum etiam tanquam homicidam accusat, nonne cum ex zelo iustitiæ argueret? nonne vt suas lites

componeret, rixasque dirimeret egressus ex palatio fuerat: quomodo igitur eum appetit? in eum inuehit? quis ille? nonne impius: nam vbi habemus dixit ei qui faciebat iniuriam, quare percutis proximum tuum. Arias ex Hebræo legit dixit ad impium, quid mirum igitur non resipuisse, impii enim correctionibus non fiunt meliores: *Beneficium agnoscit*, inquit Lypp. *reuicit Moysem, & accusat ipsum homicidii*.

Lyppom.

### *Impii etiam coguntur hominem Zelo iustitiæ accensum, futurum gubernatorem agnoscere.*

140. *Quis te constituit iudicem & principem super nos* cur non ais in numero singulari super me? alius enim qui iniuria affectus non conquerttur, nec tanquam iudicem respuit: nonne Zelo iustitiæ accensus Moyses obiurgauit Hebræum alterum? bene ergo, quamuis non animaduertens, in numero plurali Moysem alloquitur de iudicio communi, & principatu super eos sermonem instituens, quia impii etiam coguntur hominem Zelo iustitiæ accensum, agnoscere gubernatorem: ita sentit Procop. *Omen erat ipsum futurum iudicem populi Israelitici occisis Ægyptiis, proinde contumax ille Hebræus numero plurali alloquutus est Moysem, quis te nobis præfecit iudicem & principem?*

Procop.

### *Iudæus ingratissimus.*

141. *Quis te constituit principem & iudicem super nos?* Deinde eũ accusat homicidij, quis nã est ille cõtumax accusator? scio quosdam respondere fuisse Datã vel Abirõ, sed Procopius existimat eũ fuisse quem liberauerat ab Ægyptio, cum ab eo percuteretur: quomodo cum vita tibi auxilio Moysis seruata fuerit, eum homicidam nominas, quem vt Saluatorem revereri deberes? nullo enim maiori alicui obstringimur, quam ex vitæ conseruatione, iniuriis tamen eum afficit, nec miror: Iudæus enim ingratissimus, *cæterũ* (inquit cit. Procop.) *Contumax ille nimirum is erat quem liberauerat de manu Ægyptii Moses cæde perpetrata.*

Procop.

### *Licet aliquando superiores etiam cum vitæ discrimine suo munere recte funguntur, summã inuidiam sibi conciliant.*

143. *Quis te constituit principem & iudicem super nos?* Deinde eum contumelia afficit, homicidii accusans, dicensque aliam adhuc in eum cædem moliri: nonne aulæ regiæ valedixit Moyses, vt vobis subueniret? nonne elegit potius vobiscum aduersa tolerare, quam filium filiæ Regis vocari? nonne etiam cum vitæ suæ discrimine vobis subuenit? ecce enim ad necem quæretur, quia Ægyptium Hebræi percussorem occidit. quomodo cum igitur iniuria & contumelia afficis? sane quemadmodum Moses omnium eorum qui fidelissimè & diligentissimè suo munere, maximo etiam vitæ suæ discrimine, funguntur, forma est, ita vnus ille improbus Israëlita contumeliose in Moysen inuehens, ingenij omnium ferme hominum simulachrum est, qui contumeliosius, suos magistratus & vtriusque ordinis superiores tractant quo illi salubrius ipsis consultum cupiunt. Hæc est fortuna quamplurimorum publicæ vocationi syncere seruientium, vt summo labore & fidelitate summam inuidiam & aduersa quæque sibi parent: nam quod Mosi accidit hoc ipsum multis aliis, sed inter alios vnum in medium adducam Belisarium, qui cum magnus fuisset copiarum ductor pro imperio Romano, qui formidabilem C... Persarum Principem exterruerat, qui Reges seruitutis iugo subjecerat, qui gladio tot Lybiæ nationes domuerat, vir denique mauortius & in prælius animo Leonino prædirus, dolis tandem eorum quibus benefecerat, circumuentus, in ruinam indignam & lachrymis dignam incidit, quam Ioannes Græcus auctor Iambis describit, apud Cardin. Baron. ad annum Christi 561. Ioannis Papæ 3. & Iustiniani Imper. 33.

Ioannes græcus auctor.

*Iste Belisarius Imperator magnus,*
*Iustinianeis existens temporibus Imperator,*
*Ad omnem quadrantem terræ, cum explicuisset*
*Victorias, postea inuidia excæcatus, ó fortunam instabilem!*
*Poculum ligneũ detinens, clamabat plebi in stadio;*
*Belisario obolum date Imperatori.*
*Quem fortuna quidem clarum fecit, excæcauit inuidia.*

Alij dicunt Chronici, non excæcatum fuisse hunc, ex honoratis autem infamem profecto factum esse.

### *Nihil occultum, quod non reueletur.*

*Quis te constituit principem & iudicem super nos?* 143.
Imo contentiosus ille Israelita homicidij reum agit, qui cum capitis sui periculo populi salutem studebat tueri. sed à quo Moysis factum maledicentissimus ille Israelita didicit, cum neminem circumspexisset Moses cum occidit Ægyptium, itaut admirans dixerit, quomodo palam factum est verbum istud? sed id non inquiras, quia nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur. Matth. 10. *Duo proponit*, inquit Paschas. lib. 6. in Euang. Matt. *opertum & occultum, quia nihil in carne aut anima geritur, quod non reueletur aut nesciatur, reuelanda sunt autem illa quæcumque perpetrata sunt & commissa, scientur vero quæcumque fuerint cogitata.*

Matth. 10. Paschas.

### *Qui alios corrigit, seipsum emendare debet.*

*Quis te constituit principem & iudicem super nos?* 144.
temerarium de illo fert iudicium, nam ex ordinatione diuina, ex inspiratione superna, habuerat iam quandam auctoritatem corripiendi, & iudicandi Hebræos. Sed audiamus quid illi obiecerit? num occidere me tu vis sicut heri occidisti Ægyptium? cur hoc ei homicidium obiicit cum eum ad concordiam & vnionem reuocare nititur? quia sane qui cædem in alium molitus est, alium de rixis & contentionibus arguere non deberet: vnde Dionys. Carth. *Quasi dicat*, inquit, *tu es violentus & homicida, idcirco emenda teipsum*, alienum est à sensu alium velle arguere, in aliquo delicto, cuius etiam & grauioris ipse est conscius.

Dionys. Carthus.



## VARIETAS LECT. Verſ. 15.

*Vulg.* Audiuitque Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moyſem, qui fugiens de conſpectu eius, moratus eſt in terra Madian, & ſedit iuxta puteum. A

*Sep.* Audiuit autem Pharao verbum illud, receſſit autem Moyſes à facie Pharaonis, & habitauit in terra Madian, veniens autem in terra Madian, ſedit ſuper puteum.

## EXPOSITIO.

*Audiuit Pharao ſermonem hunc*, per aulicos qui ad eũ cædem Ægyptij retulerunt, *quærebat oc. idere Moyſem*, iam ante ſuſpectam habens eius virtutem & magnanimitatem, *qui fugiens de conſpectu eius*, per deuia ne inueniretur, *moratus eſt in terra Madian*. D. Hier. in locis Hebraicis geminam agnoſcit Madian, alteram trans Arabiam ad meridiem in deſerto Saracenorum, contra orientem maris rubri, vnde vo- Hieron. B cantur Madianæi & Madianæa regio, ab vno filiorum Abraham, & Cethurà, ſic vocata, de altera vero ſubdit', legimus & filias Obab ſoceri Moſis filias Madian. Sed hæc alia ciuitas eſt ὁμώνυμος eius iuxta Arnonem & Areopolim, cuius nunc ruinæ tantummodo demonſtrantur, *ſedit iuxta puteum*, ad quem conuenire ſolebant paſtores vt greges ſuos adaquarent.

## CONCEPTVS.

### *Aulici apud principem de aliis conqueruntur.*

145. *Audiuit Pharao ſermonem hunc.* A quibus audiuit? ſane ab aulicis. Cur ad eum quæ ingrata ſibi ſunt futura referunt? cur defectus aliorum regi aperiunt? quia aulici nacta occaſione apud principem, vt iuſti & conſcientiæ timoratæ cenſeãtur, de aliis conqueruntur. *Hanc occaſionem*, annotat Philo lib. 1. de vita Moyſis, *nacti purpurati & ſuſpectum habentes iuuenem, quem norant aliquando exacturum pœnas præſentis crudelitatis, quam plurimum potuerunt patulas eius aures impleuerunt plurimis calumniis, hinc inde inſuſurrantes vt de amittendo principatu reddiderint ſolicitum.* Philo.

### *Aulici mendaciis alios apud principem appetunt.*

146. *Audiuit Pharao ſermonem hunc*, nempe occiſum à Moyſe Ægyptium. An quæſo hanc ſolum Ægyptij cædem ab aulicis ſuis accepit? non equidem, imo plurima confingunt mendacia, quibus exoſum & ſuſpectum regi reddant iuuenem, *dicebant*, enim inquit Philo. *Te ipſum aggreditur, nihil mediocre ſapit, ſemper molitur aliquid, ante tempus ad regnum aſpirat, aliis pollicetur, alios territat, indemnatos interficit, quo quis eſt tui amantior, eo magis eum perſequitur, quid cunctaris? an vt quod conatur efficiat, proderit inſidiatori hæc dilatio.* Cit. Philo.

### *Princeps delationum amator, adulatores impios habebit aulicos.*

*Audiuit Pharao ſermonem hunc.* Nonne maxima cum circumſpectione cædem Ægyptij perpetrauit, ne quis illius eſſet teſtis aut accuſator poſſet eſſe, huc illucque enim prius attẽtè reſpexit, quomodo ergo homicidium huiuſmodi Ægyptii ad aures regis potuit peruenire, itaut hoc audito mortem nepotis moliretur? quid ait textus? audiuit Pharao: vbi autem princeps delationum eſt amator, nequit fieri quin plures adulatores aulici inſurgãt, qui occultiſſima quæque ſine vlla veritatis diſcuſſione, imo mẽdaciis obuoluta referãt, vnde princeps ſic ſe gerere debet, vt calumniatorum mendacia ſibi perquam inuiſa eſſe nunquam non oſtendat, ita ſuadet Baſilius Imperator Leoni filio in libello exhortationum cap. 55. *Præbere aures auditioni vanæ noli, & calumniatores in ſinu tuo ne foue, & improbis ne temere crede: iſti enim ſæpius viros bonos ſolent affligere, & propria impietatis iras euomentes, innocentis ſanguinis reum te conſtituent, aut ſuſpectum reddent quaſi improborum conſuetudine gaudeas, quibus* C *enim conſueſcere familiariter lætaris, & quibus fidem adhibere ſoles, eorum mores tu quoque habere non immerito iudicaberis.* Baſilius Imperator

### *Princeps qui aulicos fallaci aſſentatione blandientes habuerit, improbos præfectos habebit.*

*Audiuit Pharao ſermonem hunc*, nempe Ægyptium interfectum fuiſſe à Moyſe. Sed quis ille Ægyptius? cenſet Philo, cum pluribus fuiſſe præfectum à Rege conſtitutum, vt miſeros Iudæos excruciaret: ſed an ſolus ille? non equidem, ſed omnes alii erant eiuſdem impietatis & immanitatis: inter præfectos, inquit cit. Philo, quidam efferati rabie, nihil differentes à venenatis D carniuoriſque beſtiis, humana ſpecie belluæ, ſub qua mores ferinos celabant, ferro adamanteque duriores: quomodo tot impiis præfectis ſcatet Regis familia? quid ait textus? vt audiuit Pharao, princeps enim qui detrectationibus delectatur, qui gaudet adulationibus, & eorum ſermones, qui aliorum famam & honorem iniuſte violant, ſibi probari annuit, nullum niſi improbum rei gerendę pręficiet, ita Rodolphus in Prouerb. 29. num. 13. qui ſic ait, *vbi ſemel corruptus eſt Regis anim⁹, & improbus effectus, vt nolit audire veritatẽ, miniſtri eius qui ex eo pendent, qui non videntur alium habere* 148. Rodolph.

*Deum, tantopere student placere Regi, vt nunquam veritatem præsente Rege loquantur, atque ea ratione improbi euadunt in Regem & rempublicam peccantes, imo maxime in Deum qui ipsa veritas est, ea ratione quoque opprimuntur boni & innocentes viri pessimique ad publicas functiones vocantur, iustitiá oppressá, pessum eunt omnia.*

### *Nullum apud Reges sit malum impunitum.*

149. *Audiuit Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysem.* Nonne filius filiæ tuæ censetur, & sic tuus nepos habetur? nonne ab omnibus tanquam legitimus regni successor, & hæres creditur? quomodo ergo si vnicum hunc habes hæredem, vitam ei moliris adimere? audiuit suorum interfectorem, Moysem suæ bono reipublicæ aduersarium, suarumque legum contemptorem: in hoc ergo eum vituperare non deberemus, quod hominem homicidam ad mortem requisisset, apud Reges enim nihil impunitum debet manere, *nullum debet esse malum,* Oleast. inquit Oleast. *ignotum Regi aut impunitum, quorum omnium male gestorum ab eo exigenda est ratio.*

### *Aliquando ad tempus persecutionem licet fugere.*

150. *Audiuit Pharao sermonem hunc.* Tunc in Moysem odium concepit vehemens, itaut statueret ei vitam adimere, quod cum compertum fuisset Moysi, timuit & fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian, nonne Paulus ad Hebr. 11. Hebr. 11. planè contrarium sentire videtur? ita enim scribit, fide reliquit Ægyptum, non veritus Regis animositatem: si ergo Moses fatetur hic se timuisse, quomodo scribit Apostolus Pharaonem non veritum fuisse? timere autem & non timere contradictoria esse videntur. Aduerte duo in timore esse distinguenda, quorum vnum vituperabile est, metus videlicet causa aut malum facere aut bonum omittere, alterum salua fide & sine detrimento proximi, fugere ad tempus instans periculum, & hoc laudabile est, & à Domino nostro & verbis commendatum, & præcepto præscriptum, exemploque suo confirmatum: quo posito dicamus non timuisse idest causam metus non habuisse, timuisse autem hoc salua fide ad tempus persecutionem fugisse, mens est S. Thom. in prædictum S. Thom. Angelicus. caput epist. ad Hebr. *Dicendum quod in timore duo sunt consideranda, & vnum est vituperabile si propter timorem aut fiat quod non est faciendum, aut quod est faciendum non fiat, & sic non timuit Moses, quippe qui propter timorem non omisit iuuare fratres suos: alterum est laudabile si quis salua fide refugiat periculum instans: sicut Dominus præcepit discipulis* Math. 10. *suis* Matt. 10. *cum persequentur vos in ciuitate ista fugite in aliam: si quis enim salua honestate sua posset vitare periculum, & non vitaret, stultus esset, & tentaret Deum.*

### *Qui virtutem sequitur, tentationibus variis probatur.*

151. *Audiuit Pharao sermonem hunc:* Ecce ilico struit ei insidias, mortem ei molitur, fugit & moratur in terra Madian, suis destitutus, nonne ille est qui ab omnibus in aula regia summo habebatur in honore? qui omnibus Ægyptii thesauris abundabat? cui nihil quod ad fœlicitatem humanam conferre poterat, deficiebat? quomodo timidus fugit & tanquam reus capitis quæritur? quia qui virtutem solide amplectitur, qui pietatem sequitur, variis tentationibus probatur. *Obserua obsecro* (inquit Lyp- Lypsom. pom.) *in Moyse quid accidere solet his qui derelicta impietate, sectantur vocationem Dei, Moyses enim dereliquit aulam regiam, in qua videbat se non posse pie viuere, & coniunxit se cum Israelitis vt vocationem Dei sequeretur, mox igitur coeriuntur in ipsum quasi collecta manu paupertas, ignominia, contemptus non ab Ægyptiis tantum, sed etiam à suis Israelitis, ad quos liberandos aulam reliquerat, insidiæ Regis, pericula mortis, fuga, exilium, & quidquid est huiusmodi calamitatum, solemne est vt qui relinquit impietatem & sectatur vocationem Dei, maximis statim periculis & calamitatibus obiiciatur.*

### *Vir iustus exilium non agnoscit.*

*Audiuit Pharao sermonem hunc.* Et ilico in 152.
Moysem mortis sententiam tulit, quod cum ad eius aures peruenisset, fugit, & in terra Madian commoratus est: quis non arbitratur Moysem in terra aliena vitam cum exilio ducere? in Ægypto enim natus & nunc degens inter Madianitas, exul censebitur, sed qui hac cogitatione ducetur, toto cœlo aberrabit, nam vir iustus nusquam est exul, in carne enim vbique est peregrinus: ita D. Basil. teste Nazian. S. Basilius.
orat. 20. quæ est de laudibus Basilii. *Exilium non cognosco qui nullo loco circumscriptus sum, ac nec terram hanc quam nunc incolo meam habeo, & eam omnem in quam proiectus fuero promea duco, imo vt rectius loquar, vniuersam terram Dei esse scio cuius aduena sum & peregrinus.*

### *Cum aliis nos exosos esse cognouerimus, abeamus.*

*Audiuit Pharao sermonem hunc.* Quo audito, 153.
Moysem ad supplicium petit, fugit ille & in terra Madian moratur, cur fugæ te committis? dedecet enim virum magnanimum fugere, tum nonne excusatum te habere potes apud Regem, qui auditis tuis rationibus cædem Ægyptii tibi condonabit? vita enim tua illius debet esse charior. Sed videamus quibus exosus est Moyses, sane primo Ægyptiis, qui eum apud Regem calumniati fuerant, deinde Hebræis, qui alienum exprobrant homicidium, qui eum principem & iudicem habere renuunt: fugiat ergo si tot hominibus exosus est, cũ enim nos agnouerimus ab aliis odio haberi, discedere debemus, vnde Procop. *Quid agit Moyses videns se esse tum* Procop.
*Ægyptiis tum Hebræis inuisum? profugit ad gentes ingressus Arabiam.*

### *Ingratus supplicio non caret.*

*Audiuit Pharao sermonem hunc.* Cui consen- 154.
sum præbens, indignumque iudicans auctori-

tate regia si Moysis crimen maneret impuni- A tum, tunc fugit Moyses, timiditati & pusillanimitati hanc fugam adscribam? quis enim liberator populi in Deo confidens dubitaret in Ægypto manere etiam Rege persequente, præcipue cum futurus Regni successor ab omnibus est proclamatus? sed non sine Dei speciali prouidentia Moysē se fugæ cōmisisse asseramus, sed vt populi ingratitudo puniretur, potuisset enim plurima bona Israëlitis præstare, sed quia indignos Dei beneficiis & bona voluntate Mosis se reddiderunt, auferetur ab eis destinatus liberator: nam quadraginta annos exulauit, quorum curriculo vniuersus Israëlitarum cœtus iustum Dei iudicium in Pharaonis tyrannide expertus est, qua primo liberari potuissent, nisi Mosem repulissent.

*Deus suis vult vxores coniungi non incognitis moribus.*

B

155. *Audiuit Pharao sermonem hunc.* Ira accensus supplicium mortis à Moyse sumere tentat, fuga quærit salutem, sed quo fugit? Madian, an sine Dei dispensatione factum est vt potius in hanc quam in aliam fugeret terram? non sine mysterio inquit Lyppom. Sed quò ô Lyppom. in consulto enim Madianæam petiit regionem, respondet, *ad Madianitas fugit, progeniem quippe Abrahæ ex Cethura & Lot, vt inde sumeret vxorem sibi conuenientem, & ex progenie sua, & vt inde influxum ac robur regionis illius susciperet.*

Lyppom.

*Deus suis consulit viâ nobis incognita.*

156. *Audiuit Pharao sermonem hunc.* Et Moysi struit insidias, ad mortem quærebat, qui fugit in terram Madian, liberator populi futurus cogitur fugere, quis credidisset eum liberaturum populum? poterant Israelitæ nonnullā de eo spem habere, cum tam mirabiliter à Domino præseruaretur à submersione, item cum tantæ esset in aula Regis auctoritatis, item cum tanto animi Zelo Ægyptium interfecisset, nunc autem confugere cogitur, & ad mortem tanquam reus quæritur, nonne omnis spes eorum peribit? sed bene in Deo sperantibus perire non debet, liberatorem enim hunc obtinebunt; sic enim Deus suis prouidet eā via quam nulla sapientia humana potest pertingere.

*Prudenter quæ meditati sumus, prosequamur.*

*Audiuit Pharao sermonem hunc.* Sollicitantibus & irritantibus eum aulicis, ad supplicium quæritur, itaut minimo minus abfuerit à pernicie, opprimendus dubio procul, nisi rem olfaciens, in ipso mortis articulo, se clam subduxisset. Sed nonne Rex eum insequi suis præcipere potuit? præcepit equidem, quomodo ergo non deprehenditur & adducitur? optime satisfacit Ioseph lib. 2. cap. 5. *Cum vias obseruari intelligeret, per solitudines fugam arripuit, qua eum furum inimici minime suspicabantur,* en quam fuerat fugam meditatus, prudenter prosequitur! 157.

Ioseph.

*Qui peccata sua non cogitant, aliena impatienter sustinent.*

*Audiuit Pharao sermonem hunc.* Nempe Ægyptium à Moyse occisum, quod ferens impatienter, statuit huius cædis pœnam exigere, itane graue delictum censetur à te homicidium à nepote commissum? nonne minuere eius grauitatem deberet hæc circumstantia, nempe quod à Moyse futuro regni successore fuerat interfectus? nonne tu plurimos submergi Hebræorum infantes iussisti? nonne immanitate tua & tyrannide plures ex viris Hebræis perierε? si ergo tot cædes iniuste commisisti, cur vnicum non potes homicidium dissimulare? cur ita graue censes, vt dignum morte iudices? quia qui sua peccata non cogitat, sicut suorum C fuit immemor hic Pharao, aliena sustinet impatienter, quod obseruat S. Prosp. lib. 2. vitæ contem. cap. 4. *Tandiu enim quis peccata sua quæ nosse aut deflere debet, ignorat, quandiu curiose aliena considerat, quod si mores suos ad seipsum conuersus aspiciat, non requirit quod in aliis specialiter reprehendat, sed in seipso quod lugeat: proinde fratrum nostrorum vitia non facile debemus accusare, sed gemere, vt inuicem onera nostra portantes, legem Christi possimus implere, qui vtique non accusauit peccata nostra, sed tulit.* 158.

S. Prosp.



## *VARIETAS LECT. Vers. 16. & 17.*

VVlg. Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam, & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui. D

*Sept.* Sacerdoti Madian erant septem filiæ pascentes oues patris sui Iothor, aduenientes autem hauriebant donec impleuerant canales ad potandas oues patris sui Iothor.

*Cald.* Principi autem Madian erant septem filiæ.

*Vulg.* Superuenere pastores, & eiecerunt eas, surrexitque Moyses & defensis puellis adaquauit oues earum.

*Sep.* Aduenientes autem Pastores expellebant eas, exurgens autem Moyses liberauit eas.

## CONCORDIA.

HÆc dictio כהן cohen aliquando miniſtrum Dei, ideſt ſacerdotem ſignificat, aliquando vero ראש העם caput & magiſtratum populi, in qua ſignificatione hic accepit Cald. Paraphraſtes, vocantur autem magiſtratus & principes כהנים. Sacerdotes etiam in ſcriptu- A ris, eo quod olim vtrumque officium & ſacerdotale & politicum pœnes illos erat, etiam apud Ethnicos. Septuaginta nomen illius ſacerdotis poſuere nempe Iothor, quod tamen non eſt in Hebræo.

## EXPOSITIO.

*ERant autem ſacerdoti Madian.* An iſte ſacerdos fuerit cum ad eum acceſſit Moyſes ſacerdos Idolorum, an veri Dei, adhuc ſub iudice lis eſt, & ideo vtrumque probabile cenſetur, tamen poſteà ad verum Dei cultum conuertitur, *quæ venerunt ad hauriendam aquam,* B quod tunc indecorum non erat filiabus virorum ditiſſimorum, vt patet in Rachele filia ditiſſimi & opulẽtiſſimi Laban, *& impletis canalibus* cum labore, vt *greges patris ſui adaquarent,* ſuperuenere Paſtores & *eiecerunt eas,* nolentes vt ipſæ ſuo labore fruerentur, quæ cum reſiſtere non poſſent abierunt, *ſurrexit Moyſes;* plures exiſtimant cum comitatu diſceſſiſſe ex Ægypto & ideo ſimul cum Moyſe puellas defendiſſe à paſtoribus: *& adaquauit oues earum,* id eſt in hoc laborauit eiectis paſtoribus, vt oues puellarum adaquarentur.

## CONCEPTVS.

### *Sacerdotalis dignitas ſuper regiam.*

159. *ERant autem ſacerdoti Madian ſeptem filiæ.* Cald. erant autem principi Madian, & apud Euſebium lib. 9. de præpar. Euang. cap. vltimo vetus ſcriptor Artapanus appellat eum Regem Arabiæ: dicamus ergo eundem fuiſſe & principem & ſacerdotem eius gentis, ſicut in more fuit antiquitus apud illas gentes, nam & Melchiſedech ſacerdos erat ſimulque Rex Chananæorum, & apud Iudæos poſt captiuitatem C Babylonicam iidem fuere Pontifices atque principes & Reges in populo: ſi ergo hic ſacerdos erat ſimul & Rex Madianitarum, cur noſter Vulg. obuoluta ſilentio regia dignitate, quæ omnibus eminere videtur, quæque apud omnes tantæ eſt æſtimationis & auctoritatis, ſolam ſacerdotalem memorat? quia cum quis duobus titulis nobilibus quorum alter alium ſuperat, gaudet, omiſſo minus nobili, ab alio trahit ſplendorem, ſacerdotalis autem dignitas apud nos regiam ſuperat, vnde S. Ignat. Epiſt. ad Smirnenſes. *Sacerdotium eſt omnium bonorum quæ in hominibus eſt, apex, honora Deum vt omnium auctorem & dominum, Epiſcopum vt principem ſacerdotum, imaginem Dei ferentem, Dei quidem pro-* D *pter principatum, Chriſti vero propter ſacerdotium: honorare oportet, & Regem, nec enim Rege quiſquam præſtantior aut quiſquam ei ſimilis in rebus omnibus creatis, nec Epiſcopo quidquam maius in Eccleſia, omnia igitur veſtra decenti ordine perficiantur in Chriſto, Laici è quorum numero ſunt omnes etiam Reges Chriſtiani Diaconis ſubijciantur.* S. Chryſ. hom. 33. in Matth. Diaconos altaris miniſtros alloquutus hoc ait, *ſi Dux igitur quiſpiam, ſi quis diademate ornatur indignè adeat, cohibe & coerce, maiorem tu illo habes poteſtatem.* Docuit hoc idem exemplo S. Martinus Epiſc. qui cum à Maximo Imperatore, conuiuio exceptus rogaretur pateram à miniſtro oblatam tanquam dignior prius acceptare, & Regi præbibere; obtemperauit Regis petitioni, ſumpſit poculum ac præbibit, *Sed Martinus, vbi bibit,* (verba ſunt Sulpitii in vita Martini cap. 23.) *Pateram presbytero ſuo tradidit, nullum eſſe exiſtimans digniorem qui poſt ſe biberet, nec integrum ſibi fore ſi aut Regem ipſum aut eos qui à Rege erant proximi presbytero prætuliſſet.*

Eusebius. Cæsarienſ. — S. Ignatius. Martyr. — S. Chryſ. — Sulpitius.

### *Regalis dignitas antiquitus ſacerdotalem ſuperabat.*

*Erant autem ſacerdoti Madian ſeptem filiæ.* Cald. erant autem principi Madian. Diximus in præcedenti conceptu, ideo mentionem factam nominis ſacerdotis, non autem Regis, quia dignitas ſacerdotalis regiam ſuperat, ſed hoc quibuſdam difficile videbitur, nam ſi nobilius ſacerdotium quam regium, vnde ſacerdotalis auctoritas regia ſuperior? nam Moſes, Dauid, cæterique Reges ſummis ſacerdotibus imperabant tempore legis & naturæ, non autem tempore gratiæ, hoc verum non aſſeritur. Sed cur potius his temporibus quam illis præferuntur ſummi ſacerdotes regibus, imo & eis imperant? hoc duabus de cauſis eueniſſe arbitror. altera, quia legis & gratiæ conditiones admodum differunt, legis enim tempore, ſicut ipſa lex erat imperfecta, cum neminem ad perfectum duceret, & ſacramenta pariter imbecilla extarent, quia gratiã ex vi ſua non conferebant, ita & ſacerdotium erat imperfectum: econtra gratiæ tẽpore, ſicut eſt lex diuina & ſacramenta gratiam conferunt, ita & ſacerdotium perfectum, qua propter congruè dignitati regali perfectæ tunc, illud imperfectum ſacerdotium ſubijciendum eſt, hinc attendat qui ſcripturarum lectione oblectatur, quare in teſtamento veteri legatur regnum ſacerdotale, in nouo autem dicatur ſacerdotium regale, vt quod illi ſubſtantiuè, nos adiectiuè, & quod ipſi adiectiuè, nos ſubſtantiuè explicemus, quia regalis dignitas quæ apud eos perfecta erat, apud nos imperfectior reddita eſt: & ſacerdotium quod apud 160.

eos imperfectum extabat, nobis perfectissimam eualit: vel dicamus subtilius, lex Moysis lex erat iustitiæ, iuxta illud, *ego Deus Zelotes vindicans iniquitatem patrum in filios*: Lex Christi misericordiæ lex comperitur, Deus enim Zelotes, *pater misericordiarum & Deus totius consolationis*, effectus est: regalis auctoritas, iustitiam expetit, non enim sine causa gladium portat, sacerdotalis misericordiam postulat, *talis enim*, vt testatur Paulus ad Hebr. *decebat vt nobis esset Pontifex, qui posset compati infirmitatibus nostris*. Eleganter igitur iustitiæ tempestate, regalis præeminebat auctoritas, misericordiæ vero tempore, effecta est sacerdotalis dignitas præstantior, si ab illa regia potestate iustitia, ab hac sacerdotali pietas expectanda erat.

Hebr.

*Vile officium non dedignemur.*

161. *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Cald. erant principi Madian septem filiæ, quem principem dixere, quem Regem fuisse aliqui autumant, sed si ita se res habet, quomodo filiæ eius pecoribus pascendis indulgent? quis enim vidit regio genere claras virgines, artem pastoritiam exercere? exercent nihilominus istæ, vile officium non dedignantes. *Honorabilis occupatio erat*, (inquit Abul.) *tempore illo pascere greges, quod patet quia Abraham, & Isaac, & Iacob, filijque eius, & Laban cum filiabus suis qui viri potentes & diuites valde erant occupantur in pastu pecorum, & scilicet pater istarum puellarum vir honoratus erat, tamen filiæ suæ non dedignabantur pascere gregem.*

Abul.

*Virtutis studio nos exerceamus vitium fugientes.*

162. *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Ecce quomodo sacer textus narrat subuenisse Mosem sacerdotis Madian filiabus, nonne dabimus tempus aliquod, & moram Mosi apud Madianitas, antequam officiose eis faueret? quidni? multa enim in textu subaudienda sunt, vbi nempe in Madian cum aliquando moratus fuisset, quieuit, & sedit aliquando iuxta puteum, sed quid in illa quiete agebat? an indulgebat otio? non equidem, sed virtutum studio se exercebat, testis est Philo lib. 1. de vita Moys. *Deum inuocabat, vt alteros Hebræos videlicet è grauissimis calamitatibus eriperet, alteros nihil non per vim agentes puniret, atque ita ipsi duplex gaudium præberet, & mox ipse interim exercebat se in virtutis studio sub ratione magistra, parans se ad optima vitæ genera, actiuum contemplatiuumque simul euoluens Philosophiæ dogmata.*

Philo.

*Vilis animi est cum fœminis contendere.*

163. *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quæ cum canales aquæ adimpleuissent adaquandi gregis gratia, pastores superuenientes eas à canalibus violenter eiecerunt: quinam pastores? non sane alicuius principis filij, sed vilis conditionis homines, cur non nobiles sicut erant filiæ sacerdotis Madian? quia infimi & abiecti animi est, cum fœminis contendere, & eis molestiam inferre, quod testatur Abul. *Vilis conditionis & abiecti animi est, in fœminam velle contendere, quæ infirmioris sexus est nec viro resistere potest.*

Abul.

*Vnus alienigena stans à partibus iustitiæ, quoscumque impios superabit.*

*Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ,* Quæ cum patris ouium curam gererent, exhausta aqua, quantum satis videbatur, gregibus eam potandam in lacunas ad hunc vsum factas, diffundunt, cumque pastores superuenissent, & repellendo puellas sibi aquam vsurparent, Moyses abactis pastoribus, filiabus auxilium præbuit: suppono ex multorum sententia Moysem sine comitatu solum fugisse, (licet contrariam teneat Hugo Victorinus) si solus Moyses peregrinus, hi autem pastores plures, quomodo non solum in illos insurrexit, imo & repulit? nonne pro æquitate pugnabat? quid mirum igitur si eis superior euaserit? vnus enim stans pro partibus iustitiæ, quoscumque impios potest superare. 164.

Hugo Victor.

*Principes non ad delitias, sed ad laborem filios nutriant.*

*Erant autem sacerdotis Madian septem filiæ.* Quæ pascendis gregibus exercebantur, cuiusnam sunt filiæ? sacerdotis Madian, Caldæus, principis Madian, alij, Regis. Cur filiæ principis in aula Regia delicatissime non nutriuntur? cur in saltationibus, quibus magnopere nobilium puellæ student, non exercentur? quid enim laboriosius quam greges pascere? pascant ancillæ ipsæmet filiæ principis in pastu pecorum occupabantur, vt eius exemplo principes non ad delitias sed ad laborem filios nutriant, *obserua hic*, inquit Lyppom. *in filiabus istis veterum principum consuetudinem, hi enim educarunt liberos suos non ad delitias, sed ad laborem, & tanto honestius, duxerunt sibi laborare, quanto id ordinationi diuinæ & naturæ humanæ magis quam otio indulgere conuenit.* 165.

Lyppom.

*Inter castos, vel minimum cauendum est, quod ad impudicitiam prouocare potest.*

*Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quas cum vidisset male à pastoribus impediri, ne suos adaquarent greges, eas à pastorum inurbanitate deffendit, ita vt possent potum præbere suis gregibus, puellæ accepto beneficio nullum verbum officiosum, nullum vrbanitatis obsequium, inter eas & Moysem intercedit, cur defensorem vestrum non salutatis? cur pro accepto beneficio, nullæ à vobis gratiarum actiones redduntur? timentur inter castos vel vrbanæ salutationis obsequia, vt quæ possent læthales flammas accendere, huc respiciebat Athanagoras in cap. 5. Prouer. ver. 4. cum ait, *tam accurate ergo temperare osculum seu potius adorationem salutationum debemus, nam si quomodo pauxillum mens polluta fuerit, ab æterna vita nos proscribit Verbum.* 166.

Athanag.

In affli-

*In afflictione ne simus pietatis immemores.*

167 *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quas cum vidisset Moyses male à Pastoribus offendi, earum causam suscepit defendendam, nam eos expulit, itaut liberum fuerit puellis, greges adaquare: an immemor tuæ fugæ, cui te commisisti, quia Hebræum offensum, ab alio defendere voluisti? nonne tibi non solum homicidium à te commissum exprobrauit, sed quod etiam ei vitam velles adimere arguit? nonne etiam Pastores idem tibi possent imponere, fides tanquã incolis potius quam tibi pauperi alienigenæ adhibebitur, ne ergo cum Pastoribus velis contendere: quodcumque aliud negligit, dummodo pietatis officia exhibeat, dummodo iniustè oppressos protegat, ita auct. Cat. Græ. *quisquis amat Deũ contentus in urbe degit, in agris pauper, diues, liber, & seruus, nequit etiam in squallore carceris obliuiscitur pietatis.* Auct. Cat. Græca.

*Etiam impij cedunt iustitiæ.*

168 *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quæ cum ad puteum accessissent, demissis per funem vrnis per vices certatim hauriebant fundebantque aquam in proximos alueos, donec implerentur; superuenerunt Pastores, qui contempta debilitate virginum, conati sunt eas submouere, vnà cum gregibus suis, ad paratum potum agẽtes sua pecora, alienis laboribus fruituri, id Moyses qui non longe aberat, conspicatus, clamitans, confestim accurrit, non desistetis ab iniuria, in solitudine qua ad fraudem abutimini non pudet vos circumferre ignaua brachia, inertesque humeros! cur non ceditis his quæ priores venerunt, quæ ius aquæ habent, haustæ ipsarum opera, quo vberior esset copia, itane paratam aufertis? non facietis per cœlestem oculum qui videt etiam quidquid fit in locis desertissimis, non auferetis impune, is me præter opinionem misit in auxilium, nec enim deero iniuriam patientibus, sentietis ferientem nisi resipiscitis, Pastores his auditis recesserũt, quid? ita ignaui, vt homini loquenti cedatis? non homini sed iustitiæ cedunt, quam etiam impij reuerentur & timent: vnde Philo. lib. 1. de vita Moys. *his territi qua videbantur hominis afflati diuino furore, veritique ne vera canerет, paruerunt; admissisque virginum gregibus, ad alueos passi sunt earum pecora prius bibere.* Philo.

*Perfecti viri inter durissimos viuendi rigores, & asperitates, teneritudinem spectant, qua facile vinci possunt in vtilitatem aliorum.*

169 *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quæ cum à Pastoribus male tractarentur, pietate & quadam in eas teneritudine Moyses compulsus, subuenit; nonne pedes viam confecisti? nonne omnes delitias fugiens, abiurasti? & nihil non asperum non assumpsisti, vitam pauperem & ideo asperam degens? quomodo ergo ad puellas accedens sic tenerescis, vt in eas compassione ductus, ab aliorum molestijs protegas? quis à te asperrimæ vitæ sectatore, aliquam expectaret teneritudinem? credidissem in te lapideum rigorem, nisi mihi aliud persuasisset auxilium

A puellis exhibitum, sed hoc proprium est virorum perfectorum inter ipsos vitæ rigores & asperitates, non obdurari penitus, sed eam teneritudinem seruare, qua in aliorum vtilitatem facile flecti possent. Quod probat exemplo D. Pauli D. Chrysost. hom. 4. in Epist. ad Coloss. *cogita mihi quæso, Paulus ille adamantinus, igneis erat, ptor robustus, & immobilis, timore Dei confixus, inflexibilis, quis enim inquit nos separabit à charitate Christi? afflictio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? qui his omnibus restitit, adamantinas inferorum portas derisit: is inquam Paulus cum videret quorundam lacrymas, ita perfrangebatur adamas ille, vt animi affectionem non absconderet, sed mox diceret, quid facitis flentes & affligentes cor meum?* S.Chrysost. aliud in medium produxit exemplum de D. B Ioanne Bap. hom. 38. in Matth. *dum in deserto erat neminem vidit vnquam conseruorum, nec ab aliquo visus est, non lacte nutritus, non lecto susceptus, non tecto, non foco, non alia re humana vsus est, tamen mitis simul & acer, mitis discipulis, & acer Iudæis.*

*Viri sancti ad subeunda pericula propensi.*

*Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quibus auxilium præbuit aduersus Pastores, qui malitiosè, ne suos adaquarent greges, ex aqua quã proprijs manibus & non sine labore ex puteo hauserant, impediebant, cur vnus plures non vereris? puellis condole, nonne eminenti te committis periculo? audacissimus nihil timet, eos aggreditur, puellas liberat, & eos à canalibus C remouet, & reijcit: nam vt optime D. Cyrill. Alex. lib. de adoratione, *vides quam prompti sunt ad audendum sancti viri, quamque sponte sua ad subeunda pericula propensi.* non dubitat vir sanctus subire discrimen, non timet pericula dummodo aliis subueniat. 170 Cyrill. Alexand.

*Mores ex loco non mutantur.*

*Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quæ cum male haberentur à Pastoribus, in Moyse auxilium inuenere, omni enim neglecto discrimine, eos repulit, nonne cum Ægyptum incoleres, volens subuenire iis qui iniustè ab aliis opprimebantur, eam deserere, tuæ consulens saluti fugâ fuisti coactus? cur nunc cum in Madian saluus & incolumis peruenisti, periculo præterito factus prudentior, ab ferendo aliis auxilio D non cessas? nonne mutatio loci etiam morum mutatione inferre deberet? nequaquam ait D. Basil. Sel. oratione 9. in Moys. *interim Moyses locum demutabat, non mores.* 171 S.Basi.Sel.

*Prælatus non solum suos defendere debet, sed etiam iis alimenta præbere.*

*Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ.* Quas Moyses defendens adaquauit, etiam oues earum, nonne satis erat cum periculo suo ab iniustitia Pastorum defendere? cur igitur suum laborem in adaquandis earum gregibus impendit? ipsæmet accepto iam protectionis auxilio, potum eis præbeant, respondet Steph. Cant. in alleg. Tylm. *sic & bonus prælatus subditos suos* 172 Stephan. Cantuar.

## CONCEPTVS.

*Paterfamilias filiarum adolescentularum omnes gressus agnoscat.*

177 QVæ cum reuertissent ad patrem suum, dixit ad eas, cur citius solito venistis? Moyses enim rusticitatem & iniuriam Pastorum repellens, iuuenculis adaquandi copiam permisit, imo etiam eis aquam hausit canalibus effundendam, & ideo citius solito redire, sed cur pater qui pascendis gregibus suis filias præfecerat, simul omnes illarum morulas considerat, itaut quia citius solito venerāt, sciscitetur? quia verus pater familias filiarū omnes gressus & passus debet habere trutinatos, adeout omnes illarum morulę vel festinationes illum non lateant, quod optime obseruauit Lipp. Lyppom. *Boni patris familias est curare, si sedula sit familia in agendis, morarum quoque causas inquirere maxime filiarum*, præclari parentes qui adeo filialibus custodiendis inuigilant, adeout earum extra domum gressus numeratos, & ponderatos habeant, vt nec parua morula nouiter accidere posset quæ fugeret patris censuram.

*Beneficia silentio non obuoluenda.*

178 *Quæ cum reuertissent ad patrem suum.* Qui ab eis sciscitatus, cur citius solito domum petiissent, illæ hominem Ægyptium sui liberatorem inuenisse referunt, qui greges suos ad aquas duxerat, qui Pastores qui sibi impedimento fuerant, ne gregibus potum præberent, eiecerat, cur in hominis alienigenæ laudibus referendis ita attentæ? quia beneficia à quocumque sint accepta silentio non sunt obuoluenda, *enarranda sunt*, Oleast. inquit Oleast. *beneficia in nos collata cum benefactore, et qui potest, & debet remunerare.*

*Virgo vere regia est, quæ beneficos iuuenes citius fugit.*

179 *Quæ cum reuertissent ad patrem suum.* Qui cum interrogasset, cur cito regressæ fuerant, properati regressus causam reddidere, *vir Ægyptius liberauit nos de manu Pastorum, insuper & hausit aquam nobiscum potumque dedit ouibus*, hæc nulla causa citati regressus videtur esse, nam quia nactæ fuistis hominem officiosum, cum eo detineri, eum alloqui, ei pro collato in vos beneficio gratias referre deberetis, quæ enim puellæ non detinentur ab officiosis iuuenibus? sed cuius filię erant hæ virgines? sacerdotis Madian, Cald. principis Madian, alij Regis, quid mirum igitur licet hominem beneficum & officiosum inuenerint, cum eo non detineri? quia horum officiis detinentur mulierculæ, non vero Regiæ fœminæ, puella enim regia & casta quæ pudori & honori studet, à nullo citius discedit, quam à iuuene, quem officiosum experta est, Nazian. hinc virgines monebat D. Greg. Nazian. in præceptis dicens, *à cunctis abscede viris, sed maxime illis quos signifactos nos de more vocamus*, signifacti autem sunt officiosi protectores & defensores, qui maxime inter alios debent esse suspecti virginibus.

A *Non sexus teneritudo emollit animos, sed cultus corporis delicatus.*

*Quæ cum reuertissent ad patrem.* Obtenta à 180 Pastoribus victoria, licet enim Moyses pro eis pugnasset, illæ etiam eis timorem augere potuerunt, nam formidolosus est exercitus ceruorum, duce Leone, & sine dubio viriliter restiterunt, quomodo fœmineus sexus & qui vt plurimum mollis & delicatus est, potuit cum hominibus & his pastoritia arte exercitatis, contendere? quid de huiusmodi virginibus dicitur? quod pascebant oues patris sui, licet principis, ne eas igitur molles & delicatas nominemus, quamuis fœminæ sint, quia non sexus teneritudo emollit animos, sed cultus corporis delicatus, B pulchre D. Chrys. hom. 30. in cap. 12. ad S. Chrysost. Hebræos rationem infirmitatis fœmineæque mollitudinis reddens ait, *vnde putatis, aut ex qua ratione mulieres sic esse debiles & infirmas? num ex conditione sexus tantum? nequaquam, sed etiam ex conuersatione & educatione, quod enim sub vmbraculis degunt, quod oleo vnguntur, quod frequentibus lauacris vtuntur, quod assiduè vnguentis abundantibus perfunduntur, & iacent in straminibus delicatis, hoc est quod eas tales efficit: quod verum & certum hoc sit attende, mulieres quæ in agris degunt vitam, fortiores namque viris sunt, qui sunt in ciuitatibus constituti & si eas permittas cum illis athletico more certare, multos huiusmodi viros illæ sine dubio superabunt.* Non sexus teneritudo emollit fœmineos animos, sed cultus corporis delicatus, sed vita in delitiis transacta.

C *Impij habent odio bonos eo quod boni sunt.*

*Quæ cum reuertissent ad patrem*], conquestæ de violentia sibi illata à Pastoribus: sed cum 181 sexui fœmineo quilibet soleat esse vrbanus, & nullus nisi grauiter ab eo offensus, in eum non insurgat, quomodo Pastores nulla accepta ab eis iniuria, ipsis molestiam inferunt? cuius erant filiæ? sacerdotis Madian; quo nomine nō debemus intelligere nisi virum probum, ne inquiras ergo cur hi Pastores violenter reiiciunt virgines à canalibus, ne greges suos possent adaquare, quia impij, sicut erant hi Pastores, odio habent bonos, vel quia boni sunt, vel quia descendunt à viris probis. mens est Lipp. Lypp. *vide iniquitatem Pa-* D *storum, reiiciunt nulla legitima causa, sed mera tantum lasciuia & petulantia puellas à potandis gregibus suis, vel quod puellæ propter imbecillitatem virium suarum iniuriæ facile paterent, vel quod homines impij sacerdotem patrem puellarum oderant.*

*Virum probum & sapientem maxime dedecet, quod verbis contumeliosis vtatur.*

*Quæ cum reuertissent ad Patrem.* Encomiis 182 Moysem apud Patrem celebrarunt, quod eius auxilio à Pastorum violentia ereptæ fuerint, & quod gregibus suis adaquandis aquam canalibus effuderit. Sed ò Moyses, pro iniuria virginibus illata ab huiusmodi inurbanis Pastoribus nonne grauiter & dure eos lacessisti? cur eos iniustos, inurbanos, viles & abiectos

non dixisti, cum contra omnem æquitatem in puellas iniurte xissent? nescit verba contumeliæ proferre, à probris quamuis ea mererentur, abstinet, quia indecentissime à viro probo & sapienti (qualis erat Moyses) pronuntiantur, enimuero, ait Eccles. 20. *est correptio mendax in ore contumeliosi*, vbi Sept. posuere, est correptio indecora, & quidem contumeliæ & probra nunquam non indecora ipsi ea proferenti. (Ecclef. 10)

### *Non solum verbis, sed & opere alijs subueniamus.*

183 *Quæ cum reuertissent ad Patrem.* Insperatum casum Patri narrauerunt, nempe quomodo vir Ægyptius ipsis defensis suos greges adaquauerit, diximus ex aliquorum sententia, eis persuasisse, vt ab inferenda virginibus molestia cessarent: quod equidem non renuerunt; nonne satis erat hoc eis persuasisse? cur etiam adaquandis ipsarum gregibus, aquam ex puteo hausisti? quia non solum verbis, sed etiam factis subueniendum est, fauet Dionys. Carthus. (Dionyf. Carthuf.) *constat quod puellæ impleuerunt canalia Moyse adiuuante qui in aula regia conuersatus, sciuit curialiter se ad puellas habere.*

### *Iniquum est iniuriam patientibus opem non ferre, etiam non rogati.*

184 *Quæ cum reuertissent ad patrem*, citius solito, beneficium à viro Ægyptio (vt putant) patri referunt; scilicet Pastores superuenisse qui contempta sua debilitate, conati sunt eas submouere, vna cum gregibus suis, ad paratum potum agentes sua pecora, sed virum Ægyptium accessisse, qui eos repulit: an ab ipsis rogatus, vt sibi fœminis subueniret? nequaquam id legimus, quid ergo ò Moyses tibi curæ est eis auxilium ferre? an è memoria excidit quid in Ægypto tibi contigit, cum opem oppressis attulisti? non equidem, Iosephus ait, (Ioseph.) *Moyses iniquum ratus, non ferre opem iniuriam virginibus patientibus, & se inspectante vim virorum plus pollere, quam ius puellarum ab alijs vsurpatoribus, auxilium eis: itaui decebat, præbuit.*

### *In colloquiis cum mulieribus ne detineamur, ne pereamus.*

*Quæ cum reuertissent ad patrem.* Et ab eo interrogatæ, cur citius solito rediissent, quid toties repetitum responderunt, sed cum Moyses esset speciosissimæ formæ, & omniũ suæ ætatis pulcherrimus, quomodo moras non sunt meditatæ, in eius pulchritudine intuenda? quomodo Moyses conspectis etiam speciosissimis virginibus, cum eis sermonem non protrahit? quid dico protrahere? quomodo eas saltem non alloquitur? quia castæ nec pulchritudinem virorum intueri debent ne pereant, nec viri cum fœminis colloquia miscere, ne iacturam pudicitiæ facere velint: primũm habet S. Ephrem. (Ephrem.) de vita spirituali, *si contingat (inquit) colloqui cum adolescentibus ætate & aspectus venustate florentibus, custodi oculos tuos, ne concupiscentia mentem tuam conturbet, incipiasque in longum sermones affectione plenos deducere.* Secundum habet D. Petrus Damian. (Damianus.) lib. 2. Epist. 18. *Si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus speciem declinemus, ne de conspectu formæ flamma prosiliat, & in nobis tota mentis intima peruadat, non sic silices scintillant, & ignem eructant ex collisione ferrati equi calcis, vt pulchritudo ex ictu oculorum in flammas exurgit.* 185



## *VARIETAS LECT. Vers. 20.*

VVlg. At ille, vbi est? inquit, quare dimisistis hominem? vocate eum, vt comedat panem.

*Sept.* At ille dixit filiabus suis, & vbi est? vt quid reliquistis hominem?

*Pag.* Vt quid dimisistis virum?

*Bib. ant.* dixit ad neptes suas.

## *CONCORDIA.*

SCio in Hebræo esse ויאמר אל בנתיו, vaiomer el benothaf, & apud Septuag. ὁ δὲ εἶπε ταῖς θυγατράσιν αὐτοῦ, & dixit ille filiabus suis, sed more suo interpres noster studuit breuitati, si autem Bibl. ant. apud Vatab. legit neptes suas, ideo est quia aliqui arbitrati sunt Raguel fuisse auum harum virginum, non autem patrem.

## EXPOSITIO.

AT ille, audito beneficio in filias suas ab homine incognito collato, quod perire nolens, inquit *quare dimisistis hominem?* cur vobiscum non adduxistis? *eum vocate vt comedat panem*, cœna & hospitio eum recipiam, quid multa? reuersæ ad fontem in propinquo inueniunt, & patris sui verbis persuasum domum deducunt.

CONCEPTVS.

*Beneficia fijs collata, à parentibus debent remunerari.*

186 V*Bi est, quare dimisistis hominem?* Cur eum ita anxie requiris? naturali pietate motus filiarum protectionē suscepit, nihil à te postulat, imo nec nomen earum, quibus subuenit, nec cuius essent cognationis, inquisiuit, cum ergo abire desine, imo eum vocari præcepit, vt cœna & hospitio recipiat, nescire enim debet pater beneficia suis liberis collata, iremunerata relinquere, *debent parentes*, (inquit Oleast.) *opera bona in filios collocata remunerare.* Oleast.

*Benefici debent etiam inuiti remunerari.*

187 *Vbi est, quare dimisistis eum?* Nihil exigit pro beneficio collato, cur præcipis adduci? si te conuenire voluisset, sane inquisisset cuiusnam essent filiæ, & si in domo tua locus esset pernoctandi, sicut sciscitatus est Eliezer à Rebecca, *vocate eum inquit*, si venire renuat, si ad domum tuam nolit accedere, compellite, *debent enim.* (inquit, citat. Oleast.) *benefici etiam inuiti remunerari.* Oleast.

*Gratitudo etiam animalibus cognita.*

188 *Vbi est, quare dimisistis eum?* Cur eum conuocari iubet? sane vt ei pro collato in filias beneficio gratias referat: nonne idolorum cultor? ita plures autumant, quomodo erga Deum ingratus hominem beneficum agnoscit? quid mirum, si bruta animalia beneficiorum non obliuiscantur, imo eorum auctorem venerentur & colant? audiendus est D. Petr. Damian. lib. 6. Epist. 5. *enimuero cum bona pro malis iubeat lex diuina restitui, quanto magis bona bonis præcepit exhiberi, quid enim mirum, si hoc humana ratio ex indicta sibi lege persoluat, cum idipsum aliquando bruta etiam animalia nullis obnoxia legibus, impleant?* Deinde concludit, *quid mirum ergo si sancti homines & diuinis legibus eruditi, percepto charitatis officio grata vice respondeant, cum & idipsum brutum animal videatur impleuisse?* D. Petr. Damian.

*Pater arguat filios, si in gratitudine delinquant.*

189 *Vbi est, quare dimisistis eum?* Quia indecens est virgines viros incognitos in suo habere comitatu, ne ergo eas increpes, cur hominem, qui sibi fuerat officiosus, non ad domum tuam adduxerunt, arguat, quia pater cum filiis dissimulare non debet, si eos ingratos agnoscat, non dissentit Abul. *cum tantum vobis bonum fecisset*, inquit Raguel, *quare sic eum reliquistis, vt non potius eum adduceretis, vel ipsum ad ministrandum ei aliquod solatium*, & Phil. lib. 1. de vita Moysis, *obiurgabat earum ingratitudinem, cur dimisistis hominem? quin adduxistis: & si forte recusabat exorastis etiam? estis ne mihi alicuius inhumanitatis consciæ? aut non timetis ne iterum incidatis in violentos & iniustos alios? necesse est vt auxilio destituta minitam oblitio sexitra be-* Abul. Phil.

A *nemeritos: recurrite vnde venistis donec erratum potest corrigi.*

*Viros eximios videndi desiderio tenemur.*

*Vbi est, quare dimisistis eum? vocate eum.* Nonne satis est ad gratiam ei rependendam, cibos, quibus recreetur, mittere? Sic etiam quam grati esses erga eum animi sibi compertum esset, ne ergo vocari præcipias, vt domi, & hospitio, & cœnæ recipiatur, nociuum est enim pulcherrimū adolescentem, inter tot virgines speciosissimas sub eodem tecto commorari. Nonne, eximium opus patrauerat, cum à Pastoribus filias eius liberauerat? quid mirum igitur si eum accersiri iubeat, si eum domi hospitio recipere velit? maximo enim videndi viros eximios tenemur desiderio, *insperatum casum*, inquit Philo, *patri narrauerunt, itaut caperetur magno desiderio videndi hospitis.* 190 Philo.

*Mundus superfluè occupatus.*

*Vbi est, quare dimisistis eum?* Quis est ille qui sic loquitur? Iethro, quē mundum idolorum cultui deditum representare asserit Procopius. Sed cur Iethro mundi est Symbolum? nam cum mundus sit mutabilis & inconstans, Iethro sit vir, qui constantiam denotat, quomodo Iethro mundum referre poterit? quomodo interpretatur? superfluitas vel superfluum, bene ergo mundi potest esse figura, quia, vt ait citatus auctor, *mundus adhæret vanis & superuacaneis rebus nihil faciens eorum quæ facienda erant, pietatis candidato contemnens salutem, & externis cum quadam superstitione immorans, quapropter*; inquit *Christus, quid proderit homini si totum lucratus fuerit mundum, animæ vero iacturam fecerit?* 191 Procop.

*Mundus à Christo Domino in melius mutatur.*

*Vbi est, quare dimisistis eum?* Quamuis idem sacerdos, vtrumque nomen sortiatur, nempe Iethro & Raguelis, nam hic tanquam Raguel loquitur, sed cur non vt Iethro? diximus Iethro mundi huius figuram referre, quid autem significet Raguel, perscrutemur, diuinus pastor interpretatur, quo posito, ita satisfacit cit. Procop. *mundus ante Mosis idest Christi in filias beneficium, non abs re nuncupatur Iethro, id est superfluus. Deinde vero nomen mutatur sumpto nomine Raguel, quod si explices, denotat diuinum pastorem: mundus enim tandem cessit liberatus à falsis & peruersis Pastoribus, in imperium summi Pastoris.* 192 Procop.

*Hospitales simus ad inuicem.*

*Vbi est, quare dimisistis eum? vocate eum vt comedat panem.* Vt gratias ei ageres pro collato in filias beneficio, quid necesse erat eum ad cœnam & hospitium inuitare, & inuitatum excipere? possunt enim actiones gratiarum referri, non oblato cibo, sane in hoc Iethro sacerdos Madianitarum idolorū cultor, Moisem peregri- 193

rum domo & mensa recipiens, docet nostros A Præsules, quid erga peregrinos, & pauperes, & maxime circa fidei domesticos agere debeant, 1.Tim.10: nam secundum Apostol. 1 Timot. 3. oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, quæ Apostoli verba exponens S. Hier. in 1. cap. Epist. ad Titum, S. Hier. *ante omnia* (inquit,) *hospitalitas futuro Episcopo denunciatur, si enim omnes illud de Euangelio audire desiderant, hospes fui & suscepistis me, quanto magis Episcopus cuius domus omnium debet esse hospitium? Laicus enim vnum aut duos, aut paucos recipiens, implebit hospitalitatis officium, Episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est.*

*Mira Dei erga suos bonitas.*

*Vbi est? quare dimisistis eum? vocate vt comedat panem.* Nonne qui vocatur à sacerdote & principe Madianitarum, excipiendus? Moyses est, qui eiectus ab aula Regis, imò & à fratribus fugæ salutem commisit, quomodo ergo solus inter ignotos ab eis benigne vocatur, charitatiue excipitur, in domũ officiose admittitur? quã mira est Dei bonitas & prouidentia erga eos, qui virtutem sectantur, vnde optime consulebat regius Vates Psal. 36, qui postquam dixit, spera in Domino & fac bonitatem, ait, reuela Domino viam tuam, spera in eo & ipse faciet, quod quidem elegantissime vt cætera expressit Campensis, *committe* (inquit.) *Domino statum rerum* B *tuarum, fide illi, optima enim fide curabit te & tua.* 194 Psal. 36. Campensis.



## VARIETAS LECT. Vers. 21.

*Vulg.* Iurauit ergo Moyses quod habitaret cum eo, accepitque Sephoram filiam eius vxorem.

*Sept.* Habitauit autem Moyses apud hominẽ.

*Cald.* Et voluit Moyses habitare cum illo.

*Onx.* Et consensit Moses habitare cum viro illo.

*Alij.* Et acquieuit vel placuit.

## CONCORDIA.

Verum est plures hoc verbum יאל iaal reddere per voluit, cõsensit, acquieuit, placuit, tamen vltra omnia prædicta, etiam iurare significat, vnde non male vertit interpres, & iurauit, C iuramento enim potuit se obstringere Moyses sacerdoti, vt nõ discederet citra illius consensũ, Septuaginta autem habent κατῴκισε & habitauit Moyses, vel collocatus est, sed parua mutatione legi potest κατώρκισε, ab ὁρκίζω, quod est iuro.

## EXPOSITIO.

*Iurauit ergo Moyses.* Iuramento enim se potuit obstringere Moyses sacerdoti, vt non discederet vltra illius consensum: hic plura subijci debeerent, quæ tamen Moyses prætermisit, ad alia necessaria pergens, *accepitque Sephoram filiam eius vxorem*, quam plures arbitrantur fuisse maiorem natu, & merito, quia consueuerunt antiqui primogenitas primo nuptui tradere, vt patet ex Gen. cap. 29. in responsione Laban Iacob facta.

## CONCEPTVS.

*Misericordi hospitali viro, nihil deesse potest.*

195 *Iurauit Moyses quod habitaret cũ eo, & dedit illi filiam suam in coniugem.* Nonne Moyses solus D peregrinus, à suis eiectus, omnibus destitutus? quomodo ergo nobilissimæ matrimonio iungitur, vt pote principis Madianitarum? nonne misericors fuit erga filias Raguelis? quid mirum igitur si charissimam obtinet vxorem? si affinitate iungitur illustrissimo principi? at quomodo idolorum cultor nanciscitur filium, cui non solum tot hominũ millia, sed etiam creaturę obediunt? nonne hospitalis in eum fuit? nihil ergo ei deficiat, omnia ei prospere contingant, filium S.Chrys. habeat potentissimum, ad hæc D. Chrys. hom. 10. in cap. 16. ad Rom. *Magnus est fructus hospitalitatis, & vehementer magnus, sic & Iethro tametsi barbarus esset, generum adeptus est tanta potestate orbi imperantem.*

*Nullis compedibus ita quis arctius ligatur quam vxore.*

*Iurauit Moyses quod habitaret cum eo.* Cur iuramento se obstringit? cur ab eo non discessurum pollicetur? dedit ei Sephoram filiam suam in coniugem, quid ergo mirũ si se obstringat apud eum manere, & ab eo non separari? quia cum apud eum vxorem suã haberet, non potuit non detineri, nullis enim compedibus ita quis arctius detinetur, quam vxore, *astutia magna*, est inquit Oleast. *vt quem velis detinere, vxore liges, quoniam non sunt compedes qui ita hominem detineant, quemadmodum vxor cum liberis.* 196 Oleast.

*Virtus diuitijs præferenda.*

*Iurauit Moyses quod habitaret cum eo.* Cui Iethro filiam suam dedit in coniugem, quid vis Iethro? nonne tu potentissimus & ditissimus, cum sis Madianitarum princeps, cur ergo ho- 197

nium alienigenæ pauperi incognito tradis filiam in vxorem? quis enim pater ita de suis parum sollicitus, vt suos velit liberos in matrimonium tradere iis qui omnibus essent bonis destituti? sed non ne maximam Moysi virtutem inesse collegit ex eo quod filias ab eis non rogatus, à pastorum violentia eripuerit, aquam hauriens, potum earum gregibus dederit? merito igitur primo genitam ex eis quamuis ditissimam, tradit ei licet pauperi in coniugem, quia virtus pauperis omnibus anteferenda diuitiis, ita sentit Greg. Niss. in

Gregorius. Nissen.; lib. de vita Moysis, *Tanta fuit sacerdos ille ad per noscenda ingenia hominum moresque comprehendendos, prudentia praeditus, vt vbi acta gesta quam Moyses aduersus pastorum vim magno animo fecerat adolescentis virtutem conspexerit, quod non proprio lucro aut laude commotus pro iustitia pugnauerit, sed iustum ipsum per se & natura sua honestum iudicans, peccatores qui nihil in se ipsum peccarunt castigauit, eorumque iniuriam repulit, quapropter Moysis virtutem admiratus, praestantiorem ipsam aliorum diuitiis existimans filiam tradidit ei in vxorem.*

*Licet Catholico vti fide eius qui per Deos iurauit falsos.*

198. *Iurauit Moyses quod habitaret cum eo*; vt certissimum est Moysem iurasse, per Deum viuum & viuentem, ita probabile est Iethro iurasse per sua falsa numina, more gentilium, qui iuramentum de rebus magnis & arduis per Deos falsos emittebant, vt Athenienses per Isidem, Thebani per Osiridem, quomodo Moyses verus Dei cultor, iusiurandum eius admisit? an debuit fidem eius idololatræ qui per vana sua numina iurauerat, admittere? quid ni? affirmatiuè satis-

August. facit D. Aug. Epist. 154. ad Publicolam, & citatur 22. q. 1. cap. 16. eius verba subijcio, *Mones te ò Publicola vtrum eius gentilis fide vtendum si quis vt eam seruet, per dæmonia iurauerit? vbi te volo prius considerare, vtrũ si quispiam per deos falsos iurauerit, se fidem seruaturũ, & eam non seruauerit, non tibi videatur bis peccasse? si enim tali iuratione promissam seruaret fidem, ideo tantum peccasse iudicaretur, quia per tales deos iurauit, illud autem nemo reprehenderet, quia fidem seruauit, nunc vero quia & iurauit fidelis per quos non debuit, & contra pollicitam fidem fecit quod non debuit, bis vbique peccauit? at per hoc, qui fide illius quem constat iurasse per deos falsos, & vtitur non ad malam rem, sed ad licitam & bonam non peccato eius se sociat, quo per dæmonia iurauit, sed bono pacto eius, quo fidem seruauit: neque enim hic eam fidem (quæ est virtus Theologa) dico seruari, qua fideles vocantur, qui baptizantur in Christo: illa enim longe alia est, longeque discreta à fide humanorum placitorum, atque pactorum. Verumtamen sine vlla dubitatione minus malum est per deos falsos veraciter iurare, quam per Deum verum fallaciter, quantò enim per quod iuratur magis est sanctũ, tantò magis est pœnale periurium.*

*Non solum Deus per visiones aut per sermones, sed & in operationibus visus est Prophetis vt per eas præfiguraret futura.*

199. *Iurauit Moyses quod habitaret cum eo & accepit Sephoram filiam eius vxorem.* Impium sane nisi videtur, & contra diuinæ legis decretum factum, vt Moyses veræ religionis studiosus, Sephoræ idololatræ nupserit, si matrimonio coniungi desiderat, Israëlitidem ex Ægypto ascitam vxorem habeat: dices Sephoram de genere fuisse Abraham, qui ex Cethura genuit Madian, ex quo Madianitæ. Sed licet ex cognatione fuisset Abraham, ab incircumciso ducebat originem, idola sequebatur, cur ergo vt pari nuberet, fideli non coniungitur? dispensatione diuina hoc factum fuisse cur non dicemus, quatenus Ecclesiæ ex gentibus incircumcisis cogendæ, & Christo eius vnico sponso copulandæ mysterium adumbraretur? Deus enim non solum per visiones & sermones, sed & in operibus visus est Prophetis, vt per eos præfiguraret & præmonstraret futura: quod confirmat D. Irenæus lib. 4. Irenæus. aduersus hæreses, cap. 37. *Propter hoc Oseas Propheta accepit vxorem fornicationis, per operationem prophetans, quoniam fornicando fornicabitur terra à Domino, hoc est qui super terram sunt homines, & de hominibus huiusmodi beneplacitũ habebit Deus assumere Ecclesiam sanctificandam, communicatione filij eius, sicut & illa sanctificata est communicatione Prophetæ, adhuc etiam filios suos nominans Propheta, non misericordiam consequuta, & non populus, quemadmodum Apostolus ait, fiat populus qui non est populus, & non misericordiam consecuta, misericordiam consecuta, & in loco ubi erat, in quo vocabitur non populus, ibi vocabuntur filij Dei viui, id quod à Propheta typice per operationem factum est. Ostendit Apostolus vere factum in Ecclesia & Christo: sic autem & Moyses Aethiopissam accipiebat vxorem, quam ipse Israëlitidem fecit. Præsignificans quoniam Oleaster inseritur in oliuam, & participans pinguedinis eius erat, quoniam enim his qui secundum carnem natus est Christus, à populo quidem habebat inquiri vt occideretur, liberari vero in Aegypto, id est in gentibus & sanctificare eos, qui ibi essent infantes, vnde & Ecclesiam sibi perfecit, Ægyptus enim ab initio gentilis, quemadmodum & Aethiopissa, propter hoc per nuptias Moysi nuptiæ Verbi ostendebãtur, & per Æthiopissam coniugem, ea quæ ex gentibus est Ecclesia manifestabatur, cui qui detrahunt, & incusant, & derident, non erunt mundi.*

*Nesciat princeps pauca largiri viris, qui à statu honoris non sua culpa cecidere.*

*Iurauit Moyses quod habitaret cum eo, accepitque Sephoram filiam eius coniugem.* Nonne vt aliquomodo beneficium in filias collatum remunerares, eum ad cœnam & hospitium admisisti? nonne tuæ in eum gratitudinis argumentum erat? cur etiam in hunc honorem eum euehis, vt in generum accipias? supponamus Moysem ei retulisse, qua de causa ex Ægypto se fugæ commiserat, quomodo Pharaonis hæres designatus, à quo honore Deo sic disponente, eiectus fuerat: nonne diximus etiam hunc sacerdotem Madianitarum principem fuisse? bene igitur non solum ad panem & hospitium vocat; imo & in generũ accipit: princeps enim pauca largiri non debet iis præcipue qui à sublimi sede ceciderunt; quod D. Greg. Nazian. testatur factum fuisse à matre, sic autem ait oratione 19. *Solis in-* 200. Nazian.

*super has tutas atque ab omni surreptione immunes opes duceius, nimirum Deo & pauperibus opes effundere, ac præsertim consanguineis qui fortunis suis tanquam flore quodam excidissent.*

### *Vxorem optimis moribus præditam tibi coniunge.*

201. *Iurauit Moyses quod habitaret cum eo, accepitque filiam eius vxorem*, cuius filiam idolorum cultoris, an saltem ipsa morali aliqua virtute prædita, est, qua viro suo grata redderetur non pauci tenent hanc Sephoram eandem fuisse cum illa quæ in lib. 2. Num. cap. 12. Æthiopissa dicitur, quam
Num. 12. sic appellatam putant per ludibrium & contemptum, propter deformitatē & turpitudinem morum, quemadmodum hodie etiam vocari solet A per contemptum Turca vel Æthiops, atque id vsitatum esse in scriptura posset colligi ex illis verbis Domini, quæ sunt apud Prophetā Amos, cap. 9. numquid non vt filij Æthiopum vos estis Amos. 9.
mihi filij Israël? sed cur non dicemus Sephoram appellatam fuisse Æthiopissam per antiphrasim, quod esset corpore & animo moribusque pulcherrima & amabilissima? ad hanc certe sententiam paraphrasis Caldaica in illo loco Numerorum pro Æthiopissa habet, pulchram: & auctor Paraphrasis Hierosolymitanæ, sic expressit illum locum, *quemadmodum Aethiops differt cute &* Targum Hierosolym.
*colore ab omnibus alijs hominibus, ita etiam Zippora vxor Mosis forma pulchritudine & bonis operibus superabat reliquas omnes mulieres*. En quomodo vir optimus Moses sibi matrimonio copulauit virginem bonis moribus præditam.

## *VARIETAS LECT. Vers. 22.*

*Vulg.* Quæ peperit ei filium quem vocauit Gersam, dicens, aduena fui in terra aliena, alterum vero peperit quem vocauit Eliezer. dicens, Deus enim patris mei, adiutor meus eripuit me de manu Pharaonis.

*Sept.* In vtero autem concipiens mulier pepe- A rit filium, & cognominauit Moyses nomē eius, Gersam, dicens, quia incola ego sum in terra aliena.

*Pag.* Et peperit filium & vocauit nomen eius Gersō, quia dixit peregrinus fui in terra aliena.

## *CONCORDIA.*

NOster interpres secundi filij nomen hic interserit, vt filios Moysi simul enumeret, licet illud non habeatur in Hebræo hoc in loco, sed Exod. 18. vers. 4. vnde illud noster transcripsit, vel potius illud ex Hebræo excidit, Hebræa enim subinde mutila sunt, vti ostendit Card. Bell. lib. 2. de verbo Dei cap. 2. aduena
Bellarm. fui Septuag. πάροικος εἰμι aduena sum. Hebræis גר Ger peregrinum significat, שם scam vero illic vnde גרשם Gerscan peregrinus illic אלי Eli Deus meus, non Deus patris mei, interpretatur; C maluit secundum dicere non primum, vt indicaret tum se non esse noui Dei cultorē, tum se plura, imo promissorum omnium firmam exhibitionem ab eodem sperare, qui patribus suis tanta spopondisset & præstitisset.

## EXPOSITIO.

QVæ peperit ei filium, non immediate post initium coniugium genuit hunc filium sicut nec alium, licet narratio scripturæ videatur id significare, generatio enim eorum contigit multo tempore postquam in terram Madian venerat, sed paulo ante eius regressum in Ægyptum ei nati fuere. etenim vt traditur Actor. 7. quadraginta annorum erat Moyses, cum pro-
Act. 7. pter cædem Ægyptii fugit in terram Madian, & ibi quadraginta annis moratus est, quoad iussu Dei redit in Ægyptum, quo tempore fuisse ipsos filios admodum paruulos. duplex est argumentum, infra enim cap. 4. dicitur Moses istos filios, quod pedibus videlicet, iter facere non possent impōsuisse asino, & quod alter illorum non esset circumcisus, occidere Mosem voluit Angelus Dei, recens igitur natus fuerat, nullo enim modo putandum est Mosem circumcisionem eius per quadraginta annos distulisse, quippe Deus præceperat seuerissime infantē circumcidi octauo die. *Quem vocauit Gersam* cuius impositionis D causa patet immediatè, *aduena fui in terra aliena*, nempe Madian, in qua natus non fui, *alterum vero peperit* non multo post primi conceptum, *quem vocauit Eliezer*, cuius etiam impositionis rationem subijcit, *Deus patris mei adiutor meus eripuit me* &c.

## CONCEPTVS.

### *Sancti & iusti de se humillime sentiunt.*

QVæ peperit ei filium, & secundi nominis impositionis rationem assignans, ait, *Deus patris mei adiutor meus eripuit me*, cur non ait Deus meus, cum omnium sit Deus, eripuit me? cur meritis patris suam assignat liberationem à Pharaone? cur suis eam non tribuit, vel saltem suæ diligentiæ? ipse enim est qui fugæ se committens peruenit in Madian, non Deum suum sed patris sui nominat, non meritis suis, sed patris beneficia à Deo accepta tribuit, sancti

Abulensis. enim & iusti de se humillime sentiunt. *Licet idem esset Deus,* inquit Abul. *illi & patribus suis, quando tamen aliquod bonum à Deo accipiebat non nominabant deũ suum, sed deum patris sui, idest quod ista quæ à Deo recipiunt non meritis suis, sed patrum suorum suscipiunt, quod ad vere humiles pertinet, scilicet sua merita tanquam nihilum appreciari.*

*Deus in mediis aduersitatibus non derelinquit, sed protegit.*

203. *Quæ peperit ei filium cui nomen imposuit Gersam dicens: aduena fui in terra aliena.* Cur cum exilium à patrio solo aliquibus ipsa morte grauius videatur, in memoriam reuocas te in aliena terra exulem fuisse? cur nomẽ imponis filio, quod te semper prouocet ad huiusmodi exilij recordationem? vt semper testimonium ante oculos haberet Deum sibi propitium fuisse mediis in aduersitatibus, fauet Lipp. *Vocauit Gersam vt nomine filij admonetur diuinæ clemẽtiæ, qua Deus ipsum in exilio ita complexus est, vt non solum reddiderit ipsi propitios homines ignotos, verum etiam dederit ipsi in terra aliena vxorem filiam sacerdotis: sed & deinde liberos monentur exules, vt exilia sua & alia fortiter ferant, & bene confidant, Domini enim est terra & plenitudo eius, qui & in Moyse declarauit quod confidens in ipsum, in medio etiam exilio conseruet, ac magnis beneficiis afficiat, adeoque nunquam sinat ipsos tentari supra id quod possunt, sed faciat vna cum tentatione prouentum vt possint sufferre.*

Lippoman.

*Filijs non excitentur parentes ad auaritiam, sed ad beneficiorum Dei memoriam.*

204. *Peperit ei filium quem vocauit Gersam,* cuius nominis interpretatio est, *aduena fui in terra.* Cur nomen ei non indidit quo denotaretur se deinceps congregaturum diuitias, quarum relinqueret hæredem? quia plures sunt, inquit Saluianus Massil. lib. 1. ad Eccles. Cathol. parentes qui ad quærendas pecunias, & ad ampliandas latissime opes compelli se pignorum cura, & quasi violento filiorum amore causantur: cur ergo eum parentes potius derelinquendis filiis facultatibus cogitant, quam de iis in virtute erudiendis? cur Moyses omnibus quæ prosperitatem filiorum spectabant prætermissis, solum beneficiorum Dei in illorum nominibus memor est? quia parentes filiis suis non ad auaritiam excitari debent, sed ad beneficiorum Dei memoriam: mens est Lipp. *Hoc exemplo admonentur parentes vt liberos suos aspiciant, non vt impij tanquam irritamenta auaritiæ, sed tanquam monumenta diuinæ beneficentiæ, & excitentur ad gratiarum actionem & obedientiam Deo præstandam.*

Saluian.

Episcopus Metonensis

*Tunc maxime in magnitudinem beneficiorum Dei venimus, quando miserias nostras recolimus.*

205. *Peperit ei filium quem vocauit Gersam,* cuius nominis impositionis causam subiũgit, *aduena fui in terra aliena,* non est dubium nomina filiis suis imponere beneficiorum diuinorum memorem: sed vt ea recolat, cur à vilitate sua orditur? nam vilius est in terra aliena quam in propria manere. Sane ad denotandum quod tunc maxime in cognitionem magnitudinis beneficiorum Dei peruenimus, quando nostram vilitatem & miseriam compertam habemus, hoc idem docet Seraph. Port. conclus. 7. *Vt ostendat quomodo beneficia diuina appretianda sint, nominat primum sic vt suam ipsius vilitatem repræsentet, Gersam enim sonat esse aduenam, id quod & vilitatem & magnam incommoditatem ordinariè sonat: commodius enim quis in domo sua cæteris paribus manet quam in domo aliena: & maior honor illi est qui manet in domo sua quã in aliena, quare sic eum nominat? ad denotandum quod tunc maxime in cognitionẽ magnitudinis beneficiorum Dei venimus, quando nostras miserias in quibus eramus, recolimus: & vt clarius id demonstret sic prosequitur; non sine causa primum filiũ sic nominauit, sicut enim primus est ante secundum, ita à cognitione miseriæ nostræ prius inchoandum est, deinde ex hac consurgendum in cognitionem misericordiæ magnæ diuinæ: vides enim hic quod directe secundum filium postea nominauit, ex beneficijs à Deo receptis, Eliezer enim interpretatur Deus meus adiutor.*

Seraphinus.

*Deus afflictos sui causa multiplici consolatione recreat.*

*Peperit ei filium quem vocauit Gersam,* & secundum ex eadem vxore suscepit, quid? Nonne satis erat hominem exulem & incognitum, à principe Madianitarum honorifice exceptum fuisse hospitio? quid vlterius ab eodem principe traditur, in vxorem filia sua nobilissima? non quælibet, sed primogenita: cur etiam additur quod ex ea susceperit sobolem, non quamlibet, sed masculinam, non vnicum, sed duos filios? quia Deus propter sui amorem afflictos multiplici consolatione recreat. *Quid à Deo consolationis accepit?* (inquit cit. Seraph. conclu. 8.) *quod scilicet inuenit sponsam, & quidem dignissimam, vtpote filiam sacerdotis Madian, & filius ex ea & duos masculos habuit, quæ omnia scilicet habere filium, ex tanta coniuge, & masculum & duplicem, consolationem augent, & adhuc consolatio augetur, si inspiciamus quod maximo in honore, vt pote gener tantæ personæ in regione illa Madianitarum erat Moyses apud omnes regionis illius.* 206.

Citatus Seraphinus

*Tanta gratitudine iusti feruntur, vt beneficia omnibus præstita, sibi soli facta censeant.*

*Peperit ei filium quem vocauit Gersam,* alterum peperit quem vocauit Eliezer, dicens Deus patris mei Deus adiutor meus, scimus in horum impositione nominum, Deo gratias pro tot sibi beneficiis præstitis retulisse. Sed cur vt Deum benefactorem suum agnoscat, adiutorem suum appellat? Nonne omnium adiutor est in tribulatione? cur ergo tuum specialiter agnoscis? quia tantæ sunt iusti gratitudinis, vt beneficia omnibus præstita sibi solis facta esse putent, ita docet S. Chrys. l. 1. de cõpunctione cordis. *Hic est affectus,* inquit, *serui fidelis, vt beneficia Domini sui, quæ communiter data sunt omnibus, quasi sibi soli præstita esse putet.* Et hom. 2. in 1. ad Corint. 207.

S. Chrys.

1 Corint. loquens de beato Paulo, ait ad illa verba gratias A ago Deo meo, *ex magna affectione rapit quod commune est, & facit sibi proprium; vnde Prophetas apo dixerunt Deus Deus meus.*

*Filijs nomina parentes imponant, quibus ad virtutes eorum imitandas prouocentur.*

208. *Peperit ei filium quem vocauit Gersam*, cuius interpretatio *aduena fui ibi*: secundi autem nomen est Eliezer, cuius interpretatio est Deus meus adiutor. Scio veteres Patriarchas ab euentu vel ab insigni aliquo beneficio, nomina filijs imponere, sed cur non fortuito, & à casu, ea illis imponunt? sane vt memores nominum quæ aliquid significant sibi à parentibus impositorum, eorum virtutes imitarentur, ita sentit S.

Cit. Docto. Chry. ho. 21. in Genes. *Prisci omnem operam adhibebant, vt talia natis imponerent nomina, quæ non solum illos qui nomina sortiebantur in virtutes adducerent, sed & alios omnes etiam qui sequentibus B sæculis futuri sunt, nullam non sapientiam docerent.*

*Gubernatores populi decet esse continentes.*

209. *Peperit ei filium quem vocauit Gersam*, & alium qui vocatus est Eliezer, nec aliorum quos habuerit, filiorum fit mentio. Quod equidem non mihi leue facescit negotium, nam cum per tot annos simul conuixissent, vterque autem generationi idoneus, quomodo solum duos ex Sephora pulcherrima (sic enim eam vocat Philo dat ei filiarum vxorem formosissimam) præcipue cum veteres, cum examen filiorum haberent, fœlices se arbitrarentur, suscepit, sane dicere possumus, quod cum natus esset ad populorum regimen, tantæ erat continentiæ, vt potius alijs rebus serus, quàm generationi vacaret, contentus vnum aut alterum successorem habere de pluribus alijs non sollicitus, fauet Theod. q. 22. in lib. Numer. *Tantam habuit curam ingenuitatis post vocationem suam, vt ingressurus Ægyptum, propriam vxorem relinqueret.* Sed dices, si Theodo. tantæ commendatur continentiæ, quomodo duarum fuit vir vxorum, nempe Æthiopissæ, cuius mentio numer. 12. habetur, & Sephoræ? licet Iosephus duas habuisse opinatus fuerit, sed concors fere patrum sententia est August. in numeros, Tertul. lib. de monogamia, Hier. Epist. 2. quæ est ad Nepotianum cap. 3. & aliorum, vnam solum habuisse, nempe Sephoram, quæ Æthiopissa dicitur, quia Madianitæ vbi natale solum habuit, ad Æthiopiam pertinebant, non occidentalem sub zona torrida, sed orientalem propinquam Ægypto, ac versus mare porrectam vna cum Amalecitis & Ismaëlitis, qui omnes etiam Arabum vocabulo comprehenduntur.



## VARIETAS LECT. Vers. 23.

VVlg. Post multum vero temporis mortuus est Rex Ægypti, & ingemiscētes filij Israël, propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.

*Cald.* Et factum est post multos dies, & mortuus est Rex Ægypti & ingemuerunt filij Israël, propter duram seruitutem, quæ erat super eos & clamauerunt, & ascendit clamor eorum coram Deo propter seruitutem.

*Onk.* Ingemuerunt filij Israël propter seruitutem duram, quæ super eos erat, & clamauerunt, C ascenditque clamor eorum in conspectu Domini, ab ipsa seruitute.

*Pag.* Suspirauerunt filij Israël, propter opus & clamauerunt, & ascendit clamor eorum ad Deum propter opus.

## CONCORDIA.

ויהי בימים הרבים ההם Phrasis est Hebraica & fuit post multos hos dies, æquiualens huic modo loquendi, post multum vero temporis, verbum אנח Anah suspirare, gemere, ingemiscere, vel cum gemitu clamare significat, vulgat. habet propter opera, cum in Hebr. sit העבדה Aauoda à seruitute, sed vtriusque idem est sensus, premebatur enim graui seruitute populus Israëlitarum ex operibus durissimus quibus vacare tyrannicè compellebatur.

## EXPOSITIO.

POst multum vero temporis, nempe anno fere D octogesimo ætatis Moysis, & post annos quadraginta, post suum ex Ægypto discessum, *mortuus est Rex Ægypti*, non ille sub quo Moses natus, nec is sub quo discesserat ex Ægypto, sed successor eorum secundus vel tertius *Et ingemiscentes filij Israel propter opera*, quibus durius à nouo Rege premebantur *vociferati sunt*, conquerentes publice quod iniustissimè torquerentur, & Deum deprecati sunt vt à tot miserijs eriperentur, *ascenditque clamor eorum ad Deum*, hoc pertinet ad magnitudinem oppressionis & miseriæ, simulque significat Deum, & si eo vsque dissimulasset Iudæorum miseriam, ex tunc eam cordi habere cœpisse, eorumque liberationem parare.

## CONCEPTVS.

*Qui operibus huius sæculi inuitus incumbit, liberabitur, qui autem ea in delitijs habet, peribit.*

210. *INgemiscentes filij Israel propter opera vociferati sunt.* Propter opera, nẽpe luti & lateris, quibus variæ hu° sæculi occupationes & hæ terrestres denotantur: sed nonne sub eodẽ labore & opere lateritio erãt Ægyptij sicut & Israëlitæ? nã vterque populus dabat operam construendis ædificiis, vterque occupabatur operibus luti & lateris, vt Pharaoni seruiret, quomodo inter ea opera Israël obtinuit salutem Ægyptius extremum incurrit supplicium? Nonne sub hoc opere lateritio erant Israëlitæ cum gemitu & tristitia? illam vilem nauabant operam Pharaoni? Ægyptij autem non cum gemitu sed cũ gaudio operi incumbebant vilissimo? & inde meruerunt extremum supplicium, accipe B. Amb. lib. de Paradiso cap. vlt. sic differentem, *Denique Hebræi qui ingemiscebant de laboribus Aegypti, iustorum gratiam consequuti sunt, & quia panem in tristitia manducabant, esca donati sunt spirituali, Aegyptij vero qui talia opera cum exultatione celebrabant Regi detestabili seruientes nullam veniam sunt adepti*, iusti & impij multas sustinent asperitates, multa vitæ incommoda, cogitur iustus incumbere mundi operibus propter honestam familiæ sustentationem, similiter & auarus, sed iusti in tristitia seruiunt mundialibus operibus, gementes sub operibus, at prophani aleatores summo cum gaudio peruigiles noctes agunt, adulteri æltissimi pericula arripiunt, & dissipant substantiam, auari alacriter sese macerant fame, & iacent in tenebris, cur hi non pereant? fallar nisi perditioni reseruentur, qui sic amant, & in delitiis habent res adeo rationi contrarias.

B. Ambros.

### *Reges impij maxime nociui.*

211. *Ingemiscentes filij Israel propter opera, vociferati sunt ascenditque clamor eorum ad Deum.* Quandonam clamor Israëlitarum ad Deum ascendit, & clamor eorũ à Deo exauditur? ait textus postquam mortuus est Rex Ægypti, nonne iniqua tyrannide premebantur? viuente Pharaone cur ad Dominum non suspirant? cur Deum non deprecantur, vt tot calamitatibus suis finem velit imponere? cur eorum gemitus non auditur? quasi vnus ille Rex improbus eorum clamorem ad Deum ascendere impediret, quod pluribus probat D. Hierony. Epist. 142. ad Damas. *Viuente leproso Rege & quantum in se est, sacerdotium dissipante, Esaias visionem videre non potuit, quandiu ille regnum tenuit in Iudæa Propheta oculos non leuauit ad cælum, ei non sunt reserata cœlestia, non apparuit Dominus Sabaoth, nec in mysterio fidei ter sancti nomen auditum est: quando vero ille mortuus est, vniuersa quæ subsequens sermo monstrabat, aperto sese lumine prodiderunt, tale quidem & in Exodo scriptum est dum Pharao vixit populus Israel ex luto & lateris palearum opere pressus, non suspirauit ad Dominum dum ille regnauit, nemo quæsiuit Deum patrum Abrahã & Isaac & Iacob: quando vero ille mortuus est, suspirauerunt filij Israel & ascendit clamor eorum ad Dominum.*

D. Hieronym.

### *Calamitatibus vrgemur à Deo, vt ad eum recurramus.*

212. *Ingemiscentes filij Israël propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum.* Cur Deus suos ita tyrannice vexari permittit? cur tantis calamitatibus opprimi per tot annorum curricula? sane vt ipsi Deum precantes erumperent in clamores sibi maxime profuturos, quod D. Chrys. hom. 6. ad populum Antioch. recte expendit, *volens* inquit *Deus illos in reditus captiuitatem inducere, & vt Aegyptum odissent persuadere, permisit eos lateritio opere & luto laborare, vt laborum & ærumnæ illius magnitudine cruciati ad Deum clamarent, si enim egressi quamuis hæc accidissent, Aegypti iterum meminerunt, & pristinæ seruitutis, & ad grauem tyrannidem redire festinabant, nisi tales vnquam fuissent expertus Barbaros, quando alienam voluissent dimittere terram?* vtilem sane afflictionem cense ex qua ad diuinam consolationem prouocare cogebantur.

D. Chrysos.

### *Calamitatibus ne turbemur.*

213. *Ingemiscentes filij Israël vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum.* Cur non ait contra Deum? cum eum nimiæ seueritatis arguere deberẽt, quod Ægyptiis idolorum cultoribus, tanta cõferat & sibi fideles seruos calamitatibus & miseriis premat; ad Deum clamant, contra Deum non insurgunt, nec in cœlum ponunt os suum, quia calamitatibus à Deo probati, turbari non debemus, ita suadebat Petr. Dam. lib. 7. Epist. 3. ad Agnetem imperatricem, *Ne turberis si qua te fortassis aduersitas feriat, ob id enim fit vt internus ille dispositor ad hanc te trahat dulcedinem, nam & mater cum ablactare vult filium, aliquando fel vberibus adhibet, vt dum aspernatur ille quod horret, compellatur ad alimentum se transferre quod roboret.*

D. Petrus Damianus.

### *Pœnitentiæ tempus non differendum.*

214. *Ingemiscentes filij Israel vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum.* Ecce oratio eorum ascendit ad Deum, qua petunt liberari ab Ægyptiis, adhuc viui, validi: consulamus quæso quid Ioseph morti proximus, suis fratribus dixerit, visitabit vos Dominus, asportate ossa mea vobiscum, cur non petit Ioseph adhuc incolumis ab Ægypto eripi? cur solum post mortem postulat, vt ossa sua in terram promissionis transferantur, cum Israëlitæ ad Deum vociferentur clamoribus, cœlum impleant, vt incolumes à seruitute Ægyptiæ liberentur? sane Ioseph hoc loco figuram gerit eorum, qui dum viuunt inter Ægyptiacas delitias, vitam protrahunt, & tamen mortui in terram promissionis ossa sperant transferri, certoque eam sibi pollicentur, sunt enim plures qui vitam suam in peccatis transigunt, & tamen si quid eis de morte & de

Genes. 50.

Lyppom. gimur, hoc vere expendit Lypp. *Tyrannorum excidium piorum est redemptio, nisi maior peior succedat, nondum completis peccatis subditorum, solent oppressi semper meliora optare, ex morte præsidentium, raro autem sentire.*

*Impium est asserere licite vel meritorie Regem tyrannum occidi posse.*

220 *Ingemiscentes filij Israel vociferati sunt*, scilicet vt ait textus *post mortuus est Rex Ægypti.* Qui sane intolerabilem in populum Israeliticum tyrannidem exercuerat, cur ergo Moyses obseruat mortuum fuisse, scilicet ex infirmitate: cur nō ait interfectum, cum esset Tyrannus? dices quia à nullo interfectus est, sed cum tyrannus & quidem crudelissimus esset, cur aliquis ex Israëlitis, multū oppressus, ei ferro per insidias vitam non ademit? cur veneno cum non interfecit, vt omnē suum à tyrannide intolerabili eriperet populum? suppono hunc Ægypti Regem fuisse non intrusum, non inuasorem vsurpatorem, sed Ægypti legitimum possessorem, qui in hoc erat tyrannus quod ad plura se extendere illicita, quam sui dominij & potestatis lex attenderet, quod vltra debitū exactiones extorqueret &c. nō sine emphasi Moyses obseruat, recensita prius huius Regis crudelitate, & in populum suum tyrannide, mortuum fuisse non autem interfectum, vt innueret nullomodo licitum, Reges, qui tamē sunt tyranni, interficere. Si hoc enim licitum, cur Dauid in spelunca existens, quam ingressus est Saul, vt purgaret ventrem, non interfecit, cum tunc facillime id agere potuisset? nonne Saul impius erat, & regno à Domino priuatus? nunquid non tyrannus, cum occidisset Achimelech sacerdotem, & alios octoginta quinque viros vestitos ephod lineo, propterea quod Dauid esurienti panes propositionis dedisset? nunquid non ipsummet Dauid occidere tentauerat multè, & tamen cum hæc omnia notissima essent ipsi Dauid, & omni populo, noluit illum interficere cum posset, sed solum oram chlamydis Saül silenter præscidit, nec tamen sine aliqua leui culpa id fecit, quod ex eo conuincitur, quod postea pœnituit ipsum
1 Reg. 24. Dauid huius facti; quo fit vt multo magis pœnituisset eum si personam Saül percussisset; ideo viris suis consulentibus illi, vt occideret Saül dixit Dauid, propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rē Domino meo Christo Domini, vt mittā manū meā in eum, quia Christus Domini. in huius veritatis probationem subiicio verba Concilij Constantiensis, quæ sic habentur sess. 15. *Præcipua solicitudine, volens ad extirpationem errorum & hæresum in diuersis mundi partibus inualescentium prouidere, sicut tenetur & ad hoc collecta est, nuper accepit, quod nonnullæ assertiones erroneæ in fide & bonis moribus ac multipliciter scādalosæ, totiusque reipublicæ statum & ordinē euertere molientes, dogmatisatæ sunt, inter quas hæc assertio delata est quilibet Tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum etiā per clanculas insidias, & subtiles blāditias vel adulationes, non obstante quocumque præstito iuramento, seu confœderatione factis, cum eo non expectata sententia, vel mandato iudicis cuiuscumque: aduersus hunc errorem satagēs hæc sancta Synodus insurgere, & ipsum funditus tollere præhabita deliberatione matura, declarat, decernit & diffinit huiusmodi doctrinam erroneam esse in fide & moribus, ipsamque tanquam hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria vias dantem, reprobat & condemnat: declarat insuper, decernit & diffinit quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt hæretici & tanquam tales iuxta canonicas sanctiones puniendi.* Hic enim peruersus error ex orco depromptus est.

(Concilium Constant.)

*Reges qui sunt Tyranni, vindices manus Dei non euadunt.*

*Ingemiscentes filij Israël, vociferati sunt.* Quandonam? postquam mortuus est Rex Ægypti, sed cum asseruerimus, & constet tyrannica crudelitate populum Israëliticum oppressisse, quomodo criminibus suis debitas euasit pœnas? quomodo impunita manent eius scelera? cur ex infirmitate in suo lecto moritur? sed ne dicas impunitum mansisse, nam præter supplicium æternum, quo in futuro sæculo cruciabitur, turpissima morte periit, teste Euseb. lib. 9. de præp. Euang. cap. 9. *interea*, inquit, *Elephantiæ morbo, quoniam multis modis Iudæos premebat, Ægyptiorum Rex expirauit*, preme hæc verba, & colliges Tyrannos nec in futuro nec in hoc sæculo, manus Domini effugere, sed infœlici exitu Deo eorum crimina puniente occumbere. 221

(Eusebius.)

*Mortuo in nobis peccato, ad Deum clamare poterimus.*

*Ingemiscentes filij Israël vociferati sunt.* Ingemiscunt quidem, sed Pharaone extincto, quasi vero ante eius obitum ingemiscere non potuissent, nonne etiam eo viuente tyrannice opprimebantur? nonne eis sufficiens materia sicut doloris ita & gemitus erat? cur ergo Deum clamore suo non pulsant? nonne Pharaone in Ægypto regnante, peccatum in nobis regnans & tyrannice nos opprimens intelligi potest? quid mirum igitur, si eo viuente non ingemuerint, nec ad Deū clamauerint? quia nisi in nobis mortuum fuerit peccatum, quamuis clamemus in cœlum, clamor noster non ascendit. fauet Ruper. lib. 1. in Exod. cap. 11. *Quandiu viuit Pharao, idest quandiu regnat peccatum in mortali hoc corpore non ingemiscit animus, nec ad Dominum vociferatur, sed libens & seruitutis pessimæ laborem vel contraria onera sentiens subigitur operibus duris luti & lateris, omnique famulatui qui in terræ operibus premitur, gemit quidem vtcumque & suspirat interdum, etiam plorat, sed differt vtrum quis gemendo & plorando lutum lauet an luti operibus abiectis melius propositum arripiat, & pro auxilio fortiter in cœlū clamet: et si moriatur Rex impius Ægypti, si iuxta Prophetam computrescat iugum à facie olei, cessetque amor peccandi vera confessione, Spiritu sancti, tunc ingemiscet Israël & vociferatur libere, ascenditque ad cœlum clamor eius, & audit liberator gemitum eius.* 222

(Rupert.)

*Magis de rerum temporalium, quam de animæ salutis iactura ingemiscimus.*

*Ingemiscentes filij Israël vociferati sunt propter* 223

*opera.* Cald. propter duram seruitutem, cũ plures A ex eis idolorum cultui seruirent, & ideo animæ salutis ex peccato iacturam facerent, cur non dicitur quod ingemuerunt propter peccatum? cur obseruatur à Moyse, quod propter opera latericia & lutea? quod propter duram seruitutem clamorem ediderunt? quia vt in plurimum magis de rerum temporalium quam spiritualium iactura ingemiscimus, potius de labore corporis, quam animæ dolemus & conquerimur. huc spectant cit. Ruper. lib. 5. de vict. verbi cap. 12. *Omnes quidem vociferati sunt, sed non omnes vociferandi scientiã habuerunt. idest non omnes vociferando corporum pariter & animarum suarum liberatorem qui ad patres ipsorum repromissus fuerat, quærere vel desiderare scierunt. nam fere omnes de sola corporum salute soliciti curam vel solicitudinem habere nescierunt de animabus suis.* Cit. Abbas.

## *VARIETAS LECT. Vers. 24.*

V*Vlg.* Et audiuit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Iacob.

*Sept.* Exaudiuit Deus gemitum eorum, ac recor- B datus est Deus testamenti sui, ad Abraham, Isaac & Iacob.

*Cald.* Et auditus est coram Deo clamor eorum.

## EXPOSITIO.

E*T audiuit gemitum eorum.* Idest exaudiuit, loquiturque scriptura humano more, tunc enim dicimus aliquem audire alterius vocem, cum opem fert illi qui oppressus est, *& recordatus est fœderis quod pepigit cum Abraham,* per metaphoram recordari dicitur Deus, cum ad modum recordantis quod promiserat opere complet, & se non oblitum ostendit.

## CONCEPTVS.

### *Clamor noster si iustus fuerit, à Deo exauditur.*

224 A*Vdiuit gemitum eorum.* Cald. exaudiuit, quot clamoribus, quot gemitibus cœlum C pulsarunt, & tamen minime fuerunt exauditi? cur ergo clamorem Israëlitarum gratum habens eos exaudiuit? nonne iniuste opprimebantur & tyrannice vexabantur? quid mirum igitur si exaudiantur? iustus enim clamor à Deo non reiicitur, *Etsi Deus pia & iusta desideria audiat,* inquit Oleast. *& orationes, proprior tamen est ad clamores audiendos, vbi simul disce nõ quoscũque eum exaudire clamores, iniustos enim non audit, sed eorum qui ab aliquo iniuste premuntur, & grauantur ipsi iuste propter durum opus, clamauerunt, & ille hac de causa exaudiuit.* Oleaster.

### *Vt aliis misereamur, varias excogitemus rationes.*

225 *Audiuit gemitum eorum ac recordatus est fœderis quod pepigit cum Abraham.* Nonne satis erat dixisse Deum exaudisse gemitum eorum, quia ingemuerũt, ad eum clamauerunt? nam regius Vates testatur quod cum ad Dominum clamauerit, eum exaudisse, cur igitur addidit quod etiam recordatus est fœderis, quod pepigerat cum Abraham, Isaac & Iacob? quia vt aliis misereamur, varias debemus excogitare rationes, vt facilius & firmius misericordiam exhibeamus; mens est cit. Lusita. *Cum alicui subueniendum est, omnes causæ quæ prouocare misericordiam possunt, sunt in memoriam reuocandæ sicut fecit hic Deus, qui & propter clamores, & propter pactum cum patribus subuenire voluit filiis Israël; nam quemadmodum qui alicui malefacere volunt omnes sæuiendi causas in memoriam reducunt, sic & benefici omnes benefaciendi.* Lusitanus.

### *Deus dormire videtur aliquando cum laboramus.*

*Audiuit gemitum eorum.* Cald. auditus est coram Deo clamor eorum, nonne à pluribus annis ad eum clamauerunt? nonne reiteratis gemitibus eius misericordiam pulsauerunt? quomodo dicitur quod nunc solum auditus est à Deo clamor eorum? an antea surdus eorum clamoribus? non antea surdus, sed quasi dormiens aliquando videtur cum laboribus premimur, sic innuit Caiet. *significatur hic quod clamor laborum perueniens ad summum iudicem ad similitudinem excitantis, prouocauit eum ad auscultãdum clamorem personarũ.* 226 Cajetanus

### *Scriptura sacra nostræ se accommodat imbecillitati.*

*Audiuit gemitum eorum, & recordatus est fœderis quod pepigerat cum Abraham.* Quid? an in Deo 227 D rerum præteritarũ obliuio reperitur? sane si obliuisci diceretur, nullomodo Deus censeri deberet, cum imperfectionis non exiguæ argueretur, cur ergo auditis clamoribus Israëlitarũ, ait Moyses recordatum fuisse pacti cum Abraham? nec Deus imperfectionis arguendus, nec ineruditionis Moyses, sed ita loquitur vt nostræ se attemperet imbecillitati: nobis subscribit Abul. *Recordatio in Deo nunquam est, quia nullius rei obliuio vnquam inest sed scriptura seruat morẽ humanũ; cum enim aliquis homo promisit alterum adiuuare, quẽ nunc in laboribus videt, & nõ adiuuat, promissi oblitus dicitur, cum autem adiuuare vt promiserat, incipit, dicitur pacti prioris recordari: cũ ergo Deus vidisset eos temporibus effluxis sub onere gemere, nec vnquam eos ad liberandum respexisset, oblitus eorũ videbatur, nunc autem eos iuxta antiqua promissa liberans fœderis sui dicitur recordari.* Abulens.

*Deus intuitu meritorum patris filijs subuenit.*

226 *Audiuit gemitum eorum & recordatus est fœderis quod pepigerat cum Abraham.* Cur memorat pactum quod cum Abraham inierat? nonne Deus infinitæ est misericordiæ, qui seposita omni recordatione fœderis, auditis suorum clamoribus, potest suos exaudire? cur ergo cum agitur de misericordia Israëlitis à Deo præstita, fit mentio fœderis cum patribus eorum initi? sane vt eis compertum esset quod intuitu suorum progenitorum suos clamores exaudiebat. *propter merita patrum,* inquit Hugo Carens. *respexit filios.*

Hugo Carensis.

*Deprecatio cum gemitibus, ad Dei misericordiam impetrandam efficacissima est.*

227 *Audiuit gemitum eorum.* Septuag. exaudiuit, quid? nihil intercedit inter gemitum & impetrationem? cur Deo sacrificium non obtulere, vt misericordiam consequerentur? cur cum ieiunium à Deo æstimetur, carnes suas ieiunijs non maceraucre? quid ergo nec ieiunium eorum, nec sacrificium oblatum inuenimus? quomodo ergo eorum misertus est Dominus? quid dictum est versu præcedenti? ingemiscentes vociferati sunt ad Dominum: ne ergo sciscitaris, cur nulla mora interposita, cito exaudiuntur, quia deprecatio cum gemitibus ad Dei misericordiam consequendam efficacissima est, quod sapienter annotat D. Gregor. Nazian. oratione 18. *neque Deus vlla re perinde atque corporis ærumna conciliatur, lachrymisque misericordia vicissim rependi solet.*

Nazianz.

*Gemitui & lachrymulæ afflictorum nihil denegatur.*

228 *Audiuit gemitum eorum.* Septuag. exaudiuit, non est dubium pluraliter dici gemitus, cur igitur non ait, Moyses, Deus gemitus eorum audisse? cur solum vnum memorat gemitum, & hunc ait exauditum fuisse? nonne maxima premebantur afflictione? vnum ergo edant gemitum, vnam effundant lachrymulam, & nihil eis denegabitur, *ô humilis lachryma,* inquit Sanctus Bernard. cit. à D. Bernardino, feria 3 post 1. Domin. quadrag. de Christ. relig cap. 3. art. 3. *tuum est regnum, tua est potentia, ante conspectum iudicis non vereris accedere, sola si intraueris quidquid petieris obtinebis, accusantibus silentium imponis, de ore principis sententiam rapis.*

Bernardus Bernardinus.

*Afflictionibus aliorum etiam temporalibus est compatiendum.*

229 *Audiuit gemitum eorum.* Chald. exaudiuit, A qua de causa gemitus eorũ auditur: cũ solum propter corporalia aut tẽporalia ad eũ clamauerint? ait enim Moyses, ingemiscentes vociferati sunt propter opera, Cald. propter duram seruitutem, si ingemiscerent propter spiritualium iacturam, sane à Deo exaudiri mererentur, sed nonne à Deo afflictione corporali propter sui vtilitatem premebantur? cur igitur gemitus eorum exauditur? vt hac ratione doceamur temporalibus etiam compati afflictionibus, *tribus generibus,* inquit noster S. Bernard. feria 3. post Dominicam in quinquag. cap. 1. 2. art. 2 tom. *afflictionibus compati debemus corporalibus exemplo illorum qui 10. ad Hebr. ab Apostolo de compassione commendantur, cum ait vinctis compassi estis, & 1. Corint. 2. Apost. ad hoc exemplum inducens de* B *corpore dicit, si quid patitur vnum membrum compatiuntur ei omnia membra, compati etiam debemus afflictionibus temporalibus, & maxime exterminiis, & destructionibus patriarum, quæ ex bellis & diuisionibus venire solent, exemplo Nehemiæ qui Neh. 2. ait, quare non mœreat vultus meus quia ciuitas domus sepulchrorum patris mei deserta, & portio eius combusta igne: similiter compatiendum est alijs afflictionibus particularium personarum exemplo sanctissimi Iob. qui hoc particulari affectu commotus ca. 30. dest ait, compatiebatur anima mea pauperi.*

Bernardus. Hebræ. 10. 1. Cor. 2. Iob. 30.

C *Salutaris est illa calamitas quæ nos Deo subiicit.*

230 *Audiuit gemitum eorum.* Cald. exaudiuit, cur eorum clamorem gratum habet? cur eos exaudit? nonne diximus ex Philipp. Abb. eos idolorum cultores, ad sua ergo falsa recurrant numina, ab eis opem implorent, nequaquam, sed vociferati sunt ad Dominum, & ideo salutaris eis ipsa calamitas, quæ falsorum obnoxios cultui deorum, vero Deo subiicit. Non aliena est Ruricij Episcop. Lemouicensi excogitatio, qui lib. 2. Epist 31. sic fatur cuidam amico suo, *Infirmitatem nobis clementer illatam propitio potius quam irato ipso Domino nostro pro solita ipsius pietate conijcio: sic enim legimus quod corripiat Dominus quem diligit, quod etiam in no-* D *bis quantum audio probatur, vt ordinatis affectibus suum nobis insinuaret affectum, & habitu animoque mutato iugum nobis suæ lenitatis imponeret, vt salutari suo collo colla subdentes, dum mandatorum suorum leue onus euehitis, peccatorum grauem sarcinam deponatis,* Quid pulchrius? huc spectant calamitates præsentes prementes vt Domino ab eo alienos subiiciant.

Ruricius.



## VARIETAS LECT. Vers. 25.

*Vulg.* Et respexit Dominus filios Israël, & cognouit eos.

*Sep.* Et respexit Deus filios Israël & innotuit eis.

*Cald.* Et nota fuit coram Domino subiectio filiorum Israël & dixit in verbo suo vt liberaret eos.

*Onk.* Et reuelata fuit coram Domino afflictio filiorum Israël, dixitque per verbum suum vt liberaret eos Dominus.

## CONCORDIA.

Septuag. habent καὶ ἐπεγνώσθη αὐτοῖς, & cognitus est illis vel innotuit eis, quod tamen non discrepat à vulg. qui ex Hebræo וידע אלהים vaieda elohim & cognouit eos Deus: non inquit discordat, quia sicut eos agnouit, ita etiam eis innotuit per experientiam, cum erepti fuerant à captiuitate Ægyptiaca.

## EXPOSITIO.

Et respexit Dominus filios Israël. Non quomodocumque, sed oculo pietatis, vt eorum misereretur & à captiuitate liberaret; & cognouit eos, quasi diceret, cum eousque Deus eos negligere visus sit; quasi non suos, iam eos pro suis habere cœpit, eisque tanquam suis subuenit, vel cognouit eos idest ad modum cognoscentis se habuit, præbens eis suæ argumenta dilectionis.

## CONCEPTVS.

*Deus videt suorum oppressionem vt seuere eos opprimentes puniat.*

231 Respexit Dominus filios Israël, & cognouit eos. In Hebræo est cognouit elohim, si elohim iudicem designat, quid? an Deus filios Israël cognoscit vt iudicet, & ab eis tanquam iudex aliquam exigat pœnam? non equidem, sed vt eos liberet & ab eos opprimentibus seuerum exigat supplicium, sic annotat Oleast. *Ostendit locus iste quam exactè & occultè Deus aduertat mala quæ in suos fiunt, vt considerent qui faciunt quales sunt pœnas daturi, audi eum apud Ierem cap. 2. sanctitas inquit Domino Israël primitiæ frugum eius omnes deuorantes eum delinquunt, malum veniet super eos: nam quemadmodum qui sancta Dei ac primitias eius comedit, grauissimas daturus est pœnas, quales dedisse legimus filios Heli: ita & qui populum Dei deuorant, & in pios sæuiunt, daturi sunt; vnde & illud alterius Prophetæ qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, cauendum ergo est valde ne quempiam sanctorum lædas cum scias eos seuerissimum vindicem habere.*

Olcaster. | Ierem. 2.

*Æquanimiter toleranda sunt calamitates.*

232 *Respexit Dominus filios Israël.* Afflictionem eorum vidit, vt eis auxilio suo subueniret, sed miror populum adeo innumerum cum intolerabili tyrannide premeretur, arma non sumpsisse, vt se à persecutoribus tueretur, vimque vi repelleret, vel vt iugum Pharaonis excuteret; cur aliud non petiit fugiens, regnum? nihil in sui defensionem molitur, vt hoc exemplo instruamur qualiter debeamus æquanimiter ferre calamitates, *interim* inquit Lyppom. *tolerantia & longanimitas docetur, dum non resistit tantus populus durissimo seruitio pressus, non sese violenter eripit, non effugit.*

Lyppom.

*Est patientia necessitatis, sed laude digna.*

233 *Respexit Deus filios Israël.* Qui æquanimiter & cum patientia calamitates sibi inflictas ab Ægyptiis tolerabant, sed cur eos æquanimitatis commendamus, cum necessitate coacti, cum ab eis se eximere non valerent; hæc omnia sustinerent? licet necessitate coacti hæc aduersa tolerassent, eorum tamen tolerantia commendatione digna est, nam præter patientiam vtilem & meritoriam, dissimulatam & vituperabilem, alia datur necessitatis, sed laudabilis, sic enim ait Sanctius à Porta sacri Palatij magister ser. 3. in Domini. 13. post festum Trinitatis. *Triplex est patientia, prima necessitatis & laudatoria, & est cum aliquis passus iniuriam non se vindicat, sed patienter sustinet, quia non potest vel non audet, timens ex hoc sibi maius euenire dispendium, vt seruus à Domino, pauper à diuite, discipulus à magistro, vnde tali patienti posset, quis dicere scio patientiã tuã Apoc. 2.*

Sancti à Porta. | Apocal. 2.

*Dei erga suos prouidentia.*

*Respexit Dominus filios Israël.* Nonne omnia sunt oculis Domini aperta, & nihil ei absconditum? quomodo ergo dicitur Deus nunc respexisse filios Israël? nonne aliquis videns eos ita dura seruitute opprimi, tot calamitatibus vrgeri, tot ærumnis affici, à tot anniorum circulis à diuina exclusos esse solicitudine, Deumque eos nõ agnoscere? necesse igitur fuit vt Moyses diceret Deum eos inspexisse, vt compertum esset omnibus, à diuina non excludi prouidentia, imo eos speciali curare. *damnat prouerbium infidelium,* inquit Robertus Bayus explicãs illa verba Prouerb. 15. in omni loco oculi Domini super bonos & malos, *errorẽ qui negant Dei prouidentiã & dispensationẽ, omnia enim nouit Dominus & gubernat omnia.* 239

Robertus Bayus. | Prouerb. 15.

*Licet Deus omnia etiam minima inspiciat, nihil tamen attentius intuetur, quam bonos & malos, eorum obseruans opera.*

*Respexit Dominus filios Israël.* Quid nouum quod eos Dominus respexerit, post tot clamores, post tot gemitus & lachrymas, cum in omni loco oculi Domini bonos & malos contẽplentur? imo hoc emphaticè à Moyse dictum arbitremur, scilicet & Deum Ægyptiorum Tyrannidem inspexisse vt ab eis pœnam suis demeritis debitam exigeret, & Israëlitas à tot calamitatibus eriperet, 235

quod iustos partim continet, partim consolatur. A continet quidem quia ut ait Boëtius apud Hugonem, *magna nobis indicta est necessitas probitatis, nisi dissimulare velimus, cum omnia agimus in conspectu iudicis cuncta cernentis*, solatur vero dum bona eorum opera à Deo nequaquam negligi aut dissimulari certo sciunt, impios vero prorsus exterret atque prosternit, quia se in Dei oculis delinquere, & nihil eorum quæ agunt, diuinam illam aciem fugere posse compertum habent, hanc dissimilem diuini erga probos aspectus efficaciam satis innuunt illa Psal. verba, *oculi Domini super iustos, vultus autem Domini super facientes mala*: vultus enim ac supercilium minas significat, oculi vero intenti gratiam aut iucundam placabilemque correptionem adumbrant.

Boëtius.

Psalm. 33.

*Deus non solum bona nobis largitur, sed vult ut à nobis tanquam eorum distributor agnoscatur.*

*Respexit Dominus filios Israël, & cognouit eos.* 2 : C
Sept. & cognitus est eis, non idem mihi videtur Deũ aliquẽ cognoscere & ei cognitum esse, quot enim Deus cognoscit qui tamẽ vel ex ingratitudine, vel ex cæcitate, vel ex errore minime eũ agnoscunt? quomodo ergo ubi legimus & cognouit eos, transtulere Septuag. & innotuit eis? quia Deus non solum bona largitur, sed etiam vult ut à nobis tanquam eorum distributor agnoscatur. fauet Lyppom. *cognitus est ab eis videlicet liberando eos mirabili modo, Deus egit ut ab eis cognosceretur pro Deo suo.*

Episcopus Metonens.





# CAPVT TERTIVM

## SYNOPSIS.

Moysi Dominus oues pascenti apparet in rubo, ei quantum afflictis Hebræis misereatur, aperit, pro ipsorum releuatione & ad Regem & ad Israëlem eundem legatum facit, legato ipsi & legantis nomen, & socios & legationis formam exprimit, Regis duritiem, Israëlis emissionem, Ægyptij spoliationem eidem prædicit.



### *VARIETAS LECT. Vers. 1.*



*VVLG.* Moyses autem pascebat oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian, cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.

***Sept.*** Moyses erat pascens oues Iethro, & duxit oues in desertum, & venit in montem Choreb.

***Chald.*** Moyses pascebat oues Iethro principis Madian soceri sui, & minauit oues ad locum op- A timi pastus in deserto, & venit in montem Oreb, vbi reuelata est gloria Dei.

***Onk.*** Duxit oues post bona pascua deserti, vbi reuelauit se super eo gloria Domini nempe Horeb.

***Pag.*** Duxit pecora sua post desertum.

***Aly.*** Pascebat oues Iethro affinis sui.

***Lyran.*** Cognati sui pascebat oues.

### *CONCORDIA.*

Certum est חתן choten quemlibet affinem & cognatum denotare, sed hic proprie socer redditur; quod noster Latinus Interpres dixit minauit gregem ad interiora deserti, Hebraice habetur וינהג את הצאן אחר המדבר vainhag eth ha- B zon achar gamidbar, & duxit oues post desertum, sed vtriusque idem est sensus, nam vterque significat in penitissimam partem deserti gregem duxisse.

### EXPOSITIO.

*Moyses autem pascebat oues Iethro soceri sui.* Sic enim ex conuentione facta cum Iethro tenebatur inuigilare gregibus soceri sui, qui hic vocatur Iethro, cum antea appellatus fuerit Raguel, *sacerdotis Madian*, consule quæ superius à nobis dicta sunt, *cumque minasset gregem*, minasse hic est baculo dirigere, quod pertinet proprie ad pastores, *ad interiora deserti*, secessit [illegible] intimam eremum, *venit ad montem Dei Horeb*, sic dictus est per prolepsim, quod illic sit

Deus Moysi reuelatus, & dederit in eo legem, & præcepta, dicitur autem mons Dei, vel quia singulariter præ cæteris altitudine eminebat, quomodo cedros Dei & montes Dei legimus; vel vt A significetur quod vt Iosephus notat, vulgari rumore tunc celebre esset numen illic habitare, vel propter plura quæ in eo cum hominibus præclare gessit Deus.

## CONCEPTVS.

### *Inuigilare debemus, ne aliis damnum inferamus.*

1 Moyses pascebat oues soceri sui. Vbinam? in abditissima parte deserti, nonne alibi optima poterat inuenire pascua? cur ergo gregem duxit in eremi locum remotissimum? quis enim ex pastoribus si alibi locum pascendi idoneum reperiret, remotissimam vellet secedere in solitudinem? aduerte quod non leue à gregibus infertur damnum: iis quæ in agris seminantur cultis cur ergo non dicemus ideo longe ab eis discessisse ne aliis obesse, ne aliquomodo occasione gregum nocere videretur? consentit noster Lyranus, *hoc fecit ad elongandum se à terra culta, ne greges pascerentur aliena blada.* Lyran.

### *Qui Dei amore flagrat, dignitates & honores habet contemptui.*

2 *Moyses pascebat oues soceri sui.* quomodo negauit se filiũ filiæ Pharaonis? quomodo quẽ in aula Regia possidebat renuit, imo contẽptui habuit, honorem, & in tãtum, vt sceptrum baculo, populum maximum gregibus, delitias laboribus, satietatẽ aulicorũ, eremo cõmutauerit? quomodo nec in gregibus pascendis soceri sui pristinæ meminit gloriæ, nec de illa sermonem habet? vnde hęc potuit homini accidere? equidem tenebat illum maximus Dei amor, quo flagrabat, ait Eutym. in cat. Græc. *in regia Moyses educatus, in deserto nunc pascit oues, neque idcirco indoluit pertæsus vicem suam, quisquis enim amat Deum contentus in vrbe degit in agris pauper, & diues, liber & seruus.* Vnus, qui Dei amore incenditur, scit ita dignitatem, in qua diu fuit, deponere, vt in nullo discrimine constitutus amplius illam memoret. Euthym.

### *Qui dignitates propter Deum contemnit, alias maiores consequitur.*

3 *Moyses pascebat oues soceri sui.* Homo apud Regem Ægyptiorum enutritus, & disciplinis liberalibus instructus, & in delitiis educatus, in eam miseram sortem deuenit, vt pastoritia arte victũ quæreret: sed quid ei tunc contigit? quod apparuerit ei Dominus, & ideo ei indicat vniuerso populo præficiendum rebus publicis potiturum, imo imperium & sceptrum, quo creata omnia pro suo nutu torqueret & leges impositas à natura transiliret, vnde hoc quasi diuinum imperium in omnes creaturas? quia qui Deo adhæret, & mundi huius honores & dignitates contemnit, longe maiores consequitur, hoc dixerim ex Phil. lib. 1. de vita Moys. *Horum enim omnium princeps Moyses electus est, quam potestatem accepit, non fretus armis & machinis atque equestribus, pedestribus, naualibus que copiis, sed virtutis ergo honoratus, & charitatis qua vniuersos prosequebatur, indesinenter quoque Deo fauente honori viri optimi, nam quia regnum Ægypti reliquerat, cum esset nepos Regis, & offensus incolarum superbia violentiaque adoptatores suos abdicauerat, simulque spes illas obiecerat, pro generosa natiuitate & amore iustitia, visum est omnipotenti rerum gubernatori, frequentioris meliorisque gentis regnum ei imponere, quæ vna omniũ erat functura sacerdotio ei vota factura pro vniuerso humano genere, quibus & mala auerterentur, & impetrarentur prospera.* Philo.

### B *Qui prauis animi motibus scit imperare, non solum princeps, sed Deus aliorum constituitur.*

*Moyses pascebat oues soceri sui.* Moyses quidem in regia educatus, neque tamen eo tempore à Deo electus est in principem populi, sed postquam illam omnem regiam magnificentiam exuisset, & ad pastoritiam artem deuolutus esset, tunc tandem ei apparet Dominus, & cum Deum Pharaonis constituit, nonne qui in principem asciscendus erat, eo tempore eligendus videbatur, quo apud regem Pharaonem tanquam futurus regni successor diuersabatur, non autem cum ciuiles mores abiecisset, & exuisset omnem vrbanitatem, ad pastoritiam & rusticam artem C transiens? D. Ambros. lib. de Cain & Abel cap. 6. ideo factum putat, quia pastor qui oues ductat, illũ significat, qui prauis animi motibus imperitare nititur, hic autem aptior est ad alios gubernandos, quam is qui in curia regia educatus est, nullus est qui possit melius regere, nec qui meliori titulo nomen Dei meretur quam qui sibi imperitat: facit ad hoc probandum Ethymologia nominis Iethro cuius oues pascebat Moyses. Iethro enim, exponente Amb. idem est ac superfluus, ille ergo iure assumitur in Regem ac principem, qui super fluos animi motus compescit, & frænat, accipe Ambros. loquentem, *Denique ipse sibi legislator dicauit hoc munus vt oues pasceret Iethro, qui dicitur superfluus, & ageret in desertum eo quod irrationabile & superflui vulgarisque sermonis lo- D quacitatem, in secreta quædam sobriæ doctrinæ coegit mysteria.* 5 D. Ambros.

### *Prælatis & principibus multarum rerum cognitio necessaria est.*

*Moyses pascebat oues soceri sui.* Et dum pasceret, Deus ei apparet de multis erudiens, cur cum priuatam ageret vitam in Ægypto, nec Deũ vidit, nec eius colloquio potitus est? cur cum primum ad regendum populum à Deo assumitur, diuina fruitur præsentia, multa haurit de sacris mysteriis, & de multis eruditur? quia maxime necessaria erat principi, & innumeræ plebis gubernatori, multarum rerum cognitio, & præcipue cœlestium arcanorum scientia, hoc pulchre notauit Greg. lib. 23. moral. cap. 21. tum etiam ad eandem rem notat, in verticem Sinai adductum, & ad Dei colloquium admissum, dum legem à 6 D. Gregor.

Deo accipit, & eam plebi offert obseruandam, scilicet oportet vt is qui ad populum loquitur & Dei leges obiicit, multa de eo nouerit, alioquin non potest tuto ad populum mandata Dei perferre, accipe Greg. *Rursus Israëliticis turbis prælatus vt legis præcepta percipiat, in mõtem ducitur, atque vt interna penetret ab externis tumultibus occupatur.*

Gregorius.

### *Deus humilibus sua aperit arcana.*

6 *Moyses pascebat oues soceri sui.* Quid abiectius ad magna natum pastoritio labori indulgere? quid humilius, quam hominem diademate dignum, gregum ductorem esse? sed videamus quid illi contigerit; apparuit ei Dominus de pluribus arcanis fidei nostræ erudiens, de futuris instruens, vnde ei tot mysteriorum cognitio? tot futurorum scientia? pascebat oues soceri sui, humili officio vir humilis occupabatur, quid mirum igitur si tot arcanorum cognitionem à Deo accipit? *audis hic* obseruat Oleast. *quibus hominibus Deus apparuit, nempe pastoribus, vnde* Matt 11. *confiteor tibi Domine pater cœli & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* quæ exponens D. Aug. serm. 8. de verbis Domini ait, *nomine sapientum & prudentum, superbos intelligi posse ipse exposuit, cum ait, reuelasti ea paruulis, quid enim est paruulis nisi humilibus?*

Oleast. Matth. 11. August.

### *Solitaria vita præ tumultuaria eligenda.*

7 *Moyses pascebat oues soceri sui.* Quonam in loco? in remotissima parte deserti, cum esset eruditissimus & omni Ægyptiorum scientia præclarus, domi cum socero suo non manet, præcipue cum esset sacerdos & ita eruditus, cur potius secedit in desertum, & maxime in partem illius remotissimam? sane vt ab omni tumultu liber facilius contemplationi vacaret, id testatur Greg. Nissen. *Montanam & solitariam vitam Moyses elegerat, vbi à turbatione procul remotus, in ouium cura in deserto sibi attendebat.* sed Abul. clarius, *Moyses iam vir erat deueniens ad perfectionem ideo vacabat contemplationi, cum pastorale officium ad hoc valde conueniat: & quia attentio quæ reperitur in contemplatione deperibat, quando manebat inter alios pastores, ideo vt liberius Deo vacaret, abscondita loca inaccessa vel non frequentata ab hominibus requisiuit.*

Nissen. lib. de vita Moys. Abulens.

### *Qui aliorum curam habent, ipsis consulant.*

8 *Moyses pascebat oues soceri sui, ducens eas ad interiora deserti.* Cur petis eremi interiora? nonne pascua pluribus in locis reperiuntur, præterquam in remotissimis deserti partibus? attendamus lectionem Caldaicæ paraphrasis, minauit oues ad locum optimi pastus in deserto: nonne oues soceri sui pascebat? non sciscitemur igitur, cur eremi petit interiora; nam qui aliorum curam habent etiam si sint greges animalium, ipsis meliori modo consulere debent: quod annuit cit. Tostat. *Ascendit ad interiora deserti, vt ibi meliora pascua reperiret, quia alij pastores illa loca non frequentabant.*

Tostatus.

### *Pro afflictis coram Deo preces fundamus.*

9 *Moyses pascebat oues soceri sui, ducens eas ad interiora deserti.* Vt locum contemplationi & orationi idoneum seligeret: solitudo enim quæritur, & hominum vitantur consortia, vt tacita cogitatione reuoluamus, quam magna sit dulcedo spiritualis, ibi ad propriam descendimus cognitionem, ad diuinam ascendimus, ibi compungimur, vitia detestamur, vt tandem sancto perfundamur gaudio: sed cur Moyses in hanc abditissimam eremi partem secedit, cum populus Israëliticus intolerabili calamitate premitur? vt ardentius & quietius pro afflicto populo coram Deo preces funderet. ita Lipp. *Minat gregem ad interiora deserti, quo mente quietiore, quæ Dei erant, meditaretur homo sanctus à Deo electus, & oraret commodius Dominum pro populo captiuo & afflictissimis fratribus.*

Lippom.

### *Oratione ad montem Dei peruenitur.*

*Moyses pascebat oues soceri sui, minans eas ad interiora deserti.* Eligens hanc remotissimam eremi partem, vt maiori cum quiete coram Deo preces funderet, sed cur ilico postquam dictum est à Moyse, cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montẽ Dei Horeb? quæ enim cõnexio mõtis Oreb, & mõtis Dei, cum deserti interioribus? maxima equidẽ, hoc enim medio nẽpe orationis, quæ in interiori parte eremi coram Deo à Moyse fusa est, ad montem Dei peruenitur, fauet cit. auctor cat. *his mediis peruenitur ad montem Dei, ad locum exauditionis.* 10

Episcopus Metonẽsis.

### *Dona Dei non sunt coram omnibus aperienda.*

*Moyses pascebat oues Iethro soceri sui, minans gregem ad interiora deserti.* Deinde versu sequenti dicitur, quod ei Dominus apparuerit, cur vt ei appareret, voluit in remotissima eremi parte greges suos pascere? voluit, forte vt nullus alter arcanorum quæ sibi aperienda forent, conscius esset. *experientia enim insinuante ante hoc nouimus*, inquit Laurent. Iustini. in lib. de vita solit. cap. 18. *quod singula quamuis sint magna, quantumcumque pretiosa, formosa, & sancta, immoderatius tamen debito propalata vilescunt: hinc spiritualia sunt silentio dona tegenda, ne vilipendantur ab iis qui solum quæ carnis sunt sapiunt, sunt præterea aliis occultanda de causis, ne videlicet inimicis nostris nota fiant, illaque nobis conentur diripere, ne ne insolescat animus sequi gloriando inaniter bonum quod intus percepit, amittat.* 11

S. Laurent. Iustinian.

### *Vitæ solitariæ innumera sunt bona.*

*Moyses pascebat oues Iethro soceri sui, cumque minasset gregem ad interiora deserti.* Diximus ideo eremum elegisse vt in ea ardentius & maiori cum quiete preces coram Deo funderet, & ideo hanc vitã aliis præferendam, sed adeone eremus alia viuendi genera superat, vt hãc censeamus præferendam? nam in hac solitarius soli sibi viuere, non autem aliis videtur proficere. quid autem fœlicius quam non solum nostræ, sed etiam aliorum saluti consulere? etiam in eremo precibus nostris & sacrificiis Deo oblatis aliorum saluti prodesse possumus: sed quibusnam aliis constat commodis? sane nec lingua exprimi nec animo possunt cõcipi: audiendus est cit. D. Laurent. eodem capite. *O solitudo Deo dicata quam amabilis es, & quam ardenti desiderio concupita ab ijs qui nouerunt te, teque illis delectabilem reddiderunt; tu nam-* 12

D. Laurent.

*que humilitatis es speculum, tu diuini amoris es cu-* A *stos, tu propria cognitionis magistra, tu scientia schola, testis conscientia, futura vita cœlestis imago, accusatrix scelerum, vitiorum detectrix, veritatis amatrix, innocentia decus, secretorum cœlestium cognitrix, contemplationis prauentrix, origo compunctionis, cœli scala, latitudo maxima, orationis portus, tranquillitatis habitaculum, passionum spiritualium interemptrix, peruigil mentis custodia, non dormitans affectio, prudentia comes, discretionis oculus, latens profectus, dulcedo cordis, spei fons, sponsi cœlestis receptaculum, Dei & hominum mediatrix: o quam precelsa sunt praconia tua solitudo sancta, tuta diuitia, laudabilis actio, successus lætus, secura possessio, conuiuium iuge, ac delicata cibaris, frequentissima sapientia illustraris radiis, gaudio perfunderis, eleuaris in cœlum & pace repleris.*

*Summi iudicis est leges instituere, & earum transgressores punire.*

11 *Moyses pascebat oues Iethro soceri sui, venitque ad montem Dei Horeb.* In Hebræo est Elohim, iudicem designans: nomen Iehoua conuenientius hic apponeretur, cum enim sit primum essendi principium, etiam sane illius montis, & sic deberet dici venit ad montem Iehoua. Sed nonne in hoc monte lex à Deo data? nonne in eo tanquam legislator apparet? merito igitur sibi nomen elohim assumit, quia summi iudicis est leges instituere, & eorum transgressores punire.

Cajetanus. *Mons Sinai* (inquit Cajet.) *appellatur mons Elohim, eo quod ibidem Deus legislator apparuit, summi enim iudicis est legem dare & à nomine postea imposito prænominauit illum Moyses; aduerte Choreb esse partem montis Sinai.*

*Officiis nostris quamuis abiectis simus contenti, nec alia maiora ambiamus.*

12 *Moyses pascebat oues Iethro soceri sui.* Cur non ait sacer textus, pauerat non autem pascebat? nam nonne iam à quadraginta annis pastorem ouium in agris agebat? nonne ad maxima natus erat? nonne socer erat principis Madianitarum? cur ergo huic officio non valedixit pastoritio? cur soceri sui principis non sese negotiis intromittebat? cur rusticam vitam negligens, splendidiora munera non sollicitabat à socero? quia officiis nostris etiam abiectis & vilibus contenti esse debemus, nec alia maiora ambire, *quo vocatus est,*

Nazianz. inquit S. Greg. Nazianz. oratione 9. *in eo gradu* D *quisquis maneat, etiamsi alioquin præstantiori dignus sit: plus vtique laudis habiturus ex eo quod præsenti gradu acquiescit, quam si eum quærat quem non accipit, nequit cum periculo alium sequi liceat praire cum periculo expetat.*

*Qui ad magna peruenire debet officia, in minoribus se exerceat.*

13 *Moyses pascebat oues Iethro.* Indignum sane viro magnanimo, cur in eo occupatur? cur hoc famulis non commendat, aliis maioris momenti rebus operam nauaturus? imo pastoritiæ arti studeat, antequam totius populi regimen suscipiat, qui enim maiora consequi debet officia in minoribus se prius debet exercere, vt quasi gradatim ascendens ad summum digne perueniat. mens est Phil. lib. 1. de vita Moys. *Præfuit gregibus ad principatum se præparans, nam pastoralis ars ad regnum est preludium hoc est ad regimen hominum gregis mansuetissimi, quemadmodum bellicosa ingenia præexercent se in venationibus in feris enim experiuntur, futuri præfecti militia brutis præbentibus materiam, exercitij tam belli quam pacis tempore:* deinde concludit, *curando minora animalia didicit præesse præstantioribus, impossibile est enim vt magna prius quam parua perficiantur.* Philo.

*Princeps mansuete & benigne dominetur.*

*Moyses pascebat oues Iethro.* Diximus illum minoribus occupari vt maiora posset consequi, sed cur potius sui principatus futuri agit præludium in ouibus, quam in aliis animalibus? vel cum populi imperator esset futurus, cur armis non se exerceret, vt cum occasio pugnandi se obtulerit, sciat superare? aduerte nulla maiori cum mansuetudine vllum gregem quam ouium, cum sint simplicissimæ, regendum. non immerito igitur eas pascendas suscipit, vt sciret quanta cum benignitate populum sibi committendum deinde regere deberet, *nam præfectura mansueti pecoris* (inquit cit. Philo.) *habet quiddam simile cum regno in subditos, ideo Reges cognominantur pastores populorum, non contumeliæ sed honoris gratia, imo quantum ego intelligo non iuxta vulgarem opinionem, sed rei veritatem inuestigans, videat qui velit, solus potest esse Rex vndequaque perfectus qui bene callet artem pastoritiam,* admirabile sane præterque opinionem omnium censebitur illud, non posse Regem esse vndequaque perfectum, nisi qui calleat artem pastoritiam, quod non vulgus tantum imperitorum, vt ipse putat, sed sapientes quoque explodant atque exsibilent: nimirum in Dauidem intuebatur Philo, maximum optimorumque Regum atque absolutissimum exemplar, sed hoc aduersatur rationi & experientiæ, nisi forte nomine artis pastoritiæ, naturalis quædam prudentia quæ in omni plane artificio requiritur, vel politica scientia minus scienter intelligatur. 14 Philo. C

*Qui rei commissæ curam solicitus agit, sane eam adaugebit.*

*Moyses pascebat oues Iethro.* quæ in tantum numerum excreuerunt vt iam inuidiosus esset apud cæteros pastores nihil simile videntes in suis gregibus, qui præclare agi putabant, si nihil detrimenti acciperent, mirantes illius numerum in dies crescere, nec tantum singulas oues pulchre pinguescere, sed præter egregiam corporum habitudinem fœcunditate quoque laudari, & pascuis frui longe saluberrimis, quomodo grex ita fœcundus & innumerus? audiamus satisfacientem Philonem, *factus est omnium ætatis suæ pastorum optimus & vtilitatis pecorum prouidentissimus, dum nullum laborem fugitat, sed vltro & iniussus alacriter eis prospicit prompte bonaque fide auxit gregum copiam*, expende hæc verba, *vtilitatis pecorum prouidentissimus*, &c. Dum vtilitati sibi commissi gregis solicitus consulit, fœcunditate, numero & bonitate adauget. 15 Cit. Alexandrinus.

*Deus maxima veneratione & reuerentia dignus.*

16 *Moyses pascebat oues Iethro*, Qui venit ad montem Dei Horeb, qui pars, sed extrema erat montis Sinai, cur montis cacumen, cum abundaret eximiis pascuis, cum aliis pastoribus non conscendit? aduerte quandam tunc temporis opinionem fuisse apud gentis illius incolas, aliquod numen inibi commorans, quid mirum igitur illud non conscendisse? nam maxima erat reuerentia dignus locus cui numen præsidebat, fauet Petrus Comest. *Erat mons ad pasturas egregius, & herbis abundans, sed pastores illuc ascendere non præsumebant, tum quia mons excelsus erat, tum quia opinio erat ibi Deum habitare.* Petrus Comestor.

*Sacerdotium antiquum abolendum, nouo in æternum mansuro.*

17 *Moyses pascebat oues Iethro sacerdotis Madiã.* Quomodo Madian interpretatur? fluxus, cur sacerdos Madian fluxus ethymologiam sortitur? forte vt indicaretur sacerdotiũ antiquum sicut & A legale aliquando abolendum, solum nouo in æternum permansuro Consentit Hugo Carensis. *Sacerdotium legale est, cui bene conuenit nomen Madian quod interpretatur fluxus, quia durauit solum ad tempus: sacerdotium autem Christi manet in æternum, vnde Heb. 7. & Psal. 109. dicitur tu es sacerdos in æternum.* Hugo Carensis. Hebr. 10. 7. Psalm. 109.

*Qui superflua exulat & vulgum rationi subÿcit, vir diuinus censendus est.*

*Moyses pascebat oues Iethro.* Eas ducens in abditissimam partem deserti, sed caretne mysterio, quod potius Iethro quam alterius ducat oues in desertum? quomodo interpretatur ab Ambrosio? superfluus, quo notato sic satisfacit lib. 2. de B Abel & Cain cap. 6. *animum vincere, iracundiam cohibere, compugnantesque leges carnis & mentis in vnum cogere, immortalis cuiusdam est viri; denique ipse legislator vendicauit hoc munus, vt oues pasceret Iethro, qui dicitur superfluus, & ageret in desertum, eo quod irrationabilem & superflui vulgarisque sermonis loquacitatem, in secreta quadam sobria doctrina coegit mysteria.* 18 D. Ambros.



## *VARIETAS LECT. Vers. 2.*

*Vlgat.* Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.

*Sep* Apparuit autem ei Angelus Domini in igne flammæ, de rubo, & videt quia rubus vritur igni, & rubus non exurebatur.

C *Cald.* Et apparuit ei Angelus Domini in flamma ignis de medio rubi, & vidit & ecce rubus ardebat igni, & rubus non consumebatur.

*Onk.* Et reuelauit se Angelus Domini ei.

*Oleast.* Apparuit de corde rubi, & rubus non comedebatur.

## *CONCORDIA*

Hebraicè habemus וירא מלאך יהוה אליו vaiara malach iehoua elau, & visus est Angelus Domini ad eum Septuag. ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος. tamen noster vulg. legit apparuit ei Dominus, sed in hoc nulla est discordia, nam cum vulg. ait esse Dominum, qui apparuit, non de Domino personaliter, sed repræsentatiuè intelligit, licet non pauci arbitrantur ipsum Dominum fuisse qui Moysi apparuerit, similiter vbi Hebræus codex habet בלבת אש belabbat es, vulgatus legit D in flamma ignis, quamuis aliqui velint labat idem esse quod leb de corde nempe ignis, quia enim cor in animalibus medium locum obtinet, ideo cor accipitur pro medio cuiuscumque rei: alij vero volunt vocem Hebræam labbat, significare flammam, & sic vertit interpres. Legit Oleast. non comedebatur, vbi alij habent non comburebatur, sed Hebraismus est, quo significatur non solum homines comedere, sed ignem & gladium; Psal. iuuenes eorum comedit ignis. Psalm. 77.

## EXPOSITIO.

*Apparuit ei Dominus.* Repræsentatione & auctoritate, cum vere esset Angelus qui repræsentabat & sustinebat personam Dei, à quo missus erat, quique ei inspirabat ea quæ diceret & per eum loquebatur, hunc Angelum fuisse dicit D. Steph. Act. 7. *in flamma ignis*, verum hunc ignem fuisse probabilior sententia, nam quod quæso miraculum, si laruatus vel simulatus ignis rubum nõ combussisse? potius enim miraculum fuisset, si combussisset, *de medio rubi*, rubus est arbor sterilis & senticosa crescens vt in plurimum in locis desertis, imo ab hoc nomine & arbore mons Sinai nomen accepit, siue quod eo in loco magna ruborum copia erat, vel quod rubus ibi extiterit, in cuius medio Dominus Moysi apparere dignatus est, *& vidit quod rubus arderet*, impropriè tamen, hoc enim solus est ignis qui rubum non peruaserat, vt esset ignitus, sed rubo tamen contiguus, ita proxime ramos & folia eius ambiebat vt ignitus flammas vomere videretur, *sed non comburebatur*, Deus enim substantiam ignis conseruans, actionem & vstionem impediebat, subducendo concursum & influxum suũ, ne ageret in rubum, vel virentia eius folia adureret aut exsiccaret. Actuum. 7.

## CONCEPTVS.

*Deus lux est vt luceat, sed qui luce abutuntur, ignis est vt comburat.*

19 **A**Pparuit ei Dominus in flamma ignis. Nonne satis fuisset vel in flamma, vel in igne apparuisse? multoties enim ignis est sine flamma, & in flamma & in igne apparet, vt denotet se futurum lucem vt in tenebris existentes illuminet, sed etiam ignem futurum, vt eos qui sua luce vel abuterentur, vel respuerent, combureret & consumeret, mens est D. Ambr. ser. 5. in Psal. 118. *Lux est vt luceat, ignis est vt consumat.* D.Ambros.

*Vbi Deus est, ad sublimia & cœlestia tenditur.*

20 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Cur potius in igne apparet, quam in alio elementari corpore, vel mixto? sicut enim personarum non est acceptor, sic etiam in suis oculis vnum corpus non est alio eligibilius, respondet tamen August. quæst. 7. ex veter. testamen. *Ideo Dominus in igne apparuit, cuius natura semper ad superiora tendit, vbi Christus est.* Non se credit Deus illis, qui terrenis immiscentur, qui demissos oculos habent, vt terrena spectent, nec norunt vel odorari cœlestia, inde quisquam censebitur Deum in se habere, & ad Dei partes pertinere, si inferioribus iis terrenisque despectis, ad cœlestia totis viribus tendat. D.August.

*Deus nos ab occasione idololatriæ remouet.*

21 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Cur in flamma? cum flamma timorem incutiat aliud corpus eligat, in quo ei appareat? aduerte Israëlitas idololatriæ propensissimos fuisse, flammæ autem idolum figurari non posse, quo notato sic respondet noster Lyr. *Erat Israël ad idololatriam pronus, & ideo apparuit in flamma, quæ non poterat imagine figurari, & in rubo siue vepre, quia in talibus non potest imago fieri, ne populus Israël qui venturus erat ad locum illum ratione dictæ apparitionis aliquid faceret ad idololatriam spectans,* aduerte quod tunc statuis, & non picturis quæ nondum inuentæ fuerant, vtebantur. Lyran.

*Dominus in ea forma suis apparet, vnde opportune significetur id quod intendit.*

22 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* A nemine ei admoto igne, nihilominus tamē totus accendi visus est, quem cum ignis radicitus occupasset, & ingenti flamma omnes ramos, ac cacumen teneret, is tamen perinde manebat illęsus, ac si superne fons delaberetur, incendiumque reprimeret, & quasi materia incorruptibilis esset, & non igni pabulum sed cōtra nutriretur ab igne, at qua de causa in rubo accenso, & non combusto potius ei apparere voluit quam sub alio signo? sane per hunc rubum qui ardebat, & non comburebatur, intelligitur populus Israël, qui ab inimi-

A cis Ægyptiis atque infestatoribus haud quaquam foret consumendus: bene ergo sub hoc signo apparet, quia Dominus sub ea forma suis videtur vnde opportune significetur, id quod intendit adest pro nobis auctor Cat. aureæ, *de fornace crudelissimæ seruitutis liberandi erant filij Israël, in qua cremabantur sed non consumebantur, ideo in rubo ardente apparet Moysi, sed non combusto, Deus suos vri sinit, sed non comburi.* AuctorCat.

*Deus ita suos mirifice adiuuat, vt in nullo eis detrimentum afferat.*

*Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi* sane in hac apparitione, talem se exhibet 23
B qualis futurus erat populo Israël liberando de terra Ægypti, sed cū ignis licet luceat, tamen vrit & consumit; quomodo ergo sub hac specie ignis visitur, populū liberaturus? quia illū illuminaturus, protecturus & accēsurus ad suum ex Ægypto secessum, sed tamen eum nullomodo consumpturus, nec in minimo læsurus: fauet Cardinal. Cajet. *Perspicuum est quod Deus liberando Israël de Ægypto, fuit in isto populo tanquam in ignea flamma lucens multitudine prodigiorum, & ardens in eorum cordibus ad exeundum ex Ægypto, itaut nullus remaneret: sic tamen in eis ardebat vt nihil eorum consumeret, vsque adeo vt cum infantibus, mulieribus, pecoribus, & vniuersis facultatibus, & demum sanitate corporis, ita quod nullus in tanta multitudine erat æger adduxerit eos.* Cajetan.

C

*Deus omnipotens per contraria operatur contraria.*

*Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi* Cuius visionis nouitas in eo sita fuit, quod rubus quidem ardebat, & non comburebatur, itaque vt ignis crederetur ardebat, vt miraculum esset non comburebatur, sicut de igne fornacis Babylonicę erga tres illos pueros narratur Daniel 3. vbi dicitur quod vincti ceciderunt in medio camino ignis ardentis, & ambulabant in medio flāmæ: quæ verba ponderans D. Chrys. hom. 4. ad populum exclamans ait; O rem mirabilem! vinctos soluit flamma, ne ficta crederetur & ipsa de reliquo à vinctis victa est: de miraculo autē rubi loquens Philo. lib. 1. de vita Moys. ait, is nemine ignem admouente, subito incensus est, corteptusque totus à radice vsque ad cacumen, flamma in morem fontis scatente, manebat integer & illæsus, quasi non esset incendij materia, sed nonne materiam combustibilem comburit ignis & consumit? quomodo ergo ignis non solum non comburit rubū, sed quasi esset fons eum irrigans, viridiorem efficit? in hoc mirabilis Dei potentia cernitur, qui per contraria operatur contraria, *Hæc est,* ait cit. Chrys. *omnipotētia Dei vis, vt per contraria operetur contraria, calorem scilicet per aquam, per ignem frigus: itaque Deo quando ipse vult torrens flamma torrentis est instar, & aqua refrigerans vim habet incendij.* 24 Daniel 3. Chrysost. D Philo. D.Chrys.

*Deus laboranti præmium sese ostendit.*

24 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Cum Dominus Moysen missurus ad populum suum ab Ægyptiaca tyrannide liberandum, in quo innumeros exantlare labores, innumera ferre incommoda, tot pati contradictiones deberet, apparet illi hic vt significet futurum se ei pro tot laboribus, præmium, *agenti inter pecora*, inquit Basil. Seleu. Oratione 9. *Deus obiicitur, & inuisa visionis præmium pro susceptis religionis causa laboribus condonat.* Deum ipsum & præmium & prænuntiantem sperare debemus, si digne in hoc seculo laborare velimus.

D. Basil. Seleu.

*Quæ à Deo venit in præsenti seueritas, non ad perditionem venit.*

25 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio Rubi.* Quæ tamen flamma licet rubum cingeret, rubum tamen non exurebat, cur adeo vicina flamma rubum idoneum igni alimentum non comburit? sane rubo sterili peccatores infructuosi veniunt intelligendi, cum ergo Deus venit in præsenti contra peccatores, flammas apponit, seueritatem & rigorem applicat, sed qui minime feriat, sed extrinsecus sistens integra omnia interna reseruet, pulchre Diu. Ambros. in Psalm. 43. *ideo rubus*, inquit, *vrebatur, quia terram istam quæ vobis spinas generabat & sentes, disponebat vrere per continentiæ disciplinam, non consumere per mortis ærumnam.* Ignem adhibuit circum circa, qui tamen nihil exureret, nihil consumeret, sed omnia seruaret integra & à perditione libera.

D. Ambros.

*Qui à Dei gratia venit fauor, non mutatur, secus autem si à creaturis.*

26 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Qui solum illuminatus, non autem igne consumptus, quo fauor in miseros Israëlitas figurabatur, qui licet tyrannicè oppressi, tamen mediis in calamitatibus deficere non deberent, sed post multa sæcula, cum genus humanum sub alia captiuitate, nempe tartarea tenebatur, & redemptor illius iam in eo redimendo laborabat, ecce iterum ab eo volente, spinosa planta assumitur, Matth. enim 27. dicitur, quod plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, ecce captiuorum redemptio semper à spinosa planta tractatur, quomodo spina non semel, sed & iterum post tot sæcula eximium redemptionis auguratur fauorem, sane id spina ex se non habuit, vt tandiu in hominum bono duraret, sed ex Deo cuius solius potentiæ erat, quod salus humani generis agebatur, ait Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 8. *Cum Dominus vniuersorum cœpit per verbum legem ferre & Moysi suam omnipotentiam voluit manifestare, diuina illi visio ostenditur formata lucis in rubo ardenti. Spinosa autem planta est rubus, hinc illuc vbi descenderat abiens veteris descensus principium instaurans ac de integro velut caput redigens, vt quod primum per rubum visum fuerat, verbum per spinam rursus as-*

Matth. 47.

Clemens Alexand.

A *sumptam ostenderet omnia esse vnius potentiæ cum sit vnius patris filius.* Vin antiquorum rubus incertum Israelitarum liberatorum, & iterum spinosa planta in fine super Redemptoris nostri caput vrebatur, clarius ostendebatur, vnum semper diuinæ potentiæ fuisse opus, quod redemptio hominis per spinas contraheret.

*Deus ex rubo, hoc est ex malo Prælato, loquitur, & ideo audiendus.*

27 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Quid rubo aridius & infecundius, qui nullis frondibus & fructibus lætus, sed totus sentibus & spinis armatus inhorrescit? cur ergo Deus cum Moysi loquuturus, non aliam amœniorem feliciorem que plantam, ex qua loqueretur elegit? fortasse vt hoc documentum inculcaret, nimirum etiam voces de rubo, hoc est de B sterili spinoso Prælato, qui recte per rubum designatur, editas, non minus quam si de cælesti oraculo ederentur, auscultandas, sic enim Diu. Ambros. lib. de virginibus interpretatur, *Cur* inquit, *desperandum quod Dominus loquatur in hominibus, qui est loquutus in sentibus? nec rubum est dedignatus; & statim, quæ illius est singularis humilitas huic se rubo similem testatur fore, nihilominus haud dubitat vt ex eo diuinæ voces aliis profutura audiantur, atque vtinam inquit meas quoque illuminet spinas: erunt fortasse qui etiam in nostris sentibus aliqu in mirentur lucere fulgorem. quos spina nostra non vrat; erunt quibus de rubo audita vox nostra soluat de pedibus calceamentum, vt impedimentis corporalibus exuatur mentis in-* C *cessus.*

citat. Sanctus Doct.

*Ad spiritus Dei præsentiam nihil remanet in anima quod non propaletur.*

28 *Apparuit ei Dominus in flamma de medio rubi.* Qui quidem incombustus ardebat; nullum tamen rubus patitur incommodum, & tamen ignis diuinus rubo insidet: sed si rubum nec in cineres redigit, imo nec aliquomodo comburit, quid ergo efficit in rubo? sane illum illuminare & vniuersas rubi particulas propalare, ita vt nihil in eo non pateat sub tam ingenti luce. sed cur ô Domine totus igneus & splendens ad rubum accedis? imo cur cum à combustione rubi abstines, non etiam cessas à manifestatione spinarum D illius? sane hæc est Dei accedentis ad animum proprietas inseparabilis, quod nihil spinosum, nihil sceleratum non statim propalet, ait Diu. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 15. *Vox ergo de flamma & in rubo flamma, & flamma non noxia, vrebatur enim rubus & non exurebatur, eo quod illo mysterio Dominus figuraret quia illuminaturus spinas nostri corporis adueniret.* Ad diuini spiritus præsentiam, omnia etiam abscondidissima in anima propalantur.

D. Ambros.

*Verbum Dei magni consilij Angelus.*

29 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Cald. cum Hebr. & Sept. apparuit ei Angelus Domini, si Dominus, quomodo Angelus?

Angelus? si autem Angelus qui est creatura: quomodo Dominus qui est creator apparuit? diximus auctorum variam esse sententiam, an Deus fuerit vel Angelus qui cum Moyse loqueretur, supponamus fuisse Dominum, dices ergo alias lectiones quæ habent Angelum falsas esse; nequaquam equidem, quis enim prohibet dicere Dominum apparuisse nempe verbum Dei, quod simul magni consilij Angelus vocatur, ita sentit Lippom. *Verbum Dei quod in principio erat apud Deum, & per quod facta sunt omnia, per quod locutus est Deus Patriarchis & Prophetis, multifariam multisque modis, quandoquidem ipsum Verbum Deus benedictus in sæcula in propria substantia videri non potest, dicitur etiam Angelus magni consilij, per quem quæ ventura essent & patris consilia circa humanum genus hominibus reuelauit, propterque beneficium salutis electorum descendit ad homines, & nuntiauit quæcunque pater vellet, Verbum scilicet caro factum, & inter homines conuersatum plenumque gratiæ & gloriæ.*

Lippoman.

### *Humanam naturam vniri Verbo magnum sane miraculum.*

30\. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Quod vltra miraculum fieri haud quaquam potuit, impossibile enim est ignem adesse materiæ combustibili præsentem, & eam in cinerem non redigere, si enim Deus cum caussis naturalibus non concurrit, hoc non fit citra miraculum, sed quid ignis, quid rubus denotat? sane per ignem diuinitas intelligi potest, Deus enim ignis est consumens teste Apost. Heb. 12. rubo autem materia combustibili & corruptibili humanitas, quæ sane corruptioni obnoxia est: quomodo ergo si diuinitas ignis consumens est, humanitas autem corruptioni obnoxia, in vnam conuenire personam potuere? sane non citra miraculum, sine quo hæc vnio cōpossibilis non erat, appositè ad hanc mentem D. Cyrill. contra Euth. *Diuinitatem sacra littera igni assimilauit, propterea quod viribus polleat & facile huc atque illuc discurrat, ligno autem atque herbis hominem è terra formatum, vnde scriptura ait, Deus noster ignis consumens & Psal. 102. Homo sicut fœnum dies eius, sed quemadmodū ignem rubus ferre non potest, ita nec humanitas diuinitatem; in Christo tamen hæc duo conuenerunt, habitauit enim in illo plenitudo diuinitatis corporaliter, & qui lucem habitat inaccessibilem, in templo ex virgine sumpto inhabitauit, seipsum vt ita dicam diminuens & contrahens, vt ab humana natura capi possit, vnde carnem suam aptam corrumpi, corruptione superiorem reddidit, quasi quodam ænigmate rubo ab igne minime cremato declarans.*

Hebr. 12. — Cyrillus. — Psal. 102.

### *Christi Domini sancta humanitas intus & foris plena doloribus.*

31\. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Ecce videt Moyses Deum in medio rubi, in medio flammæ & spinarum, & quod maius est, rubus ardebat & non comburebatur, quid per hoc nobis significatur, in figura nisi magnitudo dolorum carnis Christi? nam sicut tota ardebat rubi arbor, & tota spinis erat plena, sic sancta illa humanitas Christi, tota intus forisque plena erat doloribus, sed consideremus quod rubus non comburebatur, hominibus namque cæteris, ita ad mensuram dolores dantur & afflictiones, vt si supra vires corporis sint, in ipsismet doloribus deficient, ac consumentur, ac per ipsam mortem dolores euadent: non sic autem Dominus noster cuius dolores licet supra vires à principio suæ extitissent passionis, impossibile enim esset tanta sustinere nisi à diuinitate sua supernaturaliter esset adiutus. Tamen non per hoc consumptus, sed ad amplius patiendum vires illi auctæ, vt non quibuslibet, sed summis periret tormentis, vnde cæteri sunt rubi ardentes, sed citò consumuntur ab igne, à laboribus, ab ærumnis, ac per talem consumptionem requiem acquirunt ac possident: at Christus rubus fuit, & non consumptus, neque combustus, quia licet ex se quilibet ex doloribus ipsius aptus esset ad illum consumendum, tamen ex vi diuinitatis suæ & potestatis miraculosæ quam habebat, amplius quam solæ vires eius poterant, patiebatur, & sic licet totus erat Christus, in medio spinarum, & totus in medio ignis non comburebatur, hoc est non deficiebat, non consumebatur, licet dolores vt sentiret, quis sic? nullus equidem, nam aut ignis paruus est, & sic consumere non potest, parui scilicet sunt labores & vires suppetunt imo abundant, aut si magnus, consumit vires & deficit cito. solus Christus Dominus noster fuit totus ardens semper, & non combustus, supra vires passus humanas, & mori à principio voluit, vt amplius pateretur, de cuius patientia humilitateque, melliflue discurrens Bern. serm. 1. quartæ Hebdom. sic ait, *Vidimus eum & non erat ei aspectus non speciosum forma præ filiis hominum, sed opprobrium hominum & tanquam leprosum nouissimorum virorum plane virum dolore à Deo percussum, & humiliatum, itaut nulla esset ei species & decor, ô nouissimum & altissimum! ô humilem & sublimem! opprobrium hominum & gloriam Angelorum! nemo illo sublimior, nemo humilior; sputis illitus est, opprobrijs saturatus est, morte turpissima condemnatus est, cum sceleratis deputatus, nihilne merebitur vel ista humilitas quæ hunc habet modum? imo quæ tam est extra modum, sicut & patientia singularis, sic & humilitas admirabilis.*

D. Bernard.

### *Corpus Christi Domini à corruptione præseruatum.*

32\. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Igne diximus naturam diuinam denotarij, rubus autem frutex vilis, & inualidus, & boni fructus expers, & spinosus sane significat conditionem naturæ humanæ, quæ propter peccatum, vilis facta est, & vt scriptura ait comparata iumentis insipientibus, est item infirma ad bene agendum, & plurimis ærumnis & miserijs

tanquam spinis obsita: si ergo natura humana rubo denotatur, sicut igne diuina, cur Deus in Christo inhabitans, vnione inenarrabili corpus eius non consumit? in hoc sane portentum est, corpus enim Christi etiam in triduo mortis illæsum & omnis expers corruptionis permansit, Cyrillus. hoc ita explicat Cyrillus in cat. græc. *assimilant (inquit) scripturæ sacræ igni Deum, tum quod subito omnibus occurrerat, vt videatur, arboribus vero & herbis mortales homines, hinc Deus noster ignis comburens est, homo vero sicut fœnum, eius dies, sicut flos agri, sicut rubus naturaliter ignem ferre non potest, ita nec humanum quid diuinitatem præter quam in Christi rubo, Lucem habitantis inaccessam, qui in virgineo templo latens, demisit sese, contraxitque lumen, tum suæ naturæ fulgorem, ex intactis vero spinis quæ alioquin tanquam cremia flammas facile concipiunt, micabat ignis, vt portenderet corpus Christi, alioqui putredini addictum, superaturum omnes iniurias, triduo enim templum illud instaurauit.*

### *Christus Dominus non ærumnosos consumpturus, sed ærumnas.*

32. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Qui ab igne non comburebatur, nihilominus certo certius consumpsisse aliqua quæ viriditati rubi detrahebant, ita vt rubus illo igne purgaretur, & viridior redderetur: sed quæso, quid hoc est, quod rubus materiam combustioni idoneam non consumat, sed solum puriorem reddat, absumens eius tineam? nonne caro nostra rubo designatur, sicut illius tinea, peccatum, quod est animæ etiam tinea. Quid mirum igitur si ignis intactum rubum reliquerit, tineamque illius consumpserit? quia Christus Dominus etiam non nos igne consumit ærumnosos, sed D. Ambr. ærumnas nostras solum abstulit, fauet B. Amb. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 16. *In rubo flamma non noxia; vrebatur enim rubus & non exurebatur, eo quod illo mysterio Dominus figuraret, quia illuminaturus spinas corporis nostri adueniret, nec consumpturus ærumnosos, sed mitigaturus ærumnas, qui baptisaret in Spiritu sancto & igne vt gratiam tribueret, peccata consumeret.*

### *In Christo Domino natura diuina & humana inconfusa.*

33. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Sed ardorem suum ignis ita temperat, vt illæsus in medio flammarum eius rubus permaneat, quomodo vsque in medium rubi penetrans ignis, rubus tamen ita naturam suam conseruat, vt rubus integer sine sui diminutione reperiatur, & ignis distincte conspiciaCit S. Doct. tur in eo? audiamus respondentem B. Amb. in cap. 6. Apocal. *Per rubum Christum esse intelligendum existimo, secundum quod homo est, flamma vero rubi eius diuinitatem figurauit, rubus ergo ardebat & non comburebatur; quia filius Dei hominem assumens, sicut eius diuinitas non est mutata in humanitatem vt amitteret quod erat, sic nec eius humanitas per diuinitatem ardens non est absumpta à diuinitate vt amitteret humanitatem, sed ex duabus substantiis humanitatis atque deitatis vnus Christus permansit & permanet, sicut scriptum est, perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali & humana carne subsistens.*

### *Quid mirum etiam vmbra Mariæ Virginis non tribuitur?*

*Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Qui ab igne non consumebatur, sed inte- 34.
ger manebat, quomodo rubus inter ardentissimas flammas non comburitur? quomodo nec ab eis leuissimum patitur damnum? vnde ligno tanta virtus aduersus flammas, quibus nihil potest resistere, & quibus omnia quæ sunt earum idonea alimenta, consumuntur? adumbrabatur ibi Christi conceptio in vtero virginali, de cuius vmbra non poterat non exire virtus ad frænanda quælibet contraria, ita Germanus Patriar. Constantin. oratione in ador. S. Germ.
crucis, *Neque rubus inconsumptus & illæsus suaui in igne perdurauit, sed propter Mariam quæ immortali & ad corruptionem prona natura ignem deitatis portauit.*

### *Mariæ meritis liberatur populus ab Aegyptiaca seruitute & captiuitate.*

*Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio ru- 35.
bi.* Cur cum in populi principem eligitur Moyses à seruitute populum redempturus, id factum, cum Deus illi in rubo apparuit? cur quæso in rubo, qui non comburebatur existens Deus de liberando populo solicitus, Mosem in principem eligit? & in Ægyptum vt populum inde educeret adlegat? an rubus vrgebat, & tacite liberationem postulabat illa cuius figura erat rubus, Maria scilicet: huc voco S. Ioan. Ioannes Damasce.
Damasc. qui orat. 2. de Assumpt. videns Mosem ad præsentiam ardentis rubi principem Iudæorum designari, ait. *Per simulachrum quoddam & vmbram Mariæ tantus legislator & princeps creatus est*, igitur rubo debet & virgini populus suam liberationem, taciteque indicabatur tutos futuros populos, qui sub Mariæ patrocinio viuerent.

### *Virgo Maria illæsa permansit in conceptu & partu filij.*

*Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio ru- 36.
bi.* Qui illæsus licet flammis circundatus mansit, sed cur voluit Deus non solum ita videri à Moyse, sed etiam hoc Iudæis compertum? nam sine dubio hanc visionem rubi incombusti notam habuerunt: sane vt inde elicerent Deum habitare potuisse in virgine, & virginem etiam parere potuisse, illæsa manente integritate sua, vt enim rubus sustinuit ignem & non perdidit viriditatē, ita Maria concepit filium, & non amisit virginitatem, & vt Dominus habitauit in rubo ardente, ita ipse habitauit in Mariæ ventre grauidato, & vt Dominus descendit in rubum propter Iudæorum liberationem ex Ægypto, ita ipse descendit in Mariā propter nostrā Redemptionem

D. Greg. audi B. Greg. Niss. orat. de Christi natiuitate, vt frutex incendit ignem, & non crematur, itidem etiam Virgo & lumen parit, & A
D. Bernar. non corrumpitur, & D. Bernard. hom. 2. super Missus est, ita perquirens. *Quid rubus ille quondam Moysi olim portendebat, flammas quidem emittens sed non cõburens, nisi B. Mariam parientem, & dolorem non sentientem, quod tota Ecclesia confirmat in laudem nitidissimæ virginis Mariæ, canens rubum quem viderat Moyses incombustum, conseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem, Dei genitrix intercede pro nobis.* Rubus quoque flammas emittens & seipsum non comburens, virginem sine viro concipientem, & parientem sine dolore verum Emanuel, verba vitæ æternæ nobis loquentem significabat, nam sicut ignis rubi fruticem depascere visus est, nec tamen frondes, nec flores, nec ramos læsit, cum tamen inde maxima & flagrantissima B flamma emicuisset: ita Spiritus Sanctus in Virginem superuenit, & ipsam æstuandi desiderio fumare fecit, mentemque eius totam illuminauit, inflammauit, illique obumbrauit, veluti prædixerat Angelus Gabriel, Spiritus Sanctus obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur
Luc 1. ex te sanctum vocabitur filius Dei, quod etiam noster Galatin. lib. 7. de arcanis fidei
Galatinus. cap. 13 contra Iudæos, vbi ex Rabinis confirmans Mariæ virginitatem, ait, *Filij Dei natiuitas ex virgine intacta atque incorrupta, Mosi mirabiliter præmonstrata fuit, per succensum enim rubum & non combustum, ostensum est quod ex illo populo saluator suæ integritate proditurus esset, qui igne diuinitatis carnis humanæ naturam, quasi rubus spinam acciperet, & inconsumptam humanitatis substantiam in ipsa diuinitatis flamma seruaret.*

## *Immaculata Virginis Mariæ conceptio designatur.*

37. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Qui videbatur ardere, & tamen ignis in quo ardebat, non comburebat, quo diximus fuisse designatam incontaminatam B. Mariæ in conceptu & partu filij virginitatem, sed cur non dicemus in eo etiam rubo ardenti & incombusto, præfiguratam fuisse eius intemeratam, immaculatam, & mundissimam Conceptionem? de qua sic pie & sancte scribit B. Aug. lib. de natura & gratia contra Pelag. cap. 63.
D. August. *excepta sancta virgine Maria de qua propter honorem Domini, cum de peccatis agitur, nullam prorsus habere volo quæstionem, scimus enim quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum quem constat nullũ habuisse peccatum,* & sacrosanct.
Concil. Trident. Concil. Trident. sess. 5. vbi agens de peccato orig. sic loquitur, *declarat hæc ipsa sancta Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem,* alij ergo rubi fuerunt, qui in flammis peccati arserunt, sed virgo licet fuerit rubus, incombustus permansit, nec flammecula peccati eam attigit, eam Deo specialiter præseruante.

## *A ligno crucis salus mundi.*

*Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Cur à ligno libertatis populi Israel omen sumitur? significat enim hic rubus omnium iniurijs expositos & obnoxios fuisse Hebræos, sed tandem libertatem assequuturos, & eripiendos quasi ex ignitis Ægyptiorum afflictionibus. Nonne potuit in alio corpore libertatem eorum denotari? cur non dicemus in hoc ligno rubi, crucem sanctissimam adumbratam fuisse à qua totius mundi salus & libertas à captiuitate tartarea augurari debebat? ita sentit Procop. *Initium miraculorum per lignum fit, quod noui testamenti crucem prædicit.* 38. Procop.

## *Ecclesia non à persecutoribus læditur, imo ab ea punguntur.*

*Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Aliqui hoc rubo Ecclesiam denotari arbitrantur, sed cum hic rubus sit arbuscula omnino sterilis & infructuosa, Ecclesia autem sit in tot filiorum spiritualium propagatione fœcunda, quid commune habet vnum cum alio? nonne rubus spinis consitus est, quem qui appropinquat & penetrat illæsus non abit? merito igitur dicemus Ecclesiam eo denotari, nam qui eam igne persecutionis circumdat, flammis tribulationis appropinquat, ab ea aculeis suæ iustitiæ pungitur & laceratur: vtiliter hoc pressit Oleaster *Aduerte quare Israel Dei rubo idest Ecclesia significetur, vt scilicet ostendas omnes qui tetigerint eam à spinis pungendos: nullus enim cuiuscumque potentiæ* C *aut conditionis Ecclesiam vnquam læsit, qui non maximas & grauissimas pœnas daret*: Imperatores enim Romani qui totius imperij sui vires ad oppugnandum & exscindendum sacrosanctum Euangelium, adorandum Christi nomen, & fidei atque pietatis nostræ reuerendum mysterium conuerterant, horrendis mortibus perierunt. horum antesignanus fuit ille Nero, qui secundum Tertulianum in Apologetico aduersus Gentes capite quinto, primus Cæsariano gladio in Ecclesiam sæuijt: & qui secundum Eusebij Chronicon, cum à Senatu quæreretur ad pœnam è palatio fugiens ad quartum vrbis milliarium in suburbano liberti sui inter Salariam & Numentanam viam, semet interfecit anno D ætatis suæ trigesimo secundo, in hæc verba prorumpens: turpiter vixi, turpius morior: vel secundum Xiphilinum: Dij immortales qualis artifex pereo: atque in eo omnis Augusti familia consummata est. Domitianus, secundum Tertulianum, portio Neronis de crudelitate qui se primo Dominum & Deum vocari voluit, vt scribit Eutropius lib. 7. Hist. & qui secundum Eusebium in Chronico ad annum Domini 94. tantæ superbiæ fuit vt aureas atque argenteas statuas sibi in Capitolio poni iusserit, qui D. Ioannem Euangelistam in feruens oleum immersit, eumque illæsum in Pathmum insulam relegauit, & qui Christianos iudices mirũ in modum tollere studebat, à domesticis & libertis septem vulneribus confossus est in palatio & per

39. Oleaster. Tertulian. Eusebius.

Vespilones ignobiliter asportatus anno ætatis trigesimo sexto, imo Clypei & imagines eius passim vbique per Romam in terram sunt deiectæ, & à populo per ignominiam publice conculcatæ, teste Eusebio. Traianus resolutione membrorum & stupore corporis primum subito correptus, aqua intercute demum extinguitur, vel secundum Eusebium apud Seleuciam Isauriæ profluuio ventris anno ætatis sexagesimo tertio extinctus est. Adrianus nimio sanguinis fluxu exhaustus, sanguinis effusi pœnas in sanguine soluit, vel secundum Euseb. morbo intercutis aquæ, apud Bajas moritur. Antoninus apoplexia correptus, cum triduo mutus procubuisset, perijt, vel secundum Xiphilinum, peremptus est à Medicis qui commodo gratificabantur. Seuerus vehementi membrorum, pedum præcipue dolore affectus, venenum petijt, pridie Nonas Februarij. Maximinus cum filio adhuc puero à militibus discerptus est, conclamantibus cunctis ex pessimo genere, ne catulum quidem relinquendum. Decius cum vix biennio imperasset, vna cum liberis trucidatus est à Gallo & Volusiano, vel secundum alios, in barbarico bello inter confusas turbas gurgite paludis submersus est, itaut nec cadauer eius inueniri potuerit. Valerianus septuagenarius à Sapore Persarũ Rege cancellis ferreis instar feræ diu inclusus, senio tandem confectus, scabelli loco Sapori fuit, in equum ascensuro, tandemque nimia crudelitate viuus excoriatus fuit saleque conditus. Diocletianus varijs prius morbis afflictatus tabe tandem corporis & mentis insania, qua sibi ipsi vim intulit, cœlesti flamma consumpta eius domo, misere interijt, latrans vt canis. Iulianus Apostata, missa cœlitus sagitta in solo Barbarico interijt & communi caruit sepultura. Nam à terra sponte aperta absorptum scribit Naziãzenus. Valens bello Gothico superatus, in domuncula rustica in quam confugerat, arsit. Radagaisus Rex Gothorum, & dæmonum cultor, innumerabili exercitu fretus, de abolendo Christianismo & instaurando gentilismo palam gloriabatur: mox vero terrore dissito exsoque ad vnum exercitu, ipse à Romanis captus, in vinculis ad ludibrium aliquando detentus, extremo supplicio affectus est, & secundum Augustinum vno die tanta celeritate sic victus est, vt ne vno quidem non dicam extincto, sed nec vulnerato Romanorum, multo amplius quam centum millium prosterneretur exercitus, atque ipse cum filijs mox captus pœna debita necaretur. Qua nocte in exilium actus & missus est Chrysostomus, Constantinopolis, eam præcipue partem in qua regia aula erat, horrendus terræmotus cum insoli a grandine concussit: & non multo post tempore, Eudoxia huius exilij causa, ex hac vita ad diuinum tribunal fuit euocata. Henricus Rex Vuandalorum Arianus & persecutor Ecclesiæ, verminibus toto corpore scatens consumptus est. Anastasius Imperator, hæreticorum Eutychianorum fautor, fulmine ictus interiit. Plures supersunt alij Ecclesiæ persecutores, quibus iram Domini iustumque eius iudicium minime euasisse, ipse enim est qui sanguinem seruorum vlciscetur & vindictam retribuet in hostes eorum.

Euseb. ad ann. 99.

Nazianz. in laudem Athanasii magni.

Ruff. lib. 11. c. 13. Hist.

Nicephorus lib. 13. c. 36. Hist.

*Populus Iudæorum ingratissimus.*

40. *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi*, qui cum arderet, ab igne tamen non consumebatur. Petrus Chrysol. ser. 164. vult rubo populũ Iudæorum denotari, sed quid commune inter populum Iudæorum & rubum arborem sterilem ille veri Dei cultor, in hoc vero solum Deus apparet: sed nonne diuina bonorum semina plurima acceperat, nullum tamen bonum fructum reddiderat? nonne diuini amoris incendium in se expertus fuerat, nullam tamen charitatis flammam, quæ gratum animum suum testaretur excitaret? merito igitur dicitur rubus, quia sentibus horridus, fructibus orbatus, flammis obsessus, sed diuino igne amoris non accensus, ita est. Chrysol. *Deus inquit daturus legem ignem præmisit in rubo, sed diuinum rubus portans non concepit incendium, tam tunc aculeis malitiæ plenum & ingratum culturæ legis populum præfigurabat.*

Petrus Rauennas.

*Per laborum flammas gloria morum non extinguitur, sed seruatur.*

41. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi* Quem licet ambiret flamma, incombustus tamen permansit, sed quid in hoc portento voluit Deus significare Moysi? sane Hebræos in Ægypti laborum fornace, non absumendos, sed inde auro similes inter flammas, splendenti puriores & clariores euasuros, quid ergo? ostendit rubũ aptissimum quidem ignis pabulum & nutrimentum, quem tamen ambiret flamma non voraret, cuius miraculi arcanum mysterium declarans Philo Hebr. lib. 1. de vita Moys. *Quod* (inquit) *non exurebatur materia, portendebat non perituros qui affligebantur innocentium violentia, sed conatum eorum fore irritum, illos vero euasuros incolumes*: & paulo post, *adire sibi videtur diuinum quondam ex illo incendio oraculum quod laborantes & æstuantes Hebræos in hunc modum hortatur, nolite succumbere, hæc vestra infirmitas est potentia quæ punget vulnerabitque plurimos, qui delere vos cupiunt, inuiti seruabunt, tot malis illæsi euadetis & cum maxime vastari videbimini, tunc maxime enitebit gloria vestra*, vbi vides per laborum flãmas gloriã non extingui, sed seruari, non minui, sed augeri.

Philo.

*Lingua bona prænuntians Dei inhabitantis iudicium.*

42. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis.* Lectio Hebr. habet apparuit ei Angelus Domini; mille figuris sese obumbrabat Dominus apud veteres patres, semel luctatorem agebat, rursus peregrinum, non semel Angelum, aliquando sub flammantis ignis specie, in viridi rubo, vt hic se Moysi præsentauit, sed quasi non sufficeret speciem ignis induisse, adhuc sumit & nomen Angeli, vel sic latebat, sic obumbrabatur specie flammantis ignis, vt solum videretur non creator, sed ipsius Angelus, sed quid statim subditur? cernens Dominus quod pergeret ad videndum vocauit eum de medio rubi: expende modo vbi videtur

solum apparet Angelus vbi autem loquitur, & vocat iam Dominus Deus apparet, quod enim species ignis occultabat, statim lingua manifestauit, id pulchre notat D. Hilarius 4. de Trinit. *Qui Angelus Dei est*, inquit, *cum videtur idem cum auditur est Dominus, ipse vero qui auditur Dominus Deus est*, nequit virtus diuina vbi adest non sese per linguam manifestare bona prænuntiantem.

S. Hilarius

### *Minime obest vilitas diuinæ gratiæ.*

*Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Si cedrus propter altitudinem, cedrus Dei appellatur, si palma, propter venustatem, sponsæ comparatur, cur vna ex his duabus non eligitur, vt diuinum ignem sustineat? sed cum sint tot arborum frugiferarum genera, cur in eis non conspicitur Deus? cur vilissima arbuscula ad hoc eligitur? quia quando rubus is est, qui virere possit inter ignes, minime Dominus eius vilitatem excludit; vnde ait D. Basil. Seleu. orat. 9. *Ecce ignem monstras in rubo ardentem, ignis effectu seposito, quippe flos igne coronatur, vilisque rubus assumitur qui succensæ flammæ obsistit*, dimissis pretiosis lignis, vilis rubus assumitur, qui thronum præbet inter flammas apparenti majestati, dum enim gratia inueniat indolem, in qua sese ostendere possit, non respuit ab humanis iudiciis profectam vilitatem.

D. Basilius Seleu.

### *Præmio & supplicio respublicæ gubernantur.*

44. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Ecce liberaturus Deus populum Israëliticum de Ægyptiaca captiuitate, in igne apparet, cur in igne? nam figura ignea timorem potius debet incutere quam liberationem portendere, sed si in igne duo considerētur, nempe illuminare & adurere, merito dices in igne Moysi rempublicam Hebræorum gubernaturo apparuit, vt indicaret eam his duobus consistere debere, & vnumquemque ad meliorem sensum reducendum, si aduratur supplicio, & illuminetur præmio: hanc expositionem tradit Clemens Alex. orat. adhort. ad gentes. *Multiplices quidem habet seruator voces & modos ad salutem hominum, minans admonet, maledicens conuertit, & deflens miseretur, psallens per rubum loquitur, quoniam illi signis egebant & prodigiis, & igne terret homines, & ex columna flammam accendens, quod est simul gratiæ & timoris indicium, si obedieris lucem, si non obedieris ignem.*

Clemens Alex.

### *Qui alios è misera dæmonis captiuitate liberaturus est, ipsis præluceat sine sua tamen virtutis dispendio.*

45. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*, illuminati sed non ab igne combusti, tunc quando ei Deus sub hac imagine apparuit, intendebat mittere Moysem in Ægyptum vt populum de misera seruitute extraheret, quid vero velit, hoc pulchro ænigmate designauit, alebat quidem rubus ignem, qui alios illuminabat longe lateque radiabat, non tamen ita vt aliquid rubus de proprio virore deperderet, quem imitari debet ille qui animas de misera dæmonum captiuitate eripere intendit quem Moyses præfigurabat, hic enim necesse est vt aliis præluceat, viā pandat, calore foueat, omnia denique pietatis officia illis præstet. Cæterum oportet vt ipsi tuta sint omnia, neque ei quidquam de propria virtute pietateque depereat, subiicio verba Basilij Mag. in cap. 6. Isa. *Huic congener igni & affinis erat, qui & in rubo apparuit, quem vidit Moyses, incumbebat quidem plantæ, neque tamen exurebat.*

### *Verba pia illuminant, & non offendunt.*

46. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Qui ex hoc igne circumfuso, nihil damni recepit. Per hunc ignem exponit B. Amb. in Psal. 18. Dei verba, sed quid quæso cōmune verborum Dei, cum igne? ignis consumit, verbum viuificat, ignis adurit, verbum Dei sanat, & corroborat: nihilominus recte igne denotatur, nam verbum de virtute & de pietate prolatum, lucet quidem, & mentem illuminat, nihil tamen infert damni, ergo pia verba quæ de virtute & pietate inferimus, vim quidem ignis habent, & lumen instar igni emittunt, cæterum exurendi vim non habent imo vero omnia conseruant & pulchriora reddunt: subijcio verba Ambros. *Hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur, vrit enim sermo diuinus vt corrigat conscientiam peccatoris, non vrit vt perdat.*

D. Ambros.

### *Laboribus iusti non extinguntur, impij autem absumuntur.*

47. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Qui tamen licet flammis circumdaretur, non consumebatur, quo portento denotabatur, quod licet Israëlitæ variis essent probandi laboribus, tamen eis consumendi non essent: sed cur potius in rubo viridi, quam in sicco & arido non apparet? nonne iusti ligno viridi comparantur, iuxta illud regij Vatis & erit sicut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod dabit fructum in tempore suo: impij autem sane similes sunt ligno arido? quam apte igitur in rubo viridi flammis circumdato apparet, vt denotet in hoc discrimen esse inter iustos & impios, quod iusti licet flammis calamitatum, & igne persecutionum circumdentur, illæsi permansuri sunt impij autem eis consumendi, hoc annotauit Oleast. *Hoc interest discrimen inter bonos & malos; Boni sunt viride lignum, quod facile non comburitur, aut inflammatur, mali vero sunt sicca ligna, quæ ignis tribulationis in momento deuorat, quod enim sancti ligno viridi assimilentur, Saluator ipse testatur qui apud Lucam conuersus ad fœminas post se in die suæ gloriosæ passionis plangentes ait, filiæ Ierusalem flete super vos non super me, quia si in ligno viridi hoc faciūt, in ligno arido quid fiet? hoc est, si in me qui viride lignum sum sic passionum ignis ardet, in vos qui estis aridū quid fiet? ardet in sanctis flāma, & nonnūquam grauis, ipsi tamen non solum non consumūtur ab igne,*

Psal. 1. — Oleaster — Luc. 23.

*suam semper seruant viriditatem, & insuper pungunt; quamobrem cum dies iudicij appropinquauerit, Deus impios aridos inuenturum, Lucas ipse commemorat, arescentibus inquit hominibus præ timore, sic & apud Matth. vocantur impij palea igne inextinguibili comburenda.*

*Tanta sunt aliquando hominum peccata vt vix possint remitti.*

48. *Apparuit Dominus ei in flamma ignis de medio rubi.* Quem tamen incombustum videbat, licet flammis ardere videretur, rubo significari Synagogam Iudæorum B. August. in ser. de temp. asseruit, sed in rubo erat Deus in specie ignis, rubum illuminans & inflammans, licet non consumens. Deus erat ergo in Synagoga, quis dubitat? eam lumine suo illustrans, quomodo igitur à Deo qui est ignis consumens, non consumpta fuere illius peccata? quia tanta sunt aliquando, & ita diuino igni rebelles peccatores vt condonari vix possint: subijcio verba August. *In rubo significata est Synagoga Iudæorum, multo enim tempore in eis feruor & flamma sancti Spiritus fuit, & ita tamen contra Dei gratiam rebelles semper Spiritui sancto restiterunt, vt eorum peccata vel sacrilegia sancti Spiritus igne consumi non possent.*

S. August.

*A tumultibus separatis apparet Deus.*

49. *Apparuit Dominus ei in flamma ignis de medio rubi.* Nõne Moyses erat vir iustus cum Ægyptum incoleret, & cum quadraginta annis in ea vixerit? quomodo in ea Deus illi non apparuit? nonne in curia regia varijs distractus negotijs occupabatur? quid mirum igitur si tunc ab eo non videtur? non enim apparet iis qui in medijs versantur tumultibus: mens est Greg. 23. moral. cap. 5. *Moyses admixtus Aegyptiis (inquit) quasi vigilabat mundo, ideo vocem Domini in Aegypto positus non audierat: sed extincto Aegyptio, postquam in desertum fugit dum ille quadraginta annis viguit, quasi ab inquietis terrenorum desideriorum tumultibus obdormiuit, & ideo diuinam vocem percipere meruit, cum enim mens ab exterioribus sopitur, verbum Dei penetratur, veracius autem quippe cordis turba terrenarum cogitationum perstrepens claudit: non enim perfecte homo sufficit ad vtraque diuisus, quia si exterius auditum aperit, interius obsurdescit.*

S. Greg. Mag.

*Non ita infensi hostes alicui imperio, quam regnantium vitia.*

50. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Qui tamen licet flammis circumdatus, mansit incombustus, hoc ardenti rubo & non consumpto, inquit Theodoret, significatur Israelem ab Ægyptiis inimicis haudquaquam consumendum fore, rubus ergo est populus Israel in Ægypto oppressus, ignis autem est tyrannis Ægyptiorum, quæ minime Israelem consumet: sed recurramus ad vaticinium Isaiæ, cap. 9. dicentis, succensa est quasi ignis impietas, vepres & spinam vorabit, & succendentur in densitate saltus, & conuoluetur superbia fumi in ira Domini exercituum, conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis, quomodo hunc locum explicet B. Cyrill. lib. 1. in Isa. cap. 9. perseuerauerunt inquit, Iudæi vsque ad Seruatoris nostri aduentum, non viuentes sancte, nec omnino à pristinis vitiis recedentes, sed nec decore, nec secundum legem versantes, valdeque negligentes & incurij, cum enim per omnem terrarum orbem emicuit Christus, nec verbum eius receperunt, nec fidem coluerunt, ad quid hæc dico? impie contumelia affecerunt, & eo impietatis deuenerunt, vt eum etiam et traderent, & hominem eum sanctum, cum iustum negarent, mortemque vitæ principi machinarentur, omnibus hisce de causis manus ferientis excelsa mansit & furor non est auersus, expositi enim sunt vastationi, Vespasiano & Tito cum illis belligerantibus. Cunctaque Romanorum manu, quando & funditus miseri periere iuxta Seruatoris vocem, incensa regione, cõuulso ipso templo, omninoque eorum mente, vt lapis lapidi impositus non conspiceretur, hæc autem ignita impietas fuit consilium principum Hierolymitanorum aduersus Iesum coactum, à quo consilio manauit extrema populi Israël ruina, nunc ergo componamus rubum nempe spinam, & spinam, hoc est populum Israëliticum, & ipsummet populum Israel, hic flammis circundatus, flammis non comburitur, apud Isaiam à flammis voratur, hic flamma non comburit populum, apud Prophetam omnis populus fit esca malorum. Cur rubus qui in medio flammarum viret, in Isaia in cineres & fauillas abit? nonne diximus hic per flammam ignis exprimi tyrannidem Ægyptiorum, ibi autem per ignitam impietatem consilium impiorum principum Hyerosolimitanorum, aduersus Christum Dominum, quid mirum igitur si hic manet rubus incombustus, ibi autem omnino in fauillas & cineres redigitur? quia quos rabidissimi hostes consumere nequeunt, hos impietas malorum principum omnino deuastat.

Isai. 9.

Cyril. Alex.

*Populi gubernator, cum sapientia & charitate, habeat admixtam seueritatem.*

*Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Cur cum in hac prima apparitione designatus est Moyses liberator populi, dux & gubernator Hebræorum ab eo videtur Deus in rubo? cur ei ostendit Deus rubum? vt ei significaret rubo similem esse debere. Sed quid commune habet igneus rubus cum populi rectore? quid ignis significat? sane sapientiam, imo misericordiam & charitatem, rubus autem spinosus seueritatem & rigorem: bene ergo ei innuitur futuro populo Israel gubernatori, quod similis rubo igneo deberet esse, quia sapientiam qua populum regere & docere, nec non misericordiam & charitatem, qua populi necessitatibus consulere, infirmitatibus condolere, vitia tolerare oporteret, habere tenebatur, nec non cum flamma sapientiæ & charitatis coniungere debere spinas iustitiæ & seueritatis, castigando & puniendo diuinæ legis præuaricatores: vnde idẽ Dominus factus homo Petrũ suum ministrum, & Ecclesiæ principem creaturus, eum grauissime reprehẽdit, vade inquit post me Sathana Matth. 16. vt suo exemplo cum ad debitam seueritatem erga subditos exercendam hortaretur, quod D. Petrus Damian. lib. 7. epist. 11. vel Opuscul. 57. cap. 3. recte ex- 51.

Matth. 16.

pendit, *Saluator noster*, inquit, *qui tanquam mitis agnus apparuit, mox vt Petro cœli terraque iura commisit, cum dura redargutione corripuit, vade post me Sathana: Paulus dum excessibus coercere discipulos nititur, virgam delinquentibus comminatur, Petrus Ananiæ & Saphiræ mendacium non inultum abire permisit: sed eos oris gladio feriens, aliorum, ne forte quid simile præsumerent, corda perterruit, quid est ergo quod sanctis viris toties in delinquentes reperiuntur inuecti, vel correptione verborum vel vltionibus operum, nisi vt manifeste clarescat quia in hac mortalitate recte non viuitur, si blandis, ac mollibus asperitas non miscetur? nam vbi penitus disciplina postponitur, vbi districta legitime vigoris censura reprimitur, necesse est vt prona semper ad malum fragilitatis humanæ conditio ad illicita relaxetur, & in eum procul dubio tota subiectorum culpa redundat, qui eos ne præcipitanter excederent, sub disciplina loro cohibere debuerat, inordinata nempe pietas principis, quid est aliud, quam confusio plebis? nam dum ille à moderanda regiminis habena reprimitur, subiecti quique, velut effrænes equi per abrupta rapiantur. Agere nimirum licet omne quodlibet & tunc liquido cernitur, quod sæpe dictum in libro Iudicum reperitur: in diebus illis non erat Rex in*
Iud. 17. *Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, agebat. Et illud quod tempore Achab impijssimi*
3. Reg. 22. *Regis dictum est per Michæam: non habent dominum isti, reuertatur igitur vnusquisque in domum suam*
1. Reg. 13. *in pace, de tempore quoque Saul dicitur: quia retusæ erant acies vomerum, & ligonum, & tridentium, & securium vsque ad stimulum corrigendum. retusæ quippe sunt acies vtensilium, cum zelus ac feruor extinguitur magistrorum: nec stimulus est qui pungat, cum deest, qui delinquentium peccata corripiat.*

### *Qui afflicti fuere non solum liberi euadent, sed etiam pungent aduersarios.*

52 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Qui licet vndequaque flammis circumdaretur, nullũ tamen nec leue adustionis signum accepit, siquidem illæsus & inconsumptus permansit, nemini dubium debet esse hoc ligno ignito, & tamen illæso manente, denotari inter medios Ægyptiorum ignes Hebræos non consumendos, sed tandem eorum tyrannidem euasuros illæsos, sed sane alia arbore vel planta hæc libertas Israelitarum futura potuit significari, cur ergo rubo vilissimo, & abiectissimo arbusculo, denotatur? nõne rubus spinis & aculeis cingitur pungentibus, ad eum propius accedentes? bene ergo in rubo libertas Hebræorum portenditur, quia non solum illæsi euadent, sed etiam Ægyptios non pungent leuiter. adstipulatur
Procop. Procopius. *significat idem rubus fore deinceps vt non impune lædantur, sed quasi quibusdam spinis muniti adeuntes sint repulsura.*

### *Iusti non solum afflictionibus huius sæculi non consumuntur, sed potiores euadunt.*

53 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* D. Ambros. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 16. in specie inquit ignis Deus seruat proposi- A tum: quasi diceret, non casu ac temere appareret in igne Deus, sed magnum aliquid proposuit, de quo Moysem commonere voluit, nempe quod sicut rubus in medio flammarum illæsus permansit, ita populus Hebræorum igne persecutionum Ægypti non consumetur, sed an solum hoc signo denotatur, populum suum à seruitute liberandum fore? inspiciamus quid operatus fuerit ignis in rubo, cum eum non consumpserit: consulamus D. Greg. Nissen. in lib. de vita Moys. sic dicentem, *in medio clarque die, aliâ præstantior quam solaris lux circa oculos effulsisset, vidit arbustum ardens, cuius tamen rami continua quasi irrigatione virescebant; purior ergo & vegetior flammis igneis rubus euasit*: cur ergo non dicemus hoc signo denotari Hebræos, non solum in afflictionibus non perituros, sed puriores euasuros ex eis? quod confirmari potest ex loco satis difficili Psal. 67. vers. 14. *si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri*, iuxta vim Græcam κλῆρος idem atque sors proprie periculosissima pericula, cum quasi sors versatur vltima, & est sensus da mihi aliquos quos Deus specialiter seruandos suscipiat, profecto etiamsi imparatissimi, ac prorsus dormientibus pares, in medio periculorum versentur, præsto illis Deus, cum auxiliis adest, quibus tanquam alis in morem columbæ se propiant: pennæ columbæ deargentatæ & posteriora dorsi in pallore auri, descriptio columbæ pernicissimæ volucris, & ad fugam procliuissimæ, argenti tamen atque auri additio, argenteam iusti fugam atque auream, id est pulcherrimam, ac honorificam significat, nec à naturali ortam metu, sed inspiratam & procuratam cœlitus, imo exaggerat affectum Dei liberare volentis periclitantem inter malos iustum, quasi dicat, ego tibi alas ad euadendum dabo, non quascumque, sed argenteas & aureas, quid petis alas ad declinanda pericula? ecce capo argenteas, cape aureas, quasi diceret: non solum à periculis & afflictionibus liber & illæsus, sed totus argenteus, totus aureus euades.

D. Greg. Nyssenus

Psal. 67.

B

C

### *Populus Iudæus non solum erga Deum ingratus, sed impius, cuius impietas per gradus diuinæ misericordiæ crescebat.*

D *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* In quo Deus denuntiauit liberationem à se per plurima perpetrandam miracula, sed cur liberandi rubo assimilantur? nam Iudæi per illum denotantur, sane quod pro huiusmodi beneficiis, nihil aliud nisi in benefactorem spinarum coronationem, vsque ad ipsam etiam spinarum coronationem, quod grauiter assertum est à Clem. Alex. 2. pedagog. cap. 8. vbi ait, *cum omnipotens vniuersorum Dominus cœpit per verbum legem ferre, & Moysi suam omnipotentiam voluit manifestare, diuina illi visio ostenditur formatæ lucis in rubo ardente, spinosa autem planta est rubus, postquam autem legem ferre & cũ hominibus conuersari desiit, mystice rursus corona coronatur, hinc illuc vnde descenderat abiens, veteris descensus principiũ instaurãs, ac de integro veluti recapitulans, vt quod primũ per ru-* 54

Clemens Alexand.

*bum visum fuerat verbum, per spinam rursus assumptam ostenderet omnia esse vnius potentiæ, cum sit vnus patris filius, principium & finis sæculi.* In cuius verbis illud considerare licet, quo significat hæc, duo sibi respondere inuicem verbum in rubo, & verbum in cruce, quoniam vtrobique inter spinas, hinc illuc ait, vnde descenderat abiens per congruentem scilicet assimilationem veteris descensus, principium instaurans, ac de integro veluti recapitulans, pulcherrime dictum, Christus enim spineam coronam portans in capite, vere recapitulauit in se spinosum rubum, in vnum caput suum totum Sinai redigens spinetum, & in parua corona coronidem præferens ingratitudinis, & impietatis Iudæorum, nam rubus non cõbustus & tamen ardens, ad durem ingratitudinis significabat, non prius finiendum, quam in cruce seruatis aculeis Dei sui caput trans figeret.

A

B

*Corpora iustorum quæ igne arserunt, continentia splendore gloria vestienda sunt.*

55 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Qui quidem ardebat, sed non exurebatur, sed mystice, nonne per rubum corpus nostrum spinosum, & syluestre potest intelligi, at quomodo ardet & non exuritur, cum omnia corpora nostra in cineres iuxta oraculum redigentur? audiamus respondentem S. Ambros. supra Psal. 43. *Ideo rubus vrebatur & non exurebatur, quia terram istam quæ nobis spinas peccatorum germinat, disponebat vrere per continentiæ disciplinam, reuelauit ergo in hoc futurum quoddam corporei splendoris indicium, quo per resurrectionem caro nostra fulgeret quid enim significabat ignis innoxius, nisi lumina resurgentium,* en quomodo rubo inconsumpto prædicitur mysterium resurrectionis iustorum, quorum corpora quæ igne continentiæ arserunt, splendore gloriæ vestienda sunt.

S. Ambros.

C

*Lex Moysis longe dissimilis legi gratiæ.*

59 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Sed licet rubus ardens videretur, non comburebatur, nemini dubium, legem quæ fuit data Moysi & populo Hebræo, igni comparari, iuxta illud Deuter. 33. in dextera eius ignea lex, cur ergo cum igni sit innatum comburere, cur huiusmodi lex peccata Iudæorum non consumebat? nam peccata rubo vel spinis denotantur, iuxta illud Dauidis 31. conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina, quid mirum igitur si licet ignis ille arderet, tamen non consumeret? quia significabat illa visio conditionem & proprietatem legis Mosaicæ, sicut enim ignis ille rubum illuminabat, sed rubi spinas non consumebat, ita lex Mosaica peccata quidem demonstrabat, peccatorum tamen spinas non auferebat, quod stricte attigit D. Greg. lib. 23. Moral. in principio libri ita scribens, *per succensum rubum Mosem alloquens Deus, quid aliud ostendit nisi quod eius populi ductor fieret qui & legis flammam perciperet & tamen peccati spinas nequaquam vitaret?*

Deuter. 33.

Psal. 31.

D

S. Greg.

*Ignea natura Deum repræsentans.*

*Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Non solum apparet ei Dominus in ignea flamma, sed in igne loquebatur, de igne audiebatur, per ignem intelligebatur, imo Moyses in igne Deum concepit, per ignem Deum cognouit esse, cur in igne eum alloquentem audiuit? quia sensibiles proprietates ignis mirifice referunt diuinæ naturæ proprietates: diuinè de hac re disserentem D. Dionys. in cap. 15. lib. de cœlesti Hierarch. audiamus. *Sanctissimi,* (inquit) *qui de eo loquuti sunt viri, summam illam & nullis obnoxiam figuris substantiam variè in igne describunt: quippe qui diuinæ proprietatis, si dicere liceat, in rebus visibilibus plurimas seruat imagines nempe ignis sensibilis in omnibus (vt ita dixerim) est, & per omnia, sine vlla sui admixtione proficiscitur, & ab omnibus excipitur: cum lucidissimus sit ipse tamen non admota materia, in qua suam vim suumque ostendat officium omnibusque in seipso occultus & incognitus manet, ipse omnia superat, ea quibus insederit, in suum traducit officium, omnibusque quomodolibet sibi appropinquantibus, sui consortium tradit, renouat omnia calore vitali: fulgoribus apertis illuminat: teneri, misceri que non potest: discernendi vim habet, superiora semper petit, & in acumen tendit agilis, celer, sublimis, nullaque vi, vt inferiora petessat, adigi potest, semper mobilis, eodemque motu vrgens alia mouet, & complectitur omnia, cum tamen adstringi ipse non possit. Cũ quæ ipse alio non egeat, sibi ipsi tamen clam incrementa suppeditat: atque in qualibet suscipiente materia, suæ Maiestatis potentiam indicat efficax, potens, omnibusque inuisibiliter præsens, si negligatur, non esse videtur: attritu autem velut irritatione quadam naturaliter ac propriè continuo lucentem excitatur in flammam: cumque affatim omnibus participationem sui locupletissimam præbeat, numquam tamen ipse minuitur, complures item alias ignis proprietates inuenies diuinæ actioni (quantum humanis imaginibus fas est) prope accedentes, hoc itaque non ignorantes viri diuina sapientia repleti, cœlestes substantias ex igne maxime effingunt vt illarum diuinam speciem ad Dei imitationem tendere pro viribus indicent.* 60

D. Dionys. Areopag.

*Labor vel afflictio licet nobis videatur diu permanere, cito citius transit.*

*Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Quod portentum, sic poëtice descripsit Sedulius, 58

Sedulius

*Ignibus innocuis, flagrans apparuit olim*
*Non ardens ardere rubus, nec iuncta calori*
*Materies: alimenta dabat, nec torrida virens.*
*Sensit damna frutex: sed amici fomitis æstu,*
*Frondea blandita lambebant robora flammæ,*

Quo portento diximus afflictionem populi Israelitici non duraturam, sed tandem incolumem euasurum, sed cur igne cuius natura leuissima, hoc denotatur? quid igne velocius, cui nihil maxime si debilis materia & combustioni idonea resistere potest? quam apte igitur ignis symbolo, leuitas & afflictio huius populi declaratur, ad innuendum quod licet dura into-

lerabilis, & diu permanens videretur, re vera tamen velocissime transiret, sensus est Venerabilis Bedæ. *Ægyptiaca vindicta quæ etiam de medio rubo ostenditur, vt ostenderet se sic animum servitutis pertransiturum esse, sicut flamma angustias rubi pertransiuit.* (Venerabil. Beda.)

### *Vir iustus nulla aduersitate frangitur.*

59 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Rubus inquit noster Bonau. parte 1 de Eccles. Hierarchia cap. 1. est vir spiritualis spinis pœnitentiæ circumplexus, medium rubi cor viri iusti, de cuius medio debet erumpere flāma inextinguibilis charitatis, vnde dicitur in Cāticis, lampades eius lampades ignis atque flammarum, & in Psal. 103. ministros suos facit flammam ignis: hoc igne cor accensum ardet, & non comburitur, quid est non comburitur? nonne B in medio cordis eius est flamma inextinguibilis? ita equidem, sed charitatis quæ non sinit hominem iustum comburi, id est aliqua contereri aduersitate, *hoc igne*, inquit cit. doctor Seraph. *cor accensum ardet, & non comburitur, quia nulla aduersitate frangitur, nullo etiam mortis metu, ab illo quem diligit separatur, vnde 2. Reg. 14. legitur, sicut Angelus Domini sic est Dominus meus Rex, qui nec benedictione nec maledictione frangitur.* (Bonau. — Cantic. — Psal. 103. — 2. Reg. 14.)

### *Lux ignis in iudicio ad illuminandos iustos, ardor illius ad puniendos reprobos.*

60 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Ignis quidem ardebat, rubum flammis circumdabat, non autem comburebat, ignem iudicij, ait noster Cardin. Vital. in speculo totius C SS. titulo de iudicio, denotat, sed si hic ignis qui est in rubo, non comburit, qui autem in die finali apparebit, consumet, omnia deuorans, quomodo ab alio repræsentatur? in hoc sane, quod sicut hic ignis illuminabat rubum, tamen A cũ non consumebat, sic ignis in finali iudicio iustis quidem lucem præbebit, in improbos autem ardore suo aget, ita cit. auctor, *Dominus in iudicio apparebit in flamma ignis, vt in lumine gloriæ suæ illuminet beatos, & ardore iracundiæ suæ comburat reprobos, & sicut ad litteram in rubo lux separabitur ab ardore, ita tunc erit:* prout Basil. obseruat in 6. Hexam. dicens, *sicut apposuit rubo flammam ignis, vt solam vim claritudinis eius dempto ardore monstraret, sicut & psaltes testatur, dicens, vox Domini intercidentis flammam ignis, sic etiam in retributionibus delictorum ratio nos quædam secretior docet partiendam ignis esse naturam, cuius lux ad illuminandos iustos deputabitur, ardor autem ad concremandos peccatores.* (Cardin. Ioann. Vital. — Basil. — Psalm.)

### *Qui rerum terrestrium non est cupidus, visionibus rerum cœlestium recreabitur.*

61 *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Ecce visione non quacũque, sed ipsius Dei alloquentis eum & recreantis, & populum suũ promittentis liberaturũ donatur, quomodo tanta dignus fit visione? præcedentem versum attente legamus. Moyses pascebat oues Iethro soceri sui, cur nulla mentio fit ouiũ ipsius Moysis? non enim dicitur pauisse oues soceri & suas, sed soceri, nunquid oues non habebat Moyses? nonne quadraginta annos iam egerat in terra Madian? cur igitur tot annorum spatio, oues non habebat quas pasceret? verisimile est Mosem rerum caducarum possessionem parum curasse, rebusque cœlestibus intentum, soceri sui sumptibus, cum vxore quadraginta illos annos vixisse, ab omni auaritia & diuitiarum cupiditate alienum, quamobrem missus à Deo in Ægyptum, nihil habuit auri vel argenti vel gregum, quod secum deferret: quid mirum igitur si Deus hunc hac visione cœlesti dignatus est? qui enim rerum caducarum, & terrestrium non est cupidus, visionibus rerum cœlestium recreabitur.



## *VARIETAS LECT. Vers. 3.*

**V***Vulg.* Dixit ergo Moyses, vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.

*Sept.* Accedens videbo visionem hanc magnam, quia non exuritur rubus. D

*Cald.* Declinabo nunc, *Pagni.* cur non ardeat rubus.

*Oleast.* Recedam nunc & videbo.

*Greg. Mag.* Transibo & videbo.

## *CONCORDIA.*

IN Hebræo est אסרה נא asura na hoc est recedam siue declinabo nunc, סור sur enim verbum recedere, declinare, & diuertere est, vnde Cald. vertit declinabo, alii diuertam, alii recedam, quod recte explicuit Vulg. per vadam, Sept. habent παρελθὼν ὄψομαι, accedens videbo.

## EXPOSITIO.

DIxit ergo Moyses, mentaliter hoc profitens, *vadam*, vt facilius agnoscam, *& videbo*, attentius iudicans quomodo hoc fieri possit, quod nunc video, *visionem hanc magnam*, mirabilem; admiratione enim dignum, ignem rei combustibili applicatum eam non consumere, *quare non comburatur rubus*, existimauit enim quod accedens cognoscere posset, qua de causa rubus incombustus maneret.

## CONCEPTVS.

*Incarnatio Verbi Diuini vere magnum mysterium.*

62 VAdam & videbo hanc visionem magnam. Cur magnam nominas? mirabilem diceres, nonne sufficeret? nam mirabile est ignem in medio rubi existentem, cum tamen non combureret. Sed si per hunc ignitum & illæsum, diximus Incarnationem Verbi Diuini denotari, vnde Seuerus Sulpitius; vbi sunt inquit qui dicunt, quomodo fieri potest vt Deus carni copulatus sit? hoc rubi ignis miraculum manifestat, habitauit enim in Christo plenitudo diuinitatis corporaliter, seipsum nimirum contrahens, vt ab humana capi posset natura. Quid mirum igitur si hanc magnam visionem appellet? ita enim magnum opus incarnatio Domini, vt nunquam antea visum fuerit, adeo quod alia opera Domini ad hoc respectiue magna non videbantur, vnde vocabatur istud factum esse nouum, secundum illud Hierem. faciet Dominus nouum super terram, quare nouum? quia magnum, quia mirandum, de rebus enim nouis solemus magna dicere, & mirari, vnde vocando nouum, per hunc modum loquendi & insolitum, & magnum esse & mirandum esse denotauit opus incarnationis, tunc hanc visionem esse magnam solus Moyses nominat, miratur, & ad eam intuendam propius accedit, quid hoc soli sancti siue pauci, licet pro omnibus sit facta incarnatio hoc C factum esse magnum per antonomasiam vident, hoc mirari non satiantur, sicut de D. Aug. dicitur, quod non satiabatur illis diebus considerare altitudinem consilij diuini super salutem generis humani, cur hoc magnum mysterium non dicemus, cum tota natura ad tanti mysterij altitudinem & maiestatem obstupescit? ait enim D. Hiero. in serm. de Assumpt. *Quod natura non habet, vsus nescinit, ignorat ratio mens non concepit humana, pauet cœlum, stupet natura, creatura etiam cœlestis miratur, hoc totum est quod per Gabrielem Maria promittitur, & per Spiritum sanctum adimpletur:* hinc optime D. Leo serm. de Passione Domini *gaudendum nobis potius quam erubescendum, quod tanta superamur materia* D *dignitate.*

Seuerus Sulpitius.

Ierem. 31.

S. Aug.

D.Hiero.

D. Leo.

*Non humana, non Angelica sed diuina virtutis est, Virginem in vtero Christum Dominum habere.*

63 *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Cur magnam appellas? forte enim rubus erat exiguus qui ardebat, & non comburebatur. Si ex plurimorum sententia Patrum diximus, per rubum qui in medio flammarum mansit illæsus, denotari beatissimam Virginem, Christum Dominum incontaminatam in vtero habuisse, sine vlla claustri virginalis iactura, non mirum Moysem proclamasse hanc visionem magnam, quia magnę virtutis fuit non humanæ, non Angelicæ, sed solius diuinæ hoc opus, sic testatur D. Bernard. in serm. de B. Maria, *amplectamur Mariæ vestigia fratres mei, & beatissimæ supplicatione beatis illius pedibus prouoluamur, teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis: potens est enim nempe vellus medium inter rorem & aream, mulier inter solem & lunam, Maria inter Christum & Ecclesiam constituta: sed forte miraris non tam vellus opertum rore, quam amictam sole mulierem, magna siquidem familiaritas, sed mira omnino vicinitas solis & mulieris, quomodo enim in tam vehementi feruore tam fragilis natura subsistit? merito quidem admiraris Moyses sancte & curiosius desideras intueri, veruntamen solue calceamenta de pedibus tuis & inuolucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis, vado inquit & videbo visionem hanc magnam, magna sane visio rubus ardens sine combustione, magnũ signũ mulier illæsa* B *manens sole amicta, non est rubi natura opertum vndique flammis manere incombustum, non mulieris potentia vt sustineat solis amictum, non est virtutis humanæ, sed nec Angelicæ quidem, sublimior quædam necessaria est, Spiritus Sanctus inquit superueniet in te.*

S. Bernard.

*Virgo Maria reuera magna est.*

*Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Quam sane rubi incombusti, licet accensi, sed si per eum, Virginem immaculatam diximus a pl[...]ribus intelligi patribus, an hanc visionem magnam velles ô Moyses intueri? quidni, cum reuera magna visione significetur? quod late prosequitur S. Germanus Archiep. orat. in Natiuit. Virg. *si varia signa ac figuras excutias, reperientur in typo quantam Dei gloriam sinu complexa sit Virgo, varijs enim adumbratam videas & passim in sacris litteris clare exhibitam. nominant Prophetissam, thalamum nuptialem, domum Dei, templum sanctum, aureum tabernaculum, sacram mensam, altare propitiatorium, thuribulum aureum, sancta sanctorum, Cherubim gloriæ, vrnam auream, tabulas testamenti, &c. Deinde quæque Sancti Spiritus ministri, hanc secundum mysticam in Symbolis inspectionem prouidendo, nominant vt rubum, quando Moyses ait, vadam & videbo visionem hanc magnam, quæ non combureretur rubus.* 64

S German.

*Arcana mysteria non metienda cum rebus humanis.*

*Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non combureretur rubus.* Quid Moyses? si visionẽ hãc appellas magnã, cur dicis te eam inspecturum? nonne hoc fit supernaturaliter? quomodo ergo humano modo metiri potes? sane Moyses adhuc spiritualium rerum rudis eos significat, qui ex humanis diuina etiam metiri conantur, neque aliud sibi suadent futurum in diuinis, quam quod in humanis rebus quotidie fieri cernunt, natura enim comparatum est vt ignis fomentum pereat dum flammam concipit, hoc idem & in diuinis fieri suspicans Moyses, mirabatur quod rubus flammæ materiam ministraret, nec tamen consumeretur: sed longe alia via incedendum est, ait Deus, neque ad normam rerum 65

corporalium, spiritualia quoque & diuina pertractas, ô Moyses, solue calceamenta, idest ex rebus corporalibus & mortalibus, diuina ne metiaris, locus enim in quo stas terra sancta est, idest quia altiora sunt spiritualia & cœlestia, ne cum humanis terrenisque componas. hunc sensum tradit his verbis Philo. lib. de profugis, loquentem audi. *Olim discendi cupidus, sollicitus est desiderio cognoscendi causas, quibus efficiuntur res in mundo maxime necessaria, cum enim videret quidquid creatum est corrumpi gignique, tum ea quæ pereunt & quæ permanent obstupefactus, exclamauit dicens, rubus vritur & non comburitur; locum enim antea inaccessum scrutatur curiosus, vt naturarum diuinarum habitaculum, & frustra laborasset nisi sublenatus fuisset misericordia prouidentiaque Dei seruatoris omnium, qui ex adyto hoc oraculum edidit, ne appropinques huc, ac si dicas ne accedas ad talem cognitionem, nam huic curiositati satagenti humanæ vires non sufficiunt: sed facta quadam miratione, de causis vero ex quibus gignantur corrumpanturue, ne sis sollicitus, nam locus in quo stas sanctus est; qualis locus? nimirum ad rationem causarum pertinens, quæ tantum naturarum diuinarum est, quod Deus neminem mortalem dignetur causarum notitia.*

Philo. Iudæorum.

## *Ne temere inuisis fidamus, ne decipiamur.*

66 *Vadam & videbo visionem hāc magnā.* Nonne vidisti rubū non consumi, etiamsi flāmis circūdatus esset, & in medio eius ignis existens? cur ergo propius vis accedere? quia cum inuisa nobis apparent, non temere eis fidem adhibere debemus ne à spectris illudamur. fauet Lippom. *non temere euulganda sunt spectra, sed antea diligentius exploranda, ne subsit error ac deceptio: plures enim mira conspexisse videntur ex debilitate cerebri vel alia de causa.*

Lippom.

## *Sæculi contemptor à mundanis secedit, solum magna æstimans spiritualia.*

67 *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* D. Greg. legit transibo & videbo, Cald. declinabo, Oleast. nunc recedam, cur ô Moyses, vt quid magnum in illo rubo videas, dicis te transiturum, te recessurum, te declinaturum? à quo recedes? à quo transibis? sane à rebus huius sæculi, à mundanarum dilectione, quia nisi ea omnia contemptui habuero, res magnas, res spirituales res cœlestes intueri nō potero, ita testatur Greg. Mag. 15. Moral. cap. 27. *in eo quod ait Moyses vadam & videbo visionem hanc magnam, quod iuxta Septuag. transibo & videbo legitur, magnum nobis mysterium indicatur, viator quippe dicitur qui præsentem vitam viam sibi esse & non patriam attendit, qui in dilectione præreuntis sæculi cor despicit figere, qui non remanere in transeuntibus, sed ad æterna peruenire concupiscit, qui enim in hac vita viator esse non appetit, huius vitæ prosperam minime contemnit: & ea quæ ipse desiderat cum abundare aliis viderit & miratur. Vnde Dauid Propheta, quoniam à dilectione præsentis sæculi iam corde transierat, iniqui gloriam describens dicebat, vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros libani, sed quia cor huic mundo non subdidit, hunc iure despexit dicens, transiui & ecce non erat, esset quippe aliquid in eius æstimatione impius si ipse ab hoc sæculo minime transisset, sed is qui non transeunti magnum aliquid esset transeunti animo, quam nihil esset, apparuit, quia dum æterna retributio cogitatur, præsens gloria quam sit nulla cognoscitur, hinc Moyses cum superna contemplationis gloriam quæreret, dixit transiens videbo visionem nisi gressum cordis à sæculi amore remouisset, nequaquam intelligere superna potuisset.*

D. Greg. Mag.

Psal 56.

## *Transeamus fugientes à libidinis igne, vt refrigerium mereamur accipere.*

68 *Vadam & videbo visionem hanc.* D. Ambros. transibo, quo transibis? quod enim vides, ignis est rubum circumdans, quid? an ignem vis pertransire? transibo inquit, an existimas incolumem euasurum? quidni? quem ignem intelligat D. Amb. lib. 1. de pœnit. cap. 14. inspiciamus, ignem libidinis accipit: merito igitur ait transibo, & tunc videbo visionem hanc magnam, vt enim fauore cœlesti recreeris, & sis in refrigerio, per medium ignis transire, omnes corporis delitias pertransire teneris, ita consulit cit. doctor, *si fuisset Moyses in corporis istius vitiis, & sæculi istius lubricis voluptatibus, tanta non vidisset mysteria: transeamus ergo & nos ignem libidinis, quem timens Paulus, sed nobis timens, qui castigando corpus suum fecerat, vt non timeret sibi, dicit nobis, fugite fornicationem: fugiamus ergo tanquam sequentem quæ non post nos, sed in nobis sequitur nosmetipsos, ergo videamus diligenter ne dum illam fugimus nobiscum eam portemus, volumus enim plerumque fugere, sed non penitus eam de nostro excutimus animo, tollimus eam magis quam relinquimus: transeamus ergo eam ne nobis dicatur, ambulate in igne flammæ vestræ quam accendistis Isai. 50. quoniam sicut ille qui alligat ignem in sinu vestimenta comburit, sic qui ambulat super ignem, pedes comburat necesse est: quoniam scriptum est ambulabit quis super carbones ignis, pedes autem non comburet? Prouer. 6. grauis ignis luxuria est, & ideo non demus illi alimenta luxuriæ.*

S. Ambros.

Isai. 50.

Prouerb. 6.

## *Non ab vnico sed ab omnibus vitiis recedere debes, vt visione Dei fruaris.*

69 *Vadā & videbo visionē hanc magnā.* Oleast. recedā nūc. Cald. declinabo nūc, à quo recedes? mystice loquimur, an ab vnico vitio v. g. libidinis? ab ea recedam, sed sufficitne vt visionem magnam intuearis? non equidem, non enim ab vnico sed ab omnibus vitiis recedendum est, vt magna visione gloriæ fruamur, ita sentit D. Hieron. in Psal. 141. *si non transieris hoc est omnia vitia, non potest videre visionē magnam, magna autem visio, quia rubus ardebat & non incendebatur, ardebant spinæ hoc est peccata, hoc igne mundatur & Esaias 6. iste enim est carbo qui tetigit labia eius, qui erat super altare, huius carbonis meminit & Propheta Dauid Psal. 119. sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis: iste carbo desolator est, solitudinem facit, & purgat peccatorem.*

S. Hieron.

Esai 6.

Psal 119.

### *Animi regij & sublimis est, magna audere & aggredi.*

*Vadam & videbo visionem magnam.* Ne vltra progrediaris, recede, nonne periculum times?
70 forte dabis temeritatis tuæ pœnas; vadam & videbo inquit visionem magnam, magna est, & quid mirum, si Moyses animi Regij, inter magnos enutritus, magnitudinem miraculi non paueat, sed magis visionem intueri propius accedens audeat? quod confirmat D. Greg. Naz.
Nazianz. orat. 1. *Etenim sublimi viro detrimenti est res magnas non aggredi, nec virtute ad multos propagare, sed in paruis consistere: non secus ac si magno lumine paruam domum illustret, aut virilibus armis puerile corpus obtegat: paruo autem salus in eo consistit, vt paruum onus sustineat, nec iis rebus quæ vires eius excedunt, seipsum subiiciens.*

### *Vere princeps est qui ideo regnat, vt suis benefaciat.*

*Vadam & videbo visionem magnam.* Nimirum
71 quare rubus manet incombustus, igne in eo existente flammis vndequaque cinctus, sed cur hoc scire & videre moliris? quia sane insolitum & vsque ad hęc tempora inuisum, sed quid antea textus sacer protulerat? apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: en qua de causa ô Moyses non comburitur rubus quia Dominus apparet in flamma ignis: sed cur Dominus apparens in igne non comburitur rubus? potuit enim in eo apparere & rubus comburi, aduerte ignem tanquam dominantem rubo, minimum ab eo tanquam pabulo abstinentem, nihil ergo conformius & aptius, quod Dominus se ostendat in igne, dum ignis à materia combustibili, quæ illum decerat esse alimentum, abstinet: ibi enim Dominus apparet, vno vere est Dominus dum à commodis abstinet priuatis, dum subditorum incolumitati seruit: ita secundum rei veritatem & secundum testimonium est. Docto-
Nazianz. ris eadem oratione, *D. Paulus se aliorum prælatum & superiorem ostendebat, non enim quod suum est inquit quærebat, sed quod filiorum, quos per Euangelium genuit, hic enim spiritualis omnis imperij finis est, vbique priuata vtilitate neglecta, commodis aliorum consulit.* Ecce flamma vere se dominam rubi declarat, vno Dominum, in eadem rubo paret, cum suit incolumem.

### *Habita reuelatione ad meliora transeamus.*

*Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Alij, 72
transibo, nonne in proximo est rubus ardens & incombustus? cur ergo dicis alio te transiturum? an aliquod vis terræ spatium transire vt propinquius rubum intuearis? an montem aliquem conscendere, qui obstaculum visioni præbeat? non equidem in prærupta conuallium transgredi? hoc non arbitratur Orig. hom. 12. Origines.
in Genes. nam inquit prope erat visio in ore, & in oculis eius, cur ergo dicit transibo? respondet, *vt ostendat se commonitum visione cælesti, ad superiorem vitam debere conscendere, ab his in quibus erat ad meliora transire, ex more enim venit hoc sanctis, vt cum aliquid à Deo ostendi sibi viderint, vel abire vel transire se dicant.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 4.*

VVlg. Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait Moyses, Moyses, qui respondit, Adsum.

*Sept.* Vocauit eum de rubo dicens, Moyses Moyses, at ille dixit, Quid est?

*Cald.* Et reuelatum est coram Domino, quod declinaret ad videndum & qui dixit, Ecce ego!

*OnK.* Et videns Dominus quod diuertisset ad videndum.

*Pag.* Et vidit Dominus quod declinaret ad videndum.

## *CONCORDIA.*

EAdem est dictio quæ supra סר sur vt dicatur Cernens Dominus quod diuerteret seu declinaret, hic apud Hebraicum fontem est nomen Domini tetragrammaton, videlicet יהוה iehoua, quod soli vero Deo competit, si autem antea scriptura in Hebræo fonte dixerit Angelum Domini apparuisse in rubo, nunc autem dicat Dominum ex ipso rubo clamasse ad Moysem, secum non pugnat, Domini enim Dei nostri est auctoritas & magisterium, Angelorum autem est ministerium, qui nomine, præsentia, & auctoritate Domini agunt, quod perficiendum est.

## EXPOSITIO.

CErnens autem Dominus, repræsentatiuè: nam licet probabile sit ex pluribus patribus, Deum fuisse qui apparuerit & loqueretur immediate, tamen plures etiam alij asserunt, fuisse solum Angelum, & licet hic sit nomen Dei Iehoua, quod soli Deo competit, hoc secundæ non officit sententiæ, licet enim secundum personam Angelus qui loqueretur, repræsentabat tamen, majestatem & auctoritatem Dei, & non suo nomine sed nomine Dei loquebatur, quoniam igitur etsi personaliter fuit Angelus, repræsentatiue tamen erat Deus, eiusque verbis vtebatur, *quod pergeret ad videndum*, distinctius rubum incombustum, *vocauit eum de medio rubi*, non vt ad se veniret, sed vt ad ea quæ dicturus esset, attenderet,

*& ait*

*& ait Moyses Moyses*, ingeminat illius nomen A vt attentius percipiat quid auditurus esset, & vltra non auderet progredi, at ille adsum paratus ad obediendum iis quæ mihi iussa fuerint.

## CONCEPTVS.

### *Spiritus sancti virtus potens est etiam de indispositis laudes diuinas educere.*

73 C*Ernens Dominus quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi & ait, Moyses Moyses.* Magnum sane fuerat, quod Dominus apparuisset in flamma ignis, vnde dixit Moyses, videbo visionem hanc magnam, sed hoc mihi maius videtur, quod rubus non solum flammis non comburatur, sed quod fiat vocalis & voce clara Moysem ad se attrahat: vnde hoc vt rubus loquatur? sane insidet illi diuini spiritus flamma, de cuius virtute non miror quod vel rubus diuina loquatur, en eleganter S. Chrysost. hom. 2. de S. Romano, *rubus & ignis fuit apud Moysem, Apostolicus ignis prædicationis Euangelicæ voces in rubo præfigurabat, ac vocem res inanimata impertit, vt ei cum tetigerit animata instrumenta, credatur*, si enim rem inanimatam vocalem contactus ignis reddidit, nonne debuit cum ratione præditas animas repleuisse, ex contactu carmen concinnum admodum personare; equidem siue inanimis siue animata res sit, quamcumque tangit diuini spiritus flamma, non poterit non personare diuinas laudes. (S. Chrysost.)

### *Virgo sanctissima à macula originali immunis.*

74 *Cernens Dominus quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi et ait Moyses Moyses.* Siste gradum, nec vlterius progrediaris, nisi depositis è pedibus calceamentis, gressus enim tui in eis mihi erunt inuisi & ingrati, nonne famulus tuus est Moyses? cur ergo de pedibus calceamenta deponere iubes, cum quandam filiam Principis quem aliqui arbitrati sunt fuisse, Pharaonis, à gressibus in calceamentis commendaueris? in illius enim encomium eam alloquens dixisti, quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis! cur viri sancti, qualis erat Moyses, gressus vel ob hoc diuinam iram mereri videntur, quod terram calceatus incedere vellet? cur ergo gressus illius filiæ Principis in calceamentis commendantur? an illa isto sanctior Moyse? quis dubitat cum de Virgine sanctissima sit sermo, quæ laudatur quod semper calceata incesserit. cur ô Moyses reprehenderis in hoc, in quo laudatur Virgo sacratissima? an in te aliquid Deo displicere potuit, quod in Virgine dignum fuit encomio? sed hæc adinuicem non pugnare inueniemus, imò mirifice conuenire, si terram quam & Moyses & Virgo calcauerint, considerenius. sane terra de qua potuit esse sermo in canticis, est illa iam à Deo olim maledicta, spinas & tribulos pro floribus germinare solita, terra inquã humanæ naturæ cõmuni originalis labis contagione infecta, atque cõmaculata, quam quisquis huius vitæ limen attingens, nudis pedibus premere cogitur. aduerte insuper cur calceamenta aliquibus iubetur habere, vt edentibus Pascha Exod. 12. calceamenta habebitis in pedibus vestris, quod sic explicat Gaudent. Brixi. serm. 5. ad Neophyt. sicut calceamenta terrestria carnalium pedum munimina sunt, & vel asperitati frigoris vel serpentum morsui vel spinarum resistunt aculeis; ita legis diuinæ præcepta quibus gressus nostrarum mentium munire præcipimur, repugnant & serpenti Diabolo, & asperrimo aquiloni Gentilium & Hæreticorum vndique compungentium spinis & tribulis: calceamenta ergo habere, denotat habere gratiam, qua quis munitur vel ad seruanda Dei mandata, vel ad resistendum tribulis vel spinis peccatorum: quibus positis recte Virginis laudibus adscriptũ dicemus, quod hanc terram non nudis pedibus, sed cum calceamentis calcauerit, dum diuina gratia protecta atque præseruata ab eo instanti quo viuere incepit, prius cœli vertici, quam terræ pedem fixit, quæ nudis pedibus, idest sine gratia huius vitæ limen terere non est coacta; sed nunc terram quam terere calceatus præsumit Moyses, videamus, terra sancta est, inquit Tertul. cont. Iudæ. cap. 12. Virgo nondum pluuiis irrigata, nec imbribus fœcundata, ex qua homo tum primum plasmatus est, ex qua nunc Christus secundum carnem natus est. merito igitur Moyses incedere nudis pedibus iubetur, ne terram illam benedictionibus Dei refertam, iure mortalium ratiocinationum quæ sunt calceamenta metiri præsumat: nam nihil quod humanam labem ad reliquarum similitudinem creaturarum, ac mensuram sapiet, nam omnia singularia & eximia & præter vulgarem modum rerum decurrentia inueniet. Ita Bern. ser. de verbis Apocal. signum magnum apparuit in cœlo, inquit, *merito quidem admiraris Moyses sancte, & curiosius desideras intueri, veruntamen solue calceamenta de pedibus tuis, & inuolucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis.* (Exod. 12. / Gaudent. / Tertullian. / D. Bernard.)

### *Angelos in magno pretio habere debemus.*

75 *Cernens Dominus quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi.* Quid? Dominus an ille est, qui personaliter apparuit Moysi & cum alloquutus? non ita censet D. Dionys. imo omnes Dei apparitiones ante Christi aduentum quibuslibet personis, quocumque modo, & quocumque tempore factas fuisse eas immediate per sanctos Angelos eorumque ministerio oblatas hominibus: subijcio verba Dionys. quæ sunt in cap. 4. lib. eius de cœlesti Hierar. *Idcirco*, inquit, *cœlestes spiritus præ omnibus angelicum cognomen meruerunt, quod cum in eos primo diuinæ claritatis fulgor emanet, ipsi postmodum in nos enuntiationes illas sublimiores supernè traijciant. sic enim & lex in scriptura diuina testatur, per Angelos indulta est in inclytos illos patres nostros, quique ante legem fuere, post legem Angeli ad Deum subuexerunt, siue quid agendum esset* (S. Dionys. Areopag.)

*admonentes, atque ab errore sacrilego, vitaque profana ad rectum veritatis iter traducentes, siue sacra quaeque insinuantia, seu coelestium sacramentorum occultas visiones, siue diuinas aliquas praedictiones docendo pandentes*, & paucis interiectis subiungit: *has huiusmodi diuinas visiones celeberrimi illi Patres nostri ministerio coelestium virtutum edisce-bant*. Si ergo beneficio Angelorum tot à Deo bona consequimur, in quanto pretio eos habere debemus? quanti eos facere? quanta cum reuerentia & honore colere tenemur?

### *Maxima erga iustos Dei prouidentia.*

76 *Cernensque Dominus quod pergeret ad videndum, vocauit eum, dicens Moyses Moyses.* Si nihil magis abiectum sit in homine quam nomen, nam etiam impij gaudent excelsis nominibus, quod autem commune est impiis certe in vili pretio habendum, quomodo ergo B Deus non solum semel, sed bis nomen Moysis repetit? vt inde deducamus quod si nomen solum tanti faciat, quod illud ingeminet, quantam habeat ipsius hominis iusti qui nomina- A tur, curam? *quod nomine suo vocat*, (inquit Lippom.) *manifeste indicat summam Dei curam erga homines, quippe quod ipsos etiam ex nomine suo, quod minimum est homini, nouerit, quemadmodum alias Christus dicit etiam, capillos capitis nostri apud Deum numeratos esse*: notet Lyranus addit, *ista geminatio significat dilectionem*. Lippom. Lyranus.

### *Maxima est iustorum in obediendo promptitudo.*

*Cernens Dominus quod pergeret ad videndum vocauit eum.* Qui audito suo nomine ilico respondet, *adsum*, alij, *ecce ego*, quasi diceret paratissimus adsum ad tua exequenda iussa, sed ô Moyses, nonne propius accedere debuisti, & diligenter perscrutari quare non combureretur rubus? cur igitur vltra non progrediens, cur ilico vt nominatus respondes, iussa imperantis executurus? quia iusti vt diuinam intelligunt voluntatem, statim exequuntur, sponte & vltro se committunt prouidentiae Dei ad omnia resignati, vnde Abul. *adsum idest ecce Domine paratus sum, iube quod velis*, Caiet. *adsum verbum promptitudinis.* 77 Abulens.

## VARIETAS LECT. Vers. 5.

**V**Vlg. At ille ait, ne appropies inquit huc, solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.

*Cald.* Et dixit ei, non appropinques huc, solue calceamentum tuum de pedibus tuis, quoniam locus super quem tu stas, terra sancta est.

## EXPOSITIO.

**N**E *appropies huc*, ne accedas ad locum in quo ardet rubus, volebat enim hoc mysterium ignis curiosè ac parum religiosè scrutari, vnde prohibetur ab Angelo qui ait *solue calceamentum de pedibus tuis*, hoc ei praecipit, vt reuerentiam exhiberet diuinae maiestati in loco hoc praesentiam suam exhibenti, & vt magna C animi submissione ac veneratione ad percipiendum Dei oraculum accederet. hinc & sacerdotes Aaronici in tabernaculo nudis pedibus sua munia obibant. *locus enim in quo stas terra sancta est*, non in se sed ratione apparitionis & praesentiae Dei ab Angelo eum repraesentante.

## CONCEPTVS.

### *Quascumque animas quae Christi sanguinis pretio redemptae sunt, debemus diligere.*

78 **N**E *appropies huc solue calceamēta de pedibus tuis.* Nonne Moyses virtutibus & sanctitate praeditus? cur iubetur ergo calceamentū ponere, vt terram pedibus possit calcare? per terram D. Amb. quoscumque homines intelligit, & recte, dictum est enim primo homini terra es & in terram reuerteris, per sanctam, in quantum sunt sanguine Christi redempti: per calceamentum, despectionem: quid enim vilius calceamentis? merito ergo dicitur Moysi vt solueret calceamentum de pedibus tuis, quia quamuis sanctitate praeditus esset, cum tamen homines sanguine Christi sunt mundati, eos despectui & odio habere non debemus, sed potius cum reuerentia eos suscipere, sic accipe ex D. Ambros. in cap. 6. Apocal. *ac si alicui ex magnis Apostolis Dominus dixisset, quamuis mortuos suscites, quamuis vmbra corporis tui aegrotos* D *sanes, in nullo tamen te mihi comparare audeas, quia magnum quod agis non est de te, sed ego operor per te; calceamenta autem pedes muniunt, ne terram tangant; per terram autem gentes designantur; solue inquit calceamentum de pedibus tuis, idest aufer odium & despectionem gentium de corde tuo, locus enim in quo stas terra sancta est, idest mundus in quo habitas meo sanguine redemptus est.* Genes. 3. S. Amb. S.Ambros.

### *Maxime circumspecti esse debemus in hoc saeculo, ne periculis peccatorum exponamur.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Quid an aliquid prohibet Angelus, cuius contrarium imperat Apostolus? nonne illemet dixit, si Angelus de coelo aliquid contrarium praedicationi meae annunciauerit, fides ei adhibenda non est? Apostolus autem vere fideles alloquens 6. Ephes. sic ait, state ergo succincti lum- 79 Ephes 6.

bos vestros, & induti loricam iustitiæ, subiicit, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, & vt Apostolus à nobis requirit vt incedamus calceati: cur ergo iubet Angelus Moysi, vt sua deponat? sed quid Gaudentius de Pauli consilio sentiat tract. 5. de Exodo audiamus, qui Apostoli verba de circumspectione intelligit, qua is qui veritate iam est succinctus & iustitia indutus, peccatorum laqueos & scorpionum morsus declinare & fugere debet, cum enim primum dixisset huius carnem tam fideles in mysterio quàm finaliter vniuersi credentes in fide ita debemus edere, nostrisque cordis interioribus commendare, vt non solum præcinctos habeamus castitate lumbos, verum etiam calceati simus, vt ait Apostolus, in præparatione Euangelij pacis, subnectit: oportune itaque & lumbi nostri præcincti esse debent, & calceati pedes: quid enim prodest homini si solam corporis habeat castitatem, & incautus, & sine instructione calceamentorum legalium malis fuerit supradictis obnoxius? vel quod quotidie in vsu est cordis sui calcaneū patens præbeat comestioni serpentis? aut vt satis non est virtutes habere, nisi & sis circumspectus in periculis fugiendis, ne earum iacturam facias: munire ergo calceis pedes teneris, vt liber sis à serpentum morsibus, nempe ab huius vitæ illecebris, sed si tanta circumspectio necessaria est, si prouida cautione opus est, cur soluit calceamenta de pedibus suis? an Moyses incautus & imprudens viuere debet? sed quid ait Angelus, terra in qua stas sancta est: & ideo quia terra sancta est, deberet eam calceatus terere, cum maxima circumspectio locis præcipue sanctis sit necessaria, sed est. Gaudent. monet hæc verba de ipsomet in fœlicissimam æternæ beatitudinis requiem ingressu esse sumenda. *Ostenditur ergo terra Ægypti vbi datur præceptio illa superior,* (nempe pedes calceis contegendi) *non esse, & ibi habenda mandantur calceamenta: in terra autem sancta decernuntur esse soluenda, quandiu in huius sæculi Ægypto conuersamur oportet nos pascha Domini celebrantes calceamentis vti sanctarum scripturarum, quia tutus non potest esse egressus noster, nisi mandatis dominicis contegatur, vsque quo intremus in illam sanctam promissionis terram, quæ iustis est præparata, in qua non sunt serpentes & scorpij.* en quomodo non sunt soluenda calceamenta circumspectionis quandiu hic degimus, cum autem ad terram sanctam peruenerimus, in qua nulli sunt serpentes, extra quorum insidias & morsus sumus positi, calceis non indigemus, & ideo eos deponere iubeamur.

### *Nimis curiose Dei arcana inuestigare non debemus.*

80 *Ne appropies huc.* Sed qua de causa ita tane Deus ad se accedentes eiicere & repellere deberet? dices quia audacter & parum religiosè ad scrutandum mysterium ignis in rubo ardentis accederet, sed cur audaciæ & temeritatis insimulatur, qui Dei imaginem in rubo contemplari & venerari gestiuit? à medio siquidem rubi, ait Philo lib. de vita Moys. promicabat forma quædam pulcherrima, nulli visibili similis, diuinum planè simulachrum luce fulgens clarissima, vt Moses suspicari posset Dei esse imaginem: dico nonnihil arguit Moysen, quod rubum videre & contemplari vellet, sed quod rationem, cur arderet & non combureretur, curiosius scrutari concupierit, hæc enim mens ipsius fuit, vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus, quare inquis, & quis te diuinorum arbitrum & pensatorem fecit? non eras contentus si rubum ardentem & incombustum videris, quin tuo iudicio quare non comburatur examines? vbi Deus sine quæstus Dei imago sine vestigium ad est, nonne omnia certo ordine disposita & constituta erunt? quid igitur te diuinis ingeris consiliis? ne scio si ad hoc alludens D. Basil. in Const. Monast. cap. 23. dixit, *vt instrumentum non sibi ipsi deligit quod sit ipsius sit ad artem sunandam, eodem modo pietatis cultorem quoque nequaquam conuenit ipsum, esse, qui sibi suo iudicio opus deligat, sed gubernationem sui artificis prudentiæ debet consilioque concedere.* Quasi diceret cum Deus sine ratione nihil efficiat, non est nostrum inquirere curiose cur id operetur, sicut nec instrumentum ab artifice cur tali operi seruiat, quærere.

### *Verus Dei minister sæcularibus curis non adhæreat.*

81 *Ne appropies huc,* nisi solutis pedum calceamentis. Cur Moysi prædicandi ac liberandi populum munus suscepturo, pedum calceos deponere iubetur? imo si incalceatus incederet, deberet calceamenta induere, qui enim itineri se accingit his indiget, ne variis aculeis offendatur: sed recte Moysi qui populo suo oraculum diuinum aperire deberet, calceos deponere iubetur, nam his, adumbrantur negotiationes & sollicitudines sæculi & mortali vitæ adhærentes, quas verus Dei minister solum vacans eius obsequio obiicere debet, sic enim Theod. quæst. 7. in Exod. *dicunt nonnulli ea re significasse Deum, vt sollicitudines sæculares abiiceret huic mortali vitæ adhærentes, nam pelles vnde conficimus calceamenta, mortuorum animalium sunt. Consecratum enim perfectus,* inquit Arnold. tract. de Sep. verb. Domini, *doctrinæ & veritatis intelligat non debere sæcularibus negotiis, & actionibus & lucris occupari.*

### *Qui est in Ecclesia non cadere, sed stare dicendus est.*

82 *Ne appropies huc,* nisi solueris prius calceamenta, terra enim in quo stas sancta est, cur stantem dicit? superfluè enim hoc mihi dictum videtur, nam cum incederet, sane stans incedebat: cur ergo alio modo loquendi non vtitur? potuit enim dicere, terra hæc sancta est: & ideo nisi solutis calceamentis noli eam terere. bene cum in terra sancta esset, nempe in Ecclesia per rectam fidem dicitur quod staret, quia qui in ea est, stare debet non cadere: sub hoc sensu capit D. Ambros. Epist. 82. ad Ecclesiam Vercellens. sic enim ait, *gradus singularum sunt & incrementa virtutum, state igitur in corde vestro, ne quis vos subruat, ne quis possit subuertere: docuit nos Apostolus quid sit stare, hoc est quod Moysi dictum, locus enim in quo stas terra sancta est: nemo enim stat nisi qui fide stat, nisi qui fixus stat cordis sui sententia. alibi quoque legimus,*

S. Amb. Deut. 5. *Deuter. 5. tu autem hic sta mecum vtrumque ad Moysem à Domino dictum est, vbi tu stas terra sancta est: & hic sta mecum hoc est mecum stat si stet in Ecclesia: ipse enim locus est sanctus, ipsa terra fæcunda sanctitatis, & opima virtutum messibus, sta ergo in Ecclesia, sta vbi tibi apparui, ibi ego tecum sum, vbi est Ecclesia, ibi firmissima statio tua mentis est, vbi fundamentum animi tui.*

### *Religiosi status magna perfectio, quæ diu peccatores non patitur.*

83 *Ne appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis.* Rationem subiungit, *locus enim in quo stas terra sancta est.* Sed cur calceos deponet, cum ei sint maxime necessarij, ne à vepribus lædatur? plures enim sine dubio erant ibi rubi, quos nudis pedibus terere potuit. si calceamenta pellibus mortuorum facta, mortuos repræsentare diximus, recte iubetur Moysi vt ea deponat, non enim terra sancta nempe religio in qua Deus videtur, in se mortuos diu tolerabit: quo spectans ait D. Bernard. ad fratres de monte Dei, *celsa terra sancta est, & locus sanctus, mortecinium mortuarum affectionum, vel hominem mortuum à corde, locus sanctus vel terra sancta nequaquam diu patitur.* S. Bernard.

### *Continentia promptissima est ad omnia Dei obsequia percurrenda.*

84 *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Cur à visione rubi ardentis impeditur prius accedere nisi depositis à pedibus calceamẽtis? aduerte quod apud Israelitas, calceamẽti solutio, ritus erat renuntiandi debitis ex lege nuptiis: hoc ergo ei datur de deponẽdis calceamentis mandatũ, quasi non posset peruenire quo vocabat eum magna Dei visio, nisi prius quasi nuptiis renuntiasset, sic enim D. Hier. lib. 1. aduersus Iouinian. ait, *Moyses cum vidisset visionem magnam, & Angelum vel Dominum loquentem in rubo, nequaquam valuit ad eum accedere, nisi soluisset corrigiam calceamenti sui & abiecisset vincula nuptiarum*, nuptiis renuntiet, & castitatis sit amator, qui velit facilius & expeditius omnia Dei obsequia obire. S. Hiero.

### *Qui saluti proximorum insudat, prorsus mundo moriatur necesse est.*

85 *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Imo non ea deponat, cum per vepres debeat incedere, sed si legem Dei populo suo annuntiaturum, si ad meliorem frugem reuocaturum attente consideremus, dicemus rectum fuisse huiusmodi præceptum; qui enim nudo spiritu incedere, & mundialem vitam exuere debet, quisquis alios iugo legis diuinæ subacturus est: ita ajte D. Amb. lib. de Isaac, *dicitur solue calceamenta pedum tuorum, vt euocaturus populum ad Dei regnum prius carnis exuuias deponeret & nudo spiritu mentis incederet.* D. Amb.

### *Cum reuerentia etiam afflictorum repræsentationem suscipere debemus.*

86 *Ne appropies huc.* Ingeminato eius nomine appellas, cur ergo ad te venientem reuocas, nisi depositis calceamentis? cum hic rubus afflictorum & laborantium imaginem referat, cur vt eam videat, & meditetur, præcipis vt calceos deponat? *merito*, inquit Theod. q. 7. *vt religiosiorem hac ratione Moysem redderet.* Quandoquidem ea pollent diuinitate spinæ, ignis, crux, & vniuersi dolores, qui debeant maxima reuerentia excipi, cum ad eorum repræsentationem intuendam præcipitur Moysi vt cum religione & honore ad ea accedat; ita Galfrid. *nec aliud fuit dicere inuenti quam venerari te & mirari debere, memento magis quam imitari posse quod conspicis:* deinde ait, *Ecclesia quæ medias inter flammas persecutionum seruanda præsignabatur.* Galfrid.

### *Templum Dei vix capit peccatores, qui ibi in peccatis velint esse.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Rationem subiungit: *locus enim in quo stas terra sancta est*, miror equidem, hoc in mandatis accepisse Moysem, cum Isaac ad domum Dei ad Bethel, ibi altare erecturus, & sacrificia oblaturus perueniens, non audierit à Deo, vt deponeret calceamenta: nonne etiam Abraham & Isaac ad sanctum montem Moria peruenerunt, cũ calcant pedibus calceatis? cur ergo vix Moyses terram sanctam calcat, & statim arcetur? cur Isaac, cur Abraham cur Iacob admittuntur in locis sanctis, & Moyses iubetur non accedere? cur illi inoffense calcant? & Moyses non permittitur vel ad momentum ibi stare, nisi prius exuat calceos? habebat hic immunditiam in calceis quam vehementer cauet locus sanctus, sic enim ait Orig. hom. 8. in Genes. *Moyses cum venisset ad locum quem ostendit ei Deus, non permittitur ascendere, sed ante ei dicitur, solue corrigiam calceamenti de pedibus tuis: Abrahæ nihil horum dicitur neque Isaac, sed ascendunt nec calceamenta deponunt in quo illa fortassis est ratio, quod Moyses quamuis esset magnus, tamen de Ægypto veniebat, & erant aliqua mortalitatis vincula pedibus eius innexa.* 87 Origenes.

### *Verbum Dei magna reuerentia audiendum.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Ad hæc nõ est dubiũ, quin Moyses totus tremẽs calceamenta soluerit, plenus reuerentia & religione, sed ô Moyses, quid vides præpter ignem & rubum, quod sic posses reuereri? an vilis rubus & ignis te in hanc pellunt reuerentiam? absit, non attendit rubum vel ignem, sed solas Dei attendit voces, quibus attentis, Deum in rubo adorat, ex quo sapienter conuincit Theodotus Hereticos, qui videntes infirmitatem vteri virginei, Deum ibi inhabitasse nolunt, quippe ait hom. 2. de Natiuit. Christi habita in Concil. Ephes. cap. 10. *tu Deum ex rubo loquentem Moysique dicentem, ego sum Deus Abraham, audies, & ipsum Moysem pronum adorantem cernens, credis non ignis qui cernebatur, sed Dei tantum qui loquebatur rationem habens, cur cum virgineum vterum memoro, abominaris, auersaris?* sane infirmior erat rubus & ignis ad tenendum Deum, vt crederemus Deum esse in rubo, aut igne, quam in vtero virginali: attamen Moyses Deum adorat in rubo, & nos assentimur Moysi in rubo Deũ adoranti, & cur assentimur? non quidẽ ignis qui cernebatur, sed Dei tantum qui audiebatur 88 Theodor.

rationem habentes, vbi Dei vox, vbi verbum Dei auditur, cum reuerentia accipiendum.

*Non amatur Rex qui subditos supra modum premit.*

89 *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Hæc audit Moyses, cum dux populi inaugurabatur, sane nunquam antea auditum fuit, quod in signum reuerentiæ calceamenta soluantur, frequentior ad hoc erat apud nationes capitis nudatio, cur Deus à suo principe petit calceorum solutionem non nudationem capitis? caput laneis operiebatur, quæ de pecudum tonsione sumebantur, calceamenta autem ex pellibus animalium fiunt, quę supponunt iugulationem & mortem animalis, sic innuebatur principi ne de pellibus occisorum, sed de tonsione vitam agat, non enim diligendus Rex, qui mactat subditos, nec qui illis vitam adimit, vnde optime Concil. Paris. sub Greg. 4. & Ludouico lib. 2. cap. 1. *Rex à recte agendo vocatur, si enim piè & iuste & misericorditer regit merito Rex appellatur, sed si his caruerit, non Rex sed Tyrannus dicendus est: deinde nomen regiminis ad inmanitatem transuertunt crudelitates, sed dum ad culmen potestatum venerint in apostasiam confestim labuntur,* quasi diceret minime in suos crudeles esse, minime ex suorum pellibus detractis, auctoritatem suam fouere debent, aliàs reges iusti censendi non sunt.

Concil. Parif.

*Reuerentia Deo exhibita, magna est dispositio ad vlteriores gratias ab eo promerendas.*

90 *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Similiter Iosue idem mandatum accipit cap. 5. solue calceamentum de pedibus tuis, cur vt Moyses rubi visionem mereretur accipere, vt plura à Deo audire, & populi sui gubernatorem inaugurari, vult Deus vt calceamenta deponat ingressurus per montem spinosum & senticosum? si calceos non haberet, eos induere deberet ne aculeis pungeretur, similiter cur dux Iosue idem audit ab Angelo, cum indecens sit ducem nudis pedibus incedere? sane in hoc conueniunt expositores, quod in illa calceorum depositione, petebatur ab vtroque reuerentia, quam si exhibuerit, dubium non est quin magna à Deo consequi promereretur: vnde Petrus Damian. lib. 3. Epist. 8. de magnis quæ consequuturus erat Iosue loquens ait, *Iosue certe cum vidisset Angelum ait, quid Dominus meus loquitur ad seruum suum? cui nihil aliud illi præcepit, nihil prorsus vt exequeretur iniunxit, nisi tantum solue inquit calceamentum de pedibus tuis,* sane vt magna obtineret Iosue, magna illi fuerant iniungenda, præcipue parato ad omnia, sed vnum ex illo requiritur, quod ex parte reuerentiæ se tenet, quod si vel solum pręstiterit, dubium esse non debet, quin maxima consequuturus sit.

Iosue 5.

D. Petrus Damian.

*In solo Deo spes nostra locanda.*

91 *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Et vt vidimus idem ab Angelo Iosue Moysis successori pręcipitur, cur Deus libertatem populi Moysi iniuncturus, Angelus Iosue in terram promissionis eum introducturus, imperant calceamentorum solutionem? quid enim commune habet vtrumque? quid calceorum depositio cum libertate populo danda, cum populo in terram promissam introducendo? nonne calceorũ hieroglyfico humana confidentia denotatur? eos ergo abijciendos tunc accipiunt in mandatis, vt in solo Deo speraret Moyses quod populum suum à seruitute eriperet, & Iosue quod terram illam toties promissam obtineret, qui vel in calceis miraculum fecit, ne populus per desertũ à spinis aut serpentibus lęderetur, sic enim scribit Rupert lib. 1. in Iosue cap. 15. affirmans neminem qui natus fuerit in deserto mortuum fuisse Deo vitam conseruante ne sine circumcisione moreretur, *inter cætera (inquit) mirabilia hoc fieri potuit, vt de filiis qui in locum successerunt Patrum circumcisorum, nemo moreretur per quadraginta annos longissimæ solitudinis, dicit enim Moyses his Deuter. 29. adduxit vos Dominus quadraginta annos per desertum, non sunt attrita vestimenta vestra, vel calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt, si illud curare dignatus est, vt vestimenta non attererentur, neque calceamenta pedum illorum vetustate consumerentur, quanto magis illud curasse credendus est, vt nemo illorum immatura morte moreretur?* Si ergo Dei tanta prouidentia est? quid timere debent aut sperare, quibus ille iubet vt calceos soluant? sine calceis, sine armis, sine omni humano præsidio victores euadent.

Deuter. 29.

Rupertus.

*Etiam sacerdotes maxima cum reuerentia debent adesse locis sacris.*

92 *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Imo nõ deponat ea, vt liber à dumetis & vepribus grauiter pungẽtibus incedat, cur Dei præceptũ non discutis, cũ omnino à ratione alienũ esse videatur? quid enim magis ei dissonum, quam hominem calceatum, depositis calceis per locum senticosum iter perficere? cur ergo Deus hoc ei præcipit? quia locus in quo erat terra sancta, licet sancta fuisset, eam calceatus conterere nonne potuit? potuit sed non cum debita reuerentia, sed etiam hoc præcipiens Moysi docebat, quanto cum honore futuri sacerdotes deberent locis sacris pręsentes adesse, fauet D. Theod. q. 7. *vt prædoceret eũ qua ratione oporteret sacerdotes in tabernaculo deseruire, nudis enim pedibus illi sacrificia diuina peragebant.*

Theod.

*Prælatura genus martyrij.*

93 *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Hæc dixit Deus Moysi, cum eum ad prælaturam & regimen totius populi sui vellet euehere, sed cur cum commissurus est ei huiusmodi curam, calceos deponere iubet? dices quia locus in quo erat, terra sancta, sed pluries Deus apparuit vt Abrahæ, &c. & tamen cum esset in loco in quo fiebat apparitio, non tamen calceos iussus est deponere: attente consideremus quid referat Tertul. de corona militis cap. 1. de eo Christiano milite, qui in die natali Imperatoris coronã non capite sed manu gestabat, quapropter se esse Christianũ confitẽs, ad suppliciũ raptus est. hæc infert, grauissimas penulas posuit, speculatoriam morosissimã pedibus absoluit terræ sanctæ insistere incipiens: penula genus fuit vestis villoris, qua milites vtebantur ad arcendas pluuias, speculatoria autem gestus

Tertull.

erat calceamenti quo prætoriani milites cal- A ceati incedebant, non soleis aut ex corio confecti, sed ex molli aliqua materia. his autem vtebantur, vt speculari possent sine strepitu, si quid contra Imperatorem molirentur milites, hæc etiam christianus miles abiecit, & subdit, terræ sanctæ insistere cupiens, id est ad martyriū & tormenta pro Christo illata accedens, quæ terra sancta est: calceamenta ergo deponere est, ad martyrium & mortem se offerre: quo posito, dicamus merito Deum Moysi, quem ad regimen & curam populi sui euehere volebat, iussisse vt calceamenta solueret, quia prælatura & aliorum administratio, certum genus est martyrij.

### *Peccatum tenebras offundit.*

94 *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* B Nonne intendebat Moyses videre rubum ardentem? dixerat enim videbo visionem magnam, quare non comburatur rubus, tunc Deus solue prius calceamenta, nonne oculis erat visurus non autem pedibus? debuisset ergo potius Deus dicere, oculos tuos purga, eorum cataractas depone, inunge collyrio, vt acutiores reddantur & puriores, ne ergo soluat è pedibus calceamenta, cum ea minime visioni officiant, (S. Amb.) sed ad quem sensum ea trahat D. Amb. de fuga sæculi cap. 5. videamus, existimat ea cum ex corio animalium fiant, terrena hæc & caduca & temporalia designare propter quæ frequenter delinquimus, quæ mentem & rationem obtenebrant: merito ergo deponi iubentur, vt rubum possit ardentem videre; quia si ea pedibus solueris, si terrenis valedixeris, sensum acuisti, mentem excitasti, vt etiam abdita possit agnoscere: & quamuis hæc calceamenta non oculos sed pedes premant, nihilominus maxime visui officiunt, vnde omnino abucienda, infero verba Ambros. *Transi sicut Moyses, vt videas Deum Abraham, Isaac & Iacob, & videas visum magnum: sed si videre vis solue calceamenta pedum tuorum, solue vincula sæculi, relinque calceamentum quod terrenum est.*

### *Corporis motus compescendi, maxime ab ijs qui aliorum regimini debent præesse.*

95 *Ne appropies huc solue calceamēta de pedibus tuis.* Diximus hoc ei Deum præcepisse, cum ad regimen totius populi eum destinaret, sed quodnam impedimentum afferre poterant calceamenta, quin Deum videret, præcipue cum mittendus est in Ægyptum, vt soluat à captiuitate D Israelem, imperaturus ei, & iura dicturus? nam etiam ille populus calceis vtebatur, non est autem deterioris conditionis rector subdito, Orig. hom. vnica in lib. Reg. arbitratur calceos qui ex pellibus animalium conficiuntur, corporis & animæ animales & irrationales motus designare: merito igitur eos soluere debet, quia licet ad omnes spectet motus rebelles compescere, maxime tamen ad eos qui alijs sunt imperaturi, qui alijs iura sua dicturi & legem daturi: do verba (Origenes.) Orig. *aut illud magis dicendum, quod cum exiret de terra Ægypti habebat calceamenta de pellibus mortuis, & erat quadam mortalitate constrictus, cum autem cœpit proficere ad virtutem, & ascendere ad montem Dei atque ibi immortalibus ministrare mysterijs, tunc dicit ad eum, vt indicia mortalitatis abijceret, quæ calceamentis pelliceis designantur.*

### *Ad nouam transire vitam debet qui Dei verbum annuntiat.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* 96 Hoc mandatum simile est huic à Christo Domino, Apostolis suis dato Matth. 10. nolite possidere aurum, nec argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non duas tunicas, nec calceamenta: cur Christus Dominus missurus suos per orbem terrarum ad enuntiationem Euangelij discipulos, consulit vt omnibus destituti, etiam ponant calceamenta, quæ necessaria in longo itinere conficiendo censentur? qua enim difficultate, imo quo periculo, nudis pedibus longa perficitur via? per calceamentorum depositionem, intelligere debemus vitæ veteris & conuersationis antiquæ mutationem, & in nouam transitum creaturam: quam bene non solum Moysi Angelus, sed etiam Apostolis suis Christus præcipit calceorum solutionem, quia omnino renouari debent, nihilque de pristina conuersatione retinere, qui alios docere mittuntur, ita eodem loco cit. Orig. *ego puto quod propterea & Apostolis suis Saluator præcepit, ne haberent calceamenta in pedibus suis, vt ipsorum pedes qui currebant ad annuntiandam vitam æternam, omni carerent mortalitatis indicio, quippe eius qui illam vitam inciperent, qui dicebat ego sum via, veritas, & vita.* (Origenes.)

### C *Qui aliis dominari debet, ab eis sit liber vt secundum æquitatem regere possit.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* 97 Nescio quodnam est hoc genus submissionis? quænam est hæc latria & adoratio, quam requirit Deus à Moyse Israelitis præficiendo? si genuflexionem, si caput discoopertum ab eo peteret, cum sint signa reuerentiæ exteriora, sane nihil miraremur, Amb. cap. 4. de bened. Patriarch. hunc ritum refert ad nuptias (vt vidimus) (D. Amb.) *etenim cautum erat lege, vt si quis post ductam vxorem, sine liberis ex vita decessisset demortui mariti vxorem duceret, quod si nollet Deuter. 29. accedet ad eum mulier, coram senioribus & tollet calceamentum de pedibus eius, spuetque in faciem eius & dicet, sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui,* (Deut. 29.) itaque calceamenta deponere, est nuptias & connubia reijcere. dicamus ergo, iussum fuisse Moysi Israelitis præficiendo, calceamenta soluere, idest nuptias cum populo refutet, alias aptus non erit ad regendum, nec idoneus, forte erunt aliqui qui cum curam animarum susceperint, omnia volunt ad se referri, & pro suo arbitrio moderari, & ab eorum voluntate neque latum vnguem discedi, si qui vero alij consulantur, ægre ferunt, Zelotypia ardent, ie gerunt ac si vxores duxissent, ergo admonet Deus Moysen, cum eum populo suo præficit, vt has damnabiles nuptias abiiciat, & vni Deo in matrimonium animas copulet ita Amb. ait, *ideo dicitur Moysi solue calceamentum de pedibus tuis, ne ipse sponsus Ecclesiæ crederetur, qui dux plebis eligebatur.*

*Qui ad Eucharistiam bona conferentem, & mala non inferentem accedit, liber sit ab affectibus mundanis.*

98. *Ne appropies huc solue calceamentum de pedibus tuis.* Quo tendebat Moyses? videre rubum ardentem, & qui non comburebatur, vt huiusmodi rubum intueatur, ad quid necessaria est calceorum solutio? obseruemus quid dicat B. Basil. Cæsariens. in cap. 6. Isaiæ in illa verba Prophetæ. Et volauit ad me vnus de Seraphim, vt declararet (inquit) ignem illum cœlestem naturæ esse nequaquam exustiuæ, sed expurgatoriæ, susceptum manu ita admouit labiis prophetæ, huic congener & affinis erat qui & in rubo apparuit, quem quidem Moyses intuebatur quidem plantæ, nec tamen exurebat. Hic ignis rubi sicut ille carbo, qui admotus fuit ori prophetæ symbolum est Eucharistiæ, sicut enim vterque ignis, non habuit vim exustiuam, sed & illuminatiuam, flammas emittit & longe lateque rutilat; & coruscat, tamen sine adustione: ita Eucharistia, quæ Deum sane continet tanquam ignem, sed qui non vrat, neque consumat, sed qui illuminet, longe lateque rutilet, ardet rubus, idest flammas immittit, & luce clarius coruscat, neque tamen adurit, quia Eucharistia secum bona trahit, non autem mala, nisi ex praua recipientis dispositione, quid mirum igitur si ad tantum mysterium intuendum currenti Moysi, depositio calceorum præcipitur? quia quicumque ad Eucharistiam accedit, omnes corporis affectus exuere debet, neque tamen aut faciem, aut manus lauare præcipitur, sed & gressus mundare; nam pedes mundare omnimodam purificationem indicant, & qui ad Eucharistiam accedit, non modo faciem & manus lauet, idest grauiores culpas abijciat, sed & leuiores exuat: vnde sacerdos paulo antequam accedat ad hostiam consecrandam, summas digitorum extremitates abluit, & abstergit, non sine mysterio inquit B. Dionys. Areopag. de Eccles. Hierarch. cap. 3. *Vt qui iam antea lotus est, nullam aliam nisi tantum summitatum extremitatumque suarum lotionem adhibeat, per quam profecto supremā munditiam illud consequitur, vt castissimo in habitu speciei diuinæ constitutus, ad diuinæ bonitatis imaginem prodeat, vinculis omnibus mortalium affectionum liber, atque expeditus.* Et paulo post, *eos* (inquit) *qui ad sacrificia cœlestia conficienda accedunt, ea oportet esse munditia, vt ipsas quoque animæ extremas imagines purgatas habeant.*

Basilius Cæsareus. Dionysius Areopag.

*Magna cum humilitate ad Eucharistiam accedendum.*

99. *Ne appropies huc solue calceamentum de pedibus tuis.* Vt digne ad rubum ardentem possis accedere, diximus in præcedenti conceptu, hoc ardēti rubo & incombusto Eucharistiam denotari, hac autem calceorum depositione non solum mortalium, sed etiam venialium peccatorum emundationem: sed in his verbis solue calceamenta de pedibus tuis dicta Moysi, ad rubum accedenti, aliquodne mysteriū pro præparatione A Eucharistiæ denotatur? nonne nudis pedibus incedere humilitatis argumentum est? recte ergo solutio calceorum tunc Moysi præcipitur, quia profundissima cum humilitate ad Eucharistiam accedere debemus: fauet Rupert. cap. 12. *Nam ille quidem corporaliter nudis pedibus incedere iussus est, quod est solemne humilitatis instrumentum, nobis autem spiritualiter, vt iam prædiximus, agendum est.* Rupert.

*Sacerdotalis dignitas quam eximia.*

*Ne appropies huc solue calceamentum de pedibus tuis.* Subiungit rationem, quia locus in quo es, terra sancta est, si terra sancta est cur calceos deponit? nonne erat sacerdos vt eam tanquā nudis pedibus quāuis sancta esset adhuc sanctificaret? rationem hanc soluendorum calceamentorum in medium profert Diodor in cat. Græc. B *Benedictus est & benedices, sanctificas locū super quem incesseris, cum sis sacerdos, ac Spiritu plenus; solue calceamenta pedum tuorum, vt nudis pedibus terram in qua stas sanctifices*, quam magna, quam sublimis sacerdotis debet esse sanctitas, vt locum ipsum licet sanctum sanctificet, dum tangit. 100.

Diodorus.

*Qui intelligere dignitatem Mariæ appetit, liber sit à curis sæcularibus.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Rubum vult intueri, & ab hoc prohibetur nisi depositis calceamentis, & merito quidem, quia cum rubus, vt diximus, vers. 3. Mariam eiusque dignitatē & excellentiam denotet, ab omnibus curis rerum sæcularium debet esse liber, nihil omnino mortale & periturum, quod per calceamenta denotatur, habens, vt virginem rubum, Mariam scilicet illibata virginitate C parituram valeat contemplari, *mens sopita esse debet*, inquit Richardus à sancto Laurent. lib. 10. de laudibus virginis. *à curis sæcularibus & occupationibus exterioribus quæ videre appetit, idest intelligere dignitatem & altitudinem eius.* 101.

Richardus à sancto Laurentio.

*Calceamenta deponat qui in sancta sacra dignitatis terra stat.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis; locus enim in quo stas terra sancta est*, quis ille locus, quænā terra sancta illa est, vt qui in ea est calceamenta deponere teneatur? dignitas Ecclesiastica rerum terrenarum amorem exuere debet, qui eam digne habere voluerit: qui enim in terra D sancta, in summo culmine non calceamenta soluunt, sed potius induunt, & ardentiori rerum terrenarum siti corripiuntur, qui rerum peritorum inuolucra sollicite quærunt, sane calceatis pedibus terram sanctam, dignitates sanctas cum contemptu calcant, audiendus est B. Bernard. Epist. 137. quam primo ad Eugeniū scripserat, *Exultaui* inquit. *sed in ipso exultationis meæ articulo, timor & tremor venerunt super me, & si nomen patris deposui, sed non timorem, sed non anxietatem, postremo nec affectum nec viscera patris, considero gradum & casum vereor, considero fastigium dignitatis & intueor faciem abyssi iacentis deorsum: attendo celsitudinem honoris, & è vicino periculum reformido, pro eo quod scriptum est, homo cum in honore esset, non intellexit: quod quoniam ad causam* 102.

D. Bernard.

*magis quam ad tempus arbitror esse referendum, vt*
*sic intelligatur dictum, cum in honore esset non intel-*
*lexit, ac si diceretur honor absorbuit intellectum: &*
*quidem elegerat abiectus esse in domo Dei tui, & re-*
*cumbere in nouissimo loco in conuiuio eius, sed placuit*
*dicere ei, qui te inuitauit, amice ascende superius:*
*itaque ascendisti in altum, noli altum sapere, sed ti-*
*me, ne forte contingat sero emittere miserabilem il-*
*lam vocem à facie iræ, & indignationis tuæ ele-*
*uans allisisti me; altiorem quippe locum sortitus est, sed*
*non tutiorem: sublimiorem, sed non securiorem, ter-*
*ribilis prorsus terribilis est locus iste, locus inquam in*
*quo stas terra sancta est.*

### *Non indebitè sedendum in Ecclesiis, sed standum in bonis operibus.*

103. *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.*
Subiungit ilico rationem, *locus in quo stas, terra*
*sancta est*, cum ô Deus, vis alloqui de pluribus
quæ futura sunt certiorem reddere, cur igitur
eum sedere non præcipis? quia locus in quo est
terra sancta est, qui vt in loco sancto est, non
sedere sed stare debet, non solum corpore sed
animo, mentem habens in cælum erectam, quod S. Petrus
B. Petr. Dami. opusc. 34. multis argumentis co- Damianus.
natur ostendere prauam sedendi consuetudinem
dum diuina celebrantur officia abolere conten-
dens, & pluribus propositis rationibus, tandem
concludit. *Cum ergo loco illi propterea quia sanctus*
*erat, debebatur nuditas pedum, cur Ecclesia quæ nihi-*
*lominus locus sanctus est, non mereatur saltem stan-*
*tium reuerentiam clericorum? Moysi quoque dicitur,*
*ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis,*
*locus enim in quo stas terra sancta est, vt quid enim*
*hæc antiquis Patribus diuinitus imperata per sacras*
*paginas legimus, nisi vt sacris locis nos reuerentiam*
*debere credamus? an minus sacer est locus in quo per*
*mysterium viuificæ passionis Christi corpus offertur,*
*quam vbi ille per suum Deus Angelum loquebatur?*
*vt Deuteronomio quoque legitur, quia dixit Dominus*
*Moysi tu sta hic mecum, vt loquar tibi omnia manda-*
*ta, & ceremonias atque iudicia: non ait sede vel re-*
*cumbe, sed sta mecum, vt scilicet stando discat quod*
*sedendo postmodum doceat: cui ergo virtutes angeli-*
*cæ assistunt trementes, terreni & corruptibiles homines*
*astare despiciuntur, & cum Ecclesiasticis illis officiis*
*rite credatur Angelicam semper adesse præsentiam,*
*dicente scriptura, in conspectu Angelorum psallam ti-*
*bi, nostramque vigilantiam siue desidiam non modo*
*diligenter attendere, sed & superno iudici cuncta per*
*ordinem nunciare, quanto putamus aduersus nos zelo*
*mouentur, dum in conspectu illius nos irreuerenter*
*sedere conspiciunt, cui scilicet ipsi trementes assistunt?*

### *Qui Eucharistiæ mysterium cognoscere velis, humanam cognitionem deponas.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.*
104 Diximus rubo illo ardenti, & non combusto,
denotari etiam Eucharistiam. Sicut enim inde
redemptionis principium habuit gens Hebræa,
ex quo Deus inter spinas & flammas apparuit, &
sic vera libertas spiritualis initium sumpsit ab ea
sacratissima cœna, qua institutum est hoc sacra-
mentum: tunc enim ardebat diuina charitas eo a-
more, quo accensus filius Dei in holocaustum se
obtulit: cum ergo Moyses videret quod rubus
arderet & non combureretur, dixit vadam & vi-
debo visionem hanc magnam, quare non com-
buratur rubus: etenim sicut dixit Tertul. lib. Tertulian.
de palio calor est omnis affectus, quantumcúque
igitur arserit Dei filius igne charitatis, minime
tamen combustus est atque consumptus, nam
sicut dixit August. absit vt dilectionem suam
morte finierit, qui non est in morte finitus, hu-
ius rei rationem rimari voluit Moyses, quid au-
diuit? ne appropies huc, nisi solutis è pedibus cal-
ceamentis, cur ea deponet? ratio melius perci-
pietur si in medium proponatur alter locus Ruth. Ruth. 4.
cap. 4. hic erat mos antiquus, vt Israel si quan-
do alter alteri suo iuri cedebat, vt esset firma
concessio, soluebat homo calceamentum suum,
sic enim ostendebat, se non habere potestatem
calcandi, nec colendi hæreditatem vt propriam,
sed alteri cedere, ita qui propriis oculis consti-
tuit ardentem rubum respicere, & euidenter
agnoscere, quo tandem modo illud fieri possit,
iubetur deponere calceamenta, & totum omni-
no ius naturalis agnitionis renuntiare, neque
enim tantum mysterium poterit cognosci sensu,
aut intellectu humano. sicut igitur rubus ple-
nus erat spinis, sic etiam & sacramentum hoc
conditum fuit in memoriam spinarum & passio-
nis Christi, vnde ipsemet Christus Dominus di-
xit, hoc facite in meam commemorationem,
qui igitur euidenter voluerit cognoscere, quo-
modo fieri possit, vt corpus humanum integrum
sub tam parua quantitate, & alterius substantiæ
velamine lateat, diuinumque ignem contineat,
ad inflammanda corda nostra, soluat calcea-
menta humanæ cognitionis & manu ductus fi-
de, eademque interius illustratus ad hoc sacra-
mentum accedat, aliàs scrutator illius maiesta-
tis opprimetur à gloria, decipietur sensibus, pro-
priaque cognitione ductus præceps corruet: &
sic optime B. Bernard. Epist. 77. longe à prin- D. Bernard.
cipio dixit. *Sacramentum Dei altissimi suscipien-*
*dum non excutiendum, venerandum non dijudican-*
*dum, fide sortitum non innata traditione sanctorum,*
*non adinuentum ratione.*

### *Deus aliquem in principem electurus, reuerentiam & sui timorem in cor eius instillat.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus* 105.
*tuis.* Nonne Moysem in principem populi tui
est electurus? cur ergo eum appropinquare non
sinis, vt tua mandata accipiat? accedet sed
prius solutis è pedibus calceamentis, cur ante-
quam eum eligat hoc ei præcipit? quia qui alios
regere debet, maximæ apud Deum debet esse
reuerentiæ, quæ calceorum depositione nota-
tur, *à multis hominum millibus*, inquit Greg. Niss.
in eius vita, *facile nunc in protectorem recipitur: ma-*
*gna igitur voce auctoritas clamare videtur non insi-* Nissenus.
*liendum esse ad instituendam multitudinem, nisi prius*
*magna diligentia magnisque laboribus*, adde & ma-
gna reuerentia, *atque timore eam auctoritatem fuerit*
*adeptus, vt subditi verbis eius facile acquiescant.*

### *Incarnationis mysterium non curiose perscrutandum.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.*

Cyril. Alexand. vt vidimus in conceptibus versus tertij, per rubum ardentem & incombustum, incarnationem verbi diuini intelligit, sicut enim ille ignis proximo coniungebatur rubo, cum tamen non absumebat, ita diuinitas quamuis esset personaliter vnita humanitati, non tamen absumebat mortalitatem & infirmitatem carnis: quo posito cur hanc ab eo exigit calceorum depositionem, vt rubum hunc mysterium incarnationis denotantem intueretur? quia arcanum hoc vnionis hypostaticæ, non est curiose perscrutandum, ita S. Bruno. Bruno in allegor. Tilm. *Ne appropies huc, idest ne quæras ea quæ supra te sunt, noli virginis castitatem, noli Christi incarnationem inuestigare*, ita etiam explicat Galfrid. Galfrid. in eisdem allegor. Tilm.

### *Curiositas primus gradus ad superbiam, & ideo fugienda.*

107. *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Appropinquet, cum ipsum proprio nomine appellaueris, & hoc ingeminato, sed quid dixerat Moyses? vadam, quodquidem temerarium & nimis curiosum ausum præ se fert. merito igitur arcetur à Dei conspectu, curiositas enim primus est ad superbiam gradus, nos reddens Dei visione indignos, idcirco plurimis scripturæ locis vetitam deprehendes, maxime Eccles. 3. altiora te Eccles. 3. ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sic enim inquit Bernard. in tract. de humil. gradib. D. Bernard. *quò à te ô curiose recedis, vt ne teipsum capias vide ne dum ea ipsa quæ quæris quod de curiosis illis apud gentiles sapientibus pronuntiat Paul. ad Rom. 12.* Rom. 12. *euanuerunt in cogitationibus suis, idest suis se discursibus curiosis inutiliter sicut superbe se dissipauerunt tibi conuenias.*

### *Cæremoniæ Ecclesiasticæ admittendæ sunt.*

108. *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Vt ex hac calceamenti depositione intelligeret excellentiam diuinæ maiestatis, quæ ibi suam declarabat prouidentiam, & cum ea contendens atque comparans humilitatem & vilitatem suæ conditionis, ingenti submissione animi, & reuerentia, & religione ad percipiendum oraculum accederet, sed cur hanc cæremoniam externam non solum à Moyse, sed etiam deinde à Iosue vtroque eximia prædito sanctitate, ad maiorem in Deum venerationem & religionem exigit Deus? vt deinde nostri temporis hæreticorum videamus amentiam, atque impietatem execremur, qui omnes Ecclesiasticas cæremonias à sanctis Patribus traditas, & ab ipsis vsque religionis nostræ cunabulis adhuc conseruatas, & ad eruditionem & promotionem pietatis Christianæ plurimum conducentes, impudenter rident, impie repudiant & profligant, atque è medio tollere conantur, vnde optime Synodus Concil. Augus. Diœcesana Augustensis to. 9. Concil. cap. 23. sic decernit. *Cæremonias maioribus nostris hominibus religiosissimis vsitatas, quod ad varios pietatis vsus valeant & exercitia, quædam sunt quibus mentis externarum scilicet rerum sensu & significatione ad diuinum cultum, ipsumque Deum attrahitur in Ecclesiis nostræ Diœcesis retinendas, & vbi abrogatæ fuerint renouandas esse statuimus atque mandamus.*

### *Qui alios recturus & docturus doceat exemplo.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Nimium inquit B. Amb. lib. de Isaac cap. 4. vt vocaturus populum ad Dei regnum prius carnis exuuias deponeret, & nudo spiritu vestigioque incedat: sed cur à Moyse alios vocaturo tanta perfectio exigitur? nonne sufficit vt illos verbis eruditis attrahat, potens sermone? sane vniuersim hoc certum est parum aut nihil in aliis ad virtutem promouendis proficere, qui vitam gerit vitiis pollutam, quod recte annotauit Tertul. lib. de patient. *Oportet demonstrationem & commendationem alicuius rei adortos ipsos prius in administratione eius rei deprehendi, & constantiam commonendi propria conuersationis auctoritate dirigere ne dicta factis deficientibus erubescant.* Sane si quis sapiet, verecundabitur ea docere alios, quæ ipsemet non obseruat, dicere bene & male viuere summa est impudentia. 109. Tertullian.

### *Qui semel sanctitati studuit ab ea non cesset.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Pedes animæ affectus non semel à B. August. dicuntur, atque iis quidem ad Deum itur, ergo calcei de pellibus carnium cæsarum abiiciuntur, hoc est, omnis affectus rerum terrenarum ab anima procul arcendus est, si Dei obsequio & amori studendum est, quod Moyses quidem tunc intellexit, deposuit enim calceamenta; sed nonne ea semel deposita reassumpsit? audiamus B. Greg. Nissen. orat. 11. in Cant. *Ne Moyses quidem postea quam ex diuino mandato semel cadaueroso pellium tegumento pedes suos exoluit, quo tempore in solo sacro & illuminato incedebat, calceamentis pedes deinceps cinxisse creditur, idem enim vestem sacerdotalem ad exemplum in monte sibi commonstratum summo studio confecisset, nullum tamen pedibus ornamentum excogitauit.* Sed qua de causa semper nudis pedibus incedere voluit? quia qui semel curis sæcularibus valedixerit, qui semel nudam & liberam ab omni carneo & libero affectu animæ affectionem gesserit, denique qui semel sanctitati studere cœperit, ab ea nullomodo cessare debet. 110. D. Greg. Nisse.

### *Qui omnibus renuntiat, securus sit de omnibus.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Idem alter Angelus iniunxit Iosue, imo & Christus Dominus discipulis, cur ingressuro Moysi per vepres, cur Iosue terram promissionis bellicosissimis habitatam gentibus, ingredienti, cur discipulis vniuersum orbem peragraturis, hoc præcipit, vt vsque ad calceamenta deponant? luculenta est explicatio Procopij in cap. 5. Iosue, *Securitatem pollicetur Angelus Iosue quemadmodum Moysi, discipulis autem Dominus, nec virgam, nec peram, nec calceos concessit, dedit vero eis potestatem calcandi super scorpiones & serpentes*, ite inquit Dominus discipulis ad om- 111. Procopius.

nes gentes circuite vniuersum orbem, non est quod Barbaras nationes, prouincias aut toto orbe dissitas, aut sub torrido cœlo iacentes aut rupibus & montibus arduas aut infœlici sterilitate addictas, aut feris, aut serpentibus horridas timeatis, securi meo præsidio de omnibus incedetis, ac si terram sanctam, hoc est ab omni periculo, maloque, & noxa liberam nudo pede contingeretis.

### *Cum Deo non cursim agendum.*

112. *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Cuius mandati hanc rationem tradit Lippo. *Dominus iubet Moysem calceamenta deponere, vt hac cæremonia admoneat ipsum ne vltra pergat, sed sistat gradum & attendat, quid ipsi mandetur:* sed cur monet ne vltra progrediatur? aduertendum est calceamenta significare profectionem, vt patet ex 12. Exod. nam in esu agni paschalis habebant calceamenta in pedibus, quibus videlicet admonebantur, inde statim abeundum & in aliam regionem proficiscendum sibi esse, moris autem erat in Palæstina, vt quisque domum suam ingrediens, cum in ea diutius & pacificè vellet manere, soluere calceamenta: quo notato recte cum Deus Moysem vult alloqui, solutionem calceorum ab eo exigit, quia non vult, vt secum cursim agatur, sed serio ac maturè, vt quasi domi nostræ vellemus consistere. (Lippom.)

### *Diuina præsentia magnopere attendenda.*

113. *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis,* annet terram pedũ calceamentis coinquinet? estos nonne in illa terra calceamenta deposuit, & in illa dereliquit? non est ergo depositionis eorum ratio inquinamentum, cur ergo hæc ei cæremonia præcipitur? ne aliunde rationem hauriamus, nisi ex diuino textu dicente, terra autem in qua stas terra sancta est, *in quo sancta non propter aliud* inquit Hugo à sancto Victore, *nisi propter diuinam præsentiam.* (Hugo Victor.)

### *In totum diuinæ vocationi committere nos debemus.*

114. *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Nonne cum in conuiuio inuenisses hominem malis vestibus indutum, præcepisti vt foras eijceretur, à tortoribus cruciandus? cur ergo Moysem decenter indutum, calceos enim decet hominem habere, à te repellis nisi eis depositis? nonne cum vocabat Dominus? nonne diximus calceorum depositionem denotare suo iuri aliquem cedere? quid mirum igitur cum ad se vocet, præcipere calceorum depositionem? quia diuinæ vocationi in totum nos committere debemus, obseruatio est Lippom. *Apparet ei Dominus in flammeo rubo, & iubet ipsum calceos exuere vt hac cæremonia admoneat, cum quo de pastorali officio tanquam de suo iure cedat, & sequatur eam vocationem ad quam nunc ipsum ordinaturus sit, solue calceamenta de pedibus tuis, volo vt non amplius agas pastorem ouium, sed vt de hoc officio cedas, & resignes te totum vocationi meæ, ad quam nunc te ordinabo.* (Episcopus Metonensis.)

### *Deum appropinquare potest qui sordes eluit.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis,* ergo his solutis de pedibus, quibus animæ affectus proprij denotantur, poterit te conuenire, tecum miscere sermones, an calceorum delatio, hoc beneficium, ne ei impendatur, obstare poterit? quidni? eis enim sordes denotantur, qui autem eas non eluerit, inquit auctor Græcus cit. à Lippom. *Appropinquare Deo non potest, atque ita fiet vt Deo proximus sit, & alios seruare ac liberare idoneus fiat, qui se mundauerit.* (Auctor græcus in Cat. aurea.)

### *Minister Dei verbum suum annuntiaturus, nec mortem timere debet.*

115. *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Hanc ab eo calceorum depositionem requirit, cum eum tum ad populum Israel, tum ad Regem Ægypti missurus est, vt suam eis voluntatem aperiat: sed qua de causa tunc id ei præcipit? reuocemus in memoriam timore mortis ab Ægypto fugisse, calceamenta autem cum ex animalibus mortuis confecta sint, & ideo mortem denotantibus, deponere, nihil interitum pendere debere; quam opportunè ergo hoc ei præcipitur, quia nec mortem timere debet concionator, quin verbum Dei libere annuntiet, sic explicat B. Amb. lib. 7. supra Luc. cap. 10. *Mortale calceamentum soluere iubetur cum mitteretur ad liberandum populum, huius enim minister muneris nihil timere debet, nec à suscepto officio mortis periculo retardari, ipse enim cum defensionem fratrum hoc est Iudæorum voluntarius recepisset, calumniæ terrore reuocatus est ab incœpto, & fugit ab Ægypto, & ideo cum Dominus affectum eius probasset, conditionem autem vidisset infirmam animi mentisque vestigium mortalibus vinculis censuit exuendum.* (D. Amb.)

### *Legem veterem deponat, qui Christo velit adhærere.*

116. *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Cum esset Dei seruus Moyses, & ab eo vocatus, cur eum conuenire prohibetur? non est dubium, cum Moyses esset Iudæus, calceamentis eius legem futurã denotari, sicut calceus sordibus non caret, ita imperfectiones lex ipsa habebat. qui ergo Deũ appropinquare voluerit, qui adhærere Christo Domino, legi veteri valedicere tenebitur, ita Procop. *alij putant cum legis cultus non omnino reprehensione caruerit, ostendi τὸ ... quod in lege peragitur, non prorsus vacare corruptione, & nos simul edocet non fas esse illum appropinquare Deo, in quo extent adhuc reliquiæ mortalitatis, ex qua nos liberauit, non lex sed Christus; nam impossibile erat vt sanguis taurorum & hircorũ tolleret peccata, nemo enim per legẽ iustificatur peccato autem nondum irrito facto adhuc corruptionẽ vigere & mortem dominari peccato inquinatis necesse est;* eum igitur qui volet se iungere Christo oportet deponere legis cultum qui typos & vmbras continebat. (Procop.)

### *Qui Dei veram cognitionem habere voluerit, prius propriam habeat.*

117. *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.*

Quo tendebat Moyses? in rubum, vt Deum in eo A videret. cur ergo ab eius visione arcetur nisi depositis à pedibus calceis? accipe respondentem B. Greg. Nyss. lib. de vita Moysi. *Calcei soluendi, ostendusque omnis amictus pelliceus ac terrestris, & sordidus passionum astus, vt ipsius qui est cognitio possit suscipi.* preme hæc verba, & intelliges ad cognitionem eius qui est, nempe supremi entis, nullum peruenire posse nisi propriam habuerit, qui enim sordescit, qui passionum æstibus inquinatur, seipsum minime cognoscit. D. Greg. Nyss.

### *Concionator nullo rancore in alios feratur.*

118 *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Quod quidem ei præcipitur, cum voluntatem Dei non solum Israelitis, sed etiam Ægyptiorum Regi esset reuelaturus: sed nonne decebat hominem B nudis pedibus venire in regis conspectum? cum ita alloqui? non est dubium pedibus animæ affectus denotari, calceamentis autem rancoris passionem, dicimus enim de homine odio alium prosequente, aliquid in corde coopertum molitur: calceamentum igitur quo pes cooperitur, denotat passionem rancoris, qua animus aduersus aliquem æstuat: non est dubium autem Moysem aduersus Regem Ægyptiorum potuisse ferri odio, ob tyrannidem in populum suum exercitam? quid mirum igitur si tunc deponere calceamenta iubetur? quia qui verbum Dei aliis debet annuntiare, omnem rancorem & odium deponere necesse est. hunc sensum habet Philipp. Abb. cap. 20. de obedi. Clerico. *Cum Moyses* C *quomodo prædicationi deberet insistere, mystice doceretur, solue, inquit Dominus calceamentum de pedibus tuis, vt scilicet tua cunctis prædicatio declaretur, non rancoris superducto velamine tenebrata.* Philippus Abbas.

### *Peccata in tenebris committuntur.*

119 *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Cit. Abb. tractatu de salute primi hominis cap. 6. sic loquitur, Vides in hac vocatione, qua Deus vocat Moysem, magnam gratiam designari, cum ille qui de Ægypto venerat iubetur discalceari: sed quod beneficium ei quæso impenditur? quænam gratia confertur ei qui iubetur discalceatis pedibus incedere? satisfacit idem auctor. *Quia enim calceamenta è mortuorum pellibus animalium efficiuntur, per ea non incongruè mortua opera & peccata designantur, quæ procul dubio Ægypto, hoc est in tenebris perpetrantur.* sed nonne plurima media in luce peccata committuntur? nonne ipso sole vidente maxima scelera perpetrantur? cur igitur præfatus Abbas asserit, mortua opera vel peccata designari quæ in Ægypto, hoc est in tenebris perpetrantur? quia, quæcumque praua opera, etiam si media luce committantur, semper in tenebris facta esse dicuntur, quia nihil magis tenebrosum quam praua operatio. Citeus. Abbas.

### *Propriæ voluntati cedendum, cum obediendum est.*

120. *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Hoc ab eo exigit, cum multa ei est imperaturus, sed quid commune habet calceamentorum depositio cum imperio alterius ad mittendo? hoc equidem quod! sicut qui iuri suo cedere volebat antiquitus, calceum soluebat, ita suo voluntatis iuri cedere debet, qui alteri obedire desiderat, qui enim propriæ non cedit voluntati, quomodo obtemperabit? sic explicat B. Antioch. hom. 73. *Dixit Moysi solue calceamentum de pedibus tuis hoc est solue iustificationem tuam carnalem istam prudentiam ac fastum propriæ voluntatis, locus enim in quo stas terra sancta est, quam vtique sortito hæreditant mansueti, nos itaque carnales istius voluntatis nostræ præcidamus præputium, eam explentes quæ Dei est ne ab eo excidamus qui per Hieremiam cap. 2. dicit, me dereliquerunt fontem aquæ viuentis, & ambulauerunt post voluntates suas malas.* D. Antiochus. Ierem. 2.

### *In confessione omnia deponenda peccata.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis* Subjungit rationem huius præcepti, *locus in quo stas terra sancta est.* Cardinalis Vitalis in speculo morali sacræ scripturæ titulo de Confess. arbitratur terram illam sanctam esse confessionem: quid enim sanctius, quàm vbi conscientia mundatur, amaritudo tollitur, mare fugatur, tranquillitas redit, spes reuiuiscit, animus hilarescit, morbus curatur, sanitas restauratur, hostis fugatur, securitas præstatur, infernus spoliatur, gratia confertur, cœlum reseratur? sed cur ad hunc locum confessionis accedens, calceamenta iubetur deponere? dices propter reuerentiam tali loco debitam, bene equidem, sed an hac solum de causa? nequaquam, sed quia omnia peccata debent in ea deponi. *Calceamentum soluit*, inquit Cardi. *Qui carnalibus concupiscentiis abrenuntians, & se peccata per confessionem expellit, vel certe calceamentum soluitur, quãdo confitens à peccatis absoluitur.* 121 Cardin. Vitalis.

### *Fides non naturali argumentationi innititur.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis,* 122 ad videndum ardentem rubum, & incombustum pergebat, & nihilominus non permittitur ire pedibus calceatis, qua de causa? nonne plura quæ fidem eius requirebant, auditurus erat & quæ omnem sane naturæ ordinem superabant? recte igitur solutio calceorum à pedibus requiritur, quia fides non naturali argumentationi, qua ratio quasi calceatur, innititur, ita cit. Cardin. tit. de fide. *Nota quod volentes videre veritatem occulti sacramenti, dicitur solue calceamentum de pe-* Cit. Card. *dibus tuis, quia omnis naturalis argumentatio, quibus* D *calceatur ratio, in his quæ sunt fidei tollenda, quia debemus firmiter credere, & simpliciter confiteri, quia fides humana non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

### *Qui veram pacem non habet, non permittitur visionem Dei habere.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Nonne Deus ad visionem sui hortatur? cur 123 ergo hominem ad eam accedentem remouet? cur non permittit propius accedere? B. Pasch. lib. 2. cap. 3. in Matth. aliqua sic explicat de pedibus Euangelizantium pacem, pedes calceati ad præparationem Euangelij pacis recte dicuntur, eo quod idonei per eum facti sunt, quo erant induti, & calceati calceamento salutis, quo S. Pascha.

posito sic idem sanctus respondet *quibus profecto calceamentis Moyses dum ad contemplandam visionem Dei omnipotentis magnam vellet accedere, quia nondum fuerat calceatus, dictum est ei solue calcea mentum de pedibus tuis, nequaquam igitur sancta erant illa pedum calceamenta, idcirco adhuc illis vestitus, non merebatur terram sanctam contingere, neque ad visionẽ Dei omnipotẽtis calceatus accedere.* Qui calceamento pacis non fuerit calceatus, & odij calceis exutus, non debet nec potest ad visionem Dei accedere.

### *In gloria nempe terra viuentium nullus aduersarius nec periculum.*

123 *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Quod contrarium video dictum populo huius ducis, nam Exod. 12. ita ei præcipitur, lumbi vestri sint præcincti, & calceamenta habebitis in pedibus vestris, cur diuersa iubentur? an aliud rectori aliud vero subdito præcipitur? sed vtrumque attente consideremus, secundum iubetur populo, cum adhuc erat in Ægypto, quandiu autem quis in Ægypto huius mundi versatur, calceatis pedibus incedere debet, & sacrarum litterarum tegumentis munire gressus suos, quia tutus non est incessus, noster nisi mandatis Domini præstruantur, ac contegantur pedes: nam sicut calceamenta carnales muniunt pedes, & asperitatem frigoris deffendunt, & serpentium quoque morsibus & spinarum resistunt aculeis, ita scripturarum præcepta quibus gressus nostrarum mentium munire præcipimur, repellunt serpentis diaboli dolos, & asperrimum Aquilonis frigus, ac deinde gentium ac Hæreticorum vndique compugnantium spinas ac tribulos: quandonam autem iubetur Moysi calceos deponere? sane cum in loco sancto, in terra sancta esset: & merito nam tunc quis potest nudis pedibus incedere, nihil enim in terra sancta timendum est cum ibi nullæ sint spinæ, quibus pungamur, nec aculei quibus vlceremur, sensus est cit. Pasch. lib. 6. cap. 10. in Matth. *Calceatis pedibus incedere debemus quousque intremus in illam sanctæ promissionis terram, quæ iustis & electis Dei est præparata, de qua dictum est Matth. 5. Beati mites quia ipsi possedebunt terram, in qua non sunt spinæ & tribuli, in qua non sunt serpentes & scorpij, vbi diabolus cum suis non accedit ministris.*

Exod. 12.

S. Abbas citat.

### *Si vere Christi fideles esse velimus, mortificatione induamur.*

124 *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Huius præcepti ratio subijcitur, quia locus in quo stas terra sancta est; quænam est illa terra? sane Ecclesia, quæ nomine terræ insignita est, hæc est enim terra, quæ fluit lac & mel, lac doctrinæ & mel consolationis, vt proficientes lacte alantur, & perfecti melle reficiantur, hæc terra est, ex qua fructus vberrimos retulerunt exploratores, merita scilicet opima, terra in qua cum Isräelitis habitant Chananæi, & septem populi, quod in ipsa extent electi & reprobi, iusti & iniusti, pij & impij, quemadmodum in arca aues mundæ & immundæ, hæc terra pinguis, de qua Isaac dum filio benedictionem largiretur, ait; det tibi Deus de rore cœli & de pin-

Genes. 27.

A guedine terræ, pinguis est enim Christi vituli saginati meritis, super quam tantum rorefet Spiritus sancti gratia, terra quæ est scabellum pedum Dei, quod in ipsa quiescat pes eius, videlicet affectus eius: terra de qua propheta, fundasti terram in stabilitate sua, non inclinabitur in sæculum sæculi, quæ librata in cẽtro nempe in Christo, in ipso enim sunt omnia, non corruet, nisi in cœlũ pergat, & recte Ecclesia dicta est terra à terendo, quod terenda esset, calcanda, conterenda, vt Christo quasi semine cœlesti super posito vberes atque multiplices restitueret fruges, quẽadmodum vero terra primum aratro scinditur, ita Ecclesia primitiua diuersis ac præcipue insignibus illis decem persecutionibus prostrata, cumulatam certe segetem numerosissimam scilicet fidelium aciem protulit: cur ergo calceamentum in ea Moyses iubetur deponere? calceamentum affectus est, calceamentum est fomes, calceamentum concupiscentia est, quam corru-

Psal. 103.

B pta in Adam natura, inuiti etiam deferimus: soluendum igitur est calceamentum istud vitæ austeritate & mortificatione, quia terra hæc est sancta, sancta inquã Ecclesia, quia Christi sanguine abluta, & respersa, Christus namque vitulus ille cuius sanguine septies aspergebatur templum, quis igitur Christi sanguinem impie calceamento sordido atque fœdato calcabit? qui propinquam sibi iungere vxorem negligebat, ex legis præscripto calceamentum de suo pede soluebat, qui igitur carnem sibi propinquam non est desponsaturus, soluat calceamentum, compescat affectum, & concupiscentiam, vt sciant cæteri eam repudiare nec non ipsam negligere.

### *Diabolus loca sacra prophanari curat.*

C *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Rationem subiungit, *locus enim in quo stas terra sancta est*, non solum ratione præsentiæ diuinæ, sed quia in eo monte Horeb, in quo Deus ei apparuit, multa operatus est commendatione digna Dominus, in eo pepigit deinde fœdus cum populo suo, noluitque hunc populum nisi sanctificatum, trium dierum spatio, hunc montem tangere. Secũdo quod illuc proficiscebãtur serui Domini, orationis gratia sicut legimus de sancto propheta Elia, qui fugiens impiam Iezabelem, confortatus subcinericio pane, ambulauit in fortitudine illius panis quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb, tum deinceps multis nominibus propter diuersos diuinæ bonitatis effectus, appellatus est: 125

D dicitur enim mons diuinæ apparitionis, Angelicæ frequentationis, luminis, inflammationis, pluuiæ & roris, paschuæ & refectionis, sapientiæ & eruditionis, misericordiæ & promissionis, mons iustitiæ & comminationis, quia timorem inspicientibus inferebat, mons amicitiæ & confœderationis, quia mediante lege populum ibidem fœdere Deus iungebat, mons puritatis & munditiæ, mons lætitiæ & iucunditatis, sacrificij mons, & oblationis, quia ibi elapsis tribus mensibus post egressum de Ægypto, Domino à toto Isräelitarum cœtu sacrificatum est, & ideo appellationem eximiam sortitus est hic mons, vocatus est enim mons Dei; sed nonne dicitur quod filij Isräel fecerunt Vitulum in Ho-

reb, &

teb, & adorauerunt sculptile, dicentes, hi sunt dij tui. Israël qui te eduxerunt de terra Ægypti? si locus ille celeberrimus & sanctissimus, quomodo ibi erectum est idolum? quia diabolus semper satagit, vt locorum sanctitas prophanetur, vt pro vera religione vana superstitio reponatur, sic enim

S. Paulinus. vt testatur Paulin. Epist. 11. *Adrianus imperator in loco passionis Christi simulacrum Iouis consecrauit, & Bethleem Adonidis fano prophanata est, vt quasi radix & fundamentum Ecclesiæ appellaretur, si in illis locis idola colerentur, in quibus Christus natus est vt pateretur, passus vt resurgeret.*

*Non solum affectus, sed etiam intellectus mundandus ad Deum videndum.*

126 *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Nonne satis erat, vnum posuisse calceum de pede vnico? nam vt quis denotaret suo iuri cedere, solum vnum soluebat calceamentum, requiritur autem à Moyse, vt suo cedat nempe pastoritio muneri, vt Deo obediat vocanti; sed nonne Moyses ad Dei visionem accedebat? merito igitur non solum vnicum, sed vtrumque de pedibus suis soluat, quia non solum affectus, sed etiam intellectus, vterque mundandus & purificandus est, vt Deum facie ad faciem intueri possimus. sic obseruat noster Seraph. Bonau. tract. de septem itineribus æternitatis, distinct. 7. *Solue calceamenta de pedibus tuis, pedes sunt intellectus & affectus, quibus spiritus noster ad æternum Deum accedit, qui pedes mundandi sunt ab omnibus pellibus, idest creaturarum similitudinibus, quos sponsa dixit se lauisse in Cant. vbi dicis Vercellensis, pedes meos, idest affectum & intellectum quibus carpsi itinera æternitatis, laui & purgaui, & purificaui, quomodo iterum inquinabo illos vmbris & imaginibus temporalium? cum etiam intellectuales operationes, & formæ in hoc loco, idest superintellectuali exercitio, reputentur vmbræ, & offendicula.*

(Seraphicus Doctor. — Abbas Vercellensis.)

*Terrena diligentes à Dei amore amouentur.*

127 *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Scilicet vt rubum ardentem & incombustum possis conspicere, vt visionem magnam possis intueri, quænam visio est magna, per antonomasiam, nisi illa beata, cum Deus sicuti est, à nobis videbitur? cur à Moyse calceorum depositio requiritur, cum ad hoc impertinens esse videatur? quid enim commune habet calceus, cum Dei visione, vt illam impediat? quid magis terrenum quam calceamentum? semper terræ adhæret, semper luto infigitur: recte ergo significat animum rebus terrenis deditum, quem sane deponere debemus si ad Dei visionem peruenire velimus. *Si*

D. Ambros. *videre vis*, inquit D. Ambros. lib. de fug. sæculi cap. 5. *visum magnum, hoc est visum mysteriorum, solue calceamentum pedum tuorum, relinque calceamentum quod terrenum est: ideo Iesus sine calceamento, auro, & argento Apostolos designauit, ne secum terrena portarent, qui enim bona quærit non in calceamento, sed pedum velocitate & decore laudatur.*

*Non quibuslibet datum est Euangelium annuntiare.*

128 D. Ambros. *Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* D. Ambr. cit. lib. cap. 7. ad finem ait, sumamus Euangelicum calceamentum, quo venenum serpentis excluditur, morsus eius hebetatur, vt simus calceati pedes in Euangelium. Sed si ita consulenti obtemperandum, qua commendatione digni sunt pacem Euangelizantes, cur calceamenta deponit Moyses Deo iubente? quia non quibuslibet concessa est Euangelij prædicatio: sensus est eit. Doct. *Fortasse ideo Moyses iubetur soluere calceamentum pedum suorum, quia non Moysi, idest, non Prophetis, sed Apostolis Euangelij prædicatio debeatur.*

*Malorum conuersatio multum obest.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis.* Quæ necessaria mihi videntur ad iter perficiendum, præcipue per montē senticosum & plenum vepribus, sed quo tendis Moyses? ad intuendam visionem magnam: prius depone calceos de pedibus tuis, incassus erit tuus labor, nunquam pertinges ad hanc visionē: sed quid calceamentū denotat? ait cit. Ambros. in Psal. 118. octon. 8. *Illud vtique calceamentū quod de Ægypto reuulerat, hoc est corporeæ cōuersationis inuolucrum:* en quomodo Ægypti cōuersatio etiam pijs viris officit? 129

D. Ambros.

*Progressus virtutis impeditur rebus terrenis.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis,* quibus diximus terrena denotari. Sed nonne necessaria sunt ad vitæ faciliorem conseruationem? quis enim dum in hoc mortali carcere corporis degit, rebus terrenis non indiget? sed quid dixerat Moyses antea? transiens videbo hoc visum magnum. quæ [v]erba explicans sanctus Episcopus Mediolanensis in psal. cit. octon. 17. *Progressione quadam virtutis ad altiora procedebat.* Vis de virtute in virtutem progredi, vis in bonorum operum exercitio magnos progressus facere; depone animum circa terrena, [a]best enim ad virtutum augmentum. 130

D. Ambros.

*Non est superstitio loca habere sacra Deo specialiter dicata.*

*Ne appropies huc solue calceamenta de pedibus tuis, locus in quo stas terra sancta est.* Nonne plures ex Hæreticis asserunt meram esse superstitionem, credere vnum locum alio sanctiorem esse? id enim Petrus Vermilius tuetur S. August coarguens, quod aliter scripserit atque senserit, nos inquit, plane illud non recipimus. Petrus Viretus in suis instructionibus nonne idem irridet atque improbat? an maiori fide ipso Deo sunt digniores? ego facile, inquit noster Feuardētius in Theomachia Caluinistica lib. 12. de purgat. horum deliria & irrisiones refellam, præstaboque vt cunctis innotescant impios esse atque damnabiles. *Primū enim ait licet vniuersa terra fuerit ab ipso mūdi exordio à Deo conditore benedicta, ac proinde quisque locus natura sit æqualis, non obstat tamen quin singularibus Dei bonis ac miraculis vnus sit alio factus sanctior atque fœlicior: hoc ostendit Dominus dicens Moysi, solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est: & Iosue 5. solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas sanctus est, cum vero hæc de aliis nullis dicantur, plane denegatur illos istiusmodi sanctitate esse præditos.* 131

(Noster Feuardentius. — Iosue 5.)



## VARIETAS LECT. Vers. 6.

*Vulg.* Et ait ego sum Deus patris tui, Deus A Abraham. Deus Isaac. & Deus Iacob, abscondit Moyses faciem suam, non enim audebat aspicere contra Deum.

*Sep.* Auertit Moyses faciem suam, verebatur enim aspicere coram Deo.

*Cald.* Et inclinauit Moyses vultum suum, quoniam timuit intueri versus gloriam Dei.

*Onk.* Et abscondit Moyses faciem suam, eo quod timeret aspicere in ipsam gloriam Domini.

*Pag.* Quia timuit aspicere in Deum.

*Ari.* Timuit à respiciendo ad Deum.

## CONCORDIA.

QVod dicitur apud Vulg. abscondit Moyses faciem suam, id quomodo fecerit, exponit Caldaica, inquiens, & inclinauit Moyses vultum suum: quod vero sequitur non enim audebat aspi- B cere coram Deum, in Hebræo habetur אלהים ביירא מהביש אל Kiiare meabbis al el elohim, quoniam respicere timebat, sed hoc nihil est, al enim contra, in, super, &c. interpretatur.

## EXPOSITIO.

ET ait ego sum Deus patris tui, non in hoc mentiebatur Angelus Dei personam referens, Deus Abraham & Deus illorum dicitur ob specialem cultum & pactum vt sæpius diximus, *& abscondit Moyses faciem suam*, absconsio faciei verecundiæ & reuerentiæ nota, qua indignos nos profitemur, vt aspiciamus Deum. eodem pertinet in terrã oculorum deiectio, vnde impudentibus & inuerecundis frons dura tribuitur, & oculi irretorti. tanti ergo prodigij Deum patris sui auctorem agnoscens, nihil curiosius vltra indagandum censuit, quod faciem abscondendo innuere voluit, cui omnia possibilia non dubitauit.

## CONCEPTVS.

### *Deus vere eorum qui aduenarum instar in hoc C seculo degunt.*

133 EGo sum Deus patris tui, Deus Abraham, Isaac & Iacob, Tui sunt ergo, cur tantus gloriarum thesaurus, non erubescis dici possessio pauperum hominum? hanc D. Paulus ad Hebr. 11. causam notat his verbis, iuxta fidẽ defũcti sunt omnes isti, acceptis promissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram, ideo non confunditur Deus vocari Deus eorũ. itaque quia nouerunt sic à suis alienari, vt quasi aduenæ & peregrini sint super terram, in tantum excreuerunt sublimitatem, vt sine rubore, imo cum ingenti gloria, fiat Deus eorum possessio, sic expendit Chrysost. illud vero *non confunditur*, ait D enim in Psal. 123. *propter quã causã, quoniã confessi sunt esse hospites & peregrinos, & nihil habere commune cum præsentibus, sed seiuncti ab his quæ ad hanc vitam pertinent ita degebant, vt alieni*. da mihi homines qui sciant patriæ & suis valedicere, & aduenarum instar Deo seruiendo studere, sane hi verum Deum possidebunt.

Hebr. 11.

Chrysost.

### *Infirmitas humana non potest sustinere notitiam diuinitatis.*

134 *Ego sum Deus patris tui*. Quid illico Moyses audita hac voce? *abscondit faciem suam, non enim audebat aspicere contra Deum*. Nonne audita voce Domini, omnem timorem remouentis ab his qui sunt animi pusilli, debuisti vlterius progredi & audacter eum conuenire? imo tantæ vocis sono correptus, ibi subsistit, nec vltra respicere audet, sed maiestatem reueritus faciem obtegit: id quod notauit Caiet. *audita præsentia Dei timuit oculos suos versus flammam illam, in qua loquebatur Deus dirigere, & propterea ad cautelam ne respiceret, obtexit faciem suam*, & merito tam sibi cauet Moyses à voce Dei se manifestantis, quæ enim natura non consternatur ex cognitione tantæ maiestatis?

Cardinal Caiet.

### *Nec ipsam vocem Dei sustinere possumus.*

*Ego sum Deus patris tui, abscondit Moyses faciem suam*. An Deũ vidisti? nequaquam, quid ergo? solum illius vocẽ audiui cur igitur vultum tuum obtegis? quia non audebat respicere contra Deum. Cald. timuit aspicere versus gloriam Dei, an gloria Dei? nequaquam, sed forte similitudo ipsius gloriæ Dei de qua loquens Ezech. cap. 2. ait, hæc est visio similitudinis gloriæ Domini, & vidi & cecidi in faciem meam, quid vidisti? an ipsam gloriam? non equidem, sed ipsam similitudinem gloriæ, ipsam vmbram, cur ergo in faciem tuam cecidisti? cur ó Moyses sola ipsius Dei voce vultum tuum obtegis? audiamus Cyrill. Hieros. Catech. 9. *Non ipsum Dominum, sed similitudinem gloriæ, neque ipsam gloriam vti uera est, sed similitudinem tantum gloriæ vidit & cecidit per terram præ timore: si ergo gloriæ similitudo conspecta, timore extremo afficit Prophetas, ipsum Deum quis tandem cernere sustineat?* 135

Ezechi.

Cyrill. Hierosol.

*Ita Deus quemlibet iustum diligit, ac si solum illius esset Deus.*

136 *Ego sum Deus patris tui, & Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Cur Deus nomen suum ter repetit, singulorum patrum appellationi illud præmittens? nonne sufficiebat dixisse, ego sum Deus Abraham, Isaac & Iacob? cur ergo cuiuslibet iusti se Deum nominat? probabile mihi videtur voluisse Deum significare adeo singularem ac peculiarem erga quemlibet illorum Patrum prouidentiam ac curam habuisse, ac si vnius solummodo Deus esset, omnesque suæ benignitatis in illo vno ditando & muneribus afficiẽdo, collocasset. hinc optime Aug. lib. 3. Confes. cap. 11. *O tu bone, omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrum velut solum cures, et si omnes tanquam singulos curares & diligeres.* D. August.

*Iusti verecundantur se virtutem aliorum non attigisse.*

137 *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Continuo faciem suam tetraxit, atque abscondit; sic enim textus, *abscondit Moyses faciem suam.* Cald. & *inclinauit vultum suum.* Scio id ad diuinæ maiestatis reuerentiam, quam sustinere non potuit, communiter referri: sed nonne Deus eum antea geminato eius nomine appellauerat? cur ergo ad primam Dei vocem, primumque præsentis numinis conspectum, faciem suam non abscondit, siue inclinauit? cur ergo audito iustorum nomine Abraham, Isaac, & Iacob inclinat quasi ex pudore vultum suum? opportune respondet Pererius disp. 8. *Non tam ad instantis numinis præsentiam quam ad nomina Abraham, Isaac & Iacob faciem suam Moysem abscondisse.* Quippe hic pudoris potius ruborisque in facie suffusi, quam pauoris aut reuerentiæ effectus fuit, *Nihil est enim*, inquit ille, *quod magis nos pudore afficere potest, quam si insignium sanctitate virorum qui in vita spirituali quasi maiores & patres nostri haberi debent, eximias virtutes & præclara facta intueamur, & cum animo nostro repetemus atque vitam & mores & opera nostra cum illis comparemus*; Scite, incutiunt enim præcedentium exempla verecundiam, & torporem nostrum siue accedunt siue arguunt. Pererius.

*In iudicem eligendus qui liber futurus affectu vt sontes puniat.*

138 *Ego sum Deus patris tui, & abscondit Moyses faciem suam.* Si à Deo vocaris in iudicem populi Israëlitici, cur abscondis faciem? nonne iudex tenetur eos super quos sententiam debet ferre, agnoscere? optime tamen qui in iudicem eligitur, vultum operit vt puniat sontes, ne sit liber aspectus, moueatur hominum miseria & à supplicio absistat, vnde Tertul. *Bonum est cum puniuntur nocentes, quis hoc nisi nocens negabit? & tamen innocens de supplicio alterius lætari non potest, cum magis competat innocentiæ dolere, cum homo par eius tam nocens factus est, vt tam crudeliter impendatur*, ita lib. de specta. cap. 19. pende illa verba, *bonum est, &c.* tam enim pium est & Deo charum sontes punire, vt de eorum supplicio & pij & iusti solatium capiant, & hi tantum ægre ferant, Tertul.

A qui impij sunt, & sontibus malitia similes, tum etiam preme illud, *impendatur*, verbum impendo propriè à sacrificiis tractum est, in quibus impendere hostiam idem est ac mactare hostiam, ergo scitus est, memineritis occidere sontes & delere, genus est sacrificij, quo Deus lætatur, en quomodo in iudicẽ eligendus, vultum obtegere debeat? ne moueatur hominum nocentium miseria vt à suppliciis absistat.

*Vnus iustus multorum instar.*

*Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Cur obsecro qui omnium Deus est, ad tres tantum homines determinatur? an eius limitandum est imperium, an eius finienda potentia? cum enim in omnes supremum habeat dominium, nec in tres solum habere dici B deberet: sed recte solum horum trium iustorum solum dicitur Deus, vnus enim illorum innumeris aliis æquiualet: vnde recte Oleast. *Mira est dilectio qua Deus iustos diligit, vt summe delectetur vocari Deus illorum, & malit esse Deus paucorum hominum bonorum quam omnium malorum: hi enim licet innumeri pro nullo censendi, iustus autem vnius ad instar innumerorum.* 139 Oleaster.

*Peccatores vt serui aperto stent capite, secus autem iusti.*

*Ego sum Deus patris tui, abscondit Moyses faciem.* Quæ verba explicans Mendocius in 1. Reg. cap. 8. vers. 18. sect. 1. ait, abscondit faciem suam, hoc est caput operuit, quod mihi difficile intellectu videtur, nam ante Deum in signum reuerenC tiæ, nonne debuit caput discooperire? quomodo ergo operuit? videamus quid de leproso imaginem peccatoris habente statutum erat in lege veteri Leuit. 13. habebit, inquit textus, vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contextum, sed cur leprosus aperto capite stare iubetur? ait Diu. Theod. quæst. 17. in Leuit. *Vt notus sit, & ne fiãt impuritatis participes qui accedunt ad illam.* Sed addamus propterea leprosos, hoc est peccatores, aperto capite stare, iustos operto; quia hic est habitus proprius seruorum, qui coram dominis capita non operiunt vt debitam illis seruitutem præstare videantur, secus autem iusti, in quorum numero erat Moyses, qui in signum libertatis caput operuit à seruitute diabolica immunis. 140 Mẽdocius. Leuit. 13. Theodoret.

D *Animæ immortalitas designatur.*

*Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, &c.* Nonne ex viuis discesserunt omnes hi Patriarchæ? cur ergo Deus eorum nominaris? nam viuorum es Deus, & ideo recte se Deum eorum appellat, vt sciremus quantum ad animam adhuc eos viuere & ideo immortalem esse, *manifestare dignatus est*, inquit Caiet. *Dominus Iesus in Euãgelio in his verbis contineri mysterium resurrectionis, quatenus continetur in eis immortalitas animarum Abrahæ, Isaac & Iacob, quia Deus non est mortuorum sed viuorum, hoc est, quia Deus non dicitur Deus alicuius non viui, nam dicendo Deus Abrahæ, significatur Deus qui veneratur ab Abraham, constat autem Deum non venerari à mortuis, sed à viuis.* 141 Caietanus.

*Intuitu parentum non exigua consequuntur à Deo filij beneficia.* A

*Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Isaac,*
152 *& Iacob,* Cur vt pluribus cumulet Deus beneficiis, Moysem & populum Israël, ab his verbis, ego sum Deus patris tui, Deus Abrahæ, ducit exordium? nonne potuit & plura in eos conferre, silentio obuolutis huiusmodi nominibus? nominat eos iustos Patriarchas, qui fuerunt progenitores Moysis, cum ei vult plura ei impendere beneficia, vt sciat etiam intuitu parentum ea sibi collata. quod annotat Abulensis, *Hinc ostenditur quod præcedentia facta bonorum parentum sæpe adiuuant merita filiorum, quia amor quem ipsi fide & bonis operibus à Deo promeruerunt, redundat in filios; vnde Israëlitæ sæpe de angustiis ob merita patrum meruerunt liberari,* B *& in lib. Reg & Paralip. scriptum est quod Dominus dixerit Salomoni peccanti. 1. Paral. 9. quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo: verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid seruum meum, de manu filij tui scindam illud, non totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruum meum, & Ierusalem quam elegi. item Ezechiæ duci populi mei hæc dicit Dominus Deus patris tui Dauid, audiui orationem tuam & vidi lachrymam tuam & ecce sanaui te.*

Abulensis. 1. Paralip. 9. Isai. 38.

*Summo iudici maximus timor reuerentialis debetur.*

*Ego sum Deus patris tui Abraham. &c.* In
143 Hebræo est Elohim, quo audito abscondit Moyses faciem suam, quod sane maximum est reuerentiæ signum, indicabat enim se indignum qui flammam incombustam cerneret: sed cur hanc audito nomine ego sum Deus patris tui, præstat reuerentiam? nonne diximus huic nomini Dei in Hebræo respondere nomen Elohim quod iudicem designat? quid mirum igitur, si tunc faciem suam absconderit? maximus enim timor reuerentialis debetur iudici. *Audita præsentia Dei* (inquit Caiet.) *timuit oculos suos versus flammam in qua loqueretur Deus, dirigere & propterea ad cautelam ne respiceret, faciem suam texit. & merito, nam summo iudici debetur timor reuerentialis ab hominibus.*

Caietanus.

*Quo quis maiora à Deo consequitur beneficia, magis se humiliet.*

*Ego sum Deus patris tui, &c. Abscondit Moy-*
144 *ses faciem suam,* nonne Deus tibi vult maxima conferre beneficia? nonne singulari te fauore prosequitur, cum tibi apparet? cur ergo faciem tuam abscondis, quod indicium est hominis se humiliantis? & merito quidem, quia quo quis maiora à Deo consequitur, magis se debet humiliare. nô dissentit Abul. *quia indignum se reputat ista visione, velauit faciem suam pallio.* En vt multi ex donis à Deo acceptis non superbiunt sed se eis indignos fatentur.

Tostatus.

*Iusti se in defectibus suis emendant.*

*Ego sum Deus patris tui abscondit Moyses fa-* 145
*ciem suam* Quod argumentum erat animi maxime se humiliantis, cur accepto de non vltra progrediendo, nisi depositis è pedibus calceamentis, mandato, & audito, quod qui loquebatur, diuinum numen esse, ilico vultum suum obtegit? nonne qui antea nimia curiositate ductus rubum ardentem & incombustum voluit intueri? en quomodo nûc pro hoc defectu, humilitate sua satisfacit, *sicut antea,* inquit Abul. *nimis excesserat volendo irreuerenter secreta diuina videre, ita nunc multum deprimitur velando faciem suam.*

Abulens.

*Filij prouocantur ad imitandas virtutes iustorum progenitorum.*

*Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham,* 146
*Deus Isaac, & Deus Iacob,* Cur Moysi hos tres obiicit progenitores? aduerte in his tribus eximias eluxisse virtutes, in Abraham fidem & obedientiam, in Isaac puritatem animi & innocentiam, in Iacob laborem & ærumnarum patientiam & constantiam: cur non dicemus igitur hos tres ei progenitores suos obiecisse, vt eorum virtutes imitaretur? domesticum enim virtutis exemplum, miram vim habet ad aliorum animos eodem concitandos. sensus est Caietani, *se illum Deum manifestat qui tot promisit Abrahæ Isaac & Iacob, cui hæreditario iure Moyses tenetur cultum exhibere, imitando patres suos.* C

Caietanus.

*Sumus immemores beneficij accepti secus autem Deus.*

*Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham,* 147
*Deus Isaac, & Deus Iacob,* Nonne ô Deus voluisti innotescere Moysi, quisnam esses? cur non magis ergo te extollis ex alio gloriosiori deitatis nomine? nonne hoc erat tibi nomen gloriosissimum, nimirum ego sum qui sum? cur hoc nomine non conuenis Moysem, sed relictis solitariæ gloriæ vocabulis, his vsus es? cur in his tribus iustis nomen suum Deus explicat? aduerte Deum maxime à creaturis differre, ille enim semper habet præsens suorum obsequium, creatura autem fere semper D omnium beneficiorum immemor acceptorum, nisi illi frequenter obiiciantur: dicamus ergo se nunc Deum Abraham, Isaac & Iacob nominare coram Moyse, vt pateat quod non egeat Deus excitatore vt præsentes sibi habeat fideles famulos, & quod ipse egeat excitatore frequenti vt meminerit illum Deum à quo tot beneficia & promissa acceperat in suis progenitoribus, fauet Diuus Hilarius 5. de Trinit. *Deum paternarum benedictionum nesciebat, nam cum in terra Madian pastor ouium esset, ignem in rubo sine concrematione rubi contuens, Deum audiuit, & nomen interrogauit, & naturã cognouit:* ecce quomodo Moyses immemor erat paternæ benedictionis, & vt eget excitatore qui ei eam inculcet, ne obliuiscatur.

D. Hilarius.

*Metus voluptatem conturbat.*

148 *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, abscondit faciem suam* ex timore & reuerentia, non ex summa affectus ex voluptate audiens vocem Dei e proprio nomine appellantis? cur ergo vultum tuum abscondis? quia timor, gaudium quo afficimur perturbat, ita Procopius, *Obstupuit & totus horruit Moses adhibitus huic spectaculo, magis vero percutit hominem audire vocem Dei, verum metus illam voluptatem conturbat, quapropter auertit vultum non sustinens intueri Deum.* Procopius.

*Sanctissima Trinitas in vnitate essentia innuitur.*

149 *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Cur quater repetitur nomen Dei? nonne semel sufficiebat prolatum? satis enim erat dixisse Deus patris tui, & Abraham & Isaac & Iacob: cur non dicemus quater protulisse vt vnitatem essentiæ diuinæ in tribus personis denotaret? ita Syluester Papa teste Carthusian. *Deus voluit specialiter horum trium Patriarcharum Deus vocari, ad insinuandum superbeatissimæ Trinitatis mysterium in vnitate diuinæ essentiæ*; lege Idacium Clarum lib. 3. aduersus Varimadum. Siluester Papa. Idacius Clarus.

*Facilius allicimur ad obediendum sub spe futuri præmij.*

150 *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, &c.* Nonne satis erat dixisse, ego sum Deus? nam cum sit Deus omnium, facile subintelligi poterat, quod ab hoc numero tres illi Patriarchæ non excludebantur, cur ergo specialis fit eorum mentio? sane voluit eum admonere omnium magnalium quæ tribus illis patribus fecerat, vt cogitans Moyses quantis beneficus illos cumulauerit, quanta illis bona præstiterit, & ipse facilius obediat sub spe præmij consequendi.

*Virtus obliuione insuperabilis.*

*Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Isaac, & Iacob.* Nonne à multis sæculis, iam è viuis excesserunt? cur ergo eos in medium adducis? dic solum igitur sum Deus tuus: sine dubio non præcipue eos memorat, sed virtutes illorum eximias, quæ certe illi sunt præsentes, quæque nulla obliuione deleri possunt. *Diuina quædam res est virtus*, inquit Isidorus Pelusiota libro quarto Epistol. 222. *& Deo grata & fælix, & immortalis, & ab obliuione insuperabilis: nam & apud homines celebratur, & apud Deum sempiterna memoria seruatur, qui alias quidem ait ego sum Deus Abraham & Isaac & Iacob, aliàs vero, protegam vrbem hanc vt eam seruem propter Dauid seruum meum: tanta curæ sunt Deo, & in tanto habentur apud ipsum honore etiam vita functi quibus virtutis studium cordi est.* 151 Isidorus Pelusiota.



## VARIETAS LECT. Vers. 7.

*Vulg.* Cui ait Dominus vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum qui præsunt operibus.
*Sep.* Dixit autem Dominus ad Moysem, videns vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto, & clamorem eorum audiui de exactoribus operum.
*Cald.* Reuelata est coram me subiectio populi mei, qui est in Ægypto, & clamor eorum auditus est in conspectu meo, propter exactores eorum.
*Onk.* Reuelando reuelata est coram me oppressio populi mei, clamorque eorum auditus est propter me.
*Oleast.* Videndo vidi humiliationem populi mei.

## CONCORDIA

Verbum ענה anah non solum respondere, sed & humiliari, & affligi significat, vnde bene etiam Cald. vertit reuelata est coram me subiectio, in Hebræo habetur מפני נגשו miphne nogsak propter exactores eius, quod recte reddidit interpres, propter duritiam eorum qui præsunt operibus.

## EXPOSITIO.

*Vidi afflictionem populi mei in Ægypto,* Vidi compassionis oculo & miserationis aspectu, vel quod ad modum videntis se habuerit & considerantis, quibus duris premebatur populus suus Israël operibus, vsque ad plurimorum interitum. *Et clamorem eius audiui*, vt exaudiam, & eis subueniam, *propter duritiam eorum qui præsunt operibus*, cum enim nimis dure eos premerent & vltra vires, modus in laboribus deficiebant.

## CONCEPTVS.

*Deus magis memor iniuriæ illatæ suis quam sibi.*

152 V*Idi afflictionem populi mei in Ægypto, &c.* Vbi de propriis iniuriis nulla mentio facta est, licet Pharaonem & Ægyptum Dominus percusserit propter infamem Regis & regni idolatriam, audi Tertul. lib. 2. contra Marcion. cap. 14. primum affirmantem fœdissimam superstitionem decemplici castigatione percussam, deinde dicentem *indurat cor Pharaonis, sed meruerat in exitium subministrari, qui iam negauerat Deũ &c. quia Ægyptius olim Deo reus fuerat gentilis idololatriæ, ibidem & Crocodilum citius colens quam Deum.* Cur ergo cum ad sumendum de ipso supplicium venerit, non memorat has grauissimas sibi iniurias factas, sed solum populo suo illatas? vt videas plus damna nostra facere quam propria opprobria. Tertullian.

*Deus à principio se exercet in descensu ad liberandos homines.*

153 *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto*, deinde addit, *descendi vt liberem eum.* Cur Domine descendis? an non posses liberare populum tuum manens in excelsis sanctorum? an quia descendis facilius vinces Tyrannum? cur ergo ais te descensurum vt populo tuo subuenias? sane ex tũc descẽdit Deus liberare populũ, vt his minoris notæ descensibus, se assuescat & exerceat ad maximum illũ, quando homo inter homines apparebit, præbẽs humanis infirmitatibus remedium. D. Irenæus. Ita D. Irenæus lib. 4. contra hæres. cap. 26. *Vidit vexationem populi sui qui est in Ægypto, & descendit vt erueret eos, ab initio assuetus verbum Dei ascendere & descendere, propter salutem eorum qui male haberent.*

*Misericordes oculi Domini.*

154 *Vidi afflictionẽ populi mei*, deinde, *descẽdi vt liberem eum.* Nonne potuisti, nulla mentione facta quod eum videris, ei subuenire? cum nulli dubium esse possit quin omnia solo intuitu conspicienda tibi obuiciantur? ita sane: nihilominus recte postquam dixit vidi afflictionem populi mei, subiungit, descendi vt liberem eum, quia non ab oculis diuinis nunquam veniunt multa bona in miseros & afflictos, ait D. Basil. Seleu. or. 26. sub Dei nomine. Basilius Seleu. *Vidi Israëlitarum gregem morbis deuinctum, vidi ouile Dei abiisse in dæmonum diuersorium, vidi gregem à dæmonibus haud secus quam à lupis laniatum, & quæ conspexi non despexi*, nesciunt diuini oculi despicere quem conspiciunt.

*Misericors Dei oculus quasi paret supplicanti.*

155 *Vidi afflictionem populi mei.* Qui sane cum assidue inuocauerat, vt sibi subuenire dignaretur, quid tunc descendi vt liberem eum, si te enixe deprecatus est populus tuus, vt sibi subuenias, quis te ad descensum cogit? quis te prohibet ei auxilium præbere in cœlis residentem? ita misericors est Dei oculus, vt supplicanti resistere non possit, quin eius petitioni acquiescat, nõ dissentit cit. Basil. Seleu. orat. 12. *Dei in homines procliuior* cit. Episc. *aspectus accidentem suscipit, lamentanti condolet, paret supplicanti.*

*Afflictio iniuste oppressorum non potest non exaudiri.*

*Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eorum audiui.* Vt scilicet ei subuenirem, quoties afflictos 156 graui onere vidisti & non exaudisti? quoties plurimorum, qui ab aliis dure premebantur, ad te peruenit clamor, & tanquam surdus pertransisti? quomodo nunc visa populi Israel afflictione, clamorem illius exaudisti? quia afflictio iniuste oppressorum non potest à Deo non exaudiri, nam vt D. Greg. cit. in glossa ait. *Reproborum* D. Gregor. *nequitia electorum vitã quasi grana à paleis separat, & dum affligit expedit, & dum violenta ingerit festinare ad superna compellit & exaudit.* Mag.

*Deus cum iustis patientibus simul patitur.*

*Vidi afflictionem populi mei.* Inquit noster Ni- 157 colaus de Lyra, oculo compassionis ad eum liberandum, à quo loco eum vidisti? à rubo ardenti: quomodo si flammis circũdaris potes aliis compati, vt eis subuenias? cur ergo ais Moysi pergenti vt rubum ardentem intueatur, vidi afflictionem populi mei oculo scilicet compassionis? sensus hic potest esse, quid miraris Moyses? possum ego non ardere flammis, cum populus meus afflictionibus in Ægypto consumitur? igne crucior ad compatiendum, igne simul excitor ad succurrendum, ac dum illi operibus ex luto & paleis opprimuntur, ego flammis zeli & compassionis exardesco. *Noli ergo timere* (inquit Diu. D. August. August. in Psal. 90.) *quando tribularis, ne quasi non sit tecum Deus, fides sit tecum, & tecum Deus est in tribulatione.*

*Afflictio dat vires orationi.*

*Vidi afflictionem populi mei & clamorem eius* 158 *audiui.* Grandis profecto gemitus, qui ad cœlum vsque perueniens Dei pulsauit auditum, & vt eis attenderet quasi cogit; vnde tanta vis in clamore, vt vsque ad cœlum à nobis remotissimum peruenire potuerit? respondet Caiet. in Caietan. cap. 2. *afflictio tam crudelis seruitutis vires præbuit clamori, ad perueniendum ad aures Dei.* En vt afflictio vires præbet orationi, in sublime attollit clamorem, animum excitat, linguam expedit, vocem canoram altam robustamque reddit, vt è terra in cœlum subuecta exaudiatur, vel etiam si gemitus ipse oratioque submissa sit, nihilominus ad ferendam opem Deo pro valido clamore habetur, quo excitatus, & quodammodo compulsus, tribulatis suis non possit non subuenire, vt tribulationem in consolationem, ærumnam in gloriam conuertat.

*Singularis Dei erga oppressos prouidentia.*

*Vidi afflictionem populi mei.* Nonne potuit di- 159

cere, vidi populum meum ærumnis, & calamitatibus oppressum? sic igitur ait vidi illius afflictionem, vt illa, quam multis patitur, à Deo specialiter eas videri, laboresque eius considerari, vt eis remedium adhibeatur: *Putāt iusti* inquit Oleast.) *Deum non considerare mala quæ ipsi patiuntur ipse vero labores & dolores eorum considerat & cogitat liberare eos & suis oculis videt, quod tam ipsi quam tyranni considerare debent, ipsi quidem vt consolationem caperent, tyranni vero vt timerent & cessarent; dicit autem se vidisse afflictionem & audiisse clamorem, & clamoris causam, quoniam omnia mala quæ eis fiunt diligenter considerat.*

Olester.

### *Qui se humiliat, de pluribus à Deo illustratur.*

160 *Vidi afflictionem populi mei, &c.* Et aperit libertatem à seruitute Ægypti, & alia quæ in gratiam populi sui operaturus est: nonne ille est Moyses, cui iussum fuerat ab Angelo ne vlterius progrederetur, ne rubum appropinquaret? quomodo nunc non solum rubo fit vicinus, sed & maxima ab ore Dei audit mysteria? quomodo à Deo de futuris illustratur? nōne diximus calceamentorum depositionem humilitatis fuisse argumentum, nec non cum faciem operuit, humilem suum indicasse animum? quid mirum igitur, si nunc ei reuelantur secreta quæ antea ignorabat? quia humilis de pluribus à Deo illustratur, quæ antea nullomodo capere poterat, mens est Abul. *Notandum* (inquit) *quod quando Moyses voluit irreuerenter se ingerere ad conspiciendum diuina secreta ab Angelo accedere vetitus est, cum autem stupuit & velauit faciem suam, indignum valde se æstimans, Angelus ei declarauit mysterium magnum de ardore rubi, & quod non combureretur, quia signabat quod ille ignis tribulationis quem Iudæi sustinuerant, & tunc sustinebant, non erat consumpturus eos, & deleturus vsque ad fundamentum: & hoc designat cum dicit se vidisse afflictionem, & denuntiat qui de suo ingenio multum, resumentes omnia se posse cognoscere existimant, nihil ad eum deferentes, qui finxit cor & tribuit intellectum, interdum à Deo deijciuntur & euanescunt in cogitationibus; putantes enim se sapiētes, stulti valde fiūt, illi autem qui intellectui suo nihil confidentes, omnia quæcumque intelligunt, se intelligere indicant Dei munere, eique pro illo gratias impendunt, semper se in suis oculis paruos existimantes, nulliusque eorum quæ recipiunt dignos arbitrantes, ad magna secreta Dei attolluntur contemplanda.*

Abulensis

### *Afflictorum interpellationes aliquando cito non exaudiuntur, vt eorum crescant merita.*

161 *Vidi afflictionem populi mei.* A quot annorum curriculis grauibus affli cātur ærumnis, intolerabilibus premuntur oneribus, sæuissime torquentur etiam vsque ad interitum? sane nemini dubium potest esse, quin clamoribus suis cœlum pulsauerint, pluries Deum in suum inuocauerint auxilium, quomodo ergo antea à dura Ægypti seruitute erepti non fuere? quomodo minime exauditi? si eorum clamoribus illico Deus non præbuerit auxilium, non ideo eis non attendebat, sed differebat vt eorum maius incrementum sumeret meritum, fauet D. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 24. *Alto consilio omnipotens Deus cum sancti eius aduersariorum persecutionibus comprimuntur, cumque assiduis vt liberentur interpellationibus clamant, differre solet voces petentium, vt merita patientiæ crescant quatenus eo magis exaudiantur ad meritum, quo citius non exaudiuntur ad votum.* idem plura habet in hanc sententiam eodem lib. cap. 19.

D. Gregor. Magnus.

### *Vita prauorum militat vtilitati innocentium.*

*Vidi afflictionem populi mei.* Sine dubio etiam vidisti a quibus opprimeretur, notum habuisti populum Ægypti qui in eum omnem exercet tyrannidem, eum nullum non mouet lapidem, vt operibus durissimis eum exerceat, cur ergo vel vitam ei non ademisti, vel saltem voluntatem vel potentiam, vt ei amplius nocere non valeat? Deus ita in suos misericors, vt nisi vita prauorum militaret afflictorum vtilitati, minime eos in viuis tā diu sineret degere, ita sentit cit. Gregor. cap. 19. *Nunquam Deus aduersus bonos eos sæuire permitteret, nisi etiam quantum prodessent videret, nam dum iniusti sæuiunt, iusti purgantur, & vtilitati innocentium militat vita prauorum, dum hanc & premendo humiliat, & humiliando semper ad melius format.* Quod confirmat ex illo Prouerb. 11. qui stultus est seruiet sapienti, sed quomodo hoc potest fieri cum conspiciamus sapientes subesse, stultos vero arcem dominij tenere, sapientes seruiliter obsequi, stultos tyrannica elatione dominari? quomodo igitur desinitione diuinæ sententiæ sapienti stultus seruit, dum plerumque hunc iure temporalis dominij comprimit? respondet, *sciendum est quia contra sapientis vitam, dum stultus præeminens terrorem potestatis exercet, dum hunc laboribus fatigat, contumeliis lacerat, profecto hunc ab omni vitiorum rubigine vrendo purgat, stultus ergo sapienti etiam dominando seruit, quem ad meliorem statum premendo prouehit.* 162

cit. Sanctus Doctor.

Prouerb. 11.

### *Quot bonis instruimur à Deo incarnato?*

*Vidi afflictionē populi mei.* Deinde plura ei aperit, quæ libertatem populi sui spectabant, sed & antea de aliquibus magni ponderis instruxit, vt quanta cum reuerentia ad Deum accedere deberet, cū iussit propius nō appropinquare, bonorum temporalium abrenuntiationem, cum de pedibus calceamenta præcepit deponere; vnde de tot instruitur? de rubo, à quo ab eo qui sub forma ignis apparet, sed quem ille repræsentat? sane verbum incarnatum, Moysem & quamlibet animam de pluribus necessariis ad salutem edocens, consulamus D. Antoninum 1. p. sum. cap. 6. de exercitio intellectus possibilis tit 3. §. 14. *Ignis in rubo est deitas humanitati nostræ vnita, cum assumptis panalitatibus, qui rubus non consumitur nec ignis extinguitur, quia ex ipsa vnione humanitas non fuit consumpta sed conuersa in diuinitatem, nec diuinitas vnquam deseruit humanitatem, etiam in morte, in rubo autem apparens de tribus instruxit Moysem, & per eum omnem animam, & primo reuerentia exhibitionem, cum ei dixit non appropies huc, nimia enim familiaritas & facilis & frequens accessus ad aliquem solet contemptum inducere: quapropter magni Prælati & Domini temporales non permittunt de facili accessum ad eos vel appropinquationem vt magis habeantur in reuerentia* 163

D. Anton.

164

*tiam; vnde & Regem magnum Assuerum nullus adire poterat ad aspectum eius sub periculo vitæ nisi vocatus: per maxime autem in reuerentia debet haberi, & cum reuerentia debet accedi, consideratione pia non curiosa ad mysterium incarnationis, & ipsum in sacramento existentem hac reuerētia motus Centurio dixit Iesu, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum. Matth 8. & Petrus Apost. cum ait exi à me Domine, quia homo peccator sum Luc. 5. secundo instruxit ad temporalium abrenunciationem, cum dixit solue calceamentum de pedibus tuis: calceamenta quæ fiunt de animalibus mortuis, & terræ inhærent signant ista temporalia, quæ in terra sunt & de inanimatis scilicet elementis oriuntur, à quibus pedes affectuum extrahi debent, sicut enim puluis impedit visum si oculum intret; ita & temporalia mentis intuitum erga diuina, & ita deprimunt affectum vt ad superna euolare non possit, sicut viscus implicat pennas auium, vt in altum volare non possint: & propterea vt ait Augusti. omnia terrena contempsit homo Christus, vt ea contemnenda demonstraret esse, verbo & exemplo nos ad hoc instruendo, & quando tribus discipulis suis noluit manifestare gloriam suā de valle ad mōtem Thabor excelsum adduxit, ubi eum viderunt transfiguratum Matth. 8. ad innuendum mundum contemnendum: vt in altum contemplationis ascendi possit, ad videndum Deum: tertio instruxit de affectu sui efficaci compassione in eo quod dixit, videns vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto, & descendi liberare eum; quod impletum fuit in descēsione eius de cælo, quādo post multa flagella immissa Pharaoni id est diabolo, per eius doctrinā, & miracula, & opera sancta, denum sanguine immaculati agni liberati fuimus de seruitute diaboli.*

Matth 8. Luc. 5. Matth 8.

***Serui non excusantur à peccatis, quæ dominorum suorum amore, aut timore perpetrant.***

165 *Vidi afflictionem populi mei, & propter duritiam eorum qui præsunt operibus.* Cur o Deus immortalis, & summa veritas, non ais propter immanitatem Pharaonis, qui suis iussit ministris, vt populum Israël omnibus afficerent ærumnis, omni premerent calamitate, & opprimerent tyrannide? cur ergo illius ministros arguis & condemnas? cur ais propter duritiem eorum qui præsunt operibus, vel vt habet Caldæus propter exactores eorum? sane vt ostenderet seruos & ministros principum, non excusari à peccatis quæ dominorum suorum amore aut timore, contempta Dei ordinatione & proximi charitate, perpetrant, & maxime cum innocentes opprimunt, sicut Ægyptij potestate sibi à Rege data abutentes, vel maiorem laterum numerum propter principis ordinationem ad eorum commodum postulando, vel laborum compensationem denegando.

***Renuntians vel rebus terrenis, vel peccatis à Deo varie illustratur.***

*Vidi afflictionem populi mei.* Deinde edocet, quomodo descendit ad eum liberandum: sed etiam versu superiori eum edocuerat, se esse Deū, quomodo Deus antea de his omnibus non illustrauit? cur hęc non aperuit? considera nunc Moysem sine calceamentis, quæ iussus ea soluere, deposuit: nonne autem diximus his vel bona terrena denotari, vel peccata? quid mirum igitur si nunc de talibus à Deo instruatur? qui enim his sectio renuntiat, varias à Deo accipit cognitiones, quod docet Philippus Abbas lib. de salute primi hominis cap. 6. *Exuuias veteres quas contraxerat in Ægypto festinet deponere, & sic merebitur visionem diuinam, vel potius ipsum Deum cognoscere, vnde illi iam discalceato quædam Dei cognitio confertur, cum subito subinfertur, ego sum Deus patris tui.* 166

Philippus Abbas.

***Maxima celeritate mouetur Deus ad eripiendum suos ab afflictione.***

*Vidi afflictionē populi mei.* In Hebræo est vidēs 167
*vidi,* sane non potest quis videre nisi videndo, cur ergo ingeminato hoc verbo *videndi* vtitur sanctū idioma? emphatice quidem, vt certitudinem & celeritatē indicaret, qua populo suo subuenire deberet. *Vidisti clementia promptitudinem* inquit D. Chrysost. in Psal. 119 *quod vocantibus eis statim annuerit, quod etiā prius fecistis qui erāt in Ægypto, & ideo dicit videns vidi afflictionem populi mei, & tu ergo ô dilecte quando es in afflictione, ne desperes, nec labores indigentia, sed tunc temporis maxime excitare; sunt enim tūc preces puriores, & maior est Dei in te beneuolentia, & perpetuo ita viuas vt sit tibi vita laboriosa, sciens quod omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur, & quod per multas afflictiones oportet nos intrare in regnum Dei.*

D. Chrys. 2. Tim 3.



## VARIETAS LECT. Vers. 8.

*Vulg.* Et sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa, in terram bonam & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle, ad loca Chananæi, & Hetthæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi.

*Sep.* Noui autem dolorem eorum, & descendi ad eximendos eos de manu Ægyptiorum, & educendos eos de terra illa, & inducendos eos in terram bonam, & multam, addunt Sep. Gergæseos alijs sex populis.

*Cald.* Quoniam reuelati sunt coram me dolores eorum, & apparui vt liberarem eos de manu Ægyptiorum, & vt ascendere eos faciam de terra hac ad terram bonam, & spatiosam.

*Onk.* Et reuelaui meipsum, ascendere faciam eos de terra hac in terram bonam & latam, in terram facientem lac & mel.

## CONCORDIA.

Caldæus pro Hebræo *descendi* habet *apparui*, sed idem est, nam descendendo apparuit, pro liberare habent septuaginta ἐξελέσθαι, quod est emere, vt enim futura erat hæc liberatio, A & quasi ab inuito extorqueri debebant Iudæi, vt monet Deus hoc in capite, cur autem sileat vulg. Gergesæos, qui numerantur apud Septuaginta, dices in expositione.

## EXPOSITIO.

Sciens dolorem eius descendi. Eum enim minime tolerare potest, *descendi* expositionem huius Phrasis vide Gen. 18. vbi de Sodomis dicitur descendi, *vt viderem*, plerumque autem in scripturis descensio Dei grata est & optabilis inuenitur, cum scilicet inferioribus sua beneficia conferre comperitur, velut hic cum miserans, quod populus suus imperio Pharaonis grauaretur, ad liberandum eum descendisse fatetur: aliquando autem cum descendere memoratur, secuturam persecutionem ipsa eius descensio præminatur, vt cum Sodomam & Gomorrham disponit percutere, & quasi præminando proponit descendere, *vt liberem eum*, omne præbens ei auxilium ad libertatem consequendam & obtinendā, *& educam de terra* nempe Ægypti, *in terram bonam & spatiosam quæ fluit lacte & melle*, quod bonam dixerat amplius explicat, cum subdit lacte & melle manantem, quo Hebraismo optimus quibusque fructibus & rebus delicatissimis abundare describitur: porro spatiosam & amplam esse, & multæ gentes quas ibi & inhabitasse legimus, & Israëlitarum sortes multæ & amplissimæ demonstrant *ad loca Chananæi & Hetthæi,* B *&c.* Inter hos non ponuntur Gergesæi, sed forsan cum prædictis intelliguntur, sicut & Amorrhæi nomine, multæ aliæ gentes solent comprehendi, cur autem subticetur, potius quam alij populi, vel quia minor populus erat, vel quia debilior aliis, vel quia aliis commixtus erat, hi autem omnes de stirpe Chanaam quem Noë maledixit.

## CONCEPTVS.

### *Promissiones Dei peccatis nostris fiunt reuocabiles.*

168 Sciens dolorem eius descendi vt educam eum in terram bonam & spatiosam. Quid terram spatiosam, vel vt habent Septuag. multam, populo Israël pollicens? quomodo ergo adeo angustam dedisti, vt D. Hieron Epist. 129. ad Dardanum eius terminos ostendere erubescat; pudet inquit dicere latitudinē terræ repromissionis, ne Ethnicis occasionem blasphemandi dedisse videamur; sed postquam illos tandem descripsit, & angustissimos inuenit, subdit cum irrisione, hæc est Iudæa tuarum longitudo & latitudo terrarum? in his gloriaris? super his te per diuersas prouincias ignorantibus iactitas? quomodo ergo terram spatiosam promittit se daturū, cū reuersus ab Ægypto solū possederit à Dā vsque Bersabee, quæ vix centum sexaginta millium in longum spatio tenditur, neque enim Dauid & Salomon potentissimos Reges, exceptis his, quos post victoriam in amicitiam receperunt, plus tenuisse scriptura testatur: aduertamus terram repromissionis dici ca. 34. lib. Numer. nempe à meridie maris Salinarum, per Sina & Cadesbarne, vsque ad torrentem Ægypti, qui iuxta Rhinocoruram mari magno influit, & ab occidente ipsum mare quod Palestinæ Phœnici, Syriæ, Coele, Ciliciæque protenditur: ab Aquilone Taurum montem & Zephirium vsque Hemath, quæ appellatur Epiphania Syriæ: ad orientem vero per Antiochiam & lacum Cenereth, quæ nunc Tyberias appellatur & Iordanem, qui mari influit Salinarum, quod nunc mortuum dicitur: trans Iordanem autem duarum & semis tribuum possessio est, Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse, nonne hæc terra spatiosissima & quidem promissa? quomodo ergo Deus C suis non stetit promissis cum arctissimam possederint? quia peccatis suis Dei promissionem reuocauere. *Fateor*, inquit cit. doct *hac tibi promissa non tradita, si obseruasses mandata Dei, & in præceptis illius ambulasses, si non pro omnipotenti Deo coluisses Beelphegor & Baal, & Beelzebut & Chamos quos quia pretulisti Deo, omnia quæ tibi promissa fuerant, perdidisti.*

D.Hieron. · Num 34.

### *Ex promissis Dei ne torpescamus.*

*Sciens dolorem eius descendi, vt educam eum in terram bonam & spatiosam.* Ne dicas te eos eduxisse, nam quot labores suscepere pro ea sibi comparanda? quot bella cum eam possidentibus iniere? quoties manus conseruere cum Chananæis & aliis populis? si ergo terram spatiosam & mel & lac fluentem promittit, quomodo eam D sine sudore, sine labore non tribuit? ne cum aliquid nobis promiserit torpescamus pigritia, nam si pigritantes fuerimus, promissa nō assequemur, *hæc duo colēda* (inquit Chrys. in Psal. 127.) *vt neque deo minātē desperemus, nec rursus bona promittente, torpescamus: sed studio & in vita instituenda diligentia, promissa ad opus reuocemus. nisi enim ita faciamus, non sufficit ad nos conseruandos sola promissio.* 169 Chrysost.

### *Hyperbolicæ locutiones in sacra scriptura admittendæ.*

*Sciens dolorem eius descendi, vt educam eum in terram qua fluit lacte & melle*, à quibus sæculis auditum, terram promissionis lac & mel manan- 170

tem? hoc enim sine miraculo concipi non potest, A quod quidem non legitur. quomodo ergo hæc terra populo Israëlitico promittitur? nonne quis dicet, Deum vana pollicentem? sed inscitiæ maximæ arguetur, hyperbolicæ enim locutiones in scriptura sacra, vt eius veritas constet, admittendæ sunt: quod docte ostendit Isidorus Pelusiota libro secundo Epistol. 99. arguens quendam Iudæum, qui carpserat diuinum Euangelistam, quod his verbis sit vsus, ne ipsum quidem mundum capere posse, arbitror eos qui de Christo scriberentur, libros: ait ergo, *operæpretium est ex veteri testamento quod ipse quoque prob t, ac diuinum existimat, ea quæ per hyperbolen d.cta sunt in medium pro ucere, vt ille intelligat Euangelistam quoque veterem illam scripturam loquen em, ea scrip sisse quæ scripsit, quidnam igitur scriptum sit discam s de Chananæis quidem vrbibus,* B *vrbes muro cinctæ sunt vsque ad cœlum, de terra autem eorum dictum est, terram fluentem lacte & melle; denique de nauigantibus, ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos, hæc igitur ille rusticè sapiens exponat non ad allegoriam confugiens, nec ad moralem se i sum afferre studens: sed res ipsas explicans: quod si non potest (necesse est enim vt vel hæc hyperbolice dicta esse fateatur, vel interpretatione opus habere) quid est, quamobrem, extremæ inscitiæ aduersum se argumentum præbens Euangelistam carpat? qui etiam si hyperbolen adhibuisse videatur, ea n tamen mitiganis dum dixit, puto.*

Isidorus Pelusiota.

*Deus se immiscet afflictis vt eos subleuet.*

C

171 *Sciens dolorem eius descendi vt educam eum.* Nonne in solio tuo sedens regio, potuisti populum à calamitate qua opprimebatur, eripere & libertati vendicare? cur ergo ab eo descendis, vt ab immanitate Ægyptiorum liberes? vt se immiscens populo suo, propter exactorum duritiem afflicto, illius onera subleuaret. moralitas est Oleast. *Quid opus est vt descendas? gaudet Dominus, vt leuiora faciat quæ sancti patiuntur mala, sese illis immiscere, Iudicum 10. dicit textus quod cum vidisset Dominus afflictos Israël filios, afflicta est anima eius propter laborem Israël, & Esaiæ 63. in omni angustia eorum, ei fuit angustia, & Angelus faciei eius saluos fecit eos.*

Oleast.
Iudic 10.
Isaiæ 63.

D

*Cum mensura peccatorum impleta est, tunc Deus punitionem non differt.*

172 *Sciens dolorem eius descendi vt educam eum ad loca Chananæi & Hethæi, &c.* Nonne tot populi sunt illius terræ legitimi possessores? nonne sibi à tot sæculis, suo labore & industria conseruarunt? cur ergo à propria ditione & hæreditate eicies? merito quidem, quia cum peccata eorum iam ad mensuram ferme completam peruenerant, digni erant vt in hæreditatum suarum ablatione punirentur. *Chananæorum & reliquorum pessimorum hominum* (inquit Lyppom.) *peccata iam ferme completa erant, tempusque appetebat à Domino constitutum, & iam exercitatio piorum fidei absoluta erat, iam loco cessuri erant impij & expellendi à fidelibus, iam promissiones Dei complendæ & fidei fructus maturuerant: satis mature Deus admonuerat impios, in scelere pergentes semper, non pot st Deus non punire qui iustus est.*

Lyppom.

*Populo rudi Iudæorum bona temporalia promittuntur, vt ad æterna prouocetur.*

*Sciens dolorem eius descendi vt educam eum in terram bonam & spatiosam,* & quasi hoc non sufficeret, subiunxit, *terram quæ fluit lacte & melle,* idest abundantissimam & amœnissimam, cur populo electo, summæ tuæ maiestatis cultori, bona terrena quæ respectu cœlestium sunt vilissima, polliceris? vt populum rudem qualis erat Iudæus, terrenis immersus, ad cœlestia tandem consequenda prouocaret. mens est Diui Gregorij in Glossa, *rudi populo* (inquit) *de præsenti vita aliquid promittendum fuit, vt posset in futura robustius solidari. si enim parua non acciperet, magna non crederet, Deus ergo largiendo terrena suadet cœlestia, vt percipiens quod videbat, speraret quod non videbat.* 173

Gregorius Magn.

*Deus meliora largitur.*

*Sciens dolorem eius descendi vt educam eum in terram bonam & spatiosam.* Nonne potuisti ei terram Ægypti, in qua tot calamitates tolerauit, in Ægyptiorum punitionem concedere? quis dubitat? cur ergo tantum ei onus imponis, vt regiones remotas & non sibi magno labore acquirat? aduerte quod licet Ægyptus esset fertilissima, tamen terra promissionis, eam & in fertilitate & in temperie superabat, euidens ergo dilectionis diuinæ in populum suum, argumentum, quod meliora ei polliceatur, mens est Abul. *Licet Deus in terra Ægypti potuisset Hebræos liberare, deprimendo Ægyptios seruituti Hebræorum, non tamen sic fecit, quia promiserat patribus eorum se daturum aliam terram meliorem Ægypto.* 174

Abulens.

*Scriptura se nostro modo intelligendi accommodat.*

*Sciens dolorem eius; descendi vt educam eum in terram bonam & spatiosam.* Quid ais te descendisse? nonne hoc tuæ repugnat immensitati? si enim es immensus, vbique es, omnemque simul occupans locum; qui autem descendit locum in quo erat deserit, alium de nouo acquirens: ne dicas ergo te descendisse, imo nostræ se accommodans imbecillitati recte ita asserit: aliter enim, cum nimium sensibus ducamur, non potuissemus concipere, quomodo Deus populum suum à captiuitate liberasset Ægyptiaca, Tostatus id docet, *Oportuit sacram scripturam modum tenere corporeum in assignationibus Dei vt quid saltem sub tenebra & metaphora intelligere valeamus, quoniam ipsa diuina secundum claram veritatem hic concipi non possunt: dans ergo scriptura nobis modum intelligendi planum, & natura nostra conformem statuit vt quendam magnum Regem in cœlo altissimo reuerendo solio sublimatum, & in illo audisse voces Hebræorum ascendentes de terra, & iustam causam attendens nunc descendisse ad terras vt vindictam reddat & liberet de manu tribulantium.* 175

Tostatus.

*Non solum Deus à malo liberat, sed etiam bona largitur.* A

176 *Sciens dolorem eius descendi vt liberem eum, & educã in terrã bonã & spatiosam.* Quid? nonne in populum tuum à maxima liberalitate tua, ingens conferebatur beneficium, cum à tyrannide Ægyptiorum liberabatur? quid enim optabilius homini dura seruitute oppresso contingere potest, quam libertas? cur ergo terram bonam & spatiosam melle & lacte fluentem insuper polliceris? cur possessionem Chananæorum ei te daturum promittis? quia Deus nescit solum à malo liberare, nisi etiam bona conferat: vnde Caiet. rationem sui descensus reddit, *ex parte cognitionis, & ex parte intentionis, tum liberandi à termino à quo, tum ducendi ad terminum ad quem; terram scilicet lacte & melle manantem dat.* (Caiet.) B

*Deus vnicuique quod suum est restituit, iuramentum violatum puniens.*

177 *Sciens dolorem eius descendi vt liberem eum & educam ad loca Chananæi & Hethæi, &c.* Nonne aliqui diuinę bonitati detrahere potuerũt, nec non iustitiam eius accusare, quod filios Israël per violentiam de terra Ægypti tulerit, & expulsis Chananæorum gentibus, terras eorum dederit possidendas? cur enim quod vni cõcessum ab eo, aufertur ab altero possidendum? satisfacientem audiamus D. Epiph. in Ancorato, (Epiphan.) Cum nationes illæ *inquit* omnes à tribus Noemi filus hunc in modum propagatæ fuissent, ac mundus in tres filios trifariam distributus, iusiurandum pater à singulis exegit, neminem in fratrum sortem inuasurum esse, qui iurisiurandi fidem violasset, vti cum tota sua stirpe miserrime periret; quocirca cum in Semi sortem Palæstina cessisset, cum adiacentibus regionibus, Chanaã filius Cham alieni cupidus, & iniurius, eam quæ postea Palæstina dicta est, hoc est Iudæam inuadit ac per vim eripit, C Deus interim patienter dissimulabat, ac pœnitentiæ tempus indulgebat, vt Chami posteritas resipisceret Semique filiis possessionem suam restitueret, at illi tantum abest vt pœnitentia ducerentur, vt modum mensuramque scelerum suorũ implere vellent, tum igitur iustissimus Deus multis generationibus euolutis, violatam iurisiurandi religionem vltus est; *deinde cõcludit*, quapropter nullam cuiquam iniuriam fecit Deus qui vtrique parti quod merebatur attribuit. *subscribit D. Epiphan. S. August. serm.* 105. (D August.) Tradunt maiores nostri quod quando filij Noë omnem terram inter se inuicem diuiserunt, terra ista quæ dicitur Cha- D

A nanæorum in diuisione orbis senioris filio Noë, id est Sem in possessionem obuenerat, & eam tempore non paruo possederit, postea vero inuenientes populi Chananæi, de illo vtique filio qui à patre fuerat maledictus, venerunt ad loca ista, & per violentiam expulsis fratribus suis, id est filiis Sem, terram eorum more barbarico possederant & quia B. Abraham de genere Sem legitur fuisse, filij eius, id est populi Israëlitæ non alienam terram, tradente Domino peruaserunt, sed suam propriã, quam per violentiam patres eorum perdiderant, receperunt; & quia Chananæi excepto illo peccato, quod possessionem alienam inuaserant multa nefanda & inaudita crimina committebant in tantum vt quãdo Dominus Sodomam & Gomorrhã subuertebat, dixisse legatur, nec dum enim com- B pletæ sunt iniquitates Amorrhæorum & expectabat Dominus vt aut conuerterentur & agerent pœnitentiam, aut certe si conuerti nollent, crimina criminibus cumulantes, & peccandi mensuram implentes iustissimam Dei sententiam sustinerent, quia ergo eos dupliciter inuenit reos diuina censura, pro eo quod terras alienas inuaserant & postea noua crimina & inaudita scelera commiserant, iusto iudicio puniuntur, & Israëlitico populo antiquorum patrum possessio restituitur. In quomodo nulla in Deo iniustitia fuit, & quod ore blasphemo immundissimi Manichęi, & Pagani oblatrent, asserentes Deum iniuste expulsis Chananæorum gentibus, terras eorum Israëlitis dedisse possidendas?

*Quod absque labore acquiritur, non æstimatur.*

C *Sciens dolorem eius descendi vt liberem eum & educam in loca Chananæi, &c.* Sex solum populos enumerat omissis Gergesæis, nonne Deus terrã septem populorum Genes. 15. promiserat Abrahæ? cur ergo solum sex Moysi pollicetur? quid? an te donorum tuorum pœnitet? an decens promissa retractare? aduerte ex Hebræorum sententia Gergesæos cessisse, nec bellũ cum eis initum à Iudæis, itaque eorum terra sine labore ab Israëlitis acquisita, sic noster Lyranus. (Lyranus.) Tacetur ergo hic Gergesæi, & in pluribus aliis locis, quia, vt dicunt Hebræi, non restiterunt filiis Israël per bellum, sicut alij, sed de terra cesserunt. ne miremur igitur si de huiusmodi populo non fit mentio? quia cum sine labore terra illius erat acquirenda non ita æstimatur vt cum aliis numerari debeat. 178



## VARIETAS LECT. Vers. 9.

VVlg. Clamor ergo filiorum Israël venit ad me, vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur.

*Sep.* Et nunc ecce clamor filiorum Israël venit ad me, & ego vidi tribulationem, qua Ægyptij tribulant eos.

*Cald.* Manifesta est etiam coram me tribulatio, qua Ægyptij tribulant eos.

*Onk.* Reuelata est oppressio qua Ægyptij opprimunt eos.

*Oleast.* Vidi coarctationem qua Ægyptij coarctant eos.

*Rupert.* Clamor filiorum Israël venit ad me vndique.

## CONCORDIA

IN Hebræo legimus קְעָצַ תנה התעו vehatta hinne Zahakath, & nunc ecce clamor filiorum Israël venit ad me, quod vertit vulgatus interpres, clamor ergo filiorum Israël. nulla tamen est discordia, non enim vult asserere textus Hebræus, nunc solum clamorem filiorũ Israël exauditũ fuisse, sed quod iã jam habiturus est rationem A clamoris eorum: verbum ץחל lachaz comprimere, deprimere, coarctare significat; hinc tribulare & affligere, nam ex compressione & coarctatione, tribulamur & affligimur: nescio ex quo originali adduxerit Rupert. vndique, cum nullibi reperire potuerim, licet verum sensum habere possit, vt in conceptu dicemus.

## EXPOSITIO.

*Clamor ergo filiorum Israël venit ad me*, dictio *ergo* non ponitur hic, vt coniunctio illatiua, siue nota consequentiæ, sed proponitur vt coniunctio inceptiua, quæ sicut *igitur* in plurimarum principio narrationum ponitur, *Clamor filiorum venit ad me* superiorum repe- B titio, nisi explicemus, vt in concordia, quod iam iam habiturus est rationem clamoris eorum, *& vidi afflictionem eorum*, in nimia onerum impositione ab exactoribus, qua ab Ægyptiis opprimuntur sine vlla humanitate.

## CONCEPTVS.

### *Afflictus ne se à Deo derelictum existimet.*

179 *Clamor filiorum Israël venit ad me.* Nonne paulo superius idem Moysi aperueras, te scilicet eorum clamorem audisse, & ideo vt eos à captiuitate Ægyptiaca eriperes, descensurum? quomodo sub eisdem verbis idem repetis? nonne hæc superflua videtur repetitio? imo emphatica, qua denotat non solũ nõ despexisse clamorem eorum, imo præsentissimum habere, vt Oleaster. eis subueniat, *quoties repetit* (inquit Oleast.) *se audire filiorum Israël clamorem, ne se dereli-* C *ctos putarent, & ostenderet se illorum clamores curare.*

### *Occisio innocentium peccatum clamans in cœlum.*

180 *Clamor filiorum Israël venit ad me.* Toties repetita displicent, aliud, quam filiorum Israël clamorem audisse aperi, cum non ita labilis memoriæ, vt ei paulo ante dicta obliuiscatur, ne superfluè hæc repetita asseras, sed hæc ingeminat, inquit noster Lyran. propter occisionem in- Lyranus. nocentium, quid? an eorum occisio clamat in cœlum? vel cur potius innocentes interfecti clamare dicendi sunt, quam alij? quia hoc genus peccati propter sui grauitatem, & insignem nec non manifestam improbitatem, iram diuinam vltro expetit, & cœlestem vltionem quasi elatis voci- Genes. 3. bus accersit iis à quibus committitur: de hoc enim contestatur Dominus ad Cain, *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, & Christus Domi- Luc 18. nus in Euangelio Luc. 18. ait, *Deus faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte.*

### *Afflictio datur electis vt attentius viuant.*

181 *Clamor filiorum Israël venit ad me, & audiui afflictionem eorum.* Cur Deus à populo electo, in tot calamitatibus & ærumnis affligendo non abstines? nonne Ægyptiis ansam præbes vt tuæ detrahant potentiæ? credent enim verum numen suos in miseriis per tot annorum curricula deserere: sed animaduertamus quæso, quod si omnia fœliciter Israelitis contigissent, Dei futuros fore immemores, cur ergo cum sit populus electus, varijs non probabitur ærumnis vt maiori cum attentione in Dei obsequio permaneret? *Dantur iustis aduersa*, inquit noster Bernar- D Bernardi dinus 1 tom. serm. 9. cap. 1. art 2. *vt viuant attentius, sæpe enim fit vt iustus quadam opera iustitia exercens, & quasi omnia detestanda* C *relinquens, sibi ipsi quodammodo sufficere arbitretur, & quodam pigritiæ somno torpescens, talentum gratiæ ad lucrum sibi concessum in terra reponat; talem autem Dominus tribulationis pugno percutiens in latere per Apost. ait Ephes. 5. surge qui dormis,* Ephes. 5. *in huius mysterium Act. 12. dum dormiret in car-* Act. 12. *cere Petrus ecce Angelus Domini astitit, percussoque latere excitauit eum dicens, surge velociter, Angelique suasu vincula & carcerem dereliquit: sic moraliter percutietur iustus laboribus & ærumnis, vt abjiciat vincula negligentiæ, relinquat carcerem pigritiæ & torporis.*

### *Mira est in peccatores Dei misericordia.*

D *Clamor filiorum Israël venit ad me.* Ex variis, 182 quibus premebantur, calamitatibus, ab immanitate Ægyptiorum & tyrannide. si clamorem filiorum Israël audisti, non tibi incognita illius causa, tibi comperta est crudelitas quæ in tuum impie exercetur populum, cur ergo à tot annis ab eorum seuera punitione temperas? vt expectaret an ad meliorem frugem tandé reuocarentur: *licet peccatorum sceleratorum*, inquit cit. noster Noster Bernardin. Bernard. tom. 2. serm. 19. art. 2. cap. 4. *abominationes multiplicentur, tamen Deus peccatores in sordibus suis suffert, donec multis peccatorum sordibus saturati præ confusione abominationis suæ à peccatorum libidine resipiscant, vel saltem tribulationibus conquassati, diuinæ correptionis timore peccandi audaciam perdant.*

Variæ

*Varie ad Deum electi & improbi clamant.*

183 *Clamor filiorum Israel venit ad me*, Rupert. secundum aliam litteram legit, venit ad me vndique, quid? an sicut Israelitæ clamant ad Deum, ita etiam Ægyptij? affirmatiue respondet, non tantum populum Dei electum varijs oppressum ærumnis Dei misericordiam clamoribus pulsare: sed cur Ægyptij ad eum clamare dicuntur? clamores eorum quidem ad Deum ascendunt ad exigēdas de suis sceleribus pœnas, electorū autem vt eis sit propitius & à calamitatibus eos eripiat, ita cit. Abbas. *Notandum* inquit, *quod cum dixisset clamor filiorum Israel venit ad me, addidit secundum aliam litteram, vndique, vt subaudias tam ab Ægyptijs opprimentibus, quam à filijs Israel ingemiscentibus: vtrimque enim venit clamor, sed modo longe diuerso, nam clamor filiorum Israel tanquam defensorem, vel iudicem, ad iram prouocantium ascendit ad Dominum.* Rupert. Abbas.

*Cum Deus vrgentia mala expulsurus est, aliquando inducit grauiora.*

184 *Clamor filiorum Israel venit ad me, vidi afflictionem eorum*, mirum est Deum clementissimum non tantum permisisse Reges & Principes, verum etiam magistros operum, imo omnes Ægyptios populum suum affligere, cur cum iamjam liberandus est ab oppressione Ægyptiorum, duriori eum seruitute permittis vrgeri? nonne in desperationem ex tot repetitis angustiis potest incidere? cum enim iam in foribus esset suæ spes libertatis, maiora sentit flagella, sed de hoc ne miremur, diuinæ enim prouidentiæ proprium est, vt quando vrgentia mala expulsurus est, tunc grauiora & terribiliora inducit, nonne cum tentationi Iob finem allaturus esset, tunc molestiora fieri permisit? non dicam de liberorum morte, non de atrocibus verbis vxoris, sed de seruorum atque amicorum opprobriis. liberaturus populum Christianum à Romanorum tyrannide, imperatorum omnium hominum funestissimum & crudelissimum regnare, & sæuire in Christianos permisit Diocletianum, A permisit & Licinium, cuius tanta fuit in Christianos malignitas & crudelitas, vt authoribus Euseb. lib. 10. hist. cap. 8. & Niceph. lib. 7. cap. 44. quoslibet Christianos ædibus suis priuauerit, legesque impias excogitarit, & maxime in eos qui carceribus includebantur, legem tulit ne quis clementia adductus, quicquam alimenti illis impertiret, neue eorum misereretur qui in vinculis tame necabantur, neque quemquam illorum qui ab ipsa natura trahebantur, ad proximorum commiserationem, vel in bonorum numero haberi debere, vel boni quidquam agere censuit. priusquam veniat Christus vt excitet iustos ad resurrectionem vitæ, permittet Antichristum cum suis furere in Catholicos, tribus annis & semi, & tunc tribulatio magna erit qualis non fuit ab initio mundi, neque erit: hoc autem fit singulari dispensatione diuina, vt pij maiora mereantur, nam quo grauius est periculum, eo illustrior fit liberatio, amplior gloria Dei, & B populi eius, & quo crudelior est tyrannis, eo propior est liberatio: cum enim Christus Dominus suis prædixisset, injicient vobis manus suas, & persequentur, trademini etiam à parentibus, fratribus, cognatis, & amicis, venit & hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium Deo præstare; continuo subijcit, his fieri incipientibus leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. quæ verba exponens B. Greg. Mag. hom. 1. in Euang. paulo ante medium ait. *Cum plagæ mundi crescunt leuate capita, idest exhilarate corda, prope fit redemptio quam quæsistis.* Niceph. Eusebius. D. Gregi.

*In afflictione positus, ipsius Dei est.*

*Clamor filiorum Israel venit ad me, & vidi afflictionem eorum*, & antea, *vidi afflictionem populi mei*, si afflictus, quomodo à te vocatur C populus tuus? cur non ais, vidi afflictionem populi Israël, non autem mei? cur non suum diceret, quamuis afflictum? imo quia iniuste & tyrannice afflictus, non potest esse non suus, cum à Deo non negligatur, imo specialiter diligatur, qui non nescit maximas tolerare calamitates. 189



*VARIETAS LECT. Vers. 10.*

VVlg. Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Israel de Ægypto.

*Sept.* Et nunc veni mittam te ad Pharaonem Regem Ægypti, & educes.

D *Cald.* Et educ, &c.

---

*CONCORDIA.*

IN Hebræo est ועתה לכה Vehatha lecha & nunc veni, quæquidem particula in alijs lectionibus reperitur, præterquam in Vulg. quæ eam omisit, cum facile subintelligeretur.

EXPOSITIO.

SEd veni, idest, eia, siue dispone te, *mittam te ad Pharaonem*, quia legatum ad Regem Ægypti te mittere decreui, *vt educas populum meum*, te enim illi ducem constituo, vel mittam te ad Pharaonem, ei referes tanquam meus nuntius, vt permittat populum meum ab Ægypto discedere.

## CONCEPTVS.

*Quæ sponte suscipimus, etiam si sint difficilia, nobis videntur facilia.*

186 SEd *veni & mittam te ad Pharaonem*, Ecce vt Deus vult quod sua mandata Moyses apud Regem Pharaonem exequatur, nihilominus Moyses renuere videtur, non autem Isaias: ecce ego mitte me, inquit, quid ò Propheta? nonne difficilimum opus aggrederis, nempe populo tuo suam annuntiare mentis obcæcationem, nec non tempore Messiæ, eiectionem & reprobationem? quomodo hoc arduo muneri ita libenter te accingis? nonne libentissime id exequebatur? quid ergo mirum si non renuat, nec arduitatem operis attendat? quæ enim sponte suscipimus, etiamsi sint difficillima, nobis leuissima videntur, *nos homines*, inquit S. Basil. *sic natura comparati sumus, vt quæ semel volentes exequenda elegerimus, quantumlibet molesta fuerint, tamen eam operosam molestiam deuoramus ac perpetimur.*

Isai.

D. Basil. in Isai.

*Obediens & corpore & mente, promptum se debet exhibere.*

187 *Sed veni & mittam te ad Pharaonem.* Nonne tibi proximus est? solutis enim è pedibus calceamentis, non est dubium te conuenisse, cur ais ergo veni? qui enim alteri propinquus est vlterius non potest accedere, præsens erat corpore, sed præsentiam mentis illius, idest animi promptitudinem, ad exequenda sua mandata exigebat: vnde recte noster Lyran. *Licet esset præsentialiter coram Deo, tamen dixit veni, per hoc significans vt deberet esse promptus mente, sicut erat præsens corpore.*

Noster Lyran.

*Qui à Deo non mittuntur, sed qui seipsos intrudunt, munus legationis diuinæ non bene perficiunt.*

188 *Sed veni & mittam te ad Pharaonem.* Ecce à te mittitur Moyses, vt non solum persuadeat Ægyptiorum Regi, vt liberam abeundi licentiam populo suo concedat, sed etiam vt populo suo electo voluntatem suam aperiat, verbumque suum annuntiet, quomodo ergo Christus Dominus Ioan. 10. pronuntiat hæc verba, omnes quotquot venerunt fures sunt & latrones, & non audierunt eos oues? licet aliquando & pluries populus Israël, vocem Moysis voluerit audire. sed quis dicet Moysem latronem fuisse, quamuis ante eum venisset? ait enim *veni*, scio Manichæos, Prophetas contemnentes & damnantes hac auctoritate Ioannis abusos, vt auctor est August. lib. 5. contra aduersarium legis & Prophetarum cap. 4. Sed toto cœlo aberrant, non enim hæc sententia de veris intelligitur Prophetis, sed de pseudoprophetis, qui à seipsis venerunt, non autem à Deo missi sunt, iuxta illud Hierem. 23. non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant, sic Isid. Pelusiota lib. 4. Epist. 119. *Hic locus omnes qui venerunt ante me fures sunt, & latrones, non de Prophetis & lege dictum est, quemadmodum iis placet qui vetus testamentum reiiciunt, verum de falsis prophetis, de quibus ipse dixit, non mittebam eos & ipsi currebant, non enim dixit omnes qui missi sunt, sed qui venerunt; Moyses quippe audiuit, veni mittam te in Ægyptum: Isaias item dicentem Deum audiuit, quem mittam & quis ibit ad populum hunc? & dixit, ecce ego mitte me: at vero pseudoprophetæ & qui ad principes & præfectos currebant, quales erant Theudas & Iudas Galilæus & Ægyptius ille sicariorum præfectus, non missi, sed ostentationis studio flagrantes, seque ipsos creantes & ordinantes, atque ambitione laborantes, suaque sponte velut transfugæ desciuerunt: quod autem de ipsis hæc dicta sint, liquet ex eo quod sequitur, fur enim inquit non venit nisi vt furetur & mactet, & perdat, omnes enim ij qui ipsis paruerunt, quod veritatem adulterare tentassent, obtruncati sunt atque interierunt, dictoque citius omnino extincti sunt.*

Ioan. 10.

August.

Hierem. 23.

S. Isidor. Pelusiota.

*Qui ad annuntiandum verbum Dei legitime mittitur, non renuat.*

*Sed veni vt mittam te ad Pharaonem.* Audiens Moyses se apud Ægyptios transiturum, Regique Pharaoni etsi bona, tamen non placita loquuturum, excusat se, nihilominus tamen præcipienti obtemperauit, si subterfugium, si excusationem non admittendæ tuæ legationis ergo in medium adduxisti, cur igitur non renuis? quia qui ad annuntiandum verbum Dei legitime mittitur, hunc non debet recusare laborem, sed libenter suscipere, *ad commonendum Pharaonem* inquit Philip. Abb. lib. de silen. Cler. cap. 86. *Moyses destinatur, & tamen aduersus eius monita monitus obduratur, & cum monitore ne loquatur sese nititur excusare, non tamen permittitur iubentis imperium recusare: & audiens quod esset apud Ægyptios transiturus, Regique Pharaoni etsi bona, tamen non placita locuturus, id iniunctum ministerium rudis obediens contremiscit, & corde pauidus, latere magis sub silentio concupiscit: & quoniam maioris imperium non digne refutatur, si non causa conueniens, imo sufficiens prætendatur, se mandato huic imparem non confunditur accusare, vt possit quod mandatur excusabiliter recusare.* deinde concludit, *factorem debet proculdubio vereri, & illo imperante, istud quouis obstaculo non teneri, vt suo renuntians, maioris se potius arbitrio abdicat, & in nullo opus opifex figmentum figulo contradicat.* 189

Philip. Abbas.

*Gubernatores & prælati non ad quietem, sed ad laborem assumpti.*

*Sed veni & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum Israël,* Ecce vt ducē & gubernatorem 190

populi sui eum eligit: quis non mirabitur hominem, pecudum pastorem ad eximiam hanc regendi totius populi dignitatem assumi? sed obserua, nullum laboriosius officium quam pastorum, quot enim noctes insomnes ducit, quot solis ardoribus vritur, vt suo consulat ouili pastor? singulari ergo Dei prouidentia fit vt quis ex pastore populi constituatur gubernator, vt sciat non ad quietem & otium, sed ad laborem & vigilan[d]i assumptũ esse: quod obseruat hic Oleast. Oleaster. *Cogitans sæpius quare Dominus pastores in Reges & Duces commutauerit, & Christus peccatorem præsulem Ecclesiæ fecisset, ponderã quæso omne artificum genus, & deprehendes omnes pastores & nautas in maxime vitæ discrimine versari, nullumque artificium his laboriosius: pastor enim non dormit, sed fere continuo vigilat, vix vestit, maleque vestitur: sic & pastores nudi in vigiliis ac laboribus semper sunt, vt ergo tam Reges quam Pontifices scirent se non ad quietem, non ad diuitias, aut delitias assumptos, sed ad labores, sudores & vigilias, hos inter cæteros diligere curauit.*

### *Deus mediis causis secundis regulariter agit.*

191 *Sed veni vt mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum Israel.* Quid, ô Deus potentissime? nonne in tua situm est potestate, omnes delere Ægyptios vt nullus discessui Israëlitarum possit contradicere? vel nonne transferre in alienas prouincias potes? cur ergo hunc præcipis Moysi laborem suscipiendum? quia Deus causis mediis secundis operatur regulariter. *Poterat* inquit Lippoman. Lipp. *vno verbo vel occidere Pharaonem cum toto exercitu vna nocte, sicut Ægyptiorum primogenitos, & exercitum Sennacherib, vel etiam transferre in vno momento totum populum: sed per homines agit quod vult, & quando vult, cui obsequendum est ab omni creatura & ab omnibus.*

### *Deus nobiscum familiariter versatur, vt nostrum ad ardua excitet animum.*

192 *Sed veni vt mittam te ad Pharaonem.* Nonne tibi præsens adest, & tu ei, cum ad eum in rubo sub flamma ignis descenderis? cur ergo præcipis, vt ad te veniat alloquuturus? vt cum eo familiarius ageret, qua familiaritate animum eius ad ardua excitaret, mens est Abul. Abulens. *Quia Deus volebat confortare Moysem, quem ad tam ardua negotia missurus erat, dando de se bonam spem, & demonstrando aliquam familiaritatem, vt sic libentius exequeretur: familiaritas autem demonstratur faciendo eum venire apud se. sicut inter homines illi qui habent maiorem dominorum familiaritatem, apud eos magis appropinquant, istam familiaritatem postea tenuit Moyses cum Deo.*

### *Mira est diuinæ prouidentiæ suauitas.*

193 *Sed veni vt mittam te ad Pharaonem, & educas* A *populum meum de Ægypto:* renuit Moyses, sed quanta Deus præstitit, attente consideremus, quanta promisit? quid ille petiit quod ei non concederet, vt non coacte, sed libere munus subiret? dubitat de sufficientia dicens, quis sum ego vt vadam ad Pharaonem & educam filios Israël? cui Dominus, ero tecum: dubitat filios Israël exposcituros ab ipso ipsius Dei nomen, vnde dixit si dixerint mihi quod est nomen eius, quid dicam eis? aperit nomen, ego sum qui sum, qui est misit me ad vos, persistit Moyses addubitans, & persistens filios Israël ei non credituros, non credent mihi nec audient vocem meam, dat ei signa & portenta: iterum se excusat, iterum onus vult refugere, insufficientiam allegans loquelæ, obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius, cui Dominus, perge, & ero ego B in ore tuo: & tandem nec his contentus, cum videret se omnia adlibitum obtinuisse, nec reliquum superesse petendum, addidit orationem, deprecans ne illum mitteret, dicens, obsecro Domine, mitte quem missurus es: ad angustias veluti hoc verbo redigens ipsum Deum, vnde iratus non tamen vim illi inferens, Moysis animum timidum inspiciens, adiecit ei socium in munere, fratrem nempe suum, quibus insuper promisit se adfuturum, ego ero in ore tuo, & in ore illius, quo audito Moyses factus animosior, munus suscepit libenterque oneri humerum supposuit, vnde lætus reuersus ad Iethro socerum dixit, vadam & reuertar ad fratres meos: quæso si Deus supremæ maiestatis non esset, si non altissimi dominij, sed homo, potuisset ne suauius imo humilius cum altero homine pertractare, aut agere? ne mireris, quia C & si potentissimus est, etiam suauissimus, voluntatem hominis flectere vult, non potentia aut coactione, sed prouidentia & ratione vult Moysi persuadere vt ad suscipiendum munus non necessitate, sed voluntate conscendat. Quod eleganter ponderat D. Ambros. sup. Psalm. 118. D. Ambros. in illa verba, voluntaria oris mei, ait, *Vtique seruulo suo poterat imperare cum dignum qui mitteretur inuenerat, sed maluit cum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui vt ipse se offerret præstolatus est* (loquitur sanctus de Ieremia) *& quamuis eius sciret affectum expectauit tamen vocem, vt cumularet gratiã,* cõcludit, *aduertimus igitur quod iis etiam qui ad excusandum officium suum aut certa aliqua causa negandum putauerint, Dominus noster aut ratione persuadeat aut cupiditate Propheticæ reuelationis inspiret, vt ad subeundum* D *officium suum voluntate concurrant non necessitate conscendant*, non vi cogit Deus, sed ratione persuadet intellectui, cupiditate attrahit voluntatem, nullam ei vim inferens, nullam coactionem, hinc est quod suauiter disponit, inflectit, ducit, eamque moderatur, itaut ad finem ab eo præordinatum trahat infallibiliter, nulla vi, coactione, in nullo læsa, sed illibata permanente eius libertate.



## VARIETAS LECT. Vers. 11.

*Vulg.* Dixit Moyses ad Deum, quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto?

*Sept.* Quis sum ego quia ibo ad Pharaonem Regem Ægypti, & quia educam filios Israël de terra Ægypti?

## EXPOSITIO.

Dixit *Moyses ad Deum*, ab Angelo repræsentatum, *quis sum ego?* quasi diceret insufficientissimus sum huic legationi suscipiendæ, & incapax ad munus hoc arduum obeundum, quis enim sum, vt hoc Regi potentissimo aperiam? quis sum ego vt à regno munitissimo tuum eripere possim populum?

## CONCEPTVS.

### *Et in dignitatibus declinandis & in admittendis præstes humilitate.*

194 Qvis *sum ego vt vadam ad Pharaonem?* Quis vir à Deo electus ad hoc munus obeundum renueret? Deus autem neminē ad aliquid eximium eligit, nisi præuiis dispositionibus ei misericorditer concessis, tum nonne Æthiopes potentissimos debellasti? cur ergo à Deo in ducem populi constitutus, non educes in manu forti populum Israël ex Ægypto? ne ergo hanc ducalem declines dignitatem? si autem semel renuisti, cur ab abdicatione cessasti, cur tandem plebeium ducatum suscepisti? quia & in dignitatibus declinandis, & in admittendis præstare debemus humilitate, in declinandis trepidi esse debemus, ne de viribus nostris præsumere, videamur in admittēdis quia superioribus obedire tenemur, hoc docuit B Greg. 1. part. pastor. cap. 7. *Quia igitur valde difficile est purgatum quemlibet se posse cognoscere, prædicationis officium tutius declinatur, nec tamen declinari pertinaciter debet, cum ad suscipiendum hoc superna voluntas agnoscitur: quod Moyses vtrumque miro opere expleuit, qui præesse tantæ multitudini & noluit & obediuit; fortassis superbus esset, si ducatū plebis innumeræ sine trepidatione susciperet, & rursū superbus existeret, si authori imperio obedire recusaret, vtrobique ergo humilis, vtrobique subiectus, & præesse populis seipsum metiendo noluit, & tamen de imperantis viribus præsumendo consensit: hinc ergo quique præcipites colligāt cūquanta culpa ex appetitu proprio præferri non metuunt, si sancti viri plebium principatum suscipere Deo etiam iubente timuerint, Moyses suadente Deo trepidat, & infimus quisque, vt honoris onus suscipiat anhelat; & qui ad casum valde vrgetur, ex propriis humeris libenter opprimendum ponderibus submittit alienis, quæ ergo sua ferre non valet; & auget quæ portet.*

D. Greg. Mag.

### *Humiles simus ad propria dona cognoscenda.*

195 *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem?* Quis? accipiam ab auctoribus fide dignis, ait Clem. Alex. lib. 1. strom. hic Moyses erat Theologus, & Propheta, & sacrarum legum interpres: te Dei nuntium fuisse quasi è cœlo ad mortales emissum, his verbis celebrat Chrysost. hom. 2. in Genes. etenim humani generis conditor, ab initio per seipsum hominibus loquebatur, quomodo hominibus eum audire possibile est, sic enim ad Adam venit, sic Cain increpauit, sic cum Noë loquutus est, sic apud Abraham hospitatus est: at vbi in magnam malitiam omne hominum genus degenerauit, neque nunc se totū ab hominum genere auertit opifex omnium, sed quia sua familiaritate postea indigni facti fuerunt, iterum erga eos suam amicitiam innouare volens quasi longe absentibus litteras mittit conciliaturus sibi vniuersam hominum naturam, & has quidem litteras dedit Deus, attulit Moyses? quid igitur dicunt hæ litteræ? in principio Deus creauit cœlum & terram, creditur autem, cum adhuc apud socerum esset, librum Genesis scripsisse, vt Hebræos asperrima seruitute afflictos consolaretur, & confirmaret exemplis maiorum suorum Abrahæ, Isaac, & Iacob, reuocatisque in memoriam promissis Dei de liberandis ipsis à seruitute & de introducendis in terram Chanaan promissam: quis? nonne iam propheta insignis teste cit. Chrysost. eadem homil. quam admirabilis & eximius fuit ille propheta, alij omnes Prophetæ dixerunt, vel quæ multis postea temporibus futura erant, vel quæ in futuro sæculo euenient: beatus autem ille cum iam multa trāsissent sæcula, & ducem & directricem sortitus supernam dextram, dignus est habitus vt illa diceret, quæ ante suam natiuitatem omnium Dominus formauerat: quis tu? nonne ille es qui secundum Ambros. lib. 1. Hexam. cap. 2. qui priusquam ad populi munus liberandi vocareris, naturali æquitatis studio prouocatus, accipientem iniuriam de popularibus tuis vltus, illecebris te dedisti, voluptatique eripuisti, atque omnes regiæ Domus declinans tumultus in secretum Æthiopiæ te contulisti, ibique à cæteris negotiis remotus, totum diuinæ cognitioni animum intendisti, vt gloriam Dei videres? mitto alia quibus nunc celebrari potes encomia, cur ergo hanc à Deo ad Pharaonem legationem non solum semel, sed ter causaris obeundam? imo cum haberes tecum, vt ait Philo libro 1. de eius vita, instrumenta prodigiorum, manum & baculum, quibus armatus Pharaonis tyrānnidem & Ægypti superbiā facile retūderes & superares, adhuc se nihilominus

Clemens.

D Ambros.

verniem reputabat & vt loquitur idem Philo verecundo præditus ingenio subtrahebat se grauiori, quam pro viribus vt putabat, oneri, rogabatque vt alius eligeretur ad exequenda mandata magis idoneus, si ergo tantis præditus ornamentis, si eximus claris virtutibus, si variis nobilitatus donis, quomodo ais quis sum ego? quia humilitas ad propria dona intuenda oculos præcludere debet.

### *Qui se vltroneè offert malis denuntiandis, non leue damnum incurret.*

196 *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem?* quid? an viribus & animo maior est Isaias, qui cap. 6.
Isai. 6. audiens Deum sollicitum de mittendo homine qui multa mala principibus Israëlitarum annuntiaret, ipse vltro sese offert funesto muneri, inquiens, ecce ego, mitte me? quis fœlicius egit, an Moyses detrectans munus, legationẽ renuens, an Isaias se vltro missioni offerens? huic quæstioni respondet B. Hieron. Epist. ad Damas. 1. *Qui*
D. Hieron. *Moysis assertor est: humilitatem huius prædicat ac mansuetudinem, quod se iudicans indignum ministerio Dei, maior effectus est: Isaias vero qui vltro se obtulit, incipiens prophetare, à maledictis cœpit, aure audietis, & non intelligetis ob quod multa mala perpessus:* hæc venatur quisquis vltroneus & prõptus est ad mala denuntianda, ad auditores feriendos; Moyses vt erat mansuetissimus, sic durum nuntium refugit, & quidquid durum videbatur detrectans magnus apud vniuersos factus est: Isaias vt rigidioris spiritus erat, sic vltro se offert denuntiandis rigoribus, ob quod multa sustinuit incõmoda ab omni populo insanus habitus.

### *Qui non detrectat mala annuntiare, subsannationibus se subijcit.*

197 *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem?* an melior aliis Prophetis qui te subsecuti sunt? vel an minus obnoxius mandatis Dei, quam alij sacri vates? cur ergo Deo dicenti, vt Pharaonem conuenires adipiscendæ libertatis gratia pro populo Israelitico, renuis hoc onus subire? quid
Ierem. 25. enim Ierem. cap. 25. suæ Prophetiæ refert? dicit Dominus exercituum Deus Israel, sume calicem vini furoris huius, de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te, & bibent & turbabuntur, & insaniẽt à facie gladij, quẽ ego mittam inter eos, & accepi calicem de manu Domini, & propinaui cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus, Ierusalem & ciuitatibus Iuda, & Regibus eius: sed quid Prophetæ contingit non renuenti infausta principibus, & infœlici populo annuntiare? an quod Moysi, qui in maximam deinde euectus est dignitatem, qui apud populum in summo habitus est honore? non equidem, sed in damnum suum cessit non leue, ipsemet testatur, factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me: equidem maxime seducitur, qui putat se periculis & subsannationibus eripere, dum vltro & sponte ad annuntianda mala festinat, ad hæc cit. Hieron. *Accipe calicem meri huius de manu mea, & potionabis omnes gentes, ait Dominus, quod cum audiuit Propheta, non renuit nec secundum exemplum Moysi dixit, precor Domine non sum dignus, prouide alium quem mittas, sed calicem meri huius libenter accepit: & accepi ait calicem de manu Domini & potionaui omnes gentes, pro qua Prophetia quid in alio loco dicat ausculta, seduxisti me Domine & seductus sum, factus sum in derisum tota die exiui in subsannationem.*

### *Humilitate ad maxima peruenitur.*

*Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem?* Talis es vt hæc de te proferat Greg. Nazianz. oratione 6. quam habuit præsente Greg. Nyss. fratre D. Basilij, quis ex legislatoribus illustrissimus habetur? Moses, quis ex sacerdotibus sanctissimus? Aaron, nec minus fratres quam corporibus, seu potius Deus Pharaonis, & populi Israëlitici præfectus, & legislator, qui in nubem ingrediebatur, & diuinorum mysteriorum inspector, ac sacrorum princeps erat ac tabernaculi veri fabricator, ambo autem pariter sacerdotes erãt, Moyses enim, inquit vates, & Aaron in sacerdotibus eius: hic quidem principum princeps, & sacerdotum sacerdos tanquam lingua Aaronis vtens opera, ipse autem in iis quæ ad Deum pertinent satagebat, & ille proximus erat post eum, longe autem præ aliis tam dignitate quam approximatione ad Deum, ambo Ægyptum plectentes, mare diuidentes, populum Israeliticum educentes, inimicos submergentes, panem de cœlo educentes: sed quantæ fuerit dignitatis breuiter perstringam, à quatuor eius singularibus functionibus & muneribus, quæ in scriptura magis celebrantur, Moses, & vt Propheta maximus, dux, legislator, & sacerdos in sacro eloquio declaratur, & nuncupatur. Propheta enim primo insignis ostenditur, cum non tantum Spiritus sancti afflatu, vel ex imaginibus seu spectris apparentibus, vel Angelo releuante, abdita à primis sæculis prodiderit, vt cæteri Prophetæ, sed quia (vt D. Aug. ac B. Thom. arbitrati sunt) Dei essentiam raptim tamen sit contemplatus: dux etiam præclarus fuit, siquidem non à Republica, non à Rege, vel principe, sed à Deo mirificis portentis, quasi impressis litteris vocatus, Iudaicæ gentis imperator fuit constitutus, viribusque non humanis, sed diuinis ducis partibus est functus, nam pro copiis quibus Ægyptios, cæterosque Iudaici nominis hostes prosterneret deleretque, Dei virgam habuit, qua & maria diuideret, & manna ac coturnices quasi annonam ex aëre, nubibus obuoluto, hauriret, aquas è petra excuteret, cunctaque sibi aduersantia contereret. Moyses egregius verusque legislator cum Deo colloquia non ficta, sed euidentissimis portentis roborata habuit, ac omnium virtutum genere insignitam vitam duxit, tulit & legem, quadraginta dierum suffultus ieiunio, fumigante igne, coruscantibus tonitruis, admirantibus Iudæis, in monte non clam, sed aperto die, lapideis tabulis Dei digito incisam, exaratamque detulit: summus etiam Pontifex nuncupari potest, cum sacerdotis summi munera obiisse, tabernaculum erexisse, altare vnxisse, Aaronem consecrasse, omnesque sacros ritus tradidisse legatur, hoc idem testatus est Dauid cum dixit Moses & Aaron in sacerdotibus

Marginalia (right column): 198 (beside "es vt hæc de te proferat Greg. Nazianz."); Gregorius Nazianz. (beside "ne 6. quam habuit"); Psalm. (beside "Aaron in sacerdotibus eius"); D. August. (beside "abdita à primis sæculis").

eius vnde tanta & tam eximia consequutus est? quomodo ad tam eminentem peruenit dignitatem? quid ait Moyses? quis sum ego vt vadam ad Pharaonem? an animus maxime humilis? an demissionis argumentum? quid mirum si ad maxima peruenerit? humilitati enim nihil magnum potest denegari, fauet eit. Hieron. *Quod se indignum iudicans ministerio Dei, maior effectus est.*

*Humilis miratur & obstupescit cum ad altiora vocatur.*

199 *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem?* Si ab hoc declinare volebas munere, nonne satis erat dixisse, me habeas excusatum, ego pascendis gregibus occupor, regendis hominibus insufficiens, cur ergo ait attonitus & stupefactus, quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & ducatum populi Israël ex Ægypto egressuri, habeam? quia humilis ita indignum se officiis & aliorum regimine iudicat, vt cum ad ea vocatur omnino hæret obstupefactus, vnde noster Lyran. *Quis sum ego? ponitur his verbis stupefactio Moysis, ac si diceret omnino sum insufficiens ad tantum officium.*

Noster Lyranus.

*Tutius est aliquando tacere quam loqui.*

200 *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem?* Legationis huius obeundæ gratia, quis sum ego, vt Regi potentissimo ego imbellis & nullis instructus armis, persuadere possim, vt liberam concedat Israëlitis à suo discedendi regno licentiam? si à Deo vocatus mitteris, an Deus in sua electione fallitur? dignum te iudicat, vt hac fungaris legatione: renuit Moyses, satius ducens tacere quam coram tanto principe sermonem habere, fauet Bernard. de ordine vitæ. *Moyses hic sicut & Hieremias quod poterat per gratiam, excusabat per verecundiam tutius enim est discere quam docere, tacere quam loqui.*

Bernard.

*Non fictè sed ex conscientia dignitatibus insufficientes nos iudicare debemus.*

201 *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem?* Hoc munus vires meas excedit, indignum me tali honore iudico, sed quotnam habentur, quibus si dignitates offeruntur, asserunt se eis suscipiendis insufficientes esse ad huiusmodi onera ferenda, viros non habere, tamen in rei veritate se ad majora esse natos arbitrantur, an in eorum numero noster est adscribendus; hanc honoris legationem renuens? Nequaquam equidem, non enim fictè, sed ex animo tali munere obeundo indignum se autumat, *bonum quidem*, inquit Rupert. *& imitatione dignum humilitatis exemplum, Deo vocante ad tam gloriosum tantumque ministerium dicere, quis sum ego? vt pro conscientia vel pro æstimatione ipsius*, subaudiatur nullus.

Rupertus.

*De Deo fidamus, de nobis diffidamus.*

*Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem?* Quasi
202 diceret indignissimus, & nullus: ecce de suis viribus diffidens, agnoscit suam ad tale munus obeundum infirmitatem, sed nonne à Deo vocatus venisti? nonne à Deo ad hoc munus assumeris? an de Dei vocantis electione? an de Dei mittentis potentia diffidis? cur ergo à Deo vocatus, à Deo missus, infirmitatem tuam obiicis? quia de nobis, quasi nullius essemus virtutis, diffidere debemus, posita nihilominus semper in Deo fiducia nostra, quod obseruat Richard. Victor. lib. 1. de Erud. part. 2. cap 21. *De B. Iob qui dixerat cap. 7. desperaui, nequaquam tam viuam, desperasse se dicit, sed dubitat forte de quo, de Domino an de seipso, quod alibi dicat, & agnosce, quam fortiter in Domini confidentia fixus manebat, etiam si occiderit, in ipso sperabo, sperat itaque, sed de Domino, desperabat nihilominus, sed de seipso*, en fiducia & diffidentia simul tenebatur, vt Deum spectabat, sic firmiter Deo fidebat, vt nihil non auderet in illo, vt ad se oculos conuertebat, sic diffidebat, vt vitali cuilibet actioni valediceret.

Richardus Victorinus Iob 7.

*In obsequio Dei præstando, difficultates somniamus, in offensis illius nullas.*

*Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem?* Ecce 203
Moyses iussus in Ægyptum proficisci ad liberandum populum Israël præ timore periculorum, diu quidquid erat officij, detractauit, & nunc causabatur suam impotentiã, nunc suam ruditatem & ineloquentiam, nunc populi incredulitatem, nunc aliorum industriam, qui magis quam ipse, idonei essent ad peragendum illud ministerium: ecce Moyses somniabat sibi maxima nescio quæ pericula, si obiret munus liberationis Ægyptiacæ, ad quod à Deo vocabatur, & sic renuit legationem obire. Nonne Numero 20. dixit ipsimet Moysi, vt loqueretur ad petram, quæ eo loquente aquarum copiam datura erat, quod tamen non credidit dicens, *num de hac petra nobis aquam poterimus eiicere?* quomodo si tanta pericula in legatione subeũda apud Pharaonem reperire credidisti, nulla in verbo Dei non credendo reperisti, quamuis plurima essent, in munere autem illo obeundo nulla? quia in obsequio Dei timere solemus, ne multitudine aduersitatum obruti pereamus, & interim in obsequio illi non reddendo, omnia nobis tranquilla & pacifica somniamus, cum tamen perspicuè cognoscamus Dominum Deum nostrum obsequentibus sibi omnem benedictionem largiri, nequaquam autem sibi contradicentibus.

Numero 26.

*Virginis sanctissimæ vmbra principum humilitas & aliæ virtutes.*

*Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem?* Maxima 204
sane humilitas in homine, oblatas à Deo dignitates, quarũ quilibet cupidissimus est, non admittere, sed non solum eius humilitatem attente consideremus, sed etiam alias eius virtutes inspiciamus. Nonne magnus Princeps, summa illustris prudentia, summa præditus iustitia, longanimis patiens, mitis, abstinens, rerum terrenarum neglector, imo & sui, rexit prudentissime Hebræorũ populum duræ ceruicis: sed vnde habuit, vt tam perfectus dux euaserit? vt tam mirabilis, insignisque populi ad idola facile fluentis, rector ac legislator, tantæ humilitatis, & tot clarus virtutibus? pende locum in quo electus est Moyses, in populi principem, cum in deserto apparuisset ei Deus: in medio rubi populi princeps electus est. rubũ audis, ad Virginẽ animum verte, cuius ille rubus, vt diximus, figura fuit, ad

Virginis igitur vmbram ac simulachrum A factus est Moyses populi dux, non mirum si tantus euaserit, si tam humilis, si tam insignis, si tot virtutibus clarus euaserit. audiendus hic S. Ioan. Damas. orat. 2. de Assumpt. Virginis, qui considerans Moysem ad rubi præsentiam, in Hebræici populi principem designatum, in hæc verba prorumpit. *Per simulachrum quoddam & vmbram Mariæ tantus legislator & princeps creatus est.* En vt à rubo, à Virgine, cuius ille rubus figura erat, hausit Moyses animos, virtutesque, quibus tam insignis euasit, tamque perfecte sui muneris hausit dignitatem.

B Ioannes Damasc.

### *Deo non auxiliante nihil possumus.*

*Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem?* Quasi
diceret, nullus sum, nonne potens viribus? non- 205
ne prudentia pollens? nonne populo gratus Israelitico, qui sciens te suum rectorem esse constitutum, in omnibus, quæ ei in ordine ad suam libertatem obtinendam, præcipies, obtemperabit, arma sumet, & quocumque duxeris, sequetur? cur ergo ais te nullum esse? quia sine Dei auxilio se considerat, qui autem eo destitutus est, nullus censendus est: ita Vener. Beda, *quis sum ego? quasi dixisset, nihil possum sine auxilio Dei.*

Venerabil. Beda hic.

## *VARIETAS LECT. Vers. 12.*

*Vulg.* Qui dixit ei, ego ero tecum, & hoc B habebis signum quod miserim te, cum eduxeris populum ex Ægypto, immolabis Deo super montem istum.

*Sept.* Dixit autem Dominus Moysi dicens, quia ero tecum, & hoc tibi signum, quia ego te mittam, cum eduxeris tu populum meum de Ægypto, & coletis Deum in monte isto.

*Cald.* Quia erit verbum meum in adiutorium tuum, & hoc tibi signum, quod mitto te, cum eduxeris populum de Ægypto, seruietis coram Domino super montem istum.

*OnK.* Quoniam verbum meum erit robur tuum &c. cultum facietis coram Domino in monte isto.

*Vatab.* Profecto ero tecum.

*Nobilius*, in quibusdam codicibus est τὸ ὄρος τῦ θεῦ montem Dei.

## *CONCORDIA.*

Verum est in Hebræo esse כי Ni, quod etiam potest interpretari *profecto*, Vulgatus legit populum meum, pronomen autem meum desumpsit ex Septuag. non autem ex Hebræo C immolabis Deo, Hebraice est תעבדון tahabdun coletis seu seruietis, Habad Hebraice non tantum immolationem sed quemlibet alium diuinum cultum significat, vulg. autem loquitur in singulari immolabis, loquens de Moyse tanquam duce vice totius populi, alij autem in plurali pro toto populo, qui Deo seruiturus, in monte hoc legem Dei audiuit seruandam, si autem mons Dei appellatur, ideo est quia pluries in eo Deus apparuit.

## EXPOSITIO.

Ego ero tecum, tibi opem feram in cunctis, quæ adhoc peragendum munus oportuerit, & viribus ad agendum & verbis ad persuadendum adero. *& hoc habebis signum quod miserim te,* in signum futuri, scilicet quod in terram bonam & spatiosam introduces, & præteriti signum, idest memoriam quod tecum fuerim in liberatione filiorum Israel, alij pronomen *hoc* referunt ad antecedentia, hoc modo, præsentia hæc mea, qua tibi tanto miraculo in rubo apparui, erit tibi certum argumentum, quod ego te miserim, vel cum videris populum à seruitute Ægypti ereptum, & mihi in hoc monte Horeb immolantem cognoscas, quod ego te miserim.

## CONCEPTVS.

### *Deus, vt auctor alicuius eximij operis, agnoscendus.*

206 *Ego ero tecum, & hoc habebis signum quod miserim te.* Quærunt interpretes, quodnam fuerit hoc signum à Deo exhibitum, ex quo Moyses intelligeret se aptum fore tantæ legationis ministrum, & tanti exercitus ductorem? an prodigium aliquod rarum, quale dedit Gedeoni Iudic. 6. Ezechiæ 4. Reg. 10? sed nullum ex his in littera profertur, quid ergo? apte mihi videtur, & nostro conformiter conceptui Burgensis respondisse, *inhabilitas, (inquit) seu debilitas Moysi, quam Deo ostendebat ad excusationem* D *suam, erat intenta à Deo, vt esset signum manifestum de hoc, quod ista eductio fieret à solo Deo*, adeo enim proprium est diuinæ potestatis paruis magna operari, vt nullum esse possit manifestius signum alicuius operis exequendi, quam quod ad illud exequendum, infirmum aliquod instrumentum adhibeatur, vnde quo Moyses inhabilior ad persuadendum videbatur, eo efficacius & domesticis & externis persuasurus dicebatur.

Episcop. Burgensis.

### *Cum Deo quid non exequemur?*

*Ego ero tecum*, quid tibi renuenti polliceris? 207
auxilium tuum, nonne suam agnouit infirmita-

tem? nonne suam confessus est imbecillitatem, se non idoneum tanto oneri subeundo, apud potentissimum principem legationis subeundæ incapacem, & non præstare viribus, ad populum ex Ægypto educendum? cur ergo homini pusillo & imbecilli, tuum polliceris auxilium? quia eo innixus, quid non arduum, quid non difficile exequetur? quem non mouebit lapidem? [Oleast.] *nullus est inhabilis*, (inquit Hierony. ab Oleast.) *cum quo Deus est ad quodcumque munus etiam si aliàs talis nullus habilis ad quidquam sine Deo.*

### *Missionis signum habendum.*

208 [Lusitan.] *Ego ero tecum, hoc habebis signum quod miserim te.* Cur missionis signum ab eo vis exhiberi? nonne satis est à te missum fuisse? dicat se à tua auctoritate diuina legationem habere. merito non solum se missum dicit, sed suæ missionis signum vult habere, eo enim legitima censeri debet, *vbique illusio dæmonis timenda est* annotat Oleast. *& signum missionis expectandum, vnde quantumcunque se quis dicat nuntium Dei, nisi hoc aliquo docuerit signo, non illi est fidendum.*

### *Deus suorum famæ & honori consulit.*

209 [Cardin. Caietan.] *Ego ero tecum, hoc habebis signum quod miserim te.* Quodnam? an rei futuræ signum prænosticum, quod rem antequam sit, elucidet, euenturam? an signum demonstratiuum, quod rem in præsenti demonstret, vel rememoratiuum, pertinens ad præterita? ita videtur. nã Deus ait, cum eduxeris populum meum ex Ægypto, immolabis Deo super montem. cur missionis suæ signum hoc vult exhiberi, nempe immolationem & sacrificium? aduerte plures attendentes quod opus arduum, quale erat eductio populi Israelitici ex Ægypto, perfecerat prodigiis insolitis, quorum tamen ad instar aliqua à Magis Ægyptiis etiam perpetrata fuere, potuissent dicere, ipsum Moysem incantationibus, & malis artibus tanquam dæmonis organum, & magum hanc eductionem populi adimplesse: aduerte similiter non proprium esse Magorum, sed Dei seruorum, ipsi sacrificium offerre. prudentissimè igitur, hoc signum vult ab eo exhiberi suæ missionis & legationis, nempe sacrificium & immolationem, vt suo honori & famæ sic consultum esset, hoc annotat Card. Cajet. *est sermo de signo quo cognosceretur, quod Moyses est missus à Deo, ac si apertius fuisset dictum, ex hoc quod subiungam, erit signum tibi velut character tuus erit signum, quo cognosceris ab habentibus mundos oculos quod ego misi te, quod non malis artibus aggressus fueris opus eductionis filiorum Israel de Ægypto, sciebat enim Deus non defuturos qui dicerent Moysem magicis artibus miracula fecisse quibus eduxit filios Israel de Ægypto, & propterea prævenit dando signum quod ab habentibus oculos non ægros cognosceretur Moyses à Deo, cum eduxeris enim populum meum ex Ægypto missus immolabis Deo super montẽ istum, quod quidem signum quod Moyses non malis artibus sed à Deo missus eduxit populum. malæ enim artes non ducunt ducem populi ad seruitutem veri ac supremi iudicis, cui peccata omnia displicent, omneque seruitium peccato omnia adducto sancitur.*

### *Deus ex suis beneficiis primo gratitudinem à nobis requirit.*

210 [Rupert.] *Ego ero tecum*, ac si dicat etsi te nullum arbitreris, ego Dominus qui Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, ego inquam ero tecum in ore tuo, verba proferens, & in manu tua signa faciens, ex hoc inquam significabitur omnibus, quod ego miserim te, sine quo non potest homo quidquam facere, proinde postquam eduxeris populum meum ex Ægypto, immolabis Deo super montem istum: cur à Moyse primo exigit sacrificium, quam quidquam aliud? quia de suis beneficiis, primo à nobis Deus gratitudinem requirit. fauet Rupert. *& præsens, non ingratus visionis, sed agendarum memor gratiarum, immolabis Deo super montem istum.*

### *Medio tutissimus eris.*

211 [Citatus Abbas. Isaiæ 6.] *Ego ero tecum*, sic cum Deus renuentem suo prouocat auxilio, dixerat enim quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel ex Ægypto? ecce vt hoc munus legationis obire detrectat, aliter se gessit Isaias, cum Deo quærenti, quem mitteret, dixit, ecce ego, mitte me: an vel exemplum Moysis vel Isaiæ sese missionis officio offerentis sequi debemus? recte satisfacit cit. Abb. *bonum est hoc & imitandum placidæ humilitatis exemplum est, verumtamen nec illud contemnendum, & quidam eiusdem, idest prophetalis ordinis vir, magnam & ipse videns visionem, scilicet Deum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, eidem Domino percunctanti, quem mittam? continuè & alacriter se offerens, dixit, ecce ego, mitte me: cum igitur quis vocatur à Spiritu sancto, vt mittatur contra Pharaonem, id est contra Diabolum, scilicet vt aliquo fungatur ministerio salutis animarum, sic inter hos viam teneat regiam, vt non declinet siue ad dexteram, siue ad sinistram, videlicet vt nec nimius sit, dicendo quis ego, vt eam? nec importunus vociferando, ecce ego mitte me, nam hinc pertinacia, hinc præsumptiones cauendum est vitium.*

### *Præsentia Dei ab omnibus nos reddit securos & omnium victores.*

212 [Psal. 26. Baptista Folengius.] *Ego ero tecum*, hoc dixit Deus Moysi, Pharaonem Regem conuenire iusso. sed quis priuatus homuncio Regem sibi offensum, suosque vsque ad internecionem persequentem audeat aggredi? sane dementiæ vel maximæ temeritatis esset argumentum, quomodo ergo priuato homini, pastoritio muneri addicto, præceperat Deus Regem sibi infensissimum aggredi, & consulere innumerum populum quem seruituti addixerat, & sibi vtilem in ciuitatibus ædificandis, & aliis muniis obeundis, manumittere, extra suum dominium & iurisdictionem? quia suam præsentiam ei pollicebatur, se suum adiutorem, & protectorem futurum, qui autem secum Deum habet præsentem, nonne ab omnibus securus redditur & audax, omnium etiam potentissimorum victor euadet? hoc annotauit Bap. Folengius explicans illa verba Psal. 26.

Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo, *videt*, inquit, *secum periculi magnitudinem, in qua versatur, reputantem, sed spe fultum nempe Dei præsentis, quidquid contemnentem, ille ait qui mihi in præteritis & his difficillimis rebus adfuit, & qui me toties in obscurissima ærumnarum nocte prouolutum, in gratissimam consolationis lucem euexit, salutemque attulit, is & mihi modo aderit, quem igitur timebo? quem expauescam? quas acies? quos gladios? quæ vulnera? quos cruciatus verebor, cum Dominus sit mihi in nocte lumen, in periculis salus, in morte vita? non certe ipsas quoque inferorum tenebras, terramque hominum peccatorum caliginem pertimescam, eius sanctissimo lumine perlustratus, à cuius radiis vniuersus hostium meorum cætus: veluti à tormento æneo discussus, propelli solet.*

*Qui instinctu Dei aliquid suscipit, non potest non fœliciter exequi.*

*Ego ero tecum*, si semel renuit hanc difficilem obire legationem, cur eum adhuc prouocas ad illam suscipiendam? quia cum eo ero, idest cum instinctu meo eam susceperit, non poterit non fœliciter omnia ad effectum perducere, *cum præsentiam mei numinis* (inquit Auctor Cat. Græc. in Exod.) *videbis cuncta tibi fœliciter contingere, nihil obstare quominus euadas*, en qui aliquid Deo monente aggreditur, fœlicissime perficiet! 213 Auctor Catenæ Græc.

## *VARIETAS LECT. Vers. 13.*

V*Vlg.* Ait Moyses ad Deum, ecce ego vadam ad filios Israel & dicam eis, Deus Patrum vestrorum misit me ad vos, si dixerint mihi quod est nomen eius? quid dicam eis?

*Sept.* Ecce ego exibo ad filios Israel, & dicam ad eos; Deus Patrum nostrorum misit me ad vos, interrogabunt me quod ei nomen? quid dicam ad eos?

*Pag. & Cald.* Et dicent mihi.

## EXPOSITIO.

E*Cce ego vadam*, ex præscripto tuæ auctoritatis, *vadam ad filios Israel*, videtur adhuc renuere legationem ad Pharaonem, sed solam eam suscipere, quæ est ad filios Israel, tanquam faciliorem, *& dicam eis Deus Patrum vestrorum misit me ad vos*, scilicet vt vobis aperiam futuram vestram libertatem, *si dixerint quod est nomen eius?* satisfactum iam erat Mosi per signum immolationis paulo ante datum, nunc Moses laborat, quomodo satisfaciat populo, rogatque nomen se legantis, quod dictis suis præferat, quoque maxime velit appellari Deus apud Israelitas vt illi fidem adhibeant.

## CONCEPTVS.

*Dei præsentia ad obedientiam nos prouocat.*

214 E*Cce ego vadam*, nonne paulo ante dixeras, quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel? quasi diceres nullus sum, nec mihi satis est elegantiæ, vt Regem Ægypti conueniam, nec satis virium vt educam populum Israelitarum innumerum ex Ægypto, Rege contradicente; quomodo ergo nunc ad iniunctum munus obeundum, te promptum & paratum asseris, cum antea renueris? quid ei dixerat Deus, ego ero tecum, quid mirum igitur, si libenter obtemperat? Dei enim præsentia ad promptam nos prouocat obedientiam, fauet Abul. *quia Deus dixerat Moysi, ego ero tecum, idest adiuuabo te quasi confidens in benignitate & potestate Dei, noluit amplius se excusare, sed promptum se exhibuit dicens, ecce ego vadam.* Abul.

*Naturæ dignitatem celebritas nominis ostendit.*

215 *Ecce ego vadam, si dixerint mihi quod est nomen eius? quid dicam eis?* nonne Deus incomprehensibilis, qui nec nomine nec definitione terminari potest? quod enim nomen excogitabitur adæquatè eius naturam explicās? vult tamen sibi compertum esse, eo modo quo potest explicari, ex nomine volens eum agnoscere, quasi existimaret nullum fore nominis ac naturæ dissidium, optimeque ex celebritate nominis, naturæ dignitatem arguendam, vnde Oleast. *considera* (inquit) *hic prudentiam Moysis, qualiter voluit mittentem ex nomine agnoscere, existimabat enim nomen rei correspondere debere.* Oleast.

*Debemus non solum certi esse de aliqua veritate, sed eam aliis persuadere?*

*Ecce ego vadam, si dixerint mihi quod est nomen eius? quid dicam eis?* Nonne tibi compertum habes, eum qui tibi loquitur in rubo, Deum esse creatorem cœli & terræ? cur ergo ignoto illius nomine, populū Israeliticum non cōuenis? futuramque suam libertatem aperis? nonne tibi præcepit hoc ei aperiendum? quid bona differs nuntia? quo te libertatē adepturi excipient gaudio? differt tamen, quia licet in dubium reuocare non possit, quin Deus ei apparuerit, tamen hanc veritatem nescit quomodo eis aperiat, si fidem nolint sibi adhibere, & ideo nomen eius quo ei specialiter innotescere possit, requirit, *ea est sententia Moysis*, inquit Caiet. *quod ad me quidem attinet certus sum, nunc me dimittens ad* 216 Caietanus.

*liberandum populum Israel vocatum: sed non video quomodo Israelem possim inducere, vt credat me ad hoc officium destinari, dicent: Dominum non apparuisse mihi, dicent me narrare somnia capitis mei, quare si vis vt vadam ad educendum Israelem ex Ægypto, necesse est vt maiestatem tuam mihi reueles, & cognitam tradas, vt possim eam Israelitis manifeste ob oculos ponere, & incredulis sensibiliter obtrudere,*

*Mira fuit semper Iudæorum incredulitas.*

217 *Ecce ego vadam, si dixerint mihi, quod est nomen eius?* Non est dubium quin in votis habuerit populi sui ex Ægypto libertatem, cum quantis opprimeretur malis sibi compertum foret, cur ergo hanc adhuc difficultatem, vel quasi subterfugium Deo obijcit? quia cognitam habebat sui populi incredulitatem, qui non nisi sensibilibus signis fidem adhibere deberet, & nomini diuinitatem denotanti, idem censuit Procop. inducens Deum Moysi loquentem, *ego ad hoc honoris fastigiũ te proueho, vt fungaris ducis munere, in asserendo in antiquam libertatem populo Israelitico: proinde noli hanc quam tibi mando recusare prouinciam, causatus populi intractabilem duritiem, imo si petulanter & proteruè interrogauerint quis te nobis principem & iudicem dedit? responde nulla circuitione vtens & libere dicito Deus Patrum nostrorum ad hunc honoris apicem me scandere fecit: Moses non est dubiũ, imo certe constat, dies noctesque id agebat quo pacto posset seruitutis intolerandæ iugum demere populo Israelitico, cum per se id meditaretur, quis dubitat, porro quam libenter paruerint Deo mittenti? verum hoc angebat virum, eumque tergiuersari compellebat, quod parum constabat quibus argumentis fidem facturus esset populo, illi se à Deo in vindicem & assertorem missum esse non verebatur Aegyptios, intractabile suæ gentis ingenium virum bonum deterrebat, proinde ait non de Aegyptiis verba faciens, sed de Hebræis dicens, percunctabuntur quod tibi sit nomen, his verbis conspicuam iam tum reddit Iudæorum incredulitatem.*

*Ita Deus ineffabilis vt nomen eius explicari non possit.*

218 *Ecce ego vadam, si dixerint mihi quod est nomen eius?* Vis ergo tibi nomen Dei cognitum esse, vt illud populo aperire possis incredulo, sed ô Moses, nonne Deus ineffabilis, & ab humana mente incomprehensibilis? cur ergo nomen eius inquiris? inquirit eo modo cognitum habere quo potest exprimi, non enim adæquatam eius rationem postulat, vnde Euseb. apud Lippom. *nomen Dei quæris ô Moses, & quis illum denominauit? quis enim prior illo fuit vt discas appellationem? quis vero illi similis fuit, vt id faceret? eius qui nullo nomine explicari potest nomen quæris.* & Euagr. apud Socrat. *ego quidem diuinitatem definiendam esse non assero, ideoque silentio tantum oratione adorandam, quia ineffabilis est.* Euseb. Cæsar. Euagrius.

*Rationem legationis nostræ reddere debemus.*

*Ecce ego vadam, si dixerint mihi, quod est nomen eius?* Cur semper tuæ legationis obeundæ quæris subterfugia? nonne ab ipso Deo ad hoc munus es euectus? nonne ab eodem missus? propera, quandiu enim tergiuersans detineris, tui populi differtur libertas, ne ergo quid ipse interrogaturus sit, curiosius perscrutare? prudenter equidem de omnibus vult certior fieri, rationem enim legationis nostræ, iis ad quos mittimur, reddere debemus ne tanquam insufficientes arguamur, quod notat Irinæus Antioch. in catena, *in meipsum intuens, Moyses dubius animi sum, & consilij inops cum dicturus sim ad vniuersum populum, Deus Patrum misit me ad vos, verborum pondera cum mea imbecilitate conferens, anxius admodum sum, statim enim illi ad me dicent, Deum Patrum nostrorum ad nos te allegasse dicis, nomen ipsius si ita est, nobis explica.* 219 Irinæus Antioch.

*Famæ nostræ consultum esse volumus.*

*Ecce ego vadam si dixerint mihi, quod est nomen eius?* Quasi diceret, mihi omnino ignotum est, & ideo quærenti populo, qua voceris appellatione, satisfacere non potero; licet satisfacere non possis, quid tibi curæ? nonne à Deo missus? legatione tua fungeris, Dei est hanc reddere prosperam, cum quod tui muneris fueris executus: nihilominus quo Deus vocetur nomine, quærit, ne à populo de eo quæsitus, & eius rationem non reddens, suæ famæ detraheretur, & tanquam impostor crederetur, consentit Philo lib. 1. de vita Moys. *non ignarus tribules suos cæterosque omnes haudquaquam his dictis credituros, quod nomen eius qui misit me nec dicere potero, nonne impostor videbor?* en vt suæ vult consultum esse famæ. 220 Philo Alexan.



## VARIETAS LECT. Vers. 14.

VVlg. Dixit Deus ad Moysem, ego sum qui sum, ait, sic dices filijs Israel, qui est misit me ad vos, *ita apud Sept.*

*Cald.* Dixit Deus ad Moysem, ero qui ero, & dixit sic dices filijs Israel, qui ero, misit me ad vos.

*Pag.* Ero misit me ad vos, *ita OnK.*

*Oleast.* Erit misit me ad vos.

*Iust.* Ego sum ille ens.

*Aly.* Ero quia ero.

## CONCORDIA.

VErum est Hebraicè esse אהיה אשר אהיה eie aser eie, vbi Vulg. legit de præsenti ego sum qui sum, sed idem est, quia Hebræi vsurpant futurum pro præsenti, vbi consuetu-

S. Iustinus. do, continuatio aut perseuerantia rei significatur; & ita Hebræis ero qui ero, idem est quod nobis, sum, qui sum, S. Iustin. in exhort. contra gentes, legens ἐγώ εἰμι ὁ ὤν ego sum ille ens, quod ens tria complectitur tempora, qui legunt ero quia ero, ideo est quia putant dictionem אשר ascer non relatiuam sed coniunctiuam, sed aij tanquam causalem explicant, vt innuant rationem dictionis ero, quia scilicet ero absque fine, indicare volens alios deos sicut incœperunt ita & pro tempore finiendos, at Deus nunquam desinet esse.

## EXPOSITIO.

Ego sum qui sum, est nomen diuinæ naturæ & essentiæ, per hoc enim primo ostenditur, quod Deus semper est, nec enim incœpit nec desinit esse, nihil apud ipsum præteritum, nihil futurum, sed semper præsens, quemadmodum etiam Christus Dominus ait, antequam Abraham fieret ego sum: secundo ostenditur in hoc verbo, quod Deus à nullo alio est, tertio quod dat omnibus esse, & conseruari, hoc igitur verbum differentiam ostendit, primo inter verum, & falsos deos, hi quidem dicuntur dij, sed non sunt, ille autem & dicitur & est Deus, secundo etiam ostendit naturam inter Deum & creaturas, creaturæ enim incipiunt & desinunt esse, Deus autem semper est à se, incommutabiliter & in æternum permanet. non displicet mihi quod ait noster Lyran. qui existimat hanc lectionem ego sum, esse eandem cum illa Hebraica ero qui ero, & per vtramque idem significari, videlicet necessitatem essendi, & æternitatem, & immutabilitatem per omnem modum; quæ est conditio propria & singularis ipsius Dei, omnia enim alia eo ipso quod sunt de nihilo habent principium sui esse, & sunt vertibilia in nihil, quia substracta manutenentia diuina, caderent in non esse, & ideo non esse conuenit eis quantú ex se, sed habent esse à Deo, sicut scriptum est Isaiæ 41. ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo quod nihil est, *sic dices filiis Israel*, quærentibus nomen meum, *qui est misit me ad vos*, id est ille qui habet suum esse à se, & non ab alio, sicut quælibet creatura, misit me ad vos. Isaiæ, 41.

## CONCEPTVS.

### *Solus Deus vere consistens.*

221 *Ego sum qui sum, dices filiis Israel, qui est misit me ad vos.* Nonne aliud quodlibet ens cum sit, ens est, cum habeat suam essentiam & existentiam, & ita dicenti Moysi qui est misit me ad vos, potuissent obijcere, quilibet ex nobis est? nihil tale obiiciunt, nam hoc nomen Dei velut proprium est, quod illum describit, & à rebus omnibus creatis discernit; reliqua enim omnia non sunt absolutè, sed fluunt, & qui illa amat, oportet vt cum illis effluat, vnus est Deus qui sibi consistit, & perpetuam habet consistentiam, subiicio verba Rupert. lib. 1. cap. 14. *præterea non solum multitudini illorum qui non sunt, sed omni vniuersitati creaturarum se eximit creator dicendo, ego sum, quid enim? nunquid aliquid eorum quæ sunt simpliciter & absolute esse dicenda sunt? non vtique quia nihil eorum simplex vel incompositum est.* Rupertus Abbas.

### *Crux diuinitatis index.*

222 *Ego sum qui sum, dices filiis Israel*, qui iam incredulitate laborant. Sed quæso, expendamus quædam verba Christi Domini dicta eisdem, qui cum aduersus obcæcatas eorum mentes & obdurata pectora pugnans, nullum non lapidem mouisset, vt suam illis diuinitatem suaderet, dum prius & seipsum lucem mundi, hoc est fontem vitæ, æternamque Dei sapientiam humanarum mentium illuminatricem appellauit: & paulo post quis esset, interrogatus, respondit principium qui & loquor vobis, ac si apertè diceret, mundi artificem & rerum omnium, principium Deique verbum se esse, vt ad ea verba monent Patres, & August. lib. 5. de Trinit. cap. 13. inquiens creatorem se quippe dicere voluit, cum se dixit esse principium, sicut & Pater principium est creaturæ, eo quod ab ipso sunt omnia; nec tamen cæci illorum animi, in eius fide quidquam proficerent, tandem vt extremo morbo extremum adhiberet remedium, ac densissimis incredulitatis tenebris, ipsam inter solis rotam obijceret, emphaticè inquit, cum exaltaueritis filium hominis, tunc agnoscetis, quia ego sum; *perinde fuit*, inquit August. tract. 40. in Ioan. *ac si diceret, recolite illud ego sum qui sum, Exod. 3. & cognoscetis quid sit dictum, ego sum, differo cognitionem vestram, vt impleam passionem meam, ordine vestro cognoscetis qui sum, cum scilicet exaltaueritis filium hominis, exaltationem autem crucis dixit, quia & ibi exaltatus est, quando pependit in ligno: hoc oportebat impleri, per manus eorum qui postea erant credituri.* Pende illud *ordine vestro cognoscetis*, quasi ad diuinitatem Christi cognoscendam, nihil ordinatius & aptius, quam crux fuerit, cum post plurima argumenta, quibus Christus Dominus persuadere voluit suam diuinitatem Iudæis, tandem illud desumit, cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, nempe ille qui misit Moysem ad progenitores vestros, cum hoc nomine mei declaratiuo, ego sum qui sum. S. August.

### *Satius videtur duos deos concedere quam vnum mutabilem.*

*Ego sum qui sum, dices filijs Israel.* Quibus verbis hic potest esse sensus; ego illum me rebus 223 me exhibeo, quem verbis & signis me esse profiteor, atque promitto, nec more hominum, qui hinc inde fluctuant, non alius videor, alius sum, nonne potes alius videri & alius esse? ad veræ

deitatis rationem & naturam adeo necessariam A.
Tertull. credidit incommutabilem, vt existimauerit Tertullianus vt cum illi semper fuerit insitum, duos deos concedere, vt Deum è medio tollere, atque negare, priusquam duplicem facere animose maluerit lib. 1. contra Marcion. *in principio*, inquiens, *veritas Christiana distinctè pronuntiauit; Deus si non vnus est, non est, quia non dignius credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, vt esse debebit*. Præ comparatione tamen Dei simulatoris & mutabilis, qualem & Hæretici volebant obtrudere, libentius eam duorum Numinum indignitatem deuorandam, & duorum dominorum pondus tolerabilius sustinendum iudicabat: agebat siquidem aduersus Praxeam Patris & filii personas, munia, atque ipsa nomina confundentem peculiari libro aduersus Praxeam cap. 13. & vt insanum Hæretici errorem labefactaret, singulas locutiones in quibus siue B Pater de Filio suo loquitur, siue Filius de Patre, velut indice ostendit luculenter, explicabat vnam personam ab altera scitè discriminans: huic vero luci eas tenebras amens ille Praxeas immiscere tentabat, vt eadem omnino persona pro rei opportunitate, iam Patrem, iam Filium se nominaret, sed cum quo se Hæreticus tutabatur, murum, ille grauissimæ huius sententiæ pondere elisit, tolerabilius erat duos diuisos, quam vnum Deum versipellem prædicare.

### *Qui à Deo recedit, ad nihilum tendit.*

224 *Ego sum qui sic sũ dices filiis Israel.* Ego sũ ille ius esse est permanens, imo immutabile. Con-
Sapient 2. sulamus locum Sapient. 2. vbi impij homines, qui totos se delitiis & voluptatibus addicere festinabant, ingenue profitentur, & peritism arte credendum est, dicebant post hoc erimus C tanquam non fuerimus, ac si dicerent, dignitatem, splendorem, imo & essentiam nostram amittemus, non secus ac si in rerum natura nunquam extiterimus. reddunt rationem, quoniam fumus flatus est in naribus nostris, & sermo scintillæ ad commouẽdum cor nostrum, qua extincta, cinis erit corpus nostrum, hoc est diuino à nobis ablato spiritu, in fauillam & in nihilum redigemur. quomodo qui secundum animam immortalis est, licet sit impius, in nihilum redigetur? quia impius & à Deo recedens à quo
Tertull. habet esse, & vt habet Tertull. lib. de anima cap. 9. recogita cum Deus flasset in faciem hominis flatum vitæ, & factus esset homo in animam viuam, totum vtique per faciem flatum illum in interiora transmissum, & per vniuersa corporis spatia diffusum, simulque diuina D aspiratione densatum, omni intus linea expressum esse, quam densatum impleuerat, & velut in forma gelasset: cum ergo ex Dei spiritu vita hominis & non aliunde subsistat, hinc est quod à Deo, qui est summum esse, recedens, necessario quasi in nihilum tẽdere debet, sic dicta pulchre explicante Petro Dami. Epist. ad Desideriũ Ab-
Petrus Damian. batem cap. 4. *quia tunc cum videbantur esse impij ad nihilum potius pertinebant, quam ad verum esse, qui enim ab illo qui vere est, recedit iuxta id Exod. 3. ego sum qui sum, necesse est vt non sit, quia ad nihilum tendit.*

### *Solus Deus verum ens.*

*Ego sum qui sũ sic dices filiis Israel.* Nonne quilibet alius est qui est? non enim alius est à se, 225
quomodo ergo in hoc nomine cognitum pro Deo populus habebit Israelita? quia solus Deus verum ens est à se, quodlibet autem est ab eo & sic non est absolute, quam bene B. Anselm. in
B. Anselm. Prosolog. cap. 22. ita disserit, *tu solus Domine es quod es, & tu es qui es, nam quod aliud est in toto, & aliud in partibus & in quo aliquid est mutabile, non omnino est quod est & quod incepit à non esse, & potest cogitari non esse, & nisi per aliud subsistat, redit in non esse, & quod habet fuisse, quod iam non est & futurum esse, quod nondum est, id non est proprie & absolute: tu vero es quod es, quia quidquid aliquando aut aliquomodo est, hic totus & semper es, & tu es qui proprie & simpliciter es, quia nec habes fuisse nec futurum esse, sed tantum præsens esse, nec potest cogitari aliquando non esse, sut tibi omnino sufficiens, nullo indigens, quo omnia indigent vt sint & vt bene sint.*

### *Deus æternus.*

*Ego sum qui sũ sic dices filiis Israel.* Quid? an aliqua creatura existens excluditur ab esse? an solus Deus se vere esse prædicare potest? quidni? 226
cum Deus, initio careat & nunquam finem est habiturus, nulla autem creatura, quæ licet dependenter, tamen à Deo finem non sit habitura, nihilominus constat initio ex nihilo sui esse. quod subtiliter annotat B. Hilar. 1. de Trinit. *admiratus sum plane tam absolutam de Deo significationem, quæ naturæ diuinæ incomprehẽsibilem cognitionẽ aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur, non enim aliud proprium magis Deo quam esse intelligitur, quia ad ipsum quod est, neque desinentis est aliquando, neque cœpti, & id, quod incorruptæ beatitudinis potestate perpetuum est, non potuit aut poterit aliquando non esse, quia diuinum omne, neque abolitioni nec exordio obnoxium est, & cum in nullo à se desit, æternitas digne hoc solum quod esset, ad protestationem incorruptæ suæ æternitatis ostendit.*
S. Hilarius.

### *Deus in se simplicissimus.*

*Ego sum qui sum, sic dices filiis Israel.* Dicas te esse bonum, iustum, misericordem, in promissis infallibilem, qui cum ab aliquibus sæculis vobis terræ Palestinæ possessionem pollicitus sit, tuis stabit promissis, quid ergo nomen ab eorum intellectu incomprehensibile proferendum à Moyse præcipis? te solum esse dicit, quamuis aliis pluribus modis esset cognoscibilis, simplicitatem enim hoc nomine denotat. consentit B. Dionys. apud Lippom. *appellauit seipsum qui est, non enim secundum aliquam quantitatem, & dimensionem est, sed simpliciter & interminabiliter, nec non totum esse in se comprehendens.* 227
S. Dionys.

### *Humilitas, fortitudo Deum constringens.*

*Ego sum qui sum sic dices filiis Israel.* Deinde aliud nomen indicauit, Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac &c. si solum vnicum 228

vnicum nomen petiit Moyses, cur duo aperit? A quis eum constringere potuit ad hanc gratiam eis impertiendam, dices virtutem Moysis, sed cum pluribus decoretur, quænam inter alios hoc potuit obtinere? reuoca in memoriam maximā eius humilitatem, cum dixit, quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem? dic ergo eam tantis viribus fuisse erga Deū, quasi constringere potuerit vt non solius nominis notitiā, sed duorū obtinuerit: obseruatio est Rupert. lib. 1. cap. 14. Abbas T.tiensis, *ad vnam percunctationem duo reddidit, quia fortis erat inquisitor, qui pulsabat, fortis inquam vera fortitudine quæ est humilitas, quæ ei vsu vel exercitio diuinæ collocutionis in tantum opus excreuit, vt fortem & iratum Deum postmodum tenere possit stans in confractu eius, in confractione cordis.*

*Dei promissis standum sine alia curiosa indagatione.*

229 *Ego sum qui sum*, Hebraicè, *ero qui ero*, aliqui tenent in his verbis, Dei nomen non exprimi. nonne Moyses eius nomen anxiè petierat, vt à quo mitteretur, compertum haberent Israelitę? quomodo ergo interroganti non respōdet? quomodo suum nomen non aperit? quomodo solū ait, ero qui ero? quia Deus vt suis stemus promissis, exigit sine alia sui curiosa indagatione: quasi diceret, nonne tibi pollicitus sum in omnibus me tibi adfuturum, à me inquiris quo nomine vocer ero tecum, ero cum filiis Israel, vt educam eos ex Ægypti tyrannide. ita secundum aliquorum Aliqui apud Lippoman, nempe Episc. Burgensis, sententiam explicat Lipp. *supra dixit Dominus ad Moysem ero tecum, idem verbum & eandem promissionem nunc repetit Deus vt inculcet eam Moysi, vt reuocet ipsum à curiosa inquisitione arcanæ naturæ Dei, ad obseruationem reuelatæ promissionis, & manifestati Dei verbi, vt sit sensus dixi antea ero tecū, quo verbo manifestissimè promisi me præsentaneo C auxilio meo adfuturum tibi, & impleturum promissiones quas Patriarchis pollicitus sum: vade igitur & sis hac manifesta promissione contentus, sufficit tibi & populo meo, vt cognoscatis voluntatem reuelationis verbi mei ero qui ero, reuelaui tibi voluntatem meam promissione quæ est ero tecum, præter hunc reuelandi modum qui est per verbum meum, alium nō assumam.* hoc dixit Lipp. ex sent. Epis. Burgensis.

*Id magis Deo propriū, quod est pluribus vtile.*

230 *Ego sum qui sum*, nonne Moyses tui proprii nominis cognitionem habere desiderat, vt à quo mittatur, possit Israelitis aperire? cur ergo nomē commune aperis? quid enim ente communius? plures enim legunt ego sum ille ens, quid communius illa suprema substantia, à qua omnia tam D cœlestia quam terrestria dependent? vnde B. August. 10 de Dei ciuit. cap. 11. ait, cum Deus, summa essentia sit, hoc est summe sit, & ideo immortalis, rebus quas ex nihilo creauit, dedit esse, sed non summe esse sicut ipse est, & aliis dedit esse amplius aliis minus, atque ita naturas essentiarum gradibus adornauit, en vt illud nomen, quod Deus assumit communissimum est cum ab eo quælibet creatura in suo gradu entitatis dependeat? cur nomen non proprium sed commune ad hoc vt in cognitionem Israelitarum veniat exprimit? sane non alio nomine vult cognitum haberi, quam ex hoc communissimo omnibus, quia nihil magis est ei proprium & speciale quam omnibus benefacere, B. Hieron. lubet hic sistere B. Hierony. cap. 3. in Epist. ad Ephes. *loquitur Dominus in Exodo, ego sum qui sum, & hæc dices filiis Israel qui est misit me ad vos, numquid solus Deus erat & cætera non erant? vtique Angeli, cœlum, terra, maria & ipse Moyses, cui Dominus loquebatur, & ipse, & Ægyptii ad quos, & contra quos princeps & aduersarius mittebatur, erant, & quomodo nomen substantiæ commune sibi proprium vendicat Deus? illa, vt diximus, causa, quia cætera vt sint Dei sumpsere beneficio*, en quo in plures venit à Deo beneficium, eo illius magis proprium est, magisque exprimit proprietatem diuinam.

*Deus ex summa antiquitate commendabilis.*

*Ego sum qui sum hæc dices filiis Israel.* Nonne 231 alia sunt nomina quibus & tuam declarares diuinam maiestatem, & Israelitis cognitum te præberes? cur nō ais ego sum primum viuens omnia ordinans & disponens, ego sum qui cœlum & terram condidi? nonne hæc omnia notissima? nonne diuinū numen referunt? cur ergo his relictis, ad hoc essendi nomen solum recurrit? aduerte omnium quæ à Deo procedunt effecta principalissimum & antiquissimum reperiri ipsum esse, primum enim omnium aduenit cuilibet rei, & vltimum omnium ab ea recedit, tum cætera sūt eius participationes, ipsū vero nullius est participatio, en quomodo antiquissimū? quid ergo mirum si illud, aliis omissis, assumat? quia solius Dei est in summa antiquitate nunquam B. Dionys. Areop. non commendationē habere. subsignat B. Dionys. lib. de diuinis nominibus cap. 5. *ante omnes alias Dei participationes ipsum esse præpositum est, & est ipsum esse antiquius quam vita, quam sapientia, & quam alia quædam similitudinem diuinam participantia, ante enim hæc omnia ipsa, esse participabant, merito igitur reliquis principalius est ipsum esse, & ex ipso tanquam antiquiori aliis Dei donis ipse Deus celebratur, enimuero & verum principia omnia ipsius esse participare, & sunt & propria sūt, & quidē prius sunt, & inde principia sunt*. deinde concludit, *primum igitur ipsius esse munus cæteris præponens, suprema illa bonitas ipso esse, vt antiquissimo primoque eius omnium participationum potissimum celebratur.* Ecce Deus ex eo quod est antiquissimus celebratur, si creaturam ex antiquitate commendare velles, potius in opprobrium eius cederet, quam in encomium, cum eius antiquitas in nihilum refundatur.

*In solo Deo spes nostra figenda.*

*Ego sum qui sum, hæc dices filiis Irael.* Quite di- 232 cente à me esse missum, vt eos à seruitute, qua in Ægypto à præfectis operum, & ab aliis opprimuntur, eripias, & in terram melle & lacte fluētem conducas, meum nomen sciscitabuntur, dices inquā, quod ego sum qui sum, quid? an eo audito poterunt sperare se ab Ægypti tyrannide liberādos, quid ni? cū Spiritus Sanctus per regiū vatem dixerit, sperent in te qui nouerunt te Domine, Psal. 9. in quæ verba ostendit B. Au- Psal. 9. B. Aug. gust. vel ipsa experientia edoctos fixuros spem & fiduciam suam in Deo, dum ipso vsu discunt nihil aliud in vita superesse, in quo sperare

B.August. possint secure, & firmiter præter ipsum Deum, sic vero habet August. *Sperent ergo in te qui cognoscunt nomen tuum cum desticerint sperare in diuitiis, & in aliis huius sæculi blandimentis, quærente quippe anima vbi figat spem, cum ab hoc mundo auellitur, opportunè excipit cognitionem nominis Dei, Dominus dicit ad Moysem ego sum qui sum, sperent ergo in te qui cognoscunt nomen tuum, non sperent in his rebus, quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes nisi erit, & fuit, quoniam quod illis futurum est cum venerit, fit statim præteritum, & expectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore, in Dei autem natura non erit aliquid, quod nondum sit, aut fuit, quasi iam non sit, sed est tantum, id quod est.*

### *Omnia præter Deum in vilissimo habenda pretio.*

233 *Ego sum qui sum hæc dices filiis Israel.* Recurramus ad illud quod dixit Iob. cap. 31. si vidi
Iob. 31. solem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè, quæ verba Sept. ita verterunt, an non videmus solem, qui lucebat, deficientem, Lunam decrescentem non autem in eis est? existimasse videntur aliqui proponi ibi à Iob peculiarem quandam rationem qua ipse vtebatur, ad contemnendam regiam dignitatem, & celsitudinis dulcedinem, sed cur ait Iob non adorasse solem, neque ipsam lunam, cum sint astra fulgentissima? quia non est in eis, ergo si in eis esset est, ipsa adorares, & ideo qui nō est in ipsis est, nullo in pretio habere volo, his enim verbis Iob testatur se nullatenus adorasse ea quæ nullam prorsus habent permanentiam, non enim in eis est, quasi dicat non habent esse, neque potest de eis dici, quod fuit, vbi Olympiod. *Non enim in*
Olympio. *eis est, sed in eo qui ordinauit & statuit vt dictum sit hoc à Iob, per allusionem ad illud quod Deus de se ipso dixit. Ego sum qui sum, at cætera dominationes & potestates fere nō sunt, cū nullibi sint, aut permaneant,* vbi Chrysost. *si ea quæ in cœlo sunt vtique lucen-*
B.Chrys. in Cat. *tia, vicissitudini tamen sunt obnoxia, sol enim deficit, & luna minuitur, an non extremæ hoc fuerit dementiæ quæ terrena sunt, tam stabilia & firma putare?* hæc nimirum causa erat cur illum scilicet Iobum humana hæc bona, neque oblectarent præsentia, neque absentia augerent, & statim subiungit, *si id vsque adeo est vtile & necessarium est, quo sublato vita est erepta mortalibus, commutationem tamen admittit, quæ tum superuacanea sunt, tum nullam nobis necessitatem adferentia.*

### *Æternorum fit reuelatio spiritualiter viuentibus.*

234 *Ego sum qui sum hæc dices filiis Israel.* Hoc nomen sicut incōmutabilitatem, & independentiam, ita & æternitatem dicit; sed quibus aperies hoc nomen? filiis Israel, cur non ait hæc dices filiis Iacob, cum idem vtrumque fuerat sortitus nomen? nonne Israel videns Deum denotatur? filii Israel igitur viros omnino spirituales denotabunt, qui visione Dei recreātur: cur hoc nomē igitur, ego sum qui sum, illis non aperiret? æternorum enim fit reuelatio iis qui spiritualiter vi-
Noster Seraph Doct. uunt: quod annotat D. Bona. lib. de septem æternitatis itineribus. *Hæc occulta reuelatio fit intellectualiter viuentibus, quia filiis Israel, & in interioribus mentis, quia interiora deserti ingredientibus.* vnde Abbas Vercell. Prologo. sup. Cant. ait, *populo Israelitico non datu nomen intel-* Abbas Vercellensis.
*lectuale, scilicet qui est, siue ens quod est, emanatio primæ existentiæ causa causalissima,* & Damas. lib. B.Damas.
1. fidei orthod. cap. 12. dicit, *quod qui est principalius est nomen omnibus nominibus Dei, quæ de Deo dicuntur, totum enim in ipso comprehendit, velut quoddam pelagus substantiæ infinitum & æternitatum, & quia illud verbum est significat præsens nunc æternitatis, eo quod ambit omnes differentias temporis, prout de Deo dicitur, ideo mentem siue intellectum à temporalibus ad æterna, à sensibilibus ad intelligibilia ducit & pertrahit, vsque ad nunc æternitatis, quod varietates temporis nescit.*

### *Primum credendum in fide est, Deum esse.*

*Ego sum qui sum hæc dices filiis Israel.* Cum 235
creatio cœli & terræ diuinitatem denotet, cur non ais ego sum creator vtriusque? vel ego sum Deus Pater, vel ego sum Filius, vel ego sum Spiritus Sanctus? cur incipis ab hoc nomine ego sum qui sum, vt cognitus habearis? quia primum credendum est in fide, Deum esse, quod his verbis intelligitur, *tria sunt tam necessaria* (in- Noster
quit Noster Bernard. Domi. 1. quadrag. de Re- Bernard. Seneńs.
lig. in prolog.) *ad credendum quod sine eorum credulitate non est homini salus: primum est credere Deum esse, secundum credere Deum esse vnicum creatorem, tertio credere Deum esse trinum & vnum, primum & radicale fundamentum omnium credendorum esse, hoc enim sublato nihil de eo creditur, propter quod ei cultus & obedientia impendatur; nullus enim honor, nullus timor, nullus amor ei impenderetur: & iterum nulla spes in eum eueniet, nulla de eo fiducia, quare nec curabitur, nec etiam cogitabitur, propterea manifestum est incredulitatem huius articuli atque negationem ipsius destructionem esse diuini cultus, & subuersionem totius ædificii Religiosi, propterea Exod. 3. ait Dominus ego sum qui sum, & dices filiis Israel, qui est misit me,* & Iob. cap. 9. *si non ille est, quis ergo est?* Iob. 9.

### *Nihil prius discat gubernator populi quam Deum esse vnum.*

*Ego sum qui sum hæc dices filiis Israel.* Cur ele- 236
cturus Deus ipsum Moysem in sui populi ducem & rectorem, summum ens esse se dicit? cur non ait populum duræ seruitutis tibi subijcio, coërce eum pœnis & suppliciis, vt ad meliorem mentem redeat, qui autem ex eis virtuti studuerint, præmiis remunera, mercede enim & supplicio rectè gubernatur respublica: merito tamen ante hæc omnia, dicit se summum ens esse, prius enim rector populi scire debet Deū vnum esse, & eos qui suo sunt sub imperio, de eadem veritate instruere: huc decurrit B. Iustinus in B Iustinus.
serm. exhor. ad gentes, *Deus* (inquit) *sciens non esse veram de multis diis opinionem, extirpaturus eam velut molestum morbum ex anima, Moysi ante omnia se ostendens, ait ego sum ille ens, oportebat enim opinor futurum Hebrææ gentis Imperatorem & ductorem nihil prius quam verū Deum discere, quo circa cum primum ei apparuit, hoc eum docuit, deinde allegans eum ad Hebræos, iubet idem nuntiare ipsis, & dicere illis qui est misit me ad vos.*

*Qui cum Deo incommutabili est, nihil habet timendum.*

137 Matth. 14. *Ego sum qui sum, hæc dices filiis Israel.* Quæso consulamus, quid B. Petrus responderit Christo Domino, qui vt credulitatem & fiduciam ipsius & aliorum Apostolorum firmaret, dixerit, confidite & habete fiduciam, ego sum: tunc ille, Domine si tu es iube me venire ad te super aquas, quid? nonne ex corporis pondere demergeris? nonne iamjam cum in naui esses, timore percussus exclamasti Phantasma est? quomodo nunc omni timore seclusо, etiam super aquas sine vllo submersionis periculo incedere audes? nonne dixerat Christus Dominus super aquas ambulans ego sum? quid mirum igitur si Petrus hoc audiens non timet se aquis committere? qui enim cum Deo incommutabili est, nihil habet timendum, quod non obscure docuit A B. Pasch. lib. 7. in Matth. *quoniam qui confidentiam amisit, & hæsitat, iuxta Apostolum Iacob. 1. similis est fluctus maris, ego sum inquit, nec subiungit quid sit vel quis sit, quia profecto ex voce sibi notissima poterant eum quisnam esset intelligere, qui per obscuras noctis tenebras vel crepuscula loquebatur, nouerant enim illi hanc esse familiarissimam ei sententiam, & ideo ait, ego sum qui sum, ac si patenter diceret, ego sum ipse, qui sũ & nominor, vt vos putatis, me phantasma esse: nec dubium quin ipsum esse retinebant animo, quem loquutum olim ad Moysem nouerant ego sum qui sum, hæc dices filiis Israel, & qui est misit me ad vos; ad quam sane vocem Petrus cum audisset, Ego sum, consonanter respondit, dicens; Domine si tu es iube me venire ad te super aquas: senserat enim in eo quod ait ego sum, ipsum esse, qui est* B *semper essentialiter idem esse & ideo ait, si tu es, ac si diceret; quia si tu es quia semper cum Patre vnus idemque es, iussio tua exhibitio est virtutis, quoniam omnipotens es.* Iacob. 1. Paschal.



## *VARIETAS LECT. Vers. 15.*

*Vulg.* Dixitque iterum Deus ad Moysem, hæc dices filiis Israel, Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos, hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem.

*Sept.* Hoc est nomen meum æternum, & memoriale generationum generationibus.

*Oleast.* Hæc memoria mei in generatione & generationem.

## EXPOSITIO.

*Dominus Deus Patrum vestrorum.* Quem semper coluerunt tanquam verum Deum Patres vestri, *Deus Abraham. &c.* incipit ab Abraham, quia populus specialiter electus incœpit ab eo cui factæ sunt repromissiones & semini eius, *hoc nomen mihi in æternum*, scilicet C Deus Abraham, & Deus Isaac, & vsque in hodiernum diem ita vocatur, *& hoc memoriale meum in generationem & generationem*, hoc est nomen meum per quod homines in posterum mei recordabuntur.

## CONCEPTVS.

*Licet Deus sit aliquid in se eximium, tamen ad nos se dignatur demittere.*

138 *Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abrahã, Deus Isaac.* Nonne dixeras antea, te hoc eximium nomen habere, ego sum qui sum, à quo omnia dependent, & quod à nullo dependet habẽs esse à se incommutabile, inenarrabile, æternum? cur ergo aliud assumis, quo te Deum solum aliquorum hominum nuncupas? nonne aliud eo est excellentius, & eminentius? excellentius quidem, sed Deus ita misericors vt ad nos se deprimat, & qui in se eminẽtissimus & beatissimus est, tamẽ dignatur se ad nos demittere, & nomine Dei hominũ vocari. vtiliter hoc
B. Aug. premit B. Aug. in breui tractatu super hæc ver-
„ ba Ego sum qui sum, nomen est incommuta-
„ bilitatis, omnia enim quæ mutantur, desinunt
„ esse quod erant, & incipiunt esse quod non
„ erant, esse verum, esse syncerum esse, germa-
„ num, non habet nisi qui non mutatur, ille ha-
Psal. 101. „ bet esse, cui dicitur mutabis ea, & muta-
„ buntur, tu autem idem ipse es: quid est ego
sum qui sum? nisi ego sum æternus; quid "
est ego sum qui sum? nisi mutari non possum, "
nulla creatura, non cœlum, non terra, non An- "
gelus, non virtus, non sedes, non dominatio- "
nes, non potestates, cum ergo hoc sit nomen "
æternitatis, plus est quod dignatus est habere "
nomen misericordiæ, ego sum Deus Abraham, "
D & Deus Isaac, & Deus Iacob, illud in se, hoc ad "
nos: si enim hoc solum esse vellet, quod est in "
se, quid essemus nos? si intellexit, imo quia in- "
tellexit Moyses, cum ei diceretur ego sum qui "
sum, multum credidit hoc esse ad homines, mul- "
tum hoc vidit distare ab hominibus, qui enim "
hoc quod est, & vere est, intellexerit dignè & "
qualitercumque lumine veracissimæ essentiæ, "
vel strictè sicut corruscatione affatus fuerit, "
longe se videt, infra longe remotissimum, "
longe dissimillimum, sicut ille ait ego dixi in "
ecstasi mea, assumpta enim mente vidit nes- "
cio quid, quod plus ad illum erat, hoc erat, "
quod verum erat, dixi inquit in exstasi mea, "
quid? proiectus sum à facie oculorum meorum "
cum ergo ad id quod dicebatur, non ad id quod "

» videbatur, longe se imparē videret Moyses, & quasi minus capacem, vnde inflammatus ipso desiderio videndi quod est, dicebat Deo, cum quo loquebatur, ostende mihi temetipsum, quasi vero ab illa excellentia, longe dissimilis desperaret: erigit desperantem, quoniam vidit timentem, quasi diceret, quoniam dixi ego sum qui sum, & qui est misit me, intellexisti, quid sit esse, & desperasti te capere posse, erige spem, ego sum Deus Abraham, Isaac & Iacob, sic sum quod sum, sic sum ipsum esse, sic sum cum ipso esse, vt nolim hominibus deesse, si quomodo possumus Dominum quærere, & inuestigare eum qui est, & quidem non longe positum ab vno quoque nostrum, in illo enim viuimus, mouemur & sumus.

### *Qui in virtute vult esse stabilis, mite habeat ingenium.*

239 *Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac & Iacob.* Duplici ratione se appellat Deus, in primis ego sum qui sum, idest cuius est existere esse, incommutabile & æternū; cur igitur addit immediatè, Deus Abraham? aduerte ex Phil. lib. 1. de vita Moys. Abraham per disciplinam ad virtutem peruenisse Isaac natura duce, Iacobum autē lucta. ergo sensus iuxta Phil. erit, qui amat illam virtutem æternam, & incommutabilem, triplici modo eam firmam debet habere, nimirum eam addiscat, sicut Abraham, mite habeat ingenium sicut Isaac, luctetur contra prauos animi mores, sicut Iacob. & hac ratione firmus & stabilis in virtute erit; sin minus facile delabitur in vitia: subijcio verba Philon. *primum dic eis, ego sum qui sum, vt discant differentiam inter ens & non ens, & nullum nomen de me dici proprie, cui soli esse competit, quod si vt sunt debiliores ingenio requirant appellationem, indica eis non tantum me esse Deum, sed etiam trium virorum virtute denominatorum, Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob, quorum alius doctrina, alius natura, alius meditatione quæsita virtutis regula.* Philo.

### *Virtuti firmius adhæret, qui eam per luctam & certamen adipiscitur.*

140 *Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, &c.* Horum trium Deus dicitur, quia tres modos hi viri designant virtutis conquirendæ, nempe Abraham vt diximus eos qui pietatem doctrina adipiscuntur, Isaac illos quos natura ad pietatem effingit, Iacob illos quos lucta ad pietatem euehit, sed cur vnus Iacob ex illis Israel appellatur, idest contemplator, seu videns Deum? quia hi virtuti firmius adhærent, qui eam per luctam & certamen adepti sunt: vtile sane est ad virtutem vel doctrina vel natura effingi, longe melius motus animi improbos debellare, & qui hac ratione virtutem adeptus est, firmius eam tenet, & propius Deum contemplatur, fauet cit. Philo. lib. de somniis. *aiunt virtutem parari vel natura, vel meditatione, vel doctrina, ideo tres nostri generis auctores, sapientes ciues describuntur, non eodem modo ad eundem finem contendisse, non horum antiquissimus Abraham doctrina duce via ad virtutem florentis vsus est, sicut alibi quoque quoad fieri potuit ostendimus, medius autem Isaac natura eadem magistra atque discipula, tertius autem Iacob meditatoris exercitiis, quæ versantur in certamine & laboribus.* Philo. Alexand.

### *Cum quis futura promittens aliquid de præsenti tribuit, facile creditur, quod stabit promissis.*

*Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Iacob, Deus Isaac,* Cur Deus vt populum Israeliticum ad fidem sibi adhibendū prouocaret, quod cum educturus esset de tyrannide Ægypti, nomen conflatum ex his tribus Patriarchis obiecit? nonne satius fuisset ei dicere, ego Deus omnipotens? nam potentia illius in hoc opere arduo exigebatur, dixit enim ipsemet Deus, non emittet nisi in manu forti, hoc nomen ergo sileat & istud omnipotentiæ in medium adducat: quanta quæso contulit Deus ipsis tribus suis progenitoribus? legatur liber Geneseos & legenti patebit, merito ergò nunc hoc nomen sibi assumit, cum futuram populo suò libertatem pollicetur, quia qui futura sic promittit, vt plura iam de præsenti exhibita patribus eorum, quibus aliquid pollicetur, demonstrat, sane omnino dignus est vt ei fides adhibeatur, quod in Christo Domino obseruat Cyrill. Alexand. lib. 12. in Ioan. cap. 15. *multa* (inquit) *tempore suo generaliter facturus, pollicitus est, quæ tamen ex parte ante fecit, vt credamus iure ipsum vniuersaliter facturum, prædixit omnes mortuos se suscitaturum, verum quoniam rei magnitudo fidē excedebat, præuenit vtiliter, & ante resurrectionis tempus Lazarum, & viduæ filium, & Iayri puellam suscitauit.* 241 B Cyrill. Alexand.

### *Amor Dei in homines non deficiens.*

*Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Et ilico subiungit, *hoc nomen mihi in æternum.* non est dubium, maximum Dei amorem denotari in hoc, quod cum sit omniū Deus, tamen se trium hominum creatorem asserat: quis enim Imperator, qui plures Prouincias suo regimini & ditioni commissas habens, solum vnius vel alterius Regem se nuncupet? sed cur adhuc subiungit, hoc nomen meum in æternum? emphaticè quidem hoc prolatum, quasi diceret, summo amore viros iustos prosequor, cum horum me specialiter nominē Deū, sed hic amor non erit deficiens, sed in æternum manebit, ex parte hoc confirmat Oleast. *mira est Dei dilectio qua Deus iustos diligit, vt summe delectetur vocari illorum Deus:* aliam partem habet Seraph. *& similes semper mihi erunt amicissimi.* 242 Oleast. Seraphin. Porta.

### *In Deo vnitas essentiæ & personarum distinctio.*

*Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Iacob.* Nonne eximium erat illud nomen, ego sum qui sum, quo voluit celebrari? cur ergo aliud minoris considerationis in medium adducit? cum cur qui summam essentiā declarauerat, cum articuli additione, ter se Deū appellat? sane vt denotaret vnicā esse essentiam tribus personis communem, has autē inter se esse distinctas, quod obseruat B. Basil. apud Lipp. 243 Basilius.

*ego sum qui sum, id ex persona Dei dictum fuisse nemo inficiari potest: nam istud qui sum, vnam eandemque ac communem essentiam significat, Deus vero Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob cum articuli additione dictum est vt vniuscuiusque personæ diuisionem declararet*, & Seuerus in eadem cat. *Cum omnium Deus, non tantum Abraham, & Isaac, & Iacob Deus fuerit, sed etiam Ioseph ob insignem eius virtutem & pietatem, trium tamen se Deum esse fatetur, vt sanctissimam Trinitatem insinueret, idque ita esse articuli additio ter repetita manifestissime declarat, nam cum nominum monadem præmisisset, qui est Dominus & Deus, statim tertiam hypostaseon significantiam subiunxit, qui est enim & de Patre & de Filio, & Spiritu Sancto, æque dicitur, eadem ratione Dominus & Pater & Filius & Spiritus Sanctus dicuntur esse similes, Dei nomen Patri, & Filio, & Spiritui Sancto adscribitur.*

Seuerus apud Lipp.

*Nomen Dei quasi per homines effunditur.*

244 *Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Nonne satis fuerat, tuum nomẽ ineffabile euulgasse? quid enim eo mirabilius & excellentius propalari potest? cur ergo nomen hominibus commune, & quod in tuum non maximum cedere videtur encomium, assumis? vt nomen suum ineffabile hominibus etiam tanquam oleum effundat, quod meditatus est Bernard. in serm. de Natiuitate Domini, *loquitur Dominus ad Moysem de liberatione Israelis, & post multam Dei & Moysis confabulationem, Propheta subtiliter inquirit nomen eius, & Dominus dicit ego sum qui sum, perterritus Moyses inextricabilis auctoritate vocabuli, ac si diceret hoc excedit intellectum meum, non possum capere nisi effundatur, audit à Maiestate ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, vides effusionem, ecce Deus Angelorum se vocat Deum hominum.*

S. Bernard.

*Tanto Deus in iustos fertur amore, vt sicut suum in æternum nomen vult celebrari, ita & eorum.*

245 *Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, &c. hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meũ in generatione & generationem.* Quid? an sicut nomen tuum in æternum celebrabitur, ita & iustorum? quid creaturæ cum Deo, vt memoria eorum permaneat sicut ipsius Dei? tanto equidem in eos fertur amore, vt sicut suum nomen in perpetuas generationes vult commendari, ita etiam & eorum manere memoriam: sic enim citata verba expendit B. Basil. in 1. cap. Isai. *vt enim hosce sanctos* (inquit) *honore afficeret perpetuo memorabili eorumdem seruorum nomina suo ipsius nomini attexuit, vt quoties Dei memoria celebraretur, horum quoque toties commemorarentur nomina.*

B. Basil.

*Deus præcipue eorum est qui tribus virtutibus theologicis præstant.*

246 *Deus Patrum vestrorum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Iacob.* Pluries à nobis inquisitum, cur præcipue horum trium Patriarcharum, quam aliorum Deum se nominet, nam nonne obedientissimus fuit Noe Dei mandatis? nonne

A prærogatiua castitatis excelluit Iosephus? cur ergo non horum omnium se Deum nominat? mihi enim videtur quod omnium iustorum nominis titulum assumere deberet, cur ergo hi tres speciali gaudent hoc honore? aduerte præcipue in fide floruisse Abrahamũ, ita testante B. Pasch. lib. 1. in Matth. cap. 1. tum quisquis recte pater excelsus nuncupatur, cum tanta fidei fortitudine sublimatur, vt magis Christum fide quam ex se Christum generet, neque enim Abraham primum nisi per fidem generatur, atque ideo obediens factus, meruit audire quod in semine eius omnes gentes benedicerentur: in Isaac virtutis spem agnoscimus, sic enim cit. Abb. Isaac totus in spe, quod repromissus concipitur per fidem, quod nascitur per gratiam, gaudium parentibus B generauit, ita sane & Apostolus spe gaudentes nos esse voluit, quia de spe bonæ conscientiæ, quam in Christo per fidem, quæ per dilectionem operatur habemus, risus nobis ex gratia generatur, hinc quippe est, quod virtuti operam damus, vt in spe veluti Isaac serentes, eodem anno, idest in præsenti vita centuplum accipere, & in futuro vitam æternam possidere valeamus: in Iacob charitas denotatur, ex testimonio eiusdem sancti, qui postquam plura in eiusdem rei confirmationem adduxit, sic concludit, idem Patriarcha primum Iacob, deinde Israel recte dicitur, quia eadem charitas antea per labores, vitia supplantans vitam practicam amplexatur, postea namque per contemplationem Deum facie ad faciem, sicuti est, certissime C perfruitur. merito ergo trium horum Patriarcharum Deus nominatur, quia præcipue est eorum qui virtutibus Theologicis fulgent, sic docte disserit cit. Abbas. Ego sum Deus Abraham, quid est aliud quam aperte ostendere quod horum tantum Deus sit qui tribus istis virtutibus istorum colliguntur ad meritum? & vt aptius dicam, quid aliud in aliquo comprobatur nisi hæc tria virtutum mystica dona? per quæ profecto diuinus sermo à specie transit ad genus, & dicitur Deus Abraham, eorum scilicet qui cum ipso per fidem iustificantur & patres multarum fiunt virtutum, vt in idipsum secundum promissionem seminis [illegible] omnes inueniantur. Deus autem Isaac eorum recte accipitur, qui spe gaudentes tribulationes patiuntur quorum vox cũ Apostolo, quia consedere nos fecit in cœlestibus, sane nondum in re, sed in spe plenissime glo- D riantes, & nullis æternæ vitæ promissionibus infirmantur. vnde & credentes Apostolus diuinitus exhortatur, si cõsurrexistis igitur cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in cœlis. talis namque spes facit gaudentes nos, & Isaac nomine dedicari, quia in præsenti vita iuste pieque viuentes nihil aliud quam beatam desiderantes spem, aduentum Domini expectamus. quorum quia Deus portio & hæreditas inuenitur, Deus Isaac, idest spes gaudentium, merito nuncupatur: porro quia Deus Iacob potius quam Israel interim adscribitur, designat charitatem illam, quæ per dilectionem proximi hic cum fide hactenus operatur, & negotium actiuæ vitæ in spe peragit, quia dum cum istis viuitur visione Dei sicuti est hic nullus fruitur, & ideo interea po-

B. Paschas.

Ephes. 2.

Colos. 3.

„ tius Deus Iacob, quam Israel recte appellatur, „ ne quod nondum est, illis qui adhuc sunt in „ certamine sine fruitionis gratia nomine tenus „ condonetur.

*Deus æstimat numerum ternarium Propter honorem Trinitatis.*

247 *Ego Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Non est dubium non minus fuisse Deum Noëmi & aliorum, qui hos tres præcesserunt, nec non subsequentium vt Iosephi & aliorum, cur ergo his omissis, solum trium non immemor? an alij hoc beneficij nomine indigni censentur vt nomine Dei appellentur? non indignos iudicat, sed ideo solum tres memorat in honorem ternarii numeri sanctissimam repræsentantis Trinitatem, quod obseruat B. Chrysost. hom. in illud Apost. cum autem subiecta fuerint illi omnia, *fratres*, inquit, B *adorabilis illa dignitas immaculata natura, indominabilis dominio, in ternario gloriam habet, & reueretur Deus ternarii prædicationem in terra, & virtutum numerum, quod numero sanctæ Trinitatis respondeat, & vt exempli gratia aliquid dicam, multi sunt Patriarchæ & Deum seipsum Patriarcharum vocat Deum, ego Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, non quod non sit etiam Deus Moysis & non Deus Ioseph. omnium enim Deus est, qui se inuocant in veritate. Sed veneratur sicut in imagine in terrenis cœlestia, tres Patriarchæ sunt in honorem Trinitatis, tres virtutes.* deinde prosequitur encomia numeri ternarij in eiusdem Triadis honorem, quæ silentio obuoluere fas esset, *in tria diuisum est vniuersum, nempe in ordinem cœlestium, terrenorum, & subterraneorum; in tria secantur tempora, in futura, præsentia, & præterita, & sicut licet* C *sint multi Patriarchæ, vt prædicetur gloria viuentis spiritus, sufficit ternarius; ita cum multi sint sacerdotes, trias tamen sacerdotum electa est nempe Moysis & Aaron, qui in sacerdotibus eius. & Samuelis, multi Reges, multi sacerdotes, & trium celebris est memoria David scilicet & Ezechiæ & Iosiæ, in camino tres pueri, cum Christo in montem conscenderunt Petrus, Iacobus & Ioannes, multi in cælo Angeli & tres apparent Abrahæ, &c.*

B. Chrysost.

*Deus maxime humiles nos vult esse.*

248 *Ego Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham,* A *Deus Isaac, & Deus Iacob.* Non solum se eorum Deum nominat, largiturus populo suo beneficia, sed etiam ipsimet Moysi, sed quid Domine ad exhibendam non solum Israelitis, sed etiam eorum duci futuro misericordiam, defunctorum Patrum nomina & merita recordaris? nunquid non suppetebant Moysi merita propria & bona opera quæ gesserat? nonne ambulat coram te in veritate & corde integro, & quod bonum est, in oculis tuis operatur? cur ergo respicis aliena? audi satisfacientem Oleast. cap. 38. Isai. in illa verba, sic dicit Dominus Deus David Patris tui, *nouit Dominus insolentiam nostram, qui cum ab eo aliquid accipimus, aut ipse sua benignitate largitur, statim quærimus in nobis merita, quibus dona respondeant, & huiusmodi insolescimus in malis, cum tibi euenerint, quæ e demerita quibus illa respondeant, sed in bonis periculosum est valde causam in te quærere aut inuenire.*

Isai 38. Oleast.

*Amor Dei non sterilis in suos, sed maxima conferens.*

249 *Ego Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Quo ei significat quanto amore eos prosequeretur, quamque sibi forent charissimi, cum se eorum Deum nominet, & suum nomen eis quasi immisceat & infundat, sed cur antequam erga Patriarchas amorem suum aperiret, hæc præposuit, ego sum qui sum? nam ex hoc secundo nomine potuere in eius cognitionem facile deuenire Israelitæ: respondet Seraph. conclus. 7. in append. *in signum huius amicitiæ ad Abraham coniunxit scriptura cum Ly qui est quod est, verbum substantiuum, quasi ex ipsa coniunctione sic loquatur, amicitia Dei substantialia donat atque conseruat, & sicut substantialia accidentalibus præstantiora sunt, ita amicitia Dei cuiuslibet amicitiæ ponderat in vtilitate: amplius nota ly qui est, quid significat, hic infinitum pelagus essendi, omnes perfectiones, omnia desiderabilia; igitur ex supradicta coniunctione habemus quod amicitia Dei omnia desiderabilia; omnes confert perfectiones, similis amicitia Dei perfectionem nostram dicit, omneque nostrum bonum in amicitia Dei consistit.*

Seraphin.



## *VARIETAS LECT. Vers. 16.*

V*Vlg.* Vade & congrega seniores Israel, & D dices ad eos, Dominus Deus Patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens visitans visitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto.

*Sept.* Veniens igitur congrega Senatum filiorum Israel, &c. visitatione visitaui vos, & quæcumque contigerunt vobis in Ægypto.

*Pag.* Dominus Deus Patrum vestrorum conspectus est mihi.

*Onx.* Reuelatus est mihi.

*Cald. Ionat. & Oleast.* Recordans recordatus sum vestri & omnium quæ facta sunt vobis in Ægypto.

---

## *CONCORDIA.*

SEnatus populi & seniores hic pro eodem sumuntur, ex Senioribus enim constabat Senatus, verbum פקד pakad apud Hebræos non solum visitare sed recordari significat, vnde Cald. dixit recordans recordatus sum. cætera non discrepant.

## EXPOSITIO.

*Vade & congrega seniores Israël.* Qui sunt maioris auctoritatis in populo, ex quibus quoddam eorum consilium perficiebatur, *& dices ad eos*, qui postea aliis referent, *Dominus Deus* A *patrum vestrorum visitans visitaui vos* exploraui, & attendit omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto, oppressis tum Regis Tyrannide, tum ministrorum eius crudelitate.

## CONCEPTVS.

### *Non omnibus aperienda sunt Dei arcana.*

250 *Vade & congrega seniores Israel & dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum* &c. quid? nonne omnis populus Israel à minimo ad maximum, ab Ægypti captiuitate liberandus? cur ergo solum seniores populi, & non omnis populus conuocabitur ad arcana tibi à Deo patefacta ei etiam aperienda? nonne lætum nuntium omnibus debet esse commune? solum tamen ex iussu Dei, seniores conuocare debet, quia arcana eius non omnibus indifferenter sunt aperienda. fauet Oleast. *non omnibus mysteria Dei inculcanda sunt, sed maioribus natu, vt per eos ad iuniores descendant.*

Oleaster.

### *Multitudo populi imprudens, & ideo paulatim ad ardua disponenda.*

251 *Vade & congrega seniores Israel.* Nonne hic agitur de libertate? quis autem maiori in eam fertur desiderio quam promiscua plebis multitudo? cur ergo potius non conuocatur quam seniores? cum enim sint frigidioris naturæ, animus eis ad ardua suscipienda deficiet: quid autem difficilius quam Pharaonis iugum excutere, & libertati mancipari? nihilominus maturo Dei consilio populus primo non conuocatur, quia cum sit imperitus & imprudens, ad ardua & magna paulatim seniorum prudentia disponendus erat quod recte obseruauit Lipp. *Quæ ad populum vniuersum attinent ardua negotia primum senioribus sunt proponenda, non statim promiscuæ multitudini, non statim meliora sentienti, sed instruenda prius est, & præparanda sapienter, alioqui non est tuta vulgi sententia, sed magis periculosa etiam consentientis.*

Lippoman.

### *Decet iudices esse ætatis maturæ.*

252 *Vade & congrega seniores Israel.* Quid? an omnes (qui sane sunt plurimi) congregare poterit? non equidem, quales ergo seniores? qui populi sunt iudices, inquit noster Lyranus, sed A qua de causa eos nomine suo non appellat? cur non ait, voca iudices? recte seniores dixit, cum iudices intelligeret, iudices enim non iuuenilis ætatis, sed maturæ & senilis debent esse, *per seniores, inquit cit. auctor, sunt iudices intelligendi qui habent populum regere, non enim decet imberbes & iuuenes in alios iudicium exercere.*

Noster Lyranus.

### *Senex senes allocuturus conueniat.*

253 *Vade & congrega seniores Israel,* Cur Moyses ad eos mittitur? nonne potuit aliquem conuocare ex populo iuuenem, qui quæ à Deo audierat, referret? sic enim nulli vitæ discrimini se committeret in Ægyptum transiens, cur ipsimet hæc prouincia mandatur? nonne senex iam erat Moyses? siquidem iam octuagesimum annum attigerat, merito igitur ad seniores eos allocuturus mittitur, B quia senex ad senes debet sermonem dirigere, vt audiatur, ita sentit vener. Beda, *Congregatio seniorum significat, quod similia similibus congregari debent, senex enim senibus sermonem nuntiare debet.*

### *Quando de religione agitur, conuocandi sunt illius seniores.*

254 *Vade & congrega seniores populi.* Non solum vt eos certiores redderet de suo è terra Ægypti egressu, sed vt eos deinde in pluribus ad fidem & religionem instrueret: verum quæso, cum omnes ad salutem vocentur, omnes etiam ad ea quæ sunt ipsius fidei conuocentur, iuuenes, nec fœminæ excludantur, sane docet hic locus quomodo congregandi sunt seniores, idest Episcopi & Doctores Ecclesiæ, quando de Re- C publica Christiana, deque religione Catholica agitur, quod D. Irenæus vir Apost. lib. 3. aduers. hæres sic confirmat. *Si de aliqua modica quæstione, disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum & liquidum est?*

D. Irenæus.

## *VARIETAS LECT. Vers. 17.*

*Vulg.* Et dixit, vt educam vos de afflictione Ægypti, in terram Chananæi, Hetthæi, & Amorrhæi, & Pheresæi, & Heuæi, & Iebusæi, ad terram fluentem lacte & melle.

*Sept.* Ascendere vos faciam ex afflictione Ægyptiorum.

D *Cald.* Ascendere faciam vos de subiectione Ægyptiorum qua vos subijciunt.

*Oleast.* Ab humilitate qua vos humiliant Ægyptij.

## CONCORDIA.

VErbum ענה Anah ita æquiuocæ est significationis, vt vix aliud sit in lingua sancta quod plura habeat significata, sed omissis pluribus restringemus ad humiliari, deprimi, affligi: A vnde fit quod nomen ab eo deductum, pro afflictione, pro subiectione, pro humilitate &c. sumatur.

## EXPOSITIO.

ET dixi, statui *vt educam vos de afflictione Ægypti*, hac quidem iniusta & tyrannica, *in terram Chananæi* &c. consule quæ diximus in expositione versus octaui.

## CONCEPTVS.

### *Idem est Deus noui & veteris testamenti promissus in vtroque.*

254 EDucam vos de afflictione, ad terram fluentem lacte & melle, Ecce terram in qua sit mellis abundantia promittitur egredientibus ab Ægypto, & terram Palestinæ ingredientibus: nunc consulamus quid dicat Paulus 1. Corint. 3. lac vobis potum dedi tanquam infantibus, cur cum lac à natura, & à Paulo paruulis infantibus, vt in eo crescant & alantur, promittitur? lac etiam viris fortissimis viuentium terram ingressis, post bellorum puluerem, post mille victorias partas exhibetur? & hic vbi pueritia, vbi hominum infantia alitur, lac datur: & vbi vincentium coronæ & præmia sunt iterum lac exhibetur? hoc vidit Clemens Alex. lib. 1. Pædag. cap. 6. exoritur maxima disputatio, inquit, in hac scripturarum collatione cogitantibus, si enim fidei principium, & quæ per lac designatur infantia, ea autem tanquam puerilis & imperfecta vilipenditur, quomodo eius quod est perfectum, & scientia præditum, post cibum requies infantili cursus lacte honorata est? per lac allegorice intelligit ipsum verbum, & ita propositæ difficultati satisfacit, *iure iustis etiam lac promittitur, vt apertè verbum esse vtrumque ostendatur alpha & omega, principium & finis, verbum inquam, quod lac allegorice dicitur.* (1. Corin. 3.) (Clemens Alexand.)

### *Vix vlla est fælicitas temporalis pluribus non commixta ærumnis.*

255 *Educam vos de afflictione Ægypti, in terram fluentem lacte & melle.* Sane non exigua fœlicitas, non solum à tyrannica seruitute, qua à tot annorum circulis premebātur eripi, sed in terrā abundantissimam deduci, quid enim populus terrenis deditus qualis erat Iudæus, potuit in votis habere, quam terram ita fertilem, vt ex ea lac & mel emanent, possidere? sed quibus medijs huiusmodi beatitudo comparabitur? an Ægyptus illæsa manebit? imo omnes Ægyptiorum primogeniti ab Angelo percutiente necabuntur, imo Rex & Principes eorum, nec non exercitus regius aquis suffocati misere peribunt, an Chananæi cum alijs populis, manebunt incolumes? imo plurimi eorum ferro deleti, alij extra suas sedes eijcientur, quomodo tot populorum calamitatibus, vnius populi fœlicitas comparatur? quomodo ex tot ruinis regnorum & prouinciarum beatus prædicatur populus? vt nobiscum stet quod exigua etiam temporalis fœlicitas; innumeris aliorum miserijs acquiritur, B sic vere loquebatur Saluian. lib. 4. de prouid. *vt pauci illustrentur, totus mundus euertitur, vnius honor orbis excidium est.* (Saluian.)

### *Summa mala in summa bona solet Deus commutare.*

256 *Educam vos de afflictione Ægypti in terrā fluentem lacte & melle.* Nonne satis erat libertatem eis concessisse, & à tyrannide Ægyptiorum eripuisse? vel si aliquam prouinciam post libertatem, possidendam vis concedere, cur eam ita fertilem, vt riuuli lactis & mellis tanquam aquarum emanent? potestne alia abundantior & fertilior terra excogitari, qua non solum frumenti, olei, & vini, sed etiam mellis & lactis sit feracissima? reuocemus in memoriam quantis premebantur ærumnis, cum nec eorum infantibus parceretur aquis fluminum suffocatis, alijs sub nimia sarcina & labore pereuntibus: quid mi- C rum igitur, si non solum libertate donantur, sed etiam terram omnium abundantissimā? quia vt bene Oleast. *Pro summis malis summa bona mutare solet Deus.* (Oleaster.)

### *Nostris Deus satisfacit desiderijs.*

257 *Educam vos de afflictione Aegypti, in terram fluentem lacte & melle.* Quænam est illa terra fertilissima? Chananæi, Iebusæi, &c. sed cur toties hi populi annuntiantur ab Israëlitis eijciendi, eorum prouincias possessuris? aduerte tum propter terræ fertilitatem, tum propter locum parentum suorum sepulturæ, maximo tenebantur desiderio eam possidendi, en vt Deus eorum D satisfaciat desiderijs, toties ab eis hos populos memorat eijciendos? fauet Lippom. *Sæpe nominantur sex gentes & terra eorum, quia impensissime eam desiderabant filij Israel, sepulturæ locum parentum suorum.* (Lippom.)

### *Ita certa sunt Dei promissiones, vt de præterito enuntientur.*

258 *Educam vos de afflictione Aegypti, in terram fluentem lacte & melle.* Ecce hîc de futuro loquitur, sed paulo antea dixerat, visitans visitaui vos, hæc autem visitatio sumitur pro misericordia & gratuito eius auxilio, sicut in Psal. 45. (Psalm. 45.)

*Sophon. 1.* visita nos in salutari tuo, & in Cant. Zachariæ, visitauit nos oriens ex alto, non autem pro castigatione, prout Dominus per Sophoniam contestatur, visitabo super omnem qui arroganter ingreditur, & *Psalm. 88.* Psalm. 88. visitabo in virga iniquitates eorum. quo posito, cur ait Dominus visitauit nos, cum nullum quoad egressum è terra Ægypti, impenderit beneficium? ecce enim adhuc dura premuntur seruitute, nihilominus vere dicit se eos visitasse, quia ita certa est diuina promissio de eorum egressu futuro ab Ægypto, vt iam de præterito enuntiari debeat *solet Deus sic loqui de futuro*, inquit Carthus. *per modum præteriti propter certitudinem veritatis verborum suorum.* *Dionysius Carthus.*

### *Deuictis vitiorum generibus, terram viuentium expugnatam obtinet fidelis*

259 *Educam vos de afflictione Aegypti, in terram fluentem lacte & melle*, Sed eisne possidendam concedes sine aliquo labore, nulla obtenta victoria? non equidem, sed deuictis Chananæis, Amorrhæis, Iebusæis &c. qui septem erant populi: hæc populorum sunt nomina, inquit Amb. in Psalm. 43. sed passionum infirmitates, & humanorum incentiua, & opprobria peccatorum designant: quo posito, nonne populo Iudæorum designatur populus fidelis, sicut terra promissionis, terra viuentium, vera fœlicitas? cur igitur necesse vt non nisi deuictis prius his septē populis in illam terram lacteam & melleam introducatur? quia nisi septem capitalia vitia virtutibus contrariis superemus terram vere fidelibus promissam, non ingrediemur, quod longe & erudite disserit, cit. doctor, *D. Ambro.* non pugnauit militaribus armis, & ferreis telis populus Ecclesiæ, sicut pugnauit populus Iudæorum, ille in figura pugnauit, nos pugnamus in Spiritu, ille aduersum alienigenas pugnauit, nos ipsi bellum habemus in nobis: & ideo prius nobis vincendæ sunt proprij corporis passiones, audi pugnantem Apostolum Paulum *Rom. 8.* aduersus gentem Chananæorum: video inquit, legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, nunc se erigit caro nostra, nunc deijcit; erigit menti, deijcit potestati, & vbi se vrgeri videt, constantiam deserit, & ad subiectionem parata ducitur in legem peccati, vt fidem deserat; *Deut. 1.* perfidiæ succumbat, & Chettææ infirmitatis iudicio destituta vero, cedat mendacio, seruiat crimini, adquiescat errori, & tanquam Amorrhæus loquatur amara pro dulcibus; *Ioan. 6.* fides enim dulcis, amara perfidia est, vnde præclare Petrus, quid fides esset, expressit, dicens: Domine ad quem ibimus? verba æternæ vitæ habes, & nos credimus, quomodo igitur vis vt discedamus à te? captus enim suauitate cœlestium verborum, discedere volebat à Christo, qui autem negat Christum, ipse se separat à Christo; sed neque versuta Amorrhæorū disputatio eiusmodi, quæ per Philosophiam nonnullos à veritate transducit: neque Iebusæorum turpis abiectio, quæ se subijcit atque substernit cursum currentibus sæcularem, qui non potest esse perpetuus, sed in portis deficit mortis, de quibus exaltatum Dauid propheta se gaudet: neque Cinæus, qui per suā pecuniam possidetur, sicut insatia-

A bili auarus affectu: neque Cinæus, qui putat in diuitiis possessionem esse perpetuam & vnam spem constituit in caducis atque inani opinione se iactat: neque Rapham qui profitetur se alijs ferre medicinam, cum vulnera sua curare non possit: & ideo si quis ad huiusmodi medicum confugerit necesse est prius omne patrimonium suum cōsumat, quā profectum sanitatis accipiat.

### *Virgo sanctissima dedit nobis lac humanitatis, & mel diuinitatis.*

*Educam vos in terrā fluentem lacte & melle.* Non est dubium virginem deiparam terræ nomine designari, de qua Psal. 84. terra nostra dedit fructum suum, nostra profecto, quoniam ex homine genita, sed fructum protulit suū Christum, 260 *Psalm. 84.*
B videlicet adeō suum, quod homo in ea genitura partē non habuerit, terra promissionis est, quod vmbris & figuris, nec non vaticiniis, patribus atque maioribus suis sponsa esset; sed quomodo lacte & melle fluens dicitur, cum in suo nomine Maria dicat amaritudinem, imo variis repleta amaritudinibus? animam enim eius gladius pertransiuit, sed arcanum quæso animaduertas, lac ex vberibus sucta elicitur, & ex escis prodeuntibus à terra, à natura, in ipsis mamillis coagmentatur: ecce humanitas Christi ex virgine desumpta, cum Virgo ipsa ex prosapia Adæ, & terra plasmati originem traheret, mel ex rore super flores delapso compingitur: en diuinitas Spiritus sancti obumbratione in florem in virgineum vterum rorata, hæc autem duo lac humanitatis
C & mel diuinitatis contulit nobis terra ista gratus omnibus madida, cum nobis edidit Deum & hominem.

### *Arcana scripturarum intelligentia melli comparatur.*

*Educam vos in terram fluentem lacte & melle*, Ecclesia potest esse illa terra, à qua defluit lac & mel, duo inquam alimentorum genera, lac autem simplex est scripturarum intelligentia, simplex mysterium, quod quidem paruulis quasi infantibus lacte egentibus, ipsa præbet, quapropter Paulus tanquam paruulis in Christo lac dedi, inquit, hoc est vt infantibus ex vberibus sacræ scripturæ, prima simplicia rudimenta fidei 261 *1. Corint. 3.*
D exhibui, vnde & animaduersio fit in eos, qui sunt ingenio peruicaces, qui simplicem scripturæ doctrinam subtilibus nimiū speculationibus perpendere audent, non coquas hœdū in lacte matris, hoc est ne pensites, discutiasque res grauissimas, rimando secundum exhibitum scripturarum literalem sensum, veruntamen à lacte amouēdus est postea Isaac cū adoleuerit christicola, cum pietate fuerit imbutus, ablactandus est: mel vero est arcana ipsarū scripturarum intelligentia, sensusque mystici latentes, & mysteria Ecclesiæ profunda, quæ quidem non pubescentibus sed viris conferuntur: sed quomodo arcana scripturarum intelligentia melle denotatur? quid enim commune mellis cum latitanti textu? hoc equidem, quod quemadmodum mel ex rore super flores effuso, non sine apum studio educitur, ita spirituales sensus & recondita mysteria, *Deuter. 14.*

ex Spiritu sancto scripturam rorante, non nisi assidua contemplatione eliciuntur, exinde regius vates ait Psalm. 80. *De petra melle saturauit eos*, petra Christus est, cuius melle saturantur pij, cum ipse sit scripturarum omnium mystica intelligentia.

Psalm. 80.

## VARIETAS LECT. Vers. 18.

A

*Vulg.* Et audient vocem tuam, ingredierisque tu & seniores Israel ad Regem Ægypti, & dices ad eum, Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus Deo nostro.

*Sept.* Exaudient vocem tuam, ingredieris tu & senatus Israel, ibimus viam trium dierum in desertum, vt sacrificemus Deo nostro.

*Cald.* Dominus Deus Iudæorum inuocatus est super nos, & nunc eamus obsecro, itinere trium dierum per desertum, vt immolemus Domino Deo nostro.

*Arias*, occurrit Dominus Deus Hebræorum super nos, & nunc ibimus viam trium dierum.

*Oleast.* Obuius factus est nobis.

## CONCORDIA.

Scio in Hebræo esse in plurali ואמרתם Vaamartem & dicetis ad eos cum Vulg. septuaginta sequutus in singulari reddiderit, sed subaudit, tu cum senioribus: sequitur Dominus Deus Hebræorum vocauit nos. sed iuxta Hebræum sic habetur נקרה עלינו Nikra halenu, occurrit, apparuit, obuius factus est nobis, est enim passiuum à Karach quod significat occurrere, quin

B

imo infra cap. 5. vbi eadem quæ hic ponuntur, recensentur, verbū נקרא mixta scribitur per א ideo Vulgatus septuaginta sequutus qui & ipsi προσκέκληται ἡμᾶς vocauit nos habent, eodem modo vertit, sed hoc nullum est fere discrimen, Caldæus autem qui habet Dominus Deus Hebræorum inuocatus est super nos, sensum habet verum.

## EXPOSITIO.

Et audient vocem tuam, credent & acquiescēt tibi, *ingredierisque tu & seniores ad Regem*, ipse vt principalis nuncius, ipsi vero vt eius comites, quamuis postea dictum non fuerit ad Regem ingressos fuisse, sed solum Aaronem, *Dominus Deus Hebræorum* quem colimus & coluere patres nostri, *vocauit nos* cui obedire tenemur *ibimus* subintelligendum obsecro, vt est in Caldæo, vel

C

per te nobis liceat, *ibimus viam trium dierum*, non petit protractionem longioris temporis, ne Rex possit suspicari de aliqua fuga si longius discederent, hic autem non est mendacium, sed silentium integræ veritatis interuenit, ituri enim erant itinere trium dierum, & hoc dixerunt, sed longius deinde ituri erant in Chanaan, & hoc tacuerunt.

## CONCEPTVS.

### *Timidi pœnæ & non peccati, à conspectu Dei repelluntur.*

262 Ingredieris tu & seniores Israel ad Regem Ægypti, Non legimus tamen eos ingressos fuisse, sed Aaron eorum loco, nam cap. 5. sic ait textus, ingressi sunt Moyses & Aaron & dixerunt ei, quare non dicuntur illi seniores ad Pharaonem ingressi, cum Deus eos simul cum Moyse Regem cōuenire iussisset? respondent Hebræi apud nostrum Lyranum, quia ducti Regis timore foris remanserant, ad diuinum præceptum violandum quam ad Regis vultum audaciores, sed hęc timiditas mansitne punita? quomodo non maneret, cum Deus postea in monte Sinai solū Moysem non autem seniores illos admiserit? *Solus Moyses*, inquit cit. auctor cap. 24. Exod. *ascēdit ad Dominum & illi non appropinquabunt: æquum enim erat inquiunt Hebræi, vt qui humano timori succubuerant à diuino conspectu arcerentur.*

Noster Lyran.

D

nioribus. Nonne crediderunt à Deo missum? ita equidem: ait enim textus, audient vocem tuam, idest credent, si ergo credidere à Deo missum ad Pharaonem Moysem, & Deum iussisse vt eum comitarentur, quomodo non īgrediuntur? dices Pharaonem timuisse, ne crudelis in eos existens, vitam adimeret: nonne Deus Rege fortior? nonne tanquam inobedientes seuere puniet? ita equidem, & sic omnino rationis expers censendus est qui timorem hominum diuino præfert timori, vnde optime D. Amb. ser. 21. in Psal. 118. consulens vt diuinum præferremus humano, sic ait, *qui habet verba Dei, excludit sermones principum à corde suo, excludit timor timorem, si enim quis balnea ingressus, solis deponit æstus, & calor deponit calorem, quanto magis diuini iudicij terror hunc terrorem excludit? humanum sermonem gratiæ sæcularis gratiæ sermo æternæ?* sed & B. August. in Psal. 63. *qui non timuit* (nempe Deū) *præ hominibus, non fuit homo vtens ratione.* D. Ambro. S. August.

### *Cæcus censendus qui potius homines quam Deum timet.*

263 *Ingredieris tu & seniores Israel ad Regem Ægypti.* Ingreditur Moyses, cum non comitantibus se-

### *Humanum à nobis Deus timorem amouet.*

*Ingredieris tu & seniores Israel ad Pharaonem.* 264 Nonne si tecum, qui es omnium creator, loquitur, & qui timor vocaris, quomodo solus Re-

gem Pharaonem non conueniet? cur adhibitis ei sociis ad Regem ingredi præcipis? sane vt ex eorum comitatu, timorem humanum deponeret quo à Regis præsentia remouebatur, fauet
Abulens. Abul. *Consolatur Deus Moysem dando ei societatem, quia magnus timor & horror erat ei coram Rege stare, & ista proponere.*

*Nuncij vel Regum Oratores, cum comitatu honorifico principes ad quos mittuntur conueniant.*

265 *Ingredieris tu & seniores Israel ad Regem.* Nonne solus Regi persuadere poterit, quæ ei præcepisti dicenda? vel si non persuadeat, nonne saltem voluntatem eituam aperire poterit? cur ergo omnes populi Israel seniores nempe præcipuæ apud eos auctoritatis, eum comitabuntur? nonne à Deo tanquam suas gerens vices, & orator pro negotiis grauissimis, ad Regem mittebatur? merito igitur non solus, sed cum tot heroibus, Regem conuenire præcipitur, quia apud Reges Nuntij vel Oratores cum honorifico comitatu debent
Abulens. destinari: hanc rationem subijcit Tostatus. *Non solus sed simul cum senioribus regem ingredi præcipitur, nam volebat vt Moyses tanquam principalis proponeret, & quod seniores Israel irent cum eo ad honorandum eum, & sic maior audientia daretur ei coram Rege.*

*Debet Orator vel Nuntius proponere titulos honoris vel eximia legantis nomina, vt benignius audiatur.*

266 *Ingredieris tu ad Regem & seniores, & dices, Dominus Deus Hebræorum vocauit nos.* Cur omisso C Domini nomine solum Dei apposito: non ait Deus Hebræorum vocauit nos &c.? nam qui Deum dicit omnia complecti videtur: non solum Deum, sed Dominum cum emphasi dicit, cũ enim esset Orator & Nuntius, proponere debebat præcipuos auctoritatis titulos illius, à
Caietanus. quo mittebatur, vt benignius admitteretur & audiretur, ita Caiet. *Instruit legatum suum Deus, quid propositurus sit Regi auctoritatem legantis, ex proprio nominẽ, & ex cultu Hebræorum proponendo docet, vt ex proprio nomine præeminens omnibus cognoscatur.*

*Facile fidem adhibemus, cum rationi consentaneum aliquid esse videmus.*

267 *Ingredieris tu & seniores ad Regem.* Sed cum D senioribus non apparueris, sed soli Moysi, quomodo Regem conuenient? audient inquit Deus vocem tuam, idest tibi futuram imminere eorum libertatem dicenti credent: sed quomodo cum notantur incredulitatis Iudæi, cito difficillima dicenti fidem adhibebunt? quia cum essent seniores, idest prudentes, & de traditionibus apprime edocti, nouerant ex promissione facta Abrahæ, iam tempus suæ captiuitatis fere elapsum: & ideo quid mirum si ita facile Moysi talia dicenti fidem adhibent? *Credent & acquiescent*, inquit
Lippom. Lipp. *quia seniores illi erant prudentes, promissiones Patriarchis de eorũ liberatione, posteritatis ex Ægypto introductionéque in terram Chanaan factas nouerant, & quoniam Deus ad Abraham dixerat generatione quarta reuertentur huc, tempus à Deo præfixum, ex A numero generationum adimpletum esse cernebant per annorum decursum.*

*Deo præcipienti, inuitis Dominis sacrificium offerre tenemur.*

*Ingredieris tu & seniores populi ad Regem, & dices vocauit nos Dominus*, vt scilicet in deserto ei sacrificium offeramus, sed nonne seruituti addicti? nonne captiui & sub Dominis idolorum cultoribus, qui Deo vero nullomodo sacrificium offerri consentient? quomodo ergo dicent seruæ obtemperantes voluntati, se immolaturos? quia Deo præcipienti, inuitis etiam Dominis sacrificium offerre tenentur serui. *Qui verum Deum pro Deo colunt*, inquit Oleast. *tenentur illi* B *sacrificia offerre, cum ipse postulauerit, etiam inuitis Dominis, etiamsi captiui sint.* 268
Oleaster.

*Qui recte sacrificium offerunt, nullæ eis tenebræ offunduntur.*

*Ingredieris tu & seniores ad Regem, ibimus viam trium dierum*, vt scilicet in deserto possimus Deo debitum offerre sacrificium, cur non dicis, viam trium dierum, & trium noctium iturum? nam tot dies sine noctibus non elabentur: recte noctium immemor, quia vere sacrificantibus nullæ tenebræ eis offundũtur: omnia sunt in luce omnia clara & perspicua: mens est B. Amb lib. 1. de Cain & Abel cap. 7. *Etenim ei qui fideliter sacrificat, lucet dies, nox nulla est, sicut in Exod. Moyses ait, viam trium dierum ibimus, & immolabimus Domino Deo nostro.* 269
Ambros.

*Pericula fugienda.*

*Ingredieris tu & seniores populi ad Regem, ibimus viam trium dierum in solitudinem.* Nonne vnus aut duo dies elongationis ab Ægypto sufficiunt, vt Deo sacrificium offeratur? cur ergo terminum trium dierum postulas? aduerte Ægyptios animalia coluisse, quæ in sacrificio mactari debuissent, quod si Ægyptiis hoc compertum fuisset, minime Israëlitis pepercissent, imo internecione delessent: prudenter igitur tot dies elongationis ab Ægypto requirunt, vt sine vitæ suæ discrimine victimas possint immolare: sic obseruat noster Lyran. *Non dicit viam vnius diei aut duorum, quia non essent sic sufficienter elongati ab Ægyptiis, qui lapidarent eos si viderent illos sacrificare animalia quæ ipsi colebant tanquam Deos.* 270
Noster Lyran.

*Deus nihil exigit nisi rationabiliter.*

*Ingredieris tu & seniores ad Regem, & dices ibimus viam trium dierum.* Nonne quo magis ab Ægyptiis remotus, minori cum periculo Deo sacrificium populus Israel in gratiarum actionem suæ libertatis consequutæ poterit offerre? cur ergo ab ipso Rege terminum solum trium non vero octo dierum postulas? satisfacit cit. Lyran. *Non dicit sex vel octo, quia videretur quod non quærerent Deo immolare, sed magis fugere, ideo dicit trium dierum, non plus exprimendo, vt sic quanto petitio magis esset rationabilis, tanto Rex Ægypti esset minus excusabilis de inobedientia ad Deum.* 271
Cit. Doctor

*Simulare licet, nequaquam mentiri.*

*Ingredieris tu & seniores ad Regem, & dices ibi-* 272

*mus viam trium dierum.* Nonne decreuiſti, vt longius iter quã trium dierũ perficerent? ſtatuiſti enim terræ Chanaan poſſeſſores efficere cum omnimoda libertate, cur ergo non præcepiſti Moyſi dicere Pharaoni, vt permitteret populum ſuum poſt tot annos ſeruitutis, in terram patribus ſuis promiſſam ſecedere? in hoc ſuadere mendacium videris, & Regem decipere, nequaquam, ſed ſimulare ſuadet, quod minime vetitum, ſicut mentiri. *aliud eſt diſſimulare*, inquit Lippom. *aliud eſt mentiri, diſſimulare eſt hominum prudentum, mentiri autem eſt hominum malorum & impoſtorum, iubet ergo Dominus Moyſem diſſimulare coram Pharaone, profectionem in terram Chanaan, quid enim ad Pharaonem quod poſſeſſurus erat terram Chanaan patribus ipſorum à Deo promiſſam? & interim iubet eum prætexere immolationem in deſerto, hoc enim non erat mendacium, ſed veritas rei.*

Lippom.

## *Maxima cum vrbanitate & humilitate Regibus loquendum.*

273 *Ingredieris tu & ſeniores ad Regem, & dices ibimus viam trium dierum.* Cald. *Obſecro eamus.* Nonne à Deo mitteris vices eius gerens? nonne ipſius Dei legatus es? cur ergo hoc verbo vteris, *Obſecro?* vel potius, cur ipſemet Deus præcipit, vt tanta cum ſubmiſſione loquatur? nonne debuit dicere, præcipit Dominus Deus Hebræorum, vt eamus viam trium dierum in deſertum, vt ei à nobis ſacrificium offeratur? obſecro, recte dixit, quia Regibus maxima cum vrbanitate & humilitate loquendum: fauet Cajet. *vrbanitatis magis quadrat dictio obſecro, quam nunc improbare putata à Regibus.*

Cardinalis Cajetan.

## *Timor, pietas, & recta ratio ad debitum præſupponuntur ſacrificium.*

274 *Ingredieris tu & ſeniores ad Regem, & dices ibimus viam trium dierum,* antequã ſcilicet in honorem Dei noſtri in gratiarum actionẽ ſacrificium ei offeramus, cur illico in ipſius Ægypti egreſſu, memores libertatis adeptæ, Deo victimas non immolatis? cur trium dierũ via præcedere debet? S. Bernard. ſerm. 7. de panibus, tres dies conſtituit, vnum timoris, alterum pietatis, & tertium rectæ rationis, quid mirum igitur, ſi tres dies ante ſacrificium exigit? quia illud præcedere debent hæc tria, *viam trium dierum* inquit cit. Abbas, *eos neceſſe eſt in deſerto, ſi gratum Deo tuo volueris offerre ſacrificium, prima eſt dies timoris, dies inquam declarans & illuminans tenebras tuas interiores, ſcilicet, & horrendum gehennæ ſupplicium demonſtrans, in quo ſunt tenebræ exteriores, huiuſmodi ſiquidem cognitio noſtræ ſolet exercere primordia conuerſionis: ſecunda eſt pietatis dies qua reſpiramus in luce miſerationum Dei, tertia dies eſt rationis, in qua Veritas innoteſcit, vt tanquam ex debito quodam natura, ſine aliqua contradictione ſubiecta ſit creatura, ſeruus ſeruiat redemptori.*

S. Bernar.

## *Paulatim Deus ſe manifeſtat.*

275 *Ingredieris tu & ſeniores ad Regem & dices, hæc dicit Dominus Deus Hebræorum.* Qui quæſitus à Moyſe, cuius eſſet nominis, dixit ego ſum, qui ſum, nonne Iacob ſimiliter Deum interrogauerat, vel Angelum ſuæ perſonæ vices gerentem, A quo appellaretur nomine, & tamẽ noluit ei aperire? cur potius Moyſi, quam ſuo primogenitori, qua appellatione nominaretur, reuelat? an ſecundus maioris meriti quam prior? an filius melior patre? de hoc nunc non diſputo, ſed ſcio nomen ſuum Moyſi dixiſſe, quod non indicauit Iacobo, quia Deus vult paulatim illud manifeſtum fieri, *quod Iacobo non indicauit*, inquit Procopius, *id nunc Moyſi aperuit, nam paulatim ſuccedentibus generationibus ſemetipſum manifeſtauit Deus, ſic vbi venit plenitudo temporis ſignificauit ſe eſſe filiũ Dei.*

Procopius.

## *Quiſquis vere ſacrificium Deo offerre voluerit, & vitam viuentium poſsidere, recedat ab impiorum ſocietate.*

276 *Ingredieris tu & ſeniores ad Regem, & dices ibimus viam trium dierum in ſolitudinem.* Quo fine? B vt Deo immolemus, cur in ſolitudine non autem in Ægypto? vel ſi propter Ægyptios cultores animalium licitum vobis non eſſet ibi immolare, cur in medio terræ Philiſtiim ſacrificium non offeretis? cur ergo in deſerto vbi plurimorum penuria laborabitis? prudenter equidem ſacrificaturi Deo, ab Ægyptiis recedunt, fugiunt Philiſtæos, quærunt ſolitudinem etiam remotam trium dierum, quia quiſquis vere ſacrificium Deo offerre voluerit, & vitam viuentium poſſidere, ab impiorum ſocietate recedere debet: huc decurrit Rupert. lib. 1. cap. 15. *Quiſquis Hebræum id eſt tranſitorem ſe eſſe, & de Aegypto tranſiſſe profitetur, vt tranſeat ſecundum nomen Hebræorum quorum Dominus Deus ad patriam cœleſtem non habeat hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirẽs, hanc viam inquirat, hanc viam teneat, ſolitarius incedat, id eſt remotus tam ab Aegyptiis quam à Philiſthiim: Aegyptij namque tenebroſi, Philiſthiim potione cadentes interpretantur,* C *& talium vtique ſocietas cauenda eſt, qui ad hæreditatem Dei peruenire, qui Domino Deo ſuo immolare cupit victimas iuſtitiæ.*

Rupert.

## *Maxime timent principes, ne ſubditi alijs coniungantur Dynaſtis.*

277 *Ingredieris tu & ſeniores ad Regem & dices ibimus viam trium dierum in ſolitudinem.* Cur vltra ditionem Pharaonis non iubes ô Deus progredi? ſic enim à periculo remotiores, ſecuritis, & maiori cum deuotione ſacrificium tibi poſſent offerre? prudẽs equidem petitio, ſe non extra ditionem Regis (hæc enim ſolitudo ſua erat) ſe velle ſacrificare, ne in ſuſpicionem induceretur, eos aliis principibus ſe velle ſubiicere, quod quidem D Reges ferunt indigniſſime.

## *Veritas fidei, operis bonitas, intentionis puritas ad ſacrificium requiſita.*

278 *Ingredieris tu & ſeniores ad Regem & dices ibimus viam trium dierum.* Via trium dierum, inquit Hugo Cardin. fides Trinitatis, per quam itur de Ægypto in Hieruſalem, de mundo in cœlum, opera fidei ſunt quaſi curſus extra viam in ſolitudine, ſed Numero ternario potuit notari Trinitatis fides, ſicut tribus noctibus, qua de cauſa igitur tribus diebus? vt in hac fide ſit lux veritatis, lux bonitatis operis, lux puritatis intentionis quæ in ſacrificio debite offerendo requiruntur, ita cit. Cardin.

Hugo Cardinalis. Card. *In his tribus diebus notatur fidei veritas, operis bonitas puritas intentionis, hæc tria sunt necessaria ad hoc vt sacrificium nostrum placeat Deo, scilicet fides vera, opera bona, intentio pura.*

### *Ad beatitudinem assequendam quibus gradibus ascenditur.*

278 *Ingredieris tu & seniores ad Regem & dices, ibimus viam trium dierum.* Vt tandem ad terram promissionis perueniamus, quæ quidem beatitudinis symbolum est, quæque nihil aliud est quam summi boni fruitio, cum autem bonum sit supra nos nullus sane ad id peruenire poterit, nisi supra seipsum ascendat, non ascensu corporali sed ascensu cordiali; sed cum non ascendatur nisi quibusdam gradibus, quot ad huiusmodi ascensum requiruntur? quid ait Moyses? ibimus viam trium dierum, ibimus vt tandem ad terram promissam peruenire possimus: sed quinam sunt hi tres dies, quibus tanquam gradibus ad eam fit ascensus? satisfaciat nobis noster doctor Seraph. in tractatu cuius titulus est Itinerarium mentis in Deum cap. 1. (Noster S. Bonauent.) *cum secundum statum conditionis nostræ, ipsa rerum vniuersitas sit scala ad ascendẽdum in Deũ & in rebus quædã sint vestigiũ, quædam sint imago, quædã corporalia, quædã spiritualia, quædã tẽporalia, quædã æuiterna, ac per nos, quædã extra nos, quædam intra nos, ad hoc quod perueniamus ad primum principium, considerandum quod est spiritualissimum & æternum, & supra nos oportet nos transire per vestigium quod est corporale, & temporale, & intra nos, & hoc est deduci in via Dei, oportet nos ergo intrare ad mentem nostram, quæ est imago Dei æuiterna, & spiritualis, & intra nos: & hoc est ingredi in veritatem Dei: oportet etiam nos transcendere ad æternum spiritualissimum & suprà nos aspiciendo ad primum principium, & hoc est latari in lætitia, in Dei notitia & reuerentia maiestatis, hæc est igitur via trium dierum in solitudine, hæc est triplex illuminatio vnius Dei, & prima est sicut vespera, secunda sicut mane, tertia sicut meridies.*

A

### *Hostis humani generis, impedit quin mysteria Saluatoris agnoscamus.*

279 *Ingredieris tu & seniores ad Regem, & dices ibimus viam trium dierum.* Quod quidem Pharao renuit, quamuis petitio esset iusta, cur viam trium dierum non concedis, vt Deo suo in solitudine sacrificet? an times aduersus tuum regnum congregaturos exercitum, vt te tuosque oppugnare valeant? permitte igitur, quod iuste deprecantur. si per Pharaonem Regem Ægypti, principem tenebrarum intelligis, sic tibi satisfaciet D. Aug. (D. August.) serm. 90. de temp. *Non volebat princeps huius mundi exercitum Domini trium dierum sacramenta cognoscere, illa vtique sacramenta de quibus propheta dixit Osea 6. viuificabit post duos dies, in die tertio suscitabit nos, prima dies passio Domini Saluatoris est, secunda quia descendit ad infernum, tertia autem resurrectionis dies.* (Oseæ. 6.)

B

### *A sæculo egrediamur, vt in deserto religionis triplex sacrificium Deo offeramus.*

280 *Ingredieris tu & seniores ad Regem, & dices ibimus viã triũ dierũ in solitudinẽ,* scilicet sacrificij Deo offerendi causa, nonne nobis obijcere poterit Rex, ad sacrificium quæcumque sunt necessaria regnum meum potest elargiri? Deo ergo vestro, in eo, victimas, si velitis, immolate, nõ enim necesse viã triũ dierum in solitudinem progredi, audiamus nostrũ Card. Vitalẽ in titulo de Relig. (Noster Cardinalis Vitalis.) *Isti nempe Israelita (inquit) figurant Religiosos qui in Ægypto, id est in mundo, Deo non sacrificant sed seruiunt Pharaoni, idest diabolo in luto fœditatis, & latere auaritiæ, & cupiditatis; inde egressi intrant desertum religionis, & incedentes viam trium dierum paupertatis, castitatis & obedientiæ sacrificia operum meritoriorum offerunt Saluatori.*

C



## *VARIETAS LECT. Vers. 19.*

**V**Vlg. Sed ego scio quod non dimittet vos Rex Ægypti vt eatis nisi per manum validam.

*Sep.* Ego autem noui quod non permittet vos Rex Ægypti, vt pergatis nisi in manu forti.

*Cald.* Et in conspectu meo manifestum est, quod non dimittet vos Rex Ægypti, nisi propter timorem fortem.

D

*Onk.* Non dimittet vos Rex Ægypti vt abeatis; neque etiam propter præsentiam eius; cuius virtus fortissima est.

*Aly.* Non dimittet nec in manu forti.

## CONCORDIA.

**Q**Vi vertunt neque in manu valida (sunt enim aliqui præter Cald. Onk. qui ita legunt) etiam habent legitimum sensum, nempe neque si viderit manum Dei potentem & miracula stupenda, & confessus fuerit digitum Dei esse, hoc est diuinitus ea fieri, permittet vos abire. Cald. habet propter timorem fortem, hoc est per stupenda miracula.

## EXPOSITIO.

**E***Go scio*, cum nihil mihi sit incognitum, *non dimittet vos Rex Ægypti*, scilicet libenter, *nisi per manum validam*, nisi per percussionem grauem, manu enim percussio fieri solet.

## CONCEPTVS.

*Deus prædicit futura ne serui sui titubent.* A

281. EGo scio quod non dimittet vos Rex Ægypti. Nōne satis erat id compertū Moysi, cum de facto ipse Rex renuere: Dei mandatis obedire? cur ergo quod euenturum est prædicis? nonne à Deo tanquam legatus suus mittitur ad Pharaonem, vt libertati populum Israël mancipet? si ergo Regem renuentem experiretur, nulla suæ rebellionis habita notitia, titubare potuisset; vnde

Oleaster. Oleaster. *Solet Dominus dicere seruis suis, quæ passuri sunt, propter opera virtutis, & quod tandem superabunt aduersarios suos.*

*Deus nullius potest accusari iniustitiæ.*

282 *Ego scio quod non dimittet vos Rex Ægypti.* B Cur mones id euenturum? sane vt etiam Rex compertam habeat suam duritiem, sicque Dei iussui imperantis obediat, sed si non obedierit, sane grauissimas dabit pœnas, ait enim non dimittet nisi per manum validam, sed cur à Rege, cuius tanta est maiestas, supplicium exiges? nōne nimiæ argueris seueritatis vel iniustitiæ? nequaquam, cum eum suæ admonuerit rebellionis.

Lyppom. *Summa mansuetudine* (inquit Lyppom.) *tyrannum atrocem aggreditur, quam cum contemnit impietas, non accusabitur Dei iustitia, nec impiorum*

Interli. *excusabitur pernicacia.* & Interl. *meum est monere vt ille inexcusabilis sit.*

*Peruersi in malum suum, Deo sunt rebelles.* C

283 *Ego scio quod non dimittet vos Rex Ægypti,* Onk. legit *neque etiam propter præsentiam eius cuius virtus fortissima.* Ita vt sit sensus, nec in manu forti, nec propter Deum præcipientem dimittet vos, quid? an Deo fortior? quis Deo similis, vt quis ei resistere possit? quomodo ergo nec propter præsentiam eius, cuius virtus fortissima, permittet Israëlem populum discedere? hoc Deo sane permittente, cui nullo modo resistere posset si vellet, sed si resistit, sane in maximum sui detrimentum. *Nemo Deo resistere valet* (obseruatio

Lusitanus. est Oleast.) *robustiori manu, sed quia ipse permittit malos ad malum suum sibi resistere.*

*Quod non efficit amor, timor obtinet.*

284 *Ego scio quod non dimittet vos Rex Ægypti.* Nonne tuus dicet ei orator se velle populum tuū libere ab Ægypto discedere, te Deum cœli & terræ id præcipere? quæ autem creatura etiam potentissima poterit omnium creatorem non audi-

Caldæus. re? inspiciamus lectionem Caldaicam, *non dimittet vos Rex Ægypti, nisi per timorem fortem,* Quod quidē Emphatice dictū, quasi significaret se non ex amore nec ex obedientia Deo debita discessum ex Ægypto Israëli permisisse, sed coactum timore, tandem quod renuerat, permissurum.

*Oratores ad Reges de omnibus legationem suam spectantibus debent instrui.*

*Ego scio quod non dimittet vos Rex Ægypti.* 283 Nonne satis fuerat te tuam ei aperuisse voluntatem, nempe vt Pharaonem cōueniret de dimittendo populo? cur ergo eum certiorem reddis, de futuro obstinatæ suæ voluntatis euentu? quia Oratores qui ad Regem mittuntur, de omnibus suam spectantibus legationem, debent instrui. quod optime animaduertit Cardinal. Caietan. Cardinalis

*Non solum legatum suum instituit Deus de princi-* Caietanus.

B *pio legationis, sed etiam de vniuerso progressu tum ex parte Pharaonis non dimissuri, tum ex parte ipsius Dei mirabilia facturi*

*Reuerentia etiam à sanctis viris, Regibus debetur.*

*Ego scio quod non dimittet vos Rex Ægypti.* 286 Quid hoc est, Deus omnipotēs! si dicis tibi compertum Pharaonem populum tuum non dimissurum, nec tuo obtemperaturum iussui, cur ad illum mittis nuntium? cur illius requiris beneplacitum? quia cum Rege propter dignitatem qua fungitur perurbanè agendum est, illius voluntas blande impetranda, non violenter cogenda, vel etiam in

C eo quod Deus præscribit, imperatque, modeste petendum est, vt libens assentiatur, quod si obstinate abnuat, tunc per manum validam, ad Dei placitum cogatur necesse est.

*Obstinatus animus nulla re mouetur.*

*Ego scio quod non dimittet vos Rex Ægypti,* 287 *nisi per manum validam* aliqui, *& non in manu forti*, quid? nonne Moysis precibus emollietur Regis animus? nonne Dei iussu cor eius conteretur, vel grauissimis ab eo, & populo suo pœnis exactis mouebitur? nequaquam, obstinatus enim animus nec minis, nec amore, nec suppliciis ad meliorem frugem trahitur, vnde Vatab. hæc verba exponens ait, *Scio inefficaces fore preces vestras* Vatablus.

*apud Tyrannum: ad hæc nihil effecturam manum meam fortem, quam ostendam variis signis & mi-*

D *raculis nulla re poterit moueri obstinati Regis ani-* D. Bernard.

*mus*, quod quidem recte agnouit Diu. Bernard. lib. 1. de considerat. ad Eugen. Papam, vbi loquens de corde obstinato sic disserit, *ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina.*



## *VARIETAS LECT. Vers.* 20.

VVlg. Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum, post hæc dimittet vos.

*Cald.* Mittam stanm plagam fortitudinis meæ, & percutiam Ægyptios in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus in medio eorum, & post hæc mittet vos.

*Oleast.* Percutiam in omnibus separatis.

## CONCORDIA.

VErbum שלח manum mittere, vel extendere, quod est percutere, significat, quod Cald. in paraphrasi aperuit mittam plagam fortitudinis meæ, פלא pala separatum etiam significat, hæc autem separata dicuntur quia talia nondum visa fuere.

## EXPOSITIO.

*EXtendam manum meam.* Metaphora est à viro pugnatore qui habens manum collectam, eam deinde extendit ad feriendum, *Et percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis*, non absolutè de omnibus, sed de quibusdam eximiis factis in Ægypto, vnde subdit, *quæ facturus sum in medio eorum* inter illos, *post hæc dimittet vos*, non liberè sed coactè & violenter.

## CONCEPTVS.

*Deus desiderat pœnarum auctorem reputari, vt ad eum percutientem fugiamus.*

288 *EXtendam manum meam & percutiam Ægyptũ in cunctis mirabilibus meis*, Quasi diceret, maiorem potentiam quam humanam expromam ad vltionem, ac grauia supplicia cumulabo, quà de causa cum sis benignissimus? vt facile credantur, non ab homine sed à solo Deo prouenire potuisse vt si Deum paternè admonẽtem non agnouerit, saltem vt Dominum ac iudicem terribiliter
Oleaster. flagellantem perhorrescat, *Idcirco* (ait Oleast. in cap. 7. Exod.) *à Deo flagellamur, vt Deum cognoscamus iratum, quem nolumus cognoscere propitium.* Itaque Deus propter Pharaonem maioribus suppliciis quam humanis puniebat, vt solus ab eo vltor crederetur, adeo desiderat pœnarum omniũ auctorem reputari, vt & pœnas patienter toleremus, & ad ipsum punitorem humiliter precaturi fugiamus.

*Quanto Deus patienter tulit, tanto seuerius punit.*

289 *Extẽdam manum meam & percutiam Ægyptũ.* Nonne satis erat dixisse Ægyptum percutiam, in cunctis mirabilibus meis, vt futura præuideret Moyses? cur ergo ait extendam manum meam? aduerte bellatorem, qui antea manus clausas habuerat, cum descendit in certamen, eas arrepto gladio, vt melius feriat, aperire: merito ergo Deus postquam tot annorum curricula cum Ægyptiis dissimulauit, dixit se manus extensurũ, ad innuendum quanto Deus patienter tulerit, & tamen nõ emendamur, tanto deinde seuerius puniturũ: non
Abulens. dissentit Abulens. *Extendam manum meam metaphora est, quasi Deus sit vir pugnator, habens ante pugnam manum collectam, & deinde extendat eam*
Exod. 15. *ad fortiter pugnandum, & sic dicitur infra cap. 15. in Cant. Moysi Dominus quasi vir pugnator.*

*Maximæ potentiæ est hominem obstinatum sibi subdere.*

*Percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis,* 290
Nonne maxima potentiæ tuæ virtus, sufficientissima esset ad Ægyptum vniuersam delẽdam? cur ergo contra eam omnia potestatis tuæ promis arma? cur nulli parcis? nonne aduersus validissimum Assyriorum exercitum solum vnicum misisti Angelum, qui centum quinquaginta millia eorum percussit? quid? nonne vnico verbo vniuersum terrarum orbem delere potuisti? cur ergo contra vnicum Regem Ægypti conflicturus, cunctis mirabilibus tuis armatus, sanguine, tenebris, fulmine, aduersus eum agis? quid mirum in solo Angelo Assyriorum exercitum percussisse? vnico verbo vniuersum terrarum orbem delere potuisse? exercere autem omnem potestatis suæ virtutem aduersus vnicum Regem, quia Assyrios solũ delere volebat, at in Ægypto nolebat Regem perimere, sed eius voluntatem trahere, vt libens Israëlem dimitteret; vti autem voluntas hominis trahatur in placitum diuinum, non quælibet potestas sufficit, sed opus est Dei omnium potentissimum.

*Qui aliquid efficere potest libens, renuit, deinde rogat coactus, vt ei sit licitum.*

*Extendam manum meam & percutiam Ægyptũ in cunctis mirabilibus meis.* Et quid tandem? *post* 291
*hæc dimittet vos*, nonne ille Rex est Ægyptius, qui indignabundus Moysi, dixit se populum Israël non dimissurum? imo ex quo petiit Moyses eorum libertatem, maiori eos oppressit tyrannide? quomodo ergo eos tandem liberos abire permittet? imo eos vt abeant deprecabitur, quia qui aliquid efficere potest libens, & renuit, deinde rogat coactus, vt hoc ei sit licitum, quod monet Dionys. Carthusian. *Post vltimam plagam quæ* Carthus.
*fuit percussio primogenitorum, fuerunt Rex & Ægyptij ita perterriti, quod rogauerunt, & quasi impellebant Hebræos exire dicentes, omnes moriemur.*



## VARIETAS LECT. Vers. 21. & 22.

VVlg. Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis, & cum egrediemini, non exibitis vacui.

*Cald.* Et dabo populum hunc in gratiam in

oculis Ægyptiorum, & quando ieritis, non ibitis A vacui.

*Sep.* Et erit quando pergetis, non pergetis vacui.

*Vulg.* Sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua vasa argentea, & aurea, ac vestes, ponetisque eas super filios & filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.

*Sep.* Sed poscet mulier à vicina, & contubernali sua, vasa aurea, & argentea, &c.

*Cald.* Sed postulabit mulier à vicina sua, & à propinqua domus suæ, vasa aurea, & vacuos relinquetis Ægyptios.

*Oleast.* Ab inhabitatrice, & à peregrina domus suæ.

*August.* Et prædamini eos. *Syrus.* Et excutite, vacuefacite.

## *CONCORDIA.*

Est participium גרת nerat à verbo גר gur A quod habitare, aduenā esse, incolere significat, vbi ה propter regimen migrauit in ת ה hemantica præcedente ומגרת ומגורת vmigarat betha.

## EXPOSITIO.

*Daboque gratiam populo huic*, idest reddam populum hunc gratissimum Ægyptiis, & cum egrediemini totaliter recedentes à terra Ægypti, *non exibitis vacui*, nō enim cū sola supellectili vestra egrediemini, *sed poscet mulier à vicina sua*, quæ non erat ei offensa, licet enim exactores operum affligerent ex mandato Regis, non omnes alij eodem ferebantur in eos animo, *& ab hospita sua*, multi enim Israëlitis propter innumeram eorum multiplicationem coge- C bantur permixtim manere cum Ægyptiis, *vasa argentea & aurea, &c.* quasi eis sacrificia, quæ peracturi erant, deberent honorate, *& vestes, ponetisque eas super filios & filias vestras*, vt quasi decentius vestiti, præsentes adsint sacrificiis, *& spoliabitis Ægyptios*, in mercedem laborum vestrorum, quos irremuneratos reliquerunt, vel quia cum omnium sim Dominus, quæ eorum erant, in vos transfero.

## CONCEPTVS.

### *Iustorum apud Deum cura est maxima.*

292 *Daboque gratiam populo coram Ægyptiis*, An vt solum cum suppellectili sua liberi ab Ægypto egrediantur? non equidem, sed etiam pretiosis quibuscumque Ægyptiorum onusti discedent: nonne satis erat à captiuitate Ægypti durissima exemisse, nec non desideratissimæ libertati restituisse? cur ergo vasa aurea, argentea, pretiosissimasque vestes eis concedis? vt quantam Deus suorum curam gerat nobis sit compertum, qui etiam prouidet vt laborum suorum accipiant mercedem. *Sunt iusti maxime curæ Deo* (inquit Oleaster.) *vt non solum eos curet, sed etiam mercedem laborum restituere faciat.* Oleaster.

### *Dei mandatum non discutiendum, sed obediendum.*

293 *Daboque gratiam populo coram Ægyptiis*, deinde, *& eos spoliabitis.* Nonne qui alium spoliat, fraude vel violentia aufert, vel surripit? quomodo ergo audito hoc Dei præcepto, non dixere seniores Deum non esse qui Moysem miserat? lex enim naturæ est quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, quis autem spoliari vellet? quis etiam in dubium reuocare poterit Deum auctorem esse naturæ? non ergo Deus potest esse qui præcipiat aliorum bona fraude auferenda: nihil tale discutiunt, sed Deum esse scientes sine dissensu, præceptis illius obtemperant. ita D. August. quæst. 6. in Exod. satisfacit, *Quod vero mandauit Dominus Hebrais, vt acciperent ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea, & vestem, atque addidit & prædamini eos, mandati huius non potest esse iniustum iudicium, mandatum enim Dei est de quo non iudicādum, sed ei obediendum fuit, ille enim nouit quam iuste mandauerit, ad seruum enim pertinet obedienter facere quod mandauit*, ad id vero quod diximus quod cum Deus sit auctor naturæ nihil ei dissentaneum præcipit, satisfacit Diu. Thom. 2.2. quæst. 66. arti. 5. ad 3. *sicut Deus nihil operatur contra naturam, quia hoc est rei natura cuiuscumque quod in ea Deus operatur, tamen aliquid contra solitum cursum naturæ, & sic non fuit contra iustitiam quod mandauit Judæis, vt res Ægyptiorum acciperent, quia eius sunt omnia, & cui voluerit dat illa.* D. August. D.Thom.

D

### *Licitum est sua recuperare sub quocumque colore.*

*Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis & spoliabitis eos.* Nōne furti à quibuscumque arguentur, quod hospites suos & vicinos supellectili sua, non quacumque, sed pretiosissima spoliauerant? imo D. Aug. furtum esse atrocissimum indicat, vertit enim prædamini eos; prædo autem communem furem superat: quomodo igitur Ægyptios sibi vasa mutuo dantes spoliauere & deprædati? ne prædones vel fures dixeris, licitū est enim sua sub quocumque prætextu recuperare: Ægyptij enim eos mercede laborū suorum spoliauerant, *non iniusta præceptio* (inquit Rupert.) *Ægyptij nāque violenter subegerāt Israël, qui nō erat vernaculus aut emptitius, illudētes & affligētes operibus luti & lateris, iusta ergo vice spoliare habebant oppressores suos veluti non dominorum* 294 Rupertus.

*direptores, sed vt hostium victores.* & D. Thomas vbi supra, (D. Thom.) *non fuit furtũ, quod tulerunt filij Israël, tulerunt spolia Ægyptiorum de præcepto Domini, hoc decernentis pro afflictionibus quibus Ægyptij eos sine causa afflixerunt, & ideo signanter dicitur* (Sapien. 10.) *sapientiæ decimo, iusti tulerunt spolia impiorum.* Sed clarius Tertul. lib. 4. contra Marc. (Tertullian.) *Instincti sunt Hebræi non ad fraudem sed ad mercedis compensationem, quam aliàs à dominatoribus exigere non poterant.*

*Impiis non solum bona spiritualia, sed etiam temporalia adimuntur.*

295 *Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis, & spoliabitis eos.* Quid? nonne satis, si propter peccata sua & scelera retrahuntur ab eis bona spiritualia? cur ergo etiam bonis temporalibus, quibus vt in plurimum impij fruuntur, priuantur Ægyptij? quia Deus ipsa etiam temporalia ab eis tanquam iniquis dominis vult auferre, quæ quidem ab eis coactè detinebantur, quod ostendit locus ille apud Oseam cap. 2. (Oseæ 2.) vbi impia gens decem tribuum, quæ à Deo defecerat sic loquitur, vadam post amatores, quæ dant mihi lanã meam, & linum meum: quibus insanis ac stultis verbis sic respondet, liberabo lanam meam & linum meum, quę operiebãt ignominiam eius: vbi aduertendum est maxime verbum illud *liberabo*, nam verbum Hebræum, pro quo vulgatus transtulit liberabo, propriè significat cũ ea tollimus, quæ contra fas ab alio tenebãtur, & hæc sanè fuit ratio, cur eleganter, propriè & doctrinaliter, reddiderit Hyeron. liberabo lanam meã, quod enim iniquè ab iniquis, & iniustè ab iniustis ac peccatoribus bonum possidetur, videtur lædi, affligi & veluti carcere conclusum teneri, & ideo cum aufertur & à manibus iniquorum extrahitur, merito liberari dicitur. hæc fuit ratio cur Paulus (Paulus. Roma. 8.) loquens de creaturis, quæ impiis hominibus quasi inuitæ in hunc mundo seruiunt ait, *quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem filiorum Dei*, vt scilicet iam amplius creatura non ministret per violentiam hominibus impiis, sed libenter deseruiat sanctis, quãuis enim in cœlis habitaturi sunt beati, tamen pars mundi inferior etiam ad ipsos pertinet, propter quos creata est: hæc igitur liberabitur à seruitute, qua impiis seruire cogebatur, vt læta & excusso iam iugo libere ac libenter obsequio sanctorum veluti sit parata: ex quibus constat quid voluerit Deus quando per Oseam dixit, liberabo lanam & linum, etenim hæc sicut & cætera temporalia, quæ vniuersorum Domino veluti morigerantur, coactam patiuntur seruitutem dum apud impios homines detinentur; à qua quidem liberantur, cum ab iisdem iustè auferuntur, à quibus cum ipsa gratia si possent recederent, & quia nequeunt, pergrauantur.

*Cum ab Ægypto huius sæculi egredimur in desertum, non sine diuitiis illius discedamus.*

296 *Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis, & spoliabitis eos.* Quanam supellectili? postulabit mulier à vicina sua vasa aurea, & argentea, & vestes quibus onusti discedetis, nonne satis erat ab Ægypto discedere vacuos libertate tamen fruentes? cur cum tot bonorum copia in solitudinem proficiscuntur? sane per filios Israël Ægyptum deserentes, eos qui mundo valedicentes ad Religionis desertum confugiunt, possunt intelligi, sicut per huiusmodi opes varia scientiarum genera, est quippe in his quas artes nominamus liberales, aurea quædam & pretiosa subtilitas, faceta & composita quædam verbositas, est etiam non contemnenda moralitas quæ tunc ad salutem solummodo esse vtiles agnoscuntur, cum ad placendum Deo de Ægypto in eremum transferuntur; non enim quis in Ægypto cum his opibus debet pertinaciter conuersari, & de acquisita scientia tumore pompatico gloriari, cum eadem scientia cuiquam non diuino munere non donetur, vt omnis glorians non in se sed ibidem Domino glorietur. quo posito sic Philip. Abb. lib. de iustitia Cleric. cap. 37. ait (Philippus Abbas.) *Vult Deus nos quandoque exire de Ægypto, sed tamen non vacuos, ne duplici culpæ argui mereantur, tum quia in Ægypto in luto & latere aliquoties conuersati, tum quia in ea nulla scientia sunt dotati, est nimirum culpabile, si quando Clericus in Ægypto diligat conuersari, sed eandem culpam non parum exaggerat, si ibidem eligat otiari, si crassa ignauia nihil sibi acquirat sciẽtia litteralis, si vero cura peruigili multam sibi studet scientiam aggregare, & tamen Ægyptum plus iusto diligens ad prædictam eremum non curat festinare, falso sibi nomen sapientis expetit assignari, cum huiusce scientia nondum sapientia digna sit appellari: quis enim dolum filiorum Israël per se commendabilem iudicaret, nisi hæc iustitia illum quasi iniustam obumbraret? nisi eum adiunctus illorum de Ægypto exitus excusaret, & fauente gratia processu temporis in melius commutaret? sic profecto illius quasi stultitia in sapientiam commutatur, cuius quauis scientia iustitia humiliter famulatur, cum in eo quod studet vel studuit, litterario profectui deseruire, iam nihil appetit aliud quam Deo sapientius & perfectius obedire.*

*Deus diuersa stipendia reddit meritorum, ad furtum non inducens.*

*Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis, & spoliabitis eos.* Quid? quomodo hoc factum potest dignũ venia iudicari, cum Ægyptius à populo Dei furtiue spoliatur? dices non iussionẽ sed permissionẽ fuisse, vt scilicet idem populus, non hoc facere iubeatur, sed ad faciendum voluntati propriæ relinquatur, videtur enim quod non conueniat diuinæ puritati, vt aliquando iubeat contrarium sanctitati: ne auctor furti Deus fuisse prædicetur, cum aliàs tanta diligentia prohibeat, sed sane illud præcepit, & tamen sanctitati contrarium nihil egit, quia forte sicut sanctum est nõ fieri, quod iubet, vt nõ fiat; sic sanctũ est & fieri, si forte iusserit, vt hoc fiat; sicut enim opus quodlibet eius prohibitio facit illicitũ, sic eiusdẽ iussio idem opus facit licitum, quod autẽ filiis Israël Deus non solum permiserit, sed & præceperit, vt Ægyptios spoliarẽt, scriptura videtur euidẽter ostendere, fecerunt inquit filij Israël sicut præceperat Dominus Moysi, & petierunt ab Ægyptiis vasa, sed si ita se res habet quomodo Deus alios spoliare iubet, cũ imperet furtũ nõ facere? audiamus cit. Abbatẽ lib. de obed. Clericor. cap. 37. (Philippus Abbas.) *quid mirum si damnum quod merebantur Ægyptij sustinere, & commodum quod forte digni erant* 297

*filij Israël obtinere, expleri voluit distributor ille iustissimus premiorum, vtrisque reddens diuersa stipendia meritorum. quid autem refert vtrum aperte vel occultè bello vel furto id agi voluerit diuina æquitas, apud quem vlla vnquam inueniri potuit iniquitas.* Sed nonne exemplo huius facti, suæ quisquam in posterum blandiens auaritiæ, & suæ concupiscentiæ satisfaciens furabitur? non equidem, quia nihil tale Deus nec eisdem filiis Israel voluit imperare, sed à furtò eos multis & verbis, & verberibus reuocare: dictum enim per Moysen non facies furtum &c. ex quo patet quia etsi Deus Ægyptios à filiis Israël voluit spoliari, non tamen hoc exemplo furtum voluit actitari, sed sic illud tunc temporis eo quod ipse nouit consilio iussit agi, vt postea non iuberet, imo etiam prohiberet simile quidquam agi.

*Mulier donorum & habendi cupidissima.*

298 *Daboque gratiam populo huic,* deinde *postulabit mulier à vicina sua,* Quid? nonne ipsi viri possunt ab Ægyptiis hæc vasa aurea & argentea, accommodato petere? an eis deficit animus ad ea pro sacrificiis maiori cum reuerentia & honore postulanda? cur ergo mulieribus hoc munus iniungitur? cur hoc eis iubetur cum timidioris sint naturæ? quia sexus muliebris sine dubio habendi & donorum cupidissimus est, præ virili: quod acute annotat Abul. in illa verba 1. Paral. 9. vbi de muneribus retributis à Salomone Sabæ dicitur, Rex Salomon dedit Reginæ Saba; cuncta quæ voluit, & quæ postulauit, & multa plura quam attulerat ad ipsum: inquirit cur multo plura accepit ipsa Regina quam postulauerat? Respondet, *quia ipse erat vir & illa mulier.*, quasi diceret, quid mirum si tot munera postulauit? mulier erat, & ideo donorum & habendi cupidissima.

Abulens. 2 Paralip. 12

*Quæ iniuste impij possident & eis abutuntur, ab eis auferenda tanquam ab iniustis possessoribus.*

299 *Daboque gratiam populo huic, & spoliabitis Ægyptios.* qua suppellectili? petite vasa aurea, & argentea, & vestes, scilicet pretiosas: sed nonne hæc omnia sunt maximi pretij & possessa legitime ab Ægyptiis? cur ergo ab eis auferentur? D. Aug. per huiusmodi supellectilem pretiosam, intelligit doctrinam & scientiam, quibus impij aliquando Dei beneficio ornantur: quid mirum igitur si Dei imperio omnibus his spoliantur? quia quæ iniustè impij possident, & eis abutuntur, ab illis auferẽda tanquam ab iniustis possessoribus, verba subiicio D. August. lib. de doctrina Christ. cap. 40. Philosophi siquidem qui vocantur, si qua forte vera, & fidei nostræ accommoda dixerunt, maxime Platonici, nõ solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda: sicut enim Ægyptij non solum idola habebant & onera grauia quæ populus Israël detestaretur & fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento & vestem quę ille populus exiens de Ægypto, sibi potius, tanquam ad vsum meliorem, clanculo vendicauit, non auctoritate propria, sed præcepto Dei ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non bene vtebantur: sic doctrinæ omnes gentilium non solum simulata & superstitiosa figmenta, grauesque sarcinas supervacanei laboris habent, quæ vnusquisque nostrum duce Christo, de societate gentilium exiens, debet abominari, atque deuitare, sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis aptiores & quædam morum præcepta vtilissima continent, deque ipso Deo vno colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos, quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infusa est, eruerunt & quo peruerse atque iniuriose ad obsequia dæmonum abutuntur, cũ ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad vsum iustum prædicandi Euangelij, vestem quoque illorum, idest hominum quidem instituta sed tamen accõmodata humanæ societati qua in hac vita carere non possumus accipere atque habere licuerit in vsum conuertenda Christianum, nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? nonne aspicimus quanto auro & argento, & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suauissimus, & martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus? Optatus? Hilarius? vt de viuis taceam, quanto innumerabiles Græci? quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat; de quo scriptum est, quod eruditus fuerat omni sapiẽtia Ægyptiorum; quibus omnibus viris superstitiosa gentium consuetudo & maxime illis temporibus, cum Christi iugum decutiens, Christianos persequebatur, disciplinas quas vtiles habebat, nunquam commodaret, si eas in vsum vnius Dei colendi quo vanus idolorum cultus extingueretur; conuersum iri suspicaretur, sed dederunt aurum & argentum & vestem suam exeunti populo Dei de Ægypto, nescientes quemadmodum illa, quæ dabant in Christi obsequium redderentur, illud enim in Exodo factum sine dubio figuratum est, vt hoc præsignaret, quod sine præiudicio alterius aut paris aut melioris intelligentiæ dixerim.

August.

*Memoria mortis quæcumque bona temporalia despicit.*

*Daboque gratiam populo huic & spoliabitis Ægyptios,* scilicet supellectili aurea, & argentea, 300
quam quidem secum ex Ægypto discedentes detulerunt. quomodo Ægyptij vasorum aureorum, quæ Israëlitis commodauerant, immemores, permittunt eos abire, & quæ eis dederant non repetunt? an vili æstimanda sunt vasa aurea & argentea, nec non vestes pretiosissimæ? aduerte cum discesserunt ab Ægypto Israëlitæ, præsens tot primogenitorum spectaculum interfectorum habuisse Ægyptios: quid mirum igitur auri & argẽti sui immemores? memoria enim mortis quæcũque bona temporalia despicit & obliuiscitur: non alienus ab hoc sensu noster Lyran. *Secum portauerunt bona Ægyptiorum* (inquit) *quia erant intenti ad sepeliendum mortuos suos, quia nulla erat domus Ægyptiorum in qua non iaceret mortuus, & ideo obliti sunt repetere.*

Noster Lyranus.

*Rectè Ægyptus, media confessione ab anima fideli spoliatur.*

*Daboque gratiam populo huic & spoliabitis Ægyptios.* Nonne quilibet nostrum viuens inordi- 301

nate variis seruiens idolis, nempe vitiis, dicendus est Ægyptius? & si Ægyptus tenebræ interpretantur, quis densioribus tenebris tenetur, quam peccator? sed cui populo tantam gratiam contulit Deus, vt spoliet Ægyptios, non solum vestibus pretiosis, sed auro, & argento? sane electo populo suo, nempe sacerdotibus, qui media confessione qua nostra aperimus delicta, nos vitiis spoliant, cupiditatem nimiam qua auro & argento seruimus, auellunt, vestium vanitatem auferunt, sic docte Adamus de Perseuia apud Tilman. *Qui teipso Ægyptum inuestieras, qui Ægyptios mores & tenebrosos actus tuos, aut excusationis arte, aut accusationis palliatione tegebas, quasi spolias Ægyptum, cum denudas & detegis in vera confessione teipsum, cum dilectione tua seculum priuas, cum aurum sapientia tuæ curis secularibus subtrahis, cum* A *argentum eloquentiæ tuæ studio consecras sanctæ taciturnitati, cum membra tua impudentiæ & inhonestati subducis, cum exemplo conuersationis tuæ cæteros quosque (quantum in te est) corrigis, quasi Ægyptum spolians, preciosa quæque in vasis & vestibus tecum tollis: bene ergo Ægyptum spoliat qui peccatorum suorum nigredinem in confessione denudat; bene Ægyptum spoliat qui pellem Æthiopis mutans, se aspergit Christi hysopo, & dealbat, bene Ægyptum spoliat qui non modo iugum peccati à se excutit, verum etiam quaslibet peccandi occasiones præcidit & à se nodos perfidæ iurisdictionis absoluit. O fœlix violentia, qua sic deprædamur Ægyptum & diabolicæ tyrannidi auferimus ius antiquum, fœlix inquam violentia, qua dum enitimur, ne simus præda peccati fœlici deprædatione diripimus regnum Dei.*

Adamus de Perseuia.





# CAPVT QVARTVM.

## SYNOPSIS.

Miracula pro ſigno legationis ad Iſraël Moyſi dantur, ad ſuam obſecrationem Aaron ſibi collega aſſociatur. Moyſen in Ægyptum cum familia deſcendentem Dominus adoritur, Moyſes de Aaronis aduentu gratulatur, cum illo ingreſſus ad Iſraëlitas, & verbis & ſignis ipſos ad ſperandum in Domino efficaciter hortatur.



### *VARIETAS LECT. Verſ. 1.*



*VLG.* Reſpondens Moyſes, ait non credent mihi neque audient vocem meam, ſed dicent non apparuit tibi Dominus.

*Sep.* Reſpondit autem Moyſes, & dixit, ſi non crediderint mihi, neque exaudierint vocem meam, dicent enim quia non apparuit mi- A hi Deus, quid dicam ad eos.

*Pagn.* Et reſpondit Moſeck, & dixit, & ecce non credent mihi, neque parebunt voci meæ, quia dicent non eſt conſpectus tibi Dominus.

*Onk.* Nequaquam ſe reuelauit tibi Dominus.

### EXPOSITIO.

RESpondens Moyſes, his quæ à Deo audierat, pro legatione obeunda ad Pharaonem, & ad populum Iſraël. *Non credent mihi nec audient vocem meam*, etſi iuxta verbum Domini ſeniores Iſraël, qui promiſſiones Dei ad patres factas nouerant, non dubitaret Moyſes credituros, ſciebat tamen in populo pleroſque eſſe incredulos, & duro corde: alij etiam hoc intelligunt de ſenioribus, qui licet ſecun- B dum Dei promiſſionem credituri ſunt, tamen non niſi præuio ſigno, fidem mihi adhibebunt.

### CONCEPTVS.

*Populus non vnius eſt mentis & ſententiæ.*

1 NOn credent mihi neque audient vocem meam. Quid? nonne promiſit Deus ſeniores populi tibi fidem adhibituros, teque eum ad hoc munus obeundum legationis deſtinaſſe? cur ergo Deo contradicens, ais tibi non credituros? non intelligit ſecundum plures, de ſenioribus populi, ſed de pluribus aliis incredulis, quid? nonne omnes ſunt Iſraëlitæ? nonne omnes eiſdem gubernantur legibus? nonne omnes populus Dei dicuntur? quomodo ergo pluribus Moyſi credentibus, alij

manebunt increduli? quia non omnes in eodem populo vnius sunt mentis & sententiæ, *sciebat* (inquit noster Lyranus) *quod multi in populo erant rebelles & increduli, qui non acquiescerent verbis, nisi viderent signa diuinæ virtutis.*

Lyranus.

*Vitium quasi à natura contractum difficile deponitur.*

2 *Non credent mihi neque audient vocem meam.* Quid? post innumeras ab Ægyptiis toleratas miserias? post tyrannicam seruitutem à tot lustris perpessam, viro iusto libertatem promittenti, fidem non adhibebunt? qua de causa hæc de incredulitate eorum asseris? *quia ingenium Israëlitarum noueras* (inquit Lyppom.) *quod erat duræ ceruice & increduli essent:* sed ô Moyses, ab annis quadraginta, à terra Ægypti discessisti, nonne ab eo tempore, tot calamitatibus probati, libertatis suæ amantissimi, hanc non deposuere incredulitatem & cordis duritiem? nequaquam, quia vitium quasi à natura contractum, qualis est in Iudæis incredulitas difficillime deponitur.

Lyppom.

*Iustorum est, vsque ad ima se deprimere.*

3 *Non credent mihi neque audient vocem meam.* Quid? Deum mendacij accusare videris, dixit enim tibi credituros, tu autem asseris fidem dictis tuis non adhibituros; ita humilis est Moyses, vt non audeat credere vocem suam audituros Israëlitas, non ex diffidentia verborum Dei hæc loquitur, sed ex profundissima humilitate. fauet Lyppom. *Piorum more, qui temerarij & præsumptuosi non sunt, nihil de se præsumebat magni; ideo diuinum implorare auxilium desiderat.*

Lyppom.

*Prudentes simus in muneribus obeundis.*

4 *Non credent mihi nec audient vocem meam.* Scilicet nisi signa meæ legationis & meæ dignitatis viderint: nonne Deus omnipotens est, cuius vices geris in hoc munere obeũdo? nonne eorum corda vt tibi pareant, cum id pollicitus sit, mouebit? perge ergo nullo legationis tuæ obeundæ habito timore: imo sistat, prudentes enim debemus esse in legatione obeunda, & omnia ante discessum ad eam necessaria præparare, ne ad eum qui nos miserit, re infecta regredi teneamur. *Aduerte Mosis prudentiam* (obseruat Oleaster.) *qui nunc omnia impedimenta legationis suæ Deo opponit, ne ad eum redire cogatur: si enim non haberet suæ missionis signum, & Iudæi ab eo illud expeterent, ad Deum qui miserat redire cogebatur,* A *quod ne fieret Deo exponit, non tam suam quam populi diffidentiam.*

Oleaster.

*Quales sumus, tales Deum arbitramur.*

*Non credent mihi nec audient vocem meam.* 5
More Iudæorum inquit Hugo. Carens. non credidit sine exhibitione signorum, & sic secundum aliquos Deo diffidere videtur: sed sic Symbolum peccatoris, Deo fidem non adhibentis, quomodo cum verba Dei non transeãt, sed quidquid dixerit, manet infallibile, quomodo inquã peccator Deo aliquid dicẽti fidem non adhibet: quia qualis ipse est, talem Deum arbitratur, & cum ipse Deo promissa non seruet; credit impius Deum esse sibi etiam non consistentem, ratiocinatio est cit. Oleastri, *Cogitaui penes me, vnde tanta hominis diffidentia ad Deum, & cognoui ex eo esse, quod* B *quales nos sumus erga Deum, talem arbitramur eum esse erga nos: quia enim nos frequentissime Deo promissa mentimur, arbitramur Deum etiam nobis non seruaturum promissa.*

Lusitan.

*Aliquando Deo aliquid obiicere possumus.*

*Non credent mihi nec audient vocem meam.* 6
Quomodo ô Deus, Moysem suæ erga verborum tuorum veritatem, diffidentiæ non arguis? ecce enim te dicente suam vocem audituros, obiicit non ita esse, sed in incredulitate sua mansuros: nihil ei obiicit Deus, sed quæ à Moyse sibi dicta sunt, approbat, vt intelligamus aliquando sane nos posse Deo aliqua obiicere, ita sentit Rupert. lib. 1. cap. 16. C *Iusta Dei expectatio nam veridica est & sana hæc hominis oppositio, non credent inquit mihi, subauditur nisi signa viderint, nam vsque hodie Iudæi signa quærunt, & Græci sapientiam inquirunt, & sic Dominus hæc opponentem placide instruit.*

Rupert.

*Diuitiis regnum fulcitur.*

*Non credent mihi nec audient vocẽ meam.* Quid 7
si fidẽ nolint tibi adhibere, saltem muneribus ad tibi credendum allicientur, ecce enim vasa aurea & argentea Ægyptiorum cedunt in suum dominium, vestes eorum pretiosissimæ sunt suæ, sed cur ô Deus, auro & argento spoliatam deseris Ægyptum? vt colligeret quod cum diuitiis regnum fulciatur, his deficientibus, necesse est intercidere tanquam ruinæ proximum, subsignat Lyppom. in fine capitis antecedentis, *vt amota sede Mammonæ seu Iouis Ammonij Ægypto præsidentis facilius ipse collideretur*, sustentat sedem thelonium, D fulcit principatum aurum, quod dum aufertur à regno facile corruit.

Episcopus Metonens.



*VARIETAS LECT. Vers. 2. & 3.*

*Vulg.* Dixit ergo ad eum, quid est quod tenes in manu tua? respondit, virga.

*Pag.* Et dixit ad eum Dominus, quid est in manu tua?

*Vulg.* Dixitque Dominus, proiice eam in terram, proiecit, & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses.

*Sep.* Facta est serpens.

*Cald. & Pagn.* Et fugit Moyses à facie eius.

## EXPOSITIO.

Q*Vid est quod tenes in manu tua?* vt ex responsione Moysis, conuenientius signum induceret, *respondit, virga*, scilicet pastoralis, *Dixit Dominus proijce eam in terrã*, cui præcepto obe- A diens, *versa est in colubrũ*, qui humi repens, & in spiras se conuoluens, caput erigebat, quasi deuoraturus, si quis insequeretur, itaut fugeret Moyses viso tam immani dracone.

## CONCEPTVS.

*Qui à Dei patrocinio recedit, venenatis moribus imbuitur.*

P*Roiice eam in terrã & versa est in colubrũ*, cur virga à Moysis manu abscedens in serpentẽ vertitur? si per virgam Dei patrocinium intelligitur, secundum illud, virga tua & baculus ipsa me

Psal. 22. consolata sunt, merito virga hæc è manu ipsius B proiecta fit serpens, necessum est enim, vt quicumque se elongat ab auxilio Dei in deterius abeat, & venenatis sit moribus, id quod à Deo

Cyrillus Alexand. discedenti homini minatur D. Cyrill. Alexand. hom 4 Paschali inquiens, *Vbi è manu legum cõditoris exciderit, tunc mansuetudine, & facilitate abiecta, serpens venenatus existit*, non meliorem euentum expectet, qui à Deo se elongat dum sub eius legibus viuit: dum eius agis sub iugo, quasi virga existis, quæ de tanti Domini cultu, in flores abeas & fructus, vbi Dei manum fugis, & disciplinã, fœtidi imo venenati & serpentini mores te expectant, serpens reptantibus moribus fies.

*Gubernator populi ac iudex, sit rectus.*

9 *Proiice eam in terram*, nempe virgã, *quam habes in manu*. Cur in iudicem & gubernatorem populi Israël eligendus Moyses, habere virgam in manu dicitur, & hanc non obliquam sed rectam? sane vt quãta rectitudine deberet pollere, nec vllomodo à iustitia deflectere, significaretur. *Voluit*

Oleaster. *Dominus*, ait Oleast *Moysen secum virgam ferre in manu, quoniam facturus erat iudicia in Ægyptios, & si quæras quare iudices virga recta vtantur, aduerte hac virga rectitudine rectitudinem animi iudicis designari, aut quia virga metiri solemus, ostenditur iudices vnicuique debere seruare mensuram.*

*Iudex terrenis deditus, non homo sed serpens.* D

*Proiice eam in terram & versa est in colubrum.*
10 Nonne in auem potuit commutari? cur in colubrum repentem horridum ex aspectu formidabilem, necnon venenatum? nonne per virgam ipsum iudicem intelligere possumus? per terram, ipsam terrenorum cupiditatem? quid mirum igitur, si virga in terram proiecta, in colubrum conuertatur? iudex enim terrenis deditus, non homo sed serpens est venenatus: obseruatio est cit. Lusi-

Lusitani. tani. *Virga in terrã proiecta in serpentem vertitur, quoniam iudex terrena cupiens, omnia veluti serpens deuorat.*

*Signa à Deo immissa non vana sed significatiua.*

11 *Proiice eam in terram & versa est in colubrum*, Quid commune habet virga in colubrum mutata, cum futura Israëlitarum ex Ægypto, libertate? vel cum præterito, præsenti aut futuro eorum statu? nonne vana dicemus hæc signa, vel solum in terrorem incussa? nequaquam equidem, sed conformiter & proportionate ad diuersum Israëlitarum statum esse à Deo immissa; quod testatur A- Abulensis.

B bulens. *Ista signa designãt totum statum Hebræorum, qui fuit sub tribus conditionibus, scilicet aut quantum ad ingressum, aut quantum ad statum medij temporis, aut quantum ad exitum: primum signum tangit principaliter introitum in Ægyptum; quia in introitu Ioseph erat præpositus totius terræ Ægypti, & gestabat virgam quasi Dominus post Regem, hæc autem tenebatur in manu, dum tempore Ioseph Hebræi honorifice sustentati sunt nemine affligente: fuit autem proiecta in terram, cum post mortem Ioseph deductus fuit honor Iudæorum vsque ad puluerem, cogentibus eos Ægyptiis in laboribus luti, & lateris; postquam autem virga in terram proiicitur, vertitur in colubrum vel draconem, quia draco vel coluber insi-*

C *diantur vt mordeant, & veneno latenter diffuso totum corpus commaculant & conficiunt: sic enim Rex Ægypti imposuit Hebræis, dicens quod concepissent magnum malum contra regnum eius, scilicet vt se iungerent hostibus eorum, & expugnata terra recederent.*

*Homines crudeles seuerissime puniuntur.*

*Proiice eam in terram & versa est in colubrum*, 12
Virga illa significat plagam qua feriri debebat Pharao, sed nonne sine vlla in colubrum mutatione, hoc potuit adsibrare; cur ergo in draconem vertitur? non est dubium, serpentem seueritatem & rigorem denotare: quis autem Pharaone immanior? recte igitur denotatur eius supplicium, non qualibet virga, sed in serpentem mutata, vt quanta cum seueritate hominem crudelissimum puniri debere, intelligeremus. huc decurrit Theodoretus. *Primum signum dedit Deus virgæ* D. Theod.
*in serpentem mutationem, quia cum Pharao rationis particeps esset, crudelitatem aduersus Iudæos exercuerat, & speciem suam ad imaginem Dei factam ferinam ostenderat, virgam, qua illum flagellauit in serpentem mutari iussit, vt illius feritatem argueret & inimicitias declararet.*

*Cognoscant in dignitate constituti, quod parua in se habeant.*

*Proiice eam in terram*, nempe virgam, *quã habes* 13
*in manu*, Qui tamen antequam proijceret, inquisiuit ab eo, quid teneret manu, quod equidem mi-

ror, nam ei non erat incognitum, virgam eum habere, & quidem pastoralem, cur ergo id sciscitatur? non vt aliquid de nouo sciat, sed vt Moyses virgæ quam manu tenebat, paruitatem attente consideraret, cum qua tamen ex Dei auxilio populum licet duræ ceruicis, moderaturus erat & tyrannum, eiusque ministros superaturus: quod omnes populorum gubernatores attendere deberent, parua enim habent ex se, vt habenas populorum suorum teneant, & prouincias sibi commissas moderentur. id persuadet Diu. Gregor. Nazianz. principibus Orat. 17. *Imperatores purpuram veteamini, cognoscite quantum id sit quod vestra fidei commissum sit, quantumcumque circa vos mysterium, orbis vniuersus manui vestra subiectus est, diademate paruo atque exiguo panno retentus, supera solius Dei sunt, infera etiam vestra sunt, hic imperium vestrum sit, non autem in auro & in exercitibus.* Si ergo attente considerent parua esse, quibus tot prouincias moderantur, & ideo à superiori auxilio, nempe diuino, hanc virtutem sibi concessam.

D. Gregor. Nazianz.

*Dignitatibus non fidendum tanquam perpetuis, sed æstimandæ tanquam breui duratura.*

14 *Proiice eam in terram.* Quid? nonne ducem & gubernatorem populi tui eum institui? virga autem nonne est potestatis insigne? cur ergo præcipis, vt eam in terram proiiciat? imo si manibus non haberet, deberes iubere vt eam teneret: nihilominus dum in principem Israël eligitur, iubetur virgam proiicere, vt intelligeret virgæ minime fidendum esse tanquam perpetuo duraturæ, quin potius aliquando deponendam esse, dignitas enim qua donabatur, finienda erat, & ideo æquissime suo munere fungi deberet, quod annotat D. Ambros. lib. 4. in Lucam, *sæpe honor sæculi abiit antequam venerit, in momento enim cuncta illa nempe potestates & dignitates prætereunt, quid enim sæculi potest esse diuturnum, cum ipsa sæcula non sint diuturna?*

D. Ambros.

*Dignitas vbi deponitur venenata & mortifera apparet.*

15 *Proiice eam in terram.* Ilico obediens eam proiecit, quæ versa est in colubrum, ita aspectu horridum, vt ipse Moyses à facie eius fugeret, cur virga insigne potestatis & dignitatis, in tam fœdum animal, imo mortiferum vertitur? dentibus enim & cauda lædit, & venena infundit coluber, quid tibi mira hæc metamorphosis? dignitas enim cum deponitur, magistratus cum exuitur, coluber fit, qui mordeat, deterreat, qui venenum mortis infundat. hoc vidit Sidonius Apollin. lib. 2. Epist. 13. qui loquens de Maximo Patronio ad dignitates euecto, in hæc verba prorumpit. *Cum ceteros aulicos honores fœlicissime percurrisset, ipsam aulam turbulentissime rexit, quod & exitus prodidit, nouus, celera, cerbus, quem cruentauit fortuna diu lenocinantis perfidus finis, quæ virum vt scorpius vltima sui parte percussit* preme illa verba, *vt scorpius percussit*, quæ enim in principio dignitas videbatur fortunata, in fine vbi deponenda, versa in colubrum, qui miseré hominem læthali suo veneno percussit.

Sidonius Apollin.

*Crux nobis est sapientia, Iudæis scandalum, gentibus stultitia.*

*Proiice eam in terram.* Virga illa proiicitur, & in colubrum vertitur, sane virga illa crucis mysterium præferebat, sicut enim per virgam Ægyptus decem plagis percutitur, ita & per crucem totus mundus humiliatur & vincitur, & sicut Pharao & populus eius, per virgæ sacramentum affligitur, vt ad seruiendum Deo dimittat populum Iudæorum; ita diabolus & Angeli eius per crucis mysterium fatigantur, & premuntur, vt à Dei seruitio reuocare non possint populum Christianum: sed si huiusmodi virga symbolum est crucis, quomodo proiicitur in terram? quomodo in serpentem vertitur? satisfacit Diu. August. serm. 86 de Tempore, *Serpens pro sapientia reputatur, sicut Dominus in Euangelio, estote inquit prudentes sicut serpentes; virgam crucem diximus figurasse, cur ergo quæ infidelibus stultitia esse creditur, sicut dicit Apost. gentibus stultitia? postea quam in terram missa est, idest ad passionem Domini preparata, versa est in serpentem, hoc est in sapientiam, & in tantam sapientiam, quæ omnem istius mundi sapientiam deuoraret.* 16

D. August. Matth.

*Diuina correctio quibusdam virga, quibusdam serpens.*

*Proiice eam in terram.* quæ in colubrum versa est. Non est dubium quin virga denotetur correctio, secundum illud Psal. 22. virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt: noster Titelmanus, hunc explicans versum, ait nos tam per virgam quam per baculum indicauimus accipi correptionem disciplinæ, per virgam quidem mitiorem, per baculum duriorem, quosdam enim virga tantum alios etiam baculo corripit, iuxta quod ipse nouit vnicuique ad salutem & meriti prænotionem conuenire: sed si virga correctio denotatur, cur in serpentem vertitur? serpens enim venenatus est & læthifer, correctio autem pluries vtilis & proficua: sane hæc virga pluribus fit serpens, his qui quamuis correcti, tamen nolunt ad meliorem frugem reduci. fauet Bruno Cit. in alleg. Tilm. *Hæc virga illis vertitur in draconem, qui leniter correcti emendare se nolunt, quia qui incorrigibiles existunt, tandem diuina vltionis iram & indignationem super se sæuientem sentiunt, vnde Psalmista, Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos: sic igitur diuina correctio aliis est virga, aliis draco, alios misericorditer castigat, alios insatiabiliter percutit.* 17

Psalm. 22. Titelman. Bruno. Psalm. 2.

*Pœnitentia præsens efficax, absens timore percellit.*

*Proiice eam in terram.* Patriarcha Palud. per virgam quam tenet Moyses in manu, pœnitentiam interpretatur, de qua potest intelligi illud Prouerb. 12. stultitia, id est peccatum, colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eā, 18

Patriarcha Paludanus. Prouer. 12.

vir enim sensatus, idest ratio, corrigitur verbis, puer autem idest corpus, quod non est capax disciplinæ, corrigitur virga pœnitentiæ, sed qua de causa cum in manu tenetur à Moyse, tot operatur portenta, cum vero eam à se proiicit, in colubrum vertitur, quo viso maximo timore percellitur Moyses? respondet cit. Patriarcha, *Quia pœnitentia cum tenetur magnæ est efficaciæ, cum vero abiicitur & quasi à longe respicitur per cogitatum terret, & fugat Moysem, si autem accipiatur per caudam, idest assumatur in fine, tunc vertitur in virgam consolatoriam.*

*A Deo omnia pendent.*

19 *Proiice eam in terram*, Quis hoc præcipit? ait textus ex Hebræo, dixit Dominus ad Moysen, cur toties in hac legatione repetitur nomen Domini, cui respondet in Hebræo Iehoua? nam sæpissime (vt textum legenti patebit) memoratur, sane vt ab eo, cum sit principium essendi, omnia pendere sciret Propheta. *Frequenter*, inquit Caietanus, *vtitur nomine tetragrammaton in hac materia legationis, & liberationis, tum vt noviter manifestatum nomen magnificetur, tum vt ab eo omnia pendere discamus.* Cardinal. Caiet.

*Aduentus filij Dei in carne præfiguratur.*

*Proiice eam in terram & versa est in colubrum.*
20 Hæc virgæ transformatio, quid nobis portendere potest? quid enim commune habet serpens cum virga? inanimatum cum animali? tum qua de causa, vt hæc fiat metamorphosis, in terram virga proiicitur? hæc virgæ transformatio aduentum filij Dei in carnem præsignat, typumque fuisse humanæ Christi naturæ disertissimis verbis testatur antiquus ille Martyr Irenæus lib. 3. aduersus Hæres. cap. 29. *Moyses*, inquit *ostendens typum humanæ Christi naturæ proiecit virgam in terram, vt ea incarnata omnem Ægyptiorum præuaricationem, quæ insurgebat aduersus Dei dispositionem argueret & absorberet, itaut Ægyptij ipsi testificarentur, quoniam digitus Dei est, qui salutem populo operatur.* D. Irenæo subscribit D. Ambros. lib. 3. de offic. cap. 14. *proiecit virgam Moyses, & factus est serpens qui deuorauit serpentes Ægyptiorum, significans quod caro verbum fieret, quæ serpentis diri venena vacuaret per remissionem & indulgentiam peccatorum, virga enim est verbum directiuum, regale, plenum potestatis, insigne imperij, virga serpens factus est, quoniam qui erat filius Dei ex Deo patre natus filius hominis factus est natus ex virgine, qui quasi serpens exaltatus in cruce medicinam vulneribus infudit humanis, vnde & ipse Dominus ait, sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* S. Irenæus. D. Ambros.

*Initium mirabilium quæ operatus est Moyses, à crucis vmbra.*

21 *Proiice eam in terram & versa est in colubrum*, Ecce primum signum mirabilium, quæ operatus est Moyses, cur inox præcepit Deus ab alio initium sumi, scilicet à manus immissione in sinum, ex qua facta est instar niuis, leprosa &c.? non enim maior ratio videtur cur à transformatione virgæ, in serpentem, quam à manu facta leprosa, initium ducit mirabilium; nonne diximus virgam symbolū fuisse crucis? bene ergo ab ea tanquam à crucis vmbra initium Moyses mirabilium sumat: itaque Procopius, *in hunc modum inducit eum de symbola quæ latent in virga, nempe vt initium signorum fiat per lignum.* Procop.

*Cruci insidiatur hostis.*

*Proiice eam in terram & versa est in colubrum.* 22
Nonne potuit in aliud animal commutari, quam in venenatum & aspectu horridum? eadem enim virtus Dei ostenderetur in vno ac in alio, non enim minor virtus est necessaria ad cuiuscumque alterius animalis trāsformationem quam colubri: nonne colubro denotatur serpens tartareus, sicut virga crux sanctissima? quo posito sic cit. satisfacit Procop. *pulchrè vbi virga, ibi visitur & serpens. sic vbi lignum, ibidem insidiatur & hostis.* Sed cur fugit viso serpente, cum à Deo hoc imperium in terram virgam proiiciendi accepisset? *vbi intuitus est serpentem*, inquit cit. Procop. *horrore refugit admonitus calamitatis quæ à serpente transiit in vniuersum mortale genus.* Procopius.

*Nimius timor considerationem præcludit.*

*Proiice eam in terram & versa est in colubrum.* 23
Quo viso recessit, fugæ se committens, quid? nonne Deus iussit securum esse de omni legationis suæ negotio, se illi nunquam defuturum pollicitus est? & siue verbis opus fuerit, vim persuadendi largiturum, siue operibus virium satis additurum? cur ergo timore percellitur de diuina securus præsentia? nonne vidit colubrum humi repentem, & in spiras se conuoluentem, quasi repugnaturum caput erigentem? quid mirum igitur si portēto cōspecto, fugiat? nimius enim timor quo percellebatur, considerationem Dei sibi præsentis, ne aliquod damnum incurreret, præclusit. *Ex naturali timore* (inquit Carthus) *cōcepto, ex naturali consideratione & imaginatione serpentis, Moyses fugere cœpit quasi lædi posset à colubro, non attendens satis actualiter præsentiam Dei, ex qua debuit esse securus & venit hoc ex subreptione & fragilitate.* Dionysius Carthusia.

*Iudæus populus dum Christum Dominum mortalem eundit Deum non credidit.*

*Proiice eam in terram & versa est in colubrum* Moyses Iudaicus populus, virga diuinitatis potestas, serpens Christi mortalitas, quia enim per serpentem mors, per serpentem mortalitas significatur, vel quia Matth. 10. scriptum est: *Estote prudentes sicut serpentes*; & quia summa prudentia Dei incarnata est, vere eius mortalitas in serpente figuratur, vnde Ioannis 3. dicitur, *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto ita exaltari oportet filium hominis.* Moyses virgam tenuit, quia Iudaicus populus ante redemptionis aduentum, in Dei potestate confisus est: in terram vertitur, quia Christus Deus in se permanens, mortalis est in homine factus, sed cur Moyses hunc colubrum conspiciens pertimuit & fugit? nonne diximus hunc figurasse populum Iudæorum? quid mirum igitur 24 Matth. 10. Ioan. 3.

igitur si videns virgam in colubrum mutatam fugiat, quia vt ait B. Greg. cit. à Lippom. *Populus Iudaicus dum Christum mortalem vidit, Deum credere expauit.*



## *VARIETAS LECT. Vers 4.*

VVlg. Dixitque Dominus, extende manum tuam, & apprehende caudam eius, extendit & tenuit, & versa est in virgam.

*Sept.* Et facta est virga in manu eius.

*Cald.* Versaque in virgā in manu eius *ita Pagni.*

*Onk.* Tenuit eum, versusque in virgam in manu eius.

*Oleast.* & roborate in eum.

## *CONCORDIA.*

Longe plura sunt in Heb. quam in vulgato, sed ea breuitatis causa summauit, qui dixere in masculino versus est, intelligunt de colubro; qui vero in fœminino loquuntur B de cauda ipsius serpentis: existimat Oleast. verbum חזק Chazak. interpretari roborare fortificare, quasi esset sensus, fortior sis serpente & abijce eum.

## EXPOSITIO.

*Extende manum tuam*, procul enim erat à colubro, quia virgam videns in eum versam aufugerat, *& apprehende caudam eius*, quia illico vt eum tangeret, in cauda, commutaretur in virgam pristinam, quid autem hoc denotet, aperiemus in conceptibus.

## CONCEPTVS.

### *Pluries parum apud principes Dei admonitiones proficiunt.*

15 *Extende manum tuā & apprehende caudam eius.* Nempe colubri, in quem conuersa fuerat virga in terram projecta: nonne eadem virga coram Pharaone & ministris eius in colubrum versa est cap. 5. Cur cum hæc transformatio facta est coram Moyse territus aufugit? cum autem coram Pharaone & seruis eius, facta est, nec territi, sed immobiles permansere? nonne hoc prodigium factum est coram Rege, vt sui muneris admoneretur, & Deo obediens, permitteret populum suum liberum sibi in deserto sacrificium offerre? quid mirum igitur si princeps ad eius intuitum non commouetur? quia persæpe parum apud principes mundiales Dei admonitiones proficiunt: sapienter ex hoc monebat Petr. Dam. sui sæculi Religiosos opusc. 12. de contemptu sæculi cap 30. *Nolite quæso Monachi, nolite sub Ecclesiastica compassionis specie, Regum aulas irrumpere: nolite aures principum velut, salutaria suggerendi fastidiosa importunitate pulsare: credite experto, credite in eius gratiæ studio non leuiter fatigato, imperatoriæ nempe maiestatis quæ suggerenda videbātur, expressimus à summis Pontificibus, synodalibus consiliis interfuimus, sed qui hoc tempore ista prosequitur, tanquam si femina credere arenosis litteribus videatur*, preme hæc vltima verba, quibus denotatur, quod oleum & opera vt plurimum perditur, cum admonentur principes sui officij. Cardinalis Damianus.

### *Principibus viris nihil æque timendum ac sua consilia si recta intentione destituantur.*

26 *Extende manum tuam, & apprehende caudam eius.* Dicto obediens, apprehendit caudam colubri, nec timet, & tamen versu præcedenti dicitur, quod cum proiecisset virgam in terram, & versa fuisset in colubrum, Moysem timore perculsum, ex aspectu serpentis fugisse: cur animosissime Moyses fugæ te committis? aduerte cum virga sceptrum regni atque iudiciariam potestatem significet, dum recta hæc in manu principis inest, dum bono inquam instituto, & recta intentione, & bonis præmia, & iniustis supplicia decernit, illustre ornamentū & splendorem ipsi conciliat: non secus ac virga tot prodigiorum effectrix Moysem toto orbe venerabilem, & illustrem reddidit: at enim cum in terrā proiicitur, hoc est cum sinistra mente & prauo affectu, atque distorto consilio negotia geruntur, & terrenis respectibus pacis & belli res administrantur, in colubrum ipsimet Principi horribilem, qui eum diro morsu laceret, omnino vertitur: & si attendis, peruersus & aduersus rerum effectus, & successus, retortum etiam & obliquum affectum operantis arguit sed licet hæc omnia vera sint, cur Moyses fugit à virga in colubrum versa, cum ipsemet eam in terram proiecerit? quid? nonne ille est Moyses, strenuus atque fortissimus, *qui fide reliquerat Aegyptum non veritus animositatem Regis*, Heb. 2. siue vt habet lectio. Syriaca, *neque reformidauit Regis furorem*? nonne ille est qui mille præliorum & aduersarum rerum discrimina subiit, & tamen timorem ignorauit? quomodo ergo tanto timore percellitur ex virga sua in terram proiecta, & in colubrum versa? sane vt tibi sit argumento, nihil principibus viris æque timendum, ac suamet consilia, suamque potestatem, si illam praua intentione, & tortis oculis, ad terrena inflexerint. Hebræorum 1. 39. Syriaca.

### *Si mundi mala, eorumque fines ponderentur, timore non percellerent.*

*Extende manum tuam & apprehende caudam eius*, 2
Extendit & tenuit, versa est in virgam, nonne at,

horruerat Moyses, vt fugeret inhiantem colubrum ex virga factū? & quis non fugeret ab horrendi serpentis malum omen portendentis facie? quomodo ergo cuius ora fugiebat, vbi caudam prehendit, non quod fugiat inuenit, sed inuenit baculū quo sustentetur, & Ægyptios supra omnes illustris euadat, en vt Moysi ærumnam & quasi mortem fugienti in eum insurrexit coluber horrori fuit, verum accedenti & sumenti caudam & quasi illius finem apprehendenti, non horrori, sed lucro, sed vtilitati fuit; qui enim à lōge respicit horrentem malorum faciem, cur non fugiat quasi à facie serpentis? qui accedit & videt finem & apprehendit caudam, & obsequium inuenit, & securitatem; nescio si ad ad hoc respiciens D. Hilarius sermone 2. de nuptiis inquit,

D. Hilarius

*Ecce horrendum nescio quid anhelantes globi, & per quadraginta cubitos ebullientes extrinsecus saeuiunt*, loquitur de fornace Babylonia in quam proiecti fuerere tres filij Israel, *intrinsecus parcunt, extra fornacem sapiens ignis irascitur, & intus in fornace famulatur*, sic vniuersa mala aduersus metuentes & refugientes exardescunt, in illis autem qui accedunt prope, qui minime refugiunt, illa subire, non terrorem incutiunt, sed confidentiam præstant.

### *Iustitia si in fine inspiciatur, æquat omnia.*

27 *Extende manum tuam & apprehende caudam eius, extendit, & versa est in virgam*, Nonne cum primum projecta est in terram, facta est coluber? quomodo ex serpente virga? sane ea symbolum est iustitiæ, quam si reus in principio consideret, & attendat, sane sibi videbitur habere figuram serpentis mortiferi & læthalis; si autem in fine inspiciatur, virga est, omnia regulans, cuncta ad æquitatem reducens, obseruatio est Oleast. *Habet iustitia vt si quis principium aspiciat, mordere videatur reum, sed si finem inspectes, virga est æquans inæqualia.*

Oleaster.

### *Deus sua virtute suos munit ministros.*

28 *Extende manum tuam & apprehende caudam eius & versa est in virgam.* Cur missurus Moysem Dominus ad Regem Ægypti, hanc virtutem edendorum concedit mirabilium? nonne ipse Deus eo præsente, ea operari potuit? cur igitur præcipit, vt ipse projciat virgam quæ in serpentem vertitur, & vt ipsemet prehendens caudam eius, fiat denuo virga? sane vt intelligens sibi Dei virtutem adesse ad perpetranda miracula, maiori cum animo ea quæ sibi iussa fuerunt, aggrediatur, *vt disceret* inquit Greg. Niss. *Quanta diuinitus virtus sibi præstaretur, ita Deo iubente, huiusmodi periculo vsus est, virga manu in terram proiecta in colubrum vertitur, rursusque recepta prius erat subito facta est.*

Greg Niss. lib de vitam Moysi.

Greg. Niss. lib de vita Moysi.

### *Signa non fideli sed infideli.*

29 *Extende manum tuam & apprehende caudam eius, & versa est in virgam.* Quid? an Moyses tuæ promissionis incredulus, ita ut necessaria sint signa ad eum inducendum, vt fidem eis adhibeat? non equidem: cur ergo perpetrantur, sine testibus, sed solum eo inspiciente? sane hæc signa Deus non edidit ad suscitandam fidem in Moyse iam fideli, sed vt doceret quibus modis portenta exhibiturus esset populo persuadendo; infidelibus enim per miracula consulitur non fidelibus, vnde Paulus dicebat 1. Corint. 14. linguæ in signum sunt infidelibus & non fidelibus, quæ verba S. Haymo exponens ait, *In miraculum sunt non fidelibus, qui sciunt nihil Deo impossibile esse, sed infidelibus, qui de Dei potentia dubitant, v. g. Paulus loquebatur omnibus linguis non propter se, sed propter incredulos diuersarum gentiū*, ita Moyses hæc portenta diuina virtute edidit non ad fidem suam, sed aliorum suscitandam.

1. Corint. 14.

D. Haymo.

### *Deo præcipienti etiam in difficillimis obtemperemus*

*Extende manum tuam & apprehende caudam, extendit & tenuit.* Quid? nonne fugæ te commiseras propter aspectum terribilis draconis serpentum principis? inquit Philo Hebr. quomodo ergo caudam præhēdere & tenere audes? nonne in ea parte venenum residet? nonne ad tactum manus tuæ illud effundet? cur ergo Deo non obijcis, mihi imminet mortis periculum si caudam illius serpentis tetigero? nihil obijcit, sed ilico vt à Deo mandatū accipit, obedit; Deo enim præcipienti etiam difficillima, obtemperandum est. *Vide hic Moysis obedientiam* (inquit Lippom.) *quidquid Deus præcipit, ipse sine cunctatione exequitur.* 30

Lippom.

### *Vbi maius periculum, ibi maius auxilium Dei sentitur.*

31 *Extende manum tuam & apprehende caudam eius, extendit & tenuit.* Nonne in serpentis cauda maximum imminet periculum? nam vt optime noster Bartho. Anglicus in lib. de proprietatibus rerum tract. 18. cauda colubri lædit & venena immittit: præcipiat potius igitur vt per medium corpus teneat, vel saltem caput apprehendat, nam serpentis capite confracto, nihil de cætero timendum; quis dixit vt apprehenderet caudam? nonne au textus dixitque Dominus extende manum tuam &c. & sic Deus adest in caudæ serpentinæ apprehensione, quia vbi grauius imminet periculum, ibi Deus præsentius sentitur, quod obseruat B. Cyrill. Alexand. lib. 3. in Ioan. cap 22. *Non statim nec in principio periculorum, sed quando iam longe à terra remigauerant, Christus discipulis apparuit, non enim incipientibus aduersis gratia Christi confestim nos saluat, sed posteaquam terror increuerit, & certum imminere videatur periculum, tunc è mediis fluctibus eripit, timore eos eijcit, & ab omni periculo liberat*, vis diuini auxilij magis sentitur, vbi maius reperitur periculū.

Bartholo. Anglicus.

Cyrillus Alexand.

### *Audacis animi debet esse gubernator populi, vt egregia exequatur facinora.*

*Extende manum tuam & apprehende caudam eius, extendit.* Quid agis Moyses? nonne ille idem est serpens, quem fugiens abhorrueras? nonne omnibus etiam intrepidæ naturæ, terrorem incuteret? aspectu enim horridus, in spiras se conuoluens, minatur quoslibet aggressurus; tenuas ergo caudam illius tenere, cum nihil tibi immineat periculosius: imo audaci animo nihil hæsitans, colubri venenati caudam apprehendit 32

D. Chrys.

non enim timidus debet esse gubernator populi, vt egregia aggredi possit facinora vnde vere dixit B. Chrysost. hom. 9. in cap. 2. ad Philip. *Neque fieri potest vt qui nihil audet generosum, quid faciat vnquam*, nihil spectandum est egregie perpetratum ab animo timido.

### *Christi Domini, post mortem, resurrectio.*

33 *Extende manum tuam & apprehende caudam eius, extendit, & versa est in virgam.* Si virga in serpentem versa est, cur denuo serpens in virgam commutatur? virga ait Cyril. libro de incar. cap. 14. est Christus qui est potentia Patris, quique tenet virgam siue sceptrum regni & æquitatis, hæc in serpentem versa est in incarnatione, humana enim natura per peccatum Adæ facta est maligna, vt serpens, peccatoris autem naturam & similitudinem induit Christus: hinc serpens exaltatus in deserto, significabat Christum in cruce exaltatum, vt dicitur Ioan. 3. si ergo hæc virga facta est coluber, cur iterum coluber fit virga? quia serpens hic, nempe Christus, per resurrectionem factus est iterum virga, idest Dominus Rex, Iudex, triumphator, & princeps cœli & terræ, hoc habet Isidor. Hispal. *Quid est cauda, nisi posteriora? hoc significauit, posteriora mea videbis, primo enim factus est serpens, sed cauda apprehensa, facta est virga, quia primo occisus est, postea peractis omnibus ad id quod fuerat resurgendo reuersus est, vbi per vitæ reparationem, morte consumpta nihil in eo serpentis apparuit.*

D. Cyrillus Alexand. — Ioann. 3. — S. Isidorus Hispalens. hic.

### *Tandem Iudæi Christum Dominum verum Deum esse agnoscent.*

34 *Extende manum tuam & apprehende caudam eius.* Quid? nonne viso colubro Moyses perterritus aufugit? quomodo nunc accedens, non solum apprehendet, sed etiam tenebit caudam eius? nonne idem est serpens? nonne in præcedenti versu diximus Moysem fugientem à facie serpentis, denotare populum Iudaicum, qui exaltatum videns filium hominis, in ligno crucis, sicut exaltatus est serpens in deserto, eumque mortalem esse conspiciens, eum contemptui habuit, & factus est ipsi in scandalum? per caudam serpentis inquit cit. Isid. sæculi finem intelligimus, quia sic mortalitas Ecclesiæ per lubrica temporum voluitur, alij eunt, alij abeunt, quid mirum igitur si Moyses qui viso serpente fugerat, nunc caudam eius apprehendit & tenet? quia populus Iudæorum Christum, quem vt hominem solum mortalem contemptui habuerunt, & ab eo aufugerunt; tandem in fine sæculi cum fide tanquam verum Deum apprehendent, hoc annotat Cyrill. cit. à Lippom. *Mutata est virga in serpentem, vnius enim Dei filius homo factus est, & inter iniquos computari non recusauit, quem tamen Iudæi minime dilexerunt, sed ab eo aufugerunt; hoc est enim quod Moyses à facie serpentis fugit, sed tamen Israel tandem aliquando Christum apprehendet, & tunc cognoscet Christum non malum, sed bonum fuisse*

D. Cyrill.

A *illumque esse veram omnium virgam & firmamentum.*

### *Ex humilitate & vilitate, tandem deuenitur ad regios honores.*

35 *Extende manum tuam & apprehende caudam eius, apprehendit, & versa est in virgam.* Nonne hæc virga in terram proiecta fuerat, quo maximus eius contemptus & humiliatio denotatur? quid enim vilius quam id quod in terram proiicitur? quid etiam abiectius quam serpens humi toto repens corpore? quomodo ergo in virgam denuo commutatur? virga autem quis nescit regiam significari dignitatem? quid ergo miraris, si virga in terram proiecta, imo & coluber facta, tandem pristinam virgæ formam assumat? quia ex humili-
B tate & vilitate, tandem deuenitur ad Regios honores, annuit Abul. *Id huiusmodi transformatione significatum fuit proiecta in terram, cum post mortem Ioseph deductus fuit honor Iudæorum vsque ad puluerem: coluber autem per caudam apprehensus vertitur in virgam, quia in cauda est in fine illorum malorum quæ tunc Ægyptiis facientibus, patiebantur Hebræi, ipsi conuerterentur in virgam, idest rursus acciperent regnatiuam potestatem, quod factum fuit ingressis eis in terram Chanaan, quia Reges sibi subiiciebant & colla eorum calcabant.*

Abulens.

### *Resurrectio conijcitur.*

36 *Extende manum tuam & apprehende caudam eius, apprehendit & versa est in virgam.* Quid?
C nonne iam virga desierat esse? facta enim coluber, virgæ formam & essentiam amisit, quomodo nunc ex solo Dei verbo pristinam formam recuperat? vt ex hoc colligere possimus, non impossibilem esse resurrectionem, sed id quod desiit esse, posse denuo diuina virtute idem esse recuperare: ex hoc loco eandem veritatem confirmat B. Ambros. libro de fide resurr. *Virga in serpentem versa, quid aliud indicauit nisi volente Deo ex insensibilibus sensibilia posse generari? an vero incredibilius putas, quod ossa cum iubentur, accedunt nec minus verisimile debet videri, quia iubente Deo ossa in suam compaginem reformantur, cum vtique innu-
D mera habeamus exempla, quibus natura rerum cœlestibus est obsecuta præceptis.*

S. Ambros.

### *De eis non desperandum, quos aliquando rebelles & obstinatos sentimus.*

37 *Extende manum tuam & apprehende caudam eius, apprehendit, & versa est in virgam.* Per virgam Iudæi designantur, teste B. Amb. cap. 6. in Apocal. Moyses autem virgam in manu tenebat, quia Apostoli populum Iudæorum per amorem in corde tenebant, totaque virtute laborabant, vt eos per doctrinam sanctæ prædicationis ad salutem perducerent: projecit Moyses virgam de manu, quia Apostoli videntes Iudæos in Christum nullomodo velle credere, amorem eorum à cordibus suis projecerunt:

per colubrum vero diabolus designatur, versa A igitur est virga in colubrum, quia Iudæi ex prædicatione Apostolorum deteriores effecti, qui ante dicebantur populus Dei, facti sunt filij, & membra diaboli, fugit autem Moyses, quia Apostoli relictis Iudæis transierunt ad gentes, sed si relictis Iudæis, ad gentes transierunt, cur Moyses eos designans, apprehendit caudam serpentis, quo tactu denuo vertitur in virgam? quia de hominibus quantumcumque serpentinæ naturæ, quos aliquando rebelles expertus, imo factos serpentes intuitus es, non desperandum, nam si aliquando eos tetigeris vel admonitione, correctione, vel verbi diuini prædicatione, de colubris fient virgæ, æquitatem seruantes: mens est

D. Ambros. cit. Amb. *Per caudam quæ finis est corporis, Iudæi qui in fine mundi nascituri sunt, Moyses igitur caudam serpentis apprehendit, atque in virgam versa est, quia prædicatores sancti in fine mundi Iudæos quodammodo apprehendent, cum per eorum doctrinam, ad fidem Christi conuertentur, atque ex filiis diaboli efficientur.*

*Ex nostra confessione adducit nos Deus ad suis credendum verbis.*

38 *Extende manum tuam & apprehende caudam eius, & versa est in virgam.* Sed antequam tetigisset caudam serpentis, imo antequam in terram proiecisset, nonne ab eo inquisiuit, quid in manu teneret? quod equidem miror, nam quid Deo incognitum? an ignorabat Moyses virgam in manu tenere? non interrogat ex ignorantia, sed vt ex sua confessione, nempe cum dixerit se virgam tenere, & deinde viderit in colubrum versam, deinde ex colubro in virgam, eliceret verbis suis fidem dandam, *dixit Moysi*, inquit B. Chrys. in Matth.

S. Chrysost. cap. 9. hom 32. *Quid est quod in manu tua est? vt cum vidisset serpentem ex virga factum, nulla obliuione teneretur virgam prius fuisse, sed vocis propriæ memoriam habens, vehementer miraretur.*

*Sanctiorationibus vindictam Dei auertunt.*

39 *Extende manum tuam & apprehende caudam eius, & versa est in virgam.* Quid magis pestiferum, quam coluber, qui cauda & dentibus venenum immittit? virga autem quid leuius, imo quid vtilius, cum ipse Propheta dicat, virga tua & baculus ipsa me consolata sunt? quomodo ergo Moyses animal venenatum tactu suo in virgam commutat? nonne diximus superius, per colubrum duriorem punitionem, quæ obstinatis infligitur denotari? quo posito, sic respondet Bruno in alle- D. Bruno.
gor. Tilm. *In virgam serpens conuertitur, quando aliquis vir iustus vindictam peccatoribus imminentem, suis orationibus auertit, cum enim Deus* B *ab vltionis ira placatur, draco sæuiens in virgam vertitur.*

*Qui prælatura eminet & iudicatura, consideret se à Deo iudicandum.*

40 *Extende manum tuam & apprehende caudam eius, tenuit & versa est in virgam.* Vult quidem Dominus, quod Prælatus consideret, quantum sibi commissum sit; & excogitet quod cui plus committitur, plus ab eo exigitur: virga est potestas iudicandi, virgam in terram proiicere, est potestatem iudiciariam ad terrena deflectere, in colubrum vertitur, cum de potestate peccatum egreditur, quod fugere debemus, vnde quasi à facie colubri fuge peccatum, sed cur ipsius caudam tenet? nam, nonne in virgam commutari potuit non appre- Eccles. 21.
hensa cauda eius? quidni? cur ergo hæc iussio?
C audi Steph. in alleg. Tilm. respondentem. *Cauda est finis potestatis, quam ipse debet tenere, vt memor sit quod ipse qui iudex est aliorum, à Deo in fine iudicabitur, & ita per considerationem finis, coluber redibit in virgam, idest, potestas in directionem.* Stephanus Cantuar.



## VARIETAS LECT. Vers. 5. & 6.

*Vulg.* Vt credant inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.

*Pagni.* Vt credant quod conspectus est tibi D Dominus Deus patrum eorum.

*Vulg.* Dixitque Dominus rursum, mitte manum tuam in sinum tuum, quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis.

*Cald.* Mitte nunc manum tuam in sinum tuum, & misit manum suam in sinum suum, & eduxit eam, & ecce manus eius alba erat sicut nix.

*Tertul. lib. de resur. carnis cap. 18.* Moyses manum in sinum condit, & emortuam profert,

## CONCORDIA.

NEscio vbinam hauserit hanc versionem Tertul. vbique enim est manus leprosa non emortua, verum infra cap. 55. explicat mentem suam, dum dicit, mittitur Moysi manus adinstar emortuæ, exanguis, & albida.

## EXPOSITIO.

*VT credant*, ſubaudiendum eſt hoc ſcol, & idem coram illis facere poteris, *quod apparuerit tibi Dominus*, miſerit ad educendum eum ex Ægypto, *dixitque Dominus mitte manum tuam in* A *ſinum*, & ſecundum mirabile videas, *quam tum miſiſſet in ſinum*, & ab eo retraxiſſet, *protulit leproſam inſtar niuis*: ex hoc enim ſigno, etiam cognoſcitur aliquid lepra infectum.

## CONCEPTVS.

### *Deus incredulitatem noſtram fert patientiſsime.*

41 VT *credant quod apparuerit tibi Dominus.* Subintellige hæc eadem ſigna, quæ coram me indubitanter feciſti, coram populo virtute mea efficies, ſed nonne ſatis eſt, vt fidem tibi adhibeant, Moyſem aperire eis tuum nomen? nam non niſi verus Deus hoc nomine dicitur: cur ergo non ſolum vnum, ſed plura ante eum edenda ſunt miracula? vt inde tibi ſit cognitum, quam patienter ferat Deus noſtram

Oleaſter. incredulitatem. *Mirum in modum*, inquit Oleaſt. *morem nobis gerit Deus ferens æquo animo noſtram incredulitatem.*

### *Deus laborat vt incredulis non ſit ſubterfugium ſuæ incredulitatis.*

42 *Vt credant quod apparuerit tibi Dominus*, Quod vnicum coram populo edas miraculum, vt tibi fidem adhibeat, & quod difficillimum eſt creditu, nempe quod ab Ægypto eum ſis educturus, libertatique reſtituturus, hoc mihi videtur rationi conſentaneum, ſed cur alia duo hoc primum ſubſequuntur? ſane vt ſi credere noluerint nullum ſuæ incredulitatis habeant ſubterfugium, & meritas ſuæ obſtinationis pœnas luant. *Populus etiam poſt ſigna ex-*

Lippom. *hibita à Moyſe*, obſeruat Lippom. *non credebat ſicut & Pharao & omnes impij, nihilominus tamen hæc Dominus præſciens ſigna fieri ordinat, vt perfidi ſpectatores omni careant excuſatione, & iuſtitia condemnationis clarior eluceſcat.*

### *Ille ſcit infirmanti ſubuenire, qui infirmitatem paſſus eſt.*

43 *Mitte manum tuam in ſinum tuum, quam cum tuliſſet protulit leproſam*, cur lepra cõtaminatur is qui D in ſalutem populi Iſraëlitici, inter tot hominum millia, qui nulla detinentur infirmitate, eligitur? nonne dum aliorum eſt gubernator, ſicut animo ita & corpore deberet eſſe incolumis? ſed quæſo, nonne Moyſes de leproſis laturus erat leges, taxans eorum immunditiem, eorumque ſanitati etiam proſpiciens? diſponat ergo Deus, vt prius ipſe in ſe etiam maciem lepræ ſuſtineat: ille enim ſcit aliorum infirmitati ſubuenire, qui infirmus antea iacuerit: vnde Theod. in Cat. græc. *Quia legem de leproſis po-*

Theodor. *ſiturus erat, eoſque immundos appellaturus, legiſlatoris manum leproſam reddidit*, nullus perfectius infirmanti ſubuenit, quam qui cum ſympathia ſubuenit, illius in ſe præoſtendens dolores & miſerias.

### *Lex antiqua non perfecte ſanabat, ſed ſolus Ieſus.*

*Mitte manum tuam in ſinum tuum, quam cum tuliſſet protulit leproſam.* Nonne ille eſt Moy- 44
ſes, qui deinde glorioſis radiis illuſtratur, itaut B non poſſit ab Iſraelitis conſpici? imo nonne illa eſt manus quæ legis tabulas detulit? cur igitur lepram ex ſe non exuit, & infirmitatem? cur ex beneficio legis futuræ in manibus ſuis non ſanatur? quia non lex antiqua, non aliquis alius ſatis virium habent, vt eorum virtute ab infirmitate ſua ſpirituali conualeſcere poſſint, ſolus eſt Ieſus qui perfecte omnes infirmitates ſanare potens eſt. ad hæc Orig. hom. 12. Origenes.
in Exod. *Quia ergo ex operibus legis nullus erat iuſtificandus, nec aliquem ad perfectum poterat lex adducere, idcirco manus Moyſi leproſa fit, & in ſinum reconditur, tanquam nihil perfecti operis habitura: facies autem eius glorificata eſt, quia ſermo eius habet ſcientiæ gloriam*, habebis quidem ex lege ex Moyſe aliquid lucidum, quo ſplen- C deas, & illuſtrens ex ore; quo autem illuſtreris & ſplendeas ex manu, ex operibus ab alio non habebis niſi à Ieſu, leproſæ ſunt & infirmæ omnes creatæ manus, nullum ab illis recipies perfectum & ſplendidum opus, quæcumque creaturarum ſplendida ore tenus ſunt verba ſunt compoſita, vbi ad earum manus ſpectes, vt aliquid accipias, inde omnia ad infirmitatem veniunt, nihil ad ſplendorem.

### *Qui cum impijs communicat, pluries eorum impietatem ebibit.*

*Mitte manum tuam in ſinum, quam cum tuliſſet protulit leproſam.* Quandiu in ſinu fuit, leproſa non efficitur, ſed poſtquam extra eum producta eſt, tunc lepræ infirmitatem contraxit, cur tunc infirmatur? quid hoc denotat? quod quandiu populus Dei in ſinu patrum, in ſancti familia Iacobi inuenitur, lepra idololatriæ non inficitur, cum autem protraxit ſe in Ægyptum, ecce inficitur Ægyptiorum malitia, ſic Theod. Theodor.
in Exod. *Quid ſignificat quod manus Moyſi reddita* quæſt. 10. in
*eſt leproſa? familia Iacob in pietate educta eſt, profe-* Exod.
*cta eſt in Ægyptum, ſed illic impietatem Ægyptiorum*

*didicit, & quasi leprosa facta est, vix fieri potest quod diu maneas apud impios, quin illorum inficiaris malitia.*

*Deus in rerum mirabilium patratione, à superbia reuocare studet.*

46 *Mitte manum tuam in sinum, quam cum tulisset protulit leprosam.* Cur Deus legislatoris tot mirabilium patratoris, dexteram infici lepra voluit? nonne superbiæ lepra comparatur? teste Petro Blesens. Epist. 3. superbia est lepra cicatricis in vlcere, superbos leprosos vocat Guarri. Abb. serm. 4. in Epiph. Domini, eosque Naaman Syro componit, qui salutaribus aquis ablui debeant: quo posito, cur non dicemus Deum verè superbiæ lepra Moysem eximeret, voluisse eius dexteram qua tot miranda effecturus erat, lepra operiri? vt quotiescumque videret insignia prodigia, quæ per ipsum Deus præstabat, statim ad manum lepra prius infectam, oculos conuerteret, & sic desineret superbire, religio hic esset cit. Theod. eadem quæst. verba supprimere sic scribentis. *Legislatoris manum infecit lepra, docens eos qui plenius instructi sunt horum nihil esse immundum, nam dextera quæ admiranda illa perpetrarat, cum prius fuisset leprosa, signis diuinis inseruiuit, & elementa mutauit, quæ res etiam Moysem admonuit non superbire debere, sed agnoscere naturam cum recordatione dexteræ lepra prius infectæ, sicque superbia ictum anteuerterit,* & ne faltus superbiæque lepra operiretur Moyses, voluit Deus vt eius dexteram lepra operiret.

Petrus Blesens.
Guarricus Abbas.
Cit. Episc.

*Oratio his qui sunt in Ecclesiæ sinu, præcipue prodest.*

*Mitte manum tuam in sinum, quam cum tulisset*
47 *protulit leprosam.* Deinde tamen in sinum eam reducens, ab ea mundata, sanitatem recuperauit, cur in sinu manus eius mundatur? manus Moysis orationem denotat, vt patet ex eius eleuatione pugnante Iosue contra populi Dei aduersarios, orationem autem in sinum conuerti docet regius Vates Psal. 34. oratio mea in sinu meo conuertetur, per sinum illum, Ecclesiam intelligimus, cur ergo non dicemus Moysis manum extra sinum suum leprosam, in sinu autem sanitati restitutam, eorum immunditiem significare, qui ab Ecclesiæ sinu recedunt, qui leprosi & immundi sunt, eorum autem puritatem, qui in eodem sunt sinu, quorum oratio maxime proficua est & vtilis? sic explicat B. Laur. Iustin. in manuscripto codice Psalmorum, qui Bibliothecam ornat Ambrosianam in dictum Psalm. 34. *Oratio in sinu meo conuertetur,* inquit *idest proderit solis prædestinatis, qui futuri in sinu Ecclesiæ, sani, leprosis vero ab eo exeuntibus non proderit, quod significatur per manum Moysi quæ extra sinum apparebat leprosa, sana in sinu.*

Psalm. 34.
S. Laurentius Iustinian.

*Deus studet vt clarissime suam agnoscamus virtutem.*

48 *Mitte manum tuam in sinum, quam cum tulisset protulit leprosam,* &c. Ecce secundum mirabile à Moyse proditum, vt virtutem Dei sibi affuturam agnosceret, nonne primi miraculi editione, hanc sibi compertam habere potuit? ita equidem: cur igitur etiam secundum perpetrauit? vt non solum virtutem Dei agnoscat, sed etiam clarissime eam experiatur: obseruatio est B. Greg. Nisſ. in lib. de vita Moys. *Vt adhuc diuinam clarius secum nosceret esse virtutem, manus in sinu recondita in niueum candorem immutatur, & iterum in eundem sinum immissa, ad pristinam redit sanitatem.*

S. Grego. Nissenus.

*A Deo separatus non potest non esse immundus.*

*Mitte manum tuam in sinum, quam cum tulisset protulit leprosam.* Ecce extra sinum Moysis, fit immunda illius manus, quod equidem miror, aër enim eam circumdans, minime vitiatus est, aut corruptus, cur igitur lepra inficitur? cur euadit immunda? si per Moysis manũ curam quam de populo suo gerit intelligamus, facilis erit solutio, scilicet populum Israel & quemcumque alium, ab eo separatum, illius cura speciali destitutum, non posse fieri, quin immunditiem & quamcumque lepram spiritualem contrahat, fauet Isid. Hispal. *Manus alba idest immunda, albor enim in cute, lepra est, non candor, ipsa enim hæreditas Dei, idest populus foras à Deo missus factus est immundus, Psal. 73. Vt quid auertis manum tuam & dexteram tuam?* & Rupert. *manus contracta de sinu, leprosa est synagoga à gratia Dei profecta, ex quo latus Saluatoris sui lancea rupit, retracta est manus illa de sinu eius, peccatorum suorum lepra candente perfusa, quod longe Propheta prouidens gemebundus ait Psal. 73. Vt quid auertis manum tuam de medio sinu tuo in finem? ecce videmus populum illum à castris Dei segregatum, & ad arbitrium summi sacerdotis dubiè lepra condemnatum habentem vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, clamantem, idest diffiteri non valentem, contaminatum se & sordidum. nuda est lepra facies autem velamine lepræ contecta.* 49

Isidorus. Hispalens.
Psalm. 73.
Rupertus hic.

*Incarnatio Verbi diuini notatur.*

*Mitte manum tuam in sinum, quam cum tulisset protulit leprosam.* Deinde eam in sinum reducens, sanitati pristinæ restituta est. sed quid huiusmodi miraculi editione nobis portendere voluit Deus? cur enim nunc illa manus immunda, lepra infecta, cum extra sinum protrahitur, & cum in eum reducitur ab omni sorde immunis apparet? si attendere ad ea quæ fatur cit. Greg. Nisſ. velimus, incarnationem Verbi diuini hoc portento adumbrari dicemus, sic autem ait in lib. de vita Moys. " his nixus miraculis, à seruitute tyranni Hebræos liberauit, non immerito incarnationis mysterium, quo & diabolus depositus, & humana natura liberata est; per hæc arbitramur significari præsertim quum tam Prophetica quam Euangelica auctoritas, ad hanc nos inducat sententiam, Propheta enim dicit, hæc est mutatio dexteræ Excelsi, nam & si na- 50

Grego. Nisſ.
Ps. 76.

„ tura nullo pacto mutari queat, in eo tamen „ quod ad assumendum hominem descendit, imbecillitatemque nostram vere suscepit, commutata dicitur: & sicut Moysi manus è sinu „ educta visa est commutata, rursumque in sinum „ reducta, in naturam suam reducta est. Simili „ quoque modo vnigenitus Dei Filius cum in sinu Patris est, dextera Excelsi est: cum vero è sinu Patris ad nos visitandos descendit, secundum „ nos factus, quamuis immutabilis sit ipse natura, „ commutatus tamen dicitur, at vero postquam „ morbos nostros sanauit, naturamque nostram „ in sinum suum reduxit (sinus autem filii Pater „ est) tunc ipse non mutatus: quippe qui impassibilis est atque incommutabilis mortalem hanc „ & incorruptibilem naturam in immortalem atque immutabilem conuertit.

### *Dei virtuti omnia tribuenda.*

51 *Mitte manum tuam in sinum, quam cum tulisset, protulit leprosam.* Ecce Deus Moysem de rubo vocat, vt eum populi Israelitici liberatorē constitueret, insuper & legatū mitteret ad Pharaonē, in cuius conspectu admiranda prodigia erat patraturus, ad manus virgæq; protensionem; nihilominus antequā signis inseruiat, & mutet elementa, manum leprosam infecit. nōne mirabilia potuit operari, nulla lue præsupposita? sane non sine speciali Dei prouidentia factum est, sed vt Moyses portenta extra ordinem naturæ operans, ex recordatione dexteræ prius infectæ, ea diuinæ tribueret virtuti, in quo sententiam videtur dixisse Salomon Eccles. *oculi sapientis in capite eius.* Quæ verba sic intelligit Cajet. vt significent quod sapiētis oculi videant proprium caput reflexè tanquam in speculo, eo quod primum noscat seipsum: quod magis adhuc innotescet, si aduertamus nomine capitis in scriptura principiū primaque primordia multoties intelligi, patet ex eo loco, in capite libri scriptum est de me, in initio statim libri, vt explicat Titelm. sicut & illud Amos. 6. quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium, quod ibi exposuit Hierony. in hunc modum, qui pro sunt diuitiis, primi captiuitatis iugum sustinebunt: oculi igitur sapientis iuxta hunc sensum in capite eius sunt, quia initia propria contemplatur & vnde cœperit & increuerit intuetur, quo diuina beneficia melius recognoscat, & quod in se agnoscit bonum, Deo attribuat, quod Procop. vnico verbo annotat, *cum magna & stupenda Moysis dextera esset factura, Deus cum prius debilitat lepra contagio, & vbi Moyses comperisset, carnis vilitatem & imbecillitatem, Dei gratiam cognitam haberet.*

Eccl. 2. — Caiet. — Psalm. 39 — Titelm. — Amos 6. — S Hiero. — Procop.

### *Qui est in peccato, à seruitute Ægyptiaca nec tartarea eripitur.*

52 *Mitte manum tuam in sinum, & cum tulisset, protulit leprosam.* Quam in eundem reducens sinū, eandem sanam reperit, cur vt monstraret Deus futuram populi sui ab Ægypto ereptionem, voluit symbolo manus prius lepræ morbo laborantis, deinde sanitati restitutæ id denotare? quia nisi à peccato lepra denotato, prius mundaretur Israelita, vana erat spes egressus eius ab Ægypto, *demonstrauit Israelitis,* obseruat Procop. *qui credebant impossibile esse vt eriperentur præsenti seruituti, fore vt auxilio Dei adiutis adimeretur præsens miseria: nam quasi lepra Ægyptiorum nefariis moribus inquinatos, & à Patrum siue maiorum pietate digressos, mortuosque ob vanam religionem impiaque facinora, (mortis enim signum est lepra) recurrentes ad Deum ab omnibus malis esse liberandos.* Procop.

### *Opera nostra fiant in abscondito, ne lepra inanis gloriæ inficiantur.*

53 *Extende manum tuam in sinum, quā cum tulisset protulit leprosam.* Ecce in sinu lepræ maculam non contrahit, & ilico vt extra eum producitur, hac lue inficitur. quid hoc est? cur in sinu ipso non efficitur leprosa? cur extra eum contaminatur? sane manus operationem designat, sicut sinus conscientiæ secretum & intentionem. dic ergo quod quando Moyses, idest vir iustus, tenet manum suam, idest bona opera in sinu suo, nempe in conscientiæ secreto, tunc ipsa non polluuntur, vel contaminantur, si vero de sinu secreti sui per ostentationem extrahit, tunc lepra inanis gloriæ inficiuntur. Vnde Stephan. in alleg. Tilm. *vir iustus debet manum suam, idest actionem in secreto cordis sui discutere,* quasi diceret non discutiendam aliis ostentes sed in sinu conscientiæ tuæ eam reconde, ne appareat immunda: sed clarius noster Cardin. Vital. tit. de vana gloria, *nota quod cum bona fiunt vt videantur ab hominibus, statim quadam lepra spirituali inficiuntur.*

Stephan. Cātuariens. — Cardin. Vitalis.

### *Religiosi extra claustra vagantes, redduntur immundi.*

54 *Extende manum tuam in sinum, quam cum tulisset protulit leprosam.* Cur in sinu mox redditur leprosa, cum idem esset miraculum, ac cum protraxit lepra confectam, & eodem coram populo edito, populus ei fidem adhibuisset? quæso per Moysem Prælatum intellige, sicut per sinum claustrum, & per manum eius, subditum & Religiosum: quid miraris ergo, si solum manus Moysi cum producitur extra sinum lepram contrahit? quia Religiosi extra claustra vagantes, etiam si à Prælatis missi fuerint, non leuibus aliquando lepris inficiuntur: moralitas est Berchorij. *Dato quod Moyses habeat manus suas idest subditos suos sanctos, & spiritualiter sanos, & mundos, quando tamen ipsos emittit de sinu sui claustri exterius ad terrenas ministrationes, vel inter sæculares eos mittendo, faciliter solent lepram luxuriæ & auaritiæ incurrere, & quamdiu extra fuerint immundi & luxuriosi manere.*

Berchorius.



## VARIETAS LECT. Vers. 7.

Vulg. Retrahe ait manum tuam in sinum tuum, retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ. A

Sept. Et dixit, iterum infer manum tuam in sinum tuum, & intulit manum suam in sinum suum, & eduxit eam ex sinu suo, & rursus restituta est in colorem carnis suæ.

Cald. Et ecce reuersa est sicut caro eius.

Pag. Et ecce reuersa erat sicut caro eius.

## CONCORDIA.

Ex hoc loco sicut ex multis aliis videre licet, quam prudens & elegans fuerit Latinus interpres, qui multa Hebraica, vt videre etiam est in lectione Caldaica, in pauca Latina verba sensu tamen semper seruato redegit, vt repetitionum laborem & Hebraismos fugeret.

## EXPOSITIO.

*Retrahe manum tuam in sinum tuum*, mittas iterum manum in sinum, à quo eam retraxisti, *retraxit*, misit iterum *& protulit, & erat similis carni reliquæ*, id est eiusdem coloris cum reliqua corporis carne: etenim lepra externam B cutis faciem immutat, & quasi in vnius colorem conuertit, vnde vbi nos legimus inuersu superiori leprosam, Caldæus habebat albam, est enim quædam lepræ species valde candida.

## CONCEPTVS.

### *Finis omnium expectandus.*

55 *Retrahe manum tuam in sinum tuum, retraxit & erat similis carni reliquæ.* Nonne potuit commoueri Moyses cum primo proferens manum extra sinum conspexit lepra infectam? nam si hoc prodigium spectabat ad eductionem populi Israel ex Ægypto, quid potuit ominari lepra nisi infœlicem euentum? quid aliud enim manus leprosa potest portendere? quomodo ergo C Moyses hoc portento viso, Deo non diffidit? quomodo aliquid mali non auguratur, sed silens reduxit manum in sinum, quam sanam & incolumem protulit? quia quamuis in negotiis arduis infœlicia tibi videantur initia, eorum tamen finis patienter est expectandus, qui quandoque fœlici concluditur exitu. hoc vidit noster Lyran. cum huius secundi miraculi significationem explicans ait: *consideratur secundo status populi, quantum ad egressum de Ægypto, sub cura ipsius Moysi, & ad hoc refertur signum manus quæ primo posita, intra sinum facta est leprosa, & secundo ibi reposita sanata est, per quod designabatur quod filij Israel, quando primo suppositi sunt curæ Moysi, quæ cura sinu notatur, per hoc magis fuerunt abominabiles Ægyptiis, & quasi in conspectu eorum fœtidi, vnde dixerunt Moysi fœtere fecisti odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius: sed per manus sanationem in sequenti repositione designabatur consolatio eis futura, per curam Moysi, sicut patuit in transitu maris rubri, & aliis beneficiis Moysi à Deo collatis.* D

Noster Lyran.

### *Quodlibet etiam difficillimum Deo facillimum.*

56 *Retrahe manum tuam in sinum, & protulit, & erat similis carni reliquæ.* Quo prodigio designatur populi Israel ex Ægypto cum incolumitate egressus. sed cum tot difficultatibus inuolueretur, quid enim difficilius quam populum infirmum à tyrannide Regis potentissimi eripere? quomodo hoc ergo denotatur, eductione manus è sinu, quo nihil est facilius? vt nullus ignoraret quodlibet etiam difficillimum Deo facillimum esse. fauet Lippom. *Sicut ergo lepra à solo Deo curatur, facileque est Deo, modo velit, vt facillimum est de sinu manum exponere, sic solus Deus populum suum quantumuis depressum & afflictum liberabit & educet, licet sæuiat tyrannus.*

Lippom.

### *Ecclesia ad omne opus bonum apta eligitur.*

*Retrahe manum tuam in sinum, & protulit, & erat similis carni reliquæ.* Nempe sana & munda, ad omne opus idonea, nonne antea lue infecta erat ad operandum inepta? quomodo ergo nunc quasi alia manus esset, incolumis apparet? B. August. per manum leprosam Synagogam intelligit, per manum sanam, Ecclesiam, & quid mirum, incolumem esse? Ecclesia enim ad omne opus bonum apta eligitur. subijcio verba August. apud Lippom. *non otiosè hæc debemus accipere, in manu illa typus erat Synagogæ vel Ecclesiæ, sicut prior fuit populus Iudæorum, sic posterior gentium, ita ante fuit Synagoga, propter incredulitatem leprosa relinquitur, Ecclesia autem quasi manus sana ad omne opus apta præeligitur.* 57

B. August.

### *Qui ad Deum accedit, mundatur.*

*Retrahe manum tuam in sinum & protulit, & erat similis carni reliquæ.* Idest munda, incolumis, sine vlla macula lepræ, vnde manus quæ antea 58

infecta erat, quæ immunda, quæ maculata, omni deposito morbo sanitati restituta? quia ad sinum Moysis reducta est. qui ergo ad Deum vere reducitur, eius curæ vere se subijcit, hic ab eo à peccatis suis mundabitur, quod vidit Diodor. in Cat. *Reuocauit manum in sinum, & reuocata est in colorem suum, sic & Plebs Iudæa nunc aliena est à sinu Dei, & foris immunda remansit, sed reuocat eam & redit ad pristinum colorem, dum agnouerit Dominum Saluatorem; nunc enim cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intrauerit, & sic omnis Israel saluus fiet.* Diodorus.

*Resurrectio futura denotatur.*

59 *Retrahe manum tuam in sinum, & protulit, & erat similis carni reliquæ.* Sanitatem recuperat, quæ leprosa fuerat. si Deus præceperat Moysi propter reuerentiam loci in quo erat, calceamenta deponere, quomodo permittit in eo hominem leprosum, cum secundum legem leprosi à templo excluderentur? quod vidit Procop. ait enim, qua ratione non fuisset absurdum, locum ipsum fuisse dictum sanctum, propter Deum qui ibi apparuerat, cum diceret, solue calceamenta? cum autem qui secundum legem erat impurus, laborare lepra, & loci sanctitatem non pollui? sane si hæc mutatio careret mysterio, vir leprosus in loco sancto manere non permitteretur, sed quid innuitur? respondet cit. Procop. *sub hoc typo latet illud mysterium, mortem præcessuram sicut notatur per lepram, deinde successuram renouationem & resurrectionem.* Procop.

## *VARIETAS LECT. Vers. 8. & 9.*

*Vulg.* Si non crediderint inquit tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis.

*Sept.* Sin autem non crediderint tibi, neque exaudient vocem signi primi, credent tibi in voce signi secundi.

*Cald.* Et erit si non crediderint tibi, & non obedierint voci signi prioris, credent voci signi alterius.

*Vulg.* Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam, sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam, & quidquid hauseris de flumine, vertetur in sanguinem.

*Sept.* Et erit, si non crediderint tibi duobus his signis, neque exaudierint vocem tuam, sumes de aqua fluminis & effundes in aridam, & erit aqua, quam sumpseris de flumine, sanguis super aridum.

*Cald.* Tolles de aquis quæ sunt in flumine, & effundes in aridam, & aquæ quas tuleris de flumine, vertentur in sanguinem in arida.

*Caiet.* Vertetur in sanguinem in sicco.

## CONCORDIA.

Noster interpres hic effugit phrasim Hebraicam, nihil tamen omittens de sensu, vides enim omisisse ביבשת baiabaset in arida, quam vocem noluit repetere, cum facile subintelligeretur.

## EXPOSITIO.

*Si non crediderint priori signo*, à te edito, *neque audierint sermonem signi prioris*, tibi non consenserint dicenti te à Deo missum, *credent verbo signi sequentis*, huius secundi, nempe manus tum leprosæ factæ, tum sanitati restitutæ, *quod si nec his duobus signis crediderint*, quod argumentum erit non exiguæ eorum incredulitatis, *sume aquam fluminis*, quod signum edidit secum existentibus senioribus in flumine, *& quidquid hauseris vertetur in sanguinem*, idest tunc in sanguinem aqua vertetur, cum super arenam effundetur, hoc autem signum seruabatur in Ægypto faciendum, quidquid in contrarium dicat Iosephus.

## CONCEPTVS.

*Deus in credendo non vult nos esse leues.*

6 *SI non crediderint priori signo, credent verbo signi subsequentis.* Deinde etiam tertium adhibet signum, cur tot signis editis, Moysem mittis ad populum, vt ei persuadeat futuram ab Ægypto libertatem? nonne sufficiens erat vnius exhibitio? cur ergo trium multiplicatio? tot signa multiplicat vt eos induceret ad fidem adhibendam Moysi, ne si primo signo crederent, leues & nimium creduli censerentur, ita sentit Oleast. *dedit autem Dominus ei tria signa, quoniam & si in omnibus voluerit Dominus suos esse prudentes & cautos, maxime tamen in credendis, quoniam nouit quam facile nos decipiat inimicus.* Oleast.

*Qui duobus testibus fide dignis non crediderit, tertius sequetur eum puniturus.*

*Si non crediderint priori signo, credent verbo signi sequentis.* Sed si fidem his duobus nolue- 61

runt adhibere, aquam à flumine haustam vertes in sanguinem, cum sanguinem audis, nonne quid funestum suspicaris de aliquo seueram punitionem? cur ad hæc priora tertium sequitur omminosũ? sane ratio persuadet, vt sit in ore duorum testium, si sint omni exceptione maiores: sed quid inde colligemus? quod si his duobus fidem adhibere noluerimus, tertius subsequetur grauiter incredulos puniturus, mens est Rupert. lib. 1. cap. 16. *addit tertium tanquam à tergo consequentem testem eos qui duobus testimonijs non crediderint, quasi sanguinea mortis pœna condemnantem.*

Rupertus.

### *Fidem Deus nostram exigit, non illi sed nobis vtilem.*

62 *Si non crediderint priori signo credent verbo signi sequentis.* Cur tot signa multiplicas? vt Moysi fidem adhibeant, si primo non crediderint, in pœnam suæ incredulitatis obcæca eos, vel saltem secundum non exhibe, vel saltem si hanc eis præstiteris gratiam, tertium non concede, in eorum enim credulitate consequenda ita laboras ac si tibi foret vtilissima, quid enim si aliquid acquirere velles, vltra efficeres? sane ita Deus in nos misericors, vt quæ sunt nobis vtilissima, laboret varijs modis ac artibus, vt ea consequamur, ita annotante Lippom. *agit & ludit veluti pater cum infantulo, vt nunc vno, nunc altero signo alliciat ad confidentiam & amorem suum, & vt nuncijs suis fidem astruat, non vt is quoquomodo, fide nostra indigeat, sed ad nostrum duntaxat prouentum.*

Lippom.

### *Miracula fidei necessitatem non imponunt.*

63 *Si non crediderint priori signo, credent verbo signi sequentis.* Sed id quod mihi negotium facessit est sermo diuinus subsequens, ait enim, quod si nec his duobus signis crediderint: quid? an è memoria excidit quod paulo antea asserueras, nempe populum secundo signo crediturum? quomodo ergo ilico subiungis, quod si non crediderint? nunquid sciebas determinate quid futurum erat? vnde igitur post assertiuam, hæc dubitatiua locutio? non dubitatiuè loquitur, hoc enim absit à Deo, sed ideo quasi dubitans loquitur, vt voluntatẽ hominis in credendo etiã post visum miraculum nouerit liberã; miraculum ergo sufficienter probat illud esse, ad cuius protestationem adhibetur, ideo primo dicit asserendo, credent verbo signi sequentis, sed necessitatem non imponit ad credendum, ideo quasi dubitans dixit quod si nec duobus signis crediderint, ad denotandam igitur libertatem hominis sine necessitate in credendo, conditionaliter additum est, quod si nec duobus signis crediderint: vnde optime B. August. *nemo credit, nisi volens.*

B. August.

### *Verbi incarnatio insinuatur.*

64 *Si non crediderint priori signo, sume aquam fluminis & effunde super aridam, & vertetur in sanguinem.* B. Cyrill. Alex. apud Lippom. per aquam filium Dei, per flumen Patrem intelligit, sic autem ait, vitæ siquidem signum est, aqua terra namque necessaria est, tum maxime visui his qui in terra degunt, filius igitur è Patre tanquam in flumine, quod omnibus vitam præstat natus est. quod autem filius non externæ à Patre sit substantiæ, sed ex ipso Patre secundum naturam existat Moyses edocebatur, quin potius & nos ipsi, capies inquit & aquam fluminis, & effundes in terram: sed licet aquam fluminis habeamus, nempe Verbum in Patre, cur dicimus ex hoc signo incarnationem Verbi diuini denotari? nam verbum à Patre singulariter sumptũ, Incarnationem non dicit, ita equidem, sed enigmate quodam; tamen hic Filij Dei Incarnatio insinuatur, sed quo quæso? cit. Doctor. nobis satisfacit, *vnicus Dei Filius cum vita sit tanquam ex flumine Deo Patre modo quodam qui explicari non potest, natus, quodammodo humanitati, quæ ex terra constat, sese miscuit, quemadmodum aqua terra.*

Cyrillus Alexand.

### *Verbum Incarnatum nisi pro nobis mortuum, non nobis profuisset.*

*Si non crediderint priori signo, sume aquam fluminis & effunde super aridam, & vertetur in sanguinem.* Nonne satis erat aquam de flumine sumptam in terram effundi? cur in sanguinem vertitur? si aqua diximus Verbum denotari, & effusã in terram, eius Incarnationem, quid mirum si in sanguinem vertatur? Verbum enim quamuis incarnatum, debuit pro nobis vitam effundere, *nisi Moyses*, inquit citatus Doctor. *aquam in terram fudisset, neutiquam in sanguinem mutata esset, quod plane Domini mortis indicium est, Verbum enim à Deo genitum, si absque humanæ carnis indumento consideretur, vita & autoritate præsens est, at postquam in carne habitauit, tunc plane secundum hominem quem assumpsit, mortuum esse dicitur.* 65

Cit. Cyrill.

### *Deus indicat se ab impijs pœnas suorum scelerum sumpturum.*

*Si non crediderint priori signo, sume aquam fluminis, effunde super aridam, & vertetur in sanguinem.* Quid hæc fluminis aquæ conuersio in sanguinem denotat? ad quid enim cum de filiorum Israel ab Ægypto egressus est sermo, aquæ in sanguinem mutatio? si enim suam pristinam recuperaret formam sicut manus leprosa, & virga in colubrum facta, tacerem equidem, nam facile intelligerem libertatem populi futurã, sed cum aqua quæ populos significet, aquæ multæ populi multi Apocal. sanguis autem interitum, quid ex aqua versa in sanguinem colligere possum? sane nihil nisi ominosum & infœlix, ita equidem, sed non pro populo Israel, sed Ægyptijs à quibus mors innocentium in flumine, seuerissimo exigetur supplicio, sic annotat noster Lyran. *status populi intermedius fuit post mortem Ioseph, & antequam Moyses curam populi susciperet, & in aliqua parte illius temporis intermedij, fuit illud edictum crudele de pueris masculis Hebræorum, submergendis in flumine, & ad hoc refertur tertium signum de aqua fluminis versa in sanguinem, per quod designabatur quod Deus requireret ab Ægyptijs in grauibus plagis, sanguinem puerorum in flumine extinctorum.* 66

Apoc. 17.

Noster Lyran.

*Qui nec sensui litterali nec spirituali credit, Christi Domini dulcissimas aquas non gustabit.*

67 *Si non crediderint priori signo, sume aquam de flumine, effunde super aridam & vertetur in sanguinem.* Procop. exponens hæc signa ait, duæ quidem potentiæ extiterunt in sinu Moysis, vna quæ secundum litteram externam intelligebat legem, eamque litteraliter exequebatur, quæ quidem potentia hebetat opus lepra contaminatum, altera potentia ea est quæ legem spiritualiter accipit, & vitæ puritatem honestatemque inducit, nosque coniungit per omnia, voluntati Christi, si non persuasi primo signo tibi fidem adhibuerint, certe persuadebuntur secundo signo, & tibi credent, qui enim non credet sensui litterali ob immensas animi seu mentis dotes, is certe rapietur spirituali legis expositione. Sed si neutro signo credere voluerint, ô Procopi, quid eis continget? aqua vertetur in sanguinem. Si omnis aqua huiusmodi mutationem subiret, maxima sane punitio, sed cum solum de aqua fluminis loquatur sermo diuinus, parum mihi hoc referre videtur. Sed falleris, audi enim citatum Gazæum, *satis constat illi qui his duobus non adducitur signis, aquam de flumine sumptam abire in cruorem, nec posse ob suam incredulitatem dulces & potabiles haurire aquas*, idem fere habet Orig. in cap. 21. Ioannis. Procop. Orig.

*Non ex sola prædicatione, sed etiam ex signis missionis quis cognoscitur.*

68 *Si non crediderint priori signo, &c. sume aquam de flumine effunde super aridam, vertetur in sanguinem.* Quid? an tot erant necessaria signa, vt Moysi dicenti, se à Deo missum in liberationem populi fides adhibeatur? nonne satis erat annunciare eis verbum Dei? arcana inaudita eis aperire, nomenque diuinam indicans essentiam, eis manifestum facere? non equidem, non enim à sola prædicatione, sed simul à signis missionis quis dignoscitur legitime missus, quod vere annotat B. Theodorus Episc. Charran. cognomento Abucara in opusc. contra Sarracenos, *non mihi est necesse concludere, non enim fictus parasti, digni fuerunt fide & approbatione Moyses & Christus, quia prædicabant & docebant, vt iam sic etiam Machometo credatur, quia prædicabat & docebat: sed audi vnde vterque habitus est dignus fide, quando mittebatur Moyses à Deo respondit, &c. atque ita fecit Moyses, & habita est fides verbis eius propter opera.* B.Theod.

*Trina Dei virtus Moysi ostenditur.*

69 *Si non crediderint priori signo credent verbo signi sequentis.* Deinde tertium proponit, nempe aquæ fluminis in sanguinem conuersionem, cur non plura quam tria? vel cur duobus non contentus signis, tertium voluit à Moyse editum? forte ternario numero signa voluit comprehendi, vt trina sua virtus Moysi manifestaretur, hæc enim primo colubrum idest Diabolum subegit, secundo carnem leprosam, imo corruptam de sinu mortis in resurrectionem extrahet, tertio omnem sanguinem iudicio iusto à morte vindicabit & suscitabit omnem sanguinem in martyrio aut morte effusum: obseruatio est Tertull. lib. de resurrectione carnis cap. 28. cuius hæc sunt verba, *cum Moyses manum in sinum condit & emortuam profert, & rursus insinuat & viduam explicat, nonne hoc de toto homine portendit? siquidem trina virtus Dei per signa illa trina denotabatur cum suo ordine primo Diabolum serpentem quamquam formidabilem subactura, hominis de hinc carnem de sinu mortis retractura, atque ita omnem sanguinem executura iudicio.* Tertull.

## *VARIETAS LECT. Vers. 10.*

VVlg. Ait Moyses obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius & ex quo loquutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.

*Sept.* Dixit autem Moyses ad Dominum precor Domine, non sum idoneus ante hesternam, neque apte nudius tertianam diem, neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo, gracili voce & tardæ linguæ ego sum.

*Cald.* Dixit Moyses coram Domino, obsecro Domine non sum vir eloquens etiam ab heri & nudiustertius, & ex tempore quo loquutus fuisti, cum seruo tuo, quoniam grauis loquelæ & linguæ profundæ ego sum.

*Onk.* Non vir verborum sum etiam ab heri & nudiustertius, & à tempore quo loquutus fuisti cum seruo tuo, quoniam grauis loquelæ profundæque linguæ ego sum.

*Pag.* Non vir verborum sum ab heri & nudiustertius, etiam ex tunc, quo loquutus es ad seruum tuum, quia grauis ore & grauis lingua sum. *Ambros.* gracili enim collocutione & tardiore lingua ego sum. *Aquila* non disertus non bene loquens.

*Alii.* Quia os graue & lingua grauis est mihi.

*Cajet.* Ait Moyses, Domini mei, &c.

## *CONCORDIA.*

NVlla est discordia, nam cur dixerit Domini mei in numero plurali, vbi habemus in singulari, dicemus in conceptibus: ne discordiam in aliis verbis lectionum existimes sed solum diuersos defectus linguæ denotari, primo enim vt vulgo dicitur, homo paucorum verborum, id autem est dicendi ieiunus & inops, hoc enim indicat lectio Hebraica & Caldaica, faciens Moysem dicentem sed non esse virum sermonis vel verborum, tum erat rudi, & in-

condito, & inelegantı fermone, quod significat Latina lectio, fecundum quam Moſes dixit non ſum eloquens, idque habent etiam vetuſti codices græci, deinde erat tardus ad loquendum, & non prompte verba proferens, quod ſignarunt Græcus & Latinus interpretes dicentes eum fuiſſe tardum lingua, & textus Hebraicus dicit eum fuiſſe graui ore: paraphraſis Caldaica vocat eum hominem profundæ linguæ, præterea erat gracili admodum exilique voce, quod expreſſe habet Græca tranſlatio ad hæc non recte pronuntiabat, non bene proferebat aliquas litteras ſeu voces, quod Latinus interpres oſtendit eum fuiſſe impeditioris linguæ.

## EXPOSITIO.

A*It Moyſes obſecro Domine*, hæc quarta Moyſis excuſatio, *non ſum eloquens ab heri, & nudiuſtertius*. aliqui ex Patribus eloquentem fuiſſe antea Moyſem contendunt, Actorum enim ſeptimo eruditus & efficax verbo ab adoleſcentia deſcribitur, ſed ex quo cum Deo loquutus fuit, tardioris linguæ effectum vel ſaltem ſibi ab eo tempore ſic viſum fuiſſe. Sed certe hebraiſmus ab heri & nudiuſtertius id eſt nunquam fui eloquens, etiam ab infantia ſeu na-
1.Reg 10. tiuitate, vt primi Regum 10. de Saule dicitur, videntes eum qui nouerant eum heri & nudius tertius ideſt à natiuitate & infātia, quod manifeſte oſtenditur, licet enim efficax in verbo fuerit, non tamen eloquentem vt Aaronem ſe eſſe nouerat, ac proinde ſe dixit ineloquentem, porro eloquens iuxta Hebræum dicitur verborum vir ideſt diſertus & eloquens, *& ex quo loquutus es ad ſeruum tuum*, quidam hic ſiſtunt, putantque ſenſum eſſe ex quo loquutus ſum cum Domino meo, me elinguem eſſe nouiſti, cæterum plenior ſenſus, ex quo loquutus eſt cum Deo, etiam tardioris linguæ factum, quam antea; ſolet enim inferior natura ad præſentiam & appa-
ritionem ſuperioris immutari, in Daniele 10. Daniel. 10.
*Domine in viſione tua diſſolutæ ſunt compages meæ, & nihil in me remanſit virium*, & hoc certum puto ſiue antea eloquens fuerit, ſiue non à Dei loquutione, tardioris linguæ quam antea eſſe effectum, ac proinde non eſſe ſiſtendum ibi: vnde autem id contigerit hæc ineloquentia, licet varient auctores, exiſtimo probabilius id præcipue à natura ei contigiſſe.

## CONCEPTVS.

*Mirum eſt hominem Dei colloquio fruentem eloquentem non euadere.*

70 O*Bſecro Domine non ſum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo loquutus es ad ſeruum tuum*. Etiam ex tunc quo loquutus es ſeruo tuo, cur hæc vltima verba dixit vt legationis munus renueret? nonne ſufficiebat dixiſſe abſolute eloquentem ſe non eſſe? cur addidit nec etiam ex quo loquutus es ſeruo tuo? merito hæc ſubiunxit, quia exiſtimarat vir prudens, à colloquio diuino ſubito è lingua humana mellitos & ſuauitatis plenos ſermones debere ſcaturire, & ita quaſi admirans ex conſortio diuino non euaſiſſe facundum, ait non ſum eloquens nec etiam
S. August. ex quo loquutus es ſeruo tuo, ſic obſeruat B. Auguſt. lib. 1. in Exod. q. 7. *tanquam oſtendens fieri potuiſſe vt qui ante eloquens non fuiſſet, repente fieret ex quo cum illo Dominus loqui cœpit*, digna & vera præſumptio: qui enim Deo affatur, Deoque impletur qui Deo colloquitur, inter alia hoc habere debet ſermonis facundiam.

*Quanto quis à Deo honoratur, tanto magis ſe deprimat maiorem conſequuturus exaltationem.*

71 *Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius*. Deinde ſuum omnino fatetur defectum, nempe linguæ ruditatem, & ſermonem incompoſitum, ex quo loquutus es ad ſeruum tuum? inquit impeditioris & tardioris linguæ ſum quis maiorem à Deo poteſt honorem conſequi quam illius frui colloquio, vices illius gerere, & oratoris ſui munus habere apud Regem potentiſſimum? cur ergo ita ſe deprimit vt infacundum ſe eſſe aſſerat? quis ſi à Rege mundano ad alium Regem nuntius mitteretur, ſuos defectus ſilentio non obuolueret, imo ſi tardioris linguæ eſſet, non ſe facundiſſimum prædicaret? cur ergo Moyſes ita ſe abiicit? tarditatem linguæ non diſſimulat? quia quanto quis magis à Deo honoratur, tanto magis ſe deprimere debet, maiorem conſequuturus exaltationem. ſic
expendit B. Baſil. Seleu. orat. 28. *Moyſes, habito cum Deo colloquio honoratur, ſeipſum vt vilem abiecit: impeditioris inquit & tardioris linguæ ſum, quanto enim faſtum comprimit tanto gratiam attrahit, & modus amplificandæ gratiæ eſt humilitatis vis*. Ecce tibi qua poteris via tuam gloriam amplificare, nimirum via humilitatis, ſi te deprimis, etiam à Deo maxima conſequutus beneficia, ad ingentem gloriæ celſitudinem peruenies. B. Basil.

*Defectus linguæ in ſuperiore, vel principe per additionem operum ſuppletur.*

72 *Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri & nudius tertius*. Ideſt nunquam fui facundus, imo nec nunc etiam ſum eloquens, quamuis diuino dignatus me ſis colloquio, nã adhuc impeditioris & tardioris linguæ ſum. Sed an hoc defectu caruit frater eius Aaron? ita ſane cum eſſet eloquentiſſimus, quomodo ergo de vtroque hoc Psal. 76.
teſtimonium prodidit regius vates Pſal. 76. dicens, deduxit ſicut oues populum ſuum in manu Moyſi & Aaron? quaſi æqualem manum vterque in deducendo populo habuiſſet, vnde impeditior linguæ quam potuit diſertiſſimæ & eloquen-

eloquentissimæ ? sane ex plurium virtutum luminibus: hinc fuit quod Deus Moysis faciem fecit instar solis splendescere, vt sic posset æquari Aaronis eloquentiæ; quod expendens D. Petrus Damian. lib. 8. Epist. 1. ait, *hinc est quod Moysi, qui dixerat obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo loquutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum, adeo postmodum facies clarificata resplenduit, vt filiorum Israel visus obtunderet, & in eum præ splendoris magnitudine respicere non valerent, Aaron vero de quo diuina voce responsum est, Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquens sit, nullus supernæ claritatis splendor accessit.* En dum cœlestium virtutū splendor additur superiori, quilibet linguæ defectus facile in eo supplebitur, hæc requirit Deus in superiore tardioris linguæ, quod ipse Moysi fecit, nimirum vt splendorem virtutum addat quo apud populares maxime splendeat.

B. Petrus Damianus.

### *Eloquentia ornamentum & sermo nimis politus, non multum roborat aduersus aduersarios.*

72 *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius.* Deinde suam fatetur infacundiam: impeditioris & tardioris linguæ ego sum, cur Moyses cum mittitur à Deo aduersus Ægyptios, statim defectum experitur? quid enim Deus loquebatur ad eum, quod linguam eius frænaret, vt tardioris esset eloqui & incomptioris sermonis? nonne eum mittebat aduersus Ægyptios debellandos? nonne simul eligitur vt fortis stet aduersus eos? quid mirum igitur ineloquentem euadere? quasi nesciat stare eloquentiæ pulchritudo, cum magnanimitate & fortitudine ad hostes superandos. hoc voluit Philo. lib. quod deter. potiori insid. inquiens, *Moyses illos in Ægypto sophistas veneficos recusas concertatores sibi dari, & aduersarios, negans se eloquentem, ac si dicat non esse sibi ingenium docile ad orationum verisimilium coniecturaliumque Rhetoricam, deinde asseuerans se non tantum infacundum, sed prorsus mutum, quia dedignatus per instrumenta vocis vti sonoro sermone.* Vbi diuinis armis inducebatur aduersus Ægyptias potestates, merito rhetorum congressum recusat, & eloquentiæ splendorem abijcit, dedignatus sonore & compte loqui, non enim robur & fortitudo stare potest cum hac sermonis cultura.

Philo.

### *Non fucato verborum apparatu vtendum.*

73 *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius.* Quid? nonne etiam inter Ægyptios omnium eruditissimus? qui autem clarus eruditione, nonne insignis est in eloquentia? cur ergo asserit non eloquentem esse? nec non infacundum? & verum dicit, non enim artificioso dolo comparatam vanam fallacem, præstigiatricemque habebat eloquentiam, quamuis illa polleret, quæ maturo ingenio exculta est, & solida quæque grauitate doctrinæ nititur: ita mihi videtur significasse citatus Philo lib. de sacrif. Abel & Cain, *hoc fortasse dicit non sibi studium verborum probabilium, idque accidisse sibi & quo Deus incœpit cum ipso loqui tanquam*

Ori. Philo.

A *cum famulo, non qui in huius vitæ potestatem iactationemque inciderunt, necesse debent rapi huc illuc, nullam tenentes firmam scientiam, sed prudentes à verisimilibus, Dei vero cultorem decet adhærere veritati, & verborum coniecturalium fabulositatibus extremum valedicere.*

### *Iustus clara & sonora voce obijciat defectus.*

*Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius,* deinde *impeditioris & tardioris lingua sum,* Sept. *gracili voce ego sum.* Licet habeas vocem gracilem, nonne ab vno homine qualis est Pharao, audiri potes? cur ô Deus eius admittis excusationem? imo non solum admittit & excusantem se acceptat, sed subiicit ipsi Aaronem, B qui pro eo ad Regē loquatur & linguæ fraternæ tarditatem suppleat, vnde nam hoc? quia nimirum iudicauit Deus, vt is qui pro Deo loquitur, eius verba capescit, & ad populum defert non submisse loquatur, sed clara voce intonet, Reges & Principes terreat: sunt enim plures si quid dicturi sint, quo Principes viros lædere possint id multis ambagibus obuoluant, immurmurent, mussitent, neque clara voce se prodere audeant, hoc deducitur ex B. August. q. 16. in Exod. *mirum si tam gracilis vocis fuit, vt neque ab vno homine posset audiri, an etiam Regiis fastus non eos permittebat de proximo loqui? dixit autem illi Deus, ecce dedi te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit tibi Propheta.* 74

S. August.

### *Nostra eloquentia diuinæ comparata, inscitia debet censeri.*

C *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo loquutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris lingua sum.* A quo tempore præcipue impeditiorem sermonem expertus es? ab eo quo loquutus es cum seruo tuo, nonne Deus linguas infantium facit esse disertas? ne ergo à tempore, quo cum Deo sermonem habuisti, dicas te infacundum esse? cur non diceret? quia quantumuis in domo regia educatus, quamuis sapiens sibi videbatur, tamen postquam cum Deo loquutus, diuinarum rerum disciplinam degustauit, & linguæ cuspide prælibauit, iam sibi videtur tardus lingua, & omni destitutus disciplina. mens est Ambros. in Psal. 72. explicans hunc versum, vt iumentum factus sum apud te, *pulchre addidit apud te* (inquit) *comparatione enim cœlestium homo quid est, nisi iumentum irrationabile? nam stellæ cum sint lucidæ solis exortu vanescunt, & Moyses ait non sum idoneus ab hesterno die ex quo cœpisti loqui cum seruo tuo, tenui inquit voce & tardiloquus sum, ita ergo & homo non dicam Christi sed & Angelorum comparatione mutum videtur esse iumentum,* quod Orig. hom. 3. clarius ostendit, *mutis animalibus quamuis sit imperitus & indoctus rationabilis homo, si comparetur, videbitur eloquens ad comparationē eorum, quæ & vocis & rationis expertia sunt, si vero eruditis & eloquentibus viris, atque in omni scientia probatissimis conferatur, ineloquēs & mutus videbitur, vt si ipsam quis respiciat diuinā sapientiam, quantauis sit eruditionis, quantaue sapientia multo amplius quā apud nos sunt pecudes, ipse apud Deum mutū animal se profitebitur, hoc nimirum erat* 75

B. Ambros. Psalm. 72.

Origen.

*Moyses, quod & B. David intuens & tali ordine* A *semetipsum ad diuinam sapientiam librans dicebat, Vt iumentum factus sum apud te.*

### *Quis non obmutescet verbum diuinum agnoscens?*

76 *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudiustertius, & ex quo loquutus es ad seruum impeditioris & tardioris linguæ ego sum.* Donec esset Moyses in Ægypto, & erudiretur omni sapientia Ægyptiorum, non erat gracili voce nec tardus lingua, nec profitetur se esse ineloquentem; erat enim quantum ad Ægyptios, & sonoræ vocis & eloquentiæ incomparabilis, cur ergo cũ cœpit audire vocẽ Dei & eloquia diuina suscipere, tunc sensit exilem & gracilem vocem suam, tardamque & impeditam esse linguam suam, tunc se pronuntiat mutum? respondet cit. B

Ch. Orig. Orig. *quia cœpit agnoscere verum illud verbum, quod erat in principio apud Deum.*

### *Audito Dei colloquio humiliemur.*

77 *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudiustertius?* Nonne te omni scientia Ægyptiorum eruditum audiuimus? nonne sic de eo loquitur Theod. lib. 2. de græcarum affectionum

Theodor. curatione: *cur nõ his omnibus relictis,* (loquitur de eruditis Philosophis,) *ad Moysem oceanum Theologiæ recurrimus, à quo, vt poetice dicam, flumi omnes & maria omnia deriuantur*, illuc enim & Pythagoras, & Anaxagoras, Platoque post eos parua quædam veritatis lumina, quædamque initia desumpserunt, Socrates quoque qui Archelao Anaxagoræque conuixit ab iis didicit, quæcumque de eo, aliis ipse tradidit. Moses C vero nequaquam sequutus hominum rationes, sicut alii fecerunt, sed clarissima Dei voce perdoctus, Theologiam nobis conscripsit: quid

Clem. Alexand. autem de eo prædicat Clem. Alexand. lib. 1. Strom. cum ætate esset grandior, Arithmeticam, & Geometriam, Rithmicã, & Harmonicam, & præterea Medicinam, simul & Musicam doctus est ab iis qui erant insignes inter Ægyptios, & præterea eam quæ traditur, per symbola, seu signa, Philosophiam, quam in literis ostendunt hieroglyficis, alium autem doctrinæ orbem tanquam puerum regium græci eum docuere in Ægypto: didicit autem literas Ægyptiorum, & rerum cælestium scientiam à Caldæis, & ab Ægyptiis, vnde in eius rebus gestis, dicitur doctus fuisse in omni scientia Ægyptiorum. Si ergo tot testimoniis comprobatur eius eruditio, cur se fatetur ineruditum & inelegantem? quidni? nam audito Dei collo-

Gregor. Mag. quio, humiliari debemus, subscribit B. Greg. Mag. hom. 8. in Ezech. *occulta atque profunda Dei iudicia cogitare, quid est aliud quam alas deponere? idest de nulla iam virtute confidere, sed sub magno timore trepidare: siue enim omnipotentis Dei naturam considerent; siue eius iudicia perpendant, trepident, pertimescant, eis ergo quasi alas deponere, est virtutes quas habent, humiliare: sic Abraham*

Genes. 18. *alas deposuit, qui quando cum Deo loqui cœpit, puluerem & cinerem se esse cognouit, dicens loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis: sic Moyses alas deposuit, qui eruditus omni scientia Ægyptiorum, mox vt verba Domini audiuit: verba se non habere deprehendit, dicens obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudiustertius, ex quo enim loquutus es ad seruum tuum impeditioris & tardioris linguæ sum, ac si aperte dicat, postquam verba vitæ ego audio, confusum me in verbis prioribus agnosco.*

### *Diuina potentia in ministris suis elucescit.*

*Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo loquutus es ad seruum tuum, tardioris & impeditioris linguæ ego sum.* Sep. 78 *gracilis voce & tarda linguæ ego sum.* Sed cur hominem eloquentissimum & facundissimum virum, non elegit ad confundendam Ægyptiorum sapientiam? certum est enim cum Pharao- B ni persuasurus est libertatem populo Israelitico concedere, & se à Deo cœli & terræ conditore missum assereret, plures ex Ægyptiis eruditis, qui Deum nesciunt, cum plurium sint cultores, in eũ insurgent disputaturi: elige ergo virũ qui sua eruditione & eloquentia sciat eos cõfundere? hanc eandem proponit difficultatem

Theodor. his. Theodor. qua de causa vniuersorum Deus, cum Moyse ministro vteretur, cum & exili voce & tardiore lingua esse voluit? *quia*, inquit, *hac ratione diuinam potentiam clarius indicabat, quemadmodum enim & piscatores, & publicanos, & coriarium, veritatis præcones & Euangelicæ pietatis ministros elegit, eadem ratione per hominem exilis vocis & tardioris linguæ Ægyptiorum sapientes rubore confudit.*

### *Qui prompte loquitur, sæpius errat.*

79 *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo loquutus es ad seruum tuum tardioris & impeditioris linguæ sum.* Vnde hæc tarditas Moysi prouenire potuit? nam aliqui tenent velocissimi fuisse sermonis, si ergo ex sua natura celer in loquendo, cur tardioris linguæ se dicit? respondent ex natura sua quidem fuisse promptissimi sermonis, sed id emendasse consuetudine tarde loquẽdi: at qua de causa qui celeri voce loquebatur, tardiorem in sermone se reddidit? quia qui prompte loquitur, sæpissime aberrat, non dissentit græcus Anonymus

Græcus Auctor. apud Lippom. *Moyses non velox, sed tardus erat ad loquendum, atque ita se assuefecerat vt tutius cautiusque loqueretur.*

### *Honorificè Deo loquamur.*

D

80 *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius.* Ex Hebræo vertendum est in plurali, *Domini mei*, nonne Deum vnicum alloqueris? cur ergo cum sit singulare adoni, non ais Domine mi? vt quanto cum honore Deum alloqui debeamus, innotescat, nam personam singularẽ in numero plurali alloqui maioris reuerẽtiæ est argumentũ: ita sentit Cajet.

Cajet. *Adonai numeri pluralis est, significans Domini mei, & cum manifeste habeat suum singulare, & debuisset dici Adoni, hoc est Domine mi, dicendo Domini mei, insinuat consuetudinem fuisse apud Heb. quæ nunc est in vulgari Italico, vt magnates alloquantur in numero plurali.*

*Prudenter defectus noſtros obtegamus.*

81 *Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri & nudius tertius.* Hæc paucitas ſermonis ſecundum aliquos, non noua ſed antiqua erat Moyſi, & propterea dixit ab heri etiam & nudius tertius, ac ſi apertius dicat, paucitas verborum naturali conſuetudine mecum eſt, quæ quidem ex Dei colloquio minime ablata eſt, ait enim ex quo loquutus es cum ſeruo tuo, tardioris & impeditioris linguæ ego ſum; quaſi diceret nec ex ſermone tuo hæc verborum paucitas ceſſauit, ſed adhuc perſeuerat; cuius rationem reddit tum ex parte linguæ, tum ex parte oris, ſed cum hæc impedimenta ex ſe experiretur, cur parce loquitur? ſane vt hunc parcitatis ſermonis defectum prudenter obtegeret; vnde cit. Cardinal. *in hac ratione relucet prudentia Moyſis, quod cum videret habere ſe impedimenta ad pulchre loquendum, ſermonis parcum ſeipſum reddidit conſuetudine parum loquendi.*

Cit. Card.

*Quo magis mens humana in Deum eleuatur; eo magis extra ſe rapitur.*

82 *Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo loquutus es ad ſeruum tuum, tardioris & impeditioris linguæ ſum.* Hæc ratio nulla eſſe mihi videtur ſuæ in loquendo tarditatis; nam impedimentum ſenſiſſe, ex quo loquutus eſt cum Deo, capere vix poſſum, ſicut enim cum balbutiente balbutimus, ſic cum facundo & eloquente eloquentiam diſcimus, quis autem Deo facundior? nihilominus ſe eſſe in loquendo ſtupidum pronuntiat, ſed qua de cauſa? reſpondet Lippom. *quia quo magis mens humana in Deum eleuatur, eo magis extra ſe rapitur.*

Epiſc. Metoncaſis.

*Orator ad principem ſit eloquens, aliàs irridebitur.*

83 *Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri & nudius tertius.* Hic aliqua deſunt, nempe ne mittas me ad Pharaonem, cuius rationem ſubiungit, non ſum eloquens: licet facundia ſermonis tibi deſit, nonne in opere potentiſſimus, cum virtute à Deo accepta, ſtupenda poſſis edere portenta, quibus attonitus Pharao populum Iſrael ab Ægypto diſcedere permitteret? nihilominus renuit legationem admittere, dicens ſe infacundum & ineloquentem eſſe, quia Orator ad Principem miſſus, ſi non ſit eloquens, omnium irriſioni obnoxius contemnetur, hoc voluit Epiſc. Abulenſ. *hoc enim indecens erat valde* (inquit) *quia ſi male loqueretur ante Pharaonem irrideretur, nec alicuius ei daretur audientia, quod ad magnam dehonorationem Moyſi & eius qui mittebat eum, videbatur redundare.*

Abulenſ.

*Eloquentia humana non multum pendenda, dummodo diuina polleas.*

84 *Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri & nudius tertius.* Nonne virtus & efficacia conſiſtit, A in perſuaſione eorum quæ obtinere deſideramus? nonne autem Deum adduxit ad id quod optabat Moyſes? nam cum Deus propter crimen adorati vituli infenſiſſimus eſſet Hebræis, eóſque delere vellet, oppoſuit ſe Moyſes & oratione ſua placauit Deum, & ad ignoſcendum Hebræis adduxit, cerno, inquit Deus, quod populus iſte duræ ceruicis ſit, dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Moyſes autem orabat Dominum ſuum dicens, cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terra Ægypti in fortitudine magna & in manu robuſta? ne quæſo dicant Ægyptij, callidè eduxit eos, vt interficeret eos in montibus, & deleret de terra. quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui, recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum dicens, multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cœli, & vniuerſam terram hanc de qua loquutus ſum, dabo ſemini veſtro; & poſſidebitis eam ſemper: placatuſque Dominus ne faceret malum quod loquutus fuerat, aduerſus populum ſuum. en eloquentiſſimus Moyſes, qui ipſi Deo iuſte pœnas à populo exigere volenti, perſuaſit, vt ei condonaret! quomodo ergo ſe infacundum eſſe aſſerit? aduerte duplicem eſſe eloquentiam, altera eſt humana in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis conſiſtens, qua homines vtuntur cum hominibus, altera eloquentia eſt interior & ſpiritualis, cuius homini eſt vſus cum Deo, & Angelis, & contra Dæmones, qua quidèm ſanctimonia præſtantes ac perfecti viri maxime pollent: dicamus ergo recte aſſeruit ſeſe nō eloquentem humana facundia. ſed quis eo facundior in diuina? vnde Cornelius ſic ait, *Moſes, infacundus fuit exterius apud homines, ſed interius facundus fuit apud Deum, quia efficacia ſuæ orationis & ſanctitatis impetrauit à Deo quidquid voluit.*

Exod. 32. — Cornelius à Lapide.

*Eloquentia operibus iuncta, potentiſſima eſt ad mouendos animos.*

*Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri & nudius tertius.* Nonne ex ſignis editis, ex virga in colubrum verſa, &c. diuinæ virtutis experimentum habuiſti? cur ergo adhuc munus legationis detrectas, vocis defectum obiiciens? cur cum tibi ſit miraculorum efficiendorum data poteſtas, ea non contentus, facundiam ſermonis optare videris? ſi enim potens eſt etiam ipſa tranſmutare elementa, quid linguæ eloquentiam exigis? cur quaſi conquerens, tuam fateris ineloquentiam, impedimenta loquendi proponis, nec non ſermonis tui tarditatem obiicis? quid mirum ſi requirit ſermonis eloquentiam, licet ſignorum poteſtatem habeat? vox enim iuncta operibus eſt potentiſſima ad animos omnium mouendos, quod teſtatur Caſſiodorus 8. variar. 14. de quodam viro præſtantiſſimo, *aſſuit mandatis regalibus eloquens & decorus orator,* (intellige virtutum decore) *permulcens etiam inſpectus, quos gratiſſimos reddebat auditus.* In hoc maximus videbatur iſte regalibus decretis aſtitiſſe, quod & eloquentię facundiam 85

Caſſiod.

& decorem referebat virtutum, vt visus simul & auditus de omnibus ageret triumphos.

*Orator ad Principem licet sit eloquens in proprio idiomate, deberet etiam esse in alieno.*

86 *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius.* Plures arbitrantur Moysem nullum vitium naturale linguæ habuisse, quod nituntur confirmare ex eo quod Deus illum pulcherrimum effecit vt à filia Regis eius pulchritudine illecta, in filium adoptaretur: non igitur impedimentum linguæ naturale habuit, id enim si habuisset à filia Regis repulsus fuisset velut indignus, qui filius eius admitteretur: addunt B à D. Stephano appellari potentem in verbis, quis autem potentem in verbis appellat hominem, linguam habentem impeditam ac tardam, qui ab auditoribus contemni solet non audiri? cur ergo se infacundiæ accusat? aduerte Moysem quadraginta annorum spatio traduxisse vitam in terra Madian, hoc longo tempore aliqua ex parte linguam oblitus est Ægyptiorum: quis ergo vetat dicere, licet ex se eloquens fuerit, vel in sermone Madianitarum, tamen infacundum fuisse in lingua Ægyptiaca quæ sibi necessaria erat ad hanc legationem ad Regem Ægypti digne obeundam. Do Hugon. Vict. in Exod *quidam dicunt Moysem propterea non esse eloquentem, quia diu moratus fuerat in terra Madian, vnde oblitus fuerat aliquantulum linguæ Ægyptiacæ; Aaron autem semper in Ægypto morabatur, quare datur Moysi interpres ad Pharaonem.* Hugo Victor.

*Quæ subterfugia non quærenda vt dignitates non admittantur?*

87 *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudiustertius.* Deinde subiungit, impeditioris & tardioris linguæ ego sum, hæc est quarta Moysis excusatio, qua missionem ad Pharaonem detrectat, petita ab impedimento linguæ, quod quintuplex videtur assignasse secundum varias lectiones: primum, quod, vt indicat Hebræa, esset homo paucorum verborum, idest dicendi ieiunus, & inops; secundum quod in dicendo non esset eloquens, sed rudis, inconditus & inelegans; tertium quod in sermone non esset promptus, sed tardiloquus: quartum quod esset voce gracili & exili, quintum quod lingua esset impedita, vt aliquas litteras & voces bene proferre non posset, en quot præbet excusationes? en quot obiicit impedimenta? cur ea non dissimulat? quia omnia subterfugia quærenda ad onus dignitatum fugiendum, quod innuit B. Greg. lib. 35. moral. cap. 15. *cum apud se mente humilis esset, oblatum protinus tanti regiminis gloriam expauit, moxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicens obsecro Domine non sum* S. Gregor.

A *eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo te, i. loqui ad seruum tuum, ecce cum authore linguæ loquitur, tamen ne tanti regiminis potestatem recipiat eloquentiam se esse causatur.*

*Lex nisi enuntietur per prædicationem, elinguis est.*

*Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius.* Et ideo legationem minime debeo ad Pharaonem obire, nec ad Ægyptios obire, eloquentia enim necessaria est ad id munus digne perficiendum: cui Deus, Aaron frater tuus Leuites, ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, cur alium ei substituis ad loquendum Pharaoni? Moyses inualidum se fatetur propter 88 quod illi Deus Aaronis fratris sui auxilium pollicetur, vt in quo ille non præualet, huius adminiculo suppleatur, aduerte Moyse legem denotari, sicut Aarone concionatorem: quid mirum igitur si se infacundum fatetur, & Aaron datur ei in auxilium? quia sine dubio, nisi lex per concionatorem enuntiatur, elinguis omnino apparet: subsignat Philipp. Abb. lib. de contin. cleric. cap. 69. *Moyses figuram legis tenet, quia per eum lex data est, Aaron vero sacerdotis, cuius & primo dignitas collata est, quia ergo lex diuina, cui debet omnis populus obedire, ad humanam notitiam nisi prædicatorum ministerio non potest peruenire, pulchre Moysi frater suus Aaron in tempus constituitur, vt huius officio præcepta legis omnibus innotescant, ne si prædicatore caruerit, silentio premente obmutescant; hoc est quod Moyses dicit, obsecro Domine non sum eloquens, & ad eum Dominus dicit Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquens sit.* Philipp. Abbas. C

*Sicut lex indiget prædicatore, ita prædicator non debet nisi legem annuntiare.*

*Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudiustertius.* Et ideo alium oratorem ad Pharaonem institue: quid et Deus? Aaron frater tuus erit Propheta tuus, nonne diximus Moyse legem denotari, & ideo indiguisse fratre suo, ne elinguis appareret, sed lex annuntiaretur, verum cur Aaron Moysis erit Propheta? nonne potuit Deus dicere, mittam Aaronem manente alibi Moyse, & sine illius dependentia? potuit, sed noluit, quia sicut lex indiget prædicatore, ita prædicator non debet nisi legem annuntiare: mens est cit. Abb. *bene Aaron frater Moysi dicitur, quia clericalis dignitas diuinæ legi tanta cognatione coniungitur, vt non debeant abinuicem separari, cum & lex indigeat prædicatore clericali, & prædicator nisi quæ lex dictauerit, non debeat operari. Lex diuina clerico debet ea quæ Dei sunt diligentius intimare, & clericus ipsam legem sermone congruo populis prædicare: & ita Moyses vt scriptum est in his quæ ad Deum pertinent erit Aaron fratri suo, & Aaron loquetur ad populum pro Moyse fratre suo.* Cit. Abbat. D

## *VARIETAS LECT. Verʃ. 11.*

VVlg. Dixit Dominus ad eum, quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum, & surdum, videntem & cæcum? nonne ego? A

*Sept.* Quis dedit os homini? & quis fecit mutum & surdum, videntem & cæcum? nonne ego Deus?

## *CONCORDIA.*

PVlchre vertit interpres, verbum שום sum bis hic positum, quod ponere significat, semel fecit, deinde fabricatus est, vnde Cald. quis posuit inquit os homini? verbum אלם alam significat ligare, à quo ilem idest mutus, quod sit ligatus ore, vt non possit loqui, similiter פקח Pachach aperire, hinc Picheach idest videns, quod oculos apertos habeat.

## EXPOSITIO.

*QVis fecit os hominis?* Hebraïsmus est, quis B illi facultatem loquendi concessit, non est putandum Moysem dubitasse eloquentiæ defectum, à Deo posse suppleri, quod Deus iis verbis insinuat, quasi dicat, tu scis me qui sermonem cunctis præsto, te eloquentem cito reddere posse, sed non sic expedit, ne humanæ scilicet persuasioni factum hoc tribui possit. *Quis fabricatus est mutum & surdum &c.* quasi dicat prout placuit cuncta digessi, quosdam tardioris linguæ, & cæcos effeci, alios eruditos, & acutioris intellectus.

## CONCEPTVS.

### *Silentium oculos mentis aperit.*

90 *QVis fecit hominis os, aut quis fabricatus est mutum, & surdum, videntem, & cæcum?* Quæ verba hunc sensum habent iuxta Chrysost. in Psalm. 8. ego sane mutum feci, idest ei silentium indixi, & videntem, vt hac ratione multa videat, & intima arcana contempletur, sed cur hominem mutum conjungit C cum vidente? forte vt denotet hoc emolumentum afferre omnibus silentium, quod oculos mentis acuat, vt liberius in terra meditetur; quod Ieremias Thren. 3. indicat, sedebit solitarius & tacebit, quoniam leuauit se supra se; quod explicans B. Petrus Damianus Epis. 130. *An solitarius plane dum tacet, se eleuat super se? quia mens humana dum intra silentii claustra vndique circumcluditur, in superiora sublimis erigitur, ad Deum per cœleste desiderium rapitur, & in amore eius per ardorem spiritus inflammatur, & tanquam foris viuus dum per verborum circulos fluere hinc inde non sinitur, vndis excrescentibus in altiora cumulatur, templum ergo tui pectoris nunc per silentium crescat virtutum structura, consurgat vti supernus ille* D *sponsus quem totis visceribus diligis, velut in thalamo suo delectabiliter requiescit.* & B. Bernard. serm. de SS. Petro & Paulo, *leuauit se super se, quia non respicit ad se, sed ad illum qui est super se.*

Thren. 3.

Petrus Damian.

Bernard.

### *Deus ad aliquam dignitatem nos eligens sufficientiam ad illam tribuet.*

*Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est*
91 *mutum & surdum &c.* Cur hæc proponis Moysi? an ignorat te esse omnipotentem? nonne Moyses detrectauerat legationis munus ad Pharaonem? nonne ducatum populi renuens, dicit se esse incapacem tanto muneri subeundo? se esse ineloquentem & infacundum proclamat? merito igitur ei respondet, quis fecit os hominis &c? quasi diceret si te ad regimen populi mei elegi, si te nuntium & vices meas gerentem institui, non est cur hanc tenuas dignitatem, ob linguæ defectum, nam cum aliquis à me ad dignitatem vocatur, sufficientiam illi non denego: non alienus est ab hoc sensu noster Lyran. *ego qui feci os hominis possum tibi dare eloquentiam, possum supplere tuum defectum.*

Noster Lyran.

### *Deus etiam causa malorum pœnæ.*

*Quis fecit os hominis aut quis fabricatus est mutum & surdum?* Nonne surditas malum est na- 91
turæ? nonne similiter mutum esse, defectum dicit? quomodo ergo vtriusque auctorem eorum se dicit esse Deus? nonne cuncta quæ fecerat erant valde bona? quis surditatem valde bonam esse asseret? nihilominus ipse Deus dicit quis fabricatus est mutum & surdum & bene quia etiam causa malorum pœnæ est: accipe B. August. quæst. 7. in Exod. *sunt qui Deo calumniantur, vel scripturæ potius veteris testamenti, quod fecisset cæcum & mutum, quid ergo dicunt de Domino Iesu-Christo aperte in Euangelio dicente, ego veni vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant? quis autem nisi insipiens crediderit, aliquid homini secundum vitia corporalia posse accidere, quod Deus noluit? sed eum iuste totum velle nemo ambigit.*

*De nostra imbecillitate diffidere de Dei potentia fidere debemus.*

93 *Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum & surdum?* Se quasi elinguem fatetur, cum ait, non sum eloquens ab heri & nudius tertius, imo impeditioris & tardioris linguæ ego sum. Non autem dubitat te auctorem illius defectus esse, cur ergo asseris te mutum & surdum fabricasse, & os homini dedisse? aduerte de suis viribus diffidisse in legatione obeunda erga Pharaonem; quam aptè ergo Deus dixit ei se os homini dedisse, idest loquelam & sermonem vt in se speraret & confideret: pro nobis est Lippom. *Quis donauit hominem facultate loquendi? scio qualis sis, cum ego dem vsum sensuum & adimam, mihi ergo fidere debes, non tuas apud te vires metiri, nec enim humana membra ipsa nec horum vsus Dei euadunt prouidentiam.* (Lippom.)

*Deo præcipienti, licet ad illud exequendum ineptus tibi videaris, tamen obediendum.*

94 *Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum, & surdum?* Qua de causa hæc Moysi dixit? quod subterfugium quæsierat, ne quod sibi iussum fuerat exequeretur? obsecro, inquit, vt loquendi mihi officium non imponas, & quem premit infirmitas, tuo mandato premere adhuc non apponas, quia non mediocre, vel suum ipsius vel alterius detrimentum incurrit, cum loqui aggreditur cui eloquentia non succurrit, non sum ait eloquens ab heri & nudius tertius, prius ait quam tua mihi Maiestas loqueretur, & à me paruulo sublimitas sermonis tui incomparabilis audiretur, ipse me sciolum & ad loquendum promptum arbitrabar, & fortè à nonnullis satis eloquens existimabar: verum postquam meis auribus tui sermonis tuba intonuit, & tua mihi sapientia largiori munerum gratiæ recentis innotuit, elinguis mihi, & tantis obstaculis videor impeditus, vt ad digne referendum, quæ dignius intulisti, nullomodo inueniar expeditus, sicut enim stellas minores pleno cornu Luna videtur abscondere, & lucernam tenuem solis meridiani splendor retundere, sic nimirum cum tua loquitur & loquentis attenditur incomparabilis celsitudo, mea velut obducitur, & pro nihilo ducitur infantilis & inefficax hebetudo, en vt subterfugia his rationibus quærit, ne Dei iussa impleat: sed quid illi Deus? quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum, & surdum, videntem & cæcũ? nonne ego? quid his verbis denotat? sane sibi præcipienti aliquid obtemperandum esse, cum sit omnipotens vt executioni mandentur ea quæ præcipit: quod eleganti calamo obseruat Philipp. Abb. de Silent. Clerico. cap. 86. os hominis Deum omnium conditorem » certum est condidisse, eique posse loqui & » non loqui, naturaliter indidisse, vt alternis vi» cibus, & ad tacendum velut quodam signa» culo modestius operiri & ad loquendum quæ » bona sunt velit & valeat aperiri, quod autem (Philipp. Abbas.)

A factum est, factorem proculdubio debet reue" reri, & illo imperante istud quouis obstaculo " non teneri, vt suo renuntians, maioris potius " se arbitrio abdicat, in nullo opus opifici fig" mentum figulo contradicat; quem ergo sum" mus opifex iusserit non mutire, potest excusa" biliter imo commendabiliter obmutire, & cum " iam non sua ipsius contradictio mutum facit, " sed is cuius imperio per iniunctum silentium " satisfacit: quis enim alius recte hominem fa" cit mutum, nisi qui fictor prudens in manu va" lida tenet lutum, vt in deterius natiua illud mol" lities non excedat, sed exinde fictoris gratia " commendabile vas procedat, Moyses vero æsti" mabat commendabilem, vel saltem excusabi" lem se haberi, si quia tardus ad loquendum " B sub optato posset silentio contineri, non satis " peruidens quis cuiusmodi perperam pateretur, " si tacendo bona voluntati propriæ blandire" tur: tu mutum ipsum facere te disponis, & ad " inuestigandæ quæ iusta sunt, curam debitam " non apponis, tuæque voluntati dum conditoris placitum non præponis, tibi satis inualido " grauem culpæ sarcinam superponis: sed quis es " tu, qui voluntatis propriæ tibi priuilegium sic " assumis, & quod meum solius est, inconsultè " imo temerè iam præsumis, vt scilicet ore tuo " ad maioris imperium non vtaris, sed tuo viuens " iure, acceptis muneribus abutaris? meum est " conditoris tibi facto iuxta libitum imperare, " tuum vero qui factus es, aurem imperio sedu" lam præparare, vt sicut non hominem, sic nec " C mutum hominem facere te contendas, & priui" legio potestatis æquari plasma figulo non in" tendas, ego enim sum qui facio mutum & sur" dum, videntem & cæcum. "

*Facundia sermonis vel eloquentia donum Dei est.*

*Quis fecit os hominis?* Idest quis dedit homini sermonem eruditum? quis ei eloquentiam concessit? nõne ego Deus? cur obijcienti Moysi suam ineloquentiam, non dixisti, vade quæ dicturus es coram Pharaone, stude, in addiscendo labora, præceptorem te docentem inuestiga, nihil tale consulit. Sed ait, nonne ego Deus quis os hominis feci? quasi diceret, quid times? quid tarditatem tui sermonis proponis? à me est donum eloquentiæ: vnde in beati Ambrosij, D cum adhuc infans esset, ore, examen apum consedit, quod diuinam viri eloquentiam præmonstraret, vt ait B. Paulin. in eius vita. S. Dominici mater grauida, sibi visa est in quiete, continere in aluo catulum, ore præferentem facem, quo edito in lucem orbem terrarum incenderet: pro somnio significabatur fore, vt S. Dominicus sua concione facunda, & feruida, piaque cunctos ad Dei amorem inflammaret, simile quidpiam contigit S. Bern. qui vere fuit mellifluus. 95 (B. Paulin.)

*Deus etiam elingues & omnino mutos facit esse disertos.*

*Quis fecit os hominis & quis fabricatus est mutum & surdum?* scimus te homini os ad facunde loquendum dedisse, licet etiam homines aliquos mutos & surdos reddideris, sed an ho- 96

omnes sine linguis, vel mutos à natura potes reddere eloquentes, vt Moysem conuincere possis te facundiæ donum ei posse præstare? ita equidem, possemque huius veritatis innumera in medium adducere exempla, & omisso tanquam fabulam sapiente, quod refert *Artabanus apud Euseb.* Euseb. libr. 9. cap. 4. de præpat. Euangel. ex Artabano, nempe Moysem iussu Regis in carcerem fuisse intrusum, vnde nocte custodibus mortuis, & repente portis patentibus, ianuisque omnibus quæ ibi fuerãt, fractis, exiuisse rectâque viâ in regiam vsque ad Regis cubiculum ianuis apertis ad ipsum Regem intrasse, interrogatumque à stupente Rege, quodnam esset Dei nomen à quo missus esset, cumque ceruicibus inclinatis Moyses sibi dixisset, audientem, mutum cecidisse, & à Mose suscitatum esse, sed omisso hoc commento, fidelissimos *Iustinianus Imperator.* huius veritatis teste demus Iustinianus huius nominis primus Imperator, occulta fide sibi constare testatur lib. Codi. Titulo de officio præfect. præt. Affricæ, *vidimus*, inquit *venerabiles viros qui abscissis radicitus linguis pœnas suas mirabiliter loquebantur.* *B. Gregor. Mag.* B. Greg. mag. lib. 3. cap. 32. *Dial. Iustiniani Augusti temporibus ait dum contra Catholicorum fidem exorta ab Vuandalis persecutio Arriana in Affrica vehementer insaniret, quidam in defensionẽ veritatis Episcopi fortiter persistẽtes ad mediũ sunt deducti, quos Vuãdalorum Rex verbis ac muneribus ad perfidiam flectere non valens, tormentis frangere se posse credidit: nam cum eis in ipsa defensione veritatis, silentium indiceret nec tamen ipsi contra perfidiam tacerent, ne tacendo forsitan consensisse viderentur, raptus in furorem eorum linguas abscindi radicitus præcepit, res mira & multis nota senioribus, quia ita pro veritatis defensione etiam sine lingua loquebantur, sicut prius loqui per linguam consueuerant. Calades Persa,* in- *Niceph.* quit Niceph. lib. 16. cap. 36. hist. *Christianos quondam cruciauit, linguas eis abscindens, qui tamen illis amissis, non minus quam antea clare sunt loquuti, mirabilia opera Domini, qui dignabatur illis hanc loquendi gratiam conferre.*

*Deus hominum humilitate maxime delectatur.*

97. *Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum & surdum?* Quid tuo amplius dignaris colloquio hominem tuis mandatis inobedientem? ecce præcipis vt subeat legationem ad Pharaonem, & mille quærit subterfugia ne obtemperet, nam dicit populum minime sibi crediturum, deinde se ineloquentem esse, tardioris & impeditioris loquelæ, cur ergo tanquam tua detrectantem iussa supplicio non afficis? non tanquam inobedientem, sed tanquam humilem respexit Deus, & tanto munere indignum se iudicantem, & ideo eum adhuc suo dignatur colloquio, à quo non dissentit *Philo.* Philo. lib. 1. de vita Moys. *Verecundo ingenio præditus subtrahebat se grauiori quam pro viribus vt putabat, oneri, rogabatque, vt alius eligeretur ad exequenda mandata, Deus pudore delectatus respondit; an nescis quia os homini dederit, & linguam indiderit, quis gutturi cæteraque vocis rationalis instrumenta fecerit? ego sum, noli timere, meo nutu articulate differes omnia, facundia mutata in melius.*

## *VARIETAS LECT. Vers. 12.*

VVlg. Perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris.

*Sept.* Nunc vade, & ego aperiam os tuum, & instruam te quod loquuturus es.

*Cald.* Et nunc vade ait, verbum meum erit in ore tuo.

*Pag.* Ego ero cum ore tuo.

*Oleast.* Descendere faciam in te quid loquaris.

## *CONCORDIA.*

Dictio עם vtrumque dicit, siue in, siue cum, vnde vbi Vulg. legit, ego ero in ore tuo, ex Hebræo legit Pagni. ero cum ore tuo: non dissentiunt Septuag. cum vertunt καὶ ἐγὼ ἀνοίξω τὸ στόμα σου ego aperiam os tuum.

## EXPOSITIO.

P*Erge igitur*, obiturus legationem ad Pharaonem, & educturus populum Israël ex Ægypto, *& ego ero in ore tuo*, Hebraismus est, idest facundum & eruditum te reddam, vel saltem verbo efficaciam præstabo, verborum tuorum moderator ero, ne imperitè & infacundè aliquos sermones proferas.

## CONCEPTVS.

*Deus eorum qui recta loquuntur, os aperit: diabolus vero qui mala.*

98. E*Go in ore tuo*, Septuag. *ego aperiam os tuum*, nonne omnium os aperis, cum in te simus & moueamur? mouemur autem quoad minimam corporis partem, quod ergo singulare beneficium Moysi præstas cum te eius os aperire polliceris, cum hoc nemini deneges? sed audiamus *Origen.* Orig. hîc & intelligemus Deum eorum qui recta, qui sancta loquuntur, os singulari beneficio aperire, diabolum autem eorum qui peruersa & vitiosa sermocinantur; verba Orig. subijcio, *Beati sunt quorum Deus aperuit os vt loquan-*

*tur prophetis Deus aperit os, & replet eloquio suo,* A
Psal. 80. *sicut in præsenti dicit Moysi, sed & per David dicit Deus, dilata os tuum & implebo illud: similiter &*
Ephes. 6. *Paulus dicit, vt mihi detur sermo ad apertionem oris mei. Eorum ergo qui verba Dei loquuntur os Deus aperit: vereor autem ne sint aliqui, quorum è contrario diabolus os aperiat, nam qui loquitur mendacium, certum est quia diabolus aperit os eius, qui falsum testimonium dicit, qui scurrilitates, turpitudines, & cætera huiusmodi de ore suo proferunt, diabolus aperuit os eorum & vnde mihi videtur non esse parua gratia intelligere os quod Deus aperit & intelligere os quod aperiat diabolus.* deinde concludit, *orandum igitur nobis est vt dignetur Deus aperire cor nostrum, & possimus contradictores reuincere, & obturare os, quod diabolus aperuit.*

*Non solum Deus nos instruit, sed ad ea de quibus instructi fuerimus, edocenda, os aperit.*

99. *Ego ero in ore tuo*, Septuag. *Ego aperiam os tuum, doceboque te quid loquaris*, quod intellige de recte proferendis, vel ad proximi ædificationem & salutem, vel ad sui gloriam. Nec miror, nam ipsius est non solum bonas cogitationes immittere, sed & recta docere: verum cur dicit quod etiam labia aperiet cum in cuiuslibet potestate situm sit, ea quæ bene à nobis cogitata fuerint, aperire? bene dixit aperiam os tuum, non autem tu aperies, sicut te instruam, quia Deus non solum nos instruit, sed etiam ad ea de quibus instructi fuerimus edocenda, os aperit, & labia
B.August. mouet. *Satis hic apparet* (inquit B. August. q. 9. in Exod.) *non tantum instructionem oris, sed ipsam* C *etiam apertionem ad Dei voluntatem & gratiam pertinere, non enim ait, tu aperi os tuum & ego instruam te, sed vtrumque ipse promisit, aperiam & instruam.*

*Vbi ad Dei gloriam loquendum est, Deus præbet sapientiam.*

100. *Ego ero in ore tuo*, Si dicit se ineloquentem esse licet sis in ore suo, cum ante Regem Ægypti munus legationis suæ obeundum fuerit, an quæ dicturus est, ad nominis tui exaltationem adinuenire poterit? de pluribus enim à Pharaone, quæ ignorat, interrogabitur; quomodo ea sciet soluere? quia cum ad Dei gloriam & nominis sui exaltationem, aliquid ante Reges & præsides loquendum est, tunc Deus suis sapientiam præbet, quod Christus Dominus testatur
Luc. 10. Luc 10. Cum tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui lo-
Remigius. quitur in vobis: in quæ Remig. in Cat. *duo dicit quomodo, aut quid, quorum vnum refertur ad Sapientiam, alterum ad oris officium, quia enim & ipse subministrabat verba quæ loqueretur, & sapientiam quæ ea proferrent, non fuerat necesse sanctis prædicatoribus quid loquerentur, aut quomodo adinuenirent.*

*Quem Deus erudit, errare non potest*

101. *Ego ero in ore tuo, & docebo te quid loquaris*, licet de omnibus quorum sermonem ad Pharaonem habiturus est, sit instructus, cum tardioris & impeditioris se esse linguæ fateatur, & ineloquentem se dicat, nonne in pluribus aberrare poterit? qui enim balbutit, nonne pluries impingit? licet impingat in aliquid, qui balbus est sermone, si tamen Deus, licet ineruditum & balbutientem, erudierit, certum est errare non posse,
*Non potes quod errabis in loquendo* (ait Abul.) *aliquid falsum proferendo, quia ego te docebo omnia, ille autem quem Deus erudit errare non potest.* Abulensis.

*Non Angelicæ sed diuinæ virtutis est linguæ potentiam dirigere.*

*Ego ero in ore tuo*, cum pluties ad eximia executioni mandanda, Angelos misisti, vt ad debel- 102.
B landos populi tui aduersarios, aliquando ad dirigendos gressus seruorum tuorum, cur ergo non ais Moysi, mittam tecum Angelum qui vel quod loquendum, vel quid respondendum Pharaoni, te instruat, & verba in ore tuo multiplicet erudita? bene dixit Deus Moysi, ego ero in ore tuo & non alius, quia non Angelicæ, sed diuinæ virtutis est linguarum dirigere potentiam, quid ait spiritus Sanctus Prouerb. 16? hominis est animam præparare, & domini gubernare linguam, Prouer. 16.
ex Hebræo à Domino est responsio linguæ: vnde recte Procop. in cap. 11 Genes. *Non Angeli, non creaturæ, sed creatoris est nouas formare linguas, Spiritus sancti opus est linguas mutare, vt discimus Apostolorum exemplo, quibus linguarum donum obtulit sub specie ignis.* Procopius.

*Prophetarum os, Dei est os.*

*Ego ero in ore tuo*, B. Chrysost. hom. 3. de verbis Isaiæ, vidi Dominum, inquit Prophetarum ora, Dei sunt os, quid? nonne Mōtanus impij erroris dogmatistes & insaniæ eius vates Priscilla & Maximilla, asseuerantes Prophetas olim non Spiritu sancto afflatos, oracula sua texuisse, sed arreptitios & tanquam mente captos, ea protulisse vaticinia, quæ non intellexerunt? nonne Simon Magus, Basilides, Carpocrates, Valentinus & Gnostici omnes, dixerunt Prophetas à sinistra quadam virtute, & malignis spiritibus missos & gubernatos fuisse? sed quid mirum, si cum sint heretici ita desipiant? certum est enim Deum in ore vatum suorum versari, & spiritu sancto inspirante loqui, teste Zacharia Luc 1. 103.
Luc. 1.
D *Deus loquutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius, & quod Apost. scribit Hebr. 1. Multifariam multisque modis olim loquutus est Deus patribus nostris in Prophetis, nouissime diebus istis loquutus est Deus nobis in filio*, qui secundùm eundem, *posuit quosdam in Ecclesia, primum Apostolos secundo Prophetas, tertio Doctores.* Heb. 1. Ephes. 4.

*Semper nouis te suis obstringit Deus promissis.*

*Ego ero in ore tuo*, nonne timenti potentiam Regis, promisisti ipsi adfuturum, ego ero tecum? nonne causanti incredulitatem populi, potestatem ei dedisti edendi miracula? quid est quod tenes in manu tua? quomodo ergo nunc linguæ tarditatem sermonis infacundiam obiicienti, ne ad Pharaonem legatus mitteretur, pollicitus est, 104.

tuo ori affuturum? Ego ero in ore tuo, nonne satis superque erant quæ præcellerant promissa, quid noua cumulas? quia Deus semper suos nouis scobstringere beneficiis solet.



## VARIETAS LECT. Vers. 13.

*Vulg.* At ille, obsecro domine, mitte quem missurus es.

*Sept.* Et dixit Moyses, precor domine, elige alium qui possit, quem mittes.

*Cald.* Et ait, obsecro domine, mitte nunc per manum illius qui dignus est, vt mittatur.

*Pag.* Mitte quæso per manum illius quem missurus es.

*Oleast.* Mi Domine mitte nunc, in manu mittes.

*Arias.* Pro me Domine mitte quæso per manum mittes.

## CONCORDIA.

SAnè omnium versionum idem est sensus, scilicet mitte alium idoneum iuxta beneplacitum voluntatis tuæ, mittere autem in manu, vel per manum Hebraismus est, significans mittere per aliquem, quasi per instrumentum ad opus; manus enim est instrumentum ad omne opus, deficit autem in Hebræo relatiuum אשר Aser, quod frequenter subticetur, quia facile subintelligitur.

## EXPOSITIO.

*AT ille Domine obsecro*, licet Dei rationes conuincerent, tamen iterum legationem detrectat, *Mitte quem missurus es*, dummodo non me mittas qui sum maxime indignus, minimeque idoneus tanto muneri, mitte Domine quemcumque alium volueris, qui munere illo dignè perfecteque fungi queat. An autem aliquem determinate petierit ex Patrum sententia in conceptibus aperiemus.

## CONCEPTVS.

### *Fratri natu maiori primas referamus.*

104. O*bsecro Domine mitte quem missurus es.* Quid? nonne omnia, quæ ei proposuisti impedimenta, ne munus Legationis ad Pharaonem obires, dissoluit? Nam tarditatem linguæ supplebit ipsemet, erit enim in ore tuo, virtutem edendi miracula tibi indidit, vt fides adhibeatur, an semper ergo mandatis eris inobediens? ne inobedientem dixeris, sed humillimum qui primas deferre voluit Aroni fratri maiori natu, quem hoc honore dignum iudicauit; mens est

Noster Lyranus. nostri Lyrani, *licet Moyses de verbo Domini non dubitaret, tamen quia Aaron frater sine erat eo senior & eloquentior, desiderabat eum habere socium sibi à Domino assignandum.*

### *Mira est iustorum quasi ad nauseam humilitas in refellendis dignitatibus.*

105. *Obsecro Domine mitte quem missurus es*, quid? nonne tuis satisfecit obiectionibus Deus? cur ergo iterum atque iterum, & tot iteratis vicibus renuis iniunctum tibi munus exequi? Proficiscere in Ægyptum persuasurus regi libertatem populi tui; mitte Domine quem missurus es, mittit nempe teipsum ad hoc munus obeundum dignum aliquem eligens, tamen adhuc renuit; vt nota sit omnibus iustorum humilitas vsque ad nauseam in respuendis dignitatibus.

Cyrillus. *Nunquam defuerunt*, inquit Cyrillus cit. à Lyppomano, *neque nunc desunt qui humanam gloriam, præsentemque splendorem magno opere sectentur. At non talis Moyses fuit, sed cum esset maximè diuino dicto auscultans, ad populum tamen mittendus. Obsecro inquit Domine, mitte alium quem missurus es, qua ex re, vt itadicam, Deum contentiosum, aduersum se reddidit sua videlicet imbecillitatis confessione, & honorifica legationis recusatione, en vt mira est Iustorum humilitas in dignitate repellenda.*

### *Prosperis & dignitatibus ex sola iussione, aduersis autem ex deuotione militemus.*

*Obsecro Domine mitte quem missurus es*, quis maiori si sibi aduersa ferenda offerrentur, renueret 106.
affectu quàm Moyses prospera, & eximiam dignitatem? nam omnibus viribus contendimus liberari à malo, ipse autem nonne omni conatu, ne regimen populi suscipiat, & ad hunc honorem ducatus perueniat, contendit? sed quæso alium non meritis inferiorem nempe Paulum attentè consideremus, cui cum prædicerentur vincula & carceres Hierosolymis, tamquam si regium sceptrum esset inibi consecuturus magno cum animi gaudio conscendit, quid igitur Moyses à dignitatibus longè secedit, renuit honores, & Paulus aduersa inquirit, persecutiones & vincula non iussus amplectitur? ne miremur quæso, nam cum vterque esset iustus cognouit prosperis, & dignitatibus tanquam plurimis nobis nociuis, ex sola iussione, aduersis autem tanquam nobis proficuis militandum esse. piaculum esset verba B. Greg. Mag. 35. Moral. B. Greg. Mag.
c. 13. silentio obuoluere, debet obedientia & in aduersis aliquid ex suo habere, & rursũ in prosperis "
aliquid omnino nõ habere, quatenus & in aduersis tãto sit gloriosior, quanto diuino ordini etiã "

quod iratus fuerit Dominus? Quid cum gratissima habuerit desideria sanctorum Patrum, Messiæ aduentum ardenter petentiũ, an solius Moysis excludetur petitio? imo quia enixe id deprecatur Deum sibi sentiet iratum, quid ni? nam cum totum munus educendi populi ex Ægypto, confundendi Pharaonis per hominem purum cælesti auxilio adiutum perfici poterat, non ferebat Deus vt ea quæ per hominẽ fieri possent, his humanis mediis contemptis, soli suæ diuinæ potentiæ committerentur.

*Tantus est Christus Redemptor, vt typicè plures eum debeant præcedere.*

110. *Obsecro Domine mitte quem missurus es*, non dissimulat Deus, sed textus sacer eum iratum in eũ fuisse testatur. Quod equidẽ miror, cũ dixerimus aduentum Christi Domini postulasse, quæ petitio iustissima esse videbatur. Sed cum Christus Dominus tantus & talis esset, cur non irasceretur Deus, cum eius aduentum postulasset Moyses non expectatis eis, qui eum typice præcedere deberent? *Nobis allusisse videtur Propheta* (inquit Lypom.) *ad verum & vniuersalem omnium redemptorem, ignorans quod ipsum & deberet præcedere typicus & figuratiuus redemptor, nam ipsum vniuersalem Redemptorem Moyses diuino lumine illustratus, venturum prænouerat, nec tamen se in ipsius figuram præcessurum sciebat.* Lypoman.

A *Cor aliquorum obstinatum aliquando nos reuocat à functione nostri muneris.*

111. *Obsecro Domine mitte quem missurus es.* Cur toties iteratis vicibus, munus tibi adeo impositum renuis? nonne satis fuisset, semel aut iterum te excusasse? quid times? nonne Deum habes protectorem? nonne tibi adfuturum pollicitus est? respexit cor Pharaonis obstinatum in malitia, quod ita eum timore perculit, vt à sui muneris functione reuocaret. sic annotat S. Basilius in c. 6. Isaiæ, *Moyses* (inquit) *cognoscens causam cur mitteretur, extrahebat tempus deprecando & recusando, respiciens videlicet superbum, peruicax & inexorabile cor Pharaonis, contumax ingenium, & instabilem animum & duram ceruicem Hebreorum, ideo dicebat, Obsecro Domine mitte quem missurus es.* S. Basilius.

B *Iusti aliquando ita humiles vt credant se à Deo tentari, cum dignitates sibi offeruntur.*

112. *Obsecro Domine mitte quem missurus es*, Te elegit ad hoc ministerium, an tibi persuasum habes, alium ad hãc legationem obeundam destinandum? humilitatis tantæ Moyses erat vt crederet se à Deo tentari in oblatione regiminis populi Israël ex Ægypto: mens est auctoris Catenæ Græcæ in Exod, *Non poterat Moyses credere conscius suæ imbecillitatis non tentari à* Domino, *in cuius tam prouidentia latere putabat aliquem magis ad eam legationem idoneum, ne tu inquit velis de me hoc periculum facere, mitte potius quem tecum* C *destinasti mittere.* Auctor Catenæ.



*VARIETAS LECT. Vers. 14.*

*Vulg.* Iratus Dominus in Moysem, ait, Aaron frater tuus Leuites scio quod eloquens sit, ecce ipse egredietur in occursum tuum vidensque te, lætabitur corde.

*Sept.* Et iratus iracundia Dominus in Moysem dixit, nonne ecce Aaron frater tuus Leuites, scio quia loquẽs loquetur tibi, & ecce ipse egredietur in occursum tibi, & videns te lætabitur in seipso.

*Cald.* Iratusque est furor Domini in Moysen, & ait, ecce Aaron frater tuus Leuita, notum est coram me, quod ipse loquens loquetur.

*Onk.* Et excãduit ira Domini cõtra Moysem.

*Caiet.* Iratus est furor Iehoua in Moysem.

*Pagni.* Ecce ipse egreditur tibi in occursum.

*Philo.* Lætabitur intra seipsum.

*CONCORDIA.*

Licet iratum sine additione dixerit interpres, cùm in Hebreo sit אף ויחר vaichar aph, iratus est furor & apud Septuag. καὶ θυμωθεὶς ὀργῇ & iratus ira, nihilominus idem vtrobique est sensus, in verbis subsequentibus.

Scio quod eloquens sit frater tuus, succinctius locutus est quam sit in Hebræo, verbum יצא ioze quod interpres reddit de futuro, Pagninus vertit de præsenti, sed hoc nihil refert.

EXPOSITIO.

*IRatus Dominus in Moysem ait.* Hæc ira Dei aliquod peccatũ supponere in Moyse nẽpe veniale probabilius mihi videtur, nã quomodo iratus est Deus, nisi propter culpã? vtique enim malebat promptã & simplicem obedientiam quã istam animi non tam demissionem quam tarditatem & pusillanimitatem, veræ enim virtutes non secum pugnant, neque excludunt se mutuo, sed vicarias atque adiutrices sibi præbent manus; tum qui fieri potest, vt obedientia prompta cæca sine excusationibus in laude sit, si huic contraria nulla est in culpa? vnde non sequitur, quod si Moyses tam honestum ministerium laudabiliter recusauit, vt nihil ab eo culpæ in recusando admissum fuerit, nam ex bona intentione aliquid fit laudabiliter, vel relinquitur, in cuius tamen vel excusatione vel recusatione aliquid humanæ infirmitatis, ac pulueris aspergitur, verum ipsam culpam singulari humilitate obliterauit, cum eam æternis monumentis in-

mortalitati commendatur, qui autem tenent probabiliter culpa etiam veniali caruisse, dicunt irā Dei non semper culpam supponere, quia Deus inquiunt non irascitur affectu sed effectu, & ita cum bona nobis parata non dat, vel mala immittit, aut continuat, iratus dicitur; si acquieuisset Moyses Deo & oblatum officium accepisset, abstulisset malum seu vitium naturæ quo ille laborabat, fuisset ergo ille actus amoris, idest collatio alicuius boni, Moyses non acquieuit, Deus paratum ei eloquentię donum non dedit, & quod ante habebat iamque auferendum fuisset, malum reliquit: ergo iratus solum analogice dicitur: sic auctores cōtrariæ sententiæ respōdent.

A *Aaron frater tuus Leuites*, vel qui est de tribu Leui, additur. n. nomini Aarō quasi cognomen ex tribu petitū more Iudeorum, illi enim à sua tribu denominabantur: porro Leuites erat cognomē honorabile ob Sacerdotium addictū tribui Leui in qua primus & Princeps futurus erat Leui. *Scio quod eloquēs sit* potent pro te loqui, cū sit facundus, *Ecce ipse egreditur in occursum tuū*, quo signo tibi cōpertum erit, Aaronem fratem tuum hanc legationem libenti animo suscepturū, in visione enim tuum in Ægyptū ei descensum aperui, *vidensque te lætabitur corde.* Cum enim à multis annis te videre desideret, optatis fruens maximo afficietur gaudio.

## CONCEPTVS.

### *Verum gaudium non sistit in humanis.*

113. IRatus Dominus in Moysem ecce Aaron frater tuus veniet in occursum tibi & videns te lætabitur corde: Philo legit lætabitur intra seipsum, de Aarone venturo obuiam Moysi, cur dicitur quod in seipso vel intra seipsum lætabitur? nam gaudium foras prorumpere deberet, vt Moyses cognitū haberet, quanta cū lætitia frater suus ipsi occurrit. Dicat igitur in externum prorumpet gaudiū, non autē intra seipsum lætabitur. rectissimè ad mentem nostram satisfacit Philo in lib. quod deterius potiori insidiari soleat, *Ostendit* (inquit) *Legislator germanū & maximè propriū hominibus gaudium, proprium enim nec est pecuniarum possessionumq; copia, nec à splendore gloriæ nec ex vllo omnino inanimato infirmoque opere quod per seipsum*

Philo Hebræus. *est corruptibile & potest contingere, imo nec è robore* C *agilitateq; corporis, aut cæteris idgenus dotibus, quæ vel cū pessimo communes sunt, & habentibus se nonnunquam perniciem attulerunt ineuitabilem: quoniā igitur in solis animæ bonis pura & minimè adulterina inuenitur lætitia in seipso gaudet vtique omnis sapiens, non in his quæ circa se habebat*: En quomodo lætitia non est suscipienda de rebus externis, quantumuis pretiosissimis, cum facilè eorū fiat iactura, nulliusque sint fermè stabilitatis, sed de internis nēpe de virtutibus acquisitis quæ nostrā

Augustinus. Psal. 96. internā requirunt lætitiam: vnde August. explicans illa verba Psal 96 Lætamini iusti in Domino, ait, *Iam forte fideles audientes lætamini, conuiuia meditantur, calices præparant, rosarum tempus expectant, quia dictum est lætamini iusti, vide quid sequitur, in Domino, non enim iucunditas quæ est secundùm poculum vera iucunditas est, non est gaudere*

Isay. 57. *impiis dicit Dominus Isaia 57.*

### *Tyrones in virtute ne alios doceant.*

114. *Iratus Dominus ad Moysem, Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquens sit, ecce ipse egreditur in occursum tuū*: Ecce vt adiungit ei fratrem versatissimū in omni eruditionis genere. Sed nonne Moyses maiorē consequeris honorem & gratiā apud populum, si solus, si sine comite eum eduxeris ab Ægypto, si solus illius regimen susceperis? aduerte Moysem tardioris linguæ impedimento, designare eos qui viam virtutis ingressi, difficiliora nō cauēt, & parū in virtute proficiūt. Hic optimè se excusat à legatione ad Pharaonē, & à populi regimine, cuius bono Deus consulēs, ei adiungit Aaronem virum apprimè versatū in

B omni eruditionis genere. Gratum est enim Deo, si in virtute tyro de aliorum profectu curare subterfugiat: mens videtur esse cit. Philonis de migratione Abrahæ, sic enim ait, *Nam rusticanā sapientiam, vrbana sapientia plerumque solet vincere, quapropter & Moyses ille sapientissimus veretur quidem cum eloquentibus & disertis congredi, postquam ei diuinus splendor affulgere cœperat per immortales sermones sapientiæ scientiæque.* Vnde verba præcedentia hunc versum, obsecro Domine, non sum eloquens, ex quo loquutus es ad seruum tuum, possunt ex cit. Phil. hunc sensum habere, ex quo tuo me congressu dignatus es, id vnū didici, videlicet eū, qui in virtute nō multū profecerit, cauere debere, ne aliis præficiatur. Philo.

### *Fratrum perfectiones nobis inutiles ne censeamus.*

*Iratus Dominus ad Moysem*, quid homini humillimo irasceris? nonne ex cognitione imperfectionis, ex defectu linguæ, munus legationis sibi impositæ renuit? potius acceptam habere deberes eius excusationem, quam in eum irasci. Sed quid dixerit Deus inspiciamus? Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquēs sit, en causa, cur quasi in eū irascitur Deus: nēpe cum in se tarditatem sermonis experiretur, defectum linguę vt se sentiret, debebat fratris facundiam tanquam suam censere, ad hoc respexisse mihi videtur S. August. in Exod. *Ostenditur Deus increpasse potius* D *Moysem, qui timeret ire, quod ipse esset minus idoneus, cum haberet fratrem per quem posset ad populū loqui, quod vellet*, Dei iram merens si perfectiones fratris tibi inutiles censeas, vel tuas non esse, sed alienas esse existimes. 115. S. August. q. 10 in Exod.

### *Cum Deo contendere non debemus importune.*

*Iratus est Dominus ad Moysem*, Cur mitissimo & benignissimo irasceris? irascimur enim vel alienis peccatis, vel acceptis ab aliis iniuriis. Quid in te commisit Moyses, qui humillimè te deprecatus est cū vt excusatū haberes iudicans se imparem in tanto onere ferendo: irascitur, nō quia munus sibi impositum acceptare renuit, sed quia obstinatè illud respuit, Deo ad illud admittendum inducente. Fauet Oleast. *Licet paululū excusare quæ Deus præcipit, non tamen cōtentiosum omnino esse, ne Deum prouocemus in nos*, Ex humilitate dignitatē oblatam respuere potes, sed cū Deus iterum atque iterum iubet, vt hanc admittas prouinciam, non importunè resistendum. 116. Oleast.

Qui

*Qui minus Deo confidit quam debet, animaduersione dignus.*

117 *Iratus Dominus ad Moysem.* Quod quidem indicium est in aliquo deliquisse Moysem, quid enim in eum irasceretur Dominus, si in omnibus se recte gessisset? sed in quo deliquit, cum tenacẽ iustitiæ virtutumque cultorem & vitiorum osorẽ non ignoremus? nonne Deo præcipiente vt Pharaonem pro libertate Israël consequenda conueniret, quasi id obtinere impossibile iudicaret, ire renuit? quid mirum igitur, iram Dei incurrisse? qui enim minus Deo confidit quam debet, dignus est animaduersione. hoc ita iudicauit August. q. 10. super Exod. *His verbis ostenditur Deus increpuisse potius eum qui timet ire quod ipse esset minus idoneus, cum haberet fratrem per quem possit ad populum loqui, quod vellet, quoniam ipse erat gracilis vocis & linguæ tardioris, quanquam de Deo totum sperare deberet.* Preme hæc vltima verba, quasi diceret, quia minus in Deo sperauit quam credidit, ideo in eum irascitur Deus.

D. August.

*In Deo etiam minimorum prouidentia.*

118 *Iratus est Dominus in Moysem.* Caiet. *iratus est furor Domini in Moysem.* Æstuet furor tuus in grauissimos peccatores, in Angelos Apostatas, sed cur in Moysem qui viribus suis diffidens, onus sibi impositum admittere noluit, alteri impone, an solus Moyses qui tua adimplere iussa valeat? quis negabit Deum etiam in minimis prouidentiam habere & ea curare, cum irascatur in Moysem sua iussa non exequentem? qui enim de aliquo non est sollicitus, sibi temperat ab ira, cũ fit indebite, hoc annotat Cardinal. Caiet. *Describitur furor Dei iratus, tanquam non ipse Deus, sed repentinus furor iratus fuerit, culpa siquidem Moysi Deum more humano exigit scribi, tanquam repente excandescentem, & nominatur ipse fons essendi in quo nulla est passio aut propassio, vt intelligamus quod ipse summus essendi fons curam habet horum minimorum.*

Cardinal. Caiet.

*Serui Dei non indigne ferunt se socios habere in suis ministerijs.*

119 *Iratus Dominus ad Moysem.* Quia toties indignum se iudicat munere principatus in populum Israël, sed vt ei denuo suadeas collum iugo huius dignitatis imponere, quã in medium adducis rationem? Aaron frater tuus leuites, scio quod eloquens sit, ipse egredietur in occursum tuum, erit tibi socius in legatione erga Pharaonem obeunda; quid? nonne in officio vel dignitate aliqua constituti, ferunt indignissime socios habere, & quasi mediã solũ vel officij, vel dignitatis partem habere? cur ergo Moysi aperis fratrem futurum ei socium in legatione apud Pharaonem obeunda? cur non aperiret? scit enim Deus seruos suos tantæ dignitatis esse, vt non indigne ferant dimidiam officiorum partem, sed socios in eis habere: apposite ad hanc mentem Oleast. *Non acquieuit vir sanctus Deo quousque ei socium in legatione daret, qui principibus ministrant, societatem abhorrent, volentes consortem habere, & si detur, æque ferunt: non sic autem ministri Dei, sed quia se reputant ministerio Dei impares, socios non solum ferunt, sed postulant. audi quid ancilla Domini Martha dicat, cum enim imparem ministerio Christi se sentiret, conqueritur apud Dominum, Domine, inquit, non est tibi curæ quod soror mea solam ministrare reliquit, iube illi vt me adiuuet. serui principum, quoniam non tam bonum principis ministerium quam propriam vtilitatem quærunt, nolunt consortium. serui vero Dei qui non quod suum quærunt, sed quod Dei, socios ad ministerium desiderant & petunt: considera quod Moyses Domino dicat Num. 11. non possum, inquit, solus ferre populum hunc vniuersum, quia supra meas vires est.*

Oleast. Luc. 10. Numer. 11.

*Quid non agit Deus, vt sibi fidem adhibeamus.*

*Iratus Dominus ad Moysem ait, Aaron frater tuus leuites scio quod eloquens sit & egredietur in occursum tuum.* 120 Quid? nonne satis erat non quemcumque hominem, sed fratrem virum eloquentissimum polliceri in socium? nam ideo renuit obire legationem ad Pharaonem, quia rudioris & tardioris sermonis erat, cur addidit Deus, egredietur in occursum tuũ? sane vt hoc inopinato & mirabili occursu, tandem Moysem ad fidem dictis suis adhibendam prouocaret, huc decurrit Abul. *Quia poterat Moyses de hoc (nempe de fratris eloquentia) dubitare, vt vellet suscipere legationem, vt loqueretur coram Pharaone, dedit ei signum per quod crederet Deum mouisse cor Aaron, vt hoc susciperet, scilicet vt Aaron veniat in occursum eius, & hoc satis congruum erat signum quantum ad ipsum Moysem, cum ante prædiceretur quam fieret.*

Abulens.

*Deus nescit non benefacere suis electis, etiam cum eis irascitur.*

*Iratus Dominus ad Moysem,* Caiet. *iratus est furor Domini ad Moysem.* 121 In quo quæso furor eius declaratur? in quo ira eius exprimitur? beneficium cognosco, non indignationem, ecce enim pollicetur ei virum eloquentissimum in socium legationis, & hunc in itinere sibi occursurum: an hæc signa indignationis? vel potius amoris? quid? nonne dignus erat graui animaduersione, vel saltem aliqua punitione? tenent enim interpretes deliquisse, licet non lethaliter, tamen venialiter, ait Abulensis, peccatum autem veniale, non beneficium sed punitionem meretur, ita equidem, sed Deus in suos ita liberalis, vt nesciat eis, cum punire debeat, non benefacere: huc decurrit illud Habacuch 3. Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis, quæ verba ad mentem nostram sic erudite explicat Antonius de Gueuara, *In medio illius infaustissimi temporis, cum ineluctabile imminebit exitium, tunc vtique palam facies te nunquam misericordiæ obliuisci, neque in ira tua continere clementiam tuam, hoc que ipsum vt confidenter sperent, præterita beneficia persuadent, quæ peccanti populo tuo, rebellantique toties ac renitenti, loco pœnæ ac castigationis promeritæ, indefessum reponere consueuisti: etenim pro iniquitate id est infidelitate, & idololatria, qua in Ægypto abominationes & idola Ægyptiorum coluerunt, vt testatur Ezechiel cap. 20. pro infidelitate, & murmuratione, quibus post tot ac tanta miracula, & Deo ipsi diffidebãt, & legatis eius Moysi & Aarõ, idẽtidẽ obmurmurabãt dicẽtes, videat Dominus & iudicet quoniã fœtere fecistis odorẽ nostrũ corã Pharaone,*

Abacuch 3. Antonius de Gueuara

*& seruus eius, & prebuistis ei gladium vt occideret* A *nos: sic denique pro iniquitate qua filij Israel post conspecta Maris rubri prodigia murmurauerunt contra Moysem ad aquas Mara, pro iniquitate qua in deserto Sin murmurauit omnis congregatio filiorum Israël cōtra Moysem & Aaron, dicēs vtinā mortui essemus per manū Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carniū, & comedebamus panem in saturitate: cur induxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem in fame? & pro his omnibus iniquitatibus inquit, ad hacuc pro quibus non solū puniri sed deleri quoque meruerant, non tantum Dominus condigna non intulit verum etiam benignè & amicè se illis in monte Sinai gloriose prodidit, & de cœlo fecit eos audire vocem.*

*Humilis magna non sibi vult arrogare.*

122 *Iratus Dominus ad Moysem.* Licet aliqui interpretes asserant peccasse saltē venialiter, incredulitate, tamē sancti patres Greg. & Basilius omnino excusant Moysem, eiusque excusationē quasi ab humilitate profectam laudant, tum quia Moyses sciebat cor peruicax & inexorabile Pharaonis, atque durā ceruicem Hebræorum, ait Basili. quam se putabat frangere non posse: tum quia non erat inobedientis honorifica, qualis erat hæc missio, refugere, ac detrectare, ad dura vero & aspera se vltro alacriter offerre: sed cur ita humilis, cum Deo licet arduum præcipienti, debeamus obtemperare? quia ad magna vocabatur; magna autē nō sibi vult arrogare iustus: fauet Procop. *cum suapte natura pius & cautus foret, ne videretur sibi arrogare magnifica illa facta nonnihil cunctabatur.* Procopius.

*Frater fratris fœlicitati non inuideat.*

123. *Iratus Dominus ad Moysem ait Aaron frater tuus leuites. scio quod eloquens sit, ecce egreditur tibi in occursum, & videns te lætabitur.* Quomodo lætabitur? sciet enim ipsum ad populi Israël principatū euectum, licet sit minor natu; quis autem primogenitus fert patienter, minores natu ad maximas euectos dignitates, quas ipsi consequi non poterūt? nota est historia fratrum Ioseph qui nec somniatam illius gloriam ferre potuerunt; quomodo ergo Aaron fraterna fœlicitate non torquetur, imò eius prosperitati collætatur? frater enim fratris meliori fortunæ inuidere non debet, quid enim liuore fraternò periculosius? ait enim Chrysost. hom. 44. ad popul. Antioch. *Homicidij Mater est, ita fratrem Cain occidit: ita Iacob Esau: ita Ioseph fratres: ita cūctos homines diabolus.* D.Chrys.

*Fratres simus in bonis moribus & virtute.*

*Iratus Dominus ad Moysem ait Aaron frater tuus leuites. scio quod eloquens sit.* Cur cum rara sit fratrum in magnis concordia, & Aaron legationis obeundæ socium Moysi præbes, alium vel qui subiciatur Moysi, vel cui ille obediat propone: Aaronem illi exhibet, quia Moysi in virtute similis, & in moribus non dissimilis: quod rectè obseruauit Greg. Nazianz. *Moyses fuit legislato-* D.Greg. Nazianz. Orat. 6. B *rum illustrissimus, Aaron sacerdotum sanctissimus, non minus pietate quàm corporibus fratres. vel potius ille quidem Pharaonis Deus & Israëlitarum Antistes & legislator, & nubem ingrediens, & diuinorum arcanorum inspector & arbiter & tabernaculi veri illius fabricator, quod à Deo non ab homine constructum est: ille principum princeps & sacerdotum sacerdos, Aarone pro lingua vtens, ambo Ægyptum vexantes, mare scindentes, Israelem gubernantes, hostes demergentes, panem supernè trahentes, aquas conducentes, ad terram promissionis iter commonstrantes, &c.* 124

*Ægre fert Deus ante tempus statutū à patribus Verbi diuini incarnationem desiderari.*

*Iratus Dominus ad Moysem.* Si oculi tui super humiles, gratissima tibi animorum submissio, cur C homini humillimo, irasceris? quis enim illo humilior, qui toties principatū populi renuit admittere? reuoca in memoriam, dixisse, mitte quē missurus, quem plures asserunt fuisse Messiam, quem tunc venturum putabat: quis vetat ergo dicere, Deum ipsi iratum, cum ante tempus statutum incarnationem verbi Domini importune flagitet? nō dissentit Dionys. Carthus. *Propter illā petitionē, non fuisset vt apparet ei iratus, nisi forte dicatur quod quātū ad hoc, Moyses inordinate orauit, quod voluit fieri pro tunc, quod diu postea fuit agendum.* 125 Dionysius Carthus.



## VARIETAS LECT. Vers. 15. & 16.

*Vulg.* Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo & in ore illius, & ostendam vobis quid agere debeatis.

*Sept.* Dices ad eum & dabis verba mea in os eius, & ego aperiam os tuum, & os eius, & docebo vos quod facietis.

*Cald.* Pones sermones in ore suo, & verbum meū erit cum ore tuo, & cum ore eius, & docebo vos quod acturi estis.

*Vulg.* Ipse loquetur pro te ad populum, & erit D os tuum, tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.

*Sept.* Ipse loquetur tibi ad populum, tu autem eris ei quæ ad Deum.

*Cald.* Loqueturque ipse pro te cum populo, & ipse erit interpres tui, & tu eris ei in principem.

*Pagni* Ipse erit tibi pro ore, & tu eris ei pro Deo.

*Oleast.* Eris illi in Deum.

*Lypp.* Ipse erit tibi vice oris, & tu eris ei vice Dei.

---

## CONCORDIA.

HAbemus Hebraicè ואתה תהיה לו לאלהים veatha tihie lo elohim, quæ verba à vulgato rectè redduntur, eris ei in his quæ pertinent ad Deum, & à Septuag. καὶ αὐτῷ ἔσῃ τὰ πρὸς τὸν θεόν, sed minus emphaticè à Caldæo tu eris ei in principem, nam licet אלהים reddatur etiam princeps, hic tamen aliquid amplius dicit, vt videre est in expositione.

## EXPOSITIO.

*Pone verba mea in ore eius*, narra ei legationem istam, & erudi eum de cunctis quæ vidisti & audisti, ponere enim verba in ore alicuius, est docere eum, quid loquatur. *& ego ero in ore tuo, & in ore illius*, id est, Moderator sermonis adero, verba & efficaciam prout expedierit præstans. *& ostendam vobis quid facere debeatis*, vel quantum ad signa & prodigia, vel ad alia, legatione peracta, obeunda. *Ipse loquetur pro te ad populum*, quia impeditioris & balbutientis es linguæ, *eris os tuū*, pro A te loquetur, Hebraismus antē est erit os tuum. significans futurum interpretem illius, *tu autem eris in his quæ ad Deum pertinent*, sensus est, tu à me legem & mandata accipies, hoc sibi vult eris in his quæ ad Deum, id est, ad me pertinent, ipse vero te cōsulet quasi me, & narrabis illi quæcunque præcepero tibi, vnde bene noster vulg. & eris ei in his quæ ad Deum, id est, te consulet ac me & tu ei quasi Deus aperies.

## CONCEPTVS.

*Nisi opera præluceant, verba in irritum profunduntur.*

*Pone verba mea in ore eius.* Deinde ilico subiū-
126 git, ostēdam vobis quid facere debeatis, quid? nonne sufficit vt sermonem tuum vterque habeat? si Aaron non solum disertus, sed etiam eloquens à te iudicatur, quid amplius requiris? quid amplius vis concedete? nonne maximæ sunt vires eloquentiæ? cum ea cohortemur, hac studeamus, hac afflictos consolemur, hac deducamus à timore perterritos, hac gestiētes cōprimamus, hac cupiditates iracundiasque constringamus, nihil tam horrendum, nihil tam incultum, quod non splendescat oratione & eloquentia, &c. si ergo eloquentissimus est Aaron, quid non populo & Pharaoni, suo disertissimo dicendi genere suadebit? cur ergo vlterius ais, ostendam vobis quid facturi estis? quia sanè nisi opera & facta præluceant, fore sine dubio vt dicta in irritum profundantur, vnde Christus D. habiturus ad turbas suosque discipulos sermonem in præcipua Euangelicæ doctrinæ capita panderentur Matth. 5. Matth. 5. prius inquit Euangelista, obtulerunt ei omnes malè habentes variis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos & curauit omnes; cur tanta operum maiestate & sanctitate suæ doctrinæ voluit præire & prælucere? nisi vt ex factis maiorem ex dictis authoritatem conciliarent: quod verbis D. Chrysost. clarius exponam *Priusquam* D. Chrys. (inquit) *sublimem quamdam viuendi introducturus esset disciplinam & quæ nunquam ab illis fuisset audita, auctoritatem mandatis suis præstruxit claritate signorum.*

*In rebus eximiis licet verba non noceant, tamen nihili sunt æstimanda, si comparentur cum operibus.*

*Pone mea verba in ore eius*, Et quasi hoc nullius
127 vel exiguæ considerationis esset, subiungit, *ostendam vobis quid facere debeatis*, quid? si linguæ impedimentum referenti Moysi consulis, vt verba tua ponat in ore fratris, eique polliceris, quod cum Aaron sit eloquentissimus pro eo audacter & disertè Pharaonem alloquetur? cur addis, eis ostensurum quid facere debeant coram Pharaone & populo? splendor & eloquentia sermonis viri disertissimi nonne sufficeret? non equidem, in re enim tanti ponderis, qualis erat salus populi & libertas & Pharaonis, vita verba licet eloquē- B tissima, parum æstimari debebant, nisi & opera adiungerentur, ex quo sapienter Arnobius contra gentes lib. 1. premit eos qui in fidei christianæ præconibus requirebant lumina sermonum, Arnobius. *Pompa ista* (inquit) *sermonis & oratio missa per regulas concionibus litibus, foro, iudiciisque seruetur, deturque illis imo qui voluptatum delinimenta quærentes, omnes vnum studium verborū in lumina contulerunt, cum de rebus agitur & ostentatione submotis quid dicatur spectandum est, non quali cū amœnitate dicatur, nec quid aures demulceat, sed quas afferat audientibus vtilitates: enimvero dissoluti est pectoris in rebus seriis quærere voluptatem, & cum tibi sit ratio cum male habentibus atque ægris sonos infundere dulciores, non medicinam vulneribus admouere*, in rebus serus & eximiis sileant verba, sermonis splendor & eloquentia facessat, sed C operibus insistendum, Aarō licet eloquentissimè loquatur quid operetur tamen cum eo Moyses Deus edocet.

*Deus non deficiens in necessariis.*

*Pone verba mea in ore eius*, Quasi diceret ea quæ tibi aperui, manifesta facies, vt coram Pharaone 128
libertatem populi mei futurā erudite proponas: sed ea proposita, an Pharao silebit? nonne in nos aliquid moliri conabitur? nonne omnē mouebit lapidem, vt nos è medio tollat tanquā nouatores & pacis publicæ perturbatores? de his nihil sollciti silent, sciunt enim Deū in necessariis nō deficere: vnde ad eos Deus, ostendā vobis quid facere debeatis: quæ verba sic Abulens. explicat; *Dicit* Abulens. *Deus quod etiā postea docebit, quid agere quātū ad* D *signa & prodigia, aut quid dicere quātū ad respōsionem & verba eorum ad quos mittuntur, debeant.*

*Quis Deo erga suos liberalior?*

*Pone verba mea in ore eius, erit enim os tuū, tu autē* 129
*eris ei in his quæ ad Deū pertinēt.* Oleast. ex Hebræo legit, eris ei in Deū, quot à te iā Moysi cōcessa fuere? quid maius dari ei potuit quā principatus totius populi Israël? quid sublimius quā ex humili pastoris officio ad dignitatem principis & ducis Israël euehi? cur in Deū cōstituis? quis Rex aliū in regno suo Regē constitueret? cur ergo hominem qui nomini serui tui maximè honoratur, Deum nominas & constituis? vt quanta in suos feratur liberalitate, maneret compertum *quam largus est Deus* (exclamat, Oleast.) *vt seruos suos* Oleaster. *in Deos faciat, nam quæ præcipua & admiranda in eo sunt facile hominibus tradidit, scilicet peccata remittere & miracula facere.*

*Frater ſit fratris ſocius vt ab eo adiuuetur.*

130. *Pone verba mea in ore eius, ipſe erit os tuum, loquetur pro te ad populum, tu autem eris in his quæ ad Deum pertinent.* Ecce quo caret alteruter, ſumit ab alterutro, Moyſes ab Aarone eloquentiam, Aaron à Moyſe ſapientiam accipit: ſed nonne in maiorem Dei gloriam cederet, quod ab vno induceretur Pharao ad liberandum populum Iſraël? nonne maiorem honorem conſequeretur Moyſes, ſi ſoli libertas populi ſui adſcriberetur? cur ergo alter alteri datur in ſocium? optimè Salomõ Prou. 18. frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma; & idẽ Eccleſ. 4. melius eſt eſſe duos ſimul, quam vnum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ, ſi vnus ceciderit, ab altero fulcietur, væ ſoli, quia non habet ſubleuantem ſe, & ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtẽt ei: funiculus triplex difficilè rumpitur. audiãt ergo religioſi ſoli ſententiam D. Thomæ Cantipratens. lib. 2. cap. 11. §. audiant & timeant *Quam vera* (inquit) *ſit hæc ſententia væ ſoli, ego noui, quia triginta annis vices epiſcopi in diuerſis prouinciis habui, qui in hoc articulo quo religioſi vadunt in viis vel ſoli manent in curiis, horrenda mala, horrenda ſcandala, horrendaque pericula frequenter audiui, quæ nunquam ſuſtinuiſſent adiuncto ſocio, vel feciſſent.*

Prouerb. 18. Eccleſ. 8. D. Thomas Cantipratenſis.

*Principes & Magiſtratus dij cenſeantur.*

131 *Pone verba mea in ore eius, ipſe erit os tuũ, & tu eris ei in his quæ ad Deum pertinent.* In Hebræo tu eris ei in Deum: ſed Cald. ſic vertit, tu eris ei in principem, ſane non leue diſcrimen inter Deum & principem, ſicut inter Deum & creaturã: cur ergo Cald. pro Deo vertit principẽ? quia Principes, Iudices, & Magiſtratus, tantæ ſunt dignitatis & auctoritatis, cum rectum exercent iudicium, quod deorum appellationẽ ſortiantur, iuxta illud Exod. 22. diis non detrahes, quæ verba explicans D. Cyrill. Alexand. lib. 7. contra Iulian. *Qui Iſraëlem* (inquit) *incitat in altaria & delubra dicẽs oportere in ipſis exuri deos dixitne etiam de illis, effare? precor, diis non maledices, quamuis indignum cogitare, quod diuina & incorruptibilis mens ab æquo aberret, & ſe decentia negligat, ſecumque diffidens contrarias leges ſtatuere vſquam deprehendatur, eſt etiam ea res apud nos turpis & ridicula, numquid igitur mẽs diuinæ legis intelligi poterit, dũ dicit diis nõ maledices: honorat humanam naturam appellatione ſummi Dei, factus eſt enim homo ad imaginẽ & ſimilitudinem eius: & celebrat lex ſummis honoribus diuinorum altarium ſacerdotes, & illos qui dignitatis excellentia ſuper alios exaltati ſunt, in vita pulcherrima & venerabili & ſancta, &c.*

D. Cyrillus Alexandr.

*Piorum Principum eſt pietatis deſertores emendare.*

132 *Pone verba mea in ore eius, ipſe erit os tuum & tu eris ei in his quæ ad Deum pertinent.* Hoc eſt fauorem & omne auxilium ei præſtabis, vt ea ad amuſſim ſeruentur, quæ ad meum cultum pertinentia docturus es, quod ſi qui reperiantur contemptores ſacrorum, & inobedientes ſine perſonarum acceptione emendabis, cur ipſe contemptores ſacrorum emendaturus eligitur? alteri hoc A mandetur officium: nonne ſatis eſt populi libertati inuigilare? non equidem, ad pios enim Reges & principes attinet, ſanctæ religionis deſertores & contẽptores corrigere caſtigando, imo ſecundum Iſidorum lib. 3. ſenten. de ſummo bono ca. 5. & Gratianum 23. q. 5 cap. 20. principes huius ſæculi rationem ſunt Deo reddituri propter Eccleſiam quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt, nam ſiue augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles principes, ſiue ſoluatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam credidit Eccleſiam, ipſis enim dicitur Pſalm. 2. & nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, *quomodo ergo* vt cum Diu. Auguſt. Epiſt. 5. ad Bonifacium comitem loquar, *Reges Domino ſeruiunt in timore, niſi ea quæ contra Domini iuſſa fiunt religioſa ſeueritate prohibendo* B *atque plectendo? aliter enim ſeruit quia homo eſt, aliter autem quia Rex aut princeps, quia homo eſt ei ſeruit viuendo feliciter, vt rex autem & princeps eſt ſeruit, pietatis deſertores ſeuere emendando.* audiant Conſtantinum Imperatorem ad Taurum hoc edictum ſcribentem lege prima, *placuit omnibus locis atque vrbibus vniuerſis claudi protinus templa* (nempe deorum) *& acceſſu vetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari: volumus etiam cunctos ſacrificiis abſtinere, quod ſi aliquid forte huiuſmodi perpetrauerint, gladio vltore ſternantur, facultates etiam perempti fiſco decernimus vindicari, & ſimiliter puniri rectores prouinciarum ſi facinora vindicare neglexerint.*

D. Iſidorus Gratianus. Pſal. 2. D. Auguſt. Conſtant. Imperator.

*Domini eſt noſtram dirigere linguam.*

C *Pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & tu in ore illius.* 133 Id eſt linguam vtriuſque dirigam ad loquendum; quid? nonne vterque, cum ſit prudentiſſimus, linguam ſuam regere poterit? nonne hominis eſt animam præparare, licet ex auxilio Dei, ita & illius ſuam gubernare linguam? cur igitur Deus ait Moyſi, quaſi ſingulare beneficium ei conferens, ego ero in ore tuo & in ore illius, id eſt, vtriuſque linguam dirigam? aduerte linguam ante alia eſſe labilem & præcipitem: ſic teſtatur D. Auguſt. ſerm. 28. de verbis Apoſtoli: lingua facilitatem habet motus, in vdo poſita eſt, facile in lubrico labitur. & Hugo de Sancto Vict. de anima, lingua labilis eſt & teneri non poteſt, ſed labitur & fallit, labitur autem vt anguilla, penetrat vt ſagitta, tollit amicos &c. quid ergo mirum D ſi tanta ſit linguæ labilitas, non ſatis eſſe præmeditari ac mente voluere ea quæ proferenda ſunt, cum poſt multam meditationem, lingua vt eſt lubrica, peſſimè prolabatur, & rationis imperium excutiat neceſſe eſt quod ipſemet Deus eam dirigat, ac temperet? quam apte hoc ponderat Auguſt. ſerm. 4. de verbis Domini *Ergo intelligamus chariſſimi, quia ſi linguam nullus hominum domare poteſt, ad Deum confugiendum eſt, qui domet linguam noſtram, tu enim cum domare volueris non potes, quia homo es, (ſic enim Iacobus, nullus hominum linguam domare poteſt.) Attendite ſimilitudini ab ipſis beſtiis quas domamus, equus non ſe domat, ſic & homo non ſe domat, quemadmodum ergo vt dometur equus, bos, camelus, leo & elephas, quæritur homo, ſic Deus quæratur vt dometur lingua,* en vt moderatio linguæ ad Deum ſpectat!

D. Auguſt. Hugo Vict. D. Auguſt.

## *VARIETAS LECT. Verf. 17.*

**V**Vlg. Virgam quoque hanc fume in manu tua, in qua facturus es figna. A *Sept.* Et virgam iftam verfam in ferpentem fumes in manum tuam, in qua facies in ea figna.

## *CONCORDIA.*

**S**Eptuaginta forte exprimere volentes de qua virga intelligeret Dominus, addiderunt τὴν στραφεῖσαν εἰς ὄφιν, verfam in ferpentem, quæ quidem verba in Hebræo non reperiuntur.

## EXPOSITIO.

**V***Irgam quoque hanc fume in manu tua.* Vfus erat vfque in illum diem Moyfes virga ad pafcendas pecudes, deinceps iubetur eadem vti B ad compefcendos miraculis Ægyptios, hac enim virga percuffit aquam fluminis, quæ & in fanguinem verfa eft, &c.

## CONCEPTVS.

### *In re virtutis eloquentiæ parum conceditur.*

134 **V***Irgam hanc fume in manu tua in qua facturus es figna.* Nonne eloquentiffimus eft Aaron, tardioris autem linguæ Moyfes? cur ergo folum Aaroni datur, quod loquatur, Moyfi autem diuina omnia & efficienda figna? quia hoc eft ingenium diuinum quod in re virtutum parum aut nihil eloquentiæ foli committat: quod acute obferuat D. Chryfoft. hom. 32. in 1. ad Corint. expli- C 1.Cor.13. cans enim hæc verba Pauli 1. ad Corint. cap. 13. fi linguis hominum loquar aut Angelorum, charitatem autem non habeam, factus fum velut æs tinniens, &c. ait, *Vide vt rurfus etiam hic linguarum æftimationem depreffit, in prophetia magnum quoddam oftendit momentum, myfteria fcientias omnes noffe, in fide rem non mediocrem montes transferre, folum linguarum donum pofuit nudum*, ecce vt cætera dona proponantur fanè non deftituta fuis effectibus, folum donum linguæ fine fuo effectu proponitur, quia nihil infirmius, nihil nudius in re virtutis quam fola eloquentia.

### *Concors fit fanctorum animus.* D

135 *Virgam hanc fume in manu tua in qua facturus es figna.* Moyfis ergo erat hæc virga, & nihilominus Moyfes Aaronem alloquutus eft Exod. 7. tolle virgam tuam, cur non potius dixit, tolle virgam meam? Moyfis enim erat, & non Aaron: refpondet Diu. Auguftinus quæft. 20. Exod.7. in Exod. erat vtique illa virga communis, vt cuiuflibet eorum diceretur, ac fi vterque ita concors vt eamdem poteftatem haberet & exerceret, eumdem animum haberet, vnde Numer. 33. Numer.33. dicitur quod eduxerit Deus filios Ifraël de Ægy- Origenes. pto in manu Moyfi & Aaron, vbi Origenes hom. 27. *In manu Moyfi & Aaron eduxit eos Dominus & non in manibus, vnum enim opus vtriufque manus eft, atque vna perfectionis expletio.* ac fi illi duo Hebræorum ductores, tantam inter fe concordiam haberent in operando, vt vna eademque manu vfi viderentur.

### *Deus vult fuos in æftimatione haberi.*

*Virgam hanc fume in manu tua, in qua facturus es figna.* Quid? nonne nulla habita in manu virga, potuit Dei virtute fretus, plurima edere mirabilia? cur igitur neceffe, vt ea media operetur tot figna eximia? potuit equidem fine ea operari, cur ergo iubet ei Deus vt eam affumat, ad huiufmodi edenda miracula? fane vt videntes Ægyptij eum tot miracula operantem in virga fua, in maiori pretio eum haberent, & maiori honore venerarentur. fauet Caietan. *Poterat Deus conferre Moyfi vt fine virga faceret miracula fed maluit quod mediante virga miracula faceret, ad hoc vt fenfibiliter cognofcerent homines quòd ipfe miracula faceret, videndo quod eleuata feu applicata virga per manum Moyfi ftatim fequebantur miracula.* 136 Cardinalis Caietanus.

### *Magis mente retinetur quod oculis, quam quod auditu ad animum peruenit.*

*Virgam hanc fume in manu tua in qua facturus es figna.* Si eloquentiffimus eft Aaron, fi os Moyfis futurus eft, vt Regem Pharaonem conueniens fuadeat, vt liberam populi Ifraël ab Ægypto difcedendi concedat facultatem, cur ergo neceffe vt mediis fignis, vt media virgæ eleuatione id fuadeas? quia Deus non tantum fermonibus & vocibus, fed etiam geftibus & ceremoniis Prophetarum futura prædicit, *ipfe enim* tefte Diuo Hieronymo in caput 19. Ieremiæ. *Non folum vult docere populum auribus, fed & oculis, quia mente magis retinetur quod vifu quam quod auditu ad animum peruenit.* 137 D Hieron.

*tur prophetis Deus aperit os, & replet eloquio suo,* A *sicut in præsenti dicit Moysi, sed & per David dicit* Psal. 80. *Deus, dilata os tuum & implebo illud; similiter &* Ephes. 6. *Paulus dicit, vt mihi detur sermo ad apertionem oris mei. Eorum ergo qui verba Dei loquuntur os Deus aperit: vereor autem ne sint aliqui, quorum è contrario diabolus os aperiat, nam qui loquitur mendacium, certum est quia diabolus aperit os eius, qui falsum testimonium dicit, qui scurrilitates, turpitudines, & cætera huiusmodi de ore suo proferunt, diabolus aperuit os eorum & unde mihi videtur non esse parua gratia intelligere os quod Deus aperit & intelligere os quod aperiat diabolus.* deinde concludit, *orandum igitur nobis est vt dignetur Deus aperire cor nostrum, & possimus contradictores reuincere, & obturare os, quod diabolus aperuit.*

## *Non solum Deus nos instruit, sed ad ea de quibus instructi fuerimus, edocenda, os aperit.*

99. *Ego ero in ore tuo*, Septuag. *Ego aperiam os tuum, doceboque te quid loquaris*, quod intellige de recte proferendis, vel ad proximi ædificationem & salutem, vel ad sui gloriam. Nec miror, nam ipsius est non solum bonas cogitationes immittere, sed & recta docere: verum cur dicit quod etiam labia aperiet cum in cuiuslibet potestate situm sit, ea quæ bene à nobis cogitata fuerint, aperire? bene dixit aperiam os tuum, non autem tu aperies, sicut te instruam, quia Deus non solum nos instruit, sed etiam ad ea de quibus instructi fuerimus edocenda, os aperit, & labia mouet. B.August. *Satis hic apparet* (inquit B. August. q. 9. in Exod.) *non tantum instructionem oris, sed ipsam* C *etiam apertionem ad Dei voluntatem & gratiam pertinere, non enim ait, tu aperi os tuum & ego instruam te, sed vtrumque ipse promisit, aperiam & instruam.*

## *Vbi ad Dei gloriam loquendum est, Deus præbet sapientiam.*

100. *Ego ero in ore tuo*, Si dicit se ineloquentem esse licet sis in ore suo, cum ante Regem Ægypti munus legationis suæ obeundum fuerit, an quæ dicturus est, ad nominis tui exaltationem aduenire poterit? de pluribus enim à Pharaone, quæ ignorat, interrogabitur: quomodo ea sciet soluere? quia cum ad Dei gloriam & nominis sui exaltationem, aliquid ante Reges & præsides loquendum est, tunc Deus suis sapientiam præbet, quod Christus Dominus testatur Luc. 10. Luc 10. Cum tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis: in quæ Remig. in Cat. Remigius. *duo dicit quomodo, aut quid, quorum vnum refertur ad Sapientiam, alterum ad oris officium, quia enim & ipse subministrabat verba quæ loquerentur, & sapientiam quæ ea proferrent, non fuerat necesse sanctis prædicatoribus quid loquerentur, aut quomodo adinuenirent.*

## *Quem Deus erudit, errare non potest*

101. *Ego ero in ore tuo, & docebo te quid loquaris*, licet de omnibus quorum sermonem ad Pharaonem habiturus est, sit instructus, cum tardioris & impeditioris se esse linguæ fateatur, & ineloquentem se dicat, nonne in pluribus aberrare poterit? qui enim balbutit, nonne pluries impingit? licet impingat in aliquid, qui balbus est sermone, si tamen Deus, licet ineruditum & balbutientem, erudierit, certum est errare non posse, *Non potes quod errabis in loquendo* (ait Abul.) *aliquid falsum proferendo, quia ego te docebo omnia, ille autem quem Deus erudit errare non potest.* Abulensis.

## *Non Angelicæ sed diuinæ virtutis est linguæ potentiam dirigere.*

*Ego ero in ore tuo*, cum pluries ad eximia executioni mandanda, Angelos misisti, vt ad debel- 102.
B landos populi tui aduersarios, aliquando ad dirigendos gressus seruorum tuorum, cur ergo non ais Moysi, mittam tecum Angelum qui vel quod loquendum, vel quid respondendum Pharaoni, te instruat, & verba in ore tuo multiplicet erudita? bene dixit Deus Moysi, ego ero in ore tuo & non alius, quia non Angelicæ, sed diuinæ virtutis est linguarum dirigere potentiam, quid ait spiritus Sanctus Prouerb. 16? hominis est animam præparare, & domini gubernare linguam, Prouer. 16. ex Hebræo à Domino est responsio linguæ: vnde recte Procop. in cap. 11 Genes. *Non Angeli, non creaturæ, sed creatoris est nouas formare linguas, Spiritus sancti opus est linguas mutare, vt didicimus Apostolorum exemplo, quibus linguarum donum obtulit sub specie ignis.* Procopius.

## *Prophetarum os, Dei est os.*

*Ego ero in ore tuo*, B. Chrysost. hom. 3. de verbis Isaiæ, vidi Dominum, inquit Prophetarum ora, Dei sunt os, quid? nonne Mōtanus impij erroris dogmatistes & insaniæ eius vates Priscilla & Maximilla, asseuerantes Prophetas olim non Spiritu sancto afflatos, oracula sua texuisse, sed arreptitios & tanquam mente captos, ea protulisse vaticinia, quæ non intellexerunt? nonne Simon Magus, Basilides, Carpocrates, Valentinus & Gnostici omnes, dixerunt Prophetas à sinistra quadam virtute, & malignis spiritibus missos & gubernatos fuisse? sed quid mirum, si cum sint heretici ita desipiant? certum est enim Deum in ore vatum suorum versari, & spiritu sancto inspirante loqui, teste Zacharia Luc 1. Luc. 1. D *Deus loquutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius, & quod Apost. scribit Hebr. 1.* Heb. 1. *Multifariam multisque modis olim loquutus est Deus patribus nostris in Prophetis, nouissime diebus istis loquutus est Deus nobis in filio*, qui secundum eundem, Ephes. 4. *posuit quosdam in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores.* 103.

## *Semper nouis te suis obstringit Deus promissis.*

*Ego ero in ore tuo*, nonne timenti potentiam Regis, promisisti ipsi adfuturum, ego ero tecum? 104.
nonne causanti incredulitatem populi, potestatem ei dedisti edendi miracula? quid est quod tenes in manu tua? quomodo ergo nunc linguæ tarditatem sermonis infacundiam obiicienti, ne ad Pharaonem legatus mitteretur, pollicitus est,

tuo ori affuturum? Ego ero in ore tuo, nonne satis superque erant quæ præcesserant promissa, quid noua cumulas? quia Deus semper suos nouis se obstringere beneficiis solet.

A

## VARIETAS LECT. Vers. 13.

VVlg. At ille, obsecro domine, mitte quem missurus es.

*Sept.* Et dixit Moyses, precor domine, elige alium qui possit, quem mittes.

*Cald.* Et ait, obsecro domine, mitte nunc per manum illius qui dignus est, vt mittatur.

*Pag.* Mitte quæso per manum illius quem missurus es.

*Oleast.* Mi Domine mitte nunc, in manu mittes.

*Arias.* Pro me Domine mitte quæso per manum mittes.

## CONCORDIA.

SAnè omnium versionum idem est sensus, scilicet mitte alium idoneum iuxta beneplacitum voluntatis tuæ, mittere autem in manu, vel per manum Hebraismus est, significans mittere per aliquem, quasi per instrumentum ad opus; B manus enim est instrumentum ad omne opus, deficit autem in Hebræo relatiuum אשר Aser, quod frequenter subticetur, quia facile subintelligitur.

## EXPOSITIO.

AT *ille Domine obsecro*, licet Dei rationes conuincerent, tamen iterum legationem detrectat, *Mitte quem missurus es*, dummodo non me mittas qui sum maxime indignus, minimeque idoneus tanto muneri, mitte Domine quẽ- C cumque alium volueris, qui munere illo dignè perfecteque fungi queat. An autem aliquem determinate petierit ex Patrum sententia in conceptibus aperiemus.

## CONCEPTVS.

### *Fratri natu maiori primas referamus.*

104. O*Bsecro Domine mitte quem missurus es.* Quid? nonne omnia, quæ ei proposuisti impedimenta, ne munus Legationis ad Pharaonem obires, dissoluit? Nam tarditatem linguæ supplebit ipsemet, erit enim in ore tuo, virtutem edendi miracula tibi indidit, vt fides adhibeatur, an semper ergo mandatis eris inobediens? ne inobedientem dixeris, sed humillimum qui primas deferre voluit Aron fratri maiori natu, quem hoc honore dignum iudicauit; mens est nostri Lyrani, *licet Moyses de verbo Domini non dubitaret, tamen quia Aaron frater suus erat eo senior & eloquentior, desiderabat eum habere socium sibi à Domino assignandum.*

Noster Lyranus.

### *Mira est iustorum quasi ad nauseam humilitas in refellendis dignitatibus.*

D

105. *Obsecro Domine mitte quem missurus es*, quid? nonne tuis satisfecit obiectionibus Deus? cur ergo iterum atque iterum, & tot iteratis vicibus renuis iniunctum tibi munus exequi? Proficiscere in Ægyptum persuasurus regi libertatem populi tui; mitte Domine quem missurus es, mittit nempe teipsum ad hoc munus obeundum dignum aliquem eligens, tamen adhuc renuit; vt notasit omnibus iustorum humilitas vsque adnauseam in respuendis dignitatibus. *Nunquam defuerunt*, inquit Cyrillus cit. à Lyppomano, *neque nunc desunt qui humanam gloriam, præsentemque splendorem magno opere sectentur. At non talis Moyses fuit, sed cum esset maximè diuino dicto auscultans, ad populum tamen mittendus. Obsecro inquit Domine, mitte alium quem missurus es, qua ex re, vt ita dicam, Deum contentiosum, aduersum se reddidit sua videlicet imbecillitatis confessione, & honorifica legationis recusatione, en vt mira est Iustorum humilitas in dignitate repellenda.*

Cyrillus.

### *Prosperis & dignitatibus ex sola iussione, aduersis autem ex deuotione militemus.*

106. *Obsecro Domine mitte quem missurus es*, quis maior si sibi aduersa ferenda offerrentur, renueret affectu quàm Moyses prospera, & eximiam dignitatem? nam omnibus viribus contendimus liberari à malo, ipse autem nonne omni conatu, ne regimen populi suscipiat, & ad hunc honorem ducatus perueniat, contendit? sed quæso alium non meritis inferiorem nempe Paulum attentè consideremus, cui cum prædicerentur vincula & carceres Hierosolymis, tamquam si regium sceptrum esset inibi consecuturus magno cum animi gaudio conscendit, quid igitur Moyses à dignitatibus longè secedit, renuit honores, & Paulus aduersa inquirit, persecutiones & vincula non iussus amplectitur? ne miremur quæso, nam cum vterque esset iustus cognouit prosperis, & dignitatibus tanquam pluries nobis nociuis, ex sola iussione, aduersis autem tanquam nobis proficuis militandum esse. piaculum esset verba B. Greg. Mag. 35. Moral. c. 13. silẽtio obuoluere, debet obediẽtia & in aduersis aliquid ex suo habere, & rursũ in prosperis aliquid omnino nõ habere, quatenus & in aduersis tãto sit gloriosior, quanto diuino ordini etiã

B. Greg. Mag.

quod iratus fuerit Dominus? Quid cum gratissima habuerit desideria sanctorum Patrum, Messiæ aduentum ardenter petentiũ, an solius Moysis excludetur petitio? imo quia enixe id deprecatur Deum sibi sentiet iratum, quid ni? nam cum totum munus educendi populi ex Ægypto, confundendi Pharaonis per hominem purum cælesti auxilio adiutum perfici poterat, non ferebat Deus vt ea quæ per hominẽ fieri possent, his humanis mediis contemptis, soli suæ diuinæ potentiæ committerentur.

*Tantus est Christus Redemptor, vt typicè plures eum debeant præcedere.*

110. *Obsecro Domine mitte quem missurus es*, non dissimulat Deus, sed textus facet eum iratum in eũ fuisse testatur. Quod equidẽ miror, cũ diximus aduentum Christi Domini postulasse, quæ petitio iustissima esse videbatur. Sed cum Christus Dominus tantus & talis esset, cur non irasceretur Deus, cum eius aduentum postulasset Moyses non expectatis eis, qui eum typice præcedere deberent? *Nobis allusisse videtur Propheta* (inquit Lypom.) *ad verum & vniuersalem omnium redemptorem, ignorans quod ipsum & deberet præcedere typicus & figuratiuus redemptor, nam ipsum vniuersalem Redemptorem Moyses diuino lumine illustratus, venturum prænouerat, nec tamen se in ipsius figuram præcessurum sciebat.* Lypoman.

*Cor aliquorum obstinatum aliquando nos reuocat à functione nostri muneris.*

*Obsecro Domine mitte quem missurus es.* Cur tot reiteratis vicibus, munus tibi adeo impositum renuis? nonne satis fuisset, semel aut iterum te excusasse? quid times? nonne Deum habes protectorem? nonne tibi adfuturum pollicitus est? respexit cor Pharaonis obstinatum in malitia, quod ita eum timore perculit, vt à sui muneris functione reuocaret. sic annotat S. Basilius in c. 6. Isaiæ, *Moyses* (inquit) *cognoscens causam cur mitteretur, extrahebat tempus deprecando & recusando, respiciens videlicet superbum, pertinax & inexorabile cor Pharaonis, contumax ingenium, & instabilem animum & duram ceruicem Hebræorum, ideo dicebat, Obsecro Domine mitte quem missurus es.* 111. S. Basilius.

*Iusti aliquando ita humiles vt credant se à Deo tentari, cum dignitates sibi offeruntur.*

*Obsecro Domine mitte quem missurus es*, Te elegit ad hoc ministerium, an tibi persuasum habes, alium ad hãc legationem obeundam destinandum? humilitatis tantæ Moyses erat vt crederet se à Deo tentari in oblatione regiminis populi Israël ex Ægypto: mens est auctoris Catenæ Græcæ in Exod, *Non poterat Moyses credere conscius suæ imbecillitatis non tentari à Domino, in cuius iam prouidentia latere putabat aliquem magis ad eam legationem idoneum, ne tu inquit velis de me hoc periculum facere, mitte potius quem tecum destinasti mittere.* 112. Auctor Catenæ.

## *VARIETAS LECT. Vers. 14.*

*Vulg.* Iratus Dominus in Moysem, ait, Aaron frater tuus Leuites scio quod eloquens sit, ecce ipse egredietur in occursum tuum vidensque te, lætabitur corde.

*Sept.* Et iratus iracundia Dominus in Moysem dixit, nonne ecce Aaron frater tuus Leuites, scio quia loquẽs loquetur tibi, & ecce ipse egredietur in occursum tibi, & videns te lætabitur in seipso.

*Cald.* Iratusque est furor Domini in Moysen, & ait, ecce Aaron frater tuus Leuita, notum est coram me, quod ipse loquens loquetur.

*Onk.* Et excãduit ira Domini cõtra Moysem.

*Caiet.* Iratus est furor Iehoua in Moysem.

*Pagni.* Ecce ipse egreditur tibi in occursum.

*Philo.* Lætabitur intra seipsum.

## *CONCORDIA.*

Licet iratum sine additione dixerit interpres, cùm in Hebreo sit ויחר אף vaichar aph, iratus est furor & apud Septuag. καὶ θυμωθεὶς ὀργῇ & iratus ira, nihilominus idem vtrobique est sensus, in verbis subsequentibus. Scio quod eloquens sit frater tuus, succinctius locutus est quam sit in Hebræo, verbum יצא ioze quod interpres reddit de futuro, Pagninus vertit de præsenti, sed hoc nihil refert.

## EXPOSITIO.

I*Ratus Dominus in Moysem ait.* Hæc ira Dei aliquod peccatũ supponere in Moyse nẽpe veniale probabilius mihi videtur, nã quomodo iratus est Deus, nisi propter culpã? vtique enim malebat promptã & simplicem obedientiam quã istam animi non tam demissionem quam tarditatem & pusillanimitatem, veræ enim virtutes non secum pugnant, neque excludunt se mutuo, sed vicarias atque adiutrices sibi præbent manus; cum qui fieri potest, vt obedientia, prompta cæca sine excusationibus in laude sit, si huic contraria nulla est in culpa? vnde non sequitur, quod si Moyses tam honestum ministerium laudabiliter recusauit, vt nihil ab eo culpæ in recusando admissum fuerit, nam ex bona intentione aliquid fit laudabiliter, vel relinquitur, in cuius tamen vel excusatione vel recusatione aliquid humanæ infirmitatis, ac pulueris aspergitur, verum ipsam culpam singulari humilitate obliterauit, cum eam æternis monimentis im-

mortalitati commendatur, qui autem tenent probabiliter culpa etiam veniali caruisse, dicunt ira Dei non semper culpam supponere, quia Deus inquiunt non irascitur affectu sed effectu, & ita cum bona nobis parata non dat, vel mala immittit, aut continuat, iratus dicitur; si acquieuisset Moyses Deo & oblatum officium accepisset, abstulisset malum seu vitium naturæ quo ille laborabat, fuisset ergo ille actus amoris, idest collatio alicuius boni, Moyses non acquieuit, Deus paratum ei eloquentiç donum non dedit, & quod ante habebat iamque auferendum fuisset, malum reliquit: ergo iratus solum analogice dicitur: sic auctores cōtrariæ sententiæ respōdent.

A *Aaron frater tuus Leuites*, vel qui est de tribu Leui, additur. n. nomini Aarō quasi cognomen ex tribu petitū more Iudeorum, illi enim à sua tribu denominabantur: porro Leuites erat cognomē honorabile ob Sacerdotium addictū tribui Leui in qua primus & Princeps futurus erat Leui. *Scio quod eloquēs sit* poterit pro te loqui, cū sit facundus, *Ecce ipse egreditur in occursum tuū*, quo signo tibi cōpertum erit, Aaronem fratem tuum hanc legationem libenti animo susceptur ū, in visione enim tuum in Ægyptū ei descensum aperui, *vidensque te lætabitur corde*. Cum enim à multis annis te videre desideret, optatis fruens maximo afficietur gaudio.

## CONCEPTVS.

*Verum gaudium non sistit in humanis.*

113. IRatus Dominus in Moysem ecce Aaron frater tuus veniet in occursum tibi & videns te lætabitur corde: Philo legit lætabitur intra seipsum, de Aarone venturo obuiam Moysi, cur dicitur quod in seipso vel intra seipsum lætabitur? nam gaudium foras prorumpere deberet, vt Moyses cognitū haberet, quanta cū lætitia frater suus ipsi occurrit. Dicat igitur in externum prorumpet gaudiū, non autē intra seipsum lætabitur. rectissimè ad mentem nostram satisfacit Philo in lib. quod deterius potiori insidiari soleat, *Ostendit* (inquit) *Legislator germanū & maximè propriū hominibus gaudium, proprium enim nec est pecuniarum possessionumq; copia, nec à splendore gloriæ nec ex vllo omnino inanimato infirmoque opere quod per seipsum*

Philo Hebræus. *est corruptibile & potest contingere, imo nec à robore agilitateq; corporis, aut cæteris id genus dotibus, quæ vel cū pessimo communes sunt, & habentibus se nonnunquam perniciem attulerunt ineuitabilem: quoniā agitur in solis anima bonis pura & minimè adulterina inuenitur lætitia in seipso gaudet vtique omnis sapiens, non in his quæ circa se habebat*: En quomodo lætitia non est suscipienda de rebus externis, quantumuis pretiosissimis, cum facilè eorū fiat iactura, nulliusque sint fermè stabilitatis, sed de internis nēpe de virtutibus acquisitis quæ nostrā

Augustinus. Psal. 96. internā requirunt lætitiam: vnde August. explicans illa verba Psal 96 Lætamini iusti in Domino, ait, *Iam forte fideles audientes lætamini, conuiuia meditantur, calices præparant, rosarum tempus expectant, quia dictum est lætamini iusti, vide quid sequitur, in Domino, non enim iucunditas quæ est secundùm poculum vera iucunditas est, non est gaudere*

Isay. 57. *impiis dicit Dominus Isaia 57.*

*Tyrones in virtute ne alios doceant.*

114. *Iratus Dominus ad Moysem, Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquens sit, ecce ipse egreditur in occursum tuū*: Ecce vt adiungit ei fratrem versatissimū in omni eruditionis genere. Sed nonne Moyses maiorē consequeris honorem & gratiā apud populum, si solus, si sine comite eum eduxeris ab Ægypto, si solus illius regimen susceperis? aduerte Moysem tardioris linguæ impedimento, designare eos qui viam virtutis ingressi, difficiliora nō cauēt, & parū in virtute proficiūt. Hic optimè se excusat à legatione ad Pharaonē, & à populi regimine, cuius bono Deus consulēs, ei adiungit Aaronem virum apprimè versatū in

B omni eruditionis genere. Gratum est enim Deo, si in virtute tyro de aliorum profectu curare subterfugiat: mens videtur esse cit. Philonis de migratione Abrahæ, sic enim ait, *Nam rusticanā sapientiam, vrbana sapientia plerumque solet vincere, quapropter & Moyses ille sapientissimus veretur quidem cum eloquentibus & disertis congredi, postquam ei diuinus splendor affulgere cœperat per immortales sermones sapientiæ scientiæque*. Vnde verba præcedentia hunc versum, obsecro Domine, non sum eloquens, ex quo loquutus es ad seruum tuum, possunt ex cit. Phil. hunc sensum habere, ex quo tuo me congressu dignatus es, id vnū didici, videlicet eū, qui in virtute nō multū profecerit, cauere debere, ne aliis præficiatur. Philo.

*Fratrum perfectiones nobis inutiles ne censeamus.*

C *Iratus Dominus ad Moysem*, quid homini humillimo irasceris? nonne ex cognitione imperfectionis, ex defectu linguæ, munus legationis sibi impositæ renuit? potius acceptam habere deberes eius excusationem, quam in eum irasci. Sed quid dixerit Deus inspiciamus? Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquēs sit, en causa, cur quasi in eū irascitur Deus: nēpe cum in se tarditatem sermonis experiretur, defectum linguç vt se sentiret, debebat fratris facundiam tanquam suam censere, ad hoc respexisse mihi videtur S. August. in Exod. *Ostenditur Deus increpasse potius* 115.

S. August. q. 10 in Exod.

D *Moysem, qui timeret ire, quod ipse esset minus idoneus, cum haberet fratrem per quem posset ad populū loqui, quod vellet*, Dei iram merens si perfectiones fratris tibi inutiles censeas, vel tuas non esse, sed alienas esse existimes.

*Cum Deo contendere non debemus importune.* 116.

*Iratus est Dominus ad Moysem*, Cur mitissimo & benignissimo irasceris? irascimur enim vel alienis peccatis, vel acceptis ab aliis iniuriis. Quid in te commisit Moyses, qui humillimè te deprecatus est eū vt excusatū haberes iudicans se imparem in tanto onere ferendo: irascitur, nō quia munus sibi impositum acceptare renuit, sed quia obstinatè illud respuit, Deo ad illud admittendum inducente. Fauet Oleast. *Licet paululū excusare quæ Deus præcipit, non tamen cōtentiosum omnino esse, ne Deum prouocemus in nos*, Ex humilitate dignitatē oblatam respuere potes, sed cū Deus iterum atque iterum iubet, vt hanc admittas prouinciam, non importunè resistendum. Oleast.

Qui

*Qui minus Deo confidit quam debet, animaduersione dignus.*

117 *Iratus Dominus ad Moysem.* Quod quidem indicium est in aliquo deliquisse Moysem, quid enim in eum irasceretur Dominus, si in omnibus se recte gessisset? sed in quo deliquit, cum tenacẽ rather virtutumque cultorem & vitiorum osorẽ non ignoremus? nonne Deo præcipiente vt Pharaonem pro libertate Israël consequenda conueniret, quasi id obtinere impossibile iudicaret, ire renuit? quid mirum igitur, iram Dei incurrisse? qui enim minus Deo confidit quam debet, dignus est animaduersione. hoc ita iudicauit August. q. 10. super Exod. *His verbis ostenditur Deus increpuisse potius eum qui timet ire quod ipse esset minus idoneus, cum haberet fratrem per quem possit ad populum loqui, quod vellet, quoniam ipse erat gracilis vocis & linguæ tardioris, quanquam de Deo totum sperare deberet.* Preme hæc vltima verba, quasi diceret, quia minus in Deo sperauit quam credidit, ideo in eum irascitur Deus.

D. August.

*In Deo etiam minimorum prouidentia.*

118 *Iratus est Dominus in Moysem*, Caiet. *iratus est furor Domini in Moysem.* Æstuat furor tuus in grauissimos peccatores, in Angelos Apostatas, sed cur in Moysem qui viribus suis diffidens, onus sibi impositum admittere noluit, alteri imponere, an solus Moyses qui tua adimplere iussa valeat? quis negabit Deum etiam in minimis prouidentiam habere & ea curare, cum irascatur in Moysem sua iussa non exequentem? qui enim de aliquo non est sollicitus, sibi temperat ab ira, cũ sit indebite, hoc annotat Cardinal. Caiet. *Describitur furor Dei iratus, tanquam non ipse Deus, sed repentinus furor iratus fuerit, culpa siquidem Moysi Deum more humano exigit scribi, tanquam repente excandescentem, & nominatur ipse fons essendi in quo nulla est passio aut propassio, vt intelligamus quod ipse summus essendi fons curam habet horum minimorum.*

Cardinal. Caiet.

*Serui Dei non indigne ferunt se socios habere in suis ministeriis.*

119 *Iratus Dominus ad Moysem.* Quia toties indignum se iudicat munere principatus in populum Israël, sed vt ei denuo suadeas collum iugo huius dignitatis imponere, quã in medium adducis rationem? Aaron frater tuus leuites, scio quod eloquens sit, ipse egredietur in occursum tuum, erit tibi socius in legatione erga Pharaonem obeunda: quid? nonne in officio vel dignitate aliqua constituti, ferunt indignissime socios habere, & quasi mediã solũ vel officii, vel dignitatis partem habere? cur ergo Moysi aperis fratrem futurum ei socium in legatione apud Pharaonem obeunda? cur non aperiret? scit enim Deus seruos suos tantæ dignitatis esse, vt non indigne ferant dimidiam officiorum partem, sed socios in eis habere: apposite ad hanc mentem Oleast. *Non acquieuit vir sanctus Deo quousque ei socium in legatione daret, qui principibus ministrant, societatem abhorrent, volentes consortem habere, & si detur, æque ferunt: non sic autem ministri Dei, sed quia se reputant ministerio Dei impares, socios non solum ferunt, sed postulant. audi quid ancilla Domini Martha dicat, cum enim imparem ministerio Christi se sentiret, conqueritur apud Dominum, Domine, inquit, non est tibi curæ quod soror me solam ministrare reliquit, iube illi vt me adiuuet. serui principum, quoniam non tam bonum principis ministerium quam propriam vtilitatem quærunt, nolunt consortium, serui vero Dei qui non quod suum quærunt, sed quod Dei, socios ad ministerium desiderant & petunt: considera quod Moyses Domino dicat Num. 11. non possum, inquit, solus ferre populum hunc vniuersum, quia supra meas vires est.*

Oleaster.

Luc. 10.

Numer. 11.

*Quid non agit Deus, vt sibi fidem adhibeamus.*

120 *Iratus Dominus ad Moysem ait, Aaron frater tuus leuites scio quod eloquens sit & egredietur in occursum tuum.* Quid? nonne satis erat non quemcumque hominem, sed fratrem virum eloquentissimum polliceri in socium? nam ideo renuit obire legationem ad Pharaonem, quia rudioris & tardioris sermonis erat, cui addidit Deus, egredietur in occursum tuũ? sane vt hoc inopinato & mirabili occursu, eandem Moysem ad fidem dictis suis adhibendam prouocaret, huc decurrit Abul. *Quia poterat Moyses de hoc (nempe de fratris eloquentia) dubitare, vt vellet suscipere legationem, vt loqueretur coram Pharaone, dedit ei signum per quod crederet Deum mouisse cor Aaron, vt hoc susciperet, scilicet vt Aaron veniat in occursum eius, & hoc satis congruum erat signum quantum ad ipsum Moysem, cum ante prædiceretur quam fieret.*

Abulens.

*Deus nescit non benefacere suis electis, etiam cum eis irascitur.*

121 *Iratus Dominus ad Moysem*, Caiet. *iratus est furor Domini ad Moysem.* In quo quæso furor eius declaratur? in quo ira eius exprimitur? beneficium cognosco, non indignationem, ecce enim pollicetur ei virum eloquentissimum in socium legationis, & hunc in itinere sibi occursurum: an hæc signa indignationis? vel potius amoris? quid? nonne dignus erat graui animaduersione, vel saltem aliqua punitione? tenent enim interpretes deliquisse, licet non lethaliter, tamen venialiter, ait Abulensis, peccatum autem veniale, non beneficium sed punitionem meretur, ita equidem, sed Deus in suos ita liberalis, vt nesciat eis, cum puniire debeat, non benefacere: huc decurrit illud Habacuch 3. Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis, quæ verba ad mentem nostram sic erudite explicat Antonius de Gueuara, *In medio illius infaustissimi temporis, cum ineluctabile imminebit exitium, tunc vtique palam facies te nunquam misericordiæ obliuisci, neque in ira tua continere clementiam tuam, hoc quo ipsum vt confidenter sperent, præterita beneficia persuadent, qua peccanti populo tuo, rebellantique toties ac renitenti, loco pœnæ ac castigationis promeritæ, indefessum rependere consueuisti: etenim pro iniquitate idest infidelitate, & idololatria, qua in Ægypto abominationes & idola Ægyptiorum coluerunt, vt testatur Ezechiel cap. 20. pro infidelitate, & murmuratione, quibus post tot ac tanta miracula, & Deo ipsi diffidebãt, & legatis eius Moysi & Aarõ idẽtidẽ obmurmurabãt dicẽtes, videat Dominus & iudicet quoniã fœtere fecistis odorẽ nostrũ corã Pharaone,*

Abacuch 3.

Antonius de Gueuara

*& seruus eius, & prabuistis ei gladium vt occideret nos: sic denique pro iniquitate qua filij Israel post conspecta Maris rubri prodigia murmurauerunt cōtra Moysem ad aquas Mara, pro iniquitate qua in deserto Sin murmurauit omnis congregatio filiorum Israel cōtra Moysem & Aaron, dicēs vtinā mortui essemus per manū Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carniū, & comedebamus panem in saturitate: cur induxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem in fame: & pro his omnibus iniquitatibus inquit, Abacuc, pro quibus non solū puniri sed deleri quoque meruerant, non tantum Dominus condignam non intulit verum etiam benignè & amicè se illis in monte Sinai gloriosè prodidit, & de cœlo fecit eos audire vocem.*

*Humilis magna non sibi vult arrogare.*

122 *Iratus Dominus ad Moysem.* Licet aliqui interpretes asserant peccasse saltē venialiter, incredulitate, tamē sancti patres Greg. & Basilius omnino excusant Moysem, eiusque excusationē quasi ab humilitate profectam laudant, tum quia Moyses sciebat cor peruicax & inexorabile Pharaonis, atque durā ceruicem Hebræorum, ait Basili. quam se putabat frangere non posse: tum quia non erat inobedientis honorifica, qualis erat hæc missio, refugere, ac detrectare, ad dura vero & aspera se vltro alacriter offerre: sed cur ita humilis, cum Deo licet arduum præcipienti, debeamus obtemperare? quia ad magna vocabatur; magna autē nō sibi vult arrogare iustus: fauet Procop. *cum suapte natura pius & cautus foret, ne videretur si i arrogare magnifica illa facta nonnihil cunctatur.* Procopius.

*Frater fratris fœlicitati non inuideat.*

123. *Iratus Dominus ad Moysem, ait Aaron frater tuus leuites, scio quod eloquens sit, ecce egreditur tibi in occursum, & videns te lætabitur.* Quomodo lætabitur? sciet enim ipsum ad populi Israel principatū euectum, licet sit minor natu; quis autem primogenitus fert patienter, minores natu ad maximas euectos dignitates, quas ipsi consequi non poterūt? nota est historia fratrum Ioseph qui nec sommatam illius gloriam ferre potuerunt; quomodo ergo Aaron fraterna fœlicitate non torquetur, imo eius prosperitati collætatur? frater enim fratris meliori fortunæ inuidere non debet, qui i enim liuore fraterno periculosius? ait enim Chrysost. hom. 44. ad popul. Antioch. *Homicidij Mater est, ita fratrem Cain occidit; ita Iacob Esau, ita Ioseph fratres: ita cū ctos homines diabolus.* D. Chrys.

*Fratres simus in bonis moribus & virtute.*

*Iratus Dominus ad Moysem ait Aaron frater tuus leuites, scio quod eloquens sit.* Cur cum rara sit fratrum in magnis concordia, & Aaron legationis obeundæ socium Moysi præbes, alium vel qui subijciatur Moysi, vel cui ille obediat propone; Aaronem illi exhibet, quia Moysi in virtute similis, & in moribus non dissimilis: quod rectè obseruauit Greg. Nazianz. *Moyses fuit legislatorum illustrissimus, Aaron sacerdotum sanctissimus, non minus pietate quàm corporibus fratres, vel potius ille quidem Pharaonis Deus & Israëlitarum Antistes & legislator, & nubem ingrediens, & diuinorum arcanorum inspector & arbiter, & tabernaculi veri illius fabricator, quod à Deo non ab homine constructum est: ille principum princeps & sacerdotum sacerdos, Araone pro lingua vtens, ambo Ægyptum vexantes, mare scindentes, Israelem gubernantes, hostes demergentes, panem supernè trahentes, aquas conducentes, ad terram promissionis iter commonstrantes, &c.* 124 D. Greg. Nazianz. Orat. 6.

*Ægre fert Deus ante tempus statutū à patribus Verbi diuini incarnationem desiderari.*

*Iratus Dominus ad Moysem.* Si oculi tui super humiles, gratissima tibi animorum submissio, cur homini humillimo, irasceris? quis enim illo humilior, qui toties principatū populi renuit admittere? reuoca in memoriam, dixisse, mitte quē missurus, quem plures asserunt fuisse Messiam, quem tunc venturum putabat: quis vetat ergo dicere, Deum ipsi iratum, cum ante tempus statutum incarnationem verbi Domini importune flagitet? nō dissentit Dionys. Carthus. *Propter illā petitionē, non fuisset vt apparet ei iratus, nisi forte dicatur quod quātū ad hoc, Moyses inordinate orauit, quod voluit fieri pro tunc, quod diu postea fuit agendum.* 125 Dionysius Carthus.



## VARIETAS LECT. Vers. 15. & 16.

**V**Vlg. Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo & in ore illius, & ostendam vobis quid agere debeatis.
*Sept.* Dices ad eum & dabis verba mea in os eius, & ego aperiam os tuum, & os eius, & docebo vos quod facietis.
*Cald.* Pones sermones in ore suo, & verbum meū erit cum ore tuo, & cum ore eius, & docebo vos quod acturi estis.
*Vulg.* Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.
*Sept.* Ipse loquetur tibi ad populum, tu autem eris ei quæ ad Deum.
*Cald.* Loqueturque ipse pro te cum populo, & ipse erit interpres tui, & tu eris ei in principem.
*Pagni* Ipse erit tibi pro ore, & tu eris ei pro Deo.
*Oleast.* Eris illi in Deum.
*Lypp.* Ipse erit tibi vice oris, & tu eris ei vice Dei.

## CONCORDIA.

**H**Abemus Hebraicè ואתה תהיה לו לאלהים veatha tihie lo elohim, quæ verba à vulgato rectè redduntur, eris ei in his quæ pertinent ad Deum, & à Septuag. ἔσῃ αὐτῷ τὰ πρὸς τὸν θεόν, sed minus emphaticè à Caldæo tu eris ei in principem, nam licet אלהים reddatur etiam princeps, hic tamen aliquid amplius dicit, vt videre est in expositione.

## EXPOSITIO.

*PONe verba mea in ore eius*, narra ei legationem istam, & erudi eum de cunctis quæ vidisti & audisti, ponere enim verba in ore alicuius, est docere eum, quid loquatur. *& ego ero in ore tuo, & in ore illius*, id est, Moderator sermonis adero, verba & efficaciam prout expedierit præstans. *& ostendam vobis quid facere debeatis*, vel quantum ad signa & prodigia, vel ad alia, legatione peracta, obeunda. *Ipse loquetur pro te ad populum*, quia impeditioris & balbutientis es linguæ, *erit os tuũ*, pro A te loquetur, Hebraismus antẽ est erit os tuum, significans futurum interpretem illius, *tu autem eris in his quæ ad Deum pertinent*, sensus est, tu à me legem & mandata accipies, hoc tibi vult eris in his quæ ad Deum, id est, ad me pertinent, ipse vero te cõsulet quasi me, & narrabis illi quæcunque præcepero tibi, vnde bene noster vulg. & eris ei in his quæ ad Deum, id est, te consulet ac me & tu ei quasi Deus aperies.

## CONCEPTVS.

### *Nisi opera præluceant, verba in irritum profundantur.*

126 POne verba mea in ore eius. Deinde illico subiũgit, ostẽdam vobis quid facere debeatis, quid? nonne sufficit vt sermonem tuum vterque habeat? si Aaron non solum disertus, sed etiam eloquens à te indicatur, quid amplius requiris? quid amplius vis concedete? nonne maximæ sunt vires eloquentiæ? cum ea cohortemur, hac suadeamus, hac afflictos consolemur, hac deducamus à timore perteritos, hac gestiẽtes cõprimamus, hac cupiditates iracundiasque constringamus, nihil tam horrendum, nihil tam incultum, quod non splendescat oratione & eloquentia, &c. si ergo eloquentissimus est Aaron, quid non populo & Pharaoni, suo disertissimo dicendi genere suadebit? cur ergo vlterius ais, ostendam vobis quid facturi estis? quia sanè nisi opera & facta præluceant, fore sine dubio vt dicta in irritum profundantur, vnde Christus D. habiturus ad turbas suosque discipulos sermonem in præcipua Euangelicæ doctrinæ capita panderentur Matth. 5. Matth. 5. prius inquit Euangelista, obtulerunt ei omnes malè habentes variis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos & curauit omnes; cur tanta operum maiestate & sanctitate suæ doctrinæ voluit præire & prælucere? nisi vt ex factis maiorem ex dictis authoritatem conciliarent: quod verbis D. Chrysost. clarius exponam *Priusquam* D. Chrys. (inquit) *sublimem quamdam viuendi introducturus esset disciplinam & quæ nunquam ab illis fuisset audita, auctoritatem mandatis suis præstruxit claritate signorum.*

### *In rebus eximiis licet verba non noceant, tamen nihili sunt æstimanda, si comparentur cum operibus.*

*Pone mea verba in ore eius*, Et quasi hoc nullius 127 vel exiguæ considerationis esset, subiungit, *ostendam vobis quid facere debeatis*, quid? si linguæ impedimentum referenti Moysi consulis, vt verba tua ponat in ore fratris, eique polliceris, quod cum Aaron sit eloquentissimus pro eo audacter & disertè Pharaonem alloquetur? cur addis, eis ostensurum quid facere debeant coram Pharaone & populo? splendor & eloquentia sermonis viri disertissimi nonne sufficeret? non equidem, in re enim tanti ponderis, qualis erat salus populi & libertas & Pharaonis, vita verba licet eloquẽB tissima, parum æstimari debebant, nisi & opera adiungerentur, ex quo sapienter Arnobius contra gentes lib. 1. premit eos qui in fidei christianæ Arnobius. præconibus requirebant lumina sermonum, *Pompa ista* (inquit) *sermonis & oratio missa per regulas concionibus litibus, foro, iudiciisque seruetur, deturque illis imo qui voluptatum delinimenta quærentes, omnes vnum studium verborũ in lumina contulerunt, cum de rebus agitur & ostentatione submotis, quid dicatur spectandum est, non quali cũ amœnitate dicatũ, nec quid aures demulceat, sed quas afferat audientibus vtilitates: enimvero dissoluti est pectoris in rebus seriis quærere voluptatem, & cum tibi sit ratio cum male habentibus atque ægris sonos infundere dulciores, non medicinam vulneribus admouere*, in rebus seriis & eximiis sileant verba, sermonis splendor & eloquentia facessat, sed C operibus insistendum, Aarõ licet eloquentissimè loquatur quid, operetur tamen cum eo Moyses Deus edocet.

### *Deus non deficiens in necessariis.*

*Pone verba mea in ore eius*, Quasi diceret ea quæ tibi aperui, manifesta facies, vt coram Pharaone libertatem populi mei futurã erudite proponas? 128 sed ea proposita, an Pharao silebit? nonne in nos aliquid moliri conabitur? nonne omnẽ mouebit lapidem, vt nos è medio tollat tanquã nouatores & pacis publicæ perturbatores? de his nihil sollicitus silent, sciunt enim Deũ in necessariis nõ deficere: vnde ad eos Deus, ostendã vobis quid facere debeatis: quæ verba sic Abulens. explicat, *Dicit* Abulens. *Deus quod etiã postea docebit, quid agere quãtũ ad* D *signa & prodigia, aut quid dicere quãtũ ad respõsionem & verba eorum ad quos mittuntur, debeant.*

### *Quis Deo erga suos liberalior?*

*Pone verba mea in ore eius, erit enim os tuũ, tu autẽ eris ei in his quæ ad Deũ pertinẽt.* Oleast. ex He- 129 bræo legit, eris ei in Deũ, quot à te iã Moysi cõcessa fuere? quid maius dari ei potuit quã principatus totius populi Israël? quid sublimius quã ex humili pastoris officio ad dignitatem principis & ducis Israël euehi? cur in Deũ cõstituis? quis Rex aliũ in regno suo Regẽ constitueret? cur ergo hominem qui nomini serui tui maximè honoratur, Deum nominas & constituis? vt quanta in suos feratur liberalitate, maneret compertum *quam largus est Deus* (exclamat, Oleast.) *vt seruos suos* Oleaster. *in Deos faciat, nam quæ præcipua & admiranda in cõ sunt facile hominibus tradidit, scilicet peccata remittere & miracula facere.*

## *VARIETAS LECT. Vers. 17.*

**V**Vlg. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.

A *Sept.* Et virgam istam versam in serpentem sumes in manum tuam, in qua facies in ea signa.

## *CONCORDIA.*

Septuaginta forte exprimere volentes de qua virga intelligeret Dominus, addiderunt τὴν στραφεῖσαν εἰς ὄφιν, versam in serpentem, quæ quidem verba in Hebræo non reperiuntur.

## EXPOSITIO.

*Virgam quoque hanc sume in manu tua.* Visus erat vsque in illum diem Moyses virga ad pascendas pecudes, deinceps iubetur eadem vti B ad compescendos miraculis Ægyptios, hac enim virga percussit aquam fluminis, quæ & in sanguinem versa est, &c.

## CONCEPTVS.

### *In re virtutis eloquentiæ parum conceditur.*

134 *Virgam hanc sume in manu tua in qua facturus es signa.* Nonne eloquentissimus est Aaron, tardioris autem linguæ Moyses? cur ergo solum Aaroni datur, quod loquatur, Moysi autem diuina omnia & efficienda signa? quia hoc est ingenium diuinum quod in re virtutum parum aut nihil eloquentiæ soli committat: quod acute obseruat D. Chrysost. hom. 32. in 1. ad Corint. expli- C cans enim hæc verba Pauli 1. ad Corint. cap. 13. (1. Cor. 13.) si linguis hominum loquar aut Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs tinniens, &c. ait, *Vide vt rursus etiam hic linguarum æstimationem depressit, in prophetia magnum quoddam ostendit momentum, mysteria scientias omnes nosse, in fide rem non mediocrem montes transferre, solum linguarum donum posuit nudum*, ecce vt cætera dona proponantur sanè non destituta suis effectibus, solum donum linguæ sine suo effectu proponitur, quia nihil infirmius, nihil nudius in re virtutis quam sola eloquentia.

### *Concors sit sanctorum animus.* D

135 *Virgam hanc sume in manu tua in qua facturus es signa.* Moysis ergo erat hæc virga, & nihilominus Moyses Aaronem alloquutus est Exod. 7. tolle virgam tuam, cur non potius dixit, tolle virgam meam? Moysis enim erat, & non Aaron: respondet Diu. Augustinus quæst. 20. in Exod. (Exod. 7.) erat vtique illa virga communis, vt cuiuslibet eorum diceretur, ac si vterque ita concors vt eamdem potestatem haberet & exerceret, eumdem animum haberet, vnde Numer. 33. (Numer. 33. Origenes.) dicitur quod eduxerit Deus filios Israël de Ægypto in manu Moysi & Aaron, vbi Origenes hom. 27. *In manu Moysi & Aaron eduxit eos Dominus & non in manibus, vnum enim opus vtriusque manus est, atque vna perfectionis expletio*, ac si illi duo Hebræorum ductores, tantam inter se concordiam haberent in operando, vt vna eademque manu vsi viderentur.

### *Deus vult suos in æstimatione haberi.*

*Virgam hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Quid? nonne nulla habita in manu virga, potuit Dei virtute fretus, plurima edere mirabilia? cur igitur necesse, vt ea media operetur tot 136 C signa eximia? potuit equidem sine ea operari, cur ergo iubet ei Deus vt eam assumat, ad huiusmodi edenda miracula? sane vt videntes Ægyptij eum tot miracula operantem in virga sua, in maiori pretio eum haberent, & maiori honore venerarentur. fauet Caietan. (Cardinalis Caietanus.) *Poterat Deus conferre Moysi vt sine virga faceret miracula sed maluit quod mediante virga miracula faceret, ad hoc vt sensibiliter cognoscerent homines quod ipse miracula faceret, videndo quod eleuata seu applicata virga per manum Moysi statim sequebantur miracula.*

### *Magis mente retinetur quod oculis, quam quod auditu ad animum peruenit.* D

*Virgam hanc sume in manu tua in qua facturus es signa.* Si eloquentissimus est Aaron, si 137 os Moysis futurus est, vt Regem Pharaonem conueniens suadeat, vt liberam populi Israël ab Ægypto discedendi concedat facultatem, cur ergo necesse vt mediis signis, vt media virgæ eleuatione id suadeat? quia Deus non tantum sermonibus & vocibus, sed etiam gestibus & ceremoniis Prophetarum futura prædicit, *ipse enim* teste Diuo Hieronymo in (D Hieron.) caput 19. Ieremiæ. *Non solum vult docere populum auribus, sed & oculis, quia mente magis retinetur quod visu quam quod auditu ad animum peruenit.*

*Deus bonitatem suam per creaturas manifestat.* A

238. *Virgam hanc sume in manu tua in qua facturus es signa*, Cur causis secundis vteris ad tuorum operationem mirabilium? edere solo miracula, aduerte Deum non per se solum dignari (cum tamen possit) omnia creata moderari & gubernare sua ordinatissima dispositione, cœlos mouere posse, Angelis tamen vti ad eos mouendos, posse Deum, regna, prouincias & vrbes seruare, Angelos tamen ad regna gubernanda & protegenda destinasse, vt patet apud Danielem quem allocutus Gabriel dixit, princeps Persarum, id est, bonus Angelus regno Persarum de-
Daniel. putatus, restitit mihi vno & viginti diebus, &c. B

Quid mirum etiam si Deus medio Moyse & media virga coram Pharaone vult fieri miracula, ipsum autem ea non per se edere? quia causis vult vti secundariis, propter maiorem suæ
D. August. bonitatis manifestationem. adest pro nobis D. August. lib. 3. cap. 4. de Trinit. *Deus tanquam summus Rex, in cælesti sede velut in domo sua præsidens, se inde quibusdam ornatissimis creatura motibus primo spiritualibus, deinde corporalibus per cuncta diffundit, & vtitur omnibus (non propter insufficientiam nec virtutis suæ defectum, sed propter bonitatis suæ manifestationem) ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ, incorporeis, siue corporeis rebus, siue rationalibus, siue irrationalibus spiritibus.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 18.*

VVlg. Abiit Moyses & reuersus est ad Iethro socerum suum, dixitque ei, vadam & reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam si adhuc viuant: cui ait Iethro vade in pace.

*Bibl. antiq.* Reuersus est ad Iethro cognatum suum.
*Sept.* Vade sanus.
*Oleast.* Vade ad integritatem,

## CONCORDIA.

NOn est immorandum in dictione שלום selom cum toties in commentariis nostris super Genesim dictum sit varia significare, pacem, integritatem, sanitatem, perfectionem, &c. cognatum & socerum pro eodem hic accipe, quia cognatio non est hic nomen cognationis, vel consanguinitatis, sed affinitatis. C

## EXPOSITIO.

ABiit Moyses, accepto Dei mandato *& reuersus est ad Iethro socerum suum*, vt ab eo discedendi licentiam & in Ægyptum redeundi habeat, *vt videam si adhuc viuant fratres mei*, suos fratres vocat, qui ex eadem cognatione, ex genere Abrahæ per Iacob venerant, aliam rationem subticuit, nempe Dei missionem, & hanc proposuit, quæ sanè sufficientissima erat, vt Iethro concederet ei licentiam abeundi, cum tot annis nempe à quadraginta suos non vidisset, *Cui ait Iethro, vade in pace*, iustæ Moysi petioni acquieuit, nomine pacis imprecans ei omnia prospera.

## CONCEPTVS.

### *Dei arcana non aperienda nisi tempore opportuno.*

139 VAdam *& reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam si adhuc viuant.* Nonne in liberatorem Israëlis electus es ab ipso Deo? nõne iam miraculis clarus, in confirmationem egressus populi tui ex Ægypto? cur ergo coram Iethro non aperis magnalia? miracula tibi non manifestas? cur non in Ægyptios acceptam potestatem non proclamas? cur ad magna iturus, vt Israelem liberes, vt Ægyptum perdas, cur solum, ais ibo, vt videam si fratres mei viuant? quia Dei arcana non aperienda, nisi tempore opportuno:
Rupertus Abbas. ita Rupert. lib. 1 in Exod. cap. 19. *Non dixit vadam vt fratres meos educam de Ægypto iuxta imperium eius, qui mihi apparuit, sed secretum hoc texuit, vadam inquiens ad fratres meos vt videam si viuant, igitur quicumque hunc imitatur, huic super* D *fluum sit propalare gratiam sibi collatam coram hominibus, vt videantur ab eis, sed opportunum tempus expectet donec vltro clarescat secretum Dei, & opportune lucescat lux eius coram hominibus vt videant & glorificent Patrem Deum qui est in cælis.*

### *Nobilis animus nescit verba iactantiæ.*

*VAdam & reuertar ad fratres meos in Ægyptum vt videam si adhuc viuant.* Scio hanc rationem sufficientissimam esse vt obtineas ab Iethro 140
licentiam petendi Ægyptum, sed præcipuum eam repetendi cur non aperis motiuum? optimè Abu-
Abulensis. lensis. *In hoc apparet Moysis nobilitas, qui noluit gloriari apud homines, declarando sibi Deum apparuisse, nisi illis quibus Deus declarari mandauerat*, en vt nobilis animus nescit verba iactantiæ; vilis autem in his linguam coercere non possit, quin omnibus Dei sibi collata beneficia ape-

neret, & se nihil à Deo accepisse crederet, nisi omnibus esset compertum & diuulgatum. Moysem imitemur, imo & D. Paulum qui per annos quatuordecim subticuit eximiã illam visionem diuinæ essentiæ, & plurium cognitionem arcanorum, quam nisi necessitate cogente aperuit propter Pseudoapostolos falso nomine gloriantes.

*Nec amicitiæ vinculo, nec affinitate aut cognatione coniunctis arcana Dei aperienda nisi necessitas requireret.*

142 *Vadam & reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam si adhuc viuant.* Cui hæc dixit? annotat textus quod Iethro socero suo, scimus Iethro socerum eius esse, cur ergo hoc in loco aperuit? aduerte in hoc maximè commendandum Moysem, quod fauores sibi à Deo impensos, nulli aperuisse, imo nec socero suo, qui tum propter maturam ætatem, tum propter affinitatem potuisset eos æterno sepelire silentio: emphatice ergo hic annotat textus Iethro socerum Moysis fuisse, vt innueret nec quod ei arcana diuina commisit? sed an ea vxori suæ quam secum assumpsit cum filiis suis declarauit? non legimus, & merito, quia nec amicitiæ nec affinitatis aut cognationis vinculo coniunctis arcana Dei sunt aperienda, nisi necessitas requireret, subsignat Oleast. *Sunt maximè celanda secreta Domini, non socero, non vxori, neque alicui nisi quibus Deus præceperat, munus Dei sibi commissum reuelauit, sic Saul verbum regni neque patri neque patruo voluit indicare.* Oleaster.

*Dei gloria non nostra quærenda.*

143 *Vadam & reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam si adhuc viuant.* Præsuppono in Moyse maximam fuisse fortitudinem, quam ipse sæpè manifestauit, populos depopulãtes Ægyptũ eosque fugatos & profligatos compulit, in Saba eius gentis regiam recipi, etenim Moyses fortitudinem suam exercuit, dum Ægyptium percutientẽ quemdã ex fratribus suis Hebræis occidit, non verbo quidem & pronuntiando sanctissimũ Dei nomẽ Tetragrãmatõ, sed percutiẽdo, deinde etiam & iuxta eam operatus est, dum septem filias sacerdotis Madian pastoribus, qui eas deiecerant ab adaquatione defendit, imo & liberauit: quod opus tam eximiæ extitit fortitudinis, vt teste Nisseno in vita Moysis sacerdos Madiã Moysis virtutem admiratus, quam aduersus Pastorum vim magno animo fecerat, præstantiorem ipsam aliorum diuitiis existimans, filiam ei tradidit in vxorem, cum igitur nobis ita comperta sit fortitudo Moysis cur non dixit socero suo, vadam in Ægyptum vt fratres meos mea fortitudine, à captiuitate Pharaonis liberem? sibi enim hæc dicẽs fidem adhibuisset suæ memor fortitudinis: sanè nihil tale meditatur, vires suas & animum non exaltat, *in hoc enim non suam*, vt ait Rupert. *sed Dei gloriam quærebat.* D. Nissenus lib. de vita Moysis. Rupertus li. 1. c. 19.

*Idoneus imperio qui legibus vrbanitatis nescit se subducere.*

144 *Vadam & reuertar ad fratres meos in Ægyptum vt videam si adhuc viuant.* Si tibi Deo præcipienti vt pergeres in Ægyptum, populo Israël dominaturus, teneris obedire, cur ad domum A regrediens, licentiã abeundi à socero postulas? nonne affectus omnes legibus Dei debent cedere? legimus apud Lucam adolescenti, qui à Christo Domino petierat licentiam mortuum genitorem sepeliendi, ab eo minime concessam, respondit enim ei, vt mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade & annuntia regnum Dei: nonne à Deo vterque vocatus & Moyses & adolescens? cur ergo adolescenti non permittitur ire in paternam domum? Moyses autem non vituperatur quod à Deo vocatus, redit in eam, suspendens executionem vocationis, & à socero licentiam discedendi postulans? cur cum adolescens satisfacere volens iuribus humanitatis, vocationi impeditur diuinæ obtemperaturus, Moyses tamen à Deo non impeditur satisfaciens legibus humanitatis erga socerum? mittebatur adolescens ad annuntiandum B regnum cæleste cui debent cedere humana iura: vnde optimè D. Chrysost. hom. 28. in Matth. *Hic Iesus hominem inhibuit, non despiciens honorem quem genitoribus exhiberi præcipit, sed ostendens nihil magis nobis necessarium oportere doctrina rerum cælestium.* Mittebatur autem Moyses ad Israëliticum imperium ciuile, ad quod nullo melius disponebatur quam satisfaciens omnibus humanitatis & vrbanitatis iuribus viuensque sub illis, & sanè nullus aptior ad imperium potest inueniri quam qui nulli legi, nulli iuri nouerit se subducere. Luc. 9. D. Chrys.

*Quem vrbanum agnouimus, nobis infidelem non futurum credimus.*

*Vadam & reuertar ad fratres meos in Ægyptum vt videã si adhuc viuant fratres mei. Cui ait* 145
C *Iethro, vade in pace.* Nonne Iacob dixerat similiter socero suo, vt permitteret regressum suum in patriam, qui tamen non acquiescens petitioni suæ dedit ei occasionem discedendi, licentia non obtenta? cur insalutato hospite discedit? sciebat Laban esse dolosum hominẽ & fallacem, & ideo iustè cũ vxoribus & liberis insalutato socero discessisse, Deo ita ordinante & dicente, reuertere in terram patrum tuorũ, & ad generationem tuã, eroque tecum. cur similiter Moyses insalutato socero non abiit? quia experimento sciebat vrbanum esse, & sic credidit sibi futurum infidelem, sed libenter regressum suum in Ægyptum permissurum.

*Prudentes simus in negotiis nostris perficiendis.*

D *Vadam & reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam si adhuc viuant.* Cur ei veritatem non aperis? nonne compertum habes eius animũ à tot annis, à quibus cũ eo cõmoraris? nonne omnia inter amicos communia? cur ergo quod futurum est in populo tuo, quod sanè summoperè scire desideraret, ei tanquam & affini & amico non communicas? optimè auctor Græcus apud Lyppom. *Celat Moyses socerum suum Iethro legationem suam, ne forte in suspicionem veniat id Moysem odio inductum facere, eum detineat, ne populum suum inuisere possit.* En vt in negotiis fœliciter perficiendis, prudentia maximè requiritur. 146 Auctor græcus.

*Quanto quis maiora accipit à Deo beneficia, tanto sit humilior.*

*Vadam & reuertar ad fratres meos, vt videam si* 147

*adhuc viuant.* Accepto toties Dei mandato in Ægyptum redeundi, tot Dei beneficiis acceptis, imo in Dei officium euectus, cur homini subiicetis? cur ab eo tanquam inferior licentiam obeundi requiris, quasi eo insalutato non posses discedere? quia quanto quis maiora à Deo accipit beneficia, tanto sit humilior. *A Domino missus*, inquit Lyppom *fratribus liberandis & amicus Dei electus, & tantorum miraculorum gratia sublimatus, socerum suum non negligit, sed ipsius consensum exposcit*, en vt acceptis à Deo eximius fauoribus negligere alios minimè debemus. A

Lyppom.

*Non propria commoda preferenda sunt rationi & æquitati.*

148 *Vadam & reuertar ad fratres meos vt videam si* B *adhuc viuant: cui ait Iethro, vade in pace.* Lippom. ab eo dimittitur, non sine iactura pecoris & familiæ suæ: quid an Pater familias iacturam familiæ suæ tolerare debet? an incommoda ferre in re familiari? quomodo ergo Iethro diminuendam fore suam familiam, damna non leuia in gregibus suis præuidens discessum Moysi permisisti? nonne iustissima erat illius petitio, vt suos inuiseret fratres, quos à tot annis non viderat? merito igitur illi licentiam abeundi permittit, quia propria commoda non præferenda sunt rationi, & æquitati; *Jethro fuit magne prudentie*, inquit Carthus. *& consensit cito Moysi, vt rediret, non quod libenter separabatur ab eo, aut quod modice eum dilexit, sed quia postulatio Moysis rationabilis fuit, nec voluit Iethro propria commoda præferre vtilitatibus honestisque causis Moysis generi sui.*

Dionys. Carthusia.



## *VARIETAS LECT. Vers. 19.*

*Vulg.* Dixit ergo Dominus ad Moysem in Madian, vade & reuertere in Ægyptum, mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam.

*Sept.* Post dies autem multos illos, mortuus est Rex Ægypti, dixit autem Dominus ad Moysem in Madian, vade, perge in Ægyptum, &c.

*Cald.* Quia mortui sunt omnes qui quærebant interficere te.

## CONCORDIA.

Multa habent Septuag. quæ non sunt in canone Hebræo, scilicet post dies autem multos illos mortuus est Rex Ægypti, forte ex alio loco desumpta atque huc adiecta, cuiusmodi multa sunt in editione Septuag. *Dixit Dominus ad Moysem in Madian.* Moysi in domo soceri C sui Iethro nimium commoranti præcipit Dominus redire in Ægyptum: subiungit rationem, *mortui sunt qui quærebant animam tuam*, Hebraismus est, idest, qui te interficere curabant, Pharao scilicet, & sic singulare pro plurali; vel dicamus quod etiam aliqui ex cognatis Ægyptij quē occiderat.

## CONCEPTVS.

*Parentis est filiorum pericula, & mariti, vxoris præcauere, quamuis in proprium ruat.*

*Vade & reuertere in Ægyptum, mortui enim*
149 *sunt qui quærebant animam pueri.* Tunc itineri se accingit, sed non solus, at cū vxore, & filiis, nonne solus antea in Ægyptum pergere putabat, sine familia, sine coniuge, & liberis? cur ergo postquam audiuit defunctos suos persecutores, & aduersarios, suam secum vult integram ducere familiam? cur nunc cum tanto comitatu, cum solus antea pergere vellet? aperta ratio est, quia putabat suos hostes viuere in Ægypto, quibus quidem se ipsum offerebat, sed suos domesticos subtrahebat, postea verum cum sublatos agnouit, nullum erat periculum, quod suis familiaribus reformidaret, itaque Moyses suum in periculum sponte ruens, suorum periculum diligenter præcauebat, de ipso Moyse poterat dici quod de alio scripsit Chrysost. in illud Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis, omni pelago latior, omni flamma vehementior erat hæc dilectio, ac nulla illam pro dignitate distauit oratio*, nam nonne maxima charitas propria pericula non timere aliena formidare?

D Chrys. Rom. 9.

*Deus in quo suos non adiuuat & confortat?*

*Vade & reuertere in Ægyptum, mortui enim sunt* 150
*qui quærebant animam tuam.* Cur addidisti è viuis excessisse eius aduersarios? nonne satis est ei præcepisse vt in Ægyptum descendens Regem Pharaonem conueniret, pro libertate danda populo Israël, fratrem Aaronem ei in socium legationis D obeundæ dedisse? nam sic omni timore sublato potuit in Ægyptum descendere, aduerte adhuc potuisse timere Pharaonem, cuius manus euaserat, necnon eos qui sanguine coniuncti erant cum Ægyptio à se occiso: quid mirum igitur si descensuro in Ægyptum dixerit Deus, mortuos esse suos persecutores? vt in omnibus eum adiuuaret & confortaret; *Omnia impedimenta Dominus tollit* (inquit Oleast.) *quæ suam poterant impedire legationem, forte nouerat Moysem adhuc trepidare reuerti in Ægyptum ob patratum homicidium.*

Oleaster.

*Seuere Deus in persecutores seruorum suorum animaduertit.*

*Vade & reuertere in Ægyptum, mortui enim* 151
*sunt omnes qui quærebant animam tuam.* Quo ge-

Noster Nodinus. nere morte. noster Nodinus, inquit, hic iudicium docet Deus erga Pharaonem, & suos Ægyptios aulicos, ministrosque & forte consanguineos, quos horribili ac miserabili morte sustulit: certum est enim regē non sine timendo Dei iudicio obiisse, suos vero probabile est miserabili morte occubuisse; cur ita seuerus in regem? cur aulicis suis non condonat, sed rigorose in eos animaduertit? quid ait textus? quærebant animam tuam: Cald. qui quærebant interficere te; quam recto ergo iudicio Deus vsque ad seueritatem in eos animaduertit; quia solet inopinata, & non satis præmeditata morte, seruorum suorum hostes vitiare; quod constat etiam ex miserabili fine illius Herodis innocentium persecutoris, de quo sic Eusebius Cæsariens. Euseb lib. 1. Eccles. hist. cap. 8. & 9. *Cum pro sacrilegio quod Herodes in Saluatorem commiserat, & scelere quod in æquæuos eius peregerat, vltio eum diuina perurgeret in mortem, corpus eius morbus inuasit diuersus, ita vt diceretur à vatibus non morbo corporis, sed diuinæ vltioni, esse supplicia, talis igitur Herodis eius finis qui digna supplicia scelere quod in Bethleem erga paruulos gesserat, & pro insidiis Saluatoris exactus est ab Euangelista designatur cum dicit, defuncto autem Herode.* Lege Iosephus. Iosephum lib. 17. antiq. ca. 8.

*Iusti pluries aliquid infirmitatis humanæ retinent.*

151 *Vade & reuertere in Ægyptum.* Quid? nonne A petiit licentiam à socero suo in Ægyptū proficiscendi, à quo eam accepisse non ignoramus, cum dicit ei vade in pace? nonne tibi obedire iam est paratissimus? cur ergo eiiterum præcipit, vt omnibus solutis impedimentis, petat terram Ægypti? an calcaribus indiget equus velocissimus currens? consulamus Procopium, Procopius. *Destinatus Moses non expedite eam prouinciam suscipit, tribuit nonnihil humanæ fragilitati, nec non generi & affinitati, nec prius in Ægyptum proficiscitur quam audit fato functum regem Ægypti.* En licet iustus Moyses, plura tamen fragilitati humanæ tribuit, ecce enim repetito quasi Dei mandato indiget vt in Ægyptum proficiscatur.

*Non solum obediendum exterius, sed & interius.*

*Vade & reuertere in Ægyptum*, Ecce omnia 152
B itineri necessaria disponit, & præparat, cum licētiam à socero discedendi petierit, forte etiam alios affinitate coniunctos non vult insalutatos relinquere; quid iterato discessum eius vrges imperio? forte vt in hoc iussu nobis denotaretur, quod sicut exterius obediētiæ se accingebat, eā etiā interius præstaret, libētique animo iussa sua exequeretur. mens est docto. Pepini. Guillelmus Pepinus. *Dici potest quod sicut Abraha iam egresso de terra, dixit Dominus, egredere de terra tua, vt qui iam egressus fuerat corpore, egrederetur & animo: ita & hic Dominus præcipit idem Moysi, vt sicut iam volebat & paratus erat reuerti in Ægyptum corpore, vellet & animo simemente.*



## VARIETAS LECT. Vers. 20.

Vulg. Tulit ergo Moyses vxorem suam, & filios suos, imposuit eos super asinum, reuersus est in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua.

*Sept.* Assumens Moyses vxorem & paruulos imposuit eos super subiugalia, & rediit in Ægyptum, C sumpsit autem Moyses virgam quam à Deo acceperat in manu sua.

*Cald.* Tulit Moyses virgam qua miracula fierent à facie Dei in manu sua.

*Pagni.* Tulit Moyses vxorem & filios, & fecit eos equitare super asinum, *Sic Onk.*

## CONCORDIA.

Rectè vbi littera Hebraica habet מפתים mophtim, Septuaginta dixere ἐπὶ τὰ ὑποζύγια super subiugalia, nam more Hebræorum multitudo asinorum vocatur asinus, & Septuaginta plures eos fuisse vertêre.

## EXPOSITIO.

*Tulit Moyses vxorem suam & filios suos.* Statuerat enim in Madiā nō regredi, & sic quod sibi charissimū erat, secū deferre voluit, *& imposuit eos super asinum*, erant enim adhuc paruuli D vehiculo indigentes, *portans virgam Dei in manu sua*, quæ in colubrum Deo iubente, versa fuerat, & qua media coram Pharaone plura operaturus erat miracula.

## CONCEPTVS.

*Qui familiæ rectè intēdit, imperio nō indiguus.*

153 *Tulit vxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum.* Cur Dei iussa executurus, cur populum tuum à captiuitate liberaturus, de vxore ita sollicitus, & de liberis anxius, vt eis ducendis asini sint necessarij? nonne ab omnibus liber deberes progredi soli diuinæ intentus dispositioni? nihilominus ecce vxorem suam filiosque conuenit, eosque sic accommodat, vt sine labore arduum iter possent perficere: cur non valedixisti curis domesticis? committe curæ & solicitu-

dimi Iethro filiam suam, & nepotes eos ad te cum A in Ægyptum peruenens remisssim: curæ eius non commissa, sed rebus domesticis intentus, omnia dissoluit, omnia accommodat, de te familiari sollicitus vxori, liberis prospiciens, vt ex hac sollicitudine ostendatur regale ingenium ad publicum onus sustinendum, si quis enim ex nobis domesticis sciat iustam impendere curam, ille sanè aptus imperio iudicandus est, quod clare & vere dixit Philo. Iud. lib. de Ioseph. *Oportebat futurum administratorem reipublicæ, præexerceri in rebus œconomicis, nam & domus est quadam ciuitas & œconomia compendiaria respublica, vnde facile discimus eumdem esse aptum & dispensationi domestica & administrationi publicæ.*

*Deo vocante quicquid terrenum est contemnatur.* B

154 *Tulit vxorem suam & filios suos, & imposuit eos super asinum, & reuersus est in Ægyptum,* Quid? nonne legimus te pastorem ouium fuisse? cum enim in rubo tibi apparuit Deus, ducebas greges soceri tui in interiora deserti: nec dubium quin etiam proprios habueris: cur ergo omnibus his dimissis, cum solis charissimis pignoribus, in Ægyptum proficisceris? nonne pecora, quid terrenum & homine indignum denotant? ne mireris igitur si greges & armenta dimiserit Deo vocanti obtemperaturus? quia Deo vocante, quicquid terrenum est contemnendum, *Pracedentibus signis Moyses confirmatus* (inquit Procop.) *& fidei arrabonem capiens, abit iterum Deo post habens socerum: nam Deo vocante contemnatur quicquid terrenum est etiam si fuerit pretiosum, hoc siquidem argumentum est animi pij.* Procop. C

*Quod fit ex Dei mandato nomen Dei obtinet.*

155 *Tulit vxorem suam & filios suos portans virgam Dei in manu sua.* Cur virgam Dei nominat cum pastoritia esset ipsius Moysis? dices quia nomen Dei in ea scriptum erat, asserunt enim aliqui, à quibus non dissentit Abulens. asserentes quadrāgulatam vel lateratam fuisse, & in quolibet laterum litteram sanctissimi nominis tetragrammaton habuisse. dices secundo, quia per eam plurima in Ægypto coram Pharaone & populo, Deus erat operaturus miracula sed non displiceat ratio à nostro Lyran. data, *Sic nominabatur virga Dei, quia ex præcepto Dei erat portanda,* en vt insignitur Dei nomine & epitheto, quod ex Dei mandato in obsequium suum seruire debet! Lyranus. D

*Vxor non derelinquenda nisi vocatio Dei contrarium iusserit.*

156 *Tulit vxorem suam & filios suos & imposuit eos super asinum.* Quomodo eximiis & maximi ponderis rebus scribendis occupatus Moyses, hæc quasi nugis plena nempe tulisse vxorem liberosque cum ea, asinis imposuisse in medium proponit? ne dicas hæc nugatoria, imo seria, quæ denotant optimi viri virtutem, qui sciens leges matrimonij penitus indissolubiles, atque adeo æternas, vt nullus morbus, nulla molestia, nullum bellum, nulla fames, nulla pericula, nulla quantumuis diuturna absentia, earum nexus & vincula soluere possit, noluit vxorem derelinquere cum vocationi Dei contrariam non cognouerit, vtiliter hoc premit Lyppom. *Moyses cum virga Dei hoc est signo Apostolatus & ducatus, pergit etiam cum vxore & filiis, non enim torus immaculatus & casta generatio præiudicat vel impedit gratiam diuini spiritus & colloquia Dei in sanctis quibus omnia sancta sunt & munda: sed quid hæc inquies, res tantim menti est, vt commemoretur pater familias fuerit Moyses: vt mariti habeant exemplum administrandæ familiæ suæ fideliter & prudenter. Moyses enim etsi in maximum officium à Deo vocatus sit, non tamen prius dereliquit vxorem & liberos, quam fuerint impedimento vocationi suæ, & quod Deus coniunxit homo non separet, quare vxor legitima nunquam est relinquenda, nisi certa & specialis vocatio Dei aliud iusserit.* Lyppoman B

*Deus iustus iudex nocentes punit.*

157 *Tulit vxorem & filios portans virgam Dei in manu sua.* Virga Dei dicitur, vel quia deputata erat specialiter ad cultum Dei, in qua scilicet facienda erant miracula, vel quia à Deo specialiter ei data fuerat, vel propter aliam quam dedimus in conceptu rationem, sanè illa virga est, quæ aduersus Pharaonem & Ægyptios, & ea quæ ipsorum erant, prodigia edere debebat: nomen enim Dei quod sortitur, redditur in Hebræo elohim, quod denotat, iudices: cur virga qua percutiendi sunt Ægyptij, appellationem non Domini, sed elohim sortitur? cur illam non haberet cum Deus vt iustus iudex nocentes puniat? non alienus ab hoc sensu Caiet. *Aptè dicitur elohim, quia virga erat ad facienda mirabilia iudicia Dei aduersus Iudæos.* Cardin. Caietan. C

*Deus contemptibilia eligit vt sæculi principes confundat.*

158 *Tulit vxorem & filios, portans virgam Dei in manu sua.* Quo progrederis? in Ægyptum, quid ibi acturus? legationem meam erga Pharaonem obiturus, vt eum impellam ad libertatem populo concedendam, sed quibus armis instructus? quo cinctus exercitu? qua stipatus corona militum, vt regem potentissimum in medio regni sui bellicosissimum possis ad libertatem populo sibi aduersario cōcedendam cogere? video tecum vxorem, duos puerulos, & virgam in manu, his debellare regem, his superare Ægyptios tibi persuasum? D nonne tibi obiicere poterit Rex Ægypti, quod Goliath Dauidi 1. Reg. 17. nūquid canis ego sum quia venis ad me cum baculo? obiiciat, nihilominus cum hac virga regem debellaturus procedit, quia Deus contemptibilia elegit, vt sæculi confundat principes, quod Ioannes Arboreus explicans illa verba 1. Corint. 1. elegit Deus infirma mundi, vt confundat fortia, sic ait, *Delegit illos qui videbantur imbecilli, abiecti, & infirmi, vt confunderet potentes & opibus affluentes, pariter illos ad se accersiuit qui nullius esse momenti videbantur, & quos mundus vt abiectissimos contemnebat, & propterea tamen pro nihilo reputabantur, vt eos qui & auctoritate & gloria excellere videbantur, destrueret.* 1. Reg. 17. Ioannes Arboreus. 1. Cor. 1.



## VARIETAS LECT. Verſ. 21.

**V**Ulg. Dixitque ei Dominus reuertenti in Ægyptum, vide vt omnia oſtenta quæ poſui in manu tua facias coram Pharaone, ego indurabo cor eius & non dimittet populum.

*Sept.* Eunte te & reuertente, vide omnia portenta quæ dedi in manibus tuis, facies ea coram A Pharaone.

*Cald.* Cum ieris vt reuertaris in Ægyptum, vide omnia portenta quæ poſui in manu tua, & facias coram Pharaone.

*Oleaſt.* Ego fortificabo cor eius aut roborabo

## CONCORDIA.

**O**Stenta dicuntur quæ Hebraice מופתים mophtim, hoc eſt prodigia & portenta, & ſunt mira quæ ſua magnitudine portendunt, eſt autem מופת mophet idem fere quod אות oth niſi quod ſignum latius ſeſe extendit quam prodigium; dicimus enim ſignum fœderis ſignum ſa- B crum &c. ſed prodigium tantum ſe extendit ad portentum quod non fit virtute naturæ: verbum autem חזק chazak inualuit, validus, fortis fuit confirmatus, obfirmatus, induratus eſt, redditur.

## EXPOSITIO.

**D**Ixit Dominus Moyſi reuertenti in Ægyptum, Tunc dixit ei accingenti & præparanti ſe, vt reuerteretur in Ægyptum, *vide vt omnia oſtenta quæ poſui in manu tua*, omnia mirabilia quæ tuæ commiſi poteſtati, *vt ea facias*, ne omittas, quin coram Pharaone ea virtuti tibi data edas, *Ego indurabo cor Pharaonis*, non quidem poſitiuè aliquid immittendo, ſed per negationem auxilij quo ſolo cor emollitur, ſicut per abſentiam ſolis tenebræ ſequuntur, cuius præſentia aër illuminatur: dicitur autem aliquo modo à Deo eſſe, quatenus ſcilicet eſt pœna præcedentium C peccatorum, quibus meruit homo ſubſtractionem peculiaris auxilij, alterius ſcilicet à ſufficientibus, quæ in hac vita nemini denegantur.

Cæterũ quo ad hanc Pharaonis obdurationẽ diſtinctius aperiendam, aliquot mihi ſufficient Auguſtini ſententiæ, quæ hanc maximè explicare videntur, is enim ſerm. 88 de tempore ſex iſta dicit: primum Deum non eſſe cauſam efficientem obdurationis, & merito, eſt enim peccatum grauiſſimum, cuius eſſe cauſa non poteſt: obduratio (inquit) non Dei potentia compellente perficitur, ſed Dei remiſſione vel indulgentia generatur, ac ſic Pharaonem non diuina potentia, ſed diuina patientia credenda eſt obduraſſe; alterum eſt, hominem veram eſſe ac propriam obdurationis ſuæ cauſam, nemo inquit cum Paganis aut Manichæis Dei iuſtitiam reprehendere aut culpare præſumat, ſed certiſſime credat, quod Pharaonem, non Dei violentia, ſed propria iniquitas & indomabilis ſuperbia contra Dei præcepta, toties fecerit obdurari: quid eſt autem quod dixit ego indurabo cor eius? niſi cum abfuerit gratia mea, quæ ſcilicet emollit corda hominum, obducet illum nequitia ſua. Tertium eſt Deum dici obdurare peccatorem, indulgenter eum tractando & non puniendo, hoc ergo inquit definitiſſime credite fratres, & hoc intelligite, quia quoties Dominus dixit, indurabo cor Pharaonis, nihil aliud intelligi voluit, niſi ego inquit ſuſpendo plagas meas, & flagella, vnde eum per indulgẽtiam meã contra me obdurari permitto: idipſum infernus exemplo ſeruorum declarat, qui cum indulgenter ab heris tractati fuerint, inſoleſcunt, & peiores ipſa remiſſione reddũtur. Quartum inde hominem ſumere occaſionem peccandi & accumulandi peccata peccatis, & eis obſtinatius inhærendi, quod clare dicit Apoſtolus, an diuitias bonitatis eius & patiẽtiæ, & lõganimitatis cõtemnis, ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, ſecundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi irã in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei. Quintũ eſt Deum hac indulgentia vti propter peccata eorum quos obdurari permittit. Sed forte aliquis dicet (inquit) quare illum Deus parcendo indurari fecerit, & quare flagella remouerit? hoc loco ſecurus ego reſpondeo, ideo Deus toties flagella remouit, quia Pharao pro ingenti cumulo peccatorum ſuorum non tanquam filius ad emẽdationem meruit corripi, ſed tanquam hoſtis permiſſus eſt indurari. & mox reuocat illud Iſaiæ, indurasti cor noſtrum, ne timeremus te, quod non eſt aliud (inquit) niſi deſeruiſti cor noſtrum, ne cõuerteremur ad te, quã rem multis præcedentibus ſacrilegijs in populo Iudæorum impletum eſſe audiuimus: ergo vult Auguſtinus Deum peccatorum multitudine irritatum, non dare gratiam, cuius ope conuerteretur peccator & ſine qua induratur: quoniam vero intelligebat idem doctor poſſe reperiri nõ minores peccatores, qui tamen obſtinati nõ fuerint, D ſed gratiam Deumque miſericorditer obtinuerunt, qui conuerterentur, vt de Manaſſe & Nabuchodonoſore dici poteſt: poſtea addit poſtremũ, quare autem Deus noſter non omnes ita miſericorditer flagellat, vt multum contra ſe obdurari permittat, aut illorum iniquitati qui obdurari merentur, aſcribendũ eſt, aut ad inſcrutabilia Dei iudicia referendum, quæ plerumque ſunt occulta, nunquam tamen iniuſta: numquid enim eſt iniquitas apud Deum? abſit, ſic Auguſtin. cum Apoſtolo, & quomodo iniquitas ſit in Deo non dare gratiam inimico cui illam non debeat, ſed pœnam multiplicem ac ſempiternam? ſed de hoc ſatis ex vno Auguſt. qui inter antiquos patres hanc obdurationis difficultatem aut intellexiſſe videtur aut tradidiſſe.

D. Auguſt.

Rom. 2.

Iſai. 63.

## CONCEPTVS.

*Deus contra debiles pugnare non solet.*

159 EGo indurabo cor eius, & nō dimittet populū meū. Oleast. ego fortificabo vel roborabo eū, quid? nōne pugnaturus contra Pharaonē? cur ergo eū roboras? nōne cū hoste pugnaturus eum debilem esse optaret? cur igitur Deus eum quem populi sui aduersarium compertum habet, fortificat & roborat? quia Deus contra debiles pugnare non solet: sic Oleast. *Solet Dominus corpore fortificare, aut manu tenere eos cum quibus est pugnaturus. vt possint stare, cederet enim plasma creatori, nisi ipse fortificaret aut manu teneret illud, dedignatur enim Dominus cum debilibus certare vnde Ioel 3. habes, clamate hoc in gentibus, preparate bellum, suscitate robustos, accedant, ascendant omnes viri bellatores concidentes bidentes in gladio, & falces vestras in lanceas, debilis dicat, fortis sum.*

Ioel.3.

*Paueamus nescientes an congrua gratia priuemur ad resurgendum.*

160 *Ego indurabo cor Pharaonis, & non dimittet populum meum.* Ergo obstinatam in suis sceleribus peccatorum voluntatem in tuam referant actionem, quæ eos inde resilire (vt impij somniant) nō patitur: si enim cor eorum induras, quomodo resurgent? sed si indurationem cordis dupliciter sumamus, primo pro defectu gratiæ congruę ad resipiscendum, permissioneque cadendi, sane huius indurationis ita sumpta Deum causam esse eo modo quo negatio causam habet, non est dubium, quum libere subtrahit auxilia congrua, ruinamque permittit, hunc in sensum noster Bonauentura in caput 7. Eccles. num. 14. explicat illa verba, cōsidera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit, *Hoc est, nemo quem ille visitare voluerit. scilicet per gratiam congruam, nam ille ex quo Deus gratiam congruam subtraxerit, à nemine corrigetur:* sed quid inde deducit Seraphicus doctor? *ista opera* (inquit) *& iudicia consideranda sunt ad timorem, consideraui opera tua & expaui,* quis enim non paueat ignarus, an forte congrua gratia ad resurgendum è suis sceleribus priuetur? si autem induratio sumatur pro affectu prauo cordis suo peccato adhærentis, diuinasque inspirationes repudiantis, sane Deus nullo modo causa censeri debet, sicut nec cuiuslibet alterius peccati, indurationem autem huiusmodi quis dubitat grauissimum esse peccatum?

Noster Seraphic. Bonauentura.

*Deus non nos deserit nisi prius eum deseramus.*

161 *Ego indurabo cor Pharaonis & non dimittet populum meum.* Subtrahes ergo ei tuam gratiam, qua seclusa ad te non conuertetur, quomodo regem tua gratia efficaci destitutum relinquis? cur hominem ad imaginem tuam creatum deseris? nonne iustissima suberit ei ratio de te conquerēdi, quod eum indurasti? quod eum deseruisti? sed immerito conquereretur, quia Deus sicut in præueniendo est primus, ita & in deserendo postremus, quod docet sacrosancta Synodus Trident. sess. 6. cap. 11. *Deus gratia iustificatos semel non deserit,* *nisi ab eis prius deseratur*, & confirmat illud oraculum diuinum, nam ad regem Roboām eiusque populum leges diuinas contemnentem præito iussit Deus Prophetam Semeiam, cum hac legatione, *Vos inquit, reliquistis me & ego reliqui vos.* 2. Paral. 12. vbi affirmat Deus se non nisi relictū reliquisse, nam vt benè D. Fulgent. lib. 1. de duplici prædest. cap. 13. *Iuste, inquit, deseritur à Deo qui deserit Deum,* & quia homo deserens peccat, deserēs peccatorem, Deus iustitiam seruat. eamdem doctrinam D. August. non semel inculcat: nam lib. de natura & gratia cap. 26. *Deus* inquit, *non deserit si non deseratur, vt pie semper iusteque viuatur.* & serm. 88. de tempore, *Hoc* (inquit) *firmiter & fideliter credit dilectio nostra, quia prius nunquam deserit hominem nisi prius ab homine deseratur, cū enim semel secūdo & tertio vnusquisque grauia peccata cōmiserit, expectat tamē illū Deus, cum vero in peccatis suis cœperit permanere, de multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur.*

Concil. Triden. 2. Parali. 12. D. Fulg. D. August.

*Eisdem suppliciis quibus aliquando vnus peccator obduratur, alius emollitur.*

*Indurabo cor Pharaonis & non dimittet populum meum.* Deus quidem ad hanc obstinationem non se habuit positiuè, nec inclinando voluntatem ad illam, sed forte exercendo aliquas actiones, ex quibus occasionē sūpsit Pharao, vt obduraretur, de quarum numero fuerūt diuersa supplicia, suppliciis enim obdurari peccatores quis ignorat? sed nonne emollitum est cor Nabuchodonosor alterius regis, quamuis dure premeretur? quomodo ergo obduratum est cor Pharaonis? sane in hoc suscipiendum est cum tremore Dei iudicium, quo attonitus in hæc verba prorumpit D. August. lib. de prædest. & grat. c. 15. *Quantum ad naturā* (inquit) *ambo homines erant* (loquitur de Pharaone & Nabuchodonosore) *quatum ad dignitatē ambo reges, & quantum ad causam ambo captiuum populum Dei possidebant, quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti. quid ergo fines eorum fecit esse diuersos? nisi quod vnus manum Dei sentiēs in recordatione proprie iniquitatis ingemuit. alter contra misericordissimam veritatem libero pugnauit arbitrio.* 162

D. August.

*Dei tolerantia corda hominum aliquando obdurantur occasionaliter.*

*Indurabo cor Pharaonis & non dimittet populum meum.* In præcedenti conceptu diximus, obdurationis suæ ansam accepisse ex suppliciis, quibus afficiebatur, sed an Deus (cuius misericordiæ non est numerus) plurima in eum contulit beneficia, vt eū à praua sua reuocaret voluntate? quis dubitat? nam tot prodigia ante ipsum edita nonne in numero beneficiorum Dei censeri debent? tot admonitiones vt populi Israël libertatē concederet, quomodo eis cor eius non est emollitū? quia tam peruersæ mentis, & tam malè affectæ voluntatis, vt quo pluribus à Deo beneficiis frueretur, & eis emolliri deberet, eo magis in suis sceleribus obdurabatur & lapidescebat, cuius rei testem adhibeo 163

Adhibeo B. August. serm. 88 de tempore *Hoc de Pharaone sine dubitatione credimus, quod eum non tam Dei potentia quam Dei patientia fecerit obduratū, quam rem etiam circa vernaculos nostros exercere consueuimus, quos nimis delicatè aut remissè nutrimus, vel quibus frequenter peccantibus indulgemus, cum enim ipsa indulgentia & remissione peiores redduntur, solemus exprobrantes illis dicere, ego te feci talem, ego tibi parcendo, proteruiam tuam & negligentiam nutriui: hoc autem non dicimus quod illi nostra voluntate in tantam fuerint superbiam deuoluti, sed quod abusi bonitate & indulgentia nostra fuerint obdurati: idem profectò factum est in Pharaone quia dum ab illo pro ineffabili bonitate sua Deus plagas suspendit, ille obdurato corde contra Deum se superbus erexit*: & Diodorus, *ab hortatione incæpit Deus, deinde postquam Pharao credere eique obtemperare recusauit, mediocres in illum plagas induxit, sic igitur dum parcit Deus indurat, idque Moyse precante vt à flagellis temperaret, nam & Moysem à Deo exaudiri par erat, vt ostenderetur Moysem Prophetam maximum à Deo missum, quod tamen Pharaonem magis ac magis durum reddidit.*

Diodorus in Catena.

*Quando omnem diligentiam adhibuimus, vt quid nobis fæliciter obtingat, & tamen contrarium sortitur effectum, Dei nōs subÿciamus voluntati.*

164. *Ego indurabo cor Pharaonis, & non dimittet populum meum*, si ita se habet, quod populum tuum nō sit dimissurus, cur Moysi præcepisti, vt omnia ostenta quæ in manu eius posuisti, coram Rege faceret Aaron, vt nihil prætermitteret eorum quibus posset inducere Pharaonem ad libertatem dandam populo Israel? cur vocas Moysem ad opera quæ frustranea reddentur? nonne conqueri potest se laborem & operam perditurum in his efficiendis prodigiis, cum populus à Pharaone non sit dimittendus? non conqueretur, hoc enim mandatum Dei est erudientis, vt quis debeat esse obedientissimus in ad impletione omnium quæ illi à Deo iubentur ad aliquem effectum consequendum, qui si sibi fæliciter nō contingat, Dei se omnimodo conformet voluntati; quod confirmat Origenes hom. 2. in Ierem. explicans hæc verba Angelorum quibus credita erat Babylon, curauimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam & eamus, sic autem ait, *non scientiam artis suæ neque vestitam vim criminantur Angeli, sed vident se perdere, cum dicunt inuicem relinquamus eam, & abeamus vnusquisque in terram suam, hæc est credita nobis à Deo medicina vt animam curemus humanam, adhibuimus adiutorium, medicinam imposuimus, studium nostrum non sequitur effectus, relinquamus eam.* Ecce labores suos frustratos conspiciunt, & non conqueruntur diuinæ conformes voluntati.

Origenes, Ieremi.

*Deus nobis prebet occasionem ex obedientia merendi.*

*Ego indurabo cor Pharaonis, & non dimittet populum meum*, Cur ergo munus & onus legationis imponis Moysi? nam si dimittendus non est populus Israel à Pharaone, imo si sua persuasione & prodigiis obdurandum est cor eius, cur regem allocuturus à te mittitur? cur virgam, vt edat prodigia, laturus iubetur? sanè vt saltem ex hac obedientia sibi meritum consequatur; quod annotat Philip. Abb. li. de silent. clericorum, c. 85. licet de alio Rege ad quem missus fuerat Propheta Isaias loquatur: *Iussus Propheta* (inquit) *vt ad regem ægrotum loqueretur & ad disponendum domui suæ verbis eum comminatoriis hortaretur, non debuit iubenti proteruus & contumax contraire, non silentio superducto bona quæ dicenda fuerāt operire, hoc enim sermone & Propheta sibi obedientiæ meritum acquisiuit, & rex perterritus Deum sollicitus exquisiuit, exquirentem sollicitè, Deus propitius exaudiuit, exaudito spatium, & in spatio filium quem optauerat impertiuit; quod si forte Prophetam comminantem rex timentis supercilio non audiret, & si eum obduratum Deus, non vt prædictum est exaudiret, nec si tamen Prophetæ consilium fuerat vt taceret, cum iussus loqui, & non loquens reum se & culpabilem exhiberet: nam siue audiat, siue non audiat qui præcipitur admoneri, tamen qui admonere iussus est, non debet suo silentio contineri, sed sicut doctrinam debet prompto necessariam auditori, sic auditore obdurato, debet tamen obedientiam præceptori.* expende, *Propheta sibi obedientiæ meritum acquisiuit*, quasi diceret, licet obduratum fuisset cor eius & Prophetam non exaudisset, vt non audiuit Moysem Pharao, tamē nō frustraneè laborauit, cū meritum obedientiæ semper fuerit consequutus. 165.

Philippus Abbas.



## VARIETAS LECT. Vers. 22. & 23.

*Vulg.* Dicesque ad eum hæc dicit Dominus, filius meus primogenitus Israël.

*Cald.* Dices ad Pharaonem hęc dicit Dominus, filius meus, primogenitus meus Israel.

*Vulg.* Dixi tibi dimitte filiū meum, vt mihi seruiat, & noluisti dimittere eum, ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.

*Cald.* Dimitte filium meum vt seruiat mihi in deserto.

*Onk.* Ecce dico tibi, dimitte filium meum, vt seruiat coram me, & si tu renuis dimittere eum, ecce ego occido filium tuum, primogenitū tuū.

## EXPOSITIO.

F*ilius meus primogenitus Israel.* Periphrasis est summæ dilectionis & priuilegiorum quæ apud Deum Iudæi præ omnibus aliis populis habuerunt, Israel ergo primogenitus,

quia ante alias gẽtes electus, *dixi tibi dimitte filiũ meum primogenitum*, nempe populum meum; primogenitus autem dicitur quod declinantibus cunctis nationibus ad idololatriã, ipse peculiari veri Dei cultu donatus sit, *vt seruiat mihi* speciali cultu sacrificiorum, *& noluisti dimittere eum*, licet admonitus & diuersis plagis punitus, *Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum*, numerus singularis pro plurali, non enim solius regis, sed & populi sui primogenitos occidit.

## CONCEPTVS.

*Ipsa Dei filiatio non prodest, imo nocet si vitiis studuerimus.*

166. Filius meus primogenitus Israel, Vnde Iudæi nõ solum de patre Abraham, sed etiam de patre Deo gloriabantur dicentes, vnum patrem habemus Deum Ioan. 8. & verè quidem loquebantur, iuxta illud Deuter. 32. numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit? sed nonne à Deo abiecti? nec ob diuini generis claritatem de qua gloriabantur, in aliquo pretio habiti: quomodo tantæ dignitatis prærogatiua donati, ad eo sunt viles effecti, vt omnium sint

Ioan. 8. Deut. 32. municipia, & sub seruitute teneantur? satisfaciat B. Chrys. h. 9. in Matth. Iudæi quondam filiorũ Dei honore gaudebãt, sed decoloratos vitiis, nihil iuuit tanta nobilitas, si igitur Dei quis filius factus nisi huic generis splendori meritũ virtutis addiderit, etiam maius profectò habebit supplicium, quid iam mihi auorum atque proauorum memoras dignitates? sanè nihil confert eximia nobilitas nisi studio virtutis fulciatur, vanum est extolli de bonis prædecessoribus, & deficere ab eorum virtutibus, imo non solum vanũ, sed etiam turpe alienis ornari decoribus, quem propria virtus non venustat: sicque rectè admo-

Phil. net Philo lib. de creatione principis; *Nemo summam felicitatis in generis nobilitate collocans honestas actiones negligat, reputans grauiori animaduersioni fieri obnoxium, quisquis ex optimis prognatus maiores suos vitiis dedecorat, discedens à virtutis exemplis domesticis quorum reliquiis omnibus deleris ex animo non potest reprehensionem effugere.*

*Aliqui subito ad virtutis apicem euehuntur.*

167. Filius meus primogenitus Israel, scimus Israelem natu secundum, siquidem Esau fuit eius primogenitus, cur eum sic nominat? nonne satis erat eum dixisse filium, silentio obuoluto primogeniti nomine? ast hic non Iacobi primogenitus sed Dei dicitur, qui vero sunt illi qui dicuntur Dei primogeniti? qui statim ac vocati sunt, & vocem Dei monentis exceperunt, non paulatim ascendunt, sed quasi per saltum virtutem accipiunt, & eius culmen pertingunt. Sic enim inter filios primogenitus ille dicitur, qui nulla interposita mora, virtutis tenet cacumen: Hoc item

Cit. Philo. ex Philone, *Hunc enim antiquissimum verum patrer exortiri voluit quem alibi primogenitum nominat, qui genitus mox patrem imitatus est, & qualia vidit apud eum exemplaria tales formauit species.*

*Nomen filiorum Dei animum prabet vt à Deo misericordiam postulemus.*

168. *Filius me⁹ primogenitus Israel.* Filiũ suũ, populũ suũ nominat, & nõ quemcũque, sed primogenitum, at quæso, nonne deinde varijs obnoxius criminibus, plurium scelerum conscius, multa in Deum patrem suum scelera committit? quomo-

Isa. 64. do cum tamen confidenter adibat? apud Isaiam enim c. 64. cum grauiter eum offendissent, veniam impetraturi, dixerunt cecidimus, quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos, abscondisti faciem tuam à nobis, & allisisti in manu iniquitatis nostræ, & nunc Domine Pater noster es tu, nos vero lutum, ne irascaris Domine satis, & ne vltrà memineris iniquitatis: quid? nonne grauiter Deum offendistis, & Deum genitorem vestrũ? nonne grauior est offensa filij in patrem quã in alium? & indignior venia qui reus criminis erga patrem? quomodo igitur eum confidenter adeunt? cur non adirent, cum filij dicantur & primogeniti? vnde optimè Hieron. in Isaiam sic loquitur, *Si nostra considerem*us *merita, desperandum est, sit tuam clementiã qui flagellas omnem filium quem recipis audemus preces fundere, tu enim pater noster es, qui dignatus es dicere filius meus primogenitus Israel, scientes nos esse filios audemus dicere ne irascaris.* Hieron.

*Qui seruis Dei infert iniuriam grauiter plectitur.*

*Filius meus primogenitus Israel*, deinde prosequitur, *ecce ergo interficiam filium tuum primogenitum*, sumitur numerus singularis pro plurali, non enim solum primogenitum Regis Pharaonis, sed & totius Ægypti interfecit, quid? nõne è filiis primogenitus speciali amore diligitur? Quomodo ergo ita seuerus erga primogenitos, vt nulli eorum condones? quid mirum, cum primogenitum suum Israel, cum seruum suum fidelem tyrannide oppresserit, afflixerit, cruciauerit? qui enim Dei seruis infert iniuriam pœnas luet grauissimas, *disce hic* (inquit Oleast) *quid piaculi sit filios Dei detinere, incarcerare aut malè tractare, & quales pœnas dabunt, qui hoc facere præsumpserint.* 169. Oleast.

*Tãta dignitatis est Christus, vt quia nasciturus erat ex populo Israel eũ specialiter dilexerit.*

*Filius meus primogenitus Israel.* Cur nomine non cuiuscũque filij, sed primogeniti populum Israel honoras? nã quis in vitia eo propẽsior? quis idololatriæ magis amator? quis maiora præbuit ingratitudinis argumenta? ne dicas ergo eum filiũ primogenitũ, specialiter dilectũ, imo talẽ dicas propter Christũ Dominũ qui ex hoc populo nasciturus erat, suffragatur noster Lyr. *Filius meus primogenitus, idest, dignior in populis & cui maiora donare seruantur, & maximè, quia vnigenitus Dei filius qui est primogenitus omnis creaturæ, vt dicitur ad Colossens. erat de Israel secundũ carnẽ nasciturus.* 170. Noster Lyr. Coloss. 1.

*Principes caueant à violentia.*

*Filius meus primogenitus Israel, dimitte filium meũ Israel vt seruiat mihi*, quid? nonne potes eum in forti manu educere, non petita discedendi licentia à Pharaone? verbo cœlos & terram, & quicquid in eorum ambitu continetur, formasti; nonne vnico verbo populum tuum, primogenitum in terram libertatis transferre 171.

poteris? quis princeps, qui aliquid à magnate consequi desiderans, & ab eo passus repulsam, ipsi vim non inferat, vt suis satisfaciat desiderijs? sanè Deus & populum suum transferre potuit, & Pharaonem, nec non populum eius interficere, sed noluit, vt doceret Principes vim alijs non inferre: lubet hic Oleastri verba sistere,
Oleast. *Vnum est hic quod maximè miror, qualiter scilicet Dominus neminem cogit cum sit potentissimus, nonne Domine poteras Pharaon occidere & populum tuum redimere absque eo quod nuncium ad eum destinares, qui rogaret factus regem, populum dimitteret? sic cum transmodum Iudaeis esset per terram Edom nuncios ad regem misit, qui dicerent, liceat mihi transire per terram tuam, quo nolente, quasi impotens alio diuertit: hoc fecisse credidecim vt potentes saeculi ab eo discerent vim non alicui inferre, si enim videntes Deum humilem superbiunt, quid facerent si cernerent violentum?*

*Mira est Dei in hominem dilectio.*

172. *Filius meus primogenitus Israël*, nonne satis erat eum seruum appellasse? quid enim magis gloriosum homini, quam Deo tanquam Domino subijci? quid enim est vilis creatura, si cum Deo conferatur, nec nomine serui digna est cùm Angeli beatissimos se praedicant seruorum appellationem cum sunt consequuti? ita equidem: sed tantus est Domini in hominem amor, vt eum filij & primogeniti nomine honoret; à quo non dissentit Hieron. c. 1. super Isai, *quos seruos condiderat communi lege, in filios vertit*: addit Lippom. *à quibus amari vult amore filiali, quos qui offendit, pupillam oculi offendit.*
Hieron.
C

*Peccatum postponit iuniori primogenitum.*

*Primogenitus filius meus Israël*, Iure primogeniturae & nomine & titulo credita sunt ei eloquia
173. Dei, testamentum & lex, imo ex eo Christus Dominus secundùm carnem qui est super omnia Deus benedictus in secula: sed si ab ipso Deo primogenitus declaratur, quomodo ei populus Gentilis praefectus est? quomodo ius primogeniturae natu minor adeptus est? quomodo illius iacturam fecit populus Israël? sanè ex peccato, & in Deum de beneficijs acceptis ingratitudine, fauet Rupert. *Vbi primogenitus ipse iunioris fratris inuidet & odio eius caecatus offendit in lapidem offensionis, & petram scandali, intrare non vult in domum patris, eo quod frater suus venit, & pater laetus vitulum saginatum occidit, ille vbi inquam sic agit primogenitus, talem illum fatemur primogenitum, qualis fuit Cain, qualis Ismael, qualis Esau, nec mirandum quippe quod praeter Sem primogenitum Noë, cunctos ferè Patriarcharum primogenitos, aut propria nequitia destruxit, aut diuina auctoritas iunioribus postposuit.*
Rupertus hic.
D

*Maxima Dei aequitas in puniendis peccatoribus.*


*Filius meus primogenitus Israël*, deinde cum sic
174. ad Pharaonem dirigere sermonem imperat, dimitte filium meum vt seruiat mihi, nisi enim eum dimiseris, scias me omnes Ægypti primogenitos interfecturum; cur minatur homini, quem pertinacem & obstinatum in peccatis praeuiderit?
A nonne cum tempus suae punitionis adueniret, cum & impleta fuerit suorum peccatorum mensura, satis erit in eum animaduertere nulla monitione praemissa, nullis interminationibus? imo prius admonet, prius minatur, vt quanta cum aequitate deinde pertinacem puniret, omnibus compertum esset, *maximam plagam inobedientiae quam illaturus erat, primum comminatur*, inquit Lypoman. *quo magis terreat, & tam clementia Dei quàm Pharaonis improbitas clarior appareat.* Lypoman.

*Quo prius tibi ridet fortuna prospera, eo citius deperit.*

*Filius meus primogenitus Israël*, hoc dicit, inquit 175.
Rupert. respectu minoris nempe Gentilis populi, sed cum populus minor scilicet Gentilis de-
B buit ei fideliter seruire, mandata sua seruare, summumque honorem ei tanquam vero Deo exhibere, cur maluit & nomen & bona primogenituræ Israëli tribuere, cum infideliter sibi obsequi deberet? forte maluit primogenituram Israëli & carnali populo & perituro dare, vt ostenderet quam parum foelicitatis sit carnali homini quod in bonis temporalibus fuerit primus, quando ad temporalia bona quo prius quis accedit, eo etiam prius ab illis discedit, quo prius ridet prospera fortuna, eo citius & velocius euanescit; quo fortè spectabat B. Zeno sermo. 4 de B. Zeno
Iudaeis, inquiens, *Deus Israëli ducatum praebuit, idem à sua eum facie postmodum abiecit*, primogenitus Dei Israëlita primogenituræ bona prius obtinuit, tamen prius ab hoc honore decidit.

*Qui prior est in aliqua virtute, prius aliqua praerogatiua donatur.*

*Filius meus primogenitus Israël*, cur hoc primo- 176.
genituræ honore donauit, cùm in suo principatu permansurus non erat? nonnè prior diuinas leges accepit? nonne ipse primus fuit, qui diuinis initiatus sacramentis, sese ab alijs in diuinum peculium secreuit? primus qui sacrificia vero Deo obtulit? qui denique primus suis obtemperauit mandatis? quid mirum, si hanc primus primogenituræ consecutus est praerogatiuam? quia qui primus in aliqua virtute, qui prior in obsequio Dei, prior etiam aliqua excellentiae praerogatiua donatur; quod annotauit Beatus Ambr. S. Ambros.
in Constantino Imperatore scribens de obitu Theodosij. *Cui licet baptismatis gratia* (inquit) *in extremis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & post se haereditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit*, primus in fide ex Imperatoribus, imo primatum ter eos obtinuit, nonne etiam quia prima fuit Maria in voto virginitatis Deo consecratae prae omnibus mulieribus, speciales excellentiae praerogatiuas obtinuit? accipite Guil. Abbat. in 3. cap. Cant. *Maria Princeps per hoc desertum ascendit quia ad singularem inter foeminas excellentiam excreuit, quae prima hominum omnipotenti Deo immaculati corporis & cordis sacrificium studuit offerre, maluit vtique subiacere maledictioni, quam libidinosae corruptioni, Deus vero primam ac praecipuam integritatis cumulationem insigniter subduxit maledictioni, dando illi salua virginitate semen in Israël, & benedictionem amplissimam, venedictionem omnium gentium dedit sibi.* Guill. Abb.



## VARIETAS LECT. Verſ. 23.

VVlg. Cumque eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.

Sept. Et factũ ei eſt in via in diuerſorio, obuiauit ei Angelus Domini quærebat eum occidere.

Oleaſt. Et fuit in via in manſione.

August. Et factum eſt in via ad refectionem obuiauit ei Angelus.

## CONCORDIA.

Licet in Hebræo ſit, vt habet vulgatus ויפגשהו יהוה vaiph geſchu Iehoua occurrit illi Deus, Septuag. tamen alio modo verterunt συνήντησεν αὐτῷ ἄγγελος κυρίου occurrit illi Angelus Domini, ſed promiſcue loquuntur ſacræ ſcripturæ eodem nomine tum Deum tum Angelos appellantes.

## EXPOSITIO.

CVmq; eſſet in itinere in diuerſorio, cũ iter feciſſet Moyſes, & veniſſet in quoddam diuerſoriũ, nempe ad quoddam hoſpitium, vt refectionem & quietem acciperet, occurrit ei Dominus. nempe illius Angelus, & volebat occidere eũ, aliqui dicunt fuiſſe infantem, ſed ſanior pars Moyſem intelligit, quem Angelus voluit occidere; cur autem interficere voluerit, aliquas in conceptibus rationes proponemus: interim mihi videtur hæc optima, quam & Sephora intellexit, & qua amota ſtatim periculum ceſſauit; id eſt, defectu circumciſionis vnius filij, nam cur alioquin facta circumciſione Moſen Angelus dimiſiſſet? cur autem hunc ſecundùm nempe Eliezer non circumciderit, ideo eſt, quia cum iam recens natus eſſet, cui proinde vel Moyſes vel mater grauia damna itineris metueret, ſi eum circumcideret, diſtulit ergo Moyſes donec veniret in Ægyptum, quod indignè tulit Dominus.

## CONCEPTVS.

*Timor Domini omnem alium pellat timorem.*

177. OCcurrit ei Dominus & voluit occidere eum. Scio propenſiorem eſſe Auguſtinum ad opinandum eum quem volebat interficere Angelus, fuiſſe infantulum; ſed diximus communiorem ſententiam eſſe, fuiſſe Moyſem: cur hominem à te ad principatum populi tui euectum, & electam ad libertatem ei obtinendam, vis interficere? ecce tua iuſſa executurus petit Ægyptum, nonne potius te ei benignum & propitiũ quam terribilem & minitantem exhibere debere, aduerte ex aliquorum ſententia Moyſem Ægyptios & Pharaonem valdè timuiſſe multúque de incredulitate populi Hebræi dubitaſſe, timide diffidenterque iuſſis Dei obtemperaturum, in Ægyptum deſcendere: merito igitur Deus hunc timorem aliquo alio timore ſicut clauus clauo truditur, voluit expellere, vt ſemoto omni timore humano, ſolum qui verè timẽdus, vereretur: conſentit Theod. qu. 14. in Exod.

Theodor. *Aliud quidpiam inolebatur Angelus, dum gladium euaginatum oſtentabat, ſiquidem Moyſes alioquin magnum metuebat Pharaonem, quod ſæpius manifeſtauit modo dicens, quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem Regem Ægypti? modo inquiens præpara tibi alium idoneum quem mittes, & rurſum exilis vocis & tardæ linguæ ſum ego: minabatur illi pœnas Angelus metum metu pellens, maiore videlicet minorem, perinde ac ſi per hunc enſem nudatum dixiſſet, ſi Pharaonem timuiſti, me multo magis timebis, qui modo inuiſibili poſſum te vulnerare:* Et quis timens Deum vt par eſt, aliud vereri aut timere ſciet?

178. *Qui fidem Deo non adhibet, reus eſt mortis.*

*Occurrit ei Dominus & voluit occidere eum*, quem euexiſti ad maximum honorem, & principatum ita vis deprimere, vt ad nihilum redigas? quid mortem minaris, qui vitam daturus populo Iſraël eligitur? animaduertamus quæſo ſecum in Ægyptum filios & vxores duxiſſe: quis autem crederet alios eruendos à captiuitate per eum, à quo & vxor propria & liberi ferebantur in ſeruitutis locum? imo quis non crederet Moyſem ſecum ducentem coniugem & liberos, velle in Ægypto manere nec inde diſceſſurum? quid mirum igitur, ſi mortem ei intentat Angelus, ſi vult eum occidere? qui enim Deo fidem non adhibet, reus eſt mortis, vt annotat Euſeb. Cæſarienſ. in Catena aurea, *propterea Angelus Moyſem interficere volebat, quod ſecum vxorem & liberos ferret, quaſi ex Ægypto egreſſionem minime crederet!* Speciem profecto non credentis regreſſio ex Ægypto præ ſe ferebat, qui illuc totam familiam & vxorem ipſam ducebat; ſi enim firmiter crederet, quod inde egreſſurus erat, & extracturus populum ſuum vniuerſum, minime permitteret iterũ in locum ſeruitutis coniugem, cum liberis; moriatur ergo fidem Deo non adhibens. Euſeb.

*Qui Dei mandatis non obtemperat, reus eſt mortis.*

*Occurrit ei Dominus & voluit occidere eum*, vitæ vnius condona, vt plures ex ſeruitute liberentur; quid ſi Moyſes interficiatur nonne plures iugo premẽtur intolerabili? ſed ſi animaduertamus præceptum à Deo populo ſuo impoſitum, de circũcidendis octauo die pueris, Geneſ. 17. ſuũm 179.
autẽ nẽpe Eliezer nondũ circũcidiſſe Moyſen, non miretur meritas ei minari Angelum pœnas,

qui enim mandatis Dei non obtemperat, reus mortis censendus est: apposite ad hanc mentem noster Lyran. *valebat Dominus occidere Moysem eo quod ducebat secum Eliefer Filium incircumcisum*, Cui suffragatur Abul. *Moyses puniri debebat, quia erat in culpa, quod in tempore eum non circumciderat.*

Lyran.

***Nescit Deus cum suis dissimulare, licet eorum ministerio indigeat.***

*Occurrit ei Dominus & voluit occidere eũ*, Nõne
180. Moses cũ puritate cordis tibi sæpe obsequium præstitit? nonne eius ministerio indiges, vt populum Israël primogenitum tuum à seruitute eripias? quis princeps indigens aliquo duce, pro recuperatione libertatis populi sui, ei non condonaret, quamuis pœnæ obnoxio? ita equidem, sed nescit Deus impunita suorum delicta relinquere, etiam si eis indigeat, *Consueuerunt principes* (inquit Oleast.) *& ministri iustitiæ, cum opera alicuius egent, omnia eius peccata dissimulare, non sic autem Deus, sed tunc maximè quærit cum maximè indigere videtur, cuius rei aliud egregium exemplum ex scripturis accipe, cum Christus Seruator Christiani populi missurus esset discipulos ad prædicandum gentibus, eum exprobrasse eorum incredulitatem & cordis duritiam refert Marcus, ne putarent eum velle indulgere peccato incredulitatis, quia eorum ministerio indigere videbatur; cum scilicet eum Deum eiant per orbem prædicaturi, sic & nunc fecit Dominus Moseh, cuius peccatum non solum arguere, sed etiam punire vult, licet nuntium ad Pharaonem mitteret, nemo ergo iustorum se decipiat putans Deum dissimulaturum peccatum eius, cum ministerio eius vtitur, sicut enim iratus misericordiarum suarum recordatur, ita propitius vindictæ memor est peccatorum.*

Oleast.

***Vxores ad eximia perficienda sunt impedimento.***

*Occurrit ei Dominus volens eum occidere*, an vt
181. homicidium quod iam antea ab illo perpetratum fuerat vlcisceretur, gladium aduersus eum intendit? non equidem inquit Isidorus Pelusiota, an quia secum in Ægyptum vxorem duxerat, populum liberaturus? ita aliqui nõ infimæ notæ sentiunt; sed cur hac de causa, cum coniux debeat esse comes viri indiuidua? nonne potius pater qui genuit, mater quæ concepit, peperit & aluit dimittendi sunt quam vxor à marito? nam apud Gratianum 13. q. 2. c. 3. vnaquæque mulier tenetur sequi virum siue in vita, siue in morte, magna est parentum, & liberorum necessitudo, sed sanctior & arctior debet esse viri & vxoris coniunctio: ne igitur interficiatur Moyses secũ vxorem deferens, ei mors nihilominus intentatur, quia vxores ad eximia perficienda sunt viris impedimento, *Forsitan* (inquit S. August. serm. 86. de temp.) *in hoc loco possumus intelligere, quod displicuerit Deo, quod Moyses tanta miracula facturus, vxoris impedimentum secum ducere vellet in Ægyptum, vnde datur intelligi, quod ex illo loco remiserit vxorem suam ad socerum.*

Isidor. Pelus. — Gratianus. — S. August.

***Legislator ni legem obseruet, seuerè puniendus.***

*Occurrit ei Dominus volens eum occidere*, quid?
182. nonne non solũ electus in ducẽ & liberatorem populi sui, sed etiã in legislatorẽ? ipse enim tuam promulgaturus in monte Sinai legem, ipse à te tabulas legis accepturus est: eum igitur honore prosequere, non autem interfice; nonne lex Dei erat, vt quilibet infans octo dierũ in populo suo circumcideretur? quã tamen non adimpleuerat Moyses, à circumcisione pueri sui Eliefer abstinẽs, interficiatur ergo Moyses, quia Legislator ni legẽ obseruet, seuerè puniendus est: consentit Isid. Pelus. lib. 1. epist. 125. *Aduersus eum gladiũ intentat, vt legis, ad quam explendam proficiscebatur, transgressionem ipsi obijceret. Nam cum Legislator à Deo institutus esset, ac legem accurate seruare deberet, ipse primum hanc violabat, filios videlicet cum præputio in Ægyptum secum ducens, illudque mandatum abolens, quo solo Hebræi à Barbaris dirimebantur.*

***Deus varias induit formas vel ad subueniendum, vel ad puniendum.***

*Occurrit ei Dominus volens eum occidere*, in Hebræo nomini Dei respondet Iehoua, non autem 183.
Elohim: quod equidẽ miror, nã potius Elohim deberet ei respondere, cum de iustitia punitiua hîc agatur, nomen autem Elohim iudices sonat. cur ergo nomen tetragrammaton assumit, cum puniturus est Moysem ob legis transgressionẽ? imo addit Caiet. speciẽ hominis armati sumpsisse, cur armis te instruis, vt hominem interficias? quia Deus etiam sub nomine fortis essendi, varias vel ad subueniendum, vel ad puniendum formas induit, fauet Caiet. *Nomen est tetragrammaton ad contestandum, quod quamuis summus sit, ad imitamẽ in sensibili specie hominis armati tanquã quærẽtis occidere Moysem, descẽdere non aspernatur.* Caiet.

***Quanta puritate ad diuina mysteria obeunda indigemus?***

*Occurrit ei Dominus volens occidere eum*, Ecce 184.
adest Angelus, distringens gladiũ minans Moysi mortẽ, quid hoc est? cur tam diuersi erga Tobiam & Moysem, Angeli se exhibuerunt? cur vnus comitatur Tobiam, alter insidiatur Moysi, cum tamen non minus Moyses quam Tobias diuinam voluntatem exequi videntur? & eius adimplere præcepta? audiamus D. Epiphanius lib. 3. aduersus hæres. c. 18. sic respondentem, *Num oblitterantur nuptiæ? at à Prophetis & Pontificibus cohibentur propter maius ministerium: nam postquam prophetauit Moyses, non amplius vxori coniunctus est, habebat enim vitam Domino vacantem, quomodo enim potuisset in monte Sina quadraginta noctes, & quadraginta dies degere si nuptiis addictus fuisset? aut quomodo posset quadraginta annos in deserto ad dispensationem Dei paratus esse, & Sacerdotio vacare? & quomodo mysteria explicare & colloquia perficere, si nuptiis coniunctus fuisset?* En quanta puritate Moyses, etsi coniugatus fuerit, ad diuina ministeria obeunda se debuit præparare!

Epiphanius.

***Christianorum Principum familia legalissimam agat vitam.***

*Occurrit ei Dominus volens occidere eum*, quia vt 185.
melior pars opinatur, filius incircũcisus manebat, cur tã anxiè Dominus procurat circũcisionẽ pueri, ita vt dilectissimũ famulũ velit occidere, ni præputiũ filij abscindat? Tertul. 1. aduersus Iudæos inquit, *idcirco filium Moysis ducis futuri*

Tertul.

Tostat. *instigat circuncidi, vt cum cæpisset per eum populo A dare præceptum circumcisionis non aspernaretur, populus videns exemplum istud in iudicis filium iam celebratum*, potentissimæ equidem sunt leges, sub quibus viuit regis familia ad populares animos captandos, vnde egregium illud decretum

Cassiod. regis Theodadi apud Cassiodor 10. vari. 5. vbi hoc monitum suis præbet *præsenti iussione præcepimus, vt quicunque ad domum nostram noscitur pertinere, nullis præsumptionibus insolescat, quia solum dicendus est ille meus qui legibus poterit esse tranquillus, à domesticis inchoare volumus disciplinam vt reliquos pudeat errare, quando nostris cognoscimur excedendi licentiam non præbere*, quid pulchrius? regius solus cognoscitur, seu famulus, seu filius, qui legibus potest esse tranquillus, nescio enim qualiter princeps posset regere sub- B ditos effrænosque illorum mores legibus cohibere, qui prorsus nouerint exlegem regiam familiam.

### *Impiorum consortia maximè fugere debent pueri vt imbecilles, ne eis inficiantur.*

186. *Occurrit ei Dominus volens eum occidere*, non tantum ob rationes quas assignauimus, & præcipuè ob incircumcisum filium, vt videtur sacer textus innuere, sed quam aliam possumus in medium adducere? Hanc equidem, quod vxorem & filios teneræ adhuc ætatis, & qui prauis Ægyptiorum moribus infici poterãt, secum in Ægyptum deferebat, vbi facilè incolarum impietatem haurire possunt, cum potius curare deberet, ne filij improbis hominibus coniungerentur, facilè enim pueri, & infirmi vt mulieres prauis affectibus impiorum inficiuntur. Videndus Gregori. hom. 9. in Ezechiel sic dicens, *Vnum est pro quo debet societas malorum vitari, nisi fortè corrigi non valent, ad imitationem trahant, & cum ipsi sua malitia non mutantur, eos qui sibi coniuncti fuerint, peruertunt, vnde Paulus ait, corrumpunt bonos mores colloquia praua, & sicut per Salomonem dicitur, noli esse amicus homini iracundo, nec ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius, & sumas scandalũ animæ tuæ, sicut ergo perfecti viri peruersos proximos non debent fugere, quia eos sæpè ad rectitudinem trahunt, & ipsi ad peruersitatem numquam trahuntur, ita infirmi quique societatem declinare debent prauorum, ne mala quæ frequenter aspiciunt & corrigere non valent, delectentur imitari: sic enim verba proximorũ audiendo quotidie, sumimus in mente sicut flando & respirando aerem trahimus corpore, & sicut malus aër assiduo flatu tractus inficit corpus, ita peruersa locutiò assiduè audita infirmorum inficit animum, vt tabescat delectatione praui operis assidua iniquitate sermonis* præme- B hæc verba, *infirmi societatem debent declinare prauorum*, quia ipsi facilè prauis eorum moribus inficiuntur.

### *Qui segnis est in adimplenda Dei voluntate puniendus est.*

*Occurrit ei Dominus volens occidere eum*, quan- 187.
donam hoc contigit? cum esset in diuersorio inquit sacer textus, Oleast. cum esset in mansione aut cum esset ad refectionem; cur tunc temporis voluit eum occidere, nonne antequam è Madiã discederet, vel saltem in itinere non autem cum esset in diuersorio, vel in mansione potuit eum interficere? cur expectat minas intentare eum in diuersorio, cum fatigatus ex itinere requiescit? accipe Vatab. respondentem, *Quod iter non maturaret, sed in ipso diuersorio etiam hac in parte* C *cum vxori tum puero nimium indulgendo moram traheret, non strenuè munus ac functionem suam ad quam ab ipso Domino vocatus erat, exequendo, quare Dominus ita in eum commotus, vt illum propterea per Angelum suum interficere voluerit.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 25.*

V*Vlg.* Tulit ilico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui, tetigitque pedes eius, & ait sponsus sanguinum mihi es.

*Sept.* Et assumpto sephora calculo circũcidit præputium filij sui, & procidit ad pedes eius, & dixit: stetit sanguis circumcisionis infantis mei.

*Cald.* Tulitque sephora Petram, & circumcidit præputium filij sui, & obtulit coram eo, & ait, propter circumcisionem sanguinis detur mihi D sponsus meus.

*Onkel.* Detur, detur, sponsus meus vobis.

*Targ. Hieros.* & præcidit præputium filij, applicuitque ipsum ante pedes Angeli deuastatoris dicens, sponsus meus volebat circumcidere puerum, ac socer eius non permittebat, nunc ergo propitius esto propter sanguinem circumcisionis pueri peccatis sponsi mei.

*Pag.* Tangere fecit pedes eius, & dixit: quia sponsus sanguinum mihi est.

## *CONCORDIA.*

Dictio צר Zor quandoque significat petram acutissimam vt est gladius, in tantum, vt quandoque sumatur pro gladio, vnde non malè vertit noster interpres, licet nec Cald. nec Septuag. habeant dictionem, *acutissimam*, vbi autem habemus sponsus sanguinum tu mihi es Septuaginta autem ἔστη τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου, & dicit Eugubini esse mirã vtriusque lectionis varietatem, & vnde desumpta sit sal pi cari non potest, quando nec ex æquiuocatione & amphibologia quidem contigit, vnicum enim est eius vocis ἔστη significatum, & reliquum huius periodi absurde apud eos se habet. Hæc Eugub. sed non discrepat eorum lectio multum à nostra in sensu, sensus enim verborũ Septuag. est; stetit sanguis circumcisionis filij mei ad placandum te scilicet infensum marito meo.

## EXPOSITIO.

*Tulit ilico Sephora*, quæ cognouerat vel ex verbis Angeli, vel Moysis, causam ob quam Moysem Angelus voluit occidere, *tulit acutissimam petram*, siue petram nouaculam, hinc deducitur, & ex Iosue vsus Petrini cultri in circuncisione, *& circumcidit præputium filij sui*, non quasi ex officio sed viri sui in angustiis constituti & impediti vices gerens, & quasi coacta, vt sic virum à tanto periculo erueret: *tetigitque pedes eius*, exacerbata

Iosue 5.

A Sephora præ filij dolore, præputium pueri ad pedes Domini proiecit. *Sponsus sanguinum tu mihi es*, quasi diceret, nisi ego sanguinolentam filij mei circumcisionem fecissem, tu ab Angelo interfectore periisses: te igitur ego mihi denuo sponsum acquisiui, non quidem dote pecuniaria, sed profusione sanguinis filij, alias habet interpretationes hic locus, sed in conceptibus aperiemus.

## CONCEPTVS.

### *Principum & prælatorum peccata etiam quæ minima apparent, solent esse grauissima.*

188 *TVlit ilico Sephora acutissimam petram vt circumcideret filium.* Quia Dominus virum suũ Moysem gladio districto interficere volebat, hæc grauissima quidem pœna, sed quod quæso peccatum habebat Moyses, per quod fieret tanti supplicij dignus? qualecumque esset illud peccatum, non magnum apparet, incredibile est enim quod vir paulo ante ad visionem rubi ardentis admissus, colloquio Dei nobilitatus, populi sceptro insignitus, tam cito crimen aliquod magnum commisisset: quod si propter humanam infirmitatem deliquisset, etiam videtur incredibile, quod vir Dei colloquiis illustratus, magnum aliquod crimen non recognosceret, non aduerteret; ergo quando non aduertebatur quodcumque illud esset, non magnum illud apparebat, sed minimum: vnde de illius culpa sic loquitur Abulens. Moyses putauit se licite posse portare filium suum incircumcisum, ratione viæ, fuit tamen aliqualis negligentia, quæ erat culpabilis, quasi diceret, fuit quædam culpa sed leuissima: cur ergo Deus vel ad minimum peccatum sic excandet? cur tantam in illum mortis pœnam comminatur? nonne quia quæ in prælatis & principibus apparent minima, magna sunt & grauissima? ita sentit Auctor. qq. veteris testamenti q. 16. *idcirco sic infestum Angelum in se vidit Moyses, & paratum ad vindictam, quia viri sublimis culpa graue peccatum est: quanto enim persona simplicior est, tanto magis leue delictum eius, quod vero à summo viro, vt pote à ductore populi fit acerbissimum est peccatum*, preme acerbissimũ peccatum est, quod à ductore populi fit, quasi putet author in peccatis prælatorum non esse posse mediocre, & quidem quod alias censeretur minimum, in iis longe maius suscipit incrementum.

Abulens.

Auctor. qq veteris testamen.

### *Vxor protectionem viri cum est in periculo suscipiat.*

189 *Tulit ilico Sephora acutissimam petram, vt circumcideret filium.* Cur hæc particula, *ilico* additur? tum cum sint maximè compassiuæ mulieres, quomodo compassione non ducitur ergo filium amantissimum eum circumcidens? nam sanè circumcisio non leuem pueris dolorem inferebat; verum reuoca in memoriam, quid antea dictum, cum esset in diuersorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum: en vt in imminenti periculo constitutus erat Moyses! quid B ergo si ilico, si nulla cunctatione interposita, non condonat dolori pueri sui! vxor enim protectionem viri cum imminet ei periculum, debet suscipere, *debet vxor* (inquit Oleast.) *sese opponere vindictæ diuinæ pro viro suo*: & Abul. *Sephora immediate vt vidit Moysem tanta angustia circumdari propter filium incircumcisum, qualitercumque potuit breuiter circumcidit*; preme cum vidit Moysem tanta angustia circumdatum, cum vidit eum in discrimine positum, non potuit, quin ei ilico subueniret, etiam dolorosa filii circumcisione.

Oleast.

### *Multa consequitur humilis animus.*

*Tulit ilico Sephora acutissimam petram, vt circumcideret filium.* Qua peracta circumcisione, teti- 190
C git pedes eius. Septuag. procidit ad pedes eius, & dimisit eum, nonne sufficiebat filium circumcidisse, sanguinem eius fudisse cum tanto dolore emissum, vt Dominum iratum, & ad punitionem paratum placaret? cur ergo etiam ad eius pedes procidit? aduerte ex Caiet. quod etiam peracta circumcisione Angelus adhuc Moysi mortem minabatur: quid mirum igitur, si etiam procidens in terram, eum deprecetur? sciebat enim humilem animum difficillima consequi. *Sephora vt seruaret Moysem*, inquit, *non solum circumcidit filium, sed etiam se iecit ad pedes Domini inuadentis Moysem, vt etiam sic placaret eum, intelligimus enim hinc quod apparens Dominus etiam post circumcisum puerum non desistebat à comminatione Moysi, & propterea Sephora tetigit pedes Domini pro-* D *sequentis Moysem.*

Caietan.

### *Coniux pluries viro iniuriosa.*

*Tulit ilico Sephora acutissimam petram, vt circum-* 191
*cideret filium, & tenens pedes eius dixit, sponsus sanguinum tu mihi es*, nonne hoc epithetum, *sponsus sanguinum*, aliquod præ se fert genus crudelitatis? cur homini mitissimo immanitatem obiicit, & quasi contumeliose exprobrat? quia coniux pluries viro iniuriosa, & contumeliosa: alij, notat

Abulens. Abul. *voluit quod ipsa tetigit pedes eius, id est, Moysis proiiciens præputium ad pedes eius quasi irata, quod propter eum cogeretur circumcidere filium, & hic erat quasi quoddam improperium, & tunc irata dixit ei, sponsus sanguinum tu mihi es, id est, tu es talis vir, propter quem ego cogerer circumcidere filium meum*: & Oleast. *cognosce quam aliquando licentiosa sit uxor in virum, vt audeat dicere sponsus sanguinum tu mihi es.*

### *Antiquitus sicut in die nuptiarum, ita & in die circumcisionis, maximum erat gaudium.*

192 *Tulit illico Sephora acutissimam petram vt circumcideret filium.* Deinde in hæc verba erumpit, *sponsus sanguinum tu mihi es.* Non desunt qui hæc dicta referant ad filium suum Eliezer, sed si filius est eius, quomodo sponsum vocat, cum nomen sit mariti non filii? dices amoris & beneuolentiæ gratia, ita eum appellasse: sed audiamus adhuc satisfacientem Rabbi Dauid Kimxi in libro radicum, *verisimile mihi videtur*, inquit, *sicut homo in die nuptiarum suarum chasan, idest, sponsus vocatur, ita & infantem in die circumcisionis appellari solitum, etymon nempe eius vocabuli significat nouum gaudium; quemadmodum igitur gaudium sit in die nuptiarum, ita quoque in die circumcisionis*, & cur mater de filio circumciso non gauderet, cum à labe originali mundaretur, & ex filio iræ fieret Dei Filius? quod R. Leui annotat, *cum infans recens circumcisus est, à mulieribus sponsus vocatur, nam tum primum incipit Deo seruire.* David. Kimki. R. Leui.



## *VARIETAS LECT. Vers. 26.*

Vulg. Et dimisit eum postquam dixerat, sponsus sanguinum ob circumcisionem.

*Sept.* Et recessit ab eo, propterea quod dixit, stetit sanguis circumcisionis infantis mei.

*Cald.* Et cum dimisisset eum, tunc dixit propter sanguinem circumcisionis huius condemnatus erat ad mortem sponsus meus.

*Targ. Hieros.* Nũ ergo propitius esto propter sanguinẽ circũcisionis pueri peccatis sponsi mei, cũque reliquisset cum laude Sephora, quam gratus est sanguis circumcisionis, qui eripuit sponsum meum de manibus Angeli mortis!

*Onk.* Et reliquit eum propterea dixit, nisi sanguis circumcisionis istius esset, reus mortis factus erat sponsus meus.

## *CONCORDIA.*

Soluit nodum difficultatis, Hebraicum idioma, poterat enim intelligi vel de Sephora discedente, & Moysem relinquente, vel de Angelo Moysem deserente: verbum inquam Hebraicum hunc nodum soluit, est enim וירף vaireph futurum masculinum à רפה rapha quod propter vau nõ fit præteritum, & nullo modo ad Sephoram accommodari potest, vnde Septuag. rectè dixere, abiit ab eo Angelus.

## EXPOSITIO.

Et dimisit eum, nempe Angelus Moysem, à quo disparuit postquam dixerat, *sponsus sanguinum ob circumcisionem*, expositio est seu ratio quam dixerit Sephora, sponsus sanguinum scilicet, propter sanguinem filii, cum illum circumcidit, postquam igitur protulit hæc verba Sephora, sponsus sanguinum tu mihi es, discessit Angelus à Moyse.

## CONCEPTVS.

### *Coram aliis nobiles coniugati minime debent rixari.*

193 *Dimisit eum postquam dixerat, sponsus sanguinum ob circumcisionem.* Miror, quomodo hæc audiens à Sephora, quasi irata & quasi in contumeliam eius dicta, eam libertate maritali Moyses non reprehenderet, nonne præsens erat adhuc Angelus, cum hæc ei obiecit, & exprobrauit? quid mirum igitur si tacuerit? nam nobiles coniugati præcipuè coram aliis minimè rixari debent: non dissentit Hieron. ab Oleast. *aduertere debes qualiter vir non debet rixari cum uxore coram extraneis maximè nobilibus, aut uxor cum viro.* Oleast.

### *Religioni piæ mulierum defert Angelus.*

*Dimisit eum postquam dixerat, sponsus sanguinum ob circumcisionem.* An ob verba quæ dixerit, cessauit à morte Moysi intentanda? non equidem, 194
cur ergo si apparuerat, vt gladio euaginato interitum ei minaretur, ita facile discessit? quid ait textus? ob circumcisionem, delectatus religionis Sephoræ, nescit non parcere marito eius: idem docet Procopius, *non propter verba Sephoræ Angelus abiit, verum Angelus inde fortassis digressus est eo temporis articulo, quo mulier ista verba sonabat, nonnihil oblectatus Religione mulieris*, en vt religio mulieris propitium reddit Angelum Moysi! Procop.

*Dogmata gentilium nobis inseruiunt dummodo circumcidantur.*

195 *Dimisit eum postquam dixerat, sponsus sanguinum es ob circumcisionem* scilicet filii. Qui media factus est Angelus Moysi propitius, quænam est hæc mulier alienigena, quæ filii præputium circumcidens gratum reddidit sponsum Angelo vel filium suum? (nam aliqui arbitrantur) Angelum Eliezer incircumcisum voluisse interficere: nam quomodo alienigena quæ Deo exosa est propter idololatriam seruum fidelem Dei sibi gratum reddere potest, cum è contra fidelis seruus Dei gratam coniugem infidelem secundum sententiam D. Pauli reddere debeat? audiamus B. Greg. Nissen. Greg. Niss. lib. de vita Moysis respondentem, hæc mulier alienigena, est humana eruditio, cuius sunt nonnulla ad procreationem filiorum vtilia; moralis enim naturalisque Philosophia coniungi potest profecto sublimiori vitæ, charissimaque coniux eius ac socia fieri debet, dum eius partus nihil alienigeni sceleris secum adducat: quod nisi quis circumcidat, atque auferat mortis periculum: Angelus obuiam factus incutiet, quem vxor Moysi tunc placauit cum oblatione præputii, quo alienigenæ cognoscuntur atque contaminantur, mundum filium suum effecerit: quod quidem ænigma historiæ, facile quis per ea quæ dicta sunt, ad Christianæ virtutis pietatisque incrementum adaptare poterit, habet enim Philosophia sæculi partus humanaque disciplina carnale quoddam præputium, quo circumciso, quid relinquitur, Israeliticæ inuenitur esse nobilitatis, vt exempli causa, immortalem esse animum Philosophi esse perhibent, idpium est, de corporibus in corpora transire volunt, & de rationali natura etiam in rationis expertem transiire nonnulli asserunt, hæc quasi præputium, circumcidenda sunt, proculque omnino abiicienda. Deum esse non negant creatoremque omnium à quo cuncta dependeant verè asseuerant: ac rationibus quantum fieri potest, demonstrant, sed creatori materiam veluti egenti artifici supponunt, multaque alia huiusmodi sunt veris excogitata rationibus, sed absurdis atque falsis oppositionibus maculata, quæ si tollemus, propitius nobis Dei Angelus fiet, horum dogmatum partu tanquam non diuino & ab Ecclesia Christiana alieno exultans.

*Ita infirmi à liqui, vt Dei visiones ferre non valeant.*

*Dimisit eum postquam dixerat sponsus sanguinũ es ob circumcisionem.* Quis dimisit eum? an Angelus vel de Sephora? August. q. 13. in Exodum arbitratur Sephoram dimisisse maritum, cui suffragatur Anselmus Landunens. irata Sephora (inquit) circumciso puero reuersa est in Madian ad patrem suum cum paruulis: sed nonne singulari amore, quo in eam ferebatur Moyses deducebat eam secum in Ægyptum? quo modo sui debiti immemor eam in itinere deseruit ubi satisfaciat Rupertus. Rupert. Abbas lib. 1. cap. 28. *importunè supplicauit, ne illum longius sequi compelleretur imparata tantis visionibus, vt pote quibus gentiliter viuens nondum interesse merebatur.* 196

## *VARIETAS LECT. Vers 27. & 28.*

VVlg. Dixit autem Dominus ad Aaron, vade in occursum Moysi in desertum, qui perrexit obuiam ei in montem Dei, & osculatus est eum.

*Septuag.* Et abiit & occurrit ei in monte, vbi reuelata fuerat gloria Dei, & osculatus est eum.

*Vulg.* Narrauitque Moyses Aaron omnia verba Domini, quibus miserat eum, & signa quæ mandauerat.

*Sept.* Et annuntiauit Moyses ipsi Aaron omnes sermones Domini quos misit, & omnia verba quæ mandauit ei.

*Pagn.* Nuntiauit Moses ipsi Aaron omnia verba Domini qui misit eum.

## *CONCORDIA.*

VBi apud nos legitur, in quibus, vel pro quibus miserat eum, Pagni. habet, qui misit eum: sed vtroque modo reddi potest, est enim in Hebreo אשר שלחו Aser Selacho, & tam ad verba quam ad Dominum relatio referri potest, aser siquidem dictio relatiua prout est omnis generis, sic est omnium casuum & vtriusque numeri, Caldaica autem sicut & nostra refert ad verba.

## EXPOSITIO.

V*Ade in occursum Moysi*, nesciebat enim verum Moyses descenderet in Ægyptum, & ideo ei Deus reuelatione aperuit, qui peruenit sine cunctatione in montem Dei, nempe in mõtem Sina, qui mons Dei appellatur, quia Dominus ibidem apparuerat Moysi, & in eo daturus erat legem, *& osculatus est eum*, in signum dilectionis fraternæ, *narrauitque Moyses Aaron omnia verba Domini, quibus miserat eum*, idiotismus est, id est omnia quæ ad ipsum loquutus fuerat Dominus ad hanc scilicet legationem spectantia, *& signa quæ mandauerat* scilicet virgam versam in colubrum, manum leprosam factam, & sanitati restitutam, & aquam versam in sanguinem.

## CONCEPTVS.

*Deus promissa citius & abundantius adimplet, quam promisit.*

197 VAde in occursum Moysi in desertum. Nonne Moysi promiseras in Pharaonis congressu auxilium medio Aarone eloquente præstiturum? cur igitur adeo festinas ei exhibere? nonne tunc cum Pharaonem conueniet, sufficiet ei præbere quidquid promiseras? iam ante exhibes, cur antequam Pharaonem videat, sentit auxilium, & tale, quale est fratris consortium & societas in loco deserto, & cum ab omnibus suis destitutus pergit in Ægyptum? quia Deus promissa citius & abundantius adimplet quam promisit.

*Concordia fratrum ad debellandos hostes euidentissimum auspicium.*

198 *Vade in occursum Moysi, qui perrexit ad montem Dei, & osculatus est eum.* Vterque in oscula & amplexus ruit, nonne aduersus crudelissimum Ægypti tyrannum pergitis? quibus quæso armis instructi? nonne vos exosos habent Ægyptij? vbinam militare præsidium, vt liberi ab eorum insidiis & dura seruitute euadere possitis? osculantes video, amplexus intueor, quid amplexus & oscula cum debellandis hostibus? sane ex osculis fratrum & eorum amplexibus, & mutua inter se concordia, benè augurari debes de eorum ex aduersariis victoria, de triumpho ex Ægypti tyranno; quid enim animorum concordia aduersus hostes non operatur? audite Paulum

Paul.Oros. Orosium lib. 7. c. 42. *hunc omnem catalogum vt dixi, vel manifestorum tyrannorum vel inobedientium ducum, optima Honorius Imperator religione, & fœlicitate meruit magna, Constantius Comes industria & celeritate confecit: merito sanè quia in iis diebus præcipiente Honorio & adiuuante Constantio pax & vnitas per vniuersam Africam Ecclesiæ Catholicæ reddita est, & corpus Christi, quod nos sumus, reintegrata scissione sanatum est*, en vt in pace & vnitate Africanorum stabilitur Honorius aduersus tyrannos.

*Fidelis seruus Dei alteri seruo facile fidem adhibet.*

199 *Vade in occursum Moysi.* Qui obediens Moysem repetit venientem, in mutuos amplexus ruunt in signum mutuæ dilectionis, Moyses ei narrauit quæ à Deo in mandatis acceperat, quo modo libertatē populo Israel restituere deberet, & quomodo potestatem à Deo acceperat coram Pharaone perpetrandi miracula, solum enim [illegible] narrauit Moyses Aaron omnia verba Domini & signa quæ mandauerat; cur his dictis Aaron acquieuit? cur coram se in confirmationem eorum quæ dicta fuerunt à Moyse non petiit fieri miracula, cum rem difficillimam postulasset, nempe futuram à captiuitate regis Ægypti populi sui ereptionem? nihil tale petiit, sed Moysi dicenti credidit, quia fidelis seruus Dei alteri seruo fidem adhibet, à quo non longe est Abulens. *Non est intelligendum quod Moyses in itinere fecerit signa coram Pharaone, sed solum dixit ei, quod Deus mandauerat ista signa facere, & ratio est quia ista signa erant ad manifestandam diuinam magnitudinem: Aaron autem quia Propheta erat cum Deo loquens, satis constabat sibi de magnitudine Dei, nec indigebat signis atque portentis.* Abulens.

*Iustorum meritis multa confert Deus aliis beneficia.*

200 *Vade in occursum Moysi.* Aaron hoc ex diuina relatione accepit, qui deinde in principatu populi Dei simul cum Moyse particeps aliquo modo effectus est: sed cuius meritis hæc gratia ei collata est? cuius intuitu hoc beneficium accepit? cur non dicemus quod respectu meritorum Moysis, quæ Deus grata acceperit, vt singulari prosequeretur beneficiorum fauore Aaronem? testē profero Hieron. ab Oleast. *Ecce quid præstent iusti fratribus cōsanguineis, crediderim enim Dominum propter Moseph apparuisse Aaron, & sic postea eum extulisse.* Oleast.

*Deum præ oculis semper habere debemus præcipue in rebus arduis.*

201 *Vade in occursum Moysi, qui perrexit ei obuiam ad montem Dei.* In quo sermonem habuerunt de iis quæ peragenda essent pro libertate populi Israel consequenda, quę quidem opus erat maxime arduum: sed cur in monte Dei & non alio in loco de his agitur? cur in hoc monte iaciunt, Deo sic volente, fundamenta negotij, ita difficilis & quasi insuperabilis? in monte Dei deliberant, consulunt, & statuunt de futura populi Israel libertate, vt deinde semper præ oculis Deum in omnibus haberent, mens est Lippom. *Moyses & Aaron ambo in solitudine inueniuntur, vt præsint populo Dei per verbum, idque fit ad montem Dei vt semper ideum præ oculis teneant.* Lippom.

*Concionator sublimem sensum scripturæ inquirat, non adhærens solum litterali si os Dei nuncupari velit.*

202 *Vade in occursum Moysi, qui perrexit ei obuiam ad montem Dei.* A[illegible] interest quonam in loco occurrer[illegible] enim libertatem populus consequatur, [illegible] refert vtrum in monte Dei vel alibi obuiam ierit? si quid denotet mons Dei, quid Moyses, quid Aaron tibi compertum sit, facile quid respondeat Origenes hic, tibi non erit ignotum; sic autem ait, *interest vbi Moysi occurrat, si cuius os aperiendum est & Deo, occurrit enim inquit, in montem Dei, vides quia merito aperitur os eius qui potest occurrere in montem Dei; Petrus & Iacobus & Ioannes montem Dei ascenderant vt transformatum Iesum videre mererentur, & Moysen cum ipso atque Eliam viderent in* Origen.

*gloria, & tu ergo nisi ascenderis ad montem Dei,* A *& illi occurreris Moysi, idest nisi excelsum legis ascenderis sensum, nisi ad spiritualis intelligentiæ cacumen euaseris, non est os tuum apertum à Domino, si in humili loco litteræ steteris, & historiæ textum Iudaicis variationibus innectas, non occurristi Moysi in montem Dei, non os suum aperuit Deus, neque instruxit te quæ te oporteat loqui, nisi ergo Aaron occurrisset Moysi in monte, nisi eius sensum sublimem vidisset, & arduum: nisi excelsam eius intelligentiam perspexisset, nunquam ei locutus fuisset verbo Dei, neque virtutem signorum prodigiorumque tradidisset, neque participem cum tanti mysteriis consecuisset.*

**Cum nobis in obsequio Dei maius adest periculum, tunc nobis Deus intimius subuenit.**

203 *Vade in occursum Moysi qui perrexit ei obuiam in montem Dei.* Ecce Deus adiutorem Moysi Aaronem tribuit, cum conuenire debet regem potentissimum Ægypti, cum non exiguum discrimen incurrere debet, nam quid magis exosum habet Pharao, quam permittere liberum dimittere populum Israel? nonne sibi quam maxime inuisus erit Moyses, cum hoc sibi persuadere nitetur? quid mirabeiis ergo, si nunc Moysi socium tribuit Aaronem, qui Angelum repræsentat vt tenet Greg. Nissenus? qui cum nobis in obsequio Dei maius adest periculum, tunc Deus nobis intimius & præsentius subuenit: quod sic confirmat cit. Doctor. in lib. de vita Moysi, *quod Aaron frater Moysi diuinitus monitus obuiam illi prodiit, si tropologicè accipiamus tum manifestè diuinum ad virtutem, patrocinium concedi reperiemus, cum virtuose ac pie iam vixerimus, quod quidem patrocinium prima generatione nostra & creatione antiquius est, sed tunc apparet apertissimè cum nos ipsos attentione ac cura meliori vitæ tradiderimus, ac pro Zelo fidei, & virtutis certamina susceperimus grauiora:* deinde aliquib° interiectis cõcludit, *tunc ei manifestius, fratris adminicula vndique apparent secum aduersus hostes armati, frater enim quodammodo hominis animo Angelus est, rationali quippe ac intellectuali natura fecum annectuntur, qui tum maximè nobis assidere videtur, cum Pharaoni appropinquamus.* (Gregor. Nissenus)

**Quid optabilius quam amici optimi viri occursus.**

*Vade in occursum Moysi, qui perrexit ei obuiam ad montem Dei.* Quid? hominem solum in adiutorem adhibes? quia duo aduersus tot potentissimos hostes? armatæ cohorti, vel potius potentissimo exercitui præfice ducem Moysem vt regem Ægypti possit debellare: solum Aaronem vt in occursum eius mittit, quid enim optabilius quã amici optimi occursus? nam vt optimè Nazianz. ad Greg. Nisse. *amico fideli, nullum est in rebus humanis par pretium; nec bonitas illius pondere vllo æstimari potest, amicus fidelis protector fortis & munitum palatium, amicus fidelis, viuus thesaurus, amicus fidelis, super aurum & lapidem pretiosum* B *multum, amicus fidelis refrigerii portus, quis autem verus amicus quam verus frater de quo Prouerb. 18. frater à fratre adiutus est tanquam ciuitas munita, excelsa?* 284 (Nazianz.; Prouer. 18.)

**Mutuus sit inter sacros professores consensus.**

*Vade in occursum Moysi.* Qui obtemperans, inuenit Moysem in monte Sinai, qui eorum quæ à Deo accepit, fecit participem: cur omnia, quæ à Deo tibi communicata fuere, aperis? nonne arcana Dei sunt pluries silentii velamine obuoluenda? nihilominus prudenter Aaroni patefecit, hoc enim vnanime fratrum colloquium docet, qualis debeat esse inter sacrorum ministrorum professores consensus, nisi enim eadem religionis professione conuenerint & consenserint, parum aut nihil proficiunt: ecce enim B. Paulus qui postquã multis gentibus iuxta spiritus reuelatio- C nem Euangelium prædicauerat, ascendit Hierosolymam, suumque Euangelium contulit, cum Apostolis Petro, Iacobo & Ioanne, quo majoris authoritatis foret, & ne in vacuum curreret, aut cucurrisset; sic enim ait Paulus ad Galat. 2. *secundum reuelationem & contuli cum illis Euangelium quod prædico in gentibus:* in quę verba sic ait Angel. Doctor. *contuli cum illis tanquam cum patribus & amicis Euangelium quod prædicaui in gentibus, non vt addis ceream, quia iam edoctus eram à Christo, non vt certificarer quia sic certus sum, quod si Angelus diceret contrarium non crederem, sed contuli propter duo, ad insinuandum vniuersitatem doct. meæ cum doctrina aliorum Apostolorum, item ad vitandum calumniam aliorum, &c.* 205 (Galat. 2.; Angelicus Doctor.)



*VARIETAS LECT. à Vers. 29.*

*Vulg.* Veneruntque simul, & congregauerunt cunctos seniores filiorum Israel. D

*Vulg.* Locutusque est Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysem, & fecit signa coram populo.

*Vulg.* Et credidit populus, audieruntque quod visitasset Dominus filios Israel, & quod respexisset afflictionem illorum, & proni adorauerunt.

*Sept.* Et gauisus est, quia visitauit Deus filios Israel, & quia vidit eorum tribulationem, inclinatus autem populus adorauit.

*Cald.* Et audierunt quod recordatus fuisset Dominus filiorum Israel, & quod nota esset coram eo afflictio eorum, & incuruati sunt & adorauerunt.

*Oleast.* quoniam vidit humilitatem eorum, curuauerunt verticem & adorauerunt.

*CONCORDIA.*

Septuag. hoc in loco non וישמחו vaissimehu sed וישמעו vaiśmehu, id est, & audierunt, sed וישמעו vaisrnehu; id est, & lætati sunt, legerũt, eo quod pro audierunt ἐχάρη ὁ λαὸς verterunt, hoc est & lætatus est popu-

lus, estque inter vtrumque verbum non mediocris similitudo, nam שמח quod lætari significat, simillimum est huic שמע id est audiuit, vnde alterum pro altero legisse videntur: dictio קדד Kadad significat verticem, id est superiorem partem capitis.

## EXPOSITIO.

*Veneruntque simul Aaron & Moyses*, ad principaliorem habitationem Israelitarum, *& congregauerunt omnes seniores*, Senatum dicas vel præcipuos ex Hebræis, *locutusque est Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysem*, quia Moyses erat impeditioris linguæ, & Aaron interpretis munere fungebatur. *Et fecit signa coram populo*, hæc signorum operatio ad Moysem referri debet, *& credidit populus*, visis signis, *audieruntque quod visitasset Dominus filios Israel*, Hebraismus est, id est, quod recordatus fuisset, & quod respexisset afflictionem eorum, vt eos liberaret, *proni adorauerunt* gratias agentes Deo pro tanto beneficio.

## CONCEPTVS.

### *Afflictio & pressura corporalis, hominem voluptatum contemptorem reddit.*

206 *Congregaueruntque cunctos seniores*, quibus dixere, quomodo eorum afflictionem respexisset Dominus, *& proni adorauerunt*, inquit textus Sept. *& incuruati adorauerũt*, discutiamus aliũ locum ex ca. 11. Numerorũ, vbi Israelitæ recreati cœlesti pabulo inquiunt, recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepæ & allia; anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi man. compone modo Israelitas cum Israelitis, hic toti feruntur in Ægyptum & mente voluunt eius voluptates, à quibus dolent maximè se abstractos, illic vel ad verbũ egressionis ab Ægypto eum adorãt, & lætantur: nam vbi legimus audierunt quod visitasset Dominus, Sept. verterunt, & gauisus est, nulla Ægypti voluptas illis in mentem venit, sed quam primum exire gaudent: cur ergo sic hic ad stringuntur Ægypto & sic eius amãt voluptates, ibi nihil voluptuosum Ægypti meminerunt, sed omnibus Ægypti bonis gaudent spoliari? erant modo in abundantia cœlestis pabuli, abundabant manna, quiete fruebantur: hic erant in summa afflictione & labore; vbi autem afflictio est corporalis facile facit ab hominibus contemni voluptates, ait D. Cyrillus Alex. lib. de adoratione, *est voluptas intractabile malum, & vitiorum nostrorum feritas eiusmodi est vt difficile mansuescat, at si sudor deprimat ac labores impositi sint, tunc vero si quis se liberaturum ab his incommodis pollicetur, facile persuaserit ipsas quoque summas voluptates contemnere*, quæ voluptas non contemnetur vbi labor & sudor regnat? Cyrillus.

### *Gratiarum actio difficillima quaque obtinet.*

207 *Congregauerũtque cunctos seniores*, qui audita futura à captiuitate Ægypti libertate, *proni adorauerunt*, Abulens. ait, ista adoratio fuit in gratiarum actionem pro tanto beneficio: an erepti estis à seruitute? non equidem; nam adhuc à vobis multi sunt labores exantlandi, multa toleranda, cur ergo quasi iam libertatem essetis consecuti, actiones gratiarum à vobis referuntur? nonne satis erit post acceptum beneficium gratias rependere? merito ante acceptum beneficium gratias referunt, scimus enim gratitudinem animi non posse non consequi etiam difficillima.

### *Dei arcana non statim omnibus aperienda.*

*Congregaueruntque cunctos seniores filiorũ Israel.* 208
Cur non omnes filii Israel congregantur, cum de libertate & salute omnium agebatur, cum non solum senioribus, sed omnibus aliis consulendum esset? solum seniores primo conuocant, Oleast.
solos maiores natu & prudentiores, quia Dei arcana non statim omnibus aperienda, fauet Oleast. *non sunt secreta Dei statim omnibus reuelanda: sed maioribus natu, vt per eos ad iuniores res deueniant.*

### *Optima fides, si non deficiat.*

*Congregaueruntque cunctos seniores filiorũ Israel.* 209
Quibus cum narrassent omnia quæ Deus præceperat, & editis signis coram populo crediderunt, ait enim textus, *& credidit populus*, quod intelligendum etiam de senioribus qui nomine populi comprehenduntur: nonne leuis est corde qui cito credit? ita equidem, qui nullis aut visis, aut auditis miraculis, vel alio signo probabili ductus fidem adhibet, at non leuis sed durus planè ac ferreus, qui apertis miraculis credere renuit; laudanda igitur eorum fides, quidni? sed in hoc vituperandi, quod postea in ea defecerint, *pulchra est fides illa* (inquit Procop.) *& omnibus modis laudanda foret, si in hac permansissent, nec turpiter ob murmurassent.* Procop.

CAPVT.



# CAPVT QVINTVM.

## SYNOPSIS.

Moyses & Aaron Pharaonem conueniunt, impositam coram eo legationem à Domino exponunt, Pharao & legantem, & legationem, & legatos nihil pensat: hinc populum vehementius affligit, conqueritur populus, nec auditur, Hebræorum præpositi Moysem Aaronemque durius alloquuntur, Moyses infœlicem suę legationis successum deplorat apud Deum pro Hebræis eum deprecans.



### *VARIETAS LECT. Vers. 1.*

*Vulg.* Post hæc, ingressi sunt Moyses & Aaron, & dixerunt Pharaoni, hæc dicit Dominus Deus Israel, dimitte populum meum vt sacrificet mihi in deserto. A

*Sept.* Dimitte populum meum vt mihi festa celebrent in deserto.

*Cald.* Vt sacrificent coram me in deserto.

*Oleast.* Vt mihi tripudiet diem festum agendo.

### *CONCORDIA.*

Verbum חגג hagag, & sacrificare & festum celebrare significat, quid de hoc verbo sentiat Oleaster referam: sic autem ait, quantum ex aliis scripturæ locis cognosci datur, videtur propriè significare saltare seu tripudiare, significat autem chag solemnitatem, quod illa die puellæ solerent tripudiare, & festiuos choros ducere, possemus etiam dicere significare, festinare, non qualitercumque, sed cum tripudio.

### EXPOSITIO.

*Post hæc*, postquam Moyses & Aaron narrauerunt omnia senioribus, quæ à Deo acceperant, *ingressi sunt* in vrbem Tanim, in qua morabatur Pharao, & simul cum senioribus eum conuenēre, sed Moyses & Aaron præcipuè inter eos nominantur, nam cap. 3. dixerat Deus Moysi, ingredieris tu & seniores Israel, ad re- B gem Ægypti, *dimitte populum meum*, principe benigne iussu Dei compellato, conantur eum ad spontaneam concessionem inducere, *vt sacrificet mihi in deserto*, vt festa celebret, puta solemniter sacrificando, sacrificiis enim solemnibus vel maxime festa celebrantur.

V

## CONCEPTVS.

### *Vnus iustus instar multorum.*

1 *INgressi sunt Moyses & Aaron & dixerunt Pharaoni.* Vbi sunt quæso seniores quibus quoque Deus præceperat, vt cum Moyse ingrederentur? Exodi enim 3. sic præcepit, ingredieris tu, & seniores Israel, ad Regem dicus ingressos fuisse, sed id scripturam tacuisse: tamen sic ait Cajetan. loco seniorum subrogatus est Aaron ad legationem; quid? an vnicus Aaron tot seniorum vicem supplere potest, & vnus, multitudo tot seniorum appellari potest? quidni? nam vnicus iustus vt Aaron pluribus aliis senioribus potest æquari; Philo. quod confirmat Philo. lib. de Decalogo. *Lectores sacræ scripturæ discant quiddam valdè pulchrum & necessarium, videlicet vnumquemque dum Deo paret ac legibus, æquari frequentissimo populo, vel potius omnibus gentibus*, addo amplius, *mundo etiam* S.Chrysost. *vniuerso.* Et B. Chrysost. hom. 8. in Acta ad finem, vellem vt multitudine ornetur Ecclesia, sed multitudine probata, si autem hoc fieri nequit; saltem pauci illi probati sint, non videtis, quod melius sit habere vnum lapidem pretiosum quam mille obolos.

### *Non liceat tibi etiam in Regem impium seditiose insurgere.*

2 *Ingressi sunt Moyses & Aaron, & dixerunt Pharaoni, dimitte populum meum vt sacrificet mihi in deserto.* Nonne Moyses mandatum à Deo acceperat, vt educeret populum Israelitam à Pharaonis tyrannide? nonne signis editis corā populo ei persuaserat se eum liberatorem esse à Deo præelectum in Israel salutem? nonne erat impiissimus Rex Pharao? cur ergo potestate accepta à Deo educendi populum ex Ægypto, eum non instruit armis, vt in regem insurgens violenter eum ad libertatem sibi dandam cogeret? cur non abiit ad populares, & illos in regem armauit vt occiderent tyrannum, & irent in patriam? quia non licet in regem etiam impium sedìtiose, & armata manu insurgere, nec alio modo indebitè: id quod Lippom. annotans Lippom. ait, *tametsi habebant mandatum liberandi Israelitas à tyrannide Pharaonis, & Pharao erat longe omnium impiissimus atque à Domino manifestis verbis condemnatus, non tamen armant Israelitas suos aduersus regem legitimum, Magistratum in Ægyptum, non trucidant tyrannum gladio, sed continent sese, & obsecrant Pharaonem obedienter,* sanctissimè cauent, ne ipsi videantur nocere Regi, à quo etiam pessimo vindictam non exigunt, nec subditos in eum commouent, vnde rectè prosequitur & verè cit. Doctor. *quod si non licuit Moysi & Aaron concedere Pharaonem vt liberaret Israelitas suos à tyrannide eius, cui obsecro nunc liceret gladium aduersus legitimum magistratum suum accipere & se violenter in libertatem vendicare?* male pereant qui in suspicionem tyrannorum, Reges adducunt vt eis manus inferant vel per se vel per alios, violentas, quasi Reges tyrannos liceat interficere.

### *Deo obsequuturus, aliis indebitè præter Deum non seruias.*

3 *Ingressi sunt Moyses & Aaron & dixerunt Pharaoni, dimitte populum vt sacrificet mihi in deserto.* Nonne potuit obiicere Pharao, cur in deserto? suspicor enim sic velle se fugæ committere, nam nonne in vrbibus ipsi sacrificium offerre poterit? nonne mei subditi Ægypti in medio ciuitatum templa possident, & numinibus quæ adorant, sacrificant? sed ô Deus, cur cum nulla subesse possit occasio, quin in vrbibus tibi sacrificet populus, cur in tuo nomine postulat Moyses à Pharaone vt tibi in deserto (in quo quæ necessaria ad sacrificium difficile reperiuntur) immolet? audiamus Orig. hom. 3. sic respondentem, *non vult* Origen. *Moyses vt populus in Ægypto positus seruiat Domino, sed vt exeat in desertum ibique vt seruiat Domino, hoc est, sine dubio quod ostendit, quia quamdiu quis in tenebris secularibus manet, & in negotiorum obscuritate versatur, non potest seruire Domino, non enim potest duobus Dominis seruire, in vrbibus plura sibi obiiciuntur, quæ te à Dei obsequio remouere possunt, & ideo in illis minus idoneus es, vt Deo sacrificium offeras,* in desertum ergo te conferas, vt nihil tibi sit impedimento, quin Deo obsequaris.

### *Conuictus malorum maximè nociuus.*

4 *Ingressi sunt Moyses & Aaron & dixerunt Pharaoni, dimitte populum, vt sacrificet mihi in deserto.* Ac si non possent in Ægypto vere hostias offerre, iubet, vt in desertum, relicta Ægypto, egrediantur, quidni? cur non egrederentur Ægyptum, cum nescio quid mali, etiam inuiti trahamus ex consortio & conuictu malorum, quales erant Ægyptii? vide ne oblatio Deo offerenda ab Hebræis, pollueretur, vel ipsi Hebræi Ægyptiis commixti minus Deo placerent: præcipiuntur desertum petere, magna est enim vis societatis impiorum, & sicut auræ corruptæ morbum, volentes nolentes vna cum spiritu trahimus, non aliter ex conuictu cum impiis, impietatem trahimus: mēs est Philo. Philo. lib. 1. de vita Moysis, *post hæc regem ipsum audent appellare vt populum extra fines Ægypti dimittat ad sacrificium, aiebant enim solitudine opus esse ad peragendos ritus patrios diuersos ab aliorū cæremoniis, & ideo secessum requirentes, vel ne offendant, vel profanentur aliorum oculis parum fauentium spectaculo.*

### *Superbus nec Deum tanquam Dominum ferre potest.*

5 *Ingressi sunt Moyses & Aaron & dixerunt Pharaoni: hæc dicit Dominus Deus Israel.* Dominus dicitur relatiuè ad seruum, an hoc nomine Deum vocari patienter feret Pharao? non equidem, quid? nonne omnis creatura quæcumque illa sit seruitutis conditione respectu Dei notatur? cur ergo Pharao indignè feret Deum vocari Dominum? quia superbus, qui nec Deo tanquam Domino vult subiici; *hæc locutio*, nempe hæc dicit Dominus, inquit Abulens. *vnum erat dura Pharaoni* Abulens. *& cuilibet superbo fuisset: nam Dominus relatiuum est ad seruum, cum ergo Dominus exprimitur, oporteret seruum exprimi, vel subintelligi, magis tamen exprimi debet, vt cuius sit Dominus videatur, hic autem Aaron & Moyses posuerunt Do-*

*minum simpliciter, non nominantes cuius esset Dominus, adeo intelligebatur, quod omnes eius serui essent, nulla facta differentia quod valde displicuit Pharaoni, quod ipse etiam comprehendebatur sub tali dominatu, cum nullum vt Dominum cognoscere vellet.*

### *Vult Deus vt suæ punitiones iustæ appareant.*

5 *Ingressi sunt Moyses & Aaron & dixerunt, dimitte populum vt mihi sacrificet in deserto.* Nonne totaliter voluisti educere populum Israel ex Ægypto? cur ergo solum Deus postulat per Moysem, vt permittat tantum sibi in deserto sacrificium offerre, vt cum id quod modicum est, & nihilominus æquissimum (quid enim æquius, quam quod populus electus Deo obsequatur?) renuerit obstinate, cũ ab eo suæ obstinationis, & iniustæ negationis pœnæ exigentur, omnes fateantur iustissimè ab eo sumptas esse, fauet cit. Episc. *Licet Deus intenderet, educere populum suum ex Ægypto, & introducere in terram Chanaan, tamen solum petebat à Pharaone per Moysem, vt permitteret eum ire ad sacrificandum, quia sciebat Deus quod Pharao nollet dimittere, & ipse eum acriter puniturus esset, & vt punitio iusta appareret petiuit Moyses loco Dei à Pharaone, permitteret populum ire ad sacrificandum in deserto, quia non acquiescens in modico, iustius punietur quam si non acquiesceret in magno.* Abulen.

### *Deus vult sibi hilariter obsequi.*

6 *Ingressi sunt Moyses & Aaron & dixerunt, dimitte populum meum vt mihi sacrificet in deserto.* Quilibet donum siue sacrificium offerat, cur vbi plurima tolerantur incommoda, vt in deserto, exigis tibi victimas immolari? in Ægypto tibi sacrificent; aduerte seruum tyrannicè oppressum tristem esse; merito igitur extra Ægyptum, extra locum captiuitatis à populo suo vult sibi Deus sacrificium offerri, quia hilariter vult sibi præstari obsequium. præcinit Oleast. *Non libenter Dominus accipit ministeria tristia, sed hilarem ministrum diligit, hac de causa noluit populum suum sibi festa in Ægypto celebrare, quoniam cum esset captiuus nec posset in hilaritate seruire.* Oleast.

### *Non semper Deus suos ad laborem vocat, sed aliquando ad festa.*

7 *Ingressi sunt Moyses & Pharao & dixerũt, dimitte populum meum vt mihi sacrificet in deserto,* Sept. *vt mihi festa celebrent.* Quid? nonne ad labores, ad ærumnas, ad cruces vocat, cum præmium polliceatur iis qui hæc omnia tulerint? Quomodo nũc non ad laborem sed ad festiuitatem, non ad ærumnas, sed ad gaudia conuocat? quia Deus non semper nobis labores sustinendos imponit, sed ad dies festiuos agendos aliquando appellat, *habes hic* (inquit cit. Oleast.) *Deum non vocare semper suos ad sudorem & labores, sed ad festa celebranda, talia enim sunt ministeria Dei, scilicet festos agere dies, ita vt ministri Dei otio vacare dicantur.* Oleast.

### *Deo obediendum cum vitæ periculo.*

*Ingressi sunt Moyses & Pharao, & dixerunt dimitte populum meum.* Quid ô Moyses & Aaron! nõne tanquam seditiosos, & sui regni perturbatores vos puniet Pharao? nonne princeps meritas exigere poterit pœnas ab iis qui suos subditos inducerent ad suę dominationis iugum excutiendum? quid aliud agitis? cur ergo hoc à Deo vobis impositum munus non renuitis, cum non exiguum vitæ discrimen incurritis? quia Deo etiam cum vitę periculo obediendum, *habes* (inquit Lippom.) *præclarissimum obedientiæ exemplum, etsi enim sciebant hoc negotium constare maximo suæ vitæ periculo, quippe quod à rege tanquam auctores seditionis excipiendi essent, neglectis tamen omnibus periculis, obediunt vocationi Dei, & intercedunt pro Israelitis vt dimittantur ad sacrificandum Domino.* 8 Lippom.

### *Deus primum à regibus exigit suum cultum stabilire.*

*Ingressi sunt Moyses & Pharao, & dixerunt, dimitte populum meum vt mihi sacrificet in deserto.* Nonne grauissimo iugo seruitutis durissime premebantur? nõne omnẽ in eos exercebat tyrannidẽ? quis enim immanissimus tyrannus ita suos oppressit, vt Israelitas Rex Ægypti? cur ergo non petit Moyses vt à seruitutis iniustę iugo liberet, vt libertatem tribuat? cur nulla mentione facta intolerabilis seruitutis populi sui, solum requirit, vt pergat in desertum sibi tanquam vero Deo sacrificaturus? quia quid primum requirit Deus à regibus, est cultus & pietas: quod late prosequitur Synesius de regno, vbi postquam plura de regis officio disseruit, tandem concludit, *religio autem & pietas firma in primis eius basis subiiciatur, in qua stabile & inconcussum simulachrum perstet, nec vnquam basi firmiter insidens, nulla vis tempestatis excutiat, illa vero vna & ascendet, & pluribus in locis apparebit, potissimumque in vertice residebit.* 9 Synesius.



## *VARIETAS LECT. Vers 2.*

V*ulg.* At ille respondit, quis est Dominus vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? nescio Dominum, & Israel non dimittam.

*Sept.* Quis est, cuius exaudiam vocem eius, vt dimittam filios Israel? non noui Dominum.

*Cald.* Nomen Domini non est reuelatum mihi, vt obediam verbo eius, & vt dimittam Israel, non est reuelatum mihi nomen Domini, Israel quoque non dimittam.

*Pag.* Quis est Dominus, vt pareum voci eius?

## *CONCORDIA.*

QVia verbum שמע Samah, & audire, & obedire seu parere significat, hinc fit quod aliqui hoc in loco pro vt audiam, reddunt vt obediam, vel pareum voci eius.

## EXPOSITIO.

QVis est Dominus, vt audiam vocem eius? Contemptibiliter dictum apparet non absolute, sed comparatione ad ipsum Pharaonē, quasi diceret: quis est Deus vester *vt audiam vocem eius*, nempe vt ei obediam, vel quanti est ille Deus, quem mihi nominatis, imperij, quantæque maiestatis, vt obedire ei debeam, cum vos omnes eius cultores in tam miserā seruitutem passus sit detrudi? *nescio Dominum*, scilicet vt Deum verum, quem ego sic colam, vt obedire eius mādatis debeam, quasi dicat, vestrum Deum nescio, an Deus verus sit, neq; vt Deū colo, ita vt obedire ei teneat.

## CONCEPTVS.

### *Egregius Doctor tribulatio, quæ hominem officij sui admonet, & ad Deum manu ducit.*

10 QVis est Dominus vt audiam vocem eius & dimittam Israel? nescio Dominum & Israel non dimittam: Vidisti ethnicum, barbarum, blasphemum. At eum, audi postmodum eundem modestum, pium, & fidelem, sic enim cap. 8. ait orate Dominum, vt auferat ranas à me: ego dimittam vos, vt sacrificetis Deo vestro, rogate pro me Sept. orate pro me ad Dominum: quomodo qui ante Deum ignorabat & pernegabat, tam cito & Dominum confitetur, vt eius auxiliū atque opē summissus imploret? quid mirum? si postquā negauit Deum, flagellatus fuerit, tribulatus, & afflictus: quis autem ita egregius doctor, ac tribulatio, quæ hominem officij sui admoneat & ad Deum manu ducat? vnde premēs vtraque barbari regis verba Orig. hom. 3. sic ait, *audi quid respōdet princeps huius mundi, nescire se Deum dicit, vides quid agit cruda superbia, donec in laboribus hominum non est, & cum hominibus non flagellatur, propterea tenuit eum superbia: denique videbis eum paulo post quantū proficit in flagellis, quanto melior verberatus efficitur iste modo qui dicit nescio Dominum, postea cum vim senserit verberum, dicturus est orate pro me Dominum, & non solum hoc sed etiam contestantibus magis quia digitus Dei est in virtute signorum, ecce Pharao durissimus, tamen profuit verberatus, ante verbera Dominum nescit, verberatus supplicans pro se dominum rogat.*

Exod. 8. — Origen.

### *Temporalia bona excæcant, ne Deus videatur.*

11 *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius & dimittam Israel? nescio Dominum.* Quis tantam cæcitatem crederet in homine? vnde homo in tot rebus à Deo dependens, in eam cæcitatem potest deuenire, vt prorsus à se ablēget omnē Dei cognitionem, nec eum vllo modo velit agnoscere? rationem attigit Philo Iudæus lib. 1. de vita Moysis, *factus Rex ab incunabulis imbutus maiorum suorum fastu, nec credens vllum Deum præter ista visibilia, respondit, non noui istum quem prædicatis nouum Dominum.* expende illud fundamentum Atheismi, nimirum *ab incunabulis imbutus fastu*, &c. quippe cui temporalis splendor præ oculis semper erat, sic præoccupabatur à temporalitate, vt nō haberet vnde ad Dei cognitionē accederet.

Philo.

### *Quia nescimus Dominum, contemnimus.*

12 *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius? nescio Dominum & Israel non dimittam.* Nonne per nuntios suos tibi præcepit, vt populo liberam discedendi è tuo regno facultatem? cur ergo non solū eius iussa non exequeris, imo audacter ne dicam impudenter eum non agnoscere proclamas? cur non ais prius non dimittam Israel, deinde nescio Dominum. recte Cajet. *contempsit mandatum allegando inscitiam propriā*, quasi diceret, quia nescio, contemno: si scirem, timerem, & obseruarem, quid ad hæc Christiani cognoscentes Deum & ei non obtemperantes? meminerint, quod olim asserit D. Hiero. in cap. 3. Malach. agens enim de multiplici Iudæorum peccato, subdit, *sufficisse eis hoc vnum crimen ad pœnam quod non timuerint Dominum, quod ei non obedierint, quem tamen non ignorarint.*

Cajet. — D. Hieron.

### *Superbia mentem obtenebrat.*

13 *Quis est Dominus vt audiam vocem eius? nescio Dominum.* Nonne naturali lumine notum est, esse Deum? quomodo hic princeps Ægypti dicit se eum nescire? an ratione priuatus, an destitutus intellectu? nequaquam, cur ergo eum quem cæli gloriam enarrant, non agnoscit? quia nimio fastu plenus, quia nimia tumens superbia, quæ mentem obtenebrat, ne quod lumine naturali notum est, inspiciat: *vide* inquit Lippom. *quo se extendat cæca superbia, vt naturalem etiam rationem Deum esse noscentem obnubilet penitus & extinguat? eo enim vsque deuenit impudens superbia, vt quod cæli enarrant & ea quæ facta videntur proclamant nempe Dei gloriam, ipsa negare audeat.*

Lippom.

### *Superbia non solum Diabolo similis sed eo peior.*

14 *Quis est Dominus vt audiam vocem eius? nescio Dominum.* Maiori tumet malitia quam princeps tenebrarum, nonne ipse agnoscit Dominū? ait Iacobus, Dæmones credunt & contremiscunt: Quomodo ergo Pharao qui minor est in perfectione substantiali Angelo, se nescire Deum asseuerat? quia superbus, & non solum Diabolo similis, sed eo peior. primam partem habet B. Basil. in admonit. ad filium spiritualem. *Vir humilis Deo est similis, superbus autem cum sit Deo odibilis Diabolo similis est.* Secundū D. Chrysost. hom. 59. in Matth. *nihil certe arrogātia atque superbia peius.*

Iacob. — S. Basil. — S. Chrys.

### *Superbus verè amens.*

15 *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius? nescio Dominum.* Si Dominum non agnoscis eo te superiorem ergo, ipsum te inferiorē, vel te ei æqualem arbitraris: vel nullum esse, se eo superiorem existimat, & ita dementissimum iudica: nam nonne insanus censeretur, qui aliquidinem cubiti non superans, excedere se montem diceret? à fortiori creatura æqualem Deo vel superiorem arbitrans omnino mente capta iudicanda est; quod eleganter ostendit. Chrysost. cit. hom. *Superbia mentis vires natura hominibus concessas ita deijcit, vt amentes ex prudentia, ac animos stolidos efficere vi-*

B. Ambrof. *dcatur*, Ambrof. in Pfal. 118 *ex amentia hoc vitium nafcitur, non poteft effe fuperbus qui fatuus nō fit, ftultitia vero plenus eft fuperbus.*

### *Superbus blafphemus, Deo iniuriofus.*

16 *Quis eft Dominus vt audiam vocem eius? nefcio Dominum.* Quid diuinitati detrahis dicens Deū non effe? nonne fatis erat tyrannidem in populum exercere, oneribus duriffimis & intolerabili feruitute eum premere? cur in Deum infurgis, non agnofcens eius potentiam? quid mirum? fi fuperbus & ideo Deo iniuriofus, & in eum blafphemus? fic Chryfoft. hom. 53. ad populum Antioch. S. Chryfoft. *nullum malum par elationi, hominē reddit Dæmonem, blafphemum, contumeliofum, periurum, cupidum cædium, & homicidiorum.*

### *Superbus obedire nefcit, imo nec audire præceptum.*

17 *Quis eft Dominus vt audiam vocem eius?* Quid facilius eft quam audire? cur ergo fi Dominum non agnofcis, non ais nō obediam? difficilius eft enim fuperioris mandata exequi, quam ea folum aure percipere: quid? nōne tumens fuperba cogitatione, qui refpondet? quid mirum igitur, fi dixerit Domini vocem non auditurum? quia fuperbus non folum obedire renuit, imo & etiam præceptum audire; nobis fuffragatur Caffian. lib. 11. inftit. Monafticar. Caffianus. *Quifquis fuperbiæ morbo fuerit occupatus, non folum nullam fubiectionis aut obedientiæ regulam cuftodire dignatur, verum ne ipfam auribus quidem fuis doctrinam refectionis admittit, tantumque concrefcit in corde eius fpiritualis verbi faftidium, vt cum forte talis fuerit oborta collatio vno in loco ftare nefciat eius obtutus, fed huc illucque circumferatur infaniens.*

### *Ita ignarus eft homo, quod cum plura à Deo acceperit, nec de nomine vult eum agnofcere.*

18 *Quis eft Dominus, vt audiam vocem eius?* Cald. habet, *nomē Domini non eft reuelatum mihi, vt ei obediam.* Ecce nec ex nomine dicit, fe Deum agnofcere an maior ingratitudo? verū quis ita refpondet? nonne Rex? reges autem nonne maximis à Deo cumulantur beneficiis, imo maioribus quam alii homines priuati? nonne maiorem eorum quam aliorum curam gerit Deus? quomodo ergo hic nec de nomine dicit Deū non agnofcere? quia ita ingratus homo, vt cum à Deo plura acceperit, nec eius nomen dicit fe cognitum habere: Oleaft. verba fubiicio, Oleaft. *mirum valde eft, quod Deus maximè Reges & principes curet, ipfi vero ipfum negligant & paruī faciant.*

### *Inhumanus in homines nefcit effe pius in Deum.*

*Quis eft Dominus vt audiam vocem eius? nefcio* 19
*Dominum.* Quæ maior inobedientia exprimi poteft, aut quæ maior impietas excogitari, quam Deum ab omnibus notum, nolle cognitum habere? fed quam inhumanus in populum Ifrael, recepte, quanta cum tyrannide eum oppreflerit vfque ad interitum plures ex eo perfecutus fuerit, non miraberis talem ignorantiam Dei habuiffe, imo in eum blafphemum fuiffe, quia inhumanus in homines nefcit in Deum pius effe.

### *Impius omnes alios fallaces effe arbitratur.*

*Quis eft Dominus vt audiam vocem eius? nefcio* 20
*Dominum.* Nonne à te petierunt Moyfes & Aaron, vt permitteres Ifraelem in defertum defcendere facrificii Deo offerendi gratia? quomodo ergo iuftæ eorum petitioni non acquiefcis? quid enim æquius quam creaturā cultu aliquo fpeciali creatorem fuum fateri? cum impius fit & peruerfus fufpicatur Moyfem & Aaronem fe decipere nec facrificium offerre velle, fuffragatur Philo Alexand. lib. 1. de vita Moyfis, *non noui iftum quem prædicatis nouum Dominum, non dimitto gentem prætextu celebritatis facrorumque cupientem iugum excutere;* preme, *non dimitto gentem, prætextu celebritatis, &c.* en vt arbitratur eos prætexere aliquam celebritatem, non autem velle Deo facrificium offerre.



## *VARIETAS LECT. Verf. 3.*

VVlg. Dixeruntque, Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in folitudinem & facrificemus Domino Deo noftro, ne fortè accidat nobis peftis aut gladius.

*Sept.* Ne fortè occurrat nobis mors aut cædes.

*Cald.* Deus Iudæorum inuocatus eft fuper nos, eamus nunc viam trium dierum in folitudinem, & facrificemus coram Domino Deo noftro; ne forte accidat nobis mors aut occifio.

*Onk.* Ne forte occurrat nobis morte aut occifione.

*Pag.* Ne fortè occurrat nobis cum peftilentia vel gladio.

*Oleaft.* Ne fortè occurrat nobis defolatione aut gladio.

## *CONCORDIA.*

QVia verbum קרא Kara occurrere, vocare, & inuocare fignificat, ideo aliqui vertunt vocauit, alii occurrit, Cald. autem paffiuè inuocatus eft, in Hebræo eft בדבר או בחרב badeber ô bechareb cum peftilentia & gladio, fed idem eft fenfus vulgat.' dictionis autē דבר deber fignificatio propria non planè nota, radix דבר dabar inquit Oleaft.' fignificat loqui ad quod deber id eft peftis nullam videtur habere allufionem, nifi dicamus fignificare defolationem, ficut midbar defertum, quod eft ab eadem radice; nomine autem deferti defolationem credunt fignificari.

## EXPOSITIO.

*Deus Hebræorum vocauit nos*, quasi diceret, quem contemnis, & non agnoscis, vetus Deus est non solum omnium, sed specialiter Hebræorum, & hic vocauit tanquam Dominus, nos seruos suos, *vt eamus viam trium dierum in solitudinem*, tres dies petunt, & si abire vellent in perpetuum, vt regis inhumanitas magis innotesceret: neque in hac petitione Moyses mendacium committit aut fraudem, nam Deus ita præscripserat supra cap. 3. & fraus non suberat, quia sciebat se nihil impetraturum, tum quia vnum tacebat & aliud propalabat, *ne accidat nobis pestis aut gladius*, quasi dicerent, dimitte nos vt sacrificemus Deo ne alioquin nobis iratus, peste aut gladio nos affligat.

## CONCEPTVS.

### *Nihil magis hosti nostro est cordi quam si nobis dies eripiat.*

21 *Deus Hebræorũ vocauit nos vt eamus viam triũ dierum.* Et licet iustæ petioni tum non acquieuerit, tamen per plagas sibi inflictas, aliquãto mollior factus permisit, quod sacrificarent in ciuitate sua, & illis instantibus de itinere triũ dierum, tandem ait cap. 8. ego dimittam vos vt sacrificetis in deserto; verumtamen longè ne abeatis; quasi de tribus illis diebus aliquid minuere conaretur: quid tibi interest, verum longius discedant vel non? cur totum triduum non concedis cum illud petierint? quia nihil magis hosti nostro est cordi, quam si nobis aliquem diem eripiat; quod ponderat Orig. hom. 3. *non vult longè à se fieri populum Dei, non vult totum à se triduum proficiscantur, vult in nobis vel vnũ diem suum habere, in aliis duos in aliis totum triduum ipse possidet.* Ecce quanto studio curat hostis habere sibi nostros dies & nobis aut plures, aut vnum saltem eripere. Origenes.

### *Verus obediens non præceptum sed voluntatem præcipientis attendit.*

22 *Deus Hebræorũ vocauit, vt eamus viã triũ dierũ & sacrificemus Deo nostro.* Quid? Deus vobis præcepit, vt ei sacrificium in deserto offerretur, cur ergo solũ est vobis sermo de vocatione? qui vocat non præcipit: ita obedientes sunt erga Deum, vt præceptum eius non attendant, sed solum eius voluntatem ab eis sacrificia exigentem, subsignat Oleast. *disce hîc qualiter Deo tuo obedias, non dicunt Deus Hebræorum nobis præcepit, sed tantum occurrit nobis, & statim quasi diuinantes voluntatem eius volunt ire viam trium dierum, gens ait regius vates, quam non cognoui in auditu auris obediuit mihi*; quę verba Psal. 17. explicans noster Titelmanus ait, *obedientissimè in solo auris auditu, mox ad auditum vocis seruierunt mihi.* Oleast. Psal. 17. Noster Titelmanus.

### *Coram principe infideli audacter fiat vnius Dei confessio.*

23 *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam triũ dierum, & sacrificemus Deo nostro.* Quid? an nobis ignotum, Pharaonem verum Deum non colere, sed animalibus tanquam veris numinibus cultum latriæ exhibere? cur ergo silentio non obuoluitis nomen veri Dei? cur coram Principe potentissimo & idololatra, Deum nominatis? quia coram omnibus etiam cum vitæ discrimine, audacter vnius Dei confessio aperienda, à quo non alienus Auctor Græcus citatus à Lippom. *è Ægyptiis Deũ non Diis vestris similem colimus, nec veneramur vitulum, videlicet aut furem, aut capram, aut hominis simulachrum, aut volucrum adumbratam imaginem, aut denique repentium imagines in finibus collocatas, sed à nobis Hebræis Deus ac Dominus inuocatur, hoc vniuersum fabricatus est, magnus itaque, & qui Diis Ægyptiorum nulla ratione conferendus sit, quique res omnes creatas infinite excellat, est Hebræorum Deus, qui in desertum nos vocat, vt placitum illi sacrificium illic offeramus.* Auctor Græcus.

### *Malum omen si abstinueris à confessione, contritione & satisfactione.*

*Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam triũ dierum, & sacrificemus Deo nostro.* En timorem mortis sibi imminentis proponunt! *ne forte accidat nobis pestis, aut gladius*, Pag. *ne occurrat nobis cũ pestilentia & morte.* Nonne sufficit biduo iter peragere, vt Deo sacrificium offerre valeatis? cur triduum exigitis, & ni concessum fuerit vobis in sacrificio clamatis peste & gladio perituros? quidni? si enim deficit confessio, vel contritio, vel satisfactio, quæ tres dies denotant, ad offerendum Deo dignum sacrificium, nonne malum omen sumendum? vnde noster Lyranus, *in morali sensu per viam trium dierum, intelliguntur contritio, confessio & satisfactio, & sic offertur sacrificium Deo acceptum, non ergo dignum offerret si aliquis ei dies defecerit nempe vel contritio vel satisfactio.* 24 Noster Lyranus.

### *Silentium integræ veritatis potest interueniri sine mendacio.*

*Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam triũ dierum.* Quid? nonne vestræ mentis in terrã Chanaan ascendere, quo in itinere longè plures quàm tres dies sunt consumendi? quid? nonne indecens & peccaminosum, viro iusto leue mendacium quamuis officiosum proferre? non proferunt, sed silentio integram veritatem obuoluunt, cum eam aperire non teneantur, quod sine suspicione mendacij licitum est, annuit Cardin. Cajet. *ne mendacium, sed silentium interuenit integræ veritatis, ituri enim erant itinere trium dierum & longiore itinere, sed hoc tacuerunt, sacrificaturi Deo ituri erant, & hoc dixerunt.* 25 Cardin. Cajet.

### *Libertas spiritualis, etiam quolibet impedimento interueniente sequenda, & non intermittenda.*

*Deus Hebræorum vocauit nos vt eamus viam trium dierum, & sacrificemus Deo nostro.* Non 26

annuet Pharao vestræ petitioni, cum se Deum A vestrum sibi omnino incognitum esse asserit, nec se populum dimissurum testatus est: cur ergo iterum à Deo Hebræorum vocatos fuisse vt ei offeratur sacrificium, obijcitis? nonne eadem illi mens? nonne idem obstinatus animus? constanter instant & respondent, libertas enim spiritualis etiam quolibet impedimento interueniente sollicitanda est. *Quamuis tyrannus institerit* Procopius. (inquit Procop.) *nec profectionem ad diem festũ celebrandam concedere voluerit, diceretque Dominum sibi non esse notum, non tamen destitit cœptis, non enim libertatem intercidere oportet diabolo impedimenta parante, constanter respondendum & instandum est.*

*Vt sacrificium Deo gratum offeratur, ab occasione peccati fugiendum.*

27. *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem*, vt ibi sacrificium Deo offeramus, sacrificate in vrbibus, in oppidis quorum habitatores estis, cur longiori itinere Citatus Gazæus, oblationem Deo gratam differtis? audiamus pro eis satisfacientem Procopium, *Non conuenit Hebræorum Deo cum Ægyptiorum cultibus, & sacrificiis, Ægyptus est caligo quam nos fugere oportet, nec non tyranni prouinciam nos ad peccatum perpellentem, at nos sequi decet vitam liberalem, & prorsus vacuam & segregatam ab Ægypti vanitatibus vt queamus sacrificare Deo iustitiæ fructus.*

*Si separatio fiat Patris à Filio, vel vtriusque à Spiritu-sancto quid Deo gratum offerri potest?*

28. *Deus Hebræorum vocauit nos vt eamus viam trium dierum*, Sacrificij ei in deserto offerendi gratia, vocantur Israëlitæ ad sacrificium per viã trium dierum, nisi velint peste aut gladio perire, cur pœnam ita grauem incurrent, si viam trium dierũ non perficiant? absoluatur vnius vel duorũ dierum spatio iter: nonne ita gratum erit Deo sa- B. August. crificium? August. serm. 90. de tempore sic ait tres dies non incongruè possumus dicere Patrem & Filium, Spiritum sanctum, quia & Pater dies est, & Filius dies est, & Spiritus-sanctus dies est, & hi tres-vnus dies, quid ergo mirũ si hoc sacrificium nisi trium dierum via non perficitur? Patrem enim sine Filio vel vtrumque sine Spiritu sancto prædicare gladium & pestem tanquam S. Ambr. suo errori debitas pœnas, meretur. Vnde B. Amb. lib. 1. de Abrah. c. 8. *rectè tertia die celebratur Trinitatis mysterium.*

*Bene cogitare, bene loqui, bene operari, vera via quæ ducit ad cœlum.*

29. *Deus Hebræorum vocauit nos vt eamus viam trium dierum*, Vbinam noctes? nonne etiam nocturno tempore iter absoluitur, præcipuè cum relicta terra seruitutis & captiuitatis natale solũm dulcissimum petitur? cur igitur nulla nocte memorata, sola dierum fit mentio, & non duorum, vel vnius, sed trium, vt oblato sacrificio in terram promissionis perueniant? quid citato sermone dicat August. audiamus, *Via trium dierum* B. August. *potest intelligi, bene cogitare, bene loqui, bene operari*, Et reuerà qui hoc agit, & tota animæ virtute custodit, non in nocte, sed in die ambulat, nec filius tenebrarum, sed filius lucis efficitur, & implet illud quod Apostolus dicit Ephes. 5. fuistis Ephes. 5. aliquando tenebræ vtique, quando vias noctis ambulauimus, id est, quando malum cogitauimus, malum diximus, malum etiam operati sumus, postea verò venientes ad Christum per ipsius gratiæ relinquamus opera tenebrarum, & bene cogitando bene loquendo, bene operando, viam lucis currere festinemus.

*Nostra fides erga mysteria Christi Domini maximè exitialis Dæmoni.*

30. *Vocauit nos Deus Hebræorũ, vt eamus viam trium dierum.* Ecce contentio inter Pharaonem Regẽ Ægypti, & Prophetam Domini Moysen, de itinere trium dierum necessario, ad hoc vt populus Israël Deo in solitudine offerrat sacrificium. Cur diabolus in Pharaone figuratus, sic trium dierum cauebat profectionem, quam adeo Moyses requirebat? quià erant ibi denotata mysteria Christi Domini, quorum fides maximè Dæmoni exitialis, & nobis vtilissima: quod optimè citato loco August. expendit. *Viam trium* Sanctus Doct. *dierum ibimus, hæc quidem volebat Moyses, sed contradicebat Pharao, & non volebat filios Israel à se longe discedere: non volebat princeps huius mundi exercitum Domini trium dierum sacramenta cognoscere: illa vtique sacramenta de quibus Propheta dixit, viuificabit nos post duos dies, in die tertio suscitabit nos, prima dies passio Domini Saluatoris est, secunda qua descendit ad infernum, tertia autem resurrectionis est dies: & ideo in die tertia Deus antecedebat eos per diem in columna nubis, per noctem autem in columna ignis.*

*Maxima simus reuerentia erga Reges.*

31. *Vocauit nos Deus Hebræorum vt eamus viam trium dierum*, Vatab. *quæso liceat nobis per te ire viam trium dierũ.* Quid? nonne alloquimini hominem infidelem, & tui populi durum oppressorem? cur ergo precibus, & tanta cum animi demissione discedẽdi licentiam petitis? cur præceptum Dei, cui omnia præferenda, obiicitis? Rex erat Pharao, licet infidelis, licet superbus, licet crudelis, & ideo maxima cum reuerentia conueniendus, cum honore rogandus, precibusque flectendus: quis enim Regi etiam infideli honorem non exhibeat? de quo est illud Tertull. Tertullian. lib. ad Scapul. c. 2. *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui necesse est vt & ipsum diligat & reuereatur & honoret, & saluum velit eum cum toto Romano Imperio. quousque seculum stabit. Colimus ergo & Imperatorem, si quomodo & nobis & ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum & quidquid & à Deo, consequentum, & solo Deo minorem: hoc est ipse volet, sic enim omnibus maior est dum solo Deo vero minor est*



## *VARIETAS LECT.* *Verſ.* 4.

V*Vlg.* Ait ad eos Rex Ægypti, quare Moyſes & Aaron ſollicitatis populum, ab operibus ſuis? ite ad onera veſtra.

*Sept.* Vt quid peruertitis populum ab operibus? abite vnuſquiſque veſtrum ad opera ſua.

*Cald.* Vt quid ceſſare facitis populum ab operibus ſuis? ite ad ſeruitutem veſtram.

*Oleaſt.* Quare populum denudatis ab operibus ſuis?

*Vatab.* Quare abſtrahitis?

## *CONCORDIA.*

ÆQuinocæ eſt ſignificationis verbum פרע Pharaha, dicunt enim Hebræi quod ſignificat deficere, rebellare, elongare ceſſare, denudare, vlciſci, occultare, retrocedere, ſed hic vacare & otioſum eſſe ſignificat, vnde noſter vulgatus non verba, ſed ſenſum reddidit.

## EXPOSITIO.

QVare ſollicitatis populum ab operibus ſuis, Suggeſta illi ſpe otij & demiſſionis, facitis vt non laboret, ſed in operibus ſuis ſit remiſſus, *ite ad onera veſtra.* Hæc verba quidam referunt ad Moyſem & Aaronem, ex quo inferunt omnes ex parte Regis æquè laboribus eſſe addictos, quibus certus laterum numerus ſingulis diebus erat præfixus: alij referunt ad eos qui ex Hebræis cum Moyſe venerant, ita vt Moyſi & Aaroni dixerit, quare vos ſollicitatis populum, & ad alios conuerſus dixerit, vos autem ite ad onera veſtra.

## CONCEPTVS.

### *Qui Deo placent hominibus diſplicent.*

32. *Quare ſollicitatis populum ab operibus ſuis?* Sept. *vt quid peruertitis populum?* Et deinde eis grauiſſima onera imponit, quid ô Pharao, ante peruerſum non dixiſti Aaronem, imò nec Moyſem cū vnus eſſet aulicus; nunc cur hoc de eis fers iudicium, in eos peruerſos, cenſeas? imò quia de Dei obſequio loquuntur, quia populum ad offerendum vero Deo ſacrificium inuitant, iuſtos æſtimare debes, Cur ergo ita tibi ſunt exoſi? optimè Orig hom. 3. *Pharao donec ſecum eſt populus, non putat eſſe peruerſum ſi verò dicat volo ire & ſeruire Domino, peruerti populum dicit:* en quàm citò odia & prælia ab improbis excitantur contra eos, qui ad Deum conuertuntur: quomodo qui Deo obſequiis placere ſtudent, hominibus diſplicent: vnde Orig. rectè literalem ſenſum ad ſpiritualem traducens ait, *Et hodie ſi Propheticus & Sacerdotalis ſermo animam ſollicitet ad ſeruitutem Dei, inuiteque eam exire de ſæculo, renunciare omnibus quæ poſſidet, operam dare diuinæ legi, & continuo audies ab his qui Pharaonis vnanimes & amici ſunt videte quomodo ſeducuntur homines & peruertuntur ne laborent, ne moliſtent, ne agant aliquid, quod eis proſit, relictis neceſſariis & vtilibus ſuperias ſectantur & otium.* Origenes.

### *Qui veritatem & obſequium Dei prædicant, ab impiis ſeditioſi cenſentur.*

33. *Quare ſollicitatis populum ab operibus ſuis?* Vatab. quare abſtrahitis? Sept. vt quid peruertitis populum, quaſi diceret, cur meum inquietatis Regnum vt mihi ſit populus rebellis, præbentes occaſionem? quid ais Pharao? Dei obſequiū & veritatem annuntiant, petunt ſibi dari licentiam, vt in deſerto ab omni tumultu ſemoti, poſſint offerre ſacrificium quid ergo ſeditionis accuſas? cur publicæ pacis perturbatores appellas? cur dicis tuum peruertere populum? quid? ab impiis, qui ad veritatem & virtutem alios prouocant, qui obſequium Dei ſuadent ſeditioſi & pacis perturbatores vocantur, quod ex Epiſtola ſchiſmaticorū Orientalium ad populum Conſtantinopolitanum patet quæ habetur Concil. Epheſ. c. 7. vbi idem de ſanctiſſimo Cyrillo & ſocio eius Memnone loquuntur; *Operæ pretium duximus vos certiores facere nos Epheſum aduenisse, ibidemque ciuitatem quidem omni tumultuationis genere plenam, vniuerſam verò Synodum non vulgaribus turbis agitatam, Eccleſiam verò velut Mare ſaua quadam tempeſtate concitatam reperiſſe Cyrillo Alexandriæ quondā Epiſcopo & Memnone & Epheſino, inſtar ventorum tetram hanc procellam excitantibus:* Duæ columnæ fidei erant Cyrillus & Mēnon veritatis Catholicæ propugnatores, & eo ipſo tumultuum auctores, & ſeditionum vocantur. Sic Moyſes & Aaron qui vnum Deum annuntiant, qui obſequium Dei ſuadent, peruertere populum accuſantur. Sed à quo? ab impio principe. Concilium Epheſ.

### *Qui ſunt impij, crimen ſeditionis credunt quidquid ſuo quæſtui temporali contrarium eſt.*

*Quare ſollicitatis populum ab operibus ſuis?* Diximus in concordia ex Hebræorum ſententia verbum פרע pharaha ſignificare etiam rebellare, deficere; ita vt ſecundùm hanc tranſlationem, poſſit eſſe ſenſus quod Pharao argueret Moyſem & Aaronem quod ſollicitarent populum Iudæorum ad ſeditionem, ad defectionem, ſed 34.

princeps, si sacrificium solum offerre desiderant in deserto, si hanc à te petere licentiam, cur aliquos seditionis reos arbitraris? quid commune habet seditio cum Dei obsequio, rebellio cum sacrificio? attendite quid Pharao dixerit, sollicitatis ab operibus, vel vt habet Caldæus cessare facitis ab operibus, quasi innueret ipsos esse in causa per cessationis operũ, vt fiscus minueretur, quid mirũ igitur si ipsum sacrificium, ipsum obsequiũ quod Deo debet exhiberi, appellet seditionem, defectionem? impij enim quidquid suo quæstui temporali contrarium est, hoc rebellionem,
Gagnæus. hoc crimen seditionis arbitrantur, proclamant, quod confirmat Doctor Gagnæus in cap. 16. Actuum Apostolorum, *Quot & quantorum*, inquit, *malorum est lucri pecunia, cuius causa paganorum inhumanitas, non indignè ducebat puellam à Dæmonijs agitari, & Paulum cum Sila iniustè virgis cædi, & in carcerem detrudi, causam verò pagani prætexerunt, quod Paulus cum socijs Rempublicam perturbarint, ita vt eos læsæ Maiestatis accusarent.* Hoc vnum faciebat Paulus, vt Dæmon à puella discederet, quæ posse lla lucrũ de eius dominis cõferebat, sed excluso Dæmone, lucrum ab eis demebatur quid tunc dixerunt? Paulum & Silam conturbare ciuitatem.

*Tyranni otio existimant indulgere populũ cum durissimis operibus non premitur.*

35. *Quare sollicitatis populum ab operibus suis?* Cald. *quare cessare facitis populum ab operibus?* Quasi diceret, Ecce vestra persuasione otio indulget populus, opus sibi impositum intermittit. Feriis vult vacare: de quo conquerebatur populus? non de labore, sed solum de nimiis oneribus sibi tyrannicè impositis, cur ergò eum dicit cessare ab operibus, & feriari cum solum aliquam laboris imminutionem postulat? quia tyrannus ferio existimat populum indulgere otio cum durissimus oneribus non premitur. *Tyranni*, inquit
Lippom. Lippom. *otio resolui populum criminantur & distrahi, qui nimios labores & importabilia tantùm onera recusat, quasi sit idem otio resolui & onera non ferre mediocria.*

36. *Obsequium Dei credit impius solum otium esse.*

*Quare sollicitatis populum ab operibus suis?* Cald. *Quare cessare facitis populum ab operibus suis?* Cur indulget otio? nonne petiere vterque germanus, vt populus iret viam trium dierum in desertum sacrificij offerendi gratia? quid? an iter faciens sacrificaturus, dicendus est otio vacare? nonne laborat? nonne patitur? nonne piæ intentionis est apud Deum, cum ei obsequuturus, sacrificaturum ei offerendum disponit? Ita equidem, sed impius credit obsequium Deo redditum, so- S. Cyrill. lib. 1
lum esse otium: ... ens est. S. Cyrill. lib. 1. de adoratione, *Nonne*, inquit, *ô Pallade verissimum esse dicis, vbi cœperit quis Diaboli iugum excutere, vacareque & agnoscere eũ qui verè est Dominus, tũ fore vt Diabolus in eiusmodi negotio otium ac studium tanquam impietatem quamdam nobis vitio vertat, & insurgat, immaniterque cogat, vt carnali vitio & sæculi curis demus operam.* Preme hæc verba, *vt Diabolus in huiusmodi negotio otium ac studium tanquam impietatem &c.* Nescit impius obsequium Deo redditum, bonum opus appellare, sed illud otium & desidiam nominat.

*Nescit impius meritis aliquid tribuere.*

B *Quare sollicitatis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra*, quid? tantæ venerationis & meriti homines, nonne etiã à ferendis oneribus liberi? quid? occupabantur ne in lateribus, sicut & alij Hebræi cõficiendis? nõne eorũ meritis aliquid deferendum? Aliqui ex interpretibus vt Abul. & Hugo Card. tenent Moysem & Aaronẽ vilibus munijs, conficiendis operibus occupatos. En vt impius nescit aliquid meritis tribuere, sed apud ipsum æqualis sunt æstimationis vir nullius autoritatis, & maximæ venerationis! *Ipsi* (inquit cit. Card.) *vt alij laborabãt, nulli parcebat Pharao:* & Abul. *Ecce qualiter licet essent viri venerabiles valde, tamen nihil eis Pharao super cæteros impendebat honoris.* 37. Hugo Card. Abulens.

*Verus Rex libertatem suorum, Tyrannus seruitutem requirit.* 38.

*Quare sollicitatis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra.* Ecce cum omni summissione & honore debito facultatem secedendi in desertum sacrificij Deo offerendi gratia petierunt. Cur eos ad onera mittẽs, conquereris otio vacare, feriari, ab operibus suis cessare? cur nimia seruitute eos vis opprimere? quia in hoc verus Rex à Tyranno differt, quod ille suorum libertatem requirit, iste autem seruitutem & oppressionem; B. Amb.
quod confirmat Amb. lib. 2. epi. 17. *Neque imperiale est libertatem dicẽdi negare, nihil enim in vobis imperatoribus tam populare & amabile est quàm libertatem, etiam in iis diligere qui obsequio militiæ vobis subditi sunt, siquidem hoc interest inter bonos & malos principes, quod boni libertatem amant, seruitutem improbi.*

## *VARIETAS LECT. à Vers. 5.*

*Vulg.* Dixit Pharao, Multus est populus terræ, videtis quod turba succreuerit, quantò magis si dederitis ei requiem ab operibus.

*Sept.* Ecce nunc valde multiplicatur populus, non igitur cessationem illis demus ab operibus suis.

*Cald.* Ecce nunc, multus est populus terræ, & cessare facitis eos ab operibus suis?

*Pag.* Ab oneribus suis.

*Vulg.* Præcepit ergo in die illo præfectis operum & exactoribus populi dicens.

*Sept.* Præcepit exactoribus operum populi & scribis dicens.

*Vulg.* Nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius, sed ipsi vadant & colligant stipulas.

*Sept.* Non vlterius adiicietis dare paleam populo ad laterificium, sicut heri & nudius tertius, sed ipsi vadant & colligant sibi paleas.

## EXPOSITIO.

*Multus est populus terræ*, populum terræ dicit A populum Israël per contemptum, *videtis quod turba succreuerit* quamuis oneribus prematur, *quantò magis si dederitis eis requiem ab operibus*, quantò magis si otio vacare & molliter viuere permittantur, *præcepit in die illo præfectis operum & exactoribus*: præfecti honorabiliores erant exactoribus, qui scilicet exigebant præfixum laterum numerum, virgasque in manu habebant, vt punirent eos qui pensum laterum non æquarent, *Nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres sicut prius*: Duplex est genus laterum, alij parui, alij maiores, inter quos est illud discrimen, quod primi non habent commixtã paleam, & in furno decoquuntur: alij verò commixtas habeant, & exsiccantur ad solem; priores sunt ædificiis aptiores; *Sed ipsi vadant & colligant sibi paleas* ad numerum destinatum laterum conficiendum sicut cum palea ministrabatur.

## CONCEPTVS.

### *Diabolus est qui circa corruptibilia vult laborem hominum impendi.*

39. *Præcepit Præfectis operum & exactoribus nequaquam vltra dabitis paleas ad conficiendos lateres &c.* B Cur ita compelluntur ingenui homines, (quales erant Israëlitæ) colligere paleas & stipulas? cur ita tot oneribus premuntur conficiendorum laterum gratia? An Deus vel homo vel potius Diabolus eos vrget ad huiusmodi laborem etiam non ferendum? sane Pharao figura Diaboli, qui pro caducis & rebus perituris exactionem inducit, à Deo autem non venit vt pro huiusmodi rebus homines ita anxiam nauerint operam: De vtroq; fusius S. Germ. oratione in adorat. Crucis fatur. *Ibi Pharao Tyrannus erga Israelē hic Satan indefessus hostis totius humanæ societatis; affligebantur ibi luto & opere lateritio Israelitæ & collectione palearum, hic pro rubra argilla carnis suscipiunt carnes, & mundi amatores omnem laborem & operam:* C *sed est grauis etiam exactor & inexorabilis impulsor, vergens ad irrequieta tenebrarum opera virtutum commeatum assumens ad solam palearum collectionem nos impellit.* Pro pauenda pecunia carne, pro vita temporali & terrena sustentanda, suscipiunt homines omnem laborem & operam, & quis illos in hæc impulit? an Deus? absit, non Deus, sed Pharao, sed Diabolus, sed rabidissima cupiditatum tyrannis, ad palearum, hoc est ad pereuntium bonorum collectionem homines traxit.

S. Germanus.

### *Sub peccato durissimè seruitur.*

40. *Præcepit præfectis operum & exactoribus nequaquam vltra dabitis paleas ad conficiendos lateres,* D quid ergo? *ipsi vadant & colligant stipulas*, diurno ergo tempore cogentur paleas conquirere, nocturno autem lateres coquere, quid? nonne à labore vacare debent? nonne ab operibus feriari? quid tota die in conquisitione stipularũ occupati, maiorem noctis partem in lateritio opere cõficiendo consumunt? si Israëlitas consideramus sub Pharaonis Tyrannide esse, & in Ægypto, quæ peccatum designat, quid mirabimur? seruus enim peccati nunquam à labore quiescit, sub peccato.n. sub Pharaonis tartarei imperio, durissimè seruitur. Vnde optimè S. Ambr. lib. de Naboth cap. 6. *Qui seruit peccato semper in laqueis, semper in vinculis est, nunquam liber à compedibus, quia semper in criminibus: quam misera seruitus seruire peccatis, naturæ nescit munia, nec somni ipsius nouit vices, aut cibi fungitur suauitate.*

### *In beneficiis à Deo acceptis ad tentationem nos preparemus.*

*Præcepit Præfectis operum & exactoribus nequaquam vltra dabitis paleas ad conficiendos lateres.* 41. Quid? nonne ô Deus per fidelem seruum tuum Moysem libertatem populo Israël pollicitus es, & hanc iamjam consecuturum dixisti? quomodo ergo nec iam adipiscitur, imò grauioribus quàm antea premitur oneribus? seruitutem duriorem tolerat; quia cum maxima à Deo accipis beneficia, animum ad tentationem præparare debes. *Quid hic quæso est*, ait Oleaster, *Domine, vt prædices libertatē & augeas seruitutē, & laborem pro requie dare videaris? doces nos in beneficiis paratos esse ad tentationes, cum enim spem alicui dat, statim desperatione tentat, & videtur spem quam dedit velle auferre, aut incertam ostendere.*

Oleaster.

### *Quæstus & lucri gratia qua tyrannide non ducuntur impij?*

*Præcepit Præfectis operum & exactoribus nequaquã vltra dabitis paleas ad conficiendos lateres*, Nihil 42. tam regium, tam liberale, tamque munificum est quàm opem ferre supplicibus, afflictos excitare, dare salutem, liberare periculis homines; quomodo ergo Pharao acerbitatem naturæ adiungit, non solum onera grauissima imponit, sed etiam quæ sunt ad ea persoluenda denegat necessaria? nonne omne ius anteuertis? quoniam Regum & Magistratuum munus est per se vel per suos ministros diligenter inquirere, qui sunt oppressores pauperum, qui prædones, qui homicidæ, qui grassatores, qui Reipublicæ perturbatores, vt illos iustis coërceant suppliciis, qui verò simplices vendicentur & asseruentur. Hic autem nonne contrarium agit, qui prędones potius quàm prædonum domitores, ad persequendos Israëlitas gentem innocentissimam & obsequentissimam mittit? quid mirum? lucri & quæstus gratia id agebat, & ideo omnimoda ducebatur crudelitate, nec vlli sciebat parcere, vt suæ satisfaceret cupiditati, non longè est ab hoc sensu Basil. hom. 17. quæ est in diuites auaros. *Mare terminos habet, nox item leges antiquas non egreditur; solus auarus nullum circumscribit tempus, non terminum noscit rerum, sed vim naturamque ignis imitando omnia comprehendit, omnia pascitur, & velut flumina ex paruis initiis exeuntia deinde paulatim incrementum intolerabile in processu*

Basilius.

*accipientia, impetu demum violento quidquid obijcitur secum trahunt: sic & ij qui in magnam prouehuntur potestatem, ex eo quod iam aliquos oppresserunt ad maiora continuò facinora maioresque iniurias progrediuntur, ac reliquos quos priùs prætericrant, per oppressiones antea lædunt, fitque eis potentiæ incrementum sceleris occasio maioris*, quoniam secundum

S. August. August. ser. 48. ad frat. in Eremo, *Terra suis limitibus terminatur, aqua suis finibus limitatur, aër suo fine concluditur, cœlum suis terminis arctatur, sola auaritia terminum nescit.*

### *Affligimur in temporalibus, vt nauseam eorum habeamus.*

43. *Præcepit Præfectis operum & exactoribus populi, nequaquam vltra dabitis paleas ad conficiendos lateres.* Hanc parat miseris oppressionem, hanc pœnam suæ captiuitati adiungit, nonne Deus promiserat quod contrita tyrannide, ab exactoribus populum Israël liberaret? cur ergo maiori eum vrget oppressione? sane vt in temporalibus afflictus, eorum nauseam haberet. *Hæc permittebat*

Noster Lyranus. *Deus* (inquit Lyran.) *fieri populo, vt magis desiderarent exire de Ægypto, nec vnquam desiderarent illuc redire, erat hoc ad maius desiderium terræ promissionis, quia quando quis fessus est, vmbra sibi gratior, & quando siti consumitur aqua fluminis sitienti is dulcior.*

### *Ita nobis inuidet Diabolus, vt in desperationem inducere nos contendat.*

44. *Præcepit Præfectis operum & exactoribus populi, nequaquam vltro dabitis paleas ad conficiendos lateres*, destitutus necessariis populus quomodo oneri non succumbet? si enim teneatur paleas inquirere, à lateribus conficiendis eximatur, & stipulas conquiret, & numerum laterum solitum perficiet, quis vtrumque absoluere poterit? nullus: suæ enim mentis est nempe Diaboli, non solum nostræ inuidere fœlicitati, sed nos in desperationem inducere, Fauet Ansel. *Pharao dicens*

Anselmus Laudunensis. *multus est populus terræ, Diaboli typum significat in-*

A *uidentis, quod Dei populus crescat, præcepit etiam præfectis operum, & exactoribus populi, hoc est Dæmonibus, qui præsunt diuersis vitiis, vt populo non dent paleas, id est fidelibus vilem & paruum victum subtrahant, vt ipsi vndecunque illum acquirant, & tamen opera mala non minus faciant, sicut prodigo filio euenisse legimus, ad hoc vt operibus suis opprimantur.*

### *Turpis cogitatio aliis in malum, aliis in bonum.*

*Præcepit Præfectis operum & exactoribus populi, nequaquam vltra dabitis paleas ad conficiendos lateres.* 45. Paleæ ergo ab ipsis antea concedebantur populo Israel laterum conficiendorum gratia. sed quid palea mysticè designat? nam S. August.

S. August. lib. 12. de ciuitate Dei cap. 4. naturam paleæ mi-

B ratur, cuius est tam frigida vis, vt obrutas niues seruet, simulque tam calida virtus, vt poma maturet immatura. quomodo ergo si contrarios effectus producens, aliquid ad mores significare poterit? palea turpem cogitationem denotat, hoc ergo habet quod sicut palea ita frigida, vt niues seruet, ita calida vt fructum immaturum perducat ad maturitatem, sic mala cogitatio frigiditatem in bono, torporemque fouet & conseruat, sed cum ei media gratia quis resistit, merendi non cadendi præbet occasionem: quod confirmat S. Bernard. serm. 34. eorum ser- S. Bernard.

monum qui appellantur parui. *Sub iugo*, inquit, *Pharaonis sunt luteæ opera, id est dissoluta & sordida, ab ipso dantur palea, id est leues cogitationes, palearum est leuiter accendi, & in momento consumi, sic & malæ cogitationes à Diabolo immissæ citò in mentibus nostris accenduntur carnis mollitie consentiente, sed*

C *si viriliter studeamus resistere Deo ipso iuuante, protinus extinguuntur, paleis accensis coquebatur lutum & solidabatur in lateres, similiter prauæ cogitationes quæ sunt lutum paleis delectationis accenduntur, quæ cum transeunt in actum, tunc decoquuntur, cum verò ducuntur in consuetudinem, tunc tanquam lateres solidantur.*



## *VARIERAS LECT. Vers. 8. & 9.*

V*Vlg.* Et mensuram laterum quam priùs faciebant imponetis super eos, nec minuetis quidquam, vacant enim, & ideo vociferantur, dicentes eamus & sacrificemus Deo nostro.

*Sept.* Et summam lateritij quod ipsi faciunt per singulos dies, impones eis, nihil demes, vacant enim, propter hoc clamauerunt dicentes, surgamus & sacrificemus Deo nostro.

*Cald.* Et numerum laterum quem ipsi faciebant heri & nudius tertius, imponetis super eos, nec minuetis ab eo, quoniam otiosi sunt, propterea clamant dicentes, eamus & sacrificemus coram Deo nostro.

D *Vulg.* Opprimantur operibus, & expleant ea, vt non acquiescant verbis mendacibus.

*Sept.* Aggrauentur opera hominum horum, & curent hæc, & non ponant curam in sermonibus vanis.

*Cald.* Aggrauetur opus super viros & occupentur in eo, & non occupentur in verbis otiosis.

*Onkel.* Aggrauetur super illos viros seruitus,

*Pag.* Et ne confidant in verbis mendacij.

---

## *CONCORDIA.*

NOn conuenit inter Hebræos de propria significatione verbi רפה raphah, quod vertimus vacare, nam otiosum esse dicunt, alij remissum esse seu debilitari: verbo similiter שעה sahah varia tribuunt & nostri & Hebræi significata scilicet aspicere, sperare, fidere, occupari, &c.

## EXPOSITIO.

ET *mensuram laterum quam prius faciebant*, Antequam Moyses & Aaron me conuenirent, pro libertate populi Israël, *Imponetis super eos*, præter immensum laborem palearum conquirendarum, *Vacant enim* & otio torpent, *ideo vociferantur eamus & sacrificemus*. Et ideo volunt A feriari, & festis occupari, *Opprimantur operibus*, ex conduplicato labore, *Et expleant*, ea cogantur etiam medijs verberibus explere, *Vt non acquiescant verbis mendacibus*, mendacia quippe vana & dolosa putauit Abarone & à Moyse confecta.

## CONCEPTVS.

### *Ad primam offensionis vmbram, etsi nullam, impij insurgunt in iustos.*

46. MEnsuram laterũ quã prius faciebant, imponetis super eos. Preter palearũ conquisitionẽ, paleæ enim inquit Pharao, non dabuntur eis, ecce propter festucas & paleas persequitur Pharao Israelem: nam non maior numerus laterum requiritur, ecce vt malitia ob paleas, sanctos affligit, sis oculis lucidior in mundo, sis clarior astris, omnes lumine perfundens, ad primam tamen paleæ vmbram, etsi nullam, in te impiorum odia & iudicia trahes: queribundus Dominus videns inimicorum calumnias propter salutem datam Sabbatis, sic calumniatores pungebat Ioan. 7. *Vnum opus feci, & omnes miramini*. At nonne fecit Dominus plusquàm vnum opus? equidem loquebatur de operibus, quæ turbidis oculis inimicorum vmbram offensæ excitare possent. De his autem vnum solum fecit Dominus, nimirum dum curaret Sabbatis, quo religio ex cessatione operis non necessarij constabat. Iesus ergo verus sol iustitiæ, in cuius pennis sanitas omnium infirmitatum, qui tot quotidie miracula perpetrabat, in fulgentissimis beneficiis, populum deliniebat, inter ea hoc vnum fecit opus, quod salutem impertiret in Sabbato, & ob hanc festucæ vmbram calidissimi statim in illum insurgunt aduersarij. Ad hæc eleganter D. Gaudent. serm. 11. ad Neophyt. ponderans Iesu miracula, nimirum mortuos suscitatos, infirmos sanatos, Dæmones expulsos, hominum millia saturata, pergit, *Sed in Catalogo est virtutum adhuc vnum fecerat opus, quod frementi contra se imperito populo Iudæorum quasi verisimilem sæuiendi aditum dedisse videbatur; quod scilicet paralyticum in Sabbato curasset, quod lex Sabbati, otium imperasset: itaque tanquam violati Sabbati reus infectionem perpetitur Iudæorum*. Sic rabidissimi homines, tot miraculorũ lumina prætereuntes, vna violati Sabbati vmbra turbantur, & ob hãc festucam aduersus radiantissimum sanitatum iubar, vehementer insurgũnt.

Ioan. 7. — B. Gaudent.

B — C — D

### *Cum excutere iugum Diaboli volumus, tum grauius ab eo opprimimur.*

47. *Mensuram laterum quam prius faciebant, imponetis super eos, vacant enim & ideo vociferãtur*. Plusquàm ducentos annos in Ægypto seruierant Hebræi, eam tamen seruitutem adeo facilem & suauem arbitratur, vt in ea feriari & vacare credat Pharao. Verum cum fugam meditari cœperunt & de illa seruitute deserenda cogitarunt, longè acerbioribus molestiis à Pharaône exercẽtur, opprimantur operibus luti inquit & expleant ea. Cur à suo regno discessuri magis anxiantur & premuntur? quia Diabolus Pharaone designatus, dum ei deseruiunt peccatores, adulterinam quamdam simulat lenitatem, sed cum ab eo transfugere moliuntur, crudam duramque tyrannidem exercet. Vnde D. Bern. in serm. de conu. ad Clericos c. 18. *Quotidianis*, inquit, *discimus experimentis eos qui conuerti ad Deum deliberant, tentari acrius & concupiscentiæ carnis, & vrgeri grauius in operibus luti & laterum qui Ægypto egredi & Pharaonis imperium effugere moliuntur*. Rem declarat D. Chrysost. hom. 11. in Genes. piratarum similitudine, qui fugientes naues quo pluribus mercibus fuerint oneratæ, eò plenioribus velis insequuntur, *Quemadmodũ*, inquit, *piratæ quando vident nauem multis mercibus oneratam & plurimas adducentem diuitias, tunc potissimum varijs moliuntur insidiis, vt possint mercibus omnibus nauigantes illos spoliare. Ita sane & Diabolus cum viderit spirituales diuitias coaceruatas, alacritatem feruidam, mentem vigilem, & quotidie diuitias augeri, cruciatur, & dentibus frendet, & quasi pirata circuit & innumeras excogitat artes, vt si qua vel paruum inueniat aditum, quidquid nobis est spiritualium diuitiarum deprædetur*.

B. Bernardi — S. Chrysost.

### *Nemo ad summam requiem sine maximo labore peruenit.*

*Mensuram laterum quam prius faciebant imponetis super eos, opprimantur operibus & expleant ea*. Ecce miseris captiuis parat oppressionem, qua funditùs in eis pereat Dei memoria: quid? eitne idem opprimi populum feralissimis exactionibus, & liberari à seruitute? an vnquam seuerius Edictũ proponi potuit, quàm afflicto maiorem addere afflictionem? quàm nouis opprimere oneribus populum dura seruitute constitutum? ita equidem, sed quo tendebat populus? in terram Chanaan, in terram requiei, in terram fluentem lac & mel: quid mirum igitur si tãtam ferat oppressionem? nam nemo ad summã requiem sine summo labore peruenit, *Talia sunt opera prouidentiæ diuinæ*, inquit Lipp. *ita initia sancta grauia sunt ac difficilia, nemo ad summam requiem sine summo labore vnquam contendit*. 48.

Lyppom.

### *Impius Dei sermones mendacia arbitratur & appellat.*

*Mensuram laterum quam prius faciebant, imponetis super eos, & non acquiescant verbis mendacibus* 49.

*cibus.* Nonne vices Dei gerunt Moyses & Aaron & ea quæ tibi proposita fuere, ex Dei iussu dicta fuerunt? an Deo iubente potest mendacium? an quæ à Deo accepere, referentes possunt falsitatis argui? cur ergo populum ais verbis acquiescere mendacibus? quia impietatis est peruersitatis vt Dei sermones arbitretur mendacia, & appellet: vnde

piscopus Veronensi. Citatus Lyppomanus. ait. *Quomodo mendacium habetur quidquid pauperes pro se allegant. & quomodo verbum Dei falsitas est indicio improborum, cultus Dei stultitia illis est, vanitas & risus.* Ne praui enim conuinci possint impietatis, iustos arguunt falsitatis, & vt pij iudicentur, mendaces iustos appellant.

*Impij piorum opera vanitates & otia esse arbitrantur.*

*Mensuram laterum quam prius faciebant imponetis super eos. vacant enim & ideò vociferantur.* 50
Calat *quoniam otiosi sunt propterea clamāt.* Quomodo desidia, & otiosos appellat, quos non ignores Deo sacrificium offerre velle in solitudine? an dici potest sacrificiū, desidia & otium? maxime ab impijs, qui opera pietatis vanitates & otia esse arbitrantur. *Otia videntur* obiecit Oleast. *malis* Lusitanus. *opera piorum, etiamsi maxime laborent in operibus Dei* Deinde subiungit, *nec decipiuntur quoniam omnia mysteria Dei, si ad opera peccatorum conferantur, otia sunt.*

## VARIETAS LECT. Vers. 10. 11. & 12.

**V***ulg.* Igitur egressi præfecti & exactores operum ad populum dixerunt sic dicit Pharao, non do vobis paleas.
*Sept.* Vrgebant autem eos exactores operum, & scribæ &c. non vltra do vobis paleas.
*Vulg.* Ite & colligite sicubi inuenire poteritis, nec imminuetur quidquam de opere vestro.
*Pag.* Vos ite, capite vobis paleas vbi repereritis, quia non diminuo de opere vestro aliquid.
*Vulg* Dispersusque est populus per terram Ægypti ad colligendas paleas.
*Sept.* Non demetur de summa vestra quidquam.
*Cald.* Ad colligendas stipulas & paleas.
*Pag.* Vt colligeret quisquilias pro palea.
*Oleast.* Ad colligendum collectionem pro palea.

## CONCORDIA.

**V**Bi habemus, ad colligendas paleas, in Hebræo est לקשש קש לתבן dictio autem קש Kas quæ vt in plurimum redditur, *stipula*, deducitur à radice chasas, quod est colligere, vnde Oleast. vertit collectionem, per collectionem autem intelligit stipularum congeriem.

## EXPOSITIO.

**E***Gressi præfecti & exactores operum*, qui exequentes illa ea populo manifesta fecere, *Ite & colligite sicubi inuenire poteritis*, vel dono, vel mutuo, vel quacūque alia arte, *nec imminuatur quidquā de opere vestro*, lateritio, *dispersus est populus per vniuersā terrā Ægypti*, id est maior pars populi egressa ad paleatū inquisitionē, alia enim interim lateribus conficiendis occupabatur.

## CONCEPTVS.

*Princeps pluries si quæ suis dederit etiam minima, maxima arbitratur.*

51 **E***Gressi præfecti ad populum dixerunt, non vltra do vobis paleas.* Nonne pudet exiguum donum quale est palea, reuocare? nonne quis omni, dignus esset opprobrio, si à paupere exiguum munus à se datum repeteret? quomodo ergo Rex potentissimus, paleas quibus nihil est vilius, populo Israël datas exprobrat & in posterum se ei negaturum asserit? quia Princeps si quæ suis dederit, etiam minima, arbitratur maxima. *Audis hic*, inquit Oleast. *quanti faciant Principes etiamsi quæ* Oleaster. *minima suis dederint, dat iste paleas quanti faciat munus, vides negando illas.*

*Pauci sunt qui oppressorum causam tueantur.*

52 *Egressi præfecti ad populum dixerunt, non do vobis paleas.* Mirare quæso vna mecum, quam feroces & vehementes sunt impij ad negotia sua aduersus pios & simplices promouenda, nulla deest industria, nulla interponitur mora, nullæ his dantur induciæ, nullæ admittuntur excusationes, cum eis per conceptum animo furorem agere licet, quid libet Pharaonis decretum quantumuis iniustum, & impium citissime ad extremum perducunt exitum præfecti operum & exactores, quorum velocissimi fuerunt, non tantum pedes, sed omnes animi & corporis vires ad effundendum piorum Hebræorum sanguinem! quomodo nullus ex his ministris dixit Regi, impossibile absque paleis necessariis, Iudæos posse statutum laterum numerū absoluere. Cur omnes clamant nullo dempto, Pharaonē negare paleas, & exigere nihilominus præscriptā laterum mensurā? quia pauci sunt apud Principes qui oppressorum causam tueantur, imo apud Principem iniustum (qualis erat Pharao) omnes reperies ministros impios, crudelissimos exactores, vnde recte Salomon Prouer. 29. *Princeps qui libenter* Prouer. 29.

*audit verba mendacij omnes Ministros habet impios,* Sept. *Rege audiente sermonem iniustum, omnes subditi iniusti.*

*Qui subditos indebitè opprimit, nomen Principis non retinet.*

53 *Egressi præfecti ad populum dixerunt, sic dicit Pharao non do vobis paleas.* Nonne Ægypti tenet habenas Pharao, & ab omnibus Rex habetur? quomodo ergo Regis nomine obuoluto silētio solum Pharaonem nominant etiam ipsimet præfecti & exactores præcipue cum de Regis edicto agitur? nam cū princeps aliquid præcipit obseruandū, præmittitur Regia dignitas & dicitur, Rex tale vel tale imperat: inspiciamus de quo hic agitur, sane de iniusta populi oppressione, dixerat enim antea, opprimantur operibus, Cald. B aggrauetur opus super viros, quid mirum si vbi indebitā iubet oppressionem, nomen Regis non exprimatur? qui enim subditos supra modum premit nomen Regis non retinet, hinc bene Synesius de Regno, *Tributis exhaurire ciuitates regium non est, bono enim Principi vbinam tantis pecuniis opus est?* Synesius.

*Cum quis magis opprimitur, tunc maxime speranda est eius salus.*

54 *Egressi præfecti ad populum dixerunt, &c. non do vobis paleas,* Et nihilominus solitum numerum laterum, cum paleæ vobis ministrabantur, soluetis. Coacti sunt igitur Israëlitæ labore multo paleas colligere, & contrahere ex tota Ægypto pro lateribus conficiendis, & non ex vna parte, sed circumfusi vndique non sine grandi fatigatione vsque ad ludibrium impiorum: quis tūc credidisset hunc populum ita oppressum, Deum habere clementem & potentissimum, qui in extremam miseriam suos protruderet cultores? non hæc fieri poterant sine fidei tentatione, in pus, & sine blasphemiis irridentium Deum Israelis: quomodo oneri non succubuere? quomodo Deo vltimum vale non dixere? quia tunc maxime populus Dei affligitur cum propinqua est salus, & libertas: quod Christus D. annunciat Luc. 2. nam postquam quæ in finali iudicio euentura sunt, Luc. 21. proposuit, & quantæ illud antecedent angustiæ, ait, *His autem fieri incipienti' us respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

*Mira debet esse erga superiores obedientia.*

*Egressi præfecti ad populum dixerunt, &c. non do vobis paleas.* Et tamen à vobis conficiendus est solitus laterum numerus; his auditis, *dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad conficiendas paleas.* Quid? non famem, non sitim, non aëris intemperiem aut quantumuis tempus onerosum causatur? quid de labore immenso non conqueritur, sed statim intellecta Regis voluntate vniuersos peragrauit Ægypti campos ad colligendas paleas laterum conficiendorum gratia? cur non obediret promptissime cum Rex imperaret, cuius imperio resistendum non est? vnde S. Ioan. Damas. lib. 1. Parallel c. 21. ait, *Subijciamur tum Deo tum ijs qui in terra imperium gerunt, Deo quidem omnibus de causis, Principibus propter ordinem publicaque disciplinæ rationem Deinde præfectos eos qui à Regibus creantur, quamuis improbi* C *sint, quamuis fures, quamuis denique alio vllo crimine constricti, metuere tamen debemus, nec propter eorum improbitatem eos aspernari, sed propter eius à quo creati sunt dignitatem, vereri.* 55 S. Ioann. Damas.



## VARIETAS LECT. Vers. 13. & 14.

VVlg. Præfecti quoque operum instabant dicentes, complete opus vestrum quotidie, vt prius facere solebatis quando dabantur vobis paleæ.

*Sept.* Exactores autem operum vrgebant eos dicentes, perficite opera assignata quotidie, quemadmodum & quando dabatur palea vobis.

*Pag.* Perficite opera vestra de die in diem.

*Vulg.* Flagellatique sunt qui præerant operibus D filiorum Israël ab exactoribus Pharaonis dicentibus, quare non impletis mensuram laterum sicut prius nec heri nec hodie?

*Sept.* Et flagellati sunt scribæ de genere filiorum Israël, qui impositi fuerant super ipsos à præfectis Pharaonis, dicentes, cur non perfecistis summas vestras laterificij, etiam hodie quemadmodum heri & nudius tertius?

*Cald.* Percussique sunt præpositi filiorum Israël, quos constituerant super eos præfecti Pharaonis dicentes, quare non complestis numerum vestrum, vt conficeretis lateres, sicut nudius tertius, nec heri nec hodie?

*Pag.* Et cæsi sunt præfecti filiorum Israël, quos posuerunt super eos exactores Paroh dicendo, cur non perfecistis præceptum vestrum vt laterificaretis sicut heri & nudiustertius etiam heri etiam hodie?

*Arias.* Cur non perfecistis statutum vestrum ad laterificandum.

*Oleast.* Quare non perfecistis statutum vestrum ad conficiendos lateres heri & hodie, sicut heri & nudiustertius?

*Aly.* Quare non perfecistis constructiones vestras lateritij?

### CONCORDIA.

VBi noster vulg. habet mensuram laterum, in Hebræo est חקכם ללבן chakchem lilbon quod & pensum, & demensum & statutum, & præceptum vestrum lateritium, aut in lateribus conficiendis, seu vt laterificaretis verti potest. Deinde more solito interpres Hebraismum restringens scite vertit, sicut prius nec heri nec hodie.

## EXPOSITIO.

*Præfecti quoque operum instabant*, Nempe Præfecti Ægyptij Hebræos vrgebant *Complete opus vestrum vt prius, &c.* Licet vobis paleæ non dentur vt antea, non est licitum à numero laterum statuto conficiendo cessare, *flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israël*, à Præ- A positis enim Ægyptiis præfecti sunt quidam à populo Israël, qui cum compellerent ad laborem, Hebræi autem præfecti tanquam inferiores Ægyptiis, ab illis sunt percussi, *quare non impletis mensuram laterum sicut prius?* mensura hic accipitur pro numero.

## CONCEPTVS.

*Præfecti subditorum reddent rationem, & pro eis pœnas exoluent.*

56 *Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israël.* Cald. *percussique sunt præpositi filiorum Israël.* Cur hi percutiuntur, cur flagellantur? populus qui tenetur statutum numerum laterum conficere, puniatur si non reddiderit. Cur ipsius populi præfecti cæduntur, non autem populus? quia præfecti & superiores subditorum reddere debent rationē, & pro eis pœnas subire, vnde optime Abulens. *Quando non complebat populus labores, periculum erat super præpositos Israël, quia illi erant reddituri rationem, & non populus.*

Abulensis.

*Mundi graue imperium.*

57 *Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israël.* Quid? nonne satis erat paleas populo non dedisse, & nihilominus obstrinxisse, vt solitum laterum numerum conficeret ac si paleæ ei darentur? cur verberibus flagellatur? cur cæditur cum voluntas ei non deficiat sed potentia? nonne Ægyptus huius mundi est symbolum? quid mirum si in ea degentes male habeantur, seuere flagellentur, & tyrannice cædantur? quia per hoc sane adumbratur ad viuum grauis illa tyrannis, qua mundus filios imo seruos vanitatis oppressos tenet, quibus ad opera negantur paleæ, hoc est subsidia, & flagella demum post exactum opus (heu quæ mundi præmia!) infliguntur! vbi sic Lippom. *Ad calamitatem laborum in corpore adiicitur quoque mentium perturbatio, cum audiant nullam ipsis haberi commiserationem vel gratiam, augerique crudelitatem præfectorum, vt adigantur ad extremam desperationem, vt Dominum etiam Deum suum dubitent sibi propitium & clementem, de cuius iam pietate in se Prophetas audierat, hos nunc mentitos credere incipiant, tentatione adacti prævalida.* Quam multi nunc B hodie crudeliter à mundo, cui deseruiunt, accepti, vitam trahunt infœlicem, ac desperati demum emoriuntur.

Lyppom.

*Impij occasionem alios affligendi perquirunt.*

58 *Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israël.* Nonne vobis compertum erat non posse eumdem numerum laterum conficere, sicut antea cum paleæ illis non denegabantur? si enim cū abundarent paleis, difficile lateres fiebant, statuti, quomodo nūc cū in eis conquirendis tempus maximum teritur, & consumitur, idem opus lateritium exigitur? quia nescit impius occasionem alios affligendi non requirere. *Contra rationem* (inquit Lyppom.) *& omnem humanitatem de industria exigebant opus factum non possibile, vt occasio haberetur eos durissime affligendi.*

Auctor Catenæ.

*Quibus premuntur qui Deo seruire volunt?*

59 *Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israël.* C Non est dubium etiam grauiter cæsos qui de populo lateribus conficiendis addicti erant, cur à vobis ita male afficiuntur? nam in quo iniuriam accepit Pharao, vt ilico præciperet dura seruitute opprimi? labore eos cōtinuo vrgeri? solum petierunt facultatem secedendi in desertum sacrificij Deo offerendi gratia; ita equidem, & ideo ab impiis sic grauiter cæduntur, tyrannice flagellantur, quia qui Deo seruire desiderat, quas non patietur molestias? *In hunc modum* (inquit Procop.) *sollicitat diabolus eos qui Deo dare operam student.*

Procopius.

## VARIETAS LECT. Vers. 15. & 16.

*Vulg.* Veneruntque præpositi filiorum Israël, & vociferati sunt ad Pharaonem dicentes, cur ita agis contra seruos tuos?

*Sept.* Ingressi autem scribæ filiorum Israël, clamauerunt ad Pharaonem dicentes, vt quid sic tu facis amicis tuis?

*Vulg.* Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur, en famuli tui flagellis cædimur! & ininste agitur contra populum tuum.

*Sept.* Palea non datur famulis tuis, & late- D rem nobis dicunt facere, & ecce pueri tui flagellati sunt, facies igitur iniuriam populo tuo.

*Cald.* Ecce serui tui percutiuntur, & peccat super eos populus tuus.

*Onk.* Ecce serui tui verberantur, & peccat contra eos populus tuus.

*Pag.* Ecce serui tui cæduntur, & punitur populus tuus

*Alij.* Peccatum populi tui est.

## CONCORDIA.

NOster vulg. legit. iniuste agitur contra populum tuum, cum in Hebræo habeatur עמך וחטאת vechatah hammecha, quod varijs modis exponitur; alij namque reddunt, & peccabit populus tuus, dicuntque futurum esse pro præsenti, A idest peccat, quasi dicat peccati reus iudicatur, vt חטאת sit sicut חטאה & tau ponitur vice ה he & א quiescit. Alij & peccatum populi tui est, qui autem verunt & punitur populus tuus, subintelligunt quasi peccauerit in regiam maiestatem.

## EXPOSITIO.

V*Enerunt Præpositi filiorum Israël*, qui ab exactoribus flagellati fuerunt, *& vociferati sunt ad Pharaonem*, vt liberarentur à grauissima oppressione, *cur ita agis contra seruos tuos?* iniusta improperans, *paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur*, quo nihil iniquius, *& flagellis famuli tui cædimur*, quasi nocentes, cum tamen ad impossibile non teneamur, *iniuste agitur contra populum tuum*, quod flagellemur nihil B male meriti.

## CONCEPTVS.

### *Regio honori etiam offensi timeamus detrahere.*

60. *Venerunt Præfecti filiorum Israël & vociferati sunt.* En famuli tui flagellis cædimur, & iniuste agitur contra populũ tuum! nonne vobis compertum est per experientiam, oppressionis tyrannicæ seruitutisque acerbissimæ auctorem ipsum esse Pharaonem, qui iussu suo præceperit sic inhumaniter tractari & denegatis paleis solitum numerum laterum conficere? cur igitur in tertia non autem in secunda loquimini persona? deberetis enim dicere, cur iniustè agis contra populum tuum? quia regio nomini etiam offensi non debemus detrahere, *Non dixerunt*, obseruat noster Lyran. *iniuste agis, ne Regem offenderent. vel honori regio detraherent, sed dicunt iniuste agitur.* En vt eum iniustitiæ non arguunt, sed maiestatem venerantes regiam, quasi in alios hoc crimen retorquent. (Noster Lyranus.)

### *Mali ministri Dominorum passiones sequuntur, non rationis dictamen.*

61 *Venerunt Præfecti filiorum Israël, & vociferati sunt, cur ita agis contra seruos tuos?* Medijs Ministris qui nos dirè verberant, qui flagellis nos cædunt, nec nostro parcunt labori, imo D nobis imponunt onera, quæ nullo modo ferre possumus, quomodo nulla compassione ducti erga populum Israël, à tot oneribus non exemerunt? quid mirum, cum Pharao eum intensissime prosequeretur odio? mali enim Ministri dominorum passiones sequuntur non rationis dictamen, *Commune hoc est*, annotat Oleast. *vt torue aspiciant serui eos quos viderint à Dominis odio haberi: nam odio habent quos Domini oderunt, etiam si cognoscant Dominos irrationabiliter odisse, transierunt enim in affectum eorum, vt eos solos diligant aut odio habeant, quos oderunt vel amant Domini eorum.* (Oleaster.)

### *Plures mediis in ærumnis deficiunt.*

*Venerunt Præfecti filiorum Israël, & vociferati sunt, cur ita agis contra seruos tuos?* Nonne vexatio dat intellectum? quomodo ergo quasi eo carerent, & mente capti Dei immemores solum se hominis profitentur famulos, non autem Dei? nonne creatoris benignissimi obsequium præferendum Principis opprimentis tyrannice famulatui? Dicite igitur vos Dei seruos esse: licet ærumnis oppressi, videntur tamen Dei immemores, nec in virtute profecisse. Obseruatio est Procopij Gazæi. *Harum* (nempe C ærumnarum) *impetu quidam claudicant, vt accidit ea tempestate populo Israelitico, quidam vero his probantur, & virtutis incrementa capiunt, repugnantes tyranno qui conatur eos à cœlesti meditatione auellere.* Sed expressius Origen. homil. 3. *Superati verberibus nonnulli à fide decidunt, & confitentur se esse populum Pharaonis.* 62 (Procop. Origen.)

### *In hoc sæculo fere omnes pro paleis laborant.*

*Venerunt Præfecti filiorum Israël, vociferantes ad Pharaonem, cur ita agis contra seruos tuos?* 63
D Iustissime conqueruntur, nam non solum grauissime cæduntur, sed ne verberibus daretur locus, omnem adhibuerant diligentiam, nullum non mouerant lapidem, nam dispersus est populus per vniuersam terram Ægypti ad colligendas paleas: verum vt mysticus nascatur conceptus, quomodo solum pro paleis colligendis, à populo tantus impenditur labor? quia in hoc sæculo, pro quibuscunque temporalibus solliciti, solum pro paleis laborant, *Quidam*, inquit Stephan. Cãtuar. apud Tilman. *sectantur negotiationem, quidam curiam, & alij alia ministeria, & hoc totum fit propter paleas, id est propter temporalia acquirenda,* vnde August. *palea es, & non times, ne totus ardeas, paleas dum sequeris, palea efficieris.* (Stephanus Cantuar. August.)



## VARIETAS LECT. Verſ. 17.

*Vulg.* Qui ait vacaris otio, & idcirco dicitis eamus,& ſacrificemus Domino.
*Sept.* Vacatis,otioſi eſtis.
*Cald.* Otioſi eſtis,otioſi.
*Pag.* Vacatis,vacatis.
*Oleaſt.* Laxati eſtis, ſeu remiſſiores facti.
*Vulg.* Ite ergo & operamini, paleæ non dabuntur vobis, & reddetis conſuetum laterum numerum.
*Sept.* Nunc autem euntes operamini, palea enim non dabitur vobis, & ſummam lateritiȷ reddetis.
*Vulg.* Videbantque ſe præpoſiti filiorum Iſraël in malo, eo quod diceretur eis, non minuetur quidquam de lateribus per ſingulos dies.
*Sept.* Videbant autem ſcribæ filiorum Iſraël ſeſe in malis, dicentes,non omittetis de lateritio, quod aſſignatum eſt in die.
*Arias.* Viderunt Præfecti filiorum Iſraël ſe in malo, dicendo,non diminuetis de lateribus veſtris rem diei in die ſuo.

## CONCORDIA.

Vulg. habet vacatis otio Hebraice autem eſt נרפים אתם נרפים otioſi vos otioſi רפה raphah autem,vti ſuperius diximus, variæ eſt ſignificationis.

## EXPOSITIO.

*Vacatis otio.* otium imponit,*& idcirco dicitis eamus & ſacrificemus*,vt vos à labore eximatis ſacrificia ſimulatis. *Ite ergo & operamini,* non conquerentes de nimio onere,*palea non dabuntur vobis*,proprio ore confirmat quod Præfecti eius iuſſu edixerant, *videbantque ſe præpoſiti filiorum Iſraël in malo*, ſe in maximis anguſtiis conſtitutos eſſe deprehenderunt, vel ſecum male & peruerſe agi, ex eo quod diceretur eis, *non minuetur quidquam*,idem numerus laterum à vobis exigetur, quamuis paleæ vt antea vobis non miniſtrentur.

## CONCEPTVS.

*Diabolus ab operibus pietatis omnino nos reuocare contendit.*

64 *Vacatis otio,& idcirco dicitis eamus vt ſacrificemus Domino.* Ne autem pigritantes, nimiæ indulgeatis deſidiæ, à vobis exigam idem opus lateritium, ſine paleis, & cum illi operibus pietatis volunt intendere, ſacrificium Deo vero offerre, cur inſolitum imo impoſſibile eis onus imponis? quis ei non ſuccumbet? quis quod præcipis præſtare poterit? nullus, nec mirũ, quia aduerſarius noſter Pharaone deſignatus, omni conatu,omnibus modis ab operibus pietatis nos reuocare contendit,neſcio ſi aduertens dixerit Rabanus *(Rabanus Maurus.)* *Ex quo in animam hominis ſermo Dei perlatus fuerit,acrius callidius hoſtis inſurgit,& maiora vitia quibus vincatur immittit.* Sed clarius Greg. Nyſſ. *(Gregor. Nyſſ. lib. de vita Moyſ.)* *Tyrannus ac hoſtis noſter humanæ naturæ deprauator,ſemper ſtudet ne ad cœlum oculos eleuare poſſimus,ſed in terram continuo inclinati lateres in ea ex luto faciamus.* Addamus auctorem cat. Græc. *(Auctor Catenæ Græcæ.)* *Hinc facile monemur, qualis ſit contra nos aduerſarius,qui ne reſpirare quoquo modo poſſimus,& ad contemplandum Deum intendere mentem,labores nobis & negotia conduplicat.*

*In hac vita neſcit aduerſus populum Dei minui tribulatio ab impiis.*

65 *Vacatis otio ite & operamini.* Nullis vobis datis Paleis conſuetum numerum laterum reddetis, an ſolum per aliquot dies aut menſes tenebimur hanc menſuram reddere? per ſingulos dies inquit non minuetur quidquam operis, nonne poſt laborem requies? nonne in hoc ſæculo nihil durabile? quomodo ergo populus Iſraël ſub onere oppreſſus,nullam ſentiet requiem, ſed vſque ad vltimum vitæ halitum tenebitur grauiſſimo labori obſtrictus? quia neſcit in hac vita aduerſus populum Dei minui tribulatio: *Diſcimus*, ait Cyrill. Alexand. lib. 11 in Ioan. 1.25 *(D. Cyrillus Alexan.)* *Hinc non poſſe ſatiari aduerſariorum animos, in perſequendis amicis Chriſti, ſed vſque ad vltimum ſpiritum magnum vndique tentationum commouent æſtum, neſciunt manſueſcere fidelium aduerſarij, ſed in affligendis Dei amicis, noua ſemper meditantur, nec iamjam animam agentibus parcunt.*

*Deus ſi continuis permittit nos vrgeri tribulationibus,non vt opprimat, ſed vt in peccata non prolabamur.*

66 *Vacatis otio, ite & operamini, palea non dabuntur vobis, & reddetis conſuetum numerum laterum.* Accuſantur Iudæi deſidiæ, & tanquam otioſi & ſupini, indicta cauſa condemnantur, perperam Iudæis oſcitantiam obiicit, vt ampliorem eos affligendi ſumat occaſionem, & vt eos vſque ad vltimum vitæ halitum opprimat, cur eorum laborem intermitti &

relaxari, ô Deus erga tuos misericors non pate- A
tis? non minuetur inquit Pharao quidquam de lateribus per singulos dies, quis hoc onus tolerare poterit? nonne merito conqueri poterunt se nimium vrgeri sese tyrannicè opprimi? cur conquererentur? nam si Deus nos continuus permittit premi tribulationibus & ærumnis, sane non vt opprimamur, sed vt in peccata non prolabamur. si Deus variè nos exercet sane in nostri emolumentum contingit, quod late ostendit D. Petrus Damian lib. 6 Epist. 5 *Hoc continui laboris, inquit exercitium est, vereor, solerti satis ac prouida magisterij arte prouisum, vt leuium atque infirmorum fratrum fragilitatem reprimat, & delinquendi propemodum occasionem tollat, quatenus etiamsi velint præter cogitationem peccare vix possint: fragilium igitur imbecillitati consulitur, dum in persoluendo continui ordinis penso, totum non modo diurni sed & nocturni temporis spatium profligatur: nā* B *& ipse omnipotens Deus hoc humanæ salutis vti dignatus est argumento, cum populo per deserta gradienti ex mandata proposuit, operosum videlicet atque inexplicabile tabernaculum fabricari, diuersa sibi sacrificia per tot ceremonias & ritus offerri, ipsum castrorum ordinem siue residentium siue commeantium, tam mysteriosa quam mystica varietate distingui, quatenus dum sese in his iugiter exercet resolui carnalis plebs ad idola colenda non posset: sane dum populus ille non operibus textrinis insisteret, non contraria arti operam daret, non denique studium agriculturæ dependeret, non vllis prospiciendæ necessitatis laboribus insudaret multiplicibus, occupandus erat, Deo legem promulgante mandatis vt dum hæc cum labore persolueret, nequaquā otio resolutus in sacrilegium declinaret, nemirum id etiam Pharao tentabat vsurpare, cum diceret vacatis otio & idcirco dicitis, eamus & sacrificemus Domino.*

D. Petrus Damianus.

*Plures affliguntur, vt aliorum deinde misereantur.*

67. *Vacatis otio ite & operamini, non dabuntur vobis paleæ, & reddetis consuetum numerum laterum.* Quem exactores proprio aduersus Iudæos odio pulsi, & ex naturali mentis feritate exigebant, quis hos sæuissimos homines non argueret? quis inclementissimos non diceret? sæuissimi quidem & inhumanissimi, sed tamen in bonum Israëlitarum, qui ideo premuntur grauiter, & varijs probantur ærumnis, vt aliorum deinde scirent misereri. Fauet August. lib. de vita Christ. c. 8. Hanc
„ fuisse puto (*inquit*) rationem, quod Deus popu-
„ lum suum quem elegerat præceptis misericor-
„ diæ, pietatis, iustitiæ, cæterisque bonis operibus
„ cupiens erudire, voluit eum in externa patria pro
„ tempore peregrinum & captiuum esse, vt capti-
„ uitatis & peregrinationis miserias disceret, & la-
„ bores, quo facilius post modum misereri peregri-
„ nantibus & laborantibus nosceret, si ipse ante pe-
„ regrinationis miserias didicisset: nemo enim tam

D. August.

A libenter peregrino & aduenæ miseretur, quam «
qui peregrinationis exitus nouit, nemo libentius «
hospitem sine tecto suo intro inducit hospitio, nisi «
qui ante indiguerit alieno, nemo ita esurientem «
cibat, nemo sic sitientem potat, nisi qui sitim esu- «
riemque perpessus est: nemo tam facile nudum «
operit suis vestimentis, quam qui nuditatis & fri- «
goris nouit iniuriam: nemo sic tribulato & mise- «
ro & laboranti succurrit, quam qui tribulationū «
& miseriarum casus expertus est & laborum: me- «
rito ergo Deus misericordiæ & pietatis magister «
qui legem post modum erat editurus, per quam «
populo suo misericordiæ & pietatis omniumque «
bonorum operum præcepta erat traditurus, voluit «
eum prius omnes passiones, pressuras, tribulatio- «
nes, & angustias in terra perpeti aliena, quo faci- «
lius postea posset talia patientibus misereri, & sic «
B suis obtemperare mandatis, ipsius enim mandata Exod. 22.
Domini ad Israelem sunt transmissa Exod. 22. «
aduenam non contristabis nec affliges: aduena «
enim & ipse fuisti in terra Ægypti. & iterū Leuit. Leuit. 19.
19. si habitauerit aduena in terra vestra, & mora- «
tus fuerit inter vos, nec exprobretis ei, sed sit inter «
vos quasi indigena, & diligetis eū quasi vosmet- «
ipsos, fuistis enim & vos aduenæ in terra Ægypti. «
Et iterum Deut. 24. nolebat Dominus manipulo- Deut. 24.
rū, frugū, aut racemorū reliquias denuo colligen- «
das, sed illas esse aduenis & pupillis & viduis re- «
linquēdas, in memoriā seruitutis Ægypti, ac verba «
Domini sunt, quādo messueris segetē in agro tuo «
& oblitus manipulum reliqueris, nō reuerteris vt «
tollas illum, sed aduenam, & pupillum, & viduam «
auferre patieris vt benedicat tibi Dominus Deus «
C tuus in omni opere manuum tuarum &c. me- «
mento quod & tu seruieris in Ægypto, &c. «

*Male erga alium affectus quid ei non improperat?*

*Vacatis otio.* Cald. *otiosi estis, otiosi.* Caiet. *pigri vos pigri*, accusantur Iudæi pigritiæ, & tanquam desides & supini indicta causa condemnantur; ipsos autem minimè fuisse feriatos certo certius est, quid ergo nunc mentitur tyrannus dicens, vacatis otio, pigri estis? quid autem vilius potest obijci quam otium? graue enim est otium inquit Chrysost. hom. 15. in Genes. & Bern. lib. 2. de consid. Cauendum est otium, in otio fugienda otiositas, mater nugarum, nouerca virtutum. Cur D ergo hoc eis vitium exprobrat, cum ita laborarent vt oneribus succumberent? sane in ipso verissimum est illud Salom. Prouerb. 10. *Odium suscitat rixas.* Siquidem liuor cum è venenato corde erumpit, concitat tragœdias, & inimicas contentiones, & cum quempiam pertinaci odio prosequimur, facile aduersus illum in verba probrosa & falsa prorumpimus, quod maximè fecit impius & acer iste tyrannus, ideo perperam Iudæis oscitantiam obijcit, vt ampliorem eos affligendi sumat occasionem. 68

D. Chrys.
D. Bernard.
Prouer. 10.



*VARIETAS LECT. Vers. 20. & 21.*

Vulg. Occurreruntque Moysi & Aaron, qui stabant ex aduerso egredientibus ex Pharaone.

*Sept.* Occurrerunt autem Moysi & Aaron ve-

mentibus in occursum eius, cùm ipsi egrederentur à Pharaone.

*Vulg.* Et dixerunt ad eos, videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius, & præbuistis ei gladium vt occideret nos.

*Sept.* Videat vos Deus & iudicet quoniam execrabilem fecistis odorem nostrum palam Pha- A raone, & seruis eius.

*Cald.* Appareat Dominus super vos & vindictam sumat.

*Onk.* Reuelet se Dominus super vos & vlciscatur.

*Symm. & Aquila.* Putrescere fecistis odorem nostrum.

## CONCORDIA.

Certum est verbum באש bas in coniugationem Kal fœtere, putrescere, significare, & in coniugatione niphal abominabilem esse; dicere, verbũ autẽ שפט saphat, licet interpretetur iudicet, sumitur tamen etiam pro effectu iudicij, B nempe pro punitione.

## EXPOSITIO.

*Occurreruntque Moysi & Aaron,* Nempe præfecti Hebræorum, *qui stabant ex aduerso,* è regione eorum: apparet igitur Moysem & Aaron aliquo in loco expectasse regressum exactorum à Rege, vt intelligerent, quid nam cum eis esset actum, *videat Dominus & iudicet,* puniat malum quod contra nos egistis, *quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone,* Hebraismus est, abominabiles & odiosos nos illi reddidistis, quod fœtor omnibus sit ingratus, *& præbuistis ei gladium vt occideret nos,* id est occasionem & ansam præbuistis occidendi magisque grassandi, metaphora sumpta ab illo qui furioso homini ensem nudatum exhibet.

## CONCEPTVS.

### *Passio mentem obtenebrat.*

69 *Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone.* Sept. execrabilem fecistis odorẽ nostrum, nonne liberator vester est Moyses, à Deo destinatus: nonne pro vestra salute, & vt vos à tyrannide Pharaonis eripiat, imminenti periculo sese obiicit? cur ergo vestræ quasi maioris seruitutis & durioris oneris impositi causa esset, eum arguitis? vosque coram Pharaone & seruis eius execrabiles reddidisse asseritis? an bonum vobis collatum malo compensatis? quem venerari deberetis indignationis regiæ auctorem appellatis? quid mirum? iniuria doloris, passio qua premebantur ex nimia tyrannide Pharaonis, quasi iudicium rationis eis ademerat, vt nescirent quid Oleaster. dicerent, *Non sinit passio* (inquit Oleast.) *afflictos rectum iudicium habere.*

### *Insueta afflictio, quòd auctores bonorum dicantur mala inferre.*

70 *Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone.* Abominabiles & odiosos nos reddidistis Pharaoni, & quasi nihil exprobrassent, subiungunt, *præbuistis illi gladium, vt occideret nos.* En vt homicidij eos arguunt? cur omnem culpam potius in Pharaonis tyrannidem & mentem obstinatam non refundunt, cum ignotum non habeãt Deum dixisse indurabo cor Pharaonis? cur homicidas suæ futuræ libertatis auctores nominant? cur non potius Pharaoni homicidium obiiciunt, vel tot malorum originem suis peccatis non tribuunt? sane insueta afflictio Moysi & Aaroni contigit, quod auctores felicitatis populi Israël nominarentur, tamen illius homicidæ & interfectores, non agnoscunt impietatem & indurationem C Pharaonis, nec meminerunt verborum Domini quæ Moyses concionatus est, ego inquiens indurabo Pharaonem, & non dimittet vos nisi per manum validam, sed inuehuntur in Moysem & Aaron & reiiciunt omnem afflictionum culpam in ipsos, qui etsi pro salute Israëlitarum vitam suam extremis periculis exposuerint, tamen nũc necesse habent multo plura aduersa à suis Israëlitis quam ab ipso Pharaone sufferre.

### *Mala fama teterrimus fœtor.*

*Fœtere fecistis odorem nostrum.* Quo fœtore 71
notari poterant apud Pharaonem? an ex sudore nimio in lateribus conficiẽdis, laboris emanãte à corpore? non equidem, cur ergo hoc modo loquendi vtuntur? aduerte malum incurrisse nomen, ecce enim dicti sunt à Pharaone otiosi, desides, & pigri: rectè igitur dicunt odorem suum D fœtere, quia mala fama fœtor teterrimus est: à quo non est alienus Bernard. serm. 71. in Cant. D. Bernar.
*Hoc dicunt isti de opinione, habent enim & mores colores suos, habent & odores, neque enim in spiritibus idipsum est color & odor, non magis quam in corporibus, ergo de colore conscientia consultetur, de odore fama.*

### *Apud cordatos magis timetur mali nominis fama, quam flagella.*

*Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, iudicet Dominus.* Quia inuisos 72
& abominabiles nos fecistis Pharaoni, cum fœtere fecistis coram eo famam nostram; fama enim odore intelligitur 2. Corinth. 2. Christi bonus 2. Cor. 2.
odor sumus, quia videlicet bonam Christi & Christianismi famam spargimus, vt homines bene de nobis, deque Christo sentiant & loquãtur, sed hoc mirum plane quod nunc de nominis sui

infamia conquerantur. innumera enim mala patiebãtur, labore opprimebantur, flagellis cædebantur, iniuriam sustinebant, durissimè seruitutem tolerabant, & tamen de nullo mussitant, nisi de malo nominis eorum odore coram Pharaone eiusque ministris, ac de mala fama ipsis per Moysem Aaronem que originata; cur ergo non conqueruntur de oppressione, de flagellis, de seruitute, de iniuria? nisi quia apud cordatos (quales potuerent esse præfecti) plus æstimatur bonæ odor famæ, & pluris ducunt bonæ famæ amissionem, quam ipsa flagella, quam ipsam mortem.
2 Mach. 6. Vnde Eleazarus 2. Mach. 6. maluit vita defungi, quam vitam protrahere infamem, maluit supplicium mortis subire quam famæ iacturam.

*Vulgi perpetua instabilitas.*

73 *Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone.* Deus de vobis vindictam sumat, & seuere puniat, occasionem enim Pharaoni dedistis, vt nos oneribus opprimeret, eum cum furentem in nos concitastis: nonne paulo antea Israëlitæ hilari animo audientes, quod visitasset eos Dominus, & quod respexisset afflictionem suam proni adorauerunt in signum lætitiæ, quod Moyses eos liberare descenderet? quomodo nunc ergo contra Moysẽ ita mouetur vt de eius legatione tãquam non solum sibi inutili, sed nociua conqueruntur? quomodo quem paulò ante liberatorem crediderant, iam homicidam calumniantur? præbuistis inquiunt ei gladium vt occideret nos. quia promiscua multitudo ab instabilitate non est immunis, imo nihil ita de facili mouetur in diuersa, ac vulgus inconstantissimum. *Ecce quomodo*, inquit
Lyppom. Lyppom. *vulgi perpetua instabilitas & ingratitudo est in eos, qui ei maxime consulere pergunt.*

*In grauissimis tentationibus non deficiendum.*

74 *Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone.* Nos abominabiles & inuisos Regi & ministris reddidistis, & quasi graui eos non affecissent iniuria, subiungunt, præbuistis ei gladium, vt occideret nos, occisores eos appellant, qui liberatores censeri deberent, nonne grauissima sunt hæc & molesta? sed illud omnibus grauius & molestius, quod ingressi ad suos, innumeraque promittẽtes bona, libertatem, incumbentium malorum ereptionem fallaces esse & seductores putabantur, non solum enim illis tunc leuatum non est imminẽtis seruitutis onus, verum grauius est adiectum, & qui gentem omnem liberaturi sperabantur, idque promiserant, ij cruciatuum & verberum causa esse, insidiatores & corruptores putabantur, quis non mœrore tunc facile fuisset absorptus, cum pollicitus tot malorum ereptionem, post pollicitationem, duriora videret cumulari? quomodo vterque tam Moyses quam Aaron, in hac grauissima tentatione non defecit, cum sibi pro beneficiis impensis, sibi odia rependi videret, & pessimam accusationem? quia licet grauissimis vrgeantur tentationibus, in eis tamen minime deficiendum, quod annotauit Chrysost. lib. 3. de
D. Chrys. prouidentia Dei. *dolebat quidem quãtum par erat cum talia audiret & videret: Non ea tamen perturbatione deiiciebatur, sed manebat immobilis & quidem cum promissionibus ea quæ contingebant non solum non consentirent, verum & maxime obluctarentur.*

*Doctor proficientes animas moneat de tentationibus, ne deficiant.*

75 *Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone præbuistis ei gladium vt occideret nos.* Quidnonne vobis pollicitus est Moyses, quod libertas restituetur, & quod erepti de durissimo Pharaonis imperio, in deserto vestro Deo sacrificium offeretis? quod signis & prodigiis confirmauit. Cur ergo non solum fidem non adhibentes, sed ei detrahentes, homicidam nominatis & fallacem? quia maxima premebantur tentatione, de qua nõ moniti facile ab ea superantur, annuit S. Greg.
D. Greg. Mag. Mag. lib. 1. in Ezech homil. 12. *In Moyse & Aaron lex & Prophetæ significati sunt, & sæpe apud se infirmus animus quasi contra sacra eloquia murmurat, quia post quam verba cœlestia audire & sequi cœperit, Regis Ægyptij aduersitas, id est, maligni spiritus tentatio, excrescit debet ergo vigilanter Doctor proficienti animæ, quæ illam tentationes sequantur innotescere, vt cautam se valeat contra maligni spiritus insidias præparare.*

*Nostra querelæ ad Deum tanquam æquissimum iudicem, referendæ.*

76 *Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, videat Dominus & iudicet*, Præfecti amaro animo, & sine vlla spe remissionis à Pharaone digressi, obuios legatos querulis verbis inuadunt, Deum vindicem iniuriæ ab eis (vt arbitrabantur) acceptæ requirunt, qui eos apud Pharaonem & seruos eius, quorum è nutu penderent, abominabiles, vt res fœtidi odoris reddiderint, gladiumque Regi præbuerint, quo occiderentur, causam videlicet aut occasionem dederint eos vexandi, solito acerbius aut crudelius, sed cur ipsi conquerentes non dixere, nos ipsi tuam puniemus fallaciam? à te pœnas exigemus grauissimas tuæ legationis nobis infœlicissimæ, sed videat Dominus & iudicet vel vt habet Onk. reuelet se Dominus super vos & vlciscatur? Respondet Oleaster,
Hieronym. ab Oleastro *Omnes querelas suas iustè referunt ad iudiciũ Dei, quoniam norunt quam iustus in iudiciis sit, cognoui, ait Psaltes, quia faciet Dominus iudicium inopis & vindictam pauperum.*

## VARIETAS LECT. Vers. 22. & 23.

*Vulg.* Reuersusque est Moyses ad Dominum, & ait, Domine, cur afflixisti populum istum? quare misisti me?

*Sept.* Reuertit Moyses ad Dominum & dixit, precor Domine, cur tam iniquè agis cum populo?

*Cald.* Reuersus est Moyses coram Domino & ait, Domine quare malefecisti huic populo?

*Vulg.* Ex eo enim quo ingressus sum ad Pha-

raonem vt loquerer in nomine tuo, malefe-cit populo huic & liberans non liberasti po- A pulum.

*Pag.* Et eruendo non eruisti populum tuum.

*CONCORDIA.*

HEbraismum omisit interpres; est enim iuxta Hebræum הצל לא הצלת את עמך vehazzel lohizalta eth hammecha in liberando siue liberans non liberasti populum tuum.

## EXPOSITIO.

R*Euersus est Moyses ad Dominum*, mente se conuertens eum deprecaturus, *cur afflixisti populum tuum?* non indignabundus hoc dixit, cur permisisti vt Ægyptij in populum tuum grassarentur, cum grauiter affligentes, *quare misisti me?* B videtur enim quod inaniter, imo nocite in Ægyptum descenderim, ex eo enim quo ingressus ad Pharaonem, iussa tua exequuturus, afflixit populum tuum, maiora enim onera quam antea imponens, *& non liberasti eos*, de dura Ægypti seruitute.

## CONCEPTVS.

*Tempus correctionis obseruandum.*

77 R*Euersus est Moyses ad Dominum*, Quid? nonne tibi illata est grauissima iniuria à præfectis populi Israëlitæ enim hominem fallacem & homicidam dixere, cum potius tanquam liberatorem salutisque suæ auctorem, venerari deberent, cur saltem verbis seuerioribus non vrges? cur suæ non arguis imprudentiæ & præcipitis nimium temeritatis non reprehendis? quis enim C superior subditum ita grauiter errantem, non argueret? aduerte Præfectos Israëlitarum ex nimio dolore perturbatos, nec rationis capaces. Prudenter igitur tunc Moyses eos non obiurgauit, tempus enim correctionis obseruandum, vt proficere posit, non autem nocere: Obseruatio est Episc. Abul. *Non correxit eos Moyses cum potuisset, sed patienter tolerauit illam amaritudinem, & quia vidit eos passionatos, donec sine passione essent expectans, nam Pharao afflixerat eos verbis duris prouocans ad dolorem, ideo amaro & concitato animo egrediebantur ab eo, nec poterant quidquam pacifice loqui. Ex hoc Prælati & omnes Maiores debent obseruare tempora correctionis, quia quandoque corrigere non prodest imo valde pestiferũ est, quia exacerbatur ipse qui corrigi debet, & perditur autoritas castigantis, & hoc est dum* D *passio fortis in aliquo est.*

Episcop. Abulens.

*Cum humana media deficiunt, diuina sollicitanda.*

78 *Reuersus est Moyses ad Dominum* Cur potius Pharaonem non conuenit cum ab eius iussi pendeat, populum à tot lateribus conficiendis eximere? sicut enim præcepit vt paleis negatis, eamdem tamen mensuram absolueret, sic eam potest minuere. Cur ergo ad Deum regreditur auxilium petiturus? quia cum humana non suppetunt media, sicut in hoc negotio, defecisse constat, ex Pharaonis duplicata tyrannide, tunc diuina sollicitanda, *conuersus fuit*, inquit Cit. Tostatus, *ad quærendum à Deo auxilium, cum humana via angustiæ succurri non possent.*

Cit. Episc.

*Oratio Refugium afflictorum.*

79 *Reuersus est Moyses ad Dominum.* Quid? an ab eo discesserat? non equidem, nam præter quod Deus est in omni loco, omnia circumscribens, à nullo circũscriptus, Deũ specialiter sibi præsentẽ habebat Moyses, cur igitur dicitur ad eum reuersus? quia ad eum in angustia & afflictione positus, propter maximam populi oppresionem, cum precibus & oratione accesserat, vt libertatem illius adipisceretur. *Rediit*, obseruat Carthus. *ad aliquem locum orationis*, & Caiet. *ad ipsum fontem essendi reuertitur mente orando, & supplicando vt pote à quo missus fuerat.*

Carthusia. Cardinalis Caiet.

*Iustus in bonum suum affligitur.*

80 *Reuersus est Moyses ad Dominum, & ait Domine cur afflixisti populum tuum?* Cur hoc inquiris à Domino? nam quasi de prouidentia eius in populum suum dubitare videris, cum vnus ex eius effectibus, sit afflictio immissa? quis autem de Deo conqueri potest, quod suos tribulatione premat? tibi ergo respondere poterit, quod Diu. Bernardinus ser. 8. tom. 1. art. 1. cap. 2. *Dantur iustis aduersa ex multiplici causa, primo quia remouent peccandi occasiones, sicut enim abstinentiam & dietam tenere ab indigestionibus preseruat, sic paupertas, infirmitas, & quæcumque alia temporalis aduersitas præseruat à culpis quæ venire solent ex prosperitate delitiarum, diuitiarum, &c. secundo dant mentales occupationes, ne scilicet mens noxia cogitando ruat, tertio sunt iustorum defensiones est enim tribulatio, sicut fossatum muniens castrum mentis à superbia & à cæteris peccatis quæ à prosperitate sequuntur.*

Noster D. Bernardin.

*Deus quos magis diligit, eos maiori afflictionum numero probat.*

81 *Reuersus est Moyses ad Dominum, & ait Domine, cur afflixisti populum tuum?* cur hoc scisci-taris? nam licet variis, imo durissimis probatus fuerit ærumnis, nullo modo interrogare debe-res, cur afflixerit populum suum, tibi enim satisfaceret, quia populus suus, & non quicunque, sed electus, quos enim maiori dilectione prosequitur, maiori etiam afflictionum numero probat & exercet; *Nam nisi natura nostra fragilis & corruptibilis*, inquit Cit. Bernardinus serm. 3. in quadrages. de Cherubim, *satiatur mari*

Cit. Bernar.

*id est amaritudine tribulationum sæculi, fit putrida, & corrumpitur, sicut carnes quæ non sale condiuntur putrescunt.*

*Nulla afflictio euenit nisi ex iusto Dei iudicio.*

82 *Reuersus est Moyses ad Dominum, & ait, Domine, cur afflixisti populum tuum?* An eorum quæ Deus operatur debes ab eo rationem exigere? an tibi eam reddere tenetur? affligit quia voluit, nonne summe recta est eius voluntas? ita equidem, & sic quoscumque etiam dura premit afflictione, sane iustissime premit & vrget: testem profero Sanctum Marcum Exercitorem in disput. quadam cum causidico sæculari. *Superest vt demonstremus* (inquit) *ex aduersis è scriptura quæ cuique accidunt, nullum iniuste euenire sed omnia ex iusto Dei iudicio, dum alij propter sua scelera, alij proximorum nomine patiuntur, iniquis omnia recidunt in sinum, à Deo tamen omnia iustæ: ecce tres pueri in caminum proiecti docent nos ita sentire debere, cum aiunt pro sua culpa & castigatione diuina se iniectos esse, licet aliam personam susciperent: sanctus quoque Dauid dum iussu Dei affligitur à Semei ob facinora propria fatetur se affligi.*

S. Marcus Exercitor.

*Iusti Deum suarum afflictionum auctorem faciunt, vt teneatur eis subuenire.*

83 *Reuersus est Moyses ad Dominum, & ait, Domine cur afflixisti populum tuum?* cur non ais, cum verissimum sit, cur Pharao tanta cum tyrannide & immanitate premit populum tuum Israël? cur potius in Deum tanquam in earum auctorem, has calamitates & ærumnas refundis? Optime Oleast. *Solent iusti Deum facere auctorem suorum malorum, vt ab eo aut vindicentur aut coronentur propter mala quæ eius gratia tolerant.*

Oleaster.

*Iniuriis affectus, earum non solum sis immemor, sed pro te persequentibus exora.*

84 *Reuersus est Moyses ad Dominum & ait, Domine cur afflixisti populum tuum?* Accedit autem ad Deum eum deprecaturus, vt populum à durissima seruitute liberaret, quid? nonne grauissimas accepisti à præfectis populi Israël iniurias? quid enim magis contumeliosum viro ingenuo & benefactori obiici potest, quàm fallacia, & in vitam conspiratio? cur igitur quasi ab eis beneficium accepisses pro eis deprecaris? quia iniuriis affectus, non solum debes earum esse immemor, sed & pro persequentibus & affligentibus diuinam deprecari bonitatem, *Ex hoc apparet,* (inquit Abulens.) *nimia charitas Moysi, quia de verbis mordacibus & amaris in eum iactis, non curabat, sed magis ipsorum pungentia & amaricantium eorum miserias deplorabat.*

Abulensis.

*Quo ad Deum propius accedis, maiores tentationum sentis aculeos.*

85 *Reuersus est Moyses ad Dominum, & ait, Domine cur afflixisti populum tuum?* Sed à quonam tempore ita grauiter eum ærumnis oppressit? à tempore quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo, cum ei testificabar te populi Israël singularem protectorem esse, ipsumque populum ei dilectissimum esse: sed cur obseruat quod ab eo tempore, quo in nomine Dei hæc supradicta comprehendente, maiori ærumnarum pondere premitur quam antea? quia quo propius ad Deum accedis, maiores tentationum sentis aculeos: Fauet Diu. Gregor. Mag. lib. 29. Moral. cap. 14. *Post illuminationem* (inquit) *Diuini numinis tentationis certamen augetur, item hostis quos iustitiæ luce splendescere conspicit, eorum mentes illicitis desiderijs inflammare contendit, vt plerumque plus se vrgeri tentationibus tum sentiant, quam cum lucis æternæ radios non videbant.*

D. Gregori Mag.

*Modus in afflictis consolandis tenendus.*

*Reuersus est Moyses ad Dominum & ait,* 86
*Domine cur afflixisti populum tuum?* Cur tacuisti, acceptis à Præfectis populi grauissimis iniuriis? nonne de eis & eorum nimia petulantia, posses conqueri? cur ergo ad Deum vnicum in arctis præsidium, te conuertis? nonne videat præfectos Hebræorum duræ à Pharaone exceptos? afflictos vltra modum? & nimia agitatos passione? quid mirum igitur, si eos nec reprehenderit, nec in afflictione positos consolatus fuerit? quia modus in afflictis consolandis tenendus, & tempus obseruandum opportune. Hinc prudenter Diu. Basil. serm. de gratiis Deo agendis modum consolandi afflictos præscribit dicens. *Eum quem consolari cupis, prius parum ei quæri sinas, deinde dolore paululum per lachrymas eiulatumque sedato, tunc leniter & humaniter castigabis. Itaque ad patientiam & animi tranquillitatem sensim reuocabis, nam & equorum domitores, equos freno minimè audientes, non statim habenis compescunt aut calcaribus impellunt, sic enim sessores exagitare & excutere discunt, sed eis obtemperando ab initio ac minime resistendo, postquam iram & impetum paulatim consumptum deficere viderint, tunc arte quadam obtemperantes, & ad omnia dociles reddunt.*

D. Basilius.

*Qui patienter plura ab aliis tolerat, eorum vincet animos.*

*Reuersus est Moyses ad Dominum & ait,* 87
*Domine cur afflixisti populum tuum?* Hanc habuit ad Deum orationem, vt populum oppressum subleuaret, qui tamē sibi infensissime loquutus fuerat, eum & fallacem & interfectorem appellans: sed quomodo quem nunc iniuriis & opprobriis afficit, post modum obsequio & veneratione coluit? nonne maxima fuit in Moyse iniuriarum tolerantia? quid mirum igitur si postea ad meliorem frugem reuocatus est populus? quid enim patientia non efficit, aut superat? audiant fideles monitum Diui Augustini serm. 18. de verbis Domini. *Cum quisque* (inquit) *Christianus cœperit bene viuere, feruere bonis operibus, mundumque contemnere, in ipsa nouitate operum suorum patitur reprehensores & contradictores frigidos Christianos, si autem perseuerauerit & eos superauerit, perdurando & non de-*

D. August.

*fecerit à bonis operibus, iidem ipsi vobis obsequentur qui ante prohibebant.*

A

*Deus idololatriam satagit omnibus modis vt exosam habeamus, nec non eius cultores.*

22 *Reversus est Moyses ad Dominum & ait: cur afflixisti populum tuum?* Et hoc etiam interrogationi Mosis adiiciam. Cur passus es, vt Hebræi quo propius aderant ab egressu ex Ægypto, & à liberatione ex seruitute, eo magis affligerentur ab Ægyptiis? dices vt Deus iustiorem haberet causam castigandi Ægyptios, ob tantam eorum inhumanitatem & crudelitatem, quo maiorem atque illustriorem haberet occasionem declarandi potentiam suam, tot & tantis in Ægypto edendis prodigiis, sed hanc addamus rationem, vt maiori odio & detestatione, Ægyptiorum conuersationem, moresque ac superstitiones prosequerentur Hebræi: huic consimilia scribit Theodor. quæst. 11. in Exod. *Cur Hebræos, inquit, ista pati permisit Deus? nimirum vt odio prosequerentur non tantum Ægyptios, sed & illorum Deos. & vt diligenter parerent iis quæ mandarentur à Deo, nam si miseriis illis afflicti nihilominus recordabantur delitiarum Ægypti, & sæpe illuc redire conati sunt, quis ibi nullam molestiam passis persuadere potuisset, vt Ægyptum relinquerent?* Theodor.





# CAPVT SEXTVM.

## SYNOPSIS.

Deus oranti Moysi, & sui nominis sanctissimi notitiam maiorem, & Iudæorum liberationem pollicetur: hanc pollicitationem Israëlitis referens minimè ab eis auditur: mandatum Dominus ad Pharaonem per Moysem & Aaron implendum innouat: ad hoc exequendum se Moyses tanquam insufficientem excusat: vtriusque genealogiam textus enarrat.



### *VARIETAS LECT. Vers. 1.*

V*Vlg.* Dixitque Dominus ad Moysem nunc videbis quæ facturus sum Pharaoni, per manum enim fortem dimittet eos, & in manu ro- A busta eiiciet illos de terra.

*Sept.* In manu valida dimittet eos, & in brachio excelso eiiciet eos de terra sua.

### EXPOSITIO.

D*ixit Dominus ad Moysem*, qui ad eum pro libertate populi deprecans accesserat, *nunc videbis*, *nunc* emphasim habet, significatque proximam liberationem: similes emphases sunt Psalm. 11. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus*, & Psalmo 76. *Dixi nunc cœpi*, aliisque in locis quibus hac voce significatur adesse definitum tempus, quod rei cuique Deus destinauit, *quæ facturus sum Pharaoni*, quas plagas missurus sum in eum, *per manum enim fortem dimittet eos*, id est potentia & robore coactus, manus enim pro factis ponitur, eo quod inter homines ad facta magna (qualia certè fuerunt prodigia per Moysem exhibita) requiritur manus fortis, *& in manu robusta*, quæ non ad Pharaonis, sed ad Dei manum pertinet, *eiiciet eos*, coactus flagellis à me immissis, verbum autem, eiiciet, denotat quanto desiderio desideraturus sit Pharao egressum Israëlitarum, quem nunc negat, hoc vero opere adimpletum est infra cap. 12. vbi scribitur Ægyptios primogenitorum suorum morte territos, exire filios Israël compulisse.

Psalm. 11.
Psalm 76.
B

CONCEPTVS.

## CONCEPTVS.

*Tunc maior Dei potentia in suis elucet liberandis, cum aduersarius omnes in medium suas protulit machinas.*

1 NVnc videbis quæ facturus sum Pharaoni. Cur nunc potiùs quàm antea? nam si antea eos è seruitute Ægypti eripuisses, tot oppressi calamitatibus & ærumnis non succubuissent durissimo iugo. Sane emphaticè illud, *nunc*, ponitur, significatque, nunc, quando vltra modum Ægyptiaca creuit oppressio, quando tyrannidi nihil addi videtur, cum majora non posset populo Israëli imponere onera, cum virus Pharaonis in Israelem exhaustum fuerit: nunc meam potentiam declarabo, virtutemque aperiam. Tunc enim maximè in suis subleuandis elucescit, cum aduersarius in medium omnes suas produxit machinas, omnia tela vibrauit. Sic S. Chrysost. homil. 6. ad populum Antioch. *Permittit Dominus Diabolum omnem suam potentiam ostentare, & postquā omnes exhausit sagittas, & nullus insidiarum modus derelictus est, tunc è stadio pugilem eduxit, vt clara & indubitata fieret victoria.*

*Deus suorum consolator.*

2. *Nunc videbis quæ facturus sum Pharaoni*, Nunc inquit sine dilatione, sed si apud te conquestus est Moyses, quod ab eo tempore, quo ex tuo iussu conuenit Pharaonem, majora sustinuit populus onera, & diurno est oppressus labore, & te accusat afflictionis sibi illatæ? quomodo ais ostensurum te potentiam tuam in eripiendo à seruitute Ægypti populo Israël? non est dubium non leui affectum dolore Moysem, ex accretione oneris Israëlitis impositi. Meritò igitur Deus sic ei respondet, pollicetúrque denuo se populum liberaturum, est enim in angustiis suorum cōsolator. Abulens. *Moyses* (inquit Abul.) *proposuerat querelam suam coram Domino, quare ipse non eriperet populū, & narrauit totius populi intolerabilem angustiam Deo, dominus respondet hic & consolando eum ex malo quod infligetur Pharaoni, per quod cogetur dimittere Israel:* & Lippom. Lippom. *Mutationem talem & tantam pollicetur Pharaoni, vt consoletur populos, afflictis ergo respondet Deus non tardari succursum, quoniam nunc absque dilatione videbis mirabilia mea.*

*Permittit Deus perfidiam impiorum crescere, vt æquiùs punire videatur.*

3. *Nunc videbis quæ facturus sum Pharaoni.* Sed cur antea tot ærumnis populum tuum opprimi permisisti? ecce enim prope in extremis constitutus, vltimum videtur agere spiritum. Sanè Ægyptios tantam in Israëlitarum populum permisit exercere inhumanitatem & crudelitatem, vt iustiorem eos puniendi haberet occasionem. Oleaster. Consentit Hieronymus ab Oleast. *Sinit Dominus suo occulto iudicio impios in impietatem crescere, vt durius puniat.*

*Quod Deo inspirante nolumus, flagellis accepti cogimur efficere.*

4. NVnc videbis quæ facturus sum Pharaoni, Prodigia operaberis, edes mirabilia, quid exinde sequetur? eiiciet illos, quid? nonne ille est Pharao qui prædicante Aarone mirabilia Moyse edente, populum ne in deserto omnium creatori offerret sacrificium, detinuit, & qui variis cum oneribus oppressit, ne egressum cogitaret, quomodo tandem populo non solum facultatem discedendi concedet, sed & eum eiiciet? quia quod Deo inspirante nolumus, deinde flagellis acceptis efficere cogimur. *Filios Israel* (inquit Lyran.) inducens Deū alloquentem Moysem, *quos nunc fortiter retinet & violenter, eos non solum dimittet, sed etiam eiiciet de terra sua.* Nostri Lyranus.

*Dominandi libido, Tyrannica passio.*

5. *Nunc videbis quæ facturus sum Pharaoni;* Qui tandem dimittet populum, sed quomodo cum vi eum retinuerit? per manum fortem inquit Deus dimittet eos, & in manu robusta eiiciet illos. Cur solum in manu robusta? nonne satis erat eum monuisse, vt Israelitarum Domino obediens populum suum permitteret libertati? cur Dei potentia requiritur ad cogendum Pharaonem vt Israelē dimittat? quia dominandi libido ita tyrannica passio, vt à regimine aliorum nullus abstrahatur nisi in manu potenti & robusta. Fauet Chrysost. hom. 43. ad populum Antioch. S. Chrysost. *Vt saeui quidam venti* (inquit) *in tranquillum mare delati totum ab imo subruunt, & arena cum vndis miscetur, sic ambitio & turpis quæstus animā subeuntes, omnia subuertunt, excæcat mentis intuitū, præsertim gloriæ furor, nam pecunias quidem contemnere volenti satis est facile, honorem autem à multis collatum despicere multi laboris indiget, magnæ sapientiæ, Angelicæ cuiusdam animæ ipsumque cœlestis testudinis verticem tangentis; non est enim, non est inquam vitium ita tyrannicum & vbique dominans.* Preme *nullum vitium ita tyrannicum*, quia nihil ita nobis dominatur ac regnandi libido, quæ vt à nobis dimittatur, impossibilia tentanda sunt.

*Dominandi libido cordium excæcatrix.*

6. *Nunc videbis quæ facturus sum Pharaoni;* Per manum fortem dimittet eos, variis compulsus verberibus tandem populum dimittere cogetur, & occisis Ægypti primogenitis eiiciet illos de terra, sed quomodo sentiens flagella, eos non dimisit? Cur ita obstinatū cor eius, vt nullis plagis immissis frangeretur? quia ita obcæcauerat mentem eius dominandi non solum Ægyptiis sed & Israelitis libido, vt nec flagella videret nec sentiret. Vnde optimè S. Bern. in Psal. 90. postquā S. Bernard. dixit, *Ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, criminū fomes, virtutū ærugo, tinea sanctitatis,* subiungit, *excæcatrix cordiū, ex remediis morbos creans generans ex medicina languorem.*



## VARIETAS LECT. Verſ. 2. & 3.

*Vulg.* Loquutus eſt Dominus ad Moyſem dicens, Ego Dominus.

*Vulg.* Qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis.

*Sept.* Apparui ad Abraham, & Iſaac, & Iacob, Deus exiſtens eorum, & nomen meum Dominus, non indicaui eis.

*Pag.* Et conſpectus ſum ipſi Abrahā, Iſchaac, & Iahacob, in Deo omnipotente, & in nomine meo Adonai non ſum cognitus eis.

*Cald.* Reuelatuſque ſui Abrahæ.

*Vatab.* In nomine meo Iehoua, non ſum cognitus ei.

*Oleaſt.* Viſus ſum ab Abraham, Iſaac, & Iacob in Deum omnipotentem.

## CONCORDIA.

Certum eſt in Hebræo legi לא נודעתי להם ושמי יהוה iſmi Iehoua lo noadetti lahem, & nomen meum Iehoua non indicaui eis. Si autem noſter vulg. poſuit Adonai, non Iehoua, ideo eſt quia Hebræorum morem ſequi voluit, qui nomen illud Diuinum non ſua voce pronuntiant, ſed aliena ſcilicet Adonai; dicunt enim id vel non eſſe vel non conuenire proferri. Ideo etiam Sept. per aliud nomen nempe Κύριος, ipſum expoſuerunt.

## EXPOSITIO.

Locutus eſt Dominus ad Moyſem dicēs. Cōtinuata loquutio eſt Dei ad Moyſem, *Ego Dominus qui apparui Abrahæ, &c. in Deo omnipotēte,* Id eſt apparui eis tanquam Deus omnipotens, vel reuelaui eis non tantùm verbo, ſed etiam reipſa hoc eſſe attributum & nomen meum, vel cum huic nomini omnipotentis reſpondeat in Hebræo ſadai, quod ſufficiens & abundans interpretatur, ſenſus erit: Ego munificum me eis exhibui, oſtēdi eis mihi abūde eſſe diuitiarū, vt illos ditarē, abſtuli. n. opes Chananæis, Geraritis, Sodomitis, Labano, Eſau & alijs, eaſq; dedi Abrahæ, Iſaac, & Iacobo. *Et nomen meum Adonai non indicaui eis.* Hic Adonai non debet accipi pro propria ſignificatione quæ eſt Dominus, ſed vt ſtat pro nomine τετραγράμματον Iehoua, quaſi diceret Deus. Ego quidē patribus tuis ô Moyſes frequenter reuelaui me eſſe omnipotentem, miſericordem &c. meum tamen eſt nomen quod nunc in ſignum & fœdus arctiſſimi amoris tibi primum reuelo alijs omnibus ignotum; nempe Iehoua. In hac expoſitione fateri oportet cū Patribus ante Moyſem ignotū fuiſſe hoc nomen יהוה Iehoua, vnde & factum vt in nuncupationibus ab ipſis impoſitis, nunquam hoc nomine vſi ſint, ſed nomine El, vel nomine ia &c. Quod autem in Geneſi nomen Iehoua frequēter legatur, etiā vbi Patriarchæ inducuntur loquentes, non obſtat dictis, nam illi quidam nomine Adonai vel El vſi ſunt, Moyſes verò dum poſtmodum ſcripſit nomen Iehoua nominibus illis ſubſtituit. Scio ab aliquibus diuerſimodè exponi, nempe nomen accipi pro re ſignificata per nomen. Significatum autem nominis Iehoua eſt immutabilitas in eſſendo, quaſi dicat Deus Ego quidem apparui patribus veſtris, liberalis in promiſſis, eiſque promiſi terram Chanaan, & ſimul roboraui eos ſpe omnipotentiæ meæ; verumtamen ipſis reipſa necdum exhibui promiſſionem meam, fueruntque illi quaſi adhuc ſuſpenſi. Nunc verò reipſa eam vobis præſtabo quam illis toties promiſi.

## CONCEPTVS.

*Prophetia per temporum augetur interualla.*

7. Ego Dominus qui apparui Abrahæ, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente, Eximia quidem gratia; quid enim aliud à Deo requiri poteſt, quàm ſub attributo omnipotentiæ apparere: ſub hac enim appatitione ſignificat ſe talem futurum protectorem, vt nihil omninò ſit timendum, quis enim omnipotenti Deo reſiſtere poterit? Eximia quidem gratia, ſed quid ait Moyſi nomē meum Adonai non indicaui eis. En vt major cognitio fuerit in Moyſe, quàm in antiquis patribus vnde Dauid majori cognitione illuſtratus in Moyſe, quā in antiquis patribus fuit quā Moyſes, iuxta illud Pſalm. 118. ſuper omnes docentes me intellexi, ſuper ſenes intellexi: hanc veritatem clarè oſtendit S. Greg. Mag. hom 16. in Ezech. *Sciendum nobis eſt, & quia per incrementa temporum creuit ſcientia ſpiritualium patrum, plus namque Moyſes quàm Abraham, plus Propheta quàm Moyſes, plus Apoſtoli quàm Propheta in omnipotentis Dei ſcientia eruditi ſunt fallor ſi hac ipſa ſcriptura non loquitur, pertranſibant plurimi, & multiplex ſcientia Daniel. 12. Sed hæc eadem quæ de Abrahā, Moyſe, Prophetis & Apoſtolis diximus, & eiuſdē ſcriptura verbis ſi poſſumus oſtendamus, quis enim neſciat quia Abraham cū Deo loquutus eſt, & tamen ad Abrahā Dominus dixit. Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, & nomen meum Adonai non indicaui illis. Ecce plus Moyſi*

Pſal. 118. B. Gregi Mag. Daniel. 12.

*quàm Abrahæ innotuerat, qui illud de se Moysi indicat [illegible] Abrahæ non indicasse narrabat, sed videamus si Prophetæ plusquàm Moyses diuinam scientiam apprehendere potuerint. Certè [illegible] super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est: qui ergo legem meditatus se memorat, & super omnes docentes se, ac super seniores intellexisse testatur, qui Diuinam scientiam plusquàm Moyses acceperat, manifestat: quomodo autem [illegible] quia plus sancti Apostoli [illegible] omni Propheta. Certè veritas* A
Luc. 10. *dicit [illegible] Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & audire quæ auditis, sed non viderunt. Plus ergo quàm Prophetæ de Diuina scientia nouerunt.* Deinde concludit, *quanto mundus ad extremitatem ducitur, tantò nobis æterna scientiæ auditus largius aperitur.*

### *Maxima nomini Domini reuerentia exhibenda.*

8. *Ego dominus qui apparui Abraham &c. Et nomen meum Adonai non indicaui eis,* Scimus nomen Adonai pluries patribus ante Moysem reuelatum fuisse. Cur ergo Deus ait nomen meum Adonai non indicaui eis? Dices pro nomine Iehoua positum fuisse nomen Adonai. Sed cur non reddidit interpres nomen illud admirabile? satisfacit noster Lyran. *Quia istud* (Noster Lyran.)
*nomen, nempe Iehoua, apud Hebræos tantæ sanctitatis reputatur, quod non debeat nominari nisi à summo sacerdote, & solum in benedictionibus fiendis in templo, ideo loco illius nominis pronuntiatur hoc nomen Adonai, sicut si apud nos hoc nomen Deus, propter sui sanctitatem non esset licitum nominare; & loco illius vbicumque inueniretur scriptum pronunciaretur hoc nomen Dominus.*

### *Id præcipuum in Diuina omnipotentia quod suis benefaciat.*

9. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente.* Huic nomini respondet in Hebræo Sadai, quod nomen potest, inquit Oleast. deriuari à sad, quod mammam significat, & denotat Deum quatenus præbet vbertatem, seu bona sua in nos effundit, quemadmodum ab vbere lac diffunditur. Deinde addit, Deus nomen meum Adonai non indicaui eis, pro illo autem Adonai est Hebraicè Iehoua, quod nomen inquit, vt videtur, deriuatur à radice hauah vel houah, quæ significat esse, sed non solum, nam ab eadem est houah, quod secundum Hebræos significat contritionem, accidens malũ, siue malum euentũ, vt patet Ezech. 7. vbi dicitur houah al houach, id est contritio super contritionem veniat, videtur autem nomen Iehouah potius deriuari ab houah, quã ab hauah, quod est esse, cum maiorẽ conuenientiã habeat ad houah quàm ad hauah. Vnde videtur Deum significare quatenus conterit aut vastat, aut ab eo est malus euentus. Hæc Oleast. Secundum ergo hunc Autorem antiquis patribus apparuit Deus vt abundantissimus, & beneficiorum largissimus distributor, qui non solum suos ditare, sed propter illos in extraneos bona diffundere, vt propter Iacob ditatus est Labanus, & propter Isaac Palæstini. Verùm illorum posteris apparuit Deus vt deuastator conterens Ægyptios & Cananæos, vt Israëlitæ diuites euaderent. Dubium mouetur quando antiquis non apparuit in hac potestate destruendi contrarios, quomodo dicitur eis visus? vel vt habet Cald. reuelatus in Deo omnipotente? an ad omnipotentiam pertinet sola pars beneficia bona distribuens & opes elargiens? nonne etiam omnipotentis est aduersantes sibi cōterere? Cui [illegible] nullus conteritur aduersarius, sed totus mammeus, totus vberrimus & sufficientissimus apparet Deus, dicit se apparuisse in Deo omnipotente? sane quia hoc præcipuum in Diuina omnipotentia, quod omnibus benefaciat, & omnibus sit abundantissimus: quantæ autem Deus sit liberalitatis & pro omnibus abundantiæ ita declarat Hierony. contra Pelagium. *Deus semper largitor, semper donator est, non mihi sufficit quod semel dedit nisi semper det, peto vt accipiam, & cum accepero rursus peto, auarus sum ad accipienda Dei beneficia, nec ille deficit in dando ipsa, nec ego satior in accipiendo, quanto plus bibo, plus sitio.* B (S. Hierony.)

### *Deus per anthonomasiam omnium Dominus.*

10. *Ego Dominus qui apparui Abrahæ &c. Nomen meum Adonai non indicaui eis.* Sept. *Nomen meum, Dominus, non indicaui eis.* Cur Domini nomen tanquam tuum assumis, ita vt nomen tuum illud appelles? nomen meum, Dominus, inquis non indicaui eis, nonne aliud est excellentius quo nominari potes? Rectè dicit nomen suum esse Domini, Deus enim per authoritatem & excellentiam omnium est Dominus, ita Raban. *eo quod dominetur omni creaturæ, vel quod creatura omnis dominatui eius deseruiat. Dominus ergo dicitur, eo quod dominetur omnibus, vel quod timeatur à cunctis.* C (Rabanus Maurus.)

### *Quos Deus speciali dilectione prosequitur, eis plures largitur gratias.*

11. *Ego Dominus qui apparui Abrahæ &c. In Deo omnipotente nomen meum Adonai non indicaui eis.* nomen tuũ non indicasti eis, quid? nonne Abraham maximi erat meriti, eximiæ virtutis Isaac & Iacob, cum de Iacob dixeris, Iacob dilexi? dilectio autem specialis in virtute fundatur. Sed quàm specialiter à Deo dilectus fuerit Moyses testatur Cyrill. Alex. contra Iulian. lib. 2. Audi Deum de Moyse manifestè dicentem, noui te præ omnibus, & gratiam inuenisti apud me; quid mirum igitur si plures præ aliis gratias obtinet, & consequitur? *Docet Deus*, inquit Theodor. *Moysem, quantò illum & beneuolentia & honore dignum habuerit, nomen enim quod Patriarchis non declarauit, hoc illi patefecit.* D (Cyril. Alex.) (Theod.)

### *Dei natura per nomen adæquatè exprimi non potest.*

12. *Ego Dominus qui apparui Abrahæ &c. Nomen meum Adonai non indicaui eis,* in Hebræo est nomen יהוה quod quidem à S. Hierony. vocatur

ἀνεκφώνητον, id est, ineffabile, à Theodor. ἄφραστον, id est, indicibile, à Damascen. ἄρρητον, id est, ineloquibile. Sed cur hoc nomen dicitur ineffabile? an quod solis quatuor consonantibus constet, careatque vocalibus, sine quibus literas consonantes pronuntiare & effari non possumus? non equidem, nam Deus hîc nomen suũ pronuntiat cum illud reuelat. Rursus Móyses effatus est illud coram Pharaone & Israëlitis, ipseque Pharao sæpiùs ab Aarone prolatum respondẽdo repetiit. An ex eo quod ab Hebræis haberetur sacratissimum & summè venerabile, tanquam primarium, proprium, & essentiale quod esset fundamentum & radix aliorum nominum? non dissentio. Sed mihi arridet quod ait Lippom. *dicitur nomen hoc Dei Iehoua sacrum & ineffabile, non quod vox ipsa exprimi non possit cum certis constet literis & vocalibus, & à Pharaone homine iniquissimo expressa fuerit; sed quod Dei natura maximè per ipsum nomen significata à nulla creatura exprimi possit cum sit infinita, atque ob id ineffabilis.*

### *Secundum indigentiam, Deus suam declarat potentiam.*

13. *Ego Dominus qui apparui Abrahæ, &c. nomen meum Adonai non indicaui eis.* Quid? nonne multo ante Moysem, hoc nomen antiquis patribus fuit reuelatum? in Genesi enim (vt vidimus) sæpè iteratur, cum patres hoc nomine Iehoua Deum inuocauerunt, vt ab Henoch Genes. 4. ab Abraham Genes. 15. &c. Quomodo ergo Deus asserit hoc nomen ineffabile eis non fuisse cognitum? Audiamus satisfacientem Rupert. lib. [Abbas Tuitiensis.] 1. c. 24. *Quod hic dicit, non indicaui, sic accipiendum est vt subaudias quantæ esset potentiæ & virtutis, magnalia namque & terribilia facturus hæc loquitur, ad ostensionem gloriæ nominis sui, quæ ita non fecit in diebus Abraham, Isaac & Iacob, quibus tamen in Deo omnipotente apparuit.*

### *Deus varias in nostrum commodum videtur assumere formas.*

14. *Ego Dominus qui apparui &c. in Deo omnipotente*, id est, in Deo benefaciente, abundantissimo diuitiarum largitore, tamen nomen meum non indicaui eis, quod secundum aliquos significat cōterentem aduersarios, & suorum propugnatorem, scimus apparuisse sub nomine El, id est, victoris & benefici. Cur nunc vt seuerus conterens manifestatur? cur non semper tanquam & immutabilis eodem modo apparet? quia Deus in se inuariabilis & immutabilis, varias in nostrum commodum videtur formas assumere. Nescio si ad hoc respiciens S. Bernard. [S. Bernard.] serm. de variis affectibus animæ, ait, *Quod diuersis nominibus*, inquit, *Deum nunc quidem patrem, nunc magistrum vocemus aut Dominum, non illius simplicissimæ, & omninò inuariabilis naturæ diuersitas vlla in causa est, sed affectionum nostrarum multiplex variatio secundum diuersos profectus animæ, vel defectus, videntur enim quadam anima sub patre familias agere quadam sub Domino, quædam* [Psalm. 101.] *sub magistro, quadam quoque sub patre, & nonnulla cum sponso, vt cum proficientibus proficere, cum mutatis mutari videatur; & ipse qui iuxta Prophetam mutat quidem creaturas & mutabuntur, licet idem ipse sit, & anni eius non deficiant.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 4. & 5.*

*Vulg.* Pepigique fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum in qua fuerunt aduenæ.

*Sept.* Et statui testamentum meum ad illos, ita vt darem illis terram Chananæorum, terram quam incoluerunt, in qua & incoluerunt in ea.

*Cald.* Statui pactum meum cum eis.

*Vulg.* Ego audiui gemitum filiorum Israël, quo Ægyptij oppresserunt eos; & recordatus sum pacti mei.

*Sept.* Et ego exaudiui gemitum filiorum Israël, quem Ægyptij in seruitutem redigunt eos, & recordatus sum testamenti vestri.

*Cald.* Et in conspectu meo auditus est clamor filiorum Israel, eo quod Ægyptii faciunt eos seruire eos, & recordatus sum pacti mei.

---

## *CONCORDIA.*

Vulg. Habet quod Ægyptii oppresserunt eos, tamen non immutat sensum lectionis Hebraicæ dicentis אשר מצרים מעבדים aser mizraim mahabidim, quos Ægyptii seruire faciunt; nam propter hoc Israelitæ ab eis opprimebantur.

---

## EXPOSITIO.

*Pepigique fœdus cum eis*, pactum cum eis statui, *vt darem eis terram Chanaan*, in qua habitant septem populi de stirpe Chanaan, *Terram peregrinationis eorum*; in ea enim tanquam aduenæ, & non tanquam incolæ morabantur, *Audiui gemitum filiorum Israel*, id est exaudiui lachrymabiles preces cum gemitu, ex oppressione quam ab Ægyptiis patiebantur, *Quo Ægyptij oppresserunt eos*, Oneribus nimiis, & seruitute intolerabili opprimentes.

*& recordatus sum pacti mei*, non ego intuitu meritorum vestrorum, sed parentum vos libero, ex A parte autem vestra non tam meritum quàm miseratio interuenit propter genitum vestrum.

## CONCEPTVS.

### *Deus exactè scit veræ amicitiæ leges obseruare.*

15. *AVdiui gemitum filiorum Israel, quo Ægyptij oppresserunt eos.* Sept. Exaudiui gemitum filiorũ Israël, quem Ægyptij in seruitutem redigunt. si in seruitutem rediguntur, si in miserijs & ærumnis toti sunt, si nihil aliud eis quàm gemitus restat, cur eos non despicis cum sint miserrimi? apud homines enim in more positum est, eos, quos felices venerabamur, miseros, non solùm contemptui haberi, sed etiam exosos; Ita equidem apud homines: secùs autem apud Deũ qui exactè scit veræ amicitiæ leges seruare, quæ etiam in hoc consistit, vt quos diligimus etiam in felicitate, in ærumnis in pretio habeamus, (Oleaster.) *ô amice hominum dulcis*, inquit Oleaster. B *qui tum recordaris tuorum quando sunt in maximis angustijs, & pressuris, nos cum felices amicos videmus, eorum recordamur; in aduersis verò obliuiscimur. Deus autem non sic, sed in nostra fælicitate nostri oblitus videtur, in nostra aduersitate recordatur: quæ sane fuit ratio cur sacra scriptura sæpè appellet* (2. Reg. 14.) *Chusai amicum Dauid, vt patet ex 2. Reg. cap. 14. imò & Absalon sic eum appellauit, cum dixit hæc est gratia ad amicum tuum, quare non iuisti cum amico tuo quando scilicet eum fugientem nudisque pedibus gradientem, & aperto capite plorantem quæsiuit vt comitaretur in persecutione, quando alij maledicebant & insectabantur.* De quo proinde rectè dixit Chrysost. in Psalm. 7. *Non erat amicus temporum, sed virtutis*, & ideo licet regno euersus esset, non mutarat sententiam & amicitiam, sicut etiam non mutauit Ethai quando Dauid egressus est Hierusalem, & dixit ei vt regrederetur ad ciuitatem & habitaret cum Absalon, dixit; viuit Dominus meus Rex, quoniam in quocumque loco fuerit Domine mi Rex, siue in morte siue in vita ibi erit seruus tuus.

### *Deuinctissimos nos sibi Deus vult habere.*

16. *Audiui gemitum filiorum Israël quo Ægyptij oppresserunt eos.* Sept. exaudiui gemitum filiorum Israël, quem Ægyptij in seruitutem redigunt Cur Deus à seruitute liberare voluit? cur eos à tot ærumnis eripere? sinas eos sub iugo seruitutis, vt tui semper sint memores, in prosperitate enim non est qui memor sit tui: nonne qui à seruitute liberatur, liberatori suo addictissimus est? En (Lusitanus.) singularis erga hominem amor, qui sibi deuinctissimum eum vult habere. Obseruatio est Oleastri *quærendum est* (inquit) *cur Dominus eos quos ad se volebat recipere, ex tantis eriperet malis, meo iudicio voluit ostendere, quàm deuinctos nos sibi habere volebat, filius enim quoniam sui iuris* (Luc. 15.) *est facilè patrem deserit; quemadmodum prodigus ille, cuius Lucas meminit, qui portionem suam ex patre voluit à quo statim in longinquam regionem discessit, seruus verò quia ipse seruus est, etsi ipse velit discedere aut post fugam redire voluerit, quia nostrum argentum est, retinemus, aut quærimus inuitum, quantumcumque enim Israel se iure perditum voluerit, iure tamen dominij à Domino requisitus est.*

### *Deus tunc nos audire videtur, quando nos exaudit.*

17. *Audiui gemitum filiorum Israël*, quid? nonne cum vbique sis præsens, tanquam immensus omnia intueris, nihil te latet, quomodo ergò tanquam preces Israëlitarum anteà non audiens, dicis nunc te gemitum eorum audisse? quomodo vertunt Sept. videamus, exaudisti gemitum filiorum Israël, en vt tunc audire vi- B detur cum nos exaudit; quod annotat Abul. (Abulensis) *Exaudiui consentiens eos liberare, semper Deus omnia videt, omnia audit, sed quando ad preces nostras non mouetur, tanquam non audiat, dicimus eum non audire, non videre. Et sic conqueritur Habacuc de Deo quasi non audeat aut videat, mala quæ boni patiuntur à pessimis, quare non respicis super iniquè* (Habac. 1.) *agentes, & taces deuorante impio iustiorem se, & facies hominum quasi pisces, & quasi reptile non habens principem?*

### *Ita Deus hominum amator vt eorum se constituat debitorem.*

18. *Audiui gemitum filiorum Israel, & recordatus* C *sum pacti mei*, Cum homines in verbis & in promissis deficiant, non mirum quod pactis obstringantur. Sed cur Deus cum sit infallibilis in suis, & ipsamet immutabilitas & veritas, sese obstringere pacto cum hominibus voluit? quia ita hominum amator, vt eorum se constituere debitorem non renuat: Sic Rupertus. (Rupertus.) *Hac propositione data pepigi cum eis fœdus, vt darem eis terram Chanaan, nam promissi debitorem se iure teneri consentit.*

### *Deus intuitu meritorum parentum multa tribuit filiis.*

19. *Audiui gemitum filiorum Israel, recordatus sum* D *pacti mei*, quod scilicet cum patribus vestris pepigi, nempe Abraham, Isaac, & Iacob. Sed qua de causa cum tam eximium conferre beneficium populo Israel meditaris, reuocas in eorum memoriam progenitores suos? vt scirent quod intuitu eorum, hanc à Deo gratiã accepissent, vt liberarentur à grauissima Ægypti seruitute: Fauet Caietan. (Cardin. Caiet.) *Ne Abraham, Isaac, & Iacob ex negata eis notitia antedicta minus reputarentur, subiungit Deus quod pepigit fœdus cum eis. & ad similitudinem recordari descendit nunc visa afflictione populi, vt intelligant quod ratione patrum priscorum miseretur modernorum filiorum.*

*Summa promissionum Dei, Verbi sui incarnatio.*

5. *Audiui gemitum filiorum Israël, recordatus sum pacti mei.* Scilicet vt darem eis terram Chanaan. Quid? nonne longè plura eis promisisti? nonne dixisti quod in semine suo omnes benedicentur nationes, quo nihil magis eximium nec dici nec sperari potest? Verbi enim diuini incarnatio hac benedictione intelligitur. Optimè Rupertus (Abbas Tuicens.) cap. 24. lib. 1. *Hoc autem secundum, non esse hoc totum fœdus vel fœderis causam dare illis terram Chanaan, sed partem fœderis, pro toto posuit, summa namque fœderis est in hoc sermone, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ.* (Genes. 12.) *In quo Christi filij Dei incarnatio promittitur manifestè.*

*Non solùm Deus audit miserorum afflictiones, sed eos in tuto locat.*

5. *Audiui gemitum filiorum Israël, recordatus sum pacti mei.* Scilicet vt darem eis terram Chanaan, quid? nonne satis est eorum lachrymas exaudisse & abstersisse, vt fœlicem possint in Ægypto vitam ducere? cur terram Chanaan eis concedis A ab Ægyptiis remotam possidendam? quia Deus nescit solùm miserorum afflictiones audire, sed etiam in tuto collocat loco ab ærumnis remotissimos. Quod ab ore ipsius Dei depromen dum est apud Regium Psaltem Psal. 11. propter miseriam inopum & gemitû pauperum nunc exurgam dicit Dominus, ponam in salutari: quæ verba sic (Psal. 11.) ad institutum nostrum ab Agellio explanantur, (Agellius episc.) *Miseriam inopum intelligit afflictionem qua ab huiusmodi scelestis hominibus vexantur, nunc exurgam vt opem indigentibus feram: quod verò sequitur ponam in salutari, difficile est intelligendum, & non nisi ex accurata obseruatione Sept. sensus verus erui poterit. Itaque ponere in salutari, alteram ex duabus intelligentiam habere poterit, aut enim ponere pro mutare atque conuertere accipiendum est, vt vicissitudinem* B *quamdam commutationemque significet; & tantumdem sit ac si dixisset, eorum afflictionem & ærumnas in salutem conuertam, & eos à miseria ad salutem transferam, vertam illis gemitum in lætitiam; aut ponam illos in salute hoc est è loco humili & parùm tuto, in locum tutum & munitum traducam, vbi salutem suam tueri possint, vbi tuti ac tecti sint ab incursu inimicorum.*

## *VARIETAS LECT. Vers. 6. & 7.*

*Vulg.* Ideo dic filiis Israël; ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute, ac redimam in brachio excelso, & iudiciis magnis.

*Sept.* Vade dic filiis Israel dicens, Ego Dominus & educam vos de dominatione Ægyptiorũ.

*Cald.* Ego Dominus & educam vos de medio tribulationis seruitutis Ægyptiorum.

*Pag.* Ego Dominus & educam vos ex oneribus Ægypti, & redimam vos de brachio extento.

*Onx.* Educam vos de afflictione seruitutis Ægyptiorum.

*Oleast. & Arias.* Educam vos de sub oneribus Ægypti.

C

*Vulg.* Et assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus, & scietis quod ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum.

*Sept.* Et sumam mihi ipsi vos populum mihi, & ero vester Deus, & cognoscetis quia ego Dominus Deus vester educens vos de dominatione Ægyptiorum.

*Cald.* Et applicabo vos coram me in populum, & ero vobis in Deum & scietis quia ego Dominus Deus vester qui eduxi vos de medio tribulationis Ægyptiorum.

*Pag.* Qui educo vos ex oneribus Ægypti.

*Onx.* Qui eduxi vos de afflicta seruitute.

## *CONCORDIA.*

Vulg. legit Educam de ergastulo Ægyptiorum, in Hebræo autem est מסבלת מצרים mitahath sibloth mistaim, Educam te sub oneribus Ægyptiorum, alij à seruitute, alij ab afflictione, quia vox sabal quæ ergastulum significat, est locus vbi captiui laborare & operari coguntur, ad cuius similitudinem, locum, vbi D filij Israel in luto & latere operari compellebantur, meritò vocauit ergastulum: non est autẽ discordia inter eos qui legunt vel celsum, vel extensum. nam nata, à quo נטויה netuia extendere significat magna vi, vel brachio extento ad percutiendum aduersarios.

## EXPOSITIO.

Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum. Ergastulum propriè est locus (vt diximus) operatorius, & communiter pro carcere & custodia laboratoria accipitur: in eo autem ergastulo Hebræi in luto & latere operari cogebantur, *Eruam de seruitute*, qua tyrannicè oppressi estis, *Et redimam in brachio excelso*, Extensio diuini brachij ponitur pro diuina operatione, & quia quantò opus est maius, nobisque magis arduum, tantò brachia extenduntur excelsius. Ideoque idem est in brachio excelso, quod in, vel per mirabilia opera; *Et iudiciis magnis*; iudicium pro pœna ponitur, vel generaliter pro quauis iudicij executione, &

in malis quidem pœna, in bonis autem præmium est, *& assumam vos in populum mihi*, scilicet vt sitis mihi populus specialis, inter omnes terræ nationes, *& ero vester Deus*, speciali cultu, *&* A *scietis quod ego sum Dominus Deus vester*, experimento cognoscetis, me vestrum protectorem, & liberatorem, *qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum*, de eorum durissima seruitute.

---

## CONCEPTVS.

### *Deus maioribus semper nos vult deuincire beneficiis.*

22 EDucam vos de ergastulo Ægyptiorum. Eximium sane beneficium, quid enim optabilius quã à misera seruitute eripi? durissima tyrannide liberari? sed quid prosequatur attendamus, *Redimam vos in brachio excelso & iudiciis magnis*, quænam erunt illa iudicia? sane grauissima de Ægyptiis sumpta supplicia: nonne satis erat libertate donasse populum tuum? cur iis videntibus, tam acerbam exiges ab Ægyptiis punitionem? cur in B brachio excelso tot præcedentibus prodigiis educere Israelem polliceris? quia nescit Deus suos non maximis deuincire beneficiis: quod obseruat Oleast. *Singularia & inassueta sunt, quæ Deus sanctis suis facit, non est contentus redimere eos nisi magna inimicorum clade id fecerit, & si eis parcere debet aut misereri, exaltat se ad hoc & vires extendere videtur: habes enim Isaiæ 30. expectat Dominus vt misereatur vestri, & exaltabitur parcens vobis, &c. potuit enim potentissimus Deus paruo negotio suos redimere, sed brachium extendere voluit, & magna iudicia in hostes exercere vt magis obnoxios sibi faceret.*

Oleast.
Isai. 30.

### *Nescit Deus non esse specialis Deus eorum, à quibus speciali cultu honoratur.* C

23 *Educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus.* Cum omnium sis creator & gubernator, nonne omnium es Deus? cur ergo populi Israelis te Deum asseris, quasi ipsius antea non fuisses, nec non aliorum esses? non negat se omnium Deum esse, sed se specialiter Deum Israelitarum nominat, & merito, eum enim præ aliis nationibus specialissimo cultu venerabantur: vtiliter hoc premit Abul. *Oportet quod quando aliqua conuentio aut pactum fit ex alterutra parte, aliqua conditiones vel res obseruandæ proponantur, vt quemadmodum vna pars aliquid obseruat alteri, ita altera alteri, sed Deus faciens hoc pactum cum Hebræis, assumebat eos in populum, ergo oportet quod Hebræi aliquid obseruarent ad Deum, scilicet quod acciperent eum in Deum: accipere autem in populum est quod Deus haberet specialem curam de bene faciendo Iudæis, magis quam aliis Gentibus: quod autem Hebræi acciperent eum in Deum, erat quod præberent ei specialiorem cultum quàm cæteræ gentes.* D

Abulens.

### *Inculcatur pluries promissio diuina, ne fide deficiamus.*

24 *Educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & assumam vos in populum.* Nonne pluries idem inculcasti? nam quoties es pollicitus Israelem è seruitute Ægypti liberaturum? quoties terram Chanaan ei daturum promisisti vsque ad nauseam? cur toties eadem repetis? aduerte maximè tunc consternatum animo fuisse populum ex nimia onerum impositione: quid mirum igitur pluries idem inculcasse? pluries eadem promissione se obstrinxisse? voluit enim consternatos erigere spe futuræ iamiam libertatis habendæ, *Toties*, (inquit Lippom.) *libertatem donandam promittit, vt perfidiæ crimen clarius elucescat, & Dei iustitia æquitasque in improbos: in tanta autem animorum perturbatione, necessaria erat certitudo instantis solatii, & amouendorum onerum promissio inculcanda*, cuius fide exercerentur ad impetrandum promissa.

Auctor Catenæ.

### *Quo Deus magis differt supplicium, eò grauius illud infert.*

*Educam vos de ergastulo Ægyptiorum & redimam vos in brachio excelso*: Per brachium excelsum grauissima supplicia Ægyptiis inferenda intelligunt interpretes: sed cur sub hac metaphora brachii excelsi hæc denotantur? aduerte homines iratos quo potentius percutiant & conterant, aliquid, altius manum & brachium eleuare, quàm ad mentem igitur ait sacer textus, Deum in brachio excelso pœnas sumpturum ab Ægyptiis, quia quo magis ea differebat, eo grauiora immissurus erat. 25

### *Ex beneficiis à Deo acceptis eum esse creatorem nostrum asserere cogimur.*

*Educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & scietis quia ego Dominus Deus vester.* Quid? an infidelitatis tenebris ita mens eorum obuoluta est, vt te verum creatorem & omnium Deum non agnoscant? nonne vnius Dei cultores, nisi aliqui eorum idololatriæ labe infecti sint? quomodo ergo asseris te Deum, vt te talem esse Deum agnoscant? quot eximia Deus eis pollicetur beneficia? cognouerunt olim, sed nunc experimento beneficiorum acceptorum, cogentur fateri nullum esse alium Deum præter cœli & terræ creatorem, vnde rectè Carthus. *Scietis per experimentum beneficiorum meorum, & per mirabilia pro vestra liberatione patranda, quia ego sum Dominus Deus vester.* 26

Carthus.

### *Ad liberandum à peccato magna Dei virtus necessaria.*

*Educam vos de ergastulo Ægyptiorum, ac redimam de seruitute in brachio excelso.* Alii extento, per quod maxima Dei potentia denotatur, sed cur ad liberandum ab ergastulo, à seruitute, tanta Dei potentia requiritur, cum omnia ei sint æquè facilia? ait Rab. Maurus mysticè ergastulum Ægyptiorum tentationes huius Mundi, quibus tribulantur sancti, significari: per seruitutem, cur statum peccati non dicemus? cum sub peccato sit 27

Rabanus Mau.

D. Ambros. durissimæ seruitus teste, D. Amb. lib. de Naboth. c. 6. qui seruit peccato semper in laqueis, semper in vinculis est, nunquam liber à compedibus, quia semper in criminibus, quàm misera seruitus seruire peccatis. Et Auctor operis imperfecti hom. 28. in Matth. putas quod peccatores istius mundi non laborant, verè maiores labores & sollicitudines habent, quàm serui Dei: & paulo post, rationem reddit, nam etsi corpore (inquit) non grauantur, animæ tamen eorum grauatæ sunt: si ergo ergastulo, tentatione & seruitute peccatum denotatur, quid mirum si necessarium sit brachium Dei excelsum, si necessaria Dei potentia ad populum ab vtroque liberandum? quia ad eruendum nos à peccatis, sanè magna Dei virtus necessaria est: Non dissentit cit. Rab. *liberat Dominus filios Israel in brachio excelso, hoc est in potestate magna & virtute, siue in filio per quem fecit omnia, qui propter effectum virtutum brachium Dei dicitur, cum sanctos suos de potestate Diaboli & seruitute peccatorum eruat.*

Auctor operis imperfect.

Citatus Epist. augustinus

## *VARIETAS LECT. Vers. 8. & 9.*

*Vulg.* Et induxerim in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham, Isaac, & Iacob, daboque illam vobis possidendam, ego Dominus.

*Sept.* Et inducam vos in terram in quam extendi manum meam, & dabo eam vobis in sorte.

*Cald.* Inducam vos in terram, pro qua iuraui in verbum meum, & dabo eam vobis in hæreditatem.

*Vulg.* Narrauit ergo Moyses omnia filiis Israel, qui non acquieuerunt ei, propter angustiam spiritus, & opus durissimum.

*Sept.* Et non exaudierunt Moysem à defectione animi, & ab operibus duris.

*Cald.* Et non acquieuerunt Moysi propter angustiam spiritus, & duram seruitutem quæ erat super eos.

*Alii.* Et non exaudierunt præ pusillanimitate & præ operibus duris.

## *CONCORDIA.*

Dictio Hebraica מורשה morasaha quæ à verbo ירש iaras descendit, significante tam hæreditate quàm possidere, denotat hæreditatem tam possidendam quam hæreditariam, Sept. autem habentes ἐν κλήρῳ id est in sorte, non dissentiunt: quod sequitur super quam leuaui manum meam, exponitur à Cald. pro qua iuraui in verbum meum, iuramentum enim fiebat manus eleuatione; propter angustiam spiritus; reddit interpres ex Hebræo מקצר רוח mikazer ruah, Kezer autem breuitas reddi potest, nam qui sunt in angustiis, etiam concisè & breuiter respirant.

## EXPOSITIO.

Induxerim in terram, super quam leuaui manum meam, id est de qua iuraui, quod eam vobis essem daturus, fit enim iuramentum manus vel digitorum erectione, vel extensione, vt patet etiam ex vsitata hodie formula, & ex illo Isai. 58. *si desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest*; ibi enim extendere digitum ponitur, pro iurare, reperitur leuatio manus eodem hoc sensu vsurpata Genes. 14. & 2. Esdræ 9. *vt darem eam Abraham*; non significat hic iurasse se Abraham, quod ipsi in persona daturus esset hanc terram, ac postea mutasse iuramentum ac præstitisse illud, sed tantum explicat quo sensu iurarit Abrahæ, nempe quod daturus esset ipsi hanc terram in suis posteris, & quod tempus præstandi nunc iuramentum aduenerit, *vobis possidendã*, speciatim præter Abrahamum & Isaac, exprimitur etiam Iacob, vt constet neque Ismaelem cum Isaac, neque Esau cum Iacob in hæreditatis partem venturos, etiamsi fuerint liberi Abrahæ, sed eos tantùm qui ex Abraham per Isaac, & ex Isaac per Iacob descendunt. *Ego Dominus*, habent verba iuramenti speciem, vel saltem confirmationem magnam, qua afflictos Hebræorum animos, & pusillanimes Deus erigit, *narrauit omnia Moyses filijs Israel*, vt æquanimiter omnia sibi imposita tolerarent, *qui non acquieuerunt ei*, fracti enim erant eorum animi postquam ad primam profectionis mentionem viderunt onus sibi aggrauari. Vnde optimè cur non audierint Moysem rationem subiungit Vulg. *propter angustiam spiritus*, propter cordis amaritudinem, & nimium animi mærorem, & *opus durissimum*, quo in lateribus conficiendis opprimebantur.

Isai. 58.

Genes. 14. 2. Esdræ 9.

## CONCEPTVS.

*Paternus Dei amor in homines non permittit illis aliquid obuenire nisi per manus suas.*

28 Induxerim in terram, daboque illam vobis possidendam ego Dominus. Cur hoc addis ego Dominus? nonne dixeras ego dabo vobis terram possidendam, quam iuraui patribus vestris me eis daturum? superfluè ergo mihi videtur additum, ego Dominus: sic æmulatur Deus dilectos suos, vt nihil nisi à se & per se gaudeat illis obue-

nire, & ideo ne de hoc vllo modo dubitarent, pluries ei inculcat: sic ponderat Lippom. *Ego (inquit) Dominus, solus haberi vult, & celi omnipotens, à se vult impetrari, etiamsi ad sanctos recurras, omne bonum ipse inuocari, tanquam pater luminum & omnium donorum largitor optimus vult*: En vt paternus amor Dei in homines, non permittit illis aliquid obuenire, nisi per manus suas! vnde pulchrè S. Chrysost. hom. ad populum, *talis est amantium consuetudo, omnia amatorum negotia per se fieri volunt, & nihil sine se illos neque facere neque dicere.*

Lippom.

D Chrys.

### *Intuitu fidei formatæ parentum multa Deus filiis tribuit.*

29 *Induxerim in terram, super quam leuaui manum meam.* Quod audientes Israelitæ, minimè crediderc; Moysi enim hæc narranti non acquieuere: cur ergo si increduli sunt, dantur promissiones factæ Abrahæ fidelissimo? cur homines increduli sic Deo placent vt sub iuramento dicat hæreditatem Abrahæ habituros? nonne ab ea tanquam indigni excludi deberent? si in memoriam reuocare velis excellentissimam Abrahæ fidem non miraberis hominibus ab eo originem ducentibus, licet indignis, non solum promissam, sed datam terram Palæstinæ, quia intuitu fidei formatæ parentum plura Deus filiis eorum tribuit: obseruatio est Auctoris Catenæ, *suscepit Deus Israelitas sibi in populum, ad Patriarcharum magis fidem ardentem attendens quàm ad istorum merita; fuerunt enim in plurimis horum opera mala,* non quidem attendebantur Israelitarum merita, sed fides Abrahæ, cuius intuitu multa sunt consequuti.

Auctor Catenæ in Exod.

### *Consolationem afflictis adhibere debemus.*

30 *Induxerim in terram, super quam leuaui manum meam.* Ilico Moyses Israelitas conuenit, narrat eis in proximo non solum libertatem adepturos, sed & terram lacte & melle manantem possessuros, tibi serua hanc à Deo promissionē factā, tibi enim vera dicenti non acquiescent, licet incredulis, tamen quod à Deo acceperat, aperit vt eorum dolorem leniret, & ex nimia, qua tenebantur afflictione, recrearet. *Fuerat Moyses* (inquit Abulensis) *consolatus in verbis Dei, quia ista non solum erant ad consolationem eius, sed etiam ad consolationem filiorum Israel, narrauit eis illa vt æquanimiter tolerarent labores impositos nouiter vtcunque possent, vsquequo Deus remedium eis velociter adhiberet.*

Episco. Abulens.

### *Vulgus non vera, sed præsentia attendit.*

31 *Induxerim in terram super quam leuaui manum meam.* Quæ à Deo audierat, non est dubium longa oratione Israelitis Moysem retulisse, nihilominus, inquit sacer textus, non acquieuerunt ei, quid? nonne signa viderant, quibus confirmati in dubium reuocare non deberent rem ita se habere? Deum esse in suis promissis fidelissimum? Moysem hominem esse veracem? nonne præsenti premebantur ærumna? nonne de facto insolitum onus eis imponebatur? quid mirum non acquieuisse Moysi licet vera dicenti? vulgus enim non quæ vera sibi promittuntur, sed quæ præsentia solum attendit, instigatur nobis noster Lyranus, *non fuerunt contenti in verbis his, nec læti sunt vt Moyses lætatus fuerat: & hoc quia vulgus magis attendit ea quæ in præsenti cernuntur, quàm ea quæ in futurum ventura creduntur, seniores autem qui videbant signa Dei præterita, & tempus completum pacti, credebant verbis istis.*

Noster Lyran.

### *Nihil de mandatis Dei prætermittendum.*

*Induxerim in terram super quam leuaui manum meam.* Arbitror Moysem in mandatis habuisse, vt quæ à Deo audierat, nota faceret filiis Israel, narrauit ergo Moyses eis omnia inquit sacer contextus, cur obseruat omnia narrasse? nam satis erat si dixisset, Moysem quæ à Deo audierat aperuisse: emphaticè dixit *omnia*, quia vt optimè Anselmus Laudunensis, *nihil de mandatis Dei prætermittendum est.* 32

Anselmus Laudunensis.

### *Peccata ex circumstantiâ minuuntur.*

*Induxerim in terram, super quam leuaui manum meam.* En vt iuramento se obstringit se daturum illis in hæreditatem terram Chanaan, nihilominus non acquieuerunt Moysi: Sept. non exaudierunt, cur Deus ilico grauissimas ab incredulis pœnas non exigit? nonne homini sub iuramento aliquid dicenti fidem adhibere tenemur? cur ergo Deo, qui est summa veritas, iuramento se obstringenti, non credunt, & tamen ob incredulitatem seuerissimè non puniuntur? quid ait textus? propter angustiā spiritus & opus durissimum, ex nimio quo tenebantur dolore, non attendebant iis quæ sibi narrabantur, & sic ex circumstantia eorum incredulitatem minuente ab eis pœna non exigitur. Vnde optimè Metonensis Episcopus, *excusatur aliquantisper rebellio & perfidia, quia angustia spiritus ex oneribus remorabatur.* 33

Episc. Metonens.

### *Non despondeat animum concionator etiamsi non audiatur.*

*Induxerim in terram, super quam leuaui manum meam.* Ilico narrauit omnia Moyses Israelitis quæ à Deo acceperat, qui tamen minimè acquieuerunt. An despondit animū, videns eos incredulos? cur eos tanquam verbo Dei indignos non abiecit? nam si salutaria annuntiat, & tamen ei fidem adhibere renuunt, cur non silet deinceps, & ab obeundi munere nō desistit? quia qui verbum Dei annuntiat, etiamsi non audiatur, despondere animū non debet, sed Deum summis vocis exorare, vt audientibus aures ad audiendum & cor docile ad credendum conferat: vnde optimè S. Chrysost. conc. 1. de Lazaro, ait, *si post nostram admonitionem in iisdem vitiis perseuerauerint auditores rebelles, non tamen quod rectum est consulere desistemus, quandoquidem & aquarum vena etiamsi nullus veniat aquatum, manant tamen, & fontes quamuis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt & amnes etiamsi nemo bibat, nihilominus fluunt: sic oportet & illum qui concionatur quamuis nullus auscultet, vt se ipsum emendet, tamen præstare quidquid in ipso situm est.* 34

D. Chrys.



## VARIETAS LECT. Verſ. 10. 11. & 12.

VVlg. Loquutuſque eſt Dominus ad Moyſem dicens.

Vulg. Ingredere & loquere ad Pharaonem Regem Ægypti, vt dimittat filios Iſrael de terra ſua.

Cald. Sept. Pag. Ingredere, loquere cum Pharaone Rege Ægypti.

Vulg. Reſpondit Moyſes coram Domino, ecce filii Iſrael non audiunt me, & quomodo A audiet Pharao præſertim cum incircumciſus ſim labiis?

Sept. Ego autem ſine ſermone ſum.

Cald. Ecce filii Iſrael non acquieuerunt mihi, quomodo ergo acquieſcet mihi Pharao? & ego ſum grauis loquelæ.

Philo. Mutus ſum.

Aug. Ecce ego gracili voce ſum.

## CONCORDIA.

SEpt. legentes ἐγὼ δὲ ἄλογός εἰμι Ego ſine ſermone ſum, & Cald. legens Ego ſum gracilis loquelæ; non contrariantur Vulg. habenti, incircumciſus ſim labiis, nam hic eſt Hebraiſmus ſignificans linguæ eſſe impeditioris.

## EXPOSITIO.

LOcutus eſt Dominus ad Moyſem, poſtquam narranti omnia quæ audierat à Deo non acquieuerunt Iſraelitæ, *loquere, ingredere ad Pharaonem* non videtur mandatum dediſſe Aaroni, ſed ſolũ Moyſi, vt Pharaonem iterum conueniret de dimittendo populo ſuo, *ecce filij Iſrael non audiunt me*, &c. ſi quorum tantùm intereſt B acquieſcere mihi, nolunt; quomodo Pharao qui ex diſceſſu populi tui, non leue damnum accipiet, mihi fidem adhibebit? *præſertim cùm incircumciſus ſim labijs*, ore infacundus, hinc patet Deum ad rubum non abſtuliſſe hunc defectum ineloquentiæ, vt arbitratur Philo.

## CONCEPTVS.

*Vt plurimum Principes ſurdi ſunt veritatibus audiendis.*

34 QVomodo audiet me Pharao, præſertim cum incircumciſus ſim labiis? Apud Sept. eſt ἄλογος εἰμι ſine ſermone ſum, ſed Phil. in lib. qui inſcribitur quod deterius potiori inſidiatur, legit C mutus ſum. At quo pacto Moyſes non ſolum ſe labiis incircumciſum, infacundum ore, ruſticum loquela, ſine elegantia & ſplendore orationis ſe fatetur, ſed etiã mutum? ſi mutus eſt, quomodo qui tot verba Deo reſpondet, qui populum toties allocutus fuerat, dicit ſe mutum cum ad Pharaonem mittitur? credo quia ad eum mittebatur, quem ſurdum exiſtimabat, ad veritates audiendas, nam qui ſurdo loquitur, ita loquitur ac ſi non loquatur, imo non ſecus loquitur quàm ſi penitus obmuteſcat: vides vt principes vt plurimum ad veritatem capiendam vſum aurium amittant.

nem, at locutus es cum vno homine, eoque Rege vrbanis ſermonibus, non inconditis clamoribus aſſueto, blanda potius voce indigos quàm ferrea, gracili quàm caſtrenſi, fiſtula tibi opus eſt non tuba, quid igitur vocis gracilitatem accuſas? dubitationem hanc excitat & per interrogationem more ſuo diſſoluit eã. Aug. *Mirum eſt, inquit, tam gracili voce Moyſem fuiſſe, vt ne ab vno quidem homine audiri poſſet? an forte regius faſtus non permittebat eos de proximo loqui ſecum?* quaſi diceret, Pharao optimos veritatis monitores ſic auerſabatur, vt non ſolum eos libenter non audiret, verùm etiam nec ad ſe proximè accedere pateretur, quare ſi quando illis præbebat aures, procul à ſe poſitos eſſe iubebat, vnde niſi illi voces intenderent, & potiùs meſſorum quàm oratorum latera ad loquendum obfirmarent, minimè audirentur: cum igitur Moſes gracili voce vteretur, quomodo, inquit, audiet me Rex Pharao? ſic manifeſtè exprimens Regis animum à D veritate audienda maximè alienum. Auguſt.

*Regius faſtus veritatis præcones de proximo loqui non ſinit.*

35 *Quomodo audiet me Pharao præſertim cum incircumciſus ſim labiis?* S. Aug. q. 16. in Exod. tranſtulit, ecce ego gracili voce ſum, vnde inepta videbitur alicui illa Moſis excuſatio; nam quæ vocis gracilitas tanta eſſe poteſt, vt ad vnum hominem alloquendum non ſufficiat? quid igitur ais Moyſes? ſi ad ingentem populum prædicaturus mitterere, optimam afferebas excuſatio-

*Concionatoris non exigua debet eſſe humilitas.*

*Quomodo audiet me Pharao cum incircumciſus ſim labiis?* Nonne tibi dixerat Deus induratum fuiſſe cor Pharaonis? cur ergo non ais, ſicut filij Iſrael, propter anguſtiam ſpiritus, & opera grauiſſima quibus premebantur, non mihi acquieuere: ſic nec Pharao propter cordis duritiem mihi non ſolum non credet, ſed nec loquentem audiet? cur in te culpam reijcis quod non audiaris? 36

cur defectum linguę, tarditatem sermonis in medium adducis, non autem eorum prauam dispositionem? Optimè Oleast. (Oleast.) *Aduerte hic summam optimi Concionatoris humilitatem, nam licet eos incusauerit quod eum non audiant, culpam tamen huius rei in caput suum reiicit, dicens se ex defectu suo non audiri, quod videlicet sit incircumcisus labiis.*

*Maxima Dei erga peccatores benignitas.*

37. *Quomodo audiet me Pharao cùm incircumcisus sim labiis?* Præceperat enim ei Deus, vt eum conueniret libertatis Israëlitis concedendæ gratia. Ingredere & loquere inquit ad Pharaonem Regem, vt dimittat filios Israël de terra sua; hærebat enim & anxius erat Moyses, quid agere deberet in tam difficili functione, quam priùs Rex Ægypti impedierat, & nunc populus impediebat: hoc in suæ vocationis exordio timuerat, nuncque timere debebat, ne Deus propter rebellionem populi, de nouo promissionem suam reuocaret. Cur Deus non reuocat cum propter infidelitatem hac punitione deberent mulctari? quia ita clemens, vt dignetur iterùm Moysi suam in populum curam ostendere, iubetque vt adeat Pharaonem atque voluntatem suam aperiat vt filios Israel de terra sua abire permittat. Hinc colligamus Dei bonitatem eiúsque misericordiam circumspiciamus erga miserrimos peccatores Israelitas, qui quamuis propter incredulitatem & contemptum verbi Dei demeruissent abiici & derelinqui, non tamen procul à Dei adiutorio & auxilio depelluntur, sed ab oculis misericordibus Dei placidè & leniter prospiciuntur.

*Prælati non feriari permittuntur.*

38. *Quomodo audiet me Pharao?* Missus enim ad eum fuerat, vt persuaderet libertatem populo Israel concedere. Nonne antea ad Israelitas missus fuerat, vt eos certiores faceret de libertate consequenda? Cur toties Pharaonem conuenit? Cur toties populum? quiescat paululùm, & non illicò teneatur ad populum regredi, quiescere nesciat, non enim prælati siue aliorum Duces feriari permittuntur, quomodo autem non debeant feriari, sed perpetuo laborare, semper in omnibus inuigilare, Rectè docet S. Laurenti. Iustini lib. de instit. & regimine prelatorum cap. 17. (S.Laur.Iust.) Vsus quidem docet (*inquit*) vt quoties contingit duos simul dimicare exercitus, miles pro se sit quisque sollicitus, qualiter videlicet illæsus possit hostes euadere, illos etiam inuadere, deprædari atque subigere: singuli propria tractant negotia, & pro sua laborant salute: at verò totius dux exercitus præter suam gerit omnium curam; prouidet enim quibus ipse exercitus alatur cibis, quibusue vtatur equorum stramentis, secum tacitus cogitat de vniuersorum indemnitate, quomodo scilicet valeat aduersarios decipere, aduersus illos insidias ponere, dissimulare fugam ac superare incautos, cæteris quippe iudentibus, prandentibus, vagantibus, dormientibúsque ipse clam perlustrat inimicorum castra, si forte eos improuisos reperiat, inuadet, trucidet & disperdat: ad illius imperium mouentur castra, acies diriguntur, certamen geritur &c. quod autem de visibili dictum est exercitu, hoc de spirituali & inuisibili censendum esse non ambigo: porro istum spiritualem exercitum congregationem dixerim omnium fidelium, qui in Ecclesia tanquam in campo sub diuersis gradibus, distinctis videlicet agminibus sunt ordinati ad bellum aduersus aëreas potestates, quæ profectò mille modis occultisque machinationibus, fraudibus innumerabilibus & implacabili crudelitate, die noctuque Dei castra oppugnare non desinunt, ad quorum siquidem instructionem, defensionem, & regimen instituti sunt spirituales duces, animarum videlicet pastores atque rectores, quatenus ipsorum salubri prouisione, exercitatione laudabili: admonitione sancta cælestique sapientia plebs tota credentium quæ per se minus est valida ad pugnandum animetur indeficienter, iugiter erudiatur, protegatur orationibus, atque ad certaminis perseuerantiam consiliis salutaribus roboretur: istis prorsus incumbit cunctarum gubernatio Ecclesiarum, omniumque tradita est cura fidelium; quibus quemadmodum ascribitur ad meritum vniuersorum corona viuentium, ita e regione pereuntium de ipsorum manibus requiretur sanguis: si tamen erga eorum salutem reperti fuerint desides atque vitæ monita eisdem insinuare neglexerint: Propheta attestante qui (Ezech. 3.) ait, si non annunciaueris impio iniquitatem suam, ipse in peccato suo morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.

*VARIETAS LECT. Vers. 13.*

*Vlg.* Locutus est Dominus ad Moysem & Aaron, & dedit mandatum ad filios Israel, ad Pharaonem Regem Ægypti, vt educerent filios Israel de terra Ægypti.

*Sep.* Et præcepit ad Pharaonem Regem Ægypti, vt educerent filios Israel de terra Ægypti.

*Pag.* Præcepit eis ad filios Israel, & ad Pharaoh Regem Ægypti.

EXPOSITIO.

*Locutus est ad Moysem & Aaron*, antea solùm Moysi locutus fuerat, nunc vtrique & dedit mandatum, *ad filios Israel & ad Regem Ægypti*, ad filios Israel vt in spe de consequenda libertate erigeret, ad Regem autem Ægypti, vt comminaretur ei pœnas mox futuras, ni filiorum Israel discessum ex Ægypto permitteret.

## [illegible]ONCEPTVS.

M[illegible] *diuinas* A

79 [illegible] qui tamen [illegible]

D. August. [illegible]

*dit mandatum ad filios Israel & ad Pharaonem.* Ecce licet difficultatem obiecerit in legatione obeunda, eam illi Deus denuo confirmat, non solum apud filios Israël, sed etiam apud ipsummet Regem Ægypti: si se indignum ea legatione iudicauit, cum se incircumcisum labiis esse asseruit, cur eum denuo in eadem dignitate confirmas? quia vt optimè Lyppom. quanto se minus idoneum putat Moyses, tanto fit Domino promouente & volente aptior: sed vlterius addamus, licet antea in hac dignitate non fuisset constitutus, media hac submissione & humilitate, eam consequutus fuisset, est enim proprium humilitatis, humilem exaltare, sicut promittit Christus Dominus cum ait omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Et optime B ponderat Diu. Ambros. serm. 14. in Psal. 118. dixisse paulum de Christo Domino, humiliauit semetipsum propter quod Deus exaltauit illum. *Laborauit*, inquit Ambros. *laborauit Apostolus demonstrare quanta sit humilitatis gratia, quantus eius profectus, si simplicibus accipias auribus, & Christum exaltauit, accipe ergo argutis auribus si putas quod Christo profuit humilitas [illegible], cui ergo non proderit? si illum exaltauit, quem non angelis?*

Auctor Catenæ. Luc. 14. D. Ambr. ad Philipp. 4.

### *Deus nescit suos non consolari seruos.*

*Locutus est Dominus ad Moysem & Aaron, & dedit mandatum ad filios Israel.* Nullum non mouit lapidem Dominus, vt populum suum per C Moysem & Aaron seruos suos certiorem faciat futuræ suæ proximæ liberationis, dedit enim ipsis duobus fratribus legatis suis, expressum filios Israel conueniendi mandatum, & proficiscendi ad Pharaonem Regem Ægypti monendum & exhortandum, vt concessa discedendi libertate filios Israël de terra sua emitteret, ni vellet in suæ irreligionis compensationem, supremam Dei omnipotentis manum super se & super seruos suos, imo & super vniuersum Regem euocare: sed si seruo suo Moysi Israelitæ fuerunt rebelles, nec eius dictis acquieuere, cur eos conueniendi dedit mandatum? quia suos nescit non consolari seruos. *dedit eis mandatum* (inquit Abulens.) *vt consolarentur filios Israel angustia & desolatione oppressos.* 82

Abulens.

Olear. [illegible] apud [illegible] & M[illegible]

82 *Locut*[illegible]

[illegible] dicat [illegible] est & efficax [illegible] ad [illegible] qui pro- [illegible] Dei [illegible]

## *Vers. 14. 15. & 16.*

VVlg. Isti [illegible] milias suas [illegible] lis, Henoch & P[illegible] [illegible]æ cognationes Ruben filij Simeon Sa[illegible]amin, & Ahad, & Iachin, & Soar, & [illegible] Chananitidis, hæ progenies Si[illegible]

*Sept.* Et hi sunt [illegible] rum eorum.

*Cald.* Isti sunt [illegible] familiæ Ruben, & istæ familiæ [illegible] rum.

*Pag.* Ista sunt ca[illegible] [illegible]gnatio Ruben, & Saul qui ex [illegible] rum.

[illegible] ina filiorum Leui per cognationes

tiones suas, Gerson, & Caath, & Merari, anni autem vitæ Leui fuerunt centum triginta septem. A Pag. Et hæc nomina filiorum Leui secundum generationes eorum.

### CONCORDIA.

VVlg. legens isti sunt principes domorum, per familias suas, non discrepat ab Hebræo ita habente אלה ראשי בית אבתם elle rase beth abotham. Isti sunt principes vel capita, dictio enim (ראשי rase vtrumque significat) domum patrum suorum habet Vulg. & Saul filius Chananitidis, Sept. autem legunt ὁ ἐκ τῆς Φοινίσης, qui ex Phœnissa nempe genitus est.

### EXPOSITIO.

ISti sunt principes domorum, id est, principes congregationum specialium, quæ vocantur familiæ sub vna tribus *per familias suas*, scilicet quod in qualibet familia assignabatur vna domus & vnus princeps, *filij Ruben primogeniti Israel*, quia in ordine natiuitatis priores erant Ruben & Simeon, quàm Leui, cuius generationem hic præcipuè intendebat texere; ideo prius eos in medium adducit, circa nomina filiorũ Ruben & aliorum, qui inferius referuntur, vide ea quæ diximus in cap. 40 Commentariorum nostrorum super Genesim, *hæ cognationes Ruben*, id est, progenies, vel soboles Ruben, eorum scilicet, qui ab ipso ortum habent. *Et Saul filius Chananitidis*, iste specialiter nominatur filius Chananitidis, quia cæteros filios suscepit Simeon de vxoribus, quæ erant ex progenie Abrahæ, siue de Idumæis, siue Madianitis, siue Moabitis, aut Ammonitis, hunc autem suscepit ex vxore Chananæa: anni autem Leui fuerunt triginta septem ex dictis Genes. 30. constat Leui quatuor annis fuisse seniorem Iosepho. B Hinc sequitur primo quod Leui erat 43. annorum, quando cum Iacob descendit in Ægyptum, quia tunc Ioseph erat 39. annorum, sequitur 2. Leui obijsse 23. annis post mortem Iosephi, hic enim mortuus est anno ætatis 110. Leui autem 137. Sequitur 3. Leui post ingressum Iacobi in Ægyptum, vixisse in Ægypto annos 94. Sequitur 4. Leui obiisse 121. annis ante excessum Hebræorum ex Ægypto; nam ab ingressu Iacobi in Ægyptum vsque ad exitum Hebræorum ex Ægypto reliqui fuerunt anni 121. Sequitur 5. Leui obijsse annis 41. ante ortum Mosis, hic enim 80. annorum erat in egressu Hebræorum ex Ægypto.

### CONCEPTVS.

#### *De nobilitate & natalibus non iactandum.*

83 ISti sunt principes domorum per familias, filij Ruben, &c. Ecce Moyses suam tantùm progeniem ex tribu Leuitica narraturus, nihilominus alias duas tribus simul cum sua exposuit, at enim filii Ruben, &c. Cur quæso aliarum narrationem, quæ ad rem non pertinebat, interponit? cur memorat Simeonem & Rubenum cum sua progenie? Optimè Cardinalis Cajetanus: *Moyses non solius tribus Leui capita recensuit, ne putaretur quod illos solos magni penderet, tanquam soli essent principes.* En vt suam nõ iactat nobilitatem, nam aliorum etiam tribus cum sua, licet non id esset necesse, memorat. (Cardin. Cajet.)

#### *Nos aliis præferre non debemus.*

84 *Isti sunt principes domorum per familias suas, filij Ruben primogeniti Israelis, &c. filij Simeon, &c.* Cur potius commemorauit duas illas tribus seniores, nimirum tribum Ruben & Simeon, nihil vero de aliis tribubus, Leuitica iunioribus, enarrauit? cur non omnes aut dixit aut tacuit, sed duabus expositis cæteras prætermisit? vt hoc modo suam tribum senioribus postponeret, iunioribus non anteferret, quasi alios quidem fratres habere vellet supra se, neminem vero infra se, atque adeo se omnium minimum iudicaret, ita mihi videtur exposuisse Cajetanus. *Meminit, inquit, potius Ruben & Simeon, quàm aliorum, quia* C *ambo erant prius nati quàm Leui, vt commemorando capita priorum tribuum manifestet, quod nõ reputat capita filiorum Leui præeminere alijs capitibus aliarum tribuum.* (Ca. Card.)

#### *Deus veracissimus in suis promissis.*

*Isti sunt principes domorum per singulas familias, &c.* Cur postquam excusationis suæ narratiunculam ingressus est Moyses, qua dicit se incircumcisum labiis, repente hanc facit digressionem, vt generationem tribuum trium recenseat? ad quid enim cùm ad institutum suum hoc necessarium non videatur? satisfacit Rupertus lib. 1. c. 25. *ad comprobandam veritatem Dei, qui ad Abraham de hac seruitute & subsequenti libertate filiorum Israel ante locutus, cùm dixisset, scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum;* D *in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis, ita præfiniuit dicens, generatione autem quarta reuertentur huc: vt ergo tempus à Deo præfinitum aduentasse appareat, generationem filiorum Israel intexere incipit.* 85 (Abbas Tuiciensis.) (Genes. 15.)

#### *Cum infamia laborat familia nostra, eam liberare debemus.*

*Isti sunt principes domorum per familias suas, &c. Filij Ruben primogeniti Israel.* Et generationem etiam Simeonis & Leui describit. Vlterius progredere, cum aliæ restent recensendæ, vel si eas omisisti, cur etiam tribum Ruben & Simeonis silentio non obuoluisti? Aduerte mala 86

ἀνεκφώνητον, id est, ineffabile, à Theodor. A ἄφραστον, id est, indicibile, à Damascen. ἄῤῥητον, id est, ineloquibile. Sed cur hoc nomen dicitur ineffabile? an quod solis quatuor consonantibus constet, careatque vocalibus, sine quibus literas consonantes pronuntiare & effari non possumus? non equidem, nam Deus hic nomen suũ pronuntiat cum illud reuelat. Rursus Moyses effatus est illud coram Pharaone & Israëlitis, ipseque Pharao sæpiùs ab Aarone prolatum respondẽdo repetiit. An ex eo quod ab Hebræis haberetur sacratissimum & summè venerabile, tanquam primarium, proprium, & essentiale quod esset fundamentum & radix aliorum nominum? non dissentio. Sed mihi arridet quod ait Lippom. *dicitur nomen hoc Dei Iehoua sacrum & ineffabile, non quod vox ipsa exprimi non possit* B *cum certis constet literis & vocalibus, & à Pharaone homine iniquissimo expressa fuerit; sed quod Dei natura maximè per ipsum nomen significata à nulla creatura exprimi possit cum sit infinita, atque ob id ineffabilis.*

*Secundum indigentiam, Deus suam declarat potentiam.*

13. *Ego Dominus qui apparui Abrahæ, &c. nomen meum Adonai non indicaui eis.* Quid? nonne multo ante Moysem, hoc nomen antiquis patribus fuit reuelatum? in Genesi enim (vt vidimus) sæpè iteratur, cum patres hoc nomine Iehoua Deum inuocauerunt, vt ab Henoch Genes. 4. ab C Abraham Genes. 15. &c. Quomodo ergo Deus asserit hoc nomen ineffabile eis non fuisse co-

Abbas Tuitiensis. gnitum? Audiamus satisfacientem Rupert. lib. 1. c. 24. *Quod hic dicit, non indicaui, sic accipiendum est vt subaudias quantæ esset potentiæ & virtutis, magnalia namque & terribilia facturus hæc loquitur, ad ostensionem gloriæ nominis sui, qualia non fecit in diebus Abraham, Isaac & Iacob, quibus tamen in Deo omnipotente apparuit.*

*Deus varias in nostrum commodum videtur assumere formas.*

*Ego Dominus qui apparui &c. in Deo omnipotente,* 14.
id est, in Deo benefaciente, abundantissimo diuitiarum largitore, tamen nomen meum non indicaui eis, quod secundum aliquos significat cõterentem aduersarios, & suorum propugnatorem, scimus apparuisse sub nomine El, id est, B victoris & benefici. Cur nunc vt seuerus conterens manifestatur? cur non semper tanquam & immutabilis eodem modo apparet? quia Deus in se inuariabilis & immutabilis, varias in nostrum commodum videtur formas assumere. Nescio si ad hoc respiciens S. Bernard. S. Bernard. serm. de variis affectibus animæ, ait, *Quod diuersis nominibus*, inquit, *Deum nunc quidem patrem, nunc magistrum vocemus aut Dominum, non illius simplicissimæ, & omninò inuariabilis naturæ diuersitas vlla in causa est, sed affectionum nostrarum multiplex variatio secundum diuersos profectus animæ, vel defectus, videntur enim quadam anima sub pa-* Psalm. 101. *tre familias agere quadam sub Domino, quadam sub magistro, quadam quoque sub patre, & nonnulla* C *cum sponso, vt cum proficientibus proficere, cum mutatis mutari videatur; & ipse qui iuxta Prophetam mutat quidem creaturas & mutabuntur, licet idem ipse sit, & anni eius non deficiant.*

## *VARIETAS LECT. Vers. 4. & 5.*

VVlg. Pepigique fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum in qua fuerunt aduenæ.

*Sept.* Et statui testamentum meum ad illos, ita vt darem illis terram Chananæorum, terram quam incoluerunt, in qua & incoluerunt in ea.

*Cald.* Statui pactum meum cum eis.

*Vulg.* Ego audiui gemitum filiorum Israël, D quo Ægyptij oppresserunt eos, & recordatus sum pacti mei.

*Sept.* Et ego exaudiui gemitum filiorum Israël, quem Ægyptij in seruitutem redigunt eos, & recordatus sum testamenti vestri.

*Cald.* Et in conspectu meo auditus est clamor filiorum Israel, eo quod Ægyptii faciunt eos seruire eos, & recordatus sum pacti mei.

## *CONCORDIA.*

VVlg. Habet quod Ægypdi oppresserunt eos, tamen non immutat sensum lectionis Hebraicæ dicentis אשר מצרים מעבדים aser mizraim mahabidim, quos Ægyptii seruire faciunt; nam propter hoc Israelitæ ab eis opprimebantur.

## EXPOSITIO.

PEpigique fœdus cum eis, pactum cum eis statui, *vt darem eis terram Chanaan*, in qua habitant septem populi de stirpe Chanaan, *Terram peregrinationis eorum*; in ea enim tanquam aduenæ, & non tanquam incolæ morabantur, *Audiui gemitum filiorum Israel*, id est exaudiui lachrymabiles preces cum gemitu, ex oppressione quam ab Ægyptiis patiebantur, *Quo Ægyptij oppresserunt eos*. Oneribus nimiis, & seruitute intolerabili opprimentes.

*& recordatus sum pacti mei*, non ego intuitu meritorum vestrorum, sed parentum vos libero, ex A parte autem vestra non tam meritum quàm miseratio interuenit propter gemitum vestrum.

---

CONCEPTVS.

### *Deus exactè scit veræ amicitiæ leges obseruare.*

15. A*Vdiui gemitum filiorum Israel, quo Ægyptij oppresserunt eos.* Sept. Exaudiui gemitum filiorũ Israël, quem Ægyptij in seruitutem redigunt. si in seruitutem rediguntur, si in miseriis & ærumnis toti sunt, si nihil aliud eis quàm gemitus restat, cur eos non despicis cum sint miserrimi? apud homines enim in more positum est, eos, quos felices venerabamur, miseros, non solùm contemptui haberi, sed etiam exosos; Ita equidem apud homines; secùs autem apud Deũ qui exactè scit veræ amicitiæ leges seruare, quæ etiam in hoc consistit, vt quos diligimus etiam in felicitate, in ærumnis in pretio habeamus, Oleaster. *ô amice hominum dulcis*, inquit Oleaster. *qui eum recordaris tuorum quando sunt in maximis angustiis, & pressuris, nos cum felices amicos videmus, eorum recordamur; in aduersis verò obliuiscimur. Deus autem non sic, sed in nostra fœlicitate nostri oblitus videtur, in nostra aduersitate recordatur: quæ sane fuit ratio cur sacra scriptura sæpè appellet* 2.Reg 14. *Chusai amicum David, vt patet ex 2. Reg. cap. 14. imò & Absalon sic eum appellauit, cum dixit hæc est gratia ad amicum tuum, quare non iuisti cum amico tuo quando scilicet eum fugientem nudisque pedibus gradientem, & aperto capite plorantem quæsiuit vt comitaretur in persecutione, quando alij maledicebant & insectabantur.* De quo proinde rectè dixit Chrysost. in Psalm. 7. *Non eras amicus temporum, sed virtutis*, & ideo licet regno euersus esset, non mutarat sententiam & amicitiam, sicut etiam non mutauit Ethai quando David egressus est Hierusalem, & dixit ei vt regrederetur ad ciuitatem & habitaret cum Absalon, dixit; viuit Dominus meus Rex, quoniam in quocumque loco fuerit Domine mi Rex, siue in morte siue in vita ibi erit seruus tuus.

### *Deuinctissimos nos sibi Deus vult habere.*

16. *Audiui gemitum filiorum Israël quo Ægyptij oppresserunt eos.* Sept. exaudiui gemitum filiorum. Israël, quem Ægyptij in seruitutem redigunt Cur Deus à seruitute liberare voluit? cur eos à tot ærumnis eriperet? sinas eos sub iugo seruitutis, vt tui semper sint memores, in prosperitate enim non est qui memor sit tui: nonne qui à seruitute liberatur, liberatori suo addictissimus est? En Lusitanus. singularis erga hominem amor, qui sibi deuinctissimum eum vult habere. Obseruatio est Oleastri *quærendum est* (inquit) *cur Dominus eos quos ad se volebat recipere, ex tantis eriperet malis, meo iudicio voluit ostendere, quàm deuinctos nos sibi habere volebat, filius enim quoniam sui iuris* Luc. 15. *est facilè patrem deserit; quemadmodum prodigus ille, cuius Lucas meminit, qui portionem suam ex patre voluit à quo statim in longinquam regionem discessit, seruus verò quia ipse seruus est, vbi ipse velit discedere aut post fugam redire voluerit, quia nostrum argentum est, retinemus, aut quærimus inuitum, quantumcumque enim Israel se ire perditum voluerit, iure tamen dominii à Domino requisitus est.*

### *Deus tunc nos audire videtur, quando nos exaudit.*

17. *Audiui gemitum filiorum Israël*, quid? nonne cum vbique sis præsens, tanquam immensus omnia intueris, nihil te latet, quomodo ergò tanquam preces Israelitarum antea non audiens, dicis nunc te gemitum eorum audisse? quomodo vertunt Sept. videamus, exaudisti gemitum filiorum Israël, en vt tunc audire videtur cum nos exaudit; quod annotat Abul. Abulensis *Exaudiui consentiens eos liberare, semper Deus omnia videt, omnia audit, sed quando ad preces nostras non mouetur, tanquam non audiat, dicimus eum non audire, non videre. Et sic conqueritur Habacuc de Deo quasi non audeat aut videat, mala quæ boni patiuntur à pessimis, quare non respicis super iniquè agentes, & taces deuorante impio iustiorem se, & facies hominum quasi pisces, & quasi reptile non habens principem?* Habac. 1.

### *Ita Deus hominum amator vt eorum se constituat debitorem.*

18. *Audiui gemitum filiorum Israel, & recordatus sum pacti mei*, Cum homines in verbis & in promissis deficiant, non mirum quod pactis obstringantur. Sed cur Deus cum sit infallibilis in suis, & ipsamet immutabilitas & veritas, sese obstringere pacto cum hominibus voluit? quia ita hominum amator, vt eorum se constituere debitorem non renuat: Sic Rupertus. Rupertus. *Hac propositione data pepigi cum eis fœdus, vt darem eis terram Chanaan, nam promissi debitorem se iure teneri consensit.*

### *Deus intuitu meritorum parentum multa tribuit filiis.*

19. *Audiui gemitum filiorum Israel, recordatus sum pacti mei*, quod scilicet cum patribus vestris pepigi, nempe Abraham, Isaac, & Iacob. Sed qua de causa cum tam eximium conferre beneficium populo Israel mediraris, reuocas in eorum memoriam progenitores suos? vt scirent quod intuitu eorum, hanc à Deo gratiã accepissent, vt liberarentur à grauissima Ægypti seruitute: Fauet Caietan. Cardin. Caiet. *Ne Abraham, Isaac, & Iacob ex negata eis notitia antedicta minus reputarentur, subiungit Deus quod pepigit fœdus cum eis, & ad similitudinem recordatis descendit nunc visa afflictione populi, vt intelligant quod ratione patrum priscorum misereretur modernorum filiorum.*

### *Summa promissionum Dei, Verbi sui incarnatio.*

20. *Audiui gemitum filiorum Israël, recordatus sum pacti mei*, Scilicet vt darem eis terram Chanaan. Quid? nonne longè plura eis promisisti? nonne dixisti quod in semine suo omnes benedicentur nationes, quo nihil magis eximium nec dici nec sperari potest? Verbi enim diuini incarnatio hac benedictione intelligitur. Optimè Rupertus (Abbas Tuitiensis) cap. 24. lib. 1. *Hoc autem secundum, non esse hoc totum fœdus vel fœderis causam dare illis terram Chanaan, sed partem fœderis, pro toto posuit, summa namque fœderis est in hoc sermone, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ.* (Genes. 12.) *In quo Christi filij Dei incarnatio promittitur manifestè.*

### *Non solùm Deus audit miserorum afflictiones, sed eos in tuto locat.*

5. *Audiui gemitum filiorum Israël, recordatus sum pacti mei.* Scilicet vt darem eis terram Chanaan, quid? nonne satis est eorum lachrymas exaudisse & abstersisse, vt fœlicem possint in Ægypto vitam ducere? cur terram Chanaan eis concedis A ab Ægyptiis remotam possidendam? quia Deus nescit solùm miserorum afflictiones audire, sed etiam in tuto collocat loco ab ærumnis remotissimos. Quod ab ore ipsius Dei depromendum est apud Regium Psaltem Psal. 11. propter miseriam inopum & gemitũ pauperum nunc exurgã dicit Dominus, ponam in salutari: quæ verba sic (Psal. 11.) ad institutum nostrum ab Agellio explanantur, (Agellius episc.) *Miseriam inopum intelligit afflictionem qua ab huiusmodi scelestis hominibus vexantur, nunc exurgam vt opem indigentibus feram: quod verò sequitur ponã in salutari, difficile est intelligendum, & non nisi ex accurata obseruatione Sept. sensus verus erui poterit. Itaque ponere in salutari, alteram ex duabus intelligentiam habere poterit, aut enim ponere pro mutare atque conuertere accipiendum est, vt vicissitudinem* B *quandam commutationemque significet, & tantumdem sit ac si dixisset, eorum afflictionem & ærumnas in salutem conuertam, & eos à miseria ad salutem transferam, vertam illis gemitum in lætitiam; aut ponam illos in salute hoc est è loco humili & parum tuto, in locum tutum & munitum traducam, vbi salutem suam tueri possint, vbi tuti ac tecti sint ab incursu inimicorum.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 6. & 7.*

VVlg. Ideo dic filiis Israël; ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute, ac redimam in brachio excelso, & iudiciis magnis.

*Sept.* Vade dic filiis Israel dicens, Ego Dominus & educam vos de dominatione Ægyptiorũ. C

*Cald.* Ego Dominus & educam vos de medio tribulationis seruitutis Ægyptiorum.

*Pag.* Ego Dominus & educam vos ex oneribus Ægypti, & redimam vos de brachio extenso.

*Onk.* Educam vos de afflictione seruitutis Ægyptiorum.

*Oleast. & Arias.* Educam vos de sub oneribus Ægypti.

*Vulg.* Et assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus, & scietis quod ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum.

*Sept.* Et sumam mihi ipsi vos populum mihi, & ero vester Deus, & cognoscetis quia ego Dominus Deus vester educens vos de dominatione Ægyptiorum.

*Cald.* Et applicabo vos coram me in populum, & ero vobis in Deum & scietis quia ego Dominus Deus vester qui eduxi vos de medio tribulationis Ægyptiorum.

*Pag.* Qui educo vos ex oneribus Ægypti.

*Onk.* Qui eduxi vos de afflicta seruitute.

---

### CONCORDIA.

VVlg. legit Educam de ergastulo Ægyptiorum, in Hebræo autem est סבלת מצרים מתחת mitahath sibloth misraim, Educam te sub oneribus Ægyptiorum, alij à seruitute, alij ab afflictione, quia vox sabal quæ ergastulum significat, est locus vbi captiui laborare & operari coguntur, ad cuius similitudinem, locum, vbi filij Israel in luto & latere operari compellebantur, meritò vocauit ergastulum: non est autẽ discordia inter eos qui legunt vel celsum, vel D extensum, nam nata, à quo נטויה netuia extendere significat magna vi, vel brachio extento ad percutiendum aduersarios.

---

### EXPOSITIO.

EGo Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, Ergastulum propriè est locus (vt diximus) operatorius, & communiter pro carcere & custodia laboratoria accipitur, in eo autem ergastulo Hebræi in luto & latere operari cogebantur, *Eruam de seruitute*, qua tyrannicè oppressi estis, *Et redimam in brachio excelso*, Extensio diuini brachij ponitur pro diuina operatione, & quia quanto opus est maius, nobisque magis arduum, tanto brachia extenduntur excelsius. Ideoque idem est in brachio excelso, quod in, vel per mirabilia opera; *Et iudiciis magnis*; iudicium pro pœna ponitur, vel generaliter pro quauis iudicii executione, &

in malis quidem pœna, in bonis autem præmium est, *& assumam vos in populum mihi*, scilicet vt sitis mihi populus specialis, inter omnes terræ nationes, *& ero vester Deus*, speciali cultu, *& scietis quod ego sum Dominus Deus vester*, experimento cognoscetis, me vestrum protectorem, & liberatorem, *qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum*, de eorum durissima seruitute.

## CONCEPTVS.

### *Deus maioribus semper nos vult deuincire beneficiis.*

22 EDucam vos de ergastulo Ægyptiorum. Eximium sane beneficium, quid enim optabilius quã à misera seruitute eripi? durissima tyrannide liberari? sed quid prosequatur attendamus, *Redimam vos in brachio excelso & iudiciis magnis*, quænam erunt illa iudicia? sane grauissima de Ægyptiis sumpta supplicia: nonne satis erat libertate donasse populum tuum? cur iis videntibus, tam acerbam exiges ab Ægyptiis punitionem? cur in brachio excelso tot præcedentibus prodigiis educere Israelem polliceris? quia nescit Deus suos non maximis deuincire beneficiis: quod obseruat Oleast. *Singularia & inassueta sunt, quæ Deus sanctis suis facit, non est contentus redimere eos nisi magna inimicorum clade id fecerit, & si eis parcere debet aut misereri, exaltat se adhoc & vires extendere videtur: habes enim Isaiæ 30. expectat Dominus vt misereatur vestri, & exaltabitur parcens vobis, &c. potuit enim potentissimus Deus paruo negotio suos redimere, sed brachium extendere voluit, & magna iudicia in hostes exercere vt magis obnoxios sibi faceret.*

Lusitanus.

Isai. 30.

### *Nescit Deus non esse specialis Deus eorum, à quibus speciali cultu honoratur.*

23 *Educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus.* Cum omnium sis creator & gubernator, nonne omnium es Deus? cur ergo populi Israelis te Deum asseris, quasi ipsius antea non fuisses, nec non aliorum esses? non negat se omnium Deum esse, sed se specialiter Deum Israelitarum nominat, & merito, eum enim præ aliis nationibus specialissimo cultu venerabantur: vtiliter hoc premit Abul. *Oportet quod quando aliqua conuentio aut pactum fit ex alterutra parte, aliquæ conditiones vel res obseruandæ proponantur, vt quemadmodum vna pars aliquid obseruat alteri, ita altera alteri, sed Deus faciens hoc pactum cum Hebræis, assumebat eos in populum, ergo oportet quod Hebræi aliquid obseruarent ad Deum, scilicet quod acciperent eum in Deum: accipere autem in populum est quod Deus haberet specialem curam de bene faciendo Iudæis, magis quam aliis Gentibus: quod autem Hebræi acciperent eum in Deum, erat quod præberent ei specialiorem cultum quàm cæteræ gentes.*

Abulens.

### *Inculcatur pluries promissio diuina, ne fide deficiamus.*

24 *Educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & assumam vos in populum.* Nonne pluries idem inculcasti? nam quoties es pollicitus Israelem è seruitute Ægypti liberaturum? quoties terram Chanaan ei daturum promisisti vsque ad nauseam? cur toties eadem repetis? aduerte maximè tunc consternatum animo fuisse populum ex nimia onerum impositione: quid mirum igitur pluries idem inculcasse? pluries eadem promissione se obstrinxisse? voluit enim consternatos erigere spe futuræ iamjam libertatis habendæ, *Toties*, (inquit Lippom.) *libertatem donandam promittit, vt perfidiæ crimen clarius elucescat, & Dei iustitia æquitasque in improbos: in tanta autem animorum perturbatione, necessaria erat certitudo instantis solatii, & amouendorum onerum promissio inculcanda*, cuius fide exercerentur ad impetrandum promissa.

Auctor Catenæ.

### *Quo Deus magis differt supplicium, eò grauius illud infert.*

*Educam vos de ergastulo Ægyptiorum & redimam vos in brachio excelso*: Per brachium excelsum grauissima supplicia Ægyptiis inferenda intelligunt interpretes: sed cur sub hac metaphora brachii excelsi hæc denotantur? aduerte homines iratos quo potentius percutiant & conterant, aliquid, altius manum & brachium eleuare, quàm ad mentem igitur ait sacer textus, Deum in brachio excelso pœnas sumpturum ab Ægyptiis, quia quo magis ea differebat, eo grauiora immissurus erat. 25

### *Ex beneficiis à Deo acceptis eum esse creatorem nostrum asserere cogimur.*

*Educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & scietis quia ego Dominus Deus vester.* Quid? an infidelitatis tenebris ita mens eorum obuoluta est, vt te verum creatorem & omnium Deum non agnoscant? nonne vnius Dei cultores, nisi aliqui eorum idololatriæ labe infecti sint? quomodo ergo asseris te Deum, vt te talem esse Deum agnoscant? quot eximia Deus eis pollicetur beneficia? cognouerunt olim, sed nunc experimento beneficiorum acceptorum, cogentur fateri nullum esse alium Deum præter cœli & terræ creatorem, vnde rectè Carthus. *Scietis per experimentum beneficiorum meorum, & per mirabilia pro vestra liberatione patranda, quia ego sum Dominus Deus vester.* 26

Carthus.

### *Ad liberandum à peccato magna Dei virtus necessaria.*

*Educam vos de ergastulo Ægyptiorum, ac redimam de seruitute in brachio excelso.* Alij extento, per quòd maxima Dei potentia denotatur, sed cur ad liberandum ab ergastulo, à seruitute, tanta Dei potentia requiritur, cum omnia ei sint æquè facilia? ait Rab. Maurus mysticè ergastulum Ægyptiorum tentationes huius Mundi, quibus tribulantur sancti, significari: per seruitutem, cur statum peccati non dicemus? cum sub peccato sit 27

Rabanus Mau.

D. Ambros. durissima seruitus teste, D. Amb. lib. de Naboth. i. 6. qui seruit peccato semper in laqueis, semper in vinculis est, nunquam liber à compedibus, quia semper in criminibus, quàm misera seruitus seruire peccatis. Et Auctor operis imperfecti hom. 28. in Matth. putas quod peccatores istius mundi non laborant, verè maiores labores & sollicitudines habent, quàm serui Dei: & paulo post, rationem reddit, nam etsi corpore (inquit) non grauantur, animę tamen eorum grauatæ sunt: si ergo ergastulo, tentatione & ser- A uitute peccatum denotatur, quid mirum si necessarium sit brachium Dei excelsum, si necessaria Dei potentia ad populum ab vtroque liberandum? quia ad eruendum nos à peccatis, sane magna Dei virtus necessaria est: Non dissentit. cit. Rab. *liberat Dominus filios Is. ael in brachio excelso, hoc est in potestate magna & virtute, siue in filio per quem fecit omnia, qui propter effectum virtutum brachium Dei dicitur, cum sanctos suos de potestate Diaboli & seruitute peccatorum eruat.* Citatus Epist. magūtinus?

Auctor operis imperfect.



## *VARIETAS LECT. Vers. 8. & 9.*

*Vulg.* Et induxerim in terram, super quam B leuaui manum meam, vt darem eam Abraham, Isaac, & Iacob, daboque illam vobis possidendam, ego Dominus.

*Sept.* Et inducam vos in terram in quam extendi manum meam, & dabo eam vobis in sorte.

*Cald.* Inducam vos in terram, pro qua iuraui in verbum meum, & dabo eam vobis in hæreditatem.

*Vulg.* Narrauit ergo Moyses omnia filiis Israel, qui non acquieuerunt ei, propter angustiam spiritus, & opus durissimum.

*Sept.* Et non exaudierunt Moysem à defectione animi, & ab operibus duris.

*Cald.* Et non acquieuerunt Moysi propter angustiam spiritus, & duram seruitutem quæ erat super eos.

*Alii.* Et non exaudierunt præ pusillanimitate & præ operibus duris.

### *CONCORDIA.*

Dictio Hebraica מורשה morasaha quæ à verbo ירש iaras descendit, significante tam hereditate quàm possidere, denotat hæreditatem tam possidendam quam hæreditariam, Sept. autem habentes ἐν κλήρῳ id est in sorte, non dissentiunt: quod sequitur super quam leuaui manum meam, exponitur à Cald. pro qua iu- C raui in verbum meum, iuramentum enim fiebat manus eleuatione; propter angustiam spiritus; reddit interpres ex Hebræo מקצר רוח mikazer ruah, Kezer autem breuitas reddi potest, nam qui sunt in angustiis, etiam concisè & breuiter respirant.

### EXPOSITIO.

Induxerim in terram, super quam leuaui manum meam, id est de qua iuraui, quod eam vobis essem daturus; fit enim iuramentum manus vel digitorum erectione, vel extensione, vt patet
Isai. 58. etiam ex vsitata hodie formula, & ex illo Isai. 58. *si desieris extendere digitum & loqui quod non prodest*; ibi enim extendere digitum ponitur, pro iuratione, reperitur leuatio manus eodem hoc
Genes. 14. & Esdræ 9. sensu vsurpata Genes. 14. & 2. Esdræ 9. *vt darem eam Abraham*; non significat hic iurasse se Abraham, quod ipsi in persona daturus esset hanc terram, ac postea mutasse iuramentum ac præstitisse illud, sed tantum explicat quo sensu iurarit Abrahæ, nempe quod daturus esset ipsi hanc terram in suis posteris, & quod tempus præstandi nunc iuramentum aduenerit, *vobis possidendā*, spectatum præter Abrahamum & Isaac, exprimitur etiam Iacob, vt constet neque Ismaelem cum Isaac, neque Esau cum Iacob in hæreditatis partem venturos, etiamsi fuerint liberi Abrahæ, sed eos tantùm qui ex Abraham per Isaac, & ex Isaac per Iacob descendunt. *Ego Dominus*, habent verba iuramenti speciem, vel saltem confirmationem magnam, qua afflictos Hebræorum animos, & pusillanimes Deus erigit, *narrauit omnia Moyses filijs Israel*, vt æquanimiter omnia sibi imposita tolerarent, *qui non* D *acquieuerunt ei*, fracti enim erant eorum animi postquam ad primam profectionis mentionem viderunt onus sibi aggrauari. Vnde optimè cur non audierint Moysem rationem subiungit Vulg. *propter angustiam spiritus*, propter cordis amaritudinem, & nimium animi mærorem, & *opus durissimum*, quo in lateribus conficiendis opprimebantur.

### CONCEPTVS.

*Paternus Dei amor in homines non permittit illis aliquid obuenire nisi per manus suas.*

28 Induxerim in terram, daboque illam vobis possidendam ego Dominus. Cur hoc addis ego Dominus? nonne dixeras ego dabo vobis terram possidendam, quam iuraui patribus vestris me eis daturum? super fluè ergo mihi videtur additum, ego Dominus: sic æmulatur Deus dilectos suos, vt nihil nisi à se & per se gaudeat illis obue-

nire, & ideo ne de hoc vllo modo dubitarent, plures ei inculcat: sic ponderat Lippom. *Ego (inquit) Dominus, solus haberi vult, & cùm omnipotens, à se vult impetrari, etiamsi ad sanctos recurras, omne bonum ipse inuocari, tanquam pater luminum & omnium donorum largitor optimus vult:* En vt paternus amor Dei in homines, non permittit illis aliquid obuenire, nisi per manus suas! vnde pulchrè S. Chrysost. hom. ad populum, *talis est amantium consuetudo, omnia amatorum negotia per se fieri volunt, & nihil sine se illos neque facere neque dicere.*

Lippom. D. Chrys.

*Intuitu fidei formatæ parentum multa Deus filiis tribuit.*

29 *Induxerim in terram, super quam leuaui manum meam.* Quod audientes Israelitæ, minimè credidere; Moysi enim hæc narranti non acquieuere: cur ergo si increduli sunt, dantur promissiones factæ Abrahæ fidelissimo? cur homines increduli sic Deo placent vt sub iuramento dicat hæreditatem Abrahæ habituros? nonne ab ea tanquam indigni excludi deberent? si in memoriam reuocare velis excellentissimam Abrahæ fidem non miraberis hominibus ab eo originem ducentibus, licet indignis, non solum promissam, sed datam terram Palæstinæ, quia intuitu fidei formatæ parentum plura Deus filiis eorum tribuit: obseruatio est Auctoris Catenæ. *Suscepit Deus Israelitas filios in populum, ad Patriarcharum magis fidem ardentem attendens quàm ad istorum merita; fuerunt enim in plurimis horum opera mala,* non quidem attendebantur Israelitarum merita, sed fides Abrahæ, cuius intuitu multa sunt consequuti.

Auctor Catenæ Laud.

*Consolationem afflictis adhibere debemus.*

30 *Induxerim in terram, super quam leuaui manum meam.* Ilico Moyses Israelitas conuenit, narrat eis in proximo non solum libertatem adepturos, sed & terram lacte & melle manantem possessuros, tibi serua hanc à Deo promissionē factā, tibi enim vera dicenti non acquiescent, licet incredulis, tamen quod à Deo acceperat, aperit vt eorum dolorem leniret, & ex nimia, qua tenebantur afflictione, recrearet. *Fuerat Moyses* (inquit Abulens.) *consolatus in verbis Dei, quia ista non solum erant ad consolationem eius, sed etiam ad consolationem filiorum Israel, narrauit eis illa vt æquanimiter tolerarent labores impositos nouiter vtcunque possent, vsquequo Deus remedium eis velociter adhiberet.*

Episc. Abulens.

*Vulgus non vera, sed præsentia attendit.*

31 *Induxerim in terram super quam leuaui manum meam.* Quæ à Deo audierat, non est dubium longa oratione Israelitis Moysem retulisse, nihilominus, inquit sacer textus, non acquieuerunt ei, quid? nonne signa viderant, quibus confirmati in dubium reuocare non deberent rem ita se habere? Deum esse in suis promissis fidelissimum? Moysem hominem esse veracem? nonne præsenti premebantur ærumna? nonne de facto insolitum onus eis imponebatur? quid mirum non acquieuisse Moysi licet vera dicenti? vulgus enim non quæ vera sibi promittuntur, sed quæ præsentia solum attendit, suffragatur nobis noster Lyranus, *non fuerunt contenti in verbis his, nec læti sunt vt Moyses lætatus fuerat: & hoc quia vulgus magis attendit ea quæ in præsenti cernuntur, quàm ea quæ in futurum ventura dicuntur. Seniores autem qui viderant signa Dei præterita, & tempus completum pacti, credebant verbis istis.*

Noster Lyran.

*Nihil de mandatis Dei prætermittendum.*

*Induxerim in terram super quam leuaui manum meam.* Arbitro Moysem in mandatis habuisse, vt quæ à Deo audierat, nota faceret filiis Israel, narrauit ergo Moyses eis omnia inquit sacer contextus, cur obseruat omnia narrasse? nam satis erat si dixisset, Moysem quæ à Deo audierat aperuisse: emphaticè dixit *omnia*, quia vt optimè Anselmus Laudunensis, *nihil de mandatis Dei prætermittendum est.* 32

Anselmus Laudunens.

*Peccata ex circumstantià minuuntur.*

*Induxerim in terram, super quam leuaui manum meam.* En vt iuramento se obstringit se daturum illis in hæreditatem terram Chanaan, nihilominus non acquieuerunt Moysi; Sept. non exaudierunt, cur Deus ilico grauissimas ab incredulis pœnas non exigit? nonne homini sub iuramento aliquid dicenti fidem adhibere tenemur? cur ergo Deo, qui est summa veritas, iuramento se obstringenti, non credunt, & tamen ob incredulitatem seuerissimè non puniuntur? quid ait textus? propter angustiā spiritus & opus durissimum, ex nimio quo tenebantur dolore, non attendebant iis quæ sibi narrabantur, & sic ex circumstantia eorum incredulitatem minuente ab eis pœna non exigitur. Vnde optimè Metonensis Episcopus, *excusatur aliquantisper rebellio & perfidia, quia angustia spiritus ex oneribus remorabantur.* 33

Episc. Metonens.

*Non despondeat animum concionator etiamsi non audiatur.*

*Induxerim in terram, super quam leuaui manum meam.* Ilico narrauit omnia Moyses Israelitis quæ à Deo acceperat, qui tamen minimè acquieuerunt. An despondit animū, videns eos incredulos? cur eos tanquam verbo Dei indignos non abiecit? nam si salutaria annuntiat, & tamen ei fidem adhibere renuunt, cur non silet deinceps, & ab obeundi munere nō desistit? quia qui verbum Dei annuntiat, etiamsi non audiatur, despondere animū non debet, sed Deum summis votis exorare, vt audientibus aures ad audiendum & cor docile ad credendum conferat: vnde optimè S. Chrysost. conc. 1. de Lazaro, ait, *si post nostram admonitionem in iisdem vitiis perseuerauerint auditores rebelles, non tamen quod rectum est consulere desistemus, quandoquidem & aquarum venæ etiamsi nullus veniat aquatum, manant tamen, & fontes quamuis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt & amnes etiamsi nemo bibat, nihilominus fluunt: sic oportet & illum qui concionatur quamuis nullus auscultet, vt se ipsum emendet, tamen præstare quidquid in ipso situm est.* 34

D. Chrys.



## *VARIETAS LECT. Verſ. 10. 11. & 12.*

*Vulg.* Loquutuſque eſt Dominus ad Moyſem dicens.

*Vulg.* Ingredere & loquere ad Pharaonem Regem Ægypti, vt dimittat filios Iſrael de terra ſua.

*Cald. Sept. Pag.* Ingredere, loquere cum Pharaone Rege Ægypti.

*Vulg.* Reſpondit Moyſes coram Domino, ecce filij Iſrael non audiunt me, & quomodo A audiet Pharao præſertim cum incircumciſus ſim labiis?

*Sept.* Ego autem ſine ſermone ſum.

*Cald.* Ecce filij Iſrael non acquieuerunt mihi, quomodo ergo acquieſcet mihi Pharao? & ego ſum grauis loquelæ.

*Philo.* Mutus ſum.

*Aug.* Ecce ego gracili voce ſum.

## *CONCORDIA.*

SEpt. legentes ἐγὼ δὲ ἄλογος εἰμι Ego ſine ſermone ſum, & Cald. legens Ego ſum gracilis loquelæ; non contrariantur Vulg. habenti, incircumciſus ſim labiis, nam hic eſt Hebraiſmus ſignificans linguæ eſſe impeditioris.

## EXPOSITIO.

L*Ocutus eſt Dominus ad Moyſem*, poſtquam narranti omnia quæ audierat à Deo non acquieuerunt Iſraelitæ, *loquere, ingredere ad Pharaonem* non videtur mandatum dediſſe Aaroni, ſed ſolũ Moyſi, vt Pharaonem iterum conueniret de dimittendo populo ſuo, *ecce filij Iſrael non audiunt me, &c.* ſi quorum tantùm intereſt B acquieſcere mihi, nolunt, quomodo Pharao qui ex diſceſſu populi tui, non leue damnum accipiet, mihi fidem adhibebit? *præſertim cùm incircumciſus ſim labijs*, ore infacundus, hinc patet Deum ad rubum non abſtuliſſe hunc defectum ineloquentiæ, vt arbitratur Philo.

## CONCEPTVS.

### *Vt plurimum Principes ſurdi ſunt veritatibus audiendis.*

34 Q*Vomodo audiet me Pharao, præſertim cum incircumciſus ſim labiis?* Apud Sept. eſt ἄλογος εἰμι ſine ſermone ſum, ſed Phil. in lib. qui inſcribitur quod deterius potiori inſidiatur, legit C mutus ſum. At quo pacto Moyſes non ſolum ſe labiis incircumciſum, infacundum ore, ruſticum loquela, ſine elegantia & ſplendore orationis fatetur, ſed etiã mutum? ſi mutus eſt, quomodo qui tot verba Deo reſpondet, qui populum toties allocutus fuerat, dicit ſe mutum cum ad Pharaonem mittitur? credo quia ad eum mittebatur, quem ſurdum exiſtimabat, ad veritates audiendas, nam qui ſurdo loquitur, ita loquitur ac ſi non loquatur, imo non ſecus loquitur quàm ſi penitus obmutèſcat: vides vt principes vt plurimum ad veritatem capiendam vſum aurium amittant.

### *Regius faſtus veritatis præcones de proximo loqui non ſinit.*

35 *Quomodo audiet me Pharao præſertim cum incircumciſus ſim labiis?* S. Aug. q. 16. in Exod. tranſtulit, ecce ego gracili voce ſum, vnde inepta videbitur alicui iſta Moſis excuſatio: nam quæ vocis gracilitas tanta eſſe poteſt, vt ad vnum hominem alloquendùm non ſufficiat? quid igitur ais Moyſes? ſi ad ingentem populum prædicaturus mittereris, optimam afferebas excuſationem, at locuturus es cum vno homine, eoque Rege vrbanis ſermonibus, non inconditis clamoribus aſſueto, blanda potius voce indiges quàm ferrea, gracili quàm caſtrenſi, fiſtula tibi opus eſt non tuba, quid igitur vocis gracilitatem accuſas? dubitationem hanc excitat & per interrogationem more ſuo diſſoluit cit. Aug. *Mirum eſt, inquit, tam gracili voce Moſem fuiſſe, vt ne ab vno quidem homine audiri poſſet? an forte regius faſtus non permittebat eos de proximo loqui ſecum?* quaſi diceret, Pharao optimos veritatis monitores ſic auerſabatur, vt non ſolum eos libenter non audiret, verùm etiam nec ad ſe proximè accedere pateretur, quare quando illis præbebat aures, procul à ſe poſitos eſſe iubebat, vnde niſi illi voces intenderent, & potiùs meſſorum quàm oratorum latera ad loquendum obfirmarent, minimè audirentur: cum igitur Moſes gracili voce vteretur, quomodo, inquit, audiet me Rex Pharao? ſic manifeſtè exprimens Regis animum à D veritate audienda maximè alienum. Auguſt.

### *Concionatoris non exigua debet eſſe humilitas.*

*Quomodo audiet me Pharao cum incircumciſus ſim labiis?* Nonne tibi dixerat Deus induratum fuiſſe cor Pharaonis? cur ergo non ais, ſicut filij Iſrael, propter anguſtiam ſpiritus, & opera grauiſſima quibus premebantur, non mihi acquieuere: ſic nec Pharao propter cordis duritiem mihi non ſolum non credet, ſed nec loquentem audiet? cur in te culpam reijcis quod non audiatis? 36

cur defectum linguę, tarditatem sermonis in medium adducis, non autem eorum prauam dispositionem? Optimè Oleast. *Animaduerte hic summam optimi Concionatoris humilitatem, nam licet eos incusauerit quod eum non audiant, culpam tamen huius rei in caput suum reiicit, dicens se ex defectu suo non audiri, quod videlicet sit incircumcisus labiis.* Oleast.

*Maxima Dei erga peccatores benignitas.*

37. *Quomodo audiet me Pharao cùm incircumcisus sim labiis?* Præceperat enim ei Deus, vt eum conueniret libertatis Israëlitis concedendæ gratia. Ingredere & loquere inquit ad Pharaonem Regem, vt dimittat filios Israël de terra sua; hærebat enim & anxius erat Moyses, quid agere deberet in tam difficili functione, quam priùs Rex Ægypti impedierat, & nunc populus impediebat: hoc in suæ vocationis exordio timuerat, nunc que timere debebat, ne Deus propter rebellionem populi, de nouo promissionem suam reuocaret. Cur Deus non reuocat cum propter infidelitatem hac punitione deberent mulctari? quia ita clemens, vt dignetur iterùm Moysi suam in populum curam ostendere, iuberéque vt adeat Pharaonem atque voluntatem suam aperiat vt filios Israel de terra sua abire permittat. Hic colligamus Dei bonitatem eiúsque misericordiam circumspiciamus erga miserrimos peccatores Israelitas, qui quamuis propter incredulitatem & contemptum verbi Dei demeruissent abiici & derelinqui, non tamen procul à Dei adiutorio & auxilio depelluntur, sed ab oculis misericordibus Dei placidè & leniter prospiciuntur.

*Prælati non feriari permittuntur.*

38. *Quomodo audiet me Pharao?* Missus enim ad eum fuerat, vt persuaderet libertatem populo Israel concedere. Nonne antea ad Israelitas missus fuerat, vt eos certiores faceret de libertate consequenda? Cur toties Pharaonem conuenit? Cur toties populum? quiescat paululùm, & non illicò teneatur ad populum regredi, quiescere nesciat, non enim prælati siue aliorum Duces feriari permittuntur, quomodo autem non debeant feriari, sed perpetuo laborare, semper in omnibus inuigilare, Rectè docet S. Laurenti. Iustini lib. de instit. & regimine prælatorum cap. 17. Vsus quidem docet (*inquit*) vt quoties contingit duos simul dimicare exercitus, miles pro se fit quisque sollicitus, qualiter videlicet illæsus possit hostes euadere, illos etiam inuadere, deprædari atque subigere: singuli propria tractant negotia, & pro sua laborant salute: at verò totius dux exercitus præter suam gerit omnium curam; prouidet enim quibus ipse exercitus alatur cibis, quibusuè vtatur equorum stramentis, secum tacitus cogitat de vniuersorum indemnitate, quomodo scilicet valeat aduersarios decipere, aduersus illos insidias ponere, dissimulare fugam ac superare incautos, cæteris quippe iacentibus, prandentibus, vagantibus, dormientibúsque ipse clam perlustrat inimicorum castra, si forte eos improuisos reperiat, inuadet, trucidet & disperdat: ad illius imperium mouentur castra, acies diriguntur, certamen geritur &c. quod autem de visibili dictum est exercitu, hoc de spirituali & inuisibili censendum esse non ambigo: porro istum spiritualem exercitum congregationem dixerim omnium fidelium, qui in Ecclesia tanquam in campo sub diuersis gradibus, distinctis videlicet agminibus sunt ordinati ad bellum aduersus aëreas potestates, quæ profectò mille modis occultisque machinationibus, fraudibus innumerabilibus & implacabili crudelitate, die noctuque Dei castra oppugnare non desinunt, ad quorum siquidem instructionem, defensionem, & regimen instituti sunt spirituales duces, animarum videlicet pastores atque rectores, quatenus ipsorum salubri prouisione, exercitatione laudabili: admonitione sancta cælestique sapientia plebs tota credentium quæ per se minus est valida ad pugnandum animetur indeficienter, iugiter erudiatur, protegatur orationibus, atque ad certaminis perseuerantiam consiliis salutaribus roboretur: istis prorsus incumbit cunctarum gubernatio Ecclesiarum, omniumque tradita est cura fidelium; quibus quemadmodum ascribitur ad meritum vniuersorum corona viuentium, ita e regione pereuntium de ipsorum manibus requiretur sanguis: si tamen erga eorum salutem reperti fuerint desides atque vitæ monita eisdem insinuare neglexerint: Propheta attestante qui ait, si non annunciaueris impio iniquitatem suam, ipse in peccato suo morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Ezech. 3.

VARIETAS LECT. Vers. 13.

VVlg. Locutus est Dominus ad Moysem & Aaron, & dedit mandatum ad filios Israel, ad Pharaonem Regem Ægypti, vt educerent filios Israel de terra Ægypti.

*Sep.* Et præcepit ad Pharaonem Regem Ægypti, vt educerent filios Israel de terra Ægypti.

*Pag.* Præcepit eis ad filios Israel, & ad Pharoh Regem Ægypti.

EXPOSITIO.

LOcutus est ad Moysem & Aaron, antea solùm Moysi locutus fuerat, nunc vtrique & dedit mandatum, *ad filios Israel & ad Regem Ægypti*, ad filios Israel vt in spe de consequenda libertate erigeret, ad Regem autem Ægypti, vt comminaretur ei pœnas mox futuras, in filiorum Israel discessum ex Ægypto permitteret.

## CONCEPTVS.

*Magnis clamoribus pulsandus qui ad diuinas increpationes obsurdescit.* A

79 L*Ocutus est Dominus ad Moysem*, qui tamen à legatione non obeunda se eximere conabatur, dicens, quomodo audiet me Pharao, cum incircumcisus sim labiis? D. Aug. ecce ego gracili sum voce, & ideo te subtrahere ab hoc munere non debes, nam cùm à puero sis enutritus in regia, ignorare non potes, cum Rege potius humili & summissa voce, quàm elata & incomposita agendum, pergit nihilominus Moyses, vocis gracilitatem suæ legationi obijcere, sed qua de causa? præter alias iam assignatas, hæc mihi videtur non reijcienda, quia cum Pharao ad salubres obiurgationes & monitiones audiendas, surditate laboraret, necesse erat vt magnis clamoribus pulsaretur, in quos cum ille non posset erumpere propter vocis tenuitatem, ineptus sibi ad eam legationem videbatur. B

D. August.

*Principum ingenium pluries ad audienda consilia durius, quàm priuatorum hominum.*

80 *Locutus est Dominus ad Moysem & Aaron, & dedit illis mandatum ad filios Israel & ad Pharaonem.* Nonne verum est filios Israel antea non tibi acquieuisse, nec te Pharaonem audisse? Deo enim mittenti dixisti, ecce filii Israel non audiunt me, & quomodo audiet Pharao? in quæ verba Lippom. forti vtitur argumento, sed tam ipse quàm reliqui interpretes huius argumenti vires in eo constituunt, quod Moyses à filius ad hostes, à fidelibus ad infideles argumentetur, quasi dicat C si Hebræi qui sunt filii ac fideles, me non audiunt, quomodo audiet Pharao qui hostis est & indelis? sed cur non dicemus etiam in eo efficax argumentum esse, quod à populo procedit ad Regem in hunc modum, si priuati homines qui solent esse ad salubria monita capessenda promiores, me non audiunt, Rex qui bonis consiliis frequenter reluctatur, quomodo mihi acquiescet? Mens est Oleast. *commune est vt verbum Dei apud populares magis fructificet, quàm apud Reges & Magnates & auidiùs audiatur.*

Lippom.

Oleast.

*Humilis exaltatur.*

81 *Locutus est Dominus ad Moysem & Aaron & dedit mandatum ad filios Israel & ad Pharaonem.* Ecce licet difficultatem obiecerit in legatione obeunda, eam illi Deus denuo confirmat, non solum apud filios Israël, sed etiam apud ipsummet Regem Ægypti: si se indignum ea legatione iudicauit, cum se incircumcisum labiis esse asseruit, cur eum denuo in eadem dignitate confirmas? quia vt optimè Lyppom. quanto se minùs idoneum putat Moyses, tanto fit Domino promouente & volente aptior: sed vlterius addamus, licet antea in hac dignitate non fuisset constitutus, media hac submissione & humilitate, eam consequutus fuisset, est enim proprium humilitatis, humilem exaltare, sicut promittit Christus Dominus cum ait omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Et optime ponderat Diu. Ambros. serm. 14. in Psal. 118. dixisse paulum de Christo Domino, humiliauit semetipsum propter quod Deus exaltauit illum. *Laborauit*, inquit Ambros. *laborauit Apostolus demonstrare quanta sit humilitatis gratia, quantus eius profectus, si simplicibus accipias auribus, & Christum exaltauit, accipe ergo argutis auribus si putas quod Christo profuit humilitas sua, cui ergo non proderat? si illum exaltauit, quem non augebit?*

Auctor Catenæ.

Luc. 14.

D. Ambr.

Ad Philipp. 4.

*Deus nescit suos non consolari seruos.*

*Locutus est Dominus ad Moysem & Aaron, & dedit mandatum ad filios Israel.* Nullum non mouit lapidem Dominus, vt populum suum per Moysem & Aaron seruos suos certiorem faciat futuræ suæ proximæ liberationis, dedit enim ipsis duobus fratribus legatis suis, expressum filios Israel conueniendi mandatum, & proficiscendi ad Pharaonem Regem Ægypti monendum & exhortandum, vt concessa discedendi libertate filios Israël de terra sua emitteret, ni vellet in suæ irreligionis compensationem, supremam Dei omnipotentis manum super se & super seruos suos, imo & super vniuersum Regem euocare: sed si seruo suo Moysi Israelitæ fuerunt rebelles, nec eius dictis acquieuere, cur eos conueniendi dedit mandatum? quia suos nescit non consolari seruos. *dedit eis mandatum* (inquit Abulens.) *vt consolarentur filios Israel angustia & desolatione oppressos.* 82

Abulens.

## VARIETAS LECT. Vers. 14. 15. & 16.

V*Vlg.* Isti sunt principes domorum, per familias suas, filij Ruben primogeniti Israelis, Henoch & Phallu, Hesron & Carmi. D

*Sept.* Et hi sunt principes domorum familiarum eorum.

*Cald.* Isti sunt principes domus patrum suorum.

*Pag.* Ista sunt capita domus patrum eorum.

*Vulg.* Hæ cognationes Ruben filij Simeon Samuel, & Iamin, & Ahad, & Iachim, & Soar, & Saul, filius Chananitidis, hæ progenies Simeon.

*Pag.* Istæ familiæ Ruben, & istæ familiæ Simhon.

*Sept.* Hæc est cognatio Ruben, & Saul qui ex Phœnissa.

*Vulg.* Et hæc nomina filiorum Leui per cognationes

tiones suas, Gerson, & Caath, & Merari, anni autem vitæ Leui fuerunt centum triginta septem. A Pag. Et hæc nomina filiorum Leui secundum generationes eorum.

## *CONCORDIA.*

VVlg. legens isti sunt principes domorum, per familias suas, non discrepat ab Heb. eo ita habente אלה ראשי בית אבתם elle rase beth haboth am. Isti sunt principes vel capita, dictio enim (ראשי rase vtrumque significat) domum patrum suorum habet Vulg. & Saul filius Chananitidis, Sept. autem legunt ὁ ἐκ τῆς Φοινίσσης, qui ex Phœnissa nempe genitus est.

## EXPOSITIO.

*Isti sunt principes domorum*, id est, principes congregationum specialium, quæ vocantur familiæ sub vna tribus *per familias suas*, scilicet quod in qualibet familia assignabatur vna domus & vnus princeps, *filij Ruben primogeniti Israel*, quia in ordine natiuitatis priores erant Ruben & Simeon, quàm Leui, cuius generationem hic præcipuè intendebat texere; ideo prius eos in medium adducit, circa nomina filiorũ Ruben & aliorum, qui inferius referuntur, vide ea quæ diximus in cap. 40 Commentariorum nostrorum super Genesim, *hæ cognationes Ruben*, id est, progenies, vel soboles Ruben, eorum scilicet, qui ab ipso ortum habent. *Et Saul filius Chananitidis*, iste specialiter nominatur filius Chananitidis, quia cæteros filios suscepit Simeon de vxoribus, quæ erant ex progenie Abrahæ, siue de Idumæis, siue Madianitis, siue Moabitis, aut Ammonitis, hunc autem suscepit ex vxore Chananæa: anni autem Leui fuerunt triginta B septem ex dictis Genes. 30. constat Leui quatuor annis fuisse seniorem Iosepho. Hinc sequitur primo quod Leui erat 43. annorum, quando cum Iacob descendit in Ægyptum, quia tunc Ioseph erat 39. annorum, sequitur 2. Leui obijsse 23. annis post mortem Iosephi, hic enim mortuus est anno ætatis 110. Leui autem 137. Sequitur 3. Leui post ingressum Iacobi in Ægyptum, vixisse in Ægypto annos 94. Sequitur 4. Leui obijsse 121. annis ante excessum Hebræorum ex Ægypto; nam ab ingressu Iacobi in Ægyptum vsque ad exitum Hebræorum ex Ægypto reliqui fuerunt anni 121. Sequitur 5. Leui obijsse annis 41. ante ortum Mosis, hic enim 80. annorum erat in egressu Hebræorum ex Ægypto.

## CONCEPTVS.

### *De nobilitate & natalibus non iactandum.*

83 *Isti sunt principes domorum per familias, filij Ruben, &c.* Ecce Moyses suam tantùm progeniem ex tribu Leuitica narraturus, nihilominus alias duas tribus simul cum sua exposuit, ait enim filij Ruben, &c. Cur quæso aliarum narrationem, quæ ad rem non pertinebat, interponit? cur memorat Simeonem & Rubenum cum sua progenie? Optimè Cardinalis Cajetanus: *Moyses non solius tribus Leui capita recensuit, ne putaretur quod illos solos magni penderet, tanquam soli essent principes.* En vt suam nõ iactat nobilitatem, nam aliorum etiam tribus cum sua, licet non id esset necesse, memorat. Cardin. Cajet.

### *Nos aliis præferre non debemus.*

84 *Isti sunt principes domorum per familias suas, filij Ruben primogeniti Israelis, &c. filij Simeon, &c.* Cur potius commemorauit duas illas tribus seniores, nimirum tribum Ruben & Simeon, nihil vero de aliis tribubus Leuitica iunioribus, enarrauit? cur non omnes aut dixit aut tacuit, sed duabus expositis cæteras prætermisit? vt hoc modo suam tribum senioribus postponeret, iunioribus non anteferret, quasi alios quidem fratres habere vellet supra se, neminem vero infra se, atque adeo se omnium minimum iudicaret, ita mihi videtur exposuisse Cajetanus. *Meminit,* inquit, *potiùs Ruben & Simeon, quàm aliorum, quia* Ch. Card. C *ambo erant priùs nati quàm Leui, vt commemorando capita priorum tribuum manifestet, quod nõ reputat capitat filiorum Leui præeminere alijs capitibus aliarum tribuum.*

### *Deus veracissimus in suis promissis.*

85 *Isti sunt principes domorum per singulas familias, &c.* Cur postquam excusationis suæ narratiunculam ingressus est Moyses, qua dicit se incircumcisum labiis, repente hanc facit digressionem, vt generationem tribuum trium recenseat? ad quid enim cùm ad institutum suum hoc necessarium non videatur? satisfacit Rupertus lib. 1. c. 25. *ad comprobandam veritatem Dei, qui ad Abraham de hac seruitute & subsequenti libertate filiorum Israel ante loquens, cùm dixisset, scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum* D *in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis, ita præfiniuit dicens, generatione autem quarta reuertentur huc: vt ergo tempus à Deo præfinitum aduentasse appareat, generationem filiorum Israel inte...re incipit.* Abbas Tuitiensis. Genes. 15.

### *Cum infamia laborat familia nostra, eam liberare debemus.*

86 *Isti sunt principes domorum per familias suas, &c. Filij Ruben primogeniti Israel.* Et generationem etiam Simeonis & Leui describit. Vlterius progredere, cum aliæ restent recensendæ, vel si eas omisisti, cur etiam tribum Ruben & Simeonis silentio non obuoluisti? Aduerte mali

Genes. 49. mala his tribus prædixisse Iacob; nam Rubeno dixit, non crescas quia ascendisti cubile Patris tui, & maculasti stratum eius: de Simeon vero & Leui hæc verba indignationis protulit, Simeon & Leui vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea: En vt apud plures propter hanc prædictionem male notabantur hæ familiæ: quid mirum igitur, si suam, & Simeonis & Ruben, hic ostenderit à Deo non esse reprobatas? cum enim infamia nominis laborat familia nostra, ab ea eximere debemus. Lege (inquit Lippom.) *quadragesimum nonum caput Genesis, & videbis quæ dixerit pater Iacob mala de tribus his tribubus, & quæ bona de reliquis, ne autem quis crederet propter hoc, tribus istas à Deo reprobatas & infæcundas redditas, ideo generationem earum describit, non vltra autem progreditur, quia non vero erat simile alias tribus liberales esse, de quibus iusta tot prædixerat.* Episcopus Metonensis.

## VARIETAS LECT. à Vers. 17.

*Vulg.* Filii Gerson Lobni & Semei, per cognationes suas.

*Sept.* Et hi filii Gerson, Lobeni & Semei, domus familiæ eorum.

*Vulg.* Filii Caath: Amram, & Isaar, & Hebron, & Oziel, anni quoque vitæ Caath, centum triginta tres.

*Pag.* Et anni Chebath fuerunt tres, & triginta, & centum anni.

*Vulg.* Filii Merari: Moholi, & Musi, hæ cognationes Leui per familias suas.

*Sept.* Et filii Merari, Mooli & Homusi, hæ domus familiarum Leui secundùm cognationes eorum.

*Pag.* Istæ familiæ Leui secundùm generationes eorum.

*Vulg.* Accepit autem Amram vxorem Iochabed patruelem suam, quæ peperit ei Aaron & Moysen, fueruntque anni vitæ Amram, centum triginta septem.

*Sept.* Et accepit Ambram ipsam Iochabed filiam fratris patris sui sibi in vxorem, & genuit ei Aaron & Moysem, & Mariam sororem eorum, anni autem vitæ Ambram, centum triginta duo anni.

*Cald.* Et accepit Amram Iochebed filiam sororis patris sui sibi in vxorem.

*Pag.* Et accepit Hamram Iochebed amitam suam sibi in vxorem.

*Vulg.* Filii quoque Isaar: Core & Nepheg, & Zechri.

*Vulg.* Filii quoque Oziel: Misael, & Elisaphan & Sethri.

*Vulg.* Accepit autem Aaron vxorem Elizabeth filiam Aminadab, sororem Nahason, quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar.

*Vulg.* Filii quoque Core, Aser & Elcana, & Abiasaph, hæ sunt cognationes Corritarum.

*Sept.* Hæ generationes Core.

*Pag.* Hæ familiæ Corchitæ.

*Vulg.* At vero Eleazar filius Aaron, accepit vxorem de filiabus Phutiel, quæ peperit ei Phinees: hi sunt Principes familiarum Leuiticarum per cognationes suas.

*Sept.* Hæc principia familiæ Leuitarum, secundum generationes eorum,

*Vulg.* Iste est Aaron & Moyses, quibus præcepit Dominus, vt educerent filios Israel de terra Ægypti per turmas suas.

*Sept.* Cum virtute eorum.

*OnK. & Pag.* Secundùm exercitus suos.

### CONCORDIA.

Habemus, accepit Amram vxorem Iochabeth patruelem suam, Hebraicè est דודתו dodatho; dictio autem dod, accipitur quandoque pro patruo; quandoque pro patruele; vnde aliqui reddiderunt amitam suam, id est, sororem suam more Hebræorum: vbi legimus, fuerunt anni Amram cētum 37. apud Sept. desunt quinque anni, sed eadem fuit in hoc labendi ratio, quæ in cæteris aliorum annis, vt magis ascribatur scriptoribus, & vetustati, quæ omnia solet immutare, quam interpretibus.

### EXPOSITIO.

Filij Gerson Lobni, &c. per cognationes suas. Id est, vna cum familiis suis. Duæ autem familiæ exciterunt, nempe Leuitica & Semeitica, quæ descenderunt à duobus filiis eius, *filij Caath*, iste erat secundus filius Leui: *anni Caath centum triginta tres*, qui ante egressum Israelitarum mortuus est in Ægypto, accepit autem Amram vxorem Iochabed *patruelem suam*, consobrinam suam. Vide quid diximus in expositione primi versus capitis secundi, *quæ peperit ei Aaron & Moysem*, addidere Septuaginta Mariam, quæ ipsis maior erat natu: ipsa enim obseruabat Moysem, cum expositus fuit ripæ fluminis in fiscella scirpea, *filij quoque Core*. Iste est qui seditionem aduersus Moysen concitauit, & à terra absorptus, *Asser, Elcana & Abiasaph*, qui delicto patris non consentientes à pœna inflicta mansere liberi, *accepit autem Aaron Elisabeth vxorem*, quæ de tribu Iuda fuit Aminadab enim ex ea erat, *quæ peperit ei Nadab & Abiu*, qui in Monte Sinai offerentes ignem alienum, in die octauo consecrationis suæ

mortui sunt, at verò Eleazar filius Aaron accepit vxorem de filiabus Phutel: accepit autem vxorem, antequàm ex Ægypto egrederetur, *qua peperit ei Phinees*, qui principem Zambri & Madianitidem in scandalum populi simul coëuntes interfecit. *Isti sunt principes familiarum Leuiticarum*; isti sunt qui principem locum tenuerunt inter patres Leuitarum, vna cum familiis suis, *iste est Moyses & Aaron*, nempe de Tribu Leuitica, *quibus praecepit Dominus vt educerent filios Israel de Ægypto*: repetit quæ iam dixerat, vt commodè reliqua prosequatur.

A

## CONCEPTVS.

### *Sacerdos omnibus aliis praeferendus.*

87 *Iste est Aaron & Moyses, quibus praecepit Dominus, vt educerent filios Israel de terra Ægypti.* Quare Moyses totius populi princeps sacerdotem sibi fratrem anteponit? nam cùm à Deo in omnium Israelitarum ducem esset electus, omnibus aliis praeferri deberet. Dices eum sibi prætulisse, quia maior natu erat, vel propter suam humilitatem, sed etiam asseramus quod propter fratris dignitatem sacerdotalem, eum sibi antepofuisse, Fauet noster Lyran. *Aaron*, inquit, *praeponitur, quia Deus praeuiderat & elegerat eum in summum sacerdotem, vbi ipse Moyses ingenuè fatetur sacerdotalem dignitatem Regiae praeferendam.* Dices, Moysem etiam fuisse sacerdotem, ita equidem, sed Aaron hanc habuit prærogatiuam, vt in eius posteris sacerdotium conseruaretur, propter quam dignus fuit, vt Moysi præferretur. (Noster Lyranus.)

B

### *Sacerdos Rege venerabilior ac maior in spiritualibus.*

C

88 *Iste est Aaron & Moyses, quibus praecepit Dominus, vt educerent filios Israel de terra Ægypti.* Sanè licet Moyses titulo Regis non gauderet, dignitate tamen quasi Regia fulgebat, Dux enim supremus erat populi. Quid autem hac sæculari potestate excelsius ac majus? cur ergo cùm hoc Moysem non lateret, non ait Moyses & Aaron? quia non ignorabat sacerdotalem dignitatem etiam Regiam præcedere, rectè igitur S. Chrysost. hom. 5 de verbis Isaiæ, *sacerdotum*, inquit, *principatus est ipso etiam Regno venerabilior ac maior, nec mihi narres purpuram, nec diadema, neque vestes aureas, vmbrae sunt isthaec omnia, vernisque flosculis leniora.* & paulò post. *Quamquam*, inquit, *admirandus nobis videatur thronus Regius ob gemmas affixas, & aurum quo obcinctus est, tamen rerum terrenarum administrationem sortitur, nec vltra potestatem hanc quidquam habet auctoritatis*, nempe in spiritualibus. (D.Chrys.)

D

### *Propter iustos consanguinei fiunt celebres.*

89 *Iste est Aaron & Moyses, quibus praecepit Dominus.* Cur his solis nominatis, vlterius progreditur sacer contextus vsque ad eorum antecessores, imo & ad successores descendit deinde vsque ad eorum progenitores, imo vsque ad eorum filios? Nam cum hic Moysis & Aaron historia texitur, sufficiebat vtrumque solum recensuisse, nonne Moyses & Aaron viri iusti consobantur? si ergo aliorum, qui eis sanguine coniuncti sunt memoria celebris redditur, sanè illorum meritis debetur. *Recensetur hic progenies Leuitarum*, inquit Oleaster, *propter Moseh & Aaron, vt sit hos iustorum consanguinei, qua de causa notabiles & noti fiant.* (Oleast.)

### *Pax inter Principes, & sacerdotes stabiliatur.*

*Iste est Aaron & Moyses.* Aaron autem sibi in vxorem accepit Elizabeth filiam Aminadab, non est dubium quin Aminadab fuerit de stirpe tribus Iuda. Cur Aaron de tribu Leui, & ideo sacerdotali, non sibi vxorem de eadem copulat? cur de Regia sibi assumit? vt inter principes & sacerdotes pax firma stabiliretur, *nisi enim sit pax inter eos*, expendit Oleast *omnia corruunt: ideo solebant sacerdotes de tribu Regia sibi vxores deligere.* 90 (Lusitanus.)


### *Sacerdotes in nomine Trinitatis consecrati, vt eam alios doceant.*

*Iste est Aaron & Moyses, quibus praecepit Dominus.* Ecce vt prætermissa prima & secunda tribu, nempe Ruben & Simeonis, eligit tertiam, nempe Leui in maximam sacerdotum dignitatem. Cur non secundam? cur non primam? satisfaciat Gilbert. apud Lippom. *vidisti quomodo non primam tribum, vel secundam, sed tertiam elegit Deus in sacerdotium, quia in nomine sanctae Trinitatis consecrati sunt sacerdotes, vt fidem Trinitatis in se seruare, & alios studeant docere.* 91 (Gilbertus.)

### *Christus figuratur Rex & sacerdos.*

92

*Iste est Aaron & Moyses, quibus praecepit. Dominus, &c.* Aaronem autem diximus accepisse vxorem ex tribu Regali Iuda, nonne Christus Dominus secundùm carnem originem ex ea duxit? sed cur ex tribu, quæ Leuiticæ commixta fuerat, descendere voluit? vt Rex & sacerdos Christus Dominus ex sacra & Regia tribu originem habens figuraretur, sensus est Theodoreti. *Regiae sacraque tribus*, inquit, *coniugium narrat, Naasonenim filius Aminadab, qui ex Aram natus est, porrò Aram ex Esrom, Esrom verò filius fuit Phares, qui ex Iuda natus est, de cuius prosapia natus est Dominus noster. Vt igitur de Regia sacraque prosapia natum Dominum ostenderet, vtriusque personae mentionem fecit, vt Regem & sacerdotem in humanis ipsum praediceret.* (Theod. hic.)



## VARIETAS LECT. à Verſ. 27. ad 30.

*Vulg.* Iſti ſunt qui loquuntur ad Pharaonem Regem Ægypti, vt educant filios Iſrael de Ægypto, iſte eſt Moyſes & Aaron.

*Sept.* Hi ſunt differentes cum Pharaone.

*Vulg.* In die qua locutus eſt Dominus ad Moyſem in terra Ægypti.

*Vulg.* Et locutus eſt Dominus ad Moyſem dicens; ego Dominus, loquere ad Pharaonem Regem Ægypti omnia quæ ego loquor tibi.

*Vulg.* Et ait Moyſes coram Domino, en incircumciſus labiis ſum, quomodo audiet me Pharao?

*Sept.* Ecce ego gracili voce ſum.

*Cald.* Ecce ego ſum grauis loquelæ, & quomodo acquieſcet mihi Pharao?

## EXPOSITIO.

Iſti ſunt qui loquuntur ad Pharaonem, aliquando enim etiam ad eum verba habebat Moyſes, licet præcipuè loqueretur Aaro, *vt educant filios Iſrael de Ægypto*, licet ſuam obuoluerent legationem, ſacrificio in deſerto Deo offerendo, *in die, qua locutus eſt Dominus*, & cætera. *In die qua locutus eſt Dominus ad Moyſem in terra Ægypti*, vt loqueretur illi in hunc modum, ego Dominus, *Et ait Moyſes, ecce incircumciſus labiis ſum*, Hæc ſuperius manent explicata.

## CONCEPTVS.

### *Prælati ſubditos tueri tenentur.*

93 *Iſti ſunt qui loquuntur ad Pharaonem, vt educant filios Iſrael* Non eſt dubium quin ei obiicerent, quod oneribus non ferendis premerentur, quod eis iniuſtè adempta libertas, & quod vt viliſſima haberentur mancipia. Sed quomodo Regi potentiſſimo & immaniſſimo, qui potiùs adulari, quàm reprehendi curat, id tentatis obiicere? nonne ſuperiores & populi Iſrael prælati ſunt? quid mirum igitur ſi in tanta tribulatione poſitos coram Rege tuentur? *Paſtores enim*, (inquit S. Chryſoſt. orat. 1. aduerſus Iudæos,) *quandiu noxia beſtia moleſta non eſt, ſub ulmum aut populum porrecti fiſtula canunt, ſinuntque oues liberè pro ſuo arbitratu paſcere, verùm ſimul atque ſenſerint, alicunde luporum incurſionem imminere, mox abiecta fiſtula, fundam arripiunt, & omiſſo calamo, fuſtibus & ſaxis ſe armant ſeſe: proque ſeptis conſiſtentes, magno longoque eiulatu vociferantes, frequenter ipſo clamore, feram priuſquam irrumpat, abigunt, itidem & nos facimus, ſuperioribus enim diebus in ſcriptura, velut in prato ludentes atque diſcentes, nihil in oratione attigimus contentioſi ſermonis, eo quod nullus eſſet, qui nobis obturbaret, aut moleſtus eſſet, cæterùm quoniam hodie lupis omnibus ſæuiores Iudæi, oues noſtras circumuallaturi ſunt, ad pugnas & pugnam accingamus oportet, ne quid nobis ereptum cedat in prædam ferarum.* [S Chryſ.]

### *Materno affectu ſubditos proſequantur Prælati.*

94 *Iſti ſunt, qui loquuntur ad Pharaonem, vt educant filios Iſrael de Ægypto.* Nonne antea filios Iſrael conuenerunt, vt eorum, ſpe futuræ libertatis, lenirent dolorem? cur ergo & Regem cum vitæ ſuæ diſcrimine, vt egreſſum eorum ex Regno permittat, alloquuntur? Quid ſi mater filium in aliquo conſtitutum periculo haberet? an pro eius conſeruatione plura molitetur? non equidem, nam filium conſolaretur, iudicem vel alium eum deprimentem deprecaretur, vt ei foret propitius: cur igitur ita ſoliciti? merito, Nam Prælati ſubditos materno affectu proſequi tenentur: quod latè proſequitur Bernard. in allegoriis Tilmani in illa verba Rom. 12. gaudete cum gaudentibus, flere cum flentibus. [Bernard. Rom. 12.] Materni, inquit, breuiter exprimuntur affectus, quia nec dolere paruuli nec valere queunt abſque illa quæ genuit, vtrobique eam neceſſe eſt conformari ſuis viſceribus, hæc debent eſſe verba prælatorum quibus ſuos ſubditos lactent: congratulatio ſcilicet & compaſſio, & congratulatio quidem exhortationis, compaſſio vero conſolationis lac fundit: porro vtramque ſpeciem vberum cælitus inſpirari pio pectori ſuo ſpiritualis mater toties ſentit quoties viſitatione Spiritus Sancti illuſtratur, videas eam mox plenis vberibus paruulis incubare lactandis, & ex vno quidem conſolatoria, ex altero vero exhortatoria vbertus miniſtrare prout ſingulis expedire videbit, Verbi cauſa, ſi quem forte ex iis quos genuit in Euangelio deprehendit aliqua tentatione concuſſum & non poſſe iam ferre vim tentationis: quomodo condolet? quomodo mulcet? quomodo plangit? quomodo conſolatur? quot argumenta pietatis mox reperit, quibus erigat deſolatum? è contrario ſi promptum, ſi alacrem, ſi bene proficientem cognouerit, exultat, aggreditur ſalutaribus monitis, accedit amplius, inſtruit in quibus poteſt vt perſeueret, vtque in melius proficiat exhortatur, omnibus ſe conformat, omnium in ſe trãsfert affectus, matrem ſe probat non minus deficientiũ quàm proficientium: quantos hodie cæcus affectus videmus de his qui animas regere ſuſceperunt? quod enim ſine mirabili gemitu dicendũ non eſt: Chriſti opprobria, ſputa, flagella, clauos, lanceã, crucẽ & mortem, hæc omnia in fornace auaritiæ

constant & profligunt, in acquisitione turpis quæstus: & pretium vniuersitatis suis marsupiis includere festinant: hoc sane solo à Iuda Iscariothe differentes quod ille horum omne emolumentum denariorum numero compensauit: isti voraciori lucrorum ingluuie pecunias exigunt infinitas, animarum nec casus reputatur nec salus, non sunt profecto matres qui cum sint de crucifixi patrimonio nimium incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione Ioseph, qui mater est non dissimulat: habet vbera & non vacua, gaudet cum gaudentibus, flet cum flentibus.

### *Superantur sacerdotes ab aliis, non in dignitate, sed aliquando in merito.*

95 *Isti sunt, qui loquuntur ad Pharaonem, vt educant filios Israel, iste est Moyses & Aaron.* Quid? nonne diximus superius, ideo Moysem sibi prætulisse, quia etiam Principibus debent sacerdotes præfici? quomodo nunc Moyses præfertur Aaroni, cum & natu minor, & dignitate inferior? nonne merito maior? nihil te moueat igitur ipsum Aaroni præferri: quia alii aliquando sacerdotibus in merito sunt superiores, ita ferè explicat Rupert. *Notandum quia 1. sit dictu: isti sunt Aaron & Moyses, deinde paulò post infertur præposterat iste Moyses & Aaron; natiuitatis namque ordine Aaron, vocatione autem vel administrationis priuilegio,* adde & merito, *Moyses prior apud Deum.* Rupert.

### *Non quæuis gloriatio vituperanda.*

96 *Isti sunt, qui loquuntur ad Pharaonem, vt educant filios Israel de Ægypto.* Strabus existimat hunc versum cum subsequentibus additum fuisse ab Esdra, non autem conscriptum à Moyse, rationem subiungit, quia aliquam sapiunt arrogantiam à qua omnino alienus erat Moyses, videretur enim in eo gloriari, quod à Deo prælatus electus, quod à Deo populi liberator nominatus, &c. sed Strabi opinionem non approbat Lippom. ait enim, *verè non vitio danda est omnis gloriatio, sed ea tantùm quæ proprias iactat vires, & quæ sua sunt quærit: non ea, quæ vera est, & in gloriam Dei profuit decantata & gratiam.* Lippom.





# CAPVT SEPTIMVM.

## SYNOPSIS.

Mittit Dominus Mosen ad Pharaonem, eique signa illic exhibenda præscribit in conuersione virgæ, & aquarum, cum vero magis his similia facerent, Pharao in malo obduratus, noluit Moysi cedere nec credere.



### *VARIETAS LECT. Vers. 1.*

*Vulg.* Dixitque Dominus ad Moysen, ecce A constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater erit Propheta tuus.

*Sept.* Ecce dedi te Deum Pharaoni.

*Cald.* Vide quod constitui te principem Pharaoni, & Aaron frater tuus erit interpres tuus.

*Pag.* Dedi te pro Deo ipsi Paroh.

*Alii.* Constitui te iudicem Pharaoni, vel magistrum.

*Theod.* Constitui te Deum Aaron.

*Lyran.* Constitui te Deos Pharaonis.

### *CONCORDIA.*

EX Hebræo verti potest constitui te iudicem, vel principem; nam vox אלהים Elohim ponitur non solùm pro Deo, sed pro principe & iudice. Caldæus accepit pro magistro, vel instructore, per אלהים enim vertit רב rab, perperam in Theodoreto legitur Deus Aaronis: nam manuscriptus Codex Theodoreti pro Aarone legit Pharaonem, & ita omnino scripsisse videtur B Theodoretus: sed sciolus aliquis ex eo quod Aaron Propheta Mosis subiungitur, in præcedentibus quoque pro Pharaone Aaronem substituit, sed perperam.

### EXPOSITIO.

E*cce constitui te Deum Pharaonis.* Quasdam tibi excellentias super eum tribuo, ita vt instar Dei possis, & præcipere, comminari, nocere, subuenire, sicque per participationem quandam dici poteris Deus ipsius: nam quamuis sit vnus solus Deus substantialiter, tamen participatiuè sunt plures Dij, in quantum aliquid diuinarum proprietatum, & diuinæ potestatis participant in iudiciaria potestate, sapientia, sanctitate, signis, virtutibus, atque miraculis, propter quod scriptum est non est similis tui in Dijs Domine, & quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt &c. *Et Aaron frater tuus erit Propheta tuus,* C nomine Prophetæ hic interpres significatur, & qui alterius nomine alteri loquitur, pertinet hoc ad pleniorem superioris Epitheti expositionem, nam neque Deus hominibus cõmuniter per se & immediatè loquitur, sed ad hoc habet Prophetas & internuncios, qui priùs ab ipso audiant, ac deinde ad populum referant.

## CONCEPTVS.

*Qui aliis praest, totus cælestis deberet esse.*

*Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Populo suo
1. præficiens Moysem, cur non appellat Imperatorem, Regem, Ducem, cum is qui aliis præest, eos ducere, regere, & eis imperare debeat? cur alio nomine ex his, quibus homines solent suos præfectos insignire, appellat? cur Deum dicit purum hominem? quia nihil humanum si fieri potest sapere debet, qui aliorum præfectus est, sed omnia diuina, omnia diuinitatem redolentia, tum etiam quia sicut Deo non potest fieri accretio virtutis & pietatis, cum omnem perfectionem contineat, ita qui præest omnigena virtute debet abundare, & in nulla deficere. Hoc ex Philone notauerim lib. de sacrificio
Philo.Alex. Cain & Abel. *Quis & cum in terrenis eo vtebatur negotiis, non principis aut Regis communem ei aliquam* B *virtutem indidit, per quam is exerceret potestatem, sed Deum eum constituit, totam corporis regionem, ducemque eius intellectum subyciens ei, iubensque seruire, inquit enim, do te Deum Pharaonis, in Deum autem neque subtractio cadit, neque appositio, cùm sit plenus & semper sibi ipsi superior.*

*Qui aliis praest, in sontes deseuiat.*

2. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* O inauditam plane dignitatem! cedo tamen, in quo Moyses suam ostentabit diuinitatem? in quo Deum Pharaonis se esse declarabit? numquid benefaciendo Ægypto & Pharaoni? nunquid Ægyptum locupletando? minime, immo omne genus malorum immittendo, cladibus enim ma- C ximis hoc regnum percussit: quid? nonne Dei proprium est benefacere? ita equidem, sed etiam sceleratos punire, in sontes sæuire. Mens est Ambros. lib. de Cain & Abel. cap. 2. *Posui*
D.Ambros. *te Deum Pharaonis. Etenim victor passionum omnium, nec vllis captus sæculi illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem cælestis puritatis & conuersationis obduxerat, mentem regens, carnem subiiciens, & Regia quadam authoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cuius similitudinem perfecta virtutis vbertate donatur.*

*Qui bona terrena contemnit, Deus efficitur.*

*Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Vide homi-
3. nem quodammodo diuinitate donatum, quis titulum magis honorificum potest consequi? quid rogo fuit quod Moysem ad hanc altitudinem
Hebr. 11. euexit? Audi Apost. Heb. 11. maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi; adspiciebat enim in remunerationem, id est, despexit diuitias & Ægyptiorum thesauros; neque hoc frustra cùm multam mercedem speraret ex contemptu diuitiarum, neque hominem spes fefellit, qui enim hominum diuitias spreuit, factus est Deus, hac ratione exponit
D.Ambros. hunc locum S. Ambros. in Psal. 118. his verbis,

A *Moyses noluit esse Rex cum posset, sed opprobrium Christi thesauris Ægypti arbitratus est præferendum, & fugiendo potentiam potentior factus est, factus enim in Deum Regi Pharaoni, Rex erat Pharao, sed Deus non erat.*

*Amore terrenorum exutus, Deus efficitur.*

*Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Cur post tot 4.
colloquia, in hanc eum dignitatem euehis? nonne vt ei maiorem animum ingereres in principio, quo eum tua miseratione dignatus es, potuisti hoc titulo honoris eum cohonestare? Reuocemus in memoriam quid Moysi antea à Deo dictum fuerat, solue calceamenta de pedibus tuis, calceamentis affectus circa res terrenas designatur, quibus exutis quid mirum si in Deum Pharaonis constituatur? qui enim amo- B rem terrenorum abiicit, Dei dignitatem assequitur. Mens est S. Ambrosij in illa verba Psal. D.Ambros. Psal. 118.
118. Deprecatus sum faciem tuam, *fortasse quia frequentioribus Dei visitationibus mundus à vitio non foret, nec fuerit in principio perfectus, vtpote cui ante dictum fuerat, solue calceamentum pedum tuorum, quod de Ægypto detulerat, hoc est corporeæ conuersationis inuolucrum, quando autem ei dictum sit considera, nondum ei dictum erat faciam te in Deum Regi Pharaoni, adhuc homo erat, processu ei debebatur, vt in Deum fieret, & ideo dictum est ei solue calceamentum, de hoc dixit desiste hominis habere peccata, & videbis faciem meam.*

*Qui rebelles motus scit cohibere, in Deum euehitur.*

*Ecce constitui te Deum Pharaonis*, quis homi- 5.
nem purum, Deum audiuit? Ecce Moyses à Deo Deus constituitur. Si Rex aut Imperator aut Dux Pharaonis diceretur, tacerem equidem; sed quod Deus dicatur, nonne admiratione dignum? imò verò tanquam si esset Deus, prophetæ ei assignantur & Aaron frater tuus erit propheta tuus. Amb. lib. de Cain & Abel c. 10. huius rei causam refert ad illud, solue calcea- Exod. 3.
menta de pedibus tuis, quod sensu morali idem est ac si dicat, compesce motus corporis, & prauos & irrationabiles affectus; hoc qui facit non modo princeps dicitur & Imperator, verùm Deus, & ei tanquam Deo cultus defertur.
D Et sane hoc genus virtutis nos Deo simillimos facit, quia Deus nulla passione tangitur, nullo fertur impetu, nullos habet assurgentes irrationabiles motus, imò verò semper tutus & pacatus quietam agit vitam, nullis fluctibus intermissam, aut procellosam: vnde meritò cum Deo confertur ille, qui motibus cordis sui nouit imperitare, subiicio verba Ambrosij iam citata.
*Etenim victor passionum omnium, neque vllis captus* Ambros.
*sæculi illecebris, nomine Dei vocatus est.*

*Non vindictam exigere cùm possis, diuinum est.*

*Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Magna homi- 6.

nis dignitas, vt Regis Deus dicatur, sed cur hunc A honorem consecutus est? in quo se Pharaonis Deum Moyses prodidit? an quia in eius potestate situm erat, & plagis cruciare, & plagas auferre? an quia pauca locutus est & multa præstitit? dic etiam ob eius mititatem & patientiam, qua ferre impium & pertinacem Regem potuit, nec illum è medio sustulit cum potuit: iure hîc exclamat Oleast. *Expende quæso quanta sit dignitas sancti Moysis, quem Deus sic erexit vt Deum Pharaonis constitueret: & similiter quanta sit prudentia eius, & misericordia, vt non eum statim occiderit, sed patientia quasi Dei tolerit, & monuerit. Quis enim hominum habens Dei potestatem in inimicum suum tam sæuum, & crudelē ad momentum illum ferret? sed Dominus simul cum potestate dedit sancto viro longanimitatem, qua Regem æquo animo ferret.* Nimirum sapit nescio quid diuinum, iniurias æquo B animo ferre, cum possis vlcisci, Deus quidam est qui inimicum fert patienter.

Oleaster.

### *Deo simillimus, qui à multitudine hominum se subducit.*

7. *Ecce constitui te Deum Pharaonis &c.* Quomodo hunc titulum sustinere poterat, vt Deus diceretur, & summæ Deitati similis? solitudine & hominum (quantum illi fas erat) fuga, Diuinæ perfectionis æmulator est, qui se mortalium oculis negat, & hominum frequentiam vitat. Mens est Ruperti, cuius verba in sequenti versu subiiciemus, & ita se res habet, qui amat secessū, & homines vitat, Deo viuēs, in proximo diuinæ perfectioni accedit, Deus quidē in terris factus. Vnde in laudem solitudinis sic ait Petrus Cellens. lib. 4. epist. 12. *Meritorum animarum est solitudo, castra Domini exercituum, est solitudo sagena ad capiendos pisces, est solitudo paradisus deliciarum, est solitudo gymnasium cœlestis philosophiæ, quid amplius? deambulatorium Dei est solitudo,* adde & Deum hominem constituit.

Petrus Cellens.

### *Humilitas Deum hominem constituit.*

8. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, quid? nonne ille est Moyses, qui paulò ante incircumcisum se labiis esse dicebat? qui indignum se putauit vt cum Pharaone manum consereret, & populum Israël ab eius manibus eriperet? quomodo nunc à Deo Deus Pharaonis dicitur? quia quò quis maiori humilitatis impetu se in terram proiicit, D eò altiùs, vbi se proiecerit, surgit: idem enim nobis ac pilæ accidit, quæ altius sustollitur, cum in terram fortius proiicitur, vt verus fuerit S. August. qui in Psal. 93. aiebat, humiles quasi se in terram deprimunt, & in cœlum ascendunt. Ecce Moyses ita se prosternit, vt se longè inferiorem Pharaone arbitretur, Deum ipsius Pharaonis eum constituit. Huc flexit Rupertus lib. 1. in Exod. c. 26. in hæc verba. *Quoniam tu mitissimus virorum, pro tuo gloriosissimo negotio cum Pharaone dimicare & cum Regibus confligere te indignum ducis, atque hoc modo vsque ad nouissima terræ te deprimis, ecce ego sustollam te super altitudinem nubium, faciámque Deum, non quem ille fideliter adoret, sed quem seruiliter formidet, vt imperes aquis pro potestate Dei.* Tantum euectus est qui tantùm se dimiserat, & Regis Deus constituitur, qui se infra cæteros homines putabat.

S. August.

Rupertus.

### *Cum Creaturarum obsequia tibi dantur, tunc tibi Diuinitas apparet.*

*Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Non est dubium quin Moyses à Deo constitui posset vel Dominus vel Rex Pharaonis. Abraham enim Genes. 23. ab Hethæis princeps Dei agnoscitur: aiunt enim, princeps Dei es apud nos, & glossa Græca. Rex tu à Deo es: nonne satis honorifico titulo decoraretur, si solùm princeps aut Rex Pharaonis diceretur? cur debuit Deus constitui? nonne imperaturus erat elementis, & imperanti Moysi elementa erant paritura? non immeritò igitur Deus, aut Dei Vicarius in terris constituitur, quia diuinitatis proprium est creaturarum omnium imperium, cui creaturæ omnes inseruiant. Vnde optimè S. Chrysost. hom. 6. ad populum. Videns elementum ignis tribus pueris in fornacem Babylonis proiectis non nocere, sed eis obsequi, ait, *si hominum fuissent serui, non ipsos ignis expauisset, non cessisset flamma, hominum enim seruos creatura venerari & honorare non nouit,* sanè vbi cernuntur creaturarum obsequia, ibi necessum est numen aliquod diuinum conspici. 9.

Genes. 23. Glossa Græca.

S. Chrysost.

### *Dei est, si malum pœna, vel natura inferat, remedium præstare.*

C *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, nonne vt à Pharaone & Ægyptiis pœnas suæ immanitatis in populum Israël exigat, à te eligitur? nonne proprium est iudicis punire? iudex ergo à te constituatur, & non Deus. Aduertere iudicem reo posse malum inferre, à quo cum deinde liberare non potest, potest patibulo condemnare, à quo suspensum eripere non potest incolumem: solus autem Deus est qui nullum potest malum inferre quod auferre non valeat. Moyses autem non leue damnum Ægyptus inferre tenebatur, à quo eos eximere poterat pœnitentes. Meritò igitur non iudex, sed Deus constituitur, quia mala quæ Regi obstinato & populo rebelli illaturus erat, ab vtroque pœnitenti auferre poterat. Mens est S. Hilarii 7. de Trinit. D non longè à principio, *ad Moysem dictum est dedi te Deum Pharaoni, sed nunquid non adiecta nominis causa est cum dicitur, dedi te Deum Pharaonis? aut nunquid Dei naturam induit, & non potius in eum, quem metueret terrorem, cum Dracones Magicos, Draco Moysi, mox Virga manus deuorat? cum cynomiam, quam immiserat abigit? cum grandinem potestate, qua euocauerat, auertit? cum locustas ea virtute, qua induxerat, expulit? cum in operationibus eius Magi confiterentur, Deum esse? sic Moyses Pharaoni Deus datus est, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur*, preme hæc verba, *dum punit, dum medetur*. Is enim Deus est, vel Dei vices gerit, qui nescit inferre malum, cui non possit remedium adhibere. 10.

S. Hilarius.

*Dum homines castigat Deus, se videtur abscondere, quasi iustitia sua bonum erubescat.*

11. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Quorsum Deus, dum depopulaturus est Ægyptios, Moysem constituit vicedeum? quis potest diuinitatem substituere? numquid abesse properat Deus, qui vicarium suæ deitatis Moysem relinquit? & prophetam, seu nouæ deitatis ministros, creat Aaronem? res planè noua, & in scripturis insolens: quis vnquam Regum proregem constituit in regno, vbi ipse residet? prorex absentiam regis substituit, & vicarias absentis regis vices obit. Verum Deus acerbissimè Ægyptum puniturus, ac si toto plagarum tempore, absens foret, constituit Moysem vicedeum; quasi erubescat Ægypto palam adesse, dum miseré affligitur tota regio, tunc enim ipse Deus abscondit se, nam etsi liberalissimè faueat Hebræis, tamen peracerbè vexat Ægyptios. Hanc loci expositionem subinsinuat Dauid in Psalmo 113. *In exitu,* inquit, *Israel de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro*, ecce agit Dauid de pijssima liberatione Hebræorum, & seuera Ægyptiorum punitione, & ita subdit vers. 10. *Super misericordia tua, & veritate tua: nequando dicant gentes, vbi est Deus eorum?* veritas hic iudicium & punitionem significat, animaduertente Lorino ex multorum sententia, & ita opportunus est sensus, si ad Hebræam originem attendamus, quæ sic habet: super misericordia tua, & veritate tua: (id est iudicio) quare dicent gentes vbi est Deus eorum? quasi eo tempore, quo Deus constituit Moysem Deum vastandæ Ægypti, sic abfuerit, dum affligebatur populus, vt dixerint gentes, vbi est Deus Hebræorum? sic Deus sese abscondit diligenter, dum acerbius punit, vt gentes existimauerint Hebræorum Deum pacisci cum immensitate, & toto illo tempore planè abesse, sic Deus ipsum suum iustitiæ bonum quasi erubescit præ misericordiæ magnitudine.

Psal. 113.

Lorinus.

*Etiam iustos ad sublimiora stimulat superbia.*

12. S. August. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, Pharaonis dixit, non Israëlis, vt aduertit B. Aug. q. 17. Licèt enim Deus diuinam potestatem in impium Tyrannum Moysi permitteret, tamen in summum populum, quem vnicè diligebat, eam semper sibi reseruabat: Pharaonis igitur tantùm Deus Moyses constituitur, & nihilominus Moyses proprium Dei munus non solum erga Pharaonem, sed etiam erga populum quodammodo vsurpabat: quod sic ostenditur, quia proprium Dei munus est, summa pariter æque ima gubernare, omnibus ac singulis prouidere, quin ad vnum limitetur, quin ad plura distrahatur, iuxta illud S. Bernard. serm. 69. in Cant. Deus nec ad multitudinem multus erit, nec ad paucitatem paratus, nec ad diuersitatem diuisus, nec restrictus ad vnum, nec anxius ad curas, nec perturbatus, seu turbulentus ad sollicitudines, sic sane vni intentus, vt non detentus sit pluribus, vt non distentus. Hoc autem munus Moyses sibi vsurpabat, dum solus pro Tribunali à mane vsque ad vesperam omniũ ac singulorũ causas iudica-

S. Bernard.

A bat, quod ipsemet Exodi 18. significauit illis verbis, venit ad me populus, quærens sententiam Dei, Dei inquit, non hominis, quasi se illius populi Deum existimaret. Moyses, ne plus tibi vsurpaueris quàm acceperis, Dux es illius populi, non Deus: quod si aliquam Deitatem accepisti pro Pharaone tantùm, non pro Israële accepisti, quid igitur te Deum facis Israëlis? forte ad hanc cum impellebat opinionem erigebat, & impellebat præsumptio, nisi à socero suo caute & opportunè admoneretur ac retraheretur: non bonã rem facis inquit Iethro, stulto labore consumeris: huc enim spectasse eam accusationem censuit S. Aug. q. 68. in Exod. *Videndum est ne forte voluerit Deus ab alienigena admoneri Moysem, vbi & ipsum posset tentare superbia, sedebat enim iudiciaria potestate solus vniuerso populo stante.* Quasi B diceret ab homine reprehenditur, ne ipse sibi Deus populi illius videretur.

Exod. 18.

Augustinus

*Virtus diuinissima aliorum delicta tegere & dissimulare.*

*Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Nonne in maiorem cederet Moysis honorem, si iustorum, non hominis impij, Deus constitueretur? Imperium enim in malos & impios sathan obtinet, & nihilominus non censetur hac de causa in maiori veneratione dignus, quem honoris excelsiorem titulum Moyses consequetur ex eo quod hominis tyranni Deus instituatur? non desunt interpretes existimantes ideo Moysem Deum Pharaonis fieri, vt eius dissimularet & tegeret silentio scelera quantumuis maxima. Et sane diuinis- C sima hæc virtus est, quod fratrum errores tegas & taceas. In patrum vitis, vbi de sententiis illorum agitur sent. 107. hæc scribuntur, de S. Machario. *Dicebant de san. Io. Abbate Machario maiore, quasi quidam Deus terrenus fuit in fratribus, operiens delicta eorum, & ea quæ videbat, vel audiebat quasi non videns & non audiens.* O vtinam hæc virtus nostris inseratur animis, vt delicta fratrũ & proximorum operiamus imò nec videamus, nec audiamus, & Dij erimus & appellabimur. 13.

Vita Patrũ.

*Non ab vna sola, sed à multiplici virtute Deus in nobis exprimitur.*

*Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Moyses adhuc in vita constitutus Deus efficitur, tamẽ Christus D dominus Matth. 22. beatitudinis, immortalitatisque candidatos non Deo, sed solis Angelis vocat similes. In resurrectione, inquit, non nubent, nec nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cœlo. Cur ita in hoc sæculo extollitur purus homo vt Deus constituatur? beatitudinem autem consecuti solùm nominentur Angeli? nonne Ioannes c. 3. ait. Cùm apparuerit, similes ei erimus? non Angelis sed Deo similes futuros nos appellat, sane agebat Dominus de vna tantùm beatorum virtute, nempe de abstinentia in coniugio, at vna autem sola virtute non Deus exprimitur, sed in multiplici, quæ attendebatur in Moyse, sic D. Ambros. lib. 1. de Abel c. 2. *nomine Dei vocatus est, ad cuius similitudinem se perfecta virtutis vbertate formarerat*, non singularitas, sed vbertas 14.

Matth. 22.

Ioann. 3.

D. Ambros.

virtutum facit, quod quis ad similitudinem Dei efformetur.

*Res virtutis est quod quis princeps, ostendat se Deum erga Tyrannos, non autem erga iustos & bonos.*

15. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Moyses à Deo populi sui princeps electus, Deus efficitur, quid hoc est? Ecce Iob à regno suo deiectus, factusque homo priuatus, principibus & amicis hoc obiicit, quod diuinitatem ostentent: ait enim cap. 19. quare persequimini me sicut Deus? quid quereris, ô Iob sancte, quod principes erga te videantur dij? nonne ita constitutũ est à vero & summo Deo, quod princeps Deum se ostendat? nonne & ipse Moyses, dum Pharaoni præficitur, iubetur Deus esse? Cur ergo quæreris quod Diuinitatem ostentent? merito queritur Iob & vitio vertit, quod princeps erga te velit esse Deus; quod erga Pharaonem rebellem & feralissimum hominem prælatus Moyses, Deum agat, diuinitatemque ostentet, res virtutis est, at quod erga hominem sanctum & iustum Iob, princeps velit adhuc Deus videri, hoc vitiosum est & dignum querelis immortalibus.

Iob.19.

*Suos Legatos vult Deus constantissimos esse coram principibus.*

*Ecce constitui te Deum Pharaonis.* In Hebræo
16. est in plurali אלהים; & sic noster Lyranus legit, constitui te Deos Pharaonis: nonne vt Pharao in meliorem frugem redigeretur, sufficeret quod Dei authoritate Moyses erga eum vteretur? cur igitur Deos appellat cùm hoc nomen indecens vero fideli videatur? ad mentem satisfacit Lyranus, *te constitui tantum timendum, & amplius quàm illos quos colat tanquam Deos, quia non poterant eum affligere, sicut Moyses, hoc autem dixit Dominus Moysi, vt esset constans coram Pharaone.*

Noster Lyran.

*Deus suas peculiares prærogatiuas suis communicat dilectis.*

17. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Diximus ex Hieronymo ab Oleast. Moysem Deum Pharaonis constitutum, non vt solùm ab eo pœnas exigeret, sed vt longanimi tolerantia ei pluries condonaret, quod quidem Dei proprium est sic canente Ecclesia, Deus cui proprium est misereri semper & parcere: si hæc Dei specialis est prærogatiua, cur non solùm eam Moysi communicat, sed & authoritatem & potestatem perpetrandi miracula? quia suos ita diligit, vt nesciat eis pauca largiri, & ea magni ponderis & æstimationis, *non contentus est*, inquit Oleast. *hanc potestatem hominibus communicare, nempe longanimitatem in condonandis iniuriis, sed fere omnia peculiaria sua tradidit dilectis suis*, duo enim Deus quasi propria habet, scilicet condonare peccata & miracula facere, quæ tamen abunde Apostolis & sanctis viris communicare dignatus est.

Oleaster.

*Prælati sint Dij nihil timentes in reprehendendis principibus.*

*Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Non quem ille fideliter adoret, sed seruiliter timeat punientem & arguentem, sed an Dei authoritate fulgere debet Regem Ægypti reprehendentis? ita equidem. Et viri sanctissimi Dij à Deo constituti sunt, vt intrepido animo vitia cognata principum redarguant. sic Basilius factus est Deus Valentis Imperatoris, S. Ambros. Iustinæ Imperatricis. Vnde S. Bernard. ad Eugen. Pontif. sic alloquitur. *Considera oportere te esse formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, fidei defensorem, virgam potentium, malleum tyrannorum, Regum patrem, sal terræ, vrbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, postremo Deum Pharaonis.* 18.

S. Bernard.

*Princeps non solùm aduersarios punire debet, sed & suos protegere.*

*Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Moyses autem non tantùm Pharaonis, sed etiam Israëlis Deus constituitur, sed diuersimodè; Pharaonis enim Deus fuit eum castigando, sed si Israëlis Deus à Deo non instituitur, quomodo dicimus illum fuisse? fuit equidem non in puniendo, sed protegendo, deducendo, regendo, sustinendo. Ita legimus in vitis patrum in sent. eorum sent. 107. S. Macarium vocatum fuisse Deum, *dicebant de Abbate Macario maiore, quia sicut Deus protegit totum mundum, & portat peccata hominum, ita & ille, quasi quidam Deus terrenus fuit in fratribus.* 19.

Vita Patrũ.

*Princeps, non passiuus, sed actiuus princeps sit.*

*Ecce constitui te Deum Pharaonis*, quærunt interpretes quo pacto id verum sit, respondet Philo in lib. quod deter. potio. insidiat. *dicitur in sacris libris de te Deum Pharaonis, patiente, qui datur, non agente, is autem qui vere est, actiuus necessario non passiuus intelligitur*, nam cui dono datur deitatis munus, Deus non est, si quidem Deus qui vere est, actiuus necessario non passiuus est: ergo qui verè est princeps, actiuus necessario, non passiuus est. Princeps qui tantum patitur consilia familiaris; nec postquam ea audierit, secum ipse deliberat, & actiuè ipse decernit, & imperat, quod sibi expedire videtur, Rex passiuus est. fœlicissima Gallia, quæ regem actiuum sibi dominantem habet, qui postquam a viro in omnibus eminentissimo consilia accepit, secundum eorum tenorem omnia decernit & exequitur: actiuus enim est & non passiuus: verum nihil passiuum generosum est, imo omne passiuum fœmineum est; vacuumque nomen principis portat, quispiam malè Christianus, & benè hæreticus, ausus est dicere, Christum Deum, quæ fecit in mundo magnalia, aut in verbis doctrinæ, aut in re miraculorum operatum fuisse ministerio alicuius Angeli. contra hunc errorem sic arguit Tertullianus lib. de carne Christi: *cur ergo descendit, ad id quod per angelum erat expediturus? si per Angelum, quid & ipse? si per se, quid & Angelus?* Nempe vel ipsemet Christus superna- 20.

Philo.

Tertullian.

canens fecit in mundo, frustraque Deus homo factus venit ad opus redemptionis, si illud per alium operatus est, ad negotium merendi, & ad munus redimendi, mundus egebat Christo Deo; quæ munia si non per se, sed per alium præstitit, quid opus fuit Christo? *male nolium opus, quam vanum, quid prodest esse, quod esse non prodest?* igitur Rex ipse inquirat de negotiis, consulat consultissimos quosque, & expensis singulorum sententiis, ipse deliberet, & exequi mandet quod mature consuluit.

Tertul. lib. de pudic. cap. 1.

*Nec Deus suo caret aduersario.*

21. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Si Deus constituitur, cur ei aduersarius datur nempe Pharaonem non destituitur, hoc suis exigentibus demeritis? non destituitur, sed permanet incolumis, & tamen Moysis qui Deus efficitur, aduersarius, vt nobis constet nec Deum aduersario carere. *Ecce tres Dij*, inquit Hugo Vict. cit. à Tilm. *Moyses in Ægypto, homo in mundo, creator in cælo; & habet vnusquisque Pharaonem suum, id est, negatorem & contradictorem; Pharao interpretatur negans eum, id est Deum Dominum, inquit, non cognosco, quid est negare Deum summum bonum negare, quod ipse est, qui negat, inquit Apostol. Christum, Antichristus est, id est, Christo contrarius, sic qui summo bono est contrarius, negat ipsum. Moysi aduersatur tyrannus Ægyptius, homini mundus, Deo diabolus, primus crudelitate, secundus aduersitate, tertius iniquitate; primus sanitatem, secundus pœnam, tertius apponit malitiam.*

Hugo Victorin.

*Deus nihil in tempore cõstituit, quod ab æterno decretum non fuerit.*

*Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Cur non ait, constituam, vel constituo? cur de præterito? quia Deus nihil in tempore statuit quod ab æterno decretum non fuerit. sic explicat Rupert. lib. 1. in Exod. cap. 26. *Nec dixit Deus author Deorum, ecce constituo, sed ecce constitui te Deum Pharaonis, subauditur à constitutione mundi. nec enim ille Deorum Deus nouo quidquam consilio constituit, aut destituit.* 22.

Rupert.



## VARIETAS LECT. Vers. 2. 3.

*Vulg.* Tu loqueris ei omnia, quæ mandabo tibi; & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Israël de terra sua.

*Sept. & Cald.* Tu loqueris omnia, quæ mando tibi.

*Vulg.* Sed ego indurabo cor eius, & multiplicabo signa & ostenta mea in terra Ægypti.

*Cald. cum Sept.* Portenta mea in Ægypto.

## EXPOSITIO.

Tu *loqueris ei*, tanquam tuo interpreti, *& ille loquetur*, tanquam eloquentissimus ad Regem Ægypti, *vt dimittat filios Israel de terra sua*, sacrificandi in solitudine gratia: *sed ego indurabo cor eius.* Non est hîc repetendum, quomodo Deus non sit causa positiua indurationis, & excæcationis, sed hoc scripturæ idioma est, Dei permissionem quasi opus eius appellare. *Et multiplicabo signa & ostenta mea*, signa, id est, miracula, quæ & ostenta vocat; quod & ostentu digna sint, & Dei virtutem ostentent.

## CONCEPTVS.

*Deo similis, qui parcè loquitur.*

23. Tu *loqueris ei omnia quæ mandabo tibi, & ille loquetur ad Pharaonem.* Loquatur Moyses non solùm Pharaoni, vt dimittat populum Israël, sed etiam Israelitis eos consolandi causa, imò parcè cum illo loquatur sicut cum populo, nec passim in conspectum Ægyptiorum veniat; sic enim Deus habebitur, colligemusque, eum qui parcus & moderatus est in sermone, quique hominum popularium consortium vitat, tanquam Deum censeri posse, quippe qui eius silentium imitetur, eiusque à mortalium oculis occultationem. Nobis in hac re succinit Rupertus lib. 1. in Exod. cap. 26. qui hæc verba, Constitui te Deum Pharaonis sic explicat. *Est sensus, sicut si diceretur, tu es Deus Pharaonis constitutus, cui Ego Deus Deorum loquor facie ad faciem, vti solet loqui homo ad amicum suum, non dignaberis multa loqui vel orationem protelare cum Ægypti Rege, vel faciem tuam aperire popularibus incruditis, sed loqueris prophetæ tuo Aaron, & contra Pharaonem & ad populum tuũ exẽplo mei, qui nec verborum indiciis ago cum principe tenebrarum, nec passim visibiliter appareo mortalibus filiis hominum, sed per prophetas meos mando quæ illi audire merentur, vel quod facturus sim iudicium.* Procul inutilium verborum procursus, absit ab eo nimia loquacitas, qui Dei sui imitator esse debet. Rarò loquitur Deus, rarò loquatur qui Deum amat.

Rupertus.

*Deus antequàm puniat, monet.*

24. *Tu loqueris ei omnia quæ mandabo tibi; & ille loquetur ad Pharaonem*; nempe vt educat populum meum ex Ægypto, & nisi eduxerit, grauibus afficiam flagellis, sed cum obduratum cor illius futurum, tibi sit compertum, & admonitionibus peiorem euasurum, cur eis omissis graues ab eo non exigis pœnas? nescit Deus punire, nisi plures antea vnumquemque sui de-

bici monuerit. *numquid est Deus sine propheta?* inquit Oleast. *Non solet Deus aliquem punire, nisi prius per prophetam punitionis admoneat & deterreat: sic Prælati neminem terrere debent, nisi prius per se & prædicatores suos admonuerint.* Oleast.

*Spiritus Dei est cunctari ad pœnam.*

25. *Tu loqueris ei omnia quæ mandabo tibi*, deinde, *multiplicabo signa & portenta.* Et quidem sic multiplicauit signa, vt decem plagas immitteret antequam Ægyptios cum Pharaone funditus perderet: & cur in prima Regis resistentia, illum non perdidit, sed toties expectauit, vt egressus populi impediretur? sed cur pœnam debitam inferre procrastinas? Audi D. Basil. Seleu. oratione 9. *Tales erat hominum cum Deo contentio, impedire se tantisper ab hominibus patiebatur, & promissioni suæ de Israele liberando animaduertens iniuriam obiici, ferebat pœnitentiæ spe supplicium differens, procrastinansque punitionem, vt sensum nostri vnque sui daret Ægyptiis*, sic bonus procrastinat pœnam inferre, qua penitus Ægyptij delerentur, vt spatium haberent pœnitendi, nihil enim magis proprium Dei est, quàm impedimenta pati & dilationes, ne miseri peccatores subito ad pœnam trahantur. S.Bas.Sel.

*Ita impius est peccator, vt ex Dei bonitate occasionem eliciat obdurationis.*

26. *Tu loqueris ei omnia, quæ mandabo tibi, sed ego indurabo cor eius.* Si Aaron ei loquuturus est, si Aaron in nomine tuo, multiplicaturus est prodigia & signa ad emolliendum cor eius; Cur dicis te mentem eius induraturum? quia ita impius erit Pharao vt ex Dei bonitate occasionem eliciat obdurationis & obstinationis: *indurare Deus dicitur Pharaonem* inquit Theodor. *diuinis mandatis & nunciis rebellem, & vt ita dicam durum, in quo characteres Diuinæ Voluntatis imprimerentur, vtpote qui bonitatem præcipientis nihili faceret, atque etiam bonitatem ipsam, adulationem imbecillitatemque interpretaretur, & bonitas Dei, quæ illum, vt pœniteret, adhortabatur, obdurationis dedit occasionem.* Theodor.

*Peccator Dei colloquio indignus est.*

27. *Tu loqueris ei omnia, quæ mandabo tibi & ille loquetur ad Pharaonem.* Cur ipsemet Moyses eum immediatè non alloquitur? nonne verba eius maioris essent ponderis apud Pharaonem quàm Aaronis? nonne Moyses Deus constituturus fuerat, non autem Aaron? quo posito sic respondet Rupertus, *quoniam non est dignus Pharao tecum, ô Moyses, qui Deus eius es constitutus, loqui. Aaron erit tuus propheta, plagas, quas tu facies pronuntiaturus, sine tanquam minister tuus illaturus, exemplo videlicet meo, qui hominibus non loquor per me, sed per prophetas meos mando ea quæ illis vel denuntianda, vel à me facienda sunt.* Rupert.

*Medio mundi contemptu & humilitate eripitur populus de captiuitate.*

28. *Tu loqueris ei omnia, quæ mandabo tibi, & ille loquetur ad Pharaonem*, vt scilicet educat populum meum ex Ægypto; sed cur potius hi duo eliguntur quàm alij, cùm à Deo plures eligi possent ad id munus obeundum idonei? Aduerte Moyse mundi contemptum denotari, iuxta illud Heb. 11. Maiores diuitias æstimauit thesauro Ægyptiorum improperium Christi: Aarone autem cordis humilitatem, iuxta illud Num. 16. ignem extinxit, & iram Dei, ne in populum desæuiret sedauit: humilitas autem est, quæ extinguit ignẽ diabolicæ suggestionis, & sedat iram diuinæ animaduersionis, quid mirum igitur si per hos duos voluit populo suo libertatem restitui? medio enim mundi contemptu & humilitate eripitur populus de dæmonis captiuitate. Fauet noster S. Antonius Paduanus Dominica in Ramis palmarum. *Duo discipuli viri iusti, qui disciplinam patris discunt, sunt mundi despectio & cordis humiliatio, isti duo Discipuli sunt Moyses & Aaron, qui Hebræos educunt de Ægypto &c.* Hebr. 11. Numer. 16. S. Antonius de Padua.

*Obstinatus Dei iustitiam negligit, de sua præsumens.*

29. *Tu loqueris ei omnia quæ mandabo tibi &c. Ego indurabo cor eius*, nonne vt populo tuo restitueret libertatem, quo sane nihil æquius censeri potest, tui Ministri rationibus, & signis persuaderet? quomodo nec acquiescit imò manet sua mens in malo obdurata? quia obstinatus Dei iustitiam negligit de sua temerarie præsumẽs. Nobis succinit S. Bernard. serm. 3. de resurrect. *Obstinati nullis volunt acquiescere consiliis, hi sunt vnitatis diuisores, inimici pacis, charitatis experies, vanitate tumẽtes, placẽtes sibi, & magni in oculis suis, ignorãtes Dei iustitiam, & suam volentes constituere.* S. Bernard.



## VARIETAS LECT. Vers. 4.

Vulg. Et non audiet vos, immittamque manum meam super Ægyptum, & educam exercitum, & populum meum filios Israel de terra Ægypti per iudicia maxima.

*Sept.* Et non exaudiet vos Pharao, & iniiciam manum meam in Ægyptum, & educam cum virtute mea populum meum filios Israẽl de terra Ægypti, cum vindicta magna.

*Cald.* Et ponam plagam fortitudinis meæ super Ægyptum.

## CONCORDIA.

Declarat Cald. id quod Hebraicè scriptum est ונתתי את ידי במצרים venatathi eth iadi bemitsraim. Extendam manum meam super Ægyptum, Caldæus, inquam, declarat, quid sit extendere, seu ponere manum super Ægyptum, quod est percutere eam plagis à sua fortitudine immissis, per iudicia magna, expressiùs dixerunt Sept. cum vltione magna.

EXPOSI-

## EXPOSITIO.

*ET non audiet vos*, vestris admonitionibus non acquiescet, *immittamque manum meam super Ægyptum*. Hebraismus est significans se percussurum Ægyptum per effectus potentiæ suæ, *& educam exercitum & populum meum*, non accipitur, *&*, vt copula, sed est particula exegetica, vt sit appositio, quasi dicat exercitum, qui est populus meus, nempe filij Israël, *per iudicia maxima*, Hebraismus puniendo maxime Ægyptios, plagæ autem, quibus puniendi Ægyptij, ostendunt iustissimum esse Dei iudicium.

## CONCEPTVS.

### *Deus non solum misericors sed omnipotens.*

31 *IMmittamque manum meam super Ægyptum.* Non est dubium, quin frequenter manus Domini sumatur pro potentia diuina ad puniendum. Vt Euseb. Cæsar lib 8. de præpar. Euang. cap. 3. ad finem testatur, vel etiam pro plaga & punitione ipsa diuinitus illata, quam significationem illustrat D. Ambros. in Psal. 37. post initium. Manum Dei virtutem intelligimus puniendi. Hæc manus Regem Ægyptiorum propter Abrahæ iniuriam obtentatam flagellauit: Hæc manus Ægyptiorum currus, equos, & populos rubri Maris demersit in profundo. Hæc manus mentẽ grauauit Regis Saul vt gratiam sui conseruatoris odisset, & gladium in se suum conuerteret, ne captiuus senex viueret filiis & Regno superstes. Sed nonne manus Domini ad misericordiam prona est, ad liberalitatem promptissima? manus enim Domini tornatiles aureæ, plenæ Hyacinthis, quomodo ergo vltionem dicet, flagella, punitionem? si manus Domini tornatilis, nonne leuissima? si autem supplicia denotat, nonne grauissima? quomodo manus suapte natura leuis, grauis nobis redditur? sane nostris sceleribus ad vlciscendum & puniendum prouocata: quod obseruat Diuus Hieronymus in illa verba cap. 7. Hierem. Ecce furor & indignatio mea conflatur super locum istum, ait, n...iam, *Ego quidem naturaliter non irasc. gr. sed illi ita agunt, vt me ad iracundiam prouocent, & meam videar mutare naturam.* Et paulo post *sed & conflata*, inquit, *indignatio sic intelligi potest, vt quod diu facere nolui peccatorum multitudine compellor.*

Eusebius Cæsariens. — D. Ambros. — Cant 5. — D. Hyeron Hierem. 7.

### *Summa sapientia Diuinæ laus, quod ab ipsis peccatorum morbis messem faciat nostræ salutis.*

32 *Immittam manum meã super Ægyptum, & educam exercitum & populum meum Israël de terra Ægypti per iudicia maxima.* Expende quod non dicat educendum populum per fortitudinem maximam: plura enim alia opera longe maioris fortitudinis & potestatis, qui enim ex nihilo eduxit omnes exercitus creaturarum, quid magnum faceret quod educeret populum suum de Ægypto? non sane hoc ad maxima diuinarum fortitudinum decora pertinuisset, quando & vnus Angelus ingentem Assyriorum exercitum vna nocte interemit, vt Hierosolymam ab obsidione liberaret. Vnde merito tacens, quod per fortitudinem populum eduxerit, notanter eductum istum per iudicia maxima, hoc est, maximam & præstantissimã sapientiã, dixit & in quo tunc sapientia Dei ostensa fuit maxima? quales res Dei sapiẽtia tunc temporis in illa eductione ostendit? adeo magnas, quæ excederent sapientiam Angeli, sane cum tunc Pharao magis in Deum rebellaret, maioremque cumulum malitiæ ostenderet aggrauans cor suum, obdurans aduersus Dei præcepta, eo prouenit Dei sapientia, vt totam illam Pharaonis malitiam gloriosiori eductioni Israëlitarum & educentis seruire faceret. Quocirca aiebat Nyss. oratione de infantibus, *Excellentia sapientia sua Deus nimirum etiam malum ad adiuuandum bonum trahere & accommodare sciuit.* Ad excellentissimam & magnificam Dei sapientiam pertinet, quod ipsa mala, ipsa peccata eo trahantur, vt virtutibus possint iuuamen præstare, imo & ex ipsis malitiæ luxuriantibus pratis, copiosæ virtutum segetes metantur.

Gregor. Nyssen.

### *Obstinatæ mentis malum est, non solum temporale, sed & perpetuum gehennæ incendium.*

*Immittam manum meam super Ægyptum, educam populum meum per iudicia maxima.* Iudicium maximum hic accipitur pro flagellis grauissimis pluries iteratis, quibus punitus est Pharao, verum qua de causa ita castigatur? quia obduratum est cor eius, sed an solum hic in præsenti sæculo has luet pœnas? nõ equidem, sed in futuro longe grauiores, *Ob hoc inflexibilis & obstinatæ mentis malum*, inquit Bernard. epist. 275 *punitur æternaliter quia quod breue fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate, ita vt si nunquã moreretur nũquam velle peccare desineret, imo semper viuere vellet, vt semper peccare posset.* 33

D. Bernard.

### *Obstinatus nec Deum timet, nec homines reueretur.*

*Immittam manum meam super Ægyptum.* Sed antea se puniturum Regem Ægypti dixerat. Hęc verba præposuerat, non audiet vos, non solum non exaudiet, sed nec attendet obstinatas habens optimis vestris consiliis aures, quid? nonne in nomine Dei ei præceperunt, vt discessum ex Ægypto liberum populo concederet? nonne sciebat ipsos Dei vicarios esse? quomodo ergo iis non acquieuit? non audiuit? nonne dictum est mentem eius obduratam fuisse? quid mirum igitur ita accidisse? obstinatus enim nec Deum timet, nec homines reueretur. Mens est citat. Bernard. lib. 1. de consid. ad Eugen. *Cor durum est, quod nec mouetur precibus, nec cedit minis, quin etiam flagellis duratur magis,* 34

D. Bernard.

*sic & in breui horribilis mali cuncta mala complicitur. Cor durum est quod nec Deum timet, nec homines reueretur.*

*Populus fidelis, Dei miles.*

35 *Immittam manum meam super Ægyptum, & educam exercitum & populum meum.* In Hebræo & Græco non est particula, *&*, imo in Latino non accipitur vt copula, sed vt diximus, est particula exegetica, vt sit appositio, quasi dicat exercitum qui est populus meus, educam. Cur non ait solum, educam populum meum? ad quid apponit exercitum qui est populus meus? quia populus fidelis vere est Dei exercitus. Vnde S. Iob c. 7. ait Militia est vita hominis super terram. Quæ verba exponens S. Odo lib. 8 Moral. *Quid appellatione militiæ inquit nisi contra hostes exercitus designatur?* S. Odo.



## VARIETAS LECT. Vers. 5.

VVlg. Et scient Ægyptij, quia ego sum Dominus, qui extenderim manum meam super Ægyptum, & educam filios Israël de medio eorum.

*Cald.* Et scient Ægyptij, quia ego Dominus, cum leuauero plagam fortitudinis meæ super Ægyptum, & eduxero filios Israël de medio eorum.

## CONCORDIA.

ALiqui hæc verba Hebraica בנטתי & הוצאתי bintothi & hozethi, cum extendero, seu leuauero & eduxero verterunt, sic habet Caldæus, vt sit sensus, tunc cognoscent Ægyptij me esse Dominum, cum hæc omnia fecero, sed idem est sensus cum nostro vulgato interprete.

## EXPOSITIO.

SCient Ægyptij, id est experimento discent, plagis scilicet, quas inferam, *quia ego Dominus cum extenderim manum*, tunc cognoscent me esse Dominum, qui extenderim, id est, cum extendero manus, illos percutiendo, & educendo filios Israël.

## CONCEPTVS.

*Deus non solum dux omnipotens, sed etiam misericors.*

36 *SCient Ægyptij quia ego sum Dominus, qui extenderim manum meam super Ægyptum.* Quæ postrema verba habitum pugnantis, seu potius imperatoris signum præliandi militibus præbentis induerunt, sicut ab eodem verbo dixit Dominus

Iosue 8. Deus ad Iosue 8. Leua clypeum, qui in manu tua est contra vrbem hanc, cumque eleuasset clypeum, insidiæ, quæ latebant, surrexerũt; nam Imperator eleuata manu, clypeo aut vexillo elato, vt volunt Hebræi, signum dabat militibus aggrediendi & congrediendi, vt plane colligitur ex dicto cap. Iosue non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores. En ibi vt ducis habitum, munus, & officium assumit: sed si ita est, quod dux illius gentis esset in fortitudine, ait enim Cald cum leuauero plagam fortitudinis meæ super Ægyptum Cur sensim, & gradatim, in Ægyptum plagas immittit? cur sexto gradu postquam Israëlitæ egressi sunt Ægyptum, bellum cum habitatoribus promissæ terræ fieri voluit? cur confectum illarum nomine, & omnes ad solum Israëlitarum conspectum exterminare renuit? soloque nutu funditus extirpare non constituit? & trans mare, trans Libanum, trans Iordanem, trans solitudinem, denique metu attonitos perculsosque à propriis sedibus quocunque vellet abigere, & suum populum in possessionem vacuam mittere? hoc enim spectare videbatur ad talem tantumque ducem: hoc sane ad omnipotentem solummodo fortassis dixerim pertinere, non ad ducem misericordem, cui potius congruere videbatur, imo expedire suam illam Rempubl. firmiter constituere, cuius omnis salus, gubernatio & perduratio in cognitione Dei & perpetua erga illum obseruantia, atque obsequio posita erat: probe enim nouerat Israëlitas nullis vnquã miraculis ad considerandam Dei potentiam & supra Barbarorum deos præstantiam satis excitari, vt eius beneficiorum quantumuis præstantissimorum memoriã gratis animis ac perpetuo, vt par est, & decens debitumque erat, vsurparẽt, recolerent & conseruarent: tanto enim superstitionum profanæ gentis, tamque insano & veluti puerili amore cæci tenebantur, vt etiamsi interdũ prodigio insigni, (quale fuit plane rubri maris diuisio in ipsorum salutem iterataque adunatio, in Ægyptiorum interitum) veluti expergefacti in cœlum mentis oculos vocesque in gratiarũ actionem attollerent, mox immemores in profundam illius obliuionẽ relaberentur, is proinde qui dux erat in misericordia, diutinis bellis, veluti perpetuis miraculis erudire voluit populum suũ, & condocefacere, vt perpetuo exerceret ad timendum, amandum, ac colendum Deum stabiliori firmiorique ratione; sic enim pietas sãctitasque longiori temporis spatio, in illius gentis animis inueterascere & tanquam in neruis medullisque inniti, & insidere melius posset.

*Impij per afflictiones in Dei cognitionem veniunt.*

*Scient Ægyptij quia ego sum Dominus.* Cum

sint idolis deditissimi, ita vt nulla sit natio, quæ ita superstitiosa, nec quæ tot falsa veneretur numina, vnde ergo te verum esse Deum agnoscent? nonne idololatria ita mentem obtenebrat, vt quę luce meridiana clariora sunt, non permittat intueri? quomodo ergo in tuæ veræ deitatis prouenient notitiam? quid ait Deus? extendam manum meam in Ægyptum per iudicia magna, plagis multis & calamitatibus afficiam Ægyptum, & tunc me cognoscent Deum verum, homines enim reprobi & nefarij aliter in cognitionem Dei non deuenissent, nisi multis calamitatibus affecti. Ita Lyppom. *Sic igitur impij vel tandem coguntur cognoscere iustitiam Dei atque potentiam. & afflicti admittere coguntur quod sani recusabant.*

Lyppom.

*Afflictio & calamitas iustos perficit, malos exterminat.*

38 *Scient Ægyptij, quia ego sum Dominus,* Ex diuersis calamitatibus inflictis cognoscent me Deũ esse, meam mirabuntur potentiam, nõ per fidem, sed per experientiam, sed cur saltem fide tot pressi malis, tot plagis affecti, Deum non apprehenderunt, sed in sua semper manserunt infidelitate cùm vexatio det intellectum? ita sane iustis, quos tribulatio purificat, non autem regulariter malis, quos ea male vtentes exterminat, Vnde optime August. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 8. *Sicut ab vno igne aurum rutilat, & palea fumat, & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem preli pondere exprimitur, ita vna eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat & exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant, boni autem precantur & laudant, tantum interest, non qualis, sed qualis quisque patiatur, nam pari modo exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & suauiter flagrat vnguentum.*

Augustin.

*Afflictio immissa à Deo videtur ex ira procedere, tamen misericordiæ signum est.*

*Scient Ægyptij quia ego sum Dominus qui ex-* 39
*tenderim manum meam super Ægyptum.* Post tot immissas plagas, tandem populum meum de manu eorum eripiam, sed cur tandiu populum à te electum tibi dilectissimum permisisti tot opprimi ærumnis, innumeras tolerare miserias? Dices hoc ex animo eius irato processisse, sed falleris, misericordiæ enim in eum argumentum fuit non leue: fauet Interl. *In experimento (ait) sciunt Ægyptij me potentiam meam, quam diu contraxeram, extendisse, & liberasse populum meum de manu eorum, & misericordia sit quod putatur ira.*

Interl.



## VARIETAS LECT. à Vers. 6. ad 8.

*Vulg.* Fecit itaque Moyses & Aaron sicut præceperat Dominus, ita egerunt.

*Vulg.* Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octogintatrium, quando loquuti sunt ad Pharaonem.

*Pag.* Et Moseh erat octogenarius, & Aaron trium & octoginta annorum quando loquuti sunt ad Parhoh.

*Vulg.* Dixitque Dominus ad Moysem & Aaron, *alij addunt ex Hebræo,* dicens, vel dicendo.

## EXPOSITIO.

*Fecit Moyses & Aaron, sicut præceperat,* Fecit, idiotismus est, pro fecerunt, & egerunt, gaudent quippe Hebræi his repetitionibus, quæ & emphasim sæpius habent. *Erat autem Moyses 80 annorum.* Colligitur hinc fuisse eum in terra Madian totis 40 annis, fugit enim cum esset 40 annorum, *Dixitque Dominus ad Moysem & Aaron.* ad Moysem immediate, ad Aaron autem mediate Moyses enim quæ à Deo acceperat, aperiebat Pharaoni.

## CONCEPTVS.

*Senes prudentia & virtute præditi sint ad ardua peragenda negotia.*

40 *Moyses autem erat octoginta annorum, &c.* Cur nobis tum Aaron, tum Moysis ætatem describit? nam nonne satis erat notum habere à Deo electos & missos ad hoc munus obeundum? nonne ad difficillimum mittebantur negotium, quale erat recuperatio libertatis in populo Israël? prudenter eorum ætas iam longæua describitur, vt sciremus senes prudentia & virtute præditos (quales erant Moyses & Aaron) ad ardua peragenda negotia mittendos esse. Mens est Hieronymi ab Oleast. *Docet quales mittendi sint nuntij ad ardua negotia, nempe senes, & qui multa experientia didiscerint quæ agenda sunt, iuuenes enim, si fuissent,* (inquit Lyppom.) *in tanto negotio, multorum hominum ludibrio paterent.*

Oleaster.

*Sacerdos alios ætate præcedere debet.*

*Moyses autem erat 80 annorum, Aaron au-* 41
*tem 83.* Ecce triennio maior est Aaron Moyse. Cur ergo potius non eligitur à Deo ad regendum populum Israël, quàm frater minor natu? Aduerte quod licet vterque sacerdos fuerit, tamen ad summum fuit euectus sacerdotium Aaron: consentaneo ergo maior ætate ad illam dignitatem Ecclesiasticam præficitur, videtur enim quod sacerdos alios sicut sapientia & virtute, ita & ætate præcedere debet. Hinc in primitiua Ecclesia sacerdotes vocabantur presbyteri, hoc est seniores.

*Ne tenimia ætas excuset ab obedientia debita.* A

42 *Erat Moyses 80 annorum, Aaron autem 83.* Sed immediate antea eorum obedientiam in medium protulerat: *Fecit itaque Moyses & Aaron, sicut præceperat Dominus, ita egerunt*, & cur necessum fuit id semel & bis replicare, & inculcare, quod ita ambo egerint, omnia iuxta præscriptum Domini? sanè curabat diuinus scriptor ostendere nullam ætatem ab obedientia immunem: Ecce enim duo fratres, quorũ minor octuagesimum annum attigerat: & nihilominus in re difficillima Deo acquiescunt, omnia quæ iusserat exequentes.

*Maxima Dei in peccatores ostenditur longanimitas.*

43 *Moyses erat 80 annorum.* Supprimerem illius B ætatem, cùm ad seriem historiæ texendæ referre non videatur. Aduerte quod antequam in lucem ederetur, iam Ægyptios ob suam in populum Israël inhumanitatem, demeritis exigentibus dignos fuisse grauissima pœna, & omnimoda deletione, quid enim non merebatur tot puerorum submersio? cur ergo non dicemus expressam fuisse Moysis ætatem, vt compertum haberemus, annos plus quam octoginta pœnitentiam Ægyptiorum expectasse, & longissimum tempus pœnitendi eis concessisse? Vnde optime Diu. Gregor. in hom. 11. in Ezechielem, D. Gregor. Mag. *Misericors Deus* (inquit) *tempus nobis ad pœnitentiam relaxat, sed cum eius gratiæ patientiam nos ad augmentum vertimus culpæ, tum ipsum tempus, quod ad parcendum pie disposuit ei, strictus ad puniendum & feriendum vertit.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 9.*

*Vulg.* Cum dixerit vobis Pharao, ostendite signa, dices ad Aaron, tolle virgam tuam, & proiice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum.

*Sept.* Et si loquetur ad vos Pharao, dicens, date nobis signum, vel portentum, & dices Aaron fratri tuo, sume virgam & proiice in terram palam Pharaone, & palam seruis eius, & erit draco.

*Oleast.* Si loquutus ad vos fuerit Paroh dando date portentum.

## CONCORDIA.

Hebraice est תנו לכם מופת tenu lachem C mopheth date, seu ponite vobis, id est, pro vobis portentum, seu prodigium, seu aliquod signum. תנין tanin colubrum, draconem, serpentem significat, dictio Hebraica כי chi cum etsi reddi potest noster vulgatus dixit cum Sept. *Si.*

## EXPOSITIO.

Cum *dixerit vobis Pharao ostendite signa.* Vt scilicet credamus verba vestra digna fide & à Deo missos, *dices ad Aaron tolle virgam tuam*, Virga hæc & Dei dicitur, quod Dei virtute in illa miracula fierent, & virga Moysi, quia illam iussus est ferre & signa edere, & virga Aaron, quod cum illa coram Pharaone miracula edidisset, *& proiice eam coram Pharaone*, aperte & publice, nam non solum proiecta est coram Pharaone, sed etiam seruis eius, ac vertetur in colubrum non apparenter, sed vere.

## CONCEPTVS.

*Maxime Deus fauet bono nomini prælatorum.*

44 Dices *ad Aaron tolle virgam tuam, & proiice eam coram Pharaone ac vertetur in colubrum.* Quod ita factum est, nam virga serpẽs effecta est, verũ si ad Moysem præcipue legatio pertinebat, cur etiam munus primi miraculi faciendi ad Moysen non spectauit? ad eum enim pertinuisse videbatur, cum præcipue à Deo electus fuisset populi liberator; respondet noster Lyran. Noster Lyran. *Quia Moyses diu fuerat absens de Ægypto, ideo credere poterant Ægypty* (addo fortasse & Hebræi) *quod tunc fuisset imbutus magicis artibus, sed Aaron in iuuentute manserat in Ægypto, vbi artes magicas addiscere non potuisset, nisi de voluntate & scitu Ægyptiorum, & ideo non poterant eum ita suspectum habere*, Itaque ne Moyses putaretur esse magus, à primo illo miraculo patrando remo- D uetur, vides quantum Deus faueat bono nomini prælatorum? vt etiam quando eorum auctoritatem minuere videtur, eam maxime tueatur, & clariores faciat ex bono nomine, quam ex virtute miraculorum.

*Concordia sit eorum qui simul aliqua funguntur legatione.*

*Dices ad Aaron tolle virgam tuam.* Cur potius 45 non dixit, tolle virgam meam? Moysi enim data illa virga fuerat non Aaroni, vt legenti quartum caput huius libri patebit, cur igitur suam non appellat? nam regulariter, quod eximium est, non alteri, sed nobis tribuere debemus, respondet D. D. August. Augustin. quæst. 20. in Exod. *Erat vtrique virga illa communis, vt cuiuslibet eorum diceretur, verum diceretur, ac si eamdem vterque potestatem haberet & exerceret, vt in eadem vterque charitate perseueraret.*

*Miracula non edenda nisi necessitate vel precibus legitimis adducti.*

46 *Dices ad Aaron tolle virgam tuam.* Sed quandoquidem indixerat Pharao ostendite signa, cur antequam ab eis exigat rex Ægypti portenta, ea non ediderent? cur insuper non rogati vt Pharaonem inducerent ad libertatem populo Israël concedendam non sunt operati? quia miracula non edenda nisi necessitate vel precibus legitimis adducti, verus est Oleast. (Oleaster.) *Non debent sancti viri temere signa facere etiam si possint, sed rogati aut inuitati, neque debent velle se ostentare, considera Christum seruatorem nostrum, quem nunquam inuenies ex curiositate sed semper necessitate compulsum fecisse miracula, ea enim signa & opera magnifica virtutum quæ coram oculis hominum exercentur, debent tunc tantum fieri, quando necessaria sunt & in Dei gloriam cedunt, ac eo modo vt* B *aperte constet nullam nos inde gloriam aut laudem velle aucupari.*

*In figura crucis eximia eduntur facinora.*

47 *Dices ad Aaron tolle virgam.* Cum portenta peteret Pharao, expendamus quid in primis iubeatur tollere, vt signa & virtutes faciat, nimirum iubetur tollere virgam, cur virgam? quia cum esset sanctissimæ crucis vmbra, in virtute eius debebat huiusmodi facinus perpetrare, testem adhibeo Seuerum (Seuerus.) in Cat. Lyppo. ad cap. 5. *Virgam ferre Moyses iubetur, vt per illam miraculorũ vim declararet, virgam non aliunde vim miracula efficiendi habuisse quam ob latentem in ea pretiosæ crucis figuram, atque sine illa quæ crucis signum fuit, nihil admiratione dignum Moyses fecit.*

*Iustitiæ rigor vel executio longè sit à Prælato.*

48 *Dices ad Aaron tolle virgam tuam & proiice coram Pharaone ac vertetur in colubrum.* Vidimus supra Moysem tulisse virgam, cur nunc cum vertenda est in colubrum, non fertur à Moyse sed ab Aarone? ecce iã incipiebat seueritatis exercitium aduersus regem Ægypti, quod minime per se debebat præstare Moyses, vt qui optimi prælati gerebat formam, cuius proprium est procul esse à seueritatis exercitio: quo spectat Diu. Chrysost. (D. Chrys.) hom. 43. in acta, sic loquens, *Nihil ita humanum ostendit caracterem vt misereri & humanum esse, propter hoc & leges lictoribus totum permittunt volentes iudicem vsque ad pronunciationem sententiæ punire, educunt autem illos ad opus ita etiam si iuste fiat, non est animæ virtutum studiosæ punire, sed* D *aliquo alio hoc habet opus, quia & Deus non per se ipsum punit, sed per Angelos,* hoc cauet optimus prælatus, vt non ipse per se exerceat seueritatis & punitionis munus.

*Vult Deus nos ad meliorem frugem reducere.*

49 *Dices ad Aaron tolle virgam tuam, ac vertetur in colubrum.* Sept. & erit draco, cũ draco sit stupẽdæ naturæ, & maximũ horrorẽ & timorẽ incutiẽtis; cur ab hoc signo incipere voluit mirabilium suorum operationem? vt hoc signo terribili perterritus Pharao ad meliorem frugem se conuerteret, *A dracone incepit* (inquit Olcast.) (Oleaster.) *vt regem* A *magis deterreret, & non esset opus alia signa adiungere.*

*Christus Dominus figuratur per sanguinem suum principatum diaboli destructurus.*

50 *Dices ad Aaron tolle virgam tuã & vertetur in colubrum.* Inquiramus quæso, cur ante immolationem paschalis agni, quo res omnis confecta est, decem fieri numero signa placuit, quibus Pharaonem superari non posse nouerat, antequam faceret ipse, qui fecit: primum fuit signum, vbi virga Aaron versa est in colubrum, virgasque incantatorum deuorauit, &c. nam alia nouem subsecuta sunt signa, quibus Pharao attonitus quidem & vexatus, & attrita est Ægyptus; non ita tamen vt ab Ægyptiis dimitteretur Israël, B post hæc tandem tolli iubetur agnus in domos filiorum Israël immolandus quartadecima die mensis primi ad vesperam, & in illa omnia peracta, interfecta enim sunt illa nocte omnia primogenita, & ita Pharao metuẽs, dixit, egredimini cito, & abeuntes benedicite mihi, cur inquam decem plagis non victus Pharao, sed solum post agni immolationem? aduerto quod sicut per Pharaonem diabolus, sic per Moysem lex, & per Aaron vetus significatum est sacerdotium, per agni immolationem Christi Domini sanguinis effusio & mors figuratur; quo posito sic satisfecit Rupert. (Rupert.) lib. 1. in Exod. ca. 9. "Per illa nempe, per legem, & vetus sacerdotium regnum diaboli, regnum peccati & mortis non destructum sed motum fuisse & exasperatum propter mãdatum, diximus sunt autem legis decem præcepta, quæ in C Dei & proximi dilectione pendent vniuersa, primum est, non habebis deos alienos coram me, &c. his decem iustitiæ præceptis qui seruauerunt & veteres sancti ante aduentum Christi, vexauerunt quidem spiritualem Pharaonem, id est, diabolum, repugnantes & resistentes illi vt de regno mortis exirent, sed non præualuerunt, nihil enim lex ad perfectum adduxit, inquit Apost. Hebr. (Hebr. 7.) imo quoque de veteribus scilicet Isaia Propheta (Isai. 64.) consonanter prædicante cap. 64. sicut pannus mẽstruatæ omnes iustitiæ nostræ tandem in hunc mundum ingreditur immolandus verus agnus, & sacrificium iustitiæ futurus Christus filius Dei & quod per iustitiam hominum quantumuis fortiter præcepta legis adimplentium fieri non potuit, ipse per suum sanguinem solus impleuit, nam quod impossibile erat legi, inquit Apost. Rom. 8. (Rom. 8.) infirmabatur per carnem Deus filium suum mittens in similitudinem peccati carnis, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, igitur quemadmodum vespertina immolatio illius agni per quem Pharao victus, & Israël liberatus est, agnum Dei Christum significauit vel passionem eius, per quam in nouissimis diebus diabolus victus, & mundus liberatus est, & saluatus, sic illa decem signa vel plagæ quibus ille Pharao flagellari quidem, sed non vinci potuit, decem legis præcepta significauerint, quorum obseruatione mortis regnum inquietari quidem, sed non destrui potuit."



## VARIETAS LECT. Vers. 10.

VVlg. Ingressi itaque Moyses & Aaron ad A Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus, tulitque Aaron virgam coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in colubrum.

Sept. Et venit Moyses & Aaron coram Pharaone, & seruis eius, & fecerunt sic, quemadmodum eis præceperat Dominus, & proiecit virgam coram Pharaone, & seruis eius, & facta est draco.

## EXPOSITIO.

INgressi itaque Moyses & Aaron, in palatium Regis, *fecerunt sicut præceperat Dominus*, primo, vt populum permitteret ex Ægypto discedere, quod cum rex suæ missionis signa peteret, *Tulit virgam coram Pharaone & seruis eius*, eam proiiciens in terram, *quæ versa est in colubrum*, vere & non apparenter.

## CONCEPTVS.

*Deus suauiter in principio punire solet.*

52 AAron tulit virgam coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in colubrum, Cur aliquod signum nocturno tempore non immisit, vt maiorem eis timorem incuteret? noctu enim quæ contingunt insolita, horribilia videntur, vnde Isa.
Isaiæ 1. c. 1. nocte, inquit, vastatus est murus Moab, in
D. Basilius quem locum Diu. Basil. *Quod nocte* (inquit) *irrogatur supplicium, atrocius esse solet, & amarulentius.* & paulo post *quæ in nocte versantur in nocte etiam pereunt.* Eandem ob causam, Angelus Domini percutit primogenitos Ægypti, de nocte interfecit centum octoginta quinque millia Assyriorum, & de nocte exercendum esse finale iu-
Lactantius. dicium testatur Lactantius lib. 7. de diuino pre- C mio c. 19. iuxta illud media nocte clamor factus est, vt sub hac metaphora maximus illius iudicij horror declaretur, cur ita hic non contigit aliquod signum nocturnum? quia Deus suauiter in principio punire solet, vt suauius ad se peccatores alliciat.

*Prædicationem antecedat recta operatio.*

*Aaron tulit virgam coram Pharaone & seruis*
52 *eius, quæ versa est in colubrum.* Cur Moyses potius hoc miraculum non edidit, cum ad Moysem miracula edenda, ad Aaronem oracula euulganda pertinerent? cur non dicemus, vt Aaron qui futurus erat prædicator, inciperet esse operator, & qui futurus erat auctor docendi, esset pariter & agendi? inutilis enim est illa prædicatio quam recta operatio non antecedit, futilis illa doctrina
D. Gregor. Magnus. quam sancta vita non illustrat? vnde D. Greg. 6. mor. c. 24. *Ille bene loquendi facundiam accipit, qui sinum cordis ad perfecte viuendum studia extendit, nec conscientia loquentem præpedit, cum vita linguam antecedit.*

*Deus tarde & morose agit in peccatores.*

*Aaron tulit virgam coram Pharaone & seruis*
53 *eius, quæ versa est in colubrum.* Cur non potius in Leonem, aut vrsum immanem, qui eos insequi possent, & maximum incuteret timorem? licet enim coluber sit venenosus, tamen quis ad Leonis aut vrsi aspectum non pauet? versa est solum in colu-

B brum, non in Leonem, quia ira Dei non adeo cita est in perdendis peccatoribus, sed tarde & morose procedit, vt serpens solet, ita Diu. August. D. August.
quæst. 8. ex veteri testamento aiens, *Vtique serpentem fecit, qui & terrorem incuteret, non tamen obesset, per id quod stupore quodam ad nocendum tardior sit, si enim leonem fecisset aut vrsum, quomodo euaderent qui aderant?* Non sic pœnas de Ægyptiis sumere volebat Deus, vt omnino illis euadendi occluderet effugia, ideo serpentem tardum obiicit imprimis, deinde plagas decem per tot tempora interruptas immittit.

*Deus ad pœnitentiam dilatione supplicij vult prouocare.*

C *Aaron tulit virgam coram Pharaone & seruis* 54
*eius, quæ versa est in colubrum.* Deinde obluctante Pharaone, flumen virga percussum purpurascit, deinde ranarum vndantia per Ægyptum agmina, e cælo locustæ in morem modumque nubium volant, crassis tenebræ lumen eripiunt, & diurna tempestas, inutili noctis impendio consumitur, ibi grando cum igne confecta ruit, & quæ ab ingenio discordant, ita præter naturam concordant, vt naturalem discordiam contra Ægyptios vertant, ibi mors primatum primogenitos non sine dolore depascitur, nec vero istius vindictæ cursus potuit abrumpi, quam virga percussum mare, his iter, illis sepulchrum fuerit & mare conti-
D nentis instar, viam Abrahamitis aperuerit, cæteros, fluctus hauserunt, quod erat nauigabile calcabatur, & puluerulenti pedes hominum profunda maris percurrunt; sed cur non magis sine interruptione castigat? cur diebus plagarum dies quie- D. Basilius
tis immiscet? ad hoc eleganter Basil. Seleu. ora. Seleuciæ
8. *Ad hoc prorsus exemplum Deus inimicos forti-* Episcopus.
*ter diuque fert, vindictæ dilatione præfinitum spatium pœnitudini tribuens.*

*Parua Dei ira peccatoribus aliquando in præsenti exhiberi solet, quæ nisi proficiat, ingentem & ineffabilem furorem pariet.*

*Aaron tulit virgam coram Pharaone & seruis* 55
*eius, quæ versa est in colubrum,* Expende qualetelum assumat Aaron aduersus potentissimum &

obduratissimum Pharaonem? nunquam tulit Aaron virgam, simplici & parua virga armatur aduersus Pharaonem, & quid metuat nefarius Pharao virgam aduersus se strictam? cur non magis igneus gladius ostenditur? est in parua illa virga non paruum maximi damni argumentum, quando non proficiens virga secundum se in horribilem draconem conuertitur, qui effugi nequeat: ad

S. Bruno. hæc Bruno in ailleg Tilm *Venit. Moyses ad Pharaonē nō cū gladio sed in virga: unde si pœnitere voluisset, facilem ad ignoscendum Deum per hoc cognoscere poterat, sed quia pœnitere noluit in colubrum virga conuertitur, ut maioribus dignus supplicis maioris correctionis tormenta se expectare intelligat: & ideo quia virga non corrigitur draconi id est diabolo traditur.* Huc peruenit ira Dei parua à peccatoribus contempta, virga mutatur in draconem, & leuis calamitas: quæ leui manu poterat amoueri, si nō amoueatur, eam calamitatem excitat, quæ funditus miseros perdat.

*Parum apud Principes mundiales, prædicatorum minæ proficiunt.*

56 *Aaron tulit virgam coram Pharaone & seruis eius, & versa est in colubrum.* Attende quid de eadem virga proiecta in terram dicitur, quod etiam coluber facta sit, quo viso fugisse Moysem, cur Pharao etiam visa virga in draconem versa non fugit? non dicitur enim quod hoc monstrum timuerit, quod serpentem exhorruerit: non est dubium hanc Aaronis virgam concionatoris verba minacia denotare: quid mirum igitur hanc virgam factam colubrum non timuisse? minas enim concionatorum vel negligunt vel saltem regulariter non timent mundi principes, quod breuiter

S. Petrus Damianus. edocet S. Petrus Dami. opusc. 12. Apolog. de contemp. mundi c. 30. qui post quam consuluit religiosos abstinere ab aulis principum, qui tamen sub prætextu salutaria eis suggerendi, eas frequētant, ait, *Credite experto, credite in huius gratia studiis non leuiter fatigato, Imperatoriæ namque maiestati sæpe quæ suggerend videbantur, expressimus, à summis Pontificibus inuitati, synodalibus Conciliis interfuimus, sed qui hoc tempore ista prosequitur, tamquam si semina cred.re arenosis litoribus videatur.*

*Subditi Regis tum mores tū affectus sequuntur.*

57 *Aaron tulit virgam coram Pharaone & seruis* A *eius, & versa est in colubrum* Non solum coram Pharaone, sed & coram seruis qui eius incredulitatem sequebantur, facta est hæc metamorphosis, sed licet eo viso colubro non fugerit Pharao, animi enim Regij est non facile concuti terrore, quomodo saltem serui eius fugæ non se commiserunt? nam quis sibi fuga saluti suæ non consuleret, viso horribili dracone? si rex non fugerit, quid mirum si serui eius non fugerint? subditi enim principum tum mores tum affectus sequuntur,

Cassiodor. quod Rex Theodor. apud Cassiod. lib. 3. variar Epist 12. senatui vrbis Romæ scribens ait, *Amamus dignitates eximias de nostra benignitate nascentes, publici enim decoris materies mens regentis, & quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis aspectum, facilius est quippe si dicere fas est errare naturam, quam dissimilem sui princeps* B *possit formare rempublicam.*

*Conuersio panis in corpus Christi figuratur.*

58 *Tulit Aaron virgam coram Pharaone & seruis eius, & versa est in colubrum* Ecce virgæ conuersio in verum serpentem, & sane miraculosa: an prænotare potest conuersionem panis in verum corpus Christi? quid nidatur pro signo à Deo, ergo pro signo vero, id est vero miraculo, illa in altari est miraculosa, illa fuit sanctissima, adeoque fuit verissimus coluber, ex conuersione factus, alioquin quomodo coluber ille Moysis deuorasset maleficorum colubros? illa in altari, est verissima, adeoque verissimum est corpus & sanguis Christi post conuersionem, alioquin quomodo hoc sacramentum tot edidisset miracula, in illud C accipientibus? hæc conuersio palam facta fuit nempe coram Pharaone & seruis eius, illa in altari publice & coram omnibus fidelibus, en licet in omnibus non teneat similitudo cum figuris præstent signata, tamen negandum non est, hanc conuersionem virgæ in colubrum denotare panis in corpus Christi transsubstantiationem, textus est celebris in c. reuera, versic. forte dicas, de consecrat. distinct. 2 *Forte dices, aliud videtur, quomodo mihi asseris, quod Christi corpus accipias, vtamur igitur exemplis, vt probemus hoc non esse quod natura formauit sed quod benedictio consecrauit, maioremque esse vim benedictionis quam naturæ, quia benedictione natura etiam ipsa mutatur. virgam tenebat Moyses, proiecit eam & facta est serpens.*

## *VARIETAS LECT. Vers. 11.*

V*ulg.* Vocauit autem Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter

*Sept.* Conuocauit autem Pharao sophistas Ægypti & veneficos, & fecerunt etiam incantatores Ægyptiorum veneficiis suis similiter.

*Pag.* Fecerunt etiam ipsi magi Ægypti, incantationibus suis sic.

*Arias.* Et vocauit etiā Pharao ad se sapientes & præstigiatores, & fecerunt etiam ipsi genethliaci Ægypti incantationibus suis sic.

*Onk.* Fecerunt etiam incantatores suis susurrationibus.

---

## *CONCORDIA.*

NOn sunt plane nota horum nominum significata, chacam videtur significare sapiētem quacumque sapientia, chasaph vero eum qui aliquid naturale mutat ad aspectum oculi, ex hoc

videtur significare maleficum, aut præstigiatorem; vbi habemus ipsi per incantationes, alij dixerunt susurrationibus, idest verbis secreto prolatis, sicut isti magi proferre solent; est autem dictio Hebraica להט lahas propriè flamma, & subinde fulgorem lanceæ, & gladij significat, & A demum ad incantationes extenditur, & quod magicæ artes nedum nominibus & execrationibus fieri soleant, verum etiam per instrumenta quædam, puta gladios, lanceas, & forbices, in Hebræo autem non habetur verbum arcana.

## EXPOSITIO.

*Vocauit autem Pharao*, vocauit idem quod allocutus est, quod si tamen absentes fuerint, probabile est extra aulam non fuisse, tum quod non diu corã serpente, Rex permãsisset, tũ quod gentilium aulæ solitæ fuerint talibus scatere, & per eos ferre administrarentur, *sapientes & maleficos*, dictio illa & pro, idest ponitur, ij itaque sapientes, qui & malefici erant; malefici autem dicuntur hi qui vtuntur magicis artibus, per quasdam dæmonum occultas pactiones, hi autem malefici vocantur à Paulo 2. Timoth. 3. [1. Tim. 3.] Iãnes & Mũbres, *& fecerunt etiã ipsi per incantationes suas*, quia venefici verborum vel carminum quorũdam recitatione suas perficiũt, operationes actio eorum nomine communi incantatio dici solet: hic autem cum addito dicitur incantatio Ægyptiaca, non quod ab Ægyptijs magia primum inuenta fuerit, sed quia Ægyptij huic arti dediti B essent, *& arcana quædam similiter*, arcana dicuntur quod occulta virtute, & in silentio verba incantionis proferantur.

## CONCEPTVS.

*Ita impius peccator, vt nolit ea quæ à diuina fiunt potestate credere, ne Deum cogatur fateri.*

59 *Vocauit sapiẽtes & maleficos, qui per incãtationes Ægyptiacas facerẽt similiter.* Nõne visam in draconẽ versa virga, debuit fidẽ adhibere ijs, quæ à Moyse dicebantur, & credere Deũ esse qui hæc fieri imperabat? cur igitur præcipit suis incantatoribus vt similiter operentur, ac suis præstigijs similia edant mirabilia? quia ita impius est peccator, vt nolit ea quæ à diuina fiunt potestate credere, ne Deum esse cogatur confiteri, atque adeo propter illa à suis sceleribus nũquam auerteretur: fauet Hugo Victor. in annot. elucidatorijs in Exod. [Hugo Victor.] *In hoc & in alijs sequentibus, miraculis, semper Pharao recurrit ad magos suos tentans si possit eadem facere quæ & Moyses faciebat, non enim putabat ea fieri diuina potestate, & voluntate, sed artificio & maleficio Moysis, & ita si facerent eadem, tunc propter hoc videbatur ei se non debere dimittere populum.*

*Diabolicus furor damna semel illata nescit corrigere.*

60 *Vocauit sapientes & maleficos qui per incantationes Ægyptiacas facerent similiter.* Moyses à se virgam proijciens, vidit illam in draconem conuersam, quem timeret, ac dum eius caudam apprehendit, tota colubri ibi bat ferias, sola virga remanebat, sed malefici qui ex aridis virgis faciunt etiam dracones, qui metum inferant, & venena infundant, quid? an venenatos faciunt dracones ex virgis, & deinde dracones etiam conuertunt in virgas, vt sola virga maneat draconis exuta militia? non equidem, non enim est diabolici furoris illata damna corrigere, hoc solum spectat ad Dei spiritum, pulchre aiebat Orig. hom. 11 in Numer. [Origenes.] *Efficit tamen similiter ei contraria virtus virgam serpentem, sicut fecerat virtus Dei, sed serpens qui per virtutem Dei factus fuerat, absorbuit & deuorauit omnes illos serpentes qui arte magica ex virgis versi fuerãt in serpẽtes, non enim potuit virtus dæmoniaca malum quod ex bono fecerat restituere in bonum potuit ex virga facere serpentem, virgam vero ex serpente reddere non potuit.* Nunquam diabolicus furor correctionem mali nouit perficere, quidquid venenosum est, quidquid mortiferum, quidquid malignum, facile à malo fit, non cunctatur malus vt mala inferat.

C *Diaboli mirabilia fraudulentis suasionibus per arcana quædam perficiuntur.*

*Vocauit Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiã ipsi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædã similiter*, Onkel. *fecerunt ipsi similiter susurrationibus suis*, Ecce vt sua ederent prodigia, quibusdam verbis secretis, vel carminibus occultis, ea operabantur, cur palam sicut Aaron non edit is? an verba quædam occulta prætulit? an aliquo secreto susurro virgam vertit in colubrum? non equidem, eæ equidem sunt diaboli artes, sua prodigia non in publicum edere, non palam proponere, non dare omnium oculis conspicienda, sed rem totam secreto & mussitando transigere, hæc diaboli miracula, quæ per arcana D quædam, fraudulentis suasionibus perficiuntur, sic mendacij artes veritati ac simplicitati oppositas, depinxit Tertul. lib. aduers. Valent. c. 1. Vt in latebrarum & tenebrarum cardine totæ versarentur. *abscondat itaque sese serpens quantum potest, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, alte habitet, in cæca detrudatur per anfractus seriem suam euoluat, tortuose procedat, nec semel totus lucifuga bestia, nostra columba domus simplex, etiam in editis semper & apertis, & ad lucem, amat figuram spiritus sancti orientem, Christi figuram*, pende illud *totam prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat*, nec non, *nec semel totus lucifuga bestia.* Quibus bene adstruit serpentinis astibus lucem obesse vt eum semel totum vidisse deprehendisse sit, quod annotat Cassiod. lib. de anima ad finem, dum à Deo efflagitat vt se fraudulentis dæmonis insidijs eripiat, sic ait. *Nosti enim quam ferali ter lubricus anguis illabitur, squammis repentibus minutatim corpus esse*

Margin: 61 [beside "Vocauit Pharao sapientes…"]; Tertul. [beside "sic mendacij artes…"]; Cassiodor. [beside "tum vidisse deprehendisse…"]

*sollicitat, & ne eius intelligatur aduentus, fixum* A *non habet impressa variatione vestigium.*

*In principum aulis nihil copiosius quam serpentina venena.*

62 *Vocauit Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptias, & arcana quædam similiter.* Nam suis incantationibus virgas in terram proiectas mutauerunt in dracones, nonne satis erat in aula principis Pharaonis, vnicum serpentem videri? quomodo nunc tot dracones scaturiunt? quid autem quam coluber & draco, magis venenosum? de colubro Bustamant. lib. de reptilibus vere animantibus sacræ scripturæ lib. 4. cap. 2. ait, coluber reptilia omnia continet venenata nimis agilissimi motus, potentissimique capitis, motu & viribus potentia que veneni actiuissima. De dracone autem sic noster Barthol. Anglic. lib. 18. cap. 37. draco maximus est cunctorum serpentum, hunc Græci draconta vocant, vt qui sæpe à speluncis abstractus, fertur in aërem, excitaturque, propter eum aër similiter & mare contra eius ventum intumescit, est autem cristatus, paruo ore, & arctis fistulis, spiritum trahit, & linguam exerit, vel erigit, dentes habet acutos, & serratos, vim autem habet non in dentibus, sed in cauda & verbere plusquam ictu nocet, non habet autem tantum de veneno, quantum & alij serpentes, non negat autem venenatos esse, sed non tanto abundare: quomodo ergo non solum coluber, sed dracones venenati in aula principis Ægypti? quia in aulis principum nihil copiosius inuenitur, nihil abundantius serpit, quam venenum serpentinum, quo perit qui illuc accedit, accipe Pium secundum lib. 1. de gestis Alphonsi. *Habent*, inquit, *principum aulæ quod allectent, sed occultant lethale venenum.*

Bustamant.

Bartholomæus Anglicus.

Pius secundus.

*Vnum & idem potest esse miraculum & mirandum tantum.*

63 *Vocauit Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptias, & arcana quædam similiter.* Conuersio virgæ Aaron in serpentem, fit tantum ex Dei imperio, conuersio autem maleficorum fit per arcana quædam: conuersio illa facta fuit coram Pharaone & seruis eius: hæc autem coram illis facta non dicitur, nullæ incantationes, nulla arcana reperiuntur, cum conuertitur virga Aaronis in serpentem, quomodo ergo his indigent Pharaonis malefici, vt suas in dracones virgas conuertant? respondet Seraphin. in suis veritatibus aureis, in Exod. concl. 3. huius cap. *Ad denotandum quod malefici, non manifestabant Pharaoni omnia per quæ conuersiones illas operabantur. Moyses autem & Aaron non sic, ideo dicitur quod malefici illas faciebant conuersiones per arcana quædam, non autem Moyses:* Quæ erant illa arcana? signa quædam vel voces submissæ, vel huiusmodi, ad quorum signorum ostensionem mouebantur dæmones, tanquam ad pacta sua, & semina quædam in tempore imperceptibili adhibebant virgis illis, & fiebant serpentes non virtute dæmonum, sed seminum illorum, vel etiam dæmones poterant in eodem instanti auferre virgas inuisibiliter, & loco illarum supponere veros serpentes, aliunde virtute sua adductos, certum est tamen quoquomodo facerent, non fecisse vera miracula, sed tantum miranda, siue miracula falsa, deinde miraculum falsum potest esse, & tamen res quæ habetur pro miraculo, erit verissima; ecce hic est verus coluber magorum, & tamen miraculum falsum, licet sit mirandum verum, quid est miraculum? est illud, quod superat omnem virtutem naturæ totius, ergo miraculum non potest à quacunque creatura, virtute quacunque naturali fieri: ergo miraculi causa est solus Deus, quid mirandum? est illud cuius causa ignoratur, cum videatur ipse effectus, qui dicitur mirandum quid.

Seraphinus

*Impij nihil affectuosius desiderant quam dubium aliquod sanctorum operibus inferre.*

B *Vocauit Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptias.* Quid intenditis in huiusmodi incantationibus? an in agnitionē veri Dei Pharaonē & seruos eius inducere? an monere vt populo Israël libertatem abeundi tribuat? an vt huiusmodi prodigiis, Deus glorificetur? nequaquam, sed vt opera eximia Moysis & Aaron in miraculis edendis vilipendantur, & obscurentur, hæc enim est mens impij aduersus iustos: huc aduocanda verba Oleast. *Nihil magis impios detinet in peccatis quam facere quædam opera similia sanctis, nam si sancti ieiunant idem hypocritæ faciunt, idē de oratione, eleemosyna, & aliis bonis operibus: & quia talia faciunt & iis sua operiunt peccata, à peccatis suis non retrahuntur, hoc est etiam iniquorum munus obscurare opera sanctorum, nihilque magis nocet operibus* C *sanctis, quam opera hypocritarum, multi enim iniqui strictius ieiunant quā sancti, & prolixius orant & id genus multa faciunt, non vt faciant, sed vt obscurent sanctorum opera.* 64

Oleaster.

*Plura permittuntur impij facere in suam perniciem.*

*Vocauit Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptias & arcana similiter.* Cum nullus tuæ diuinæ possit resistere potentiæ, & cum quodlibet pactum cum dæmonibus initum facile possis soluere, cur permisisti quod malefici suis præstigiis ederent mirabilia in opprobrium seruorum tuorum? & Pharao cum suis, his visis obdurati manerent? accipe Prosperum de promissionibus & benedict. Dei D p. 1. c. 35. sic loquentem. *Vt magi Pharaonis diuina potentia superarentur, talia signa facere permissi sunt, inde proiicientes virgas suas, etiam ipsæ serpentum species ostenderunt.* 65

S. Prosper.

*Si malefici aliqua operantur mirabilia, Deo permittente, efficiunt vel in eorum maiorem condemnationem, vel in fidelium admonitionem.*

*Vocauit Pharao sapientes & maleficos & fecerūt etiā ipsi per incantationes Ægyptias & arcana quadā similiter.* Cur hæc miranda fiunt magicis artibus? nam & magi Pharaonis, similiter serpentes & alia similia fecerunt, quid? nonne plures his visis, eos miraculorum patratores credent, & aliquid diuinitatis habere, cum videantur 66

operari quæ supra naturæ vires creduntur; sed sane non maleficis tribuenda est edendi miracula potestas, sed si aliqua operantur mirabilia, id fit Deo permittente in maiorem eorum condemnationem, vel in fidelium admonitionem: audiamus Diu. Augustin. 5. de Trinit. cap. 7. *Illud*
D. August. *amplius mirandum, quomodo magorum illa potentia quæ serpentes facere potuit, ubi ad muscas minutissimas ventum est, omnino defecit cyniphes enim muscula sunt breuissima, quæ tertia plaga superbus populus Ægyptiorum cædebatur, ibi certe deficientes Magi dixerunt digitus Dei est hic: unde intelligi datur ne ipsos quidem transgressores angelos, & aëreas potestates, in imam istam caliginem, tanquam in sui generis carcerem, ab illius sublimis æthereæ puritatis habitatione detrusas, per quas magicæ artes possunt quidquid possunt valere aliquid, nisi data desuper potestate. Datur autem vel ad fallendos fallaces, sicut Ægyptiis, & in ipsos etiam Magos data est, vt in eorum spirituum seductione viderentur admirandi, à quibus fiebant à Dei veritate damnandi, vel ad admonendos fideles, ne tale aliquid facere pro magno desiderent.*

*Fallaces in pœnam sui peccati decipiuntur.*

67 *Vocauit Pharao sapientes & maleficos & fecerunt etiam per incantationes Ægyptiacas, & arcana similiter.* Cur idem operari permittis, à peruersis ac à viris vitæ probatæ? nonne eis communis auctoritas data videbitur, & eiusdem sanctitatis, cum eadem operentur mirabilia? cur ergo permittis, vt à maleficis, ope dæmonum talia edantur? nonne suis incantationibus alios fallere nituntur? in pœnam ergo suæ fraudis, cur non dicemus Deum permittere, vt à dæmonibus
Citat. in Episcop. ipsi decipiantur? mens est citati August. in lib. 2. sentent. 2. sent. *Non oportet moueri, cum magicis artibus miracula fiunt plerumque similia miraculis quæ fiunt per sanctos Dei seruos, sicut scriptum est in Exodo, quod Magi Pharaonis fecerũt nonnulla similiter sicut fecit Moyses, non ergo oportet hæc mirari, quia omnia quæ visibiliter fiunt etiam per inferiores potestates aëris huius, non absurde fieri posse creduntur; sed hoc interest, quod cum sancti talia faciunt, in nomine Domini Dei omnium rerum de sublimioribus apparatibus iubetur inferiori creaturæ, cum autem mali homines magicis artibus operantur similia, in manus suas dantur cum exaudiantur à dæmonibus, digni enim sunt qui tali exauditione decipiantur, vt pœna illis fiat hoc quod videntur impetrare beneficium, cum eis exhibent, quasi priuatim aëreæ potestates quædam miracula, eos habeant subiugatos, permissu tamen diuinæ prouidentiæ, vt pro meritis animarum sua cuique tribuantur.*

*Deus suorum honori consulit.*

68 *Vocauit Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana similiter.* Certe mihi videtur hoc à Deo ferendum non esse, vt incantationibus suis præualeant in mirabilibus edendis, quis enim non crederet etiam Moysem & Aaron maleficos esse, cum similia veneficis illis operentur? imo Deus permisit vt talia ederent, qualia Moyses & Aaron, vt cognito discrimine tam eorum quam illorum, consulatur seruorum suorum honori, qui à pluribus etiam venefici censebantur: ita Theodoretus. *Sunt adhuc nonnulli eorum qui impie viuunt,* Theodor.
*qui diuinum Moysem præstigiis mira perpetrasse dicant, idcirco Deus veneficos vt quædam mira facerent permisit, vt quanta inter illos ac Moysem esset differentia, dec araret, mutarunt quidem & ipsi virgas in serpentes, sed Moysi virga virgas illorum deglutiuit, & quia à Deo punitus Pharao plagis diuinitus inflictis minime castigabatur, Deus veneficos Pharaonis vltionem augere mandauit, quasi diceret, propterea quod propemodum flagellis delectaris & per meos ministros te castigo, & per tuos supplicio te afficio: videns autem Deus Pharaonem magis ac magis obdurescere, veneficiorũ efficaciam repressit, quique maius animal, ranas videlicet è terra eduxerant, cyniphes minimum animal educere non potuerunt, verum Dei digitum plagam illam appellarunt: impudentia igitur est dicere, Moysem veneficiis aut incantationibus miracula fecisse clamantibus magis diuinæ virtutis signa esse, nam si ea quæ à Moyse fiebant, præstigia erant, debuerant Magi Moysem præstigiarum conuincere, & coarguere, nunc vero manifeste Dei digitum esse vociferantur.*

*Aliquæ nationes, præ aliis imbutæ præstigiis.*

*Vocauit Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas.* Cur absolute nõ dixit per incãtationes sine additione, 69
vtrũ fuerint Ægyptiæ, vel alterius nationis? quid? an specialioribus vtebantur Ægyptij præstigiis, ad prodigia efficienda quam alij? non quia specialioribus vterentur, sed quia Ægyptus præ aliis populis maxime dedita erat incantationibus & magicis artibus: consentit Lyppom. *Sapientes Pharaonis nimirum omnes superstitiosis imbuti artibus,* Lyppom.
*quibus Ægyptus semper præ aliis omnibus nationibus insaniuit, intelliguntur communiter:* preme hæc verba, *quibus Ægyptus semper præ aliis omnibus nationibus insaniuit;* & colliges aliquas nationes præ aliis præstigiis deditas fuisse.

*Sine certamine non potest esse clara victoria.*

*Vocauit Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas,* Cur 70
aduersarij dantur Moysi & Aaron? cur infernus in eos insurgit? cur dæmonum ministri eos impugnant, prodigia similia præstigiis & incantationibus operantes? quia sine certamine non potest esse clara victoria, hanc rationem præbet S. Chrys. D. Chrys.
hom. 46. in Acta Apostol. *Permisit Deus magis Pharaonis aliquid aduersus Moysem operari, ne magnus putaretur esse ipse Moyses permisit illos decere homines, quantum magia imponebat sensibus, vltra autem non deceperunt, sed ipsi se victos confessi sunt: non enim potest sine certamine clara esse victoria, quia quo potentior est hostis, eo illustriorem reddit eius gloriam, à quo se victum esse ipse confitetur sicut magi victos se esse à Moyse confessi clariorem eius gloriam effecerunt.*

## VARIETAS LECT. Vers. 12.

Vulg. Proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in draconem, sed deuorauit virga Aaron, virgas eorum.
*Sept.* Et proiecerunt vnusquisque virgam suam, & factæ sunt dracones, & absorbuit virga Aaron
A virgas illorum
*Pag.* Versæ sunt serpentes.
*Cald.* Versæ tunc in colubros, & deglutiuit virga Aaron.

## EXPOSITIO.

*Proiecerunt singuli virgas suas quæ versæ sunt in dracones.* Multi doctrina & antiquitate præstantes, docuerunt & scripto nobis mandarunt, prodigia illa magorum non fuisse veros effectus, sed tantum simulatos & apparentes, & artificio quodam magico ac diabolico spectantium oculis imponentes, tenent ergo hos serpẽtes non veros fuisse, sed tantum simulacra quædam, & draconum imagines, qui à dæmonibus in similitudinem modumque draconum mouentur. quod autem de draconibus asserunt, id de aqua mutata in sanguinem, & de ranis productis volunt intelligi: alij vero ex opposito tenent magorũ serpentes fuisse veros, quod sane mihi probabilius videtur: nam si dicunt contrariæ sententiæ auctores, Deum permisisse oculorum fascinatiionẽ, cur non concedemus etiam permisisse veram productionem? si volunt non posse, vi generalium agẽtium sine generante serpentes produci: hoc ipso quo huc recurrent ostendunt sententiam suam non satis probabilem; nam primo dici posset serpentes illos, non ex tempore noviter illic productos, sed aliunde per dæmones esse adductos, & virgis clam ablatis, substitutos, dein, cur non possent vi agentium naturalium produci, cum eos quotidie sol producat? tum si virgæ magorum nõ fuissent re vera conuersæ in serpentes, sed id tantum visum fuisset Ægyptiis per oculorum fascinationem, aut aliis figurarum aut formarum mutationibus, ad detegendam horum magorum imposturam, nihil potuisset Moses facere euidentius, quam si soluto fascino Ægyptus fraudem horum magorum & imposturam coram Pharaone & aliis detexisset, tum scriptura vocat simpliciter & præcise serpentes, & ex nulla circumstantia narrationis scripturæ colligi potest, eos non fuisse veros serpentes, nec repugnat eos fuisse veros, siue productos à dæmone, siue aliunde modo inuisibili in eum locum allatos, & oculis spectantium expositos.

Verum inquires, quomodo facti sunt illi serpentes magorum? quidam tenent cum dæmones qui magis aderant, & auxiliabantur, virgas illas magorum, statim vt proiectæ sunt in terram, conuertisse in veros serpentes, applicando illis videlicet inuisibiliter certa quædam agentia naturalia nobis quidem ignota, dæmonibus tamen exploratissima, & ad generandos serpentes potentissima & efficacissima: sed hic modus difficilis est intellectu, nam certũ est dæmones nõ potuisse immediate serpentes producere, sed tantum adhibẽdo causas naturales eorum productrices, quoniã nullum agens naturale naturaliter operando potest subito producere formam ex materia non ante disposita & præparata: diuersæ enim formæ diuersas materiæ præparationes deposcũt: & quo formæ sunt nobiliores, eo plures operationes requirunt, maior enim fit materiæ præparatio ad formam mixti quam ad formam elementi, & maior ad formam animalis perfecti, quam ad formã mixti inanimati, vel plantæ; ergo dæmones non B immediate illos serpentes ex virgis produxerunt, quia materia virgæ est admodum remota & aliena recipiendæ formæ serpentis.

Sed instant illos serpentes non ex virgis immediate fuisse productos, sed ex variis transmutationibus præmissis: sed contra, nam tot & tantæ transmutationes subito fieri non potuerunt, quia statim atque magi proiecerunt virgas, apparuerũt serpentes, adde quod cum naturaliter producitur serpens, nõ statim producitur magnus, sed primo paruus, deinde paulatim adquirit iustam magnitudinem, at illi serpentes statim apparuerunt magni, & æquales virgis magorum, secus non visæ fuissent virgæ in serpentes conuersæ, nisi ipsi serpentes fuissent virgis æquales.

C Obiiciunt iterum scripturam dixisse virgas magorum esse versas in dracones, at si non sint generati dracones ex illis virgis, sed aliunde illuc allati, non potest vere dici virgas esse conuersas in dracones: sed satisfacies si dixeris, scripturam id dixisse, non quod ita fuerit secundum veritatem, sed quia ita videbatur, & spectantium iudicio putabatur.

Dicamus ergo magos vbi proiecerunt virgas earum loco serpentes exhibuisse oculis spectantium. dæmones enim non aduertentibus qui spectabant virgas à magis proiectas in terrã, subito è cõspectu eorũ qui aderãt latenter abstulerunt, & potuerunt earum loco veros serpentes, æquales ipsis virgis non tamen tunc ibi generatos, sed vel antè preparatos, vel aliunde tunc celerrime allatos D intuentium oculis ita subiecerunt, vt virgæ in serpentes viderentur esse conuersæ, & hoc modo dicimus veros fuisse serpentes.

*Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum*, Virga id est serpens in quem virga erat conuersa, deuorauit virgas id est serpentes siue dracones in quos virgæ eorum erant conuersæ, iam enim non virga erat, sed serpens, nec virgæ, sed serpentes habent os, quo alia deuorare possunt, est que metonymia, res enim sæpe appellantur ex eo quod fuerunt siue nomine rei ex qua sunt conuersæ.

## CONCEPTVS.

*Christianus magister triumphat dum prophanas facultates facit diuinæ sapientiæ seruire.*

71 *Proiecerunt singuli virgas suas quæ versæ sunt in dracones, sed deuorauit virga Aaron virgas eorum:* Deuorauit, ait, non fugauit, non occidit, suffecisset ad ostensionem potestatis, quod ex virga Aaron factus coluber, vel sibilo exsufflaret prorsus, & occideret omnes colubros, è sapientum Ægyptiorum factos virgis, cur exsufflare noluit? cur illos manducare maluit? aduerte virgã Moysis denotare sapientiam cælestem: quid mirum igitur non exsufflasse, sed manducare maluisse? non enim sic ostenditur religiosa sapientia, dum abiicit prophanas facultates, quã dum eas mandat, mentisque decoquit ventriculo, & quod in singulis inuenit, vtile incorporat sibi: non longe abest D. Petrus Damian. lib. 8 Epist. 9 *Virga quippe Aaron maleficorum virgas absorbuit, quia sapientia Christi, quam illa significabat, omnes huius mundi sapientias annullauit, mundique sapientes sui corporis, quod est ecclesia, visceribus cõtriuit.*

D. Petrus Damianus.

*Qui aliis illudere volunt, illuduntur in suam perniciem.*

72 *Proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed deuorauit virga Aarõ virgas eorum.* Cum Moyses virgam in colubrum conuertisset, hoc idem imitati incantatores Pharaonis, præstigiis, ex virgis suis serpentes fecerunt, & virga Aaronis serpentes cunctos deuorauit: vnde incantatores virgarum iacturam fecere: quomodo qui in prodigiis edendis alios superare arbitrantur, non solum ab iis vincuntur, sed etiam suæ deuorantur virgæ? nonne serpens apud antiquos symbolum fuit sapientiæ? ergo serpens quem Moyses cõdit, sapientia est rerum diuinarum, at incantatores eos designant qui sapientia humana aliis illudere volũt: en vt virgarũ suarũ merito iacturã faciũt, qui enim illudere aliis volunt, illuduntur in suam perniciem: hanc sententiam inueni apud Philonem lib. de migr. Abrahæ. *Annõ vides incãtatores & veneficos arte cum Dei verbo pugnare, & conari similia, non tam vt suam sententiam reddant celebrẽ, quam vt illudant aliis! nam virgas in dracones trãsformant, aquas in cruentum colorem vertunt, ranarum reliquias trahunt in terram cantationibus, quæ omnia miseri trahunt in suam perniciem, & decipiuntur dum se putant decipere.*

Philo Hebræus.

*Vera sapientia in vitia deſæuit, humana autem demulcere studet.*

73 *Proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.* Tam virga Moysis quam incantatorum Pharaonis, versæ sunt in serpentes, cæterum diuerso rei euentu & omnino contrario, secundum plurimorum sententiam, nam serpentes ex virgis incantatorum factæ, tantummodo inani quadam specie se ipsos ostentantes, oculos adstantium pascebant, at serpens ex virga Moysis non solum se ipsum videndum dedit, sed inuido dente reliquos serpentes excedit, comminuit, atterit: quid hoc est, quod vnus serpens A alios alterat? hi autem inani solum quadam specie se ipsos ostentantes, oculos pascant intuentium? quia plures sunt similes Pharaonis incantatoribus, qui nihil aliud curant, quã animos audientium demulcere, at vero qui diuina præditi sunt sapientia, non modo virtutem laudant, sed in serpentinos mores deſæuiunt aliorum vitia mordent: vnde loquens Richardus Victor. lib. 4. de contẽp. c. 14. & Sermonem habens de sapientibus huius sæculi, ait, *Sitiunt sane vnde possunt gloriari, non autem ædificari, scientiam quidem non sanctitatem affectant, & non tam sancti quam scioli esse desiderant,* serpentes sunt incantatorum qui volunt videri, nõ esse, & Bernard. ser. 41. in Cãt. *Philosophorum intellectus non habent hunc in se puritatis veritatisque nitorem, & ideo multam curam* B *gerunt ipsum colorare & fucare phaleris verborum, & versutiis syllogismorum, ne si nudus appareat, falsi etiam appareat turpitudo,*

Richardus Victorinus.

D. Bernard.

*Sapientia diuina munitum non audent dæmones attingere.*

*Proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* 74
Potior ratio esset vt virgæ eorum illius virgam deuorarent, cum enim essent plures non est dubium, quin viribus etiam essent superiores; quomodo ergo virga Aaron ab eis non deuoratur? quomodo non appetitur? imo quomodo hæc fugientes insequitur? quia diuina sapientia munitum (qualis figuratur in virga Aaron) non audent C attingere mali & venenati serpentes, imo ab eo fugiũt: hoc confirmat S. Damian. lib. 6. epist. 29. *Mens tua* (inquit) *diuinis se voluminibus occupet, his intenta peruigili semper instantia perseueret, his antiquus insidiator cum te videt intentum, velut hostem fugit armatum, & timet cominus aggredi, donec te conspiciat his telis & impenetrabili, vt ita fatear, lorica muniri,* Vbi vides quam firmum aduersus diabolum munimen, sapientia sacra, vt impenetrabilis loricæ nomine gaudeat.

Petrus Damianus.

*Imperium temporale quo plura vorat, ipsum fit gracilius.*

*Proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed deuorauit virga Aaron virgas eorũ.* 75
D Nonne antea dictũ fuerat de virga Aaron, quod versa est in colubrũ? quomodo nũc cũ eius voracitas memoratur, cum dictum est quod virgas magorum Pharaonis deuorauit, & absorbuit, solum nominatur virga non coluber? ecce marcorem virgæ retinet, cum ex aliorum deuoratione pinguissimus serpens euadere deberet: nonne virga imperium denotat? quid mirum, si absorptis aliorum virgis, in virgæ marcore maneat, si nec maior, nec pinguior videatur? principes enim qui aliorum virgas vel regna absorbent, quo plus iniuste sibi acquirunt, luteminus & gracilius semper suum possident, cum reges fiunt ditiores, & vt ita dicam pinguiores, cum aliorum bona negligunt, & suis quæ sibi debentur remittunt; sic admonet Theodoricus Rex apud Cassio. li. 1. variar. Epist. 16. *Regnantis facultas tũ fit ditior, cũ remittit & acquirit nobiles thesauros neglecta vilitate pecuniæ.*

Cassiod.

*Miracula*

*Miracula quæ ſancti virtute diuina operantur, vera ſunt, non ementita.*

76. *Proiecerunt ſinguli virgas ſuas quæ verſæ ſunt in dracones, ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Vt quid virga Aaron in colubrum verſa, non deuorata à draconibus Ægyptiorũ? cur illa remanet integra, illis conſumptis? cur non cõſumerentur, cum Magorum ementita facere mirabilia? cur virga Aaron incolumis, nõ perſeueraret, cum virgæ illæ conuerſio in colubrum non apparens, ſed verũ fuerit miraculum? *Hac verſutia* (inquit Procop.) *& compoſita technas Aaronis virga deuorans, præſtigiatos ſerpentes oſtendit eſſe falſos, ſimul quoque edocet, quòd ipſe Deus miracula diuina fieri virtute non præſtigiis, non illuſionibus.* Procopius.

*Veritas rei magis apparet falſitati oppoſita.*

B *Proiecerunt ſinguli virgas ſuas quæ verſæ ſunt in dracones.* Cur permiſit Deus, vt Magi qui Moyſi contradicebant, ſigna facerent ſimilia miraculis Moſis: cum eã res & diuinã virtutẽ quæ per Moyſen operabatur, obſcurare videretur, & Pharaonis animum in perfidia & inobedientia magis obfirmatum & obſtinatum redderet? nonne contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt? vt veritas quæ erat tum in verbis, tum in operibus Moyſis, & Aaron, magis appareret, falſitati Magorum oppoſita, ita permiſit Deus: fauet S. Chriſoſt. hom. 46. ſuper Acta Apoſt. *Non doleamus* (inquit) *quod multæ ſint ſectæ, & multi pſeudoChriſti, veritatem obſcurare conantes, ſed illa magis fulget, manifeſtaque fit vbique, hoc etiam tẽpore prophetarum euenit, fuerunt enim tunc plures pſeudoprophetæ, verum ex illorum comparatione veri prophetæ illuſtriores fuerunt, etenim morbus ſanitatem magis demonſtrat, & tenebræ lucem, & tẽpeſtas tranquillitatem: non poſſunt dicere Græci, quod prophetæ & Apoſtoli impoſtores & magi fuerint, cum iſtud genus hominum maximè cõtrarium illis fuerit, & ab illis confutatum & redargutum, hoc etiam Moſi contigit.* D.Chriſoſt.

*Diabolus Dei ſimia.*

C *Proiecerunt ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones.* Dracones non diſſimiles colubro Moyſis, quid hoc eſt? Deus ad meliorem frugem reuocare nititur Pharaonem, his miraculis, & ecce incantatores præſtigiis ſuis ſerpentes ex virgis producunt, vt maneat mens Pharaonis in malo obſtinata: ne mireris, dæmon eſt enim veluti Dei ſimia, is enim quam initio affectauit, Dei ſimilitudinem, neque in cælo aſſequi potuerat, eam poſtea interris omni tempore per inſipientiam hominum adipiſci conatus eſt, Deus habet veros prophetas, & dæmon pſeudoprophetas habet, Deus varios ordines religioſorum hominum inſtituit, & vbi præcipua quædam eximiaque ſanctitate coleretur, & dæmon plures ſectas hominum inſtituit, vt ab inſipientibus hominibus ſuperſtitioſe colere-

D tur, Deus vera operatur miracula, ad conteſtandam & comprobandam veritatem: dæmon ad perſuadendam falſitatem, ſimilia ſed ementita efficit mirabilia.

*Hypocritæ opera cito deficiunt.*

78. *Proiecerunt ſinguli virgas ſuas quæ verſæ ſunt in dracones, ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Quid? an ilico abſorpti ſunt dracones incantationibus Magorum adducti? nonne tortuoſis greſſibus per tempus diuturnum inceſſerunt? non equi-

A dem, ſed ilico vt apparuerunt, à ſerpente Aaronis abſorpti, perierunt, nec mirum, quia cum huiuſmodi incantatores denotent hypocritas, eorum opera diu perſeuerare non potuerunt, *manent & perſeuerant opera ſanctorum* (inquit Oleaſt.) *hypocritarum vero velut paleæ comburuntur.* Oleaſt.

*Chriſtus Dominus incarnatione ſua & paſſione omnes diſſipauit aſtutias inimici.*

*Proiecerunt ſinguli virgas ſuas quæ verſæ ſunt in dracones, ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* 79.
Non eſt dubium, quod cum aliqui virtutis præſtantia excellentes, à ſeruitute ad libertatem, ſubmerſos in vitiis vendicare conantur: tunc cauillator is qui variis (vt ait Apoſtolus) aduerſus animas

B noſtras vtitur viis contra diuinam inſtitutionem, cauillationes fraudulentas inducit: ſed quomodo hic ſuperabitur cauillator? quomodo eius aſtutiæ & inſidiæ eludentur? nota virga vel Chriſti Domini incarnationem denotari, vel eius crucem ſanctiſſimam, de primo nobis adeſt S. Ambr. lib. de Salomone, Moſes virgam proiecit in terram, quæ & ipſa imago erat corporis Domini, adeo omnium Ægyptiorum poteſtatem abſorbet, pluribus verbis hæc proſequitur in Pſal. 118. & lib. 3. offic. c. 14. cui ſubſcribunt Auguſt. ſer. 86. de tempore, Proſper Aquitanicus, & Rupert. ſecundum habet Iſidorus Hiſpalen. ne letueris ergo quomodo eluſæ ſint cauillationes noſtri aduerſarij, nam incarnatione Chriſti Domini, & eius ſanctiſſima paſſione, illius malitia debellata eſt, contentit Greg. Niſſen. in lib. de vita Moyſis. *Hæc dico ad Ægyptios dracones reſpiciens qui varias fraudes artis* Ambroſius. Auguſtinus. Proſ Aquit. Rupertus. Iſidorus Hiſpalẽſis.

C *diabolicæ, ad perniciem hominum excogitatas ſignificãt, quas virga Moyſi deſtruit atque conſumit, incarnatio videlicet Verbi.*

*Virgo ſanctiſſima omnium hæreſum, vitiorum & errorum crimina aboleuit.*

*Proiecerunt ſinguli virgas ſuas quæ verſæ ſunt in dracones, ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* 80.
Maxima & celebranda eſt virgæ Aaronicæ virtus, quæ tot colubros, tot ſerpentes deuorat: ſed an virgæ huiuſmodi ſanctiſſima Maria poterit conferri, imo & anteferri, nam ſicut illa in colubrum verſa Magorum ſerpentes deuorauit, & præſtigia illa quibus Magi Ægyptius illudebant abſtulit, ſic noſtra Virgo Chriſtum in ſimilitudinem peccati carnis genuit, & omnium criminum, errorum, hæreſumque monſtra atque ſerpentes, & virtute filij,

D & ſanctitatis exemplo aboleuit, ſicque mundi Ægyptum expiauit, vt nouus appareret. religio hic eſſet Abſalonis Abbatis verba præterire, qui ſer. 31. de Aſſump. B. Virg. ita nobis ſuccinit. *Virga quoque Moyſi, per quam fecit ſigna in Ægypto, Maria eſt, per eam Deus fecit mirabilia in mundo: è quibus vnum de maximis eſt, quod verſa in colubrum dracones Ægyptiorum deuorauit: quia cum de ſe Chriſtum in ſimilitudine carnis peccati genuit, omnia crimina, omnes hæreſes impiorum, quæ Ægypto huius mundi illudebant, cum virtute prolis, tum exemplo ſuæ ſanctitatis deleuit.* Porro ſicut Moſis virgâ aquæ fluminis in ſanguinem verſæ ſunt, ita vt piſces mortui fuerint. Ita & Virgo mundanarum illecebrarum aquas ſuis precibus in ſanguinem vertit, & Abſalon Abbas. Richardus à S. Laurent.

omnia luxus flumina in abominationẽ, audiendus hic Richardus à S. Laurẽtio qui l. 12. de laud. virg. ita scribit. *Maria est virga Moysis, virgâ percussit Moyses aquam fluminis coram Pharaone, & seruis eius, & versa est aqua in sanguinem, & pisces qui erant in flumine mortui sunt, similiter & Maria precibus suis,* A *meritis & exemplis, conuersis peccatoribus, & maxime delectantibus suis mundanas & carnales delectationes, quæ cito præterfluunt vt aqua, cõuertit in abominationẽ, & amaritudinẽ.* Nulla terrena voluptas tã suauis, quæ Mariæ cultori amara non videatur; nulla tam mellea, quæ per virginem fellea non sentiatur.

## *VARIETAS LECT. Vers. 13. & 14.*

V*Ulg.* Induratumque est cor Pharaonis, & non audiuit eos sicut præceperat Dominus.

*Sep.* Et inualuit cor Pharaonis.

*Cald.* Et non acquieuit eis, sicut locutus fuerat Dominus.

*Pagn.* Et roborauit se Pharao.

B *Vulg.* Dixit autem Dominus ad Moysem, ingrauatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum.

*Sep.* Aggrauatum est cor Pharaonis, vt non dimittat populum.

*Pag.* Renuit dimittere populum.

## EXPOSITIO.

I*Nduratum est cor Pharaonis.* Hæc omnia a magicis artibus fieri existimans, *non audiuit eos*, id est non obediuit iis, quæ ex Dei iniunctione præcipiebant, nemo autem putet in hac induratione excusabilem esse Pharaonem, eo quod haberet magos pro se, videretque eos eadẽ facere cum Mose, cum reuera ille multa habuerit documenta mala artis Magorũ suorum, præsertim cum postmodũ neque Magi potuerint seipsos a plagis seruare, neque cynifes producere, & ipsi fassi sunt digitũ Dei Mosen operari: sic Christo Domino etiã diuinitatis cõfessionẽ detulerũt postea dæmones, synagoga tamen instar Pharaonis, non credidit, *non vult dimittere populum,* licet signa tuæ iussionis exhibueris.

## CONCEPTVS.

*Obstinatus Deum cogit à se grauissimas exigere pœnas.*

61. I*Nduratum est cor Pharaonis.* Quasi diceret conuersione virgæ in serpentẽ, qui magorũ dracones deuorauit, noluit dimittere populũ, sed in sua mãsit obstinatus malitia: a punitione tẽperare volebã, nã si meis annuisset mãdatis, ei cõdonassem, quid ergo? suæ tribuat malitiæ pœnas, quas ab eo exigam grauissimas. *Ad verba mea non facile inclinatur,* inquit Abul. *ideo ad cõmonendũ eum durioribus & acrioribus remediis vtendum est.* Abulensis.

*Iis quibus emolliri deberet cor obstinatum, obdurescit.*

62. *Induratum est cor Pharaonis.* Quibus? an substractione alicuius gratiæ exterioris? imo conuincẽtis miraculi, nã licet sui incãtatores secundum plurimorũ sententiam, similiter serpentes fecerint sicut Aaron, tamẽ Aaronis virga eorũ virgas absorbuit: nam vt optime Philo lib. 1. de vita Moysis, cum quisque virgã suã proiecisset, multi dracones circa primũ illũ voluebãtur sinuosis orbibus, illa vero erecta ceruice, immani hiatu, nõ aliter quam obiectos pisces, circumquaque peritos absorbuit, atque ita deglutitis in pristinã virgæ naturã, redit, id tam magnificũ spectaculũ, etiã iniquis animis omnem suspicionẽ exemit, ne putarent hæc agi humanis vaframentis, aut artibus excogitatis ad ludibrium, sed diuina potẽtia, qua nihil non facile perficitur; si ergo tantum miraculũ, omnẽ ei debuit eximere suspicionem, quomodo ingrauatum est cor illius? quid mirum? quia his quibus emolliri deberet cor obstinatum, obdurescit. vnde interl. *Induratum est cor Pharaonis cum deberet emolliri.* Philo Alexandrinus. Anselmus Laudunẽsis.

*Nihil peruersis doctoribus periculosius.*

63. *Induratum est cor Pharaonis.* Cum potuisset rex impius inspectis vtrinque serpentibus, facile cognoscere, vbi Deus operetur, nihilominus occlusis ad opera oculis, sola magorum facta miratur, C an obcæcato animo, an indurato corde? ita equidem. sed cur non dicemus ex peruersitate etiam sapientum, euenisse, qui malè ei consulentes, eum in sua impietate fouerunt, pollicentes Aaronis & Moysis prodigia, facile delusuros? de huiusmodi sapientibus & consiliariis loquens noster S. Anthonius Paduanus Dominica 5. post Trinit. *Dum quod dicunt facere negligũt, per somnũ cordis auditores suos occidunt, & negligendo opprimunt, quos alere in verbo lacte videbantur, vnde dum reprehensibiliter viuunt, & habere discipulos laudabilis vitæ nequeũt, alios sic attrahere conantur, vt dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud iudicia hominum excusant mala, quæ agunt, & subditorum acta tegunt per mortiferam negligentiam.* S. Antonius Paduanus.

*Serpentinis artibus dæmonis decipimur.*

D *Induratum est cor Pharaonis.* Delusi à præstigiis 64.
suorum incantatorum, qui arte dæmonis virgas in serpentes commutarunt, an mysterio caret, quod diabolus serpentes similiter induxerit coram Pharaone & seruis eius? non equidem, sed quia ipse est serpens antiquus, qui Euam fefellit, & etiamnum multos decipit, permissus est vt etiam Pharaonem sub his serpentibus deluderet, testis est D. Cypr. tract. de simplic. cleri. *Diabolus est serpens, quia cum latenter abrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit, vnde nomen serpentis accepit, ea eius est astutia, ea est circumueniendi hominis cæca & latebrosa fallacia, vt afferre videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, vt dum verisimile mentitur, veritatem subtilitate frustretur.* D. Cyprian.



## *VARIETAS LECT. Verſ 15. & 16.*

VVlg. Vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas, & ſtabis in occurſum eius ſuper ripam fluminis, & virgam quæ conuerſa eſt in draconem, tolles in manu tua. A

*Sept.* Ecce ipſe exit ad aquam, & eris obuiam ei ad labium fluminis, & virgam verſam in ſerpentem ſumes in manu tua.

*Vulg.* Dicesque ad eum, Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te, dicens dimitte populum meum vt ſacrificet mihi in deſerto, & vſque ad præſens audire noluiſti.

*Sept.* Vt mihi ſeruiat in deſerto, & ecce non exaudiſti hucuſque.

*Arias* Et colant me in deſerto.

## *CONCORDIA.*

VErbum Hebraicum יצא ioze quod eſt participium præſens, recte vertitur a noſtro vulgato, egredietur, præſens enim ponitur hic pro futuro, nam Deus non de hodierno, ſed de craſtino Pharaonis egreſſu loquebatur, labium B autem fluminis quod proprie ſignificat שפת ſephat, dicitur litus vel ripa, quid autem vertit vulg. vt ſacrificet mihi, in Hebræo, eſt ויעבדני veiahabduni, id eſt vt ſeruiat mihi, ſed idem eſt ſenſus.

## EXPOSITIO.

VAde ad eum mane, quô tempore ad flumen egreſſurus erat. *& ſtabis in occurſum eius ſuper ripam fluminis*, ſtabis ex oppoſito, vel præuenies eius aduentum ad ripam fluminis Nili, vt veniēs in te incurrat, *& virgam quæ verſa eſt in draconem tolles in manu tua* tāquam prodigiorum effectricem, *dicesque ad eum, Dominus Deus Hebræorū*, per ſpecialem cultum, licet ſit omnium Deus, *miſit me ad te*, non a me ipſo venio, *dimitte populū meum vt mihi ſacrificet*, quod rationi cōſentaneum eſt, & ideo iuſta petitio, *& vſque ad præſens audire noluiſti*, petitioni æquiſſimæ acquieſcere renuiſti.

## CONCEPTVS.

### *De ſua ſanitate maxime ſolliciti principes.*

64. VAde ad eum mane, ecce egredietur ad aquas. Quid? nonne matutinum tempus indulgendo ſomno maxime idoneum eſt? nonne principes in vtramque aurem, præcipue horis matutinis ſolent dormire? quomodo rex ergo iam fores palatii egreditur ad aquas proficiſcēs? audiamus reſpondentem Abulenſ. *Egrediebatur Pharao ad aquas mane, quia ſanum valde in mane ad aquas, quia viſio illa maxime reficit, reges autem multum curant de ſanitate.* Abulenſis.

### *Quanta cum difficultate priuati principes in ſuis adeunt palatiis.*

65. *Vade ad eum mane ecce egredietur ad aquas.* Cur antequam egrediatur non præcipis vt eum cōueniat? nam principem iter facientem alloqui, & D de rebus ſeriis cum eo agere, non videtur conueniens, nam ſiſtendus eſt cum ſuo comitatu, quod ab vrbanitate alienum eſt: ingrediatur ergo ædes palatij, vt tanquam nuncium à te miſſum conſentaneè ad regiam auctoritatem eum excipiat & audiat: recte conſulit Deus vt eum egredientem conueniat, non enim ignorat, quanta cum difficultate priuati palatium principum militibus vndequaque ſtipatum, & munitum ingrediantur, vnde Noſter Lyran. *In egreſſu ex domo regia poterat magis acceſſus haberi ad Regem.* Noſter Lyranus.

### *Mali principes potius ſuas curant delicias, quam ſui negotia regni.*

66. *Vade ad eum mane, ecce egredietur.* Quid? an ad ciuilia munia obeunda? an ad aliquem tumultum C qui in regno exuperit, tranquillandum? ad aliquā difficultatē, quæ circa cōmune bonū occurrerit, definiendā? an ad luſtrandū regnū, & obeundas prouincias in ſingulis vadimonia indicēdo, iudicia exercēdo, & litigantiū cauſas cōponendo? an ad optimū virtutis exemplū, omnibus præbendū? non equidē, nam nec de malis a republica depellendis, nec de bonis aggregādis, nec de luſtrādo regno, nec de moribus excolendis cogitabat, ad quid ergo egreditur ad aquas fluminis? cuius rei perficiēdæ gratia? ait Hugo Victorinus, *cauſa ſcilicet ſpatiandi*, en vt mali principes potius ſuas curant delitias, quam ſui negotia regni. Hugo Victor.

### *Deus neſcit differre ſupplicium cum ſua ridetur prouidentia.*

*Vade ad eum mane.* Cur in aliud tempus minas plagarū non differs? nondū recreatus ex prodi- 67.
gio præcedenti, quo ſerpēs Aaronis magorū ſerpentes abſorbuit: cum morte primogeniti totius Ægypti mulctati fuere, prouectæ noctis tempus expectatū eſt, quomodo ergo Deus ita properat ſuppliciū aquæ in ſāguinē vertēdæ manifeſtū facere? ecce enim primo mane cōpellitur Moyſes illud Pharaoni denuntiare: quid ait Dominus? in hoc ſcietis quod ſum Dominus, quaſi diceret, meā negas prouidentiā, Deū me eſſe neſcis, fateri dominū ſupremū me eſſe rides, nec potentem à tot malis populū meum eripere credis, ſummo ergo mane ei ſupplicium annuntia iam iam imminens, vt meam iam iam cogatur prouidentiam agnoſcere: quod egregie confirmat Elias Cretenſis in orationem 4. Nazia. de feſtinata morte Iuliani Apoſtatæ huius enim accelerationis rationem ſubiungens ait, *ob id dementia ſua &* Elias Cretenſis.

*arrogantia dignum vitæ finem nactus est, in perfidiis finibus oppressus, & extinctus, Deo nẽpe hic duntaxat leuitate ac longanimitate sua vti non sustinente, vbi multis haud quaquam vtilitatem allatura erat huiusmodi humanitas, huic quippe & ingentem, qui recte agendi studio ducebantur, mœrorem suscepturi erant, dum prosperos impiorum successus prospicerent, & rursus haud paruum inde contemptum peccatores & flagitiosi homines concepturi erant, res nostras gubernationis expertes esse cunctaque temere ac fortuito ferri ac circumagi existimantes, quod quidem mentis est in summo errore versantis, prauaque atque admodum periculosa de maximis rebus sententiis.* Preme illa verba Deo nempe hic duntaxat leuitate ac longanimitate sua vti non sustinente, quasi diceret incredibili patientia impios sustinet, & eorum meritas differt pœnas, sed vbi puniendus fuit Iulianus, qui Dei prouidentiam negabat, non diu sustinuit, quin potius quasi suæ oblitus clementiæ, supplicium accelerauit.

*Non cessandum ab impiorum salute satagenda.*

68. *Vade ad eum mane, & dices ad eum, Dominus Deus Hebræorum misit me ad te.* Nonne induratum est cor Pharaonis, qui nequaquam tuis acquiescere voluit mandatis, sed tuam virtutem & potentiam illudens, tuos contemnit nuntios? cur igitur iterum eum adeundum præcipis, vt populum tuum dimittere velit? nonne tibi comperta est eius obstinati animi durities? nihilominus imperat vt eum denuo conueniant, quia ab impiorũ salute satagenda non cessandum. *Admonentur* (inquit Oleast.) *hic prædicatores & viri spiritua-* Oleast.
*les, non semel admonere peccatorem obduratum, sed sæpius.*

*Nihil Dei seruitute gloriosius.*

69. *Vade ad eum mane & dices ad eum, dimitte populũ* A *meum vt mihi sacrificet in deserto*, Septuag. *vt mihi seruiat.* Cur aliam rationem non assignas? nam nonne potuit obiicere Pharao, nõne mihi seruit? quid autem gloriosius quam principibus seruire? dic ergo vt dimittat populum tuum, vt eum pluribus cumules beneficiis, vt pluribus locupletes facultatibus, vt principatum tribuas: non hanc obiicit rationem, sed hanc, vt sibi seruiat, nihil enim Dei seruitute gloriosius. vnde optime Philo lib. de Cherub. *Seruire Deo maxima est gloriatio,* Philo Hebræus.
*non modo libertate maior, sed & diuitiis & principatu, & omnibus rebus quas mortales mirãtur, pretiosior.*

*Deo rebellibus aperte resistendum.*

*Vade ad eum mane & ecce egredietur ad aquas, & stabis in occursum eius.* 70.
Cur in faciem eius consistere debet? nonne cum sit princeps & arguendus, conuenientius esset vt eum secreto adiret, diuinæque voluntatis eum admoneret? nonne diuinis mandatis acquiescere noluit, imo se rebellẽ eis præstitit? stet ergo in occursum eius, & coram omnibus adeat & arguat: lubet hic sistere Theoph. explicantem hæc verba 1. ad Timot. 5. *Peccantes coram omnibus argue. perseuerantes in peccato,* 1. Timot. 5. Theoph.
*& quos inueneris, si inquiras, & scruteris, argue vehementer, non vt indignationem & animi tui furorem expleas, sed vt reliqui castigẽtur terrore percussi:* & infrà ita obiicit, *quomodo igitur Dominus dixit in euangelio, si peccauerit in te frater tuus, argue eum inter te & ipsum solum?* mox obiectionem ita soluit, *atqui & illum* (inquit) *in peccatis perseuerantem permittit publice argui, quid igitur? num ostendiculum præbet si publice fiat reprehensio? imo magis offendet, si ab omnibus peccans agnoscatur, & non arguatur: hanc ob causam Deus Pharaonem* C *& Nabuchodonosor & plerosque alios in medium producens, punivit, vt vita mortalium hisce exemplis emendaretur.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 17. & 18.*

V*Vlg.* Hæc igitur dicit Dominus, in hoc scies quod sum Dominus, ecce percutiam virga quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem.

*Sep.* In hoc cognosces quia ego Dominus, ecce ego percutio virga quæ in manu mea, super aquam quæ in flumine, & transmutabitur in sanguinem.

*Vulg.* Pisces quoque qui sunt in flumine mo- D rientur & computrescent aquæ, & affligentur Ægyptij bibentes aquam fluminis.

*Sep.* Efferuescet flumen, & non poterunt bibere Ægyptij aquam de flumine.

*Arias.* Et fœtebit fluuius, & laborabũt Ægyptij vt bibant aquas è flumine.

*Onkels.* Molestum erit Ægyptiis bibere aquam è flumine.

*Oleast.* Et labor erit Ægyptiis.

## *CONCORDIA.*

VErbum באש baas significat fœtere, & boos fœtorem, ex consequenti vero putrescere quod fœtere soleãt putrida: quamuis autẽ incerta sit significatio verbi לאה lach, nam alii dixerunt quod laborare, alii quod moleste ferre, vel affligi significat, in quo autem laboramus, affligimur.

## EXPOSITIO.

H*Æc dicit Dominus in hoc scies,* per experientiã & pœnã tibi inflictã, *quod sim Dominus*, quẽ negasti, inuitus agnosces, *ecce percutiam aquam fluminis*, dixit se percussurũ, quia Aaron suo mãdato eã percutere debebat, *& vertetur in sanguinẽ*, aquas vere in sanguinẽ cõuersas affirmat Proclus Cõstan. Patria. ad Armenos, *pisces quoque qui sũt in fluuio moriẽtur*, propter conuersionem aquæ in sanguinẽ, & *computrescent aquæ*, ex interitu piscium in aquis, *& affligentur Ægyptij bibentes aquam fluminis.* Quia bibentibus exitium fuit & non bibentibus pœna ob sitim quam sustinebant.

CONCEPTVS.

*Calamitates eo efficaciores ſunt, vt ducant hominem ad Deum, quo prius denuntiatæ ſunt illis in pœnam peccatorum.*

E*Cce percutiam virga quæ in manu mea eſt, aquam*
71. *fluminis, & vertetur in ſanguinem.* Cur prius huiuſmodi plaga prænuntiatur? cur feraliſſimum Pharaonem, cuius cor eſt induratum, nulla monitione præuia conuerſionis aquarum in ſanguinem, non punit? ſane prænuntiatur plaga venienda, vt poſtea veniens apertiſſime oſtenderet
Auctor Catenæ Græcæ. ibi eſſe Deum: ſic author Catenæ Græcæ. *Nullã præterea exigit vltionem Moyſes quam prius non denuntiet, ne ex ſe ſponte caſuvè aliquo fieri credatur, ſed certas eſſe plagas ſciant quibus contumacia regis plecteretur a Deo*, calamitates enim quæ prænuntiatur ob peccatorum pœnas venturæ, adeo efficaces ſunt, vt vel feraliſſimis hominibus, vel inuitis & renuentibus, Dei cognitionem exhibeant.

*Qui beneficiis acceptis abutuntur, ſeuere & grauiter tractandi ſunt.*

*Ecce percutiam virga aquam fluminis, & vertetur*
72. *in ſanguinem.* Quid inde continget? piſcium interitus, & non ferenda Ægyptiorũ ſitis, nam vt ait
Ioſephus. Ioſephus, ſi bibebant, confeſtim acri dolore corripiebantur, a quo nec immunis ipſe Pharao, an maius ſupplicium inferri poteſt quam ſitis intolerãda? cur Deus ita grauiter Ægyptum, & illius principem ſtatim corripit? nonne ſingulare adeo beneficium acceperat, quale fuit admonitio amice facta à Moyſe, vt populum dimitteret, conuerſio virgæ in ſerpentem, vt eum excitaret ad acquieſcendum Dei mandatis? quid mirum igitur ſi ſic ſeuerè puniendus cum ſuis, prænuntiatur? non enim leuitas ſed aſperitas, ſed ſeueritas inferenda eſt iis, qui beneficiis abutuntur: ad
Theodot. hæc Theodotus Epiſcopus Ancyræ hom. contra Neſtorium habita in conc. Epheſ. c 9. *Neque pietas* (inquit) *commodè inſeri poteſt, niſi malitia ante extirpata fuerit, par eſt vtique affectum membrum primum rigare cultura induſtriæ, vti pietatis ſermonem adhibere, & omne denique medicamenti genus putreſcenti membro applicare; verum ſi tabes maior fuerit quam vt curationem admittat, tunc demum membrorum ita affectorum ſectio præſens eſt medicina*, ſane in quibus beneficia & ſuauia medicamina nihil efficiunt vitæ ſalutare, ad hos aſpera & dura ſectio eſt adhibenda.

*Inde maxime diuinitas claret quod ſciat peccatores expectare.*

*Ecce percutiam virga aquam fluminis*, ſed prætu-
73. lit, *in hoc ſcies quod ſim dominus.* Quid in hoc quod de futuro percuties? quod ſolum minas intentes? non flagella incutias? vt ſolis minis adhibitis ad meliorem frugẽ reuocaretur, nonne ſatius eſſet vt in hoc agnoſcerent te Deum de facto percutientem, & non minis ſolum eos expectantem? imo in hoc cognoſcitur Deus, quod ſciat Ægyptios expectare, & non ilico puniat, ſed cunctatur vt ad meliorẽ mentem poſſit eos reuocare. Vnde
Cyril. Alex. D. Cyrill. lib. 2. ad reginas ſic loquitur. *Si Chri-*
A *ſtus Ieſus peccatores ſaluat, qui interque delinquentium mores tolerat, illorum pœnitentiam expectans, & per fidem quæ eſt in ipſum, vitam æternam adipiſcuntur, quomodo non eſt Deus? quandoquidem mundum, hoc eſt eos, qui in mundo hoc degunt, poſſe ſaluare æquo ad hoc animo peccatores ferre, vitam poſtremo impartiri ſpirituali vita destitutis, id merito vt ſolum Deum conuenire credetur?* ſolus Deus eſt qui cognoſcitur Deus in hoc quod æquo animo peccatores ferat, illoſque expectet ad pœnitentiam.

*Moyſes operando Deus.*

*Ecce percutiam virga aquam fluminis, quæ in manu mea eſt.* At quæ manus iſta? nonne Moyſis? ita 74.
plane, cui ergo Deus manũ ſuam vocat? nonne deberet dicere percutiam virga aquam quæ in manu Moyſis eſt? reſpondet Caietanus. *Manum* Cardinalis Caiet.
B *Moyſis appellat Deus manum propriam, quia iam eum conſtituerat Deum Pharaonis*, erat igitur manus Moyſi manus Dei propter admiranda opera quæ patrabat, ſicque Moyſes ſicut Deus non otio ſed operibus Deus eſt, ſic Moyſes operãdo Deus eſt.

*Non leuiter a ſuplicio imminente torquemur.*

*Ecce percutiam virga aquam fluminis & vertetur* 75.
*in ſanguinẽ.* Cur antequam plaga incutiatur, Pharaoni proponitur? cur totum ordinẽ plagæ prius denuntiare Pharaoni quam infligere monetur Moyſes? nonne ſatis erat cum infligeretur, eam ſentire? nonne ſatis aquas verſas in ſanguinem intueri, piſcium interitum, ſuorum ſitim intolerabilem? non equidem ſatis erat viro ita impio &
C obdurato, ſed neceſſe fuit totum ordinem plagæ ei referre, vt ex certiſſima pœna imminenti, magis affligeretur eius animus illam expectans: ait
enim D. Greg. Nazi. orat. 4. *Satis enim magnã* S. Grego. Nazianz.
*pœna cenſeri debet, cum ij qui moleſtiam intulerunt metu contremiſcunt, meritaſque pœnas expectant, propriæque conſcientiæ cruciatu afficiuntur: nam quæ quiſque vt iam iam perpeſſurus timet, hæc paſſus eſt, etiam ſi non patiatur, grauiuſque à ſe ipſo fortaſſe quã ab iis qui ſupplicium illaturi ſunt, torquetur.* En vt grauiſſima pœna eſt pœnæ imminentis expectatio qua quis debet affici?

*A quibus aliquod accepimus beneficium, iniuriam inferre non debemus.*

*Ecce percutiam virga quæ in manu mea eſt aquam* 76.
D *fluminis.* Quis virga aquam fluminis percutere debet, vt in ſanguinem vertatur, & aquæ percuſſione piſces fluminum intereant? ſane Aaron, cur non Moyſes cum opere potens eſſet, & cui munus infligendæ huiuſmodi pœnæ competere videretur, cum præcipuus miniſter ſalutis Iſraëlitarum à Deo electus eſſet, Aaron autem ſolum ſocius aſſignatus? reuoca in memoriam ab aquis conſeruatum fuiſſe Moyſẽ & ab eis extractũ incolumẽ: quid mirum igitur ſi ab eo aquæ percuti non debeant? nõ enim à quibus aliquod accepimus beneficium, iniuriam inferre debemus. Fa-
uet Noſter Lyran. ex ſententia Hebræorum. Noſter Lyranus.
*Quia Moyſes fuit extractus & ſaluatus de flumine, ideo non debuit manu propria percutere flumen conuertendo in ſanguinem.*

### *Homicidæ coguntur bibere sanguinem, quem effuderunt.*

*Ecce percutiam virga aquam fluminis, computresc-*
77. *cent aquæ, & affligentur Ægyptij bibentes aquam.* An
solum quia conuersa est in sanguinem? an quia
ex cadaueribus piscium erat putrefacta? sed cur
hoc genere supplicij puniuntur? cur coguntur
bibere aquam in sanguinem conuersam? reuoca
in memoriam Ægyptios in ea necasse Israelitarum pueros ex Pharaonis imperio: en vt rectè & æquissimè cedit eis huiusmodi punitio! homicidæ enim sic coguntur bibere sanguinem quem effuderunt. Vnde rectè Glossa interl. *affligentur populi Ægyptiorum bibentes aquam fluminis, in qua necauerunt paruulos Hebræorum, vt bibant sanguinem quem fuderunt.* (Glossa interlin.)

### *Deus cum punit iniustos, iustos recreat.*

78. *Ecce percutiam virga aquam fluminis, computrescent aquæ & affligentur Ægyptij bibentes aquam.* Si fluminis aqua computrescit, si sanguinea efficitur, nonne omnes non solum Ægyptij, sed etiam Hebræi ex ea bibentes affligentur? cur ergo asserit textus solos Ægyptios hanc pœnam subituros? merito asserit eos solum hac pœna plectendos, non autem populum Dei electũ, quia Deus cum punit iniustos, iustos fouet & recreat: audiendus est Iosephus. (Iosephus.) *Primum amnis sanguineis fluentes prolabẽs ad petus inopiam eos redegit, cum præterea nullum fontem habeant, nec coloris tantum id erat vitiũ, sed si quis sitis coactus gustaret, confestim acri dolore corripiebatur, eratque talis Ægyptiis solis, Hebræis vero dulcis ac potabilis, & omnino pristinam naturam* C A *retinens:* pende ab his verbis, *eratque talis Ægyptiis solis &c.* Quod autem addit, Ægyptios præter aquam fluminis nullos habere fontes, cum Philone non conuenit: dum enim præsentem plagã describit, ait, Mosis fratre iussu Dei percutiente flumen in sanguinem vertitur, quam longum est ad mare, vsque ab Æthopia, idem in stagnis, fossis, puteis, fontibus & omnibus Ægypti aquis euenit, vt deficiente aqua potabili, ripas nemo peteret, & nouas venas quærentibus pro limpido liquore sanguis emicaret tanquam e vulnere. (Phile.)

### *Ita grauia sunt hominum scelera, vt propter ea puniantur inanimata & irrationalia.*

*Percutiam virga quæ in manu mea aquam fluminis, quæ vertetur in sanguinem, pisces qui sunt in* 79.
B *flumine morientur.* In quo peccauit aqua fluminis, vt sua deperdita natura sanguis efficiatur? in quo deliquit vt fœtidè computrescat? sed quid demeruere pisces, vt eorum sit finis miserabilis, & interitus generalis? quot fuere Ægyptiorum scelera non solum in enecandis Israelitarum infantibus, sed in opprimendis patribus per durissima onera? en vt Deus etiam æquissimè sæuit, propter eos, in quorum subsidium orium habuere, vt ipsa inanimata & irrationalia. Fauet Carthus. *Deus punivit Ægyptios in eorum substantiis & animalibus, nec hoc fuit contra Dei iustitiam quod propter peccata hominum innoxia bruta occidit, cum propter homines facta sint irrationalia vniuersa, ideirco vtendum est eis secundum exigentiam finis institutionis eorum, hoc est secundum merita & demerita hominum.* (Dionys. Carthus.)



## *VARIETAS LECT. à Vers. 19.*

VVlg. Dixit quoque Dominus ad Moysem, dic ad Aaron tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti, & super fluuios eorum, & riuos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, vt vertantur in sanguinem, & sit cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vasis, quam saxeis.

*Septuag.* Sume virgam &c. & super omnem collectam aquam eorum, & erit sanguis, & factus est sanguis in omni terra Ægypti, & in lignis, & in lapidibus.

*Cald.* Leua manum tuam &c. & super omnem locum congregationis aquarum, vt vertantur in sanguinem.

D *Vulg.* Feceruntque Moyses & Aaron sicut præceperat Dominus, & eleuans virgam percussit aquã fluminis coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in sanguinem, & transmutata est omnis aqua, quæ in flumine, in sanguinem.

*Vulg.* Et pisces qui erant in flumine mortui sunt, computruitque fluuius, & non poterant Ægyptij bibere aquam fluminis, & fuit sanguis in tota terra Ægypti.

*Sep.* Et efferbuit flumen.

*Pagn.* Et fœtuit fluuius.

*Oleast.* Et super omnem cursum aquarum eorum, aut super exitum in canalibus, lignis, & lapide.

---

### *CONCORDIA.*

LEgimus & omnes lacus aquarum, cum in Hebræo sit ועל כל מקנה מימיהם vehal col mikne memehem, super omnem collectionem seu congregationem aquarum, sed idem vtriusque lectionis est sensus, addit tamẽ Oleaster Hebræos ignorare propriam significationem verbi chauah, a quo mikueh, quod congregatio vertitur, sed quia chau, id est linea, ex hac radice, videtur eis significare cursum, exitum aquarũ, seu decursum ad modũ lineæ, est enim aquæ ductus longus ad modum lineæ, & ideo vertit super omnem cursum aquarũ, aut super exitum; quod autẽ dicitur tam in ligneis vasis quã in saxeis, optime additũ est *vasis* ab interprete: nam in Hebræo est ובעצים ובאבנים vbahitim vbabanim & in lignis & in lapidibus, subaudiendum est in quibus aqua continebatur, quod sequitur computruitque fluuius, idem est quod habetur Hebraice ויבאש היאר vaibas haior & fœtuit, seu fœtere fecit flumen, verbum enim bas vtrumque significat.

## EXPOSITIO.

*Dic ad Aaron tolle virgam tuam*: quam tenebat Moyses in manu sua, eam accepit Aaron, *& extende manum tuam super aquas Ægypti*, idest contra omnem partem Ægypti, in qua est aqua, & sic ex illo loco eleuans virgam præcipiebat aquis, vt in sanguinem verterentur, *& super fluuios eorum*, alii enim sunt in Ægypto præter Nilum, *& riuos*, id est torrentes, *ac paludes*, quæ sunt aquæ in aliquem locum congregatæ, quæ tamen ex aliquo fonte emanant, *& omnes lacus aquarum*, congregationes aquarum pluuialium: non desunt qui mare rubrum Ægypto adiacens in sanguinem conuersum dicant, congregationes enim aquarum (sic enim in originali habetur) Hebræorum more maria dicuntur, *& sit cruor in omni terra Ægypti*; sit sanguis in qualibet parte Ægypti, vbi erant aquæ, *tam in ligneis vasis quam saxeis*, quamuis autem solū dicat vasa lignea aut saxea, intelligendū hoc est de quibuscunque aliis, in quibus aquæ continebantur, *feceruntque Moyses & Aaron sicut præceperat Dominus*, non quod vterque extendisset virgam, sed quod Moyse loquente Aaron extenderit eam ad aquas, *percussit aquam fluminis coram Pharaone*, vt ipse videns cum ministris aquam confestim in sanguinem conuersam ad meliorem mentem reuocaretur, *& pisces qui erant in flumine mortui sunt* in sanguine quippe, viuere non poterant, *computruitque fluuius*, ex corruptione tot piscium occisorum, quibus aqua sanguinea inficiebatur, *& non poterant bibere aquam fluminis*, quis sanguinem biberet, & non purum, sed putrefactum & corruptum: *& fuit sanguis in tota terra Ægypti*, superiorum repetitio.

## CONCEPTVS.

*Reipublicæ capite vel infecto vel sano, idem de subditis iudicari consueuit.*

180 *Tolle virgam tuā & extende manum tuam super aquas Ægypti, &c. vt vertantur in sanguinem.* Quare auspicatur ab vndis? scio Theodoretum q. 19. sic dicentem, *imprimis quia valde gloriabantur Ægyptij de flumine suo, & hoc pro Deo habebant, vt qui parem vsum illis præbebat quem nubes*, esto ô Theodorete diuinitatē aquis concesserint, tamen ab ementitiis numinibus quorsum speciatim initia suppliciorum sumuntur? quod si enim verus Deus ostendere volens per Moysem & Aaronem, vanissimam esse opinionem diuinitatis, quam Ægyptii commenti fuerant, contra superstitionem pugnaret: opportunè quidem fluminibus illuderet; vt cum adoratores cernerent talem esse supremum rerum gubernatorem, qui iniurias sustinere posset, neque satis validum ad sua contuenda regna, despicerent infirmum robur; atqui non de religione quæstio est, quam Ægyptios profiteri deceat, sed legationis scopus, vt Israelem liberum discedere sinat Pharao, quem migrare in alias regiones creatoris iussa vrgerent: adhunc autem finem, quando nonnisi per vexamenta superandus tyrannus, cur non vel à primogenitorum incipiendum nece, vel à caligine horrida, & tenebricosa, vel à frugum damno? quid enim fluminum caruisse solatio nocuerit? alia sunt liquida, quibus sitis extinguitur, ecce quidem, vti referebamus ex Theodoreto, in fluminibus diuinitas occultabatur, stulta Ægyptiorum sententia: quando tamen numen esse sibi proposuerint: in cætera quoque dominari putassent, nam gubernatio penes diuinitatem est: iam vero qualis capiti conditio, talis subiectorum contingit esse ex more vulgari sors: ergo cum destrui flumina viderent, quæ cæteris præessent; cogitarent proximam esse aliis inferioribus, vt pote, ruinam, nam vna eademque alea consueuit esse vtrorumque: sin autem omnia peritura arbitrarentur læsis fluminibus, quorsum amplius apud se retinerent Hebræos, malorum causas? nihil igitur sagacius fluminum conuersione in sanguinem: hunc enim maximus terror inuaderet Ægyptios, cum portenderent ex capitis vulnere membrorum deiectionem, & impendentium minarum formidine perculsi, ne omnia subito amitterent, Israelem ocyus abire compellerent.

Theodor.

*In percutiendis peccatoribus vnus Deus spectandus est, ab eo qui fructuose vult percutere.*

*Tolle virgam tuam, & extende manum super aquas Ægypti, & super fluuios & riuos, &c.* Ecce iubetur virga eleuari super flumina, & super paludes, vt conuertantur in sanguinem, & tamen non innuitur quod Deus erit vel super flumen, vel super alias aquarum congregationes, in illa virgę eleuatione, aut in conuersione aquæ in sanguinem, tamen Exod. 17. Deus alloquens Moysem ait, en ego stabo coram te, ibi super petram Horeb, percutiesque petram. non sinitur virga tangi lapis antequam super illum Deus coram Moyse adstaret, & cur cum fluuius, cum lacus, cum paludes, virga tanguntur, absque eo quod dicatur Deus super ea coram Moyse stare? petra tunc solum permittitur tangi virga, cum Deus super illā corā Moyse staret erat, enim percussione terra emolienda in largissimos & dulcissimos fontes aquarum, & tunc vel lapideus peccator emollitur, & fructuosè à corripiente tangitur, quando percutiens, vnum Deum coram se habet, nil aliud præter Deum spectet, qui peccatores percutit, & fallar nisi vel ex lapidibus dulcissimos fontes valeat extrahere: nescio si ad hoc alludens S. Aug. in Psal. 50. ait, *illa est vox Domini, ego percutiam, & ego sanabo, percutit putredinem facinoris, sanat dolorem vulneris, faciunt hæc medici, secant, percutiunt, & sanant, armant se vt feriant, ferrum gestant, & curare veniunt*, hoc aliud quam salutis fructum parit percussio, in qua solus Deus spectatur. 181

Exod. 17.

S. Aug.

### *Per quæ homines peccant per hæc & puniuntur.*

81 *Tolle virgam & extende manum tuam super aquas Ægypti, &c. & versa sunt in sanguinē.* Cur Nili aquas in sanguinem conuertit, cum exsiccare eodem modo posset? sane vt qui innocentium sanguine aquas tinxerant versas in sanguinem epotarent, sicque pœna culpæ corresponderet, & per quas, nempe per aquas peccauerant, per easdem punirentur, vnde auctor mirabilium script. lib. 1. c. 18. ait, *hæc vindicta Ægyptiis cum rege conuenienter euenerat, vt qui Dei populi infantes in flumen iactare præceperat, eiusdem fluminis aqua in sanguinem versa exitium bibentibus inferret, & non bibentibus pœnam præstaret.*

Auctor mirabilium sacræ scripturæ.

### *Ingratitudo rationi contraria.*

82 *Tolle virgam & extende manum tuam super aquas Ægypti.* &c. Nō vacat mysterio, cum Moyses tulerit virgam, extenderitque in cœlum, vt Deus daret tonitrua & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, & iterum extenderit Moyses virgam super terram Ægypti, vt locusta ascenderet super eam, rursum Moyses horribiles tenebras trium dierum induxerit super Ægyptum, cum tamen ad conuersionem aquæ peruentum est, id Aaroni non Moysi faciendum committitur: rationem reddidimus superiori versu ex nostro Lyrano, quia liberatus fuerat ex aquis, sed licet ab eis extractus & incolumis factus, cur eas non est iussus percutere? quia id omnino rationi dissonum, quid enim ei magis contrarium quam ingratitudo? nihilominus, proh dolor! nihil in homine certius ea reperitur: quod late prosequitur Saluian. lib. 1. de prouid. dicens, *generale ... est omni homini, vt Deo semper ingratus sit ... & quasi natiuo malo, se cuncti inuicem vincunt, vt beneficiis Dei detrahant, nec debitores se esse agnoscant.*

Saluianus

### *Deus rebus inanimatis iustorum virtutem tribuit, quibus edere possint mirabilia.*

83 *Tolle virgam & extende manum tuam super aquas Ægypti.* Qui iussui obtemperans, eleuans virgam & ea percutiens flumina, in sanguinem ea conuertit, pisces eorum interfecit, quis nō mirabitur pro hostium populi sui punitione, rem hanc inanimatam, nempe virgam assumpsisse, vt supra naturam operaretur mirabilia? quid enim mirabilius quam ad contactum virgæ, talem fieri metamorphosim aquarum in sanguinem, piscium interitum innumerorum? taceant aduersarii qui rerum inanimatarum consecrationes & vsus cum fiducia diuini auxilii nobis obiiciunt, & irrident, taceant inquam, cum hac virga videant tot patrari miracula, sed audiant aliud huius veritatis celebre testimonium, sub Imperio Theodosij Imperatoris: ita refert Baronius anno 388. quod etiam recitat Glycas 4. parte, & reperitur apud Metaphras. die 31. Ianuarii, sic autem ait, cum
„ intellexisset Theodosius (qui graui bello premebatur) quod in Scete (est autem hæc solitudo
„ in Ægypto quidem sita sic nominata) Philoso-
„ phabatur vir quidam genere & ipse Ægyptius, maximorum sane effector miraculorum, scribit
„ protinus ad Theophilum Alexandriæ Episcopum, iubens vt efficiat, quo vir ille admirabilis quam primum veniat Constantinopolim, eis autem litteris quoque continebatur, quod eius aduentu opus esset: ille vero iis acceptis statim ad eum venit, & datis litteris, preces Imperatoris, & vsum qui vrgebat significat, deinde etiam ipse quoque ex se facit quod potest, vehementer rogat, orat, supplicat, ne preces despiciat Imperatoris, neque suos vilipendebat labores, sed veniat ad ciuitatem, & bellum, quod in eam paratur, suis auertat precibus, & à tanto periculo & metu eam liberet, vt pote quod in eius potestate situm sit, vt ciuitas vel salua sit, vel intereat: admirabilis autem ille Senuphius (hoc enim nomine vir ille vocabatur) primum quidem, vt consentaneum est, ne rogaret prohibuit, non ad mensuram eius quam habebat gratiæ, sed ad mensuram potius eius quæ erat diues humilitatis aspiciens: magna est, inquit, mea in ciuitatem beneuolētia, & ipsam valde saluā esse cupio: sed nō voluntatē quoque vires sequuntur ex ea quæ est ad Deum fiducia, quin etiam rogauit ipsum Alexandrinum Episcopum, ne de eo talia sentiret, neque eum putaret vulgo antecellere.
„ Cum autem eum ipse omnino non dimitteret, nec sciret magnus quidnam faceret Senuphius, discessum quidem suum pulchrè differt, dat autem sic quoque auxilium, idque facit admirabilius, nam & statim stetit ad orientem & cum superhumerale & baculum in cœlum sustulisset: Domine Deus, inquit, Deus exercituum, da huic meo superhumerali & huic baculo, vt tantum possit, quantum ego ipse, si illic adessem: hæc cum Deo dixisset, quæ habebat in manibus, dat statim Pontifici: hæc accipe, dicens, & mitte statim ad Imperatorem: ille autem superhumerale quidem imponat capiti, baculum vero manu ferat: deinde cum manus opus fuerit conserere cū hostibus, præcedat omnes alios, & audacter procedat aduersus inimicos: nam si ego quidem possim à Deo exaudiri, existimo fore, vt ipse sit illis terribilis, & sine sanguine, gloriosam referat victoriam.
„ Hæc cum ad Imperatorem lubenter essent allata: ille quidem munit caput superhumerali quauis galea tutius, baculo autem munit dexteram lancea longè validius, & hac ratione confidens fore, vt hostibus videretur terribilior, quam olim (vt aiunt) claua Hercules: iam accedentibus hostibus, ipse primus præcedit ducens totum exercitum, propter Senuphii autem ad Deū orationem nulla erat dilatio, sed res statim finem accipiebat, simulac enim eum viderunt barbari, admirari ipsum tanquam vnum ex cælestibus, & ad fugam statim spectabant, & pedum virtutem laudabant: fugiebant vero non aliquo certo ordine, vt qui non essent omnino obliti virium, sed vt qui essent amotæ mentis, & perterriti, alii alio dispersi, terga volentibus facilia, expedita venatio, secura persecutio & libera ab omni periculo, ipsi potius propter fugam, quæ erat sine vllo certo ordine, plagas & vulnera atque adeo mortem sibi inuicem conciliantes: adeo vt Imperator non solum sine sanguine, sed etiam sine vllo labore hanc victoriam retu-

lerit, feſtum ille nominauit hunc diem & nunc quoque poſt tantum tempus magnifice celebratur ab Alexandriniis: nominatur ab iis εἰκόνιον, ab imagine: ab eis enim Imperatori facta eſt quædam ſtatua eo quo tunc modo armata, & capite quidem ſuperhumerali induta, dextera autem tenens baculum.

*Tandem peccatum latens in publicum prodit.*

84 *Tolle virgam & extende manum tuam ſuper aquas.* Quæ conuerſæ ſunt in ſanguinem ad tactum virgæ. Cur huic reſpondet cruor ſanguineus? nonne tonitrua excitare potuit, quæ maximum incutiunt mortalibus terrorem? vel terræ hiatum minitantem eorum interitum? aduerte intra fluminis alueum quaſi latentem puerorum populi Iſrael ſanguinem, qui ab Ægyptiis omni cum inhumanitate effuſus eſt, tangatur ergo virga, vt eorum abſconditum ſcelus, per cruorem manifeſtum prodeat in publicum: annuit Procop. Gaz. *Cum in flumen mandauerint præcipitandos Hebræorum infantes, & tandem diuina virtute verſum ſit in cruorem, ſatis redarguit & in mentem illis reuocat crudele & immane edictum.* Procopius Gazæus.

*Ipſæ etiam creaturæ proclamant non eſſe tanquam numina colenda.*

85 *Tolle virgam & extende manum tuam ſuper aquas.* Cur primo ſuper aquas? in quo deliquerunt aquæ, vt virga percutiantur & amiſſa aquæ natura vertantur in ſanguinem? cur Ægyptiis videntibus, & eorum imperatore aquæ plectuntur? nonne aquas vt principium vniuerſi tanquam diuinum numen colebant Ægyptii? en ergo vt mutata natura in cruorem ad tactum virgæ, non numen eſſe, ſed creaturas proclamant, ſicque Ægyptios ad meliorem frugem reuocarent: annuit idem Procopius, *pœnæ quæ primo irrogantur petuntur ab elemento aqueo, ſiquidem Ægyptij maximis & diuinis honoribus coluerunt aquam, ſtatuentes ipſam eſſe principium vniuerſi, proinde aquæ primo affliguntur, vt diſcant quam vanæ res ſeruiant, & ad veram religionem hinc correcti proficiſcantur.* Cit. Gazæus.

*Qui in creaturis ſolum ſuam ſpem collocat, vanitatem earum experitur.*

86 *Tolle virgam & extende manum tuam ſuper aquas.* Ecce ad tactum virgæ primo aquæ Ægyptiis deficiunt, deficiat illis primo terræ elementum, cur aqua Nili omnem irrigans Ægyptum, obſequium illis amplius non præſtat? nonne ita obcæcati Ægyptii, vt nec cœlo nec pluuiis eius ad irrigationem & terræ fœcunditatem indigere arbitrabantur, ſed ſolum aquis Nili fluminis? primo ergo eis deficiat, vt videant quam inaniter in nilo ſperent *fortaſsis* (inquit citat. Procop.) *hanc pœnam primo inducit quod plurimum ſuo gaudebant & triumphabant flumine quaſi ob id nec cælo, nec aqua profluente opus haberent.* Procop.

*Idololatra à ſuo numine vano affligitur.*

87 *Tolle virgam & extende manum tuam ſuper aquas.* Quæ virga percuſſæ, cruorem reddiderunt: cumque ſuæ, qua laborabant, ſiti ſatisfacere conabantur Ægyptii, maxime affligebantur, non ſolum autem bibentes, ſed ſi quis nimia ſiti coactus, potabat, confeſtim acri dolore corripiebatur, nonne benigniſſimum nobis eſt numen? nonne beneficiis nos obſtringit? quomodo aqua quæ ab Ægyptiis vt numen colebatur, in eos crudeliter deſæuit? quia idololatra à ſuo numine vano meretur afflictionem pati. non alienus ab hoc ſenſu Rupertus libro 1. cap. 31. *Secunda hæc plaga pœnam ſignificat mandati ſecundi præuaricatoribus debitam, quod dictum vel in tabulis ſcriptum, non facies tibi ſculptile, neque vllam ſimilitudinem, non adorabis ea. ſequitur enim, ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in quartam & tertiam generationem, hoc denique vbi auditum eſt & obſeruari captum, omnes Ægyptiorum aquæ, id eſt idololatrarum conſcientiæ ſanguineæ factæ ſunt, multum enim ſanguinem ſanctorum fuderunt, quemadmodum iſti Ægyptij qui pro eo quod dixerunt filij Iſrael, eamus & ſacrificemus Deo noſtro, crudelius in eos debacchati ſunt, vnde quia maſculos eorum in aquam proiecerunt, merito quoque realiter illis aquæ in ſanguinem conuerſa ſunt, vt affligerentur bibentes aquam fluminis: ſic omnibus imitatoribus eorum adorantibus ſculptilia, & in ſimulachris ſuis gloriantibus, & propter illa ſanguinem fundentibus, ſanguinem reddidit fortis zelotes Dominus, vt bibant & bibentes affligantur.* Rupertus.

*Quanta erga pauperes eſt inhumanitas?*

*Tolle virgam tuam & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti.* Quæ in ſanguinem conuerſæ ſunt, quid denotat moraliter aquæ in ſanguinem conuerſio? quid enim commune aquæ cum ſanguine? ſanguis enim crudelitatem denotat, aquæ autem eleemoſynam ſicut aqua extinguit ignẽ; ſic eleemoſyna extinguit peccatum, quæ autem ſimilitudo eleemoſynæ & inhumanitatis? Petrum Berchorium accipiamus ſatisfacientem lib. 2. moral. in Exod. c. 4. *dicamus quod hodie per totam Ægyptum id eſt per totum mundum, tota aqua pietatis conuerſa eſt in ſanguinem crudelitatis, & hoc non ſolum in lacubus & paludibus, id eſt in ſtatibus ſæcularium, imo etiam in riuis & fluminibus, id eſt in Eccleſiaſticis & regularibus.* 88 Eccle. 3. Berchorius.



VARIETAS LECT. à Verſ. 22. & 23.

*Vulg.* Feceruntque ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis, & induratum eſt cor Pharaonis, nec audiuit eos ſicut præceperat Dominus.

*Sept.* Fecerunt autem & ſimiliter, & incantatores Ægyptiorum veneficis ſuis.

*Pag.* Roborauit ſe cor Pareh.

*Vulg.* Auertitque ſe, & ingreſſus eſt domum

suam, nec apposuit cor etiam hac vice. A

*Septuag.* Reuersus Pharao intrauit in domum suam, & non apposuit mentem suam neque super hoc.

*Pag.* Et respexit Pharoh, & venit ad domum suam, & non posuit etiam cor suum ad hoc.

*Arias.* Et fecerunt sic genethliaci Ægypti suis incantationibus.

## CONCORDIA.

IN Hebræo est בלהטיהם belatehem, quod vertimus incantationibus, & Septuag. veneficiis suis, sed in idem redit sensus, pro hac vice, etiam est in Hebræo לזאת lezoth id est ad hoc.

## EXPOSITIO.

F*Ecerunt similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis.* Si omnis aqua Ægypti versa est in sanguinem, tam ea quæ erat in Nilo, quam quæ erat in lacubus, paludibus, in vasis ligneis, & B saxeis, vnde habuerunt malefici aquam quam in sanguinem mutarent? August. q. 23. in Exod. respondet terram Gessen, vbi habitabant Israelitæ, non fuisse his plagis percussam, & ex ea incantatores potuisse habere aquam, quam in sanguinem verterent, Iustinus Martyr q. 28. ad Orthod. ait omnibus aquis quæ super terra Ægypti erant in sanguinem conuersis, cogebantur Ægyptii circa flumen fodere puteos, & hausta inde aqua, se ipsos suaque animalia & pecora sustentare, ex hac aqua ex puteis hausta, fecerunt incantatores sanguinem. Alij asserunt solas dulces aquas & potabiles fuisse versas in sanguinem, C hoc enim ad Ægyptios puniendos & affligendos, pertinebat, potuerunt itaque magi, ex mari quod in proximo erat, aquam allatam in conspectu Pharaonis, & Ægyptiorum vertere in sanguinem: alij aquam ad magos clam mira celeritate à dæmonibus allatam, ex aliquo loco extra Ægyptum, & in sanguinem transmutatam, *& induratum est cor Pharaonis*, emollitum debuisset esse cor illius, visa hac prima plaga, sed induratum est, nihili faciens potentiam Dei, *auertitque se*, nolens eis acquiescere, *& ingressus est domum suam* eos contemnens, *nec apposuit cor etiam hac vice*, Hebraismus est, idest noluit vel non curauit, non adiecit animum ad tantum signum, nec mouit ipsum vt permitteret filios Israel exire.

## CONCEPTVS.

### *Iniqui cum potestatem habent, eam in aliorum perniciem conuertunt.*

81 F*Ecerunt similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis.* Quid fecerunt? similiter aquam, quam potuerunt habere, in sanguinem commutarunt: nonne vt eorum potestas agnosceretur, satius esset aquam in sanguinem conuersam pristinæ formæ reddere, vt potabilis ab Ægyptiis redderetur? cur potestatem vestram in eorum vtilitatem non conuertitis? quid ait textus? fecerunt similiter malefici incantationibus suis, malefici erant & iniqui: quid mirum, si in perniciem & eorum stragem, quidquid potuerunt dixerint, & non in auertendis malis sed potius augendis laborarint, nescit enim impius potestate, quocunque titulo, habita, nisi in incommodum & ruinam aliorum vti, ecce plagas inferunt, addunt suppliciis supplicia, mala malis cumulant, quod prosequitur Orig. hom. 13. in Num. *fecerunt* Origin. *incantatores Ægyptiorum, vt & aqua verterentur in sanguinem, sed non potuerunt iterum sanguinem vertere in aquam, Dei autem virtus non aquam, sed totum flumen vertit in sanguinem, & rursum orante Moyse limpidis eum ac naturalibus reddidit fluentis, Deus enim noster delere facit, & iterum restituit, contraria autem virtus male quidem aliquid facere potest, sed restituere in integrum non potest.*

### *Commune est fere magnatibus in veritate indaganda non immorari.*

*Fecerunt similiter malefici Ægyptiorũ incantationibus suis.* Fecit Moyses ex aqua sanguinẽ, similiter & magi, vnde Pharao non acquieuit diuino placito, imo non amplius indagauit, sed statim ad sua recessit, nam domum regiam ingrediens, non apposuit cor suum, hac vice, Hebraice ad hoc, nonne potius rem attendere deberes & diligenti examine librare, quis te huiusmodi prodigiis decipere intendit? nonne vt veritas omnibus fieret D manifesta, laborare deberes? cur sub dubio eam relinquis? hoc sane fere omnibus principibus commune, quod in agnoscenda veritate non immorentur, vnde optime Euthymius obseruat, quod cum Pilatus inquireret à Christo Domino, quid esset veritas, quo dicto discessit, ait igitur Euthym. *discere cupiens interrogat, quid est veritas? sciens autem quod mora opus esset ad quæstionem subsistit ab interrogatione confestim egressus*, en vt nesciunt principes in inquisitione veritatis immorari! 82 Euthym. in Euang.

### *Impij à Deo flagella venire non agnoscunt.*

*Fecerunt similiter incantationibus suis, & induratum est cor Pharaonis.* Ita vt auerteret se, non attendens discrimen inter prodigium factum ab Aarone, & à Magis, nonne discernere debuisti veritatem prodigii, & huiusmodi conuersionem 83

aquæ in sanguinem ab Aarone factam, flagellum à Deo immissum esse, quo te ad meliorem frugem reuocare nititur? nescit impius (qualis erat Pharao) attendere flagella à Deo venire in nostram vtilitatem, *hæc monita multiplices impijs*, (inquit Oleast.) *non curant neque considerant, Dei enim magnum munus est cognoscere flagella eius, hoc interest inter pios & impios, quod pij mala etiam quæ natura proueniunt flagella, Dei esse credunt, impij vero flagella apertissima, Dei mala à natura venientia arbitrantur.*

Oleast.

### *Peccatum est pœna peccati.*

92 *Fecerūt similiter malefici incantationibus suis, & induratū est cor Pharaonis.* Cur hoc mirabili prodigio ad meliorem mentem Pharaonem non reuocastitur cum emolliri deberet, in sua manet obstinatione? quantæ fuerit in Israelitas inhumanitatis iam satis compertum: quid mirum igitur si adhuc Deus eum in mente sua obstinata permittit? peccatum enim obstinationis est pœna suæ in populum Dei crudelitatis: annuit Lippom. *erat stupenda incredulitas in rege & populo, quam iustitia Dei permittebat in impijs, ob crudelitatis suæ quoque maximum crimen.*

Lippom.

### *Dæmones suorum sectatorum malitiæ & desiderijs satisfaciunt.*

93 *Fecerunt similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis.* Si omnis aqua Ægypti in sanguinem conuersa est, tam ea quæ erat in Nilo, quam quæ in paludibus, in lacubus, in vasis ligneis, & saxeis, vnde habuerunt malefici aquam, quam in sanguinem mutarent? quomodo fecerunt similiter incantationibus suis? quomodo pudore non suffunduntur, non inuenientes materiam suæ conuersionis? nonne de dæmonibus quibus pacto obstricti tenebantur, conquerentur? non equidē, suorum enim sectatorum malitiæ & desiderijs, cum permittuntur & possunt, satisfaciunt: annuit noster Lyran. *ministerio dæmonum allata fuit ipsis magis aqua de terra, quæ est extra terram Ægypti: quod possunt facere mira celeritate.*

Noster Lyran.



## *VARIETAS LECT.* *Vers.* 24. & 25.

*Vulg.* Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis aquam vt biberent, non enim poterant bibere de aqua fluminis.

*Vulg.* Impletique sunt septem dies postquam percussit Dominus fluuium.

## EXPOSITIO.

*Foderunt autem omnes Ægyptij per circuitum fluminis, &c.* Ex morte piscium non sola sed ex mirabili iudicio Dei, ita putidæ erant omnes Ægypti aquæ quod nullus Ægyptiorum ex eis bibere poterat, hac de causa foderunt terram, quærendo aquam, sed non nisi fœtidam inuenerunt, aqua autem effossa in circuitu fluminis, non fuit vera aqua, sed sanguis è fluuio deriuatus per subterraneas venulas, per quas transiens ita excolabatur, vt crassitiem illam & ei adhærentem colorem, saporemque minueret, & quoquo modo potabilis redderetur, maneret tamen sanguis reuera, cuius natura, traiectione illa non mutabatur (sicut contingit in lacte fœminarum naturali calore in naturalibus organis à natura elaborato) sed manebat eadem, sicut cum à nautis aquæ penuria potabilis laborantibus, in cerea vasa immittuntur aquæ marinæ quæ traiiciendis cereis poris ita corriguntur, vt cera magnam partem salsuginis & natiui amaroris ebibente, gustui non ingratæ reddantur: *impleti sunt septem dies*, id est sanguis per Hebdomadam vnam permansit, idque aperte res ipsa loquitur, si enim intra vnum diem sanguis non cessasset, non fuisset in tota Ægypto susceptus labor puteorum fodiendorum, qui plures vtique tenuit dies, quomodo autem huic plagæ impositus fuerit finis, scriptura non explicat, tamen creditur Deum sponte illi plagæ finem imposuisse, cum secundam inflixit.

## CONCEPTVS.

### *Affectio, commodis aut incommodis vnumquemque afficit.*

94 *Foderunt omnes Ægyptij per circuitum fluminis aquam vt biberent.* Aqua enim fluminis sanguinea erat, nec ab eis potabilis, nihilominus Israelitæ sine nausea in suos vsus, easdem hauriebant aquas: cur sicut Israelitę à durissima siti erāt liberi; sic etiam non eximuntur Ægyptii, cum eundem locum incolant? cur sicut Ægyptii loci mala experiuntur, ita etiam Israelitę ea non sentiunt? nonne prauè affecti erant Ægyptii, tanquam omni humanitate exuti? non mirum igitur quod soli Ægyptii affligantur sanguine fluminis? mala enim vel bona non propter locum sed propter hominum affectiones dantur, vnde Sanctus Gregorius Niss. lib. de vita Moysis dicebat, *eodem tempore, eodem loco Iudæi ab officio non recedentes, nihil mali sentiebant, Ægyptii vero perperam sentientes & cogitantes, acriter plectebantur, nam aqua per vniuersam Ægyptum in sanguinem, iubente Moyse, conuersa est, vt vel ipsi pisces crassitudine aquarum carnea morerentur, Iudæis solis sanguis aqua erat limpidior*, en vides quod non loci malū erat, sed affectionis humanæ, nam qui praue afficiebantur, sicut Ægyptii, sanguinis plagā sentiebant, qui autem fideles erāt, vt Israelitę, etiā in eodē loco existentes, limpidissima aqua fruebantur.

S. Gregor. Nissenus.

95 *Vult Deus vt impij pœnas sibi illatas sentiant.*

Eusebius Cæsariens. *Foderunt omnes Ægyptij per circuitum fluminis aquam vt biberent.* Deinde ait textus, impleti sunt septem dies postquam percussit Dominus fluuium, scio Eusebium Cæsariensem non existimare hanc plagam in Ægypto septiduum grassatam fuisse, sic enim dictionum videtur quod sermo diuinus non ait septem diebus transactis aquam cursus in pristinam naturam reduxisse, sed post percussum fluuium septem diebus interim expletis aliud miraculum à Deo inchoatum fuisse, nihilominus dicendum quod hæc Hebraica phrasis significat sanguinem durasse hebdomadam vnã, sed cur voluit Deus, vt per tot dies hanc plagam intolerandam sustinerent? quid enim siti intolerabilius? quia vult Deus, vt impii pœnas sibi illatas sentiant, hoc clare Rupertus fatetur, *sanguinem reddidit fortis Zelotes Dominus, vt bibant, & bibentes affligantur non vno aut duobus, sed totis septem diebus, sicut scriptum est, & impleti sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluuium.*

*Preces iustorum à malis præsentibus etiam malos liberant.*

96 *Foderunt omnes Ægyptij per circuitum aquam fluminis vt biberent.* Quæ plaga (vt diximus) hebdomadam vnam durauit, sed vt meritas suorum scelerum darent pœnas, cur illud non amplius supplicium protraxit? cur hoc flagellum amouit? cui huic post septem dies finis pœnæ impositus est: Deum precibus deprecatus est Moyses, quid autem Deus iustorum orationibus non tribuit? consentit Philo Iud. lib. 1. de vita Moys. *per septem dies hoc malum durauit, donec Ægyptiis suppliciter Moysem inuocantibus, & illo deprecante, Deus misertus est pereuntium, & ... exorabilis mutauit sanguinem in aquam dulcem redditis amni fluentis salubribus, qualia prius fuerant,* scio Artapanum apud Eusebium asserere Regem tam prodigioso malo percussum, promisisse intra mensem dimissurum populum, si flumen in pristinum statum restitueret.

Philo. Artapanus.

*Quantum prouida est humana industria in vrgenti necessitate?*

97 *Foderunt omnes Ægyptij per circuitum aquam fluminis vt biberent.* Nonne intuebantur per vniuersam Ægyptum, omnem aquam in sanguinem conuersam, & omnino non potabilem: cur ilico Mosem non deprecantur, vt ad pristinam formam, aquas reuocet, sed in puteis effodiendis laborant, vt sibi in præsenti necessitate remedium compararent? aduertis (inquit Oleast.) *quantum valet humana industria, qua sibi inopinata quærit re-*

Oleast.

*media contra flagella Dei, & quod est diuinæ misericordiæ, tribuit industriæ suæ.*

*Flagella Dei præsentia, aliorum aliquando subsequentium significatiua, nisi emendemur.*

*Foderunt omnes Ægyptij per circuitum aquam fluminis vt biberent.* Quia in sanguinem omnis aqua commutata fuerat, & piscium interitu putida effecta, vt ait regius vates Psal. 104. conuertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum, ceceu propter obcæcatam eorum mentem, & nimiam erga populum Israel crudelitatem, puniuntur, & in aquis versis in sanguinem, & in piscium interitu, sed huiusmodi flagellum de præsenti solum inflictiuum erat? non equidem, sed vt resipiscerent calamitatum subsequentium indicio, quod testatur Cassiodor. in cit. Psal. *ipsa futura clades indicia nuntiabant, conuertit enim eorum aquas in sanguinem, quoniam erant inter mares rubri fluenta perituri, pisces eorum occisi sunt, ne spes viuendi hominibus relicta videretur, quando illud inter latices est mortuum, quod nullo elemento probabatur contritum.* 98

Psal. 104. Cassiodor.

*Inutile est nisi in diuinis quærere, quod tibi satisfaciat.*

*Foderunt omnes Ægyptij per circuitum aquam fluminis, vt biberent.* Quid est, quod Ægyptii dicuntur cum non possent bibere de flumine, circumfodisse puteos vt aquam potabilem reperirent? repererunt autem aut nihil aut perparum aquæ puræ. hoc significare videtur veteres Philosophos cum eos puderet Theologię antiquorum vt Homeri & Hesiodi, &c. qui de diis absurda atque etiam homine indigna commenti fuerant auersantes eorum Theologiam, varios puteos foderunt, id est varias condiderunt sectas, vt veram rerum diuinarum scientiam reperirent: verũ partim eorum lutulentam, & sordidam aquam repererunt, qualis est Epicureorum doctrina, partim potabilem, quidem aquam, sed non plane mundam, verum non paucis erroribus admixtis conspurcatam, vt videre est in Platonicorum & Stoicorum secta, partim demum aquam fere puram, inuenerunt, sed perpaucam, & quæ naturalem hominum sitim noscendi diuina, sedare nedum explere, ac pœnitus extinguere non posset, hoc habet Rabanus, *Quid significat, (inquit) quod Ægyptii postquã aquæ fluminis versæ sunt in sanguinem, foderunt per circuitum fluminis quærentes aquam vt biberent? nisi quod gentilitas confusa de meditatione sæcularis Philosophiæ, cum videret nihil vitale ac salubre sibi illam præbere, ipsum studet & inuestigando ac salubriter tractando vsquequaque quærere sapientiæ haustum, quem tamen veraciter non inuenit, nisi perueniat ad fontem vitæ qui ait: qui sitit veniat ad me & bibat, & de ventre eius fluent aquæ.* 99

Rabanus. Ioan. 7.

CAPVT



# CAPVT OCTAVVM.

## SYNOPSIS.

Finita post septem dies prima plaga, siue Mosis rogatu, & Pharaone meliora spondente, siue spontanea Dei misericordia, vel plaga adhuc durante, misit Deus Moysen, vt induratum Pharaonem nouis armis expugnaret: tres enim plagæ in hoc capite recensentur, nempe ranarum, scyniphum, & omnis generis muscarum, quibus inflictus, nihilominus mansit cor Pharaonis induratum.



### *VARIETAS LECT. Vers. 1. & 2.*

A *Vulg.* Dixit quoque Dominus ad Moysem, ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum, hæc dicit Dominus, dimitte populum meum vt sacrificet mihi.

*Sept.* Dimitte populum meum vt seruiant mihi.

*Cald.* Vt seruiant coram me.

*Vulg.* Si autem nolueris, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis.

*Sept.* Sin autem tu nolis dimittere, ecce ego ferio omnes fines tuos ranis.

### EXPOSITIO.

INgredere, in aulam ipsam, mediosque tyranni exercitus, *hæc dicit Dominus*, non ego sed omnium creator, *dimitte populum vt sacrificet mihi*, nō in Ægypto, hoc enim permisisset, sed in deserto, *si autem nolueris*, ex obstinato animo, *percutiam omnes terminos tuos ranis*, non quidem per multitudinem vrsorum, aut audaces leônes, aut noui generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem igneū spirantes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes, quarum læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere, verum percutiam ranis omnes terminos Ægypti.

### CONCEPTVS.

*Deus in ferendis nostris patientissimus.*

INgredere ad Pharaonem, & dices ad eum, dimitte populum meum. Quoties iussisti, vt ei libertatem faceret abeundi? nonne prodigiis & flagellis eum monuisti, ne diutius populum in Ægypto detineret? quid iterum mittis Moysem, vt idem

D persuadeat? quis te impedit cum scelera Pharaonis & totius Ægypti id exigerent, nulla alia monitione præuia, seuerissimas exigere pœnas, & vltimo punire supplicio? sane omnem admirationem superans est Dei patientia; quæ toties vocibus Moysis & Aaronis eos præmonet, vt mature sibi caueant, comminatus vt

reposita peccatis supplicia effugiant, & quasi A hortatur vt salutari pœnitentia ad meliorem vitæ frugem tandem reuertantur, vnde merito hic exclamat Oleast. *mirabilis valde est Domine patientia tua, quis enim ex potentatibus huius saeculi, tanta toleraret à regulo quem flatu debellare posset, toties que admoneret & rogaret, neque tam saeuires? arguit patientia Dei impatientiam nostram.*

Oleast.

### *Dei militem decet fortitudo.*

2 *Ingredere ad Pharaonem & dices ad eum, dimitte populum meum.* An ingredi sumitur hic per eum conuenire vbicumque fuerit? ait Abulensis, *ingredere ad Pharaonem, id est intra Palatium regis;* quid? an ingredietur non obtenta licentia? nonne offenso est in eum animo Pharao? quomodo aulam Regis irati intrabit, ei iniucunda annuntiaturus? flagellum grauissimum prædicturus? ranarum multitudinem innumeram in omnibus Ægypti partibus producturus? non timet Moyses in aulam mediam immanissimi tyranni ingredi, mediosque illius exercitus: decet enim milites Dei non formidare à facie aduersariorum suorum, sciunt enim secum habere omnibus fortiorem.

Abulensis.

### *Occultantes sua delicta manifestantur.*

3 *Ingredere ad Pharaonem & dices ad eum dimitte populum meum.* Et nisi dimiserit minatur innumeram ranarum multitudinem immissurum. Cur plagis ranarum Ægyptii annuntiantur puniendi? vt qui puerorum Israelitarum ac matrum eiulatus immiti aure respuerant, importuno non solum coaxantium strepitu obtunderentur, sed vt ipsæ ranæ importuna sua crocitatione, omnibus aperirent Ægyptiorum inhumanitatem: fauet noster Lyran. *ista plaga correspondet culpæ, quia pueri mergebantur, vt cum minori tumultu & strepitu extinguerentur, propter quod iusto Dei iudicio inde exierunt ranæ in maxima multitudine infestantes sua importunitate*, quasi diceret, quia Ægyptii suum peccatum occultare voluerunt, demergendo pueros antequam vagirent, propterea diuino iudicio factum est, vt ex eodem fluuio tantæ prosilirent, quæ importuna coaxatione eorum peccatum manifestarent.

Noster Lyran.

### B *Non solum verbis, sed & factis ad resipiscentiam nos prouocat Deus.*

*Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum, dimitte populum meum.* Et nisi mihi acquieuerit tanta ebulliet ranarum multitudo, vt totam Ægyptum operiet, omnesque inficiat Ægyptios, quid non omne satis erat illos commonuisse verbis, vt suæ consulentes saluti, populum suum dimitterent? cur ranas minatur immissurum, & has in tanta multitudine, vt nihil in Ægypto intactum reliquant? vt hoc prodigio ad resipiscentiam prouocarentur, præmonet Deus verbis & signis ad resipiscentiam impios, quo interim magis sint inexcusabiles, & iustitiæ Dei æquitas punientis clarior agnoscatur. stupendæ autem bonitatis diuinæ indicium est, quod id fit tam crebro & vicibus repetitis, C cum diuinæ voci ad primum statim auditum fuerit obsequendum. 4



## *VARIETAS LECT. Vers. 3. & 4.*

VVlg. Et ebulliet fluuius ranas, quæ ascendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & in populum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum.

*Sept.* Et eructabit flumen ranas, & ascendentes intrabunt in domos tuas, & in promptuaria cubiculorum tuorum, & super lectos tuos, & in domos seruorum tuorum, & populum, & in conspersis tuis & in clibanis tuis.

*Cald.* Et producet fluuius ranas, & ascendent, &c. in furnos tuos, & in panaria tua.

*OnK. & Pag.* In furnos tuos, & in pastas tuas.

*Vulg.* Et ad te & ad populum tuum, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ.

*Omnes alij.* Ascendent ranæ.

## CONCORDIA.

VErbum שרץ sarats quod vertit noster interpres ebulliet, significat in modum piscium & reptilium multiplicari: quod vero dicitur, & in reliquias ciborum tuorum, Hebraicè est ובמשארותיך vbmisarothiha, est autem dictio misaroth à verbo saar descendens, quæ & reliquias & cibus significat, vnde rectè vertit interpres, obquod etiam transferunt quidam in cibos tuos, alij & in farinam tuam, vel in conspersiones tuas, alii & in pastas tuas verterunt: Sept. concordant dicentes καὶ ἐν τοῖς φυράμασί σου, & in clibanis tuis, D vel in massis tuis, sunt & qui in pistrina seu in panaria tua reddant, ita etiam habet Cald. dicuntque Hebraicam vocem misaroth locum significare, in quo subigitur massa ad conficiendum panem, vbi pinsitur & fit panis: alij dicunt loca esse in quibus panis seruatur & reponitur à שארה seera, quod est esca: deinde quod additur & ad omnes seruos tuos intrabunt, Hebraicum verbum est יעלו iahalu futurum, ab עלה hala, & proprie ascendent redditur, hoc est adorientur, siue intrabunt ranæ, & sic omnium est sensus.

## EXPOSITIO.

EBulliet fluuius ranas, ebullire ad instar piscium, est in magna multitudine oriri, fluuium nominat ex quo eorum maxima pars prodiit, sed & ex paludibus, & aquis alijs Ægypti etiam nasci textus ipse indicat, porro omnis generis ranarum copia fuit, est enim quoddam

fluuiale, & vocale: alterum minimum quod calamitum dicitur, de quo fertur quod si in os latrantis canis prouciatur, continuo obmutescere illum faciet: tertium quod rubetum dicitur, pessimum & venenosum, quod vulgo crassentia nominatur, *& ingredientur domum tuam*, Hebræi referunt intrasse in multorum corpora, cum ore aperto dormirent, & per alios meatus, vnde sic subintelligendum est, ingressas infestè, *super stratum tuum*, super locum in quo paratur tibi mensa, & tu sedes, *& in domus seruorum tuorum, & super populum*, distinguit populum à domesticis, *& in furnos tuos*, vbi panes tui delicati coquuntur, *& in reliquias ciborum tuorum*, ita vt si aliquis cibus etiam secreto asseruabatur, nihilominus ab eis contaminabatur, *& ad te & ad populum tuum intrabunt ranæ*, non eris liber à ranis, sicut nec populus tuus, sed te nullo habito ad dignitatem, ab aspectu adorientur.

## CONCEPTVS.

### *Eidem delicto consentientes, eadem pœna plectuntur.*

5 *Ebulliet fluuius ranas, quæ ingredientur in domum tuam, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ.* Nec tibi nec populo tuo parcentes, nonne satis est Regem malorum auctorem in populum Israel, male afficit ipse enim iussit vt infantes Israelitarum crudeliter in aquis submergerentur, vt nimiis & excessiuis opprimerentur oneribus, cur ergo ranæ curiales suos, imo & populum suū, male cruciant? cur non torquerent, cum omnes Regis immanitati consensum præbuerint? qui enim eidem delicto consentiunt, eodem plecti debent supplicio: vnde recte Abulens. *primo nominatur hic rex in ista punitione. quia plus peccauit, deinde serui eius, qui aut consuluerunt, & peccauerant consentientes Regi in malum, & acriter inferendo pœnas Hebræis.* Abulensis.

### *Infirma est etiam regum potentia contra Dei voluntatem.*

6 *Ebulliet fluuius ranas, quæ ascendent in domum tuam & cubiculum lecti tui.* Quid? nonne pluribus stipatur satellitibus? nonne plurimos habet custodes, qui impedire possunt, quominus ranæ ingrediantur cubiculum regium? quomodo eas non amouent? quomodo non eiiciunt? en vt infirma est Regum potentia contra Dei voluntatem, cum Rex potentissimus à ranis eum male afficientibus deffendere se non valeat: fauet ei. Abul. *intrabunt in cameram tuam vbi dormis, nec poteris eas prohibere ab illo loco secretissimo, dato quod ponas custodes, nec poteris te deffendere ab eis, quia Deus introducet eas te non vidente, vel repugnare non valente.* Tostatus.

### *Qui alios aquis suffocauere, grauiori supplicio suffocantur.*

7 *Ebulliet fluuius ranas, quæ ascendent in domum tuam & cubiculum lecti tui.* Tenent secundum Lyran. Hebræi non solum intrasse ranas Ægyptiorum loca & cubicula, sed etiam eorum corpora, cum somno indulgerent ore aperto, ex quo recte infert Abulens. quod sic morerentur Ægyptii: cur hoc supplicio afficiuntur? cur has ita graues luunt pœnas? cur ranis suffocantur? cur ita misere pereunt? nonne vidimus aquis pueros Israelitarum suffocasse? cur ergo hi grauiori suffocatione non perirent?

### *Deus variis vtitur remediis, vt nos ad se alliciat.*

8 *Ebulliet fluuius ranas quæ ascendent in domum tuā.* Quid? nonne aquarum conuersione in sanguinem ad meliorem frugem reuocare conatus est Pharaonis animum? nonne ex virgis in colubros, qui serpentes Ægyptiorum deuorauere, commutatis potuit Pharao colligere Deum esse, qui per suos seruos talia operabatur prodigia? cui ergo si his commotus non fuit portentis, vlterius addit ranarum miraculum? quia Deus ita misericors, vt variis vtatur remediis ad reprobos meliori frugi reducendos, sic Hugo Cardin. *consuetudo Domini est multiplicare remedia, vt si vnum non prosit, aliud prodesse possit, vnde cum Pharao nō fuit emollitus per primam plagam, tentat Dominus emollire per secundam, vt tandem multis appositis remediis non sanatum iustius ferias & condemnet.* Hugo Cardinal.

### *Ex fœtido hominum corde, quid nisi immunditia prodire potest?*

9 *Ebulliet fluuius ranas quæ ascendent in domum tuā, &c.* Quid quæso intelligere possumus per ranarū speciem deformem atque loquacem, cui vita dubia (nam & aquaticum & terrestre animal est) cuius saltus repens, cuius aspectus turpissimus, cuius è corpore intolerabilis fœtor emittitur, quod domos lectulosque, ipsaque penetralia Ægyptiorum sordidat, & Hebræorum vitam non maculat? quomodo omnia apud Ægyptios contaminat rana, apud Hebræos autem omnia intacta relinquit? nonne apud vtrosque omnia conspurcare deberet? audiamus S. Greg. Niss. doctissime lib. de vita Moysis satisfacientem, *per hanc ranarum multitudinem, varios malitiæ corruptionisque fœtus qui ex fœtido hominum corde quasi è putrido limo nascuntur, intelligimus: hæc immunda ranarum multitudo, domos eorū qui ægyptiacè, idest, vitiosè viuere malunt, habitat: in mensis eorum abundat, in lectulis assidet, in abditis eorum omnibus atque reconditis rebus inuenitur: vere namque sordida luxuriosaque vita ex corrupto fœtidoque limo passionum profecta, dubium quoddam animal est, aquaticum scilicet atque terrestre: homo natura est, qui ita viuit, electione vero pecus, deciditque sordidius, vnde fit, vt dubium quoddam animal hac vita efficiamur namque naturam respicit, homines, qui vitam considerat, non homines, sed ex brutorum genere nos ipse putabit: cuius quidem bruti signa tam in vniuersa domo, quam in singulis inuenias partibus, nam & in muris & in aulis diuersa ad luxuriam animi pictura, & in vasis sculptura impressa, nequitiam prædicant, quibus cogitatio ad cupiditates suas reuocatur, vituperiisque spectaculi visione ad ani-* S. Greg. Niss.

*tuam usque passionum æstu peruenientes, ne scilicet cupiditatum ardor extinguatur aut retundatur: similiter si mensas, si lectos voluptuosi corruptique hominis considerabis, idipsum inuenies; quod si recondita abditaque hominis huiusmodi non dico vascula & capsulas) multis enim ea patent, nec aliena sunt à turpitudine vitæ) sed occulta mentis & animi perspicere poteris, tum vero accumulatam ranarum putredinem reperies fœtidam, & modesti hominis etiam oculus mundus est, & hæc quæ ad luxuriam incitant, spectacula respuit, non mensa carnium aut piscium onerata congerie.*

## *VARIETAS LECT. Vers. 5. 6. & 7.*

VVlg. Dixitque Dominus ad Moysem, dic ad Aaron extende manum tuam super fluuios, & super riuos, & paludes, & educ ranas super terram Ægypti.

*Sept.* Dic Aaron fratri tuo, extende manu virgam tuam super flumina, & super riuos, & super paludes & educ ranas.

*Cald.* Leua manum tuam cum virga tua super fluuios, & super riuulos, & super paludes, & ascendere fac ranas super terram Ægypti.

*Vulg.* Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti.

*Sept.* Et adduxit ranas; & educta est rana, & operuit terram Ægypti.

*Vulg.* Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas, super terram Ægypti.

*Sept.* Feceruntque autem similiter & incantatores Ægyptiorum veneficiis suis, & adduxerunt ranas super terram Ægypti.

## *CONCORDIA.*

CErtum est in Hebræo esse [Hebrew] bemattecha, cum virga tua, quod tamen in nostro interprete facile subintelligitur: quodque dicitur & educ ranas, quoniam in Hebræo est [Hebrew] vehahal quod est imperatiuum hiphil ab eodem verbo [Hebrew] proprie & ascendere fac verti potest, notum est dictionem [Hebrew] chartummim magos, maleficos, prestigiatores, incantatores, & ariolos significare.

## EXPOSITIO.

D*ic ad Aaron extende manum tuam super fluuios.* Subaudi postquam Moses omnia regi indicarat, & ille maneret nihilominus obfirmatus in malo, tunc præcepit Moysi, vt Aaron indicaret extensionem manuum media virga super fluuios, *& educ ranas super terram Ægypti*, non quod à ranis solum eductis ab aquis afflicta fuerit Ægyptus, nam & aliæ magno numero fuerunt eductæ, *extendit manum*, sicut iusserat Moyses, & tot eductæ sunt ranæ, vt totam terram Ægypti operirent, *fecerunt similiter malefici per incantationes suas*, nimirum non tot quot Aaron, quæ scilicet operirent omnes vrbes & oppida, sed paucas aliquas ranas eduxerunt, quas prius aliunde occultè cotranstulerunt Dæmones, vel etiam quas naturaliter produxerant ex aquis, applicando actiua passiuis.

## CONCEPTVS.

### *Deo quidlibet facillimum.*

10 E*Xtende manum tuam super fluuios, & educ ranas* Ecce vt ranæ ex aquis iussu Dei producuntur, ex puluere; deinde Scyniphum innumeram eduxit multitudinem, & insecta, vnde voluit: cur ex varia eduxit animalcula, materia? cur non ex eadem? vt omnibus compertum esset, nihil sibi ex quolibet subiecto difficile operari: fauet Auctor Catenæ Grecæ, *est hoc etiam animaduertendum ranas Deum submisisse ex aquis, Scyniphes siue pediculos ex puluere, cynomias vero & insecta vnde ipse voluit, vt admoneret omnes facillimum esse Deo sine aqua, sine terra, quidquid sibi velit in medium proferre.*

Auctor Catenæ Græcæ.

### *Nihil fortuitum vel casuale respectu Dei.*

11 *Extende manum tuam super fluuios, & educ ranas.* Cur antequam eas ex fluuiis & paludibus iussisset educi; admonendum voluit Pharaonem, earum futuræ productionis? ne si sine monitione plaga tot ranarum multitudo eueniret, casualem esse & fortuitam quis prædicaret, & ideo contemnendam: consentit cit. Auctor, *nullam exigit vltionem quam prius non denuntiet, ne ex ijs sponte casu aliquo fieri credatur, sed certas esse plagas sciant, quibus contumacia Regis plecteretur, non statim à denuntiatione, sed postquam ementita est.*

Cit. Auctor.

### *Mirabilis & festina Dei operatio.*

*Extende manum tuam super fluuios & educ ranas.* Quid tunc? extensa manu innumeram eduxit multitudinem ranarum, non solum ex fluuio, sed ex paludibus & riuulis, quid? an ilico extensa manu infinitæ ebulliunt ranæ, ita vt vniuersam Ægypti terram operuerint? an temporis successu & dierum interuallis tot animalcula ebullierunt? non equidem, sed ilico, 12

vt mirabilis & festina Dei operatio innotesceret, testis Philo lib. 1. de vita Moysis, (Philo.) *vix manum extenderas, cum ranarum tanta vis prorepsit, vt non tantum fora complerct & loca subdiualia, verum etiam domos villasque & cuncta ædificia tam sacra quam prophana, tam priuata, quam publica, haud secus ac si hoc genus aquatilium missum esset in diuersi elementi coloniam, natura rerum vicissitudines immutante.*

### *Etiam vilissima animalia pro iustis decertant.*

12 *Extende manum tuam super fluuios, & educ ranas.* Quanta autem hæc fuerit calamitas, audi (Ioseph.) Iosephum, Ranarum vis immensa terram eorum populabatur refertus erat & fluuius vt aqua inde non nisi sanie earum vitiata hauriri posset; B immorientibus earum plerisque, atque imputrescentibus, plena erat & terra turpi limo ex quo enascebantur, rursusque in eundem resoluebantur, quin & domesticum victum fœdabant in esculentis atque poculentis, nusquam non repertæ, & in cubilibus quoque passim oberrantes, ita ut omnia fœterent putore, è ranis mortuis exhalante infecta. ex quibus facile intelligitur, Ægyptios hanc plagam longe molestissimam habuisse, cum nec foras prodire possent, omnibus vijs, ranarum examinibus constratis, nec manere domi, eadem luculentarum bestiarum lue tecta omnia peruadente, non edere liceret, non bibere, non dormire, non quidquam agere, quin ranæ in eos insilirent, vultum, vt erant lutulentæ turpi limo fœdarent, in oculos, in os ipsum, in interiora vestium importunissimè euaderent, lectos turmatim peterent, quin ne ignem quidem reformidantes, furnos etiam, & bullientes ollas saltu adirent, lances, cyathos edentium ac bibentium impeterent, oculos fœditate sua, aures perpetua coaxatione, nares fœtore, manus pedesque horrore putredinis intolerabiliter cruciarent. En maxima Ægyptiorum calamitas, en tantam inferre potuerunt vilissima animalia? quidni cum pro populo Dei electo decertarent? vnde optime Ba- (S. Basil. Seleuc.) sil. Seleu. orat. 11. in Moysem ait, *ranarum vndantia per Ægyptum agmina nempe per Israelitas pugnabant.*

### *Quo vilior est persona plus virtutis ostentat in aliquo eximio peragendo.*

11 *Extende manum tuam super fluuios Ægypti & extendit Aaron manus super aquas Ægypti & ascenderunt ranæ.* Non solum hic, sed etiam alibi adscribuntur Aaroni illustrissima miracula; qua (Burgensis.) de causa ad mentem hanc affert rationem Burgens. *plaga*, inquit, *fuit facta per manum Aaron qui erat minor in gradu, & hoc magis ostenditur diuina potentia in quantum per minorem seruum vincebat maleficos*, scilicet non valde magnum reputarent Ægyptii, vt Moyses in summo summi principatus honore constitutus, sic ampliaret virtutem vt prodigiosa illa miracula perpetraret: nam maior potestas viuaciores exercere solet vires ad virtutem: at vero tantam in miraculis virtutem operari minorem præfectum A & ministrum Moysis, plus virtutis ostentat, quo vilior est persona, vnde vt cæteri miraculorum stupori in populis, minor seruus parat miracula, vt à propria operantis vilitate augeatur prodigii magnitudo; ac si hominis vilitas naturalis detrahat virtuti, quam eamdem maior dignitas incrementare videtur: *crescit enim in illis meritum cui maius datur officium*, vt admonebat Cassiodorus lib. 3. variar. epist. 1. (Cassiodor.)

### *Impij in hoc quod beneficium obtinere credunt à Diabolo, grauissima pœna est.*

*Extende manum tuam super fluuios, & educ ranas.* Quod factum est, addit autem textus sacer, *Fecerunt similiter malefici per incantationes suas*, ex aquis scilicet ranas educendo, quæ per terram Ægypti reptarent, sed exigno aliquo numero, quoniam id ad maleficæ artis ostentationem satis erat: non est dubium quin tanquam singulare beneficium hoc à Dæmonibus exegissent: sed cur hoc Deo permittente factum est, cum maior Pharaonis obstinatio inde secuta sit? ne dicas beneficium à Dæmonibus consecutos, cum in maximam sibi & Ægyptiis pœnam cesserint: consulendus est Sanctus Augustinus, in lib. 21. sententiar: (S. August.) *non oportet moueri cur magicis artibus miracula fiunt, plerumque similia miraculis, quæ fiunt per sanctos Dei seruos, sicut scriptum est in Exod. quod magi Pharaonis fecerunt nonnulla similiter, sicut fecit Moyses: non ergo oportet hæc mirari, quia omnia quæ visibiliter fiunt, etiam per inferiores potestates aëris huius, non absurde fieri posse creduntur: sed hoc interest quod cum sancti talia faciunt, in no-* C *mine Domini Dei omnium rerum, & sublimioribus apparatibus subditur inferiori creaturæ, cum autem mali homines magicis artibus operantur similia, in manus suas dantur cum exaudiuntur, à Dæmonibus, digni enim sunt qui tali exauditione decipiantur, vt pœna illis sit, hoc quod videntur impetrare beneficium. Cum eis exhibent quasi priuatim, aëreæ potestates quædam miracula, vt eos habeant subiugatos permissu tamen diuinæ prouidentiæ, vt pro meritis animarum sua cuique tribuantur.*

### *Poëtæ ranis Ægypti comparantur, & ideo maxime omnibus exitiales.*

D *Extende manum tuam super fluuios & educ ranas.* Quæ omnia etiam remotissima, fœtore & importuna coaxatione impleuerunt, nullus enim locus licet suis falsis numinibus sacer, nullus virginum recessus, nullum cubile ita secretum, quod plenum non fuerit male perstrepentibus ranis: quis non dicet miserrimam Ægypti conditionem, cum nihil sit in Ægypto, quò immundissimæ ranæ non pertingant & contaminent, quin omnia insiliant interiora, omnia peruadant? sed an magis miserum & infortunatiorem dices populum Christianum, qui à tot immundis ranis, quot sunt vanissimi poëtæ, male afficiuntur? quidni? quis enim ignorat eorum scripta ingenti reipublicæ damno vniuersas domos replere, recessus virginum secretiores, nec non matronarum strata, quin & templa sacerdotum? quis enim 15

locus etiam sacratissimus quem vel poëmata fabularum, vel amorum carmina, vel libri prophanissimarum comediarum, non peruaserunt? cur ergo plagam populi Christiani ex poëtis vaniloquis, in damno, Ægyptijs ranis non dicemus malo? enim in hanc veritatem adducamus verba *Origen.* Origenis hom. 4. in Exod. *per secundam plagam in qua ranæ producuntur, indicari figuraliter arbitror carmina poetarum, qui inani quadam & inflata modulatione, velut ranarum sonis & cantibus, mundo huic deceptionis fabulas intulerunt, rana enim loquacissima, est vanitas, ad nihil autem aliud animal illud vtile est nisi quod sonum vocis improbis & importunis clamoribus reddit*, eadem habet sanctus Aug. ser. 87. *S. August.* *Rupertus.* de tempore sed pressius hoc asserit Rupert. lib. 1. in Exod. c. 32. *qui iustius comparantur fœditati ranarum, quam poëtæ perstrepentes in theatris, ridicula figmenta fabularum? ibi plane assumunt nomen Dei in vanum, Verbi gratia, cum adultero Ioui, & meretricula Veneri nomen diuinitatis adscribunt, & illæ quidem ranæ per molestæ fuerunt ascendentes domum regis & cubiculum lectuli eius, & super stratum eius, & in domos seruorum eius, & in populum eius, & in furnos eius, & in reliquias seruorum eius, istæ autem ranæ id est fabulosi poëtæ animis exitiales exstiterunt.*

### *Hæretici ranæ sunt fœdissimæ contra Christum & eius Ecclesiam impudenter vociferantes.*

16 *Extende manum tuam super fluuios Ægypti & educ ranas.* Ex sanctis Patribus non pauci sunt, qui Hæreticos ranis Ægypti conferant, sed quid commune habent Hæretici cum ranis, vt eis comparentur? ranæ enim in limosis paludibus habitant, Hæretici autem sublimiora loca conscendere nituntur, sed quid de ranis notum est audiamus? dicuntur loquaces, turpes, tædium afferentes, limosæ, fœdissimæ, impudentes, apud Ægyptios enim hieroglyficè rana impudentem significat, quietis perturbatrices, quid? nonne hæc omnia aptissimè Hæreticis conueniunt? nam si ranæ *S. August.* loquaces sunt, nonne de Hæreticis ait D. August. serm. 95. de tempore, *ipsi per superbiam & inanem contentionem strepitum vocis habere possunt, sed doctrinam veræ sapientiæ insinuare non possunt, qui enim veritati Christianæ contradicunt, & in sua vanitate decepti, decipiunt, ranæ sunt tædium afferentes auribus & non cibum mentibus*: nonne Hæretici nauseam afferunt sicut ranæ? testis est Ambros. Ansbert. in c. 16. Apoc. *sicut ranæ corporalem quietem impediunt, ita Hæretici spiritualem, quorum latratu agitur ne quieto deuotionis otio quidam percipiant veritatem, & sicut ranæ turpem proferunt sonum, sic ipsi docent pestifera dogmata coram Deo & omni corde illuminato, ineptissime sonantia*: quid sunt Hæreticorum conuenticula, nisi fœdissimi lacus, & paludes infestissimæ? nonne ranæ quietem adimunt? ita etiam Hæretici regna prouincias, ciuitates, domos, & familias frequentissime commouent, & perturbant, ea autem minime pacificant, sed potius oleo ignem immittunt, & turbatis fidelium animis, quos possunt ad se attrahunt, vt infœlicetei inquietis pereant. *Ansbert.*

### *Peccatum etiam creaturæ irrationali abominabile.*

*Extende manum tuam super fluuios Ægypti, & educ ranas.* Quæ quidem eductæ omnem Ægy- 17
ptum male affecerũt, cur ad puniendũ peccatum principis & populi Ægypti à Deo assumuntur vilissima animalcula? vt omnes doceret quod si huiusmodi creaturæ irrationales peccatũ agnoscerent, illud odio prosequerentur, cum illud Deo volente, ita seuere puniant: mens est Seraphini *Seraphin.* conclus. 1. huius capit. *ad id significandum*, inquit, *quod multoties Deus puniat peccatores per creaturas irrationales, puta diluuio, sulphureo igni carnales, & vitio pessimo irretitos, vt etiam facit nunc, quasi ex ipso facto doceat, si irrationalia & inanimata cognoscerent vtique abominarentur peccatum, & punitione dignum iudicarent ipsum, & à seipsis illud abscinderent, ipsa enim quærunt abscindere peccatum ab alijs, vt hic patet, nam ideo ranæ immittuntur Pharaoni, vt Pharao relaxet indurationem cordis sui, & hoc est signum quod quærerent abscindere peccatum à seipsis.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 8.*

VVlg. Vocauit autem Pharao Moysem & Aaron, & dixit eis, orate Dominum vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum vt sacrificet Domino.

*Cald.* Orate coram Domino, &c. & immolabunt coram Domino.

---

## EXPOSITIO.

VOcauit *Pharao Moysem & Aaron*, hinc colliges Magos circa ranarum amotionem nihil potuisse, Deo id volente vt viderent Ægyptij, se à solo Mose iuuari posse, & ad ipsum adeoque ad Deum confugerent, vnde dixerunt, *orate Dominum*, hinc patet grauiorem hanc ranarum fuisse plagam priore sanguinis, hæc enim compulit Pharaonem orare Moysem pro liberatione, quod prius non fecerat, *& dimittam populum vt sacrificet*, sic eorum tuæ satisfaciam petitioni & desiderio.

## CONCEPTVS.

*Egregius doctor, tribulatio.*

18. VOcauit Pharao Moysen & Aaron & dixit eis orate Dominum. Nonne ille est Pharao, qui tanquam merus Atheus dixerat, quis est Dominus? nescio Dominum, quomodo nunc in cognitionem vnius veri Dei deueniens ait, orate Dominum? quis non mirabitur eum qui paulo ante Dominum ignorabat & pernegabat, tam cito & Dominum confiteri, & eius auxilium atque opem summissius implorare? verum id minime mirandum, cum flagellis eruditus nempe ranarum plaga intolerabili percussus. vnde premens vtraque barbari Regis verba Orig. homi. 3. sic ait. *Audi quid respondet princeps huius mundi, se nescire Dominum dicit, vides quid agit cruda superbia? donec in laboribus hominum non est & cum hominibus non flagellatur, propterea tenuit eum superbia; denique videbis eum paulo post quantum proficit in flagellis, quanto melior verberatus efficitur, iste qui modo dicit nescio Dominum postea cum vim senserit verberum, dicturus est orate pro me Dominum, & non solum hoc, sed etiam contestantibus magis fatebitur, quia digitus Dei est in virtute signorum*, & ecce Pharao durissimus, tamen proficit verberatus, ante verbera Dominum nescit, verberatus supplicari pro se Dominum rogat. Origen.

*Si intestina vigent discordia, facile triumphus refertur etiam ab obstinatissimis.*

19. *Orate Dominum vt auferat ranas à me & à populo meo & dimittam populum vt sacrificet Domino.* Cur nunc mitior ad ranarum plagam? equidem prima illa territamenta externa fuerunt, atque saluo manente Regis palatio cum ciuium domibus forinseca illa damna minus vrgebant, nam deficientibus aquis substituebantur vina & alij liquores, at vero ranæ paludibus & aquosis locis egressæ, intrabant cubilia magnatum, ipsiusque Regis, imo vt tradunt Rabbini, etiam corpora eorum ingrediebantur, & per os quando dormiebant ore aperto, & per alios meatus per quos poterant intrare: quid hinc sequutum? equidem, vt haberent bellum domesticum Ægyptij: nam diu, noctuque pugnandum erat ranarum cum importunitate: hinc contendentibus Ægyptiis propellere a thalamo & penetralibus loquax, & sordidum animal; illinc vrgentibus ranis, nullique aut dominorum, aut seruorum cedentibus diligentiæ, sicque, domesticis intricantur litibus Ægyptij, & habent apud se, quæ internam quietam dirumpant? ne time Moyses, vincetur Pharaonis duritia, securè triumphabis: ecce quem externi timores non domuerant, statim atque intestinæ vigent discordiæ, remittit iras, obsequitur, & pollicetur, dimissurum se populum vt sacrificet Domino.

A *Oratio peccatoris non exauditur.*

*Vocauit Pharao Moysen & Aaron, & ait orate Dominum.* Cur si Deum esse fatetur, tuis precibus eum non conuertis? cur immediate Deum non deprecatur? sapienter equidem, non enim fœliciter ad Deum appropinquat oratio deprecantis virtutibus destituta, diuinæ enim legis obseruantiæ debet inniti, & virtutum præsidiis tanquam alarum remigiis in sublime promoueri: quod recte agnouit S. Ambros. ser. 12. in Psal. 118. *Volare facit orationem bona vita, & dat alas precibus spirituales, quibus sanctorum ad Deum euehatur oratio*, & statim. *Dauid orationem suam dirigit in cælestia dans illi flabra iustitiæ, sapientiæ flamina, & remigia deuotionis & fidei, innocentiæ, puritatisque subsidia, peccato enim ingrauescit oratio, & longe fit à Deo, tanto autem plus grauatur, quanto improbior est vita deprecantis.* 20. S. Ambros.

*Oratio iustorum iniquis proficit si cooperentur.*

*Vocauit Pharao Moysem & Aaron & ait, orate Dominum.* Quem deprecantes, plaga ranarum cessauit: quomodo aliorum oratio impio Pharaoni proficit, cum supplicatio pro peccatore non videatur à Deo acceptanda? nonne Deum confessus est Pharao? nonne se dimissurum populum pollicitus est, & superbum depressit animum, cum conuenit Moysem & Aaronem vt pro se deprecarentur? C quid mirum si obtinet quod postulat? licet enim sint inefficaces preces iustorum pro peccatoribus perseuerantibus, tamen non sunt inutiles iis qui bene cooperantur: apposite ad hoc Sanctus Chrysostom. homil. 1 ad Tessalonic. *Si desides fuerimus nemo vos iuuare poterit, quid profuit Hieremias Iudæis? an non tertio Deum pro illis interpellauit, & vicissim tertio audiuit, neque oraueris, neque obsecraueris pro populo isto, non enim exaudiam te? quid Saulem iuuit Samuel? an non ad extremum vsque diem lugebat illum, non tantum obiter precabatur? quid profuit Israelitis? nonne dicebat absit vt peccem intermittens orare pro vobis num omnes perierunt? nihil profuit, inquit preces, profuit plurimum, sed quando & nos aliquid agimus, nam simul agunt preces & opem ferunt, simul autem agit quispiam & opem fert & qui ipse operatur si vero deses & otiosus manseris, non magnam accipies vtilitatem.* 21. D. Chrysost.

*Maximum est supplicium superbo, humiliari.*

*Vocauit Pharao Moysen & Aaron & ait, orate Dominum.* Nonne ille est Pharao, qui qui ita intumescebat, vt non solum vtrumque fratrem despiceret, sed etiam ipsum Deum contemneret? quomodo igitur eos pro auferenda ranarum plaga grauissima deprecaturus accedit? sane cum superbissimo esset

animo, & fastu intolerabili, non est dubium quin in ea submissione, grauissimum subierit supplicium. *Coactus fuit* (inquit noster Lyranus) *vocare Moysen & Aaron, qui prius non permittebatur ingredi, & rogare quod fuit ei magna plaga, cum esset superbissimus.*

Noster Lyranus.

### *Superbus necessitate compulsus, sese humiliat.*

24. *Vocauit Pharao Moysem & Aaron & ait, orate Dominum.* Cur eos deprecaturus pro abigendis ranis conuenis? nam his eorum potestatem fateri teneberis, eamque tua & magorum tuorum maiorem, quis superbus coram aduersario suo humiliatur? quis arrogans ita se deprimit vt inferiores deprecetur? sane non voluntariè sed necessitate coactus. *Quia plaga hæc Regi & populo erat infestior* (inquit Lippom.) *quia etiam diuturnior quam prima, ideo quamuis superbus, necessitate tamen eis se se humiliare non erubuit.*

Lippom.

### *Princeps licet sit in laboribus, de suo tamen populo debet esse sollicitus.*

24. *Vocauit Pharao Moysem & Aaron & ait, orate Dominum.* Quid deprecabitur? vt à te solum ranarum plagas amoueat? an auferat Deus à me & à populo meo ranas, quid tibi tuus curæ est populus? te à laboribus exime, importunissimas ranas à te amoue: non solum pro se, sed & pro populo deprecatur, princeps enim licet sit in laboribus constitutus, sui debet habere curam populi: adstipulatur Hugo Card. *Non tantum de se sed & de suis sollicitus est Rex Ægypti, vnde videntur peiores esse prælati, qui tantum sua commoda quærunt & de suis subditis non curant, de quibus dicitur Iob 39. duratur ad filios suos, quasi non sint sui, Dauid vero boni prælati officium exprimens rogat in se conuerti gladium, & à populo remoueri 2. Reg. 24. Vertatur manus tua &c.*

Hugo Carensis. Iob 39. 2. Reg. 24.

### *Principibus intolerabiliores deberent esse hæretici, quam grauissima supplicia.*

25. *Vocauit Pharao Moysem & Aaron & ait, orate Dominum vt auferat ranas à me.* Nonne antea omnes aquæ Ægypti versæ sunt in sanguinem, & tamen non dicitur Pharao petiisse vt tolleretur sanguis à fluuiis, cum plaga esset grauissima? sic enim ex aquarum penuria necesse erat misere perire. Cur ergo nunc anxius, vt ranæ à se, & à populo suo tollantur? cur Pharao magis instat pro depellendis ranis, quam pro depellendo sanguine? si per ranas diximus ex mente D. August. serm. 95. de tempore, hæreticos exprimi: non miraberis quod principi Pharaoni acerbiores essent voces ranarum, quam rui sanguinis; vt enim principum animi ad sanguinis visum excitantur & roborantur, sic hæreticorum veneno pestifero, inficiuntur. quod autem hæretici sint ranæ fœdissimæ, imo busones quolibet alio animali venenato, principibus & populo exitialiores: audiendus est Lucas Tudensis Episcopus lib. 3. contra errores Albigens. cap. 15. Cum quidam hæretici (inquit) in Burgundiæ partibus sui erroris semina spargerent virulenta, & sanctæ prædicationis fratres Prædicatores, & fratres Minores contra eosdem hæreticos viriliter decertarent gladio ancipiti verbi Dei, eorum dogmata infatigabiliter concidentes, tandem a iudice regionis capti sunt, & vt digni erant flammarum ignibus traditi, vt maligni auctores, cum suo scelere ad terrorem cæterorum hominum finirentur. Cumque suppositis lignorum copiis, vehementer æstuarent incendia, subito miræ magnitudinis buso, qui alio nomine vocatur crapaldus affuit, & nullo cogente se vltro mediis flammis contulit, corruerat in ignem vnus hæreticorum, qui eorum Episcopus dicebatur resupinus, & dictus buso super faciem eius sedit, & videntibus cunctis qui aderant, linguam eius comedit: sequenti autem die totum eiusdem hæretici corpus ossibus exceptis versum est in fœdos busones, ita vt non possent præ multitudine nimia numerari, videntes itaque indigenæ miraculum, glorificabant Deum & laudabant eum in prædicationibus suis, qui de horrore tam immundæ pollutionis, eos dignatus est misericorditer liberare: recte omnipotens Deus per turpissima & iniucundissima animalia, quam turpissima & immundissima hæreticorum sunt dogmata voluit demonstrare, vt omnes homines hæreticum tanquam crapaldum toxicum studeant euitare, sicut enim inter omnia quadrupedia buso turpior iudicatur, ita hæretica prauitas omnibus aliis sectis est deterior, & sordidior. Iustificauit hæretica cæcitas Iudaicam perfidiam, mundificauit pollutione sua insaniam Mahometi, & luxuria sua abluit Sodomam & Gomorrham, quidquid enim pessimum est in enormitate scelerum, sanctissimum est habito respectu ad turpitudinem & ignominiam hæreticæ prauitatis.

Tudensis Episc.

### *Iusti inuocandi vt nobis faueant suis precibus.*

*Vocauit Pharao Moysem & Aaron & ait, orate Dominum.* Non est dubium Pharaonem deprecatum fuisse hos duos germanos, vt pro sua & populi incolumitate coram Deo preces funderent. Cur homines inuocas? quia iusti, qui precibus sollicitandi, vt nostri apud Deum sint memores: in huius veritatis testimonium prodeat inuictissimus Martyr & Episcopus Carthag. Cyprianus, qui sanctum Cornelium lib. 1. epist. 1. ita hortabatur. *Memores nostri inuicem simus, concordes atque vnanimes vt vtrique pro nobis semper oremus, pressuras & angustias mutua charitate releuemus, & si quis nostrum prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio pro fratribus & sororibus nostris, apud misericordiam patris non cesset oratio.* 26.

D. Cyprian.

### *Impius, hypocrita est.*

*Vocauit Pharao Moysem & Aaron & ait, orate* 27.

*Dominum.* Qualem fuisse ranarum morsum putes, qui hanc vocem expressit? qui iudu cunctatum regem, quando alia expertum omnia, priusquam ad hanc primam descenderet humilitatis vocem? agnoscit Dominum, agnoscit vltorem, legatos de pace mittit, obedientiam pollicetur, in eius cultum ac sacrificia vel cum suo damno consentit, sed ficta oratione, & lingua a pectore dissentiente, quis Pharao? nonne impius? dic ergo quod ficta, sic opinatur Auctor Catenæ.

Auctor Catenæ Aureæ. *Pharao impius Deum timere incipit, sed seruiliter, & intercessionem postulat non syncere, supplex autem nunc fit viris Dei, quos maxime odiens perditos voluisset, simulator pœnitentiæ quam statim abijcit dum liberatur a malo*, pende hæc verba *simulator pœnitentiæ.* Quasi diceret, impius ille Pharao, licet videatur ad Deum accedens, non verè tamen accedit, sed ficte sed sicut hypocrita.

***Misericordia eam, non denegatur petentibus.***

28. *Vocauit Pharao Moysem & Aaron & ait, orate*

A *Dominum.* Scilicet vt mihi & regno meo hanc præstet misericordiam, vt scilicet à nobis ranas auferat, quod & factum est: nonne negauit Dominum, coram hominibus? quomodo à Deo coram ipsis admittitur, cum Dominus dixerit qui me negauerit coram hominibus, negabo eum coram patre meo qui in cœlis est? misericordiam petiit, & quid mirum, si ei non denegetur? vnde recte Sanctus Cyprianus ad Nouatian. hæret. *Quid ergo tandem de miserationibus probare singula gestiam? quandoquidem Niniuitis, Allophylis, & longe à lege Domini constitutis propter ciuitatis suæ annunciatam euersionem deprecantibus, misericordia Dei non denegatur: ipsi illi Pharaoni sacrilega temeritate repugnanti, cum quondam cælestibus plagis verberaretur, & conuersus Moysi & fratri eius dixisset, orate pro me* D. Cyprian.

B *ad Dominum, incontinenti ab eo suspendebatur ira Dei, & tu iam Nouatiane, iudicas & nullam spem pacis ac misericordiæ habere lapsos prædicas!*



## *VARIETAS LECT. Vers. 9.*

*Vulg.* Dixitque Moyses ad Pharaonem, constitue mihi quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te, & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo, & tantum in flumine remaneant.

*Cald.* Pete tibi portentum, & constitue mihi C tempus quando deprecer pro te, vt consumantur ranæ à te.

*Onk.* Pete tibi magnum aliquid.

*Pag. & Oleast.* Gloriare super me, & dic quando deprecor pro te, vt exterminare faciam ranas à te.

## *CONCORDIA.*

Scio in Hæbreo ita haberi התפאר עלי hitpaer halai, gloriare super me, quorum verborum potest esse sensus, tu habeas istam gloriam, & hoc honoris assume, vt eligas tibi tempus, quando pro te orem, vel faciam tibi honorem, vt orem ad Dominum: Cald. Parap. pete tibi portentum, hoc est rem magnam, ad quam perficiendam requiritur magna vis & potentia.

## EXPOSITIO.

*Constitue mihi tempus, quando deprecer pro te.* Temporis definitionem, vt pro eo ad Deum orationem fundat, postulat, non solum autem pro eo, sed & pro populo suo pollicetur Dominum deprecaturum de ranis abigendis, *& tantum in flumine remaneant*, id est solum maneant in flumine, non enim omnino auferendas pollicitus est.

## CONCEPTVS.

***Non dandus aliorum malitiæ locus.***

29. *Constitue mihi tempus quando deprecer pro te.* Nonne ardentis charitatis indicium est aliorum calamitates subleuare? verum ardentioris est, cum non requisitus aliorum miseriis mederis. Cur ergo petitus vt preces coram Deo funderes pro ranarum ablatione, non ilico Deum deprecaris pro eis abigendis? cur temporis definitionem postulas? aduerte instigante magos malitia, potuisse dicere virtute sua ranas ablatas fuisse: prudenter igitur temporis definitionem pro precibus fundendis, vt ranæ abigantur, postulat Moyses, vt sic magorum malitiæ locus non daretur, sed soli virtuti diuinæ: consentit græcus apud Lippom. *Idcirco Moyses Pharaoni ait, constitue quando velis vt pro te Deum orem, vt ne magi venientes dicerent, per nos factum est vt plaga cessaris.* Anonymus Græcus.

***Regibus plura tribuenda.***

*Constitue mihi quando deprecer pro te,* Pagni. & 30.

reposita peccatis supplicia effugiant, & quasi A hortatur vt salutari pœnitentia ad meliorem vitæ frugem tandem reuertantur, vnde merito hic exclamat Oleast. *mirabilis valde est Domine patientia tua, quis enim ex potentatibus huius sæculi, tanta tolerares è regulo quem flatu debellare posset, toties que admoneres & rogares, neque iam sæuires? arguit patientia Dei impatientiam nostram.*

Oleast.

### *Dei militem decet fortitudo.*

2 *Ingredere ad Pharaonem & dices ad eum, dimitte populum meum.* An ingredi sumitur hic per eum conuenire vbicumque fuerit? ait Abulensis, *ingredere ad Pharaonem, id est intra Palatium regis;* quid? an ingredietur non obtenta licentia? nonne offenso est in eum animo Pharao? quomodo aulam Regis irati intrabit, ei iniucunda annunciaturus? flagellum grauissimum prædicturus? ranarum multitudinem innumeram in omnibus Ægypti partibus producturus? non timet Moyses in aulam mediam immanissimi tyranni ingredi, mediosque illius exercitus: decet enim milites Dei non formidare à facie aduersariorum suorum, sciunt enim secum habere omnibus fortiorem.

Abulensis.

### *Occultantes sua delicta manifestantur.*

3 *Ingredere ad Pharaonem & dices ad eum dimitte populum meum.* Et nisi dimiserit minatur innumeram ranarum multitudinem immissurum. Cur C plagis ranarum Ægyptii annuntiantur puniendi? vt qui puerorum Israelitarum ac matrum eiulatus immiti aure respuerant, importuno non solum coaxantium strepitu obtunderentur, sed vt ipsæ ranæ importuna sua crocitatione, omnibus aperirent Ægyptiorum inhumanitatem: fauet noster Lyran. *ista plaga correspondet culpæ, quia pueri mergebantur, vt cum minori tumultu & strepitu extinguerentur, propter quod iusto Dei iudicio inde exierunt ranæ in maxima multitudine infestantes sua importunitate*, quasi diceret, quia Ægyptii suum peccatum occultare voluerunt, demergendo pueros antequam vagirent, propterea diuino iudicio factum est, vt ex eodem fluuio tantæ prosilirent, quæ importuna coaxatione eorum peccatum manifestarent.

Noster Lyran. 3

### B *Non solum verbis, sed & factis ad resipiscentiam nos prouocat Deus.*

*Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum, dimitte populum meum.* Et nisi mihi acquieuerit, tanta 4
ebulliet ranarum multitudo, vt totam Ægyptum operiet, omnesque inficiat Ægyptios, quid? non ne satis erat illos commonuisse verbis, vt suæ consulentes saluti, populum suum dimitterent? cur ranas minatur immissurum, & has in tanta multitudine, vt nihil in Ægypto intactum relinquant? vt hoc prodigio ad resipiscentiam prouocarentur, præmonet Deus verbis & signis ad resipiscentiam impios, quo interim magis sint inexcusabiles, & iustitiæ Dei æquitas punientis clarior agnoscatur. stupendæ autem bonitatis diuinæ indicium est, quod id fit tam crebro & vicibus repetitis, cum diuinæ voci ad primum statim auditum fuerit obsequendum.



## *VARIETAS LECT. Vers. 3. & 4.*

VVlg. Et ebulliet fluuius ranas, quæ ascendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & in populum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum.

*Sept.* Et eructabit flumen ranas, & ascendentes intrabunt in domos tuas, & in promptuaria cubiculorum tuorum, & super lectos tuos, & in domos seruorum tuorum, & populum, & in conspersis tuis & in clibanis tuis.

*Cald.* Et producet fluuius ranas, & ascendent, &c. in furnos tuos, & in panaria tua.

*OnK. & Pag.* In furnos tuos, & in pastas tuas.

*Vulg.* Et ad te & ad populum tuum, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ.

*Omnes alij.* Ascendent ranæ.

## *CONCORDIA.*

VErbum שרץ sarat quod vertit noster inter- D pres ebulliet, significat in modum piscium & reptilium multiplicari: quod vero dicitur, & in reliquias ciborum tuorum, Hebraicè est ובמשארותיך vbmisarothua, est autem dictio misaroth à verbo saar descendens, quæ & reliquias & cibus significat, vnde recte vertit interpres, ob quod etiam transierunt quidam in cibos tuos, alij & in farinam tuam, vel in conspersiones tuas, alii & in pastas tuas verterunt: Sept. concordant dicentes ϗ ἐν τοῖς φυράμασί σου, & in clibanis tuis, vel in massis tuis, sunt & qui in pistrina seu in panaria tua reddant, ita etiam habet Cald. dicuntque Hebraicam vocem misaroth locum significare, in quo subigitur massa ad conficiendum panem, vbi pinsitur & fit panis: alij dicunt loca esse in quibus panis seruatur & reponitur à שארה seera, quod est esca: deinde quod additur & ad omnes seruos tuos intrabunt, Hebraicum verbum est יעלו iahalu futurum, ab עלה hala, & proprie ascendent redditur, hoc est adorientur, siue intrabunt ranæ, & sic omnium est sensus.

## EXPOSITIO.

EBulliet fluuius ranas, ebullire ad instar piscium, est in magna multitudine oriri, fluuium nominat ex quo eorum maxima pars prodiit, sed & ex paludibus, & aquis alijs Ægypti etiam nasci textus ipse iudicat, porro omnis generis ranarum copia fuit, est enim quoddam

fluuiale, & vocale: alterum minimum quod calamitum dicitur, de quo fertur quod si in os latrantis canis proiiciatur, continuo obmutescere illum faciet: tertium quod rubetum dicitur, pessimum & venenosum, quod vulgo crassentia nominatur, *& ingredientur domum tuam*, Hebræi referunt intrasse in multorum corpora, cum ore aperto dormirent, & per alios meatus, vnde sic subintelligendum est, ingressas infeste, *super stratum tuum*, super locum in quo paratur tibi mensa, & tu sedes, *& in domû seruorum tuorum & super populum*, distinguit populum à domesticis, *& in furnos tuos*, vbi panes tui delicati coquuntur, *& in reliquias ciborum tuorum*, ita vt si aliquis cibus etiam secreto asseruabatur, nihilominus ab eis contaminabatur, *& ad te & ad populum tuum intrabunt ranæ*, non eris liber à ranis, sicut nec populus tuus, sed nullo habito ad dignitatem tuam respectu adorientur.

## CONCEPTVS.

### *Eidem delicto consentientes, eadem pœna plectuntur.*

5 E*Bulliet fluuius ranas, quæ ingredientur in domum tuam, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ.* Nec tibi nec populo tuo parcentes, nonne satis est Regem malorum auctorem in populum Israel, male afficit ipse enim iussit vt infantes Israelitarum crudeliter in aquis submergerentur, vt nimiis & excessiuis opprimerentur oneribus, cur ergo ranæ curiales suos, imo & populum suũ, male cruciant? cur non torquerent, cum omnes Regis immanitati consensum præbuerint? qui enim eidem delicto consentiunt, eodem plecti debent supplicio: vnde recte Abulens. *primo nominatur hic rex in ista punitione. quia plus peccauit, deinde serui eius, qui aut consuluerunt, & peccauerant consentientes Regi in malum, & acriter inferendo pœnas Hebræis.*

Abulensis.

### *Infirma est etiam regum potentia contra Dei voluntatem.*

6 *Ebulliet fluuius ranas, quæ ascendent in domum tuam & cubiculum lecti tui.* Quid? nonne pluribus stipatur satellitibus? nonne plurimos habet custodes, qui impedire possunt, quominus ranæ ingrediantur cubiculum regium? quomodo eas non amouent? quomodo non eiiciunt? en vt infirma est Regum potentia contra Dei voluntatem, cum Rex potentissimus à ranis eum male afficientibus deffendere se non valeat: fauet cit. Abul. *intrabunt in cameram tuam vbi dormis, nec poteris eas prohibere ab illo loco secretissimo, dato quod ponas custodes, nec poteris te deffendere ab eis, quia Deus introducet eas te non vidente, vel repugnare non valente.*

Tostatus.

### *Qui alios aquis suffocauere, grauiori supplicio suffocantur.*

7 *Ebulliet fluuius ranas, quæ ascendent in domum tuam & cubiculum lecti tui.* Tenent secundum Lyran. Hebræi non solum intrasse ranas Ægyptiorum loca & cubicula, sed etiam eorum corpora, cum somno indulgerent ore aperto, ex quo recte infert Abulens. quod sic morerentur Ægyptii: cur hoc supplicio afficiuntur? cur has ita graues luunt pœnas? cur ranis suffocantur? cur ita misere pereunt? nonne vidimus aquis pueros Israelitarum suffocasse? cur ergo hi grauiori suffocatione non perirent?

### *Deus variis vtitur remediis, vt nos ad se alliciat.*

*Ebulliet fluuius ranas quæ ascendent in domum tuã.* 8
Quid? nonne aquarum conuersione in sanguinem ad meliorem frugem reuocare conatus est Pharaonis animum? nonne ex virgis in colubros, qui serpentes Ægyptiorum deuorauere, commutatis potuit Pharao colligere Deum esse, qui per suos seruos talia operabatur prodigia? cum ergo si his commotus non fuit poenitentis, vlterius addit ranarum miraculum? quia Deus ita misericors, vt variis vtatur remediis ad reprobos meliori frugi reducendos, sic Hugo Card. *consuetudo Domini est multiplicare remedia, vt si vnum non prosit, aliud prodesse possit, vnde cum Pharao nõ fuit emollitus per primam plagam, tentat Dominus emollire per secundam, vt tandem multis appositis remedys non sanatum iustius feriat & condemnet.* Hugo Cardinal.

### *Ex fœtido hominum corde, quid nisi immunditia prodire potest?*

*Ebulliet fluuius ranas quæ ascendent in domum tuã, &c.* Quid quæso intelligere possumus per ranarũ speciem deformem atque loquacem, cui vita dubia (nam & aquaticum & terrestre animal est) cuius saltus repens, cuius aspectus turpissimus, cuius è corpore intolerabilis fœtor emittitur, quod domos lectulosque, ipsaque penetralia Ægyptiorum sordidat, & Hebræorum vitam non maculat? quomodo omnia apud Ægyptios contaminat rana, apud Hebræos autem omnia intacta relinquit? nonne apud vtrosque omnia conspurcare deberet? audiamus S. Greg. Niss. doctissime lib. de vita Moysis satisfacientem, *per hanc ranarum multitudinem, varios malitiæ corruptionisque fœtus qui ex fœtido hominum corde quasi è putrido limo nascuntur, intelligimus: hæc immunda ranarum multitudo, domos eorũ qui ægyptiacè, idest, vitiosè viuere malunt, habitat; in mensis eorum abundat, in lectulis assidet, in abditis eorum omnibus atque reconditis rebus inuenitur: vere namque sordida luxuriosaque vita ex corrupto fœtidoque limo passionum prosecta, dubium quoddam animal est, aquaticum scilicet atque terrestre: homo natura est, qui ita viuit, electione vero pecus, secideque sordidius, vnde fit, vt dubium quoddam animal hac vita efficiamur namque naturam respicit, homines, qui vitam considerat, non homines, sed ex brutorum genere nos ipse putabit: cuius quidem brutæ signa tam in vniuersa domo, quam in singulis intimis partibus, nam & in muris & in aulis diuersa ad luxuriam animi picturæ, & in vasis sculptura impressa, nequitiam prædicant, quibus cogitatio ad cupiditates suas reuocatur, vituperosi spectaculi visione ad ani-* S. Greg. Nissen.

*nam vsque passionum æstu perueniente, ne scilicet cupiditatum ardor extinguatur aut retundatur: similiter si mensas, si lectos voluptuosi corruptique hominis considerabis, idipsum inuenies, quod si recōdita abditaque hominis huiusmodi non dico vascula & capsulas) multis enim ea patent, nec aliena sunt à turpitudine vitæ) sed occulta mentis & animi perspicere poteris, iam vero accumulatarum ranarum putredinem reperies fœtidam, & modesti hominis etiam oculus mundus est, & hæc quæ ad luxuriam incitant, spectacula respuit, non mensa carnium aut piscium onerata congerie.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 5. 6. & 7.*

VVlg. Dixitque Dominus ad Moysem, dic ad Aaron extende manum tuam super fluuios, & super riuos, & paludes, & educ ranas super terram Ægypti.

*Sept.* Dic Aaron fratri tuo, extende manu virgam tuam super flumina, & super riuos, & super paludes & educ ranas. B

*Cald.* Leua manum tuam cum virga tua super fluuios, & super riuulos, & super paludes, & ascendere fac ranas super terram Ægypti.

*Vulg.* Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti.

*Sept.* Et adduxit ranas, & educta est rana, & operuit terram Ægypti.

*Vulg.* Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram Ægypti.

*Sept.* Feceruntque autem similiter & incantatores Ægyptiorum veneficiis suis, & adduxerunt ranas super terram Ægypti.

## CONCORDIA.

CErtum est in Hebræo esse במטך bematteecha, cum virga tua, quod tamen in nostro interprete facile subintelligitur: quodque dicitur & educ ranas, quoniam in Hebræo est והעל vehahal quod est imperatiuum hiphil ab eodem verbo עלה propriè & ascendere fac verti potest, notum est dictionem חרטמים chartummim magos, maleficos, prestigiatores, incantatores, & ariolos significare.

## EXPOSITIO.

D*Ic ad Aaron extende manum tuam super fluuios.* C Subaudi postquam Moses omnia regi indicarat, & ille maneret nihilominus obstinatus in malo, tunc præcepit Moysi, vt Aaron indicaret extensionem manuum media virga super fluuios, *& educ ranas super terram Ægypti*, non quod à ranis solum eductis ab aquis afflicta fuerit Ægyptus, nam & aliæ magno numero fuerunt eductæ, *extendit manum*, sicut iusserat Moyses, & tot eductæ sunt ranæ, vt totam terram Ægypti operirent, *fecerunt similiter malefici per incantationes suas*, nimirum non tot quot Aaron, quæ scilicet operirent omnes vrbes & oppida, sed paucas aliquas ranas eduxerunt, quas prius aliunde occultè cotranstulerunt Dæmones, vel etiam quas naturaliter produxerant ex aquis, applicando actiua passiuis.

## CONCEPTVS.

### *Deo quidlibet facillimum.*

20 E*Xtende manum tuam super fluuios, & educ ranas* Ecce vt ranæ ex aquis iussu Dei producuntur, ex puluere, deinde Scyniphum innumeram eduxit multitudinem, & insecta, vnde voluit: cur ex varia eduxit animalcula materia? cur non ex eadem? vt omnibus compertum esset, nihil sibi ex quolibet subiecto difficile operari: fauet Auctor Catenæ Grecæ, *est hoc etiam animaduertendum ranas Deum submisisse ex aquis, Scyniphes siue pediculos ex puluere, cynomias vero & insecta vnde ipse voluit, vt admoneret omnes facillimum esse Deo sine aqua, sine terra, quidquid sibi velit in medium proferre.* Auctor Catenæ Grecæ.

### *Nihil fortuitum vel casuale respectu Dei.*

21 *Extende manum tuam super fluuios, & educ ranas.* Cur antequam eas ex fluuiis & paludibus iussisset educi, admonendum voluit Pharaonem, earum futuræ productionis? ne si sine monitione prægnans tot ranarum multitudo eueniret, casualem esse & D fortuitam quis prædicaret, & ideo contemnendam: consentit cit. Auctor, *nullam exigit vltionem quā prius non denuntiet, ne ex ijs sponte casu aliquo fieri credatur, sed certas esse plagas sciant, quibus contumacia Regis plecteretur, non statim à denuntiatione, sed postquam ementita est.* Cit. Auctor.

### *Mirabilis & festina Dei operatio.*

*Extende manum tuam super fluuios & educ ranas.* 22
Quid tunc? extensa manu innumeram eduxit multitudinem ranarum, non solum ex fluuio, sed ex paludibus & riuulis, quid? an illico extensa manu infinitæ ebulliunt ranæ, ita vt vniuersam Ægypti terram operuerint? an temporis successu & dierum interuallis tot animalcula ebullierunt? non equidem, sed illico,

vt mirabilis & festina Dei operatio innotesceret, testis Philo lib. 1. de vita Moysis, *vix manum extenderat, cum ranarum tanta vis prorepsit, vt non tantum fora compleret & loca sub diualia, verum etiam domos villasque & cuncta ædificia tam sacra quam prophana, tam priuata, quam publica, haud secus ac si hoc genus aquatilium missum esset in diuersi elementi coloniam, natura rerum vicissitudines immutante.*

Philo.

### *Etiam vilissima animalia pro iustis decertant.*

12 *Extende manum tuam super fluuios, & educ ranas.* Quanta autem hæc fuerit calamitas, audi Iosephum, Ranarum vis immensa terram eorum populabatur refertus erat & fluuius vt aqua inde non nisi sanie earum viciata hauriri posset; immorientibus earum plerisque, atque imputrescentibus, plena erat & terra turpi limo ex quo enascebantur, rursusque in eundem resoluebantur, quin & domesticum victum fœdabant in esculentis atque poculentis, nusquam non repertæ, & in cubilibus quoque passim oberrantes, ita vt omnia fœterent putore è ranis mortuis exhalante infecta. ex quibus facile intelligitur, Ægyptios hanc plagam longe molestissimam habuisse, cum nec foras prodire possent, omnibus vijs, ranarum examinibus constratis, nec manere domi, eadem luculentarum bestiarum lue tecta omnia peruadente, non edere liceret, non bibere, non dormire, non quidquam agere, quin ranæ in eos insilirent, vultum, vt erant lutulentæ turpi limo fœdarent, in oculos, in os ipsum, in interiora vestium importunissimè euaderent, lectos turmatim peterent, quin ne ignem quidem reformidantes, furnos etiam, & bullientes ollas saltu adirent, lances, cyathos edentium ac bibentium impeterent, oculos fœditate sua, aures perpetua coaxatione, nares fœtore, manus pedesque horrore putredinis intolerabiliter cruciarent. En maxima Ægyptiorum calamitas, en tantam inferre potuerunt vilissima animalia? quidni cum pro populo Dei electo decertarent? vnde optime Basil. Seleu. orat. 11. in Moysem ait, *ranarum vndantia per Ægyptum agmina nempe per Israelitas pugnabant.*

Ioseph. — S. Basil. Seleuc.

### *Quo vilior est persona plus virtutis ostentat in aliquo eximio peragendo.*

13 *Extende manum tuam super fluuios Ægypti & extendit Aaron manus super aquas Ægypti & ascenderunt ranæ.* Non solum hic, sed etiam alibi adscribuntur Aaroni illustrissima miracula; qua de causa ad mentem hanc affert rationem Burgens. *plaga*, inquit, *fuit facta per manum Aaron qui erat minor in gradu, & hoc magis ostenditur diuina potentia in quantum per minorem seruum vincebat maleficos*, scilicet non valde magnum reputarent Ægyptii, vt Moyses in summo summi principatus honore constitutus, sic ampliaret virtutem vt prodigiosa illa miracula perpetraret: nam maior potestas viuaciores exerere solet vires ad virtutem: at vero tantam in miraculis virtutem operari minorem præfectum

Burgensis.

A & ministrum Moysis, plus virtutis ostentat, quo vilior est persona, vnde vt crescat miraculorum stupor in populis, minor seruus parat miracula, vt à propria operantis vilitate augeatur prodigii magnitudo; ac si hominis vilitas naturalis detrahit virtuti, quam eamdem maior dignitas incrementare videtur. *crescit enim in illis meritum cui maius datur officium*, vt admonebat Cassiodorus lib. 3. variar. epist. 1.

Cassiodor.

### *Impij in hoc quod beneficium obtinere credunt à Diabolo, grauissima pœna est.*

*Extende manum tuam super fluuios, & educ ranas.* Quod factum est, addit autem textus sacer, *Fecerunt similiter malefici per incantationes suas*, ex aquis scilicet ranas educendo, quæ per terram Ægypti reptarent, sed exiguo aliquo numero, quoniam id ad maleficæ artis ostentationem satis erat: non est dubium quin tanquam singulare beneficium hoc à Dæmonibus exegissent: sed cur hoc Deo permittente factum est, cum maior Pharaonis obstinatio inde secuta sit? ne dicas beneficium à Dæmonibus consecutos, cum in maximam sibi & Ægyptiis pœnam cesserint: consulendus est Sanctus Augustinus, in lib. 21. sententiar: *non oportet moueri cur magicis artibus miracula fiunt, plerumque similia miraculis, quæ fiunt per sanctos Dei seruos, sicut scriptum est in Exod. quod magi Pharaonis fecerunt nonnulla similiter, sicut fecit Moyses: non ergo oportet hæc mirari, quia omnia quæ visibiliter fiunt, etiam per inferiores potestates aeris huius, non absurde fieri posse creduntur: sed hoc interest quod cum sancti talia faciunt, in nomine Domini Dei omnium rerum, & sublimioribus apparatibus subditur inferiori creatura, cum autem mali homines magicis artibus operantur similia, in manus suas dantur cum exaudiuntur, à Dæmonibus, digni enim sunt qui tali exauditione decipiantur, vt pœna illis fiat, hoc quod videntur impetrare beneficium. Cum eis exhibent quasi priuatim, aereæ potestates quædam miracula, vt eos habeant subiugatos permissu tamen diuinæ prouidentiæ, vt pro meritis animarum sua cuique tribuantur.*

S. August.

### *Poetæ ranis Ægypti comparantur, & ideo maxime omnibus exitiales.*

D *Extende manum tuam super fluuios & educ ranas.* Quæ omnia etiam remotissima, fœtore & importuna coaxatione impleuerunt, nullus enim locus licet suis falsis numinibus sacer, nullus virginum recessus, nullum cubile ita secretum, quod plenum non fuerit male perstrepentibus ranis: quis non dicet miserrimam Ægypti conditionem, cum nihil sit in Ægypto, quod immundissimæ ranæ non pertingant & contaminent, quin omnia insiliant interiora, omnia peruadant? sed an magis miserum & infortunatiorem dices populum Christianum, qui à tot immundis ranis, quot sunt vanissimi poëtæ, male afficiuntur? quidni? quis enim ignorat eorum scripta ingenti reipublicæ damno vniuersas domos replere, recessus virginum secretiores, nec non matronarum strata, quin & templa sacerdotum? quis enim 15

locus etiam sacratissimus quem vel poëmata fabularum, vel amorum carmina, vel libri prophanissimarum comediarum, non peruaserunt? cur ergo plagam populi Christiani ex poëtis vaniloquis, in damno, Ægyptiis ranis non dicemus maiorem? in hanc veritatem adducamus verba Origenis hom. 4. in Exod. *per secundam plagam in qua ranæ producuntur, indicari figuraliter arbitror carmina poëtarum, qui inani quadam & inflata modulatione, velut ranarum sonis & cantibus, mundo huic deceptionis fabulas intulerunt, rana enim loquacissima, est vanitas, ad nihil autem aliud animal illud vtile est nisi quod sonum vocis improbis & importunis clamoribus reddit*, eadem habet sanctus Aug. ser. 87. de tempore sed pressius hoc asserit Rupert. lib. 1. in Exod. c. 32. *qui iustius comparantur fœditati ranarum, quam poëtæ perstrepentes in theatris, ridicula figmenta fabularum? ibi plane assumunt nomen Dei in vanum, verbi gratia, cum adultero Ioui, & meretriculæ Veneri nomen diuinitatis adscribunt, & illæ quidem ranæ per molestæ fuerunt ascendentes domum regis & cubiculum lectuli eius, & super stratum eius, & in domos seruorum eius, & in populum eius, & in furnos eius, & in reliquias seruorum eius, istæ autem ranæ id est fabulosi poëtæ animis exitiales extiterunt.*

Origen. — S. August. — Rupertus.

## *Hæretici ranæ sunt fœdissimæ contra Christum & eius Ecclesiam impudenter vociferantes.*

16 *Extende manum tuam super fluuios Ægypti & educ ranas.* Ex sanctis Patribus non pauci sunt, qui Hæreticos ranis Ægypti conferant; sed quid commune habent Hæretici cum ranis, vt eis comparentur? ranæ enim in limosis paludibus habitant, Hæretici autem sublimiora loca conscendere nituntur, sed quid de ranis notum est audiamus? dicuntur loquaces, turpes, tædium afferentes, lutosæ, fœdissimæ, impudentes, apud Ægyptios enim hieroglyficè rana impudentem significat, quietis perturbatrices, quid? nonne hæc omnia aptissimè Hæreticis conueniunt? nam si ranæ loquaces sunt, nonne de Hæreticis ait D. August. serm. 95. de tempore, *ipsi per superbiam & inanem contentionem strepitum vocis habere possunt, sed doctrinam veræ sapientiæ insinuare non possunt, qui enim veritati Christianæ contradicunt, & in sua vanitate decepti, decipiunt, ranæ sunt tædium afferentes auribus & non cibum mentibus*: nonne Hæretici nauseam afferunt sicut ranæ? testis est Ambros. Ansbert. in c. 16. Apoc. *sicut ranæ corporalem quietem impediunt, ita Hæretici spiritualem, quorum latratu agitur ne quieto deuotionis otio quidam percipiant veritatem, & sicut ranæ turpem proferunt sonum, sic ipsi docent pestifera dogmata coram Deo & omni corde illuminato, ineptissime sonantia*: quid sunt Hæreticorum conuenticula, nisi fœdissimi lacus, & paludes infestissimæ? nonne ranæ quietem adimunt? ita etiam Hæretici regna prouincias, ciuitates, domos, & familias frequentissime commouent, & perturbant, ea autem minime pacificant, sed potius oleo ignem immittunt, & turbatis fidelium animis, quos possunt ad se attrahunt, vt infœliciter inquietis pereant.

S. August. — Ansbert.

## *Peccatum etiam creaturæ irrationali abominabile.*

*Extende manum tuam super fluuios Ægypti, & educ ranas.* Quæ quidem eductæ omnem Ægyptum male affecerũt, cur ad puniendũ peccatum principis & populi Ægypti à Deo assumuntur vilissima animalcula? vt omnes doceret quod si huiusmodi creaturæ irrationales peccatũ agnoscerent, illud odio prosequerentur, cum illud Deo volente, ita seuere puniant: mens est Seraphini conclus. 1. huius capit. *ad id significandum*, inquit, *quod multoties Deus punias peccatores per creaturas irrationales, puta diluuio, sulphureo igni carnales, & vitio pessimo irretitos, vt etiam facit nunc, quasi ex ipso facto dicat, si irrationalia & inanimata cognoscerent vtique abominarentur peccatum, & punitione dignum indicarent ipsum, & à seipsis illud abscinderent, ipsa enim quærunt abscindere peccatum ab alijs, vt hic patet, nam ideo ranæ immittuntur Pharaoni, vt Pharao relaxet indurationem cordis sui, & hoc est signum quod quærerent abscindere peccatum à seipsis.* 17

Seraphin.

## *VARIETAS LECT. Vers. 8.*

*Vulg.* Vocauit autem Pharao Moysem & Aaron, & dixit eis, orate Dominum vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum vt sacrificet Domino.

*Cald.* Orate coram Domino, &c. & immolabunt coram Domino.

---

## EXPOSITIO.

*Vocauit Pharao Moysem & Aaron*, hinc colligas Magos circa ranarum amotionem nihil potuisse, Deo id volente vt viderent Ægyptij, se à solo Mose iuuari posse, & ad ipsum adeoque ad Deum confugerent, vnde dixerunt, *orate Dominum*, hinc patet grauiorem hanc ranarum fuisse plagam priore sanguinis, hæc enim compulit Pharaonem orare Moysem pro liberatione, quod prius non fecerat, *& dimittam populum vt sacrificet*, sic enim tuæ satisfaciam petitioni & desiderijs.

## CONCEPTVS.

*Egregius doctor, tribulatio.*

18. VOcauit Pharao Moysen & Aaron & dixit eis orate Dominum. Nonne ille est Pharao, qui tanquam merus Atheus dixerat, quis est Dominus? nescio Dominum, quomodo nunc in cognitionem vnius veri Dei deueniens ait, orate Dominum? quis non mirabitur eum qui paulo ante Dominum ignorabat & pernegabat, tam cito & Dominum confiteri, & eius auxilium atque opem summissius implorare? verum id minime mirandum, cum flagellis eruditus nempe ranarum plaga intolerabili percussus vnde premens vtraque barbari Regis verba Orig. homi. 3. sic ait. *Audi quid respondet princeps huius mundi, se nescire Dominum dicit, vides quid agit cruda superbia? donec in laboribus hominum non est & cum hominibus non flagellatur, propterea tenuit eum superbia; denique videbis eum paulo post quantum proficit in flagellis, quanto melior verberatus efficitur, iste qui modo dicit nescio Dominum postea cum vim senserit verberum, dicturus est orate pro me Dominum, & non solum hoc, sed etiam contestantibus magis fatebitur, quia digitus Dei est in virtute signorum*, & ecce Pharao durissimus, tamen proficit verberatus, ante verbera Dominum nescit, verberatus supplicari pro se Dominum rogat.

Origen.

*Si intestinæ vigent discordiæ, facile triumphus referetur etiam ab obstinatissimis.*

19. *Orate Dominum vt auferat ranas à me & à populo meo & dimittam populum vt sacrificet Domino.* Cur nunc mitior ad ranarum plagam? equidem prima illa territamenta externa fuerunt, atque saluo manente Regis palatio cum ciuium domibus forinseca illa damna minus vrgebant, nam deficientibus aquis substituebantur vina & alij liquores, at vero ranæ paludibus & aquosis locis egressæ, intrabant cubilia magnatum, ipsiusque Regis, imo vt tradunt Rabbini, etiam corpora eorum ingrediebantur, & per os quando dormiebant ore aperto, & per alios meatus per quos poterant intrare: quid hinc sequutum? equidem, vt haberent bellum domesticum Ægyptij: nam diu, noctuque pugnandum erat ranarum cum importunitate: hinc contendentibus Ægyptiis propellere a thalamo & penetralibus loquax, & sordidum animal; illinc vrgentibus ranis, nullique aut dominorum, aut seruorum cedentibus diligentiæ, sicc ine, domesticis intricantur litibus Ægyptij, & habent apud se, quæ internam quietam dirumpant? ne time Moyses, vincetur Pharaonis duritia, securè triumphabis: ecce quem externi timores non domuerant, statim atque intestinæ vigent discordiæ, remittit iras, obsequitur, & pollicetur, dimissurum se populum vt sacrificet Domino.

A *Oratio peccatoris non exauditur.*

*Vocauit Pharao Moysen & Aaron, & ait orate Dominum.* Cur si Deum esse fateris, tuis precibus eum non contingis? cur immediate Deum non deprecaris? sapienter equidem, non enim fœliciter ad Deum appropinquat oratio deprecantis virtutibus destituta, munitæ enim legis obseruantiæ debet muniri, & virtutum præsidiis tanquam alarum remigiis in sublime promoueri: quod rectè agnouit S. Ambros. ser. 12. in Psal. 118. *Volare facit orationem bona vita, & dat alas precibus spirituales, quibus sanctorum ad Deum euehatur oratio*, & statim. *Dauid orationem suam dirigit in cælestia dans illi flatus iustitiæ, sapientiæ flamina, & remigia deuotionis & fidei, innocentiæ, puritatisque* B *subsidia, peccato enim ingrauescit oratio, & longe fit à Deo, tanto autem plus grauatur, quanto improbior est vita deprecantis.* 20. S. Ambros.

*Oratio iustorum iniquis proficit si cooperentur.*

*Vocauit Pharao Moysem & Aaron & ait, orate Dominum.* Quem deprecantes, plaga ranarum cessauit: quomodo aliorum oratio impio Pharaoni proficit, cum supplicatio pro peccatore non videatur à Deo acceptanda? nonne Deum confessus est Pharao? nonne se dimissurum populum pollicitus est, & superbum depressit animum, cum conuenit Moysem & Aaronem vt pro se deprecarentur? C quid mirum si obtinet quod postulat? licet enim sint inefficaces preces iustorum pro peccatoribus perseuerantibus, tamen non sunt inutiles iis qui bene cooperantur: apposite ad hoc Sanctus Chrysostom. homil. 1 ad Tessalonic. *Si desides fuerimus nemo vos iuuare poterit, quid profuit Hieremias Iudæis? an non tertio Deum pro illis interpellauit, & vicissim tertio audiuit, neque oraueris, neque obsecraueris pro populo isto, non enim exaudiam te? quid Saulem iuuit Samuel? an non ad extremum vsque diem lugebat illum, non tantum obiter precabatur? quid profuit Israelitis? nonne dicebat absit vt peccem intermittens orare pro vobis num omnes perierunt? nihil profunt*, inquit preces, *prosunt plurimum, sed quando & nos aliquid agimus, nam simul agunt preces & opem ferunt, simul* D *tantum agit quispiam & opem fert & qui ipse operatur si vero deses & otiosus manseris, non magnam accipies vtilitatem.* 21. D. Chrysost.

*Maximum est supplicium superbo, humiliari.*

*Vocauit Pharao Moysen & Aaron & ait, orate Dominum.* Nonne ille est Pharao, qui qui ita intumescebat, vt non solum vtrumque fratrem despiceret, sed etiam ipsum Deum contemneret? quomodo igitur eos pro auferenda ranarum plaga grauissima deprecaturus accedit? sane cum superbissimo esset

animo, & fastu intolerabili, non est dubium quin in ea submissione, grauissimum subierit supplicium. *Coactus fuit* (inquit noster Lyranus) *vocare Moysen & Aaron, qui prius non permittebatur ingredi, & rogare quod fuit ei magna plaga, cum esset superbissimus.* [Noster Lyranus.]

*Superbus necessitate compulsus, sese humiliat.*

24. *Vocauit Pharao Moysem & Aaron & ait, orate Dominum.* Cur eos deprecaturus pro abigendis ranis conuenis? nam hic eorum potestatem fateri teneberis, eamque tua & magorum tuorum maiorem, quis superbus coram aduersario suo humiliatur? quis arrogans ità se deprimit vt inferiores deprecetur? sane non voluntariè sed necessitate coactus. *Quia plaga hæc Regi & populo erat infestior* (inquit Lippom.) [Lippom.] *quia etiam diuturnior quam prima, ideo quamuis superbus, necessitate tamen eis se se humiliare non erubuit.*

*Princeps licet sit in laboribus, de suo tamen populo debet esse sollicitus.*

24. *Vocauit Pharao Moysem & Aaron & ait, orate Dominum.* Quid deprecabitur? vt à te solum ranarum plagas amoueat? ait auferat Deus à me & à populo meo ranas, quid tibi tuus curæ est populus? teà laboribus exime, importunissimas ranas à te amoue: non solum pro se, sed & pro populo deprecatur, princeps enim licet sit in laboribus constitutus, sui debet habere curam populi: adstipulatur Hugo Card. *Non tantum de se sed & de suis sollicitus est Rex Ægypti, vnde videntur peiores eo esse prælati,* [Hugo Carensis.] *qui tantum sua commoda quærunt & de suis subditis non curant, de quibus dicitur Iob 39. duratur ad filios suos, quasi non sint sui, Dauid vero* [Iob 39.] *boni prælati officium exprimens rogat in se conuerti gladium, & a populo remoueri 2. Reg. 24. vertatur manus tua &c.* [2. Reg. 24.]

*Principibus intolerabiliores deberent esse hæretici, quam grauissima supplicia.*

25. *Vocauit Pharao Moysem & Aaron & ait, orate Dominum vt auferat ranas à me.* Nonne antea omnes aquæ Ægypti versæ sunt in sanguinem, & tamen non dicitur Pharao petiisse vt tolleretur sanguis à fluuiis, cum plaga esset grauissima? sic enim ex aquarum penuria necesse erat miserè perire. Cur ergo nunc anxius, vt ranæ à se, & à populo suo tollantur? cur Pharao magis instat pro depellendis ranis, quam pro depellendo sanguine? si per ranas diximus ex mente D. August. serm. 95. de tempore, hæreticos exprimi: non miraberis quod principi Pharaoni acerbiores essent voces ranarum, quam riui sanguinis; vt enim principum animi ad sanguinis visum excitantur & roborantur, sic hæreticorum veneno pestifero, inficiuntur. quod autem hæretici sint ranæ fœdissimæ, imo bufones quolibet alio animali venenato, principibus & populo exitialiores: audiendus est Lucas Tudensis Episcopus lib. 3. contra errores Albigens. cap. 15. [Tudensis Epis.] Cum quidam hæretici (inquit) in Burgundiæ partibus sui erroris semina spargerent virulenta, & sanctæ prædicationis fratres Prædicatores, & fratres Minores contra eosdem hæreticos viriliter decertarent gladio ancipiti verbi Dei, eorum dogmata infatigabiliter concidentes, tandem a iudice regionis capti sunt, & vt digni erant flammarum ignibus traditi, vt maligni auctores, cum suo scelere ad terrorem cæterorum hominum finirentur. Cumque suppositis lignorum copiis, vehementer æstuarent incendia, subito miræ magnitudinis bufo, qui alio nomine vocatur crapaldus affuit, & nullo cogente se vltro mediis flammis contulit, corruerat in ignem vnus hæreticorum, qui eorum Episcopus dicebatur, resupinus, & dictus bufo super faciem eius sedit, & videntibus cunctis qui aderant, linguam eius comedit: sequenti autem die totum eiusdem hæretici corpus ossibus exceptis versum est in fœtidos bufones, ita vt non possent præ multitudine nimia numerari, videntes itaque indigenæ miraculum, glorificabant Deum & laudabant eum in prædicationibus suis, qui de horrore tam immundæ pollutionis, eos dignatus est misericorditer liberare: rectè omnipotens Deus per turpissima & iniucundissima animalia, quam turpissima & immundissima hæreticorum sunt dogmata voluit demonstrare, vt omnes homines hæreticum tanquam crapaldum toxicum studeant euitare, sicut enim inter omnia quadrupedia bufo turpior iudicatur, ita hæretica prauitas omnibus aliis sectis est deterior, & sordidior. Iustificauit hæretica cæcitas Iudaicam perfidiam, mundificauit pollutione sua insaniam Mahometi, & luxuria sua abluit Sodomam & Gomorrham, quidquid enim pessimum est in enormitate scelerum, sanctissimum est habito respectu ad turpitudinem & ignominiam hæreticæ prauitatis.

*Iusti inuocandi vt nobis faueant suis precibus.*

*Vocauit Pharao Moysem & Aaron & ait, orate* 26.
*Dominum.* Non est dubium Pharaonem deprecatum fuisse hos duos germanos, vt pro sua & populi incolumitate coram Deo preces funderent. Cur homines inuocas? quia iusti, qui precibus sollicitandi, vt nostri apud Deum sint memores: in huius veritatis testimonium prodeat inuictissimus Martyr & Episcopus Carthag. Cyprianus, qui sanctum Cornelium lib. 1. epist. 1. ita hortabatur. [D. Cyprian.] *Memores nostri inuicem simus, concordes atque vnanimes vt vbique pro nobis semper oremus, pressuras & angustias mutua charitate releuemus, & si quis nostrum prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio pro fratribus & sororibus nostris, apud misericordiam patris non cesset oratio.*

*Impius, hypocrita est.*

*Vocauit Pharao Moysem & Aaron & ait, orate* 27.

*Dominum.* Quidem fuisse ranarum morsum putes, qui hanc vocem expressit? an nimium cunctatum regem, quandiu alia expertum omnia, priusquam ad hanc primam descenderet humilitatis vocem? agnoscit Dominum, agnoscit vltorem, legatos de pace mittit, obedientiam pollicetur, in eius cultum ac sacrificia vel cum suo damno consentit, sed ficta oratione, & lingua a pectore dissentiente. quis Pharao? nonne impius? dic ergo quod ficta, sic opinatur Auctor Catenæ.

Auctor Catenæ Auteæ. *Pharao impius Deum timere incipit, sed seruiliter, & intercessionem postulat non syncere, supplex autem nunc fit viris Dei, quos maxime odiens perditos voluisset, simulator pœnitentiæ quam statim abijcit dum liberatur a malo,* pende hæc verba *simulator pœnitentiæ.* Quasi diceret, impius ille Pharao, licet videatur ad Deum accedens, non verè tamen accedit, sed ficte sed sicut hypocrita.

*Misericordia eam, non denegatur petentibus.*

28. *Vocauit Pharao Moysem & Aaron & ait, orate*

A *Dominum.* Scilicet vt mihi & regno meo hanc præstet misericordiam, vt scilicet à nobis ranas auferat, quod & factum est: nonne negauit Dominum, coram hominibus? quomodo à Deo coram ipsis admittitur, cum Dominus dixerit qui me negauerit coram hominibus, negabo eum coram patre meo qui in cœlis est? misericordiam petit, & quid mirum, si ei non denegetur? vnde rectè Sanctus Cyprianus ad Nouatian. hæret. *Quid ergo tandem de miserationibus probare singula gestiam? quandoquidem Niniuitis, Allophylis, & longe à lege Domini constitutis propter ciuitatis suæ annuntiatam euersionem deprecantibus, misericordia Dei non denegatur: ipsi illi Pharaoni sacrilega temeritate repugnanti, cum quondam cælestibus plagis verberaretur, & conuersus Moysi & fratri eius dixisset, orate pro me* D. Cyprian.

B *ad Dominum, incontinenti ab eo suspendebatur ira Dei, & tu iam Nouatiane, iudicas & nullam spem pacis ac misericordiæ habere lapsos prædicas!*



## *VARIETAS LECT. Vers. 9.*

VVlg. Dixitque Moyses ad Pharaonem; constitue mihi quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te, & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo, & tantum in flumine remaneant.

*Cald.* Pete tibi portentum, & constitue mihi C tempus quando deprecer pro te, vt consumantur ranæ à te.

*Onk.* Pete tibi magnum aliquid.

*Pag. & Oleast.* Gloriare super me, & dic quando deprecor pro te, vt exterminare faciam ranas à te.

## CONCORDIA.

SCio in Hæbreo ita haberi התפאר עלי hitpaer halai, gloriare super me, quorum verborum potest esse sensus, tu habeas istam gloriam, & hoc honoris assume, vt eligas tibi tempus, quando pro te orem, vel faciam tibi honorem, vt orem ad Dominum: Cald. Parap. pete tibi portentum, hoc est rem magnam, ad quam perficiendam requiritur magna vis & potentia.

## EXPOSITIO.

COnstitue mihi tempus, quando deprecer pro te. Temporis definitionem, vt pro eo ad Deum orationem fundat, postulat, non solum autem pro eo, sed & pro populo suo pollicetur Dominum deprecaturum de ranis abigendis, *& tantum in flumine remaneant,* id est solum maneant in flumine, non enim omnino auferendas pollicitus est.

## CONCEPTVS.

***Non dandus aliorum malitiæ locus.***

29. COnstitue mihi tempus quando deprecer pro te. Nonne ardentis charitatis indicium est aliorum calamitates subleuare? verum ardentioris est, cum non requisitus aliorum miseriis mederis. Cur ergo petitus vt preces coram Deo funderes pro ranarum ablatione, non ilico Deum deprecaris pro eis abigendis? cur temporis definitionem postulas? aduerte instigante magos malitia, potuisse dicere virtute sua ranas ablatas fuisse: prudenter igitur temporis definitionem pro precibus fundendis, vt ranæ abigantur, postulat Moyses, vt sic magorum malitiæ locus non daretur, sed soli virtuti diuinæ: consentit græcus apud Lippom. *Idcirco Moyses Pharaoni ait, constitue quando velis vt pro te Deum orem, vt ne magi venientes dicerent, per nos factum est vt plaga cessaris.* Anonymus Græcus.

***Regibus plura tribuenda.***

*Constitue mihi quando deprecer pro te,* Pagni. & 30.

Oleast. ex Hebræo, *gloriare super me, & dic quando deprecer.* Nonne temporis definitio à te præscribenda erat Regi, cum expulsio ranarum à te pendere videretur? cur igitur permittis, vt in eo glorietur, quod tibi tempus definierit? nonne hæc tua erit gloriatio, non illius? quis hoc in dubium reuocare poterit? nihilominus hanc ei gloriam tribuit, plura enim quæ nostra sunt, principibus concedenda. *Auctoritatem* (inquit Cardin. Caiet.) *limitandi tempus exequendi petita tribuit Moyses Pharaoni, & hanc appellat gloriam super ipsum, quia gloriari poterat Pharao, quod ipse definiret tempus impetrandi per Moysem à Deo miraculum hoc.*

Cardin. Caiet.

### *Dedisti horoscope deridendi.*

31. *Constitue mihi quando deprecer pro te.* Tempus tuis precibus cõmodum ad aliquid à Deo cõsequendum assigna, nonne Magi Pharaonis, vt aliquid fœliciter exequantur attente inuestigant, quasi nihil valerent consequi, in temporum momenta, à quibus omnia pendere arbitrantur, superstitiose contemplarentur? ita sane, sed hæc omnia ridet Moyses, nihil enim temporis virtuti ad aliquid à Deo obtinendum concedit, sicut hi qui ex horoscopo omnia rimantur, Lippomani est obseruatio. *Id loquitur* (inquit) *ne incantatores & astrologi causarentur temporis momentum, quod illi ex suo horoscopo venabantur, certum scilicet tempus incumbendi astrologiæ vel necromantiæ.*

Lippom.

### *In iustis gloriandum.*

32. *Constitue mihi quando deprecer pro te.* Ex Hebræo gloriare super me, quid? an ab hominibus gloriam pro ranis abigendis expectat? hunc enim sensum verba prædicta videntur præferre, nonne solius Dei gloria non nostra quærenda est? ne dicas igitur regi, vt super te glorietur: non ex animi tumore hæc protulit, sed vt Ægypti princeps, & alij non ignorarent, quid virtuti iustorum deberetur, & quod in eorum meritis gloriandum: mens est Oleast. *Debemus gloriari super iustos & sanctos, in quorum manu situm est auferre à nobis mala, quæ infestant nos, quod contra Lutheranos attende, dicentes sanctos non orare pro nobis.*

Oleast.

### *Deus minime tentandus, sed in eo confidendum.*

33. *Constitue mihi quando deprecer pro te.* Deum tentare videris, certum tempus præfiniens ad preces pro Pharaone fundendas, sic enim Iudith increpat maiores ciuitatis Bethuliæ, quia clamante populo ob aquæ penuriam, & ipsis consulentibus, vt per quinque dies Dei misericordia expectaretur, vt si forsan Deus de cœlo pluuiam mitteret, sin minus Assyriis ciuitas traderetur, terminum Deo constituerent: sic autem ait Iudith, qui estis vos, qui tentatis Dominum, & posuistis tempus miserationis Domini? aduerte Moysem sicut sciebat se populi liberatorem, sic non ignorasse, quæ ad munus sibi iniunctum perficiendum, in sua quomodo sita esse potestate, ex diuinæ præscripto voluntatis. Cur ergo non dicemus licet Moyses tempus orandi definierit, alienum à Deo tentando fuisse, sed solum in eo maxime confidisse, quod quæ sui muneris erant non denegaret? sensus est Episcopi Abulens. *Quando dicitur quod Moyses tentauit Dominum præfigendo tempus, respondetur quod licet præfixerit non tentauit Dominum, quia tentatio est vbi aliquis vult accipere experientiam de eo, de quo est incertus; Moyses autem non erat incertus de diuina operatione, quia quotidie mandata à Deo super hoc recipiebat; etiam quia potestas specialiter sibi à Deo fuerat attributa vt faceret quidquid vellet de Pharaone, nec est simile quod dicitur de principibus Bethuliæ, quia illi dubitauerunt de Dei auxilio, & posuerunt tempus vsque quo expectare deberent, & si vltra transiret non expectarent, sed traderent se hostibus.*

Iudith. 8. Epis. Abule.

### *Inimicis benefaciendum.*

*Constitue mihi quando deprecer pro te.* Quid? an ita leues à Pharaone iniurias accepisti? an ita exigua sensit populus Israël damna? an nullius momenti sustinuit opprobria, vt eorum immemor, non solum malum malo non compenses, imo beneficia impendere pollicearis? ita se res habet, documentum enim nobis præbet, quomodo inimicis benefaciendum. Vnde optime Cyrill. apud Damas. in Paralel. lib. 2. c. 22. *Præclara laude atque admiratione digna bonitas est misericordiam iis qui nos odio habere in animum inducunt, porrigere, atque opem ferre, ipsorumque salutis studere; nec tamen iacentibus insultare ac velut inequitare atque eam calamitatem, in qua versantur, risui ac ludibrio per summam crudelitatem habere, quam ea quæ eos è laqueo eximere possint, facere, ac moliri, ac præterea eorum causa supplices ad Deum, qui rerum omnium imperium tenet, preces adhibere.* 34.

Cyrill.

### *Plus gloriandum de precibus sanctorum quam de strenuorum ducum facinoribus.*

*Constitue mihi quando deprecer pro te*, Oleast. *gloriare super me, quando deprecer pro te, vt exterminare faciam ranas.* Non solum postulat quod tempus orandi ei constituat, sed insuper petit, vt iam glorietur de tanto oratore habito apud Deum. Cur non ait, vt gloriam suam, in ducum suorum eximiis facinoribus constituat, cum apud reges non sit insolitum, de ducum suorum heroicis actibus gloriari, & apud omnes famam eorum ostentare? recte ei persuadet, vt in se glorietur, quia non sic apparet gloriosus princeps ex facinoribus ducum suorum eximiis, vt ex virorum sanctorum precibus apud Deum. huc refero historiam à Paulo Orosio conscriptam lib. 7. c. 36. *Cum aduersus truculentissimum tyrannum Gildum, expeditionem Mascezil pararet, de hoc sic loquitur, igitur Mascezil iam inde à Theodosio sciens, quantum in rebus desperatissimis oratio hominis per fidem Christi, à clementia Dei impetraret, Capraream insulam adiit, vnde secum sanctos seruos Dei aliquot permotos precibus suis,* 35.

Paulus Orosius.

*cum iis orationibus, Psalmis, dies ac noctes continuans, sine bello victoriam meruit, ac sine cæde vindictam.* Inde regalissimum principem, qui in exercitu parando, nihil prius curauit, quam vel à remotissimis tibi seruos Dei adiungere, quibus victoriam sine bello potitus maxime exaltauit gloriam suam.

### *Non solum benefacere, sed prompti in benefaciendo esse debemus.*

36. *Constitue mihi quando deprecer pro te.* Quid? cur cum de toties repulsa gratia illi à Deo oblata non increpas, quod se tum superbia, tum immanitate se beneficiis Dei indignum reddiderit? quod cum media pœnitentia ad meliorem frugem non redierit, cur pro ranarum expulsione, & pro sua regnique sui incolumitate, Deum deprecaberis? cur ilico cum à te petierit ad Deum orationem fundere, desideriis suis satisfacies? quia non solum benefacere, sed prompti in benefaciendo esse debemus, vnde recte Procopius. *Vide, inquit, promptitudinem Mosis vt benefaciat Pharaoni.* Procopius.

### *Deus quouis tempore ad exaudiendum promptissimus.*

*Constitue mihi quando deprecer pro te.* Cur Moyses ipsi Pharaoni optionem facit designandi tempus ad orandum? nam id honorandi eius tantum gratia vix credi potest: cur non dicemus, si polliceretur se hac die potius quam alia oraturum, quod putaret Pharao Deum vno tempore ad preces nostras audiendas promptiorem esse quam alio? vt igitur intelligeret Deum quouis tempore promptissimum esse, nullum certum præscripsit Moyses, sed Pharaoni reliquit præscribendum, vt agnosceret ex parte Dei nullam esse intempestiuitatem ad orandum, sed magnam semper opportunitatem. 37.

## *VARIETAS LECT. Vers. 10. & 11.*

*Vulg.* Qui respondit cras, at ille, iuxta inquit verbum tuum faciam, vt scias quoniam non est sicut Dominus Deus noster.

*Sep.* At ille dixit in crastinum, dixit igitur sicut dixisti, vt scias quia non est alius præter Dominum.

*Cald.* Dixitque cras & ait, iuxta verbum tuum vt scias, quia nullus est sicut Dominus Deus noster.

*Vul.* Et recedent ranæ à te, & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo, & tantum in flumine manebunt.

*Sep.* Et auferentur ranæ à te, & à domibus vestris, & à villis, & à seruis tuis, & à populo tuo.

## EXPOSITIO.

*QVi respondit cras.* Non statim sed mane, vt experiatur an diuina virtute sint inductæ ranæ, vel an naturaliter per se deficiant, quasi casu fortuito huc allatæ, sicque sine tuarum precum præsidio amoueri possint. *Iuxta inquit*
25. *verbum tuum faciam*, cras solum deprecaturus pro ranis abigendis, *vt scias quoniam non est sicut Dominus Deus noster*, quasi dicat, qui infert & aufert plagas cum vult, quod nec dij tui, nec malefici efficere potuerunt, *& recedent ranæ à te &c.* non vlterius, nec tibi nec seruis tuis erunt molestæ, *tantum in flumine remanebunt* non amplius ex eo egressuræ.

## CONCEPTVS.

### *Mira est obstinati animi induratio.*

38. *QVi respondit cras.* Si nimium è ranarum importunitate angebatur, vno cum populis earum morsu appeteretur, nec vllus esset ab eis immunis, cur non citius voluit à se hanc pestem amoueri? quis enim ita sibi aduersarius vt cum possit à se malum amouere, non amoueat? ecce in voluntate Pharaonis situm est vt mediis precibus Moysis ranæ abigantur hodierno die, cur procrastinat in alterum diem? credidit impius tyrannus illud portentum non diuina sed magica arte contigisse, atque adeo tempus ad deprecandum Deum prorogauit, quia sperabat fore, vt interim per se deficeret, antequam vlla ad Deum precatio adhiberetur, vnde ipse occasionem sumeret pœnam illam, vt pote magicam irridendi, & culpam suam pertinacius amplexandi, subscribit noster Lyran. *Credebat si arte magica essent adductæ ranæ, maleficium illud per se deficeret, & ideo hoc aliquantulum experiri voluit, non tamen multum distulit propter necessitatem vigentem.* Noster Lyranus.

### *Procrastinatio in virtutis negotio, à malo prouenit.*

*Qui respondit cras.* Cognoscit se precibus Moysis apud Deum egere, vt à ranarum plaga non ferenda liberetur, & tamen à Dei vate requisitus, quando nam sunt Deo preces offerendæ, in crastinũ diem remittit. Cur non statim rogat Moysem, vt Deum deprecetur pro hac lue abigenda? cur procrastinat suam regnique sui in- 39.

columitatem? sane semper à malo venit in negotio virtutis & pietatis procrastinatio. quod rectè agnouit Philo lib. de sacrifi. Abelis & Caini. *Faciunt igitur suum officium Dei filij qui naturam patris imitando, incunctanter cum omni festinatione quod bonum est, agunt, qui nihil pulchrius facere possunt, quam quod honorent Deum sine dilatione; at dissipator Pharao dicente Moyse, constitue mihi tempus, quo pro te tuisque famulis precer, vt ranæ tollantur è medio, cum debuisset in tanta necessitate constitutus, dicere iam nunc precare, maluit differre dicens cras, vt per omnia retineret impietatis teneritudinem.* preme hæc verba, *impietatis teneritudinem*, impietas enim ita tenera est ad virtutem & pietatem amplectendam, vt nesciat in illa non procrastinare & pigritare.

Philo Alexandrinus.

*Ita stupidus est homo, vt oblatam gratiam à Deo renuat.*

40. *Qui respondit cras.* Nonne tibi non exigua à Moyse offertur gratia, quod iam iam Deum deprecabitur pro ranis abigendis, si actuleris? qua de causa ita tuis redditus insensibilis malis, in alium diem remittis beneficium accipiendum? quia ita stupidus est homo, vt oblatam à Deo gratiam admittere renuat. Fauet Diuus Ambrosius lib. de Abel & Cain c. 9. *Pharao qui opinionibus vanis & inanibus studium impendebat suum, ranis repleta Ægypto sonum inanem rerum & strepitum varium reddentibus, dicenti Moysi constitue mihi, quando pro te orem, & pro famulis tuis, & pro populo tuo, vt exterminet Dominus ranas, cum debuerit positus in tanta necessitate rogare, vt iam oraret, nec differret, respondit crastina die otiosus & negligens mora pœnam Ægypti soluturus excidio: itaque iste vbi impetrabat, immemor fiebat gratiæ, & exaltatus mente carnis suæ, obliuiscebatur Deum.*

D. Ambros.

*Deus non vult opus suum incognitum esse.*

41. *Qui respondit cras.* Quo accepto responso, ait Moyses recedent à te ranæ, & à seruis tuis, & tantum in flumine remanebunt. Cur delendam partem vnam ranarum, & alteram in flumine remanendam pollicetur? nonne vt maius conferret Pharaoni beneficium, potuit polliceri omnes omnino delendas, nec vna remanente? potuit, sed noluit, vt media parte interfecta, & altera manente, Dei hoc opus esse compertum haberetur. ita Caiet. *Hinc apparet quod magnum promittebat opus quod nec magi poterant efficere, nec natura: de ranis autem est sermo & de remansione ranarum vnarum, vt etiam ex hoc quod Deus, quas vult occidet, & quas vult seruabit, diuinum ostendatur opus.*

Cardinal Caiet.

*Deo, non nobis aliquid eximium tribuendum.*

42. *Qui respondit cras.* Deinde subiungit, faciam vt scias quoniam non est sicut Dominus noster. cur aliis non vtitur verbis? potuisset enim dicere, in hoc cognitum tibi erit, me à Deo institutum liberatorem populi, quod ranarum plagam dissoluerim: cur in his abigendis Deum à Pharaone agnoscendum & auctorem omnium pollicetur? quia Deo tanquam omnium bonorum auctori, non nobis eximia arroganda sunt. *Quasi dicat* (inquit Abul.) *ego facio hoc ad laudem Dei mei, quia tu inquisiuisti à maleficis tuis, vt in potestate deorum tuorum & suorum ranas à te abigerent, sed quia non potuerunt, ego in nomine Dei mei abigam, vt videas quod nullus Deus est ita potens vt Deus noster qui omnium Deus est.*

Epis. Abul.

*Impius plura artibus magicis tribuit, quam Deo.*

*Qui respondit cras.* Iam iam dicerem ego, vt cito immunis ab intolerabili plaga redderer: ne igitur in crastinum diem tuam remittas incolumitatem: quid mirum in alterum diem suum procrastinasse remedium? credebat enim quod magicis artibus quibus magis fidebat quam Deo, finiendam esse ranarum plagam, sicque nihili pendebat illo die Moysis orationem. adstipulatur Procop. *Electione* (inquit) *donat tyrannum, vt præstituat tempus quo malum istud e medio tollat, Pharao cunctatur, nec statim diem præscribit, putans hæc euenisse magica potentia, proinde finem mali sua sponte venturum.* 43.

Procopius.

*Intuitu meritorum iusti, plura etiam indignis conferuntur beneficia.*

*Qui respondit cras.* Et licet indignari in hominem suam cunctantem salutem deberet, nihilominus ei pollicetur, quod altero die ranarum eueniet interitus: Moyse enim ad Deum preces fundente pro ranis abigendis; solum quæ erant in flumine remanserunt: nonne impius erat Pharao, cuius induratus erat animus? cur ergo ei eximium hoc à Deo confertur beneficium? sane intuitu meritorum Moysis hanc consecutus est gratiam. obseruatio est Seraph. Porrect. Concl. 4. *Pharaonis animum videbat Deus, & consequenter pro certo sciebat, quod ad beneficium suum non emollireetur, & tamen ad preces Moysi confert illi hoc beneficium, scilicet amotionem ranarum.* 44.

Seraphinus

*Nec Deo credere volumus.*

*Qui respondit cras.* Cum homo prorsus ignoret quidnam superuentura dies pariet, an futurus sit sanus, an æger, an prospera sit consecuturus, an aduersa: mirum est quomodo Pharao ranarum deperditionem procrastinauerit, parum obseruans quod hominum sapientissimus vnicuique mandauerit Prouerb. 27. ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies. aduerte quod si ilico Moysis precibus detulisset, ilico ranarum plaga cessasset, & hac ratione miraculo coactus, fidem Deo adhibere fuisset compulsus: quid mirum igitur si suæ salutis remedium in alterum diem distulerit, ne Deo 45.

Prouerb. 27.

Deo ex animo rebelli [illegible] credere teneretur? fuit A
Hugo Catensis. Hug. Carens. *M. [illegible] non petiit amoueri, ne credere Domino compellatur.*

### *Inuidorum calumniæ occurrendum.*

46 *Qui respondit cras.* Petierat enim Moyses à Pharaone, vt sibi tempus deprecandi constitueret, quod quidem non mihi exiguum fecisse negotium, nam si statuerat Moyses Deum deprecari pro ranis abigendis, an efficacia orationis illius à tempore constituto per Pharaonem, virtutem hauriebat? non quidem, ad quid ergo diem præfiniri à Rege postulat? recte Oleast. *Nouerant vi Dei impios opera Domini beneficio dare naturæ, ideo tempus constituit vt scirentur, quæ pr miseras esse opera Dei.* Prudentissimus extitit Moyses in petendo die, quo orationem Deo fundere deberet, vt inuidiam æmulorum retunderet, quia si ipsemet diem elegisset, proclamassent ab actionem ranarum beneficium fuisse naturæ, non Dei. Oleaster.



## *VARIETAS LECT. Vers. 12.*

**V***ulg.* Egressique sunt Moyses & Aaron à Pharaone, & clamauit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum, quam condixerat Pharaoni.
*Sept.* Clamauit Moyses ad Dominum, pro finitione ranarum, sicut Pharao.
*Cald.* Et orauit Moyses coram Domino super B negotium ranarum, quod imposuerat Pharaoni.
*Onk.* Orauit super causa ranarum, quas posuerat Pharaoni.
*Pag.* Clamauit Moyses ad Dominum propter ranas, quas posuit Pharaoni.
*Arias.* Propter verbum ranarum, quas posuit Pharaoni.

---

## *CONCORDIA.*

**O**Mnes versiones in eundem sensum concidunt, nam licet Hebraicè habetur על דבר הצפרדעים al debar aze phardehim super verbo ranarū, & alij habeant, super causam, vel negotium ranarum, idem tamen sensus est, nam verbum pro re & causa accipitur frequēter ab Hebræis.

---

## EXPOSITIO.

**E***Gressique sunt Moyses & Aaron à Pharaone*, id est hoc composito fœdere, à domo Pharaonis egressi sunt, *& clamauit Moyses ad Dominum*, non voce sed desiderio, & magna ani- C mi contentione, & ad Deum eleuatione, *pro sponsione ranarum*, vt sicut promiserat Pharaoni, sic Deus auferret ranarum plagam.

---

## CONCEPTVS.

### *Iustorum orationes, societas impiorum eneruat.*

47 **E***Gressi sunt Moyses & Aaron à Pharaone.* Promiserant se pro abigendis ranis Deum deprecaturos, id tamen præstare noluerunt, intra regium Palatium, sed à domo Pharaonis abierunt: cur in ea coram Deo preces fundere noluere? nonne Deus cum sit immensus, vbique est præsens, attendens iustorum deprecationes? gradum ergo sistite coram Pharaone, vel saltem in domo eius regia Deum deprecaturi. *Noluerunt*
Lyranus. (inquit noster Lyran.) *ipso præsente orare, quia in domo sua erant idola, & homines erant dediti idololatriæ*, ac si improborum societas, non solum iustorum mores euertat, sed etiam orationes eneruet.

### *Oratio debet esse ferui da etiam pro inimicis.*

48 *Egressi sunt Moyses & Aaron à Pharaone, & clamauit Moyses ad Dominum.* An Deus surditatis vitio laborat, vt necesse sit eum clamoribus pulsare? non equidem, cur igitur clamauit? clamat equidem, non ex defectu auditus in Deo, sed ex maximo feruore, quo Dominum deprecabatur: annuit Cardinalis Caietanus. *Feruor orationis interna significatur clamore, non enim externa voce, sed interna supplicatione magna animi eleuatione in Deum clamasse dicitur*, addit Oleaster. *Docemur quam* D *feruida debeat esse oratio nostra etiam pro inimicis.* Caiet. Oleaster.

### *Confidentius agit qui pro inimicis deprecatur.*

*Egressi sunt Moyses & Aaron, & clamauit Moyses ad Dominum*, Cald. *Orauit*. Cur orat cum clamore, cum vox summissa ostentat animi demissionem, Deum deprecanti necessariam? vnde optime Macharius hom. *Qui accedunt ad Dominum debent in silentio, pace &* 49 D.Machar.

*tranquillitate multa preces fundere, nec vti clamoribus, quod laudatur in publicano orãte nec audente leuare ad celũ oculos.* Cur ergo Moyses Deũ deprecaturus maluit orare cum clamore, quam voce summissa? aduerte qui clamoribus instat alium deprecans, confidenter videtur aliquid petere; quid ergo mirum si clamore pulsat cœlũ Moyses pro aduersario sibi Pharaone? confidentius enim agit qui pro inimicis deprecatur.

### *Licet omni tempore, sed maxime in afflictione Deus inuocandus.*

50 *Egressi sunt Moyses & Aaron à Pharaone, & clamauit Moyses ad Dominum.* Precibus enim vatis se Pharao commendauerat, vt à ranarũ plaga liberaretur. Cur cum hac afflictione premeretur, petiit à Moyse, vt pro se suoque regno deprecaretur, cum Dei in omnibus immemor esset? in hoc sane prudens, cùm agnouerit maxime tẽpore necessitatis opem Dei implorandam. *Imperauit Dominus*, inquit S. Nilus apud Damas. lib. 2. Paral. cap. 15. *vt eum in die tribulationis inuoces, quare cunctari atque ignauia torpere non debemus, sed cum semper alias, cum præsertim afflictionis tempore Dei opem implorare, quo perspicuum hostibus faciamus, nos aduersarum rerum acerbitatibus minime absorptos esse, sed fidenti animo sursum ad Deum coniectos oculos habere.* S. Nilus.

### *Deum recte deprecatur, qui se coram eo demittit*

51 *Egressi sunt Moyses & Aaron à Pharaone & clamauit Moyses ad Dominum*, Caldæus, *orauit coram Domino.* A quo oratio exaudita est, scio plura commendabilem reddidisse eius deprecationem, sed quid in ea præcipue attendere debemus C quorum intuitu accepta fuit? nonne præcedenti versu diximus, ea humilitate Deo non sibi hanc futuram ranarum exterminationem tribuisse? ne miremur igitur si Deo accepta, cum eam humilitas comitata fuerit: *Ille namque perfectam Deo exhibet orationem*, inquit sanctus Laurentius Iustinian. in lib. de ligno vitæ tractatu 13. de oratione c. 9. *qui semetipsum quam pusillus sit humiliter videt, qui nihil sibi virtutis tribuit, qui bona quæ agit, esse de misericordia conditoris agnoscit, è contrario perfectam Deo exhibere orationem, atque cõtemplari Dei sapientiam non valent, qui sibi videntur sapientes, quia tanto ab eius luce longius sunt, quanto apud semetipsos minus sunt humiles, nam in eorum mentibus dum tumor elationis crescit, & orationis puritatem & contemplationis aciem claudit,* D *sicque vnde se lucere præ cæteris existimant, inde se lumine priuant.* S. Laurent.

### *Impij indigni sunt Angelorum conspectu.*

52 *Egressi sunt Moyses & Aaron à Pharaone*, Deũ deprecaturi. Cur à domo regia discedunt? nam vt optime cit. Laurent. lib. de perfectionis gradibus cap. 12. non locus sed affectus ad orandum est eligendus, scimus autem licet in Palatio Regis Deum deprecaretur, sane maximus affectus orationem eius comitaretur, qua de causa igitur alio secedit? satisfacit Abulens. *Moyses qui ista faciebat loquebatur cum Deo apparente sibi & loquente ad eum, noluit ergo ibi orare, quia Deus non dignaretur apparere ei in domo Pharaonis, quia alij non erant digni videre aut audire angelum loquentem.* Abulens.

### *Fides etiam inimicis seruanda.*

53 *Egressi sunt Moyses & Aaron à Pharaone,* B *& clamauit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni.* Nonne tibi, populoque tuo infensissimus est hostis Pharao? licet ergo ei pollicitus fueris, Deum deprecaturum pro ranis abigendis, cur tuis stas promissis, cum eis omnino indignus iudicetur? quia fides (non loquor de virtute theologica quæ est donum Dei, sed de ea quæ est dictorum conuentorumque constantia & veritas) etiam hosti seruãda est, quod eruditissime docet D. Ambr. li. 1. ca. 29. offi. duobus exemplis sacris propositis, vno Iosue seruantis fidem Gabaonitis, qui fraude & simulatione magis quam bello tentauerant plebem patrum, nolentisque in eos animaduertere, cum tamen retectis eorum fraudibus potuisset, sed conditionis impositæ affecit eos hac pœna, vt C in vsus populi Israëlitici ligna cæderent, aquasque comportarent: altero Elizei Prophetæ conducentis Syros hostes in mediam Samariam, nolentisque eos à Rege Israël trucidari, sed præcipientis panem & aquam apponi eis, vt manducarent & biberent: his laudatis fidis hominibus infert pius doctor, *Liquet igitur etiam in bello fidem & iustitiam seruari oportere, nec vllum decorum esse posse si violetur fides.* Aduerte hoc intelligendũ de promissis honestis ac licitis, nam quę sunt contra pietatem, religionem catholicam, & charitatem proximi, nequaquam sunt adimplenda, vt facile colliges ex istis axiomatibus, ex 22. per totam quæstionem quartam, desumptis, melius est vota stultæ promissionis non implere, quam crimen committere, ex Concil. Tolet. 8. in malis pro- D missis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute nouisti ne facias. D. Ambros. Concil. Tolet.

## *VARIETAS LECT. Vers. 12. & 14.*

**V**ulg. Fecitque Dominus iuxta verbũ Moysi, & mortuæ sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris.

*Sep.* Fecit autem Dominus sicut dixit Moyses.

*Cald.* Et mortuæ sunt ranæ de domibus, & de atrijs & de agris.

*Vulg.* Congregaueruntque eas in immensos aggeres, & computruit terra.

*Sep.* Et colligebant illas aceruos aceruos, & putruit terra.

*Cald.* Et congregauerunt eas in aggeres, aggeres; & computruerunt super terram.

*Pag.* Et congregauerunt eas aceruatim, & fœtuit terra.

## CONCORDIA.

Dictio חצרת chazerot, etiam atria significat, vnde recte ita vertit Cald. quod vero noster vulgatus ait, quod congregauerunt eas in immensos aggeres, sapientissime hoc modo mutauit locutionem, nam cum Hebræis superlatiua nō sint id loquendi genus supplens, per eandem vocem repetitam, vt est de quo hic loquimur, Hebraice A siquidem est חמרם חמרם chamarim chamarim, id est aceruos aceruos: quod autem sequitur & computruit terra, idem est verbum באש baas, quod fœtuit, aliqui verterunt: Cald. non ad terram sed ad ranas retulit putrefactionem, aliis autem non aduersatur, nam & terra ex computrefactione ranarum computruit.

## EXPOSITIO.

*Fecit Dominus iuxta verbum Moysi.* Satisfecit Dominus desiderio Moysis, vt secundum petitionem Pharaonis ranæ necarentur, *& mortuæ sunt de domibus*, & nulla ex his remansit, nisi in flumine, *Congregaueruntque eas in immensos aggeres, & computruit terra.* Noluit Dominus ranas fluuiis absorberi, vnde exierant, aut B ad orationem Moysis euanescere, ne Ægyptii præteritæ miseriæ immemores, tanto facilius obfirmarent animum in malum, sed quæ viuentes eos afflixerant morsu & coaxatione, mortuæ quoque affligerent nouo fœtore, & aëris corruptione, vt vehementius eos ad Hebræos remittendos impellerent.

## CONCEPTVS.

### *Oratio deprecantis pro inimicis efficacissima est.*

54 *Fecit Dominus iuxta verbum Moysi.* Ecce deprecante seruo Dei, ranæ quæ innumeræ morsu & coaxatione Ægyptiis molestæ erant, confestim pereunt: vndenam oratio Moysis tantam efficaciam habere potuit, vt eo clamante, tot ranæ interficerentur? pro quonam orationem coram Deo obtulit? sane pro Pharaone sibi infensissimo, & Ægyptiis sibi aduersariis: quid mirum igitur, si vox deprecatiua & pro inimicis, tantam C habeat efficaciam, vt Deum compellat ad concedendum facillime postulata? deprecationi S. Stephani orantis pro inimicis efficacem vocationem Pauli tribuit S. Fulgētius. *Per charitatem* (inquit) *pro lapidantibus orabat ne punirentur, charitatis virtute subnixus, vicit Saulū crudeliter sæuientem & quem in terra habuit persecutorem, ipsa scivit charitas desiderando orando acquirere, quem nequiuit monendo conuertere.* (S. Fulgent. ser. de S. Stephano)

rana Ægypto infensissimæ de medio tollerentur, quæ mortuæ in immensos aggeres congregatæ, fœtore suo, & aërem, imo & terram corrumpebant, ait enim Vulg. *& computruit terra*, ex mortuis enim dum resoluerentur, noxio calore fluebat tabes vberrima, omnia inficiens & corrumpens: cur noluit Dominus ad orationem Moysis, ranas annihilari, aut omnino euanescere? cur voluit vt etiam mortuæ fœtore suo Ægyptiis essent infensæ? ne præteritæ miseriæ immemores, ad dimittendos Hebræos non prouocarentur.

### *Oratio iustorum quam efficax.*

55 *Fecit Dominus iuxta verbum Moysi.* Cur Moyses pro abigendis ranis Deum deprecatur, & ilico exauditur? sed noli quæso inquirere cur postulata confestim obtinet: oratio enim illi qualis erat Moyses, apud Deum efficacissima est, cuius energiam contemplans S. Lauren. Iustini. lib. de perfectionis gradibus cap. 12. sic erudite eam describit. *Magna prorsus est orationis virtus, diuino conspectui oblata per angelos, hæc placat Deum, lætificat angelos, refouet sanctos, penetrat cælos, terret dæmones, aduersarios superat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem, cor illuminat, propinquam reddit Deo animā, deuotionem parit, deprecantem complet dulcedine, postulata reportat.* (S. Laurent. Iustin.)

### *Deus suī immemores non patitur esse.*

56 *Fecit Dominus iuxta verbum Moysi.* Ita vt

### *Deus hominibus nescit illudere.*

*Fecit Dominus iuxta verbum Moysi. & mortuæ sunt ranæ.* Quæ tamen computruerunt non euanescentes, sed tum foris, tum domi, tum in plateis iacentes exanimes: cur Deus ne fœtore suo Ægyptum mortuæ inficerent, euanescere, vel alio deduci non statuit, vt magis stupendum censeretur miraculum, eique intensiores referrentur gratiarum actiones? non reiicienda Lyppom. responsio, *Moriūtur ranæ idque domi & foris, ne quis præstigium fuisse æstimet, ideo & in aceruos frequētes coaceruantur, & cum tempore computruisse scribuntur, vt appareat veras extitisse ranas, non ad* D *illudendum hominibus confictas, sed verissime factas & perditas virtute Dei*, Preme, *non ad illudendum hominibus confictas*, nescit enim Deus illudere. 57 (Lyppom.)

### *Ita misericors est Deus, vt bonum opus solum externum non irremuneratum relinquat.*

*Fecit Dominus iuxta verbum Moysi, & mortuæ sunt ranæ.* Hoc requisierat à Moyse Pharao, quod tamen animo ficto fecisse constat, cum nec resipiscere ad meliorem mentem voluerit, nec populum Israël dimittere: si Deus cui omnia sunt aperta, optime nouerat eius mentem, 58

tibumque eius animũ, cur detulit precibus Moy- A sis, cur concessit Pharaoni, mediis sancti viri precibus ranarum interitum: quia demissionem Regis licet simulatam Deus misericors incremuneratam relinquere noluit: fauet auctor catenæ, *Obserua hic* (inquit) *ingentem Dei clementiam, etsi enim sciebat pænitentiam Pharaonis fictam esse, aufert tamen ad preces Moysis supplicium, tum vt ipse ostendatur verax in omnibus verbis suis, tum quod licet pænitentia Pharaonis fuerit simulata, quia tamen fuit quædam externa honestas, & externa quædam gloria Dei ab ipsa aliquomodo refecta est: Dominus enim noster intantum fauet honestati & commendationi nominis sui, vt etiam si proficiscantur ex ficto & simulato corde hominis, non tamen suis præmiis defraudet eam, non largitur quidem propter ipsam æterna præmia, largitur tamen bona corporalia & præmia huius sæculi.* B

Auctor Catenæ.

*Deus quasi hominibus iustis obedit.*

59 *Fecit Dominus iuxta verbum Moysi.* Quis modus loquendi sacræ scripturæ? videtur enim indicasse quod Deus obtemperauerit Moysi: nonne inferior est qui alteri obedit, superior autem cui obedientia redditur? Deus autem nec inferior respectu Moysis, nec Moyses respectu Dei superior: ita se res habet, tamen Deus immensa bonitate sua, tantum deferre iustorum precibus videtur, vt eis obedire quasi censeatur. nescio si ad hoc respiciens regius vates ait Psalm. 144. *voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet,* quæ explicans noster Titelmanus ait, *Tanta est Dei benignitas atque facilitas, vt paratus sit perficere ea quæ volunt & petunt serui eius, quæ ipsis proficua & salutaria fuerit.*

Psal. 144. Titelm.

## VARIETAS LECT. Vers. 15.

**V**Vlg. Videns autem Pharao quod data esset requies, ingrauauit cor suum, & non audiuit eos, sicut præceperat ei Dominus.

*Sept.* Videns autem Pharao, quoniam facta est refrigeratio, ingrauatum est cor eius.

*Onk.* Videns Pharao quod facta est dilatatio, non acquieuit eis,

*Pagni.* Et vidit Pharao quod esset respiratio.

## CONCORDIA.

**R**Ecte noster interpres verba Hebraica הרוחה כי היתה הרוחה chi haitha ravacha transtulit, quod data esset requies, licet alij etiam non male reddiderint, nam secundum plures dictio reua- C cha, proprie significat liberationem ab aliqua angustia vndique imminenti, ponitur que sæpe pro dilatatione, & cordis respiratione nec non refrigerio.

## EXPOSITIO.

**V**Idens Pharao quod data esset requies. Cessante ex Dei misericordia, & precibus Moysis ranarum plaga, *ingrauauit cor suum*, suæ induratiónis sumens occasionem ex Dei patientia & benignitate, *& non audiuit eos*, licet se promissis obstrinxerat.

## CONCEPTVS.

*Ita impius est peccator, vt ex ipsa Dei misericordia occasionem sumat peccandi.*

60 **V**Idens *Pharao quod data esset requies, ingra- D uauit cor suum.* Sensit erga se, & populum suum maximam Dei misericordiam, quod ranarum plagam à suo amouisset regno, & nihilominus ingrauauit cor suum: nonne potius tam eximio donatus beneficio, gratiarum actiones Deo optimo referre debebat? ita equidem; sed ita impius est peccator, vt ex ipsa Dei misericordia occasionem sumat peccandi: quod annuit D. Aug. quæst. 24. in Exod. *Hinc apparet non tantum fuisse illas obdurationis causas cordis Pharaonis, quod incantatores eius similia faciebant, verum etiam ipsam Dei patientiam, qua parcebat: patientia Dei secundum corda hominum quibusdam vtilis ad pœnitendum, quibusdam inutilis ad resistendum Deo, & in malo perseuerandum, non tamen per seipsam inutilis est, sed secundum cor malum, hoc & Apostolus dicit, ignoras quia patientia Dei ad penitentiam te adducit, secundum autem duritiam cordis tui & impænitens cor thesaurisas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius.*

D. August. Rom. 2.

*Videtur peccatori sibi concessa respiratio vt peccet.*

61 *Videns Pharao quod data esset requies* (Pagni.) *& vidit Pharaoh quod esset respiratio.* Quid tan tanto Dei beneficio gratus, in laudem benefactoris sui prorupit? imo ingrauauit cor suum, nec stetit promissis: nonne quasi ad extremum malorum peruenerat, ita vt vix posset respirare, & ecce concessa est illi respiratio, & in contumaciam exurgit? vnde hoc? quia tanta est peccatoris malitia, vt sibi videatur respiratio concessa, non tantum ad beneficium vitæ quantum ad Dei offensam & iniuriam, *Mox vt respiratio illi permittitur* (inquit Auctor Catenæ) *ad ingenium redit tyrannus, quem non*

Lyppom.

*pulet Domino datam fidem & hominibus non seruare.*

*In periculo positi, ad Deum confugimus, ab eo liberati, recedimus.*

62 *Videns Pharao quod data esset requies, ingrauauit cor suum.* [illegible] Pharao qui Moysen deprecatus [illegible], ora Dominum vt auferat ranas à me & à populo meo: ecce quod [illegible] quomodo [illegible] præteritæ immemor, [illegible] mentem regreditur [illegible] & in aduersitate constitutus, ad Deum confugimus, [illegible] autem liberi, [illegible]. *Sic faciunt multi*, inquit noster Lyranus, *qui cum in afflictione positi multa Deo promittunt, sed extra periculum positi rebellant.* [illegible] *Tunc maxime Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficiis fruentes honorem dare diuinæ indulgētiæ debent. At vero, si qua necessitas grauis presserit, tunc Deum recordantur. si belli terror intremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegauerit, si sæua tempestas si grando ingruerit ad Deum confugiunt, à Deo petitur auxilium, Deus vt subueniat oratur. si quis in mari, vento sæuiente iactatur hunc inuocat, si quis aliqua vi affligatur hunc potius implorat, si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur. & per eius diuinum atque vnicum nomen hominum sibi misericordiam quærit, nunquam igitur Dei meminerunt nisi dum in malis sunt, post quam metus deseruit, & pericula recesserunt, tum vero alacres ad deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, his coronant. Dei autem quem in ipsa necessitate implorauerunt ne verbo quidem gratias agunt, adeo ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria vero vt vitia omnia, sic impietas aduersus Deum nascitur.*

Noster Lyranus. Lactantius.

*Maxime indecens est Regem promissis non stare.*

63 *Videns Pharao quod data esset requies, ingrauauit cor suum.* Deinde subiungit textus, & non audiuit eos, nonne sati erat vt omnibus malitia eius contumax innotesceret, dixisse mentem eius obduratam fuisse? cur addit promissis suis nō stetisse, populum non dimisisse sicut promiserat? vt quam indignus sit nomine regis nobis esset conspectum, [illegible] tenere [illegible]: [illegible] Abulensis *Non audiuit petitionem Moysis & Aaron quam ante confirmauerat, quod valde vituperabilem virum reddit, maxime regem inconstantem dictis aut factis esse.*

Abulensis.

*Qui ex timore seruili non filiali ad Deum conuertuntur, cito labuntur.*

*Videns Pharao quod data esset requies ingrauauit cor suum.* Non immemor contumaciæ, [illegible] mentem redit obstinatam, quis non crederet vero, & non ficto animo Deum interpellasse, Aaron & fratri eius se obstrinxisse, de populo liberando? quomodo ingrauatū cor eius redditur? quomodo sermos Dei nō audit? imo quomodo mēte obstinata in Deum rebellis pugnat? quia qui ex timore seruili (vt Pharao) & non filiali ad Deum conuertuntur, cito labuntur, vt dicit Oleaster. *Cum mali timore & plagis potius quam amore conuertuntur, cum primum mala cessauerint ad mala sua redeūt.* 64

Oleaster.

*Misera hominis conditio, quod ridente aliquomodo fortuna, aduersæ præteritæ ilico sit immemor.*

*Videns Pharao quod data esset requies non audiuit eos.* Nonne immissa est in populum tuum grauissima plaga, & quæ tolerari non poterat, quæ te compulerit Moysen deprecari, vt eam Deus auerteret? quomodo nondum illa elapsa, & solum hac prospera aliquomodo vidente fortuna, ita intumescis, vt benefactores tuos nolis audire? quia ita misera est hominis conditio, quod ridēte aliquomodo prosperitate, aduersæ, quæ quasi adhuc in foribus est, ilico sit immemor. vnde recte Philo lib. 1. de vita Moysis, *Postquam* (inquit) *ab hac pœna modicum respirarunt, sicut athletæ collectis viribus quo vehementius vrgerent, ad consuetam reuersi malitiam obliti sunt eorum quæ pertulerant.* Crediderim hunc Regem stupidum aut hebetem, vt præterita statim oblitus, nihil sibi, aut paris aut grauioris mali imminere cogitaret, sicut qui serenam cœli faciem, solemque rutilantem videt, statim hesterni diei pluuias, à quibus male habuit est, obliuiscitur. 65

Philo Iud.

## VARIETAS LECT. Vers. 16. & 17.

**Vulg.** Dixit Dominus ad Moysem, loquere ad Aaron, extende virgam tuam, & percute puluerem terræ, & sint sciniphes in vniuersa terra Ægypti.

**Sept.** Et erunt sciniphes & in hominibus, & in quadrupedibus, & in omni terra Ægypti.

**Cald.** Leua virgam tuam, & percute puluerem terræ, & erunt sciniphes.

**Pagni.** Et conuertatur in pediculos, in omni terra Ægypti.

**Vulg.** Feceruntque ita, & extendit Aaron manum, virgam tenens, percussitque puluerem terræ, & facti sunt sciniphes in hominibus, & iumentis, omnis puluis terræ versus est in sciniphes, per totam terram Ægypti.

**Pagni.** Omnis puluis terræ versus est in pediculos.

**Procop.** In culices.

## CONCORDIA.

Dictio hæc sciniphes ab Hebræo desumpta videtur, additis quibusdā litteris, quæ forte apud alios tū Græcos tū Latinos auctores nō reperitur, & ideo Sep. interpretes intactā reliquerūt:

quid autem fuerint, diuersa est auctorum opinio, alij enim pediculos, quidam vermiculos alatos A culicibus similes, & ideo verterunt quidam loco cyniphum, pediculos.

## EXPOSITIO.

*Extende manum tuam & percute puluerem terræ.* Ex qua tanquam ex materia producendi erāt sciniphes, *& fint sciniphes in vniuersa terra Ægypti*, Sciniphs est musca minutissima, longis cruribus, in capite habens rostrum, quo perforat cutem animalium, nascitur ex humore, & iuxta aquas abundat, hanc Latini muscam caninam vo-

Hieronym. cant: Hieronymus affirmat sciniphes esse culi-

Philo. ces, ex Philone sciniphs est bestiola, quæ licet sit admodum exigua, infestissima tamen solet esse, quod cum summam cutem lædit, pruritum infensum ac noxium immittens, sed etiam interius pe-

Origenes. netrat per aures ac nares, læditque oculos, nisi quis cautus fuerit, Origen. hoc animal pennis quidem suspēditur per aëra volitans, sed ita subtile est, & minutum, vt oculi visum nisi acute cernentis effugiat, vel eludat corpus tamen cui insederit, acerbissimo terebrat stimulo, itaut quem volitantem videre quis non valeat, sentiat stimulantem: *Percussitque puluerem, & facti sunt sciniphes in omni terra Ægypti*, hæc plaga sciniphum quæ fuit tertia, fuit in omni terra Ægypti, nō simpliciter sed vbicunque erant Ægyptij, vel eorum iumenta, ad hæc enim tantum crucianda missi sunt sciniphes, vnde quando dicitur omnis pul- B uis terræ versus est in sciniphes, intellige per hyperbolem, omnis id est plurimus, & quasi omnis qui erat apud homines & iumenta.

## CONCEPTVS.

### *In impios omnes pro Deo pugnant Creaturæ.*

66 *Extende manum & percute puluerem terræ, & fint sciniphes.* Nonne ex aquis ortæ sunt ranæ, quæ infensissimæ fuerunt Ægyptiis? nonne è cælo grando decidet, omnia conterens? nonne ex aëre corrupto pestis mortem inferet? cur etiam ex terra producuntur sciniphes in Ægyptios insurgentes, quasi eos debellaturi? quia nulla est creatura, quæ contra Deo rebellem non pugnet, nulla creatura quæ Deo aduersanti non sit infensissima C

Auctor Cat. in Iob. & molesta, vnde Auctor Catenæ in cap. 20. Iob

Iob 20. in illa verba, reuelabunt cæli iniquitatem omnis naturæ, ait, *Cum eo qui Deo inimicus & inimicitias geret, & partem quidem malorum à cælo accipiet, partem vero à terra, cælum quidem ipsum eius deteget iniquitates, ipsaque terra instructis armatisque copiis decertabit.*

### *Supplicium pœnæ correspondet.*

67 *Extende manum & percute puluerem terræ, & fint sciniphes.* Varie nempe morsu & pruritu torquentes Ægyptios, sed qua de causa etiam in terra supplicium inuenit Deus pro Ægyptiis puniendis? reuoca in memoriam Hebræos varie in duris operibus terræ & luti tentatos & afflictos: torqueantur ergo Ægyptij & in puluere terræ, vt supplicium culpæ correspondeat: fauet noster D

Lyranus. Lyran. *Correspondet ista plaga culpæ Ægyptiorum, qua oppresserant gentem Hebræorum in duris operibus terrenis luti & lateris.*

### *Ita Deus suos vindicat, vt etiam quæ sunt persequentium percutiat.*

68 *Extende manum tuam, percute puluerem terræ, & fint sciniphes in hominibus & iumentis.* Nonne ad punitionem Ægyptiorum sufficit ab ipsis pœnas exigi? cur & à iumentis, quæ culpa carent sumitur? quia Deus ita suos vindicat à persecutoribus, vt nō solum eos, sed etiam quæ sunt illorum, per-

Abulens. cutiat. *Hæc infligebantur* (inquit Abul.) *ad maiorem punitionem malorum, vt non solum punirentur Ægyptij in se, sed etiam in rebus suis,* sicut quando *pater malus est, Deus punit eum & filios suos, vsque in quartam generationem,* vt ipse ex hoc doleat, *maxime quia hoc redundabat in damnum Ægyptiorum, nam iumenta duris muscarum aculeis terebrata consistere non poterant, & Ægyptij ea ad laborandum accipere non valebant.*

### *Deus in minimis suam potentiam aduersus sibi rebelles ostendit.*

*Extende manum tuam & percute puluerem terræ & fint sciniphes in hominibus & iumentis.* Diximus sciniphes bestiolas ita esse exiguas vt oculi visum nisi acute cernentis, effugiant, nihilominus licet sint minutissimæ, non solum summam cutem cædunt, sed etiam pruritum infensum immittunt ac noxium, & corpus cui insident, acerbissimo terebrant aculeo: sed si Deus vindictam exigere voluit ab Ægyptiis, mediis animalibus, cur non immittit leones, aut alia ferocissima animalia, quæ non solum ingentem eis incutiant timorem, sed & eos facile dilacerent? non immittit leones, non tygres, non vrsos, sed animalcula, vt in minimis suam potentiam aduersus sibi rebelles ostendat, sic Græcus in Caten. *Per hæc minima, præstantem atque inuictam potentiam* Græcus. *suam Deus ostendit.* 69

### *Deus ad pœnitentiam omnibus modis nos prouocat.*

*Extende manum tuam & percute puluerem terræ, & fint sciniphes in hominibus.* Licet infensissima essent huiusmodi animalcula, tamen mortem eis non inferebant, nonne digni extremo erant supplicio, & præcipue eorum princeps Pharao, qui remediis, nec ad meliorem mentem est reuocatus? pereat ergo, & capitali pœna plectatur merita, non vltimo afficit supplicio, sed hanc nouam plagam sciniphum, si ad pœnitentiam eum prouocare valeat, immitit, non enim mortem sed conuersionem desiderat peccatorum. *Hoc tertio supplicio* (inquit Auctor Caten.) *idē sibi vult Deus quod superioribus suppliciis, videlicet vt Rex Ægyptius ad pœnitentiam vocetur vt nomen Dei illustretur.* 70

Episcop. Metonens.

*Deus quanta suis protectione faueat, notum facit etiam inimicis.*

71 *Extende manum tuam & percute puluerem terræ, & sint scyniphes in hominibus* immittantur ferocissimaa nimalia, vt quanta dilectione in populum Israël feraris, notum sit omnibus: nam si quis princeps vellet ab aduersariis sibi alium principem, vel familiarem, vel affinem tueri, validissimo exercitu eum donaret, non autem exiguas militum præberet copias: cur igitur Deus solum vtitur minutissimis animalculis, ad fin in populum electum, argumentum amoris? imo in in hoc quanta cum dilectione amplectatur, declarat, si enim huiusmodi animalcula ferre non potuerunt Ægyptij, itaut fateri coacti fuerint, digitum Dei esse. Denique pro Hebræis pugnare, quid si ferocissima immisisset? nonne compulsi fuissent dicere, Deum maxime populo suo propitium esse? quod videre est in illa plaga scyniphum immissa in exercitum Saporis Persarum Regis, cum Nisibim obsideret, quod ita describit Theodor. hist. Eccles. tripart. lib. 5. cap. 45. Saporē non solum muri fabrica terruit, sed & altera visio perturbauit, vidit enim stantē supra murū quemdā Imperiali schemate circumamictum, & tam purpura quam diademate resplendere, arbitratus autem esse Romanorum Imperatorem, mortem minatus est eis, qui nunciauerant, non illic eum esse præsentem, quibus affirmantibus se vera dixisse, & Constantium Antiochiæ commorari, ex vultu quem videbat agnouit eorum verba esse veracia & ait: Deum bella gerere pro Romanis, cumque hoc illum male haberet, infelix sagittam emisit in aërem. Et cum vidisset quod in corpore eum iaculari non potuisset, tamen à vesania suæ impetu non recessit, tum igitur Ephrem vir mirabilis, & scriptor egregius apud Syros, sanctissimo Iacobo supplicabat, vt veniret ad murum, & videns barbaros, maledictionis iacula contra eos emitteret. Flexus ergo venerabilis homo, ascendit in quamdam turrim: & cum millia millium videret exercitus aliam maledictionem eis nō imprecatus est nisi scymphes & culices, vt per parua animalia supernam virtutem potuissent agnoscere, orationem vero secutæ sunt nebulæ scymphum & culicum, & elephantorum quidem proboscidas cum sint concauæ, equorum vero aliorumque iumentorum aures simul & nares impleuerunt. At illi ferre vim paruorum animalium non valentes, sessores suos ductoresque excussos dorsis proiecerunt, & disruptas acies confuderunt: exercitumque relinquentes summo impetu fugiebant, hoc modo miserrimus Imperator paruam clementemque correptionem in se cognoscens factam, à Deo habente prouidentiam animarum ipsum pie colentium, suum inde reduxit exercitum, confusionem non victoriam ex illa obsidione percipiens.

Historia tripartita.

*Deus superbissimos homines ignominiosis panis coercet & vilissimis.*

72 *Extende manum tuam & percute puluerem terræ, & sint scyniphes in hominibus.* Pagni. & erunt pediculi in hominibus, quis in dubium reuocare potest pediculos esse vilissima animalcula, atque quasi ignominiosa? quis enim rubore non suffunditur, cum pediculis scatet, imo cum in eo vnicus reperiatur? quomodo ergo homines principes, imo & ipsum regem Ægypti pediculis repleri, & hac ignominia notari? quis arrogantior Pharaone, qui nec verum omnium creatorem superiorem habere volebat? ecce fastidiosissimum & insolentissimum hominem per vilissima animalcula deprimit ac corrigit. nec hoc singulare est in Pharaone, plures enim arrogantia tumidi, hanc à Deo vltionem sunt experti, nonne Antiochus, vt habetur 2. Macchab. 9. Epiphanes Asiæ ac Syriæ Rex, qui Persepolis templum expoliare volens, in fugam à multitudine armata versus est, inde Ecbatanam fugiens, elatus superbia, & ita repletus arbitrabatur se iniuriam illorum, qui se fugauerant, posse in Iudæos retorquere, ideoque iussit agitari currum suum sine intermissione, affirmans se venturum Hierosolymam, & congeriem sepulchri Iudæorum eam facturum, contigit autem illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis collisione membra vexari, ita vt de corpore impij vermes scaturirent, odore etiam illius ac fœtore exercitus grauaretur, & qui paulo ante sydera contingere se arbitrabatur, cum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare, sicque diuino iudicio miserabili obitu vita functus est; manifestam Dei virtutem in semet ipso prius contestans: non multum dissimili plaga Deus Herodem Ascalonitam sanctorum innocentium interfectorem humiliauit. Lento enim calore torrebatur, qui non tam externo tactu deprehenderetur, quam intus viscera populabatur, aderat & vehemens voracitas, cui necesse esset cibos continuo suggerere simulque vexabatur intestinorum exulceratione, & colicis passionibus, pedes tumebant phlegmati humido & pellucido, similiterque inguina ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fœdo, nec minus molesto anhelitu, tandem se ipsum occidere cupiens, miserrimo periit obitu, hoc mortis genere Herodem Agrippam B. Iacobi persecutorem, præpotens Deus percussit, cum enim ipse esset Cesareæ & in honorem Cæsaris spectacula populo ederet, contigit secundo spectaculorum die, cum vestem ex argento miro artificio contextam induisse, & in theatrum diluculo venisse, ibi primis solarium radiorum ictibus argentum illustratum mire coruscabat, & ipso loquente ad populum, assentatores acclamauerūt, Dei voces, & non hominis: confestim percussit eum Angelus Domini, per eo quod non dedisset gloriam & honorem Deo, cōsumptusque à vermibus expirauit: & moriendo amicis dicebat: en ego Deus vester, vitam relinquere cogor!

Macchab. 9.

*Qui emendari non vult tandem extremum luit supplicium.*

*Extende manum tuam & percute puluerem terræ & sint scyniphes in hominibus* Ranarum immensam antea immiserat multitudinem; aquam in sanguinem conuerterat vt his emendatus plagis, ad meliorem rediret Pharao mentem, quem inemendatum vlteriori premit supplicio. an eum semper probabit? an semper medicas manus adhibebit? an semper remedia præbebit, cum incurabile sciat eius vulnus? non equidem, qui enim emendari nescit, tandem extremum luet suppli- 73

Procopius. cium *Obserues velim* (inquit Procop.) *indicia Dei quanta sapientia, potentia et clementia abundens primum incipit reprehendere Ægyptiorum mores, vbi ad reprehensionem videt obstinatos, ad minas digreditur, quibus contemptis & spretis, minas ad rem confert, pœnisque eos corrigere conatur, paulatim autem primo terrorem ipsis iniicit, sanguine, ranis, & culicibus: dein externa aggreditur bona, deinde manus admolitur vltrices illorum corporibus, non vt perdat, sed vt errantes in viam reducat, & hoc vel maximum diuinæ clementiæ argumentum est; quod in singulis se exorabilem præbet plagis, postremo vbi ipsorum morbum videt deploratum medicasque respuere artes manus, funditus vniuersos interimitne, in famis illorum vita etiam cæteris offendiculo & causa sit mali exitiique, pœnisque subiiciantur.*

## *Qui augustissimæ Eucharistiæ fidei aduersantur, scyniphibus comparantur.*

74 Noster Bernardin. Senensis. *Extende manum & percute puluerem terræ, & sint scyniphes in hominibus.* Noster Bernard Senensis tomo 4. serm. 9. de præparatione sacramenti cap. 1. art. 2. confert veritati sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti contradicentes scyniphibus, sed quid scyniphs commune habet cum oppugnante veritatem Eucharisticam? nam illud est animal minutissimum, quod facile expellitur, qui autem fidei Eucharisticæ resistit, suis sophisticis rationibus importunissimus est, nec illi facile cedit, nihilominus scyniphes eos appellat Cit. Pater *Scyniphes enim*, inquit, *de puluere terræ educti sunt, argumenta philosophorum de terreno ac subtili sensu prodeuntia, quæ circa hoc sacramentum occultum oculum puræ fidei lædant, hoc animal enim cui insederit, acerbissimo transfodit stimulo, vt quem volantem quis videre non valet, sentiat stimulantem: hoc si quidem animal arti diabolicæ comparatur, quæ minutis ac subtilibus verborum stimulis animas obtenebrat & tanta calliditate circumuenit, vt deceptus non videat nec intelligat vnde decipiatur, sed hæc plaga etiam nostris his temporibus non curatur.*

## *Licet Deus seuerus videatur, tamen iustissimus est.*

75 *Extende manum tuam & percute puluerem terræ & sint scyniphes in hominibus & iumentis.* Clades non minima, infestissimũ enim erat hoc animalculum, acerbissimo terebrans corpora, quibus insidebat, stimulo: dices Deum nimis seuerum, qui tot homines ad imaginem creatos, cladibus premat, tot afficiat suppliciis, tot plagis vrgeat, vtque in omnium dominatorem animalium Ægyptus iniiciat animalcula ea vt numina colens? ne dicas igitur seuerum sed iustissimum iudicem Deum, qui ab hominibus in suis sceleribus obstinatis, non condignas exigit pœnas. *Vide Ægyptum*, vt Tert. lib. 2. aduersus Marcion. (Tertullian.) *fœdissimam superstitiosam amplius populi hospitis constitatricem, decemplici castigatione percussam, indurat cor Pharaonis, sed meruerat in exitiũ subministrari, qui iam negauerat Deum, qui iam legatos eius, toties superbus excusserat, qui iam populo laborem operis adiecerat iustitiam ergo primo iudicis despice, cuius ratio constiterit tunc & seueritas, A & per quæ seueritas decurrit, rationi & iustitiæ reputabuntur.*

## *Sophismata hæreticorum, scyniphes Ægyptiorũ.*

*Extende manum tuam & percute puluerem terræ, & sint scyniphes in hominibus & iumentis.* Origenes ait huiusmodi animalcula sophismata dialectica esse hæreticorum, omnino absurda mihi videtur cõparatio, quid enim scyniphs cum hæretico? eius volatus cum eius sophismatibus? sophismata enim hæreticorum percipiuntur & fraudes eorum reteguntur, volatus autem scyniphis quasi imperceptibilis est, oculi enim visum etiam acute cernentis effugit: nihilominus audiendus est D. August. serm. 89. de tempore, *Hoc animalis genus dignissime arti philosophiæ vel hæreticorum calliditati poterit comparari, quæ minutis B & subtilibus verborum stimulis, animas terebrat, & tanta calliditate circumuenit, vt deceptus quisque nec videat nec intelligat vnde decipitur.* 76 Origen. D. August.

## *Sapientes & insipientes à cura secularium fatigantur.*

*Extende manum tuam & percute puluerem terræ, & sint scyniphes in hominibus & iumentis.* Cur hac clade etiam iumenta percutiuntur, cum à crimine censeantur libera? & cur ex puluere terræ scyniphes procreantur, & hominibus & iumentis infensissimi? audiamus respondentem Brunonem in allegoriis Tilmani, *Quid per scyniphes nisi cura et sollicitudo rerum temporalium intelligitur? cum enim aliquem pro hac substantia transitoria & fugitiua tam anxie laborare, discurrere, sudare, & C festinare videas, quod scyniphes eum stimulent & sequantur tibi videtur, qui merito de terræ puluere oriuntur, quoniam hæc talis cura & sollicitudo ad terrena & fugitiua bona homines inuitant, & isti quidem & in hominibus sunt & iumentis, quoniam sapientes & insipientes fatigant.* 77 Bruno apud Tilman.

## *Dum impius reprehenditur, detrahit omnibus.*

78 *Extende manum tuam & percute puluerem terræ, & sint scyniphes in hominibus & iumentis.* Cur ex virga Aaronis puluerem terræ percutiente, nascuntur scyniphes? virga enim percutiente potius hæc animalcula deberent interfici, quam produci: non est dubium, quin puluere terræ denotentur impij, iuxta illud Psalmistæ, *Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ.* (Psalm. 1.) D Nihil enim puluere sterilius, & infæcunda est anima impiorum, ait Ambros. li. 1. de Abrah. cap. 34. non hæret puluis terræ, impius diuisus est ac separatus, puluis instabilis, impius inconstans, puluis teritus, impius omnibus est contemptui: per virgam Aaron sermo Domini directiuus intelligitur; recte igitur & percutitur puluis terræ Aaronis virga, & sic nascuntur scyniphes, quia teste Stephano apud cit. Tilm. *Scyniphes sunt sermones detractoris, hoc animal modicũ est & inquietum, magna impetit & ac iter pungit, lingua enim modicum membrum est, & magna exaltat, virga Aaron est directiua sermonis Domini hac debet percuti puluis id est vita malorũ reprehendi, & sic nascuntur scyniphes, quia dum impius acriter reprehenditur, vel occulte illis detrahit, vel in aperto contumeliam facit.* D Ambros. Stephanus Cant.

*Qui alios reprehendere voluerit, bonis se muniat operibus.*

79 *Extende manum tuam*, Cald *leua manum tuam & percute puluerem terræ*. Cur vt percutiat puluerem terræ, manum suam extendit? non enim extensione manuum opus est, ad aliquid percutiendum: nonne diximus puluere terræ, malos intel-

A ligi, vt ergo recte huiusmodi puluerem percutias, vt malos reprehensionibus arguas, necesse est, vt prius ad bonum sit tua manus extensa, ita moraliter explicat Patriarcha Paludan. *Per Aaron qui extendit manum suam in qua tenebat virgam, vt percuteret terram, designatur quod qui vult aliũ reprehẽdere aut punire, si fuerit index alienus, debet primo extẽdere manũ suã ad bona opera.* Paludanus.

## *VARIETAS LECT. Vers. 18. & 19.*

V*Vlg.* Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, vt educerent scyniphes, & nõ potuerunt, erantque sciniphes tam in hominibus quam in iumentis.

*Sept.* Fecerunt similiter & incantatores veneficiis suis.

*Pagni.* Et fecerunt sic genethliaci incantationibus suis, vt educerent pediculos, & non potuerunt.

*Vulg.* Et dixerunt malefici ad Pharaonem, digitus Dei est hic, induratumque est cor Pharaonis, & non audiuit eos, sicut præceperat Domi-B nus.

*Sept.* Dixerunt igitur incantatores Pharaoni, digitus Dei est.

*Cald.* Plagã à facie Dei est.

*Pagni.* Et roborauit se cor Paroh, & non audiuit eos.

## EXPOSITIO.

F*Ecerunt similiter malefici incantationibus suis.* Fecerunt id est facere conati sunt per incantationes suas, *& non potuerunt*, Deo id ipsis non permittente; non tenenda sententia Ruperti asserentis scyniphes quidem produxisse, sed nõ aculeatos: omnino Iudæi ridendi opinantes ideo non potuisse Magos eduxisse scyniphes, quia scilicet diaboli non possunt producere vllum animal minus grano hordei, licet enim arte subinde possunt fieri maxima, non minima, tamen per naturam & per causas naturales (per quas agunt dæmones) facilius fiunt minora & viliora animalia, quam maiora, hæc enim pluribus rebus egent, vt experientia constat: vera ergo ratio Deum id non permisisse, vt in minimis Magi confunderentur, *& dixerunt digitus Dei est hic*, Si per digitum Dei intelligatur potentia & virtus Dei horum verborum erit sensus, productio scyniphum quæ nobis impedita est, mirabile signum est diuinæ potentiæ: si autem intelligatur Dei spiritus, sensus erit, Aaron & Moyses non dæmoniaco sed sancto spiritu, qui Dei spiritus dicitur, ducuntur: quia tamen vsitata scripturæ Phrasi C creaturæ omnes dicuntur opera digitorum Dei, vt Psalm. 8. videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, etiam hic digitus Dei sumi poterit pro opere Dei, & cum nomen Dei soleat etiam addi rebus in genere suo mirabilibus & eximiis: ita sensus erit, hæc impeditio productionis scyniphũ opus est à Deo eximiũ. *induratũque est cor Pharaonis*, cũ hac confessione Magorũ resipiscere deberet, *& non audiuit eos*, eorum votis satisfaciendo. Psalm. 8.

## CONCEPTVS.

*Quam paruis instrumentis aduersarias potestates Deus deuincit?*

80 F*Ecerunt similiter malefici incantationibus suis, & non potuerunt.* Cumque suam imbecillitatem imo impotentiam compertam habuissent, exclamauerunt dicentes, digitus Dei est hic, nonne vt non ita ignominiose se deprimerent, dicere debuissent, brachium Dei esse vel saltem manum? neutrum dicunt sed digitum Dei, vt etiam coacti significent minimam vim à Deo impressam sufficere ad omnes vires Ægyptiacas subruendas, quod expendens Philo Hebr. lib. 1. de vita Moysis ait, *Quid scyniphe vilius? tamen tantum efficit vt tota Ægyptus deficiens exclamare cogeretur, hunc esse Dei digitum, manus enim eius ne à tota quidem terra quanta est, imo nec à mundo vniuerso, sustineri potest.* Philo.

*Dei hostes, fiunt ipsius prædicatores vt nos conuincant.*

81 *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis* *nec potuerunt*, & tunc dixerunt, *digitus Dei est*, Cuiusnam? Dei sane omnipotentis, licet aliqui contrarium sentiant, nonne erant incantatores magicis artibus addicti, Dominum agnoscentes dæmonem? quomodo ergo Deũ coram Pharaone fatentur? sane aliquando etiam Dei hostes fiunt D ipsius prædicatores, vt nos conuincant, & vt rex qui amicorũ Dei oraculis fidẽ non habuerat, saltẽ inimicorũ confessione flecteretur, & se conuinci pateretur: vnde D. Cyrill. Hierosol. Catech. 10. ad præsens institutum sic erudite loquitur, *Miratus sum sancti Spiritus dispensationem, quod aliorum quidem epistolas paruo numero circumscripsit, Pauli autem antea sui persecutoris quatuordecim esse concessit, non enim eo quod minor esset Petrus, aut Ioannes, præcidit gratiam, absit, sed quod dubia non esset doctrina illius, qui antea esset inimicus & persecutor, plura concessit illum scribere, vt omnes sic nobis facilius persuadeamus, stupebant enim omnes de Paulo dicentes, nonne hic est qui prius persequebatur?* Act. 9. D. Cyrill. Hierosol. Act. 9.

*Iudicium Dei seuerum & ideo extimescendum.*

82 *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, nec potuerunt & dixerunt digitus Dei est hic,* Caldæus *plaga à facie Dei est.* Sicque sumit digitum Dei pro supplicio, nec mirum, nam etiam manus pro eodem sumitur, teste Ambros. in Psal. 37. manum Dei, virtutem intelligimus puniendi, hæc manus Ægyptiorum Regem propter Abrahæ iniuriam ob tentatam Saræ pudicitiã flagellauit: hæc manus Ægyptiorum currus, equos, & equites rubri maris demersit in profundo; si ergo per digitũ Dei supplicium eius ex Caldæo intelligũt Magi, & in eo aperiendo hærent attoniti, cur potius manũ non dixere? vt hinc tibi sit notum, quod si solus digitus Dei tantum incutit incantatoribus stuporem, quid si manum in nos extenderet? nonne Baltazaris facies omnino commutata ad intuitum non digitorum, sed solum ad digitorum articulos, & eos non gladio non fulgore armatos, sed pluma, sed calamo instructos? ait enim Daniel c. 5. tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & cõpages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur, recte ad eum locũ Theodoret. oratione 1. *Quod si digitorum scribentium species ita perterruit eum qui maximum administrabat regnum, vt etiam articulorum compages præ motu dissoluerentur, & artus tremore occupati concuterentur, quid non sustinuisset Deo infestus, si præsteras* (id est fulminis genus) *conspexisset? aut angelos torue intuentes & nouo figura habitu deterrentes.*

D. Ambros. — Daniel. 5. — Theodor.

## *Qui alijs præest, multis donis ornetur.*

83 *Fecerunt similiter incantationibus suis nec potuerunt & dixerunt, digitus Dei est hic.* Rupertus per digitum Dei, Spiritum sanctum opinatur intelligi iuxta illud Luc. 11. porro si in digito Dei eiicio dæmonia; & inquirit, cur Spiritus sanctus aliquando digitus Dei numero singulari, aliquando per plurale Dei digiti appelletur, vt Psalm. 8. quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti? respondet Rupertus, cœli iuxta anagogem prælati sunt, in horum autem formatione, non vnus aliquis Dei digitus, sed omnes occupantur: nam qui aliis præficiuntur, oportet vt omnibus donis Spiritus sancti ornentur, nempe spiritu sapientiæ, & intellectus, reliquisque omnibus: in huius rei probationem adducit verba Apocalyp. cap. 1. & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt, enti[...] septem spiritus, id est septem dona Spiritus sancti dicuntur esse ante thronum Dei! quia his ornetur necesse est, qui ad thronum euehitur, id est qui aliis præficitur: qui aliis subditus est, vno vel alio dono sit contentus, qui vero in dignitate est constitutus, nullo carere debet: inferius verba Ruperti lib. 1. cap. 33. *Digitus inquiunt Dei hic est, notum quidem & celeberrimum apud Ecclesiam Dei est, Spiritum sanctum esse vel dici digitum Dei, nam & ipse filius de Spiritus sancti loquens potentia, si ergo ego inquit in digito Dei eiicio dæmonia, profecto in vos peruenit regnum Dei; sed & plures digiti in eiusdem Spiritus sancti sanctificatione dicuntur, quemadmodum & vnus est spiritus & septem spiritus ante thronũ Dei, vnde & psalmista, quoniã videbo cælos tuos opera digitorum tuorum. pluraliter dixit digitorum videlicet ob pluralitatem donorum.*

Luc. 11. — Psalm. 8. — Apocal. 1. — Rupertus.

## *Inde maxime diuinitas claret, quod sciat peccatores expectare.*

84 *Fecerunt similiter & malefici incantationibus suis, nec potuerunt, & dixerunt, digitus Dei est hic.* Rebellem Pharaonem iam duabus plagis pulsauerat Dominus, & cum ipse non resipisceret, imo cor suum ingrauaret, addidit Deus aliam sciniphum plagam, quæ nõ perimeret Regem, sed solum vexaret: quid tum? sapientes, cum sciniphes viderent, clamarunt digitus Dei est, ex quo adeo quæso diuinus digitus ostendebatur, vt à veneficis hominibus dignosci possit? erat Pharao rebellis & obduratus aduersus Deum, & nihilominus Deus illum sustinebat, & licet plagæ in illum prosilirent, non funditus & primo ictu perdebant hominem, sed sic se habebant ad illũ, quasi amicus amici fodicans latus, vt illum expergefieri faceret: id quod manifestum erat indicium diuinitatis scientis hominem peccatorem expectare, ait Theodor. in Catena Græca, *Digitus Dei est hic, id est sunt hæc à Deo, non iam ab hominibus nec à dæmone aliquo, quia sensim erogabantur, ne primo velut ictu Rex confectus gloriæ diuinæ materiam subtraheret.* Vbi peccator non primo sub ictu cadit, sed adhuc expectatur, & alius & aliis ictibus excitatur, potentissima est diuinitatis operatio, non enim id sustineret homo, nec Angelus.

Theodor.

## *Ibi Deus agnoscitur, vbi clades non permittitur aggrauari.*

85 *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, nec potuerunt, & dixerunt, digitus Dei est.* Nonne qui iam conuerterant virgam in serpentes, aquam in sanguinem & ranas effecerant, optime norant & sciniphes posse dæmonum arte & virtute fieri? explodendæ enim sunt nugæ Hebræorum dicentium, dæmones non posse producere animal minus grano hordei: vnde ergo norunt sciniphum plagam minime à dæmone venire, sed à solo Deo? nam vbi habemus digitus Dei est, Cald. legit, plaga à Dei facie est: cur non magis illam tribuunt fortissimo dæmoni? sane à Deo plagam hãc venire coacti fatentur, quia hæc à Deo plaga, quæ vlterius augeri non permittitur, vel potius Deus ibi esse agnoscitur, cum veneficis incantationibus non permittitur, quod aliqua calamitas de nouo immittatur.

## *Ita peruersi sunt aliquando peccatores, vt licet aliquid Dei esse agnoscant, dæmoni malunt tribuere.*

86 *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, nec potuerunt, & dixerunt digitus Dei est.* An per Deum intelligunt verum & omnium rerum opificem? respondet noster Lyranus, negatiue, sed aliquem dæmonem superiorem iis, qui duobus incantatibus præsidebant: at cum diuinam virtutem sciniphes producti impedientem agnoscerent, cur diuinæ potestati id non concedunt, non autem dæmoniacæ? quia ita peruersi sunt aliquando peccatores, vt licet aliquid Dei esse agnos-

Noster Lyran. cant, dæmoni malunt tribuere: verba subiicio nostri Lyrani, *Potest exponi, sine præiudicio tamen, quod non confessi sunt virtutem diuinam dicentes. digitus Dei est, sed virtutem alicuius dæmonis superioris impedientis per artem magicam operationem inferioris. sicut Pharizæi imponebant Christo expulsionem dæmonum, per principem eorum dicentes, in Belzebuth principe dæmoniorum eiicis dæmonia*, Luc. 11. *sic non confitebantur Moysen Dei seruum, sed magum: & secundum textus processum, videtur ad hoc tendere intentio ipsorum & Pharaonis, quod crederetur Moysen signa facere artibus magicis quæ faciebat.* (Luc 11.)

### *Trinitas sancta commendatur.*

87 *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, & dixerunt digitus Dei est.* Nonne verterunt aquas in sanguinem, ranas incantationibus suis produxerunt? quomodo ergo in his signis non defecerunt, sed solum in hoc tertio? certum est enim quod sicut digitus Dei hic fuit efficax, vt eos impediret à sciniphum productione, etiam si voluisset, nec permisisset ranas produci, nec aquam in sanguinem mutari: per digitum Dei non solum Hieron. in cap. 12. Matth. sed etiam D. August. quæst. 25. in Exodum, intelligunt Spiritum sanctum, quo posito sic posterior respondet. *Commendatur hic fortasse Trinitas, & quod verum est summi Philosophi gentium, quantum in eorum litteris indagatur, sine Spiritu sancto Philosophati sunt, quamuis de Patre & Filio non tacuerunt.* Quod etiam Dydimus in suo libro meminit quem scripsit de Spiritu sancto, *Si autem digitum Dei dixere, id est Spiritum sanctum*, Rupertus existimat secundum intentionem suam Magos significasse potentiam Dei, secundum vero diuinum consilium, Spiritum sanctum denotasse, sicut Caiphas nesciens quid diceret prophetauit de Christo. (Hierony. August. — Dydimus.)

### *A nobis sunt cruciatus & calamitates.*

88 *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis.* Scilicet vt educerent sciniphes, qui à Deo iam producti fuerant, media percussione virgæ Aaron, sciniphes autem vt diximus acerbissimo pungebant aculeo Ægyptios: an Deo causam calamitatis & cruciatus tribues, qui sua virtute illos è puluere terræ eduxit? qui eos in populum Ægypti immisit? non equidem, nisi effectiue, sed Ægyptiis originatiue, impietas enim & obstinati animi eorum duritia, hanc in eos calamitatem induxit: fauet Nissen. de vita Moysis. (D. Gregor. Nyssen.) „Sciniphes illos qui occultis morsibus Ægyptios exagitarunt, non erit profecto difficile si quis dictorum seriem sequitur, conuenienter ad nostrum propositũ vt decet accommodare, quæ quidẽ omnia Ægyptiaca vita quærit & eligit: Dei autem infinita iustitia secundũ singulorum merita infert peccantibus. non decet historiæ litteram ita sequi, vt Deũ putemus cruciatus causam, sed vnumquemque sua electione sibi dolores præparasse, ac fecisse credere debemus, vt etiam Apostolus ad huiusmodi hominem dicit, quod secundum duritiem tuam, quia cor tuum non pœnitet, iram tibi in die iræ ac reuelationis & iusti iudicij Dei congregas, qui vnicuique tribuit iuxta suorum operum merita; (Rom. 2.) nam quemadmodum si praui ac perniciosi humores in præcordiis ac intestinis lateant, non accusatur medicus, quod eos ipse fecerit, si arte ipsos in centrum, vt appareant traxerit, sed effecit quidem illos inordinata diæta, traxit autem in manifestius, non imperitus medicus: sic cum dolores ac cruciatus hominibus à Deo inflictos audimus, intelligere decet à nobis initia & causas earum vexationum fuisse; qui enim bene vixit huic non tenebræ, non vermes, non gehennæ, non ignis, non aliud villum nomine, & re terribile imminet, sicut ipsa quoque testatur historia: nam cum in eodem simul Hebræi cum Ægyptiis essent loco, cruciabantur Ægyptij, Hebræis nihil sentientibus, quare manifestum est nihil harum pœnarum, absque nostra electione, & voluntate posse consistere.

### *Boni Angeli malis superiores & fortiores.*

*Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, vt educerent sciniphes & non potuerunt.* Nonne dæmonum potentia omnem humanam superat, teste Iob 41. non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret? quomodo ergo quos Moyses & Aaron sciniphes fecerunt, non potuere magi arte dæmonum producere? quis eos impediuit? dixerunt digitus Dei est hic, in Hebræo nomini Dei elohim correspondet, quod quidem non solum Deum sed substantias spirituales creatas significat: an sensus poterit esse, Magos cognouisse potentiam maiorem nempe angelorum superiorũ dæmonibus, quibus obsequebantur, ita sentit Card. Caiet. *Nomen est elohim, non attribuunt Iehouah fonti essendi, qui super omnia est, sed elohim* (quod commune nomen est etiam spiritualibus substantiis) *impedimentum artis suæ, Magi fecerant enim tria signa, videlicet serpentis, sanguinis, ranarum, & deficientes in hoc (quarto quidem inter signa, tertio autem inter plagas) attribuunt diis superioribus manum impedientem significatam à digito, ad insinuandum quod tanquam dearticulata cura atque opera superiorum deorum impeditur eorum ars ab efficacia solita.* 89 (Iob 41. — Caietan.)

### *Humilitas quanta consequitur?*

*Fecerunt similiter incantationibus suis, vt educerent sciniphes & non potuerunt.* Pluries inquisiuimus, cur hæc denegata est potestas maleficis, vt educerent sciniphes, non autem Aaroni, cum iis omnia signa anteacta ab Aarone facta concessum sit exuberer plura diximus, sed cur non addemus adhuc cum Burgensi, ideo in minimis defecisse Magos, quia superbi, Aaron autem perfecisse, quia humilis & minimus: subiicio verba eius Episcopi. *Vnde dicendum quod in tertia plaga fuerunt Magi omnino victi à Deo, quæ quidem plaga fuit facta per manum Aaron qui erat minor in gradu.* Preme hæc vltima verba, *qui erat minor in gradu*, quasi diceret qui minimus est maxima consequitur, quæ superbus attingere non potest. 90 (Episcop. Burgensis.)

### *Dei est monere antequam puniat.*

*Fecerunt similiter malefici incantationibus suis vt educerent sciniphes, & non potuerunt.* Ratio- 91

nem suæ impotentiæ subiungunt, digitus Dei est hic. Cur Deum hac productione scyniphum, cum in ranarum effectu non agnouerint, fatentur? nam in aliis prodigiis idem erat minister, eadem sanctitate pollebat, cur ergo in hoc Deus agnoscitur? aduerte hoc scyniphem habere proprium quod antequam pungat stimulo, sibilo quodam monet quem pungere debet, vnde quidam deducunt scyniphem ab hoc quod est signum ferens: quid mirum igitur, si Deus in hoc suam potentiam declarauerit? quia solius Dei est monere antequam puniat, sicut Dei est producere animalia quæ eandem sortiantur proprietatem. Vnde optime Regius vates diuinam bonitatem aperiēs Psal. 59. ait, dedisti te metuentibus significationem vt fugiant à facie arcus, quæ verba sic explicat Lombardus Episcopus Parisiens. *Per præsentem tribulationem significasti illis qui te metuunt, vt fugiant ab impugnatione futuræ vindictæ scilicet iudicij futuri, iste arcus quasi extensus iam minatur, sed nondum ferit.*

Psal. 59.
Episcopus Parisiens.

*Veritatis tanta est vis, vt aduersarios suos sibi testimonium dare compellat.*

92 *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, vt educerent scyniphes & non potuerunt.* Tunc veritatis potentia compulsi dixerunt, digitus Dei est hic, nonne sicut Deo, ita & veritati eius aduersarij erant huiusmodi incantatores? quomodo ergo in hanc veritatem prorumpunt, vt asserant coram Pharaone, suam imbecillitatem & diuinam potentiam? quomodo coram omnibus fatentur artem suam, longe inferiorem esse prodigiis virga Aaronis productis? quia veritatis tanta est vis, vt aduersarios suos sibi testimonium dare compellat, subscribit Diu. Hilarius lib. 7. de Trinitate, *Magna vis est veritatis* (inquit) *quæ cū per se intelligi non possit, per ea tamen ipsa quæ rei aduersantur, elucet, vt in natu a sui immobilis manens firmitatem natura sua quotidie dum attentatur, acquirat. nuda est enim veritas*, obseruatore S. Basilio hom. 16. quæ est de martyre Mamante, *absque patrocinio seipsam declarans.*

D. Hilar.
D. Basil.

*Spiritus sanctus mundanæ perfidiæ iudex & vindex.*

93 *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, vt educerent scyniphes, & non potuerunt, & dixerunt digitus Dei est hic*, Spiritus sanctus nominatur digitus Dei propter partitionem donorum & distributionem charismatum, in nullis enim membris magis apparet partitio quam in digitis, diuisiones vero gratiarum sunt, idem vero Spiritus, teste Apostolo: præterea sicut digitus est eiusdem substantiæ cum manu, ita Spiritus sanctus est eiusdem naturæ & substantiæ cum Patre & Filio, vnde Ambrosius, tu septiformis munere, dextræ Dei tu digitus: appellatur præterea Spiritus sanctus, quod sicut quæ digito monstrantur, manifestissima fiunt, ita quæ mediante & operante Spiritu sancto prædicantur, & fiunt, securissima & certissima sunt: sed cur Spiritus sanctus dicitur hic digitus Dei, cum impediantur Magi ne scyniphes incantationibus suis producant? quia in hoc vindicem eorum perfidiæ se exhibuit: potuerunt enim in aliis prodigiis Deum eorum auctorem agnoscere & fateri, & noluerunt, ideo eos nunc Spiritus sanctus eorum punit imbecillitatem: obseruatio est Diui Cypriani tract. de Spiritu sancto. *Hic est Spiritus sanctus quem Magi in Ægypto tertij signi ostensione conuicti cum sua præstigia defecisse faterentur, Dei digitum appellarunt: hic digitus Dei mundanæ iudex & vindex perfidiæ: noui tempore testamenti potenter expellit dæmonia, nec laborat agendo, sed solo nutu perficit omnia, quod dicit facit, quod iubet implet, secreta indicat, pandit occulta, reuelat ignota.*

1. Cor. 12.
D. Cyprian.

*Spiritus sanctus inquietis & superbis contrarius.*

*Fecerunt similiter malefici incantationibus suis vt educerent scyniphes, & non potuerunt, & dixerunt digitus Dei est.* Qui scilicet in Moyse & Aaron operatur, quique nobis aduersarius est: cur in scyniphibus à vobis educendis, contrarium experti estis digitum Dei? nonne illi incantatores omnium erant superbissimi, quorum inquietus animus etiam inquietissimis animalculis designatur? quid mirum igitur Dei digitum sibi non habuisse propitium? quia Spiritus sanctus inquietis & superbis contrarius est, *Sicut Spiritus sanctus* (inquit Diuus Petrus Damia. lib. qui appellatur gratissimus, siue opusc. 6. cap. 8.) *sicut conciliatus & placatus requiem præstat mitibus & humilibus corde, ita contrarius & aduersus immitibus ac superbis inquietudinem exagitat, quam scilicet inquietudinem scyniphes illæ breuissimæ significabant, sub quibus Magi Pharaonis defecerunt dicentes, digitus Dei est hic, fatentes sibi aduersum esse spiritum qui erat in Moyse, apte nimirum tertio loco vbi scyniphum plaga ponitur, Spiritus sanctus qui tertia est in sancta Trinitate persona, inquietis hominibus contrarius fuisse perhibetur.* 94

D. Petrus Damianus.

*Deus potentiam malorum Angelorum impedit ne noceant.*

*Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, & non potuerunt.* Quomodo non potuerunt per subsidia dæmonum causasque naturales, cum maiora potuerint, nec istud excedat naturalium vires causarum, magis quàm productio draconum, atque ranarum, nec non conuersio aquarum in sanguinem? potuerunt equidem, sed à Deo impedita est eorum potentia, ne maius damnum inferrent: subsignat Diu. August. 3. de Trinitate, *Ex ineffabili nutu creatoris potentatu fit, vt quod possent Angeli mali, si permitterentur, ideo non possunt quia non permittuntur, neque enim occurrit alia ratio, cur non potuerunt facere minutissimas muscas qui ranas serpentesque fecerunt, nisi quia maior erat dominatio prohibentis Dei per Spiritum sanctum, quod etiam ipsi magi confessi sunt dicentes, digitus Dei est hic.* 95

D. August.

Maius

*Maius beneficium malis collatum in maius damnum eorum cedit.*

96. *Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, & non potuerunt.* Tunc diuinam agnoscentes potentiam, dixerunt digitus Dei est hic: quid? an hac Magorum confessione ad meliorem reductus est mentem Pharao? an vita incantatorum suorum imbecillitate, cor eius emollitum est? an statuit perficere quæ Deus iusserat? imo, inquit textus, aggrauatum est cor eius: quid? nonne hæc confessio ab obstinatione mentem illius reuocare debuerat? ita equidem, sed impius erat, impio autem collatum beneficium, maius ei damnum infert. *Ecce cognitio potentiæ Altissimi est beneficium grande satis, ad hanc cognitionem obdurauit* Pharao, inquit Seraph. Concl. 5. *nona obduratione, hoc enim scriptura denotat quoties de Pharaone replicat quod induratum est cor eius, quod scilicet induratum est magis quam antea, quis illam potentiæ Dei cognitionem notificauit Regi? malefici, quando? quando dixerunt digitus Dei est hic.* Seraphinus Port.

*Fide sanctissimæ Trinitatis omnis vincitur perfidia.*

*Fecerunt similiter malefici incantationibus suis & non potuerunt.* Dæmoni facile est insecta producere passiuis actiua applicando, vt & reliqua quæ ex putredine corruptæ materiæ producuntur, in his tum scyniphes, quos cum Iamnes & Mambres qui Moysi restiterunt, se solis incantationibus producere viderent non posse, dæmones sibi cognitos superiori potestate aliqua impediri agnouerunt, quare coram Pharaone professi sunt artibus magicis, diuinum numen esse potentius, inquientes digitus Dei est hic; hoc dicto manifestam facientes Dei omnipotentiam Moysi adesse, sibi vero obstare: sed cur in tertio signo sibi obstat? cur in hoc defecerunt non in quarto? bene Strabus. *Notandum quia tertio signo victi sunt magi, quia omnis perfidia & mundana sapientia vel philosophia, fide Trinitatis vincitur, cum enim philosophiam inuenerint, & de machina totius mundi disputauerint ad cognitionem Trinitatis peruenire non potuerunt.* 97. Strabus.



## VARIETAS LECT. Vers. 20. & 21.

Vulg. Dixit quoque Dominus ad Moysem, consurge diluculo, & sta coram Pharaone, egredietur enim ad aquas, & dices ad eum, hæc dicit Dominus, dimitte populum meum, vt sacrificet mihi.

*Sept.* Surge mane in diluculo, &c. dimitte populum meum, vt mihi seruiant in deserto.

*Cald.* Vt seruiant coram me.

*Vulg.* Quod si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te, & in seruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas omne genus muscarum, & implebuntur domus Ægyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa terra in qua fuerint.

*Sep.* Ecce ego mitto in te cinomyam, & implebuntur domus Ægyptiorum cinomyia, & in terram super quam sunt super eam.

*Aquila.* Immisit omnis generis muscam.

*Cald.* Ecce ego mittam in te mixtionem bestiarum, & implebuntur domus Ægyptiorum mixtione, vniuersa quoque terra in qua ipsi fuerint.

*Onke.* Mitto mixturam bestiarum nociuarum, & implebuntur domus Ægyptiorum mixtura bestiarum.

*Pag.* Ecce ego mitto in te omne genus ferarũ.

*Vatab.* En ego mitto in te omne genus insectorum noxiorum.

*Rabi Salomon.* Mittam turbam serpentium & scorpionum.

*Aben Esra.* Incursionem leonum & pardorum.

*Aly.* Muscam caninam.

### CONCORDIA.

Hebraicè est ערב aroh quod si radicem spectes significat mixtum siue miscellaneum, quod aliqui determinant ad feras, quasi variarum bestiarum genera mistim in Ægyptios hac quarta plaga immiserit Deus, ita plurimæ lectiones, sed melius noster vulgatus Sept. & Aquila, interpretantur aroh miscellam muscarum siue turbam variarum muscarum. Aquila enim vertit παμμυίαν id est omnis generis muscam, Sept. quoque vertunt κοινομυίαν id est communem muscam, puta omne genus muscarum, vnde noster interpres retinens nomen Græcum coenomyam sic vertit, sic enim legendum cum romanis non cinomyam, vertit inquã Psal. 77. vnde S. Hieroni. Epis. ad Suniam & Fretellam, putat vitiosè legi in Septuag. κυνομυίαν per υ id est caninam muscam, pro κοινομυίαν per οι id est communem muscam, retinenda ergo lectio nostri vulgati interpretis, quam plerique doctorum latinorum secum sunt, vehementer me mouet auctoritas 70. interpretum Hebrææ linguæ peritissimorum, & in scientia sacratum litterarum sapientissimorum, vbique vertentium muscas, nam licet secundum aliquos vocent κυνομυίας id est caninam muscam, non ideo tamen alias muscarum species excluserunt, sed præcipue nominarunt caninam muscam, quod ea propter insignem audaciam & insolentiam, atque molestiam, memorabilior esset: nec leuiter me mouet auctoritas idem sentientium Philonis & Orige. atque omnium Græcorum interpretum, & de Latinis, S. Augustini, sed omnium maxime S. Hieronymi Hebraicæ linguæ & scripturæ doctissimi, qui non solum semper vertit muscas, sed aliam lectionem nullam memorat. Philo. Origenes. August. Hiero.

Ec

## EXPOSITIO.

C*Onsurge diluculo.* Egrediebatur enim summo mane Pharao ad aquas, *& sta coram Pharaone*, in itinere, *& dices ad eum &c.* vt libertatem populo meo concedat, *quod si non dimiseris eum*, cordis tui obstinationem retinens, *mittam in te omne genus muscarum.* Tostatus quippe narrat muscarum species varias esse, quasdam communes, alias virides & fœtentes, quasdam valde crassas & sonantes, nonnullas ex putidis aquis genitas, alias quæ iumenta maxime inuadāt, & infestent, & item quasdam morsu venenatas, quales fuisse dicit quæ per hanc quartam plagam missæ sunt aduersus Ægyptios, nemo autem leuem fuisse putet hanc muscarum plagam, nam præter molestiam, perniciem quoque non solum singulatim hominibus, sed vniuersis etiam populis attulisse muscas ex veterum monumentis notum est.

## CONCEPTVS.

### *Reges maxime sanitatis suæ sunt solliciti.*

98. C*Onsurge diluculo & sta coram Pharaone, ecce egredietur ad aquas.* Nonne principum est in vtramque aurem dormire, & somnum protrahere in magnam diei partem? quomodo igitur Rex Ægypti ita diluculo surgit electo, aquas petiturus? dices causa adorationis, nam sicut Caldæi venerabantur ignem, sic Ægyptii aquas tanquam maxime vtiles vitæ humanæ conferuandæ. sed cur non dicemus sanitatis tuendæ gratia pluries aquam petisse summo diluculo? mens est
Abulensis. Abulensi. *Pharao satis diluculo, scilicet in prima parte diei ibat ad aquas, quia sanum valde erat.*

### *Coram tyrannis vrgente Dei præcepto fortes stare debemus.*

99. *Consurge diluculo & sta coram Pharaone.* Nonne tyranni cor est ingratum dimittere nolentis populum, nec seruos tuos audire? quomodo ergo coram eo & aulicis eius Moysem stare iubes? an iussa tua capesset dictis obediens? nonne potius saluti & vitæ suæ consulet ea non executurus? non equidem, nam coram tyrannis vrgente Dei præcepto, fortes ea impauidi, & amoto omni
Anselmus Laudun. metu stare debemus. Fauet Glossa interl. *& sta coram Pharaone, scilicet fortis & immobilis.*

### *Diuinum mandatum sine cunctatione perficiendum.*

100. *Consurge diluculo & sta coram Pharaone.* Septu. surge mane in diluculo, cur ita diluculo? quia tunc Pharao ad aquas egreditur; nonne in regressu sufficiet eum alloqui? Dei præceptum aperte summo mane iubet ei occurrere, diuina enim præcepta diligenter & sine cunctatione agēda, insinuat Noster Lyranus. *In hoc notatur*
Noster Lyranus. *quod homo debet esse sollicitus de implendo mandato Dei.*

### *Pœna culpa respondens.*

101. *Consurge diluculo & sta coram Pharaone, & dices, ecce ego immittam in te, & in populum tuum, omne genus muscarum.* Olymp. in c. 10. Ecclesiastis
Olympiod. ait, musca impurum animal, quid enim eo impurius & vilius? cur hoc genere supplicij punit Ægyptios? nonne in homines nefarios latius fuisset tygridum, leonum, aut serpentum agmina [illegible] immittere? si in mentem reuocamus Ægyp-

B tios addixisse vilissimis operibus populum Israël, ita vt eum in cloacis mundandis exercerent, in plateis lutosis abstergendis occuparent: merito dicemus fœdissima animalcula immisisse muscasque vilissimas in eos, vt pœna & supplicium suo correspondeat peccato. subscribit Noster Lyranus. *Respondet ista plaga ex multitudine* Noster Lyranus.
*diuersarum muscarum, vel diuersorum animalium, culpæ Ægyptiorum, qui afflixerant populum Israel in multis modis seruitiorum vilium, quia non solum afflixerunt eos in lateribus faciendis, sed etiam in immunditijs extra villas deportandis, & in fossatis fiendis circa villas, ne flumen subintrans inundaret.*

### *Regum maxima plaga quod eorum consilia multi peruadant.*

*Consurge diluculo & sta coram Pharaone, & dices,* 102.
C *ecce ego immittam in te omne genus muscarum.* Philo Iudæus lib. 1. de vita Moysis ait, quæret fortasse aliquis, cur Deus tam vilibus animalibus ad vindictam vti maluerit, quam vrsis, pardis, leonibus, cæterisque feris carniuoris. aut si non placebat, saltem familiaribus Ægypto aspidibus quarum morsus sine mora enecat: quomodo enim perterrefaciet Dominus Regem Pharaonem, dum aduersus illum muscas immittendas minatur? quid enim musca debilius? aduerte muscarum ingenium, quod importunissimè omnia penetrant, & etiam quæcumque secretissima peruadant: maximo ergo debet esse regibus timori muscarum ingenium, quod omnia penetrent & prodant secreta: crede mihi non sic regibus damnosi sunt leones & tygrides, vt muscæ istæ, quæ omnia rimantur, & nihil eorum quæ possunt decerni, habeant non compertum.
D vnde recte Cassiodor. lib. 6. Var. Epist. 10. *Non* Cassiodorus
*est dubium,* inquit, *ornare subiectos principis secretum, dum nullis æstimantur necessaria posse committi, nisi qui fuerint magna fide solidati: publicum quidem omne est quod agimus, sed multa ante non sunt scienda, nisi cum fuerint Deo auxiliante perfecta, quæ tanto plus debent occultari, quanto amplius desiderantur agnosci, regis consilium solos decet scire grauissimos.*

### *Cum punimur à Deo prorsus inexcusabiles sumus.*

*Consurge diluculo & sta coram Pharaone, & dices,* 103.
*ecce ego immittam in te omne muscarum genus.* Nonne obstinatum est cor eius, etiam tot

acceptis iam beneficiis? nonne manet mens A eius in malo obdurata? cur ergo nulla monitione præuia, nullo minarum timore intentato, principem Ægypti omni muscarum genere non coerces? vel vt alii habent omni ferarum genere non punis, cum meritissimas pœnas lueret? optime Græcus apud Lippom. *Perniciem futuram Pharaoni Deus prædicit, ne qua ignorantiæ excusatione vti posset*, en vt Deus etiam in iustissimis punitionibus, nolit nos posse de eo conqueri, cum longe ante moneat ne puniat.

Græcus Auctor.

*Crescentibus demeritis, crescunt & pœnæ.*

103. *Consurge diluculo, & sta coram Pharaone, & dices, ecce ego immittam in te, & populum tuum omne genus muscarum*, Cald. *mixtionem bestiarum*, Onk. B *mixturam bestiarum nociuarum*. Pagnin *omne genus ferarum* Rabi Salomon. *mistam turbam serpentium & scorpionum*, Aben-esra *incursionem leonum & pardorum*. Nonne antea vnico genere vel ranarum vel scyniphum contentus, Pharaonem ad meliorem mentem reuocare conatus est? cur tot vel muscarum genera, vel ferarum in eum immittit agmina? nonne leonum multitudo sola maximum terrorem incutere posset omni Ægypto? nonne maxima esset scorpionum venenatorum clades? quod refugium ex solis serpentibus vel e solis pardis? abstineat ergo ab omni genere ferarum quo puniantur Ægyptij: nonne ex plagis superioribus nihilo meliores effecti? nonne tum ex scyniphum tum ranarum cladibus magis induratum est cor Pharaonis? non puniatur igitur vel vnica specie vel muscarum, vel animalium, vel insectorum, sed plura sentiat & experiatur, quia crescentibus demeritis, æquum est vt & genera crescant pœnarum. *Quemadmodum* (inquit Oleaster) *rebelliones impiorum crescunt contra Deum, ita solent Dei cruciatus contra eos crescere.*

Oleast.

*Qui prior est in culpa, prior sentiet punitionem.*

104. *Consurge diluculo, & sta coram Pharaone & dices ei, immittam in te, & in seruos tuos, & in omnem populum tuum omne genus muscarum.* Cur prius non ait immittam in populum Ægypti, vel in seruos Regis, quam in ipsum regem? nam forte si suos Rex hoc genere muscarum cruciari cerneret, D eorum punitione edoctus mentem in melius mutaret; merito prius in Regem minæ intentantur, quia qui prior est in culpa, prior punitionem sentire debet. Fauet Abul. *Primo nominat regem in punitione, quia principaliter peccabat, ideo eum Deus duro iudicio afficiebat, nam durum iudicium fiet his qui præsunt, & potentes potenter tormenta patientur.*

Abulens.

*Nulla necessitate ad bonū aut ad malū cogimur.* 105.

*Consurge diluculo & sta coram Pharaone, & dices, dimitte populum meum vt sacrificet mihi, quod si non dimiseris &c.* Quid? an in eius situm est potestate, vt dimittere populum possit, vel retinere? nonne compellente eum necessitate dimittere populum Israel tenebitur? sane ex his ad Moysen Domini verbis euidentissime colligimus hominem nulla necessitate ad bonum aut ad malum cogi, sed esse ei liberrimum agere quæ vult, cum hac tamen D. Augustini distinctione, quod ad malum sibi sufficit homo, ad bonum non nisi adiuuetur à Deo: sic autem ait lib. de Cantico nouo c. 8. *Ne homo in vltimam desidiæ fæcem resolutus, ut dum virtutis iter, & quamuis adiuuante gratia Dei non nisi labore gradiendum meritis sibi crederes posse referri, & nullius laboris industriam, studiosus professus adhiberet: ita inter se atque homines Deus tempora officiaque distribuens ordinauit, vt vocatione ipsius, bonorum principia sumeremus, & e libero vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio*, & lib. de Prædest. & gratia c. 9. *at suo arbitrio Deus posuit eis pares locum Deo aut diabolo, cum paruerit qui possidebit ipse imperabit, quis ergo tam vecors aut ignarus qui perspectis & discussis Domini ad Pharaonem verbis, non intelligat Pharaonis perditionem à se & non à Deo fuisse, si enim populum Israel dimisisset, Deus in eum seuere & iustissime non animaduertisset, sed ipso renitente & nolente Deo obedire, æquissime damnatus est monebat enim Dominus, dimitte populum meum vt sacrificet mihi, quod si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te & in seruos tuos omne genus muscarum, quasi dicat dimitte, & dimitteris, libera & liberaberis, libertas arbitrij tibi concessa C est, non ad male sed ad bene operandum, non vt mihi necessitate sed voluntate seruias.*

D. August.

Idem S. Victor.

*Contumeliosorum superbiam contumelia coercet ignominiosa Deus.*

*Consurge diluculo & sta coram Pharaone, & dices immittam in te omne genus muscarum*, alij legunt, *muscam caninam*. Quæ omnium vilissima & abiectissima, insidens canibus, sanguinemque eorum exugens, quid? an muscis quæ inter animalcula in vilissimo habentur pretio, superbiam Ægyptiorum reprimere decernis? quid? an in regē potentissimum muscam immittis caninam? si alius immitteres, tacerem equidem, sed quæ canibus solum insident, in maximam cedet sibi in ignominiam? ita equidem, cōtumeliosorum enim tumorem contumelia Deus coercet ignominiosa. *Grande spectaculum* (inquit Rup. lib. 1. c. 34.) *Deus orbi vniuerso præstitit, cum superbiam Ægyptiorum non de leonibus & vrsis, sed muscis domuit: dixit inquit Psalmista, & venit cynomia, id est canina musca, dignam illis fecit contumeliam, videlicet caninas sordes, & contumeliosam ipsorum superbiam omni genere muscarum domando.* 106.

Abbas Rupertus



*VARIETAS LECT. Vers. 22. & 23.*

Vulg: Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, vt non sint ibi muscæ, & scias quoniam ego Dominus in medio terræ.

*Sept.* Et gloriosam faciam in die illa terram Gessen, super quam populus meus inest super eam super quam non erit ibi cynomia, vt scias quia ego sum Dominus Deus omnis terræ. A

*Cald.* Diuidamque in die illa terram Gessen, in qua populus meus habitat, vt non sit ibi mixtio, vt scias quoniam ego Dominus dominator in medio terræ.

*Onk.* Segregabo in die illa terram Gessen, in qua populus meus manet, vt non sit ibi mixtura bestiarum, vt agnoscas quod ego sum Dominus, princeps vniuersæ terræ.

*Pag.* Et separabo vt non sit ibi omne ferarum genus.

*Vatab.* Vt non sit ibi vllum insectorum noxiorum genus.

*Vulg.* Ponamque diuisionem inter populum meum & populum tuum, cras erit signum istud.

*Sep.* Et dabo interstitium inter populum meum & populum tuum, in crastino autem hoc erit super terram.

*Cald.* Ponamque redemptionem populo meo, & super populum tuum inducam plagam.

## CONCORDIA.

VErbum פלה phalah & separare & mirificare significat, hinc est quod dictione והפליתי vehiphleti aliqui verterunt & separabo, nos mirabilem faciam. & Septua. ἐνδοξάσω B & glorificabo, vbi habemus diuisionem, Hebraice est פדת phedut, quod redemptionem liberationemque aliqui verterunt à verbo פדה phadag redemit.

## EXPOSITIO.

FAciamque mirabilem in die illa terram Gessen. Prima hic exemptio terræ Gessen expressa, ex quo colligi posset ab aliis pœnis hucusque exemptam non fuisse, non improbabile tamen est, id quod hic expressum est, aliis quoque locis subintelligi debere: & Iudæos à rana quoque & sciniphe, & quod non dubito sanguinea vnda liberos fuisse, prout ex Sapient. satis euidenter colligitur, faciam mirabilem terram Gessen vt illa sola in Ægypto sit immunis ab hac plaga muscarum *Et scias quoniam ego Dominus in medio terræ*, sicut enim Rex in medio regni residens, circumquaque totum regnum circunspicit, & administrat, ita & Deus antropopathos dicitur in medio terræ, quasi rex residere, & quaqua versum latissime dominari debeat, *ponamque diuisionem inter populum meum*, & liberabo meos Hebræos, à communi plaga, quæ totam Ægyptum affliget, *cras erit signum* ad certitudinem diuinæ promissionis notandam. C

Sapient. 11

## CONCEPTVS.

*Plus cruciamur ad conspectum alienæ fælicitatis.*

107. FAciam mirabilem in die illa, terram Gessen, in qua populus meus est; vt non sint ibi muscæ Sept. gloriosam faciam terram Gessen. Cur vt Deus omni muscarum genere afficiat Ægyptios, vt eos importunissimis animalculis torqueat, plagam hanc eis inferendam proponit, & Israelitas à muscis liberos & immunes? nonne satis erat in medium eis adducere cladem muscarum futuram? cur simul populi Israelitici immunitatem ostendit? sane vt Ægyptii muscarum & importunitate & fœtore acrius crucientur, & vehementiori dolore afficiantur, videntes Israelitas ab hac plaga liberos, aduersarios suos in pacifica esse securitate: nam maximus dolor nascitur de pœna propria in conspectu fœlicitatis alienæ, Vnde optime Theodoret in illud Isai. 65. ecce serui mei comedent, vos esurietis, sic fatur. *Appositio contrarij pœnam amplificat, & Iudæos cruciandos sempiternis pœnis ecclesiæ fœlicitas torquet vehementissime.* Nam sane acerbissimum est quod miser inueniatur in conspectu fœlicis.

Theod. Isai 65.

*Prouidentia diuina circa humana adstruitur.*

108. *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen.* Scilicet vt illa immunis maneat à clade muscarum, tota Ægyptus ea inficiatur. *Vt scias* (inquit) *quoniam ego Dominus in medio terræ.* Quid? nonne cælorum opifex es & Dominus? cur solum ergo ais te Dominum esse in medio terræ? tum nec Ægypti Dominus censeberis, cum Ægyptus in medio terræ non habeatur. Declinat enim in minorem partem versus meridiem, vbi terræ habitabilis incipiunt climata, sed solum esses Dominus Hierusalem existentis in medio terræ; est enim in medio quarti climatis quod est medium septem terræ habitabilis: cur ergo dicitur, quod à Pharaone cognosceretur solum Dominus in medio terræ, non autem absolute cæli & terrarum? aduerte plurimorum errorem fuisse Deum humana nec terrestria curantem, sed solum cælestia, quo posito sic erudite respondet Episcopus Abulens. *Ponitur hic specialiter in terra, ad eludendum quorumdam opinionem de diuina prouidentia, quod solum Deus curabat de his quæ fiunt in cælo, & de directione rerum naturalium, de actionibus autem humanis nihil curabat, nec dominabatur eis, premendo male agentes, vel dirigendo bene agentes, sed omnia casibus vel voluntatibus hominum in terram finebat: vt ergo ista opinio tolleretur à Pharaone, si forte eam teneret, Deus voluit facere istam mirabilem qua demonstraret quod non solum curaret de cœlestibus, sed etiam de terrestribus, quæ præcipue sunt negotiatio & actus humani, & non solum dominatur in cœlis sed etiam in terra.* Abulens.

*Deus in verbo suo infallibilis.*

109. *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen.* Vt populo meo a muscarum plaga libero, ea crucientur Ægyptij. Sed quandonam hoc signum apparebit? cras inquit erit signum istud. Cur diem proponit in quo hoc mirabile futurum est? nonne satis erat futurum hoc annuntiasse? diem notat huius futuri prodigij, vt quantum Deus in verbis suis sit infallibilis, agnoscatur. *Dicunt Hebræi* (inquit) *Lyranus quod non solum diem sed etiam horam determinauit ad ostendendam certitudinem verbi Dei.* Noster Lyranus.

*Principes in medio regni sui consistant.*

110. *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, vt scias quoniam ego Dominus in medio terræ.* Cur cum immensus, ideoque vbique, cum cœlorum & vniuersæ terræ sis opifex, solum Dominus in medio terræ diceris? nonne totius orbis terrarum principatum habes? nonne vbique & in quolibet illius angulo etiam remotissimo dominaris? vbique sane dominatur, sed cum sit supremus omnium monarcha, dicit se in medio terræ dominari, vt ex se discant principes non ad angulos regni confugere, sed in medio eius consistere, vt subditorum negotiis facilius valeant consulere: obseruatio est Hieron. ab Oleastro. *Metaphora sumpta est à Regibus qui sedes suas fere habent, in medijs prouinciis, vt melius, & facilius illis prospicere, easque regere, gubernare, tueri & defendere cum opus fuerit, possint: ad similitudinem humani cordis, quod in medio corporis humani constitutum esse videtur: vt ex eo veluti ex fonte, spiritus vitalis, quo totum viuificatur corpus, commodius in omnia membra diffundi possit. Hac de causa* (inquiunt Hebræi) *Deum, sedem suam habere Hierosolymis voluisse, quæ in meditullio terræ Iudeæ sita est: vt æque omnibus ad istum locum, vbi cultus Dei erat, & vbi Dominus illis propitius, precesque eorum audire decreuerat, aditus pateret: qua locutione, etiam Christus in Euangelio vsus est, dicens vbi fuerint duo, aut tres congregati in nomine meo, in medio illorum sum: tanquam scilicet Dominus, magister, & princeps, vt adsim eis, iuuemque eos, & defendam: ex quibus reges, & principes discant, quid piaculi sit ad angulos regni, pro sua propria commoditate confugere: relinquentes loca, vbi commodius suis prospicere possent.* Oleast.

*Maxima Dei clementia etiam obstinatissimos ad pœnitentiam expectare.*

111. *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen.* Quando nam? cras erit signum istud, cur statim omnium hominum obstinatissimum & præfractissimum stupendo flagello non punis? cur eius A pœnitentiam differs in crastinum? cur non illico meritas suæ contumaciæ pœnas exigis? sane in hoc maxime Dei clementia relucet, quod vt tempus pœnitentiæ exhibeat, non statim supplicium infert, sed de die in diem differt, vt ad meliorem mentem reuocet: vnde recte exclamat Sanctus Hyeroni. in cap. 25. Ier. *ô infinita clementia! non supplicium inferre pro scelere, sed ad pœnitentiam prouocare tam malorum operum, quam pessimarum cogitationum!* D. Hieron.

*Debemus obedientiam Deo præstare ex vsu rationis carentibus.*

112. *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, vt non sint ibi muscæ.* Non existimes generaliter terram Gessen immunem fuisse à muscis, cum enim ibi habitarent Ægyptij mixti Hebræis, certum B est impunitos non mansisse, & sic nec à muscis liberos: hoc ergo ita intelligendum, in ea parte in qua erant Hebræi muscas non fuisse, domus autem Ægyptiorum ab eis immunes non fuisse, sed refertas, & si quando contingeret Hebræum, domum Ægyptij ingredi ab eis illæsum, si autem Ægyptius domum Hebræi ingrederetur, aculeum earum sensisse: quomodo animalcula prorsus vsu rationis carentia, Hebræis in eadem domo cum Ægyptiis existentibus, parcunt, illos autem grauiter pungunt? respondet Dionys. Carthus. *Bestiolas illas nõ transgressas terminum eis iussu Dei præfixum*, en animalium maxima obedientia! quam vtinam ad eorum imitationem, Deo ita exacte præstaremus. Dyonis. Chartusian.

C *Impiorum conscientia remorsus, piorum tranquillitas.*

113. *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est vt non sint ibi muscæ.* Non est dubium importunissimas & inquietissimas esse muscas, terrã Gessen, in qua Israëlitæ habitabãt, piorum hominum esse conscientiam, ibi autem muscas non reperiri, quia omnem conscientiæ morsum Deus abigit à mentibus piorum hominum, & mentem pacatam & quietam Deus immittit: at vero in Ægypto muscæ caninæ grassantur, & pungunt, idest animos impiorum hominum inquietat conscientia, neque valent malefici & incantatores muscas producere, vt terra Gessen hoc malum patiatur, vnde hoc? quia licet impij multis malis viros pios atterant, cæterum ipsi in summa quiete, & animi tranquillitate D constituti, facile vel tolerant vel despiciunt eiusmodi tentamenta, neque possunt impij scrupulum conscientiæ sanctorum virorum animis immittere. *Quid dulcius* (inquit Sanctus Aug. ser. 45. de Diuersis) *conscientia bona? quæ si non est & mala pungit, amara sunt omnia.* D. August.



## *VARIETAS LECT. Vers. 10. & 11.*

*Vulg.* Fecitque Dominus ita, & venit musca grauissima in domos Pharaonis, & seruorum eius, & in omnem terram Ægypti, corruptaque est terra ab omnibus muscis.

*Sept.* Aduenit cynomyæ multitudo in domos Pharaonis, & destructa est terra cinomya.

*Cal.* Et venit mixtio grauissima in domum Pharaonis, corruptaque est terra propter mixtionem.

*Onke.* Venit turba noxiarum bestiarum varia, corruptaque est terra à præsentia bestiarum illarum.

*Pag.* Et venit omne ferarum genus graue ad domum Paroh, & corrumpebatur terra propter ferarum genus.

*Vatab.* Venit omne insectorum noxiorum genus graue in domum Paroh, & corrumpebatur terra, propter insectorum noxiorum genus.

## CONCORDIA.

IAm diximus dictionem Arob à variis varie reddi, vide superiorem concordiam, ne sæpius idem repetatur neue nauseam tibi pariat dictio toties repetita.

## EXPOSITIO.

FEcitque Dominus. Ita scilicet vt Moyses minatus fuerat, *& venit musca grauissima* id est nocentissima, vel etiam numerosissima, vtramque enim significationem habet hæc vox, sic Psal. 34. in populo graui, idem est ac in numerosa congregatione. *Corruptaque est ea terra ab omnibus muscis,* id est deformata & fœdata, habitatores quidem læsi & inquinati, putat Abul. has muscas morsu suo venenatas fuisse.

Psal. 34.

## CONCEPTVS.

### *Importunissima exactorum aduersus populum Dei improbitas iustissime punitur.*

114. VEnit musca grauissima. Infinita enim muscarum omnis generis examina, quasi auxiliares legiones scyniphibus adfuerunt, quæ per domos, vicos, plateas, agros, Ægyptumque vniuersam effusa, incredibile dictu est quantum molestiæ & doloris, & impatientiæ, hominibus & iumentis intulerint. Cinomya inquit Philo lib. 1. de vita Moys. & canum & muscarum audaciæ, temeritatis, impudentiæ particeps, mordax, & insidiosum est animal, nam e longinquo stridorem inteli morem, magno impetu aduolat, infixaque cuti hæret pertinaciter. tunc vero diuis exagitatæ multo molestiores erant vltra naturam sitim sanguinis diuinitus ad vltionem contra homines impios armatæ; inuadebant ergo miseros Ægyptios muscæ obstinatissimæ, nullamque corporis partem, ad quam volatu, gressuve peruenire possent, intactam vel innoxiam mordendo, pungendo, perforando relinquebant, vitam in morsu potius quam morsum paratæ relinquere, in aures, in nares, in os, intraque vestes furtim illapsæ, longe acerbissimos infigebant morsus, faciemque maxime ex omni parte monstrose exuberantem reddebant; nec dubium est etiam eorum equos & iumenta sic in rabiem acta, vt fræno, vinculis, aut laqueis retineri non possent, quin se suosque equites doloris impatientia saltu in præceps darent, & perderent: hæc fuit ergo musca grauissima atque nocentissima, qua Ægyptus omnis diuinitus afflicta ac corrupta est. Iosephus multos ad mortem vsque vexatos fuisse scribit, & qui præsentaneum exitium euadebant, morbis fuisse corruptos; qua de re scriptura dubitare non sinit Sapient. 16. *illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus, & non est inuenta sanitas animæ illorum, quia digni erant ab huiusmodi exterminari.* Cur adduntur quod digni erant? quia vindicari oportebat importunissimam præfectorum & exactorum importunitatem, Hebræos infœlices dies noctesque ad opus stimulis & flagellis vrgentium, & par erat vt qui miseros subditos nunquam interquiescere patiebantur, nullam quietis partem muscarum aculeis exagitati, capere vsquam possent.

Philo.

Sapient. 16.

### *Nihil voluntati Dei resistere potest.*

*Venit musca grauissima in domo Pharaonis, & in seruos eius.* Quid? nihilne rex potentissimus, nihilne magnates eius, imo & innumerabilis populus, nihilne inquam remedij contra tam importunam perniciem quæsierunt aut repererunt? nonne flammis muscas abigere potuerunt, aut alio efficaci remedio? sane contra hæc animalia igne & flammis pugnauerunt: quomodo ergo Ægyptus hac clade corrupta est, vel vt habent Septuag. destructa est? quia licet hanc luem flammis decertauerint, sed irrito certamine, Sapient. enim 16. habetur quodam tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur, quæ ad impios missa erant animalia, sed vt ipsi videntes scirent quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem. & c. 19. flammæ e contrario corruptibilium animalium non vexauerunt carnes coambulantium, sic explicat Episcopus Iansenius de Ægyptiis hæc dicta. *Contextus satis declarat, neque enim in hoc libro impios vocat Hebræos, sed ex collatione facta de Ægyptiis fere iustos vocat, & Dei filios propter Dei electionem, & Dei veri cultum: significare ergo voluit ranas & muscas aliaque animalia in vltionem Ægyptiis immissa, non potuisse igne consumi, nec ignem in illa quidquam valuisse, quandiu Deus voluit id esse scriptum non legatur in Exodo, tamen per manus verisimile est hunc auctorem accepisse.* 115. Sapient. 16. Sapient. 19. Iansenius.

### *Maxime praua hæreticorum inclinatio*

*Venit musca grauissima corruptaque est terra ab omnibus muscis.* Cuius musca symbolum? ait Augustinus hæreticorum. quid muscæ cum hæreticis? nonne muscis corrupta est terra? sic prauissimum hæreticorū ingeniū ad corrūpēdos, si quomodo 116.

possunt, innocentes? muscarum naturam atque A hoc Hæreticorum ingenium eleganter describit S. August. August. libro contra Fulgent. Donatist. artic. 14. *muscæ moriturę Donatistæ circuiuolant per totius corporis membra, sicubi reperiant vulnera, sana pungunt, ægra lambunt, & eorum visceribus peccatorum vermes fundunt, quæ nec ipsis cadaueribus parcunt, muscæ moriturę cum oleum exterminant, oleo pereuntur, neque enim viuitis qui Spiritum Sanctum efflatis.*

*Cogitationes malæ quam importunæ & perniciosæ:*

117 *Venit musca grauissima, corruptaque est terra muscis.* Quid? itane nociuæ muscæ, vt earum fœtore, veneno, vel importunitate terra corrumpa- B tur? scio spurcum & fœtidum cui insident, pabulum efficere: sed quomodo earum spurcitia, terra corrumpatur, vix possum capere, mysticè loquamur, muscis nonne designari possunt cogitationes etiam leuissimæ? ita noster Bona- Noster Bonauent. Cap. 10. Eccl. uentura in c. 10. Ecclesiast. in illa verba, muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti: quid mirũ igitur si ab eis terra corrũpatur? prauæ enim cogitationes etiam si minimæ, & leuissimę tamen pungunt, conspurcant, mentis lenitatem & tranquillitatem perturbant, odorem deuotionis viciant, & quid mali non inuehunt in animum, cui semel per consensum immerguntur? sic ha- Petrus Costus. bet translatio Petri Costi in cit. c. Eccles. *pessima cogitatio in foribus cordis habitans, similitudine cum musca conuenit, interitumque affert mundo, &* C *in id temporis conijcit hominem quo peccet.*

*Quid laboriosius quam terrenis desiderijs æstuare?*

*Venit musca grauissima corruptaque est terra mus-* 118 *cis.* Ecce Ægyptus innumera multitudine muscarum percutitur & corrumpitur: sed quid in Ægypto mundum denotante & muscis corrupta significatur? quis enim asseret? potest mundum hac lue corrumpi? licet enim aliquando nationes integras muscæ perdiderint, notum est mundum ab eis incorruptum manere: nihilominus ab eis nempe terrenis desiderijs corrumpi tenet S. S. Greg. Mag. Greg. lib. 18. moral. cap. 28. *quid in hac vita laboriosius, quam terrenis desiderijs æstuare? aut quid hic quietius quam huius sæculi nihil appetere? hinc est quod Israeliticus populus custodiam sabbati accepit in munere: hinc è contra est Ægyptus muscarum multitudine percussa, populus namque qui Deum sequitur accepit sabbatum, id est requiem mentis, vt nullo in hac vita desideriorum appetitu fatigetur, Ægyptus vero quæ huius mundi speciem tenet, muscis percutitur, musca enim nimis insolens & inquietum animal est, in qua quid aliud quam insolentes curæ desideriorum carnalium designantur?*

*Filii honorem debitum parentibus non exhibentes, sunt caninis muscis similes, non diu vitam protrahentes.*

*Venit musca grauissima*, Sept. *venit cœnomya*, 119 Cald. *venit mixtio grauissima, corruptaque est terra muscis.* Oleast. Non adeo inquit certum est, an ideo fuerit corrupta; quia mortua est huiusmodi corruptio, an quia corrupit ipsam terram, comedendo omnia, & deuastando, prius videtur verius: quidnam ita cito pereat huiusmodi cynomia, vel musca canina? cur à Deo immissa cum desinere cito debeat? audiamus sanctum Prosperum part. 1. c. 36. S. Prosper. Aquitanic. *quarta plaga Ægyptiorum cynomia, caninæ scilicet muscæ, secretis etiam membris pœnas morsibus infligente, & quartum mandatum in lege est honorandos esse parentes, quod primum ad homines refertur mandatum, quoniam superiora diuinitati videntur adscripta, hi vero qui non ea honestate venerantur parentes, qua mandatum est, canibus similes rabiem sua fœditatis exerentes longe in terra esse non possunt.*

*Detractores quam nociui.*

*Venit musca grauissima.* Septuag. *venit cy-* 120 *nomia corruptaque est terra muscis.* Scio ab aliquibus per cynomyam, maledicos siue detractores intelligi, cynomya enim est mordax & insidiosum animal, teste Philone. quid autem maiores insidias struit quam detractores? quis ita mordax, qui falsa sæpe imponit crimina? qui aggrauat, vel mala exaggerat audita? qui nulli parcit? &c. sed quomodo detractoribus conuenire potest quod ab eis terra corrumpatur? legendus est noster Bernardinus Senensis serm. 28. qui est de Noster Bernardinus Senens. odibili detractione tomo 1. solum illius subijcio verba, ex articulo vltimo eiusdem concionis hunc locum Exodi exponentis, *homines terrena sapientes corrumpuntur ex obloquutorum detractione, qui sunt veluti pungentes muscæ.*

*VARIETAS LECT. Vers. 25. & 26.*

V*ulg.* Vocauitque Pharao Moysem & Aaron, & ait eis, ite & sacrificate Deo vestro in terra hac.

*Sept.* Venientes immolate Domino Deo vestro in terra hac.

*Cald. & Pag.* In terra.

*Vulg.* Et ait Moyses, non potest ita fieri, abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro, si mactauerimus ea quæ colunt Ægyptij coram eis, lapidibus nos obruerent.

*Sept.* Si enim immolauerimus, abominationes D Ægyptiorum palam ipsis lapidabimur.

*Cald.* Non potest ita fieri, quoniam animal quod Ægyptij colunt, non immolabimus, vt sacrificemus coram Domino Deo nostro, quod si immolauerimus animal quod ipsi colunt, ipsis videntibus, nonne lapidabunt nos?

*Pag.* Non est rectum vt faciamus sic, nam abominationes Ægyptiorum sacrificabimus coram Domino Deo nostro: si sacrificauerimus abominationem Ægypti in oculis eorum, nonne lapidabunt nos?

*Oleast.* Non conuenit ita facere, eo quod iu-

mentum quod colunt Ægyptij tollemus ad sacrificandum Deo nostro, ecce sacrificabimus pecudem Ægyptiorum, quam ipsi colunt ipsis videntibus? an non lapidabunt nos?

*Oleast.* Non est securum sic facere.

## CONCORDIA.

HÆc verba, non potest ita fieri, non discrepant ab Hebræo sic habente לא לנכון לעשות כן lonachon lahasoth chen, non rectum, non conuenit ita facere, sensum autem verborum optime elicuit interpres hac lectione, quod si mactauerimus ea quæ colunt Ægyptij, ne iterum eadem verba repetere cogeretur, vt aliæ repetunt, sensum autem qui videtur varius, in expositione, declarabimus.

## EXPOSITIO.

VOcauit Pharao Moysen, qui à curia regia abierat, *ite sacrificate Deo vestro in terra hac*, nempe in terra Gessen, non enim permitto vt extra terram Ægypti sacrificium Deo vestro offeratis, *non potest ita fieri*, & licet ratio quam subiecit Moyses sit sufficiens, vt non offerant sacrificium in terra Ægypti, alia tamen suberat, quia ab Ægypto secedere volebat populum suum, sicut à Deo iussum ei fuerat, *abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Deo nostro?* interrogatiue vertit noster interpres ad emphasim, quasi diceret, nullo modo expedit, vt in Ægypto coram Ægyptiis mactemus & sacrificemus oues & boues, hæc enim ipsi colunt, vnde si ea iugulemus, *lapidabunt nos*, sed quænam sunt hæ abominationes Ægyptiorum? aliqui dicunt, eas vocari, quæ diis suis sacrificabant Ægyptii, quæ Hebræis erant abominanda, sed melius dicendum abominationes hic vocari pecudes sacras, quarum cædem quasi sacrilegam Ægyptii abominabantur, vt pote qui eas colerent sicut numina, vel quid numinis habentia, vnde quæ hic vocantur abominationes, paulo post vocantur ea quæ colunt Ægyptij.

## CONCEPTVS.

### *Supplicio deficiente pluries, & ad Deum conuersio deficit.*

121 ITe & sacrificate Deo vestro. Nonne ille est Pharao qui cum ranarum interitum mediis precibus Moysis consequutus fuisset à Deo, promissis suis non stetit? cuius mens magis obdurata remansit? quomodo ita in melius mutata vt Israelitis sacrificium Deo offerre permittat, imo vt iubeat victimas Deo immolare? ait enim ite & sacrificate: reuoca in memoriam quid à scynphibus passus non fuerit? quo dolore & labore è cynomyia affectus? quem cruciatum ab eis tota Ægyptus non senserit? quid mirum igitur si suppliciis emollitus, videatur ad Deum conuerti; quibus deficientibus non steterat promissis? vnde recte Orig. hom. 3. *Nemo ita ineruditus diuinæ sit disciplinæ, vt flagella perniciem putet, vt verbera Domini credat pœnalem interitum, ecce Pharao durissimus tamen profecit verberatus.* Orig. hic.

### *Quæ coluntur ab impijs, abominanda sunt pijs.*

122 *Ite & sacrificate Deo vestro.* Quod renuit Moyses, rationem præbet, abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Deo nostro? qualinam abominationes? an pecudes quæ à vobis offerendæ sunt in sacrificium, abominationes censentur? nonne quæ creauit Deus erant valde bona? & licet aliqua deinde prohibuerit sibi offerri, plura tamen nobis concessa quæ reperiuntur in Ægypto, ne ea ergo dixeris abominationes, accipe nostrum Lyranum sic satisfacientem, *Hebræi vocant abominationes ea quæ coluntur ab idololatris, Ægyptij autem colebant Apim in specie tauri, & Iouem in specie arietis, vnde & pingitur cum capite arietino.* Lyran.

### *Impij ita sua colunt numina, vt eis dedecus inferentibus parcere nesciant.*

*Ite & sacrificate Deo vestro.* quod cum renueret Moyses secundum mentem Pharaonis, hanc præbuit rationem, *si mactauerimus ea quæ colunt Ægyptij coram eis lapidibus obruemur*, quibusnam numinibus adorationem exhibent? tauro, arieti, crocodillo, cani, quid? nonne vita hominum in maiori pretio est quam vita pecudum? quomodo ergo propter eas Deo in sacrificium oblatas ab Hebræis, ipsi ab Ægyptiis lapidibus obruentur? quia etiam impij tanta veneratione sua colunt numina, vt eis vel dedecus vel damnum inferentibus, omnino parcere nesciunt, *tantum in nos desæuient propter vana numina*, (inquit Abul.) *quod nos lapidabunt & tantam in nos lapidum multitudinem iacient, quod cooperient nos, & sic lapidibus nos tumulabunt.* 123 Abulensis.

### *Principes impij suis priuatis commodis potius consulunt, quam Dei honori.*

*Ite & sacrificate Deo vestro*, vbinam loci? *in terra hac*, inquit, cur non in deserto, cum hoc tibi iussent Deus, scilicet vt viam trium dierum irent sacrificandi gratia? Aduerte Pharaonem ne si longius secederent, timuisse eos non regressuros in Ægyptum, en vt impius princeps suis potius priuatis consulens commodis quam Dei obediés iussioni, subscribit Lippom. *Pharao ma-* 124 Lippom.

*fortitudine suppliciis coactus permittit quidem Israelitis vt sacrificent, sed addit in terra videlicet Ægypti, non in deserto, hoc autem non est insistere Dei obedire, sed Dei iussionem pro sua libidine mutare, quod ab inobedientia nihil differt: sic permittunt impij Dei cultum modo priuatis non absit commodis, & vbi adacti necessitate cum honore subterfugere non datur.*

## *Superbo abominabilis est humilitas, & omnes virtutes vitiosis.*

115 *Ite & sacrificate Deo vestro in terra ista.* Renuit Moyses, abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro? per abominationes Ægyptiorum Rupertus non intelligit pecora ab Ægyptiis in honore habita, sic enim ait lib. 1. c. 33. sciendum quia hic de nullo pecore agitur, quod vel abominandum vel colendum sit Ægyptiis vt Domino Deo vero mactetur; nam per Ierem. 7. ipse loquitur holocaustomata vestra addite victimis vestris, comedite carnes quia non sum locutus cum patribus vestris & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustomatum & victimarum, sed hoc præcepi eis dicens, audite vocem meam & ero vobis Deus: si ergo pecudes non sunt abominationes Ægyptiorum quid ergo? respondet, fides & omnes animæ virtutes, quid? an quæ optima sunt & maximo in pretio habenda abominationes nuncupari possunt? ita equidem apud impios, qui virtutes omnes maxime exosas habent, sic autem ait cit. Abbas, *abominabilis est superbis humilitas, & iniustis vniuersa iustitia, dicit autem scriptura Psal. 50. sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies, è contrario tumidam ceruicem & cor crassum Ægyptii colunt.*

Rupertus. | Ierem. 7. | Psal. 50.

## *Vitijs valedicentes persecutionibus sunt obnoxij.*

116 *Ite & sacrificate Deo vestro in terra ista, non potest ita fieri.* Respondet Moyses, quia si mactauerimus ea quæ colunt Aegypti, lapidibus nos obruent, quænam coluntur ab Aegyptiis? sane ab impiis quales per Aegyptios designatur, pecudes sunt nempe vitia quæ nobis vitã pecuinã infundunt: si ergo à vobis mactantur falsa Aegyptiorum numina, si pecudes eorum interficitis, si vitia è medio succiditis, cur lapidibus obruemini, cum potius omni corona & præmio donari deberetis? quia vitiis valedicentes, quæ colunt Aegyptii, mactantes, persecutionibus impiorum obnoxii relinquentur, sic explicat eu. Abbas Tuicensis, *abominationes Ægyptiorum id est veritatem & sanctitatem immolabimus, & ea quæ colunt Ægyptii, scilicet omnem falsitatem omnemque prauitatem vnum verum Deum colendo, in nobismetipsis immolabimus, sed omnes qui hoc ordine voluerint immolare, persecutionem patientur.*

Abbas Tuicensis.

## *Non in exiguam iustorum commendationem cedit quod sint impijs abominabiles.*

117 *Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac, nequaquam ita fiet, abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Deo nostro?* Licet vt impluriumum interrogatiue hæc verba legantur, aliqui tamen affirmatiue expendunt, ita vt sensus sit, abominationes Aegyptiorum, nempe greges sacrificando Deo offeram, nonne litare Deo meliora tenemur? quid enim contigit Cain non de melioribus offerenti? inuisa fuere ipsius munera: cur ergo cum excellentissima, propter immensa à Deo accepta beneficia ei essent mactanda, dicis te abominationes Aegyptiorum oblaturum? non in hoc sensu hæc verba accipienda, sed mens eius penetranda, nempe quod abominationes Aegyptiorum immolabit scilicet præstantissimos omnium greges, commendatione enim maxima dignum, quod Aegyptiis abominandum iudicatur, cum nisi præstantissima & excellentissima impii illis designati, sciant abominari, & odio habere, sicque in maximum honorem iustorum apud omnes cedet, quod impiis sint abominabiles: egregia S. Greg. Magni. 11. Moral. c. 27. subiiciam, *huius mundi sapientia est cor machinationibus tegere sensum verbis fallere, quæ falsa sunt vera ostendere quæ vera sunt falsa demonstrare, hæc nimirum prudentia à iunioribus scitur, hæc à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt, hanc qui sciunt cæteros despiciendo superbiunt, hanc qui nesciunt, subiecti & timidi in alijs mirantur, quia ab eis hæc eadem duplicitas iniquitatis nomine palliata, diligitur, dum mentis peruersitas, vrbana vocatur: hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere, cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere, cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare, at contra sapientia iustorum est, nil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire, vera vt sunt diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quã facere, nullã iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam lucrũ putare, sed hæc iustorum simplicitas deridetur, quia ab huius mundi sapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur, omne enim quod innocenter agitur ab eis proculdubio stultũ putatur, & quidquid in opere veritatis approbat carnali sapientia fatuum sonat, quid namque stultius videtur mundo, quam mentẽ verbis ostendere, nil callida machinatione simulare, nullas iniurijs contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatẽ quærere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti maxillam alteram præbere: vnde benè huius mundi dilectoribus ille egregius Dei sapiens dicit, abominationes Ægyptiorũ immolabimus Deo nostro; oues quippe Ægypti edere dedignãtur, sed quod abominãtur Ægyptij, hoc Israelitæ Deo offerunt, quia simplicitatem conscientiæ quam iniusti quique velut infimam abiectamque despiciunt, hanc iusti in virtutis sacrificium vertunt, & excolentes recti puritatem ac mansuetudinem Deo immolant quam abominantes reprobi fatuitatem putant.*

Greg. Mag.

## *Nulla est societas Dei ad belial.*

*Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac.* Ac si diceret, scio quidem, quia Deo vestro sacrificare vultis in deserto, sed ite sacrificate in Ægypto, vt inter me & vos quoddam medium disponatur, per quod concordia vtrumque teneatur, dum & ego partim consentio vestro 118

petitioni, & vos obtemperantes estis ex parte A iussioni meæ; ad quem Moyses: non potest ita fieri, quid? nonne melius est Deo offerre sacrificia quam abstinere? si ergo tibi & populo permittitur Deo litare, quid renuis? nonne in omni loco Deus adoratur? nihilominus respondet Philipp. Abbas lib. de digni. clericor. *videbat profectò vir sanctus vel spiritus qui in eo loquebatur, quia nulla populo Dei cum Pharaone habenda est concordia, vt Deo victimas offeras, ab impiorum societate abstine.* Philipp. Abbas,

### *Quod non est rectum, impossibile tibi videatur.*

*Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac.* Partum quod in votis habebas ô Moyses tibi conceditur, nihilominus ait Moyses, non potest ita fieri, an impossibile tibi videtur, posse fieri sacrificium in *Ægypto*? nam materia suberit, nempe pecudes omnigenæ, sacerdotes non deerunt, licentia etiam à Rege conceditur: non potest ita fieri, inquit, non impossibile hoc iudicat, cum nulla sit Physica repugnantia, sed quia hoc nec rectum nec honestum esse arbitrabatur ita censet esse impossibile, fauet lectio Pagnini vertentis, *non est rectum vt faciamus sic.* Pagni.

### *Deo potius obediendum quam principibus.*

129 *Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac.* Renuit Moyses dicens, *nequaquam potest ita fieri*, inurbanus apud Regem censeberis, qui tuis annuens C desideriis quoad sacrificium, licentiam sacrificandi tibi exhibitam reiicis, tum non solum tibi eam concedit, sed iubet vt à te victimæ Deo offerantur, ait enim ite: cur ergo cum regibus obtemperandum, iussa non eius exequeris? non excidit vobis è memoria, Deum imperasse quidem Moysi vt sibi sacrificaret, sed in deserto, merito igitur non obtemperat Regi, nec enim hoc obedire tenetur, quia æquissimum est, vt Dei præscripta hominum mandatis præponderent, non enim permittendum est vt humana auctoritas, & Dei præceptis præiudicet, nec quidquam deroget, ideo S. Hierony. in 3. c. ad Titum exponens hæc verba Apostoli, admone illos principibus & potestatibus subditos esse, sen- S. Hieron. 3. ad Titum

bit, *si bonum est quod præcipit imperator, & præses iubentis obsequere voluntati, sin verò malum è contra Deum sapit, responde ei illud de actibus Apostolorum, obedire oportet magis Deo quam hominibus, is enim honor deferendus est principibus, teste sancto Polycarpo, qui non est religioni contrarius.* S. Polycarp.

### *Diabolus licet videatur consulere bona fieri opera, tamen semper id perficit, addita peruersa circumstantia.*

*Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac.* Quod impossibile iudicat Moyses, quid? nône opus eximiũ est Deo sacrificii oblatio, à ministris virtute præditis? ecce vt à sacerdotibus victimæ Deo præsententur annuit Pharao; cur ergo licentia eius reiicitur? cur non admittitur benigna eius concessio? expende illa verba, *in terra hac*, quod mandatis Dei aduersabatur: ne mireris igitur noluisse Moysen hanc de sacrificio offerendo concessionem admittere, quia licet Pharao tartareus videatur consulere fieri bona opera, tamen semper id nititur adhibita peruersa circunstantia, *Diabolus*, inquit Oleast. *facere bona opera, imo ad ea instigat, cum aliqua mala conditione, qua bonum opus malum facias, sinebat Pharoh Iudæos colere Deum suum, sed in terra Ægypti, quæ ob cultum idolorum erat ei abominabilis.* 103 Oleast.

### *Cum fratris scandalo nec Deo sacrificandum.*

*Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac.* Oblatum à Rege non admittit Moyses. & ne protervus in sua responsione videatur, agit ratione, quia si mactauerimus ea quæ colunt Ægyptij coram eis, lapidibus obruent nos, quid vobis curæ sunt Ægyptii, obtenta iam à Rege potestate? quid enim tantæ temeritatis, vt non approbent quæ à Rege in bonum reipublicæ decernuntur? quid autem Ægypti regno vtilius, quam à muscarum clade eripi, permisso Hebræis sacrificio? semoto igitur omni timore, à Regis beneuolentia, tibi oblatum admitte, non potest ita fieri inquit, quia licet alia ratio non subesset, nisi quod Ægyptii in pecudum suarum mactatione scandalum paterentur, à sacrificio offerendo abstinere debebat Moyses, annuit eit. Oleast. *prudentiam etiam docet locus iste, etiam in cultu Dei, vt discas, non sacrificare cum scandalo fratris.* 131 Lusitanus



## *VARIETAS LECT. Vers. 27. & 28.*

VVlg. Viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino Deo D nostro, sicut præcepit nobis.

*Sept.* Viam trium dierum ibimus in desertum, sicut dixit Dominus nobis,

*Vulg.* Dixitque Pharao, ego dimittam vos vt sacrificetis Domino Deo vestro in deserto, veruntamen ne longius abeatis, rogate pro me?

*Sept.* Ego mitto vos & sacrificate Deo vestro in deserto, sed non longe procendetis, orate igitur pro me ad Dominum.

*Cald.* Veruntamen longius non recedatis.

*Pagni.* Veruntamen elongando non elongabitis vos eundo.

## EXPOSITIO.

VIam trium dierum pergemus in solitudinem. Non quæ eundo & redeundo confici possit tribus diebus, sed quæ plenos tres dies ad abitum requirat. *& sacrificabimus Deo vestro*

*sicut præcepit nobis*, necesse est enim vt ad nutum eius omnia exequamur, *ego dimittam vos vt sacrificetis Domino Deo vestro in deserto*, concedit petitis sed simulatè, *veruntamen ne longius abeatis*, timebat enim ne sub prætextu sacrificii, omnino ab Ægypto recederent, *rogate pro me*, vt Deus vester ab hac importunissima muscarum plaga nos eripiat & liberet.

## CONCEPTVS.

### *Aduersarius noster aliquid à nobis semper vult obtinere.*

132 *Viam trium dierum pergemus in solitudinem.* Quod annuit Pharao, cum hac tamen restrictione, *veruntamen ne longius abeatis*, quid tua refert, verum longius secedant? iter trium dierum conficiant, forte ex itinere fatigati, vlterius non progredientur: tum si quid difficilius erat, nempe extra regnum Ægypti Deo suo sacrificium offerre, cur secundum, in quo nulla est difficultas, non permittis? hoc cupit impetrare, quasi de tribus diebus aliquid vult minuere, quod ponderans Firmin. ait, *non vult à se longe fieri populum Dei, non vult totum à se triduum proficiscantur, vult in nobis vel vnum diem habere, in aliis duos, in aliis totum triduum ipse possidet*, ecce quanto studio curat hostis habere sibi nostros dies, & nobis plures aut vnum saltem eripere.

Noster numin.

### *Quot se aliorum orationibus ficte commendant?*

133 *Viam trium dierum pergemus in solitudinem.* Vrgente muscarum plaga, loco quidem deserti consentit Pharao licet verbo potius quam animo, ait enim, dimittam vos, vt sacrificetis Domino Deo vestro, veruntamen ne longius abeatis, rogate pro me, scilicet sacrificium oblatum, quid? nonne omnibus muscis ablatis, ne vna quidem superstite, cumque suis satis esset factum desideriis suis, noluit stare promissis? quomodo ergo se eorum orationibus commendat? quia plures sunt qui simulate aliorum preces exposcunt, vt aliquando pij videantur, *audet*, inquit Auctor Cat. *impius hypocrisim abscondere postulatione intercessionis pro se, dum sunt sacrificia Domino exhibitura.*

Lippom. Auctor Cat.

### *Sacrificium Deo offeramus in omnium secessu.*

134 *Viam trium dierum pergemus in solitudinem.* Offerendi Deo sacrificii gratia, cur laborem itineris trium dierum assumitis, cum libera sit vobis derelicta potestas in Ægypto Deo victimas dare? quot vobis necessaria in deserto quæ facilius in vrbe reperientur, nō viget deuotio mētis, cum actæ perquirendis distrahimur, ne ergo menti adhuc hæreat in solitudinem proficisci vt debitum Deo persoluere valeas sacrificium, sane decet animam Deo sacrificaturam, non tantum incipere aut proficere, sed ad perfectionem quoque peruenire, quod non potest vnquam consequi nisi prius relicta Ægypto, vbi lateres coquuntur & paleæ quæruntur, idest repudiato mundo, vbi fere omnis hominum labor circa corruptibilia est, ne ad tranquillitatem vitæ quietæ & pacatæ perueniat, vt pulchre monet S. Greg. his verbis hom. 20. in Ezechiel, *sunt quidam qui adhuc mente in hoc mundo retinentur, & tamen ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, oppressos defendere festinant, isti in bonis quæ faciunt sacrificium offerunt, quia & aliquid de actione sua Deo immolant, & aliquid sibi metipsis reseruant: & sunt quidam qui nihil sibi ipsis reseruant, sed sensum, linguam, vitam atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant: quid isti nisi holocaustum offerunt, imo magis holocaustum fiunt? Israelitis enim populus primum sacrificium in Ægypto obtulit, secundum in eremo, quia itaque mentem adhuc habet in sæculo, sed bona iam aliquid operatur, Deo sacrificium obtulit in Ægypto, qui vero præsens sæculum deserit, & agit bona quæ valet, quasi iam Ægypto derelicta, sacrificium præbet in eremo, quia repulso strepitu carnalium desideriorum, in mentis sua quiete atque solitudine immolat quidquid operatur.*

S. Greg. Mag.

### *Loca solitaria orationibus sunt aptissima.*

135 *Viam trium dierum pergemus in solitudinem.* Cur loca solitaria vis petere, cum vbique terrarum Deus attentas aures suorum orationibus præbeat? quia loca à turbis tumultibusque semota longe commodiora & aptiora sunt iis qui serio student orare Deum, mentis sacrificium offerre, & cordium suorum æstus in conspectu Domini effundere: vide S. Hierony. Epist. ad Heliodor. his laudibus eremum & solitudinem effert, *ò desertum Christi floribus vernans! ò solitudo in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas regis magni extruitur! ò eremus familiarius Deo gaudens! quid agis frater in sæculo, qui maior es mundo? quandiu te tectorum vmbræ premunt, quandiu fumosarum vrbium carcer includit, infinita eremi vastitas te terret, sed tu paradisum mente deambula, &c.*

S. Hieron.

### *Deus sacrificiorum nostrorum minus quam fidei & obedientiæ rationem perquirit.*

136 *Viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino Deo nostro*, S. Irenæus lib. 4. aduersus Hæreses c. 32. ait, non propter hos eduxisse populum suum ex Ægypto, vt sacrificia ei offerrent, sed vt obliti idololatriæ Ægyptiorum, audire vocem Domini possent, quæ erat eis salus & gloria, sic enim per Ieremiam c. 7. ait, hæc dicit Dominus, holocaustomata vestra colligite, cum sacrificiis vestris, & manducate carnes, quoniam non sum locutus ad patres vestros, nec de holocaustomatibus & sacrificiis præcepi eis, qua die eduxi eos de Ægypto, sed sermonem hunc præcepi eis, dicens, audite vocem meam, & ero Deus vester, & vos eritis populus meus, & ambulate in omnibus viis meis, quæcunque præcepero vobis vt bene sit vobis: cur

S. Irenæus. Ierem. 7.

opus eximium, quale est sacrificium à nobis po- A tius non exigit? exigit equidem, sed non sibi, sed nobis, non suæ vtilitatis, sed nostræ salutis gratia, vnde S. Aug. Epist. 99. ad Deo gratias in respon- *S. August.* sione tertiæ quæst. ait, *nobis prodest colere Deum non ipsi Deo, cum ergo inspirat & docet quomodo colendus sit, non solum sua nulla indigentia facit, sed nostra maxima vtilitate*, & lib. 10. c. 5. de ciuitate Dei, *quis ita desipiat, vt aliquibus vsibus Dei esse necessaria existimet, quæ in sacrificiis offeruntur?*

*De bono in melius progrediendum.*

137 *Viam trium dierum pergemus in solitudinem.* Annuit, sed cum hac restrictione, *verum ne longius abeatis*, longius discedant, cum à te hoc beneficium postulauerint, à Domino præceptum habent, vt ne vnius vel duorum dierum via contenti, sed trium absoluant, cur ergo in votis habes, quod vltra vnius vel alterius diei spatium non progrediantur? quia semper satagit tartareus B Pharao, vt in bono tepescamus, nec de bono in melius progrediamur, vt terminum perfectionis propositum, & à Deo præscriptum non attingamus: sed in via virtutis non quiescendum, at vlterius semper progrediendum, vnde recte sanctus Dorotheus doctrina 4. sic ait, *bene propheta* *S. Doroth.* *cum dixit declina à malo addit, & fac bonum, bene coniungit vtrumque Propheta, ostendit nobis consequentiam trium statuum, quomodo scilicet ex timore Dei peruenitur in declinationem mali, & post declinationem ad bonum conscenditur, cum enim quis dignus habitus est ad malum torpescere, & ab eo fugere, necessario adiutus à superis bonum operatur. hac vbi dixit præclare infert consequenter, inquire pacem & persequere eam, nec inquire tantum dixit, sed & acrius insectare, vt comprehendas eam*, en vt non solum bonum operandum, sed in via virtutis non deficiendum, sed vsque ad comprehensionem laborandum.



## *VARIETAS LECT. à Vers. 29.*

*Vulg.* Et ait Moyses, egressus à te orabo Dominum, & recedet musca à Pharaone, & à seruis tuis, & à populo eius cras, veruntamen noli vltra fallere, vt non dimittas populum sacrificare Domino.

*Sept.* Ego autem exibo à te, & abibit cynomia, ne adieceris vltra Pharao decipere.

*Cald.* Auferet mixtionem à Pharaone, veruntamen non addat Pharao vltra mentiri.

*OnK.* Vt auferat mixturam bestiarũ à Pharaone.

*Pag.* Recedet omne ferarum genus.

*Vatab.* Vt recedat omne genus insectorum noxiorum.

*Vulg.* Egressusque Moyses à Pharaone, orauit C Dominum.

*Sept.* Exiuit Moyses à Pharaone, & orauit ad Deum.

*Vulg.* Qui fecit iuxta verbum illius, & abstulit muscas à Pharaone, & à seruis suis, & à populo eius, non superfuit ne vna quidem.

*Sept.* Fecit Dominus sicut dixit Moyses, & abstulit cynomiam, & non remansit vlla.

*Cald.* Et abstulit mixtionem à Pharaone.

*Pag.* Et recessit omne ferarum genus.

*Onk.* Abstulit noxias bestias.

*Vatab.* Abstulit omne insectorum noxiorum genus.

*Vulg.* Et ingrauatum est cor Pharaonis, ita vt nec hac quidem vice dimitteret populum.

*Sept.* Et ingrauauit Pharao cor suum, etiam in tempore hoc.

*OnK.* Et aggrauauit cor suum.

## *CONCORDIA.*

VBi habemus *noli vltra fallere*, Hebraicè est אליסף פכעה התל al Ioseph pachohatel, veruntamen ne addat vltra Pharao mentiri, verbum autem התל licet illudere, fallere dicat, extenditur etiam ad significationem verbi mentiri. Sept: pro hac vice habent ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ & in tempore hoc, idem est, veruntamen est aliquantulum mutasse interpretem verba huius vltimi versus, in Hebræo enim aliter habentur, sed non est in sensu mutatio.

## EXPOSITIO.

*AIt Moyses egressus à te*, nempe è domo tua, D *orabo Dominum & recedet musca à Pharaone*, certus enim erat Deum orationem suam exauditurum, *veruntamen noli vltra fallere*, non stando tuis promissis, *& abstulit muscas à Pharaone*, ministratio Angelorum, in mare vel in aliquem locum deserti electæ fuerunt, *& non superfuit ne vna quidem*, per hyperbolem noli id dictum sed vere, nam ne vna quidem superfuit, *& ingrauatum est cor Pharaonis*, nesciebat enim nec beneficiis emolliri, *ita vt nec hac quidem vice dimitteret populum*, sicut enim eos alias fefellerat, sic etiam hac vice in sua fraude permansit.

## CONCEPTVS.

*Dei opera perfecta.*

138 *ORabo Dominum & recedet musca à te.* Quod ita factũ est, vt nec vna quidem remaneret, nonne ante quam innumeram muscarum multitudinem immitteret in Ægyptum, plurimæ iam reperiebantur? non enim traditur quod ab eis libera fuerit & immunis, cur ergo omnes ne vna quidem

quidem superstite, abstulit, remaneant saltem A illæ quæ ante cladem præcesserant: nescit Deus aliquid imperfectum operari, nescit dimidiatum beneficium conferre, sed integrum, sicut semper perfecte operatur: obseruatio est Episcopi
Abulens. Abulensis. *magnum satis fuit hoc miraculum, quia ante quam veniret illa plaga muscarum, aliquæ erant in Ægypto, sed quia opera Dei valde sunt perfecta, ideo non solum plagam muscarum quam attulerat, abstulit, sed etiam omnes quæ ante erant, remouit, sic enim fuit in Christo Iesu qui quando aliquem ægrotum sanabat, perfectiorem eum reddebat, quam antequam ægrotus fuerat.*

### *Tranquillitas mentis in oratione requiritur.*

140 *Orabo Dominum & recedet musca à te.* Cur de futuro polliceris Deum deprecaturum? nonne B vnicum beneficium cito collatum duplici æquiualet? cur ergo ablationē muscarum medus tuis precibus in aliud tempus protrahis? cum à te egressus fuero orabo Dominum pro te, à quo loco? à tua aula regia, nequaquam; nonne vbique Deus inuocatur? nihilominus vult egredi, quia cum aulæ principum non careant tumultu, ideo in portum tranquillum deprecationis gra-
S.Chrysost. tia, vult se conferre: fauet Chrysost. hom. 51. in Matth. *tam à tempore quam à loco tranquillitatem orandi quæramus.*

### *Si semel peccasti, ne vltra peccaueris.*

141 *Orabo Dominum & recedet musca à te.* Tamen eum vltra monet, ne vltra fallere velit, C ald ne vltra mentiretur, quid eum mones fugiendi mendacii vel fraudis? nonne cum consecutus fueris tuis precibus muscarum ablationem quam à te exigit, compertum tibi erit cuius mentis erga populum fuerit? merito monet ne vltra fraude vel mendacio eum circumueniat, quia licet primum peccatum dignum sit venia, secundum ea indignum videtur, vnde peccatores cōmonefaciens
Tertulian. Tertul. lib. de monogamia inquit, *redi in Adam vel priorem si in nouissimum non potes, semel gustauit ille de arbore, semel concupiuit, semel pudenda protexit, semel Deo erubuit, semel ruborem suū abscondit, semel de paradiso sanctitatis exulauit, si vt ille fuisti, habeas tuam formam, si in Christum transisti, melior esse debebis,* en vt peccator imitari deberet protoplastem, qui si semel in inobedientiam lapsus est, à secundo abstinuit delicto.

### *Fraude fraudem non compenses.*

142 *Orabo Dominum vt recedat musca à te.* Coram Deo preces fundam cum egressus fuero, cur egrederis beneficium collaturus? nonne sciebas hominem ficto animo se polliceri populum Israel, dimissurum? ne egrediaris, vel si egrederis, ne Deum depreceris: sine fraude quod promiserat adim-
S. Ambros. plet, dolo nolens dolum illudere: annuit Ambr. lib. 3. offic. cap. 14. *rogatus Moyses vt bis quoque finem exitiis daret, orauit & impetrauit, in illo prædicandum quod à fraudis consortio temperauerit, in hoc mirabile quoniam diuinitus inuenta supplicia virtute propria etiam ab hoste detorserit vere nimium, sicut scriptum est, mansuetus & mitis sciebat, quod si-*

A *dem rex non seruaret promissis, tamen honestum putabat, vt rogatus oraret, læsus benediceret, appetitus remitteret.*

### *Peccator in desperationem non inducendus.*

*Rogabo Dominum & recedet musca à te.* Nonne 143
mentem eius obstinatissimam sensisti? num fraudulentum eius animum es expertus? simulatam conuersionem esse non dubitas fictamque pœnitentiam? cur acquiescens eius precibus, à pœna eripis meritam? eam luat cum ad meliorem mentem non sit rediturus. etsi iam ab eo delusus, pollicetur tamen pro omnium salute Ægyptiorum deprecaturum, peccator enim benigne admittendus nec in desperationem inducendus, *facillime placantur iusti,* (inquit Oleast.) *cum primum* Oleast. *Pharao rogauit, Moyses statim acquieuit & pro eo rogauit.*

### *In Deum omne bonum refundendum.*

*Rogabo Dominum & recedet musca à te.* Quando 144
nam hoc beneficium tum Pharaoni cum Ægyptiis conferes? cras inquit, si vim aculeorum cynomiæ sustinere non possunt, si plurimi earum morsibus misere pereunt, cur in diem crastinum salutem eorum protrahis? cur illico quod rogant, non consequuntur? vt beneficium accipiendum non naturæ sed Deo noscant referendum, *noue-* Lusitanus *rat,* (inquit cit. Oleast.) *impios opera Dei beneficio dare naturæ, id eo tempus constituit, vt scirent opera quæ promiserat esse Dei.*

### *Peccatum redit ratione ingratitudinis.*

C *Rogabo Dominum & recedet musca à te, veruntamen noli vltra fallere.* Quoniam sciebat Moyses 145
maiora mala imminere iis qui in peccata relabuntur, fierique nouissima hominum illorum peiora prioribus amice dixit noli vltra fallere, vt non dimittas populum sacrificare Domino; tu igitur caue, ne in pristina peccata recidens, grauius tibi aliquod malum accersas, acceptaque venia caue ne relabaris, seuerius enim tecum Deus noster aget quam hactenus fecerit, quod docuit Christus Dominus quando paralytico sa- Ioan. 5. nato dixit, ecce iam sanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat, voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam veritatis Hebr. 10. notitiam, & gratiæ beneficium atque peccatorum remissionem, non relinquitur pro peccatis D hostia, sed terribilis quædam expectatio iudicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios: sed hoc negotium mihi facessit non exiguum; nam Deus non vindicabit bis in idipsum in tribulatione, quomodo ergo peccatum venia remissum, denuo redibit quamuis sequens committatur? non redit quidem absolute, sed ratione ingratitudinis, quia eo magis aliquis ad Deum diligendum & ei obediendum addictus est, quo plura beneficia recepit, sed peccatorum remissio est maximum Dei beneficium, quod peccator recipere potest, sequitur igitur absolutum peccatorem, esse deuinctissimum: verum quia more canis ad vomitum reuertitur, fiunt iustissimè nouissima eius peiora prioribus. Chrysost. audia- S.Chrysost. mus dicentem hom. 37. in Ioannem, *illud considerandum est, quod si grauem priorum scelerum*

*pœnam dedimus, deinde in eadem inciderimus, dabimus longe maiorem, & merito sane, qui enim supplicio non fit melior, tanquam stupidus quidem & contemptor, grauiorem sibi pœnam præparat: ipsum namque peccatum semel lapsum satis superque cohibere & sapientiorem reddere debebat, ne iterum in idem prolaberetur: verum cum neque supplicium sentem corrigit, non iniuria flagello vtitur vehementiore Deus, quod si post datas pœnas in eadem iterum crimina lapsi, grauiori pœna afficimur,* quid his sperandum est, qui in ipso supplicio, in iisdem sceleribus pertinaciter perseuerant? A

### *Fallacem & dolosum maxime dedecet principem.*

B

146 *Rogabis Dominum & recedet musca à te, veruntamen noli vltra fallere.* Cur præcipue commonet ne in fraudem & dolum labatur, potius quam in aliquod aliud scelus? quid enim dolus est? scito Anselm. c. 1 in Epist. ad Roma. dicere, dolus est occulta malitia, blandis sermonibus adornata, cum aliud sonat in ore, aliud latet in corde: tantum ne detrimentum inferre potest dolus principis? scito Basil hom. 10. in hex. sic loquentem, dolus quoties in anima doli, fraudisque côcinnatrice, sibi delegit domicilium, num vrso quouis in suo spelæo collatebrante est implacabilior? sit implacabilior vrso, cur potius Pharaonem monet Moyses vt abstineat à fraude quam à violentia cum in populum suum esset immanissimus? sane quia fraus cum in omnibus fœda sit, tum vero in iis qui maiori dignitate sunt præditi, fœdior est quam aperta violentia, sic noster Bonifacius de Ceua in tract. de vitio falsitatum hominum, *verborum autem falsitatem ante omnia principes fugere debent, quoniam non est alia turpior in principe macula quam fraudis & falsitatis, sed hi amplissimas promissiones angustissimo compensant facto.*

S. Anselm.

S. Basilius.

Noster Bonifacius.





# CAPVT NONVM.

## SYNOPSIS.

Monitione præmiſſa, peſtis animalia campeſtria Pharaonis occidit, quem induratum veſicarum turgentium plaga afflixit, cui obſtinato & tonitruum & grando venit: tunc ad Regis inſtantiam Moſes ceſſationem obtinuit, ſed rex obduruit.



### *VARIETAS LECT. à Verſ.* 1.

A VVlg. Dixit Dominus ad Moyſen, ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum, hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, dimitte populum meum vt mihi ſacrificet.

*Sept.* Dimitte populum meum vt mihi ſeruiant.

*Vulg.* Quod ſi adhuc renuis, & retines eos.

*Sept.* Siquidem igitur non vis dimittere populum meum, ſed adhuc retines eum.

*Oleaſt.* Adhuc roboras te in eos.

*Vulg.* Ecce manus mea ſuper agros tuos, & ſuper equos, & aſinos, & camelos, & boues, & oues, peſtis valde grauis.

*Sept.* Ecce manus Domini erit in pecoribus tuis, quæ in campis, & in equis, & in ſubiugalibus, magna valde.

*Cald.* Ecce plaga à facie Domini.

*OnK.* Et mors magna nimis.

### *CONCORDIA.*

B HÆc verba, *ecce manus ſuper agros*, ita accipienda ſunt ſicut in Hebræo אשר בשרה במקנך bemiknecha aſer baſade in pecoribus tuis, quæ ſunt in agris, nomen דבר debet quod Vulg. peſtem vertit, rectè, reddidit Onk. mortem, qui enim peſtilentia laborat, morti proximus eſt.

### EXPOSITIO.

INgredere ad Pharaonem, in aulam eius, *& loquere ad eum hæc dicit Dominus Deus Hebræorum*, ille qui verus eſt, & qui ſpecialem curam huius populi gerit, *dimitte populum vt mihi ſacrificet in ſolitudine*, trium dierum itinere, *quod ſi adhuc renuis & retines eos*, ſeruituti duræ populum meum ſubijciens, *ecce manus mea ſuper agros tuos*, manus, id eſt flagellum, percuſſio & afflictio erit à me, poteſtate enim mea ſola, non Aaronis, nec Moyſis vt præcedentem plagam hanc immittam, *peſtis valde grauis*, hæc eſt quinta plaga, qua non ipſos agros, ſed animalia quæ in eis ſunt percuſſit, interfecitque oues & boues quos Ægyptij nutriebant, non ad mactationem, & eſum, ſed ad domeſtica obſequia, lanam &c. nam bobus arabant, & ouibus lac & lanam accipiebant.

## CONCEPTVS.

*Deus celare non potest quanto amore populum suum diligat.* A

1 Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum. Nonne tibi compertum est, etiam maximo populi Israel detrimento, quanto in Hebræos feratur odio Pharao? testatur in eos maxima illius crudelitas: cur ergo vt ipsum compellat ad libertatē ipsis concedendam, dicit Deum Hebræorum id præcipere? nonne satius esset vt petita consequeretur, silentio nomine obuoluto Dei Hebræorũ? absolute dicere non timet coram Pharaone, Deum Hebræorum & non alterius populi Deus enim celare non potest quanto suum amore populum prosequatur, *licet sit Deus* (ait noster Lyran.) *& Dominus omnium, dicitur tamen hic Deus Hebræorum in speciali per veram fidem & specialem cultum, vt videret Pharao quantum Deus populum diligat.* (Noster Lyran.) B

*A Deo etiam malum pœnæ.*

2 *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, ecce manus mea super agros tuos.* Cald. *ecce plaga à facie Domini.* Id est flagellum & plurimorum animalium media peste, interitus, sed à quonam hæc grauis pestilentia omnia depascens pecora? an media Aaronis virga, sicut conuersio aquarum in sanguinem, scyniphum & ranarum productio? non equidem, sed à Deo immediatè, ait enim manus mea super agros tuos, quid? nonne inter mala, pestis censetur grauissimum? & Deus nonne auctor malorum minime proclamatur? quomodo ergo pestilentia ab eo in Ægypti animalia immittitur? quia etiam ab eo malum naturę & pœnæ: sic explicat cit. Doctor, *non dicit manus Moysi, quia ista plaga facta fuit à Deo absque ministerio Moysi & Aaron, in tribus autem primis dicitur Aaron manum extendisse.* (Cit. Lyran.) C

*Malum malo non compensandum.*

3 *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum dimitte populum vt sacrificet mihi.* Nonne pluries Pharao promiserat se dimissurum Israelem, & nihilominus semper Moysem delusit? cur igitur in fraudis pœnam toties Regem perfidum maledictis non prosequitur, populum seditiose in eum non concitat, cum esset ipsius Deus? supplicia tam vario & mutabili principi non immittit suo arbitratu? cur fidem frangenti non frangit? cur Dei vltionem patienter expectat? satisfacit Auctor Cat. *memorabile exemplum quo docemur, quid nobis agendum sit erga eos qui fidem nobis datam violant, & promissa non seruant, vulgaris enim hominum morbus est quod fidem violantibus etiam ipsi fidem violent, ac existiment sibi licere aduersus peccantes peccare, sed Deus vocat nos, non ad exempla peccantium, vt peccata ipsorum imitemur sed ad verbum suũ, & iubet bona pro malis rependere, ac solam Dei vocationem expectare ac sectari.* (Lippom.)

*In quibus delinquimus in his punimur.*

4 *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, ecce manus mea super agros tuos & super equos, &c. & boues & oues.* Parcerem ego tot animalibus rationis vsu carentibus, quæ nec populum Dei retinent, nec ei aduersantur; cur ergo manus Domini, id est flagellum in tot oues & boues, & alia pecora? non nobis ignotum pecudes sacras apud Ægyptios habitas, & tanquam numina ea coluisse, sic enim Iouem Hammonium venerabantur in ariete, Apin in vitulo & boue, &c. merito igitur etiã in pecoribus puniuntur, quod eis pessime abuterentur, ad idololatriam: & sic in quibus deliquerunt in his corripiuntur.

*Deus à mitioribus flagellis incipit, vt à grauioribus fugiamus.*

*Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, ecce manus mea super agros tuos, & super equos, boues, & oues.* 5
manus sua, id est flagellum suum, vt postea per B appositionem explicatur, *pestis valde grauis,* percute totius principem Ægypti, & in eo Ægyptios tuis non parentes mandatis, non percutias graui pestilentia pecoribus, cum in nullo deliquerint? nescit Deus obliuisci suæ bonitatis & misericordiæ etiam in maximos peccatores, sed à minoribus procedit, vt his cautiores facti fugiant grauiora, subscribit Oleast. *procedit Dominus in flagellis à mitioribus, quoniam non libenter grauia infligit, & prius pecudes quam homines tetigit, vt videat homo si velit attendere, & disciplinam excipiat.* (Oleast.)

*Deus neminem cogit ad salutem.*

*Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, dimitte populum meum vt sacrificet mihi.* Nonne homines 6
quibus necessario seruorum opera & seruitio opus est, improbos & dicto non audientes seruos C possessionis iure coërcent? cur ergo Deus cum sibipsi sufficiat, & nullius indigeat, & omnia operetur nostræ salutis duntaxat gratia, nolentes ad obsequium suum non trahit? cur non cogit Pharaonem, sed paternè exhortatur per Moysen & Aaronem ex sua parte ipsi dicentes, dimitte populum vt mihi sacrificet? id est hactenus potentiam meam in nonnullis plagis expertus es Pharao, quod populo meo liberum noluisti concedere discessum, ne itaque maiores & grauiores deinde sustineas plagas, ne renuas populum meum dimittere: ita loquitur, ita monet Deus, neminem enim ad ea quæ sunt nostræ salutis, cogit violenter: accipite S. Chrysost. hom. 9. in Ioannem, ita de hac re disserentem, *clementissimus & benignissimus Deus omnia & facit, & molitur, vt nos ad sectandas virtutes illuminet, & vnumquemque bonum esse vult, neminem tamen cogit, suadendo autem & benefaciendo voluntarios quoscumque & vltro sequentes allicit & ad se trahit, propterea cum veniret in mundum, alij eum receperunt, alij eum neglexerunt, nullum enim seruorum Deus vult inuitum, nullum coactum, sed eos tantum qui sponte sua ipsum optant, ipsum amplectuntur, & gratiam se ex seruitute habere intelligunt.* (S. Chrysost.)

*Deus si beneficia illius spernimus, pœna nos allicere tentat.*

*Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, dimitte po-* 7

pulum. Quot beneficiis eum obstrinxerat, vt compelleret ad sua mandata capessenda, & ad suum dimittendum populum? ecce a mentis eum & regnum suum pœnis cœpit, ranarum enim importunissimam multitudinem, muscas omnis generis intolerabiles, admonet, & nihilominus hæc floccipendens sustinet iterum à Deo moneri, vt populum Israel liberum remittat, sin minus minas ei intentat, & grauissimas quidem: quid enim grauius pestilentia, in animalia hominum victui necessaria grassante? cur ô Deus benignissime, non minis, sed gratiarum stimulis ad tua iussa amplectenda non commones? quia Deus si beneficia illius spernimus, pœna ad meliorem mentem tentat nos allicere, subscribit ei Archiepis. Constant. cum priorem hanc lenitatis viam contemnimus, multisque aut suasionibus aut præmiis obaudire nolumus, alteram pœnæ scilicet & supplicii aggreditur, amarissimam quidem, maxime tamen necessariam, priore enim contempta necessario secunda agendum est.

S. Archiep. Constant.

### *In quo quis peccat, in hoc punitur.*

8 *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum ecce manus mea super agros.* Sept. ecce manus Domini erit in pecoribus tuis, immerito hac peste plectuntur animalia, hanc idem experiuntur agri, si enim pœna delictum sequitur, in quo deliquerunt: aduerte Ægyptios vehementer populum Israeliticum afflixisse, eorum iumenta & armenta atque greges rapiendo vel intolerandis oneribus impositis premendo, eorum agros depopulando: en vt non immerito manus Domini in pecoribus, & in agris Ægyptiorum, sed iustissime, in quo deliquerunt puniuntur.

### *Gradus est & ordo in pœnis à Deo inflictis.*

9 *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, ecce manus mea super agros, & super equos, & asinos, & camelos, & super boues, & oues.* Cur non incipit flagellum à bobus & ouibus, cum pecora sint vsui hominum magis necessaria? alia enim vel [illegible] solum [illegible], vel sicut [illegible], iam autem ad victum & vestitum conferunt: immisit Dominus primo camelis, equis, & asinis, deinde ouibus & bobus magis necessariis, quis gradus & ordo sit in pœnis à Deo infligendis: mens mihi videtur esse Procopij, sic enim ait, *etiamsi inter iumenta computentur equi qui sunt [illegible], deinde iumenta immunda, quæ nec vngulas findunt nec ruminant, deinceps cameli, qui quamuis propter ruminationem quasi mundi reputentur, tamen quia eorum vngula non finditur censentur immundi, & nihilominus partim mundæ partim immundæ conditionis cameli perhibentur, cæterum quia hæc plaga imparum noxia propter vilitatem immundorum animalium credebatur, transit ad boues deinde ad placidissimum animalium animal scilicet ouem.*

Procop.

### *Dei potentia nullis mediis alligata est.*

*Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum ecce manus mea super agros.* Cur non ait, ecce manus Moysi vel Aaron super agros Ægyptiorum? nam sicut priora operati sunt prodigia, etiam hoc supplicio potuerunt affligere? potuerunt quidem, sed Deus eorum ministerio vti noluit, vt ostenderet potentiam suam nullis mediis alligatam: potest enim & per media agere, potest & sine ipsis, tum etiam sapientia Dei ostenditur, qua plagas illas sic immisit, vt nemo sinistrum de eis quid suspicari posset, si enim per solum Moysem fecisset signa, suspicio fuisset in Ægyptiis, Mosen magica arte hæc facere, ideo pleraque fiunt per Aaron, si autem omnia per ipsos fecisset, fortassis pro dijs habiti fuissent, sicut Paulo & Barnabæ contigit in ciuitate Lystris: denique si omnia per virgam fecisset, suspicio potuisset esse virtutem aliquam in virga latere, ideo aliqua solo verbo operatur, tandem si omnia per seipsum operatus fuisset, non ita mirabile, nullus enim ignorat Deum omnia posse, sed non omnes eius sunt fidei, quod etiam hominibus eam potestatem communicet.

## *VARIETAS LECT. Vers. 4. & 5.*

*Vulg.* Et faciet Dominus mirabile inter possessiones Israel, & possessiones Ægyptiorum, vt nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israel.

*Sept.* Et mirabiliter distinguam ego in tempore illo inter pecora Ægyptiorum & inter pecora filiorum Israel, non morietur de omnibus quæ sunt filiorum Israel, verbum.

*Cald.* Et diuidet Dominus inter pecora Israel & inter pecora Ægyptiorum, & nihil morietur ex illis, quæ possident filii Israel.

*Vulg.* Constituitque Dominus tempus dicens, cras faciet Dominus verbum in terra.

*Sept.* Et dedit Deus terminum.

*Pag.* Posuit Dominus tempus dicens, cras faciet Dominus rem hanc in terra.

## *CONCORDIA.*

Verbum פלה phalah sicut significat mirabile facere & diuidere, sic מקנה michne possessionem, & pecora: verbum דבר dabar accipitur pro quacunque re minutula.

## EXPOSITIO.

F*aciet Dominus mirabile*, faciet mirabile, id est miram diuisionem & distinctionem inter possessiones Israel, inter pecora vtriusque populi, vt nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israel, quia nec pascua nec iumenta Hebræorum læsa sunt hac plaga, *constituitque Dominus tempus*, scilicet in quo plagam infligeret, dicens cras, faciet Dominus verbum istud, id est hanc rem quam tibi nuncio.

## CONCEPTVS.

### *Ab Eucharistia vitam boni, mortem mali sortiuntur.*

11 F*aciet Dominus mirabile inter possessiones Israel & Ægyptiorum.* Quodnam quæso fuit hoc miraculum? vt nihil pereat omnino de his quæ pertinent ad filios Israel, consumptis nihilominus pestilentia pecoribus Ægyptiorum, nonne omnes greges & armenta tam quæ ad Hebræos, quam quæ ad Ægyptios pertinebant, in iisdem agris versabantur? ita plane vt Paulus Burgensis interpretatur, cur alia ergo interibant, alia pinguescebant? forte vt hac etiam in re mysterium Eucharistiæ panderetur, nam vt idem pastus aliis animalibus erat pestifer & noxius, aliis vero salubris & vitalis, ita plane eadem mensa Eucharistica dignis quidem ad vitam, indignis vero ad mortem præparatur: quod recte expendit S. Aug. lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 45. vbi referens verba Psal. 22 super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit, ait, *Non dicunt ista nisi qui aqua sancta reficiuntur, sicut omnes iusti Dei, nam qui ea male vtuntur, submerguntur, sicut magus ille à Philippo baptisatus, & tamen ipsa in vtrisque vna & sancta est, non dicunt ista nisi qui de mensa Domini vitam sumunt, sicut Petrus, non iudicium sicut Iudas: & tamen ipsa vtrique fuit vna, sed non vtrique valuit ad vnum, quia ipsi non erant vnum; non dicunt ista, nisi qui oleo sancto etiam in spiritu beatificantur, sicut Dauid non qui in solo corpore consecrantur, sicut Saul, & tamen cum ambo vnum sumpsissent, non eis impar sacramentum, sed impar fuit meritum.* S. August. Psal. 22.

### *Nihil casu euenit, sed ex Dei prouidentia.*

12 *Faciet Dominus mirabile inter possessiones Israel & Ægyptiorum, vt nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israel.* Cur saltem pauca ex pecoribus populi Israel non pereunt, sed omnia euadunt salua omnibus Ægyptiorum pereuntibus? non omnia pereant Ægyptiorum, sed solum plurima, respondet Episcopus Abulens. *Si de Ægyptiis multa iumenta periissent, de Hebræis autem aliqua saltem valde pauca, ex aliquo casu factum esse putarent. nunc autem quia de Ægyptiorum iumentis valde multa perierunt, de Hebræorum autem pecoribus nihil omnino, satis fuit magnum miraculum.* Abulens.

### *Idem conceptus confirmatur.*

13 *Faciet Dominus mirabile.* Quando autem hoc prodigium quod nuntiat futurum sit, declarat cras Dominus faciet verbum istud. Pag. cras faciet Dominus rem hanc: cur tempus constituit plagæ futuræ? nam satis est prædixisse pestilentiam in omnia pecora Ægyptiorum grassaturam, termino suppresso: terminum constituit, & tempus declarat futuræ cladis, vt non casu euenisse, sed ex Dei speciali prouidentia Ægyptii compertum haberent, ita cit. Abul. *constituit tempus in quo infligeret illam plagam, vt si non prædiceretur tempus antequam fieret, postea ex euentu facta esse putaretur.* Abulens.

### *Pronior certe ad miserandum Deus, quam ad puniendum.*

14 *Faciet Dominus mirabile.* Vt pecoribus Ægyptiorum pereuntibus, nullum tamen ex Hebræorum armentis læderetur, quandonam hac clade percutientur Ægyptii? crastina die inquit, nonne regis obstinati animi duritia satis comperta est quod non ad meliorem frugem reduceretur, quamuis illa clades in alterū diem differatur? ita equidem; illico igitur omnium Ægyptiorum animalia graui pestilentia perirent. releri diuina bonitas supplicium non a fferre, ex maiori promtate ad miserandum, quam ad puniendum. *Spatium pœnitentiæ & resipiscentiæ,* (inquit Lippom.) *Dei clementia prorogat in crastinum, pronior certe ad miserandum quam puniendum, quam contemnentes digniùs castigari cernuntur.* Lippom.

### *Iustum cum impio non perdit Deus.*

15 *Faciet Dominus mirabile inter possessiones Israel & Ægyptiorum, vt nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad Israel.* Nonne aliquando iustos cum iniustis Deus suo occulto iudicio eadem inuoluit clade? cur igitur nunc eadem peste non concludit Israelitarum ac Ægyptiorum pecora? cur solis populi Israelitici condonatur? quia non talis est Deus, vt iustum cum impio simul perdere velit, imo potius contra, sceleratis sæpissime propter iustorum merita, parcit atque indulget: quod his verbis docet sanctus Chrysost. hom. 25. in Ioann. *Omnipotens & sapiens Deus reipsa comprobat quam benefaciat suis, & facit vt etiam qui adhuc in gentilium errore versantur, suam virtutem & potentiam addiscant, ne iusti simul cum peccatoribus pereant. quod in Ægypto fecit, aliis enim pœnas irrogabat, Israelitas vero illæsos conseruabat, discebant enim non solum per indignationem Dei qua ipsi puniebantur omnium opificis virtutem, sed & misericordiam quam in illos exhibebat.* S. Chrysost.

### *Vna prouincia affligitur, altera intacta manente.*

16 *Faciet Dominus mirabile inter possessiones Israel & Ægyptiorum, vt nihil omnino ex his quæ pertinent ad*

*Israel pereat.* Ecce terra Gessen illæsa & incolumis manet à lue pestifera grassante in omnem Ægyptiorum regionem, nec mirum, alto enim, iusto tamen Dei iudicio vnum regnum, vna prouincia, vna vrbs, fame, bello, pestilentia, aut alia publica calamitate affligitur, non autem alia, omnia fecundissima, huic aduersissima illi accidunt, ait enim Dominus per Prophetam Amos 4. *Ego prohibui à vobis imbrem cum adhuc tres* A *menses superessent vsque ad messem, & plui super vnam ciuitatem, & super vnam ciuitatem non plui, pars vna compluta est, & pars vna aruit:* in quæ verba sic S. Hierony. *ne forte putarent homines hoc lege natura & astrorum cursu ac varietate temporum, vrbibus ac populis accidisse, super vnam vrbem, ac agros eius pluere se dicit, & ab altera imbrem suspendere.* Ægyptij in pecoribus suis plectuntur, Hebræis in suis illæsis manentibus,

Amos 4. S. Hieron.



## VARIETAS LECT. Vers 6. & 7.

*Vulg.* Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die, mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum, de animalibus vero filiorum Israel nihil periit.

*Cald.* Fecit Dominus verbum hoc sequenti die, & mortuum est omne animal Ægyptiorum, & de animalibus filiorum Israel nec vnum mortuum est.

B

*Vulg.* Et misit Pharao ad videndum, nec erat quidquam mortuum de his quæ possidebat Israel, ingrauatumque est cor Pharaonis, & non dimisit populum.

*Sep.* Videns autem Pharao, quia non est mortuum de pecoribus omnibus filiorum Israel vllum.

*Pagni.* Aggrauauit se cor Pharaonis.

## CONCORDIA.

IN Hebræo est ממחרת mimachorat à crastino, quod illis est in crastinum & Græcis, τῇ ἐπαύριον crastina. vbi autem apud nos dicitur animantia, & de animantibus Hebraice scriptum est מלכה milche quod ad alij pecora verterunt, sed idem est, cum littera nostra. denique C quod dicitur nihil omnium periit, idem est quod Hebraice dicitur לא מת אחד la meth ec had, nec vnum mortuum est, ita etiam habet Cald. Sept. eundem sensum habent nobiscum, legunt videns autem Pharao, vidisse dicitur, quia per nuncios missos cognouit.

## EXPOSITIO.

FEcit Dominus verbum hoc altera die. Hic Moses compendio vsus omittit quid ipse Domino responderit, quomodo Regem adierit, quid illi dixerit, quid ab eo vel excusationis vel responsi acceperit. sed immissam plagam perpaucis verbis perstringit, *mortua sunt omnia animantia Ægyptiorum*, cum legamus vlcera futura in iumentis, animalia non pauca post hanc pestem superfuerunt, per omnia possunt intelligi valde multa, quæ acceptio scripturæ satis vsitata est, vel tota sententia sic distingui debet, mortua sunt animantia, ea autem quæ mortua sunt, omnia erant Ægyptiorum non Israelitarum: cui expositioni fauet quod sequitur, de animalibus vero filiorum Israel nihil omnino periit: vel denique mortua sunt omnia animalia Ægyptiorum, non absolute, sed quæ erant in agro; alij arbitrantur non solum quæ in agris, sed etiam quæ domi, omnino periisse, sed ab Israelitis & alijs finitimis populis sibi comparasse, quæ postea grandine percussa sunt: *de animalibus vero filiorum Israel nihil omnino periit*, omnibus omnino illæsis à peste manentibus, *& misit Pharao ad videndum*, vt compertum haberet an ita contigisset sicut à Moyse prædictum fuerat: sed cur in alijs plagis non missi nuntij vel exploratores? responderi posset, missos quidem non tamen expressum in scriptura, sicut alia multa: vel dicas neminem prima plaga missum, quod tunc adhuc Moyses non dixisset Hebræos fore liberos, id enim primo dixit ad quartam plagam, in hac autem propter muscas non fuerat opportunitas mittendi quemquam, viis omnibus obsessis & D clausis *ingrauatum est cor Pharaonis*, &c non legitur Pharao huius plagæ amotione deprecatus, forte quod tam subitus fuerit animalium interitus, vt deprecationi locus non fuerit.

## CONCEPTVS.

*Fallax alios fallaces & mendaces existimat.*

17. FEcit Dominus verbum hoc altera die. Vt nullo superstite ex pecoribus Ægyptiorum, omnia salua manerent apud Hebræos: tum Rex (inquit textus) misit ad videndum, cur nuntios mittit ad inquirendum vtrum ita se res haberet? respondet Abul. quia voluit comprobare, verum Moyses quæ loqueretur, vera essent, vt saltem comprehendere eum posset in aliquo sermone, & tanquam mendacem repellere; cur eum mendacem opinatur? nonne semel & iterum ipsum

Moyſem feſelliſſet ipſiſque mentem. [illegible] quid [illegible] ipſum mendacem exiſtimarit? [illegible] enim fallaces & mendacio obnoxios ſuſpicatur.

*Lætantur iuſti cum à pœna peccatoribus inflicta liberantur.*

18. *Fecit Dominus verbum hoc altera die.* Ecce enim peſte in omnia Ægyptiorum pecora graſſante, greges Iſrael ſuperſtites & illæſi remanſerunt, [illegible] omnibus compertum eſſet, hoc ex ſpeciali Dei prouidentia euenisse: ſed cur hoc etiam notum Ægyptus? vt cultores animalium confunderentur, ſed cur non abſconditum Iſraelitis? ſatisfacit Anſelmus Laudunenſis. *Vt qui Deum colunt non animalia, lætarentur, inflixit Dominus in animalibus plagam.* En vt iuſti lætantur, cum à peccatoribus in eorum emendationem, pœna exigitur?

*Viſa fœlicitas eius quem odimus, mire excruciat.*

19. *Fecit Dominus verbū hoc altera die.* Rex incredulus [illegible] his non adhibens, miſit nuntios qui fideliter referrent, verum peſtifera clade omnia populi ſui percuſſa fuiſſent pecora: nonne potuit fidem adhibere Moyſi, cum nuſquam mentitum fuiſſe ſibi compertum haberet? cur ergo mouetur à Deo Pharao, vt quænam ſtrages edita in ſuos eſſet, anque liberi ab ea euaſiſſent Hebræi, inquireret? vt amarius cruciaretur, viſa enim fœlicitate eorum quos odio proſequimur, magis angimur, & durius torquemur. Fauet Auctor Catenæ. *Contraria iuxta ſe poſita clarius dignoſcuntur, & amarior eſt fœlicitas eius quem odimus viſa quam ignorata. ideo Rex edoceri debet de ſuorum plaga, ſalute quæ Iſraelitarum, vt acerbius compungatur,* & Oleaſt. *vult Dominus impios videre bona piorum, vt inde magis inuidia torqueantur, & tenta[illegible].*

*Vbi diuinitas adeſt, neceſſe eſt carnis laſciuiam perire.*

20. *Fecit Dominus verbum hoc altera die, mortuaque ſunt omnia animantia Ægyptiorum.* Quomodo ſic pecora in mortem ruunt? ſane in pecoribus homines pecorum more viuentes intelliguntur, ſicut in peſte libido, vnde S. Aug. lib. de 10. præceptis & totidem plagis ſic ait, more peccatorum viuit ac moritur, qui ratione ac lege diuina contempta, illicitas ſectatur libidines, neque audit quod ei dicitur Pſal. 31. nolite fieri ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus, & Pſal. 48. homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. & ſane libido homines in iumenta [illegible] quadam metamorphoſi commutat, quia intellectum excæcat, & carnalem concupiſcentiam quæ iumentis nos ſimiles reddit, excitat: vnde S. Greg. lib. 4. dialog. c. 56. carnalis inquit delectatio mentem quam inficit, obſcurat, vt [illegible] ſummis claritatem non videat, ſed vnde delectatur inferius, inde ſupernam caliginem patitur; &c. en vt in pecoribus Ægyptiorum, homines more brutorum viuentes denotantur? ſed cur ſicco pereunt? nonne dictum eſt ſuperius, ecce manus Domini ſuper agros, & peſtis ſuper pecora? quæ natum ignis theo [illegible] quia cum primum manus Domini mentibus humanis affulget, peccantes libidines non poſſunt non interire. quod confirmat S. Ephrem in ſermone de Magdalena, quæ ſic inducit peccatricē loquentem. *Video Deum magnum opificem ac creatorem, qui verbo vniuerſa conſtituit, propinquum factorem iniquitatum mearum expellere.* Vbi Deus illuceſcit, non poterunt in illa non occidi libidinoſi & pecuina affectus.

*Qui liberi à tribulationibus etiam publicis eſſe volunt, Deo fideliter obſequuntur.*

*Fecit verbum hoc altera die, mortuaque ſunt omnia animantia Ægyptiorum, de animalibus vero filiorum Iſrael nihil periit.* Hic ſemel & iterum dicitur filios Iſrael immunes fuiſſe à plagis immiſſis in vniuerſam Ægypti regionem, nec non in ſequenti capite dicitur, quod vbicumque habitabant filij Iſrael lux erat, & ita quod immunes fuerunt filij Iſrael ab angelo percutiente, quare filij Iſrael ſoli, Ægyptiis pereuntibus, à plagis vniuerſalibus liberantur? an quia filii Iſrael ſecundum carnem? nequaquam, nam in deſerto à qua clade liberi, imo quod ſupplicium non ſenſerunt? cur igitur incolumes euadunt? inquit Seraphinus concl. 1. *Quia erant filij Iſrael ſecundum ſpiritum, id eſt ſecundum verum Dei cultum & fidem.* 21.

*Malitia cordis humani potius eligit tribulari temporaliter in obſtinatione peccatorum ſuorum viuendo, quam pœnas illas temporales euadere, mandatis Dei obediendo.*

*Fecit Dominus verbum hoc altera die, & tunc miſit Pharao ad videndum, nec erat quidquam mortuum de his quæ poſſidebat Iſrael.* Quid? cum ſenſiſſet manum Dei in ſubditorum pecora, an ad meliorem frugem ſe recepit? nequaquam ſed ingrauatum eſt cor eius. an ignorabat Pharao etiam per experientiam, quod ſi diuinis mandatis obtemperaret, à pœnis venturis incolumem euaſurum? cur ergo non obedit, ſed experientia inexcuſabili cordis duritiam adauget? dixi experientia inexcuſabili, id compertum habuiſſe, nam miſit nuntios, qui ſibi fideliter referrent, an peſtis ſolum graſſaretur in Ægyptiorum pecora, quod verum eſſe audiuit; cur ergo ad meliorem frugem mentem non reducit, vt à pœnis futuris liber euadat? quia talis eſt malitia cordis humani, vt potius eligat affligi temporaliter, in obſtinatione peccatorum ſuorum viuendo, quam pœnas illas temporales euadere, mandatis Dei obediendo. 22.

*Ex cognitione miraculorum Dei, impius fit deterior.*

*Fecit Dominus verbum hoc altera die.* Sed impius Pharao, nolens credere nec Moyſi nec Aaroni, nec aliis nuntiantibus animalium interitum, miſit aliquos ex ſuis ad in- 23.

Anſelmus Laudunenſis.

S. Eph.

Seraphinus

Epiſ. Metu.

Oleaſt.

S. Auguſt.

Pſal. 31.

Pſal. 48.

D. Greg. Mag.

uestigandum, an vera essent quæ ei narrabantur, quasi vero non satis iam expertus fuisset Deum Hebræorum omnipotentissimum & veracissimum esse: nihilominus induratum est adhuc cor eius, quomodo ex contrariis causis facta est hæc ingrauatio cordis Pharaonis? si enim & pecora Israelitarum morerentur, tunc videretur causa competens qua cor eius ingrauaretur ad contemnendum Deum, tanquam si & magi eius pecoribus Hebræorum mortem intulissent, nunc vero vnde debuit ad timendum Deum moueri, cur mentem obdurat? cur miraculo viso incolumitatis pecorum Israel, diuinam non fatetur potentiam? quia impius ex cognitione miraculorum Dei sua malitia fit deterior: subscribit Episcopus Metonensis. *Pharao nec manifesto supplicio, nec manifesto miraculo, quo discrimen factum est inter Ægyptios & Israelitas, verum Deum agnoscit, & ad sanam pœnitentiam inuitatur, sed contra fit deterior.* Lippom.

## *Quanta hominum vecordia?*

24. *Fecit Dominus verbum hoc altera die, mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum.* Nonne ab Ægyptiis cultus pecoribus tanquam veris numinibus exhibebatur? cur ergo ita miserè pereunt? cur non seruantur illæsa? cur pestem non effugiunt cum ab eis salus & vita expectari deberet? optime ad hanc rem Origen. *Vecordia in hoc arguitur stultitiaque mortalium, qui tanquam irrationalia pecora cultum & vocabulum Dei diuersis imposuerunt figuris, non solum hominum sed & pecudum ligno & lapidibus impressis, Hammonem Iouem in ariete venerantes, & Anubin in Cane, Apin quoque colentes in tauro, cætera quoque quæ Ægyptus Deorum portenta miratur, in quibus cultum credant inesse diuinum, in his videbunt miseranda supplicia.* Origenes

## *Inuidi fiunt deteriores bonis quæ iustis eueniunt.*

25. *Fecit Dominus verbum hoc altera die, mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum.* Et cum interitu eorum vitio ad meliorem frugem reuocari deberet, ingrauatum est cor eius. Pagnin. aggrauauit se cor Pharaonis, cur indurata est mens illius, cum emolliri deberet? aduerte quod nullum ex pecoribus populi Israelis periit, sed incolume & saluum permansit. Quid mirum igitur si deterior euaserit? inuidi enim peiores fiunt bonis quæ iustis eueniunt. Scite Hieron. ab Olea. *Non solum malis fiunt impij deteriores, sed bonis piorum quibus inuident.* Oleast.

## *Lenior pœna maiorem portendit.*

26. *Fecit Dominus verbum hoc altera die, mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum.* An pestis solum in pecora grassatur? an sistet in eorum interitu? non equidem, pœna enim leuis grauiorem portendit, & pestis animalium, in hominum pestilentiam desinet: subscribit Philo lib. 1. de vita Moys. *Post hanc pœnam* (inquit) *successit alia, nemine tum quoque ministro, irati numinis, videlicet interitus pecudum: nam armenta & greges ouium caprarumque præterea iumenta omnis generis vno die tanquam ex composito gregatim moriebantur, portendentia paulopost secuturam pestem hominum, quoniam aiunt publicas pestilentias solere primum in bruta sæuire animalia.* Philo.

## *Qui omnia propter Deum contemnit omnia subiiciuntur ei.*

27. *Fecit Dominus verbum hoc altera die, mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum.* An interitus pecudum soli Pharaonis obstinationi debetur? an etiam aliam possumus causam refundere? an possumus dicere quod quia Moyses propter Deum omnia habuit contemptui, ideo omnibus eum superiorem reddidit? mens est Tertulian. lib. 3. contra Marcionem. Tertulian.

*Dux populi Moses, qui limina regia liquit*
*Spernens diuitias florentes, tempore paruo*
*Maluit afflictus populi portare labores,*
*Subnixa ceruice, minis non territus vllis,*
*Quam sibi delitias multasque remittere pœnas,*
*Pro magnaque fide, pro tanto mirus amore*
*Armatus virtute Dei magnalia gessit.*
*Percussit gentem plagis.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 8. 9. & 10.*

*Vulg.* Et dixit Dominus ad Moysem & Aaron, tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum, coram Pharaone.

*Sep.* Tollite vobis volas vestras plenas è cinere fornacis.

*Cald.* Tollite vobis plenos pugillos vestros fauillæ fornacis, & spargat illam Moyses versus cœlum ante oculos Pharaonis.

*Sep.* Sumite vobis plenas manus fauillæ de fornace, & aspergat Moses coram Pharaone & seruis eius.

*Arias.* Tollite vobis plenitudinem volarum vestrarum è fauilla fornacis.

*Caiet.* Tollite vobis pugillos plenos sufflationis fornacis.

*Vulg.* Sitque puluis super omnem terram Ægypti, erunt enim in hominibus & iumentis vlcera & vesicæ turgentes in vniuersa terra Ægypti.

*Sept.* Et erunt super homines & super quadrupedia, vlcera, vesicæ efferuescentes, & in hominibus, & in quadrupedibus, & in omni terra Ægypti.

*Cald.* Et erit in puluerem tenuissimum, & erit in hominibus, & iumentis scabies germinans vesicas.

*Onk.* Et erit in hominibus & pecoribus in sca-

biem producentem pustulas.

*Pag.* Et vertetur in puluerem,& erit super homines & super animalia in vlcus germinans inflationes.

*Oleast.* Erit in nebulam super omnem terram Ægypti.

*Vulg.* Tuleruntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone,& sparsit illum Moses in cœlum, factaque sunt vlcera vesicarum turA gentium in hominibus,& iumentis.

*Sep.* Et sumpsit fauillam de fornace, & facta sunt vlcera & vesicæ efferuescentes.

*Cald.* Fuit scabies & vesicæ multæ.

*Onk.* Exortaque est scabies producens pustulas.

*Pag.* Et fuit vlcus inflationi germinans in hominibus,in animalibus, & in iumentis.

*Procop.* Et sumpsit fuliginem de camino.

## CONCORDIA.

SI attente lectiones considerentur, omnium idem sensus reperietur, licet enim aliæ habeant vlcus,aliæ scabiem, nulla est discordia שחין sechin enim vtrumque significat, scio Oleastrum vertisse nebulam pro puluere, imo mirari, cur ita factum sit,ait enim,potius significat nebulam aut fumum, quam puluerem, nempe dictio אבק abax, sed nostræ insistendum est vulgatæ, אבק B abax enim puluerem denotat, nam pluribus in locis sic habetur אבק רגליו Nahum 1. 3. puluis pedum eius, & Ezech. 26. 10. אבקם puluis eorum. Nahum. Ezech. 26.

## EXPOSITIO.

TOllite plenas manus cineris de camino. Hæc est sexta plaga, cuius executor præcipuus Moses, licet enim Aaron cinerem quoque portarit, solus autem Moyses sparsit, portarunt autem manibus ad Pharaonem, quia nemo illic eis facile cinerem dedisset; cinis autem hic est adhuc ille qui carbonibus adhæret, & calidus est, ex cuius attactu vlcera enascuntur propter caloris adustionem, *sitque puluis super omnem terram Ægypti* sparsus à Mose puluis signum erat pulueris à Deo per totam Ægyptum producendi,cum autem audis puluerem, nihilominus non intelligas hanc pœnam fuisse leuem, vt patet ex Deuter. 28. vbi non solum vtraque huius plagæ pars recensetur, sed ob sui vehementiam transisse videtur in prouerbium, itavt & quem grauissima dignum pœna iudicamus, dicatur, percutiat te Deus vlcere Ægypti, scabie quoque ac prurigine, itavt curari nequeat. *Erunt enim in hominibus & iumentis vlcera,* quomodo adhuc fuerint iumenta diximus versu præcedenti, vlcus est carnis & sanguinis ob interiorem indispositionem corruptio. vesica est tumor in carne excitatus à calore intus, habens calorem aqueum, C quo per calorem absumpta cuteque rugata, apertio & ruptura sequitur seu vulnus, *tulerunt cinerem de camino* &c. quod Deus præcepit, executioni mandatum est.

## CONCEPTVS.

### *Vbi vel Dei vmbra petuntur cœlestia non terrena.*

28. TOllite manus plenas cineris de camino. Quem licet vterque tulisset, sparsit nihilominus cum Moyses in cœlum, cur Aaron qui antea signa operatus fuerat, qui terram & aquas virga percusserat, versus cœlum cinerem non spargit? cur Moyses hoc munere fungitur? nonne Moyses datus erat in Deum Pharaonis, non autem Aaron? quid mirum, si versus cœlum manus extendat, si versus illud spargat puluerem, vbi enim vel leuissima Dei vmbra est, debet esse operatio non circa terrena sed cœlestia, sed diuina, quod alienum non est à mente Rabani Mauri lib. 1. in Exod. cap. 17. *Quid est quod dicit Deus ad Aaron & Moysen, sumite vobis manus plenas fauilla, de fornace, & aspergat Moyses in cœlum? signa enim superiora virga fiebant quam non Moyses sed Aaron extendebat super aquam, vel ad terram percutiebat, nunc vero interpositis duobus signis de cœnomya & pecorum mortibus, vbi nec Aaron nec Moyses aliquid manu operati sunt, dicitur vt Moyses spargat fauillam in cœlum, de fornace, & hanc ambo sumere iubentur, sed ille spargere non in terram sed in cœlum, tanquam Aaron qui datus erat in populum, terram percutere deberet vel in terram siue aquam manum extendere, Moyses vero de quo dictum est, erit tibi in his quæ ad Deum in cœlum iubetur fauillam spargere.* Rabanus.

### *Qui minas non curat, in seipso earum effectum sentiet.*

D *Tollite manus plenas cineris de camino, & fiant in hominibus vlcera, & vesicæ turgentes.* Nonne solebat Deus per Moysen monere Regem Ægypti de futuro supplicio inferendo, vt si resipiscere vellet, locus pœnæ inferendæ non daretur? cur igitur hic non monetur Pharao de vlceribus & vesicis turgentibus, quæ futuræ non solum in iumentis sed etiam in hominibus? nonne omnes alias præcedentes comminationes habuit contemptui? nunc ergo iis prætermissis, verba non audiat, sed verbera sentiat: mens est Episcopi Abulens. *Hic non ponitur comminatio istius plagæ Pharaoni, quia Pharao erat quasi stupidus in plagis præteritis, nec multum curaret de verbis cum nec de rebus minus curaret quam decebat, conueniebat ergo cum nunc aliqua plaga dura in seipso acriter cruciari, vt vexatio daret intellectum.* 29. Tostatus.

*Pœna culpæ respondet.*

30. *Tollite manus plenas cineris de camino.* Cur de camino potius quam de alio loco? potuit enim sumi puluis ex terræ, & non ignis elemento ad vlcera producenda tam in hominibus quam in iumentis? certum est enim ipsum cinerem de camino sumptum, in omnibus Ægyptiis per se ipsum vlcera & vesicas turgentes non produxisse: reuocate in memoriam Hebræos oppressisse Ægyptios laterum coctione & ardoribus ignis, ob quorum vehementiam hæc seruitus Ægyptiaca dicitur: sentiant ergo vlcera ex cinere de camino ignis desumpto, vt supplicium delicto correspondeat, sic Noster Lyranus obseruat. *Patet quod ista plaga facta est ex elemento ignis quia cineres illi accepti sunt de camino ardenti, & correspondet plaga ista culpæ Ægyptiorum, qui afflixerunt Hebræos in decoctione laterum ignis ardentis:* & Oleast. *laborare fecerunt Ægyptij filios Israel in decoquendis lateribus in fornace, nunc vero fauilla fornacis discruciantur.*

Noster Lyranus.

*Nos malorum nostrorum causa sumus.*

31. *Tollite manus plenas cineris de camino.* Ita ut eo versus cœlum sparso nascerentur & in iumentis & in hominibus vlcera, an Deum arguemus auctorem tam grauis supplicij? an ab ipso solo huius cruciatus causa? an sola sua voluntate Ægyptiis hos dolores intulit? satisfaciat S. Cæsarius Arelat. hom. 2 o. de cura animæ. *Animam nostram (inquit) quasi villam suam nobis dignatus est committere Deus, vt illum omni studio debeamus excolere, totis ergo viribus cum Dei adiutorio, laboremus, vt cum Deus ad agrum suum, hoc est ad animam nostram venire voluerit, totum cultum, totum ordinatum inueniat, non spinas, vinum inueniat, non acetum, triticum magis quam lolium: si omnia quæ placent oculis suis inuenerit, æterna nobis præmia recompensabit, si vero totum desertum & spinis repletum aspexerit, cum ipsis spinis operum nostrorum æterno nos incendio deputabit.* deinde addit, *præcide de vite tua quod malum est, incide de anima tua quod iniquum est.* & tandem concludit, *& quia fructus legitime non exhibuit quasi sarmentalux uriosa & infructuosa, æterna illam flamma sine misericordia cruciabit.* En ex anima ipsa malorum suorum origo?

S. Cæsar. Arelat.

*Lento gradu procedit ira Dei, donec ad extrema perueniat.*

32. *Tollite manus plenas cineris de camino ignis.* Et ex eo non solum in iumentis, sed ipsis hominibus vlcera producantur, nascantur apostemata; hæc sane plaga prioribus maior, non enim solum ad pecora, non solum ad supellectilem Ægyptiorum, sed ad ipsamet eorum corpora peruenit: hanc plagam eleganter ita describit Philo lib. 1. de vita Moysis, *Deo iubente cinerem e fornace hauserunt manibus, quem solus Moses iactauit in aerem, moxque puluis excitatus, & longe lateque dispersus, hominibus brutisque dira per totam cutem inussit vlcera, carnibus simul intumescentibus & fœdis pustulis scatentibus, ac si succensæ clam efferuescerent, quo cruciatu sicut par erat in exulceratione atque inflammatione oppressi, non minus animo* A laborabant quam corpore, misere vexati doloribus, videbatur enim vnum vlcus à vertice vsque ad imos pedes, his quæ membratim sparsa erant, serpigine in malum coeuntibus: an vt hæc plaga non solum magna per sese, imo haud scio an præcedentium omnium comparatione fuerit maxima, quæ non externa bona detrimentis attriuerit, sed ipsum hominum corpus non leuibus muscarum puncturis, sed grauibus vlceribus affecerit, cur præ aliis hæc maxima? quia lento gradu diuina procedit ira, donec ad extrema perueniat: vnde recte S. Chrysost. Hom. 13. in Matth. ait, *Quando per partes ab vnoquoque nostrum pœnas exigit Deus, leuiorem nobis animaduersionem ipsam facit; quando vero patientius nostra videtur dissimulare peccata, ad maximam nos in talibus permanentes pœnam reseruat, si enim iustis non deest tribulatio, quanto magis illa expectanda est peccatoribus?* S. Chrysost.

B

*Ignis æterna gehenna corde obstinatos expectat.*

*Tollite plenas manus cineris de camino,* Caldæus. *tollite pugillos vestros plenos fauillæ fornacis.* Quid, adhibita virga qua correctio denotatur, tandem adhibetur caminus ignis, vel fauilla fornacis? nonne aliud potuit subsequi supplicium, ex camino ignis non proueniens? si per eum caminus ignis ardentis & æterni designatur, merito post virgam sequitur, ignis enim æternæ gehennæ corde obstinatos expectat: auctoritas est Procop. *redigit nobis caminus in memoriam anigma de camino, significat enim camini fuligo ignis gehenna pœnam, quam nobis scriptura comminatur, sed illud supplicium neminem nisi Ægyptios imitantem aduret:* nec dissentit Bruno apud Tilm. *vulnera & vesicæ turgentes, quas & videre horribile, & pati intolerabile est, futura illa tormenta significant, quibus nulla possunt comparari tormenta: hæc autem illos expectat, qui obstinato corde vsque in finem in malitia sua perseuerant.* 33.

Procopius.

C

Bruno.

*Iracundi, superbi, & homicidæ pari pœna plecti videntur.*

*Tollite manus plenas cineris de camino, & sint vlcera, & vesicæ turgentes nempe in hominibus & iumentis.* Glossa ordinar. sexta plaga pustulæ in corpore, vesicæ bullientes & scatentes, incendia vulnerum, & fauillæ fornacis, ardent enim homicidæ ira, & insania: & Origen. videtur mihi quod in vlceribus arguitur dolosa & purulenta malitia, in vesicis vero tumens & inflata superbia, in feruore demum iræ ac furoris insania: ecce tria peccantium genera, sunt enim & homicidæ iracundi, & superbi: sed cur eandem plagam experiuntur? sane par pœna iracundis, superbis, & homicidis, vt omnes sub flammis viuant, nec illis flammarum tormenta deficiant. 34.

Glossa ordi.

D

Origenes.

*Libidinosus ab incendio peruersi amoris rapitur ad supplicium ignis æterni.*

*Tollite manus plenas cineris de camino.* Rupertus Abbas lib. 1. in Exod. cap. 36. ait, hæc plaga respondet mandato non mœchaberis, imo & qui mandati illius transgressor est, meritam pœ- 35.

Rupertus.

nam præſagit, quid autem eſt adulter combuſtus libidinis igne ſulphureo, niſi cinis de camino? omnes enim adulterantes, inquit, Oſeas. 7. quaſi clybanus ſuccenſus à coquente igne, ſed ſi ita ſe res habet, vt illo ignis camino denotetur adulter ſiue libidinoſus igne ſulphureo luxuriæ æſtuans, cur huiuſmodi cinis de camino ſpargitur, in cœlum? cur potius in terram non proiicitur vel potius in infernum? quid enim commune inter cœlos & adulteros? audiamus ſatisfacientem cit. Abb. *Tollitur & ſpargitur in cœlum cinis de camino, fiuntque vlcera veſicarum turgentium in iumentis & hominibus, quia rapitur mœchus de perpetrati adulterij incendio ad cœleſte iudicium, & æterna pœna turgens, totuſque vlceroſus, ſempiternum in anima & corpore portat incendium.*

Oſea, 7.

Rupertus.

*Superbia hominis in altum ſe erigere cupientis, omnium malorum cauſa eſt.*

36. *Tollite plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cœlum.* Quid ex hac ſparſione ſecutum? puluis in tota terra Ægypti, vlcera, & veſicæ turgentes, mortes, plagæ, dolores: miratem ego tales effectus ſemel ſi cinerem ſparſum in cœlum vidiſſem, quidni? vnde tumores in hominibus? vnde vlcera? vnde dolores? vnde vulnera? vnde excidia? vnde ruinæ? niſi quia puluis homo, in cœlum per ſuperbiam ſe eleuat, quia cinis indebitè in cœlum aſcendere cupit, inde mala non ſolum omnibus ſed ſibi, ſuperbus enim homo ſic oblitus, non ſolum aliorum, ſed ſuæ ruinæ etiam eſt cauſa, itaut totus in ſe mutatus, de alto veluti ruens cœlo, in ima deſcendat tartara, & ex homine totus ſpiritualis, totus fiat carnalis: quod egregie expendit Bernard. in illa verba Cant. 1. ſi ignoraste, tractans de ignoratione ſui ac de ſuperbiæ malo, deplorat, admirans quomodo ex tali ſui ignoratione, homo qui prius ſpiritualis, totus deueniat poſtea carnalis. *Turpis mutatio ſtudiorum*, inquit, *vt cui ante ſtudij fuerat, peregrinantem & exulem animam ſuam ſacris meditationibus tanquam cœleſtibus paſcere bonis Dei beneplacitum, & myſteria voluntatis eius inquirere, penetrare deuotione cœlos, & mente ſupernas circuire manſiones, ſalutare patres & Apoſtolos & choros prophetarum, martyrumque admirari triumphos, ac ſtupere pulcherrimos choros angelorum, nunc omnibus his omiſſis, turpi ſe mancipare corporis ſeruituti ad obediendum carni, ad ſatisfaciendum ventri & gulæ, ad mendicandum in vniuerſa terra, vnde & ea quæ præterit mundi huius figura, ſuam ſemper famelicam curioſitatem aliquatenus conſoletur, quem miſerum deplorans ſtatum ſequitur dicens, exitus aquarum deduxerunt oculi mei ſuper huiuſmodi animam, quæ cum nutriuero in crocèis demum amplexatur ſtercora.*

D. Bernard. Cant. 1.

*Cinis Ægyptius tumorem, cinis Chriſtianus humilitatem producit.*

*Tollite plenas manus cineris de camino.* Quem acceptum ſparſit Moſes, & ſtatim vlcera & veſicæ turgentes naſcuntur, quid? nonne capita noſtra cinere conſparguntur, vt tumorem mentium deponamus? quomodo ergo cinis à Moyſe ſparſus, tumorem non deprimit ſed eleuat? cinis Ægyptius eſt, at vero Chriſtianus longe alium ſortitur effectū, cineris enim cōſpectu, mortiſque cogitatione peccatorum vlcera non mitigantur modo, ſed ſanantur omnino, faſtus hic omnis detumeſcit, hic omnis luxus ſepelitur, omnem diuitiarum deliciarumque cupiditatem leuis hic puluis ob oculos poſitus arietat. ſcite Petrus Damian. opuſ. 15 c. 23. *In omni pugnæ ſurgentis articulo hæc te ſollicitudo non deſerat, vt protinus mentis oculos ad cinerem contemplandum conuertas, quatenus dum te illic immundum abiectumque puluerem eſſe conſideras, ceruicem cordis aduerſus conditorem in arrogantiam non extollas, dumque te conſpicis procul dubio moriturum, iam te pulſantibus vitiis exhibeas velut mortuum.* 37.

Petrus Damianus.

*Culpæ pœna reſpondens.*

*Tollite plenas manus cineris de camino.* Quo ſparſo per vniuerſam terram Ægypti, facta ſunt vlcera & veſicæ turgentes in iumentis & in hominibus. ſcio aliquos aſſerere (quod à veritate non eſt alienum) excitatos in corporibus Ægyptiorum tumore ardente pure turgidos, quos furunculos vel carbunculos, vel bubones aliqui appellant, ſed dicamus fuiſſe vlcera, & ſcabiem diſruptam in toto corpore, ſed qua de cauſa hoc genere ſupplicij puniuntur? dicemus iuſto quidem Dei iudicio, nam meminiſſe oportet Ægyptios in his corporum tumoribus & veſicis turgentibus diſruptis, non ſolum tumoris animi & ſuperbiæ detectæ diuinitus ac depreſſæ, ſed verberum etiam & flagellorum quibus liuidas reddiderant Iſraelitarum ſcapulas, pœnas dediſſe; ergo pro vibicibus puſtulas, & diruptionem cutis, pro attrita & concuſſa carne, apoſtemata & vlcera in carne, & qui Hebræos graui verbere attriuerant, nunc præ vlcerum & furunculorum acerbitate, non laborare, non ambulare, non ſtare, ne iacere quidem, ſine dolore graui aut requieſcere permittebantur. 38.

## *VARIETAS LECT.* Verſ. 11. & 12.

V*Vlg.* Nec poterant malefici ſtare coram Moyſe propter vlcera quæ in illis erant, & in omni terra Ægypti.

*Sep.* Et non potuerunt venefici ſtare coram Moyſe, facta enim ſunt vlcera in veneficis.

*Cald.* Quia erat ſcabies in maleficis, & in omnibus Ægyptiis.

*Arias.* Quia fuit vlcus in genethliacis.

*Aly.* Quia facta ſunt apoſtemata in magis.

*Vulg.* Indurauitque Dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos ſicut locutus eſt Dominus ad Moyſen.

*Sep.* Sicut conſtituit Dominus.

*Cald.* Et ingrauauit Dominus cor Pharaonis. A *Vatablus.* Et roborauit Iehoua cor Pharaoh.

CONCORDIA.

HÆc verba בכל מצרים vbcol mizraim in omnibus Ægyptiis, non discrepant ab hac locutione in omni terra Ægypti, quia est continens pro contento.

EXPOSITIO.

NEc poterant malefici stare coram Moyse, quamuis in signis præcedentibus magi aliquoties à Mose victi fuerint, præsertim in primo & tertio signo, quando eorum virgæ fuerunt deuoratæ à virga Moysis, & incantamenta fuerunt inefficacia in producendis sciniphibus, hinc tamen constat eos inhæsisse Pharaoni ac cum eo indurasse corda sua, & consequenter Mosi factis B que per eum miraculis detraxisse, ita ut & afflictione hac & confusione dignissimos se præbuerint, vt in propriis corporibus, actis suæ vanitatem experirentur, & aliis profiterentur, *indurauitque Dominus cor Pharaonis.* Hic primum Deus dicitur indurasse cor Pharaonis, quomodo autem induret corda hominum, vide à nobis dicta superius.

CONCEPTVS.

*Cognoscens Diuinam potentiam, & ei non se subiiciens, longe grauiores pœnas sustinet.*

39 NEc poterant malefici stare coram Moyse. Qua de causa? propter vlcera quæ in illis erant, cur idem non obseruatur de aliis Ægyptiis, qui etiam vlceribus percussi sunt? arbitror maleficos grauiori scabie & intolerabiliori vlcere afflictos, quam alios: sed cur præ aliis seuerius in eos animaduertitur? reuoca in memoriam cum sciniphes incantationibus suis producere non potuissent, diuinam potentiam agnouisse dicentes, digitus Dei est, & tamen ad meliorem mentem non se reuocasse, sed semper Pharaoni obstinato adhæsisse animo: quid mirum igitur si præ aliis grauiori vlcere percutiatur? qui enim agnoscens diuinam potentiam, & ei non se subiiciens, longe grauiora sustinet supplicia. subscribit noster Lyran. *Patet quod ex præcedentibus signis, non destiterunt Moysi resistere, propter quod ista plaga fortius in eos desæuit quam in alios.* (Noster Lyran.)

*Impij in conspectu iustorum durius cruciantur.*

40 Nec poterant malefici stare coram Moyse, Cum omnium hominum fuerit mitissimus, omnibusque quas acceperat iniurias, condonans, cur coram eo stare non potuerunt? propter vlcera, inquit textus, quæ in illis erant, quid? nonne alibi grauitatem eorum experientur? an ab eis immunes erunt, cum omnes Ægyptij iis percussi iaceant? non equidem, sed in conspectu iusti Moysis grauius cruciantur: mens est Abul. *Sentiebant malefici quod dum plus stabant coram facie Moysi, acrius cruciabantur, fugerunt ergo à conspectu eius.* (Abulens.)

*Qui consilio suo reges adiuuant vt iustos persequantur, non leues sustinebunt pœnas.*

41 Nec poterant Malefici stare coram Moyse. Propter vlcerum & scabiei acerbitatem: hinc patet quod quamuis diuinam potentiam experti fuere, eamque compulsi venerari in sciniphum productione, nihilominus semper adhæserunt Pharaoni, sed cur ei adhæsere, cum incantationibus suis prodigia à Moyse facta non potuerint operari? vt ei peruerse consulerent, ne populum Israël dimitteret, sed sub tyrannide semper retineret; quid miraris igitur si acerbiora vlcera patiantur? qui enim consilio suo Reges adiuuant, vt iustos persequantur, non leues sed acerbissimas C pœnas sustinebunt: consentit Episcopus Metonensis, *Iam nunc etiam & aruspices sortilegi incipiunt plagis affici pustularum, vt consistere coram suo rege non possint, sic pustulis propediem sese affligendos timeant, qui regibus assistentes consilio suo pios persequuntur ac perdunt.* (Auctor Catenæ.)

*Quos victos possidet diabolus, eos contemnit.*

Nec poterant malefici stare coram Moyse propter vlcera quæ in illis erant. Nonne illi sunt incantatores, qui virgas suas præstigiis in serpentes, aquas in sanguinem mutarunt, qui incantationibus suis mirabilia operati sunt, & arte dæ- 42
D monum deludebant Ægyptiorum mentes? quomodo nunc prostrati iacent vlceribus in toto corpore grauissimis cooperti, scabie purulenta percussi? cur dæmon sibi obsequentissimos seruos ab hac plaga durissima non seruat incolumes? quia quos victos & sibi obstrictos possidet, habet ludibrio & contemptui: testis est D. Cypri. Episc lib. 1. epist. ad Cornelium Papam. *Inimicus & hostis Ecclesiæ quos alienauit ab Ecclesia, & foras duxit vt captiuos & victos, contemnit & præterit, eos vero pergit lacessere. in quibus Christus cernit habitare, neque enim quærit eos quos iã subegit aut gestit euertere, quos iam suos fecit.* Hic salutis hominũ aduersarius, similis latronũ est principi, suos in extremis periculis sicarios derelinquẽti, multa malis hominib' pollicetur, vt eos lucretur, lucratos autem subsannit, permittitque omnes istos deprauatæ mentis homines, miserabili (D. Cyprian.)

## CONCEPTVS.

*Deus celare non potest quanto amore populum suum diligat.* A

1 HÆc dicit Dominus Deus Hebræorum. Nonne tibi compertum est, etiam maximo populi Israel detrimento, quanto in Hebræos feratur odio Pharao? testatur in eos maxima illius crudelitas: cur ergo vt ipsum compellat ad libertatẽ ipsis concedendam, dicit Deum Hebræorum id præcipere? nonne satius esset vt petita consequeretis, silentio nomine obuoluto Dei Hebræorũ? absolute dicere non timet coram Pharaone, Deum Hebræorum & non alterius populi Deus enim celare non potest quanto suum amore populum prosequatur, *licet sit Deus* (ait noster Lyran.) *& Dominus omnium, dicitur tamen hic Deus Hebræorum in speciali per veram fidem & specialem cultum, vt videret Pharao quantum Deus populum diligat.* B

Noster Lyran.

*A Deo etiam malum pœnæ.*

2 *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, ecce manus mea super agros tuos.* Cald. *ecce plaga à facie Domini.* Id est flagellum & plurimorum animalium media peste, interitus, sed à quonam hæc grauis pestilentia omnia depascens pecora? an media Aaronis virga, sicut conuersio aquarum in sanguinem, scyniphum & ranarum productio? non equidem, sed à Deo immediatè, ait enim manus mea super agros tuos, quid? nonne inter mala, pestis censetur grauissimum? & Deus nomine auctor malorum minime proclamatur? quomodo ergo pestilentia ab eo in Ægypti animalia immittitur? quia etiam ab eo malum naturæ & pœnæ: sic explicat etiam Doctor, *non dicit manus Moysi, quia ista plaga facta fuit à Deo absque ministerio Moysi & Aaron, in tribus autem primis dicitur Aaron manum extendisse.* C

Cit. Lyran.

*Malum malo non compensandum.*

3 *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum dimitte populum vt sacrificet mihi.* Nonne pluries Pharao promiserat se dimissurum Israelem, & nihilominus semper Moysem delusit? cur igitur in fraudis pœnam toties Regem perfidum maledictis non proscindit, populum seditiose in eum non concitat, cum esset ipsius Deus? supplicia tam vario & mutabili principi non immittit suo arbitratu? cur fidem frangenti non frangit? cur Dei vltionem patienter expectat? satisfacit Auctor Cat. *memorabile exemplum quo docemur, quid nobis agendum sit erga eos qui fidem nobis datam violant, & promissa non seruant, vulgaris enim hominum morbus est quod fidem violantibus etiam ipsi fidem violent, ac existiment sibi licere aduersus peccantes peccare, sed Deus vocat nos, non ad exempla peccantium, vt peccata ipsorum imitemur, sed ad verbum suũ, & iubet bona pro malis rependere, ac solam Dei vocationem expectare ac sectari.*

Lippom.

*In quibus delinquimus in his punimur.*

4 *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, ecce manus mea super agros tuos & super equos, &c. & boues & oues.* Parcerem ego tot animalibus rationis vsu carentibus, quæ nec populum Dei retinent, nec ei aduersantur; cur ergo manus Domini, id est flagellum in tot oues & boues, & alia pecora? non nobis ignotum pecudes sacras apud Ægyptios habitas, & tanquam numina ea coluisse, sic enim Iouem Hammonium venerabantur in ariete, Apin in vitulo & boue, &c. merito igitur etiã in pecoribus puniuntur, quod eis pessime abuterentur, ad idololatriam: & sic in quibus deliquerunt in his corripiuntur.

*Deus à mitioribus flagellis incipit, vt à grauioribus fugiamus.*

5 *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, ecce manus mea super agros tuos, & super equos, boues, & oues.* manus sua, id est flagellum suum, vt postea per appositionem explicatur, *pestis valde grauis*, percute totius principem Ægypti, & in eo Ægyptios tuis non parentes mandatis, non perculsis graui pestilentia pecoribus, cum in nullo deliquerint? nescit Deus obliuisci suæ bonitatis & misericordiæ etiam in maximos peccatores, sed à minoribus procedit, vt his cautiores facti fugiant grauiora, subscribit Oleast. *procedit Dominus in flagellis à mitioribus, quoniam non libenter grauia infligit, & prius pecudes quam homines tetigit, vt videat homo si velit attendere, & disciplinam excipiat.*

Oleast.

*Deus neminem cogit ad salutem.*

6 *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, dimitte populum meum vt sacrificet mihi.* Nonne homines quibus necessario seruorum opera & seruitio opus est, improbos & dicto non audientes seruos possessionis iure coërcent? cur ergo Deus cum sibiipsi sufficiat, & nullius indigeat, & omnia operetur nostræ salutis duntaxat gratia, nolentes ad obsequium suum non trahit, & non cogit Pharaonem, sed paternè exhortatur per Moysen & Aaronem ex sua parte ipsi dicentes, dimitte populum vt mihi sacrificet? id est hactenus potentiam meam in nonnullis plagis expertus es Pharao, quod populo meo liberum noluisti concedere discessum, ne itaque maiores & grauiores deinde sustineas plagas, ne teneas populum meum dimittere: ita loquitur, ita monet Deus, neminem enim ad ea quæ sunt nostræ salutis, cogit violenter: accipite S. Chrysost. hom. 9. in Ioannem, ita de hac re disserentem, *clementissimus & benignissimus Deus omnia & facit, & molitur, vt nos ad sectandas virtutes illuminet, & vnumquemque bonum esse vult, neminem tamen cogit, suadendo autem & benefaciendo voluntarios quoscumque & vltro sequentes allicit & ad se trahit; propterea cum veniret in mundum, alii enim receperunt, alii eum neglexerunt, nullum enim seruorum Deus vult inuitum, nullum coactum, sed eos tantum qui sponte sua ipsum optant, ipsum amplectuntur, & gratiam se ei scientiae habere intelligunt.*

S. Chrysost.

*Deus si beneficia illius spernimus, pœna nos allicere tentat.*

7 *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, dimitte po-*

*pulum.* Quot beneficiis eum obstrinxerat, vt A compelleret ad sua mandata capessenda, & ad suum dimittendum populum? ecce à mensis eum & regnum suum pœnis cœpit, ranarum enim importunissimam multitudinem, muscas omnis generis intolerabiles, amouet, & nihilominus hæc floccipendens sustinet iterum à Deo moneri, vt populum Israel liberum remittat, sin minus minas ei intentat, & grauissimas quidem: quid enim grauius pestilentia, in animalia hominum victui necessaria grassante? cur ô Deus benignissime, non minis, sed gratiarum stimulis ad tua iussa amplectenda non commoues? quia Deus si beneficia illius spernimus, pœna ad meliorem mentem tentat nos allicere, subscribit B Archiepisc. Constant. *cum priorem hoc est beneficij viam contemnimus, malitiisque aut suasionibus aut præmiis abandire nolumus, alteram pœnæ scilicet & supplicij aggreditur, amarissimam quidem, maxime tamen necessariam, priore enim contempta necessario secunda agendum est.*

S. Archiep. Constant.

*In quo quis peccat, in hoc puniatur.*

8 *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum ecce manus mea super agros.* Sept. ecce manus Domini inerit in pecoribus tuis, immerito hac peste plectuntur animalia, hanc luem experiuntur agri, si enim pœna delictum sequitur, in quo deliquerunt? aduerte Ægyptios vehementer populum Israeliticum afflixisse, eorum iumenta & armenta atque greges rapiendo vel intolerandis oneribus impositis premendo, eorum agros depopulando: en vt non immerito manus Domini in pecoribus, & in agris Ægyptiorum, sed iustissime, in quo deliquerunt puniuntur.

*Gradus est & ordo in pœnis à Deo inflictis.*

9 *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, ecce manus mea super agros, & super equos, & asinos, & camelos, & super boues, & oues.* Cur non incipit flagellum à bobus & ouibus, cum pecora sint vsui hominum magis necessaria? alia enim vel C oneribus ferendis solum accommodantur, vel habenda... ad victum & vestitum conferunt. ... manus Domini primo camelis, equis, & iumentis incidit, deinde ouibus & bobus magis... & ordo est in pœnis à Deo infligendis. ... mihi videtur esse Procopij, sic enim ait: *... equi qui sunt mendaces ... iumenta immunda, quæ nec vngulam findunt nec ruminant, deinceps cameli, qui quamuis propter ruminationem quasi mundi reputentur, tamen quia eorum vngula non findatur censentur immundi, verum tamen partim mundæ partim immundæ conditionis cameli perhibentur, cæterum quia hæc plaga vt par erat noxia propter vilitatem immundorum animalium creditur, transit ad boues de hinc ad placidissimum animalium animal scilicet ouem.*

Procop.

*Dei potentia nullis mediis alligata est.*

*Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum ecce manus* 10
*mea super agros.* Cur non ait, ecce manus Moysi vel Aaron super agros Ægyptiorum? nam sicut priora operati sunt prodigia, etiam hoc supplicio potuerunt afficere? potuerunt quidem, sed Deus eorum ministerio vti noluit, vt ostenderet potentiam suam nullis mediis alligatam, potest enim & per media agere, potest & sine ipsis, tum etiam sapientia Dei ostenditur, qui plagas illas sic immisit, vt nemo sinistrum de eis quid suspicari posset, si enim per solum Moysem fecisset signa, suspicio fuisset in Ægyptiis, Mosen magica arte hæc facere, ideo pleraque fiunt per Aaron, si autem omnia per ipsos fecissent, fortassis pro diis habiti fuissent, sicut Paulo & Barnabæ contigit in ciuitate Lystris: denique si omnia per virgam fecisset, suspicio potuisset esse virtutem aliquam in virga latere, ideo aliqua solo verbo operatur, tandem si omnia per se ipsum operatus fuisset, non ita mirabile, nullus enim ignorat Deum omnia posse, sed non omnes eius sunt fides, quod etiam hominibus eam potestatem communicet.



## *VARIETAS LECT. Vers. 4. & 5.*

*Vulg.* Et faciet Dominus mirabile inter D possessiones Israel, & possessiones Ægyptiorum, vt nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israel.

*Sept.* Et mirabiliter distinguam ego in tempore illo inter pecora Ægyptiorum & inter pecora filiorum Israel, non morietur de omnibus quæ sunt filiorum Israel, verbum.

*Cald.* Et diuidet Dominus inter pecora Israel & inter pecora Ægyptiorum, & nihil morietur ex illis, quæ possident filii Israel.

*Vulg.* Constituitque Dominus tempus dicens, cras faciet Dominus verbum in terra.

*Sept.* Et dedit Deus terminum.

*Pag.* Posuit Dominus tempus dicens, cras faciet Dominus rem hanc in terra.

---

## *CONCORDIA.*

Verbum פלה phalah sicut significat mirabile facere & diuidere, sic מקנה michne possessionem, & pecora; verbum דבר dabar accipitur pro quacunque re minutula.

## EXPOSITIO.

*Faciet Dominus mirabile*, faciet mirabile, id est miram diuisionem & distinctionem inter possessiones Israel, inter pecora vtriusque populi, vt nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israel, quia nec pascua nec iumenta Hebræorum læsa sunt hac plaga, *constituitque Dominus tempus*, scilicet in quo plagam infligeret, dicens cras, faciet Dominus verbum istud, id est hanc rem quam tibi nuncio.

## CONCEPTVS.

### *Ab Eucharistia vitam boni, mortem mali sortiuntur.*

11 *Faciet Dominus mirabile inter possessiones Israel & Ægyptiorum.* Quodnam quæso fuit hoc miraculum? vt nihil pereat omnino de his quæ pertinent ad filios Israel, consumptis nihilominus pestilentia pecoribus Ægyptiorum, nonne omnes greges & armenta tam quæ ad Hebræos, quam quæ ad Ægyptios pertinebant, in iisdem agris versabantur? ita plane vt Paulus Burgensis interpretatur, cur alia ergo interibant, alia pinguescebant? forte vt hac etiam in re mysterium Eucharistiæ panderetur, nam vt idem pastus aliis animalibus erat pestifer & noxius, aliis vero salubris & vitalis, ita plane eadem mensa Eucharistica dignis quidem ad vitam, indignis vero ad mortem præparatur: quod recte expendit S. Aug. lib. 2. contra litteras Pentiliani cap. 45. vbi referens verba Psal. 22 super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit, ait, *Non dicunt ista nisi qui aqua sancta reficiuntur, sicut omnes iusti Dei, nam qui ea male vtuntur, subuertuntur, sicut magus ille à Philippo baptisatus, & tamen ipsa in vtrisque vna & sancta est, non dicunt ista nisi qui de mensa Domini vitam sumunt, sicut Petrus, non iudicium sicut Iudas: & tamen ipsa vtrique fuit vna, sed non vtrique valuit ad vnum, quia ipsi non erant vnum; non dicunt ista, nisi qui oleo sancto etiam in spiritu beatificantur, sicut Dauid non qui in solo corpore consecrantur, sicut Saul, & tamen cum ambo vnum sumpsissent, non eis impar sacramentum, sed impar fuit meritum.* S.August. Psal. 22.

### *Nihil casu euenit, sed ex Dei prouidentia.*

12 *Faciet Dominus mirabile inter possessiones Israel & Ægyptiorum, vt nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israel.* Cur saltem pauca ex pecoribus populi Israel non pereunt, sed omnia euadunt salua omnibus Ægyptiorum pereuntibus? non omnia pereant Ægyptiorum, sed solum plurima, respondet Episcopus Abulens. *Si de Ægyptiis multa iumenta periissent, de Hebræis autem aliqua saltem valde pauca, ex aliquo casu factum esse putarent, nunc autem quia de Ægyptiorum iumentis valde multa perierunt, de Hebræorum autem pecoribus nihil omnino, satis fuit magnum miraculum.* Abulens.

### *Idem conceptus confirmatur.*

13 *Faciet Dominus mirabile.* Quando autem hoc prodigium quod nuntiat futurum sit, declarat cras Dominus faciet verbum istud. Pag. cras faciet Dominus rem hanc: cur tempus constituit plagæ futuræ? nam satis est prædixisse pestilentiam in omnia pecora Ægyptiorum grassaturam, termino suppresso: terminum constituit, & tempus declarat futuræ cladis, vt non casu euenisse, sed ex Dei speciali prouidentia Ægyptii compertum haberent, ita cit. Abul. *constituit tempus in quo infligeret illam plagam, vt si non prædiceretur tempus antequam fieret, postea ex euentu facta esse putaretur.* Abulens.

### *Pronior certe ad miserandum Deus, quam ad puniendum.*

*Faciet Dominus mirabile.* Vt pecoribus Ægyptiorum pereuntibus, nullum tamen ex Hebræorum armentis læderetur, quandonam hac clade percutientur Ægyptii? crastina die inquit, nonne regis obstinati animi duritia satis comperta est quod non ad meliorem frugem reduceretur, quamuis illa clades in alterum diem differatur? ita equidem; illico igitur omnium Ægyptiorum animalia graui pestilentia pereunte: nescit diuina bonitas supplicium non differre, ex maiori pronitate ad miserandum, quam ad puniendum. *Spatium pœnitentiæ & resipiscentiæ,* (inquit Lippom.) *Dei clementia prorogat in crastinum, pronior certe ad miserandum quam puniendum, quam contemnentes dignius castigari cernuntur.* 14 Lippom.

### *Iustum cum impio non perdit Deus.*

*Faciet Dominus mirabile inter possessiones Israel & Ægyptiorum, vt nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad Israel.* Nonne aliquando iustos cum iniustis Deus suo occulto iudicio eadem inuoluit clade? cur igitur nunc eadem peste non concludit Israelitarum ac Ægyptiorum pecora? cur solis populi Israelitici condonatur? quia non talis est Deus, vt iustum cum impio simul perdere velit, imo potius contra, sceleratis sæpissime propter iustorum merita, parcit atque indulget: quod his verbis docet sanctus Chrysost. hom. 25. in Ioann. *Omnipotens & sapiens Deus reipsa comprobat quam benefaciat suis, & facit vt etiam qui adhuc in gentilium errore versantur, suam virtutem & potentiam addiscant, ne iusti simul cum peccatoribus pereant. quod in Ægypto fecit, illis enim pœnas irrogabat, Israelitas vero illæsos conseruabat, discebant enim non solum per indignationem Dei qua ipsi puniebantur omnium opificis virtutem, sed & misericordiam quam in illos exhibebat.* 15 S.Chrysost.

### *Vna prouincia affligitur, altera intacta manente.*

*Faciet Dominus mirabile inter possessiones Israel & Ægyptiorum, vt nihil omnino ex his quæ pertinent ad* 16

*Israel pereat.* Ecce terra Gessen illæsa & incolumis manet à lue pestifera grassante in omnem Ægyptiorum regionem, nec mirum, alto enim, iusto tamen Dei iudicio vnum regnum, vna prouincia, vna vrbs, fame, bello, pestilentia, aut alia publica calamitate affligitur, non autem alia, omnia fecundissima, huic aduersissima illi accidunt, at enim Dominus per Prophetam Amos 4. *Ego prohibui à vobis imbrem cum adhuc tres* A *menses superessent vsque ad messem, & plui super vnam ciuitatem, & super vnam ciuitatem non plui, pars vna compluta est, & pars vna aruit:* in quæ verba sic S. Hierony. *ne forte putarent homines hoc lege naturæ & astrorum cursu ac varietate temporum, vrbibus ac populis accidisse, super vnam vrbem, ac agros eius pluere se dicit, & ab altera imbrem suspendere.* Ægyptij in pecoribus suis plectuntur, Hebræis in suis illæsis manentibus.

Amos 4. S.Hieron.



## *VARIETAS LECT. Vers. 6. & 7.*

*Vulg.* Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die, mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum, de animalibus vero filiorum Israel nihil periit.

*Cald.* Fecit Dominus verbum hoc sequenti die, & mortuum est omne animal Ægyptiorum, & de animalibus filiorum Israel nec vnum mortuum est.

B *Vulg.* Et misit Pharao ad videndum, nec erat quidquam mortuum de his quæ possidebat Israel, ingrauatumque est cor Pharaonis, & non dimisit populum.

*Sep.* Videns autem Pharao, quia non est mortuum de pecoribus omnibus filiorum Israel vllum.

*Pagni.* Aggrauauit se cor Pharaonis.

## *CONCORDIA.*

IN Hebræo est ממחרת mimachorat à crastino, quod illis est in crastinum & Græcis τῇ ἐπαύριον crastina. vbi autem apud nos dicitur animantia, & de animantibus Hebraice scriptum est מלכה milche quod ad alij pecora verterunt, sed idem est, cum littera nostra. denique C quod dicitur nihil omnium periit, idem est quod Hebraice dicitur לא מת אחד la meth ec had, nec vnum mortuum est, ita etiam habet Cald. Sept. eundem sensum habent nobiscum, legunt videns autem Pharao, vidisse dicitur, quia per nuncios missos cognouit.

## EXPOSITIO.

FEcit Dominus verbum hoc altera die. Hic Moses compendio vsus omittit quid ipse Domino responderit, quomodo Regem adierit, quid illi dixerit, quid ab eo vel excusationis vel responsi acceperit, sed immissam plagam perpaucis verbis perstringit, *mortua sunt omnia animantia Ægyptiorum*, cum legamus vlcera futura in iumentis, animalia non pauca post hanc pestem superfuerunt, per omnia possunt intelligi valde multa, quæ acceptio scripturæ satis vsitata est, vel tota sententia sic distingui debet, mortua sunt animantia, ea autem quæ mortua sunt, omnia erant Ægyptiorum non Israelitarum: cui expositioni fauet quod sequitur, de animalibus vero filiorum Israel nihil omnino periit: vel denique mortua sunt omnia animalia Ægyptiorum, non absolute, sed quæ erant in agro; alij arbitrantur non solum quæ in agris, sed etiam quæ domi, omnino periisse, sed ab Israelitis & alijs finitimis populis sibi comparasse, quæ postea grandine percussa sunt: *de animalibus vero filiorum Israel nihil omnino periit*, omnibus omnino illæsis à peste manentibus, *& misit Pharao ad videndum*, vt compertum haberet an ita contigisset sicut à Moyse prædictum fuerat: sed cur in alijs plagis non missi nuntij vel exploratores? responderi posset, missos quidem non tamen expressum in scriptura, sicut alia multa: vel dicas neminem prima plaga missum, quod tunc adhuc Moyses non dixisset Hebræos fore liberos, id enim primo dixit ad quartam plagam, in hac D autem propter muscas non fuerat opportunitas mittendi quemquam, viis omnibus obsessis & clausis *ingrauatum est cor Pharaonis*, &c non legitur Pharao huius plagæ amotione deprecatus, forte quod tam subitus fuerit animalium interitus, vt deprecationi locus non fuerit.

## CONCEPTVS.

*Fallax alios fallaces & mendaces existimat.*

17. FEcit Dominus verbum hoc altera die. Vt nullo superstite ex pecoribus Ægyptiorum, omnia salua manerent apud Hebræos: tum Rex (inquit textus) misit ad videndum, cur nuntios mittit ad inquirendum vtrum ita se res haberet? respondet Abul. quia voluit comprobare, vtrum Moyses quæ loqueretur, vera essent, vt saltem comprehendere eum posset in aliquo sermone, & tanquam mendacem repellere; cur eum mendacem opinatur? nonne semel & iterum ipsum

Moysem fefellerat antique meo, .... quid animaduertit ipsam mendacem esse existima-
ret? illas enim fallaces & mendacio obnoxios suspicatur.

*Lætantur iusti cum à pœna peccatoribus inflicta liberantur.*

18. *Fecit Dominus verbum hoc altera die.* Ecce enim peste in omnia Ægyptiorum pecora grassante, greges Israel superstites & illæsi remanserunt, ita vt omnibus compertum esset, hoc ex speciali Dei prouidentia euenisse: sed cur hoc etiam notum Ægyptiis? vt cultores animalium confunderentur, sed cur non absconditum Israelitis? satisfacit Anselmus Laudunensis. *Vt qui Deum colunt non animalia, lætarentur, inflixit Dominus in animalia hanc plagam.* En vt iusti lætantur, cum à peccatoribus in eorum emendationem, pœna exigitur?

*Visa fœlicitas eius quem odimus, mire excruciat.*

19. *Fecit Dominus verbū hoc altera die,* Rex incredulus fidē his non adhibens, misit nuntios qui fideliter referrent, vtrum pestifera clade omnia populi sui percussa fuissent pecora: nonne potuit fidem adhibere Moysi, cum nusquam mentitum fuisse sibi compertum haberet? cur ergo mouetur à Deo Pharao, vt quænam strages edita in suos esset, anque liberi ab ea euasissent Hebræi, inquireret? vt amarius cruciaretur, visa enim fœlicitate eorum quos odio prosequimur, magis angimur, & durius torquemur. Fauet Auctor Catenæ. *Contraria iuxta se posita clarius dinoscuntur, & amarior est fœlicitas eius quem odimus visa, quam non visa, ideo Rex edoceri debet de suorum plagis, salute quoque Israelitarum, vt acerbius compungatur,* & Oleast. *vult Dominus impios videre bona piorum, vt inde magis inuidia torqueantur, & contabescant.*

*Vbi diuinitas adest, necesse est carnis lasciuiam perire.*

20. *Fecit Dominus verbum hoc altera die, mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum.* Quomodo sic pecora in mortem ruunt? sane in pecoribus homines pecorum more viuentes intelliguntur, sicut in peste mundo, vnde S. Aug. lib. de 10. præceptis & totidem plagis sic animæ peccatorum viuit ac moritur, qui ratione ac lege diuina contempta, illicitas sectatur libidines, neque audit quod ei dicitur Psal. 31. nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, & Psal. 48. homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. & sane libido homines in iumenta [illegible] quadam metamorphosi commutat, quia intellectum excæcat, & carnalem concupiscentiam quæ iumentis nos similes reddit, excitat: habe S. Greg. lib. 4. dialog. c. 50. carnalis in-quinatio ... mentem quam inficit, obscurat, vt veri luminis claritatem non videat, sed vnde delectatur inferius, inde supernam caliginem patitur, &c. en vt in pecoribus Ægyptiorum, homines more brutorum viuentes denotantur? sed

cur ideo pereunt? nonne dictum est superius, ecce manus Domini super agros. Sep. super pecora? quid manum igitur theo interne? quia cum potentem manus Domini mentibus humanis attinget, pecorinæ libidines non possunt non interire, quod confirmat S. Ephrem in sermone de Magdalena, qui sic inducit peccatricē loquentem. *Video Deum magnum & sponsum creatorem, qui verbo vniuersa constituit perpetuum; ... iniquitatum mearum expellere.* Vbi Deus illucescit, non potuerunt in illa non occidi libidinosi & pecunia affectus.

*Qui liberi à tribulationibus etiam publicis esse volunt, Deo fideliter obsequuntur.*

*Fecit verbum hoc altera die, mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum, de animalibus vero filiorum Israel nihil periit.* Hic semel & iterum dicitur filios Israel immunes fuisse à plagis immissis in vniuersam Ægypti regionem, nec non in sequenti capite dicitur, quod vbicumque habitabant filij Israel lux erat, & 12. quod immunes fuerunt filij Israel ab angelo percutiente, quare filij Israel soli, Ægyptiis pereuntibus, à plagis vniuersalibus liberantur? an quia filij Israel secundum carnem? nequaquam, nam in deserto à qua clade liberi, imo quod supplicium non senserunt? cur igitur incolumes euadunt? inquit Seraphinus concl. 1. *Quia erant filij Israel secundum spiritum, id est secundum verum Dei cultum & fidem.* 21.

*Malitia cordis humani potius eligit tribulari temporaliter in obstinatione peccatorum suorum viuendo, quam pœnas illas temporales euadere, mandatis Dei obediendo.*

*Fecit Dominus verbum hoc altera die, & transmisit Pharao ad videndum, nec erat quidquam mortuum de his quæ possidebat Israel.* Quid? cum sensisset maximum Dei in subditorum pecora, an ad meliorem frugem se recepit? nequaquam sed ingrauatum est cor eius. an ignorabat Pharao etiam per experientiam, quod si diuinis mandatis obtemperaret, à pœnis venturis incolumem euasurum? cur ergo non obedit, sed experientia inexcusabili cordis duritiam adauget? dixi experientia inexcusabili, id compertum habuisse, nam misit nuntios, qui sibi fideliter referrent, an pestis solum grassaretur in Ægyptiorum pecora, quod verum esse audiuit; cur ergo ad meliorem frugem mentem non reducit, vt à pœnis futuris liber euadat? quia talis est malitia cordis humani, vt potius eligat affligi temporaliter, in obstinatione peccatorum suorum viuendo, quam pœnas illas temporales euadere, mandatis Dei obediendo. 22.

*Ex cognitione miraculorum Dei, impius fit deterior.*

*Fecit Dominus verbum hoc altera die.* Sed impius Pharao, nolens credere nec Moysi nec Aaroni, nec aliis nuntiantibus animalium interitum, misit aliquos ex suis ad in- 23.

uestigandum, an vera essent quæ ei narrabantur, quasi vero non satis iam expertus fuisset Deum Hebræorum omnipotentissimum & veracissimum esse: nihilominus induratum est adhuc cor eius, quomodo ex contrariis causis facta est hæc ingrauatio cordis Pharaonis? si enim & pecora Israelitarum morerentur, tunc videretur causa competens quia cor eius ingrauaretur ad contemnendum Deum, tanquam si & magi eius pecoribus Hebræorum mortem intulissent, nunc vero vnde deriuat ad timendum Deum moueri, cur mentem obdurat? cur miraculo viso incolumitatis pecorum Israel, diuinam non fatetur potentiam? quia impius ex cognitione miraculorum Dei sua malitia fit deterior: subscribit Episcopus Meronensis. *Pharao nec manifesto supplicio, nec manifesto miraculo, quo discrimen factum est inter Ægyptios & Israelitas, verum Deum agnoscit, & ad sanam pœnitentiam inuitatur, sed contra fit deterior.* Lippom.

*Quanta hominum vecordia?*

*Fecit Dominus verbum hoc altera die, mortuaque*
24. *sunt omnia animantia Ægyptiorum.* Nonne ab
Ægyptiis cultus pecoribus tanquam veris numinibus exhibebatur? cur ergo ita miserè pereunt? cur non seruantur illæsa? cur pestem non effugiunt cum ab eis salus & vita expectari deberet? optime ad hanc rem Origen. *Vecordia in hoc arguitur stultitiaque mortalium, qui tanquam irrationalia pecora cultum & vocabulum Dei diuersis imposuerunt figuris, non solum hominum sed & pecudum ligno & lapidibus impressis, Hammonem Iouem in ariete venerantes, & Anubin in Cane, Apin quoque colentes in tauro, cætera quoque quæ Ægyptus Deorum portenta miratur, in quibus cultum credant inesse diuinum, in his viderent miseranda supplicia.* Origenes

*Inuidi fiunt deteriores bonis quæ iustis eueniunt.*

25. *Fecit Dominus verbum hoc altera die, mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum.* Et cum interitu eorum viso ad meliorem frugem reuocari deberet, ingrauatum est cor eius. Pagnin. aggrauauit se cor Pharaonis, cur indurata est mens illius, cum emolliri deberet? aduerte quod nullum ex pecoribus populi Israelis periit, sed incolume & saluum permansit. Quid mirum igitur si deterior euaserit? inuidi enim peiores fiunt bonis quæ iustis eueniunt. Scite Hieron. ab Olea. *Non solum malis fiunt impij deteriores, sed bonis piorum quibus inuident.* Olea.

*Leuior pœna maiorem portendit.*

26. *Fecit Dominus verbum hoc altera die, mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum.* An pestis solum in pecora grassatur? an sistet in eorum interitu? non equidem, pœna enim leuis grauiorem portendit, & pestis animalium, in hominum pestilentiam desinet: subscribit Philo lib. 1. de vita Moys. *Post hanc pœnam* (inquit) *succedit alia, nemine eum quoque ministro, irati numinis, videlicet interitus pecudum: nam armenta & greges ouium caprarumque præterea iumenta omnis generis vno die tanquam ex composito gregatim moriebantur, portendentia paulopost secuturam pestem hominum, quoniam aiunt publicas pestilentias solere primum in bruta sæuire animalia.* Philo.

*Qui omnia propter Deum contemnit omnia subiiciuntur ei.*

*Fecit Dominus verbum hoc altera die, mortuaque* 27.
*sunt omnia animantia Ægyptiorum.* An interitus pecudum soli Pharaonis obstinationi debetur? an etiam in aliam possumus causam refundere? an possumus dicere quod quia Moyses propter Deum omnia habuit contemptui, ideo omnibus eum superiorem reddidit? mens est Tertulian. lib. 3. contra Marcionem. Tertulian.

*Dux populi Moses, qui limina regia liquit*
*Spernens diuitias florentes, tempore paruo*
*Maluit afflictus populi portare labores,*
*Subnixa ceruice, minis non territus vllis,*
*Quam sibi delitias multasque remittere pœnas,*
*Pro magnaque fide, pro tanto mirus amore*
*Armatus virtute Dei magnalia gessit.*
*Percussit gentem plagis,*



## *VARIETAS LECT. Vers.* 8. 9. & 10.

V*ulg.* Et dixit Dominus ad Moysem & Aaron, tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum, coram Pharaone.

*Sep.* Tollite vobis volas vestras plenas è cinere fornacis.

*Cald.* Tollite vobis plenos pugillos vestros fauillæ fornacis, & spargat illam Moyses versus cœlum ante oculos Pharaonis.

*Sep.* Sumite vobis plenas manus fauillæ de fornace, & aspergat Moses coram Pharaone & seruis eius.

*Arias.* Tollite vobis plenitudinem volarum vestrarum è fauilla fornacis.

*Caiet.* Tollite vobis pugillos plenos sufflationis fornacis.

*Vulg.* Sitque puluis super omnem terram Ægypti, erunt enim in hominibus & iumentis vlcera & vesicæ turgentes in vniuersa terra Ægypti.

*Sept.* Et erunt super homines & super quadrupedia, vlcera, vesicæ efferuescentes, & in hominibus, & in quadrupedibus, & in omni terra Ægypti.

*Cald.* Et erit in puluerem tenuissimum, & erit in hominibus, & iumentis scabies germinans vesicas.

*Vnk.* Et erit in hominibus & pecoribus in sca-

biem producentem pustulas.

*Pag.* Et vertetur in puluerem, & erit super homines & super animalia in vlcus germinans inflationes.

*Oleast.* Erit in nebulam super omnem terram Ægypti.

*Vulg.* Tuleruntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moses in cœlum, factaque sunt vlcera vesicarum tur-A gentium in hominibus, & iumentis.

*Sept.* Et sumpsit fauillam de fornace, & facta sunt vlcera & vesicæ efferuescentes.

*Cald.* Fuit scabies & vesicæ multæ.

*Onk.* Exortaque est scabies producens pustulas.

*Pag.* Et fuit vlcus inflationi germinans in hominibus, in animalibus, & in iumentis.

*Procop.* Et sumpsit fuliginem de camino.

## CONCORDIA.

SI attente lectiones considerentur, omnium idem sensus reperietur, licet enim aliæ habeant vlcus, aliæ scabiem, nulla est discordia שחין sechin enim vtrumque significat, scio Oleastrum vertisse nebulam pro puluere, imo mirari, cur ita factum sit, ait enim, potius significat nebulam aut fumum, quam puluerem, nempe dictio אבק abák, sed nostræ insistendum est vulgatæ, אבק B abax enim puluerem denotat, nam pluribus in locis sic habetur אבק רגליו Nahum 1. 3. puluis Nahum. pedum eius, & Ezech. 26. 10. אבקם puluis Ezech. 26. eorum.

## EXPOSITIO.

TOllite plenas manus cineris de camino. Hæc est sexta plaga, cuius executor præcipuus Moses, licet enim Aaron cinerem quoque portarit, solus autem Moyses sparsit, portarunt autem manibus ad Pharaonem, quia nemo illic eis facile cinerem dedisset; cinis autem hic est adhuc ille qui carbonibus adhæret, & calidus est, ex cuius attactu vlcera enascuntur propter caloris adustionem, *sitque puluis super omnem terram Ægypti* sparsus à Mose puluis signum erat pulueris à Deo per totam Ægyptum producendi, cum autem audis puluerem, nihilominus non intelligas hanc pœnam fuisse leuem, vt patet ex Deuter. 28. vbi non solum vtraque huius plagæ pars recensetur, sed ob sui vehementiam transisse videtur in prouerbium, itavt & quem grauissima dignum pœna iudicamus, dicatur, percutiat te Deus vlcere Ægypti, scabie quoque ac prurigine, itavt curari nequeat. *Erunt enim in hominibus & iumentis vlcera*, quomodo adhuc fuerint iumenta diximus versu præcedenti. vlcus est carnis & sanguinis ob interiorem indispositionem corruptio. vesica est tumor in carne excitatus à calore intus, habens calorem aqueum, C quo per calorem absumpta cuteque rugata, apertio & ruptura sequitur seu vulnus *tulerunt cinerem de camino* &c quod Deus præcepit, executioni mandatum est.

## CONCEPTVS.

### *Vbi vel Dei vmbra petuntur cœlestia non terrena.*

28. TOllite manus plenas cineris de camino. Quem licet vterque tulisset, sparsit nihilominus eum Moyses in cœlum, cur Aaron qui antea signa operatus fuerat, qui terram & aquas virga percusserat, versus cœlum cinerem non spargit? cur Moyses hoc munere fungitur? nonne Moyses datus erat in Deum Pharaonis, non autem Aaro? quid mirum, si versus cœlum manus extendat, si versus illud spargat puluerem, vbi enim vel leuissima Dei vmbra est, debet esse Rabanus. operatio non circa terrena sed cœlestia, sed diuinum quod alienum non est à mente Rabani Mauri lib. 1. in Exod. cap. 17. *Quid est quod dicit Deus ad Aaron & Moysen, sumite vobis manus plenas fauilla, de fornace, & aspergat Moyses in cœlum? signa enim superiora virga fiebant quam non Moyses sed Aaron extendebat super aquam, vel ad terram percutiebat, nunc vero interpositis duobus signis de cinomya & pecorum mortibus, vbi nec Aaron nec Moyses aliquid manu operati sunt, dicitur vt Moyses spargat fauillam in cœlum, de fornace, & hanc ambo sumere iubentur, sed ille spargere non in terram sed in cœlum, tanquam Aaron qui datus erat in populum, terram percutere deberet vel in terram siue aquam manum extendere, Moyses vero de quo dictum est, erit tibi in his quæ ad Deum in cœlum iubetur fauillam spargere.*

### *Qui minas non curat, in seipso earum effectum sentiet.*

D *Tollite manus plenas cineris de camino, & fiant in hominibus vlcera, & vesicæ turgentes.* Nonne 29. solebat Deus per Moysen monere Regem Ægypti de futuro supplicio inferendo, vt si resipiscere vellet, locus pœnæ inferendæ non daretur? cur igitur hic non monetur Pharao de vlceribus & vesicis turgentibus, quæ futuræ non solum in iumentis sed etiam in hominibus? nonne omnes alias præcedentes comminationes habuit contemptui? nunc ergo iis prætermissis, Tostatus. verba non audiat, sed verbera sentiat: mens est Episcopi Abulens. *Hic non ponitur comminatio istius plagæ Pharaonis, quia Pharao erat quasi stupidus in plagis præteritis, nec multum curaret de verbis cum nec de rebus minus curaret quam decebat, conueniebat ergo eum nunc aliqua plaga dura in seipso acriter cruciari, vt vexatio daret intellectum.*

*Pœna culpæ respondet.*

30. *Tollite manus plenas cineris de camino.* Cur de camino potius quam de alio loco? potuit enim summi puluis ex terræ, & non ignis elemento ad vlcera producenda tam in hominibus quam in iumentis: certum est enim ipsum cinerem de camino sumptum, in omnibus Ægyptiis per se ipsum vlcera & vesicas turgentes non produxisse: reuocare in memoriam Hebræos oppressisse Ægyptios laterum coctione & ardoribus ignis, ob quorum vehementiam hæc seruitus Ægyptiaca dicitur: sentiant ergo vlcera ex cinere de camino ignis desumpto, vt supplicium delicto correspondeat, sic Noster Lyranus obseruat. *Patet quod ista plaga facta est ex elemento ignis quia cineres illi accepti sunt de camino ardenti, & correspondet plaga ista culpæ Ægyptiorum, qui afflixerant Hebræos in decoctione laterum ignis ardentis:* & Oleast. *laborare fecerunt Ægyptij filios Israel in decoquendis lateribus in fornace, nunc vero fauilla fornacis discruciantur.*

Noster Lyranus.

*Nos malorum nostrorum causa sumus.*

31. *Tollite manus plenas cineris de camino.* Itaut eo versus cœlum sparso nascerentur & in iumentis & in hominibus vlcera, an Deum arguemus auctorem tam grauis supplicij? an ab ipso solo huius cruciatus causa? an sola sua voluntate Ægyptiis hos dolores intulit? satisfaciat S. Cæsarius Arelat. hom. 40. de cura animæ. *Animam nostram* (inquit) *quasi villam suam nobis dignatus est committere Deus, vt illam omni studio debeamus excolere, totis ergo viribus cum Dei adiutorio, laboremus, vt cum Deus ad agrum suum, hoc est ad animam nostram venire voluerit, totum cultum, totum ordinatum inueniat, non spinas, vinum inueniat, non acetum, triticum magis quam lolium: si omnia quæ placent oculis suis inuenerit, æterna nobis præmia repensabit, si vero totum desertum & spinis repletum aspexerit, cum ipsis spinis operum nostrorum æterno nos incendio deputabit.* deinde addit, *præcide de vite tua quod malum est, incide de anima tua quod iniquum est.* & tandem concludit, *& quia fructus legitime non exhibuit quasi sarmenta luxuriosa & infructuosa, æterna illam flamma sine misericordia cruciabit.* En ex anima ipsa malorum suorum origo?

S. Cæsar. Arelat.

*Lento gradu procedit ira Dei, donec ad extrema perueniat.*

32. *Tollite manus plenas cineris de camino ignis.* Et ex eo non solum in iumentis, sed ipsis hominibus vlcera producantur, nascantur apostemata; hæc sane plaga prioribus maior, non enim solum ad pecora, non solum ad suppellectilem Ægyptiorum, sed ad ipsamet eorum corpora peruenit? hanc plagam eleganter ita describit Philo lib. 1. de vita Moysis, Deo iubente cinerem è fornace hauserunt manibus, quem solus Moses iactauit in aerem, moxque puluis excitatus, & longe lateque dispersus, hominibus brutisque dira per totam cutem immisit vlcera, carnibus simul intumescentibus & fœdis pustulis scatentibus, ac si incensæ clam efferuescerent, quo cruciatu sicut par erat in exulceratione atque inflammatione oppressi, non minus animo laborabant quam corpore, misere vexati doloribus, videbatur enim vnum vlcus à vertice vsque ad imos pedes, his quæ membratim sparsa erant, serpigine in malum coeuntibus: an vt hæc plaga non solum magna per sese, imo haud scio an præcedentium omnium comparatione fuerit maxima, quæ non externa bona detrimentis attriuerit, sed ipsum hominum corpus non leuibus mulcatum puncturis, sed grauibus vlceribus affecerit, cur præ aliis hæc maxima? quia lento gradu diuina procedit ira, donec ad extrema perueniat: vnde recte S. Chrysost. Hom. 13. in Matth. ait, *Quando per partes ab vnoquoque nostrum pœnas exigit Deus, leniorem nobis animaduersionem ipsam facit; quando vero patientius nostra videtur dissimulare peccata, ad maximam nos in talibus permanentes pœnam reseruat, si enim iustis non deest tribulatio, quanto magis illa expectanda est peccatoribus?*

S. Chrysost.

*Ignis æterna gehennæ corde obstinatos expectat.*

*Tollite plenas manus cineris de camino,* Caldæus. *tollite pugillos vestros plenos fauilla fornacis.* Quid, adhibita virga qua correctio denotatur, tandem adhibetur caminus ignis, vel fauilla fornacis? nonne aliud potuit subsequi supplicium, ex camino ignis non proueniens? si per eum caminus ignis ardentis & æterni designatur, merito post virgam sequitur, ignis enim æternæ gehennæ corde obstinatos expectat: auctoritas est Procop. *redigit nobis caminus in memoriam ænigma de camino, significat enim camini fuligo ignis gehennæ pœnam, quam nobis Scriptura comminatur sed illud supplicium neminem nisi Ægyptios imitantem aduret:* nec dissentit Bruno apud Tilm. *vulnera & vesicæ turgentes, quas & videre horribile, & pati intolerabile est, futura illa tormenta significant, quibus nulla possunt comparari tormenta: hæc autem illos expectat, qui obstinato corde vsque in finem in malitia sua perseuerant.* 33.

Procopius. Bruno.

*Iracundi, superbi, & homicidæ pari pœna plecti videntur.*

*Tollite manus plenas cineris de camino, & sint vlcera, & vesicæ turgentes* nempe in hominibus & iumentis. Glossa ordinar. sexta plaga pustulæ in corpore, vesicæ bullientes & scatentes, incendia vulnerum, & fauillæ fornacis, ardent enim homicidæ ira, & insania: & Origen. videtur mihi quod in vlceribus arguitur dolosa & purulenta malitia, in vesicis vero tumens & inflata superbia, in feruore demum iræ ac furoris insania: ecce tria peccantium genera, sunt enim & homicidæ iracundi, & superbi: sed cur eandem plagam experiuntur? sane par pœna iracundis, superbis, & homicidis, vt omnes sub flammis viuant, nec illis flammarum tormenta deficiant. 34.

Glossa ordi. Origenes.

*Libidinosus ab incendio peruersi amoris rapitur ad supplicium ignis æterni.*

*Tollite manus plenas cineris de camino.* Rupertus Abbas lib. 1. in Exod. cap. 36. ait, hæc plaga respondet mandato non mœchaberis, imo & qui mandati illius transgressor est, meritam pœ- 35.

Rupertus.

nam præſagit, quid autem eſt adulter combuſtus libidinis igne ſulphureo, niſi cinis de camino? omnes enim adulterantes, inquit, Oſeas. 7. quaſi clybanus ſuccenſus à coquente igne, ſed ſi
Oſea. 7. ita ſe res habet, vt illo ignis camino denotetur adulter ſiue libidinoſus igne ſulphureo luxuriæ æſtuans, cur huiuſmodi cinis de camino ſpargitur, in cœlum? cur potius in terram non proiicitur vel potius in infernum? quid enim commune inter cœlos & adulteros? audiamus ſatisfacientem cit. Abb.
Rupertus. *Tollitur & ſpargitur in cœlum cinis de camino, fiuntque vlcera veſicarum turgentium in iumentis & hominibus, quia rapitur mœchus de perpetrati adulterij incendio ad cæleſte iudicium, & æterna pœna turgens, totuſque vlceroſus, ſempiternum in anima & corpore portat incendium.*

*Superbia hominis in altum ſe erigere cupientis, omnium malorum cauſa eſt.*

36. *Tollite plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cælum.* Quid ex hac ſparſione ſecutum? puluis in tota terra Ægypti, vlcera, & veſicæ turgentes, mortes, plagæ, dolores: iurarem ego tales effectus ſemel ſi cinerem ſparſum in cælum vidiſſem, quidni? vnde tumores in hominibus? vnde vlcera? vnde dolores? vnde vulnera? vnde excidia? vnde ruinæ? niſi quia puluis homo, in cœlum per ſuperbiam ſe eleuat, quia cinis indebitè in cœlum aſcendere cupit, inde mala non ſolum omnibus ſed ſibi, ſuperbus enim homo ſic oblitus, non ſolum aliorum, ſed ſuæ ruinæ etiam eſt cauſa, itaut totus in ſe mutatus, de alto veluti ruens cœlo, in ima deſcendat tartara, & ex homine totus ſpiritualis, totus fiat
D. Bernard. Cant. 1. carnalis: quod egregie expendit Bernard. in illa verba Cant. 1. ſi ignoras te, tractans de ignoratione ſui ac de ſuperbiæ malo, deplorat, admirans quomodo ex tali ſui ignoratione, homo qui prius ſpiritualis, totus deueniat poſtea carnalis. *Turpis mutatio ſtudiorum,* inquit, *vt cui ante ſtudij fuerat, peregrinantem & exulem animam ſuam ſacris meditationibus tanquam cæleſtibus paſcere bonis Dei beneplacitum, & myſteria voluntatis eius inquirere, penetrare deuotione cælos, & mente ſupernas circuire manſiones ſalutare patres & Apoſtolos & choros prophetarum, martyrumque admirari triumphos, ac ſtupere pulcherrimos choros angelorum, nunc omnibus his omiſſis, turpi ſe mancipare corporis ſeruituti ad obediendum carni, ad ſatiſfaciendum ventri & gulæ, ad mendicandum in vniuerſa terra, vnde & ea quæ præterit mundi huius figura, ſuam ſemper famelicam curioſitatem aliquatenus conſoletur, quem miſerum deplorans ſtatum ſequitur dicens, exitus aquarum deduxerunt oculi mei ſuper huiuſmodi animam, quæ cum nutriretur in croceis demum amplexatur ſtercora.*

*Cinis Ægyptius tumorem, cinis Chriſtianus humilitatem producit.*

*Tollite plenas manus cineris de camino.* Quem acceptum ſparſit Moſes, & ſtatim vlcera & veſicæ turgentes naſcuntur, quid? nonne capita noſtra cinere conſparguntur, vt tumorem mentium deponamus? quomodo ergo cinis à Moyſe ſparſus, tumorem non deprimit ſed eleuat? cinis Ægyptius eſt, at vero Chriſtianus longe alium ſortitur effectũ, cineris enim cõſpectu, mortiſque cogitatione peccatorum vlcera non mitigantur modo, ſed ſanantur omnino, faſtus hic omnis detumeſcit, hic omnis luxus ſepelitur, omnem diuitiarum deliciarumque cupiditatem leuis hic puluis ob oculos poſitus arietat. ſcite Petrus Da- Petrus Damianus.
mian. opuſ. 15. c. 23. *In omni pugnæ ſurgentis articulo hæc te ſollicitudo non deſerat, vt protinus mentis oculos ad cinerem contemplandum conuertas, quatenus dum te illic immundum abiectumque puluerem eſſe conſideras, ceruicem cordis aduerſus conditorem in arrogantiam non extollas, dumque te conſpicis procul dubio moriturum, iam te pulſantibus vitiis exhibeas velut mortuum.* 37.

*Culpæ pœna reſpondens.*

*Tollite plenas manus cineris de camino.* Quo ſparſo per vniuerſam terram Ægypti, facta ſunt vlcera & veſicæ turgentes in iumentis & in hominibus. ſcio aliquos aſſerere (quod à veritate non eſt alienum) excitatos in corporibus Ægyptiorum tumore ardente pure turgidos, quos furunculos vel carbunculos, vel bubones aliqui appellant, ſed dicamus fuiſſe vlcera, & ſcabiem diſruptam in toto corpore, ſed qua de cauſa hoc genere ſupplicij puniuntur? dicemus iuſto quidem Dei iudicio, nam meminiſſe oportet Ægyptios in his corporum tumoribus & veſicis turgentibus diſruptis, non ſolum tumoris animi & ſuperbiæ detectæ diuinitus ac depreſſæ, ſed verberum etiam & flagellorum quibus liuidas reddiderant Iſraelitarum ſcapulas, pœnas dediſſe; ergo pro vibicibus puſtulas, & diruptionem cutis, pro attrita & concuſſa carne, apoſtemata & vlcera in carne, & qui Hebræos graui verbere attriuerant, nunc præ vlcerum & furunculorum acerbitate, non laborare, non ambulare, non ſtare, ne iacere quidem, ſine dolore graui aut requieſcere permittebantur. 38.



## *VARIETAS LECT. Verſ.* 11. & [illegible].

*Vulg.* Nec poterant malefici ſtare coram Moyſe propter vlcera quæ in illis erant, & in omni terra Ægypti.

*Sep.* Et non potuerunt venefici ſtare coram Moyſe, facta enim ſunt vlcera in veneficis.

*Cald.* Quia erat ſcabies in maleficis, & in omnibus Ægyptiis.

*Arias.* Quia fuit vlcus in genethliacis.

*Aly.* Quia facta ſunt apoſtemata in magis.

*Vulg.* Indurauitque Dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos ſicut locutus eſt Dominus ad Moyſen.

*Sep.* Sicut conſtituit Dominus.

*Cald.* Et ingrauauit Dominus cor Pharaonis. A *Vatablus.* Et roborauit Iehoua cor Pharaoh.

---

## CONCORDIA.

HÆc verba ובכל מצרים vbcol mizraim in omnibus Ægyptiis, non discrepant ab hac locutione in omni terra Ægypti, quia est continens pro contento.

---

## EXPOSITIO.

NEc poterant malefici stare coram Moyse, quamuis in signis præcedentibus magi aliquoties à Mose victi fuerint, præsertim in primo & tertio signo, quando earum virgæ fuerunt deuoratæ à virga Moysis, & incantamenta fuerunt inefficacia in producendis scyniphibus, hinc tamen constat eos inhæsisse Pharaoni ac cum eo indurasse corda sua, & consequenter Mosi factis- B que per eum miraculis detraxisse, itaut & afflictione hac & confusione dignissimos se præbuerint, vt in propriis corporibus, artis suæ vanitatem experirentur, & aliis profiterentur, *induratusque Dominus cor Pharaonis.* Hic primum Deus dicitur indurasse cor Pharaonis, quomodo autem induret corda hominum, vide à nobis dicta superius.

---

## CONCEPTVS.

### *Cognoscens Diuinam potentiam, & ei non se subiiciens, longe grauiores pœnas sustinet.*

39 NEc poterant malefici stare coram Moyse. Qua de causa? propter vlcera quæ in illis erant, cur idem non obseruatur de aliis Ægyptiis, qui etiam vlceribus percussi sunt? arbitror maleficos grauiori scabie & intolerabiliori vlcere af- C flictos, quam alios: sed cur præ aliis seuerius in eos animaduertitur? reuoca in memoriam cum scyniphes incantationibus suis producere non potuissent, diuinam potentiam agnouisse dicentes, digitus Dei est, & tamen ad meliorem mentem non se reuocasse, sed semper Pharaoni obstinato adhæsisse animo: quid mirum igitur si præ aliis grauiori vlcere percutiãtur? qui enim agnoscens diuinam potentiam, & ei non se subiiciens, longe grauiora sustinet supplicia. subscribit noster Lyran. (Noster Lyran.) *Patet quod ex præcedentibus signis, non destiterunt Moysi resistere, propter quod ista plaga fortius in eos desæuiit quam in alios.*

### *Impij in conspectu iustorum durius cruciantur.*

40 *Nec poterant malefici stare coram Moyse*, Cum omnium hominum fuerit mitissimus, omnibusque, quas acceperat iniurias, condonans, cur coram eo stare non potuerunt? propter vlcera, inquit textus, quæ in illis erant, quid? nonne alibi grauitatem eorum experientur? an ab eis immunes erunt, cum omnes Ægyptij iis percussi iaceãt? non equidem, sed in conspectu iusti Moysis grauius cruciantur: mens est Abul. (Abulens.) *Sentiebant malefici quod dum plus stabant coram facie Moysi, acrius cruciabantur, fugerunt ergo à conspectu eius.*

### *Qui consilio suo reges adiuuant vt iustos persequantur, non leues sustinebunt pœnas.*

41 *Nec poterant Malefici stare coram Moyse.* Propter vlcerum & scabiei acerbitatem: hinc patet quod quamuis diuinam potentiam experti fuere, eamque compulsi venerari in scyniphum productione, nihilominus semper adhæserunt Pharaoni, sed cur [illegible] adhæsere, cum incantationibus suis prodigia à Moyse facta non potuerint operari? vt ei peruerse consulerent, ne populum Israël dimitteret, sed sub tyrannide semper retineret; quid miraris igitur si acerbiora vlcera patiantur? qui enim consilio suo Reges adiuuant, vt iustos persequantur, non leues sed acerbissimas pœnas sustinebunt: consentit Episcopus Metonensis, (Auctor Catenæ.) *Iam nunc etiam & aruspices sortilegi incipiunt plagis affici pustularum, vt consistere coram suo rege non possint, sic pustulis propediem sese affligendos timeant, qui regibus assistentes consilio suo pios persequuntur ac perdunt.*

### *Quos victos possidet diabolus, eos contemnit.*

42 *Nec poterant malefici stare coram Moyse propter vlcera quæ in illis erant.* Nonne illi sunt incantatores, qui virgas suas præstigiis in serpentes, aquas in sanguinem mutarunt, qui incantationibus suis mirabilia operati sunt, & arte dæ- D monum deludebant Ægyptiorum mentes? quomodo nunc prostrati iacent vlceribus in toto corpore grauissimis cooperti, scabie purulenta percussi? cur dæmon sibi obsequentissimos seruos ab hac plaga durissima non seruat incolumes? quia quos victos & sibi obstrictos possidet, habet ludibrio & contemptui: testis est D. Cypri. Episc lib. 1. epist. ad Cornelium Papam. (D. Cyprian.) *Inimicus & hostis Ecclesiæ quos alienauit ab Ecclesia, & foras duxit vt captiuos & victos, contemnit & prætérit, eos vero pergit lacessere, in quibus Christus cernit habitare, neque enim quærit eos quos iã subegit aut gestit euertere, quos iam suos fecit.* Hic salutis hominũ aduersarius, similis latronũ est principi, suos in extremis periculis sicarios derelinquẽti, multa malis hominib' pollicetur, vt eos lucretur, lucratos autem subsannit, permittitque omnes istos deprauatæ mentis homines, miserabili

exitu vitam finire, vt probabile est de istis magis, quorum exitus execrabilis fuit, nec eos liberauit aut vlceribus liberare potuit.

*Tanta est aliquando peccatorum calamitas & miseria vt de remedio sibi congruo non consulant.*

43 *Non poterant malefici stare coram Moyse, propter vlcera quæ erant in eis & in omni terra Ægypti.* Continens pro contento, id est in omnibus Ægyptiis, à qua clade nec immunis fuit Pharao, sed cum præcedentibus plagis Moysen rex conuenisset, vt Deum pro his amouendis deprecaretur, cur similiter pro infami scabie qua percussus cum suis iacebat, sedanda, vel omnino curanda non exorauit? an ex verecundia, quia pluries Moysen fefellerat suis non stans promissis? an ex contemptu? forte ex vtroque, sed aliud addamus, nempe quod talis erat cruciatus, quo torquebatur Pharao, tum ex vlceribus quam ex vesicis turgentibus, vt omnem cogitatum de remedio sibi consulendo adimeret; sic enim pluries grauissimis peccatoribus accidit, qui lethali infirmitate correpti, remedij salutis animæ omnino sunt immemores, vnde Diu. August. serm. 3. de innocentibus ait. *Hac animaduersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei.* (D. August.)

*Licet diuina mysteria curiosius non sint scrutanda, tamen si fieri potest cum humilitate aperienda.*

44 *Nec poterant malefici stare coram Moyse, propter vlcera.* Licet Moyses videret eos iusto Dei iudicio percussos, & Pharaonem sicut & alios Ægyptios, ait textus indurauit Dominus cor Pharaonis, Domino respondet in Hebræo, Iehoua ita vt ipse fons essendi cor Pharaonis indurauerit: sed inutile non erit scrutari, cur in prima plaga, vbi aqua in sanguinem vertitur, scriptũ est quod induratum est cor Pharaonis, similiter & in secunda, cum ranæ ebulliunt, & in tertia cum cyniphes ingruunt, in quarta quoque cum cynomia educitur, & in quinta vbi manus Domini super pecora Ægyptiorum, idem etiam dicitur, in hac vero vbi sumpsit fauillam de fornace Moyses, & respersit, & facta sunt vlcera & vesicæ fermentes in hominibus, non dicitur quia induratum est cor Pharaonis? quod si credimus diuinas esse has literas, & à sancto inspiratas Spiritu, non existimo quod tam indigne de diuino Spiritu sentire debeamus, vt fortuito in tanto hoc opere facta sit ista varietas, vt nunc quidem dicatur Dominus indurasse cor Pharaonis, nunc autem non à Domino, sed quasi sponte induratum dicatur. Orig. ait confiteri se minus idoneum, & minus capacem qui valeat in huiusmodi varietatibus diuinæ sapientiæ secreta rimari: nonne rationem nostræ fidei reddere debemus; quomodo ergo eam sciscitanti satisfacies? ait. Paulum video, qui propter inhabitantem in se spiritum Dei, dicere confidẽter audebat, nobis autem reuelabit Dominus per spiritum suum, spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta Dei: hunc video tanquam intelligentem, quid differat induratum est cor Pharaonis & indurasse cor Pharaonis Dominum, alibi quidem dicit, an diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis, contemnis? ignorans quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit, secundum duritiem autem tuam, & cor impœnitens thesaurisas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei: per quod eum sine dubio qui sponte induratus est, culpat, alibi vero velut quæstionem super hoc quandam proponens, dicit ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat, dicis itaque mihi quid igitur conqueritur? voluntati enim eius quis resistit? addit etiam, ô homo tu quis es qui contra respondeas Deo: per quod de eo qui à Domino dicitur induratus, non tam quæstionis absolutione quam apostolica auctoritate respondit, credo non iudicans dignum pro incapacitate auditorum chartis & attramento huiusmodi absolutionum secreta committere, sicut & in alio loco de quibusdam verbis ipse dicit audisse se quædam quæ non licet hominibus loqui, vnde & in consequentibus, eum qui non tam studiorum merito quam sciendi cupiditate secretioribus quæstionibus curiosus se immergit, magnifici doctoris seueritate deterret, cum dicit, ô homo, tu quis es qui contra respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se finxit quid me fecisti sic? &c. vnde & nobis hæc obseruasse tantum & inspexisse sufficiat, atque ostendisse auditoribus quãta sunt in lege diuina profundis demersa mysteriis, pro quibus dicere in oratione debeamus, de profundis clamaui ad te Domine: sed licet diuina mysteria curiosius scrutari non liceat, nonne si fieri potest cum humilitate sunt aperienda? ita equidem: quid est ergo Deum indurasse cor Pharaonis? recte Cardin. Caiet. *Ad significandum quod diuina gratiæ substractione fiebat hæc induratio.* (Origen.) (Cardin. Caiet.)

## *VARIETAS LECT. Vers. 13. & 14.*

Vulg. Dixitque Dominus ad Moysen, mane consurge & sta coram Pharaone, & dices ad eum, hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, dimitte populum meum vt sacrificet mihi.

*Sept.* Vt seruiant mihi *sic Hebr. & Cald.*

*Arias*, Mane in diluculo.

*Vulg.* Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super populum tuum, vt scias quod non sit similis mei in omni terra.

*Sept.* Nunc autem in hoc tempore, mittam ego omnes impetus meos in cor tuum, & seruorum tuorum & populi tui, vt scias quia non est sicut ego alius in omni terra.

*Cald.* Vt scias quoniam non est similis mei dominator in vniuersa terra.

## CONCORDIA.

SÆpe diximus quod vbi translatio nostra legit A hoc verbum sacrificare, Hebr. habet עבד abad id est colere, seruire, operari iniunctum opus, quod etiam alicubi sacrificare est & mactare hostiam, quoniam dictio על & super, & in significat, reddi potest sicut vertit interpres.

## EXPOSITIO.

M*Ane consurge & sta coram Pharaone*, eo tempore quo peteret aquas ex more suo, *hæc dicit Dominus Hebræorum*, cuius vocem audire deberes, quia verus est Deus, *dimitte populum meum vt sacrificet mihi*, nempe in deserto, *quia hac vice*, idem est quod & nunc mittere incipiam, neque enim statim percussus Pharao, sed paulatim, *mittam omnes plagas meas super cor tuum*, sensus est nuc vsquete in pecoribus punitu, sed in sequentibus in te & in populum tuum B plagas dirigam, nec cessabo alterum post alterum supplicium inferre, donec tu & tota Ægyptus pereat: porro, *super cor tuum*, id est super te, quia cor principium vitæ dicitur, rursus *super cor tuum*, quia summo dolore ex hoc cor tuum afficietur, *vt scias*, experiaris, *quia non est similis*, ita potens qui te de manibus meis liberet, aut meæ quæat resistere voluntati.

## CONCEPTVS.

### *Captanda est opportunitas, vt facilius principes conueniamus.*

45 M*Ane consurge & sta coram Pharaone.* Quid? nonne in sua libertate situm erit, regem alloqui? cur ergo præcipit Deus, quod summo mane consurgens eum conueniat? aduerte principes propter negotiorum multitudinem, non semper idoneos nec dispositos, quemlibet excipere: merito ergo iubet Deus Moysi diluculo Pharaonem conuenire, quia captanda est opportunitas vt facilius principes conueniamus, C tunc autem Pharaoni licebat per otium quemlibet audire: mens est Abulens. Abulens. *Volebat Deus quod Deus prænuntiaret hanc plagam Pharaoni, & quia nunquam melius & apparatius eum inueniret, quam quando exiret ad aquas diluculo, & more suo, mandauit ei, mane consurge, vt staret coram Pharaone, eo tempore quo eum ad aquas iturum esse sciebat.*

### *Omnibus modis monet Deus antequam puniat, vt nulla subsit excusatio.*

46. *Mane consurge & sta coram Pharaone, & dices ad eum*, &c. Audientibus domesticis, non enim secreto eum conuenias, sed coram omnibus dices, ni populum meum liberum abire permiserit, me omnes plagas in eum immissurum, & in D populum suum. sed cur coram omnibus hæc supplicia predici voluit? nonnne satis erat Regem ea comperta habere, vt sibi consuleret? non equidem, sed coram omnibus nunciari ea voluit, vt ipsum regem monerent de sua salute & totius regni satagenda, vt nulla potuisset ei subesse excusatio, cum flagella experiretur, se non satis monitum vt ea caueret; subscribit Tostatus. Tostatus. *Sta publice coram Pharaone, vt omnes ex hoc admoneantur, prædicens ei pœnas futuras, quia vt pœna quam Deus infligebat Pharaoni, omnibus sæculis iusta videretur, volebat eum admonere omnibus modis, quibus aliquis homo admoneri potuisset, ideo volebat vt Moyses publice hoc clamaret, vt saltem Ægyptij commonerent regem, vt petitioni illi consentiret, sic enim factum fuit cum comminaretur Moyses sequentem plagam, quia nolente Pharaone exaudire petitionem Moysi, comminata pœna dixerunt serui ad eum. vsquequo patiemur hoc scandalum? dimitte homines vt sacrificent Deo suo.*

### *Subditi debent esse cor principum.*

*Mane consurge & stà coram Pharaone, & dices ad eum, hac vice mittam omnes plagas in cor tuum.* Card. Caiet. non dicit ad personam tuã, sed ad cor tuum, quoniam nunquam læsit personam Pharaonis, nisi quando demum submersit eum in mari rubro: quid igitur minatur super cor eius omnes plagas inflicturum? nonne vanæ sunt minæ, cum nulla eum læserit nisi vltima? responderi tamen potest, quod licet Pharao impius esset erga Deum, adhuc tamen in corde suo subditos gestabat; vnde plagæ quas Deus Ægyptiis immittebat omnes vnius cordi Pharaonis infligebantur, subditos enim tanquam cor suum reputabat. 47

### *Deus pœnas agrauat, cum non emendamur, & efficit vt eas sentiamus.*

*Mane consurge & sta coram Pharaone, & dices ad eum, hac vice mittam omnes plagas meas in cor tuum.* Quid? nonne vnicam sufficit immittere? cum licet omnes immissurus sis, cur minaris in cor eius immittendas? nec est dubium præcedentibus flagellis emendatum non fuisse Pharaonem, tum etiam certum est hac Phrasi, *immittam in cor tuum* intelligi, quod sensibiliter eas experiretur: quid mirum igitur si tot plagas minatur immissurum, & eas in cor eius? quia Deus pœnas agrauat, cum non emendamur, & efficit vt eas sensibiliter experiamur. *Solet Dominus*, inquit Oleast. *manum suam aggrauare & multiplicare punitiones his qui* Oleast. 48

*sæpius flagellati non resipiscunt, & qui prius prætendebat corrigere, iam nunc plagas suas ad cor dirigit vt perdat.*

*Deus & in punitione, qualis sit etiam agnoscitur.*

49 *Mane consurge & sta coram Pharaone*, & dices ad eum, me alterā post alteram plagā immissurum, & non ab inferendis cessaturum, *vt sciat quod non sit mei similis in omni terra*, cum in beneficiorū collatione, qualis sis agnoscaris, nō potes enim quin beneficia cōferas, cū sis liberalissimus. cur dicis quod Pharao experietur tibi similem nō esse in vniuersa terra, cum grauissime & omnibus plagis in eum animaduertes? potius enim cōtrarium inferre deberet: sed falleris, Deus enim & in punitionibus seuerissimis erga impios qualis sit etiam agnoscitur: fauet cit. Lusitanus, *Ostendit Dominus potentiam suam bonis, conferendo illis beneficia magna malis vero, magnis punitionibus.* Lusitanus.

*In corde signatur pluries quod nobis euenit.*

50 *Mane consurge & sta coram Pharaone, & dices ad eum mittam omnes plagas super cor tuum.* Cur non ait mittam super totnam ipsi prius infligenda erat quam cordi, si enim vel leuissime cor læderetur, vita deficeret, sicque insensibilis redderetur Pharao ad reliquas plagas sustinendas: recte prius in cor eius flagellis agendum annuntiat, quia in corde hominis est quædam præsignatio eorum quæ nobis euentura sunt, ita monet D. Leo. serm. 13. de passione, *Fit in cordibus quod gerendum est in corporibus*, Ea enim quæ in cordibus hominum præmonstrantur, pluries sequuntur in corpore, sequuntur sane tui cordis præsignationem, externi euentus. D. Leo.

*Prius & grauius peccans, prius & grauius punitur.*

51 *Mane consurge & sta coram Pharaone, & dices ad eum mittam omnes plagas super cor tuum, & super seruos tuos.* Cur non ait etiam super corda seruorum suorum? sed cum ita non enuntiauerit, cur prius non est minatus seruis Pharaonis plagas immissurum, quam ipsi Pharaonis cordi? qui in corde aliquid sustinet grauius vlceratur, quam qui solū in corpore: æquissimus ergo ordo vt in cor regis plagæ immittantur, & non in corda seruorum eius, & prius in eum quam in populū, quia prius & grauius delinquens, prius & grauius est puniendus. promo Episcop. Abulens. testimoniū. Abulens. Episcop. *Describitur hic grauitas culpæ, & cōuenienter ordo atrocitatis pœnæ, nam primo ponitur Rex, quia ipse magis peccabat quam cæteri, cum ipse mandaret hæc omnia fieri, & ideo ipse ponitur in primo gradu pœnæ, ita quod ipse durius quā cæteri puniretur: etiā dato quod æqualis secundum rem ei pœna cū cæteris tribueretur, tamen ipse magis quam cæteri ex hoc affligeretur, cum verissime illud quod magis ipse sentiebat quam cæteri: nam sicut in naturalibus eadē potentia & æquale agens in passa inæqualiter disposita agit inæqualiter, & ideo necesse est, ab eodē agēte magis rem vnā quā cætera pati, vt si calor igneus in tribus gradibus apponatur stuppæ, & apponatur ferro, non æqualiter agit, nā ferrū aut modicū incenditur, stuppa autē totaliter cōsumetur, sic enim hic in passionibus humanis, quia Reges sūt delicate nutriti, qualibet adueniens tribulatio magis eos quā cæteros pungit*, vnde Boëtius lib. 2. prosa 1. *fœlicissimi cuiuscunque delicatissimus sensus est. & nisi cuncta ad nutum succedant, omnis aduersitatis insolens, minimis quibusque prosternitur.* Boëtius.



*VARIETAS LECT. Vers. 13.*

*Vulg.* Nunc enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peste peribisque de terra.

*Sept.* Populum tuum morti tradam, & exteteris de terra.

*Cald.* Quoniam nunc prope est coram me, vt mittam plagam fortitudinis meę, & percutiam te, & populum tuum peste, consummaberisque de terra.

*Onk.* Deletus esset de terra.

*Pag.* Quia nunc misi manum meam, & percussi te, & populum tuum, & succisus es à terra.

*Vulg.* Idcirco autem posuite, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in vniuersa terra.

*Sept.* Et propter hoc conseruatus es, vt ostendam in te virtutem meam

*Cald.* Verumtamen propter hoc sustinui te, vt ostenderem tibi fortitudinem meam, & vt narrem potentiam nominis mei in vniuersa terra.

*Onk.* Propterea in vita conseruaui te, vt ostendam tibi virtutem meam.

*Pag.* Et propterea propter hoc stare feci; vt videre te faciam potentiam meam.

*Strab.* Propter hoc suscitaui te.

*Caiet.* Propterea faciam te videre robur meum.

*CONCORDIA.*

CAldæus explicat quid sit deum extendere manum suam, cum ait mittam plagam fortitudinis meæ, peribisque de terra, futurum passiuum est coniugationis piel à כחד chacad verbo, & excidens vel deleberis, alij vetterunt, & succisus es de terra, propter vau quod verbum futurum præcedit, & mutat illud in præteritum: vbi habemus idcirco posuite, Hebraice legitur ואולם בעבור זאת העמדתיך veulam bahabur zots hehemadticha, sed sciendum quod verbum עמד hamad stare, subsistere, sustentare, & statuere significat, vnde Hebraisantes vetterunt, propter hoc stare feci te; sensus autem aliarum lectionum non est alienus à Vulg. vt ostendam in te fortitudinem meam: verbum הראתך haratheha, vt ostenderem tibi: aliqui

vertere videre te faciam, & Pagni. & narretur, quoniam verbum ספר sapper est infinitiuum A piel, Cald. vertit, & vt narrent ∫i baudi homines.

EXPOSITIO.

NVnc extendens manum, Metaphorice, potentiam meam, *percutiam te & populum peste*, aliqui existimant hunc sensum esse, peste qua iumenta occidi, te & populum tuum interimere potui, vel pestem adhuc denuo inducere: vel pestis hic significat omne excidij genus, quo deinceps in Pharaonem immisit Deus, q. d. plagas plagis addam, donec excidaris à terra, dictio enim deber quam noster interpres reddidit pestem, alibi
Psalm. 77. mortem vertit, vt Psalm. 77. iumenta eorum in
Osee. 13. morte conclusit, Hebraice est deber & Oseæ 13. ero mors, Hebraice deber, tua, ô mors: primus sensus, qui quasi exprobrationem preteritę indulgentiæ non comminationem imminentis pœnæ continet, plus habere videtur concinnitatis, quam veritatis, verbis enim Hebraicis, Græcis, aut Latinis satis quadrare non potest, quæ apertam cōminationem habent futuri mali, non commemorationem præteriti, et si verbum quod per præteritum effertur in Hebræo, vt succisus es siue peristi de terra, ad diuini decreti certitudinem pertinet, quod immobile est, non secus ac quæ iam confecta sunt, posterior ergo sensus verus est & legitimus: *Peribisque de terra*, submersus aquis maris rubri, *idcirco autem posui te vt ostendam in te fortitudinem meam*, mitto quæ ab hereticis hic dicuntur, vt velint Deum peccati auctorem esse, & positiue mouere voluntatem ad peccata, cum Re-
Psalm. 5. gius vates dicat non est Deus volens iniquitatem.

Dupliciter ergo possunt hæc verba intelligi, primo sic, in hoc posui vel excitaui te, siue ad vitam siue ad regnum, vt etiam nedum præuisa mala voluntate tua voluerim in te declarare potentiam & fortitudinem meam; & discant omnes gentes, ne regem quidem licet potentissimum mihi posse resistere: secundo in hoc excitaui te ad regnum & vitam, vt cum viderem malitiam tuam in quā prolapsurus esses, si tibi ipsi permitterem, & possem ego tollere tibi vitam & regnum, si omnino vellem, possem quoque per gratiæ meæ abundantiam, ita te preuenire, vt licet viueres & Rex esses, tamen tam grauiter non peccares, nihilominus neque vitam abstuli, nec regnum, ne peccares, neque plenissima mea gratia præueni, sed euexi ad regnum, & peccata permittere decreui, quia noueram ea ad meliorem finem ordinare, B itaut verbum *excitaui*, nō importet excitationem Dei ad peccandum, sed excitationem ad regnum cum præscientia peccatorum, & ordinatione ad bonum finem.

Sic ergo breuiter explica, *excitaui te*, id est quasi à mortuis suscitaui, mori namque millies merueras, ego autem in vita seruaui, feci stare, vitam tuam protogaui, iusta meritaque distuli supplicia, per Moysem & Aaron te extimulaui, vt populum meum dimitteres, verbis, flagellis te excitaui, quasi dormientem ac sopitum, & quotidie magis ingrauescentem, quamuis scirem te nolle populum dimittere, vt ostendam in te potentiam meam, vt scilicet cum te diuturna patientia mea abutentem seuerissimo, inauditoque supplicio mulctauero, Deum tantæ virtutis vniuersus orbis agnoscens, tuo exemplo expauescat, C *& annuntietur nomen meum in vniuersa terra*, celebretur etiam ab omnibus scelestis, postquam tu omnium scelestissimus illud toties polluisti, *sciantque quod non est mei similis in terra*, pij quoque lętentur, cum viderint vindictam, atque omnes erudiantur cum huius tremendę meę iustitię fama ad omnes nationes magna velocitate peruenerit.

CONCEPTVS.

*Potentia Dei est longanimitas.*

52 NVnc extendens manum, *percutiam te & populum tuum peste*, Scio implicitum locum D explicatione indigere, etenim negotium facessit, Deum ilico Pharaoni, peste extinguendum esse, minitatum, cum siue ipse, siue populus non statim nec postea peste perierint: imo illa verba subsequentia, idcirco autem posui te vt ostendam in te fortitudinem meam, vel vt habet Pagni. potentiam, à priori oratione videntur dissentire, nam si Hebræa consulas, verbum עמד amad, vt vidimus in concordia, proprie significat siue statuere, vel stare, inde Pagni. transfert stare te feci; si ad Græca transeas, Septuag. legunt conseruatus es, ad quem etiam modum Caldæus habet conseruatus es, quæ omnia aduerbio illi *autem* subiecta, non tollendum statim de medio, sed peculiari ratione seruandum & sustinendum denotant: his occurres, si dixeris cum aliquibus, hunc esse sensum, potuissem quidem vel vno spiritu te extinguere, quin secundo ictu opus foret, sed de industria te seruare & sustinere volui, minutis ictibus paulatim feriens, vt egregium toti orbi fortitudinis specimen exhibeam, sed nonne (dices) ea foret maior fortitudinis demonstratio, vno statim regem spiritu regnumque delere? minime, quippe hæc statim ad prædam festina non aduolat, sed procrastinat & dissimulat. do tibi huius explicationis auctorem verum Oecumenium, Oecumenius in c. 9. qui hæc verba à Paulo ad Rom. cap. 9. al- Epistol ad lata, quamuis eadem sententia & sensu, pro for- Rom. *titudinem* legerit Apostolus *potentiam*, sic elucidat, *potentia Dei est longanimitas, adeoque maxima potentia eius, quis enim non obstupesceret si Deus sit longanimis? ait itaque in hoc regnare permisi te, vt demonstraretur quam sim longanimis*,

Rom. 9. Sed ipsemet Apostolus hæc manifeste firmat, dum postmodum præfata verba illustrans ait, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, audis quid sit egregia ac diuina fortitudine præditum? sustinere scilicet in multa patientia diros & infestissimos hostes.

*Deus contractam manum plus minusue secundum demerita extendit.*

53 *Nunc extendens manum percutiam te, & populum tuum peste.* Nonne cum sciniphum plagam imitari voluissent malefici, & non potuerunt, dixere digitus Dei est? sed quæ periphrasis hæc fuerit explicat Caldæ. à facie Dei plaga hæc est, & cur non manum sed digitum dixerunt? equidem quod leuiores minoresque plagæ illæ & castigationes essent, nã digito facere vel innuere leuiter aliquid facere significat, vt Matth. 23. de Pharisæis, digito nolunt ea mouere, vt id egregium principibus ac magistratibus hinc daret Dominus monitum, pœnas atque supplicia digitatim mensuranda esse, ne vel latum vnguem excedant, ac proinde si digito vno, crimen puniri potest, duobus non fore vtendum: nam si quando misso sanguine opus est, sistendum est, ne vltra quam necesse sit incidas. quod ex sententia in Regem Balthazarem, grauius, & ad mortem peccantem non vno solo sed pluribus digitis conscripta firmaueris, sic enim de iudicio Baltazar apud Danielem 5. in eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis, sed cur solum hic digitorum mentio? nunc manum non contractam sed extensam video? quia Deus pro scelerum grauitate, digitis ipsam manum integram addit: quã ad rem optime Ambros. scripsit in c. 5. Epist. ad Ephes. illa verba Psal. 4. irascimini & nolite peccare, explicans, *Hoc ergo* (inquit) *docet vt ipsa ira cum moderatione sit, neque nimium quis se prebeat iustum delinquenti, quia solent quidam sic peccare, vt tantis plagis affici videantur, quantas non possunt ferre & qui poterat forte corrigi tollitur de vita non sine peccato irascentis, vnde Salomon noli inquit iustus esse multum*, Eccles. 7. *quia est qui perit in sua iustitia, sed imitatores Dei esse debemus, qui temperatam habet iniustitiam, qui contractam manum plus minusue secundum demerita extendit.*

Matth. 23. — Daniel. 5. — D. Ambros. — Psal. 4. — Eccles. 7.

*Vita aliquando pœnarum fœnus.*

54 *Nunc extendens manum percutiam te peste, idcirco enim posui te vt ostendam in te fortitudinem meam.* Sed obserua Sep. legisse, propter hoc conseruatus es, Pagni. vero ex Hebræo stare te feci, hoc est vt Vatablus explicat, nõ illico te exterminaui, cum morti iam esses addictus, vt sensus sit dilatum Pharaoni viuendi spatium, mortemque ipsi ad fœnus datam, vt cum vsuris ab eo subinde exigeretur, nec alium, quidem quam Paulum huius cogitationis auctorem habemus sic legentem & explicantem hæc verba ad Rom 9. dicit scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitaui te, siue vt alij codices, apud Ambros. habent, suscitauite, plane quasi is qui mortalitatem explere iam debuisset, vitæ redditus sit, sed mors nonne maximum lucrum est, quod peccata præcidat, & à peccandi periculo remoueat? vnde optime Nyssen. oratione in funere Pulcheriæ neque aliud quidquam est in hominibus mors, nisi vitiositatis expiatio, quandoquidem enim natura nostra, à Deo summum rerum velut vas quoddam bonorum capax, ab initio condita est, sed ab initio animarum nostrarum per fraudem nobis vitio affuso, bonum locum non habuit, idcirco ne vitiositas nobis inhærens perpetuo duraret, prouidentiæ meliori morte vas ad tempus dissoluitur, & Diu. Ambros. lib. 2. de Abel & Cain cap. 10. loquens de impiis, quibus vita cito adimitur ait, & nocentes moriuntur, qui gradum à peccatis reuocare noluerint, vel multi tamen finem non naturæ sed culpæ adipiscuntur, ne plura delinquant. Cur ergo impio Pharaoni vita non adimitur? cur peste misere non perit, sicut minatur ei Deus? sane vita ei prolongatur, vt vita deinceps foret illi pœnarum & suppliciorum fœnus, ita Ambros. in cit. Epist. ad Roma. *Suscitatus autem dictus est, quia cum apud Deum mortuus esset, modicum tempus accepit, vt viuere videretur vt esset in cuius pœna & vario tormentorum genere vsque ad mortem omnes qui sine Deo erant, metu territi, hunc solum Deum esse cum admiratione maxima faterentur, à quo hæc fiunt vindictæ.*

D. Gregor. Nyssen. — D. Ambros.

*Deus non sine præuisione demeritorum impios reprobat.*

*Nunc extendens manum percutiam te peste, idcirco enim posui te vt ostendam in te fortitudinem meam.* Sane ad hoc respiciens Paulus Rom. 9. ait sustinuit in multa patientia vasa iræ ad interitum, nam D. Chrysost. sic ait, vas iræ Dei erat Pharao, hoc est homo Dei iram accendens, per suam duritiem, Dei enim lenitatem nactus ingentem, melior nequaquam euadebat sed incorrectus manebat: sed si Deus sustinuit in multa patientia vasa iræ, vt Pharaonem, in interitum, vel vt ostenderet fortitudinem suam, vel vt habet Paulus, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ: adstruere possumus Deum ante vlla peccata siue scientia visionis, siue conditionata præscita, ad solam iustitiæ suæ ostensionem æternis pœnis reprobos destinasse, nam ait Deum in multa patientia sustinuisse in multa patientia vasa iræ ad interitum, quæ præscita sunt non ex operibus malis, sed vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, vel vt ostenderet fortitudinem suã siue potentiam. sed sane non solum gratis ea hæc opinio eruitur, sed ea se tutatur muro qui supra eam recidat, oppositum enim potius affirmat Paulus nimirum ex multa lenitate & patientia Dei ipsamet vasa iræ ex se tam apta ad mortem, quippe quæ illam manibus ac verbis sæpius attraxerunt, Sap. 1. à Deo esse amplius tolerata & sustentata, vt tandem iustitiæ suæ veritatem vimque ac potestatem suam plenius declararet: fauet cit. Chrysost. *Itaque illum*, scilicet Pharaonem, *non solum ira vas vocauit, sed ad perditionem præparatum, hoc est apparatura à se quidem & suopte ingenio*, similiter Theoph. & Oecumenius, sic enim prior *factus est ira Dei capax apparatus ad interitum, id est à se ipso proprioque ingenio aptatum*, Oecum. vero, *quod ergo ille non perdat illa vasa omnino manifestum est, seipsa enim ad interitum aptauerunt, perdidit tamen illa post quam se ipsa præparauerunt, postquam ad extremum malitiæ percurrerunt*, quem sane ad modum, videas dixisse Ezech. c. 9. appropinquauerunt visitationes ver- 55

Rom. 9. — D. Chrys. — Ezech. 9.

Galfridus. bis, & vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua, quæ venerabilis Galfrid. in alleg. sub hoc sensu sic capit, licet Angeli fuerint, qui Prophetæ apparuerunt, ipsa tamen verba videntur hoc innuere, quod homines ipsi singuli quique se interimunt, iuxta illud, tu tua perditio, sed salus in me est.

*Deus quasi relactans à peccatoribus pœnas exigit.*

56 *Nunc extendens manum percutiam te peste. Idcirco enim posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam.* Siue vt habet Paulus, sustinuit in multa patientia vasa iræ, nempe Pharaonem & alios impios in interitum apta, & ostenderet vasa gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, nempe in Moysen & Aaron & alios, sed cur vtrosque nēpe tā electos quam reprobos vasa nominat illos misericordiæ, hos vero iræ? quod videlicet alia misericordia alia ira sint plena, Deo nimirum misericordiam vel iram in ea tanquam in vasa subiecta infundente: an eodem modo in vtrisque se habet, cum vtrique vasa nominentur? non equidem, sed aliter atque aliter, nam misericordiam in vasa electa vt in Moysem lætus & gaudens infundit, præsertim cum ipse & bona opera præparet, vt in ipsis ambulemus Ephes. 2. & excitantis, ac præuenientis, nec non cooperantis gratiæ auxilia, donumque demum perseuerantiæ quo tandem illa vasa misericordiæ plena reddantur, electis suis tribuat, sed etiam ea misericordiæ munera quasi ex propria substantia atque natura in ea vasa transfundit: cum misericordia non alia quam olei, metaphora frequentius in scripturis adumbretur, eaque sit Christi natura, vt oleum effusum in vasa scilicet misericordiæ prædicetur. ab hoc vero quam longe abest iræ in vasa contumeliæ instillatio, ipsam enim reprobi sibi attrahunt & eliciunt, dum alia atque alia peccata, quasi vindemiæ botros in torculari coniectos, Dei pedibus (qui iustitiam diuinam arcano sermone adumbrant) subiicere, ex quibus ira diuina non scaturiat, ac dimanet, sed expressa ac veluti coacta diffluat, non cessant; rem acute notante Olympiod. in Catena Græca, illud Thre. 1. 15. torcular calcauit Dominus Virgini filiæ Sion, in hunc modum: *Omnia peccata Deus simul colligit, quibus calcatis fecit vinum de quo Psalm. 74. calix in manu Domini vini meri, id est iræ, examinata namque peccata, & quodammodo expressa diuinam distillant iram, qua potantur peccatores.* Vbi vides quam alienum à Deo fuerit iram hisce vasis præparare, quippe qui vt à se effundendi oleum, hoc est, benefaciendi causam sumat, ita aliquam nocendi artem non norit, sed eo inuito, & reluctante ex botris peccatorum, tanquam ex materia præsupposita, & à reprobis congesta supplicium exprimatur: ideo notanter dixit Olympiod. iram diuinam non à Deo, sed ab ipsismet peccatis distillari: *Examinata peccata, & quodammodo expressa diuinam distillant iram.*

Ephes. 2.

Olympiod.

*Ex impiorum crudelitate triumphus iustorum fit illustrior.*

57 *Nunc extendens manum percutiam te peste, idcirco enim posui te vt ostendam in te fortitudinem.* Paulus etiam hanc auctoritatem in medium adduxit Rom. 9. & infert sustinuit in multa patiētia

Rom. 9.

A vasa iræ, apta in interitum, vt ostenderet vasa gloriæ suæ in vasa misericordiæ: quonam modo Dei patientia erga malos ad electorum gloriam pertinet? num quia Deus malos tolerat, quam sit electorum amans ostendit? differt enim ab improbis debitas sępius pœnas exposcere, ne dum iusti peccatoribus sunt permixti, aliquid propter ipsos detrimenti patiantur: vel ideo Deum malos sustinere dixeris, vt iustis quam misericors ipse sit melius innotescat; proprium namque iustorum est bene perpendere patientiam & misericordiam Dei, aut eam forsan rationem afferes quod ex malis bonos filios atque nepotes videat Deus orituros, in quos ipse suæ bonitatis diuitias effundet, vt perfectissimam vitæ rationem teneant: vel tandem ea de causa, improbos à Deo sustineri

B credideris, quod istos ad pœnitentiam expectet, velitque in eos qui se ad bonam frugem receperint, benignitatis suæ opes profundere: bene quidem hæc omnia dicuntur, sed alia multa huius patientiæ diuinæ propter electorum gloriam, potissima & Pauli contextui congruentior se offert ratio, quod sicut ex duritia ac sæuitia Pharaonis, de qua Paulo sermo inciderat, effectum est, vt Israëliticus populus, ex Ægypto gloriosior euaderet, sic tyranni & persecutores Ecclesiæ, cum in ipsam ferociter sæuientes, per patientiam à Deo sustinentur, illustrissimas victoriæ palmas atque coronas electis contexunt, & imponunt. *Nam malus*, teste August. in Psalm. 63. *aut ideo viuit vt corrigatur, aut vt bonus per eum exerceatur*, sic dicebat Ambros. lib. 1 in Luc. *Tolle martyrum certa-* D. August. D. Ambros.

C *mina, tulisti coronas, tolle cruciatus, tulisti beatitudinem, nonne tentatio Ioseph virtutis est consecutio? nonne iniuria carceris, corona est castitatis?*

*Misericordia Dei in homines gloria eius est.*

*Nunc extendens manum percutiam te peste, idcirco enim posui te vt ostendam in te fortitudinem meam*, Et Paulus, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, cur non dixit Paulus diuitias clementiæ aut misericordiæ? cur ait gloriæ suæ, cum de clementia aut misericordia sermonem faceret, vel ex ipsa Syriaci translatione constat, quæ reponit & effudit miserationes suas in vasa misericordiæ? quia summa Dei gloria est misericordem atque beneficum se exhibere erga homines: sic obseruat Theoph. *Non dixit autem clementiæ sed gloriæ suæ, nam summa Dei gloria est misericordiam impertiri*, similiter Chrysost. hom. 16. ad id loci. *nec dixit benignitatem, sed gloriam, ostendens videlicet quod hoc ipsum maxima gloria Dei est*, quodque ea curæ & studio illi imprimis est, ad quem sane modum id ad Ephes. ca. 1. in laudem gloriæ gratiæ sic premit, inibi vterque, tale placitum dicit Deum habuisse, vt ad laudem claritatis eius proficeret, gratia data hominibus, vt salus nostra Dei gloria sit. 58

D Theophil.

Ephes. 1.

*Non exigua est Dei gloria in puniendis peccatoribus.*

*Nunc extendens manum percutiam te peste, idcirco enim posui te vt ostendam in te fortitudinem, & narretur nomen meum in omni terra.* An fama nominis tui celebrabitur in interitu Pharaonis, qui si tibi comparetur, vilissimus homuncio est? fortitudo ne tua encomiis extolletur, quod mortis hominem possis tradere, eumque possis consu- 59

mere? aduerte quid dicat Tertul. lib. de patientia. A
Tertulia. diuina dispositio delegat Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum, sustinens ingratissimas nationes, ludibria artium opera manuum suarum adorantes, nomen, familiam ipsius persequentes, luxuriam, auaritiam quoque insolescentem, vt sua sibi patientia detrahat, plures enim Dominum idcirco non credunt, quia sæculo iratum tandiu nesciunt. En ergo vt Deus qui ignorabatur, quia ex multa patientia sceleratos non puniebat, nomen eius celebrabitur, & gloria famæ suæ augebitur, quia puniat impios & peccatores; ait Cyrill. Alexand. in ca. 2. Ioëlis. *Non temere ac fortuito mala accidunt, sed à Deo potissimum infliguntur, læso videlicet & iuste pœnas reposcente, magna igitur & illustris dies propter famam vagantem de malis in homines inuehendis.*

*Recordatio Dei vltoris impios coercet ne in tot labantur crimina.*

60 *Nunc extendens manum percutiā te peste, idcirco enim posui te vt ostendam in te fortitudinem meā, & narretur nomen meum in omni terra.* Quod impletum esse patet ex
Iosue 2. Iosue 2. vbi Rahab ad exploratores, irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ, &
1. Reg. 4. 1. Reg. 4. Philistiim dixere: quis nos saluabit de manu deorum sublimium? hi sunt dij qui percusserunt Ægyptū omni plaga in deserto: vndenam tantus timor omnibus nationibus incutitur? sane in recordatione Dei vltoris, qui iam antea denuntiauerat per Moysen puniendum Pharaonem vt tali recordatione impij coercerentur, ne in tot laberentur crimina: vide
Theodor. Theodoret. quæst. 12. in Exod. *Pharaonem Deus crudelissimo & ferino animo vsum omnigenis supplicijs subegit, plane docēs omnes homines quod ipse creaturam regat, qui iuste tueatur iniuriam passos & nocentes in iudicio puniat:* &
D. Ambros. in Epist. ad Rom. Ambros. *suscitatus est in cuius pœnam omnes qui sine Deo erant metu territi, hunc solum Deum esse, cum admiratione maxima faterentur, à quo hæc vindicta sunt.*

*Deus non vult malum fieri, sed malum fieri Regem permittit.*

61 *Nunc extendens manum percutiam te peste, idcirco posui te vt ostendam in te fortitudinem meam.* Cald. *propterea sustinui te* Onk: *propterea conseruaui te.* Quid? an in vita hominem incolumem D conseruas, vt in varia labatur crimina, vt in malitia persistat? sensus verborum non est hic, sed vt
Rupertus Abbas. recte aduertit Rupert. lib. 1. de vict. verbi ca. 24. à Deo non fieri vt quis sit malus, sed aliquando fieri, vt qui malus est, fiat Rex. *Hoc audiens* (inquit) *fidelis animus* scilicet malum Regem à Deo propositum *non suspicetur, quod eundem Pharaonem malum esse voluerit, vel malum esse fecerit Deus, sed ita intelligit, ac si diceret Regem feci, vel esse volui te, longe enim aliud est fecisse hominem malum, & aliud hominem qui malus est, excitasse, vel sublimasse in regnum, quod malus est homo, à semetipso fit; quod autem cum sit malus in Regnum ascendit, Dei fit ordinatione, aliquando propter probationem, vt manifesti fiant electi.*

*Dei patientia homines lucratur.*

*Nunc extendens manum percutiam te peste, idcirco enim posui te vt ostendam in te fortitudinem meam.* A quo non alienus est Paulus cum ait, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, sed quis illius in dissimulando finis? vna hominum pœnitentia, dissimulas inquit peccata hominum propter pœnitentiam Sap. 11. non vnius aut aliquorum tantum, sed omnium, patienter agit propter nos, nolens aliquos ex nobis perire, 2. Petri 3. sed quis fructus ex hac dissimulatione? cumulatissimus plane, multorum scilicet peccatorum conuersio, qui multum diuque à Deo auersi, quique ab illius castris deficientes, & ad principem tenebrarum transeuntes, sub eius signis militabant, plures enim huiusmodi qui vel B perfidia obcecante, vel ira excandescente, vel auaritia fluminante, vel denique æstuante luxuria, à Dei militia & gratia exciderunt, iidem Dei patientia & sustinentia inuitante, ad eandem postea meliores & fidentiores, quam antea fuerant, redierunt: hinc Ptolomæus Rex Septuag. duos interpretes à se vocatos ad sacras litteras ex Hebræo in sacrum idioma traducendas, & interpretandas, regali conuiuio excipiens, hanc vnam quæstionem ad finem illis proposuit, dissoluendam, quonam pacto regnum incolume in finem vsque conseruandum? cui qui primo loco discubuerat in hunc modum respondisse testatur Aristeas in hist. 70. interpretū. *Hoc maxime* (inquit) *regnum optime dispones, si Dei mansuetudinem in rebus omnibus imitatus; patientia ac longanimitate vteris, extollesque dignos, elatos autem affabilitate ex malo in pœnitudinem traduces.* 62 Sapient. 11. 2. Petr. 3. Aristeas.

C

*Tantæ maiestatis est sacra scriptura, vt inter eam & Deum nullum videatur discrimen.*

*Nunc extendens manum percutiam te peste, idcirco enim posui te vt ostendam in te fortitudinem meam.* Quis ita loquitur? sane Deus, ait enim Moyses, hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, nihilominus Paulus hunc locum in medium adducens ait, dicit scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostēdam in te virtutem meā, dubium oritur, nam Moses non scripturæ sed Deo tribuit hæc verba, cur ergo Paulus scripturam hæc dixisse refert? an quia nihil refert, scriptura ne an Deus dixerit? ita nempe inter ea quæ à Deo & à sacra scriptura dicuntur, nihil discriminis est, cum Deus ipse sit qui in sacris scripturis loquitur. 63

*Deus fortitudinem suam declarat, cum ex malis bona eliciat.*

*Nunc extendens manum percutiam te peste, idcirco enim posui te vt ostendam in te fortitudinem meam.* Quid? indigetne Deus hominum malitia, ad suæ fortitudinis declarationem? quis hoc asseret, cum via multiplici eam manifestam facere possit? cur ergo hanc reddit rationem vt suam fortitudinem ostendat, idcirco eum posuisse, vel cōseruasse incolumem? sic recte satisfacit noster Lyranus: *Pro tanto hoc dicitur non quod Deus indigeat malitia hominum ad declarationem suæ fortitudinis, sed quia Deus est adeo potens ac bonus,* 64 Noster Lyranus.

*quod ex malis hominum scit & potest bona elicere, & ideo talia permittit, vt inde bona eliciat, & sic ex malitia Pharaonis, elicuit declarationem suæ iustitiæ & virtutis.*

*Tanta est Dei bonitas, vt dignos morte, adhuc seruet incolumes.*

65 *Nunc extendens manum percutiam te peste, idcirco enim posui te vt ostendam in te fortitudinem meam*, alij *propter hoc seruaui te*, Ambros. *suscitaui te*, Quid? an mortuus? ait Ambr. apud Deum mortuus erat, quis dubitat? cum morte animæ scilicet peccato periisset? cur igitur denuo eum suscitat, vel vt habet Onk. in vita seruat eum? nonne omnino vita erat indignus? ita equidem, sed tanta est Dei bonitas, vt dignos morte adhuc seruet incolumes, sensus est D. Thomæ in Epist. ad Rom. lect. 3. *Cum apud me pro tuis meritis mortuus esses, concessi tibi vitam quasi te excitarem, ex quo apparet quod Deus iniquitatem reprobis non facit, cum ipsi ex suis meritis essent digni statim consumi, sed hoc ipsum quod eos seruat in vita, procedit ex nimia sui bonitate.*

Ambros. — Thomas Anglicus.

*Tanta est malorum impietas vt in plurimum bona quæ conferuntur eis à Deo, sint in maius malum eorum.*

66 *Nunc extendens manum percutiam te peste.* Ad quid ipsi mortem & excidium minaris? cur onus terræ grauissimum, nempe hominem omnino impium in infernum non detrudis? imo ait Deus, idcirco posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, Onk. seruaui te in vita, vitam ei adime, cur prorogas? vt multis eum flagellis propter mentē obstinatissimam afficiā, en quod tanta est malorum impietas, vt in plurimum bona quæ eis à Deo conferuntur, vt vitæ prolōgatio &c. sint in maius eorum detrimentum, & ruinam: subscribit Oleast. *Omnia bona quæ Deus malis confert vt plurimum, sunt ad maius malum eorum, neque flagellat à principio grauibus, vt seruet eos ad grauiora.*

Oleaster.

*Plura potest Deus quam faciat.*

67 *Nunc extendens manum percutiam te peste*, Certissimum est Pharaonem cum suis non fuisse peste, sed aquis punitum. quomodo ergo Deus his verbis proponit comminationes? sane Deus hac comminatione voluit Pharaoni ostendere sibi non defuisse potentiam delendi ipsum, cum omnibus Ægyptiis, illa vel grauiori peste qua illorum pecora peremerat, sed eum reseruasse maioribus & pluribus pœnis subeundis, quibus vniuerso orbi virtus diuina compertissima foret, & vt omnes agnoscerent multa & varia Dei iudicia. non solum in Pharaonem missa, sed in omnes huic contumacissimo principi similes immittenda: plura enim Deus potest quam velit facere, vt doctissime obseruauit Tertul. lib. aduersus Praxeam hæreticum, *Si tam abruptè in præsumptionibus hac sententia vtamur, quidnis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuit, non autem quia omnia potest facere, ideoque credendum est illum fecisse, etiam quod non fecerit.*

Tertulian.

*Deus non est causa peccati.*

68 *Nunc extendens manum percutiam te peste, idcirco enim posui te vt ostendam in te fortitudinem meam*, Quid? an sensus verborum est Deum contumaciam Pharaonis contulisse & peccatis eius, vt deinde fortitudinem suam ostenderet? nequaquam vt diximus, ita intelligimus, Deus enim nec auctor, nec causa peccati, nec ad eorum formale positiue concurrit. nam sicut vere, ita erudite D. August. in lib. quo respondet ad articulos falso impositos in responsione ad 14. articul. *Fieri* inquit *non potest vt per quem à peccatis surgitur per eum in peccata decidatur, si in sanctitate viuitur, si in virtute proficitur, si in bonis studiis permanetur, manifestum est munus Dei: si autem ab his receditur, & ad peccata transitur nihil ibi Deus malæ tentationis immittit. & recessurum ipse non deserit antequam ille deserat*, & Diu. Gregor. lib. 29. moral. cap. 21. *Dominus* (inquit) *auctor est naturæ, non culpæ.*

D. August. — D. Gregor. Pap.

*Ne præcipites in iram ruant principes.*

69 *Nunc extendens manum percutiam te peste, idcirco enim posui te vt ostendam in te fortitudinem meam.* Onk. *propterea in vita conseruaui te.* Nonne benigni principis est vitare omnia mala quæ potest? Deus per quem Reges regnant & imperant, cum sciret Pharaonem sua patientia seraque vindicta, vita illi concessa, ad deteriora profecturum, diuinæque maiestati pertinacius reluctaturum, quo principibus exemplo esset: videtur quod illum celerrimo pede aggredi debuerit, deprehensus enim in scelere & luens delicti pœnas, resipuisset: sed hæc imbecilla ratio, duo quippe sunt modi, quibus Deus peccantes ad pœnitentiam inuitat, flagellum & patientia, illud efficacius est, verum & hoc natura sua optimum, num vides quandoque peritos chirurgos vulneri cicatricem tardius obducere, quo magis educta sanie per vulneris hiatum, sanitas succedat perpetua? ad hunc itaque modum diuina sapientia atque benignitas, non statim aliquos ab errore reuocat, vt peccatis tandem saturi, & fatigati, per ardua obliquaque vitiorum itinera, ad virtutis viā reuocentur, hinc Petrus 2. 3. patienter agit Deus propter nos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti, vnde & plurimi qui ab ineunte ætate vsque ad senectam in omni scelere perdurarunt, dilatione ad pœnitentiam adducuntur, verum si ipse Pharao vertibili voluntate conditus, sua sponte ad malum deflexit, maluitque suo malo animo obsequi, quam Dei iussis obtemperare, & neglecta Dei longanimitate, qua ad conuersionem inuitabatur, abususque misericordia in malitia obstinatus redditus est, quid Deum accusamus? non dicas Pharaoni defuit illi misericordia magna, nego illationem, patientia Dei valere ei debuit ad salutem, & vim flagelli supplere miraculorum magnitudo, poterat enim sicut flagellis cedens, expulit populum, ita miraculis credens, Deum tantæ virtutis agnoscere, sed contra misericordissimam veritatem vt Augustini verbo vtamur, pertinacissimo pugnauit liberæ voluntatis arbitrio, & obiectioni positæ: sic erudite satisfacit noster Cornelius Mussus Bituntinus Episcop in cap. 9. Epist. Rom. *Dandum fuit exemplum principibus, vt scelestis & audacibus è vestigio obuiam irent, atque eorum errata corriperent, ad læsos consolandos, non leue est, sed & illud, docendi à seipsis feritatem, vltionisque impetum*

Noster Bituntinus Episcop.

*auferrent, discerentque non ira accensi, non cum furore exaestuat, rationemque altius saltando exuperat, quasi famem aut sitim satiare conantes, improbos vlcisci, sed illius imitati remorationem, mansuete, mature, hora consultrice deliberare, quonam modo sint puniendi, ne effrenum iracundiae impetum sera inutilisque poenitentia sequatur, hoc ergo docuit Deus tandiu supplicium differens.*

*Etiam scelesti tenentur volentes nolentes nomen Dei celebrare.*

70 *Mane extendens manum, percutiam te peste, idcirco enim posui te vt ostendam in te forti-* A *tudinem meam, & narretur nomen meum in vniuersa terra.* A quibus annuntiabitur? an à iustis? quis hoc in dubium reuocare poterit, cū certo certius sit continuè iustos in laudes Dei prorumpere? nihil ergo noui hic dicitur quod annuntiabitur à iustis nomen Dei in terra, cum vindictam quam exiget à Pharaone viderint: nihil equidem noui diceret, non enim est illius mens, sed quod etiam scelesti velint nolint, iustam Dei vindictam sentientes, nomen eius sint celebraturi: fauet noster cita. Bituntinus Episcopus. *Celebrabitur ab omnibus scelestis, postquam tu omnium scelestissimus illud toties polluisti, sciantque quod non est mei similis in terra.* Cornelius Mussus.



## VARIETAS LECT. Vers. 17. & 18.

VVlg. Adhuc retines populum meum, & non vis dimittere populum meum?
*Sept.* Adhuc insultas populo meo, vt non dimittas eum?
*Cald.* Adhuc tu subiectum retines populum meum?
*Onk.* Adhuc subiugo retines populum meum?
*Pagn.* Adhuc tu te eleuas in populum meum?
*Vatab.* Adhuc calcatorem populi mei te facis?
*Caiet.* Adhuc tu calcas in populo meo?
*Alij.* Tu te aggerem opponis populo meo?

B *Vulg.* Et pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, à die qua fundata est vsque ad praesens tempus.
*Sept.* Ecce ego pluo hac hora crastina, grandinem multam valde, quae talis non fuit in Ægypto, à quo die condita est vsque in diem hunc.
*Cald.* Ecce ego descendere faciam hac ipsa hora grandinem fortem nimis.
*Pagn.* Ecce ego pluo in tempore crastino, grandinem grandem, grandem valde.

## CONCORDIA.

VErbum סלל salal est exaltare, eleuare proprie viam, vt per eam facilius transeatur, quod nos munire vel sternere viam dicimus, quod fit aggesta terra, vel lapidibus, aut pauimento aggesto, quod non dissentit à lectione nostri Vulg. C qui vertit adhuc retines, nempe violenter, quasi aggere posito, vt impedias eius discessum: qui autem eleuat se super aliquem & se extollit, quasi calcare eum videtur, & ideo quidam verterunt tu calcas, vel calcatorem te facis.

## EXPOSITIO.

ADhuc retines populum meum, tam inique fixeque illi inhaeres, illumque arctas, vt ne ad triduum laxare velis. *& pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis,* tempus praefixit, vt non à casu factum putet, & certitudinem diuinae virtutis ostentet, cui resistere nemo possit: fuit autem hoc mirabile, quod non tantum in partibus maritimis montibus, imbres essent & grandines solito vehementiores & maiores, sed etiam in tota Ægypto, & in altioribus Ægypti partibus, vbi alioquin haec esse non solent. dicitur autem Deus pluisse grandinem, non quod aqua soluta grandini fuerit mixta, quomodo dicitur lapides, ignem, sulphur, pluere, sed quod grando ipsa esset pro guttis, itaque hac plaga, aër in Ægyptios saeuiit per tonitrua, aqua per grandinem, ignis, per fulmen, terra autē laesa est, *à die qua fundata est,* intelligi posset ab initio orbis, quia tamen tunc, non tam Ægyptus quam totus orbis fundatus, malo hic accipere tempus, quo post linguarum confusionem, gentium dispersionem D Ægyptum colere coeperunt Chus & Mesraim, à quo etiam Ægyptus Misraim nominata: ait autem hoc Moyses, quia post haec tempora constat maiorem grandinem cecidisse, vt Iosue 10. cum Amorrhaei oppressi sunt lapidibus grandinis. Iosue 10.

## CONCEPTVS.

*Non solum improbus non conuertitur, sed Deo insultat ad poenitentiam prouocanti.*

71 *Adhuc retines populum meum, & non vis dimittere populum meum?* Pagn. *tu te eleuas.* Vatab. *adhuc calcatorem populi mei te facis?* sed Sept. *adhuc insultas populo meo?* Quid? nonne eximiis donatus est à Deo beneficiis? nonne à poena letnali, quam iuste merebatur seruatus? solum enim sensit comminationem, quomodo ergo non contentus populum non dimittere cum id pluries promiserit, sed etiam insultat & illudit? quia im-

probus non solum non conuertitur, sed Deo insultat ad pœnitentiam prouocanti.

*Certitudo diuinæ prouidentiæ declaratur.*

71 *Adhuc retines populum meum? sed pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis.* Nonne satis est te grandinem venturos secundum tempus in mente tua constitutum? cur non solum diem præfixum declaras, sed horam futuræ grandinis præfigis? vt nobis quanta sit diuinæ prouidentiæ certitudo innotescat: *Determinat tempus & horam* (inquit noster Lyran.) *ad ostendendam suæ prouidentiæ certitudinem, & suæ virtutis magnitudinem, quæ nec in modico potest impediri.* Lyranus.

*Comminationes diuinæ non inutilem effectum erga aliquos impios sortiuntur.*

72 *Adhuc retines populum meum? sed pluam cras hac ipsa hora,* Vbique Deus se clementissimũ erga ipsum Pharaonem & alios Ægyptios declarat, prius enim comminatur quam feriat, imò horam constitutam futuræ grandini exprimit, vt eos ad meliorem frugem redigeret, certitudinem diuinæ prouidentiæ & virtutis suæ magnitudinem declarans. an inutilis omnino huiusmodi diuina comminatio? audiamus quid referat Moyses, qui timuit verbum Domini, fecit confugere seruos suos, & iumenta in domos: en vt non inutilem effectum erga aliquos impios sortitur, cum hi saltem formidine pœnæ, fidem Moysi adhiberent: hoc notat Procop. *Memoratu dignum est quod Moses & plagam & tempus semper præmonstrat, nec non plagæ finem. sed quare hoc memoratur ne quis arbitretur casu id fieri, nec ab irato Deo illas clades intentari, & quia dicturus erat qui venerabatur verbum Domini, ex ministris Pharaonis, colligit iumenta sua, decenter præmonuit cladem venturam nam multi ex Ægyptiis alium induerant animorum habitum, cognoueruntque Deum & fecomiter dederunt Hebræis abeuntibus.* Procopius. C

*Non quodlibet mirabile operatur Deus, vt mentes hominum ad melius reuocet, sed quod negari non potest.*

73 *Adhuc retines populum meum? sed pluam cras ipsa hora grandinem multam nimis.* Cur hac plaga cœlesti, potius quam alia se percussurum Ægyptum minatur? nam grando non est in pluribus regionibus insolita, quid ergo mirabile operabitur, cum hac plaga percusserit Ægyptios? sane maximum, & quod negari non poterit nam vt optime D

A Abulensis *Hoc magis mirabile erat in Ægypto, quam in quibusdam aliis terris. maxime in illis quæ sunt à principio quarti climatis, versus septimum, nam in Ægypto cum sit terra multum australis, rarissime pluit, & vix aut nunquam ningit vel venit grando. & difficilius est adhuc venire grandinem quam ningere, quia grando ex maiori atque intenso frigore causatur. fit autem hoc propter caliditatem regionis quia Ægyptus partim in tertio partim in 2. est climate.* Abulens.

*Cum ira Dei desæuit, etiam facillima effugia non cernuntur nisi Deo monstrante.*

*Adhuc retines populum meum? sed cras pluam hac ipsa hora grandinem multam nimis.* Sed non 74
B solum prædenit, non solum monet, sed etiam remedium præbet; ait enim mitte iam nunc, & congrega iumenta tua, cur iratus misericordiæ non obliuisceris? cur flagellum minans ostendis effugium? nonne cuique erat promptissimum & euidentissimum, nempe quod visa grandine homo congreget pecora sua, & domi retineat? quis enim tempestate, grandine lethali fœta, imminente, non sciret in domibus esse tempestatis effugia prompta & facilia? cur necessum fuit illos admonere de adeo prompto & facili remedio? quia vbi ira desæuit, etiam promptissima, & facillima refugia, non cernuntur nisi Deo monstrante, ita enim perturbamur vt quid agendum sit, ignoremus.

*Quo magis differtur supplicium, eo maiori impetu euenit.*

*Adhuc retines populum meum?* Quis dubitat? 75
quid ergo? nunc extendens manum percutiam te. cur hoc modo loquendi vtitur, manuum extensionis ad percutiendum Pharaonem? num satis erat dixisse, percutiam te grandine? immittam fulgura? ait Hugo Carens. extendens, quasi magis eleuans ad maiorem ictum infligendum: cur magis manum eleuat? nonne extremum eius obstinatissimi principis supplicium differebatur, vt ad meliorem mentem reuocaretur? sed quo diutius dilatum, eo acerbius inflictum: quod recte annotat D. Hieronym. explicans illa verba ca. 3. Threnorum *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam,* ait, *in arcu quanto longius trahitur corda, tãto de eo districtior exiit sagitta, sic nimirum sic extremi iudicij* (idem de alio supplicio dicendum) *dies quanto longe differtur, vt veniat, tanto cum venerit, de illo districtior sententia procedet.* D. Hieron.

## *VARIETAS LECT. Vers. 19. 20. & 21.*

*Vulg.* Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro. homines enim & iumenta & vniuersa quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque super ea grando, morientur.
*Sept.* Nunc igitur festina congregare pecora tua.
*Vulg.* Qui timuit verbum Domini de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos, & iumenta in domos.
*Sept.* Qui timebat verbum Domini seruorum Pharaonis, congregauit pecora sua in domos;
*Vulg.* Qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit seruos suos, & iumenta in agris.
*Sept.* Qui autem non intendit mente in verbum Domini, dimisit pecora in campis.
*Cald.* Et qui non apposuit cor suum verbo Domini.
*Pag.* Qui nõ posuit cor suũ ad verbum Domini.

## CONCORDIA.

HEbraiſmũ hũc ואשר לא שם לבו אל דבר יהוה vaaſer loſam libbo el dobar Iehoua, qui non apposuit cor ſuum ad verbum Domini, recte reddidit noſter interpres, qui neglexit ſermo- A nem Domini, qui enim non appoſuit cor ſuum ad verba Domini, monitis Dei non acquieſcit, ſed eius ſermones negligit.

## EXPOSITIO.

*MItte ergo iam nunc ſeruos tuos ad agros, & congrega iumenta*, Ea ſcilicet quę adiuuandis hominibus vtilia ſunt, *& omnia quæ habes in agro*, quæ detrimentum pati poſſunt, *homines enim & iumenta & vniuerſa quæ inuenta fuerint foris, morientur*, dummodo in ea grando ceciderit, à qua quis ſe liberare poterit, *qui timuit verbum Do-* B *mini de ſeruis Pharaonis*, timor iſte ſeruilis deprehenditur, ſi tantũ ratione pœnæ fuit, propter malum ſcilicet, quod ſibi inferri timuerunt, *qui autem neglexit*, tanta enim fuit in aliquibus incredulitas & obſtinatio, vt etiam in proprium damnum timere & monitis acquieſcere tenuerint.

## CONCEPTVS.

### *Omnino miranda Dei bonitas in peccatores.*

76 *MItte ergo nunc & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes*, ne ſi ea percuſſerit grando miſere pereant. Cur tyrannum inte pertinacem, crudelem, & immaniſſimum, in populum Iſraël fallacem, & perfidum in legatos tuos, cur Ægyptium populum regi ſuo quam ſimillimum, non ſolum mones de certo tempore futuræ grandinis, imo de die atque hora, ſed etiam conſulis, vt res ſuas ab imminente clade conſeruent, quaſi nõ fores rerum iudex, ſed indulgens & prouidus pater? conſulant ſibi ipſis, ſua iumenta ſi velint imminente tempeſtate in domos ſuas congregent: C tanta eſt, imo admiranda Dei bonitas in peccatores, vt nolit eos perdere, ſed ſuiſmet rebus ipſe conſulat, & prouideat, ne detrimentum patiantur: quod obſeruat Theod. qui idem dubium mouens, nempe quare grandinem illaturus denuntiauit illis, vti pecora domum cogerent? *Dominus* (inquit) *cum ſic humaniſſimus miſericordia temperat ſupplicia, alioqui etiam nouerat quoſdam eſſe venia dignos, quod non tacet ſcriptura diuina, qui enim, ait, ex ſeruis Pharaonis timuit verbum Domini pecora ſua domum coegit.* & D. Aug. quæſt 33. in Exod. *quid eſt quod mandauit Deus Pharaoni, cum ſe facturum magnam grandinem minaretur, vt feſtinet congregare pecora ſua, & quæcunque illi eſſent in campo, ne grandine interirent, hoc enim non tam indignanter quam miſericorditer videtur admonere?*

Theod. q. 9. in Exod.

D. Auguſt.

### *Aulicorum virtus vt in plurimum eo tendit vt ſibi conſulant.*

77 *Mitte ergo nunc & congrega iumenta tua, qui timuit verbum Domini de ſeruis Pharaonis, fecit confugere ſeruos ſuos & iumenta in domos*, Si Dei timore percellebantur, cur Regem non conueniunt, vt ab illo iram Dei auerterent, dummodo mandatis eius obtemperaret? cur pro ſubleuanda tyrannide, miſeris Iudæis impoſita, cum non deprecantur? cur ei non obiiciunt, quod viſis tot mirabilibus, non ratione ſed proteruia, duceretur Dei voluntati reſiſtens? cur ſolum in id ſua incũbit cura, vt ſua ſeruent pecora, incolumes ſeruos cuſtodiant? cur non potius de repellenda totius regni communi ruina Pharaonem non commonefaciunt? ſane Deum timebant, ſed nihilominus erant de ſeruis Pharaonis, erãt aulici, quorum timor erga Deum, & virtus, vt inplurimum eo tendit, vt ſibi rebuſque ſuis, neglecta communi vtilitate, conſulant: pulchre rem attigit Auctor Catenæ, *In ſeruis Pharaonis erant timentes Deum, qui abominabantur regis atrociſſima imperia, aulicorum tamen more muti ad patrocinium pro afflictis ſunt:* neſciunt aulici niſi ſibi prouidere, afflictionem populi negligunt, patrocinium afflictorum ſumere ignorant.

Auctor Catenæ

### *Iuſtitia Dei comes miſericordia.*

*Mitte ergo nunc & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro*, Quid? nonne non ſolum Pharao, ſed etiam populus ob obſtinatum in malo animum, meretur omnium iacturam facere? cur ergo non ſolum diem ſed horam futuræ grãdinis præfigis, ſed etiam quaſi conſulis, vt iumenta & alia quæ foris habuerint, ſi ſibi proficere velint, in domum reuocent? ſane iuſtitia Dei in hoc eluceſcit, quod grandine proteruos & obſtinatos D percutiat, ſed miſericordia eius apparet etiam, quod moueat refugium inuenire pro pecoribus, *Hoc dicitur* (inquit noſter Lyran.) *ad oſtendẽdum quod cũ iuſtitia diuina ſemper currit miſericordia.* 78

Lyranus.

### *Deus ſua non vult impediri miracula.*

*Mitte ergo nunc & congrega iumenta tua.* Ne grandine percuſſa in agris miſere pereant, nomi- 79
ne iumentorum, non ſolum intelligendi veniunt muli, aſini, boues, ſed etiam equi, ſed cur equos voluit Deus à grandine liberos euadere? cur aliquibus vult condonari? aduerte exercitu equitum Pharaonem populum Iſraëlem abeuntem ex Ægypto perſecuturum, vt vltimum ab eo ſuppliciũ exigat: quo poſito ſic reſpondet Greg. in Catena Græca. *Abſtinet ex Oeconomia ſua Deus, prædicens ſeptimam plagam à cæde cunctorum pœnitus iumentorum, vt haberet deinde rex vnde*

D. Gregor. Nyſſen.

furorem

*furorem suum prisitum à malis tradat, neque maximum illud in mari miraculum impedietur.*

### *Timor etiam Dei seruilis à malis liberat.*

*Mitte ergo nunc, & congrega iumenta tua. & qui*
80. *timuit verbum Domini fecit confugere seruos & iumenta in agros.* An à grandine salua facta sunt eorum iumenta? quis dubitat, cum Dei verbum sit infallibile? sed cuinam eorum virtuti hæc salus tribuenda? quid ait textus? qui timuit verbum Domini. quo quæso timore? ait noster Lyranus, non fuit filialis procedens ex amore, sed seruilis procedens ex timore pœnæ, & nihilominus tantum ei defertur, vt iumentorum & seruorum salutem & incolumitatem consequatur.
Lippom. *Timor enim Dei (inquit Lippom.) præseruat à malis, etiamsi fuerit seruilis & insincerus.*

### *Deus non solum misericors, sed ad misericordiam suam admittendam quasi compellit.*

*Mitte ergo nunc & congrega iumenta tua, & omnia*
81. *quæ habes in agro.* Sep. nunc ergo festina congre- A ga iumenta tua, non est dubium quin et iumentis Ægyptiorum, potuerit Deus grandine omnia eorum pecora delere, nulla præmissa monitione, nec præfixo viginti quatuor horarum spatio, vt sibi consulere possent, & suis pecoribus prouidere: & sic summa in eam exerceret misericordia, imo & in hoc apparet, de modo quo nam posset effugere, nec maior eum miserationes eius super omnia opera eius. sed cur (vt in Sept. lectione habemus) ait, festina congrega iumenta tua? festinet vel cunctetur si velit, nonne satis eximium misericordiæ specimen præbuisti, cum de modo quo venturam iram fugere posset docuisti? ne ergo aliud ei consulas: ita se habet Deus in misericordia præstanda, vt non solum eam offerat; sed quasi nolentes ad eam admittendam compellat. consentit Seraphinus Porrecta conclus. 3. Seraphinus.
B *Non tantum de modo edocuit sed expectauit, sed dedit illi tempus monitionis viginti quatuor horarum, vt modum illum exequi posset & fugere à ventura ira. & nota quidam misericordiam illam, quod Deus non tantum dixit vt Pharao congregaret omnia quæ erant in agro, sed etiam vt congregare illa compelleretur.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 22. & 23.*

Vulg. Et dixit Dominus ad Moysem, extende manum tuam in cœlum vt fiat grando in vniuersa terra Ægypti, super homines, & super iumenta, & super omnem herbam agri in terra Ægypti.

*Cald.* Leua manum tuam versus cœlum.

*Vulgat.* Extenditque Moyses virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, & discurrentia fulgura super terram, pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti.

*Sep.* Extendit Moyses manum in cœlum, & C Dominus dedit voces, & grandinem, & discurrit ignis super terram.

*Pag.* Dominus dedit tonitru, & grandinem, & ambulauit ignis super terram.

*Cald.* Eleuauit Moyses virgam versus cœlum.

## CONCORDIA.

Dictio על al interpretatur in, super, versus; vbi habemus tonitrua, Hebraicè est קלת kolóth id est voces, sed mos est Hebræis voces pro tonitruis poni, imo in sacro sermone vox
Exod. 20. Dei, significat tonitru, Exod. 20. cunctus autem populus videbat voces & lampades, hoc est to-
1. Reg. 12. nitrua & fulmina. 1. Reg. 12. inuocabo Domi-
Iob. 31. num & dabit voces, Iob 34. nunquid eleuabis in
Psal. 17. nebula vocem tuam? Psal. 17. intonuit de cœlo Dominus, altissimus dedit vocem suam. hinc
Ioan. 12. petenda interpretatio Euangelij Ioannis 12. vbi cum pater de cœlo locutus fuisset omnibus audientibus, turbaque audierat, dicebant tonitruum factum esse, vel quia cum voce simul tonitruum auditum, vel potius quia Deum locutum fatebantur, hoc dicentes, sed Dei vocem tonitru vocabant, aliis contendentibus Angelorum tantum vocem fuisse, non Dei, & quod in Apocalypsi legimus aliquando auditas voces & tonitrua vt c. 4. 5. & 16. Hebraismum esse puta per voces tonitruorum. quod vero sequitur, *& discurrentia fulgura super terram*, Hebraicè est D ותהלך אש ארצה vattahalach es artza, & discurrebat ignis super terram, & Pagn. & ambulauit ignis, hæc parum discrepant à littera nostra, quæ aliis melius veritatem significat, proprium enim epitheton fulguris est discurrere, hinc Nahum 2. de militibus Nabuchodonosor dicebat, aspectus eorum quasi lampades; & quasi fulgura discurrentia. Nahum. 2.

## EXPOSITIO.

Extende manum tuam in cœlum, versus cœlum, vt fiat grando in vniuersa terra Ægypti, mox enim vt manum tuam extenderis, *fiat grando super omnem terram Ægypti, super homines & super iumenta*, quæ nec hominibus nec iumentis parcet; sed interficiet, *& super omnem herbam agri*; nomine herbarum etiam arbores intelliguntur; *extendit Moyses virgam in cœlum*, vt mirabilium operatricem, *& Dominus dedit tonitrua*, cum exhalatio calida & sicca occurrit humidæ & siccæ, illam violenta eruptione perrumpit, atque ex hac collisione,

fragor oritur, qui tonitru dicitur, atque accensio & inflammatio exhalationis quæ fulgur nominatur. *& discurrentia fulgura super terram*. per fulgura Hebraice est es, id est ignis, per quem intellige ignitas exhalationes, etiam fulgura quæ A coruscando, terendo, hyrando, discurrendo ... quæ tunc nouam grauissimam dederunt Ægypto; discurrentia autem fulgura dicuntur, propter ignem cuius magna est celeritas & agilitas quæ in eis est.

---

## CONCEPTVS.

*Deus etiam in mediis flagellis, monet vt resipiscamus, & ea fugiamus.*

82. EXtende manum tuam in cælum & fiat grando in vniuersa terra. Deus solum grandinem minatus fuerat, nihilominus ante eam tonitrua præmisit, ait enim textus, Dominus dedit tonitrua & grandinem: cur tonitrua ante grandinem, cum eorum antea nulla facta comminatio? vt per tonitrua quasi Ægyptios præmoneret, vt resipiscerent & sibi cauerent à grandine statim imitura, Origen. hom. 4. *Vide temperamentum diuinæ correptionis, non tamē silentio verberat, sed dat voces & doctrinam cælitus mittit, per quam possit culpam suam mundus castigatus agnoscere.* Vbi quamuis significet illas de cælo voces fuisse ad instructionem de suppliciis illatis, adeo tamen etiam fuisse ad cautionem de inferendis præsertim illis, quæ supplicia præcesserunt. Origenes.

*Deus bono nomini prælatorum maxime fauet.*

83. *Extende manum tuam in cælum, & fiat grando in vniuersa terra.* Tamen illico inferius dicitur, quod extendit virgam in cælum vt hoc mirabile operaretur; sane non semper Moyses vsus fuit virga ad miracula patranda, sed aliquando sola manu ab omni instrumento exarmata magna prodigia operatus est, cur non semper ad miracula edenda, virga vtitur? cur aliquando sola manu? respondet Procopius. *Ne vulgus opinaretur magica superstitione virgam esse factam, & ipsi mirificos illos effectus assignaret.* Deus enim nihil ægrius ferret quam de Moyse principe totius populi futuro, praua aliqua superstitionis actiuè magicæ suspicio haberetur: non igitur vt magus vni tantum addictus instrumento, diabolicis artibus inaugurato, sed vt verus Dei legatus ab omni instrumento independens, nunc virga, nunc manu vtitur. Procopius.

*Suauem prouidentiam administrat Deus.*

84. *Extende manum tuam in cælum, & fiat grando.* Quo manum & virgam extendente, dedit Dominus (inquit textus) tonitrua & grandinem. an immediate per se vel per aliquem alium? per Angelum, sed cur potius per Angelum quam per alium vel per seipsum, cum dicatur quod Deus dederit tonitrua & grandinem? quia suauis prouidentiæ diuinæ dispositio suo gaudet ordine, vt administratoriis spiritibus vtatur, puta Angelis, quantum illorum vires ferunt, scilicet vbi quid fieri vult, quod naturæ limites non transcendit, quale erat hoc tonitru, grandinem, & fulgura efficere per causas naturales, siue applicando actiua passiuis quod late expendit Abulensis Episco. *Ordo summus est in hierarchiis & ordinibus Angelorum, vt quidam ordines ad faciendum miracula & quædam magnalia sint, vt virtutes, & potestates, & principatus: existente ergo tali ordine, Deus illum nunquam mutat, quia valde superfluum est mutare illum sine necessitate, cum videamus in his naturalibus nunquam mutari consuetum modum, nec sine magna necessitate aut vtilitate, in operatione miraculorum ad robur fidei; sicut enim Deus se habet ad hunc ordinem creaturarum corporearum, ita se habet ad ordinem creaturarum spiritualium, scilicet Angelorum, sicut ergo quæcunque in his corporalibus fiunt ab agente naturali, Deus per agens naturale agere dicitur, quia virtutem agendi & continuam influentiam administrat, ita quidquid Angeli & ceteri spiritus hierarchici operantur, Deus dicitur per eos operari. sicut ergo in his inferioribus rarissime mutatur ordo sine necessitate aut magna vtilitate in his quæ natura agere non sufficit, ita erit in superioribus, quod nunquam mutabitur ille ordo, scilicet vt Deus agat sine ministro.* Abulens.

*Eleuatio manuum in oratione potentissima.*

*Extende manum tuam in cælum, & fiat grando.* 85.
Quo eam extendente dedit Dominus tonitrua, grandinem ac discurrentia fulgura, quid? tantæne virtutis est extensio manuum viri iusti in cælum, vt ad puniendos peccatores flagella consequatur, vt tonitrua ad obstinatorum capita conterenda obtineat? ita sane, præcipue si fiat in oratione, vt optime animaduertit Oleast. *Voluit Dominus hic indicare, quid valeat eleuatio manus in oratione, quæ tam facile flagella impetrat & reuocat*, & sane hic gestus in oratione maxime approbatur à Tertul. lib. 1. in Marcion. & in Apolog. aduersus Gent. & libro de oratione, ait, *Nos vero non tantum attollimus manus, sed etiam expandimus & Dominica Passione modulantes & orantes confitemur Christo*, non multum dissimilia scribit Maximus Taurinens. hom. 1. de cruce & sepul. Domini dicens, *eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur.* Tertul. Maximus Taurin.

*Tonitrua voces Dei sunt, vt à peccatis reuocemur.*

*Extende manum tuam in cælum, & fiat grando.* Ille iussa Dei exequitur, & Dominus dedit tonitrua, Septu. & Dominus dedit voces, quid commune voces habent cum tonitru, vel è contra? voces enim à vita præditis proferuntur, tonitru autem est quidam fragor qui ex collisione vaporis vel exhalationis calidæ & siccæ in nube humida & frigida oritur. nihilominus recte 86.

tonitrua vertuntur voces; signa enim sunt quibus monemur vt à peccatis resipiscamus. Fauet eis. Oleast. *Admonemur hic vt cum tonitrua audierimus, sciamus Deum nos voce sua terribili admonere, & loqui vt à malo recedamus.* (Oleast.)

## *Dum Deus hominem punis, signum amoris sui ei impendit.*

87. *Extende manum tuam in cœlum, & fiat grando.* Insitatæ magnitudinis, & pluit Dominus tonitrua, & grandinem, fuere pluta in hac plaga, terrore & admiratione plena, primo quia hæc contigerunt in Ægypto, vbi nihil horum antea fieri solitum erat, tum quia tonitrua ac fulgura, & fulmina crebriora & terribiliora erant, quam alibi fieri soleant: deinde grando propter inusitatam grandinem & impetum quo ruebat deorsum, ingenti erat pauori ac stupori. sed illud potissimum admirationem & terrorem incutiebat, quod cum grando permixta esset crebris magnisque ignibus & fulminibus, nec igneum tamen ardorem grandinis durities liquescebat, aut molescebat; nec frigore grandinis ardor ignis extinguebatur, aut mitigabatur. sane huiusmodi grandine non est dubium quin insolita afflictio designetur. sed cur vtitur hoc verbo Moyses pluere? pluit Dominus grandinem, pluuia enim suauis est, grando contundens, pluuia terram fœcundat, sed cum grandine est ignis: quia vbi habemus & discurrentia fulgura super terram, Pag. ex Hebræo legit, ambulauit ignis super terram, quomodo miscetur ignis cum grandine? nonne ignis ardorem diuini amoris denotat? recte ergo Dominus grandinem simul cum igne pluere dicitur, quia cum Deus afflictione & tribulatione nos vrget, sane animas nostras fœcundat, & in eas signa dilectionis suæ exhibet: testem adhibeo Stephanum in allegor Tilm. (Stephan. Helduen.) *Pluuia suauis est, grando contundens & Deus ipsa sua percussione sanat & nutrit, manus enim eius percutit & medetur, vnde fulgura in pluuiam fecit, fulgur vris, pluuia nutrit, quia ipsa tribulatio nutrit, non & sanat corporis Deus animam pascit vnde & alit* A *eos in fame; ignis ergo & grando mixta pariter sunt, quia dum Deus hominem punit & signum amoris sui impendit, in igne enim feruor diuini amoris exprimitur.*

## *Furtum licet furi vtile videatur, tamen omnino mortiferum est*

88. *Extende manum tuam in cœlum, & fiat grando magna nimis.* S. August. lib. de decem plagis dicit adumbrari hac plaga furem. sed quid commune est furi cum grandine? grando in nullo sibi vtilis, omnia dilapidat, animalia interimit, homines necat, domos subuertit, fur autem facultatibus alienis fit ditior, bona sibi congregat, suos auget reditus. nihilominus recte grandine fures adumbrantur, quia vt ait cit doctor, *qui suo malo forinsecus furantur, iusto Dei iudicio intrinsecus grandinantur,* B qui enim res alienas possident, neque Dominis restituunt, intrinsecus grandine mixta igne percutiuntur: est autem grando mixta igne, peccatum mortiferum mixtum igne tartareo, hæc grando animam ferit, percutit, & bonis spiritalibus ac cœlestibus priuat, vnde eit. August. si prosequitur, *o si possent fures, aut raptores inspicere agrum cordis sui, profecto lugerent, dum ibi non inuenirent quod in os animæ mitterent,* non potest rei alienæ possessor in agro cordis sui fructus gratiæ & virtutum, quos in os animæ mittat, inuenire, id est quibus pascatur anima, quia omnes fructus grando peccati consumpsit: lucrari se existimat raptor, dum alienum rapit & possidet, sed ingens damnum sibi comparat, sit lucrum vestis rapta, at ingens damnum est amissa gratia, mortiferum peccatum tartareæ pœnæ meritum, quæ dicta paucis exprimit Glossa ordin. (D. August.) *Septimum* (Gl. ordi.) C *præceptum non furaberis septima plaga grando in fructibus nemo habet iniustum lucrum sine iusto damno, dum furaris, acquiris vestem, amittis fidem, lucrum visibile damnum inuisibile, lucrum de tua cæcitate, damnum de Domini nube, qui enim malo desideris forinsecus furantur, Dei iudicio intrinsecus grandinantur, & ager cordis eorum deuastatur.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 24. 25. & 26.*

V*ulg.* Et grando & ignis mista pariter ferebantur, tantæque fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in vniuersa terra Ægypti, ex quo gens illa condita est.

*Septu.* Erat autem grando & ignis flagrans in grandine, grando autem multa valde, quæ talis non fuit in Ægypto, ex quo die facta est super eam gens.

*Cald.* Fuitque grando & ignis discurrens in medio grandinis nimis validus, cui similis facta non fuit à tempore quo fuit in ea populus.

*Onk.* Et fuit grando & ignis flammam eiaculans, de medio grandinis.

*Pag.* Et fuit grando & ignis comprehensus in medio grandinis grauis valde.

D *Vat.* Et fuit grando & ignis mistus in medio grandinis.

*Oleast.* Et fuit grando & ignis receptus in medio grandinis.

*Vulg.* Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum, cunctamque herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit.

*Sept.* Et omnia ligna quæ in campis contriuit grando.

*Cald.* Omnes arbores agri confregit.

*Vulg.* Tantum in terra Gessen vbi erant filij Israel grando non cecidit.

*Sep.* Non est facta grando.

## CONCORDIA.

Vbi legimus grando & ignis mista pariter ferebantur, est in Hebræo ויהי ברד ואש מתלקחת בתוך הברד vahi barad veesmitlakaat betos hebarad. verbum autem לקח aquo mitlakahath, significat capere, auferre, desumere, apprehendere, & in hitpahel, interceptus, immixtus docte vertit noster interpres per hæc verba; tantæque fuit magnitudinis, illam Phrasim Hebraicam, qualis non fuit sicut ipsa in vniuersa terra Ægypti, ex quo tempore ex quo facta est in gentem siue populum.

## EXPOSITIO.

*Grando & ignis mista pariter ferebantur*, Hoc fuit insigne prodigium quod simul cum grandine & pluuia ignis permisceretur, itavt grando intermixta igne, quo nec ipsa liquescebat, nec extinguebat fulmina, sed vtraque simul eodem deferebatur impetu, *tantæque magnitudinis* instar lapidum, ait Philo, & densa instar pluuiæ, *ex quo gens illa condita est*, ex quo aliquis cœpit Ægyptum incolere, *& percussit grando in omni terra Ægypti*, non soluta autem grando, sed & fulgura, nam in hac plaga tria elementa sæuierunt in Ægyptios, aër per tonitrua, aqua per grandinem, ignis per fulgura, vt vel inuiti cogerentur impij agnoscere se obluctari præpotenti elementorum, & mundi Domino. *Percussit autem grando omnia quæ foris remanserant*, sic enim prænuntiatum fuerat, *tantum in terra Gessen*, in qua filij Israel morabantur, grando non cecidit; non quod non ceciderit, sed quod iumenta Hebræorum quæ foris erant, non percusserit, sed solum iumenta & seruos Ægyptiorum.

## CONCEPTVS.

### *Culpæ supplicium respondet.*

89. *Grando & ignis mista pariter ferebantur*. Tantæ autem erat magnitudinis, vt omnia contereret, iumenta & homines interficeret, omnes segetes minutatim frangeret, nam herbæ nomine, tam sponte natas quam hominum artificio comprehendit; quarum alias protriuit, vt linum & hordeum, quæ in culmum iam assurrexerant, alias obruit vt triticum, & far, & quæcunque tardius oritura in herba erant. cur omnes segetes eorum minutatim conteruntur, itavt nullius vtilitatis postea forent? reuoca in memoriam ab Ægyptiis populum Israel excruciatum in palearum congregatione, & in earum fractione, ad conficiendos lateres. cur ergo eorum segetes grandine percussæ non contererentur, vt culpæ supplicium responderet? annuit noster Lyranus. *Correspondet ista plaga per quam terræ nascentia fuerunt contrita & in modum palearum redacta culpæ Ægyptiorum, qua Hebræos percusserunt in palearum congregatione.*

### *Contraria quæque copulantur in vnum vt pro creatore aduersus impios sæuiant.*

90. *Grando & ignis mista pariter ferebantur*, Onk. *fuit grando & ignis flammam eiaculans de medio grandinis*, Pagni. *Fuit grando & ignis comprehensus in medio grandinis*. Horrenda sane fuit hæc plaga, multisque quasi flagellis vna desæuiens, vniuersam Ægyptum terrore damnisque compleuit, intolerantes enim oculi fulgurum coruscationibus perstringebantur, quæ vndique rutilantes aereum incendium & cœlum sagittis igneis in suam perniciem obarmatum repræsentabant, continua diro fragore reboantia sequebantur, quæ simul obtundebant aures, simul tota pectora totumque corpus terrore concutiebant, nec inanis ille terror, grando quippe primaria pars huius cladis aderat; quæ homines & iumenta inaudita lapidatione contrucidabat, fructus arborum decutiebat, folia dilacerabat, arbores ipsas confringebat, tecta tegulæque lateritiæ grandine quasi crebris malleorum ictibus dissiliebant, & si quid grandini resisteret, fulmine euertebatur à quo villis & arboribus immittebatur incendium; quod exundantibus pluuiis non extinguebatur, sed in iis mirabiliter exardescebat. nonne ignis & aqua contraria sunt ratione suarum qualitatum? quomodo ignis aquarum multitudine non extinguitur? imo quomodo ignis in grandine ita conseruatur, vt secundum versionem Onk. flammas ex ea euomat? quomodo grando & ignis pariter mista eodem impetu feruntur? quomodo tam dissita inter se elementa in vnum coeunt? sane vt pro creatore aduersus insensatos desæuiant. *Mirum est* (inquit Procop.) *circa vnum idemque subiectum pugnantes versari substantias,* Procopius. *nempe ignem & grandinem, non liquescere ignis virtute, ignem non extingui frigoris vi, hinc patet naturam cedere voluntati creatoris, ad hunc modum ignis non consumebat rubum*, &c.

### *Deus omnium elementorum Dominus.*

*Grando & ignis mista pariter ferebantur*. In hac plaga tria sæuierunt elementa in Ægyptios, 91.
aër per tonitrua, aqua per grandinem, ignis per fulgura, antea autem & terra in ipsos insurrexerat, cur omnibus elementis in insensatos pugnat Deus? nonne vnico verbo omnes potuit perdere simul omnibus elementis in eos decertat, & vincit, vt eum solum elementorum omnium Dominum agnoscerent, subscribit Theod. q. 2. in Exod. *Grandinem autem & fulgura*

*immisit, illis ostendens quod ipse sit Dominus omnium elementorum, etenim tam Ægyptij quàm Græci existimabant quosdam Deos esse cœlestes, alios terrenos, alios subterraneos, & hos quidem imperare terræ, illos vero mari, & alios in montes, alios in agros imperium habere, ob id merito Deus omnium non solum per fluuium & terram, sed per aerem & mare castigauit illos, & fulmina cœlitus illis immisit, docens quod ipse sit omnium Dominus & creator.*

***Simultates adinuicem deponendæ, cum Dei & principis fideliter iussa adimplenda.***

92. *Grando & ignis mista pariter ferebantur.* Cuius cladis magnitudinem describens Philo lib. 1. de vita Moys. sic ait, repente aer nouam sumpsit faciem, vt hybernis regionibus consuetæ tempestates simul ingruerent, imbres, grandines, procellæ atque turbines, collisiones nubium, continua fulgura, & tonitrua prodigiosa specie, grando enim intermixta, nec ipsa liquescebat, nec extinguebat fulmina, sed vtraque vno eodemque ferebantur impetu, tonitrubus iungebantur de more fulgura, quibus crebro micantibus inexpectato fulgure perstringebantur oculi, & auribus imminens tonitru nuntiabatur. Caietanus duplex miraculum, & quod talis grando fuerit in Ægypto, & quod simul cum grandine fuerit ignis: sane ingens prodigium quod tam contrariæ naturæ ignis, & aqua gelida simul conueniunt: cur ignis aqua non extinguitur, imo ignis comitem aquam sibi contrariam adiungit? cur quæ ex natura sua mutuo se expellunt, simul mixta in Ægyptios gradiuntur? quia vbi Deo obsequendum, vbi adimplendum munus peruersos puniendi, proprias contrarietates non meminerunt etiam creaturæ insensibiles, vt nobis esset documēto, quod simultatū immemores debemus esse, quod contrarietates obliuione sopiendæ, cum principis iussa fideliter adimplenda, cum munus à principe demandatum exequendum fuerit. vnde optime Greg. Nazian. oratione 2. de pace quæ est 13. laudat aliquos Catholicos qui cum inter se in aliquibus discordes essent, tamen vbi fidei & virtutis siue religionis causa instabat, conueniebant, nullarum memores simultatum. sic autem ait, *Nos ob pulchra quæque concordiam colimus, vt vnanimes vnoque ore Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum glorificemus, idque de nobis prædicetur, quod vere in nobis sit Deus, eos à quibus vnitur vniens, verum aliis de rebus contentio inter nos fuit, male etiam id quidem, non tamen tanta quanta iis videtur qui res nostras per calumniam insectantur.* En cum res fidei & virtutis instabat, depositis simultatibus & contrarietatibus, vnanimes accurrebant, vt diuino muneri satisfacerent!

Caietan.

Nazian.

***Qui vindictam ab aliis non exigit, Deum vindicem habebit.***

93. *Grando & ignis mista pariter ferebantur,* Quam cladem enumerans Spiritus sanctus Sapient. 16. dixit quod mirabile erat in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat, vindex est enim orbis iustorum: plagæ grandinis sapiens admirabilem vim considerat, in qua præter naturæ ordinem frigida calidis permixta, conglaciatæ aquæ flammis conspirabant, & coniurabant aduersus hostes Hebræorum, Dei nutu ac voluntate, & dissidentia inter se qualitatibus elementa, coibant in quandam societatem, vt ad vindicandas iustorum iniurias, collatis velut pugnarent, sic Deo iubente, armis. sed cum tot prodigia efficiat Moyses, vt terrore aduersarios percellat, cur ipsemet ab eis vindictam non exigit? cur infensissimum sibi & populo suo hostem Pharaonem non coercet? quid ait citatus locus Sapient. vindex est enim orbis iustorum, & merito, qui enim vindictam ab aliis non sumit, à quibus plures perpessus est iniurias, sane mundum ipsum, imò & ipsum Deum vindicem habebit. *Hoc enim munere tempe vindicis fungitur Deus,* inquit Lorinus in cap. 16. Sapient. *per creaturas suas erga illos qui non ipsi se vindicant, non se defendunt, sed remittunt in illum vindictam, mihi vindictam ait Deus.*

Sapient. 16.

Lorinus.

***Nouitas rei funesta maxime excruciat animos.***

94. *Grando & ignis mista pariter ferebantur.* Præter grandinem, imbres agnoscit Philo, postquam enim exposuit Ægyptum, hyemem, pluuias, tempestatesque ignorare, repente inquit ingruunt simul imbres, grandines, procellæ, atque turbines. sed præter validissimam tempestatem, coruscantia fulgura, tonitrua, horribiliter perstrepentia, addit aliquid terribilius Artapanus apud Eusebium lib. 9. de præpar. c. 4. Rege autem adhuc dementato, Moses grandinem & terræ motus nocte excitauit, vt qui terræ hiatus effugerent, grandine interirent, & qui vitarent grandinem terræ hiatibus absorberentur. sed cum fulgurum coruscationibus Ægyptiorum oculi perstringerentur, cum tonitrubus fragore reboantibus eorum aures obtunderentur, cum grandine inusitata percuterentur, cum hiatibus terræ aliqua absorberentur ædificia, quo affectu ducebantur? sane tristitiæ, sed an solum propter tot damna accepta ex pecoribus occisis, grandine & fulguribus immissis, ex arborum vi tempestatis confractis? non solum hac de causa, sed ex ea nouitate, quid enim maiori mentem afficit tristitia quàm rei funestæ insperatæ nouitas? vnde recte cit. Philo. *Non solum inclementia cœli contristabat incolas, verum etiam nouitas, credebant enim, nec falso, ab irato Deo mutari omnia, tempestatibus insolitis agri vastati, segetes vastantibus, pereuntibus simul non paucis animalibus, partim frigore absumptis, partim elisis grandine ruente more lapidum, non paucis etiam istis fulmine, ex quibus si qua supererant combusta circumferebant vulnera, ad terrorem videntium.*

Attapanus.

Philo Alexan.

## VARIETAS LECT. Vers. 27.28. & 29

VVlg. Misit Pharao, & vocauit Moysen & Aaron dicens ad eos, peccaui etiam nunc, Dominus iustus, ego & populus meus impij.

*Sep. & Caldæus*, Peccaui hac vice.

*Vulg.* Orate Dominum vt desinant tonitrua Dei & grando, & dimittam vos, & nequaquam hic vltra maneatis.

*Sep.* Orate pro me ad Dominum, & desinant fieri voces Dei.

*Cald.* Orate coram Domino vt sit refrigerium à facie eius multum, & non sint super nos tonitrua maledictionis huiusmodi à facie Domini, neque grando, & dimittam vos, nec vltra retinebo vos.

*Onk.* Orate coram Domino, & multa coram eo est dilatatio, & dimittam vos nec amplius B moram faciatis.

*Pagn.* Sufficiet quod non sint tonitrua.

*Vatab.* Orate Iehouam, itavt posthac sufficiat illi, non sint tonitrua & grando.

*Oleast.* Multum fuerunt tonitrua Domini, & grando, non addetis vt stetis.

*Caiet.* Placate Iehoua, & sufficiet deesse voces.

*Vulg.* Ait Moyses cum egressus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua, & grando non erit, vt scias quia Domini est terra.

*Sep.* Cum egressus fuero de ciuitate, extendam manus meas ad Dominum, & voces desinent, & grando & pluuia.

*Cald.* extendam manus meas in oratione coram Domino.

## CONCORDIA.

PEccaui etiam nunc. Dictio הפעם hapahaam & nũc & hac vice reddi potest, sicut reddidit Cald. his verbis orate Dominum vt non sint tonitrua & grando, rectè noster interpres eluit sensum, ex verbis Hebraicis cum ita habeant ורב מהית קלת אלהים וברד verab mihioth koloth elohim vbarad, & multum est vt fuerunt voces vel tonitrua Dei, Caldæus cum Onk. paraphrastice verterunt. Sept. præter grandinem & tonitrua addiderunt pluuiam, nam etiam in hac plaga sæuiebat, quanquam in aliquibus non ita placeat: nam Moyses non videtur hoc loco aliam agnoscere pluuiam, quam grandinem, cum ait Dominum pluisse grandinem, negant etiam aliqui mixtam pluuiæ grandinem decidisse, sed grandinem solam, vt esset nocentior, nec eius ictus pluuia molliretur: malo tamen cum Sept. veram agnoscere pluuiam, quod mox etiam veritate conuicti alij fatebuntur, quoniam illius seorsim à grandine scriptura sæpe meminit, nam hoc ipso capite cessarunt inquit Moses tonitrua & grando, nec vltra stillauit pluuia super terram, & rursum videns Pharao quod vltra cessasset pluuia & grando, & tonitrua, & Sapiens ait Sapien. 16. Ægyptios grandinibus & Sapient. 16. pluuiis persecutionem passos. hæc inquam cum scriptura dicat, facile intelligitur veram aquam, pluuiam intelligendam, cuius est stillare: nec obstat quod grandinis impetum pluuia solet infringere, quod tunc alienum erat à Dei consilio, potuit enim pluuia & grando alternatim cum igne C descendere, potuit grando præsertim tanta contra vim pluuiæ seruare vim suã, vt pluuia contra ignis ardorem, suam seruabat, & nix & glacies igne non tabescebant.

## EXPOSITIO.

MIsit Pharao. Dices quomodo potuit mittere nuncium ad Moysem, cum cœlum coruscaret fulguribus, tonitrua perstreperent, & grando maximæ magnitudinis caderet, omnia concutiens? dices hæc facta in agris & non in ciuitate, in qua non solum Pharao, sed D etiam Moyses erat, *& vocauit Aaron & Moysen* ex seruili præsentium pœnarum timore & desiderio liberationis, agnoscens culpam suam, *peccaui etiamnunc*, ficta mihi videtur Pharaonis confessio, etsi quæ ex seruili erat tantum timore prouenienS, nec vllo modo ad veram pœnitentiam perueniens; alij arbitrantur non ficto animo hæc dixisse, & quod postea Moyses non reprehendit in his verbis noui, quod tu & serui tui nondum timeatis Dominum, fictionem vel hypocrisim sed defectum doloris & timoris ex offensa Dei proficiscentis, & deinde cessante verbere pro mentis inconstantia ad ingenium rediit. *Dominus iustus* iustè punitum se agnoscit, *ego & populus meus impij*, ego quia in malo induratus, tyrannidem exerceo, in populum tuum, mandatis tuis non obtemperans, populus etiam meus impius, quia impietati meæ consentit, & cooperatur, *orate Dominum* verbum hathar impensè & forti deuotoque spiritu precari significat, *vt desinant tonitrua Dei & grando*, quæ omnia dilapidant & concutiunt; *dimittam vos* secundum petitionem vestram, *nequaquam hic vltra maneatis*, non existimandum est Pharaonem hic omnimodam populi dimissionem polliceri, cum legati Domini nunquam id petierint, sed solum commeatum in tertium diem sacrificandi causa: quis enim credat difficilem atque inuistum debitorem polliceri amplius quam

à creditore poti illetur? spondet ergo populum statim à cessatione plagæ sine vlla dilatione ad sacrificium solemne totius populi, dimissurum iri, spectans insuper nimis atque intendens reuersionem quam legati consulito tacebant; *cum egressus fuero de vrbe*, quia idolis quæ erant in ciuitate, nolebat tribui grandinis cessationem, A extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua, extensurum se dicit palmas suas ad Dominum, eius placandi gratia, cuius iussu ad cælum extenderat Ægyptum verberandi causa, neque in promittendo temeratus, qui plane perspectam suoque arbitrio commissam habebat, hoc toto in negotio, domini voluntatem.

## CONCEPTVS.

### *Impius totus est in dissimulandis peccatis suis.*

95 PEccaui etiam nunc, orate ergo Dominum vt desinat tonitrua, vbi noster interpres legit etiam nunc, Cald. habet, *hac vice peccaui*, post innumera peccata perpetrata, postquam sexies plagis acceptis se se indurauerat, aduersus Dominum, tandem gradine afflictus & fulguribus coruscantibus territus, ait peccaui etiam nunc, vel hac vice: Proh egregiam nefarissimi hominis confessionem! vnius peccati se reum fatetur, qui innumera peccata fecerat, nunc se solum peccasse meminit, qui errauit à vulua, qui in peccatis natus & educatus est sic impius: etiam coactus confiteri, aut peccata dissimulat, aut paucissima leuissimaque ostendit, vnde optimè Lippom. *inter confitendum peccatum perfidiam suam prodit dicens, hac vice peccaui quasi prius non æque peccauerit*, nequiuit impius homo à se desciscere, dum peccata sua etiam confitendo non æstimat, sed dissimulat & præterit, & Orig. hom. 24. in Matth. *proprium malorum hominum est culpas excusationis causa, aut nullas velle ostendere, aut leues aut paucas.* Lippom. Orig.

### *Oraturus, te à malis submoueas.*

96 Peccaui etiam nunc, orate ergo Dominum vt desint tonitrua. Quod quidem pollicitus est Moyses cum hac tamen conditione, post egressum suum ab vrbe, quid vndique fulgura coruscant, tonitrua reboant, grando omnia conterens decidit, & solum promittis Deum deprecaturum pro cladis cessatione cum à ciuitate egressus fueris? & tandem, quid nos damni patientur qui sunt foris? in perniciem omnia ruunt, & procrastinas? dices ideo egredi voluisse de ciuitate vt ab omni tumultu segregatus oraret, vel quia, vt ait Abul. extra ciuitatem locum specialem habebat, in quo Deum deprecabatur, cur etiam non dicemus ideo hanc appofuisse conditionem vt à malis semotus coram Deo preces funderet, vel ne idolis quæ erant in ciuitate cessatio sæuissimæ grandinis tribueretur; à quo non alienus noster Lyranus, *erat plena ciuitas idololatria, ideo prius egressus est antequam oraret.* Abulens. Lyran.

### *Non verba solum confessionis attendenda, sed intentio.*

97 Peccaui etiam nunc, Dominus iustus, ego autem & populus meus impij, quid hac confessione magis pium videtur? quis hanc confessionem iuxta sonum verborum non rectè factam iudicaret? peccatum enim suum agnoscit, Dei æquitatem fatetur in infligendis suppliciis, se impium propter mentem obstinatissimam prædicat: ne talia tamen dicenti fidem adhibeas, vt scias non solum verba confessionis attendenda, sed præcipue rectam illius intentionem, *hæc enim confessio*, (inquit Lippom.) *mera fuit hypocrisis*, & Oleast. *hæc est peccatorum pœnitentia, vt ore peccatores se fateantur, corde vero à peccatis non recedant, neque eos pœniteat male actæ vitæ, nisi cum flagella imminent*: & Cajet. *verum dicit sed non ex corde.* Lippom. Oleast. B Cajetan.

### *Humilitas ficta nequissima.*

98 Peccaui etiam nunc, ego & populus meus impius. Quod signum magis demissi animi exhiberi potest, se peccatorem & non quemlibet agnoscere sed peruersissimum sed impium? hominem ergo humillimum prædicabis? ita equidem, sed fictè, & ideo humilitate nequissima; quod rectè expendit noster Bonifacius de Ceua tractatu de profundissima virtute humilitatis, *ficta humilitas est eorum qui vel deceptionis, vel hypocrisis, vel commodi causa se humilia os ostendunt, est inquit Eccles. 19. qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo*: deinde explicat, *deceptionis causa, vt* C *nonnulli fallaciter humiliantur, sæpe quidam solent in promissionibus humiliare vocem, vt hic Pharao qui pollicetur dimittere populum Israel, hos venantibus catis mures haud insurta quispiam comparabit, catus enim terræ dorso hærens humiliatur insidias muri vt mitis apponens, &c.* Noster Bonifacius de Ceua. Eccles. 19.

### *Peccatorum contumacia, omnia repellit salubria.*

99 Peccaui etiam nunc, orate ergo Dominum, vt desinant tonitrua Dei. Pollicitus est se deprecaturum, quod promisit adimpleuit, videns autem quod cessasset pluuia, ingrauatum est cor eius: ipsum pluries admonuerat de flagellis Dei ei superuenturis, Deum non esse alium quam Hebræorum, quia peccatoribus obstinatis vindi- D ctam non leuem exigit: quomodo ergo contumax? quomodo ergo tot persuasionibus non emollitur eius animus? quia tenet hæc insania contumaces & obstinatos peccatores, optimis admonitionibus repellendis paratissimos, ne à suis sceleribus repellantur: vnde S. Chrysost. hom. 19. in Genes. *quemadmodum* (inquit) *incurabilia vulnera neque austeris medicamentis cedunt, neque lenientibus, ita & anima semel captiua, si se peccato cuipiam obnoxiam fecerit, & considerare noluerit quæ sunt sibi vtilia, etiamsi quis innumera inculcet, illius auribus nihil proficiet, sed quasi mortua essent aures, nullam ex admonitione suscipit vtilitatem, non quia potest, sed quia non vult.* S. Chrysost.

### *Peccator obstinatus difficile emergit.*

100 Peccaui etiam nunc, orate Dominum Deum. De-

Hh iiij

precatus est, cessauere tonitrua, grando desiit, & tamen induratum est cor illius: non desunt aliqui asserentes hac plaga emollitum fuisse, sed pro mentis inconstantia, ad ingenium rediisse, cum ad meliorem mentem se reuocauerat, cur induit iterum obstinatam? quia peccator cum semel obstinatus fuerit, difficile emergit. non erit extra institutum ponderare mentissimum in peccatorem obstinatum, supplicium decretum à Christo Domino, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum

Matth.18. eius Matth. 18. vbi non solum in profundum maris præcipitari iubetur, sed etiam præcipitari mola ad collum alligata, ne inde vnquam subsiliat, & in apertas auras extrahatur, vt qui cœno peccatorum pertinaciter inhæsit, in profundo maris irreuocabiliter absumatur: at cur meminit seorsim molæ asinariæ, cum tamen alio quouis pondere oppressus facile demergi potuisset? credo vt significaret huiusmodi peccatorem vixisse similem iumento, molam versanti in pistrino, vt enim hoc iumentum opertis oculis agitur, & in iisdem semper vestigiis circumuoluitur, ita & ille peccator cæcis oculis in sua desideria fertur, & iisdem semper in sceleribus oberrat, nec videt quam parum proficiat qui à suis nunquam

S. Ambros. peccatis remouetur. ita fere D. Ambros. lib. 8. in Lucam c. 18. vbi loquutus de populo Iudaico suis erroribus pertinaciter affixo, *nonne (inquit) tibi videtur tanquam molam asinariam voluere, quandiu in imperitia sua errore versatur, operta mentis cæcitate ita suffusus vt vultum animi erigere ad Deum, & oculos cordis aperire non nouerit, & ideo sine vlla alacritate, vestigiis in se sæpe redeuntibus inuitus, vsus laboras alieno?* Quid infœlicius, quam nolle à periculosis locis enauigare, sed inter peccata tanquam inter scyllam & charibdim, alternis agitationibus collidi, & ab vno in aliud contorqueri, & vnde prius exieras, eodem miserabilius relabi?

*Sanctorum oppugnatores aliquando ab ipsis quos contemptui habuere, coguntur auxilium petere.*

101 *Peccaui etiam nunc orate Dominum, vt desinant tonitrua Dei.* Nonne ille est Pharao qui pluries Moysem fefellerat, qui ei mentitus fuerat, quique ipsi illuserat, imo qui Deo insultauerat cum ait nescio Dominum? quasi diceret, quis ille quem vos mihi annuntiatis? si ergo cum toties habuit contemptui, quomodo eum conuenit? quomodo enixe precatur, vt coram Deo pro cessatione grandinis fundat orationem? quis vt implurimum multi sanctorum oppugnatores (quorum non minimus Pharao) afflictione coguntur ab eis quos ante contempserunt & ludibrio habuerunt, supplices auxilium quærere. de S. Seuerino Noricorum & Austriacorum Apostolo

Eugipius. narrat Eugipius eius discipulus in illius vita cap. 8. quod cum aliquando Gisa Regina Rugorum veniens in proximum vicum à Fauianis (hodie dicitur Vienna Austriæ) aliquos ad se à Danubio adduci præcepisset vilissimis scilicet ministeriis seruientes, damnandos, dirigens ad eam vir Dei, vt eos dimitteret, postulabat, verum illa facibus fœmineæ furoris exæstiuans mandata reportari iussit acerrima, ora tibi (inquit) serue Dei intra cellam tuam delitescens, liceat nobis de seruis nostris ordinare quod volumus: audiens hoc homo Dei, cõfido (inquit) in Domino meo Iesu Christo quod necessitate compelletur explere, quod praua voluntate despexit, velox itaque correptio secuta prostrauit animos arrogantis. Quosdam enim aurifices barbaros pro fabricandis regalibus ornamentis clauserat arctæ custodiæ (nã eos iure seruitutis possidebat inuitos) ad hos filius memorati Regis admodum paruulus, nomine Fredericus, eo die, quo regina seruum Dei contempserat, puerili motu concitus introiuit, tunc aurifices pectori infantis gladium posuere dicentes, quod si quis ad eos absque iuramenti præsidio, quo vita cum libertate promitteretur, ingredi conaretur, paruulum regium primitus transfigentes, semetipsos postea trucidarent, quippe cum sibi nullam vitæ spem promitterent, macerati diuturnis ergastulis. his auditis regina crudelis & impia, vestibus præ dolore concissis talia clamitabat: ô serue Dei Seuerine, sic tibi illatæ à Deo vindicantur iniuriæ? hanc mei contemptus vltionem effusis precibus postulasti vt in mea viscera vindicares? itaque multiplici contritione ac miserabili lamentatione discurrens fatebatur se pro scelere contemptus, quod in virũ Dei commiserat plagæ præsentis vltione percelli, confestimque directis equitibus veniam poscens, Romanos, quos eadem die tulerat pro quibus & rogantem contempserat, transmisit, & abiens ad ergastulum, vbi aurifices operabantur dato eis sacramento euadendi mortem; sospitem suum recepit infantem, mox & illi dimissi sunt: his auditis reuerendissimus Seuerinus Christi seruus gratias Creatori referebat immensas: qui ob hoc interdum differt vota petentium, vt fide, spe, & charitate crescente, dum minora petuntur, maiora concedat: id namque egit omnipotentia Saluatoris, vt dum liberos sæua mulier subiecit seruituti, seruientes cogeretur reddere libertati: quibus mirabiliter impetratis, regina statim ad seruum Dei properans, vna cum marito monstrabat filium, quem fatebatur illius orationibus de mortis confinio liberatum, promittens se nequaquam vltra petitionibus eius obuiare.

*Quem timore non percellit ira Dei tonitruis declarata?*

102 *Peccaui etiam nunc orate Dominum vt desinant tonitrua Dei.* Quid timori tibi sunt tonitrua, qui Deum cœli & terræ non agnoscebas? qui ita animo elatus, vt omnia parui penderes, nunc murmure quodam nubium inter se collidentium attonitus, cogeris peccatum tuum fateri, vt cessationem eorum consequatur suis precibus Moyses? sane tantum terroris hæc fulmina Ægyptiis incusserunt, imo ipsi Pharaoni, vt Dominum valde formidaret, sibique placatum vellet, quem tam formidabilem experiebatur, & cuius nutui atque imperio in perniciem eius obsecundarent ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quem ergo timore nõ percellet ira Dei fulminibus declarata, cum obduratum eo vsque Pharaonis imperium mitigarint ac emollierint? de sancto Ceadda hæc narrat Venerabilis Beda lib.

,, 4. Inst. Ecclesiast. intantum erat (inquit) timo- A
,, ri Domini subditus, in tantum nouissimorum
,, suorum in omnibus operibus suis memor, vt li-
,, cet quidam frater, de iis, qui me in scripturis diui-
,, nis erudiebant, & erat in monasterio & magiste-
,, rio illius educatus vocabulo triumbert, referre
,, solebat, si forte legente eo, vel aliud quid agente,
,, repente flatus venti, ma or assurgeret, continuo
,, misericordiam Domini inuocaret, & eam generi
,, humano propitiari rogaret: si autem violentior
,, aura insisteret, iam clauso codice, procideret in
,, faciem, atque obnixius orationi incumberet: at
,, si procella fortior, aut nimbus perurgeret, vel
,, etiam corusci ac tonitrua terras, & aëra terre-
,, rent, tunc veniens ad Ecclesiam solicitus oratio-
,, nibus ac Psalmis, donec serenitas aëris rediret,
,, fixa mente vacaret: cumque interrogaretur à
,, suis quare hoc faceret, respondebat: non legistis, B
,, quia intonuit de cœlo Dominus & Altissimus de-
Psal. 17. ,, dit vocem suam: misit sagittas suas, & dissipauit
,, eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos;
,, mouet enim aëra Dominus, ventos excitat, iacu-
,, latur fulgura, de cœlo intonat, vt terrigenas ad ti-
,, mendum se suscitet, vt corda eorum in memo-
,, riam futuri iudicii reuocet, vt superbiam eorum
,, dissipet & conturbet audaciam, reducto ad men-
,, tē tremendo illo tempore, quando ipse cœlis ac
,, terris ardētibus venturus in nubibus cū potestate
,, magna & maiestate ad iudicandos viuos & mor-
,, tuos; propter quod inquit, oportet nos admoniti-
,, ni eius cœlesti debito cū timore & amore respon-
,, dere, vt quoties aëre commoto manum quasi ad
,, feriendum minitans erexerit, nec adhuc tamen
,, quatit, mox imploremus eius misericordiam,
,, & discussis penetralibus cordis nostri, atque ex- C
,, purgatis vitiorum sordibus, soliciti, ne vnquam
,, percuti mereamur, agamus.

*Afflictio, optimum ad salutem si velimus, remedium.*

103 *Peccaui etiam nunc, orate Dominum vt desinant tonitrua Dei.* Quandiu pacificus fuit, non legitur clamasse ad Dominum, quoniam sæpe delitiæ, voluptatesque, diuitiæ, honores, & inde rerum fœlix successus, non tantum Pharaoni, sed etiam nobis recordationem Dei eripiunt, & extinguunt, Domino per Oseam dicēte, iuxta pascua sua adimpleti & saturati sunt, & eleuauerunt cor suum (Osee 17.) & obliti sunt mei: quid ergo nunc potuit obstinatum in malo Pharaonem, ad publicam suorum peccatorum confessionem ita stimulare? ecce D enim ait peccaui. sane calamitatis & afflictionis virtus & potentia, quæ quibusdam stimulis hanc ab eo cognitionem delictorum elicuit, vnde recte S. Greg. Nazian. oratione 1. de pace, (Greg Nazianz.) *afflictio, (inquit) est optimum ad salutem Pharmacum.* recte Lactant. lib. 2. c. 1. (Lactant.) *si necessitas aliqua grauis pressferit, tunc Deum recordamur, si belli terror insremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegauerit, si saua tempestas, si grando ingruerit, ad Deum confugitur, à Deo auxilium petitur, Deus vt subueniat enixe oratur, si quis in mari, ventosa tempestate iactatur hunc inuocat, si quis aliqua vi afflictatur, hunc protinus implorat, si quis ad extremam mendicandi necessitatem adductus victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, &c.*

*Iusti orent pro peccatoribus, etiamsi sciant à peccatis non recessuros.*

*Peccaui etiam nunc, orate Dominum vt desinant tonitrua Dei.* Fingunt peccatores se se ideo velle à malis liberari, vt bene agant, sed ab ipsis liberati & erepti, in suis manent impietatibus, multa pollicentur dum flagellantur, sed si flagellum auferas, omnia mentiuntur: hoc in Pharaone & in Ægyptiis verissimum apparet, nam iniquissimus hic princeps multa Hebræis ore pollicebatur, quæ corde eis negabat, aiebat enim, orate Dominum, vt desinant tonitrua & grando, vt dimittam vos, & nequaquam hic vltra maneatis; expertus fuerat quantum apud Dominum possent celebres illi legati Moyses & Aaron suis precibus, & orationibus, ideo eos iterum accersere iubet, vt pro eo orare Dominum dignentur, quod pollicentur, nonne comperta vobis erat mens eius obstinata in malo? non vobis incognitum in obduratione animi permansurum? cur ergo Dominum pro eo deprecamini, quia iusti coram Deo preces fundunt, etiamsi sciuerint à peccatis non recessuros: consentit Hieronymus Oleaster (Oleast.) *discant hic viri sancti qualiter pro peccatoribus debeant orare, etiam si sciant eos à peccatis non cessaturos.* 104

*Maxima impietas hominis, qui non flagellis ad Deum reuocatur.*

*Peccaui etiam nunc, orate Dominum vt desinant tonitrua Dei,* confessio ficta, vlterius tamen simultate progreditur, *ego & populus meus impii,* impietas sane est, cum quilibet non infirmitate, vel ignorantia, vel quauis negligentia viam iustitiæ derelinquit, sed ex decreto peruersæ voluntatis & ardore nequitiæ iam delinquit, vt nec speret nec desideret in præsenti vel futuro, à proposito remoueri, nec ab eo velut canis ab vncto corio possit minis quibuslibet absterreri; si ergo & peccatum suum, imo & impietatem suam fatetur, cur eam præcauens tandem eam non deponit? nonne verbera Dei iam vsque ad nauseam sensisti? an diminuta est eius potentia vt ea multiplicare non valeat? cur ergo summa eius virtus ad veram peccatorum confessionem te nō adducit? sane tanta est aliquando impietas hominum, vt licet eam sibi compertam habeant, imo & fateantur vt Pharao, licet verbera Dei seuerissima in se experiantur, nolunt ad condignam emendationem reuocari, *patet* (inquit Philipp. Abb. lib. de Silent. Cleric. c. 8.) (Philipp. Abbas.) *quanto astu malitia Pharaonis cor nequam præpeditur, qui plagis multis & grauibus flagellatus, non tamen ad condignam pœnitentiam emollitur, sed diuina castigatione longè in deterius commutatur, vt eius castigator quasi lauare laterem videatur.* 105

*Quanta iustorum fiducia mediis in periculis?*

*Peccaui etiam nunc, orate Dominum vt desinant tonitrua Dei.* Quod quidem pollicetur, sed cum hac conditione post egressum suum ab vrbe, grandines miræ magnitudinis decidebant, homines & pecora vulneribus contundentes, fulgur coruscans per totum ferebatur aërem, tonitruis horrende æther resonabat, & hoc non obstante, 106

Moyses se ex vrbe egressurum dicit, vt orationem coram Deo funderet, quid ais? tot maximum terrorum omnibus Ægyptiis & ipsi Pharaoni incutientia non times? nonequidem, quia licet vniuersus consumatur orbis, omnesque præ timore exhalent animas, solus Moyses, solus seruus Dei est qui securus inter ignes, grandines, & tonitrua incedit, & in medio eorum palmas ad Deum extendit orans securus, & quietus: magna enim est iustorum in mediis periculis fiducia: quod recte S. Zeno serm. de timore annotat, *sine sine studens timere, ne quid præter Deum quē diligunt timeant, cuius suffragio Daniel populis terribilem inermis necat draconem, leonibus obiectus in periculo prandet qui solet extra periculum ieiunare Petrus æstu marino fertur non naufragus sed viator, timet profundum intercipere non timentem, nec tamen in teto dissimulat, ne per mare pedibus se ambulasse non credat.*

S. Zeno. Veron.

## *Etiam impij agnoscunt orationem debere esse feruidam.*

107 *Peccaui etiam nunc, orate Dominum vt desinant tonitrua Dei* Verbum Hebręum respondens verbo orate, est העתירו à verbo hathar quod est impensè, deuoto ac feruoroso affectu Deū deprecari, cur cum Pharao exposceret precationem Moysis, non contentus fuit verbo vti simplicem orationem denotante? cur ita feruidam desiderat? quia etiam impij noscunt orationes, quas coram Deo fundimus, non debere esse languidas sed feruidas; non tepidas sed accensas: quia tepida oratio, vt ait Bernard. serm. 4. in Quadragesima, in ascensu languescit & deficit, eo quod non habeat vigorem. quanta autem sit virtus & efficacia orationis feruentis, quæ talis est vt Deum liget, vulneret, incendat, declarat Gillebertus Abbas explicans illud Cant. 4. sicut vitta coccinea labia tua, ait, nimirum ea labia ligant & rutilant, quæ de tali fructu loquuntur, concepta in corde charitas, quasi ignis flammigerans coccineo colore labia inficit, per quæ erumpit, calor de excelso missus in corde germanum labiis præstat colorem, quid enim aliud sibi vult, quod coccinea dicuntur, nisi quod in hoc flammea demonstrantur, eo quod coccus igneo rutilet colore? labia hæc iam non altaris carbone purgari indigent & exteriori igne aduri; ipsa enim de interioris ignis flamma, iam flammea sunt, & conceptum visceribus de excelso ignem, aliis seminant, salutarem vtique disseminant scientiam, legem igneam, quam Dominus venit mittere in terram: bene coccinea labia quæ hunc ignem non solum in terram, sed etiam in cœlum mittunt, denique & ipsum cœli Dominum succendunt: ideo coccinea labia commendat, quod ibi coccinea sunt, quod ibi calentia videntur, quod illa flammea sentit & in mutuam amplius charitatem succendunt: mira res, ignis ipse est, & nostris tamen mardescit scintillis, quidni? & gladius est verbum Dei, & tamen vulneratur (vulnerasti, inquit, cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum,) vulneratur oculo, labiis inflammatur, etiam & ligatur: ideo vittæ comparatur, sed charitas vulnus est, vitta coccus, vides quam acuta, quam tenax, quam ignea est charitas, talibus inhærendo vtere labiis, tenaci velut vitta, vinculo memoriæ cordi tuo dilectum astringe, agglutina & succende illud succenso affectu.

S Bernard.

Gilleb. Abbas. Cant. 4.

Cant. 4.

## *Idololatras ab infidelitate reuocemus.*

*Peccaui etiam nunc, orate Dominum vt desināt tonitrua Dei.* Pollicetur, & addit, vt cognoscas quod Domini est terra, quoties coram eo Deum Hebræorum nominasti? nonne asseruisti paulo ante quod non est ei similis, nec in cœlo nec in terra cum sit visibilium & inuisibilium creator? cur ergo denuo repetis vt sciret terram esse Domini? aduerte quod Pharao licet Deum ore fateretur, corde tamen secundum aliquos negabat falsis numinibus addictus: quid mirum igitur, si toties tum in mirabilium operatione, tum in cladium amotione, Deum vnum nominat & prædicat? quia omnibus modis satagendum idololatras ab infidelitate reuocare *nitebatur sanctus Vir*, (inquit Oleast.) *impium & idololatram ad fidem vnius Dei conuertere, sed laterem vt dicitur lauabat.* 108

Oleast



## *VARIETAS LECT. à Vers 30. 31. & 32.*

*Vulg.* Noui autem quod tu & serui tui, necdum timeatis Dominum.

*Sept.* Et tu & serui tui scio quod nondum timuistis Dominum.

*Cald.* Noui enim quod tu & serui tui adhuc non humiliamini à facie Domini Dei

*Pag.* Quod non timeatis à facie Domini Dei.

*Arias.* Noui quia antequam timeatis à facie Domini.

*Vulg.* Linum ergo & hordeum læsum est, eo quod hordeum esset virens, & linum iam folliculos germinaret.

*Sept.* Linum autem & hordeum percussum est, hordeum enim ad vigorem venerat, linum vero semen faciebat, *Lyranus* linum iam tuellos fecerat.

*Pag.* Linum in calamo primitiuum.

*Caiet.* Quia linum erat.

*Oleast.* Quia hordeum spica erat, & linum calamus.

*Vulg.* Triticum autem & far non sunt læsa, quia serotina erant.

*Pagnin.* Triticum & zea non sunt percussa.

*Oleast.* Triticum & spelta non sunt percussa, quia obscura aut caliginosa, *ita etiam Vatab.*

*OnK.* Triticum vero & siligo non sunt percussa.

## CONCORDIA.

HEbraice est מפני mipene hoc est facie nempe Domini Dei, quiquidem est Hebraismus, recte à Vulgato nostro redditus: licet Cald. habeat humiliatum à facie Domini Dei, non à nobis discrepat, qui enim Deum timet, sub eo humiliatur: non est cur Oleast. dicat melius verti אביב abib spicam quam virens, nam vtrumque ex æquo significat, quia vero גבעל gibol & folliculi & calamus interpretatur, quapropter nonnulli hic verterunt & linum in calamo, subaudi erat, vel in calamum crescebat, vel linum calamus, Caiet. autem quia linum erat primitiuum vertit, ait redditur ratio cur linum læsum, eo quod prius maturuerat, vbi serotinum legimus habetur Hebraice אפילת quam dictionem ait Oleast. nullo modo significare serotinum, inquit, ægrè fero interpretes mutare sine necesA sitate vocabulorum significationem, aphilot enim solum significat obscura vel caliginosa, sed ipsemet Oleaster non est ferendus, qui inscitiæ nostrum in Hebraico idiomate versatissimum interpretem arguit, cui etiam fidem adhibere tenemur, Pagni. autem in suo thesauro linguæ sanctæ, explicans hanc dictionem Exod. Aphilot, ait, Caliginosa erant vel serotina, vtroque modo exponit Rabi Dauid, posterius sequitur D. Hierony. hæc Pagni. Videat ergo Oleast. si hanc significationem serotini non admittat citata dictio, vbi similiter habemus triticum Hebraice est הכסמת quod alii zeam siue speltam dixere, à radice כסם quod est tendendo adæquare, quod fit sine nouacula, hinc dicitur ait R. Dauid, Kusemet sea vel spelta frumenti genus à detrusione.

## EXPOSITIO.

NOui autem quod necdum timeatis Dominum, loB quitur Moyses de timore filiali & reuerentiali, vel de timore seruili solido & permanenti, ita vt eo permanente, cessantibus flagellis, dimittatis populum meum, nam certum est ad tempus, quo plagæ durabant timuisse Dominum, hæ enim eorum preces testantur, quæ ita eorum cor ad breue saltem tempus immutarunt, vt serio cogitarent populum dimittere; ideo enim paulopost Pharao liber à pœna ad ingenium rediens, rursum induratus dicitur, *linum ergo & hordeum læsum est*, quia vtrumque iam natum erat & propter teneritudinem facile grandine percussum, *triticum autem & far*, far olim generale nomen fuit ad omnia genera frumenti, ita dictum à ferendo quod à terra perferatur, siue à faciendo quod in pistrino fieret, præpararetur & contunderetur, hinc triticeum C far pro tritico veteres dixere, & hordeaceum far pro hordeo, & far adoreum pro certo frumenti genere, quod alii nomine ador appellabatur: farris nomine certum quoddam frumenti genus intelligimus, quod primum ab edendo edor. deinde litteræ primæ immutatione ador appellatum fuit, hoc autem far granum maius tritici grano, hoc far alii dixerunt zeam, licet vtrumque alii distinguant: hoc sit certum quod sicut nomine hordei comprehenduntur fruges citius maturescentes; ita nomine tritici & farris, comprehenditur quicquid ex frugibus tardius maturescit, vnde sequitur, *quia serotina erant*, quia nondum prodibant, sed latebant sub terra, alii existimant quod adhuc herbescentia essent, nec in calamum assurrexissent, & ita grandinis ictibus facile cedere potuisse, & cum creuerint facile fructus edere.

## CONCEPTVS.

*Non vult Deus suos nimia argui seueritatis.*

109 NOui quod tu & serui tui necdum timeatis Dominum. Mirum quod pro eis se deprecaturum pollicitus est, cur liberationem à plaga spopondit, si sibi compertum erat, hos Deum non timere, duros esse corde ac peruersos, populumque non liberaturos? an quia Dei calebat conditionem, quia in multa patientia sustinet vasa iræ, etiamsi sciat illam melius non euasura? ideo liberationem promisit & verba addidit illorum declarantia duritiem, vt ipsimet scirent eos Deum non decepturos, ita vt quasi ab illis deceptus putans meliora facturos, moueretur ad eos liberandos ob multam patientiam ac bonitatem, ne ipsi detrahere vel contra eum aliquando obloqui possent, ac de nimia conqueri seueritate: hac de causa sanctus Moyses pro eis se deprecaturum pollicetur, licet ab eis timorem Domini scuret abD esse, carnis adesse, vt adnotat August. qu. 35. in Exod. *de fragore cœli, inquit, & grandine exterritus erat Pharao, vnde rogabat Moysem vt oraret pro eo, confitens iniquitatem suam & populi sui: sed Moyses alium timorem quærebat, facile enim est pœnam timere, sed non est hoc Deum timere, ille scilicet pietatis timore de quo Iacob dicit Genes. 31. nisi Deus patris mei Abraham & timor Isaac affuisset mihi*, timebant ergo sed non Deum, damna sua timebant, quod licet sanctus non ignoraret Propheta, orauit tamen pro ipsis adaptans se Dei conditioni, qui vt ait Cyrill. Hierosoly. Cath. 3. de Baptis. ignoscit etiam denuo peccaturis, quod probat exemplo Achab. cui Deus ignouit, etiamsi ab improbitate sciret ipsum non cessaturum, non inducam malum in diebus eius dixit Dominus Heliæ 3. Reg. 21. vbi Cyrill. *& quamuis etiam post hanc indulgentiam ipse non erat à sua improbitate cessaturus, remit-*

S. Aug. — Genes. 31. — S. Cyrill. Hierosol. — 3. Reg. 21.

*... tamen Deus ignoscebat non ignorans quid esset* [illegible] A

### *Licet Deus in multa patientia nos expectet, tandem seuere iudicat.*

110 *Noui quod tu & serui tui necdum timeatis Dominum.* Cur ergo polliceris pro cessatione grandineæ cladis, qua iustissimè puniuntur, te deprecaturum? cum non ignoras pœnitentiam illius fictam, quod cum à timore immunis fuerit, redibit ad vomitum? cur ergo in multa ô Deus sustines vasa iræ, patientia? cur toties condonas? ecce nullo vero timore percellitur, licet sit in mediis grandinibus, cœlum fulguribus coruscet, & tonitrubus perstrepat: Deus sane optimus & longanimis obdurata hominum corda emollire satagens & laborans, sed B cum in multa sustinuerit patientia, pœnitentiam renuentes, tandem seuerissimum in eos exercet iudicium, audiendus est hac in re Saluianus lib. 2. de prouident. *In Ægypto ait, non simplex tantum, sed multiplex constat Dei fuisse iudicium, quotiescumque enim rebellantes percussit Ægyptios, toties iudicauit, sed post ea quæ diximus quid secutum est? Israel dimittitur, pascha celebratur, Ægyptios spoliat, diues abscedit, Pharaonem pœnitet, exercitum contrahit, ad fugientes peruenit, castris iungitur, tenebris separatur, siccatur pelagus, Israel graditur officiosa vndarum patientia liberatur, Pharao sequitur, mare super eum voluitur, fluctu operiente deletur, puto iam non absurdè in his quæ acta sunt Dei iudicium esse, & quidem non iudicium tantum, sed etiam moderationem ac patientiam, patientia enim fuit, quod Ægyptij rebellantes sæpè percussi sunt, iudicij quod contumacia pertinaces morte damnati,* idem ferè habet D. Macarius hom. 4.

Saluianus. 5. Macbar.

### *Potestatis diuinæ agnitio efficacissima est ad impetrandum.*

111 *Noui quod tu & serui tui necdum timeatis Dominum.* Si tibi compertum est timore Dei non percelli, cur promisisti te pro eis Deum deprecaturum pro cessatione fulgurum, læuæque grandinis? cur eorum preces non recepisti? cur quod non merentur tibi consequentur? quid dixerat antea Pharao? Dominus iustus, ego autem & populus meus impij, quasi dicens, ego cognosco tuam potentissimam & iustissimam manum in puniendis peccatoribus. en vt iustitiæ diuinæ & potestatis cognitionem præmittit, cum sanctorum patrocinium inuocat? quid ergo mirum si D consequatur quod postulat, cum agnitio potestatis diuinæ orationem reddat vt plurimum efficacem? quod D. Cyrill. Hierosol. Cath. 2. explicans, hunc vers. Psalm. 86. memor ero Rahab & Babylonis scientium me, continuat, ait enim, *etiam Dei bonitatem etiam inhonesta mulieres meminit in peccatis, sed non simpliciter meminit, verum scientium meminit,* vt diuinam potestatem sibi cognitam protestarentur, iam habuerunt, inde hi memorem Deum fecerunt, multaque ab illo beneficia receperunt.

Psal. 86. S. Cyrill. Hierosol.

### *Si orationi merita operationis adhibeantur, quid non obtinet?*

*Noui quod tu & serui tui necdum timeatis Dominum.* Si nondum timent, expecta quo vsque diuino timore percussi quod à te postulant, consequi mereantur: nihilominus tantæ bonitatis est Moyses, vt omnium immemor iniuriarum, suæque infidelitatis, nec non memor fictæ pœnitentiæ, dicat se palmas in cœlum extensurum, & cessationem grandinis se consecuturum: cur pro seipso Pharao Deum non deprecatur? quia cum nullius meriti, imo plurimorum peccatorum conscius, nihil à Deo consequeretur, orationi enim merita operationis adhibenda (vt fecit Moyses) vt postulata facile obtineas, quocirca D. Cyprian. de oratione Dominica verè fatus est, B *orantes autem non infructuosis, nec nudis precibus ad eum veniant, inefficax enim petitio est, cum precatur Deum sterilis oratio, nam cum omnis arbor non faciens fructum excidatur, & in ignem mittatur, vtique & sermo non habens fructum promereri Deum nihil non potest, quia nulla est operatione fecundus.* 112

### *Timor merè seruilis aliquantulum differt peccandi exercitium sed non voluntatem.*

*Noui quod tu & serui tui necdum timeatis Dominum.* Scilicet timore perfecto & filiali, sed solum seruili, ratione pœnarum inflictarum, at quomodo postquam obtinuit quod petiit, nempe cessationem sæuissimæ plagæ, peccatum suum auxit & magis induratum est cor illius? nonne timor à peccatis nos reuocat, & in virtutum facinora C nos trahit? quomodo igitur necdum cessat à peccatis, sed ea adauget? quia timor seruilis, quo non Deum sed damna timemus, licet aliquantulum peccandi differat facultatem, sed non voluntatem, acute Chrysolog. serm. 127. *facile denique in iustitia qui in causis non Deum, sed hominem pertimescit, hic timor peccandi facultatem differre potest, auferre non potest voluntatem, vnde etiam quod suspenderit à crimine auditores reddit ad crimen, & æstuat animo quousque perficiat quod cogitat malum, solus est Dei timor qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam seruat, perpetuam tribuit facultatem.* 113

Petrus Rauennas.

### *Pessimi omnium sunt qui omnem à se timorem excludunt.*

*Noui quod tu & serui tui necdum timeatis Dominum.* Non desunt asserentes Pharaonem nullum timorem habuisse verum sed fictum, simulatum, tamen nec humano percelleretur, quæso expendamus quid paulo antea dixerit, ego & populus meus impij, ad quæ Moyses, noui quod tu & serui tui necdum timeatis Dominum, quæ consequentia? sane optima, ille enim vere impius, imo omnium pessimus, qui omnem à se timorem expellit, quod Theophil. recte expendit, explicans illa Lucæ 18. iudex quidem erat in quadam ciuitate qui Deum non timebat, nec homines reuerebatur, ait, *vide autem maioris malitiæ iudicium esse, neque homines reuereri, dum enim multi Deum non timent, attamen homines reuerentur ideo & minus peccant, quando autem & apud homines* 114

Theophil. Luc. 18.

qui,

*quis impudens fuerit, tunc omnis malitiæ vertex videtur*, nihil malorum desiderabis in eo homine, quem nullus nec humanus timor teneat, is ad omnia mala se effundet, vt Pharao, quin potius ad illum omnia flagitia conuenient, tanquam ad malorum omnium centrum.

### *Timor reuerentialis siue filialis, humilitatis & vilitatis comes.*

114 *Noui quod tu & serui tui necdum timeatis Dominum.* Filiali scilicet & reuerentiali, timore Cald. noui quod tu & serui tui non humiliamini, cur vbi legimus timorem, reddit humiliationem? an pro eodem sumuntur? sane recte interpretatur timorem Dei, vnde S. Laurentius Iustinianus lib. de ligno vitæ tract. 1. de timore c. 5. explicans hæc verba Psal. 18. timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi ait, *reuerentia* (id est timor reuerentialis) *est resilitio à considerata magnitudine Dei in propriam paruitatem*, pende hæc vltima verba, instituto nostro accommoda, prosequitur, *quam enim supernorum spiritus essentiam Dei simplicissimam, omnipotentem, æternam, nullius egentem, omnia replentem, scientem, continentem, & transcendentem conspiciunt præ admiratione ac veneratione tremunt & adorant, quam tamen sine fine laudabilem & adorandam esse intelligunt.*

Laurent. Iustin. Psal. 18.

### *Deus iratus misericordiæ suæ memor.*

115 *Noui quod tu & serui tui necdum timeatis Dominum.* Et ita licet Dominus grandine percussent linum & hordeum, tamen adhuc illæsa manent far & triticum. Dices cur etiam ea non destruxit, cum ex eorum perditione maius damnum Ægyptiis fuisset illatum, quam ex sola linei & hordei perditione: nulli enim incognitum triticum longe necessarium esse vsui hominum quam hordeum, siue linũ. Dices quia serotina, sed licet tardiora essent non deerat Deo modus illa perdendi, sicut linum & hordeum, cur ergo ea illæsa reliquit? quia Deus etiam iratus, nescit non esse misericors in peccatores; ecce licet quod minus vtile hominibus consumpserit, tamen necessaria incorrupta ipsis reseruat, adstipulatur Hierony. ab Oleast. *cum iratus fueris Domine misericordiæ recordaberis, semper post se relinquere solet pius Dominus misericordiam, ne Ægyptij perirent reliquit triticum, & quod minus nobile erat, destruxit.* Oleast.

### *Carnis munditiæ fiet iactura, si comes ei non fuerit humilitas.*

*Noui quod tu & serui tui necdũ timeatis Dominum.* 116
Nihilominus triticum & far illæsa permanserunt, solum hordeo & lino læsis: mystice loquamur, licet hordeum contritum fuerit, mirandum non est, nam hordea delitiæ sæculares denotantur, quibus solum pascitur oculus, sicut viriditate hordei: sed cur incorruptum non manet linum, cum munditiam carnis adumbret? expende quid dicat textus, iam folliculos germinarat, iam in altum creuerat, licet in altum creuerit, an corrumpi debet? audi respondentem Tilmanum in alleg. *folliculos germinabat, id est in elationem excrescebat*, quid mirum igitur, si conteratur? carnis enim munditiæ fit iactura si comes ei non fuerit humilitas: quod annotat, S. Greg. Mag. 26. moral. c. 12. *sæpè spiritus sub Deo premitur, caro illicite super spiritũ non leuatur, habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen sub Deo recognoscit, iura legitima seruitutis, nam si auctorem suum superbiendo contemnit, iure & à subiecta carne prælium suscipit, vnde & ille primus inobediens mox vt superbiendo peccauit, pudenda contexit, quia statim contumeliam carnis inuenit*: & idem Doctor 32. moral. c. 12. *liquido omnibus patet, quia postquam semel hominis spiritum superbia ceperit, mox se ad corruptionem carnis extendit, quod in ipsis hominibus primis agnoscimus, qui cum post perpetratam superbiam pudenda membra contegunt, patenter indicarunt, quia postquam apud semetipsos intus arripere altaconati sunt, mox in carne foris erubescenda pertulerunt.*

Tilmanus. S. Gregor. Mag.



## *VARIETAS LECT. Vers. 33. 34. & 35.*

V*Vl.* Egressusque Moyses à Pharaone ex vrbe, tetendit manus ad Dominum, & cessauerunt tonitrua, & grando, nec vltra stillauit pluuia super terram.

*Cald.* Extendit manum suam in oratione coram Domino, & cessauerunt tonitrua, & pluuia quæ descendebat, non peruenit ad terram.

*Pag.* Et pluuia non est fusa super terram.

*Oleast.* Extendit volas suas.

*Vulg.* Videns autem Pharao quod cessasset pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum.

*Sept.* Videns Pharao quod cessauerunt voces apposuit ad peccandum, & ingrauauit cor suum & seruorum suorum.

*Pagnin.* Addidit vt peccaret, & aggrauauit cor suum ipse & serui eius.

*Vulg.* Et ingrauatum est cor eius, & seruorum illius, & induratum nimis, nec dimisit filios Israel, sicut præceperat Dominus per manum Moysi.

*Vatab. & Pagni.* Et induratum est cor Pharaonis.

*Lippom.* Et obriguit cor Pharaonis.

## *CONCORDIA.*

HVnc Hebraismum ויסף לחטא vaiosoph lachamo, & adiecit seu addidit peccatum aut ad peccandum hunc Hebraismum inquam recte vertit interpres dicens, auxit peccatum, consulto, (vt videre est) hîc vitauit repetitionem interpres Hebraico idiomati propriam, sicut præceperat in Hebræo est דבר dibber dixerat, seu loquutus fuerat.

## EXPOSITIO.

TEtendit manus ad Dominum. Deprecans eum A pro cessatione huius septimæ cladis, quod ilico consequutus est, *nec vltra stillauit pluuia super terram*, vide quod ante dixerimus quod simul cum grandine pluuia ceciderit, *videns Pharao quod cessasset pluuia*, se liberum ab hac clade cōspiciens, periculumque vitasse, *auxit peccatum*, ratione ingratitudinis & infidelitatis in promissis, nec non maioris in peccato obstinationis, *& ingrauatum est cor eius & seruorum illius*, toties ictum cor Pharaonis tot editis signis, tot plagis immissis, non est emollitum, sed induruit semper, ideoque durius in dies euasit, *nec dimisit filios Israel sicut præceperat Dominus per manum Moysi*, Hebraismus est, id est per Moysem, manus enim organum est organorum.

## CONCEPTVS.

### *Temporalibus bonis nimis fidentes, sub ipso Dei lumine magis à propria malitia obcæcantur & indurantur.*

117 TEtendit manus ad Dominum & cessauerunt tonitrua. Sed videns ea cessasse, nec non sæuissimam grandinem, cœlum factum serenum, auxit B peccatum, & ingrauatum est cor eius, & induratum est nimis, diuinæ potestatis hoc erat facinus quo & iræ suæ fulmina in grandine, & pluuiam cohibuit, & sub tanto diuinitatis testimonio, post datam fidem de restituendo libertati populo, dicitur tamen nimis induruisse cor, crescentibus miraculis, creuit duricies Pharaonis: cui crescentibus Dei beneficiis, augmentum accepit eius obstinatio, cum potius liquefieri, & omnino emolliri deberet? vt totus erat Pharao in acquirendo lucro ex luteis lateribus ab Israelita factis; sic ex luteis lucris quæ tractabat, totus ipse factus est luteus, vnde de luti more sub maiori lumine magis induruit, aiebat Orig. hom. 2. in Cant. *talis fuerat materia cordis Pharaonis, quæ præsentiam solis iustitiæ non ea parte quæ illuminat, sed ea quæ adurit & indurat, exceperit: propter hoc sine dubio, quòd & ipse affligebat Hebræorum vitam in operibus duris, & quod luto & latere conficiebat eos, & erat vtique cor eius secundum ea quæ cogitabat, luteum & limosum: & sicut materiam luti, sol ipse visibilis stringit & indurat, ita sol iustitiæ ijsdem radiis quibus illuminat populum Israel, Pharaonis cor cui inerant luteæ cogitationes pro ipsis motuum suorum qualitatibus indurabat* propone tibi Israelitam populum, & Ægyptium Pharaonem, sub eisdem luminibus miraculorum, Israelita in Dei cognitionem & adorationem excitabatur, illuminabatur: Pharao magis ac magis indurabatur, obcæcabatur; & cur quando Dei magnalia vtrisque monstrabantur, illi illuminabantur, hic obdurabatur? siue id proueniebat ex malignitate cordis Pharaonis, qui vt totus erat in acquirendis luteis lateribus, secundum ea quæ amabat luteum cor habebat, quod sub diuinorum lumine miraculorum non poterat moraliter non indurari.

Origenes.

### *Obstinati omnino cæci & insani.*

118 *Tetendit manus ad Dominum & cessauerunt tonitrua.* An grati tanto beneficio gratias Deo vel Moysi retulerunt? imo in oppressione tyrannica persisterunt, ingrauatum est cor eius, & seruorum illius, nec dimisit filios Israel sicut præceperat Dominus: nonne qui præcepit cessari tonitrua, grandinem, & fulgura, potest denuo ea suscitare, & maiori quam præcedenti flagello subiicere? cur ergo oblatam à Deo miserationem non deligitis? quia obstinati, omnino sunt cæci & insani, fauet Chrysost. hom. 22. in Genes. *vidisti ingratitudinis excellentiam: vidisti stupidas & doloris sensu carentes animas! neque pœnæ timor longanimitatis tempus arcuit illos à malis, sed semel deiecti in præceps, & mentis oculo excæcati, à mala concupiscentia quasi ab ebrietate quadam demersi redire vltro noluerunt.*

Chrysost.

### *Peccatores obstinati, ne propriis quidem commodis ad suorum scelerum pœnitentiam prouocantur.*

*Tetendit manus ad Dominum & cessauerunt tonitrua.* Quæ simul cum grandine non leue Ægy- 119
ptiorum bonis damnum inferebant, cum omnes confringeret arbores, herbas & olera contereret, homines & iumenta interficeret, nihilominus C cum cessare vidit Pharao tonitrua, grandinem, & fulgura, non solū Pharaonis, sed etiam seruorum eius cor est induratum: nonne vobis aliud grauius periculum imminebit? nam vobis superuentura est plaga, quæ à grandine non contrita consumet? cur ergo vester animus non emollitur? ecce enim iacturam bonorum omnium faciens; omnia paruipendunt, nescit enim obstinatus, nec malorū metu, nec iactura bonorum suam exuere contumaciam, sane his similis Rex Achab, quem Helias nec per supplicia, nec per beneficia à peccandi contentione potuit reuocare, vt recte obseruat S. Ambr. in enarratione Psal. 35. ad illa verba, noluit intelligere vt bene ageret, *debuit (inquit) intelligere Achab quod Helias vero* D *Deo seruiebat, cum videret in verbo Heliæ clausum cœlum tribus annis & tribus mensibus, & ad preces eius pluuias esse demissas, vt arida omnia rigarentur, sed noluit intelligere ne per fidem condemnaret fidem sequeretur*, idem de Pharaone dici potest, scire debuit Moysem vero Deo obsequi, cum tot prodigia operaretur à veneficis suis non perficienda, ex eorumdem testimonio, ad preces eius cœlum coruscans, fulguribus reddi serenum, grandinem omnia conterentem cessare, nihilominus nec propria sentiens incommoda, nec serui eius damna in bonis non leuia experti, sceleribus semper pertinaciter adhæserunt.

S Ambr. Psal. 35.

*Peccata peccatis addunt obstinati.*

120 *Tetendit manus ad Dominum & cessauerunt tonitrua.* Sed quasi nullum accepisset beneficium, verum maximam iniuriam, *auxit peccatum,* inquit noster Vulg. ex Hebr. *apposuit ad peccandum, vel adiecit vt peccaret*, nonne terminum peccatis tuis præfigere debes, cum Deus flagellis suis terminum constituat, finemque imponat? cur ergo accepta grandinis cessatione delictum auges & adiicis adhuc animum ad peccandum? quia obstinatus animus peccata peccatis accumulat: adstipulatur S. August. tract. 10. in Ioannem explicans illa verba cap. 5. Isaiæ, væ his qui trahunt peccata sua sicut vestem longam ait, *quis fecit vestem longam? quis peccato addit peccatum? quomodo adduntur peccata peccatis? cum peccata quæ facta sunt, cooperiuntur alijs peccatis, furtum fecit, vt inueniatur qui fecit quærit mathematicum, ecce duo peccata, cum ad mathematicum prohiberis accedere, blasphemas Episcopum, ecce tria peccata, cum audis mitte illum foras de Ecclesia, dicit duco me ad partes Donati, ecce addis quartum, crescit vestis time vestem*, ecce licet obstinatus in quantiscunque peccatis perseueret, adhuc non quiescit, sed quasi in via esse videtur, vt ad multa alia scelera progrediatur.

S. August.

Isai. 5.

*Oratio iusti frænum iræ Dei.*

121 *Tetendit manus ad Dominum & cessauerunt tonitrua.* Deus offensus Pharaoni, fulmina torquebat, sæuissimam mittebat grandinem in Ægyptios, & eorum agros & pecora, ecce Moyses in oratione extendit manus in cœlum, & omnia cessant, quis cohibere potuit iustissimam in peccatores vindictam? sane oratio iusti Moysis, quæ frænum est quo Dei ira coërcetur: ita ex sacris litteris deducebat Petrus Abailardus Epist. 3. *legimus Dominum Moysi dixisse dimitte me, vt irascatur furor meus: & Ieremiæ, tu vero inquit noli orare pro populo hoc, & non obsistas mihi: ex quibus videlicet verbis Dominus ipse profitetur orationes sanctorum, quasi quoddam frænum iræ ipsius immittere quo scilicet ipse coërceatur, ne quantum merita exigunt ipse in eos sæuiat.*

Petrus Abailardus emendatus.

*Suorum orationem Deus promptissime exaudit.*

122 *Tetendit manus ad Dominum.* Ecce expansis manibus, deprecatur iustus Moyses, quem morem & habitum retinuerunt olim Christiani orantes teste Tertull. cap. 30. Apolog. sic itaque nos ad Deum expansos vngulæ feriant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant, paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani: sed quid factum expandente manus ad Dominum Moyse? cessauerunt tonitrua & grando, an ilico? an paulisper Deus distulit deprecantis votis satisfacere, eius preces exaudire, vt tam facilem se præberet Pharaoni qui id à Moyse petierat? ecce tendente adhuc manus ad Deum, ilico fulgura coruscari desinunt, cessat grando, imo & pluuia inquit Caldæus, quæ descendebat, non perueniit

Tertullian.

ad terram, & quid mirum? cum promptissimus sit Deus ad suorum preces audiendas: sic enim loquitur regius Vates Psal. 33. oculi Domini super iustos & aures eius in preces eorum, quæ verba hac explicatione donat Saluian. 2. de gubern. Dei, *vide quā benignitate agere Deum cum suis dicit, vt hoc siquidem quod ait oculos Domini super iustos esse effectus aspicientis ostenditur; in hoc autem quod aures in precibus paratas semper exaudientis largitas demonstratur, quamuis id quod dicit diuinas aures in precibus semper esse iustorum non audientia tantum Dei, sed quasi quadam obedientia designetur: quomodo enim in precibus iustorum diuinæ aures sunt, quomodo nisi vt semper audiant? nisi vt semper exaudiant? nisi vt prompte audita tribuant? nisi vt illico exaudita concedant? semper ergo ad audiendas sanctorum preces paratæ Domini nostri aures semper attentæ sunt.*

Psal. 33.

Saluian.

*Illa oratio proficua est, quæ proximorum agit negotia.*

*Tetendit manus ad Dominum & cessauerunt tonitrua.* Non ilico cessare deberent, ne facile Pharao videns desideriis suis satisfactum iri, gratiam sibi factam contemneret, facillimo enim negotio obtenta vt in plurimum vilescunt: cur ergo ita efficax Moysis oratio? quid à Deo petebat? sane proximorum incolumitatem, vt inimicis condonaretur, illa autem oratio maxime proficua est, quæ eorum agit negotia, hanc rationem assignat S. Cyrill. Alex. lib. 3. in Isaiam, cur oratio Ezechiæ non fuerit exaudita, eo quod nulla sollicitudo, nulla cura pro suis ostenditur, imo audiens quod templum Dei & regia spolianda erant, & filii captiuandi nihil de iis sollicitus, soli sibi consulens pro se solo precatur, verba hæc sunt Cyrilli *Ezechias destituitur defensione, cum orationem non habeat quæ suis delictis opem afferat, deinde suis diebus pacem quærat, modo non valedicto suis posteris, & abiecta omnino cura, & regionis & suæ ciuitatis, & generis, verum in rem fuisset, et de his quæ prædicta sunt, luxisse, & à Deo misericordiam petiuisse, & posterorum nomine fœlicitatem non temporariam & contractam postulat.* 123

S. Cyrill.

*Reges suo exemplo plures quam lege siue ad bonum siue ad malum subditos excitant & polliciunt.*

*Tetendit manus ad Dominum & cessauerunt tonitrua.* Cladem hanc formidolosam videns Pharao cessasse, induratum est cor eius & seruorum illius, non miror cor Pharaonis indurasse, demeritis enim suis sibi hanc contraxerat cordis duritiē, tum ex inobedientia erga Deum, & ex tyrannide quam erga populum Israel exercebat, sed serui eius solum mandato Regis ad nutum illius obtemperabant, ad eos sermo Moysis non dirigebatur, nec eorum precibus, sed Pharaoni satisfaciens petiit à Deo cessationem tonitruum & grandinis: cur ergo cor eorum induratur? quid ait textus? induratum est cor Pharaonis; quid mirum ergo si etiam subditi eius duritiam & obdurationē mentis contrahant? Reges enim suo 124

exemplo, plures quam lege, siue ad bonum, siue ad malum subditos excitant & pelliciunt: quam recte S. Basil. oratione 10. quæ est de principatu & potentia sic disserit, *honestum sane & æquum est, ut semper deterius à præstantiore gubernetur, sæpe enim temeritas populi ad improbos homines principatum detulit, proinde necesse est huiusmodi viris mandare magistratus, ac eos aliorum constituere duces, qui cæteros omnes prudentia, constantia, ac vitæ sanctimonia longe antecant, ut virtutes quibus præditi sunt, communes fiant eorum omnium qui eos imitantur: nam ad mores eorum qui gubernacula tenent, componere se se totos impij qui parent solent, ita quales duces fuerint, tales etiam necesse sit eos qui sequuntur, & quales fuerint in republica principes, tales in plurimum existere solent etiam reliqui ciues: nam quemadmodum si plures pictores unius faciei formam fingerent, omnes imagines similitudinem quandam inter se habebunt, eo quod ad exemplar unius picta sint: sic etiam multi mores si ad unius imitationem respexerint, in omnibus æque bonus vitæ character elucescet.*

S. Basil.

### *Peccatum secundum in eodem genere peius est primo.*

*Tetendit manus ad Dominum & cessauerunt tonitrua.* Nihilominus quasi à Moyse maiori affectus fuisset iniuria, *auxit peccatum*, in quo? in eo quod noluit dimittere populum, nonne antea peccato inobedientiæ offenderat, cum liberum discessum noluit concedere ex Dei mandato, populo Israelit & peccatum quo nunc delinquit est etiam peccatum inobedientiæ, cur ergo dicitur auxisse peccatum? quia peccatum secundum in eodem genere, peius est quam primum saltem ratione circumstantiæ. 125





# CAPVT DECIMVM.

## SYNOPSIS.

Locusta Pharaoni non totum Dei mandatum concedere volenti, post legatorum eiectionem, infligitur, intuitu Mosis aufertur: obdurato Pharaoni tenebrę magnæ immittuntur, de totalitate mandati Domini non implenda Pharao cum Moyse disputat, ingrauatus corde Moysem à se reiicit, cui ad se ingressum sub mortis pœna interdicit, qui omnia hæc à Rege æquo animo tulit.



### *VARIETAS LECT. Verſ. 1. & 2.*

VVlg. Et dixit Dominus ad Moysen, ingredere ad Pharaonem, ego enim induraui cor eius, & seruorum illius vt faciam signa mea hęc in eo.

*Sept.* Vt deinde superueniāt signa hæc super eos.

*Cald.* Ingrauaui cor eius, & cor seruorum suorum vt ponerem signa mea hæc in medio eorum.

*Arias.* Aggrauare feci cor eius ad ponendum me signa mea hæc in interioribus eius.

*Vulg.* Et narres in auribus filii tui, & nepotum A tuorum, quoties contriuerim Ægyptios, & signa mea fecerim in eis, & sciatis quia ego Dominus.

*Sept.* Vt narretis in auribus filiorū vestrorū, quęcunque illusi Ægyptus & signa mea quę feci eis.

*Cald.* Vt narres coram filio tuo, & coram filio filii tui miracula quæ feci in Ægypto, & signa mea quæ posui in eo.

*Oleast.* Vt narres in auribus filii tui, quod racemauerim Ægyptios.

*Alij.* signa quæ ego tentauerim in Ægypto.

### *CONCORDIA.*

REcte noster interpres reddidit sensum verborū idiomatis Hebraici, cum ait vt faciam signa mea in eo, nam Hebraice sic habetur למען שתי אתתי אלה בקרבו Lemahā seci ototai elle bekirbo vt ponā signa mea in medio eius, verbū עלל alal vauę admodū est significationis, interpretatur enim facere, operari, deuastare, illudere, vin- B demiare, racemare si esset in vsu, licet Oleast. cōtēdat pręcipue hoc vltimū denotare, & ex cōsequēti spernere, vel illudere, sed sanè in aliis significationibus pluries reperitur, hinc orta est varietas lectionū, quę adinuicē tamen non discrepant.

### EXPOSITIO.

INgredere ad Pharaonem, nempe in domo eius Regia eum alloquere, *ego enim induraui cor eius & seruorum illius*, iam quomodo hæc induratio à Deo fiat dictum est superius, induratio autem

hic sumitur pro Dei sustinentia & negatione eorum quibus emolliretur ad quæ sequuta est ex eius malitia induratio, cum autem & negatio, & Dei patientia bona sint, non mirum est & hæc à Deo in bonum finem ordinari, vnde ait, *vt faciam signa mea ego in eo*, non quasi captans supplicii materiam, puta culpam, sed positam iam eius culpam iustissime ordinans ad meritam pœnam, & iustitiæ suæ gloriam, *& narres in auribus filij* A *tui & nepotum tuorum*, his verbis Moyses Israelitici populi personam sustinet, quasi dicat vt enarretis filiis & nepotibus vestris ponunturque filius & nepos, pro toto populo, sicut pars pro toto, & quandoque totum pro parte, *quoties contriuerim Ægyptios* diuersis in eos immissis cladibus, *& signa mea fecerim in eis*, potestatis meę manifestatiua, *& sciatis quia ego Dominus*, quia plures ex vobis duri futuri sunt corde, vt Ægyptii.

## CONCEPTVS.

*Parentes filios instruant in ijs quæ ad Dei gloriam pertinent.*

1 INgredere ad Pharaonem, *&c. & narres in auribus filij tui & nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios, &c.* Nonne satis est id compertum habere Moysen, nec non omnes Hebræos, B qui tunc temporis erant? quid tibi curæ est eorum successores notum habere? nam quæ tibi vtilitas? vel quid eis emolumenti si sciuerint ab Ægyptiis pœnam sumpsisse? nonne hoc spectabat Dei gloriam, qui sciuerit hostium populi sui ferociam & tyrannidem comprimere? merito ergo iubet Deus, vt signa & mirabilia quę fecerit in Ægypto, narret & filiis & nepotibus; debent enim parentes suos instruere filios, in iis quæ ad Deum colendum & timendum pertinent, vnde recte hic Oleaster, *audis hic qualiter parentes teneantur docere filios suos ea quæ ad gloriam Dei pertinent, & fidem, nam ex huius cognitione, homines in fide firmantur, & Deum beneficum diligunt.*

Oleast.

*Tenera ætas flexibilior ad vitia quam ad virtutes.*

2 *Ingredere ad Pharaonem, &c. & narres in auribus filij tui & nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios.* Nonne qui futuri sunt nepotes Moysis, hanc nauare poterunt operam, vel ex sacris litteris, vel alio quocumque modo, ita vt quomodo contriti fuerint Ægyptii à brachio Dei excelso, quæque in eis mirabilia operatus fuerit, discere valeant? quid ergo hoc Moysi impositum præceptum, vt filium & nepotes instruat de Dei fortitudine & æquitate? quia optimæ educationis virga indiget adolescẽtia, vt laudes & gloriam Dei addiscat, cum magis in mirabilium Dei obliuionem quam recordationem propendat, iuxta illud D. Hieronymi ad Gaudent. Epist. 12 *vt aqua in areola digitum sequitur præcedentem, ita ætas mollis & tenera in vtramque partem flexibilis est, & quocunque duxeris trahitur*, cum D. Ambr. lib. de interpretatione Iob c. 7. consentit, nam ad illa verba consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ Iob. 19. vers. 29. *pulchre* (inquit) *id ætatis arripuit ad querelam, quæ magis ad vitium lubrica esse consueuit*: & statim laudatis ætatibus: subdit, *adolescentia sola est inualida viribus, infirma consiliis, vitiis calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa delicijs.*

S. Hieron.

S. Ambros.

*Iustitia clementiæ rore temperanda.*

3 *Ingredere ad Pharaonem, ego enim indurauí cor eius.* Quomodo ita obcæcata mens Pharaonis? nam licet tonitrua non cessassent, illa clades grandinis non ita seuera & rigorosa, vt duritiem mereretur; nam quid ait textus? pluit Dominus grandinem, non dixit immisit, cum grando non plui sed deiici immittiue soleat, cur non immisit? sane vt non sine refrigerij atque consolationis pluuia supplicii grando immissa videatur; sic enim non vndique supplicium igneum, sed pluuiæ dulcedinis & consolationis admixtum, vt non tam ad conflagrandum, & destruendũ, quam ad consolandum, quam ad irrorandum factum videatur: quod sanctus Theophilus Patriarcha Antioc. lib. 1. ad Antolycum sic erudite disserit, *nubes à terra extremitate sursum rapit, fulgura cum imbribus multiplicat, mittit fulmen in terrorem mortalium, fulminisque fragorem, coruscante fulgore prædicit, ne anima prostrata, & subito consternata, è mortali corpore euolet: fulguris ex cœlo descendẽtis magnitudinẽ ita contemperat, ne terram comburat, nam si suo arbitrio feratur orbis, concremaretur, si tonitrua suo impetu ferantur, omnia quæ in orbe sunt subuerterentur, vehemens est Deus, & vniuersorum Dominus*, (ac si diceret, en Dei mei, veri inquam Dei à fabulosis C diis quam dissimilis characterem, & notam? hi quippe fulmina in Vulcani officina & durissimo ferro & chalybe conflare & construere dicuntur, vt immedicabile vulnus & acerbum ac insanabilem dolorem afferant, Deus vero meus illa non nisi ex blanda nubium materia, vt rore simul ac flamma contemperata admixtam misericordiam & benignitatem secum deferat, fabrefacere consueuit; auram refrigerii & consolationem supplicio conferens, vnde hunc recte Steph. Cantuariens. explicans citatum locum Exod. ait, *pluuia suauis est, grando contundens, & Deus ipsa sanat sua percussione, & nutrit, manus enim eius percutit & medetur.*

S. Theoph.

Steph. Caut.

*Pœna aliorum nostra instructio.*

D *Ingredere ad Pharaonem, ego enim indurauí cor eius,* deinde subiungit, *& narres in auribus filij tui & nepotum tuorum.* Cur vis compertum habere filios & nepotes Moysis, vel potius populum Israel, te cor Pharaonis indurasse? nonne hoc te Deum seuerissimum esse declarat, non amore dignum sed solum timore? at expende quæ prosequitur, quoties contriui Ægyptios, & signa mea feci in eis, quasi diceret, plura operatus sum in vniuersa terra Ægypti, vt ad mentem meliorem eos reuocarem, sed cum indulgentiam meam contemptui haberent, permisi vt corda eorum indurarẽtur, sed dic solum signa quæ in Ægypto operatus es notum habeant non autem te cor Pharaonis indurasse, imo non eis hoc sit absconditum, vt

sciant quod etiam si obstinati fuerint eadem pœna eos manebit. *Plaga Ægyptiorum* (inquit noster Lyranus) *sit eruditio filiorum Israel, ne similiter induerentur, & eadem patiantur.* Noster Lyranus.

*Deus suos à tædio & suspicione liberat.*

5. *Ingredere ad Pharaonem, ego enim induraui cor eius, vt faciam signa mea hæc in eo.* Cur hominem ita pertinacem & obstinatum, qui sæua tyrannide tuum opprimit populum, qui beneficiis deterior redditur, vltimo non afficis supplicio? nonne suspicari poterit Moyses regẽ semper sibi illusurum, cum in eadẽ semper induratione permaneat, nec flagellis humilius fiat melior? sed cur ô Deus toties seruum tuum mones duritiei Pharaonis? scite Alphõsus Tostatus. *Prænũciat hic Deus Moysi quid futurum esset, vt non affligeretur tædio, nam Moyses toties signa fecerat coram Pharaone, & Pharao liberatus fefellerat eum nolens tenere sponsionem, quod Moyses tædio afflictus desperare posset de liberatione, videns totiens plagas numquam proficere, vt ergo credat ista de voluntate Dei, prædicit ei, quod si etiam hac vice percutiat eum, tamen cor Pharaonis durum manebit sicut consueuit.* Tostatus.

*Publici iustorum persecutores æterna puniendi sunt infamia.*

6. *Ingredere ad Pharaonem, ego enim induraui cor eius. &c. hæc autem narra in auribus filij tui, & nepotum tuorum.* Nonne sufficeret, Deum exigere ab Ægyptiis pœnas meritissimas? supplicium toti Ægypto inferre ob mentem in malo obstinatissimam? cur ergo etiam hoc satagit, vt in omnium cognitionem, quibus flagellis suæ impietati debitis puniti fuerint, deueniat? experiantur ipsi incognita manente eorum pœna, sicut culpa, imo curat vt nepotibus suis ea non abscõdat Moyses, sed aperta & manifesta faciat omnibus. publici enim iustorũ persecutores, æterna puniendi sunt infamia. quod obseruat factũ iudæis Christi Domini & suorũ homicidis S. Greg. Naz. in Athan. *Vt sodomitæ quorum scelera vulgatissima fuerũt toto orbe, pœna tamẽ multo nobilior & vulgatior est, igne scilicet & sulphure consumpti sunt: ita iudæi quorum facinus illud immane crucis toto orbe nobilitatum est, & pœna incendij toto orbe vulgatissima est, ferro, fame, & incendio sunt consumpti, & Sodomitis similes effecti,* sic æterna donantur nominis infamia, qui Dominum suum sunt persecuti.

*Iudæi duro corde.*

*Ingredere ad Pharaonẽ, ego enim induraui cor eius.*
7. Vt faciam signa mea hæc in eo, sed quasi non satis esset Moysen signa Dei, & populum Israel comperta habere, sic ait, *& narres in auribus filij tui, & sciatis, quia ego Dominus.* Nonne vnius veri Dei cultor est populus tuus? nonne nepotes illius vnum Deũ venerabuntur, derelicto idolorũ cultu? cur igitur ita satagis vt auditis quæ in Ægypto operatus fueris, signis & mirabilibus, in tui veniat cognitionẽ nominis sciantque solũ te cœli & terræ Dominum? obserua præuidisse Deũ futuros duræ ceruicis & mentis obstinatissimæ iudæos: quod pluribus exemplis illustrat S. Chris. hom. 4. de laudibus Pauli, quoties inquit, iudæi vocẽ audierũt de cœlo in nouo & in veteri testamẽto, nec tamen facti sunt idcirco meliores? nam in veteri, Iudæi post mille miracula, pro Deo vitulum quẽ fecerũt, adorauerũt, & in terra repromissionis, Iudæi signa vidẽtes, permanebãt lapidibus duriores: in nouo etiã addit Chrys. sub præsentia ipsius Christi latro quidem cum crucifixũ cerneret, adorauit, Iudæi vero qui eũ spectauerũt mortuos suscitantẽ, affecerũt cruci. quid mirum igitur si Deus dixerit Moysi, vt filiis & nepotibus signa & mirabilia quæ in Ægypto fecerit, enarret, & hac de causa sciãt se esse Dominũ: quia Iudæi futuri erãt duri corde & incircumcisæ ceruicis: hoc nos docet Abul. *Volo quod nõ solum Ægyptij cognoscant me esse Deũ ac Dominũ, sed etiã vos: & licet fide teneatis me esse Deũ, volo tamen quod adhuc in signis mirabilibus cõprobet, nã Hebræi semper fuerunt duri, & sine signo non credunt, ideo petebãt sæpe à Deo signa, vt patet Math. 8. sic quoque ait Apostolus 1. Corint. 1. iudæi signa quærunt, Græci autẽ sapientiã.* S. Chrysost. Abulens. 1. Corint. 1.

*Deus cum seuere castigat quasi iocose ludere videtur.*

*Ingredere ad Pharaonem & narres quoties contriuerim Ægyptios & signa mea fecerim in eis,* Sep. legũt *vt narres quæcũque illuserim.* Quid? nõne vera fuere signa quæ in Ægypto operatus es? aut ficta cõuersio aquæ in sanguinẽ? an eorũ animos deludebas cum ranarũ, sciniphũ innumerã multitudinẽ producebas? an cum grãdine & peste tot interfecta fuere animalia, ludum dicis? quasi perierint, illusit (inquiunt Sep.) & reuera Deus cum seuere eos punit, videtur non serio hæc agere, sed quasi iocose ludere: hæc dixerim ad mentẽ Card. Caiet. sic scribentis. *Ad similitudinem illudentis videtur hæc signa fecisse: hoc est iocoso contemptu Pharaonis fecit hæc in Ægypto, & vere signa omnia vsque ad mortem primogenitorũ exclusiue relata ad diuinæ omnipotentiæ similitudinem habẽt illusionis, quasi non serio, sed ioco afflixerit Deus Pharaonẽ & Ægyptios leuia cum omnia effecit modo ludẽdo, & quasi statim tollendo læsionẽ, ita quod ex parte leuitatis plagarũ, & ex parte cessationis similitudo iocosa afflictionis potius quã rei gestæ serio à summo Deo potente maximas plagas infligere apparet, & propterea vocatur illusio Ægypti.* 8. Cardinalis Caietan.

*Si Deus aliquando finaliter impium non punit, sane non ex impotentia sed ex bonitate.*

*Ingredere ad Pharaonem, & narres in auribus filij tui signa quæ fecerim,* Sep. *quæcumque illusi Ægyptiis.* 9.
Cur vt notum haberes populũ Israel te solũ cum Ægyptiis lusisse in tot mirabilium operatione? crudeliter in eos sæuiebant Ægyptij, intolerabili eos tyrannide opprimebant, & tu cum eis iocose ludebas? nonne vel te impotẽtem, vel nullius in populum tuum beneuolentiæ arbitrabuntur? non ex impotentia finali populum obstinatum afficiebat supplicio, sed ex bonitate, hoc distulit vt ad bonam mentem eos reuocaret. *Manifestauit Deus* (inquit Caiet.) *hanc illusionis rationem narrandam in successiũ generationum Israel, vt discerent posteri quod non ex impotentia immisit has paruas plagas & tot vicibus abstulit, sed ex sapientia volens primo ignominiam illusionis exercere in Ægypto & demum punire, more principum qui nobilem aliquem aliquanto tempore illuserint & afflixerint afficiunt, demum occidunt.* Cardinal.

*Deus à nobis gratū animum de suis exigit beneficiis tanquam quid nobis vtilissimum.*

10. *Ingredere ad Pharaonem, & narres in auribus filij tui signa quæ fecerim in eis.* Quis tuæ gloriæ aliquid conferre potest? quid vtilitatis tribuere? nonne omnium es Dominus qui nullius eges, omninò imo in te solo omnium est sufficientia bonorū: cur ergo satagis, vt Moyses narret futuro populo Israel, signa quæ in Ægypto feceris? an aliquod gloriæ, vel bonorū tuorū augmentū futurū est? non equidē, sed ab eis animi gratitudinē quærebat, cū tot mirabilia in sui gratiā, & vt eos à dura seruitute eriperet, operatus sit: & sane quemadmodū hic Moysi tanquā principi & capiti gentis suæ hæc cura imponitur à Deo, ita quoque omniū temporū fidelibus Ecclesiasticis & politicis quorū personā sustinebat Moyses, hæc cura diuinitus imposita est, vt sui tēporis extraordinaria prodigia posterorū memoriæ transmittāt: habet nāque id non solum diligentiæ, sed & pietatis & gratitudinis plurimū, quā à nobis præcipue Deus exigit, tanquā nobis vtilissimā: nā vt optime Albert. Magnus in Parad. animæ cap. 25. *Quāto maior est in anima erga Deum grati animi affectio, tanto redditur idonea magis & capax ad vberiorē Dei gratiam recipiendā, & tanto amplius liberalissimus Deus quasi cogitur ad largiendum* & S. Chrys. hom. 71. ad pop. Antioch. *gratitudo magna, maxima vtilitas hominis, qua cognoscemus benefactorem à quo propter hoc ipsum cumulatiora bona recipiemus.*

Albertus Magnus.

Chrysost.

*Et in prosperis & in aduersis gratitudinem exhibeamus.*

11. *Ingredere ad Pharaonem, & narres in auribus filij tui & nepotum tuorū quoties contriuerim Ægyptios, & vt sciant quia ego Dominus.* Diximus in præcedenti conceptu, Deū voluisse ab eis gratitudinē exigere, cum ab eo tot beneficiis donati fuerint. qua de causa grati esse tenentur? quia mirabilia operatus est in Ægypto, vt eos à crudeli seruitute eriperet: sed an solū pro libertate consecuta gratias debēt referre, non autē quod in seruitute per tot tēpora fuerint, quod miseri extiterint? ita sane, nā non solū pro prosperis sed & aduersis gratias agere debemus: quod late prosequitur S. Chrys. plurimis in locis, vt hom. 2. in Epist. ad Rom. ho. 19 ad Ephes. & alibi. in priori loco sic ait. *Gratias agere cōuenit non diuites modo, sed & paupertate oppressos, non sanos sed & ægrotātes, nō eos quibus prospera omnia, sed & eos quibus aduersa contigerūt: Deo enim tunc gratias agere cum secundo cursu feruntur nihil mirū fuerit, at vero cum innocētes, sub ipsa tempestate, iactataque vndique nauis periculū incurrerit, tum demū existit, magna patientiæ: magnanimitatisque probatio.* & secūdo loco sic differit. *pro omnibus quæ accidūt oportet gratias agere, etiā si morbus sit, etiā si paupertas sit, etiā si rationē nescias, age gratias, hoc enim est reuera gratiarū actio; sin autē cum sis beneficiis affectus, opulentusque locuples, & res tuas bene geras, omnia tibi prospere succedant agis gratias, non est mirum nec mirandū, quod quæritur autē est vt gratias agas qui es in afflictionibus, pro ipsa gehenna oportet Deo gratias agere, pro pœnis & suppliciis quæ sunt illic*: subiūgit paulo post, *cum paupertate, morbis premimur, cum nobis insultabitur maledictis, & calumniis, tum intendimus gratiarum actionem, non verbis neque linguis, sed rebus & factis & cogitatione & corde.*

D. Chryso.

*Obstinatos Deus admonet, si non ad emendationem, saltem in eorum confusionem.*

*Ingredere ad Pharaonem, induraui enim cor eius.* 12.
Nonne dicere potuisset Moyses si eum indurasti, quid ergo me iubes ad eum ingredi? frustraneum enim est quicquid fecero; verum sic agit Deus, quod etiam obstinatos admonet, si nō ad emendationē, certe in testimoniū illis & confusionē: sic Isayas prædicare iubetur, & simul enarrare, sic Christus quamuis sciret Iudæos non conuertendos, tamē non abstinuit ab admonitione, in testimoniū illis; vnde si non venissem inquit Ioan. 15 peccatū nō haberēt, ob eamdē causā, etiā leprosos mundatos ad sacerdotes mittit in eorū confusionē. *Et in hoc, (inquit Lippo) intuenda est Dei incōprehensibilis sapientia & bonitas, qui adeo malorū hominum impietatem non prohibet, vt non tantum impios illorum conatus penitus frustretur, sed eisdem etiam ad bonum & gloriam nominis sui, vt ita dicam, abutatur, quod non semel scriptura.* Lippom.

## *VARIETAS LECT. Vers. 3. & 4.*

*Vulg.* Introierunt ergo Moyses & Aaron ad Pharaonem, & dixerunt ei, hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, vsquequo non vis subiici mihi? dimitte populum vt sacrificet mihi.

*Sept.* Quousque non vis reuereri me? dimitte populum meum vt seruiant mihi.

*Cald.* Hoc dicit Dominus Deus Hebræorum, quo vsque non vis humiliari coram me?

*Onk.* Quousque non vis te humiliare coram me? dimitte populum vt cultui vacet coram me.

*Caiet.* Vsquequo renuisti ad humiliandum te coram faciebus meis?

*Vul.* Sin autem resistis & non vis dimittere eū, ecce ego inducam cras locustam in fines tuos.

*Sept.* Ecce ego induco hac hora, crastino die, locustam multam in omnes fines tuos.

*Cai.* Ecce adducam cras locustam in terminos tuos.

## *CONCORDIA.*

Vsque quo nō vis subiici mihi? recte reddita sunt ab interprete iuxta ea quæ sunt in Hebræo. עד כתי מאנת לענת מפני had mathai meanta lehanot mippanai, vsquequo renuis submittere te mihi, vel humiliari corā me? & licet Sept. aliquo modo discrepare videātur, sic enim habēt ἕως τίνος οὐ βούλει ἐντραπῆναί με, vsquequo non vis reuereri me? eundē enim sensum habent cum aliis lectionibus, coactus autē fuit interpres in aliis, vt effugeret eorumdem verborum repetitionē, vertere vt videre est: locusta Hebraice ארבה arbeh Oleaster au, multi arbitrantur aleph in nomine

arbeh non esse radicale sed potius seruile, & radicem nominis esse רבה rabah, quod multiplicaA re significat, eo quod insectum illud in immensum soleat multiplicari numerum.

## EXPOSITIO.

INtroierunt, in domū eius regiam, *vsque quo non vis subiici mihi?* id est mandatis meis non obtemperare, sed potius ex mentis induratione, repugnare. *sin autem resistis*, cum ex multis scripturæ locis, constet neminē posse voluntati Dei resistere, quomodo Pharao iniquissimus Rex potuit eidem reluctari cum vellet Dominus populū suum Ægyptū egredi, quē tamē Pharao nō obstante Dei ordinatione retinuit? dicā ipsum Deo restitisse, eo modo quo S. Stephanus affirmauit, Iudæos Spiritui sancto per prophetas loquenti restitisse, nō credēdo neque fidē adhibendo; monitis eorum: vel theologice, asseram ipsum Pharaonē obstitisse voluntati signi, quæ non semper impletur, non autē volūtati beneplaciti, quæ suū semper sortitur effectū, volebat enim Deus præcipiēdo, monē[do], visitando, [ips]um Pharaonē, ad vitæ emendationē adducere [s]ed ne[que] & quāuis Deus non [nisi] vna [s]i voluntatē [habet, ... ] velle habeat, quod est eius [m]ulta ... tamen diuinū relatum ad præcepta, monita, consilia, prohibitiones & similia appellatur voluntas signi, cui repugnamus quoties non obediendo Dei præceptis peccamus, velle autē relatum ad illa, quæ æterna disposuit executioni mādari, vocatur voluntas beneplaciti, quæ semper adimpletur. *Ego*

B *inducam cras locustam in fines tuos*, locustæ nomine innumeram locustarum multitudinē significat, hæc autem fiunt octaua plaga, qua percussa est terra Ægypti.

## CONCEPTVS.

### *Inobedientia locum flagellis Dei parat.*

13. V*Squequo nō vis subiici mihi?* Cald. vsquequo non vis humiliari sub me? *sin autē resistis ecce inducam cras locustam*, cur hac plaga intolerabili, adhuc populū Ægypti minaris te percussurum? nonne ipsemet Deus tibi satisfacit? non vis mihi subiici, nec mādatis meis obtēperare, sed in inobediētia permanere, flagellis ergo grauissimis nō parcā, meritas ab inobediente pœnas desumam.

C S. Bernard. vnde recte nos reuocat ab inobedientia S. Bern. hom. 1. super Missus est. *Disce homo obedire, disce terra subdi, disce puluis obtemperare, de autore tuo loquitur Euāgelista, & erat, inquit, subditus illis, haud dubium quin Maria & Ioseph. erubesce superbe cinis, Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus? tuo te præponis authori. si hominis, ô homo dedignaris exēplum! certe non erit tibi dignum sequi authorem tuum, si non poteris forsitā sequi eum quocunque ierit, dignare vel sequi quo tibi condescendit; ni enim obedientissimum Domini sequaris exemplū, sed eorum qui Dei mādatis nesciunt obedire, plagas & flagella non effugies*, nam S Ephrem. etiam inquit S. Ephrem. in tract. de virtute, *in ciuitatibus populi puniuntur fere propter inobedientiam atque contumaciam, ceruicemque duram plectuntur.*

### *Voluntas propria, pessima magistra.*

14. *Vsquequo non vis subiici mihi?* Quare non ait, vsquequo non mihi subiiceris? cur ait, non vis? quia voluntatē propriā pessimā sequebatur magistram, ratio enim ei suadebat Dei mandata exequi, consiliū legatorū ipsius amplecti, in dimittendo populo Israel, sed voluntas propria eum edocebat Dei mandata contemptui habere, nulli tanquam omnibus superiorē subiici debere. quo

Cit. Bernar. quid ineptius? vnde cit. Bernard. serm. 19. in cant. *illam qua toties Deum conscientiis nostris testibus offendistis, propriam scilicet voluntatem vestrā, nunc iterum magistram habetis, nonne illa vos docet naturæ non parere? rationi non acquiescere? non obtemperare seniorum consiliis. vel exemplo? non obedire nobis?*

### *Superbus ad obediendum piger, ad lacessendum alios promptus.*

*Vsquequo non vis subiici mihi?* Cald. *non vis humiliari coram me?* En vt arrogantia eius denotatur, qui licet Deum agnouerit, & hunc omnibus dominantē, nihilominus nescit ei subiici, nec humiliari: quid? vnde mihi resistis, mandatis nolens obedire? en vnum ex alio sequitur, ita sane, qui 15.

C enim superbia intumescit, ad obediendum piger, imo inobedientissimus, & ad alios lacessendos promptissimus: hoc agnouit S. Greg. li. 14. Moral. cap. 2. qui postquam arrogantium ingenium descripsit dicens, cunctis apud se superba cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, erectio in incessu, rancor in responsione, subdit. *Horum mens semper est ad arrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendum vero importuna*, nonne hæc est mens superbi Pharaonis, qui renuens Deo obedire, nihilominus populum Israel non desinit tyrannide opprimere? S. Greg. Mag.

### *Superbus nescit aliis, imo nec Deo subijci.*

D *Vsquequo non vis subiici mihi?* Cald. vsquequo non vis humiliari coram me? Deum antea fatebatur, æquitatē eius prædicabat, seque superiorē demonstrabat, cum deprecatus est Mosem pro cessatione fulminum, grandinæque cladis preces coram eo funderet: qui autem aliquem rogat eo inferior esse videtur: si ergo inferiorē te ipsum iudicas, cur ei subiici, vel cur humiliari coram eo renuis? quia superbus, & ideo nec aliis nec ipsi Deo subiici nouit: fatet Basil. in admonitione ad filium spiritualem. *Superbus cupit semper laudari ab hominibus, & virtutibus à quibus est alienus, se prædicari gestit, non se patitur cuiquam esse subiectum sed semper primatum cupit, & ad maiorem gradum emergere, ac perinde, non se patitur cuiquam esse subiectum, detrectat omnibus, imo renuit Deo subiici.* 16. S. Basil.

*Qui nescit humiliari, nescit ad dignitatem peruenire.*

17. *Vsquequo non vis subiici mihi?* Cald. *vsquequo non vis humiliari coram me?* Ex animi tumore, & mentis arrogantia renuebat Deo subiici, eum superiorem nolens habere, sed cur Caldæus, vbi legimus non vis subiici, habet non vis humiliari? quia sicut qui humiliatur ad humilitatem habēdam viam sternit, sic qui renuit humiliari, in elationem non potest non prorumpere, adstipulatur S. Bernard. ad Egerium Canonicum regularem. *Humilitas ad quam vtique ducit humiliatio totius fabricæ spiritualis fundamentum, siquidem humiliatio via est ad patientiam, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam, si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis, nam si non pateris humiliari, non poteris ad humilitatem prouehi.*

S. Bernard. Epist. 85.

A

*Contra Deum militat superbus.*

18. *Vsquequo non vis subiici mihi? sin autem resistis, & non vis dimittere eum &c.* Quid? tantæne potentiæ & fortitudinis, vt tali exercituum Domino possit resistere? quis tantæ temeritatis, ne dicam frontis perfricatæ, qui tecum pugnare audeat? pugnat autem qui tibi resistit, & vt sciremus tecum militare, 1. Petr. 5. dicitur quod tu superbis resistis. quomodo eis resistis? an quia cum omnes improbos iusto plectas supplicio, superbos acriori cruciatu torqueas? an quia superbi in tenebris ambulent, nulla proinde eis potest esse cum luce conuenientia, sed necessaria oppositio inter eum qui habitat lucem inaccessibilem, & eum qui in caligine delitescit? an quia superbia tantæ malignitatis est, vt ei maxime opponatur Deus teste Cassiano, lib. 11. institutionum, tantum malum est superbia vt non Angelum, non alias virtuti contrarias, sed ipsum Deum contrarium habere mereatur. hæc sane rectè dicta sunt, sed addere quis prohibet, Deo superbum resistere & è contra, quia in Deum militat, verbum enim resistere propriè aliquē lacessitum pugnare, vel alterius vim vi repellere significat, sicque superbus Pharao Deo resistēs, cum eo bellum gerere videtur. Vnde rectè S. Amb. Epist. 84. ad Demetriadem. *Inter omnes lapsus hominum ait inter commissa peccantium, nulla est grauior quam superborum ruina maxime cum ipsa elatio certet in Dei iniuriam.* & cit. Cassian. lib. 12. institut. cap. 7. quærēs cur Deus precipuè superbis resistit, respondet cetera vitia vel in vnum quemque delinquentium tantummodò retorqueri, vel in suos participes idest in alios homines admitti, superbiam verò propriè ad Deum pertingere & ideo specialiter contrariam.

1 Petr. 5. — Cassianus. — S. Ambros. — Cassian.

*Superbus Deo resistit, quia vellet esse solus.*

19. *Vsquequo non vis subiici mihi? sin autem resistis.* Quid te mouet cum Deo pugnare & ei resistere? cum teste Chrysost. hom. 3. de verbis Isaiæ non instructa acie aut pugna Deo sit opus aduersus te, quid enim esse potest infirmo infirmius? nam vt qui orbatus est oculis, omnium oppositus est iniuriæ, ita & superbus, qui non videt Dominū. Quod si etiam validus & potens esset superbus, nunquid opus esset Dei exercitu aduersus illū, quandoquidem & volūtas illi sufficiebat ad inuertēda omnia, multò magis ad tollendos illos: cur igitur ei resistit superbus? sane quia ita sui immemor, ita stupidus, vt vellet esse solus & singularis, ita censet D. Bernard. serm. de fallac. præsentis vitæ ad illa verba Psal. 106. errauerunt in solitudine ait. *Hæc superborum mens est, quia solos se esse reputant, solos appetunt reputari, neminem sibi similem reperiri, solitarius sed erroneus.* Hoc prosequitur S. Greg. explicans illud Isaiæ 14. ponam sedem meam ad aquilonem, *ait in hac arrogantiæ specie creber humanus animus labitur, vt id quod habet, habere se singulariter glorietur, in qua similitudine diabolica, vicinus se appropinquat qui bonum singulariter se habere singulariter gaudet, videri sublimior quærit, illum imitatur qui despecto bono societatis Angelorum sedē suam ad aquilonem ponens, per iniquum desiderium quasi ad quoddam culmen conatus est erumpere.*

Psal 106. Bernard. — Isai 14. S. Greg. Mag.

B

*Electi nec ex timore submissi, nec ex elatione liberi principes arguant.*

*Vsquequo non vis subiici mihi?* Cald. *non vis humiliari coram me? sin autem resistis, & non vis dimittere.* Cur ita regem potentissimum & arrogantissimū alloqueris? nonne tibi notum nihil ægrius ferre principes, quam aliis subiici? quam sub aliis humiliari? quomodo igitur non taces, vt ne finali supplicio afficiat, sic eum increpantem? ex animi elatione, talem sermonem apud eum habere arbitrabitur. elatus non est Moyses, & ideo nec ex elatione liber, nec ex timore summissus principem Ægypti reprehendit suique muneris admonet, audiendus est S. Greg. 7. Moral. c. 22. in hunc modum scribens. *Libet oculos mentis attollere, & electos Dei exterius oppressos, quanta intrinsecus arci præsideant videre, cuncta quippe quæ foris eminent occultis eorum obtutibus per despectum iacēt, nam super se interius rapti in alio animum figunt: quæque in hac vita patiuntur, quasi infra longe labentia atque à se aliena respiciunt, atque vt ita dixerim, dum mente extra carnem fieri decertant, pœnā ipsā quam tolerant, ignorant: in horum quippe oculis quidquid tēporaliter eminet, altum non est, nam velut in magni verticis monte siti, præsentis vitæ plana despiciunt, seque ipsos per spiritualem celsitudinem transcendentes, subiecta sibimet intus vident, quæcumque per carnalem gloriam foris tument, vnde & nullis contra veritatem potestatibus parcunt, sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus authoritatem premunt: hinc est enim quod à deserto Moyses veniens Ægypti regem ex authoritate aggreditur, dicens hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, vsquequo non vis subiici mihi? dimitte populum meum vt sacrificet mihi,* & deinde concludit, *ex aliis ergo sanctorum factis discimus quod de aliis pensare debeamus, sancti enim viri nec ex elatione liberi, nec ex timore submissi, sed cum rectitudo eos ad libertatem vocis erigit, consideratio infirmitatis propriæ in humilitate custodit, culpas quippe delinquentium, & si ex alto increpantes feriunt, semetipsos tamen apud se subtilius iudicantes quasi in abiectis ponunt, & quo praua in aliis insequuntur, eo ad reprimendos se atrociores reddant.* 20.

S. Gre. Pap.

C

D

*Humiliatio nostra, debet esse coram Deo, & non solum coram hominibus.*

*Vsquequo non vis subiici mihi?* Cald. non vis humiliari coram me? nonne humillimus visus est 21.

cum peccatum coram omnibus confessus est? nonne se impium prædicauit, quod proprium est demissi animi? cur ergo quæretis se minime humiliatum? quia nō solum coram hominibus, sed

Cardi. Caie.

præcipuè coram Deo debet esse nostra humiliatio. *Humiliauit se quidem Pharao*, inquit Caietan. *coram hominibus & non coram Deo, qui intuetur cor & propterea Deus dicit quod renuit humiliare se ipsū à facie eius Dei, insinuauit per hoc quod humiliatio Pharaonis coram Moyse, non solum fuerit ficta, sed quod etiam non processerat ex timore præsentia diuina*, hos humiles sic describit noster Bonifacius

Bonif. Ceua.

de Ceua tract. de profundissima virtute humilitatis, *sunt detestabiles*, inquit, *humilem ornatum & supellectilem, humilem mensam habentes, quin imo & despectissimo sese cultu amicientes, torto incedentes collo, tremula voce loquentes, demissis oculis prostrationibus assueti, & extrema qualibet humilitatis prætendentes iudicia, sed intus elati, honoris auidi, popularium toto nisu fauorem, opinionemque aucupantes, & hi humiles non sunt, verum petulantiore inflati superbia, cæteris qui aperte superbiunt.*

***Diuina comminatio intenditur in eos qui blandimentis nolunt allici.***

3. *Vsquequo non vis subiici mihi?* Ipsemet Deus legatos ad Pharaonem mittit, quasi componendæ cum eo pacis gratia, hac conditione vt populum suum liberum abire sinat sacrificij sibi offerendi gratiâ, vt amplius nō resistat, persuadet: sed cum eum obstinatissimum præuidet, sic eum alloquitur comminatorie, inducam cras locustæ multitudinem scilicet innumeram quæ à grandine intacta omnino consumat. Cur prius blandimēta, deinde seueræ comminationes? cur lenitas prius verborum deinde amaritudo? quia diuina comminatio intenditur seuerior in eos qui nec blandimentis volunt allici, adstipulatur Rupert. explicans illa verba Apocal. 2. scio operatua & laborem tuum. *Magnum hoc* (inquit) *& digne imitandum magisterium Spiritus Domini, corripere quidem ea qua emendare indigent, sed inter corripiendum, & prius & posterius collaudare, si qua bene dicta sunt, vel bene acta ab eo qui in aliis corripitur, quatenus quoad fieri potest teneatur beneuolus & non refugiat confusus, aut exterritus audire non sustinens peccatoris animus.*

Apocal. 2.
Rupert.



## *VARIETAS LECT. Vers. 5. & 6.*

*Vulg.* Quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam eius appareat, sed comedatur quod residuum fuerit grandini, corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris.

*Sept.* Et operiet aspectu terræ, & non poteris videre terram, & comedet omne quod superstes est de terra quæ remansit, quod reliquit vobis grando, & comedet omne lignum quod nascitur vobis super terram.

*Cald.* Et cooperiet terram, ita vt solis radij non possent ad eam penetrare, & consumet reliqua quæ relicta & reseruata fuerunt vobis à grandine, & comedet omnes arbores quæ germinant vobis in agro.

*Onk.* Et operiet radios solis, vt non possit illustrare terram, nec poterit videri terra.

*Vatab.* Operiat superficiem terræ, nec quisquam poterit videre eam, depascentque residuum euasionis.

*Oleast.* Operiet oculum terræ.

*Vulg.* Et implebunt domos tuas, & seruorum tuorum, & omnium Ægyptiorum, quantum non viderunt patres tui & aui, ex quo orti sunt super terram, vsque in præsentem diem, auertitque se, & egressus à Pharaone.

*Sep.* Et declinans Moyses exiuit à Pharaone.

*Pagn.* Et respexit & egressus est à Pharaoch,

## *CONCORDIA.*

Dictionem עין hen, quam interpres reddidit, superficiem, oculum interpretatus est Oleaster, sed Hebraismus est vsurpans sæpius potentiam pro obiecto potentiæ, vt oculum pro re visa ab oculo, *nequicquam appareat* sensum ex verbis vertit interpres, est enim ולא יוכל לראת את הארץ & non poterit, sub audi quisquam videre terram, Sept. in secunda persona vertunt οὐ δυνήσῃ non poteris, Caldaica lectio aliomodo habet, ita vt solis radij non possint ad eam penetrare, sed hyperbolice loquitur, in his verbis, sed comedatis quod residuum fuerit, plura quæ apud Hebræum sunt non exprimit, ne nimis prolixus videatur.

## EXPOSITIO.

*Quæ aperiat superficiem terræ*, hyperbolicè hoc dictum puta, *nec quidquā eius appareat*, cum terræ insederint, nihil quasi in ea apparebit, *sed comedatur quod residuum fuerit grandini*, vt triticum, & far, & alia, nec à grandine contrita, nec à fulmine percussa, *corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris*, scilicet omnes fructus, frondes germina, herbas, semina, ligna etiam tenera, *& implebunt domos tuas, & omnium seruorum tuorum*, omni modo eos diuexantes, vel morsibus, aut impetu, & fœtore, *quantum non viderunt patres tui & aui*, licet in Ægypto aliàs fuerint visæ locustæ, non tamen in tanta multitudine, quamuis autem solum dicat non fuisse visas à patribus & auis, intelligendum etiam est de prædecessoribus, *auertitque se & egressus est à Pharaone*, quem videbat nec petitioni acquiescere, nec terreri minis & ideo obstinationem eius agnoscens, ut dare, locum decreuit.

## CONCEPTVS.

*Deo rebelles, indigni etiam alimentis.*

23. *QVæ operiat faciē terræ, ne quidquam eius appareat, sed comedatur quod residuum fuerit.* Nihil fere remāsit quod non fuerit grādine contritum aut fulmine percussum, si ergo residuum comeditur à locustis, quid ad hominum vitæ conseruationem supererit? nihil equidem, nam non solum quæ in agris, sed etiam quæ domi consumebant: si hominibus vitam dedisti, nonne & alimenta necessaria eius conseruationi largiri teneris? cur ergo omnia à locustis consumi decernis? quia Deo rebelles, quales Ægyptij, indigni sunt etiam alimentis. *Aufert etiam cibos* (inquit Oleast.) *& alia necessaria, & tandem enecat, quoniam æquum est vt victus subtrahatur malis seruis & rebellibus.*

*Etiam animalibus vtitur Deus ad hostium suorum comprimendam arrogantiam.*

24. *Quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam eius appareat, sed comedatur quod residuum fuerit.* Quid vilius locusta? quid ea videtur infirmius? cur earum multitudine tanquam exercitu, pugnas aduersus, non solum Regem Ægypti, sed populum eius bellicosissimum? quis princeps alium debellaturus, vilissimos milites & infirmos in certamen deduceret? nullus equidem, sed Deus longe aliter se habet; nam ad comprimendam hominum arrogantiam, etiam animalculis vtitur vilissimis, quod docte annotat Rupert. lib. 1. in Exod. c. 38. *Ecce quales instruxit acies, quibus ex ordinibus sua castra complenit Dominus pugnando pro Israel, ranæ, sciniphes, muscæ, atque locustæ fuerunt castrorum eius acies, & ex huiusmodi cohortibus, totas contra fortes Ægyptios composuit legiones, singuli milites secundum se breues quidem & infirmi, verum pro exercitibus Pharaonis satis valentes fuere duce Dei imperio, nempe, quod multus hominum exercitus facere non potuisset, istæ phalanges locustarum strenua peregere militia.* Rupertus.

*Nihil nisi Deo permittente, damni etiam a malis infertur.*

25. *Quæ operiat superficiem terræ, sed comedatur quod residuum fuerit.* Nempe terræ herba arborum fructus, & quidquid viride relictum fuerat, quæso consulamus cap. 9. Apocal. sic in eo dicitur, exierūt locustæ in terram: & præceptum est illis, ne læderēt fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, sane scitum est locustarū propriam naturam esse terræ fœnum lædere, depasci virentia, teneros quosque arborum ramusculos abrodere, quomodo in Apoc. & fœno & viridi nec non arborum fructibus condonatur? an diuersa erat locustarum species? non hac de causa, sed vt Dominus indicaret nihil absque sua permissione gerendum, interdicitur locustis, id quod ipsis natura videbatur insitum. Apocal. 9.

*Consortium malorum fugiamus; vt Deo simus proximiores.*

26. *Quæ operiat superficiem terræ, sed comedatur quod residuum fuerit.* Non est dubium quin locustæ

A Ægyptiacæ, mirum in modū fuerint diræ & noxiæ, cum per Dei omnipotentiam fuerint productæ, & ab irato Deo & peccata Ægyptiorum vlcisci volente in eorum perniciem, exitium que missæ: annunciata igitur durissima hac plaga, Pharaoni, inquit textus sacer, conuertit se Moyses & egressus est; cur domum regiam egreditur? cur terga dedit Pharaoni? cur adhuc eum non vrget comminationibus vt populo Israel egressum ab Ægypto permittat? cur denunciata imminente plaga locustæ protinus ab illo sese auertit? sanctum Moysi erat cura Dei colloquia excipere, & ideo quamprimum consortium impij hominis fugit, qui enim Deo inueniendo & colloquendo se aptat, malorum consortium fugere satagit, teste Hesichio expendente hæc verba Hesichius.

B Psal. 6. discedite à me omnes qui operamini iniquitatem quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei, ait *Cernis quemadmodum Deus preces ac supplicationes nostras exaudit, illico cum ab operantibus iniquitatem siue hominibus, siue cogitationibus abscesserimus.* Psal. 6.

*Societas malorum maxime nociua.*

*Quæ operiat superficiem terræ, sed comedatur quod residuum fuerit.* Hæc locustarum plaga digna vt grandinem, cæterasque plagas licet graues loqueretur, vt pote grauior eis & nocentior; nam prius longo tempore patiebantur Ægyptij grauissimos dolores, atque ita tandem in his miseri me moriebantur cruciati primum æstu, siti, aliis que tormentis intolerandis, qualia esse solent eorum, quos calidissima venena adurunt; non C pauci autem arbitrantur huiusmodi locustas veneno infectas fuisse, postquam autem per ordinem disseruit, quomodo & quando hæc plaga immittenda esset, auertit se & egressus est à Pharaone, cur longiorem cum eo non protrahis sermonem? quia sane malorum societas vt plurimum, maxime nociua; *Noxiæ sunt conuersationes cum insipientibus* (inquit D. Aug. lib. 1. Epist. 4. ad Irenæum, *& inficiunt sobriam mentem ac decolorant, quia sicut adhærens sancto sanctus eris, ita cum peruerso peruerteris, frequenter enim accidit vt quis contra propositum suum intemperantem audiens, cum velit ipse continentiæ disciplinam tenere, suco insipientiæ coloretur.* 27. S. August.

D *Dandus est iræ locus.*

*Quæ operiat superficiem terræ, sed comedatur quod residuū fuerit.* Cum grandinem & fulgura cessasse vidisset, credidit nullam aliam superfuturam prioribus grauiorem cladem, qua eius obstinatus in malo animus puniretur: sed audiuit à Moyse locustarum innumeram multitudinem, quæ nihil illæsum relinquerent, quæ fœditate, horrore, imo & veneno alia superarent animalcula, quæ nulli parcentes vsque ad interiora cuiuslibet domus penetrarēt, omnia sanie contamināt es, & fœtore conspurcantes, quid tunc? ira efferbuit his auditis Pharao, & Moyses auertit se & egressus est à Pharaone. Cur ab eo auertens enim ad eum missus iis legatus pro libertate populi Israel? ait 28.

eius

eAt iracundiæ animus tibi timori est? nonne illius Deus conspicuus est? eum non timet, sed cum cerneret iram æstuantem, auertit se, & prudenter quidem, vt locum ei daret posset, meus est noster Lyran. *Quia percepit per signa obstinationem regis & indignationem eius contra ipsum, auertit se & ideo dedit locum iræ*: sic recte monet Ambros. lib. off. 1. cap. 22. *Resiste iræ si potes, cede si non potes, quia scriptum est, date locum iræ. Iacob fratri indignanti pie cessit, & Rebecca, id est patientiæ instructus consilio abesse maluit, peregrinari quam excitare fratris indignationem, & tum redire cum fratrem mitigatum putaret.*

*Verbi Dei contemptus nullo modo ferendus.*

29 *Quæ operiat superficiem terræ, & comedatur quod residuum fuerit.* Verbum Dei annunciauit, pœnam enim, hæc dicit Dominus Deus Hebræorum vt nullum ei subterfugium subesset, certitudinem ... cladis ei significat, cum ait, inducā cras locustam in fines tuos. Septuag. aliquid amplius exprimunt, *inducam cras hac hora, crastino die locustam*, damnum quod esset allatura declarat cum ait, nihil illæsum, nec herbas, nec arbores, nec gramina, nec quidquid fuerit viride mansurum, imo nec homines futuros ab ea liberos, ingredientur enim omnium domos, quibus dictis auertit se & egressus est à Pharaone: an prudenter? an considerate? nonne imprudens censeretur, qui de rebus seriis & grauissimis Regem consuleret, ab eo, non expectato responso, discederet? non imprudens censendus est Moyses, qui à Pharaone discessit, nam certissima conspiciens incredulitatis & contumaciæ indicia in Pharaone, quid de illo & de seruis eius amplius speraret, quos per omnes impietatis gradus ascendisse, & primum quidem ad verbum Dei aures obturasse, non vero eidem contraxisse & tandem blasphemos esse

A factos videbat? cur eos non relinqueret? Verbi enim diuini contemptus nullomodo ferēdus, nullum enim peccatum eo atrocius, nullumque grauioribus pœnis coercendum, possunt enim, quæcunque alia committuntur peccata, alieno modo infirmitati humanæ cōdonari, qua sanctissimi quoque Dei cultores interdum superantur, at si quis peccandi licentia Verbi Dei contemptum coniungat, hoc demum diabolicæ simul & mentabilis infirmitatis indicium est, vnde D. August. D.August. homilia 26. l. 50. homiliarum. atrocitatem huius criminis declarans ait: *Is non minus reus erit qui verbum Dei negligens audierit, quam ille qui corpus Domini in terram cadere negligentia sua permiserit.*

B *Quod Deus iustis relinquit, est in benedictionem; quod autem impiis, in eorum maiorem cruciatum.*

30 *Quæ operiat superficiem terræ, & comedatur quod residuum fuerit.* Nulli parcens, nec fructibus arborum, nec herbis, nec graminibus, nonne omnia hæc à grandine, & fulmine libera euaserant? cur nunc intacta non relinquis? cur omnia consumenda à locustis minaris? ecce apud populum tuum Israël nihil omnino detrimenti accipit, quid mirum? nam quod Deus iustis relinquit, in eorum benedictionem est, quod autem impiis in maiorem cruciatum, vt videre est in Ægyptiis qui cum sibi ex grandine aliquid relictum fuisset, nunc omnium maiori cum dolore iacturam faciunt: sic annotat Oleaster. *Aduerte Deum nihil* Oleaster.
C *impiis relinquere, nisi vt iterum subtrahat, iustis autem relinquit ad benedictionem, sic apud Ioelem* Ioel. 1.
*legis, residuum eorum comedit locusta, & residuum locustæ comedit brucus, & residuum bruci, comedit casil*, quod est aliud genus locustæ.

## VARIETAS LECT. Vers. 7.

VVlg. Dixerunt autem serui Pharaonis ad eum, vsquequo patiemur hoc scandalum? dimitte homines, vt sacrificent Domino Deo suo, nonne vides quod perierit Ægyptus?

*Sept.* Quousque nobis erit hoc scandalum? dimitte homines vt seruiant Deo suo, nunquid scire vis quia periit Ægyptus?

D

*Pag.* Quousque erit iste nobis in laqueum? num adhuc ignoras quod periit Ægyptus?

*Onk.* Quousque nobis erit hoc in offendiculum?

*Alij.* Nonne antequam scires periit Ægyptus?

*Alij.* Visne prius experiri Ægyptum esse perditam?

## CONCORDIA.

VBi habemus quousque patiemur hoc scādalum? Hebraice est עד מתי יהיה זה לנו למוקש ad mathai ze lanu lemokem quamdiu vobis erit in offendiculum vel laqueum? יקש iakas à quo mokem est laqueum tendere, offendiculum ponere, diximus pluries verbum עבד quod sacrificare vertit noster interpres, colere seu seruire reddi posse, quæ sequuntur varie redduntur à translatoribus, qui tamen à sententia Latinæ lectionis non recedunt.

## EXPOSITIO.

VSquequo patiemur hoc scandalum? ponitur scandalum nō pro occasione pœnæ, sed pro initio & causa miseriæ, quasi dicerent, quamdiu contra Hebræos, quasi lapidem offensionis impingemus, nec ipsos lædemus? *Dimitte homines vt sacrificent Domino Deo suo*, Sicut toties à te petierunt, acquiesce ergo eorum precibus, *Nonne vides quod perierit Ægyptus?*

id est grauissima sustinuerit damna, multi enim iā interierunt, & tam in iumentis quam in terra nascentibus, maxima fuerunt illata damna. alij sic A exponunt, numquam dimittes populum hunc, nisi tota perierit Ægyptus, aut dimitte populum Israël, alioqui actum est de nobis.

## CONCEPTVS.

*Impij afflictiones scandalum appellant.*

31 VSquequo patiemur hoc scandalum? Quodnā scandalum? an Moyses in aliquo ex his, quę operatus est, mirabilibus, & in æquissima petitione, qua populū Israël dimitti postulat, vt Deo soli in solitudine sacrificium offerat, præbuit scādalum? nō equidem, quis enim hæc hoc nomine appellari poterit? nullus mentis bene sanatæ: in quo ergo patiuntur scandalū? sane illud, dixerunt afflictionē, quā in locustis experiri deberent, nolunt fateri à Deo immissa flagella, vt ad mentem meliorē reuocarētur, sed ita impij, vt ea scandalū asserant: fauet noster Lyranus, *scandalū est impactio pedis quæ facit hominē cadere, & sic illud malū quod eis imminebat vocabatur scandalum.* Pende vltima verba, nesciunt enim vel nolunt impij in afflictionibus remedium, sed solum scandalum habere, Caiet. *afflictiones scandalum dixerunt.*

Lyranus. Caiet.

*Impij non solum afflictiones scandalum, sed laqueum arbitrantur.*

32 *Vsquequo patiemur hoc scandalū?* Ex Hebræo Pagninus, vsquequo hoc erit nobis in laqueum? quidnam? hæc pœna à Deo inflicta, vel imminens locustarum clades: ita intelligunt, sed nonne hæc à Deo vobis immittuntur, vt ad saniorem mentē reuocemini? vt pœnitentiam obstinationis vestræ agatis? cur ergo laqueum dicitis, cū potius remedium animæ vestræ appellare deberetis? nesciunt impij afflictionibus nisi nomen laquei imponere, & reuera non errant, nam eadem tribulatio quæ iustis est salutifera, ipsis quia nolunt emendari, perniciosa est & lethalis; ita docente Aug. lib. 1. de Ciuit. c. 8. *Sicut ab vno igne, aurum rutilat, & palea fumat, & sub eadē tribula stipula comminuū-tur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem preli pondere exprimitur: ita vna eademque vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat & exterminat, vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant, boni autem precantur & laudant: tantum interest non qualia, sed qualis quisque patiatur, nam pari modo, exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & suauiter fragrat vnguentum.*

D. August.

*Impij non solum tribulationibus cruciantur, sed apud omnes diffamantur.*

33 *Quousque patiemur hoc scandalū.* Cur non dicitis, quousque has plagas intolerabiles sustinebimus? quousque ita duris cruciatibus vrgebimur? tot mala patiemur? ecce omniū iacturā fecimus, & si quid residuum est locustis consumetur: recte loquūtur, scandalum enim patiuntur in his omnibus, in hoc quod apud cæteras nationes tanquam crudeles & impij infamantur, qui toties flagellis diuinis admoniti, nolunt ab oppressione populi Israël cessare, sic explicat Dionys. Carth. *Quamdiu sustinebimus has confusibiles plagas, per quas non solum affligimur, sed etiam diffamamur tanquam victi ac infortunati & miseri?*

Dionysius Carthus.

*Si impij tibi bonum suadent opus, non virtutis gratia, sed commodi proprij.*

*Quousque patiemur hoc scandalum:* Ecce vndique impetimur, nullū elementū nobis condonat, omnes creaturæ in nos sæuiūt, nihil nobis residui remanet ad vitæ conseruationē, dimitte ergo homines vt sacrificent Domino Deo suo. non miror equidē vos vrgere Pharaonem, vt liberā abeūdi B licentiā tribuat Israëlitis: sed cur additis, sacrificandi Deo suo gratia? quid vestri interest, vtrum sacrificent velne, dummodo discedant ab Ægypto? tantæ ne pietatis erga Deum, vt sibi sacrificiū offerri, victimas immolari vobis sit curæ? expēde quid addiderint, vides quod periret Ægyptus: ecce bonorum nostrorum iacturam fecimus, pecora nostra tum peste, tum grandine percussa perierūt, & colliges impios, si bonū opus suadent, non virtutis amore sed proprij commodi gratia. *Cupiunt,* inquit Lypp. *Deum coli à populo suo, quisquis tandem esset, proprij saltem compendij gratia.* 34

Lyppoman.

*Regibus maxime prodest consiliarios habere recta consulentes.*

*Quousque patiemur hoc scandalum?* Dimitte ho- 35
C mines, vt sacrificent Domino Deo suo, cuius fortitudinē magis ac magis experimur, nūc vides vt qui in alto positus es, vt lōge lateque circūspicere possis, quod vniuersa Ægyptus perierit, id est quot incommoda tui subditi, ob tuā proteruiam & duritiem, rebellionem & contumaciam patiuntur? nunc itaque mutato consilio, mitte hunc populū Israëliticum nihil iniqui postulantem, sed Domino Deo suo (cui non est tutum repugnare) volentem obedire, sitm ipsius nō misereris, saltē populi tui afflictissimi miserere, & huius amore & gratia liberum concede Israëlitis discessum, ne amplius sint offendiculo & ruinæ: hæc & similia potuerunt narrare serui Pharaonis, qui vel timore vel alia ratione hactenus populi damna dissimulaue-
D rant, sed plagis vehementioribus erumpentibus regem, constanti animo alloquūtur, non tantum pro Ægyptiis sed & pro Israëlitis: quæ sibi dicta fuerant non reiicit, sed admisit: nōne ille erat Rex Pharao qui semper in animo habuit, in populum Israël exerceret tyrannidē, nec eum vnquā dimitteret? quomodo ergo nō reiicit eos, qui optimum ei dedere consilium? en quantum prodest principibus, viros habere recta consulentes: sicut enim nulla maior pestis in republica quam scelestos habere consiliarios, ita nullum bonum maius est in eadem, quam optimos possidere viros, qui tempore & loco, huiusce sæculi potentes salutis populi monere possint; vnde fit vt reges & principes quamdiu sapientissimos, prudentissimos, ac circumspectissimos consiliarios meditatione & cōsilio cuncta examinātes, habēt,

corum status est commendatissimus, vnde Athalaricus Rex apud Cassiod. lib. 2 var. [illegible] dicebat, *Decet tractatores habere doctissimos, addo & prudentissimos quibus potestas summa committitur, vt nullo defectu impediente meritorum prouisa reipublicæ vtilitas explicetur.*

Cassiodor.

## *Principes vt in plurimum difficile à prauis suis affectibus reuocantur.*

36 *Quousque patiemur hoc scandalum? dimitte homines vt sacrificent Domino Deo suo.* Aliàs tota Ægypto pereunte, quousque se extendet regnum? nobis misere pereuntibus, quorum princeps censeberis? nonne tuo & totius regni damno expertus es durissima, à Deo Hebræorum immissa flagella? quis ergo te reuocat à dimittendo in desertum populum Israël, vt salui & incolumes maneamus? quid prodest subditos habere oppressos tyrannide, quorum Deus est protector? his auditis aliquomodo consensit liberam potestatem abeundi, sed illico mutato consilio, suorum petitionibus nõ acquieuit, nõne omnibus præferenda erat reipublicæ vtilitas? nonne subditorum tuorum conseruationi & incolumitati consulere debueras? cur ergo contumax populum Israël dimittere renuis? quia reges non facilè vt in plurimum à prauis suis affectibus & institutis reuocantur, *Difficile est* (inquit Oleast.) *à sua pertinacia remouere neque aliquorum consilio persuadentur, sed etiam cum maximo regni dispendio nolunt obtemperare suis affectibus, vt constat in facto Dauidis, qui voluit etiam reclamante Joab, populum numerare: ad hunc modum* (inquit Procopius) *diabolus dum inferiorem se cernit, nec quicquam viribus suis effici, persistens in malitia sua, non dedit, sed durus existens sua voluntate, inhæret sua prauitati.*

Oleaster. Procop.

## *Impij ex bonis aliorum operibus scandalizantur.*

37 *Quousque patiemur hoc scandalum?* scandalum est dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionẽ ruinæ, ita glossa super illud Matt. 18. væ mundo à scandalis, at Moyses nec Aaron quidquam mali operati sunt, aut aliquid prauum dixere, quod Ægyptiis præberet occasionem culpæ lethalis, cõminationes enim ipsius Moysis ad Pharaonem, nec flagella à Deo immissa super Ægyptũ, potuerũt cẽseri minus benedicta, nec facta, cum omnia fuerint rectissima: cur ergo proclamãt se passos fuisse scandalum? sane non actiue sed passiue, ex malitia ipsorum Ægyptiorum procedens, impij enim ex aliorum bonis operibus scandalizantur: vnde recte D. Thom. quodlib. 4. art. 23. ad 3. ait *Duplex est occasio data & accepta, tunc aliquis dat occasionem ruendi, quod est cadere in cisternam, quando facit aliquid vel dicit minus rectum, ex quo datur proximo occasio ruinæ, & tum ruina proximi imputatur danti occasionem, aliquando autem non est occasio data sed assumpta, puta cum inducit aliquis aliquem ad bonum, & ipse ex hoc fit deterior non est relinquenda ideo monitio bona, quia sumit ille inde occasionem ruinæ, vnde & Dominus non dimisit prædicationem veritatis, propter scandalum Pharisæorum.*

Matth. 18. Angelicus Thomas.

## *Subditi malitiæ principum non adhæreant.*

38 *Quousque patiemur hoc scandalum? dimitte homines vt sacrificent Domino Deo suo.* Indecens est subditos homines audacter principes suos alloqui, [illegible] curẽt subditi, principes circa regni administrationẽ satagent: sane [illegible] Pharaonis ipsum præmonẽt; subditi enim debẽt Prælatis resistere, si quid agant inutile, & instruere eos, quid agere debeant: ita dicit Glossa in l. quoniam iudices in verbo resisterit, circa mediũ de appellatione, vnde dicit Gregor. in c. admonendi 2. q. 7. *Admonẽdi sunt subditi, ne plusquam expedit, sint subiecti, ne cum student plusquam necesse est hominibus subiici, compellantur vitia eorũ venerari.* Glossa Gregorius.

## *Iustus ruinæ nostra malitiæ.*

39 *Quousque patiemur hoc scandalum?* Onk. quousque nobis erit hoc offendiculũ? Pag. quousque nobis iste laqueus erit? sane potest dici, quousque erit iste nobis in ruinã? verũ si iustus erat Moyses, si opera illius recta, quomodo in ruinã Ægyptiorũ poterit esse, vel in laqueũ? aduerte Ægyptios flagellis durissimis tentatos, ad meliorẽ frugẽ redire, ita vt iã recta principi suo cõsulerẽt: quid vetat ergo dicere Moysem iustũ, fuisse eorũ ruinam vel laqueum? hoc est malitiæ eorum, cum iam eos ad meliora sequenda impulerit, sic D. Basilius Opt. ad illa quæ de Christo dicta sunt Luc. 2. ecce posit° est hic in ruinã ait. *Aliter autẽ mihi perdifficile videtur quomodo idem positus sit in ruinã, & resurrectionẽ multorũ, existimo itaque in ruinã ac resurrectionẽ esse Dominũ, nõ cadentiũ quidẽ aliorũ, & aliorũ resurgentiũ, sed cadẽtis in nobis malitiæ ac virtutis suscitatæ, Christi enim apparitio vim habet tollẽdi affectiones corporeas, atq; animæ proprietates suscitandi, quemadmodum cum Paulus ait, cũ infirmor tunc potens sum, idem infirmatur & potens est, sed infirmatur quidem carne, at potens est spiritu: sic & Dominus non aliis quidem cadendi suppeditat occasiones, aliis autem resurgendi, qui enim cadunt ab eo statu, in quo aliquando erant, recidunt, manifestũ est autem quod nullibi consistat infidelis semper humi repens, cum serpente quem sequitur, non habet itaque vnde cadat, quia antea per infidelitatem reptabat, primum igitur beneficium est stantem peccato mori ac cadere, deinde viuere iustitiæ, ac suscitare; vtrumque nobis Christi cognitione conferente, cadunt deteriora in meliora tempus resurgendi nanciscuntur, nisi enim ceciderit fornicatio, continentia nõ resurget, nisi id quod irrationale est conteratur, haud quaquam in nobis florebit ratio.*

Basilius. Luc. 2.

## *Aulicorum patrocinium circa miseros timore potius extorquetur quam amore.*

40 *Quousque patiemur hoc scandalum? dimitte homines istos vt seruiant Domino Deo suo.* Ecce serui Pharaonis Israëlitarum partes suscipiunt, suadẽt regi eorum libertatem, consulunt vt eos dimittat sacrificij efferendi Deo suo gratia: nonne antea Israëlitis offensissimi tyrannide & sæuitia eos opprimentes? quomodo nunc coram rege eorum patrocinium assumunt? antea experti sunt sane bonorum suorum iacturam, seruorum suorum & pecorum interitum, omnes peste & grandine consumpta: quid mirum igitur nunc eis patrocinari? aulicorum enim patrocinium, circa miseros potius timore pœnæ quam amore extorquetur, nusquam miseri populi Israël partes tutati fuissent Ægyptij, nusquam ei patrocinari, si flagella iam non sensissent, & maiora non timuissent.



## VARIETAS LECT. Verſ. 8. & 9.

VVlg. Reuocaueruntque Moyſen & Aarō ad Pharaonem, qui dixit eis, ite ſacrificate Domino Deo veſtro, quinam ſunt qui ituri ſunt?
*Cald.* Reductique ſunt Moyſes & Aaron, ite ſeruite coram Domino Deo veſtro qui ituri ſunt?
*Vulg.* Ait Moyſes cum paruulis noſtris, & ſenioribus pergemus cum filiis & filiabus, cum ouibus A & armentis, eſt enim ſolemnitas Domini Dei noſtri.
*Cald.* Cum ouibus & cum bobus noſtris ibimus, quia ſolemnitas eſt nobis coram Domino.
*Pagnin.* Cum pecudibus noſtris, & cum bobus noſtris ibimus.
*Onk.* Quia feſtum nobis eſt coram Domino.

## CONCORDIA.

VErba non ſenſum mutauit interpres, cum vertit reuocauerunt, eſt enim in Hebræo וישב משה ואת אהרן אל פרעה & reductus eſt Moyſes & Aaron ad Pharaonem, eſt enim שוב ſub, reuerſus eſt, nihilominus Septuaginta legerſit ſicut & Vulg. ἐπέστρεψαν, reuocauerunt, dictio Hebraica חג chag quæ redditur, ſolemnitas ſeu B feſtum, tripudium etiam & ſaltationem ſignificat.

## EXPOSITIO.

REuocauerunt Moyſen & Aarō ad Pharaonē. Sponte ſua ſiue iuſſu regis Moyſen & Aarō qui ab aula regis diſceſſerāt, reuocauerunt, *ite ſacrificate Deo veſtro*, ſcilicet in ſolitudine ſic enim petitionibus veſtris acquieſco, *quinā ſunt qui ituri ſunt?* an pauci, vel multi? *ait Moyſes cū paruulis*, &c. quaſi diceret, nihil remanebit quod ad ſacrificij maieſtatem, & neceſſitatem pertinere poteſt, *eſt enim ſolemnitas Dei noſtri*, ſolemnitatē dicit celebrem Dei venerationem per ſacrificia, ad quam conuenire oportebat omnes promiſcui generis, paruuli autem matres comitari ſolent, porro cum ignorarent quæ & in quo numero forent litanda, oues & armenta ſecum ducere expediebat, verum autem dicebat Moyſes quod magna eſſet ſolemnitas, euocabantur enim Hebræi à Deo, ad agendam celebritatem in monte Syna, vbi multas immolauerunt victimas, in confirmatione legis, dedicatione tabernaculi, & ſacerdotum confirmatione, multa tamen hic ſubticet Moyſes, quæ ſilere erat prudentiæ.

## CONCEPTVS.

*Impius neſcit perficere bonū opus niſi mediatim.* C

41 ITe ſacrificate Domino Deo veſtro, quinam ſunt qui ituri ſunt? Quaſi diceret, forte omnes Iſraëlitas, velles tecum deducere ſacrificij offerendi gratia, ſed hęc nō eſt mea mēs, quid? nōne dixiſti vt pergerēt in deſertū & in eo omniū creatori ſacrificarēt? cur ergo aliquos moliris relinquere? cur non omnes liberos abire permittis? neſcit impius bonum opus perficere, niſi mediatim, hinc rectè Abul. *Hucuſque actum fuerat inter Pharaonem & Moyſen, vt dimitteret Hebræos ire ad ſacrificandum, ſed non fuerat ventilatum, qui irent, nequid portarent: volens ergo Pharao tollere occaſionem eis recedendi, volebat detinere aliquid ad illos pertinens, cuius obtentu redirent.*

Epiſcopus Abulenſ.

*Deus ab omnibus colēdus quia dat omnibus eſſe.* D

42 *Ite ſacrificate Domino Deo veſtro, quinā ſunt qui ituri ſunt?* neminē excludit Moyſes, ſed quantumlibet ætatis puerulos, vult ex Ægypto diſcedere, vt præſens adſit ſacrificio: ſed non immerito videtur Pharaoni renuiſſe, non enim videtur rationi conſentaneum, pueros ferendos eſſe, cum tamen faciendo nummine ſint idonei, ſimiliter nec ſenes quibus potius domorum cuſtodia cōmittēdæ erant ergo ô Moyſes his excluſis, virorum & mulierum cum comitatu in deſertum ſacrificij Deo offerendi, gratia non tēdis? acute tunc Caiet. *Deus dat eſſe puerulis & ſenibus, cur ergo ab illis gratis non coleretur?*

Caietan.

*Senes ſint tibi in conſilium.*

*Sacrificate Domino Deo veſtro.* Nobiſcū nullo dempto proficiſcentur nō ſolum pueri, ſed etiam ætatis decrepitæ ſenes; cur ô Moyſes in terra Geſſen ſenes non relinquis? nam completo ſacrificio quid tibi erunt vtilitatis, imo maximo erunt impedimento ad iter agendum: ſi autem quod non fide indignum, aduerſarij vos laceſſere voluerint, vires eis non ſuppetent, nec ad certamen, nec ad reſiſtendum: licet vires non ſuppetant, tamen eis non deeſt conſilium, cuius rei gratia magnifaciendi ſunt; ſic docente Hieron. ab Oleaſt. *Non ſunt ſenes relinquendi licet laborare nequeant, ſed curandi, quoniam conſilio iuuare poſſunt, licet vires non habeant ad laborem.* 43

Oleaſter.

*Aliquando Principes viros ſanctos ſibi aſciſcunt non pietatis, ſed impietatis ſuæ celandæ gratiā.*

*Ite ſacrificate Domino Deo veſtro.* Vt nullus eſt tam bonus princeps qui non aliquando ſeducatur à malis conſiliariis: ita nullus eſt ita peruerſus, qui non ſaltem aliquando bene agat, ſi bonos auſcultatus fuerit conſiliarios, vt in Pharaone notum eſt, qui à ſeruis ſuis admonitus, nunc lenius & moderatius agit cum Iſraëlitis, quos antea omnibus afflictionum generibus diuexabat & angebat; reuocatis enim Moyſe & Aarone, dixit, ite & ſacrificate Domino 44

Deo vestro optima verba quidem, sed à ficto & A
simulato corde prolecta, videtur enim hic vanno-
sa vulpes & lupus, alacri animo liberum illum con-
cedere Israëlitis discessum, sed tamē nonnihil suę
sententiæ decerpit, ait enim, quinam sunt qui ituri
sunt? ignorantiam prætexit, quasi non sæpissime
audiret Domini Dei Hebræorum esse vocē, om-
nem populum suum ex Ægypto discedere, & ex-
tremum vale ei dicere; sed cur ad te homines re-
uocas vt simulate optatis suis satisfaceres, sed re-
uera eis non annueres? quia aliquando princi-
pes asciscunt ad se viros vitæ sanctimonia spectа-
tos, cum his colloquūtur nonnúquam, & horum
consilio aliqua mandant executioni, non quod
illis sit vera pietas, sed vt hoc fuco sibi concilient
opinionem integritatis, & inuidiam malefactorū
leniant, veluti cum expilant populum, cum inu-
sta mouent bella, cum sæuiunt in eos qui republi-
cæ bene consulunt, videantur & hæc exprobatis-
simorum virorum consilio facere.

*Princeps non uni vel alteri membro reipublicæ sed universis consulere debet.*

45 *Ite sacrificate Domino Deo vestro, quinam ituri sunt?* Neminē excludit Moyses à discessu ex Æ-
gypto, omnes comprehendit non solum viros &
mulieres, sed etiā pueros & senes: cōsule ô Moy-
ses vel senibus solis vel viris, aut mulieribus: cum
Pharaonis hæc non sit mēs liberū discessum per-
mittere, nisi cum aliquo, non autē cū omni Israë-
litico comitatu. nescit discedere nisi cū omnibus
nullo dēpto, quia princeps in omnes æquus debet
esse, omnes beneuolentia amplecti, nullū nisi ex
meritis, alteri preferre, nam qui parti ciuium con-
sulit, partē negligit, rē perniciosissimā in ciuitatē
inducit, seditionem nimirū atque discordiā, quā
optime Theodahadus Rex apud Cassiod. li. 10. Cassiodor.
var. 5. scribēs Theodosio. *Potestatis nostra censu-
ram* (inquit) *volumus esse modestiam, vt quantū di-
uina studia percepimus, tantum æquabilia plus a-
memus. priuata siquidem studia à nostro animo pro-
bantur exclusa, quia generalis Dominus custos fa-
ctus sum, Deo auxiliante, cunctorum.*

*Nullus ab obsequio Dei eximatur.*

*Ite sacrificate Domino Deo vestro.* Verū ne odio- 46
sus cauillaretur Pharao, distincte enumerat Moy-
ses, quos secū ducturus est, nēpe filios & filias, se-
nes & pueros: aliquos dimitte ne suspicetur Pha-
rao, quod si semel egressi fueritis ex Ægypto, vl-
terius, nunquā redituri pergetis: nonne postea vo-
bis licitū erit eos repetere? nullo dempto inquit
Moyses, omnes Dei solemnitati aderunt, nec lā-
guidus senex, nec vilis seruus, nec delicata virgo,
nec adhuc balbutiens puer, nec minimus familiæ
festi manebit expers, & merito quidē, nullus enim
ab obsequio Dei debet eximi, sed omnes solēnita-
tes Deo dicatas celebrare, quod recte monet Origenes
Orig. lib. 1. in Iob. *Ita decet enim nos in diebus festis
nostris iucundi: non solū hoc respicere quomodo nos
B soli epulemur atque iucundemur, sed hoc præsertim
debemus intendere, vt epulentur & celebrent diē fe-
stum nostrum serui nostri & ancillæ & clientes no-
stri, & egeni, & pauperes vniuersi & celebremus diē
festum Domino Deo nostro, si enim celebraueris tecū
diē festū & epulatus tecum fuerit seruus tuus, &
ancilla tua, & pauperes, & egeni pro certo scito quod
Domino Deo tuo diē festū celebras.* ita vt nullus ab
obsequio Dei, à festorū celebratione excludēdus
est? vnde regius vates omnes prouocat ad laudem
Dei Psal. 148. iuuenes & virgines senes & inui- Psalm. 148.
riles laudent nomen Domini.

*Etiam irrationalia suo modo debent Deū colere.*

*Ite sacrificate Domino Deo vestro.* Et cū sciscita- 47.
retur Pharao quinam esset profecturus, non so-
lum præditos ratione nominat Moyses, sed etiam
C animalia, ait enim, pergemus cum ouibus & ar-
mentis, Pag. cum pecudibus & cū bobus nostris
ibimus, rationē præbet, quia solēnitas Dei est: li-
cet rationi consentaneū sit ea præditos, diei solē-
nitati adesse, quid necesse tot tecum armenta &
greges deferre? dices sacrificij Deo offerendi gra-
tia, victimæ enim in eo sunt immolandæ, optima
quidem ratio, sed quam præbet Oleast. minime Oleaster.
reiiciēda, dicit enim *omnia nostra debere suo modo
Deum colere rationalia & irrationalia.*



## VARIETAS LECT. Vers. 10.

Vulg. Et respondit Pharao, sic Dominus sit
vobiscum, quomodo ego dimittā vos & fi-
lios vestros, cui dubium est quod pessime agatis?
*Sept.* Sic sit Dominus vobiscū, sicut dimitto vos,
nunquid & supellectilem vestram? videte quia
malignitas proposita est vobis.
*Cald.* Sic sit verbum Domini in adiutorium ve-
strum, sicut dimittam vos & familiam vestram,
videte quomodo malum quod nos putatis facere,
contra faciem vestram fiat?
*Onk.* Sit ita verbū Domini vobiscū, cū dimisero
D vos & filios vestros, & videte quod malum quod
vos putatis facere, in faciem vestram reuertetur.
*Arias.* Dimittam vos & familiam vestram,
quia malum contra familiam vestram.
*Oleast.* Quoniam malum est contra conspectum
vestrum.
*Alij.* Quod malum est vobis proximum.
*Alij.* Malitia seu fraus vestra quasi incubat vobis.
*Caiet.* Malum ad quod directe tendunt facies
vestræ.
*Rabi Sal.* Video vobis imminere malū vestrum.

---

## CONCORDIA.

Quomodo dimittam vos & paruulos vestros,
Hebraice טפכם paruulos vestros, hanc ta-
men vocem semper alio modo interpretati sunt
Septuaginta, scilicet τὴν ἀποσκευὴν ὑμῶν, hoc est
supellectilem vestram, verum ait Eugubinus
omnes loci attestantur id nomen, paruulos non
supellectilem significare, & quoniam id a-
pertissimum est, nulla proferam testimonia

idque vel ex hoc loco cognoscitur, mox enim aliquid mali suspicatus est Pharao, vt dixerunt se suos paruulos secum ducturos, quod si aliam rem secum asportaturos dixissent, non vsque adeo dubitasset Pharao: præterea repetit Pharao quæ antea dicta sunt, at de suppellectile nulla mentio, exceptis pecoribus: sed pace salua Eugubini non est verum dictionem quam vertit interpres, solum significare pueros, Arias enim in linguis versatissimus reddidit familiam, quia nomen טף est collectiuum plura significans: hæc verba adagio Hebræo intricata ראו כי רעה נגד פניכם seu chi raa neged penachem, longe clarius reddidit noster vulgatus, quam omnes alij, vt videre est in eorum lectionibus, distincte enim enodat adagium Hebraicum, quod vertitur, videte quia A malum seu malitia contra facies vestras, quod respondet sententiæ communi Græcorum & Latinorum, directum frontem, vultum, faciem indicem esse animi & mentis vniuscuiusque. vidit sane Caieta. mentem Hebraismi, sed obscurius adhuc quod vidit nobis velauit, malum ad quod directe tendunt facies eorum, hoc voluit ex responsione eorum satis apparere malitiam, quam intendebant, in quam velut in scopum mentis acie tendebant, Rabi autẽ Salomonis versio seu potius interpretatio, omnino explodenda, nam commẽtitiam esse, & ex superstitione Iudaica profectam satis ipsa res indicat, dicitque hoc esse midras, id est quandam opinionem, ac quasi traditionem & secretum. B

## EXPOSITIO.

*Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos*, Tota hæc periodus dupliciter distingui & exponi potest, primo vt constet tribus membris, quorum primum constet sola particula *sic*, tanquam aduerbio admirandi, secundum constet verbis illis, *Dominus sit nobiscum*, tanquam amarissima ironia, tertium denique constet verbis sequentibus, interrogatiue prolatis. hæc expositio valde emphatica est & impietati Pharaonis satis conueniens, continet enim non solum Iudaicæ miseriæ irrisionem & subsannationem, sed etiam contemptum Dei, & ipsius auxilij, quod Iudæi ab eo sperare possent. Secundo possumus ita exponere, vt tota periodus tantum sit vna sententia, quæ expositio erit clarior, si in posteriori membro legamus, *quo modo* dimissim, & sit comparatio & imprecatio, inter Deum C adiuuantem, ac Pharaonem dimittentem, hoc sensu, sit Deus ita vobiscum, quemadmodum vel, sicut ego dimittam vos, Hebræa vtrumque sensum recipiunt, vti & Latina; præsens tamen distinctio editionis vulgatæ, magis indicat sensum posteriorem, Septuaginta vero magis priorem, omissa tamen hac distinctione, sicut videtur etiam potius omittenda, magis conuenit sensus posterior, vt sit absoluta vna sententia, Dominus ita sit vobiscum quemadmodum ego vos dimittam, quasi diceret, non dimittam. Itaque nec Dominus sit vobiscum; *Nec dubium est quin pessime cogitetis*, videmini enim machinari seditionem & rebellionem; in ficta sacrificij specie, vt populum Hebræum mihi subditum à me abducatis, eumque contra me concitetis.

## CONCEPTVS.

*Maximus amor parentum erga filios.*

48 *Sic Dominus sit vobiscum, quomodo dimittam vos & paruulos vestros.* Concedit Hebræis Pharao facultatem exeundi de Ægypto, dummodo eorum filij in ea relinquerentur: eos igitur relinquite vt libertatis optatæ sitis compotes, vt liberi ab immanissima tyrannide, in terra promissionis fœliciter degatis, certum est enim iniuriam pueris innocentibus non illaturum; nonne satius est libertate sine liberis quam cum eis sub seruitute durissima opprimi? nescit Moyses paruulos relinquere, sed satius iudicat cum eis manere in D Ægypto, quia scit tantum esse parentum amorem in filios, vt cum illis seruitutem quam sine illis libertatem præoptent; non alienus à sensu Oleast.

Oleaster. *Suadebat paruulos relinquere, quia nouerat eos certo reuersuros, si paruulos suos reliquissent, quasi diceret, denuo seruituti se subiecissent, si secum filios non deduxissent.*

*Peruersus princeps arbitratur etiam pios in regnum suum aliquid peruerse moliri.*

49 *Sic Dominus sit vobiscum, quomodo dimittam vos & paruulos vestros.* Cum acquieuerit petitioni Moysis, cur ais non dubium est quin pessime cogitetis? pessimam cogitationem nominat, optimum desiderium, quo feruntur Deo sacrificia in solitudine offerre, Dei mandata exequi: male cogitatis inquit, quid male cogitant, si secum filios adduxerint, vt solemnitati adsint præsentes? ita impius Pharao vt arbitretur pios Moysen & Aaron & alios Israëlitas, in filiorum suorum eductione aliquid in perniciem reipublicæ suæ machinari, sic intelligit Abulen. *Cuilibet satis notum est, quod si ire vultis cum paruulis, & senioribus, ita quod nullus de vobis remaneat, & cum ouibus, & armentis quod hoc faciatis, vt de hac terra recedatis, & hæc est pessima cogitatio, scilicet contra statum Regni mei, vt destituatur habitatoribus.* Abulens.

*Impij nobis etiam à Deo malum imprecantur.*

*Sic Dominus sit vobiscum, quomodo dimittam vos & paruulos vestros;* est myctherismus, id est 50 sermo cum naso & sanna, siue simulatus risus, sed tamen non latens, puta subsannatio cum suspensione nasi, sed solumne mycterismum continet? non equidem, quia ita impius est Pharao, vt à Deo ita malum imprecatur Israëlitis, sicut vellet Caietan. ipsis euenire, sentit est Caietan. *Est sermo imprecatorius mali, videlicet quod Deus non sit cum eis, locutus enim Pharao imprecando solito imprecandi* Lyppom. *modo, quo etiam hodie vulgares*, & Lyppom. im-

*precatur ironice illis Domini præsentiam & auxilium, quos è contra maliciosè penitus destitui.*

*Fingunt impij se piorum compassione duci.*

51 *Sic Dominus sit vobiscum, quomodo dimittam vos & paruulos vestros*, Aliqui hæc verba ita explicant, sic sit Dominus vobiscum, quemadmodum dimittam vos & paruulos vestros, id est ita habetis futuram facile Deum propitium, ac non quam facile vos & paruulos vestros dimittam, considerate autem hoc vobis minime conuenire, nam paruuli iter nequaquam perficere possunt propter ætatis imbecillitatem: quis non arbitraretur Pharaonem virum sanctissimum, cum ita puerorum, populi Israël consulit incolumitati? sed minime hoc tibi persuadeas velim, nam impij fingunt se erga pios compassione duci, cum solum sua moueantur vtilitate, hoc agnouit Olea. *Fingunt impij se compassionem piorum habere, cum omnia consilia sua in suam vertant vtilitatem.*

Oleaster.

*Impij quam malitiose iniustis calumniantur.*

52 *Sic Dominus sit vobiscum*, &c. Cui dubium est, quod peruerse cogitatis? in quo peruerse cogitant? de educendo populo Israël ex Ægypto vt vero Deo sacrificium offerant, cur hanc peruersam cogitationem appellas? arbitraris hoc omnium discessu, aliquid in tuæ reipublicæ damnum moliri, tibi insidias instruere: sed sane impudentius eis calumniaris, nam malitiose quicquid ex Dei mandato perficiunt interpretaris, sed non miror, iniquis enim & perditis hominibus solemne est bonos & pios calumniari, Iudæi Christo dicebant, nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu & dæmonium habes? apud Tertul. Apolog. aduersus Gent. cap. 7. leges, calumnias Christianis à gentibus obiectis, eos infanticidij, incestus, maiestatis læsæ accusabant, & publicarum calamitatum authores clamabant, quid plura? ipsos innocentissimos contumeliose, probrose asinarios, Galilæos, & impostores palam & vbique vocabant, sic enim ait, *Dicimur sceleratissimi de Sacramento infanticidij, pabulo inde, & post conuiuium incesto, quod euersores luminum, canes, lenones scilicet tenebrarum & libidinum impiorum inuerecundia procurent.*

Tertullianum. 50.

*Vultus simulachrum mentis.*

53 *Sic Dominus sit vobiscum, cui dubium est quod pessime cogitetis?* Et alij quasi responderent, ita esse verterunt, fraus siue malitia vestra quasi incubat vobis, quomodo incubat? quia quasi inscripta vel depicta faciei vestræ insidet, ex oculis totoque vultu pellucet quid molíamini, quid? an in fronte legitur quod in pectore gerimus? an licet mens sileat, vultus illud prodit? an faciem Moysis intuenti palam fiet, nihil ipso sceleratius fuisse? non equidem ex vultu Moysis, cum omnium hominum mitissimus esset, licet aliquando vultus sit mentis simulachrum, teste Isaya cap. 3. vultus eorum respondit eis, & Eccles. 8. sapientia hominis lucet in vultu eius: quid prohibet etiam nos asserere vultum etiam aliquando esse mentis simulachrum supernaturale? sic enim in lib. 3. de vitis patrum nu. 166. habetur, *Quidam ex patribus de aliquo referebat episcopo, eo quod in vita patrum audisset duos de plebe sua viros nimia impuritatis adulteros, rogauit ergo Deum vt si ita esset, agnosceret: cum ergo post oblationem consecratam vnusquisque ad communionem accederet, per singulorum facies intelligebat, & animas. peccatorum enim facies nigras aspiciebat, vt carbonem & oculos eorum sanguine repletos, alios vero vidit clara facie & vestibus albis indutos.*

Isaiæ 3. Eccles. 8.

Vitæ Patrum.

*A mala semper torquemur conscientia.*

*Sic Dominus sit vobiscum, quid dubium est quod pessime cogitetis?* Oleast. *quoniam malum ante conspectum vestrum*, alij *malitia seu fraus vestra quasi incubat vobis*, Cur dicit malum ante conspectum eorum esse & quasi incubare eis? quia sane peruersa semper torquemur conscientia, nobis peccatum semper obiiciente: suo testimonio id confirmat D. Chrysolog. conc. 1. de Laz. sub finem locutus de diuite epulone ait, *Explica mihi illius conscientiam, & videbis intus grauem peccatorum tumultum metum, tempestatem, turbationem, videbis velut in cinere mentem ad thronum conscientiæ ascendisse regalem, & quasi iudicem sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem in equuleo suspendentem latera que conscientiæ radentem vngulis*, & paulo post *timor vndique ac tremor, suspicio, & anxietas obambulat, amarum accusatorem circumferens conscientiam.* 54

D. Petrus Chrysol.

*Imago peccati vltrix semper nobis effunditur.*

*Sic Dominus sit vobiscum*, Oleast. quoniam malum contra conspectum vestrum est, hoc experiebatur regius vates cum in lachrimas fusus dicebat, peccatum meum contra me est semper; quomodo semper? nonne somno indulges? nonne variis distractus negotiis, quomodo tibi semper peccati inest recordatio? respondet, peccatum meum contra me est semper; semper imago vltrix peccati mihi effunditur, peccatum semper conspectui obuoluitur, nec vnquam quietos nos esse patitur, id testatur D. Ambr. in Psal. 50. *Effunditur enim*, inquit, *nobis vltrix imago peccati, nec quietum reum suum esse permittit, inferens miseram seruitutem, atque in sua vincula trahit, vt enodare se non queat quoniam volens ipse se vendidit, cui liberum erat delictorum compede non teneri, & libertatem innocentiæ reseruare, itaque cum oramus peccatum effunditur, vbi somnus sensum corporis laxauerit peccatum recurrit, semper nobis error noster tanquam malus exactor occurrit, vel tanquam improbus fœnerator conueniens debitorem.* 55

Psalm. 50.

D. Ambros.

*Malum prius nocet facienti quam alteri.*

*Sic Dominus sit vobiscum, cui dubium est quod pessime cogitetis?* Cald. malum quod vos putatis facere, contra faciem vestram fiet, Onk. malum quod putatis facere in faciem vestram reuertetur, quasi diceret, credis nobis aliquod malum illaturum, sed falleris, teipsum enim decipis, in faciem enim tuam reuertetur, tibi non parum prius nociturum; nonne malum quod alteri molimur, prius illi nociuum est quam illud facienti? non equidem, sed econtra, vt recte probat D. Athan. de passione Domini. *Quemadmodum siquis serpentem apprehendat manu, idemque conatur in alterum proiicere, prius ipse mordeatur, siquis ignem* 56

D. Athan.

*manu tenens dum vult hostem lædere, non intelligat quod ipse prorsus exuritur: sic malitia militat ad-* A *uersus eos qui ipsa vtuntur, magisque lædit eos à quibus habetur, quam eos in quos tenditur.*



## VARIETAS LECT. Vers. 11. & 12.

Vulg. Non fiet ita, sed ite tantũ viri, & sacrificate Domino, hoc enim & ipsi petistis, statimque eiecti sunt de conspectu Pharaonis.
*Sept.* Non sic, sed eant viri, & seruiant Deo, hoc enim ipsi requiritis, eiecerunt autem eos à facie Pharaonis.
*Pagn.* Et expulit eos à facie Pharaonis.
*Vulg.* Dixit autem Deus ad Moysem, extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, B vt ascendat super eam, & deuoret omnem herbam quæ residua fuerit grandini.
*Septuag.* Extende manum tuam super terram Ægypti, vt ascendat locusta super terram, & comedat omnem terræ herbam, & omnem fructum lignorum, quem reliquit grando.
*Cald.* Leua manum tuam super terram Ægypti, vt veniat locusta.

## CONCORDIA.

Scio in Hebræo hoc solum haberi לא כן lo chen sicque noster vulg. de suo addidit verbum fiat, non inuenuste, sed vt clariorem redderet orationem, verum est nos habere in plurali & passiue eiecti sunt, cũ singulariter & actiue sit in Hebræo ויגרש אתם vaigares otham & eduxit eos, siue Pharao siue aliquis minister, quia collectiue plures dicuntur, vel vnus præcipue, alij autẽ quasi ei seruientes: hæc verba, extende manũ tuam super terram Ægypti ad locustam, clarius reddit Cald. vt veniat locusta, septuaginta addiderunt, καὶ πάντα τὸν καρπὸν τῶν ξύλων.

## EXPOSITIO.

Non fiet ita, nequaquã vestrę petitioni acquiescẽ *sed ite tantum viri*, relictis vxoribus, senibus, & pueris, *hoc enim & ipsi petistis*, nusquã petierat Moyses aut Aaron vt soli adulti, aut viri irent, sed tantum absolute ex nomine Dei dixerat, dimitte populum meum, quo populo omnes Iudæi comprehenduntur: quod autem cap. 5. dicit Moyses, Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum, non excludit paruulos, quasi hi non possent tantum viam ire, sed verbo eundi significatur omnis modus profectionis, siue iumento, siue curru, siue pedibus, quis eat. *Eiectique sunt de conspectu Pharaonis*, Intellige hoc modo, quod Moyses iterum Pharaoni roganti, vt soli viri irent ad sacrificium, id ipsum negauit, voluitque omnes etiam paruulos missos fieri, atque ita exacerbatũ regem iussisse eos expelli, *Extende manum tuam* C *super terram Ægypti*, quasi dicat, virgam extende manu tua, *vt ascendat super eam*, nempe locusta, quæ dicitur ascendere quia ex vicinis Arabiæ & Æthiopiæ collecta, ac extraordinarie quoque à Deo multiplicata, Ægyptũ inuasit, sed more insectorum volitans, *& deuoret omnem herbam quæ residua erat grandini*, grando enim sum iam terme herbam percusserat, tenuia vero germina, siue si quæ residua postea ex hordeo, lino tritico, farre enata, locustę seruata sunt, quę comaior Ægypti fuit plaga, quo illa fertilior mundi pars, adeoque olim orbis horreum habita fuit.

## CONCEPTVS.

*Ne minima quidem ansa diabolo relinquenda.* D

17 *Ite tantum viri & sacrificate Domino Deo vestro*, Quæ cum nollet acquiescere, eiectus est cum ignominia à conspectu Pharaonis. ecce permittit Hebræis Pharao, vt viri tantum de seruitute exirent, dummodo filij in seruitute relinquerentur: sed cum Moyses nouis plagis inuitaret etiam pueros dimittendos, permittit tandem Pharao, dummodo greges, armenta in Ægypto retineantur. cur quæso filiis aut gregibus relictis, facilem abeundi facultatem concedebat, cum viri longe maiores sibi forent vtilitatis? quia exultimabat Hebræos sine filiis, vel sine pecudibus egressos, paulo post vel charitate filiorum, vel pecudum cupiditate redituros, quodquidem Moses odoratus pactionem non admisit, quis ille Pharao? nonne diabolicũ & tartareum *Pharaonẽ*, adumbrat, qui talem se suis captiuis exhibet? facile quidem eos à sua seruitute abire sinit & in Christi libertatem transmigrare, dummodo illi, vel in se aliquam propensionem in malum, vel propter se aliquam occasionem ad ruinam superesse patiantur: sperat enim improbus hostis fore, vt facile reuocet, quos adhuc catenatos & veluti compeditos remisit, sperat item vt miseri illi post quam redierint, tenacius ament seruitutem, quam libertati iam possessæ prætulerunt: quare peccatis necesse est renuntiare, ne vt minima quidem ansa diabolo relinquatur, qua semel elapsos prehendat, & in idem scelerum barathrum reducat; quod recte expendit noster Lyranus explicans hæc verba legislatoris Deuter. 21. scripta, fœminam alienigenam nempe à viro Hebræo in vxorem Lyranus. Deuter. 21.

retinenda, radet inquit cæsariem & circumcidet vngues, & deponet vestem in qua capta est, sedensque in domo tua flebit, & patrem & matrem suam vno mense. sic autem noster Lyranus, *Per hanc mulierem significatur peccatrix anima, pulchra ratione imaginis, sed captiua ratione criminis, hanc amat Christus, & vult sponsam habere per fidem formatã charitate, sed oportet vt deponat vestes in quibus capta est, id est vitia & peccata præterita, & radat cæsariem, & circumcidat vngues, id est peccatorum circumstantias aggrauantes deponat, & peccandi occasiones caueat, & fleat patrem suum & matrem id est plangat quod habuit diabolũ patrem & matrem congregationem impiorum*, en vt nulla omnino anfa diabolo relinquenda, ne iterum seruituti subiiciat:

*Infirmos & debiles in præceptis Dei seruandis amat diabolus.*

58 *Ite tantum viri & sacrificate Domino Deo vestro.* Portentis de cælo, suppliciisque Ægyptum diuexatibus perterritus, tandẽ Pharao liberã facit Hebræis facultatem, vt egressi ab Ægypto ad sacrificandum Deo patrum suorum abeant, sed cum hac conditione, vt viri tantum proficiscantur, sed pueri & mulieres remaneãt: quid tanti pẽdis mulieres & pueros? nonne viri in maius emolumẽtum cedere tibi possent, tum ratione virium, tum rerum experientia? non est dubium (vt pluries diximus) Pharaone dæmonem adumbrari, quid mirum igitur, si retineat pueros & mulieres? *Quia*, vt recte Procopius, *diabolus amat ingenium muliebre & puerile, cum præcipue hac ingenia præ aliis diligit, quia cum mulieres ac pueri multo sint infirmiores, quamlibet vel minimam difficultatem in studio virtutis, legeque diuina exhorrent, ac perterriti concidunt*, sed bene Diu. Ambros. serm. 14. in Psalm. 118. *nemo duraputet quæ iusta sunt, non enim ex infirmitate nostra vis æstimanda est iustitiæ, quia durũ putamus esse quicquid per imbecillitatem animi ferre non possumus.* Ambros. concinit Diu. August. de perfecta iustitia ad hunc modum: *enim mandata videntur grauia nondum accepit charitatis donum, vnde fiant leuia.*

*Libertatem, & eripi à malo, omnibus aliis bonis anteponimus.*

59 *Ite tantum viri & sacrificate Domino Deo vestro.* Cur etiam vxores & liberos simul cum eis non dimittis? ecce enim multæ possessiones agri, maxima suppellex in pignus sui, ex solitudine regressus tibi relinquuntur. prudenter in hoc Pharao, quamuis relictis possessionibus & agris, noluit nisi solos viros proficisci, sciebat enim libertatem, & eripi à dura tyrannide & oppressione, omnibus quibuscumque bonis anteponendam: annuit Abul. *Pharao videbat quanta erat afflictio quam eis irrogabat, ideo putabat quod ipsi libenter dimisissent agros suos, vt dimitterentur exire de tãta afflictione Ægypti, non confidebat ergo tali pignori, imo nec credidisset eis si ipsi omnes cum vxoribus ac senioribus recederent etiam relictis vniuersis pecoribus, quia suspicari poterat libenter eos illa perdituros vt tanta mala euaderent seruitutis, de agris nihil curabant Iudæi, quia habere hæreditatem in terra afflictionis renuebant.*

*Amor omnia vincit ac superat.*

*Ite tantum viri & sacrificate Domino Deo vestro.* Omnia illis concesserat, cum & vxores, nunquam crederent concessis vxoribus, qui de nomine tyrannidis intolerabili opprimebantur? an non torquentur & cruciantur omnium tædio aut patiuntur in Ægypto? Clare ergo arbitraris in Ægyptum reuersuros, si nempe sui regressus pignus, vxores in Ægypto reliquissent? nonne maximus est coniugum amor? ne credas ergo, quamuis durissima tolerassent in Ægypto, nõ reuersuros relictis vxoribus, amor enim omnia vincit & superat, quod recte annotat Richard. Victor. de gradibus Charit. ca. 3. *Verus amans minus quicquid pro amico patitur præ amore vix sentit dum sic totus amori intenditur, vt præter dilectum nihil plane cogitare sinitur:* & Chrysost. homil. 1. ad Phil. *adeo violentus est amor aliquis vt ita dicam tyrannicus, vt nulli cedat occasioni, sed continenter inhæreat amantis animo, neque committat vt vlla afflictio aut vllus dolor superet animam.* Optime Philo Carpathius explicans illa verba Cant. fortis est vt mors dilectio ait: *incredibilis est vis amoris, insuperabilisque omnino, & rerum omnium quamdiu sunt, firmissimum vinculum ac nexus, hic est primus ille amoris affectus, quo cunctis animantibus insertus est à natura, quique omnia docet ac monet:* sed paulo post. *præ vera dilectionis magnitudine, mortem contemnimus corporis, & durissimos quosque cruciatus eximimus.*

*Quis facile mentitur cum scit à nullo reprehendi posse.*

61 *Ite tantum viri & sacrificate Domino, hoc enim petistis.* Qua de causa ergo conquerimini, si vestræ acquiescit petitioni? ab eo vt vobis liceret sacrificium Deo offerre, supplices postulastis, annuit optatis, ite ergo, & quod Deo debetis persolute; omnes vnanimi consensu fatentur impudenter mentitum Pharaonem, nunquam enim petierat Moyses aut Aaron, vt soli viri aut adulti viam trium dierum in solitudinem offerendi Deo sacrificij causa, proficiscerentur; nam solum absolute dixerat ex nomine Dei, vt populum Israël dimitteret, quo nomine omnes Iudæi, nemine excluso comprehendebantur: cum mendacium omnes dedeceat, sed præcipue magnates & principes, quomodo ita inuerecunde Rex Pharao mentitur? optima ratio Tostati, *Non erubescit mentiri, quia non timebat, quod eum quis de mendacio redargueret.*

*Aulæ regum aliquando peruersis patent, iustis autem clauduntur.*

*Ite tantum viri & sacrificate Domino*, & statim inquit textus, *eiecti sunt de conspectu Pharaonis*, 62
Plura hic subticentur, supponendum est enim regi acquiescere noluisse Moysen permittenti vt solum viri secederent in desertum Deo sacrificaturi, & sic ignominiosè eum simul cum Aarone eiectum fuisse. quomodo viri iustissimi ab aula Regis excluduntur? quomodo qui saluti miserorum consulunt à domo regia eiciuntur, cum dicat D. Hieron. in cap. 22. Ieremiæ statim in initio, *Regum proprium est facere iudicium & iusti-*

*tiam, & liberare de manu calumniatorum, vi oppressos, & peregrino, pupilloque & vidua, qui facilius opprimuntur, & pauperibus auxilium prabere.* Quomodo ergo qui pauperum patrocinium suscipiunt, non admittuntur? quia aliquando aulæ principum sed præcipue impiorum, patent malis, bonis autem clauduntur, fores eorum ganeonibus, mimis, assentatoribus peruiæ, seruis autem Dei occlusæ: Iamne enim & Mambre magi venefici honorantur à Rege Ægypti, à cuius conspectu Moyses & Aaron procul expelluntur.

### *Veritatis comes inimicitia.*

63 *Ite tantum viri & sacrificate Domino, hoc enim petistis,* Sed cum rei veritatem ei Moyses aperuisset, se non solos petiisse adultos, sed vt omnis populus Israël dimitteretur ad sacrificandum, maiori in eum odio exarsit, nam antea cum satis benigne admisit, nunc autem ecce contumeliose eum eiicit: cur audita veritate ita male à principe excipitur Moyses? sane quia veritatis comes inimicitia & odium. vnde recte D. Hieron. exponens hæc verba Pauli ad Galat. 4. ergo inimicus vobis factus sum verum dicens vobis, ait, *Hac est conditio veritatis vt eam semper inimicitia consequantur, sicut per adulationem perniciosam amicitia conquiruntur, libenter quod delectat auditur, & offendit omne quod nolumus.*

Ad Galat. 4. D. Hieron.

### *Cum aliquid concedere nolumus, in alios culpam reiicimus.*

*Ite tantum viri & sacrificate Domino.* Nonne superius à te concessa est eis facultas, vt ad sacrificium Deo offerendum in solitudinem proficiscerentur? cur igitur eam ad solos viros restringit licentiam? notate verba Pharaonis, *hoc enim ipsi petistis*, en cum concedere noluit Israëlitis liberum ex Ægypto discessum, in Moysen & Aaron culpam reiecit! quod notat Auctor Cat. Græcæ in Pent. *Sunt hæc verba concedentis profectionem, imo vero quibus & Rex videre volebat iam per se non stare quominus abirent Hebræi quo vellent, idcirco causam statim reiicit in Moysen, qui modum transgrederetur in petendo.* 64



## *VARIETAS LECT. Vers. 13. 14. & 15.*

**V***ulg.* Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti, & induxit Dominus ventum vrentem tota die illa & nocte, & mane facto ventus vrens leuauit locustas.

*Septuag.* Eleuauit Moyses virgam in cælum, & Dominus induxit ventum austrum, factum est mane, & ventus auster assumpsit locustam.

*Cald.* Induxit Dominus ventum orientalem, factoque mane ventus orientalis leuauit locustam.

*Procop.* Attulit Dominus ventum nothum.

*Aly.* Et adduxit Dominus ventum subsolanum.

*Vulg.* Quæ ascenderunt super vniuersam terram Ægypti, & sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerunt, nec postea futuræ sunt.

*Sept.* Et induxit eam super omnem terram Ægypti, & requieuit super omnes fines Ægypti.

*Cald.* Mansit in vniuerso termino Ægypti nimis valida.

*Vulg.* Operueruntque superficiem terræ, vastantes omnia, deuorata est igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat, nihilque omnino virens relictum est in lignis, & in herbis terræ, & in cuncta Ægypto.

*Sept.* Operuit aspectum terræ, & corrupta est terra, & comedit omnem herbam terræ, & omnem fructum lignorum, qui relictus fuerat à grandine.

*Cald.* Cooperuitque terram, ita vt radij solis non possent ad eam peruenire, & obscurata est terra.

*Onk.* Et operuit splendorem solis, vt non posset peruenire ad terram, & obscurata est terra.

*Ari.* Et operuit omnem oculum terræ.

## *CONCORDIA.*

**V**Entum vrentem non dubium est esse austrum, quippe qui sit ventus calidissimus, & à Zona torrida profectus, ac propterea imperfectis animalibus generandis aptissimus, Septu. expresse verterunt austrum, nempe νότον, qui nothus & auster dicitur, appellaturque notus ab humiditate, quæ in rebus omnibus, eo flante solet contingere. solet autem dici etiam subsolanus, & orientalis, auster enim licet à meridie flans etiam dicitur orientalis, solemus enim mundum in duas tantum plagas videlicet in Orientem & Occidentē diuidere, sicut & Cosmographi faciunt, quando gradus longitudinis pœnes illas tantum assignant, qua ratione Meridies & Auster Orienti, Septentrio & Aquilo Occidenti annumeratur, potest etiam dici hunc ventum Eutonotum partim Orientalem, partim Australem fuisse: pomorum nomine quo interpres vtitur fructus omnis designatur, quos Hebræi פרי peri nominant, quod in Hebræo habemus ותחשך הארץ & obscurata est terra, sensum reddit interpres, non autem verba.

## EXPOSITIO.

EXtendit Moyses virgam, vt executioni mandaret quod sibi mandatum fuerat, *& Dominus induxit ventum vrentem tota illa die & nocte.* Ventum vrentem id est calidissimum austrum imperfectissimis animalculis gignendis aptissimum, de quo sic Philo, auster incubuit violentissimus per se valde noxius, anhelus, dolorem capitis inuehens, & grauedinem lãgorisque tædium, præsertim in Ægypto, quæ est ad austrum, vbi conuersiones luminarium fiunt, vt simulatque commotus fuerit, solis ardorem commoueat, atque æstu exurat omnia. *& mane facto ventus vrens leuauit locustas*; qui calore suo fœtuque locustas produxit, & productas in Ægyptum perflauit, dicitur autem mane, quia matutinum tempus ad hoc aptius est, quando quæ inter locustas alatæ sunt, & nocturno frigore torpuerunt, matutino calore exsiccatæ, factæque viuidæ & vigorosæ auolare solent enim naturali instinctu, *quales ante illud tempus non fuerunt, nec postea futuræ sunt,* Prophetico spiritu Moyses hæc addidit, quod autem Ioel. 1. & 4. dicitur de locustis, quod residuum erucæ comedit locusta, intelligendum est metaphorice; ipse enim se explicat Ioel cum ait, gens enim ascendit fortis & innumerabilis, *Operueruntque vniuersam superficiem terræ*, scilicet germinibus vestitæ, vel aliquas habentis herbas, aut arbores, quid enim vastarent in terra arenosa & glabra? *Vastantes omnia*, segetes & arbores, *deuorata est igitur herba terræ, consumptum quidquid erat virens, & quidquid pomorum in arboribus fuit.* Pomi nomine vocatur omnis fructus, tã qui tenero quã qui duro constat cortice, vel possunt poma metonymice accipi pro gemmis siue baccis in poma protuberantibus, *nihil quoque omnino virens relictum est*, in herbis vel arboribus, quia quæ antea virentia, grandine percussa quæ autem nouiter nata, quia serotina, à locustis consumpta sunt.

Philo. — Ioel 1. & 4.

## CONCEPTVS.

### *Deus signa operatur pluries secundum eorum exigentiam.*

65 EXtendit Moyses virgam super terram. Nonne superius vidimus manus extendisse versus cælum, vt fulgura concitaret, & grandinem immitteret in Ægyptum? cur igitur nunc vt adducat locustas, non extendit manus in cælum, sed in terram? aduerte fulgura & grandinem in aëre generari, locustas vero ex terra: quid mirum igitur si cum prius signum vult edere, manus versus cœlum eleuet, posterius autem versus terram extendat? Deus enim pluries signa operatur secundum eorum exigentiam: hoc annuit Abulens. *Hoc significat diuinam potentiam facientem, sed fiebat ex natura signi quia sic competebat, nam in signo superiori de missione grandinum vel fulminum manus tetendit in cælum, quasi vocans grandines & fulgura de cælo, id est de aëris interstitio medio cadebant: in isto signo de educenda & vocanda locusta extendit manum super terram, quia locusta non veniebat de parte superiori aëris, vt caderet in terram, sed è contrario de terra surgens in aërem conscendebat, & hoc patet in alijs signis factis per Aaron, quia sic extendebat signum vt natura signi exigebat.*

Abulens.

### *Deus in puniendis peccatoribus homines etiam habet cooperatores.*

66 *Extendit Moyses virgam super terram.* Quo extendente, innumeræ à vento vrente excitatæ vniuersam Ægypti superficiem cooperuerunt, nihil illæsum relinquentes, cur necesse est Moysen virgam eleuare in hoc mirabili operando, quo non leuiter Ægyptus debet flagellari? Deus id sine adminiculo virgæ vel ministerio Moysis efficiat, potuit, sed noluit, aliquando enim in puniendis peccatoribus hominum cooperatione vtitur. *Vide Domini consilium* (ait Lyppom.) *quamuis enim per se ipsum omnia possit, in puniendis tamen malis aliquando homines etiam vult habere cooperatores. vt hic faciendo quod Moyses extendat virgam super terram.* Et Diu. Hierony. in cap. 2. Ioëlis vers. 25. *homines ministri sunt & vltores iræ eius in his qui malum operantur.*

Lyppom. — D. Hieron.

### *A Deo humana deridetur fragilitas.*

67 *Extendit Moyses virgam super terram, &c.* Deus sane nec vento ad adducendum innumerabilem locustarum numerum super vniuersam Ægyptum indigebat, attamen per ventum & per Moysen hoc perficere voluit, vt discamus approbari à Deo quæ serui eius operantur: sed cur his minutissimis animalculis, vt locusta, brucho, eruca, rubigine, quæ etiam apud Ioelem annumerantur, vtitur, cum nulli sit dubium, quin ad nutum suum & potentiæ maiestatem, terras subuertere, cuncta diluuio submergere, vel fulmine concremare possit? sane vt sibi rebelles & aduersarios, qui inflati gloriantur in fortitudine sua, per parua corporum puncta confundat, humanamque ostendat fragilitatem nihil esse, & quæ intantum nihil est, vt ab his quæ minima sunt, vulneretur, imo destruatur: hoc quæso audiamus à D. Hieron. in cap. 2. Ioelis ver. 25. *Quomodo Dei potentia in Ægyptiis plagis offensa per parua animalia, sic nunc in paruo tardoque animalculo, quod vix moueri potest & leui tactu conteritur, Dei potentia, & humana fragilitas demonstratur, vnde & illud solemus Marcioni & cæteris respondere hæreticis, qui vetus laniant testamentum, quod pulices, culices, cimices, & huiusmodi animantia fecerit Deus, vt fragilitatem & imbecillitatem nostræ carnis ostenderet, quæ in tantum nihil est vt ab his quæ parua sunt, vulneretur: si*

D. Hieron.

*autem eruca paruusque vermiculus fortior homine est, quid gloriatur terra & cinis, & elata per superbiam (cum ex humo sit à quo homo appelletur) humana contemnit?*

### *Si à noxiis animalibus affligimur id fit Deo volente, & non fortuito.*

68 *Extendit Moyses virgam super terram*, Et ecce sub vento vrente locustæ innumeræ exurgunt, quæ vniuersam Ægyptum fructibus, floribus, herbis spoliauerunt, quæ nihil omnino virens intactum reliquerunt: cur ita animalcula noxia Ægyptiis? cur quæ meliora in Ægypto, ab his corroduntur & corrumpuntur? an hæc casu vel fortuito contigisse dicemus? imo copiam noxiorum animalium fructus terræ deuastantium pœnam peccatorum fuisse: hoc præclarissimi doctores asserunt Basil. hom. 9. in hexam. & Ambros. lib. 5. cap. 23. etiam in hexam. quorum primus ita scribit. *Quonam pacto tibi militias exercitusque locustæ terribiles enarrauero, quæ velut agmine facto, sub vna tessera in sublime vniuersa simul elata castris toto late positis, agro, non antea sane fructus depascitur, quam ipsi sit à Deo concessum atque mandatum.* secundus autem sic ait, *vsque ad locustam gratia diuina penetrauit, quæ cum agmine confecto regionis cuiusque occupauerit latitudinẽ, innoxio primum fertur habitaculo, nec fructus inhospitali incursione depascitur, nisi diuinæ signum præceptionis acceperit, etenim & cælestis vltionem offensionis exequitur pia ministra vindicta.*

D. Basil.

D. Ambros.

### *Adulator non solum pia verba, sed & bona opera destruit.*

69 *Extendit Moyses virgam super terram.* Et vento vrente excitato, tanta locustarum multitudo in Ægyptum descendit, vt quod maxima ex parte grando deformauerat, locusta penitus perdiderit, dum quæ ipsa lacerauerat, aut obruerat, ista radicitus consumpserit: & sane luctuosum videre erat spectaculum, facies enim Ægypti incũte vere tristior quam in asperrima bruma; nequaquam enim tantus exstitit frigoris [illegible] hiemis rigor, quin aliquid viroris saltem in agris appareret, & quæ locusta est hæc sic ore patens, omnia vastans, herbas corrodens, fructus consumens? pulchre D. Odo Abbas Cluniac. lib. 31. moral. in Iob, *adulantium est lingua*, & sane nihil pestilentius, nihil voracius, quæ non solum pia verba, sed & bona opera omnino destruit, quod late expendit Diu. Gregor. Mag. lib. 31. Moral. cap. 12. *Deuorata est terræ herba & quidquid pomorum in arboribus fuit, sic enim Ægyptus plagis affecta est in quibus exteriori percussione commota dolẽsque perpenderet quæ deuastationis damna interius negligens toleraret, vt dum foris perire minima sed amplius dilecta cerneret, per eorum speciẽ quæ intus pertulerat grauiora sentiret. Quid autem per significationem locustæ portendunt, quæ plus quam cætera minima, quæque animantia frugibus nocent, nisi linguas adulantium quæ terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua proferre conspiciunt, hæc immoderatius laudando corrumpunt? fructus quippe Ægyptiorum est operatio cenodoxorum, quam locustæ exterminant, dum adulantes linguæ ad appetendas laudes transitorias cor operantis inclinant, herbam vero locustæ comedunt quando adulatores, quique verba loquentium fauoribus extollunt, poma quoque arborum deuorant, quando vanis laudibus quorumdam iam quasi fortium & opera eneruant.*

Odo Cluni.

D. Gregor.

### *Adulator sub blanditiarum velo venenum obtegit.*

70 *Extendit Moyses virgam super terram & ventus vrens leuauit locustam.* Quia diximus adumbrari adulatorum linguam: de quibusdam locustis scribitur, habere eas facies fœmineo vultui similes, quodque ipse Ioannes adduxit de locustis suis, facies earum tamquam facies hominum, & nihilominus venenum in cauda habere non ignotum est. si fœmineũ habẽt vultum, quo ipsa mollities designatur, quid enim suauius facie muliebri? quomodo inest eis venenum quo nihil acrius? hoc sane adulatorum proprium vt sub blanditiarum velo venenum quod in caudis locustarum ponitur, obtegant, & tunc maxime lædant, cum minime se fingant læsuros: recte qualis nam esset adulator agnouit Diu. Hierony. lib. 1. contra Pelag. cum ait, *Semper insidiosa, callida, blanda est adulatio. pulchreque apud Philosophos definitur blandus inimicus.*

Apocal. 9.

D. Hieron.

### *Nulla maior pestis animæ quam adulatio.*

71 *Extendit Moyses virgam super terram & ventus vrens leuauit locustam* De qua Diu. Hierony. in cap. 13. Oseæ, noxia est, & sic inimica mortalibus, vt famem faciat, & segetum culta populetur, in tantum vt arbores quoque & vineas decorticet. quid melius & verius adulatorum animos adumbrat? hi enim pestiferi, virtutes animæ blanditiis suis depopulantur, & facie inducta hominibus omnino aduersarij. vnde recte Paulinus ad Celantiam. *Adulatorum assentationes, velut quasdam pestes animæ fuge, nihil est quod tam facile corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci & molli vulnere animum feriat, vnde Dominus loquitur per Isaiam: popule meus, qui beatificant vos, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum dissipant.*

D. Paulin.

Isai. 3.

### *Nulla grauior plaga quam adulatio.*

72 *Extendit Moyses virgam super terram & ventus vrens leuauit locustam.* Non est dubium quin hæc plaga aliis fuerit grauior, cum in maioris Regis Ægypti obstinationis pœnam superuenerit, omnia enim quæ à grandine & fulgure intacta remanserant, ab ea deuastata fuere: sed qua de causa diximus hac grauiori plaga adulationem adumbrari? quia inter peccata, illud grauissimum esse videtur & animæ infensissimum, teste Diuo Chrysostomo hom. 2. de Dauid & Saül *Prauitatem non æmulari tantum, verum etiam in ea viuentes laudare, supplicium haud mediocre nobis conciliat, & si fas est quiddam nouum & admirandum dicere, grauius supplicium manet quam illos ipsos, qui male viuunt*, atque infra, *nam collaudare delinquentes*

D. Chrys.

*quod ad supplicij pertinet æstimationem longe plus est quam delinquere, idque iure optimo, eo quod hoc suffragium proficiscatur ab animo plane corrupto, ac insanabili morbo laborante, si quidem is qui dum peccat, condemnat interim peccatum suum, poterit aliquando ad se redire, at qui laudat malitiam, is se priuauit curatione quam adfert pœnitentia.* A

*Os adulatorum quadrangulum.*

73. *Extendit Moyses virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* De qua locusta sic Berchorius, est animal sextupes, quia scilicet à parte anteriori, seu ad latus habet quatuor pedes paruos, à parte verò posteriori, duos habet longos & magnos, quibus scilicet se eleuat, quãdo saltat. est enim animal quod ambulare vel currere nunquam nouit, imo semper volando vel saltando transferre corpus procul consueuit, est etiam animal ore quadrangulum, dentibus armatum, florum & herbarum corrosionibus aptum, vnicum habens intestinum, & in cauda portans aculeum. si dictum à nobis fuit, adulationem adumbrari locustâ, cur ei os quadrangulum assignamus? nam adulatoris os sicut aliorum hominum esse videtur: audi tamen cit. Doctorem tibi satisfacientem. *Reuera scilicet adulatores habent os quadrangulum, inquantum scilicet obloquendo de inferioribus, & superioribus, de amicis, & inimicis, ipsi quadrangulant verba sua.*

Petrus Berchorius.

*Hæretici licet inter se diuisi, ad oppugnandam tamen Ecclesiam sunt vnanimes.*

74. *Extendit Moyses virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* Non est dubium quin locustarum nomine, designentur hæretici: sicut enim locustæ nihil in lignis, nec in herbis viride reliquerunt, sic hæretici quidquid fidei & sanctitatis viride erat in multis partibus corroserunt, nonne etiam hæretici instar locustarum, sanioso ore cuncta polluunt? cum enim intellectum habeant erroribus inquinatum, quid aliud ore euoment quam doctrinæ hæreticæ saliuam fæculentam, qua alios inficiant? sed quid de locusta sapiens asserat Prouerb. 30. inspiciamus, Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas: si locustæ carent rege ac principe, & iis hæretici designantur, cum nulli subiici vellent, quomodo quasi ducem haberent, Ecclesiam Catholicam vnanimes inuadunt? quia ita sunt ei & infensi & aduersarij, vt vnanimi consensu, licet inter se erroribus discordes, in Ecclesiam simul conspirent; ad eam impugnandam omnium eorum idem est finis, teste Eugubino in cap. 11. Deuter. sic dicente. *Quid aliud hæretici sunt quam Dathan & Abiron? vt enim hi sub prætextu pietatis, dominandi libidine ac ambitionis æstu agitati, principatum adimere conabantur cui fuisset à Deo traditus, ita hi sanctæ Ecclesiæ corpus disiungere enituntur dum caput eius à summo Deo constitutum imminuere, lacerare, & dedecorare impiis maledictis non cessant, neque aliud fit ab his in summum illud caput, quam à Dathan & Abiron in Moysem tentatum est.* C D

Prouerb. 30.

Eugubinus

*Hæretici inconstantissimi.*

*Extendit Moyses virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* Quæ locusta talis naturæ est, vt quamuis sex pedes habeat, nunquam tamẽ nouit ambulare, sed saltando corpus in alium locum transferre consueuit, ita vt recto non gradiatur tramite per se, sed quosdam saltus: sed qua de causa locustis hoc modo saltantibus, adumbrari possunt hæretici? videntur enim sibi recto tramite incedere, sed toto sane cælo aberrant, nam locustarum saltus sua solita inconstantia imitantur, cum semper ab vno errore in alium saliant. 75.

*Hæretici libidinosi.*

*Extendit Moyses virgam super terram & ventus vrens leuauit locustas.* Videtur ad hanc Ægyptiacarum locustarum plagam respexisse Deus in Apocalypsi, cum illic Ioanni in quinta plaga etiam locustas exhibet, & possumus ex iis quæ ibi ad locustarum crudelitatem, & nocendi vim adhibentur, præsenti loco multum lucis adferre. probabile enim est Ægyptias has locustas omnem feritatem & fœditatem quæ in ea specie reperiri potest, habuisse: nec noui tibi videatur si locustæ Ægypti similes dicantur iis quæ visæ sunt à S. Ioanne, Rupertus enim hîc priores cum secundis comparat, sic enim ait, verum hoc maxime hæretici faciunt, & omnes qui loquuntur mendacium, ac vero in Apocalypsi Ioannis hæreticorum mendacium, per speciem locustarum hoc modo describitur, & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ &c. quo posito non erit alienum ab instituto nostro, si aliquos formauerimus conceptus de locustis, quæ à S. Ioanne visæ sunt, quarum figura à Moyse subticetur; sic ergo S. Euangelista de iis ait cap. 9. suæ Apocalyp. *Et habebant capillos suos sicut capillos mulierum.* Cur potius capillos mulierum habere visę sunt, quam hominum? aduerte quod sicut non est dubium à pluribus per huiusmodi locustas hęreticos adumbrari, sicut & fœminam tum propter fragilitatem, tum propter petulantem & pronam ad libidinem naturam carnis & sensualitatis, eorum esse symbolum. Dic igitur quod ideo huiusmodi locustę capillos instar fœminarum habere visæ sunt, quia omnes fere hæretici ad libidinem sunt procliues. hac de causa hæresis sæpe meretricis nomine censetur, quamquam enim hæresis dicatur meretrix & fornicaria, ex eo potissimum quod legitimum fidei torum deserat, tamen eo etiam nomine censetur, quod cum morum licentia & præcipue carnis illecebris ac libine sic coniuncta. Vnde Arianam hæresim D. August. serm. 200. de temp. comparat cum illa meretrice quę apud Salomonem 3. Reg. 3. postulabat, vt infans viuus medius secaretur. 76. B

Apocal. 9.

*Hæreticorum doctrina veritatis fucato colore velata.*

*Extendit Moyses virgam super terram, &*

*ventus vrens leuauit locustas.* Quas, vt diximus visas fuisse à S. Ioanne capillos mulierum habuisse, & licet dictum à nobis fuerit, hoc explicare hæreticorum effœminatam naturam, & mollem eorum & libidinosam viuendi rationem, non erit inutile denuo inquirere, cur potius capillis mulierum similes esse perhibeantur, quam mulieribus? non est dubium quin fœminæ curiosam crinium compositionem affectent, vt pulchriores cẽseãtur, & si quos in vultu defectus habuerint, capillorum ornatu obtegunt: hanc mulierum curiositatem reprehendens Tertul. sic ait in lib. de cultu mulierum, habitus fœminæ duplicem speciem circumfert, cultum & ornatum, cultum dicimus quem mundum muliebrem vocant, ornatum quem immundum muliebrem conuenit dicere, ille in auro, & argento, gemmis, & vestibus deputatur; iste in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt, alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis: quàm rectè ergo apparuerant locustæ fœminarum crinibus exornatæ, quia hæresis nisi instar fœminæ sese componat & comat, hoc est doctrinam suam fucato aliquo veritatis colore illiniat, nullam pulchritudinis speciem præ se feret, neque præ turpitudine egredi foras audebit. quod eleganter expendit S. Bernard. serm. 41. in Cant. super illa verba collum tuum sicut monilia. *Solet ornari collum monilibus, non illis comparari, sed hoc illa faciunt, quibus quia de proprio non inest decor, aliunde necesse est vt mendicent, vnde speciosius mentiantur: nam sponsæ collum ita in se ipso formosum, & tam decenter quam natura formatum est, vt extrinsecus non requirat ornatum, vnde sponsus non dixit ab sponsæ collo pendere monilia, sed ipsum esse potius, sicut monilia: collum intellectus est, hoc igitur sponsæ collum, id est purus & simplex intellectus, cum nuda & aperta veritate satis decorus, per se ipsum retineat, non indiget ornamento: hæreticorum vero intellectus non habet hunc in se veritatis puritatisque nitorem & ideo multam curam gerunt, ipsum colorare & fucare phaleris verborum, & versutiis syllogismorum, ne si nudus appareat, falsi etiam appareat turpitudo.*

Tertul.

S. Bernard. Cant. 2.

## *Hæretici fœminarum adminiculo vtuntur.*

78. *Extendit Moyses virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* Quas in Apocal. refert Ioannes habuisse capillos, sicut capillos mulierum, quibus sane hæreticos designari non mihi videtur: nam hæretici audaces, mulieres timidæ, hæretici in arma ruunt præcipites, mulieres pacis amantissimæ &c. quomodo ergo locustis habentibus capillos, sicut mulierum, possunt hæretici adumbrari? cur non dicemus adhuc capillos mulierum habuisse, quoniam fere omnes hæretici ad suas hæreses adstruendas, fœminarum adminiculo & ministerio vsi sunt? quod fuse prosequitur sanctus Hieronym. ad Ctesiphontem aduersus Pelegianos vbi sic loquitur. *Simon Magus hæresim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio: Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum refertor, choros duxit fœmineos: Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles Philumenem suarum comitem habuit doctrinarum, Montanus immundi spiritus prædicator, multas Ecclesiae per Priscam & Maximillam nobiles & opulentas fœminas primum auro corrupit, deinde hæresi polluit: dimittam vetera, ad viciniora transcendam. Arius vt orbem deciperet, sororem principis ante decepit: Donatus per Africam vt infælices quosque fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adiutus est: in Hispania Agape Elpidium, mulier virum cæcum caca duxit in foueam, successoremque sui Priscillianum habuit Zoroastris magi studiosissimum, & ex Mago Episcopum, cui iuncta Galla non gente sed nomine, Germanam huc illucque currentem alterius & viciniæ hæreseos reliquit hæredem.*

Apocal. 9.

S. Hieron.

## *Hæretici sub specie humana decipiunt & tractant crudeliter.*

*Extendit Moyses virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* De quibus sic S. Ioannes, facies earum tanquam facies hominum, & dentes earum sicut leonum erant: dentibus leonum, summa significatur crudelitas, sunt enim dentes leonum fortissimi, quam ob causam de peccato dicitur, dentes leonis dentes eius Eccle. 21. facies hominis humanitatem denotat. quid commune crudelitati cum humanitate? quomodo in vnum conuenire possunt? sane in hæretico, qui sub specie humana, blanda, & molli, te decipit, & crudeliter tractat. quod recte expendit S. Irenæus lib. 2. cap. 19. *Quemadmodum qui assuetas escas vt illiciant, præmittunt, vt capiant aliquod animal sensim blandientes ei per assueta pabula, sumentes autem illud captant illigant amarissime, & ducunt per vim abstrahentes, quocunque ipsi voluerint, sic & hæretici.* 79.

Eccles. 21.

S. Irenæus.

## *Hæretici superbissimi.*

*Extendit virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* Quas coronis redimitas intuitus est S. Ioannes Euangelista, ait enim, *& super capita earum tanquam coronæ.* Si corona sumatur pro regno, iuxta illud Threnor. 5. *Cecidit corona capitis nostri væ nobis quia peccauimus*, idest quia peccauimus, regnum nostrum fuit euersum ereptumque Regi Sedechiæ, qui hic pro capite intelligitur. an hæretici locustis designati coronas gestare debent in capite, tanquam omnium Reges & dominatores? dices locustæ coronas gestare visæ sunt, quia sub variis regibus & principibus Ecclesiam fuerunt persecuti hæretici, sed nomine coronæ nonne aliud designari potest? ait Cardinalis Bellar. in oratione quam vltimo tomo præposuit, corona in capite locustarum superbia atque arrogantia est, & reuera omnes superbia & tumore superant. *Omnes hæretici* (inquit Tertul.) de præscri. *tument, omnes scientiam pollicentur.* Hiero. in c. 1. Abdiæ, *quis hæreticorum non in superbiam extollitur?* & S. Augus. lib. de Pastoribus cap. 8 *diuersi locis sunt, diuersæ* 80.

Thren. 5.

Tertul.

Hieron.

August.

*sed vna mater superbia omnes hæreses genuit, sicut vna mater nostra omnes Christianos fideles toto orbe diffusos.* Sed ad particulares descendamus, & quanta fuerit hæresiarcharum arrogantia, facile compertum habebimus, Simon Magus se deum iactabat, testis Irenæus lib. 1. contra hæreses, Menander Simonis discipulus se missum esse saluatorem mundi asserebat, teste Eusebio lib. 5. historiarum. Carpocratianorum aliqui, se Domino Iesu æquales, aliqui etiam maiores & potentiores prædicabant, teste Theodoreto lib. 1. de fabulis hæreticor. Montanus se Spiritum sanctum paracletum: testis Magnus Basilius lib. 2. in Eunomium. Noetus se Moysem & fratrem suum Aaronem: testis Epiphanius in hæresi eiusdem: Manichæus se quoque Spiritum sanctum, sicut olim Montanus, faciebat, testis August. lib. de hæresibus: Nestorius se primum & solum scripturas probè intellexisse, & omnes Patres, & Martyres, & Confessores, totam Ecclesiam ante se errasse prædicabat, vt Vincentius Lyrinensis in commonitorio testis est. Arium Dioscorum, Eutichem nec etiam superbia patres contempsisse exprimia actione septimæ synodi cognosci potest. at vt ad nostros veniamus, nõ Lutherus se os Christi & Heliam tertium, Osiander Enoch secundum, Thomas Moncerus Gedeonem, Seruetus vnicum orbis prophetam, David Georgius verum Messiam, alij nouos Prophetas, Apostolos, Euangelistas se esse prædicare erubuerunt. num Lutherus in lib. contra Regem Angliæ Henricum, & alibi sæpe non ait, diuina maiestas mecum facit, vt nihil curem, si mille Augustini, si mille Cypriani, mille Ecclesiæ Henricianæ contra me starent? Augustinus & Cyprianus, sicut omnes electi, errare potuerunt, & errauerunt: extat liber Lutheri ad ducem Saxoniæ Georgium, in eo sic ait, à tempore Apostolorum nullus doctor aut scriptor, nullus theologus, aut iurisconsultus, tam insigniter conscientias sæcularium statuum confirmauit, instruxit, & consolatus est sicut ego feci, per singularem Dei gratiam hoc certo scio, quoniam neque Augustinus, neque Ambrosius, qui tamen hac in re optimi sunt, mihi in hoc æquales sunt, quid & in lib. contra Bullam Leonis 10. summi Pontificis audet homo priuatus. Pontificem maximum cum vniuersa quæ illi paret Ecclesia, excommunicare.

*Hæretici omnium hominum semper immanissimi & etiam præ dæmonibus crudelissimi.*

81. *Extendit virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* Quarum facies tanquam facies hominum, & dentes earum sicut Leonum erant, homines videbantur, sed nihilominus dentibus leonum armati sæuissimis; & quid mirum si hæretici eis designentur? quibus nihil immanius & crudelius excogitari potest, cum Nerones ipsos vincant inhumanitate, imo & sæuitia ipsos dæmones superent, audite quid magnus Athanasius in historia de vita & gestis magni Antonij dicat. *Post annos duos* (inquit) *sæua Arianorum irrupit insania, tunc Ecclesiarum rapinæ, tunc diuinorum temeratio vasorum, tunc pollutis ethnicorum manibus sacrosancta fiunt mysteria, proh scelus! horret animus replicare quæ passi sunt, virginum matronarumque carnis pudor, sanguis etiam Christi in templo effusus veneranda respersit altaria.* Audite quid sanctus Victor antistes in primo de Vuandalica persecutione de Arianis nidem dicat, in Ecclesiis inquit, basilicis que, & cœmiteriis ac monasteriis sceleratius sæuiebant, quantitum ab eis præclari pontifices, & nobiles sacerdotes diuersis pœnarum generibus extincti sunt vt traderent si quid auri, vel argenti proprium, vel Ecclesiastici um haberent: & dum hæc quæ erant, vrgentibus pœnis facilius proderentur, iterum crudelibus tormentis ablatores vrgebant, autumantes quamdam partem non totum esse oblatum: & quanto amplius dabant, tanto amplius quempiam habere credebant: aliis palorum vectibus ora reserantes, fœtidum cœnum ob confessionem pecuniæ faucibus ingerebant, nonnullos in frontibus & tibiis neruis remugientibus torquendo cruciabant. plerisque aquam marinam, aliis acetum, amurcam liquamenque, & alia multa atque crudelia sine misericordia porrigebant: non infirmior sexus, non consideratio nobilitatis, non reuerentia sacerdotalis, crudeles animos mitigabat: quin imo exaggerabatur ira furoris, vbi honorem conspexerant, sed etiam paruulos ab vberibus rapiens maternis barbarus furor insontem infantiam elidebat ad terram. alij paruulum pedibus tenentes a meatu prorsus naturali vsque ad arcem capitis dissipabant: & paulo infra, tempore, inquit, quo sacramenta Dei populo porrigebantur introeuntes Ariani maximo furore corpus Christi, & sanguinem pauimentis sparserunt, & illud pollutis pedibus calcauerunt: hæc D. Victor cuius tres libri de Vvandalica persecutione, nihil aliud ferè continent, quam huiusmodi crudelia atque horrenda facinora Arianorum, qui pro fide quidem se pugnare dicebant, sed interim re ipsa pro auro, & argento & suis explendis libidinibus, vt audiuistis, pugnabant, quorum Caluinistæ sicut fidem imitantur vtinam etiam mores imitentur, res ipsa clamat: sed duo verba de Donastitis prius audite, quid sanctus Optatus libro sexto cõtra Parmenianum de impietate Donatistarum dicat. *Quid est*, inquit, *altare nisi sedes corporis & sanguinis Christi? hæc omnia furor hic aut rasit, aut fregit, aut remouit. atque hoc immane facinus geminatum est, dum fregistis & calices Christi sanguinis portatores, quorum species reuocastis in massas, mercem nefariis nundinis procurantes, ad quas nec emptores eligere voluistis: sacrilegi dum inconsiderate vendidistis: emerunt forsan in vsum suum sordidæ mulieres, emerunt pagani facturi vasa in quibus incenderent idolis suis. O scelus nefarium! ò facinus inauditum auferre Deo quod idolis præstes, subducere Christo, quod proficiat sacrilegio!* sed audiamus postremo quid D. Augustin. in Psalmo decimo de iisdem Donatistis dicat, *an forte dices*, inquit, *quod scriptum est, ex eorum operibus cognoscetis eos? video plane mira opera, quotidianas violentias circumcellionum sub Episcopis & presbyteris ducibus circumquaque volitare, & terribiles fustes Israelis vocare.* Idem in Epistola quinquagesima ad Bonifacium

Marginalia: Irenæ. | Euseb. | Vincent. Lyrin. | D. Athanas. | S. Victor. | S. Optatus. | S. August.

comitem, *taceo*, inquit, *crudelissimas cædes, & domorum depredationes per nocturnas aggressiones, & incendia non solum priuatorum habitaculorum, sed etiam Ecclesiarum, in quas flammas non defuerunt qui etiam codices dominicos mitterent*: & paulo antè, *Episcopum*, inquit, *Vagiensem stantem ad altare irruentes horrendo impetu furore crudeli fustibus & huiusmodi telis, lignis denique eiusdem altaris effractis immaniter ceciderunt, pugione etiam percusserunt.* Audistis quid hæretici veteres olim fecerint, & quomodo Euangelij, ac religionis prætextu misere, Ecclesias fedauerint ac deuastauerint. Quæ omnia solis mutatis nominibus, nonne ita innouatores conueniunt, vt illi veteres Lutherani & Caluinistæ, isti noui Ariani, & Donastitæ dici posse videantur?

### *Hæretici prætextu religionis errores seminant.*

82. *Extendit virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* In quarum capitibus tanquam coronæ similes auro, cur non dicuntur huiusmodi coronæ aureæ, ex auro purissimo? cur dicuntur solum auro similes? aduerte aurum in sacris litteris pro religione & charitate vsurpari, iuxta illud, suadeo tibi emere aurum ignitum: quo etiam pertinet illud Thren. 4. *Quomodo obscuratum est aurum? mutatus est color optimus? dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum, filij Sion inclyti, & amicti auro optimo, quomodo computati sunt in vasa testea?* quibus verbis ad litteram lamentatur gloriam vrbis amissam, templum euersum, viros principes in captiuitatem abductos, vt expendit Rupert. lib. 1. in Ierem. c. 18. C *Dolentis*, inquit, *pariter & admirantis est, dicere quomodo obscuratum est aurum?* aurum enim coloris optimi Iudæi erant, sed quia propter cæcitatem, oculi eorum obscurati fuerunt, mutatus est auri color, cum etiam fuissent lapides sanctuarij, & ex illis cœpta esset ædificari domus Dei, dispersi sunt in ciuitatibus. hunc eundem locum eleganter exponit S. Gre. hom. 17. super Euangelia aurum obscuratum est, quia sacerdotum vita, quondam per virtutum gloriam clara, nunc per actiones infimas reproba ostenditur, color optimus est mutatus, quod ille sanctitatis habitus, per terrena & abiecta opera, ad ignominiam despectionis venit &c. en vt aurum pro charitate & religione vsurpari solet? ne quæras ergo cur solum huiusmodi coronæ similes auro, non autem aureæ dicuntur? quia solum sub prætextu religionis, sub colore charitatis, suos errores disseminare conantur, teste Iusto in Cant. 2. in illa D verba, capite nobis vulpes. *Hæretici semper in primordiis velut sibi læta religione conspicui, in extremis suis ignem trahunt.*

*Apocal.*
*Thren. 4.*
*Rupertus.*
*S. Greg. Ma.*
*Iustus orgelitanus.*

### *Hæretici astutissimi, vel potius omni pestifera malitia infecti.*

83. *Extendit virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* Et habebant inquit Ioannes, caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum, scorpio grauiore supplicio lenta per triduum morte conficit, sem- A per cauda in ictu est, nulloque momento meditari cessat, ne quando desit occasioni, ferit, & obliquo ictu & conflexo: hinc est quod subdoli & astuti homines scorpionibus comparantur, veluti Ezech. 2. vbi Dominus ad prophetam loquitur, increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas, sic enim locum interpretatus S. Gregor. homil. 9. super Ezech. increduli Deo, subuersores infirmantibus proximis scorpiones, etiam robustis ac fortibus, quibus etsi in faciem contradicere non præsumunt, ex occulto tamen vultum detrogationis inferunt; eodem sensu dicitur Eccles. 26. de mala fœmina, qui tenet illam quasi qui scorpionem apprehendit, comparatur scorpioni, quia sicut scorpio venenum suum non in capite, sed in cauda habet, quod lethifero ictu per caudæ inflexionem infundit, ita mala mulier nocendi B occasionem captat, & nacta opportunitate, furtim quasi scorpio arcuato vulnere percutit. quo posito, cur hæretici locustis designati, scorpionum caudas habere dicendi sunt? nam verba eorum melle linita, oues & simplices sicut columbæ videntur: licet videantur, tamen sunt astutissimi & lethiferi scorpiones, venenum in cauda habentes, omnes enim in vniuersum calidissimi, & maxime fraudulenti, & inflexo atque obliquo ictu scorpionum instar ferientes. quod calidissimi sint patet quod vulpibus comparantur. Vnde Hieronym. lib. 4. super Ezech. cap. 13. *Omnes hæretici propter fraudulentiam ac nequitiam, vulpium similes sunt, de quibus Saluator ait, vulpes foueam habere & aues cœli nidos: & de Herode scriptum est dicite vulpi illi, & de iisdem vulpibus, quæ paruulos simplicesque decipiunt & populantur vineam Christi.* Quod autem tanquam omni malitia infecti, instar scorpionum, inflexo ictu feriant & venenum infundant, testatur S. Augustin. lib. 10. de Trinitate, *pestifera contagione inclinati non cessant ore impio & sacrilego omnino, Euangeliorum sinceritatem corrumpere, & rectam Apostolorum regulam deprauare, diuinos prophetas non intelligunt, callidi & astuti artificio quodam vtuntur, inclusam perniciosam corruptelam, exquisitorum verborum velamine contegunt, non prius venenatum virus infundunt quam simplices & innocenter sub prætextu nominis Christiani captos atque irretitos inuoluant, sed participes horrendi sui criminis reos faciunt.* Quod confirmat S. Epiphan. hæres. 34. contra Marcosios, *qui rerum historias scripserunt dipsadem tradunt quendam serpentem, talem veneni perniciem inducere, etenim in locis quibusdam vbi fontes sunt in petris, aut venæ, siue riuuli parui aquarum, quæ à petris funduntur in aliquod receptaculum, ipsa dipsas aquam reperiens, ac inueniens, post quam bibit venenum immittit in prædictas aquarum stationes, vt omne animal quod accesserit & potu se satiauit, videatur quidem sibi vtilitatem percepisse ex participatione aquæ, statim vero circa aquarum receptaculum ex veneno dipsadis suscepto cadat ac moriatur: quin etsi aliquem percusserit, eadem dipsas, affectio doloris veneno ipsius vehementiori vi vstoria prædito ad sitim & ad appetentiam potus vrget semper ad bibendum, & ad ingerendum potum iritans, ac*

*Ezechi. 2.*
*S. Greg. Ma.*
*Ecclesiasti.*
*S. Hieron.*
*S. Epiph.*

*percussus putat se aliquid vtilitatis accipere ad ier- A micem, quoties in lethali dolore hoc potum sumit, verum in ipso potu, expleto ventre & non amplius suscipiente, postea vna cum potu animam emittit: sic etiã hæreticus per poculum mortem operatus ac propinat ab ipso seductus,* sed clarissime Albert. Magn. in cap. 9. Apocal. *similes sunt scorpionibus, quia scorpio blanditur in facie sed occulte cauda percutit, sic hæretici falsa veris miscent, & vera falsis, vt auditores facilius occulte decipiant, & sic veneno malæ doctrinæ interficiant.*

Albert. Ma.

### *Hæretici dum per superbiam eleuantur, annihilantur.*

*Extendit virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* Sed aliud principium assignatur ab Euangelista, locustis, quas inspexit de fumo putei exire, certum est omnem in vniuersum hæreticam doctrinam, non simpliciter puteo, sed puteo abyssi comparari, quoniam ex ipsa abysso, id est inferni aquis hauritur, quam etiam ob causam puteis illis bituminis, qui in mari mortuo effossi sunt, similes dicitur, sic Orig. hom. 12. super num. sed cur potius non dicuntur exire de puteo, quam de putei fumo? dices, quia cum fumus aliquando pro mentis cæcitate & caligine sumatur, dicuntur huiusmodi locustæ, id est hæretici exire de fumo, quia cæci omnino, & peccatorum caligine inuoluti sed aliam ex Alberto Mag. subiungamus rationem. *Fumus dum altapetit in seipso deficit, sic hæretici dum per superbiam eleuantur deficiunt & annihilantur, Psalm. 72. deiecisti eos dum alleuarentur.*

Origenes. Alber. Mag. Psal 72.

### *Hæretici putidissimi.*

*Extendit virgam super terram, & ventus vrens*
84. *leuauit locustas.* Quæ sic à pluribus describuntur, est animal ventosum, vorax, inquietum, vagum, sordidum, putidum, noxium, impudens, mordax, si locustis diximus hæreticos designari, quomodo sordidos & putidos dicemus esse sicut locustas? nam calamistrati incedunt, nitidi odorem spirantem aromaticum &c. vere tamen sicut locustæ, putidissimi sunt & fœdissimi, quod recte obseruat S. Epiphan. hæres. 40. lib. 1. contra arconthicos. *Inuenimus* (inquit) *apud naturæ rerum doctos physiologos appellatos, imo potius nos ipsi videmus scarabæorum genus, quod à quibusdam bylarum vocatur, in fœtore ac stercore volutari solere, vnicumque illud ipsis & alimentum opus esse: cum aliis dirus & sordidus ille cibus molestiam ac nauseam pariat. nam qui apes fimus & fœtor interficit, scarabæis alimentum ac materiam præbet operis, vt illis flores & odorum fragrantia, atque vnguentorum suauitas, quibus omnibus ad oblectationem & mellificium & cibum & operis exercitationem vtuntur. scarabæis vero longè hæc contraria sunt, qui enim periculum facere voluerit, vt physiologi tradunt, si vnguentum puta opobalsamum, aut nardum scarabæis admoueat, lethum illis afferet, statim enim suauitate odoris enecantur. sic hæretici illi stuprorum & libidinum & nequitiæ omnis appetentes, pessimis in rebus spem suam collocant. mox autem vt ad sacrum baptismum & fragrantiam illam accesserint moriuntur, blasphemantes Dominiac dominationem eius spernẽtes.*

S. Epiph.

### *Hæretici non spiritualium sed terrenorum amantissimi.*

85. *Extendit virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* Vidimus in præcedenti conceptu principium vel materiam locustarum, quæ à S. Ioanne visæ sunt, fuisse fumum putei, hic autem inspicimus locustarum Ægypti fuisse terrã: cur diuersa eidem animalium generi assignantur principia? cur terrestre assignatur, & nõ aëreum vel cœleste? quia hæretici non spiritualia, sed solum terrena sapiunt, quibus ita firmiter adhærent, quasi anima spirituali carerent: adstipulatur noster S. Bernardinus in cap. 9. Apoc. *Terram amantes, locustis similes, qui non volabunt per contemplationẽ, nec gradientur per bonam operationem, & per saltum in terra capientur, quia ibidem cadent per* B *terrenorum adhæsionem.*

Noster Bernardinus.

### *Hæretici obstinatissimi.*

86. *Extendit virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* Sed quæ habebant loricas, inquit S. Ioannes, sicut loricas ferreas, quis animalcula quasi ferreis loricis armata conspexit? an certamen inire debent contra armatos exercitus? an ne vulneribus sauciuntur? scio in India animal esse quod corium habet instar loricæ compactum, quod communi nomine armadillus nominatur, scio rhinocerotem suam habere loricam, eamque durissimam: sed præter Ioannem quis vidit locustas habere loricas ferreas? quid ergo saltem in his locustarum ferreis loricis denotatur? sane obstinatus hæreticorum animus:
C ita enim animum obdurant & obfirmant, ita pectus obstinatione & pertinacia muniũt, vt quamuis apertissime conuincantur, malunt tamen millies mori, quam ab errore recedere, ita explicat Cit. noster Bernardinus. *Sicut lorica ferrea non de facili penetratur, sic corda obdurata prædictorum non scindentur iaculis veritatis, loricæ sunt hamatæ per tenacitatem, ita in hæreticis erit pertinacitas ad resistendum contra veritatem.* Succinit S. Athanasius oratione contra Arianos, *quemadmodum Iudæi nusquam non argumentis victi calumnias secum meditantur, non in alium vsum quam vt Dominum inficientur, & in sui perniciem prophetas conuellant, ita hæretici se videntes esse vndique notatos, infamiaque conscribillatos, ipsorumque hæresim apud omnes esse abominabilem, tamen scelerum inuentores se præbent, vt nusquam remissa cum veritate pugna,*
D *Christi perduelles hostesque permaneant*: & S. Haymo lib. 2. in Apocal. cap. 9. *sicut Iamnes & Mambres restiterunt Moysi, ita & isti resistent veritati, & quamuis iuxta rationem subsistere aduersus prædicatores nequeant, semper tamen irrationabiliter veritati resistunt.*

Noster Bernardinus. S. Athanas. S. Haymo.

### *Hæretici velocissimi ad aliorum perniciem.*

87. *Extendit virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* Similes inquit Ioannes charissimus & amantissimus discipulus Domini, equis paratis in prælium, quid

commune inter locustam & equum? equus generosissimus, nobilissimus, bellicosissimus, pulcherrimus, optimæ staturæ, locusta vilissima, pusilla, paruula &c. quomodo ergo similes dicuntur equis paratis in prælium? scio nostrum Doctorem Senensem sic satisfacientem, sicut diuersi equi ad idem bellum rapiuntur, sic diuersis hæresibus infecti, diuersis rationibus præmuniti currunt vna contra Ecclesiam impugnandam. sed addamus in hoc adumbrari miram eorum velocitatem, qua instar pestiferæ tabis sese per varias regiones effundunt, hoc docet S. Haymo. *Equis assimilantur hæretici propter velocem vbique discursum, quia totum subito replebunt mundum, in prælium vadunt quia contra fidem rectam pugnant.*

S. Bernardi. S. Haymo.

### *Hæretici nulli parcunt sexui.*

*Extendit virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* De quibus hoc mihi difficile intellectu videtur, quod facies earum tanquam facies hominum, & nihilominus habebant capillos sicut capillos mulierum. cur si vultus hominum, non est ita dissimilis vultui fœminarum, nec eorum capilli nisi in longitudine, cui non sunt visæ cum faciebus mulierum, & earum capillis, vel vultibus hominum & eorum crinibus? quia eorum studium non est mollē sexum nempe mulierem solum decipere, sed etiam virilem. ita sentit citatus Haymo. *per facies hominum & capillos mulierum vterque sexus intelligitur, quia illi non solum deceperunt viros, sed etiam mulieres.*

Epis. Halberstat.

### *Hæretici muniunt se contra veritatem ad deteriora ducentes.*

88. *Extendit virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* Habebant loricas sicut loricas ferreas, & vox alarum earum, sicut rotæ curruū equorū ait Ioan. nescio cur cum loricis videātur, cum alas habeant, quibus si ab aduersarijs appetantur, in longinquas regiones possunt facillimo negotio fugere, si autem loricis sunt præditæ, cur alis constant? nam loricis ferreis impetus hostium sustinere possunt, respondet Richard. Victori. lib. 2. in Apoc. c. 6. *Alæ, sententiæ, vox alarum, tumultus sententiarum, sententiæ enim falsæ malis & præcipue hæreticis sunt loricæ, sunt enim sententiæ & alæ & loricæ, loricæ quia contra bonos muniunt, alæ quia ad deteriora vehunt:* deinde subiungit, *habent itaque reprobi alas, quarum vox est sicut vox curruum equorum currentium in bellum, quia quemadmodum diuersi currus diuersis viis à diuersis equis ad idem bellum rapiuntur, sic mali diuersis hæresibus & contentionum tumultibus ad idem bellum, ad expugnandum Ecclesiam scilicet feruntur.*

Richardus à S. Vict.

### *Hæreticorum Rex sathanas.*

89. *Extendit virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas. Quæ super se* inquit S. Ioannes *habebant Regem Angelorum Abyssi*, Angelus Abyssi diabolus est, qui est Rex & princeps super profunditatem & obscuritatem totius peccati: nonne antea à nobis dictum est ex Prouerb. 30. Regem locustas non habere, licet vniuersæ per turmas egrediantur? quomodo ergo Ioannes Regem super eas constitutum conspexit? optimo quidem, quia licet locustæ regem non agnoscant, hæretici tamen locustæ tartareæ, regem abyssi Sathanam fateri tenentur. *Habens super se Regem*, inquit S. Haymo, *id est diabolum, qui est princeps omnium reproborum, ipse est Rex super omnes filios superbiæ, non quod ipse hominem creauerit aut regat, sed quod super eos dominationem exerceat, quos sibi per peccatum seruos adiicit.*

Apoc. 9. S. Haymo.

### *Ab iniquitate fit quasi saltus ad æternam damnationem.*

90. *Extendit virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* Si locusta per se animal est vsque eo dirum & noxium, vt vidimus, quales fuisse conuenit locustas illas Ægyptiacas, per Dei omnipotentiam productas, & abirato Deo & peccata Ægyptiorum vlcisci volente, in eorum perniciem missas? sed cur hæc plaga media est inter grandinem & tenebras palpabiles? nonne diximus locustas non ambulare, sed saltibus quibusdam progredi? grandinis autem plaga in fructibus sane designat manifestam iniquitatem in operibus, sicut tenebræ æternæ damnationem gehennæ? quo posito sic respondet Hugo Foilletus apud Tilm. in alleg. *Ab iniquitate quæ designatur per grandinem, fit quasi saltus locustarum ad æternæ cæcitatem damnationis.*

Hugo Foilletus.

### *Iustus tempore prosperitatis quasi despectus est, sed tempore persecutionis quantæ perfectionis sit agnoscitur.*

91. *Extendit virgam super terram, & ventus vrens leuauit locustas.* Licet in malam partem locustas acceperimus, tamen in bonam sumi nemini dubium debet esse, secundum illud Eccles. 12. florebit amygdalum, id est Ecclesia primitiua flore virtutum, impinguabitur locusta, id est sicca gentilitas pinguedine terræ, & Psalm. 108. excussus sum sicut locusta; quibus verbis prædicatorum terra designatur, lege Berchorium in verbo locusta de qua diximus pedes & alas habere, & crepusculi tempore quasi torpescere, sed sole oriente in altum ferri volatu: quomodo vir iustus huiusmodi locusta designabitur? nam torpescitne vnquam vir iustus, alasve erigit quibus in altum feratur, cum humilitatis sit amator? accipite S. Odonem Abb. Cluniac. lib. 31. Moral. sic respondentem. *Recte ipsa prædicatorum vel iustorum perfectio exprimitur locustis, more enim locustarum quoties se attollere conantur, crura figunt, & alas erigunt, quia recte agendo se stabiliunt, & ad alta viuendo subleuantur, rursumque pedibus se suis post saltum excipiunt, dum post contemplationem sublimium ad actiuam vitam reuertuntur, vel sicut locustæ matutinis horis vix à terra se subleuant, cum vero æstus exarserit, tanto altius quanto alacrius volant, ita nimirum quisque sanctus prædicator cum quieta fidei tempora conspicit, humilis ac despectus accipitur, si autem persecutionis ardor incandeat cœlestibus inhærens, mox quantæ sit sublimitatis ostendit.*

Eccles. 12. Psal. 108. S. Odo.

## *VARIETAS LECT. Verſ.* 16. & 17.

*VVlg.* Quam ob rem feſtinus Pharao vocauit A Moyſen & Aaron, & dixit eis, peccaui in Dominum Deum veſtrum, & in vos.

*Sept.* Peccaui ante Dominum Deum veſtrum.

*Cald.* Peccaui coram Domino Deo veſtro.

*Vulg.* Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum Deum veſtrum, vt auferat à me mortem ipſam.

*Sept.* Suſcipite etiam peccatum meum etiam nunc.

*Cald.* Et nunc dimittite obſecro peccatum meum tantummodo hac vice, & orate coram Domino Deo veſtro, vt auferat à me ſolommodo mortem iſtam.

## *CONCORDIA.*

VErum eſt haberi in Hebreo dictionem רק rax quæ tantum, vel tantummodo ſignificat, quæ ab interprete omittitur, ſed parum refert: Hebræum verbum נשא ſah, ambiguæ ſignificationis eſt nam pro ſuſcipere, remittere, tollere, ſumitur.

## EXPOSITIO.

*QVam ob rem feſtinus Pharao*, ſæuiſſima plagarum conſpecta plaga, cum feſtinatione precepit ſeruis, vt Moyſen euocarent, *peccaui in Dominum Deum veſtrum & vos*, non enim in ſolum Deum deliquerat, ei non obediens, ſed in vtrumque ſeruum illius vtrique illudens, poteſt etiam intelligi quod in populum Iſrael peccauerat, eum tyrannide opprimens, *nunc dimittite peccatum meum*, mihi hac vice veniam pro illata iniuria condonate, quod præſtare poſſunt & ſolent qui ab aliis iniuriam paſſi ſunt, *rogate Domi-* B *num Deum veſtrum vt auferat à me mortem iſtam*, hoc eſt peſtem illam quæ omnia conſumit & perdit, arbores ſcilicet & plantas. neque enim comminationes adhibitæ vel plagę inflictæ narratio aliud exhibet: de morte hominibus illata nihil, ad hæc tamen alludens Sapiens dicit, locuſtarum morſus occiderunt eos, vt ſatisfiat, vero ſimile ex illo loco etiam homines ipſos inuaſiſſe, cruciaſſe, & occidiſſe, niſi intelligamus mediatè occidiſſe, illata fame & vaſtitate toti regioni.

## CONCEPTVS.

### *Longe Deus ad parcendum propenſior quam homo.*

92 *PEccaui in Dominum Deum veſtrum & vos, ſed nunc dimittite peccatum mihi.* Ecce peccatum ſuum fatetur commiſſum in Deum & in homines, cumque prius dixerit, & rectè ſe in Deum peccaſſe, deinde in homines, prius tamen veniam precatur ab hominibus, quam à Deo, nonne prius à Deo vt pote prius offenſo, veniam precari deberet? prius ab hominibus indulgentiam poſtulat, quam à Deo, arbitrans Deum facilius precibus hominum placari, quam hominem, qui pertinaci odio tabeſcens, difficilius è corde illud dimittit vt indulgeat & obliuiſcatur iniuriarum, proinde prius ab hominibus poſtulat & requirit, certus vtique Deum ſua ſolita benignitate D offenſas facile condonare & peccata dimittere, hoc enim illius eſt proprium, homines autem ad vindictam propenſiſſimi, teſte S. Cyprian. de bono patient. *plurimos (inquit) fratres dilectiſſimi vel pondere iniuriarum ingentium, vel dolore de iis qui aduerſum ſe graſſantur & ſæuiunt, vindicare velociter cupere.* (S Cyprian.)

### *Hominis inimicitia acerbiſsima.*

93 *Peccaui in Dominum Deum veſtrum & vos, ſed* C *nunc dimittite peccatum mihi.* Nonne precipue Dei eſt peccata dimittere? nonne Pharao prior in Deum inobediens fuit mandatis deliquit? ne ergo ab hominibus veniam poſtulet ſed à Deo? merito tamen prius ab hominibus indulgentiam precatur, vt pote qui alios ex ſe penſabat, cuius inimicitia acerbiſſima erat, & odium acrius ſuper omnia, credebatque Moyſen & Aaron ſicut alios homines, odio irremiſſibili in ſe commotos: quod autem odium hominum ſit ſuper omnia & periculoſiſſimum, ſatis patet ex illa ratione, cur non monuerit Chriſtus D. diſcipulos vt ſe ab aliis inimicis ſeruarent, ſed à ſolis hominibus cauerent, quorum odium & inimicitia acerbior, dixit enim attendite vobis ab hominibus, vbi Auctor operis imperfect. ait, *dixit attendite vobis ab hominibus quaſi à quibuſdam peſſimis malis, & ſuper omnia malis, nam ſi non quaſi homines accuſaſſet ſufficeret illis dicere, attendite vobis, tradent enim vos, nunc autem addidit attendite vobis ab hominibus? oſtendere volens quia præ omnibus malis homo eſt peſſimum malum, nam ſi beſtiis eum comparare volueris peiorem inuenies, beſtia enim quamuis ſit crudelis, tamen quia eſt irrationabilis declinatur ab homine cum ſeuitias eius, homo autem cum ſit crudelis & rationabilis, non* (Auctor operis imperfect.)

*facile euaditur crudelitas eius, si comparaueris hominem serpenti, peiorem inuenies hominem, quoniam etsi serpens malitiam habeat, tamen timorem hominis habet, ideo si quem potuerit, absconse mordet, si autem non potuerit fugit: homo autem & malitiam habet serpentis & timorem non habet sicut serpens, ideo quando non habet tempus latet sicut serpens, si autem inuenerit, irruit sicut bestia: adhuc autem anguis siquidem irritata fuerit saeuit, si autem irritata non fuerit in silentio transit; homo autem & non irritatus insanit, & magis super illos insanit, à quibus non fuerit irritatus, & vt breuiter dicam, vnaquaque bestia vnum habet proprium malum, homo autem omnia habet in se, denique homo malus peior est ipso diabolo, diabolus enim si videat iustum, non est ausus ad eum accedere: homo autem malus quamuis hominem sanctum viderit, non solum illum non timet, sed adhuc magis contemnit:* agnouit hanc hominum naturam Pharao, dum ex se caeteros iudicat & metitur, non petens à Deo veniam prius, sed ab hominibus, arbitrans Deum facillime hominibus placandum, non autem hominem homini.

### *Sine satisfactione vel illius proposito Deo preces non sunt gratae.*

94 *Peccaui in Dominum Deum vestrum.* Tum peccato inobedientiae, nolens iussus dimittere populum Israel, eum tyrannide opprimens, tum peccato ingratitudinis, quia cum pluries mihi facta est poenae relaxatio, cum hac conditione, vt dimitterem populum, nequaquam eum dimisi: & peccato infidelitatis, cum promissis meis nusquam steti, sed etiam peccaui in vos, vobis insultans & toties illudens: sed vos dimittite peccatum, deliquerat Pharao & in Deum & in seruos suos, ideo ad remissionem delicti necesse erat, vt vterque dimitteret, & licet maior & grauior fuisset offensa in Deum commissa, quamobrem prius ab eo venia petenda erat: nihilominus ecce Pharao prius Moysen & Aaron deprecatur, vt iniuriam sibi factam remitterent; cur hoc inuerso ordine? imo sane ita decuit, nam vt optime Abulens. *sciebat Pharao quod offensio non remitteretur nisi rogando Deum. sciebat autem Pharao se non exaudiendum à Deo, quia vir pessimus erat, prius ergo quaerit apud Deum intercessores, quibus diuina remitteretur eis offensio, & in hac deprecatione duo faciebat Pharao, primo iniuriam factam proximo sibi remitti procurabat, cui tenebatur satisfacere, sine qua satisfactione aut illius proposito Deus non acceptaret preces Pharaonis factas à seipso vel quas alius pro eo quispiam faceret, sic dicitur Matth. 5. cum offers munus tuum ad altare & recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum & vade prius reconciliari fratri tuo, & postea veniens offeres munus tuum. secundo intercessores sibi apud Deum pro reliqua offensione procurabat.* Abulens. Matth. 5.

### *Poena delicto correspondens.*

95 *Peccaui in Dominum Deum vestrum & vos.* Sed dimissa mihi iniuria, Deum deprecamini, vt auferat à me mortem istam, nempe locustarum saeuissimam plagam, quae omnia corrodens, etiam quasi viscera nostra paulatim rodit, vt tandem misere deficiamus, fame, durissimo sane flagello percuntes, sed cur Deus hanc ab eis poenam exigit? cur hoc cruciat Aegyptios supplicio? reuoca in memoriam ad amaritudinem animae vitam Hebraeorum prouocasse: merito igitur eos plaga amarissima, qualis erat locustarum omnia corrodentum, puniuit, vt delicto poena correspondere: hoc agnouit noster Lyranus, *correspondet ista plaga* (inquit) *culpae Aegyptiorum, quia perduxerant vitam Hebraeorum ad amaritudinem, & ideo dicitur haec mors qua nihil amarius:* eum sequitur Epis. Abul. *correspondebat ista plaga locustarum vniuersa corrodentium afflictioni durae, quam exercebant Aegyptij in Hebraeos, vitam eorum ducentes ad amaritudinem, illa enim Hebraeorum corda quasi atrox locusta rodebat.* Noster Lyranus.

### *Ad salutem non recurrunt mali, nisi cum nulla est fere spes salutis.*

*Peccaui in Dominum Deum vestrum & vos.* Sed vt se deliquisse fateretur, *festinus*, inquit textus, *vocauit Pharao Moysen & Aaronem*, at non solum suam agnoscit culpam, sed pro ea veniam deprecatur, eosque humillime rogat, vt coram Deo preces effundant, auferendae saeuissimae locustarum plagae gratia, quam mortem appellat, si mors imminet, quomodo nunc solum pro ea auferenda deprecatis? quomodo cum ventus vrens leuauit in Aegyptum innumeram locustarum multitudinem, eos non conuenisti, vt Deum deprecarentur pro ea abigenda? ecce omnia sunt corrosa, nihil manet illaesum, nihil virens omnino cernitur, & nihil aliud vobis imminet nisi mors crudelissima, ex fame proueniens; ita se res habet, nec mirum, impii enim cum nulla fere spes est salutis, tunc remedia salutis postulant, *non festinant mali* (inquit Oleast.) *nisi cum nulla est iam spes salutis, tunc ad poenitentiam & ad sacramenta currunt, quemadmodum virgines fatuae ad oleum, quando clausa est ianua, & cum actu flagellantur & grauiter, vt habet Psal. multiplicatae sunt infirmitates eorum postea accelerauerunt.* 96 Abulens. Oleast. Psal.

### *Ipsa fames, mors est saeuissima.*

*Peccaui in Dominum Deum vestrum & vos &c. sed rogate Dominum vt auferat à me mortem istam.* 97
Cur plagam locustarum mortem nominas? nam si solum corrosere virentia, an mors eorum proprie dicetur? nonne ex damnorum frugibus, tum herbis illato, malesuada fames subsequutura erat? quid mirum igitur si mortem hanc famem dixerit? quid enim hoc flagello inter humanas afflictiones, excogitari potest acerbius? merito à S. Basil. hom. 8. in diuites & à D. Damas. lib. 2. c. 82. paral. appellatur humanarum calamitatum caput, omnibus velis equisque fugiendum, quod cuiusuis mortis genere duriorem finem adfert, etenim in alijs pericula, aut gladij acies, celerem mortem adfert, aut ignis impetus, quam primum vitam extinguit, aut fera discerptis membris, cruciatus in longum protrahi non sinunt, vt fames iners & malum languidum habet longum dolorem insidentem ac velut delitescentem morbum, mortem semper praesentem, & semper cunctantem: & quod miserabilius & cruciabilius est, persaepe plures eo adegit, vt constitutos à natura terminos commoue-

rent, atque & hominum, qui eiusdem generis sunt, carnes attingerent, mater quoque eo progrederetur, vt filium quem è ventre eniserat, rursus in ventrem male susciperet, vnde recte S. Hierony. in c. 8. Amos prophetæ scribit, *fame nihil est durius, quæ sæpe compellit abscissis humanis vesci carnibus, & in suam sæuire naturam, vt nec parentes paruulis parcant liberis, & maritales affectus dudum amatæ vxoris membra dilacerent.* (S.Hierony.)

*Quos in necessitate contumeliosè eiecimus, necessitate vrgente humiliter reuocamus.*

98 *Peccaui in Dominum Deum vestrum & vos.* Quandonam eos potuit ita alloqui? cum à conspectu eos eiecerit, *festinus vocauit*, inquit textus, cur quos contumeliosè licet tui essent benefactores, eieceras, tanta cũ festinatione reuocas? nõne te pudet eiectos cum honore coram te sistere? nonne inconstantiæ argueris? reuocat & cum festinatione, diu no enim iudicio fit, vt quos cum dedecore in prosperitate eiecimus, illos necessitate aliqua compellente, & calamitate vrgente reuocemus, eorumque opem imploremus: nobis exemplo erit diues epulo, auxilium Lazari à se despecti & contempti, non sine stupendis suspiriis postulans, Luc 16. dicebat enim Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquã, vt refrigeret linguam meam, quod considerans S. Greg. hom. 40. in Euangel. paulo ante medium sic ait, *diues iste qui vlcerato pauperi micas mensæ suæ vel minuta dare noluit, in inferno positus vsque ad minima quærenda peruenit, nam guttam aquæ petiuit qui micas panis negauit*, en etiam vt Pharao qui Moysen & Aaron habuerat contemptui, eos eiiciens, cum festinatione reuocat, eorum imploraturus auxilium? (Luc 16. S.Gregor. Mag.)

*Morbi animæ prius auferendi vt temporalia mala pellantur.*

99 *Peccaui in Dominum Deum vestrum & vos. sed nunc dimittite peccatum meum mihi.* Quænam est mens tua? quod desiderium in reuocandis cum tanta festinatione Moyse & Aaron? sane vt eos intercessores habeas apud Deum pro locustarum flagello amouendo, sic enim ais, *rogate Dominum Deum vestrum vt auferat à me mortem istam*, cur ergo ita tuum orditis sermonem, peccaui in Dominum Deum vestrum & vos, sed nunc dimittite peccatum meum? cur non ais amouete à nobis hanc sæuissimam locustarum calamitatem? sane in hoc sapit barbarissimus tyrannus, qui dum molestissimam tollere mortem optat, nihil prius curat, quam se peccatis eximere, non antea agit de auferenda plaga, quam de peccatis auferendis, quid sapientius? vtinam ab hoc barbaro discerent vniuersi ægri atque afflicti, prius cogitare de tollendis peccatis, quam de tollenda ægritudine! vnde recte S. Chrysost. consult. apud S. Thomam Cat. aurea, in illa verba Luc 5. homo dimittuntur tibi peccata tua, *nos si corporaliter patimur, satagimus nocumum abiicere, cum vero male sit animæ, differimus, atque adhuc nec à corporis nocumentis curamur, exscindamus igitur fontem malorum, & cessabunt ægritudinum fluxus.* (S.Chrysost. Luc 5.)

*Quot qui subfucata specie virtutis, virus suæ impietatis abscondunt?*

100 *Peccaui in Dominum Deum vestrum & vos.* Sane nullum opus est ex omnibus quæ Deo offerri possunt, quo peccator Deum contra se iratum placare valeat, & ad misericordiam flectere, nisi ex intimis cordis penetralibus illud ortum fuerit, nec eleemosyna valet, si illam sola manus obtulerit: orationem Deus non exaudit, si sola orauerit lingua, ieiunium non est gratum cum sola corporis membra ieiunant, sicut nec confessio peccatorum non valet peccata delere, nisi peccator corde perinde ac lingua se peccasse fateatur. quæso inspiciamus quid Pharao post hanc confessionem egerit, indurauit cor suum, minatus est Moysi se eum interempturum, quid? nonne tuum publice confessus es delictum? quomodo ergo ilico ad vomitum rediens, Moysi benefactori tuo mortem minatis? Fucata erat confessio, sub cuius prætextu virus suum occultabat: non absimilis ille de quo S. Hilarius, *Christum confitetur vt neget vnitatem, procurat ne pax sit, hæreses comprimit, ne Christiani sint, sacerdotes honorat ne Episcopi sint, Ecclesiæ tecta struit, vt fidem destruat, nulla grauior iactura quam sub religionis specie Christum opprimere*: & paulo post apostrophe exclamat in eum, *osculo sacerdotes excipis, quo & Christus proditus est, caput benedictioni submittis, vt fidem calces, conuiuio dignaris, ex quo Iudas ad proditionem egressus est, quæ tua sunt relaxas, vt quæ Dei sunt amittantur, hæc tua, falsa ouis, indumenta sunt*, & rursum orthodoxos alloquens, hic pius Præsul exclamat, *pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum, qui non dorsa cædit sed ventrem palpat, non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem, non tradit carceri ad libertatem, sed intra palatium honorat, ad seruitutem non latera vexat, sed cor occupat, non contendit ne vincatur, sed adulatur vt dominetur.* (S. Hilarius lib. contra Constant. Augustum.)

## *VARIETAS LECT. Vers. 18. 19. & 20.*

VVlg. Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis orauit Dominum.

*Sept.* Orauit ad Dominum.

*Cald.* Orauit coram Domino.

*Vulg.* Qui flare fecit ventum ab Occidente vehementissimum, & arreptam locustam proiecit in mare rubrum, & non remansit ne vna quidem in cunctis finibus Ægypti.

*Sept.* Et transtulit Dominus ventum à mari violentum, & assumpsit locustam, & proiecit eam in mare rubrum, & non est relicta locusta in omni terra Ægypti.

*Cald.* Et conuertit Dominus ventum occidentalem nimis validum.

*Hugub.* Transtulit Dominus ventum maris. A

*Onk.* Conuertit. &c. & proiecit in mare caricosum, non remansit locusta in toto termino Ægypti.

*Pag.* Leuauit locustas, & fixit eas in mare suph;

*Oleast.* Et elongauit eam ad mare termini.

*Aly.* In mare algosum siue procellosum.

*Vulg.* Et indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel.

*Pagni.* Et roborauit Dominus cor Pharaoh.

---

*CONCORDIA.*

EOdem modo ac nos legere Septuag. in mare rubrum εἰς θάλασσαν ἐρυθρὰν Pag. in mare suph, Onk. caricosum, Lippom. algosum, Oleast. mare termini, ratio huius diuersitatis sumitur ex huius nominis significatione, Oleast. contendit סוף suph terminum significare à radice סוף suph quod finire, addit magis proprie vertendum sic esse, quam alio modo, quia videtur, inquit textus, distinguere inter mare mediterraneum, & Oceanum, quoniam Oceanus non videtur habere terminum, quemadmodum mare Mediterraneum, & præcipue hoc, de quo hic est sermo, quod est valde strictum, & terminos ex omni parte habet, alii dicunt סוף suph caricem, iuncum, algam, papyrum significare, quod scilicet hoc in mari sæpissime hæc visantur, vnde dictum mare caricosum seu carectosum, vel algosum, ait Lippom. nomen suph etiam dicere procellam, & sic vertit ipse procellosum, vt placitum meum proferam ve- B rum est sane suph terminum dicere, & vel ob rationem assignatam ab Oleastro, vel quia Ægyptum ab Arabia & Terra sancta determinat, sed non audiendus Oleaster asserens non bene verti mare rubrum, sed cum ita vertit S. Hieron. eo in lingua Hebræa doctior, cui recte nomen suph redditum non dicemus cum additione tamen, quod licet suph proprie rubrum non significet: nihilominus vel rubrum vel scirpeum propter rationes datas redditur. vbi legimus qui flare fecit ventum ab Occidente in Hebræo est רוח ים ruah iam, ventus maris, sed idem est vtrumque sensus, nam mare nostrum Mediterraneum est in parte Occidentali, respectu terræ promissionis, vel respectu terræ Hierusalem, ideo in sacris litteris ponitur iam pro Occidente vel parte Occidentali, verbum תקע takasa non simpliciter significat proiecit, sed cum fragore & collisione.

---

EXPOSITIO.

EGressus Moyses de conspectu Pharaonis, propter rationes iam dictas, *orauit Dominum*, annuens votis Pharaonis, *qui flare fecit ventum ab Occidente*, cur dicitur ventus Occidentalis, inspice concordiam, *arreptam locustam proiecit in mare rubrum*, vnde hoc mare rubrum dicatur non communis est omnium sententia, nam aliqui vel ab aquis, vel ab arenis rubris, sic dictum volunt, vel à repercussione solis in illis aquis huius coloris speciem referri credunt, sed hoc vltimum commune cuicumque alteri mari. Andreas Masius in c. 2. Iosue, vult dictum esse rubrum à corallio, quod in eo maris frequens nascitur: nihilominus constans est assertio corallium in aquis non rubere, vel ab alia planta quæ in eiusdem maris fundo viret, quæque si corallium non est, corallio certe affinis est, efficitque vt maris illius aqua rubentibus maculis appareat: alii non D corallio sed algæ in maris fundo rubenti hanc nominis notionem tribuunt, alii autumant effici mare rubrum ex fonte quodam, qui aquam rubicundam & minio plenam in illud mare emittat: alii hoc mare Græce erithræum dici à Rege Erithra Persei filio cuius sepulchrum in Tyrina insula maris rubri ostendi ferunt, quod certum est, mare hoc non esse in se rubrum, id ita esse docuit experientia, nam nautæ, vel alii ex eo aquam haurientes non rubram sed pellucidam hauriunt, & sic plane intelligunt rubrum colorem in hisce aquis repræsentari ex arenis rubeis, vel planta aliqua rubea, qua fundus illius maris scatet, *& non remansit ne vna quidē in finibus Ægypti*, in qua elucet Dei potentia & virtus. *indurauit Dominus cor Pharaonis*, vide quæ dicta sunt de illius induratione, nec *dimisit filios Israel*, suis promissis infidelissimus.

Andreas Masius.

---

CONCEPTVS.

*Nihil ita potens apud Deum quam oratio benefacientis inimico.*

101 ORauit Dominum, qui flare fecit ventum ab occidente vehementem. Qui omnes locustas, ne vna quidem relicta, proiecit in mare rubrum, vnde tanta efficacia orationis in Moyse? an quia vir iustus? ita equidem, sed an hac sola de ratione? quid ab eo petierat antea Pharao? dimitte peccatum quod in te commisi, quod sane immemor iniuriæ condonauit; cui ergo non dicemus efficacissimam fuisse illius deprecationem, quia à benefaciente & condonante aduersario proueniebat? *nihil enim*, inquit S. Chrysost. hom. 51. ad populum Antioch. *ita Deum reddit propitium sicut inimicos diligere, & calumniantibus benefacere*, & S. Eligius Nouiomen. hom. 11. quæ est de cœna Domini, *ipsa est Domino acceptabilis oratio, quæ funditur sine odio fraterno.*

S. Chrysost.

S. Eligius.

*Oratio etiam pro obstinatis quos scimus non conuertendos, non est inutilis.*

*Orauit Dominum.* Pro plaga locustarum ab 102

A Ægypto abiret..., deprecatio suum sortita est effectum, nonne sciebat Moyses Pharaonem in obstinatione sua mansurum, nec populum Israel dimissurum? cur igitur pro eo coram Deo fundit orationem? cur pro depellenda locusta deprecatur? nonne superflua est huiusmodi oratio, cum intentum non sit consecutura? respondet Abul. *non inutiliter deprecatur* (inquit) *quia sic Deus completurus esset plagas suas, & in Pharaone maiora Dei signa, & iustius illa paterent, si toties perfido Pharaoni petenti remitteret.* Abulens.

*Ita fiunt Dei mirabilia, vt negari non possint.*

103 *Orauit Dominum.* Vt propitius fieret Ægypto, eamque sicut à grandine liberauerat, sic nunc à locustis saluam redderet, & ecce ventus ab Occidente qui eas in mare rubrum proiecit, ait textus, itaut ne vna quidem remaneret in omnibus Ægypti finibus, cur id obseruatur à Moyse, quod ne vna quidem remansit? nonne satis dictum fuerat ventum vehementem eas in mare rubrum proiecisse? aduerte quod si aliquæ remansissent, hoc naturæ venti vehementissimi forte malefici tribuissent: non igitur immerito ait, quod ne vna quidem remansit, vt hoc mirabile ne ab inuidis quidem negari aut eludi posset, fauet eit. Abul. *in hoc quidem Dei potentia patet, quia si aliquis ventus vehemens istas locustas solum naturaliter abstulisset, aliquæ saltē mansissent in terræ cauernis, aut alibi occultæ, sed nunc Deus dabat eis impetum vt surgerent in altum, & tunc rapidissimo vento tollebantur.*

*Quid non obtinet mirabilis iustorum patientia?*

104 *Orauit Dominum.* Quoties tibi Pharao illusit? quoties promissis suis non stetit? imo nonne contumeliosè à conspectu suo te expulit? cur ergo pro eo toties Deum deprecaris? cur iniuriæ toties acceptæ immemor, ita facile condonas? pro inimico deprecaris? sane hoc elogium patientiæ, vt doceat cito delinquentibus parcere, & iniuriarum obliuionem parere, testis, sit nobis sanctus Cyprianus de bono patientiæ, qui postquam dixit, *patientia est quæ nos Deo & commendat & seruat, ipsa est quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coërcet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet, tuetur in virginibus beatam virginitatem, in viduis laboriosam castitatem, in coniunctis & maritatis indiuiduam charitatem; facit humiles in prosperis, in aduersis fortes,* subiungit, *contra iniurias & contumelias mites docet delinquentibus cito ignoscere*, vnde patientiam Moysis considerans Oleast. exclamat, *admirabilis, iustorum patientia quam à Domino didicerant, vt quoties prouocantur, toties indulgeant & nihil iniuriarum meminerint!* S. Cyprian. Oleast.

*Numerus veniæ non est præscribendus.*

105 *Orauit Dominum.* Sic enim cum deprecatus fuerat Pharao, & vt sibi peccatum condonaret; nonne iam pluries ei pepercisti? nonne suæ infidelitatis veniam dedisti? cur igitur si in Deum, ratione infidelitatis, ingratitudinis, & inobedientiæ, & in te ratione contemptus, & irrisionis, deliquit, iterum ei condonas immemor veniæ iam toties ei concessæ? sane Moyses in hoc indicat nullum esse præscribendum numerum veniæ, aut ignoscentiæ, id docuit Christus respondens Petro apud Matth. 18. percunctanti Domino quoties peccabit frater meus & dimittam ei, vsque septies, non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies, in quæ verba S. Chrysost. hom. 62. in Matth. circa principium ait, *cum dicit septuagesies septies, non numerum determinatum ponit in numero, vt concludas remissionem, sed quod continuo & semper est, significauit,* & S. Hieronym. *intelligendum est Septua-* B *gesies septies idest quadringentis nonaginta vicibus, idest toties peccanti fratri dimitteres, quoties ille peccare possit.* Matth. 19. S. Chrysost. S. Hieron.

*Spiritu Sancto flante non solum peccata, sed etiam imperfectiones auferuntur.*

*Orauit Dominum qui flare fecit ventum ab Occidente & arreptam locustam proiecit in mare.* Ne vna quidem remanente, ventus flauit, non quiscunque sed vehementissimus, quo Spiritus Sanctus designari potest, in vento enim venit non molli sed vehementissimo, adeo vt sonum redderet, factus est de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, flauit ille ventus ab Occidente, flauit etiam spiritus ab Occidente, nisi enim Christus mortuus ad patrem iisset, Spiritus Sanctus non descendisset, nisi ego C abiero, &c. per illum proiectæ sunt locustæ in mare rubrum: quid per locustas? nonne intelligi possunt peccata? & quid per mare, nisi Christi sanguis in quo nostra non solum lota, sed immersa sunt scelera? sed quid est quod ne vna quidem remansit locusta in Ægypto, postquam ventus à Deo flauit immissus? quia post aduentum Spiritus Sancti, non solum peccata, sed etiam imperfectiones per virtutem ipsius immersæ, ablutæ, imo & pessundatæ, *cum per gratiam suam*, inquit S. Gregor. lib. 2. c. 2. lib. 2. Reg. 2. *Spiritus Sanctus corda electorum visitat, ab omni peccatorum immunditia potenter purgat, quia vt semenris infuderit, eam protinus in vitiorum odia & in virtutum amorem ineffabiliter excitat,* D *facit enim statim odisse quod amabat, & quod odio habuerat ardenter diligere, atque in vtroque valde ingemiscere, quia & mala quæ odit se damnabiliter amasse recolit, & bona quæ diligenter odisse, quis enim audet dicere licet omnimoda peccatorum sarcina prægrauetur, quod perire possit aliquis visitatus gratia Spiritus Sancti?* 106 Actu. 2. Ioan. 16.

*Ex præsumptione obstinatio.*

*Orauit Dominum, qui flare fecit ventum ab Occidente, & arreptam locustam proiecit in mare.* Ne vna quidem ex innumera multitudine remanente: cum se liberum sensit ab hoc flagello, nec dimisit filios Israel, sed magis induratum est cor eius, vnde nam hæc induratio? non solum enim ex non concessa mollificante gratia Dei, 107

sed etiam ex voluntate Pharaonis processit? in A quo deliquit voluntas illius vt semper obstinatior maneret? sane in nimia sui præsumptione, confidebat enim in brachio virtutis suæ, quod etiam Deo reluctante semper populum Israel tyrannide opprimeret, vnde recte Sanctus Bernard. serm. 11. exponens verba Psalm. 90. quoniam angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis, ait, *videamus & Dæmonum vias, videamus & fugiamus eas, siquidem via illorum præsumptio & obstinatio, propter præsumptionem stare non potuerunt, propter obstinationem qui cecidit non adquiescet vt resurgat, ex hac namque spiritus vadens, ex illa non rediens, mira quidem præsumptio Dæmonum, sed nominus mira obstinatio est quod superbia eorum semper ascendat, propterea non est illis commutatio, quia enim conuerti noluerunt à via præsumptionis, inciderunt in viam obstinationis, quam peruerso & euerso sunt corde filij hominum, quicunque sectantur vestigia Dæmonum ingrediuntur Dæmonum vias.*

S. Bernard. Psal. 90.



## VARIETAS LECT. *Vers.* 21. & 22.

VVlg. Dixit autem Dominus ad Moysen, B extende manum tuam in cœlum, & sint tenebræ super terram Ægypti ita densæ, vt palpari queant.

*Sept.* Fiant tenebræ super terram Ægypti, tenebræ palpabiles.

*Cald.* Sint tenebræ super terram Ægypti, etiam postquam recesserit obscuritas noctis.

*Pag.* Erunt tenebræ super terram Ægypti & palpabit tenebras.

*Arias.* Palpabit obscuritatem.

*OnK.* Etiam postquam recesserit caligo noctis.

*Oleast.* Erit obscuritas quæ palpari queat.

*Vulg.* Extenditque Moyses manum in cœlum, & factę sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti, tribus diebus.

*Sept.* Et factę sunt tenebrę, caligo, turbo super terram Ægypti, tres dies.

*Cald.* Et fuerunt tenebræ obscuræ tribus diebus.

*Pag.* Et fuerunt caliginosę tenebrę.

*Arias.* Et fuit obscuritas caliginis.

## CONCORDIA.

REcte vertit interpres sensum ex Hebreo ויםש חשך vaiames chosek & palpabit tenebras, pro quo sciendum quod verbum masas duo significat, videlicet tangere, & auferre, vbi legimus & factę sunt tenebræ horribiles, est in Hebręo חשך אפלה significat autem proprie & aphelas caliginem, verum quia caligo est causa horroris & timoris, ideo ponitur pro horrore, Septuag. paulo secus σκότος γνόφος tenebrę caligo, deinde additur θύελλα tempestas & procella, quod quia omnino redundat, inquit Eugubinus, delendum, ex alio enim loco C huic simili est, vt infinita pene eiusmodi, (addit) apud eos inueniuntur: Hebraicum verbum ימש iamos potest deduci à מוש idest recedere, remouere, sed noster & Septuag. deducunt à משש quod est palpare qui à prima radice deducunt sic vertunt, postquam recessent obscuritas noctis, sed quia secunda, ita densę vt palpari queant, vel palpabit tenebras, subaudi quilibet vel aliquis.

## EXPOSITIO.

EXtende manum tuam in cœlum, ex conuenientia signi quod operari debebat, *& sint tenebræ ita densæ, vt palpari queant*, quomodo dici possunt tenebrę palpabiles? an per hyperbolem, vt vult Anselmus Laudunensis, & quod D tam magnę fuerint, vt omnem omnino excluderent lucem? an vt alij, quod à densis vaporibus omne lumen excludentibus efficerentur, qui vapores caliginosi ob suam conspissationem etiam palparentur? an vt alij, quod hominem palpando incedere cogerent? obscurum est: secundus modus quamuis sit pluribus communis, non mihi probatur, quia difficile est intelligi, quomodo vapores illi palpari possunt, possunt quidem sentiri vel ratione frigoris, vel humoris, si in aliquem resoluuntur, vel ratione motus, quomodo & ventus & aer ratione motus sentitur, tamen quod vapores ratione molis & corpulentiæ palpentur non facile quis crediderit, nam licet Deus, imo & Angeli conspissare possint aerem, & ex eo corpus palpabile effingere, non tamen existimo in tali aëre hominem viuere posse, multo minus in vaporibus conspissatis defectu liberi aëris ad respirationem, absque nouo miraculo quod frustra hic fingitur, tum, esto vapores illi palpentur, non tamen tenebræ ipsæ, vnde necesse est tamen ad aliquem tropum confugere: arridet ergo primus modus, qui est Anselmi, illa enim hyperbole admittenda est, maxime cum familiaris sit, & hominum persuasioni conformis, quibus videntur tenebræ quæ per modum alicuius positiui concipiuntur, intendi per quandam conspissationem, vti & subinde in simili re ipsa fit, cum caligo & nebula inspissatur, *& factæ tenebræ sunt*, modus facillimus quo hæ tenebrę factę sunt, est, si dicamus Deum concursum suum subtraxisse quominus sol & alia astra lumen

lumen producerent eo in loco, vbi erant Ægyptij, quam subtractionem concursus etiam coguntur admittere, qui illorum vaporum conspissationem volunt, siquidem faciamus Ægyptios aliquos, qui etiam inter Israelitas habitabant, deprehensos fuisse à tenebris iuxta aliquem Israelitam, cum lux esset vbi erat iste Israelita, quomodo non aliquod lumen saltem secundarium, è vicino loco ad Ægyptios illos quantumuis vaporibus circumseptos, perueniret, nisi concipiamus substractum Dei concursum, quominus lumen eo in loco produceretur? *horribiles*, non A tantum ob densam c... m & omnem luminis remotionem, ... m ob spectra & horrificas formas, quæ ab Ægyptiis in istis tenebris cernebantur, vt notat Sapiens cap. 17. à vers. 4. Septuag. addunt turbinem & procellam, quæ si fuit, haud dubiè magnam vim habuit ad horrorem hunc augendum, *tribus diebus*, cœperunt ergo illæ tenebræ vndecimo die mensis primi, durarunt enim triduum, scilicet vsque ad 17. diem quo euocatus Moyses à Pharaone, & prædixit cladem primogenitorum, proxima nocte futuram.

## CONCEPTVS.

### *Pœna culpæ correspondens.*

108 EXtende manum tuam in cælum & fiant tenebræ. nescio cur hac nona punitione populum Ægyptium crucias? adquid enim tenebris palpabilibus punire eos qui mentis cæcitate tenebantur? aduerte quod Hebræos filios lucis, Ægyptii arctando ergastulis ad opera dura concluserunt: vt ergo congrua respondeat delicto pœna, & meritum ab eis exigatur supplicium, tenebris & quasi carcere concluduntur, qui alios iniustè eodem incluserant, confirmat Sapiens cap. 17. *dum persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ, vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti inclusi sub tectis perpetua prouidentia iacuerunt*, & vers. 18. *Vna catena tenebrarum omnes erant colligati*, quæ verba sic explicat Holkotius, *peccauerunt* (inquit) *contra proximum, videlicet contra filios Israel, super quos vsurpabant sibi violentam oppressionem & quantum ad hoc subdit, dum enim persuasum habent, id est firmiter credunt iniqui Ægyptij posse dominari per oppressionem nationi tuæ, id est populo Hebræorum, quem Deus suis sanctis legibus dedicauerat deseruire, ecce culpa, & statim subditur pœnæ forma à vinculis tenebrarum & longæ noctis, quasi dicat dum Ægyptii diuinis prodigiis factis per Moysem rebellarent, & populum Israel seruitute solita cogerent opprimere, subito tenebris palpabilibus inclusi iacuerunt immobiles.*

Sapien. 17.

Sapien. 17.

Holkotius.

### *Occulte Deus punit & corrigit.*

109 *Extende manum tuam in cælum, & fiant tenebræ.* Quæ ita densæ factæ sunt, vt nec frater fratrem agnoscere posset, sed qua de causa offusas caligine induxit tenebras? hanc rationem aliqui Rabbini assignant, quia noluit Deus aliquos occidere Hebræos incredulos Ægypto adhærentes, indeque exire recusantes, ita tamen vt eorum pœna sub densis tenebris lateret, ne culpa in Ægyptum diuulgaretur; nec hoc Deo est insolitum, Christus enim Dominus, cum Samaritana locuturus, discipulos in vrbem dimisit, cibum quæsituros, sed cur duodecim, cum vnus satis superque videretur, præsertim cum ipse corporalem cibum repudiaturus esset, solum spiritualem accepturus? respondet Salmeron tom. 4. tract. 20. *quia Christus Dominus sua Samaritanæ peccata obiecturus erat, iussit ergo discipulos recedere vt pudori eius solitudine consultum esset, & vt liberius posset eius* B *flagitia detegere, ac vt nos inde discamus proximum secrete primum atque salubriter corrigere*, & Ioanni proditorem inquirenti, signum quidem idem Dominus dedit, & nihilominus addit Euangelista, hoc autem nemo sciuit discumbentium Ioann. 13. rationem reddit Sanctus Chrysost. hom. 17. *tam submissa voce id Ioanni dixit, vt minime ab aliis audiretur*, adeo infœlicem illum proditorem occultare cupiebat, imo ne Ioanni quidem proditoris nomen detexit. obsignat Deus hominum peccata, ea occulatissime videt, acutissime nouit, tamen nec facile in apertam lucem producit, nec ministris suis reuelat: & audet homo peccator alterius hominis peccata prodere, audet alterius crimina reuelare, qui paria commisit, aut etiam maiora hoc Dei in mortalium sceleribus silentium ita effert S. Petrus Damian. serm. 56. qui est de sancto Martino vbi hæc ille habet, "vide patientiam & longanimitatem Dei nostri, hæc fecisti, & tacuit, omnia videt, & omnia audit nihilque remotum ab oculis eius, de quo dicitur: oculi Domini in omni loco, contemplantur bonos & malos, oculos hominum timuisti, oculos autem Altissimi non expauisti, ecce ipse cognouit omnia nouissima, & antiqua, neque ab oriente neque ab occidente, neque à desertis montibus locus est fugiendi, quoniam Deus iudex est, vidit opera tua, recursus, & excursus flagitiorum tuorum, & continuit iram suam, cælum non fulminauit, aqua non submersit, non absorbuit tellus: & cum omnis terra plena sit gloria Domini, in gloria eius tuam miseriam euomuisti, nec reueritus es præsentē Dominum, & coram tanta munditia tuam immunditatem exercere, ipse autem quid? ego inquit, quasi non videns nunquid aliqui ministrorum suorum, qui vindices sunt iræ eius, in hoc ipsum constituti reuelauit ignominiam tuam? ecce, videt, & tacet, videt, nec manifestat, videt, nec iudicat; videt, nec vindicat; videt, & videre dissimulat, vocat & non audis; promittit, & contemnis, minatur, nec metuis, & thesaurizas tibi iram in die iræ: cum ergo sit iudex iustus, & fortis, multum est patiens, nec irascitur per singulos dies, ecce continet iram, reprimit furorem, auertit oculos, peccantibus parcit & illi omnia hæc in suum iudicium congregant omnium rei, nunquid qui ita tacuit, & siluit, semper ita tacebit? an non legisti quia ad iudicium veniet patientiam abutens, humilitatem nesciens, ignorans misericordiam?"

Ioannis 13.
S. Chrysost.
S. Petrus Damian.
Psal. 7.

*Dignum peccatore ſupplicium, vt quæ in animo habet, patiatur exterius.*

*Extende manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ.*

110 Quodnam id ſupplicium? quænam hæc pœna? mihi ſane nulla videtur, nam ſicut noctem ſingulis diebus finitis patiuntur, cur lucis carentiam leuiſſimo ſane cum damno, per triduum non ſuſtinebunt? nonne interius luce carebant veritatis, caligine peccati obnubilati? merito his tenebris exterioribus afficiuntur, vt quam in animo caliginem mentis haberent, exterius in denſiſſima caligine ſuſtinerent, vnde recte Origenes hom. 4 in Exod. *nona plaga tenebræ ſunt, vt mentis eorum cæcitas arguatur*, & ſane in eo ſatis ſeuere peccator punitur, ſi quę mente gerit, ipſe extrinſecus patiatur, ſi tenebrę & cæcitates animæ, dum incumbit peccatis, in corpore appareant.

Origenes.

*Prouidentiæ diuinæ rationes obſcuriſſimæ.*

111 *Extende manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ.* Imperium ilico ſecuta eſt obedientia, extendit enim Moyſes manum in cœlum, quaſi prohibiturus lucem, quæ inde in mortales effunditur, *& factæ ſunt tenebræ horribiles*, ſane nocturnis tenebris denſiores, caliginoſiſſimæ, & ita denſæ, vt redderentur palpabiles, cur tam atra caligine obuoluuntur? Origenes citatus, arguit eos nimiæ curioſitatis erga diuinę prouidentiæ myſteria, quid mirum igitur ſi Deus denſiſſimas immiſerit tenebras, vt quam obſcuriſſimæ eſſent diuinę ſuę prouidentiæ rationes ſignificaret: ſubiicio verba Origenis, *vt intelligant diuinæ diſpenſationis & prouidentiæ obſcuriſſimas eſſe rationes, poſuit enim Deus tenebras latibulum ſuum, quas illi audacter & temere perſcrutari cupientes, & à tex a'ijs aſſerentes, in craſſas & palpabiles errorum tenebras deuoluti ſunt.*

Cit. Adamantius.

*Malum prægrauans adimit rationem & ſenſum.*

112 *Extende manum tuam in cœlum, & ſiat tenebræ.* Harum magnitudinem & denſitatem deſcribens Sapiens c. 17. vocat horrendam noctem, tenebroſum velamentum, noctem impotentem, ab infimis & ab altiſſimis inferis ſuperuenientem, quæ ſcilicet vinci non poterat, inferorum tenebris ſupparem, & à profundiſſimo barathro profuſam: at nonne in triduo quo permanſere hæ tenebræ in Ægypto, quæ victui neceſſaria erant, ſumebant? aliæ omnia oppreſſi media miſere vitam ſinirent? nonne aliis quę conſolationi ſuę conducebant, vacabant? ait Philo lib. 1. de vita Moyſis, aiunt eos non auſos è cubili ſurgere, nam ignis quo vtimur quotidie, vel aëre turbato extinguebatur, vel vincebatur à craſſiſſimis tenebris, ita ut ſaluis oculis, ſummè neceſſarium videndi ſenſum ſeu exoculati requirerent, quo adempto cęterorum nullus ſenſus erat, nam neque loqui, nec audire, nec ſeu cibis licebat, ſed per ſilentium fame cruciabantur, nulli vacantes ſenſui, quomodo quaſi exanimes ſenſibus non vtuntur? quomodo tanquam à ratione alieni, quę neceſſaria vel ad ſubleuamen vitæ, vel ad illius

Philo.

A conſeruationem, non requirunt? reſpōdet cit. Iudæus, *præſenti malo prægrauante*, quaſi diceret, ita vrgens & imminens erat malum, vt omnem ſenſum & quaſi rationem eis adimeret.

*Pœna certo imminens plus torquet expectantem.*

*Extende manum tuam in cœlum, & ſiat tenebræ, &c.* Plura quæ de his tenebris ſilentio obuoluuntur, apud ſapientem enucleantur, & ideo ad eum recurrendum & præcipue cap. 17. vbi inter alia hæc habet: ſolis autem illis ſuperpoſita grauis nox, imago tenebrarum, quæ superuentura illis erat, ipſi ergo ſibi erant grauiores tenebris, iam homines tenebrę opprimebant, quę illorum animus repræſentabant alias ſuperuenturas in futuro tenebras, quid inde? ipſi ergo B ſibi erant grauiores tenebris? ex quo enim non ſolum præſentibus affligebantur tenebris, ſed & expectatione aliarum iam iam venientium occupabantur, grauius à ſe ipſis quam à venturis tenebris ferebant tormenta: nunquā enim homo nō torquetur grauius ſub expectatione venturi mali, quā ſub ipſo malo, apte ad hanc rem oratione 4. Greg. *ſatis magna pœna cenſeri debet cum ij qui moleſtiam intulerant metu conceutiuntur, meritaſque pœnas expectant, propriæque conſcientiæ cruciatu afficiuntur, nam quæ quiſque vt iam iam perpeſſurus timet, hæc paſſus eſt, etiamſi non patiatur, grauiuſque fortaſſe à ſeipſo quam ab iis qui ſupplicium illaturi ſunt, torquetur*, itaque non parua pœna ſed grauiſsima eſt, qua quis ſe torquet ſub expectatione pœnæ imminentis. 113

S. Gregor. Nazi.

C *Meticuloſis hominibus, omnia videntur horrenda & mortis plena.*

114 *Extende manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ.* Quo horrore & timore concuſſi ſint Ægyptij, hac denſiſsima caligine obnubilati, refert cit. cap. Sapiens & concludit, *cum ſit timida nequitia dat teſtimonium condemnationis ſemper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia*, cur ſæuiora his quę patiebantur, timent? ſane hoc eſt commune nequiſsimis meticuloſis, quod ſemper in minoribus præſumant ſæua & inhumana, quorum præſumptionem adauget timor mentis puſillanimæ, perdens omnem auxiliorum cogitationem, quo fit vt quo minora auxilia expectantur à timidis, eo maiora illis appareant diſcrimina, nec D quid videant quod non putent ineuitabilis mortis plenum, vnde recte Procop. in cap. 22. Numer. *omnia ſunt plena terroris ei qui metu indiget.*

Sapien. 17.

*Peccatum nox eſt, & tenebræ denſiſſimæ.*

*Extende manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ.* 115
De Ægyptiis has tenebras ſuſtinentibus diſſerens Sapiens cap. 17. ait, *ſolis autem illis ſuperpoſita erat grauis nox imago tenebrarum, quæ ſuperuentura illis erat, ipſi ergo ſibi erant grauiores tenebris*, cur ſibi ipſi grauiores erant tenebris? quippe dum peccatis obdurantur denſiorem & grauiorem caliginem ſibi offundebant, quam erat caligo tenebrarum externa: ſane non tantus ab igne fumus, quantæ à peccato profluunt tenebr.

Sapien. 17.

quæ & mentis oculos obcæcant, & miseros homines quasi densa caligine oppressos reddant ad omnia inefficaces, vnde de his dictum est, quod tribus diebus nemo nouit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat, & quasi omnino præpediti essent præ densitate tenebrarum mentis, vt nihil valerent operari, quis ergo caliginosam peccati faciem non facile deuitet? quis non contendat tam atram noctem à se dimittere? recte Seuerianus in Cat. Græca explicans illa verba Iob cap. 3. dies ille vertatur in tenebras ait, *illud ad hanc sententiam Iobi pertinet, vt peccatum per seipsum quale sit, nempe omni primitum luce ab hominibus cognoscatur, ne aut insimulatam in sese induat virtutem, aut specie quadam lucis, rudioribus animis fucum faciat, sed quo cæcacius perspecta caligine vitari facile possit.* (Seuerianus.)

*Timor annexus nequitiæ grauissimum supplicium continuo crucians.*

116 *Extende manum tuam in cælum, & sint tenebræ.* Quarum densitatem & horrorem describens cit. Sapiens ait, cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis, semper enim præsumit sæua perturbata conscientia, cur timida conscientia dat testimonium condemnationis? cur semper sæua præsumit? *semper* enim dicit sine fine & nullo termino, continuum timorem malorum: ita equidem, nullo enim grauius castigabatur cumulus peccatorum populi Ægyptii, quam timore & tremore continuo, hic horribilis tremor plusquam torrens flammа, plusquam mors sæuiens dum exedit miseri viscera, eiusdem testatur crudelissimam damnationem, vt dicit in hunc locum Hugo, *timida nequitia, idest timor annexus nequitiæ datus est in condemnationem omnium peccatorum vrens mentem, &c.* pro singulis peccatis, singula assignantur tormenta, verum timoris tremorisque flagellum tantum est, vt pro ingenti omnium peccatorum mole sufficere possit, sane Philo Iudæus, vt proponat horrendum supplicium Flacci infensissimi quondam in Iudæos eius vitam in exilio actam sub continuo timore & tremore proponit, *dum enim miser in exilio ageret, post crebram præteritorum scelerum recordationem, sic continuo clamabat, horum facinorum pœnam me manent, sat scio, & diræ iam stant tanquam in carceribus vt abiice rupto properent in meam perniciem, imo iam in horas præmorior multas mortes sustinens ante illam vltimam,* huiusce erat miser exulis vita, hęc eius continua vox, hoc supplicium, de quo pergit Philo, *atque ita sæpe territabatur horrore quatiente membra omnia, animo quoque contremiscente, anheloque pectore, si quem lente passu incedentem videret suspicabatur cogitare sibi perniciem: si properantem, mox mentem subibat, at hic me persequitur, non temere festinat blandus insidiatur, libere loquens contemnit, cibum potumque præbetur tanquam mactandis pecudibus, quo vsque tandem ferreus durabo in tot casibus? scio me meliorem quam vt mortem mihi consciscam, nimirum hoc etiam vetat meus genius, ne cito abrumpam vitam meam.*

(Hugo Cardin.) (Philo Iudæus.)

*Mira in peccatore est timoris iudicii Dei angustia.*

*Extende manum tuam in cælum & sint tenebræ, &c.* Non solum describit Sapiens illam densissimam caliginem, sed omnia quę timorem illis incussere, vt varia spectra, addit enim *neque quæ continebat illos spelunca sine timore custodiebat,* si in speluncis latitabant, cur à timore non liberi? quid enim eos ibi offendere poterat? sane ij qui in spelunca tanquam nigro claudebantur cubiculo, nihil faustum sperantes, misere decerpuntur timore Iudicij Dei imminentis, ita Eusebius apud Hugonem, *cum ad hoc custodia crudelis ventum fuerit, vbi iam futuri Iudicij ipsa sua expectatione desæuit pœna, mœrore occupabit animam omni solatio destitutam,* & sane sæuissima decerpitur pœna impius, dum iudicium ineuitabile custoditus expectat. 117

(Sapiens. 17.) (Eusebius.)

*Quales sunt terrores peruersæ conscientiæ?*

*Extende manum tuam in cælum & sint tenebræ, &c.* Quibus inuoluti Ægyptii, nihil non horrendum credebant, nihil non sęuum timebant, semper enim inquit Sapiens præsumit sæua, perturbata conscientia, & si cap. 17. Sapientię percurritur, nihil est quod ingentem eis non incusserit timorem, vnde tot timoris obiecta? quomodo nulla eis inest requies? quia sæua semper pręsumit mala conscientia, nulli sunt terrores, quibus perpetuo non quatiatur quam recte eos exprimit S. Chrysost. hom. 3. de verbis Isaię, *omnia pauet metuitque vmbras, parietes ipsos, lapides, tanquam vocem emittentes, omnia obseruat, omnes habet suspectos famulos, ministros, amicos eos qui norunt omnia, eos qui nihil norunt, quin potius si voles tollantur hæc omnia, ponamus nulli notum esse flagitium præter quam ipsi vni, quomodo feres conscientiam redarguentem, acerbam & amarulentam accusatricem secum ferens?* 118

(S. Chrysost.)



## VARIETAS LECT. Vers. 23.

*Vulg.* Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat, vbicumque autem habitabant filii Israel, lux erat.

*Sept.* Et nemo vidit fratrem suum tribus diebus, & nemo surrexit decubili suo tribus diebus: omnibus autem filiis Israel lux erat in ædibus in quibus erant.

*Cald.* Neque singuli surrexerunt de locis tribus diebus, omnibus autem filiis Israel erat lux in habitationibus suis.

*Pagni.* Non videbat alter alterum.

*Oleast.* Non surrexit vir de subse.

*Aben, Esra.* Nemo surrexit de domo sua.

## CONCORDIA.

VBi habemus nec mouit se de loco in quo A erat, in Hebræo est מתחתיו mitachtat, de sub se, Septuag. paulo aliter legere ἐκ τῆς κοίτης αὐτοῦ nemo surrexit de lecto suo, nam de lecto hic nulla est mentio.

## EXPOSITIO.

NEmo vidit fratrem suum, aut proximũ, vt scilicet, aliquid ab eo posset, aut consilii aut consolationis habere, *nec mouit se de loco in quo erat*, quod sic accipiendum est, vt non ex vno loco in alium commigrarint, non tamen, quod pœnitus immobiles fuerint tanquam saxa vel arbores, vt nec verba proferre nec gemitus nec eiulatus edere, aut exspuere, aut pedes manusue mouere, neque enim hæ tenebræ spissiores erant, quam aqua, in qua huiusmodi motus fieri possunt B imo tam mollis erat aer, vt etiam respirationi deseruiret, alioquin omnes momento prefocati fuissent: ergo hyperbole agnoscenda est in cit. Philonis loco versu præcedenti, cum aut videndi sensu adempto, cæterorum nullus erat vsus, nam nec loqui, nec audire, nec frui cibis licebat, sed per silentium fame cruciabantur; non mouebant tamẽ se de loco, vel quia terrificis pauefacti monstris metuebant, si se loco mouerent, ne peius aliquid offenderent, & quam primum perirent: vel quia cum luce omni carerent, nesciebant quo in tanta mentis ac rerum perturbatione, cituri essent, forte enim antiquum chaos & mundi confusionem quandam & dissolutionem formidabant.

*Vbicunque autẽ habitabant filij Israel lux erat*, non C exiguo aliquo spatio definitæ ac circũscriptę erãt horribiles illæ tenebræ, sed vniuersam planè terram Ægypti occupabant, excepta terra Gessen, nec ea quidem tota cum Ægyptii mixti Iudæis habitarent, quod aliis quoque locis videtur contigisse in quibus Hebræi ad tempus operis causa famulabantur: quod tacite videtur innuisse Moyses, cũ nulla facta mẽtione terræ Gessen, ait vbicunque habitabant filii Israel, lux erat, at supra, eam prouinciam diserte nominauit, cum de grãdine ageretur, quæ Israelitarum possessiones ac pecora non violasset, quod nusquam alibi quidquam possiderent Hebrei, etsi alibi lateres Pyramidesque fabricarent; ingens ergo prodigium fuit, quod in eodem v. g. vico, in aliquibus domibus, teterrimæ atque impenetrabiles tenebræ grassarentur, in aliis contiguis & intermediis, lux clarissima radiaret, imo in eadem fortassis domo D cubiculum vnum illustre, alterum tenebrosum esset, aut in eodem cubiculo, herus aut famulus Ægyptius cæcaretur tenebris, dum Hebræa seruitia luce fruerentur.

Sapien. 17. Sed si frater fratrem non videbat, quomodo, ait sapiens, personæ illis tristes apparentes, pauorem illis præstabant, dæmones scilicet eis prodigiosa phantasmata obiiciebant, quibus formidolosissimo horrore concutiebantur, aut in nonnullis interdum contigit exanimabantur. sed si quęramus à sapiente, quomodo in tanta caligine, in qua per triduum frater non vidit fratrem, & quam neque accensæ faces neque sol, neque vlla astra discuterent, ea spectra videri possent, non respondet quod erat in promptu, ea B sese imaginationi non autem aspectui offudisse, sed demonstrat ea visibiliter apparuisse, apparebat illis inquit subitaneus ignis timore plenus, & timore illius percussi, quæ non videbatur faciei, æstimabant deteriora esse, quæ videbantur: quæ sic explica, perterrefacti cum illa specta non perfectè conspicerentur, putabant Ægyptii deteriora esse quę videbantur, quam reuera essent: mauult tamen Lorinus hanc esse loci sententiam, vt propter horrorem laruarum, quę sine vllo igne visæ sunt, ignis horrori fuerit; & eius magis absentia expetita, quam præsentia, ignis autem ille subitaneus, & sponte quandoque exiliens, aut ex terrificis ipsis spectris emicabat, aut diuinitus ipsas inter tenebras, ad incutiendum maiorem cum C spectro terrorem fulguris instar vibrabatur, sed hoc erat ista coruscatio formidolosior, quod non ex longinquo apparebat, vt fulgura, sed proximè afflabat oculos, ac pene adurebat, & licet frater fratrem non videret, in dira illa & diuturna nocte, tamen auditus eorum horrificis percellebatur sonis siue quos spectra illa edebant, siue qui quoquo modo intra illam remugiebant caliginem, neque enim, inquit Sapiens, quę continebat illos spelunca sine timore custodiebat, quoniam sonitus descendens perturbabat illos: speluncam vocat illum ipsum, in quo residebant, locum, quoniam in eo fere immoti, obscuríque latebant: illum porro sonitum mox plenius describens ait, omnia quæ poterant exaudiri, eis horrorem terrificum incussisse, siue spiritus sibilans inquit, aut inter spissos arborum ramos, auium sonus suauis aut vis aquæ decurrentis nimium, aut D sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus mutus, aut mugientium valida bestiarum vox aut resonans de altissimis montibus echo, deficientes illos faciebant præ timore: nimirum sontes, carceri detenti, quoties strepitum aliquem in ianua inaudiunt ad mortem suis sceleribus debitã rapi se suspicantur.

## CONCEPTVS.

*Peccatores cæcitate puniuntur.*

NEmo vidit fratrem suum. Ita densæ & palpabiles erant tenebræ, vt non permitterent fratrem à fratre videri, proximum à proximo, sed quasi oculis destituti, immobiles manebant, ita ne tanta offunduntur caligine? cur ita densis atrisque tenebris percelluntur? quis tot mira-

bilibus à Deo editis, ad emolliendum eorum corda, non miratur adhuc in cæcitate mentis perseuerasse, tyrannide adhuc populum Israel opprimentes? dicamus ergo recte interiori eorum cæcitati tanquam debitam suæ obstinationi correspondere, tantam exteriorem caliginem, ita obscruat noster Lyran. *ista plaga correspondet cæcitati mentis quæ fuit in Ægyptiis, qui post tot signa manebant in obstinatione sua.*

### *Impiis dies vertitur in noctem.*

120 *Nemo vidit fratrem suum, vbicunque autem habitabant filij Israel, lux erat*, Ægyptiis in tenebris manentibus, quod non ita intelligi debet, quasi solum per terram, in qua non erant filij Hebræi, tenebræ fuerint, & per terram Gessen quę Hebræis assignata erat, vbique fuerit lumen, sed quod magis mirum est, si forte in terra Gessen habitarent Ægyptii, prout habitasse patebit cap. 12. ipsi inter medios filios Israel, & in medio lumine, sedebant in tenebris, & Hebręi qui extra terram Gessen erant, in medijs Ægyptiorum tenebris sedebant, in pleno lumine: si in pleno lumine sunt filii Israel, quomodo Ægyptii his proximi densissima obuoluuntur caligne? quomodo lucis Israelitis concessæ non fiunt participes? sane verissimum est, quod ait
S. Chrysost. Sanctus Chrysost. hom. de cruce & latrone, *quod impiis dies vertitur in noctem, & piis è contra nox in diem.*

### *Auarus ita tenebrescit vt nec fratrem agnoscat.*

121 *Nemo vidit fratrem suum.* In triduana illa caligine, si luce fruuntur Hebræi, cur in tenebris sunt Ægyptii, & ita densis, vt frater, fratrem non videat? si dixerimus eos vere auaros, cum populum Israel vi opprimerent, bona eius diripientes, quid mirabimur tanta obnubilatos caligine? auarus enim fratrem non agnoscit, testis
Rupert. fit Rupert. lib. 1. cap. 39. *quod tenebrosus oculus nequam cum intueretur aliquam rem proximi vt rapiat eam, non agnoscit proximum, eo solum intuitus vt furetur, quia concupiuit quæ illius sunt, & quo facilius suam crudelitatem exerceat, nulli omnino parcens in tenebris dicitur ambulare, & obturatos oculos habere, sicut auarus Balam.* & Diuus Basilius homilia 6. ex 19. variis de auaro ditte ait, *crudelem auarum cupiditas neque fratrem agnoscere finit, nec proximum attendere nisi vt perdat & deprædetur.*

### *Generis humani cæcitas temporibus naturæ, legis, & prophetarum.*

122 *Nemo vidit fratrem suum.* In vniuersa terra Ægyptiorum dierum spatio, luce tamen fruentibus filijs Israel, an mysterio caret, quod in vniuersa Ægypto & non per quatriduum sed solum triduum, tenebræ fuerint? nam cur non solum biduo? nulli dubium est quin Ægypto mundus significetur, sicut triduo tria tempora naturę, legis, & prophetarum. non sine speciali prouidentia igitur, solum triduo vniuersam Ægyptum obnubilant tenebræ, Israelitis luce fruentibus, magna enim cęcitate vniuersum genus humanum, præter populum electum, mentis cęcitate obuolutum est, sic explicat Alcanius Abbas in glossa magna mythica super caput 1. Genesis in Genes. illa verba *tenebræ erant super faciem abyssi*, *extendente Deo in Adam manum iustitiæ, quem ex paradiso terrestri expulit, tales sunt in eius posteritate tenebræ horribiles, hoc est mentis obcæcatio adeo atra, obscura & horrens, vt Deum non agnosceret, impieque se ad creaturas solem, lunam, stellas, & ignem & consimilia colenda prosterneret: in vniuersa autem terra Ægypti nempe in vniuerso fere mundo expandebantur hæ tenebræ, nam mundus Ægyptus illa est in qua regnat Pharao immanis dæmon, tribus autem diebus terræ eiuncerant tenebræ, hoc est tempestate naturæ, legis, & prophetarum, interim micante tantum sole super Israel, quoniam illi duntaxat populo Dei veri cognitio clarebat, atque in hisce densis tenebris tandiu iacuit mundus, quousque fulgeret lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, id est Christus.* Alcanius Abbas.

### *Post octo Dei vocationes tandem densissima mentis cæcitate obuoluimur.*

*Nemo vidit fratrem suum.* Præ tenebrarum caligine densissima, qua percussi fuere Ægyptii? 123
sed qua de causa solum hæc plaga nona fuit? cur octo hanc præcessere? cur post octo comminationes Pharaoni indictas, sequitur atra caligo in vniuersa terra Ægypti? cur post octo flagella, quibus Deum ad meliorem mentem eos reuocare conabatur, tandem immittit tenebras? respondet cit. Alcanius, *post siquidem octo genera vocationum quibus Deus peccatores ad veniam allicit nimirum internas inspirationes, scripturarum lectiones, concionatorum declamationes, exempla piorum, oculos tribulationum, correctiones fraternas, angeli custodis excitationes, & pastorum prælatorumque comminationes, permittit Deus cor obruti atque reprobo sensu obuolui.* cit. Abbas.

### *Mirabile est inter impios habitare & eorum impietate non obtenebrari.*

*Nemo vidit fratrem suum.* In illo triduo tenebrarum quibus Ægyptii inuoluebantur, luce 124
fruentibus Israelitis, vbicumque enim habitabant filii Israel, lux erat, nullus est qui non admiratione moueatur, quod caligine vniuersam Ægyptum obuoluente, luce perfunderentur Israelitæ, tenebras non sentientes vllas: & cur mirabile non esset? cum omnem superet admirationem inter impios tenebricolos degere, & lucem retinere pietatis? apposite S. Bernard. Epist. 15. *inter bonos bonum esse salutem habet, inter malos vero & laudem, illud tantæ facilitatis est, quantæ & securitatis, hoc tantæ virtutis quantæ & difficultatis, quale nempe est illud, tangere picem & non inquinari? ex ea? in igne sine læsione versari? & in tenebris absque caligine esse? palpabant quondam tenebras Ægyptii, cum tamen de populo Dei scriptura dicat, vbicumque Israel erat, & lux erat, erat Dauid verus Israelita, & ideo caute dicebat se habitare non in Cedar, sed cum habitantibus Cedar, tanquam qui semper habitaret in lumine licet ipsi fuerint cum habitantibus Cedar, vnde & arguit quosdam non veros Israelitas quod commixti inter gentes didicerunt opera eorum, & factum sit illis in scandalum.* S. Bernard.

*Non substrahitur lux diuinæ gratiæ, nisi ex demeritis.*

125 *Nemo vidit fratrem suum.* Nihilominus vbicumque Israelitæ habitabant, lux erat, nonne omnibus lux solis communis est? nonne omnibus quantum ex sese, communicat? quomodo ergo in eadem domo v. g. habitantibus Hebræis & Ægyptiis, hi tenebris densaque caligine obuoluebantur, illi autem luce? dices tenebrarum densitatem vbi habitabant Ægyptii, solis radios penetrare non potuisse, sed si luce gratiam, sicut tenebris peccatum designari diximus, quid mirum si aliquibus lux affulserit, aliis denegata? gratiæ enim substractio est ex peccatis & demeritis, quod scite animaduertit Procop. *Deus non vim facit cuiquam, vt hic in luce moretur, alter in caligine versetur, nam quamuis æqualiter omnia suo fulgore & splendore illustraret sol, attamen quidam luce potiti sunt, quidam gratiam diuinam senserunt, verum Dei iudicium inducitur & sententia pro cuiusque fertur merito, nec tamen quis credat pœnas & cætera mala originem trahere à Deo, vnicuique propter vitæ suæ institutum in malum, mala contigerunt, nam vt inquit Paulus secundum duritiem & cor, pœnitere nescium colligis tibi iram in die iræ, & reuelationis, & iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua, instar enim medici, quæ ob quandam confusionem molesta sunt exhaurit & in apertum è profundo euocat, quod quidem non fit citra dolorem, verum hi qui non peccatores erant, nullam senserunt plagam.* [Procop.]

*Nihil libidinoso tenebrosius.*

126 *Nemo vidit fratrem suum.* Quomodo eum videret si palpabiles erant in vniuersa terra Ægypti tenebræ? omnes qui hæc exponunt mysticè referunt hanc plagam ad nonum Dei præceptum de non concupiscenda muliere aliena: quid commune concupiscentiæ cum tenebris? qui enim concupiscit alienam, eam vidit, hac autem in media caligine frater fratri incognitus erat, qui concupiscit vt fruatur, quoties in illius domum vel plateam proficiscitur, vt saltem cum ea sermones misceat? his in tenebris Ægypti, nullus se mouit de loco in quo erat, &c. nihilominus merito hæc nona plaga ad nonum Dei præceptum deducitur, nihil enim libidinosis caliginosius est, *quid ergo deterius est* (ait S. Prosper part. 1. cap. 32.) *concupiscentia mala, quæ ita totam excæcat mentem, vt non tantum timorem Dei quantum etiam ipsas pœnas legum, infamemque mortem obliuioni dans, nihil in mœcho remaneat luminis quod non totum occupent ferales tenebræ.* [Prosper]

*Impijs in iudicio obuolutis tetra caligine, lux beatis affulgebit.*

127 *Nemo vidit fratrem suum.* Vt ei aliquod leuamen adferret, & in aliquo consolaretur, imo dum in mediis tenebris versarentur Ægyptij, vbicumque habitabant filii Israel, lux erat: si omnes in eadem regione morantur, omnes eandem incolunt Ægyptum, eodem etiam gaudent cœlo, cur vel omnes non eisdem obuoluuntur tenebris, vel eadem perfunduntur luce? nonne reprobi Ægyptiis, sicut prædestinati Israelitis adumbrantur? quid mirum ergo ita contigisse? impiis enim in finali iudicio, tetra obuolutis caligine, clarissima coruscabuntur luce beati, sic explicat S. Bernard. Serm. 73. in Cantic. *quemadmodum olim omni oculo caligante, per vniuersam Ægyptum solus in mediis tenebris clare videbat populus videns Deum, id est populus Israel dicente scriptura, quia vbicumque Israel erat lux, sic inter filios tenebrarum in terra mortis caligine fulgebunt iusti & videbunt, eo vtique clarius, quo exuti corporum vmbris, nam & hi qui ante non respirauerunt nec enim quæsierunt inspirantis diei lumen, & sol iustitiæ non ortus est eis, hi inquam ibunt de tenebris in tenebras densiores, vt qui in tenebris sunt tenebrescant adhuc, & qui vident videant magis*, concludit, *hæc sunt nouissima vtrorumque, extrema videlicet cæcitas, & suprema claritas.* [S. Bernard]

*Pietati hoc proprium, vt etiam in tenebris fulgeat.*

128 *Nemo vidit fratrem suum.* Nihilominus vbi habitabant filii Israel, lux erat, nonne testante sacro contextu factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti? quomodo ergo cum Ægyptum colerent Israelitæ, illa caligine densissima non obnoluuntur? dices terram Gessen liberam ab ea fuisse; sed nonne etiam plures Ægyptii in ea morabantur quibus nulla lux aderat, sed tenebræ? quomodo ergo his in illa obscuritate degentibus, claritas populo electo communicatur? rectè satisfacit S. Chrysost. hom. de cruce & latrone, *quia hoc pietatis proprium est vt in tenebris fulgeat fidelibus, nox in diem mutatur*, Dauide de eo *protestante Psal. 138. quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.* [S. Chrysost. Psal. 138.]

*Impij in hoc sæculo iam inferni pœnas sustinere videntur.*

129 *Nemo vidit fratrem suum nec mouit se de loco in quo erat*, præ nimia tenebrarum densitate, & atræ caliginis obscuritate. Sane Moyses in hac tenebrarum plaga, multa obuoluit silentio, quæ nobis Sapiens in medium adduxit, ait enim iniqui vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tecto, fugitiui perpetuo prouidentiæ iacuerunt, vincula ista compedesque denotant tantam tenebrarum densitatem quæ palparentur, *patientes horridas laruas*; namque spectra de quibus paulo post, eis maximum terrorem incutiebant, *vt cum admiratione nimia perturbati*, spectris visis, phantasmatibus conturbati, *sonitus descendens perturbabat illos*, fragor erat excitatus in aëre quale tonitru, *personæ tristes apparentes pauorem illis præstabant*, visiones tristibus mixtæ vultibus, aut laruæ truci aspectu tristes offerebantur, non in somniis duntaxat apparebant Ægyptiis phantasmata, nec tantum secundum imaginationem, vt vult Holcotius, nec non noster Bona. qui dæmonas hominesque mortuos obiectos dicit eorum imaginationi, sed in vigilia quoque & ad oculos ipsos externos, vnde hæ tenebræ horribiles vocabantur, *apparebat autem illis subitaneus ignis timore plenus*, apparebat autem solum illis spontanea pyra, vltronea, casualis, inopinata, improuisa, obiter, carptim, raptim, per transennam, in transcursu, quasi proprio impulsu, non accersita, nullius iussione. Ægyptiis præter opinionē rogus ille concitatus accedebat, aliquando monstrorū exagitabantur timore, aliquādo animæ afficiebantur traductione, impediebat [Sapient. 17.] [Holcotius. Noster Bona.]

vel obumbrabat somnum terribilis phantasmatum & monstruosa visio, aliquando animæ dissoluebantur desertione, vel per proditionem ipsius animæ, vel per derelictionē, quatenus aut ipsa se ipsam prodebat & deserebat, abiiciens cogitationes, spemque euadēdi, vt innuit Cātacuzenus, (Ioann. Cantacuz.) aut deliquiū patiebatur præ ingenti pauore, quis non diceret in his summatim perstringi horrorē inferni, & illius tormenta? (S. Chrysost.) sic enim illa pulchre & graphice describit S. Chrysost. lib. de repara. lapsi. *Nihil erit ibi nisi stridor dentium, nisi vlulatus, nisi fletus, & sera pœnitentia, cessantibus vndique auxiliis, & vndique inualescentibus pœnis, nec spectarum quidem est vsquā vllum: nihil occurret oculis nostris, nisi soli pœnarum ministri & facies dira tortorum, & quod est omnium tetrius, nec aeris quidē ipsius vllum erit solatiū, aut lucis. circumdabunt enim pœnarum loca tenebræ exteriores, & ignis ille flāmens, qui sicut naturā non habet consolandi, ita nec illuminandi: sed & ignis obscurus & flamma tenebrosa est. quis itaque clamor, quis planctus, quantus & quam flebilis vlulatus inter illos audietur, quam miserabile spectaculum, illud erit, cum & pectora pugnis, & ora vnguibus fœdantes incedent: lanіabunt capillos, percutient femora, complaudent palmas, comprimeni digitos, totis artubus, & toto corpore contremiscent: alij in terram proni cor. ruent, alij horrore attoniti rigebūt, alij lymphatico pauore acti huc illucque veluti amētes discurrent: ora pallor, corda dolor, mentem stupor, membra tremor languorque occupabunt: atque interea incessabilis immugiet gemitus, personabit planctus, obstrepet eiulantium nunquam mœstior auditus clamor.* Quomodo Ægyptij quasi iam pœnas inferni viui sustinēt? quia impij & obstinati etiā in hoc sæculo à tenebris horrore & cruciatu tartareo non sunt liberi.

*Ecclesia nulla vnquā erroris caligine obuoluta.*

*Nemo vidit fratrem suum.* Sed vbicumque filij
130. Israel habitabant, erat lux, quis nō sciscitabitur, cum Israelitæ permixti essent Ægyptiis, qui vndique tenebris ita inuoluebantur densis, vt frater à fratre non agnosceretur, an saltem aliqua obscuritate tenebātur? vix enim fieri potest vt duobus in eodem cubiculo degentibus, vnus caligine teneatur, inuoluaturque tenebris, & alter omnimodæ lucis sit particeps, nenuni dubium debet esse quin Ecclesia Catholica designetur illo populo Israelitico, vnde Catholici ab Apostolo c. 1. ad Thessal. filij lucis dicuntur. Ne mireris igitur si nulla caligo, sed lux clarissima, solū sit vbi habitant filij Israel, vt enim cohærere nō potest, (ad Thessal. 1.) nec coniungi amaritudo cum dulcedine, pluuia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum trāquillitate tempestas, ita nec minima caligo errorum cum lumine Ecclesiæ, cuius omnimodam lucem nullis permixtā tenebris professus est S. Lucius (Lucius Pap.) Papa & Martyr qui circa annum Domini 255. sic scripsit ad Galliæ & Hispaniæ Episcopos to. 1. Concil. *Hæc sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit, sed vt in exordio normam fidei Apostolicæ percepit, ab auctoribus suis Apostolorū Christi principibus illibata fide tenus manet, secundum ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, qui discipulorum suorum principi in suis fatus est Euangelijs, ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

*Dum iusti sentiunt Dei auxilium, impij ipsius contemptores deridentur.*

*Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in* 131.
*quo erat.* Sed dum t[...] præmūtur angustia Ægyptij, dum densissim[...] patiuntur caliginem, quid? an magi ab hac pressura liberi? an luce mediis in tenebris fruebātur? nequaquā, vt verum sit quod cum iusti Dei sentiūt auxilium, impij ipsius contemptores deridentur: consulatur sapiens. (Sapien. 17.) *Magicæ artis appositi erant derisus, & sapientiæ gloria correptio cum contumelia, illi enim qui promittebant timores expellere, hi ad derisum pleni timore languebant,* quæ sic noster Seraphicus doctor explicans ait, (S. Bonauen.) *deridebantur magis in hoc quod hæc mala expellere tentabant, & non poterāt, vnde & ipsi vehemēter timebant, & sapientiæ gloria id est magorum de sapientia sua correptio, cum contumelia, supple erat, id est causa correctionis contumeliosæ, vnde vbi fuerit superbia ibi contumelia.*

## *VARIETAS LECT. Vers. 24. & 25.*

*Vulg.* Vocauitque Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis, ite sacrificate Domino, oues tantum vestræ & armenta remaneant, paruuli vestri eant vobiscum.

*Sep.* Ite seruite Domino Deo vestro, tantum oues & boues relinquite, & apparatus vester eat vobiscum.

*Cald.* Seruite coram Domino, &c. familia quoque vestra eat vobiscum.

*August.* Seruite Domino Deo vestro, præter oues & boues relinquite.

*Vulg.* Ait Moyses, hostias quoque & holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro.

*Cal.* Dabis quoque in manibus nostris hostias sanctas, & holocausta, vt faciamus coram Domino Deo nostro.

*Pag.* Etiam tu dabis in manu nostra sacrificia & holocausta, quæ faciemus Domino Deo nostro.

### CONCORDIA.

Sanct. August. apposita lectione ex Græco ait valde inusitata locutio est, nisi post distinctionem subinferatur, relinquite, & subaudiatur ista, vt sit sensus, ite præter oues & boues, & relinquite ista, solet enim talis eclipsis fieri in scripturarum locutionibus: tamen si dictionem

Græcam πλὴν reddas verumtamen, non autem A præter, nihil erit in sententia obscuritatis, tunc enim dicetur, veruntamen oues & boues relinquite: quòd sequitur, *paruuli quoque vestri eant vobiscum* notandum quod paruulorũ nomine comprehendũtur ab Hebræis etiam omnis turba imbecillis, liberi, serui, & famuli, planeque etiam quæ inter sarcinas censentur, vnde & Caldaica habet, & familia vestra, quanquam latine facere sicut & Hebraice significet sacrificare, vt illud cum feciam vitulam, tamen elegantius vertit illud verbum נעשה iehasinu interpres vt sacrificemus, quanquam alij reddiderint, vt faciamus.

## EXPOSITIO.

VOcauitque Moysem & Aaron. Quomodo vocare potuit, si nemo alterum vidit, nemo se mouere potuit, hic aliqui ad faces & lucernas recurrunt, quod est contra Sapientem c. 17. & ita dicendum, hoc esse factum post discussas tenebras, quas Deus post tres dies nullo (vt aliàs) deprecante excussit, misit autem Pharao vocatum Moysen & Aaronem, non ad plagam tenebrarũ B depellendam, (nulla enim huius rei hic mẽtio) sed quod nouas plagas infligẽdas metueret, *oues, tantum vestras & armẽta relinquite*, pignoris vice ne fugiatis & non redeatis, *hostias quoque & holocausta dabis nobis*, permittis quidem vt abeamus, sed non sufficit, cum enim Deo sacrificia offerre debeamus, vt tu ipse annuis, necessariæ sunt nobis oues & armenta ad sacrificium offerendum

## CONCEPTVS.

*Iudæi ita auaritiæ dediti, vt potius seruitutem cum diuitiis ament, quam sine illis libertatem.*

132. ITe sacrificate Domino, *oues tantum vestræ remaneant*. Sic liberam discedendi facultatem omnibus Israelitis permittis? cur quæso captiuas vis retinere pecudes? nam cum Hebræis minime sunt comparãdæ? sciebat Israelitas tanto amore suarum pecudum teneri, vel certe pecuniæ ex suis pecudibus colligẽdæ, vt præoptaturi essent cum illis in seruitute remanere, quam sine illis in libertatem abire, seu cum illis Pharaoni seruire in Ægypto captiuos, quam sine illis Deo in deserto liberos sacrificare, imo existimabat si forte de Ægypto sine suis gregibus exirẽt, quamprimum in Ægyptum redituros, propensiores ad terrenas possessiones in Ægypto, quam ad cœlestes possessiones obtinendas in Palæstina: neque sua Pharaonem opinio fefellit, vt postea in Babylonica seruitute res ipsa declarauit, nam cum Cyrus Persarum rex populum Israeliticũ à diuturna tandem seruitute liberum abire permitteret, subdidit, & omnes reliqui in cunctis locis

1. Esdra. 1. vbicũquẽ habitant adiuuent eum, 1. Esdr. 1. quasi diceret, si quis Hebræorum maluerit remanere in Babylone, quam redire in Iudæam, is teneatur suis opibus adiuuare redeuntes. at quis obsecro esse poterat, qui seruitutem libertati anteferret? D & potius inter gentilitios & prophanos ritus Babylonis, quam inter sacras & diuinas leges Ierosolymæ viuere præoptaret? *Illi profecto*, inquit

Noster Lyr. Lyra, *quia amore bonorum sibi acquisitorum tenebantur*, nam ab auaris Iudæis diuitiarum amantissimis, etiam parua lucra temporalia maximis bonis cœlestibus præferuntur.

*Malum præsens futuri timore percellit.*

133. *Ite sacrificate Domino, oues tantum remaneant*. Si ita densis tenebatur Ægyptus tenebris, vt nullus proximum suum videret, nec de loco suo moueretur, quomodo ergo nuntios mittere potuit ad Aaronem & Moysem? nam caligine tenebatur Ægyptus vinuculata: dices quod finitis tribus tenebrarum diebus, lux eis afulsit, si ergo iam plaga cessauerat, cur ad eos misit nuntios? superflua enim videtur hæc legatio. nonne adhuc timor cit. Doctor. eis inerat seuerioris alicuius flagelli imminentis? en vt malum præsens futuri timore percellit? facit cit. noster Lyranus. *Vocauit non quandiu tenebræ erant, quia tunc nullus Ægyptius de loco suo mouere se potuit, sed postquam redierat lux, timebat enim de alia percussione maiori.*

*Mundani principes astutissimi.* 134.

C *Ite sacrificate Domino, oues tantum vestræ remaneant*. Cur præcipit armenta remanere? nam si permittit eis sacrificium offerre Deo, quid sibi curæ est greges non abire? aliquis opinatur non suæ mentis fuisse, vt sacrificandi causa in desertum proficiscerentur, sed experiri voluisse, vtrum totaliter ex Ægypto discedere vellent, nunquam reuersuri, sicque ex occasione ouium & armentorum eos retineret: en vt mundani principes astutissimi & oculatissimi in vtilitate? *Non dicebat hoc* (inquit Abul.) *quia intenderet Hæbreos dimittere sub hac intentione ad sacrificandum, sed volebat experiri an vellent recedere totaliter de Ægypto, vel solum ire ad sacrificandum, nam si ipsi intenderẽt ire ad sacrificandum solum, & postea redire, non multum curarent an armenta secum portarent: vel dimitterent ea in Ægypto suis pastoribus custodienda, si autem instarent Israelitæ, quod vellent secum cuncta pecora deducere, satis constabat.* Abulens.

*Qui alium apud Deum vult habere intercessorem, de suo aliquid adiiciat.*

*Ite sacrificate Domino, oues tantum vestræ remaneant*. Renuit oblatis acquiescere, sed ait, *Hostias quoque & holocausta dabis nobis*, quid? negat tibi oues proprias & armenta, & ab eo hostias in sacrificium Deo tuo offerendas postulas? quidni? nonne à Moyse enixe petierat, vt pro sua incolumitate Deum deprecaretur? hostias ergo pro sacrificio tribuat, qui enim alium apud Deum vult habere intercessorem, de suo aliquid adiicere debet: mens est Abul. *Quia non solum de peccatis* 135. cit. Episcop.

*nostris hostias immolare debemus, sed etiam tu qui vis, vt pro te Deum rogemus, debes dare nobis hostias, id est pecora quæ offeramus Deo in holocaustum pro te.*

*Amentorum amissionem lethale accipiat ictus vulnus.*

### *Impij nec vexati volunt cessare à iustorum oppressione.*

136. *Ite sacrificate Domino, oues tantum remaneant.* Quot flagellis cæsi? quot plagis afflicti? quos nō pertulistis cruciatus? quas non sustinuistis angustias, vt populo Israel liberè à vobis daretur ab Ægypto discessus? cur ergo denuo noua vultis experiri flagella retinentes armenta populi Israel? quia impij etiam vexati à iustorum oppressione cessare minime valent: animaut Iosephus lib. 2. Antiq. c. 5. *Tandem Hebræis pueros etiam vna cum mulieribus concedit, sed iussit, vt sua Ægyptiis tanquam prædam relinquerent, eoquod ex ipsorum bonis, nihil post tot calamitates superesse conquerebantur.* Iosephus.

### *Impius volens pauca largiri, cogitur deinde plura.* 138.

*Ite sacrificate Domino, oues tantum remaneant.* Renuit sub hac conditione Moyses Ægyptum cum suis relinquere, imo audacter ab eo petit pro sacrificio hostias & holocausta: quid ais Moyses? ecce tibi quod tuum est, negat, & quod suum est postulas, hostias & holocausta ab eo vis exigere, cum oues & armenta tua vult retinere? nonne alienus a mente videretur, qui cum sua à potentissimo bona eriperentur, vellet ab eo illius facultates petere? ne à mente alienum dixeris Moysem, sed sapientissimum. *Sæt enim* (inquit Oleast.) *quod in malum impios sequitur, nempe quoniam volunt dare parua, coguntur præstare magna.* Oleast.

### *Afflictio non tolerabilis in patrefamilias, si bonis spolietur cum filiis superstitibus.*

137. *Ite sacrificate Domino, oues tantum vestræ remaneant, & armenta.* Permittit vxores cū filiis abire liberas, dummodo oues & armenta, quorū possessio, diuitiæ antiquorum erant maneāt, nonne eis maximam præstitisse gratiam dices, Pharaonem? quid enim optabilius misero qui dura à pluribus annis, seruitute premitur quam toties concupita frui libertate? ecce liberos sinit ab ire, dummodo oues & armenta remaneant; sed ne gratiam eis præstitisse dixeris, cum permittit illos filiorum examinibus plenos abire, sed sine ouibus, sine armentis, in quibus tota illorum cōsistebat substantia, nihil enim crudelius excogitare potuit immanissimus hostis, quam cum illos cum innumera filiorum multitudine esse iuber, & sine vlla rerum substantia: quod ponderat S. Chrysost. hom. 1. in Iob. de astu & malitia infensissimi humani generis hostis, qui Iobo prius oues, asinos, camelos, & segetes ademit, quam filios, ait ergo. *Primum cœpit substantiam perdere, primum cœpit hæreditaria bona hæredibus arripere, quo filiis filiabusque existentibus per in-* Chrysost.

### *Iustus ita inimicorum amator, vt etiam nihil petentibus benefaciat.* 139.

*Ite sacrificate Domino, oues tantum remaneant.* Hoc dixit Moysi Pharao, postquam eum accersiuit, non autem petit cessationem tenebrarum, vt supra grandinis & locustarum, ex quo datur intelligi, (vt vidimus) tenebras post triduum Dei voluntate dissipatas, & clarescente die, & Ægypto, è tenebris in quibus sepulta iacuerat, emergente, misisse legationem, non enim Moyses euocatus ad tenebrarum expulsionem, sed ad maius aliquod malum vitandum: licet enim tam sæua calamitate iam perfunctus esset, merito timere debuit, ne post tot tātasque plagas, quibus vniuersa regio misere deformata fuerat, superueniat, denique aliqua clades quæ cū fūditus cū omnibus suis perderet, vt exitus ipse docuit. sed cuius meritis de pulsæ huiusmodi fuere tenebræ? sane Moysis, at si Pharao eum non est deprecatus pro tenebrarum expulsionē, cur petiit Moyses à Deo hanc gratiam? quia iustus ita inimicorum amator, vt etiam iis nihil petentibus, benefaciat: non alienus ab hac veritate Philo lib. 1. de vita Moysis *Moses, inquit, miseratione motus Deum exorauit, eumdem mumsuccessit lux tenebris, & noctis dies serenissima.* Philo.



## *VARIETAS LECT. Vers. 26. & 27.*

*Vulg.* Cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula, quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri, præsertim cum ignoremus quid immolari debeat, donec ad ipsum locum perueniamus.

*Sep.* De ipsis sumemus ad seruiendum Domino Deo nostro, nos autem nescimus quid seruituri sumus Domino Deo, donec nos venerimus illuc.

*Cald.* Non dimittemus quidquam, quoniam ex eis debemus accipere, vt seruiamus coram Domino.

*Vulg.* Indurauit autem Dominus cor Pharaonis & noluit dimittere eos.

*Pagn.* Roborauit Dominus cor Pharaonis & noluit dimittere eos.

## *CONCORDIA.*

Hunc vulgatem modum loquendi, nec remanebit ex eis vngula. Caldæus optime declarauit dicens, non dimittemus quidquam; alij cum Vulg. in omnibus conueniunt.

## EXPOSITIO.

*Cunctis greges pergent nobiscum.* Hic grex sumitur non solū pro multitudine ouium, caprarum, &c. sed etiam pro armentis, quæ camelos, boues & c. denotant, *non remanebit ex eis vngula,* prouerbialiter dictum, hoc est ne minima quidem ex ouibus, *cum ignoremus quid immolari debeat,* ex indiuiduis pecorum, *indurauit Dominus cor Pharaonis,* non dando ei gratiam mollientem, quam toties demeritus erat Pharao, vnde hoc capite post tot plagas, scriptura dicit quod Deus Pharaonem indurauit, vt significet indurationem eius fuisse pœnam peccati.

## CONCEPTVS.

### *In peccatorum fuga, nihil pignoris relinque, quo ad ea reuertaris.*

140. *Cunctis greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula.* Quid libertate optabilius? cur ergo non dico pro vngula, sed nec pro gregibus, imo nec pro armentis illius iactura facienda? tibi permittitur liber ab Ægypto discessus, nec non etiam omnibus Israelitis: non hac cōditione accepta vt aliquid ex pecoribus nostris remaneat discedere volumus, nō enim ex eis in Ægypto remanebit vngula, quid hoc adumbrat? sane quod qui ab Ægypto id est à peccato vult recedere, nihil apud peccatum debet relinquere, neque se solum, sed omnia sua ab eius potestate auferre, si enim pedē, manum, oculū, & cætera membra, arma peccato tradidisti, cum ab eo media Dei gratia recedis, omnia tecū referre debes, itaut nec vngulam apud illud relinquas, hoc enim habet peccati proprium, ne apud illud, pignus deseras, cuius semper tibi sit memoria. nonne vidisti adulteram post adulteri recessum apud se monile eius detinere, vt recedentem possit apud se detinere? quam bene S. Cyrill. Alex. lib. 1. de adoratione. *Oportet* (inquit) *vt qui in veram se libertatem asserere velint, studeant à malis abscedere, & semitam ingredi, quæ ad virtutes ducit, nullasque omnino aut animæ aut mentis reliquias dimittere, per quas iterum sub diaboli dominatum redigantur.* S. Cyrillus.

### *Quam exiguis, Deo seruimus, maxima nobis conferenti.*

141. *Cunctis greges pergent nobiscum, cum ignoremus quid immolari debeat,* Cald. *quoniam ex eis debemus accipere vt seruiamus coram Domino.* Quibus Deo seruietis? sane pecoribus, quæ autē tibi Deus largitur? sane maxima, nec mirum, tantæ enim Deus est bonitatis, vt licet exiguis ei obsequamur, maxima tamen nobis conferat. *Considera quæso* (inquit Oleast.) *quibus homo seruit & colit Deum suū, & quibus ipse nobis seruiat, tu seruis ei pecudibus, ille vero tibi cœlo, sole, luna, stellis, terra, & omnibus quæ in eis sunt.* Oleast.

### *Dei voluntatem etiam in eius obsequio expectare debemus.*

142. *Cunctis greges pergent nobiscum, cum ignoremus quid immolari debeat,* ex Hebræo & Sept. *nos nescimus quid vel quibus seruituri simus Domino.* Nonne in vestra situm est libertate, ea quæ libuerit, Deo offerre? eligite pecora, quæ in holocaustum Deo offerenda sunt: merito respondet Moyses, quibus Deo obsequium præstiturus est Israel, Dei enim voluntas etiam in iis quibus ei seruire debemus, expectanda vel tentanda est. fauet cit. Lusit. *Non debemus seruire Domino, quo volumus nos, sed quibus voluerit ipse, habemus enim cum Deo nostro quemadmodum Dominus cum filio ancillæ, cui non satisfacit his quibus satisfacere vellet, sed quibus voluerit ipse Dominus, si enim album panem petat, nigrum porrigit, quia illum non diligit, filium vero suum plorantem non sic, non enim quæ ille respuit, aut quæ volumus nos offerimus illi, sed quæ desiderauerit ipse, & hoc quia amore illum prosequitur: sic qui Deum diligunt, ea illi offerunt quæ desiderat ipse, aut dari sibi præcipit: impij vero non quæ ipse concupiscit, sed quæ illi volunt, ei administrant.* Lusitanus.

### *Gratus animus aliquid semper seruat ad gratias Deo non solum ore sed, & opere agendas.*

*Cunctis greges pergent nobiscum nec remanebit ex eis vngula.* Constat autem egressos ex Ægypto, cum suis pecoribus inferius, enim dictum est eis à Pharaone, surgite, egredimini à populo meo, oues vestras & armenta assumite, vt petieratis, ab exitu vero ab Ægypto vsquequo carnes optauerunt, triginta tantum dies intercesserunt, vt constat ex sacra pagina Exod. 16. eo tempore comederunt alimenta, quæ ex Ægypto asportauerant, testibus Lippom. & Caiet. & nihil adhuc attigerant ex pecoribus quæ secum detulerant; cur ergo pro carnibus clamantes conuenerunt Moysen, cum eis ad manus haberent? alio rem alij vertunt, & ingratitudinem Israelitarum ibi arguunt. cæterum August. q. v. 2. in Exod q. v. 2. in Exod. dixit propterea desiderasse eos carnes, & pecoribus pepercisse, ne omnibus deficientibus, etiam sacrificiis necessaria defuissent & lib. 1. contra aduers. legis & Prophet. cap. 18. probat sacrificium præstare omnibus obsequiis, quæ diuinitati exhibentur, inter sacrificia autem laudis sacrificium esse præstantissimum, Deoque acceptissimum. sic enim ait, *non est autem sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum.* Vt igitur de acceptis iam beneficiis per eremum, ad promissam terram filij Israel graderentur, iugiter Deo sacrificare gratiasque reddere conabantur, & propterea Ægyptiorum carnes exoptantes, proprius parcebant pecoribus. S. Augustin.

### *Animus non diuidendus.*

*Cunctis greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula.* Pergent tecum oues & armenta, quid 143.

detrimenti si aliqua eorum vngula remaneat in Ægypto, tecum pergentibus gregibus cum filiis & vxoribus, nequaquam annuit, sed nec vngulam vult in ea remanere & merito, hoc enim denotatur non dimidiendum esse nostrum animū in Dei obsequio, ita ut partem ei offeramus, partem
Theodor. autem mundo. quod optime annotat Theodor. quæst. 1. in Leuiticum, vbi alludēs ad sacrificium Abrahæ, de quo dicitur, aues minime diuisisse, & ad præceptum Leuit. de non secandis aut diuidendis auibus ait. *Quemadmodum Patriarcha volatilia non diuisit, ita nec legislator ea iubet diuidi, nam qui volant, Deum ex toto corde diligentes, non partiuntur animum, collocantes illum tum in terrenis, tum in cœlestibus sed totum illum sursum ferunt.*

*Qui spernit modica, paulatim decidet.*

144. *Cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula,* quid magis modicum quam vngula? quid minoris est vtilitatis? quid tibi ergo curæ est si remaneat, dummodo libertas concedatur? nec vngula remanere debet in Ægypto, nec dicendum, vngula quid est? parum refert, si
Eccles. 19. remaneat. audi Eccles. cap. 19. *Qui spernit modicum paulatim decidet,* modica enim virtutis impedimenta cauenda sunt, ne paulatim in mundi va-
S. Anselm. nitatem decidamus, D. Ansel. in Epist. quam misit ad monachos Castrenses. *Deficere* (inquit) *non est nisi ex nostra negligentia quæ sæpissime incipit à minimis, in quibus nos callidus hostis solet decipere, cum nobis persuadeat ea non magni pendere.*

*Operum Dei voluntas æquissima regula.*

145. *Cuncti greges pergent nobiscum.* Nec vngula quidem remanebit, nec cum hac conditione voluit Pharao dimittere populū Israel, licet Moyses addidisset, quod ideo secum armenta & greges educere vellet, ignorans quæ immolaturus esset: nemini dubium est quin hæc Moyses dixerit veritatem subticens de reditu in Ægyptum, suæ enim mentis non erat nisi ad terram promissionis proficisci. sed cum Deus aliter populum Israel educere posset, nudam proponens Pharaoni veritatem, cur eum tantis angustiis & laboribus probat? nam frustra fiunt per plura quæ æque bene possunt fieri per pauciora: hæc ratio tenet in humanis non in diuinis, nam Deo omnes modi agēdi æqualiter sunt possibiles, quia æque illi facile creare cœlos, quam mouere lapidem, & omnia quæ per annorum curricula disposuit, in vno instanti operari potuisset. Dic ergo Dei operum non nostrum iudicium, sed suam rectissimam voluntatem regulam esse. vnde hic recte
Abulens. Abulens. *Quid cogebat Deum per tot plagas Ægyptios infligere, per tot Moysi & Hebræorum angustias & veritatis suppressionem, Hebræos ab Ægyptiis liberare, cum potuisset sine vlla plaga educere eos, imo consentiente Pharaone? sufficit dicere factum esse quia sic Deus voluit.* vnde recte Boetius de Consol. lib. 4.
Boetius. prosa. 4. *tu quamuis causam diuinæ operationis ignores, tamen quoniam bonus mundum rector temperat, recte fieri cuncta ne dubites.*

*Quandiu vel modice hæremus mundo, conatur diabolus ad eum nos reducere.*

146. *Cuncti greges pergent nobiscum, nec remanebit ex*

A *eis vngula.* Non vult Moyses ea quæ ad Israelitas pertinent in Ægypto, sub Pharaonis imperio remanere, ne aliquando Israelitis exprobret, se aliqua eorum bona præ manibus habere. sed quænam iactantia, ouiculam vel bouis vngulā habere? si Pharaone diabolum intelligimus, sicut mundum Ægypto non immerito sed sapientissime iudicauit Moyses nihil omnino in Ægypto relinquendum, quia quandiu vel modicè solum mundo adhæremus, conatur diabolus nos ad eum reducere. *Circuit enim vos singulos obseruat* Cyprian. serm. de zelo & liuore, *& tanquam hostis* S. Cyprian. *clausos obsidens muros explorat, ac tentat, an sit aliqua pars membrorum minus stabilis, & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur, offert oculis formas illices, & faciles voluptates vt visu*
B *destruat castitatem aures per canorum musicam tentat, vt sonus dulcioris auditu soluat & molliat Christiani vigorem: linguam prouocat ad conuitium, manus iniuriis lacessentibus: ad petulantiam cordis instigat, vt fraudatorem faciat, lucra opponit iniusta: vt animam pecunia capiat, ingerit perniciosa compendia: honores terrenos promittit vt cœlestes adimat: ostendit falsa vt vera surripiat, & cum latenter non potest fallere, aperte minatur terrorem, persecutiones intentans ad debellandos Dei seruos, inquietus semper & semper infestus, in pace subdolus, in persecutione violentus.*

*Fini hominis vltimo præcipue insidiatur diabolus.*

*Cuncti greges pergent nobiscum, nec remanebit ex* 147.
*eis vngula.* Cur tunc Moyses saltem vngulam
C in Ægypto superesse? nam quid ea vilius & abiectius? nonne vngulā quæ est extremitas animalis, vltimam vitæ nostræ periodum intelligere possumus? quid mirum igitur, si in mundo in quo dominatur tartareus Pharao, non solum armenta vel gregos, sed nec minimam vult vngulam remanere? quia vt bene Stephanus in alle- Stephanus. goriis Tilmani, super hoc cap. Exodi. *Vngula id est, extremitas quia diabolus semper insidiatur calcaneo, id est fini hominis.*

*Consortium impiorum quam piis nociuum.*

*Cuncti greges pergent nobiscum, præsertim cum* 148.
*ignoremus quid immolari debeat.* Quid Moyses? an ita immemor vel potius populus Israel diuini cultus, vt sub ignorantia cadat, ex quibus animalibus Deo sacrificium offerri debeat? quas victi-
D mas & holocausta fieri? nonne mundorum est adhuc ei cognitio, vt in eorum non erres electione? sed audiamus Theodoretum in Catena Græ- Theodor. ca. *Quid mirum si tandiu versati inter Ægyptiorum superstitiones Hebræi suos ritus erant obliti?* En vt impiorum consortium pus maxime nociuum, cum obliuionem eorum quæ sunt diuini cultus, inducat.

*Obedientia ne sit dimidiata.*

*Cuncti greges pergent nobiscum.* Nonne sufficit 149.
post tot flagella impetrasse libertatem ab Ægypto discedendi, vt in deserto sacrificium Deo offeratur? cur ergo totus es in gregibus & armentis tecum deferendis: nonne vobis sunt pecuniæ,

Seraphinus

quibus ea comparare valeatis? *pergent nobiscum greges & armenta.* Quia Deus non solum præcipit vt abeamus, sed vt nostra nobiscum deferamus, vt non dimidiatè sed totaliter obtemperandum esse sciamus: hinc rectè Seraphinus conclus. 2. *Pharao* (inquit) *vult dimittere populum vel vt sacrificent Deo in Ægypto, cum hoc ne longius abeant,* A *vel dimittere tantum viros, & non auditur à Moyse, imo iterum flagellatur, quare? quia Deus præceperat de toto populo cum hostiis in desertum dimittendo, Pharao totum hoc præceptum implere nolebat, sed pro illo tantum quod sibi videbatur, & ita limitabat præceptum, quasi hoc esset in sua potestate.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 28. & 29.*

V*Vlg.* Dixitque Pharao ad Moysen, recede à me, & caue ne vltra videas faciem meam, quacumque die apparueris mihi, morieris.

*Sep.* Discede à me, attende tibi vltra apponere videre faciem meam.

*Cald.* Quocunque enim die videns faciem meam, morieris.

*Vulg.* Respondítque Moyses ita fiet, vt locutus es, non videbo faciem tuam.

*Sep.* Dixisti non apparebo tibi vltra in faciem.

B *Cald.* Rectè locutus es, non addam vltra videre faciem tuam.

*Pag.* Rectum locutus es.

---

## *CONCORDIA.*

HVnc Hebraismum non addam vltra videre faciem tuam rectè reddidit noster interpres non videbo vltra faciem tuam, sic enim elegantius vertitur phrasis Hæbraica.

---

## EXPOSITIO.

R*Ecede à me & caue ne vltra videas faciem meam.* Vt ex parte Dei significes dimittendum populum Israel, *quocunque die apparueris,* ad annuntianda flagella, *morieris* mandato meo, *ita* C *fiet vt locutus es,* non te conueniam, *& non videbo vltra faciem tuam,* intellige sponte & non vocatus, nam vocatus semel adhuc vidit Pharaonem.

---

## CONCEPTVS.

### *Iustus etiam principibus impiis terrorem incutit.*

150. R*Ecede à me & caue ne vltra videas faciem meam.* Cui cum non præcipis interfici? nam quis princeps in regno suo, sentiens se & populum suum variis affici flagellis, ab aliquo priuato homine, nonne ei mortem inferret, vt liber & incolumis euaderet? cur igitur Mosen quasi seditionem concitantem, vltimo non plectit supplicio? quis Moyses? sane vir maximæ sanctitatis atque erga Deum & eius mandata obedientiæ eximiæ: ne discutias cur tot mirabilia in Ægypti punitionem operans, à Pharaone non interficiatur, iustus enim etiam impiis principibus formidabi- D

Lippom. lis apparet. sic Episcop. Metonensis. *Quiambulat in mandatis Domini, eum facit Deus aduersariis suis & hostibus suis tam terribilem, vt vix contra mutire audeant: sic immisit Dominus terrorem & formidinem in populos qui habitant sub omni cœlo, quando Israelitæ proficisc ebantur ad terram Chanaan Deuter. 2. & si igitur haberet Moyses Pharaonem infensissimum, tam terribilis tamen factus est ei, vt nequaquam ausus fuerit ferro in ipsum grassari.*

### *Obstinatus amentissimus.*

151. *Recede à me caue ne vltra videas faciem meam.* Aliàs vltimo te afficiam supplicio, quid? nonne pluries eum deprecatus es pro incolumitate tua? nonne multa posse apud Deum pro amouendis ab Ægypto flagellis [illegible] cessus est? cur ergo ei mortem minaris, cum tibi compertum esse deberet, quod qui alteri vitam conseruat, potens est se immunem à morte seruare? hæc non attendit mente obstinatus, cum sit ingratissimus & amentissimus. *Miserande* (exclamat Abul.) *& miserabilis* Abulens.
*Pharao, stultus furor te exagitat: nunquid ex præcedentibus castigatus non euasisti, vt disceres timere verbum Domini, & obedire voci eius? tu enim mortem comminaris ei quem toties pro vita exorasti, insanis valde & longe aliter quam existimas tibi est euenturum, atque pro tanta duritie caput tuum demersura in breui extrema calamitas.*

### *Ita peruersus est peccator, vt pro præmio admonitionis, mortem minetur.*

152. *Recede à me, caue ne vltra videas faciem meam.* Adhuc ex parte Dei aliquid annuntiaturus, aliàs quocunque die apparueris morte morieris. quid? nonne ad obedientiam Deo præstandã te monet? nonne persuadet vt vnicuique quod suum est reddens, liberum dimittas populum Israel? nõne te sollicitat vt à flagellis Dei capiti tuo imminẽtibus, immunis euadere velis? quid? nonne rectissima tibi consulit? cur ergo cum summo affectu amplecti deberes, gratiamque rependere, mortem minaris? quia ita peruersus est peccator, vt pro præmio rectæ admonitionis, mortem minetur.

tur, *Ecce premium admonentis peccatorem*. (inquit Oleast.) *recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.*

*Timendi sunt iusti cum peccatoribus irascuntur.*

153 *Recede à me, caue ne vltra videas faciem meam, respondit ait, ita fiet, vt locutus es*, quasi imprecans Pharaoni malum quod ipse sibi volebat, ne amplius placabilis in regiã Propheta veniret, quid ô Pharao, an infensus tibi fuit Moyses? imo propitius, cum pluries eum accerseris depellendæ vel grandinis, vel ranarum, vel alterius flagelli gratiâ? cur ergo eum iterũm in tuum non vis admittere conspectum? extrema sane tibi eueniet calamitas, nam dixit Moyses, ita fiet vt locutus es, quasi diceret, tibi propitius fui, de cætero tibi imprecor, quod in votis habes meam absentiam, qua obtenta misere & finaliter peribis, en vt timendi iusti cum peccatoribus iuste irascuntur? teste Diuo Athanasio apud Anastas. Nicen. quæst. 25. *Vides quemadmodum Deus suos honorat famulos, exaudit preces eorum, & execrationem, facit enim eorum voluntatem & exaudit eorum orationem, sancti ergo bonis quidem hominibus & piis sunt luminaria, & salutares, vt Dominus dicit ad eos vos estis lux mundi, & sal terræ, sceleratis autem & impiis exitiosi & conciliantes supplicia sicut sol sanos quidẽ oculos illuminat, imbecilles autem obscurat & facit caligare.*

Athanasius. Nicenus.

*Libere loquentem pluries non audit princeps nisi moleste.*

154 *Recede à me, caue ne vltra videas faciem meam.* Aliàs vltimo te afficiam supplicio, quid? benefactorem tuum morte damnabis? quomodo tanta æstuans ira, vt in recta suggerentem velis animaduertere? repende beneficium, mercedem tribue, qua de causa igitur tuam interdicis ei præsentiam? aduerte ex Iosepho quod discussis post tres dies & totidem noctes tenebris, cum nondum flecteretur Pharao, vt liberum exitum permitteret, his verbis eum Moyses aggressus est, quousque repugnabis Dei volũtati, qui omnino vult ac iubet Hebræos dimitti, nec aliud est præter hoc remediũ aduersus mala, quibus affligimini? quid pro hac admonitione? nonne deberes saltem ei referre gratias? nonne tibi recta consulit? ita sane, sed ait Iosephus, *Rex irate ferens hanc dicendi libertatem, minatus est, eum capite plectendum, si post de hac re molestus esse pergeret*, en vt principes plures ferre non possunt libere loquentem licet recta consulat.

Iosephus.

*Iratus omne quod furor suggerit, rectum putat.*

155 *Recede à me, caue ne vltra videas faciem meam, ita fiet vt locutus es.* Pagni. ex Hebræo, rectum locutus es, quasi diceret, recta tibi videtur loquutus, quid ais Moyses? nonne maximæ arguendus est amentiæ, imo non vulgaris immanitatis, cum liberatori suo mortem minetur? an rectum est iusto præsentiam suam interdicere? an rectum virum sanctissimum habere contemptui? ita arbitratur iratus Pharao. *Nam*, vt optimè D. Greg. Mag. lib. 5. moral. c. 30 *dum perturbata mens iudicium sibi rationis exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat*, Vnde recte sic nos admonet D. Amb. lib. 1. offic. c. 21. *caueatur iracundia, aut si caueri non potest, cõhibeatur, mala enim lex peccati indignatio, quæ ita animum perturbat, vt rationi non relinquat locum, primum igitur est si fieri potest, vt morum tranquillitas vsu quodam affectionis proposito in naturam vertatur, deinde quoniam ita plerumque motus inferioris est naturæ, ac moribus euelli atque euitari non queat, si prouideri potuerit ratione reprimatur, aut si prius occupatus fuerit animus ab indignatione, quam consilio prospici ac prouideri potuerit ne occuparetur, meditare quomodo animi tui motum vincas, iracundiam temperes, vt illud apostoli obserues ita scribentis, nolite esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes &c. sed date locum iræ.*

D. Gregor. Mag.
D. Ambros.

*Mali sua mala sibi moliuntur.*

156 *Recede à me, caue ne vltra videas faciem meam, respondit ita fiet vt locutus es.* Scimus Moysen pro Pharaone coram Deo preces fudisse, à pœnis & flagellis eum eruisse, monita vitæ sæpius illi inculcasse, signa pro eius conuersione plura perpetrasse, & forte Deus propter præsentiam Moysis, Pharaonẽ non interfecit, quid eo absente ei contigit? primogenitorum totius Ægypti interitus, imo & propria in mari rubro submersio, quis tot malorum, si Pharaoni origo? sane ipsemet sibi hæc omnia adsciuit, cum à se virum sanctissimũ remouit, testis sit Seraphinus conclus. 3. *Vide quanto desiderio atque conatu Pharao Moysen à se remoueat: & hinc agnosces quam inexcusabiles sint mali si damnãtur, vel si mala eis eueniant, hinc quoque agnosce quod non tantum perditio ex ipsis est, sed etiam magno conamine sui perditionem licet ignorantes inquirunt.*

Seraphin.



# CAPVT VNDECIMVM.

## SYNOPSIS.

Vltima plaga Pharaoni danda, quæ eſt mors primogenitorum Ægypti, à Domino prædicitur, ei indicit vt moneat Iudæos aurea argenteaue vaſa poſtulare à vicinis ſuis, ſpoliatio tamen hæc non ante ſed poſt ſtragem primogenitorum peracta eſt.



### *VARIETAS LECT. Verſ. 1. & 2.*



*Vlg.* Et dixit Dominus ad A Moyſen, adhuc vna plaga tangam Pharaonem & Ægyptum, & poſt hæc dimittet vos, & exire compellet.

*Sept.* Adhuc vnam plagam inducam ſuper Pharaonem, & ſuper Ægyptum, & poſt hæc dimittet v·s hinc, cum autem dimiſerit vos, omnino eiiciet vos eiectione.

*Cald.* Cumque dimiſerit, omnino proiiciet v·ces hinc.

*Pagni.* Expellendo expellet vos hinc.

*Vulg.* Dices ergo omni plebi, vt poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua, vaſa argentea, & aurea.

*Sept.* Loquere ergo ſecreto in aures populi, & petat vnuſquiſque à proximo vaſa argentea, aurea, & veſtem.

*Burgen.* Loquere nunc in auribus populi.

*Auguſt.* Petat à concellaria ſua.

*Aly.* A contubernali ſua.

### *CONCORDIA.*

HAbemus, *exire compellet*, ſed Hebraicè eſt, B כשלחו כלה גרש יגרש אתכם מזה cheſallecho cala gares, vegares etchem mize, quod varie redditur, cumque ille emiſerit, perfectè, vel expellendo expellet vos, alij legunt, eiiciet vos eiectione, ſed ſane omnium idem eſt ſenſus, cum noſtro vulgato, hanc Phraſim Hebraicam, דבר נא באזני העם dabber nabeazne haham, loquere vel dic nunc in auribus populi, hanc Phraſim inquam ait Eugub. eleganter vertit noſter interpres per hæc verba, dices omni populo, neque aliud indicat Hebræ. quam quod ipſe reddidit, non enim loqui in auribus ſignificat latenter, & in auriculam loqui, vt innuunt Septuaginta λάλησον οὖν κρυφῇ, loquere igitur clam, ſubiungit idem Eugubinus addidiſſe Septuag. otioſè εἰς τὰ ὤτα in aures, nec non καὶ ἱματισμὸν, & ſane probabile eſt omnino veſtes pretioſas ac tapetia, omnemque pretioſam ſuppellectilem petiiſſe, quia videmus Iudæos etiam hæc poſtea ad conſtructionem tabernaculi, dediſſe, imo ita factum narratur apertè capite ſequenti.

## EXPOSITIO.

*Dixit Dominus ad Moysen.* Hæc reuelatio facta est Moysi eo ipso tempore, quo erat apud Pharaonem, & comminatio quæ deinde sequitur, facta est à Moyse priusquam à Pharaone recederet, cum tamen in fine capitis præcedentis, videatur à Pharaone exclusus & repulsus, statim recessisse, *adhuc vna plaga tangam Pharaonem,* vtitur sacra scriptura, non raro verbo tangendi in plagis etiam, cum de Deo loquitur per anteopologiam, *& post hæc dimittet vos,* scilicet perfectè, nullam rem excipiens vt hactenus fecit, sed oues, & omnia vestra vobiscum plene dimittet, *& exire compellet,* primogenitorum cæde attonitus, *dices* A *ergo omni plebi*, licet in ista reuelatione dixisset Moysi, vt præciperet populo mutuare vasa aurea & argentea ab Ægyptiis, prius tamen annuntiauit Moysi mortem primogenitorum, *Postulet vir ab amico suo, & mulier a vicina sua vasa aurea & argentea*, per speciem scilicet commodati, ad sacrificia, & diuinam solemnitatem peragendam, tantum enim hactenus indicauit se ad sacrificandum in deserto procedere velle, sed reuera vt ea Deo ipsis donante, qui rerum omnium altissimum habet dominium, secum asportarent.

## CONCEPTVS.

*Prius peccans & præcipue, prius & magis puniatur.*

1 *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem & Ægyptum.* Scilicet morte primogenitorum, cur non ait Deus, tangam Ægyptum & Pharaonem, non autem è contra? nemini dubium est quin prius & præcipue Pharao peccauerit, non solum dira tyrannide populum Israël opprimés, sed etiam Dei mandato obedire renuens, mortem etiam primogeniti sui grauius sensisse quam quemlibet ex suis subditis, hæres enim regni longe maioris æstimationis est, quam quilibet alius particularis: optimus ergo ordo à Deo seruatur, dicente tangam Pharaonem, deinde Ægyptum, quia prius peccans & præcipue, prius & grauius est puniendus: hoc obseruat noster Lyranus, *Tangam principaliter Regem quia principalis fuit in peccando, & populum secundario, quia peccauit Regi consentiendo.*

Noster Lyranus.

*Etiam fidelis amicitiam cum infideli contrahere potest.*

2 *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, &c. sed postulet vir ab amico suo vasa aurea, & argentea.* Postulet inquam quilibet ex populo meo ab amico suo Ægyptio, quid? an amicitiam contraxerat populus fidelis cum infideli, vnius Dei cultor cum idololatra? quæ communicatio iusti cum Belial? nihilominus ait quod vir Israëlita petat ab amico suo Ægyptio, quod tamen prohibitum fuisse non lego, ex quo deducere possumus fidelem contrahere posse amicitiam cum infideli, dummodo animæ suæ detrimentum non patiatur: non dissentit noster Lyranus, *viri qui per terras decurrunt, etiam amicitiam contrahunt in longinquis regionibus.*

Cit. Doct.

*Pœnæ magnitudo ad id nos compellit, quod nolumus sine ea efficere.*

3 *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, & post hæc dimittet vos, & exire compellet.* Quomodo compellet, si toties monitus renuit liberum dis- B cessum? quot enim seuerissima sensit flagella, & nihilominus mente obstinatissimus mansit, nolens populum dimittere? ita sane, sed pœnæ magnitudo ad id nos coacte compellit quod noluimus sine ea efficere, *Nō solū permittet vos recedere* (inquit Abul.) *sicut petebatis, sed etiam ipse compellet vos exire, tanta enim amaritudo pœnæ & timor maioris mali, vt quando viderint Ægyptij in qualibet domo mortuos aliquos, putabunt quod omnes morientur, nisi recesserint Hebræi.*

Abulens.

*Dei mandatum præferendum est cuilibet hominum amicitiæ.*

C *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, sed postulet vir ab amico suo Ægyptio vasa aurea & argentea.* Sub prætextu scilicet commodati, ad sacrificia & diuinam solemnitatem peragendam, sed reuera vt ea quilibet secum asportaret: nonne ab amico ea mutuari debebant? cum autem amicitiæ leges sint sanctæ, & eas sine scelere violare non liceat, quomodo Israëlita Dei mandatis obediet, præcipientis vt vasa ab amico mutuet, nunquam redditurus? quia amicitiæ hominum Dei mandatum omnino præferendum est, cum ipse præ omnibus sit diligendus. *Quemadmodum enim in fornace Babylonis*, inquit Diuus Chrysostomus hom. 2. ad Philipp. *Cum tam ingens flamma ferretur in altum, tantum beatis pueris ros erat, sic* D *amicitia diligentis ac Deo placentis, animum occupans omne abigit aliud incendium.* nempe aliam amicitiam, cum stare non potest cum Dei mandato. 4

D. Chrysost.

*Etiam aliquando reuelationes diuinæ fiunt iustis coram hominibus impiis.*

*Adhuc vna plaga tangam Pharaonem.* Priusquam Moyses aulam Pharaonis egressus fuisset, & decreuisset Deus adhuc vna plaga Ægyptios cogere ad dimittendum populum Israël, 5

iussit Moysem edicere populo, vt vasa aurea & argentea ab Ægyptiis postularent, prædicare etiam Pharaoni omnium primogenitorum tam animalium quam hominum mortem: sed non leue mihi facessit negotium, quod Deus Mosi in aula regia & prophana existenti apparuerit, nam si diximus Mosen ab ea discessisse, cum Deum deprecaturus esset propter idololatras in ea existentes: quomodo ergo Deus ei sua arcana aperiet eisdem manentibus in ea? sed scias velim aliquando diuinas reuelationes fieri sanctis patribus, etiam coram hominibus malis, constat de veridico Dei Propheta Michæa, coram Achab rege Israël, qui quamuis esset in aula impia, vidit tamen Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris & à sinistris, sibique dicentem, quis decipiet Achab Regem Israël, vt ascendat & cadat
3.Reg.vlt. in Ramoth Galaad. 3. Reg. vlt. & de Ezechiele sanctissimo vate, ad quem cum venissent quidam seniorum Israël, sedissentque coram Propheta, & causam aduentus sui tacuissent, statim sermo Dei factus est ad eum, indicans ipsos peruerso corde venisse, vbique enim Deus voluntatem suam seruis suis manifestare potest, etiamsi sint in medio omnium funestissimorum hominum.

*Deus semper apparet in puniendo æquissimus.*

6 *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem.* Scilicet omnium primogenitorum tam animalium quam hominum interitu, qua contempta, summa ipsa perditionis accedet, submersio in mari rubro, qua funditus omnes delebuntur: sed cum solum futura sit decima, cur grauioribus plagis non afficis? cur seuerioribus flagellis non vrges? forte iis commoti ad meliorem frugem reuocabuntur, nonne nimiæ seueritatis argueris, si tot hominum millia in profundo maris demergas? Deus sane solum interposita hac vltima plaga, in his puniendis æquissimus iudicabitur, satis enim superque admoniti debuerunt diuinis obtemperare
Lyppom. mandatis. *Poterat Dominus*, inquit Lyppom. *longe maioribus ac pluribus plagis affecisse Ægyptios, sed decem sufficere decreuit, toties enim commoniti indurati sunt, & omnem excusationis prætextum amiserunt.*

*Deus mercenarium defraudatum irremuneratum non sinit.*

*Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, &c. sed*
7 *dices vt postulet vir ab amico suo vasa aurea & argentea.* Quæ sane non est redditurus, quid? nonne lege cautum est, ne quis res proximi sui furetur? vasa autem & argentea quæ præcipis Israëlitas mutuo accipere ab Ægyptiis, secum detulisse & nunquam reddidisse constat, cur quod prohibes faciendum, id consulis? aduerte in multis laborem suum impendisse circa Ægyptios, in murorum, turrium, imo & vrbium ædificatione, & tamen nullam mercedem, quæ eis ex iustitia debebatur, accepisse; ne dicas igitur Deum Israëlitis furtum consuluisse, sed noluisse mercenarium
Theodor. defraudatum irremuneratum manere. ita Theod. *Longum Hebræis tempus in Ægypto in lateribus, in muris, vrbibus faciendis consumpserant, Domi*nus igitur Deus mercedem aliquam laboris sui illos percipere voluit, ideoque illos hac calliditate vti voluit. nam & Ægyptij Regi suo in necandis Hebræis operam ac studium suum addiderunt.*

*Præcepta Dei quantum ad rationem iustitiæ sunt immutabilia, quantum ad applicationem aliquando mutabilia.*

*Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, &c. sed* 8
*dices vt postulet vir ab amico vasa aurea & argentea.* An ea redditurus est? imo secum in terram Canaã delaturus, nonne præceptũ tuum immutabile est apud quascũque nationes, vt nullus bona proximi sui surripiat, nullus alium furetur? hoc autem quod consulis nonne rationem furti induit, cum inuito Domino, ea quæ comodato dedere, retineantur? retinẽtur quidem & inuito Domino, tamen nec Deum furti consilium dedisse arguas, nec præcepti sui transgrediendi occasionem præstitisse, quia licet præcepta Dei quantum ad rationem iustitiæ quam continent sint immutabilia, tamen aliquando quantum ad determinationem per specialem applicationem per singulares actus, sunt mutabilia, sententia est Angelici Angelicus Doctor.
Doctoris 1. 2. quæst. 100. art. 8. ad 3. *Occisio hominis prohibetur in decalogo secundum quod habet rationem indebiti sic enim præceptum continet ipsam rationem iustitiæ, lex autem humana hoc concedere non potest, quod licite homo indebite occidatur, sed malefactores occidi, vel hostes reipublicæ hoc non est indebitum. vnde hoc non contrariatur præcepto decalogi, nec talis occisio est homicidium, quod decalogi præcepto prohibetur: & similiter si alicui auferatur, quod suum est, si debitum est quod ipsum amittat, hoc non est furtum vel rapina, quæ præcepto decalogi prohibentur, & ideo quando filij Israël præcepto Dei tulerunt Ægyptiorum spolia, non fuit furtum, quia hoc debebatur eis ex sententia Dei, & sic igitur præcepta decalogi quantum ad rationem iustitiæ quam continent immutabilia sunt, sed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad singulares actus (vt scilicet hoc vel illud homicidium, furtum, vel adulterium aut non) hoc quidem est mutabile, quandoque sola auctoritate diuina, in his scilicet quæ à solo Deo sunt instituta, sicut in matrimonio & in aliis huiusmodi, quandoque etiam auctoritate humana, sicut in his quæ sunt commissa hominum iurisdictioni, quantum enim ad hoc homines gerunt vicem Dei, non autem quantum ad omnia.*

*Beneficium merito alicuius, alteri collatum eius prouocat amicitiam.*

*Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, sed* 9
*dices vt postulet vir ab amico suo vasa aurea & argentea.* Ex quo intelligendum etiam in terra Gessen non solos Hebræos habitasse, sed aliquos Ægyptios terræ illius cohabitatores fuisse, sed cur amicos Ægyptiorum nominat Israëlitas, cum tantum inter vtrumque populum dissidium esset & contentio? quomodo alterius dicetur amicus, à quo vi opprimitur? respondet Diuus Augustinus quæst. 39. D. August.
in Exod. *ad Ægyptios* (nempe habitantes terram Gessen) *potuerunt merito Hebræorum etiam illa*

*diuina beneficia peruenire, vt hinc & eos diligerent ijdem Ægypti cohabitatores, ac quod petebant facile commodarent*, sed si amici Hebræorum erant, cur eorum à iactura bonorum suorum non fuere liberi? *Quia* mouit cit. Doctor, *non indicauit Deus ita illos alienos fuisse ab iniuriis & contristionibus quas populus Dei pertulit, vt nec isto damno ferirentur, qui plagis illis propterea quod terræ illi parcebatur: percussi non erant.*

### *Iure belli victorum sunt quæ victi possederunt.*

10 *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, sed dices vt postulet vir ab amico suo vasa aurea.* & secum ex Ægypto in terram promissionis asportet etiam inuitis Ægyptiis. at nonne in dedecus Hebræorum cedet, quod amicos spoliauerint? aduerte quod inter vtrumque populum quasi bellum gerebatur, duce ex vna parte Moyse, legitime belligerante, ex altera Pharaone: non arguendi igitur Hebræi, quod Ægyptios suis spoliauerint bonis, nam iure belli victorum sunt quæ victi possederunt: hanc rationem assignat Procopius. *Duplici nomine præclare rem gessere Hebræi, partim quod caperent mercedem, quæ ipsis tyrannorum sæuitia tempore pacis diu non erat persoluta, partim quod illa vasa seu spolia belli quod gerebant asportabant, citra armatam militiam Deo ipsos propugnante, & victoriam suppeditante, belli enim lex victoribus donat quæ victi possederunt, sed nec dolus in hostem reprobatur, imo solertia quædam creditur.*

Procopius.

### *Bonitatis diuinæ est quod male parta amittamus.*

11 *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, sed dices vt postulet vir ab amico suo vasa aurea & argentea.* Quæ nunquam redditurus est, nonne infidelitatis quis argueretur, si accommodato petens ab alio aliquam pecuniarum summam, eo inuito retineret? quomodo non solum infideles dicuntur Hebræi, imo nec Deus qui hoc consilium eis præstitit? nonne diximus Ægyptios mercedem debitam laboribus Israëlitarum retinuisse? non ergo Deum infidelitatis arguamus, sed summe bonum collaudemus, qui male parta ab iniuste possidentibus, auferat: consentit cit. Procopius. *Diuinæ beneficentiæ adscribendum est, si male parta amittimus & dilabantur.*

### *Omne supplicium præsentis vitæ licet grauissimum, si consideretur cum pœna futuri sæculi, nullum est, vel saltem leuissimum.*

*Adhuc vna plaga tangam Pharaonem.* Hæc plaga fuit interitus primogenitorum, non solum in animalibus sed etiam in hominibus, & ea quidem subitaneus & improuisus cum omnium clamore imo & horrore: quid enim grauius accidere potest, quam primogenitorum mors repentina? tamen hæc plaga dicitur à Deo tactus, quid autem leuius dici potest, quam tetigi eum? hoc enim dictum quasi læsionem non indicat; nonne omnium terribilium terribilissimum est mors, & præcipue mors subitanea & primogenitorum? cur percussionem non dixit læsionem vel flagella, aut verbera, non autem tactū? vt hinc edicas omne supplicium præsentis vitæ (quale est mors acerbissima) si consideretur cum pœna futuri sæculi, nullum esse, vel saltem leuissimum, nempe quendā tactū, teste D. Chrysost. hom. 49. ad populū Antioch. ait, *Dum tempus est præoccupemus faciem eius in confessione, vt minaces illas virtutes effugiamus, nonne videmus terrenos milites principibus seruientes, quomodo criminosos trahunt, quomodo ligant, quomodo radunt costas, quomodo faces tormentis adhibent? sed hæc omnia ludicra & risus ad illa supplicia, nam & temporanea sunt hæc pœna, illic vero nec vermis moritur, nec ignis extinguitur.* 12

D. Chrysost.

### *Sine intentione recta bonum opus non perficitur.*

*Adhuc vna plaga tangam Pharaonem & compellet vos exire.* Non est dubium quin hæc licētia abeundi, imo hæc compulsio opus laudabile in se censeri posset, cū Dei voluntatē iussus adimpleret: sed an aliquod præmiū vel saltē tēporale consequutus est? nonne coactè & inuoluntariè dimisit eos? ne dicas igitur bonum opus illud fuisse, nā illud etiā ex recta intētione mensuratur: vnde optime D. Gregor. Mag. 1. moral. c. 38. *Si semel cor in intentione corrumpitur, medietas, & terminus actionis ab hoste secure possidetur*, & sane si recta intentio operi desit, vita spirituali caret, & bonitate meritoria, *quod enim est corpus sine anima*, inquit Richardus Victorin. de statu interioris hominis, *hoc est opus sine intentione bona, qualibet ergo actio quamuis bona videatur quasi mortua iudicatur, nisi per consilium ad intentionem boni animetur, & sicut vita à corpore procedit, & super omnia membra diffunditur, sic & intentio bona de consilio surgit & virtute opera ad meriti vegetationem animare consueuit.* 13

D. Gregor. Mag.

Richard. Victor.



## *VARIETAS LECT. Vers. 3.*

VVlg. Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis, fuitque Moyses vir magnus valde in terra Ægypti coram seruis Pharaonis, & omni populo.

*Sept.* Dominus dedit gratiam populo suo coram Ægyptiis, & mutuo dederūt illis, & homo Moyses magnus factus est valde coram Ægyptiis; & coram Pharaone & coram seruis eius.

*Cald.* Deditque Dominus gratiam populo in oculis Ægyptiorum.

*Oleast.* Etiam vir eleuatus Moyses.

## CONCORDIA.

VErbum גדל gadal à quo גדול gadol significat magnũ esse, crescere, eleuari, vnde vertit Oleaster, vir eleuatus: Septuaginta & mutuo A dederunt illis, quæ in nostro interprete non habentur, sed ab eo præsupponuntur tanquam inferius apponenda.

## EXPOSITIO.

D*Abit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis*, Faciet vt placeant Ægyptiis quæ Israëlitæ postulauerint, imo congrua & iusta petitio eis videbitur, corda enim in manu Dei sunt, nam qui antea alienorum bonorum raptores, iam liberales redduntur, *Fuitque Moyses vir magnus valde*, potest hoc referri ad omnia quæ hactenus gesta sunt, vt sensus sit fuisse magnum, hoc est per admiranda prodigia, quæ patrauerat fuisse redditum & nobilem ac tremendum, vt nemo illi nec in minimo obstrepere auderet, vel potest referri ad ea quæ hoc capite habentur, siue ad præcedentia, vt tanta fuerit auctoritas conciliata Moysi, vt quæ Israëlitæ petebant iussu Moysis, Ægyptij id scientes nihil auderent negare, vel ad sequentia, ad indicandum scilicet quantum pondus apud plerosque Ægyptios habuerit, sequentis plagæ comminatio, vt merito metuerent visis iis quæ iam à Moyse peracta fuerant, ne vt ipse prædixerat, acciderent.

## CONCEPTVS.

### *Vagationis occasio fœminis minime danda.*

14 D*Abit Dominus gratiam populo coram Ægyptiis*, addiderunt Septuag. *& mutuo dederunt illis.* Cum vir ab amico, & mulier à vicina sua, siue vt legit August. à concellaria sua petit vasa aurea & argentea, notate quæso discrimen, quod vir ab amico, mulier à vicina sua petere deberet, cur non dicitur quod mulier ab amica, siue vir ab amico postularet? nam nonne etiam lex amicitiæ inter fœminas reperitur? sane id consulto C præcipitur, vt vir amicum siue procul siue prope moraretur, conueniret; nec enim viris alienum est liberius excurrere, & longius euagari, at fœmina ad vicinam suam se se conferret, remotiores ædes non adiret, nihil enim fœminis poterit esse tam indecorum, quam procul à domo, vel à vicinia circumferri, sed magis rem exaggerat August. qui (D. August.) quæst. 39. in Exod. legit à concellaria sua, ita vt si in eadem cella suis distinctæ angulis duæ mulieres habitarent, non liceret à cella in cellam egredi, sed plurimum, ab vno eiusdem cellæ angulo, in alterum commeare: vide quam angusti exeundi termini fœminis concedantur, non alienus ab hoc sensu noster Lyranus, cum ait, (Noster Lyranus.) *Mulieres, quia non discurrunt longius, contrahunt tantum à vicinis, ideo subditur petet mulier à vicina.* D

### *Modestiæ mulierum consulendum.*

15 *Dabit Dominus gratiam populo coram Ægyptiis.* Addiderunt Septuag. & mutuo dederunt, scilicet vir Ægyptius amico Israëlitæ, & Ægyptia Hebrææ vicinæ, nam vir ab amico vasa aurea & argentea postulat, sicut mulier à vicina, cur vir à muliere non petiit, & mulier à viro? nam nihil denegatum à viris mulieribus, vel econtra, vel saltem difficile, ea enim quæ vir à viro non consequetur, mulier obtinebit: sapiẽter onera sic Deus diuiserat, vt vir non nisi à viris, fœmina non nisi à fœminis postularet, vt fœminarum modestiæ consuleretur.

### *Vix vnquam non sentit quis damnum in se quod aliis melioribus infert.*

*Dabit Dominus gratiam populo coram Ægyptiis*, addiderunt Septuag. *& mutuo dederunt.* Arbitrantes post regressum ex sacrificio, ea quæ mutuo dederant accepturos, sed in hoc decepti sunt: verum cur Dominus voluit educere populũ suũ ex Ægypto, cum ipsius Ægypti spoliatione, in vasis aureis & argenteis? volebat Dominus tyrannis ostendere, ex damno accepto, quid illis afferat iustorum hominum oppressio: hinc D. Greg. Nazianz. oratione 41. sic omnes monet. (D. Gregor. Nazianz.) *Si sapiens es Israëlites ad terram promissionis transfer vasa aurea, eoque nomine discrucietur persecutor, atque ex fraude sibi facta hoc intelligat quod tyrannide ac seruitute meliores frustra opprimebat.* Hoc noscent tyranni vniuersi, quando & se sub damnis illatis gemere, & viros iustos liberos gaudere experientur: frustraneus est conatus & maxime nociuus, quando viro iusto te meliori damnum inferre tentas, tu sine dubio damnum experieris, nunquam enim Deus non faciet quod tyrannus bonis & viris iustis subiectetur. 16

### *Superbi se solos magnos arbitrantur.*

*Dabit Dominus gratiam populo coram Ægyptiis, fuitque Moyses magnus in terra Ægypti.* Coram quibus? coram seruis Pharaonis, & omni populo, nonne apud Pharaonem sicut apud seruos eius ediderat admiranda portenta? nonne virtutem eius in repellendis cladibus, sicut populus senserat? sane expertus fuerat cuius erat apud Deum potentiæ, cur igitur solum coram seruis Pharaonis, & omni populo, non autem coram ipso Pharaone? ad rem Hierony. ab Oleastro. (Oleaster.) *Quia Reges* inquit) *neminem arbitrantur magnum, præcipue si superbia teneantur, superbus enim aliorum contemptor se solum magnum arbitrans.* 17

*Qui Deum pro inimicis deprecatur, etiam magnus ab eis habetur.*

18 *Dabit Dominus gratiam populo coram Ægyptiis, fuitque Moyses vir magnus in terra Ægypti, coram seruis Pharaonis.* Cur non dicitur coram Israëlitis magnus, cum tot prodigia & miracula pro sua salute essent experti? hoc sanè præsupponitur, quis enim in dubium reuocare possit quin maximus apud eos haberetur? sed cur magnum viri idololatræ censent? quis enim magnum credit virum alterius cultus & religionis? an propter mirabilia quæ operatus est in eis? non negandum, sed nonne eum deprecantem pro hoste infensissimo viderunt, eique condonantem? ecce qua de causa non solum magnum, sed per maximum arbitrantur, qui enim Deum pro inimicis deprecatur, maximus inter omnes censeri debet. *Erat eleuatus & magnus valde*, inquit cit. Olcaster. *tum propter prodigia quæ faciebat, tum propter pietatem quam eis ostendebat orando pro eis.*

Olcaster.

*Qui coram Regibus liberè mandata Dei annuntiat, magnus censetur.*

19 *Dabit Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis, fuitque Moyses magnus valde.* Quis tot visis mirabilibus prodigiis à Moyse perpetratis, magnum imo maximum non crederet? cur igitur sic eum prædicat sacer contextus, cum id luce meridiana clarius esset, idque præsupponi deberet? aduerte dictum coram Ægyptiis & coram populo magnum, sed cur coram eis? quia cum populus nec mussitare audeat coram Rege, ipsum tamen vident liberè coram eo mandata Dei exprimentem: hanc rationem assignat noster Lyranus magnitudinis Moysi. *Vir magnus valde idest reuerendus & timendus, propter quod coram Pharaone loquebatur audacter, & constanter.*

Noster Lyranus.

*Libenter nostra mutuo damus, cum in nomine alicuius magnæ auctoritatis & sanctitatis petuntur.*

20 *Dabit Dominus gratiam populo coram Ægyptiis, fuitque Moyses magnus valde coram seruis Pharaonis.* Quæ connexio inter verba præcedentia & subsequentia, scilicet inter gratiam à Deo populo datam, & magnitudinem Moysi, vt coniunctione omnia necterentur *fuitque?* notate verba à Septuaginta addita, & mutuo dederunt illis: sed cur mutuo dederunt vasa aurea cum eos scirent ab Ægypto discessuros? respondet textus, fuitque Moyses magnus valde, quasi diceret, ideo quia Moyses erat magnæ auctoritatis & sanctitatis, ideo populo Dei libenter quæ petita sunt mutuo dederunt, fauet huic sensui Lyppom. *Hæc verba videntur quidem præcipue significare causam propter quam Ægyptij fuerunt faciles ad accommodanda Israëlitis vasa aurea & argentea, propter ipsum Moysen*, tantæ scilicet auctoritatis & sanctitatis, per quem tanta edebantur miracula: addit Abulens. *Aliqui de Iudæis videntes Moysem tantum ab Ægyptiis honorari, in nomine eius petebant vasa aurea, & argentea, dicentes date hoc nobis amore Moysi, & dabantur petita, quod multum extollebat Moysen.*

Lyppom.

Abulens.

A *In petitionibus nostris simus prudentissimi ni repulsam pati velimus.*

*Dabit Dominus gratiam populo coram Ægyptiis* Scilicet vt mutuo acciperent ab Ægyptiis vasa aurea & argentea, sed miror, cur ab Ægyptiis etiam pecunias non petierunt, vt iis acceptis, mercedem laborum suorum in tot muris, turribus, vrbibus construendis impensis acciperent? & vt hoc modo compensarentur tot eis iniustè ablata, resarcirentur grauissimæ acceptæ iniuriæ: aduerte ad iter faciendum necessarias non fuisse pecunias mutuo acceptas, in deserto enim per quod proficisci deberent, sacrificij Deo offerendi gratia, nihil potuit comparari ad alimenta, prudenter igitur eas non petiere, ne repulsam paterentur, & ne suspicio nasceretur de non redeundo in Ægyptum: suffragatur cit. B Abulens. *Non dixit quod peterent ab Ægyptiis pecunias, quia non habebant colorem ad petendam pecuniam, sicut ad petenda vasa aurea & argentea, quia vasa erant ad honorem solemnitatis. pecuniæ autem nihil ad hoc proficiebant, maxime quia nec indigebant aliquibus pecuniis ad cibos, cum iter eorum vt ipsi petierant, erat ad sacrificandum per solitudinem, in qua non erant habitatores, quibus pro cibariis pecunias darent aut possent impendere: si ergo eas petiissent, satis intellexissent Ægyptij, quia non voluntate sacrificandi & redeundi, sed voluntate totaliter recedendi petebant.* 21

Abulens.

*Iusta æstimatio apud alios & auctoritas donum Dei est.*

*Dabit Dominus gratiam populo, fuitque magnus Moyses valde* Cur de gratia Dei sermo, C cum de magnitudine Moysis, id est eius auctoritate & apud omnes æstimatione agitur? nam contextus vnum ab alio disiungere potuisset, gratiæ nulla facta mentione: meritò de gratia Domini est sermo, cum agitur de magnitudine Moysis, quia iusta æstimatio & auctoritas apud alios donum Dei est, *Solet Dominus* (inquit Olcaster) *suos seruos eleuare apud omnes populos, præsertim apud inimicos, vt ipsi etiam eos reuereantur, vt donum Dei esse sciant suam eleuationem.* 22

Olcaster.

*Cum aliquem odio prosequimur, licet sit maximi meriti, nullius tamen est apud nos æstimationis.*

D *Dabit Dominus gratiam populo, fuitque Moyses magnus valde coram seruis Pharaonis.* Cur nō coram Pharaone? nam virtutem & potestatem Moysis non ignorabat, imo ipse præ famulis eam expertus est, cum minitantem cum aliqua flagella effectus sequeretur, cum deprecantem pro his amouendis Deum illico exaudire sciebat: maximus ergo apud eum debet haberi; imo nullius momenti apud eum censetur, & qua de causa? rectè Olcaster in expositione ad litteram, *Non in oculis Pharaonis magnus fuit, quia oderat eum, & ideo nihil magnum in eo considerabat.* Sed cur oderat eum cum vt benefactorem diligere deberet? respondet D. Chrysost. in Psalm. 7. *Improbi bonos nulla de causa omnino odisse consueuere.* 23

Olcaster.

Chrysost.

*Parcens suis inimicis, Deus dicendus & non homo.*

24 *Dabit Dominus gratiam populo, fuitque Moyses vir magnus in terra Ægypti*, Septuag. legunt, *homo Moyses magnus factus est valde*. Cur dicitur homo Moyses? nam elegantius dixisset Moyses sine additione hominis: quis enim hunc ignorabat hominem esse? an è memoria excidit quod pluries Moyses non solum hosti suo infensissimo pepercit, sed etiam benefecit? quid ergo mirum si cum hominem dixere Sept. ne Deus crederetur? quasi Deus enim censendus est, qui suis scit parcere inimicis, quod sane Centurio agnouit Marci 15. qui audiēs Christū expirasse cū hac oratione; pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt, ait, *Vere filius Dei erat homo iste, sed in quo hoc aduerti*, inquit sanctus Bernard. serm. 28. in cant. *si enim attendebat quod apparebat, quomodo filius Dei? quid nisi deforme & nigrum oculis spectantium occurrebat? eum expansis in cruce manibus medius duorum nequam, risum malignantibus daret, fletum fidelibus unde aduertit pulchritudinem crucifixi, & quod is sit filius Dei, qui cum iniquis reputatus est? auditus inuenit quod non visus*, quid inuenit auditus? nempe hanc deprecationem ad patrem, dimitte illis quia nesciunt quid faciunt, cur enim non colligeret quod homo iste erat filius Dei? quia vt optime ait Bernard. serm. 11. de passione, *Diligere inimicos magis diuinum est quam humanum*.

Marc. 15.

Bernard.

Cit Bernat.

*Virtus etiam aduersarios trahit in admirationem.*

*Dabit Dominus gratiam populo, fuitque Moyses magnus coram seruis Pharaonis*. Maximæ auctoritatis fuit apud eos, itaut in admirationem eos caperet tanta mirabilia operantem considerantes: sed quomodo vir alterius cultus, & religionis, qui tot eos flagellis afflixerat, qui pestem, grandinem, fulgura in eos immiserat, tantæ æstimationis meretur apud eos haberi? quidni, cum studiosissimus cultorque virtutum? virtus autem hoc proprium habet, quod etiam suos aduersarios (sicut erant Ægyptij) in sui admirationem rapiat, teste D. Gregor. Nazianz. oratione 20. quæ est in laudem D. Basilij, qui postquam de virtutibus eius disseruit, & quomodo in faciem restitit impijs, qui tamen eum summopere deinde venerati sunt, subiungit, *Virtus enim quoque etiam hosti est admirationi*. 25

D. Gregor. Nazianz.

## VARIETAS LECT. Vers. 4. & 5.

*Vulg.* Et ait, hæc dicit Dominus, media nocte egrediar in Ægyptum.
*Sept.* Circa medias noctes ego ingrediar in medium Ægypti.
*Cald.* Media nocte ego apparebo in medio Ægypti.
*Pagni.* Circa medium noctis.
*Vulg.* Et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis qui sedet in solio eius, vsque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam, & omnia primogenita iumentorum.
*Cald.* Morietur omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharaonis, qui futurus est vt sedeat super solium regni eius, vsque ad primogenitum ancillæ, quæ est in domo molarum.
*Pagni.* Quæ est post molas.

## CONCORDIA.

CVm יוֹשֵׁב iozeb participium sit præsentis temporis, verti potest sedens super solium suum, vt referatur ad Pharaonem qui sedebat, potest etiam reddi, sedente super solium eius, vt referatur ad primogenitum sessorem, hoc est qui mox sessurus erat super solium patris: huic posteriori sensui fauet Caldæus, dicens qui futurus est vt sedeat super solium regni eius, quæ est ad molam, vel quæ est post molas, vtroque modo verti potest, nec extra rem Caldæus cum ait quæ est in domo molarum, dicuntur autem molæ רחים rachaim id est respirātes, à verbo, rarah id est, respirare, quod farinam ex se spirare videantur, verum est verbum יצא egredi significare, licet reddiderint Septuag. per ingredi, sed quoad hunc locum attinet idem est ingredi ac egredi, est enim metaphoricus sermo, significans quod virtus eius omnipotentissima extendetur per totam Ægyptum ad internecionem primogenitorum.

## EXPOSITIO.

MEdia nocte egrediar in Ægyptū, siue vt habet Sept. *ego ingrediar*, hoc humano more accipiendum est, Deus enim cum vbique sit, neque egreditur, neque ingreditur, neque ascendit neque descendit, sed ex nouo effectu accomodatè ad captum hominum, id accipiendum est, dicitur enim descendisse ad perdendos Sodomitas, & liberandos Hebræos, quia Deum vt in cœlo habitantem concipimus, indigne descendentem, sic egredientem, quasi de Palatio suo, vel de terra Gessen, in qua cū filiis Israël habitabat ad obeundam Ægyptum vniuersam, & ingredientem adita singulorum, ad primogenitos interficiendos; media nox autem, hic non mathematicè sed moraliter accipienda est, circa medium noctis, vt est in Hebræo, aut circa diuisionem noctis, *Morietur omne primogenitum in terra Ægypti*, primogeniti nomen latius interpretatur Caietanus, ait enim in

quilibet domo [illegible] primogenitum, tel- periens ? ... appellatione primogeniti apud homines intelligi non solum eum, qui primum natus est, sed etiam eum, qui primogenito mortuo succedit in iuribus primogeniti, in primogenitis etiam iumentorum, & pecorum intelligi posset optimum quodque, ac potentissimū, quale solet esse primogenitum in vigore naturæ procreatum. D. tamen August. quæst. 44. diuinitus factum ait vt in omnibus omnino domibus essent primogeniti: aliqui arbitrantur solos masculos primogenitos interfectos fuisse, non fœminas, cum quia Deus postea cum in gratiarum actionem petiit sibi à Iudæis offerri primogenitos, tantum petiit masculos, tam in iumentis quam in hominibus, vt patet Exod. 13. quia vero verba scripturæ illimitata sunt, neque ipsum ordinem restringunt, ad solos masculos, sicut restringunt oblationem, plures alij ea accipiunt de quolibet primogenito, siue masculo, siue fœmella.

*A primogenito Pharaonis qui sedet in solio eius*, id est qui sederet nisi percuteretur, vel quia viuo adhuc parente, regno mancipatus est, & sedet in solio patris. *vsque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam*, molitoriam olim fuisse ancillare officium, & fœmineum, constat ex hoc loco, & ex illo Matth. 24. duæ erant molentes in mola: ponitur autem hic pro infimæ sortis homine, & sic hæc verba adagialiter sunt sumenda, quibus denotatur omnes omnino primogenitos Ægyptios, à summo ad imum, à nobilissimo ad abiectissimū, ab hærede regni ad quasillariæ seu pistrinariæ filium, capite subsequenti dicitur vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, Hebraicè הבור, habet in domo putei, foueæ, sic enim carceres, quia tales erāt, Hebræi vocant, Septuaginta ἐν τῷ λάκκῳ, & ideo vulg. aliquando lacum appellat, videntur pistrina eorum pro carceribus fuisse, vel carceribus iuncta, certe de Sansone dicitur, clausum in carcere molere fecerunt, vel quia quos interdum molere cogebant, eos noctu ne diffugerent, in carcerem compingebant, vt accidit mancipiis, Ethiopicis & Turcicis in Hispania, & Christianis in Africa.

## CONCEPTVS.

*Deus ad modum medici se habet in curandis animi nostri infirmitatibus.*

26 *MEdia nocte egrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum Ægyptiorum.* Cur adhuc hac vltima plaga vis mentem eius experiri? nonne obstinatio pertinacissima tibi satis superque comperta est? cur ergo quasi oleum & operam perditurus, hoc adhuc tentas medium? nonne medicus cum lethaliter ægrotantem quempiam suscipit curandum, omnia adhibet medicamina, quibus sanitatem recuperare posset, nec eum deserit nisi vltimum emisit spiritum? quid mirum igitur licet obstinatissimam Pharaonis mentem compertam habuerit, Deus, adhuc tamen ad meliorem frugem reuocare satagat? Quia (vt optime Episcopus Metonensis, in cat. sua aurea) *quemadmodum peritissimus quispiam medicus valde & ad mortem vsque languentis curationi adhibitus, postquam Pharmacis multis variisque medicamentorum vsus generibus, nihil ægrotanti profuit ad sanitatem, sed contra magis ad morbi increscentiam, vnam quampiam ad extremum validissimam sibi reseruat potionem, quam cum ebiberit ægrotans, ob idque nihil melius habuerit, tunc omnino desperat de eius salute, nec posterius vltra medicam ei adhibere manum dignatur, ita & non aliter hac vltima plaga erga Pharaonem vsus est benignissimus Dominus, quæ cum nihil ad resipiscentiam ei contulerit, protinus à Deo destitutus in suaque obcæcatione manere permissus est, nec post hac alia correctio ei adhibita, quo quidem factum vt in extremum tandem supplicium semetipsum præcipitem dederit, ac in profundum maris minus descenderit.* Lyppom.

*Supplicium delicto correspondet.*

27 *Media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum Ægyptiorum.* Cur hac plaga percutiuntur Ægyptij? nonne mortem tot hominum in aliud commutare posset flagellum licet seuerissimum? nonne primogenitum populum Dei tyrannide opprimentes, captiuum detinebant & multos primogenitos, infantes Israëlitarum aquis immaniter submerserant? merito igitur adhuc hoc supplicio nempe primogenitorum suorum interitu puniuntur, vt supplicium correspondeat delicto, sic Theod. ret. quæst. 22. in Exod. *Propterea quod Israelem primogenitum Dei Pharao nimis dure subiecerat seruituti, hoc enim etiam Dominus Deus dixit Exod. 4. primogenitus meus Israël, merito procul dubio primogenita Ægypti morti tradidit.* Theodor.

*Masculæ mentis non est, sed fœmineæ, terrenis vertiginibus abripi.*

28 *Media nocte egrediar in Ægyptum & morietur omne primogenitum Ægyptiorum, à primogenito regis vsque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam.* Cur non dicitur vsque ad primogenitum serui qui est ad molam? non enim insuetum est in supplicium & pœnam, ad vertendas molas tanquam vilia iumenta homines adigi, imo ita in nobiles honestoque loco natos ita sæuitum reperio, sanctus August. id suo sæculo factitatum his verbis indicat, Epist. 5c. *Quidam patresfamilias honesto loco nati, & generoso cultu educati, vix viui post eorum cædes ablati sunt, vel vincti ad molam, eam in gyrum ducere tanquam iumenta contemptibilia verbere adacti sunt.* Non solum autem hic sed etiam Matth. 24. mulieres addictas molis voluendis legimus, duæ molentes in mola, vna assumitur & vna relinquitur, cur cum plures longe homines sint addicti huiusmodi molis voluendis, cur quasi hoc proprium esset mulierum legimus eas solas huic pœna hic addictas? aduerte quod si mentis oculos conieceris in mortalium studia, curasque, ac cupiditates, eos eo dementiæ & stoliditatis deuolutos esse reperies, vt supplicium illud, vel saltem laborem subeant, & grauius spōte nullo cogente mundanarum rerum molas vo- D. August.

suant, terrenæ cupiditatis vertigine voluantur, ament has molas, & diligentissime quærant, si forte quod raro accidit, illarum oculis subducantur: mentem rerum temporalium cupiditate veluti mola detineri, eleganter colligit sanctus Augustinus ex citatis Matth. verbis in Psal. 99. *In molendino duæ ad plebes retuli, quare in molendino quia deuinctæ in sæculo, circuitu rerum temporalium tanquam mola detinentur.* Quo posito quid mirum si cum de mola agitur, mulierum mentionem fieri, licet viri etiam sæpius hoc supplicio plectantur? vt intelligamus rerum periturarum molas voluere, virilis pectoris non esse, nec masculæ mentis, sed fæmineæ potius muliebrisque, induat quis animos viro dignos, mollioris delicatiorisque sexus exuat mentem, has molas defugiet & solidiora cogitabit.

D. August.

*Non solum fæmineæ mentis est terrenarum rerum vertiginibus abripi, sed potius seruilis.*

29 *Media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur à primogenito Regis vsque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam.* Cur non dixit vsque ad primogenitum hominis qui est ad molam? non est dubium quin per molæ rotationẽ, mundanas rerum occupationes, quibus mortales tenentur, intelligere possimus, iuxta illud Petri Damiani opus 12. cap. 11. eorum infælicitatem describentis, *Cæterum frigidi quiq.* inquit, *qui spretis diuinæ militiæ castris, ad vertiginis molam sinistro postliminio reuoluuntur, quanta indicabiliter agant, quã inconsideratè viuant, referant qui volunt:* Recte ergo ancillam dixit quæ in voluenda mola occupatur, quia non solum fæmineæ mentis est terrenarum rerum vertiginibus abripi, sed potius seruilis, vere enim seruus atque mancipium, qui ad voluendas has molas damnatur, aut sponte in huius vitæ pistrino hãc pœnam subit, quis ergo tam temere insaniat, vt hac pœna lætetur & exultet? & cum erubescere debeat eam subiens, tanquam vile mancipium, ob eam se iactet, efferatque? quæ maior cæcitas quam supplicium istud seruile magno labore augere? cum ingenuæ mentis sit in rerum se libertatem vindicare, tamque duram excutere seruitutem.

Petrus Damianus.

*Maximus labor iis qui rerum humanarum curis detinentur.*

30 *Media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur à primogenito Regis vsque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam* Pag. *quæ est post molas.* quę semper laborat in molis voluendis, & reuoluendis. Sed cur potius molis significari diximus rerũ terrenarum curas? nobiscum enim etiam ita sentit Raban. Maurus in cap. 24. Matth. duæ molentes in mola, molentes dicit, propter temporalium negotiorum orbem atque circuitum, vnaquæque enim huius mundi actio mola est, quæ dum multas curas congerit, humanas mẽtes quasi per gyrum vertit, atque ex se velut fæminas producit, quia inquieto cordi semper minutissimas cogitationes gignit. Cur inquam molis significari diximus rerum terrenarum curas? sane non solum quia qui his addicitur, nunquã quiescit, perpetuo voluitur, sed quia summopere laborat, quid enim est molendinum, nisi præsentis huius vitæ quam deceptimus, in variis & his superfluis agitandis, labor? adscribam Anselmi verba, sic ille scribit lib. de similitudinibus cap. 42. *Molendinum quod tota die molit, labor est huius sæculi, qui à mane vsque ad vesperam nunquam finit.*

Rabanus Maurus.

D. Anselm.

*Qui quæ ad vitam sunt ad mortem protrahit, grauissimo plectitur supplicio.*

*Media nocte egrediar in Ægyptum, & morie-* 31
*tur à primogenito Regis vsque ad filium ancillæ qui est in mola.* Hanc quæso molam voluamus, sed non inutiliter, in huius enim rotatione quid etiam fugere debeamus, inueniemus; ait enim Christus Matth. 18. vt à pusillorum scãdalo homines auocaret ac deterreret, qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris: cur quæso molaris potius lapidis meminit, quam alterius, ita enim mergeretur cuiusuis lapidis pondere, quam molaris, lapidis figura aut vsus non ad submersionem facit sed pondus: dices ideo molaris lapidis mentionem fieri, quia vt bene noster Lyranus, loquitur Euangelista ad modum terræ Palæstinorum, in qua condemnati ad mortem ligato saxo ad collum præcipitabantur, sed mystice: cur potius lapis molaris quam alter eius ponderis, alligatur collo scandalizantis pusillum? sane vt in huius lapidis genere scandalizans premeretur, molaris enim terit triticum, à polline furfurem secernit, vt panis ad vitam fiat, igitur ad mortem scandali minister trahitur, qui trahi debebat ad vitam, idcirco ei ad collum molaris lapis alligatur, vt esset mortis causa, qui poterat esse vitæ producendæ instrumentum, acuminis istius pater est Diu. Petrus Chrysol. qui sermone 27. expendens prædicta verba Matth. ait, *Quare non lapis sed lapis molaris: quia lapis molaris dum triticum terit, dum farinam fundit, à polline furfurem dum secernit panem sic laborantibus subministrat, bene ergo qui elegit minister scandali magis esse quam pacis, ad collum alligatur lapis molaris, vt hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam.*

Matth. 18.

Lyranus.

D. Petrus Chrysol.

*Præcedat clementia, vt perfecta appareat iustitia.*

*Media nocte egrediar in Ægyptum, & morie-* 32
*tur à primogenito Regis vsque ad filium ancillæ quæ est in mola.* Cur tot hominum interitum annuntias? cur primogenitorum mortem prædicas? hocne seuerissimum minaris flagellum? cur ea quæ in durissima ista plaga contingent, antea prædicis, ita ut totus videaris in annumerãdis lachrymis & clamore cuiuslibet familiæ in primogenitorũ iactura? si in mortis silentio hanc iustitiam exercere decreueris, si executionis quærendum est nocturnum silentium, cur tot præconia vt malum antea caueatur? debuere sane præcedere multa iustitiæ signa, vt ostenderetur perfectissimè rigor iustitiæ procedere, verissima est illa sententia Euseb. hom. de sancto Ephipodio qui quærenti de Deo cur statim reum non punit ait. *Quis hunc potest ferre errorem de patientia Dei? quæruntur qui indulgentiam non merentur, non est perfecta iustitia damnantis nisi clementia præcederet arguẽtis, Deus nobis per omnem seriem scripturarum patientiam benignus insinuat, & quod Dominus prædicat in seruo, quomodo seruus reprehendit in Domino? no-*

Eusebius Emissenus.

*ne videmus interdum etiam humanarum legum administratores, non minus moderatione quã districtione prædicandos, multis præiudiciis edictisque repetitis, disposita præuenire iudiciariam culpa conuincitur & adhuc ira differtur, &c.*

*Vltiones Dei gradatim ascendunt.*

33 *Media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur à primogenito Regis vsque ad filium ancillæ quæ est in mola.* Iumenta occisa vidimus, segetes grãdine percussas, locustas omnia corrodẽtes, fulgura terrorem incutientia, sed homines, sed primogenitos occisos non legimus. Cur hæc omnia præcessere ante hominum interitum? quia Deus nostram expectans resipiscentiam, cunctando in suppliciis inferendis procedit, itant secundum grauius sit primo, tertium secundo, & sic deinceps. B *Gradatim ascendunt* (inquit Oleaster) *& procedunt vltiones Dei hucusque plagis insectatus est homines non tamen occidit sed solum iumenta, nunc primogenita & tandem parentes ipsos submersit in medio maris, & prædixit Dominus hoc malum antequam eueniret, si forte metu eius Ægyptij & impius Rex resipiscerent & Deum orarent.*

Oleaster.

*Irrationabilium pœnæ ostendunt alias grauiores hominibus imminere.*

34 *Media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur à primogenito Regis vsque ad filium ancillæ, & primogenita iumentorum.* In quo animalium primogenita deliquerunt, potius quam alia vt morti subiiciantur? tum nonne satis est vt terror C Ægyptiis incutiatur, vt ad meliorem reducantur mentem interitu filiorum? cur & iumenta percutiuntur? sane vt in his irrationabilibus ostendatur quam maiores pœnæ maneant, quam seueriora flagella & grauiora supplicia corde incircumcisis, & mente obstinatis immineant, id quod spectans lex, multa bruta animalia execrabatur, & immunditiæ pereutiebat horrore, vt inde eadem vitia grauius damnanda ostenderetur in hominibus, sic Tertulianus lib. aduers. Psys. *Proficere autem poterat intellecto plus in hominibus vitia fugienda quæ lex damnasset etiam in pecoribus. nam quando irrationale animal ob aliquod reiicitur, magis illud ipsum in eo, qui rationalis est, homine damnatur, ergo vt homines mundarentur pecora culpata sunt, scilicet vt & homines qui eadem vitia haberent, æquales pecoribus æstimarentur.* D

Tertulian.

*Longe maior est Dei clementia quam nostra malitia.*

35 *Media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur à primogenito Regis vsque ad primogenitum ancillæ.* Quid? solum primogeniti misere peribunt? interficiantur omnes quotquot sunt filij in qualibet domo, vt pœna delicto respondeat, nam si è memoria non excidit, nonne edicto statuit Pharao vt omnes infantes masculi fluminis aquis submergerentur? pereant similiter non solum primogeniti, sed etiam quicunque fuerint filij masculi: non ita sit, longe enim maior est Dei clementia, quam nostra immanitas: huic veritati subscribit Adamantius in cat. Græca. *Vide clementiam Dei* (inquit) *Pharaonis edicta mares omnes* A *Hebræorum de medio auferebantur. Deus vero sola primogenitorum cæde contentus est.*

Adamãtius.

*Minis satagit Deus nos à peccatis reuocare.*

36 *Media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur à primogenito Regis vsque ad primogenitum ancillæ.* Cur non ais, iamiam egrediar? iamiam omnes primogenitos Ægypti deleo? quid minaris te percussurũ, si te percutientẽ sentire eorũ delicta merentur? merẽtur equidem obstinati eorum animi, vt nullis præuiis minis supplicium iamiam inferatur, sed ita misericors Deus, vt minis prius satagat à peccatis reuocare, quam pœnam infligat, Theodoret. in cap. 3. Ionæ. *Quoniam Deus* (inquit) *conseruare gaudet, minatur tristia, ne in nos tristia inuehat, item vltionis minatio est ad pœnitentiam exhortatio.* Hortabatur Deus ad pœnitentiã tot minis ante plagas, ille vero indurauit cor suũ, & periit, sic minis suis ad pœnitentiam nos vocat, nemo cor suum induret, vt pereat, iustus enim est Deus de peccatis sumit supplicium, nisi tu velis media pœnitentia de teipso sumere, nullum enim est peccatum impunitum, audiamus August. lib. homil. 50. hom. 21. *Iustus* (inquit) *est Deus & odit peccata, si iustus est, vindicat peccata, non poteris à Deo auferre iustitiam eius, implora misericordiam, sed attende iustitiam, misericordia est vt ignoscat peccanti, iustitia est vt puniat peccatum.* Ergo peccata nostra prius puniamus, ne Deus impunita videns debitum inferat supplicium, eadem homil. cit. Doctor: *Non erit* (inquit) *impunitum peccatum meum, sed ideo nolo Domine vt tu me punias, quia ego peccatum meum punio.*

Theodor. D. August.

*Deus personarum non est acceptor.*

37 *Media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur à primogenito Regis vsque ad primogenitum ancillæ.* Quod vltimo percutias supplicio primogenitos ancillarum vel plebeiorum hominum, imo & nobilium nõ miror equidem, sed cum Regum sit sacra maiestas, cur filio Regis & huic primogenito, futuro regni hæredi, imo forte iam in regem augurato, non condonas? cur eadem pœna & regis filium cum subditorum primogenitis cõcludis? nescit Deus personarum acceptor esse, regiam maiestatem sicut nec plebeium homunculum respicit, si eandem vterque pœnam meretur, vnde Iob. cap. 34. qui non accipit personã principum nec cognouit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem, opus enim manuum eius sunt vniuersi, & Sapient. 8. non subtrahet personam cuiusque Deus, & verebitur magnitudinẽ cuiusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus: vnde recte D. Hieron. consulit, vt ad Dei exemplum nullius personam accipias, sic autem ait exponens verba Malach. 1. offertis super altare meum panem pollutum *Doctor Ecclesiæ* (inquit) *qui spiritualem cõficit panem, & cum populis diuidit, si vel propter humanam gloriam vel lucra sæculi quæ gloriam consequuntur loquatur in populis & diuitibus blandiatur, & honoret peccatores, & iuxta Iacobum suscipiat eos qui cum annulis aureis ad se veniunt, & pauperes repellat, nomen Dei despicit, & panem polluit doctrinarum, & in ipsum Deum iacit contumelias.*

Iob. 34. Sapient. 8. S. Hieron. Malach. 1.



## VARIETAS LECT. Verf. 6. & 7.

*Vulg.* Eritque clamor magnus in vniuersa terra Ægypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est.

*Sept.* Qualis non fuit, & talis vltra non apponetur.

*Cald.* Et similis ei non erit vltra.

*Arias.* Qui sicut ille non fuit, & sicut ipse non addetur.

*Vulg.* Apud autem omnes filios Israël non mutiet canis, ab homine vsque ad pecus, vt sciatis quanto miraculo diuidat Dominus Ægyptios & Israël.

*Sept.* Et in omnibus filiis Israël non mutiet canis lingua sua ab homine vsque ad pecus.

*Cald.* Nullumque filiorum Israël lædet canis latrans lingua sua, ab homine vsque ad iumentum.

*Onk.* Inter filios autem Israël non nocebit canis saltem lingua latrando; ab homine vsque ad iumentum.

*Pagni.* Apud omnes filios Israël non mouebit canis linguam suam, à viro vsque ad animal.

*Oleast.* Inter filios Israël non diuidet canis linguam suam.

## CONCORDIA.

SCio Oleastrum dicere difficilem hanc reddidisse clausulam לא חירץ כלב לשנו lo iecheraz chelcb lesono ignorantiam propriæ significationis Verbi חירץ charaz quod plures inquit hic vertunt mouere, Hebræos vero dicere quod significat mutire, sed expensis locis, quibus verbum ponitur, ait, videtur proprie significare diuidere, vnde sic reddit nostrum locum, & non diuidet canis linguam suam, idest non latrabit, nec aperiet os, solent enim canes latrando diuidere os, & aperire; hæc ille, sed salua pace sua, nā Pag. in thesauro linguæ sanctæ ait Verbum חרץ in coniugatione Kal est mouere, quod pluribus testimoniis sacræ scripturæ probat. scio Rabi Dauidem sic fari, sunt qui vniuersum exponant acuere, exacuere, vim suam exerere, vrgere rem, ad finem perducere, & absolute acrem esse, acriter agere, hinc & pro decidere, statuere, definire, decernere, concidere, decurtare sumitur. nec ratio Oleastri pro solis canibus valet, nempe quod canes diuidant os latrando, bos mugiendo, lupus vlulando os nonne diuidunt? recte autem reddidit *Vulg.* prouerbium Hebræum nec mutiet canis, id est cum canis animal sit admodum irritabile, & minimo strepitu excitetur, tantum erit silentium & tranquillitas, vt ne quidem mutiat canis, aliquid amplius innuit Caldæus, scilicet quod nullum filiorum Israël lædet canis latrans lingua sua.

## EXPOSITIO.

ERitque clamor magnus, erit luctus, est enim sermo de clamore gemebundo, quem edunt bruta simul & homines in domesticis funeribus, *qualis nec antea fuit nec postea futurus est*, & licet magnus fuerit cum submersus est Pharao & exercitus eius, tamen generalior fuit & acerbior, generalior, quia in qualibet domo iacebat mortuus, acerbior, quia nihil sensibilius est morte primogeniti, *non mutiet canis*, D. Augustin. locut. 56. in Exod. videtur canem pro quouis vilissimo animante accepisse, dum scribit, elegantissima locutio est, per canem quippe extremum significauit, vel hominum vel pecorum, ita commendauit quanta in Hebræis quies futura esset, Ægyptiis acerba orbitate clamantibus: nihilominus hoc adagialiter dictū censendū est, significans quieta esse omnia, nullū metū, nullam perturbationem, pacē summā; sumptum à natura huius animantis, qui ad minimū strepitū solet ad latratum excitari, *ab homine vsque ad pecus*, id est neque propter hominē occisum, neq; propter pecus, vel non allatrabit canis seu homini morienti seu pecudi, homo enim vel pec⁹ subito mortis dolore occupatū vel luctuosum questū edit, vel adstantes ad similē luctum prouocat, & strepitu canem ad latratum, *vt sciatis*, experimento discatis, *quanto miraculo diuidat Deus Ægyptios & Israël*, maximum enim miraculum fuit, quod omnibus primogenitis Ægyptiis media nocte interfectis, omnes Hebræi incolumes permansere.

D. August.

## CONCEPTVS.

*Iusti mediis in procellis manent quieti.*

38 ERit clamor magnus in terra Ægypti. Qua nam perturbatione non afficientur Ægyptij, cum in qualibet domo primogenitum morte subitanea periisse conspicient? in quem clamorem non prorumpent, viso tam luctuoso spectaculo, cum timore maioris mali imminentis? quos gemitus non emittent patresfamilias, primogenitis suis orbati? quid tunc? apud filios Israël non mutiet canis, quieta erunt omnia, nullus motus, nulla perturbatio, summa pax: diximus plures Ægyptios simul cum Hebræis habitasse non solum in eadem terra, sed in eodem vico,

viſo, imo & in eadem domo habitaſſe, quomodo ergo perturbatus Ægyptus ex morte chariſſimorum pignorũ, & clamorẽ (qualis non fuit nec futurus eſt) emittentibus, apud Iſraelitas nec latratus canis auditur, ſed omnia ſunt in ſumma quiete & tranquillitate? quia iuſti, quorum typus erat populus Dei electus, medijs in procellis non commouentur, ſed quietiſſimi manent. *Pij* (obſeruat auctor Catenæ) *etiam inter calamitates huius mundi, maxima quiete & tranquillitate cordibus patri miſericordiarum adhærent, ſiue plena fide in Deum, ſcientes omnia ad Dei laudem & gloriam, quam vnice cupiunt, tandem deuolui, non eſſe aduerſitatem quæ Domino neſciente, vel non ordinante incidat.*

Lippom.

### *Æquiſſimum in impios Dei iudicium.*

B

39. *Erit clamor magnus in terra Ægypti, qualis nec fuit nec futurus eſt.* An ſine Dei prouidẽtia hic clamor contigit? an ex ſolo primogenitorum interitu, vel ex timore alicuius mali imminentis? reuoca in memoriam, quomodo clamauerint filij Iſrael in cœlum, præ oneribus non ferendis ſibi impoſitis, præ nimia tyrannide & oppreſſione: & dices recto Dei iudicio in hunc clamorem prorumpere, qui enim occaſionem alijs clamandi & gemendi præbuerunt, plectuntur occaſione luctus & gemitus. *Conſidera iuſtum Dei iudicium* (annotat Oleaſt.) *clamauerunt prius filij Iſrael propter onera Ægyptiorum, ſed nunc clamant Ægyptij propter mortem primogenitorum.*

### *Regum eſt non perturbari medijs in calamitatibus.*

C

40. *Eritque clamor magnus in vniuerſa terra Ægypti.* Cur fletus non emitterent? cur in clamoroſos gemitus non prorumperent viſo tam luctuoſo & miſerabili ſpectaculo? perturbantur ergo omnes ex non expectato caſu, commouẽtur ex ſubitanea morte chariſſimorum pignorum, matrum eiulatus auditur, patrum clamor & omnium gemitus. quomodo hic non fit mentio Regis Pharaonis in ſpeciali, ſed quaſi vnus eſſet ex popularibus comprehenditur eius clamor cum gemitu totius Ægypti? cur non nominaretur Pharao Rex, cum regium ſit medijs in calamitatibus non perturbari? dubium autem debet eſſe quin viſo ſuo primogenito interfecto, grauiter fuerit perturbatus. Ille vere Rex dicendus & cenſendus de quo Hildeb. Cenom. Ep. 56. qui in iactura filij & primogeniti nec in minimo conturbatur ait, *ergo ô bene munitum pectus quo ſe fortuna minorem erubeſcit! ô animum cuſtodem ſui & ignarum, vel ſapientem extorqueri ſibi, vel regem! neuter tibi ablatus eſt, neuter imminutus, alter liber a tam mente, alter ſtatum regni ſeruat incolumem, dubium eſt, quis integrum ſuum apud te expleat officium? quippe nulla verba rumpuntur ſuſpirijs, nulla vultum tenebræ operiunt, in ore ſua eſt ſerenitas & animi ſerenitatem viſus indicat moderatus, non pendent regni negotia, nec ſubſidium fruſtra præſtolantur oppreſſi. magnum hoc Regis, magnum hoc ſapientis iudicium.* Calamitatibus non perturbari hoc omnino animi Regij eſt.

Hildebertus Cenom.

D

A

### *Non triſtamur cum eum perire videmus, qui noſtrarum origo eſt calamitatum.*

*Eritque clamor magnus qualis non fuit, nec poſtea futurus eſt.* Nonne poſtea ſubmerſo Ægyptiorũ exercitu in mari rubro ſimul cum Pharaone, maxima luctus data eſt omnibus occaſio? plurimorum enim iactura facta eſt, ſed præcipue Regis, cuius dicto obedientiſſimi erant, quis enim non lugeret Regem ſic miſere pereuntem? nonne calamitatum quæ Ægypto contigerunt, ſua inobedientia cauſa fuit? quis ergo vetat dicere, nec lachrymulam in eius ſubuerſione emiſiſſe? non enim triſtamur, cum perire videmus qui noſtrorum origo eſt malorum. adſtipulatur Abulenſ. *Propterea enim mortuum triſtati non fuerunt, ſed potius in hoc miſeriarum ſuarum acceperunt vindictam, cum ipſo inſiſtente contra Hebræos & inobediente mandatis Dei, ipſo adhuc viuente tota plane Ægyptus plagis perierit.* 41.

Abulenſ.

### *Cum iuſtam Dei vindictam exerceri in impios videns iuſti, non dolent.*

*Eritque clamor magnus qualis non fuit.* Apud omnes autem Iſraelitas non mutiet canis, omnes ſumma pace fruentur, nulla eis inerit perturbatio, quid? ſi tot primogeniti occiſi oculis ſuis obijciuntur, & forte filius eorum, quibus vinculo amicitiæ coniungebantur, quid inquam nec minimum perturbantur? nec mutiet canis inquit ſacer contextus. quid eſt non mutiet? id eſt non dolebit, inquit Hugo Carenſis, ex dolore enim canis mutire ſolet, ſi non dolet canis apud Iſraelitas, id eſt nec minimus inter eos, nec viliſſimus, ſic enim explicat S. Auguſt. ergo nulla compaſſione mouentur Iſraelitæ pro tot interfectis: ita ſane, cum enim iuſtam Dei vindictam exerceri vident iuſti, in mente obſtinatiſſimos, non dolent, imo lætabitur inquit Regius Pſal. iuſtus cum viderit vindictam: quem locum licet exponat Incognitus de iuſtis comprehenſoribus, qui etiam malos viderint in tormentis, nullatenus eis compatiuntur, ſed magis ex conſideratione eorum pœnæ, ſumunt ſuæ occaſionem lætitiæ, ſimiliter ſic exponit S. Greg. Mag. illud Iob. 5. explicans in vaſtitate & fame ridebis, in vaſtitate inquit & fame « iuſtus ridebit, quia cum iniquos omnes extrema « vltio percutit, ipſe de gloria dignæ retributionis « hilareſcit, nec damnatis iam nunc ex humilitate « compatitur, quia diuinæ iuſtitiæ per ſpeciem inhærens, inconcuſſo diſcretionis intimæ vigore « ſolidatur, erectas namque in claritate ſupernæ « rectitudinis electorum mentes, nulla miſeria afficit, quia has in miſerias altitudo beatitudinis alienas reddit; tamen de iuſtis viatoribus hoc intelligendum autumat Ianſenius, ait enim. *Iuſtus cum viderit iuſtam Dei vltionem lætabitur, tum quod per eum innocentes liberati ſint à violenta oppreſſione, tum maxime quod id cedat in Dei gloriam & Iuſtitiæ eius declarationem, ex conſideratione quoque vltionis ſumptæ de impio magis ſuas omnes mundare curabit actiones, eruditus pœna peccatoris ad ſalutem.* Lætabitur ergo iuſtus non præciſe de impij ſupplicio, ſed vel quod in Dei gloriam cedat, vel in ſuam eruditionem, vel quod ab eo ipſe liberatus fuerit. 42.

Hugo Carenſ. S. Auguſt. Pſal. 57. Incognitus. Iob 5. Ianſenius.

*Non solum communis sed prodigiosa & miraculosa est Dei pietas erga iustos.* A

43. *Eritque clamor magnus qualis non fuit, apud omnes autem Israelitas non mutiet canis.* Cum enim perturbata erũt omnia apud Ægyptios, pacatissima erunt apud Hebræos itaut nec mutiat caniculus; sed cur hæc ita contingent? vt sciatis quanto miraculo diuidat Dominus inter Ægyptios & Israelitas, qui interfectis omnibus eorum primogenitis, nos omnes liberos & incolumes seruauit, & hoc sane non leue miraculum, sicut non censeretur si flamma totam ciuitatem inuoluens, & omnia consumens ædificia, quosdam in cineres redigeret, alios autem seruaret illæsos. sed cur hac dictione *miraculi* vtitur, cum dicit Israelitas experturos se eos ab Ægyptijs diuisisse? quia non solum communis est, sed prodigiosa & miraculosa Dei in suos pietas, sic explicat Dionys. Carthus. *Miraculosam ostendet Deus pietatem suam erga Israelitas, & rigorem iustitiæ circa Ægyptios.* Dionys. Carthus.



## VARIETAS LECT. Vers. 8.

*Vulg.* Descendentque omnes serui tui isti B ad me, & adorabunt me dicentes, egredere tu, & omnis populus, qui subiectus est tibi, post hæc egrediemur.

*Cald.* Rogabunt me dicentes, egredere tu, & omnis populus qui tecum est, & post hæc egrediar.

*Septuag.* Et descendent omnes pueri tui, hi ad me dicentes, exite, & omnis populus quem ducis.

*Pagnin.* Incuruabunt se mihi dicendo, egredere tu, & omnis populus qui est in pedibus tuis.

## CONCORDIA.

Verbum חוחש sachach non solum adorare, incuruare, sed etiam rogare interpretatur, vbi habemus qui subiectus est tibi, Hebraice est אשר ברגליך qui sub pedibus est, Hebraismus C est, significans esse alicui subditum, iuxta illud Psalm. omnia subiecisti sub pedibus eius, quod subditi soleant sedere sub pedibus domini. Psal. 8.

## EXPOSITIO.

Descendentque omnes serui tui isti ad me. Licet terra Gesen in qua Moyses habitaret, altior esset Ægypti locis reliquis, tamen domus Regis cum in eminenti loco sita esset, inde seruos Pharaonis descendere primo oportebat, vt ad Moysen irent, *& adorabunt me* adoratione duliæ, ponitur que pro eo quod est obsecrare cum solita reuerentia, quæ in similibus fieri consueuit, *egredere* sacrificij in deserto offerendi gratia, *& omnis populus* qui tibi subiectus est, tuæ curæ commissus, *& post hæc egrediemur* postquam enim orauerint me serui tui, vt discedamus.

## CONCEPTVS.

*Non virtus digne laudatur, ab his qui ea carent.*

44. *Descendent omnes serui tui ad me, & adorabunt me.* Expende quid sibi promittat Moyses D ab ipsis Ægyptijs infensissimis suis hostibus, mirum quod adorabitur ab illis, cur non expectet hoc Moyses, quando & vniuersi iusti vili & manifestati ab ipsis reprobis extorquebunt laudes suorum facinorum? ad hæc Lippomanus. *Admirabilis sane & illustris homo iustus, adorabitur enim tempore iudicij ab omnibus iniustis & collaudabitur sors eius.* Non dubitant impij ore laudare Deum, laudare virtutes: sed quanta hæc sit laus ad Deum, quæ inueniri potest in ore impiorum? sola vera laus quæ Deum magnificat, illa est quæ in operibus virtutum inuenitur. Lippom.

*Tanti Deus æstimat iustos, ut non solum eos in publica calamitate, sed quæ eorum sunt, seruet illæsa.*

*Descendent omnes serui tui ad me, & adorabunt me.* Cum omnes primogenitos suos viderint misera sorte periisse, nostros autem incolumes, quid etiam tunc? apud nos nec mutit canis, nonne apud Ægyptios communis est interitus & miseria, itaut non solum homines, sed etiam pecudes mortuæ & exanimes taceant? cur saltem apud Israelitas si seruantur homines illæsi, non pereunt animalia? cur ex dolore canes non mutiunt? quia ita Deus æstimator iustorum est, vt non solum eos in publica calamitate seruet incolumes, sed etiam quæ sunt eorum licet inanimata & irrationalia. *Nouit Dominus*, inquit Oleaster. *non solum saluare iustos à pœnis impiorum, sed eorum iumenta ne sentiant malum, vt videas ad fœlicitatem pertinere esse iumentum iustorum ne pereat-* 45. Oleaster.

*Nullo efficacius trahitur homo quam iis quæ circa ſe ſunt.*

46. *Deſcendent omnes ſerui tui ad me, & adorabunt me.* Ergo ficte & corde ſimulato? quis enim ab hoſte infeſiſſimo niſi ſimulate adoraretur? quinam autem magis Iſraelitarum aduerſarij quam Ægyptij? non ficte adorabunt, id eſt deprecabuntur, nam humillime, imo & anxie rogabunt, vt diſcedamus. nonne plura Ægyptiorum conſumpta fuere, & grandine percuſſa & occiſa animalia, imo aliqui Ægyptij plagis conſumpti, nec tamen eorum perditione & miſera ſorte potuerunt adduci, vt libere cum omnibus Iſraelitis eum dimitterent? cur tam igitur anxie dimittent eos? cur eos & cum precibus, ſinent cum omnibus bonis abire? cedebant antea ſerui Ægyptiorum, fruges, pecora &c. ſed nullus cedebat primogenitus, chariſſima pignora morti non tradebantur infœlici. vbi autem in ſuis filiis ſpiculum ſentire cœperunt, non amplius diſtulerunt, ſed confeſtim vel cogebant Iſraelitas abire, proh quam efficaciter trahitur homo illis quæ circa ipſum ſunt!

*Miſera ſors ſubditorum.*

47. *Deſcendent omnes ſerui tui ad me, & adorabunt me.* Non cultu latriæ, quæ ſignum exterius eſt adhibitum in ſupremi dominij recognitionem, ex interiori mentis affectu & deuotione proueniens, ſignificatque ea animi demiſſione cultum ac reuerentiam, quæ ſoli Deo, veluti vitæ noſtræ atque omnium ſupremo auctori debetur, hancque adorationem internam ac ſpiritalem extrinſecus demonſtramus ſacrificio, capitis inclinatione, corporis totius proſtratione, genuflexione, pectoris tunſione, manuum & oculorum in cœlos eleuatione, & aliquot piis aliis externis geſtibus. non cultu hyperduliæ, quæ eſt animi ſubmiſſi atque humilis demiſſio, quæ creaturis, virtute, excellentia & dignitate ſupra communem aliorum ſtatum ſupereminentibus exhibetur: ſed cultu duliæ quæ eſt alicuius virtutis vel excellentiæ recognitio ſigno exteriori proteſtata: adorabunt me inquam cultu duliæ, & dicent *egredere tu & omnis populus qui tibi ſubiectus eſt*. Pagni. ex Hebræo *& omnis populus qui eſt ſub pedibus tuis.* Quid? an ſubditi principum pedibus teruntur, vt dicantur ſub pedibus eorum eſſe? ita ſentit Oleaſter in expoſitione ad litteram, *dicuntur ſubditi ſub dominorum pedibus eſſe*, aut quia ſedent ſub pedibus eorum, aut quia pedibus eorum calcantur. Oleaſt.

*Iuſti magnanimiter coram regibus loquuntur.*

48. *Deſcendent omnes ſerui tui ad me, & adorabunt me.* Quid o Moyſes? nonne alloquens Pharaonem Regem? cur ergo ſicut decet Regiam maieſtatem, eum non conuenis humiliter & demiſſe? non miror tibi ingreſſum curiæ ſuæ non ſolum interdixiſſe, ſed etiam conſpectu ſuo priuaſſe, quis enim Rex non excandeſceret, audiens ſubditos ſuos alium & hunc priuatum hominem in regno ſuo adoraturos, & genu coram eo flexuros? nimio enim zelo ſuæ authoritatis ducitur, nimia ſuæ gloriæ tenetur ambitione, vt vellet alium ſibi præferri, vel ſaltem coæquari: nihilominus nullo metu perculſus ſic coram Rege loquitur, iuſti enim non puſillanimiter ſed magnanimiter coram principibus, quæ ſentiunt, efferant. *Apparet* (inquit Card. Caiet.) *ex hoc loco quod coram Pharaone & curialibus eius magnanimiter hæc dicit & adorabunt me.* Caiet.

*Plurimorum deprecatio efficacior eſt ad aliquid obtinendum.*

49. *Deſcendent omnes ſerui tui ad me, & adorabunt me*, Pagn. *incuruabunt ſe*, Cald. *orabunt me.* Cur non ais ſerui tui deprecabuntur, non addito ſigno vniuerſali, *omnes*? nam ſi ſolum aliqui te ſubmiſſe & in genuflexione orauerint, vt cum omnibus bonis tu cum populo tuo diſcedas ab Ægypto ſacrificij offerendi gratia in ſolitudine, nonne eorum precibus annues? non ita loquitur, ſed quod omnes ſerui ſint eum deprecaturi; ſed cur omnes? quia omnium deprecatio efficacior eſt quam paucorum ad aliquid conſequendum. *Omnes ibant*, inquit Abul. *vt magis mouerent Moyſem ad id quod volebant.* Abulenſis.

*Deus vicem iuſtorum meliorat, & impiorum ſortem deprimit.*

50. *Deſcendent omnes ſerui tui ad me, & adorabunt me.* Deprecantes vt ilico cum populo mihi commiſſo diſcedam; quid? nonne pluries in aulam regis deſcendiſti, & coram ſeruis eius ipſum deprecatus es, imo interpoſitis ſignis, vt te liberum cum tuis abire ſineret? nam non ſolum ſemel & iterum, ſed pluries in conſpectum regis deſcendiſti, vt liberam abeundi facultatem obtineres: quomodo ergo non ſolum deſcendent ad te ſerui aliqui, ſed omnes? non ſolum orabunt ſed adorabunt te? non ſolum ſinent abire, imo & compellent? ſic Deus vicem iuſtorum meliorat, & ſortem impiorum deprimit: fauet cit. Abul. *Hoc in pœnam eorum erat, quia antea Moyſem petentem exaudire nolebant, nunc vice verſa cogebantur ipſi petere à Moyſe, vt recederet cum populo ſuo.* cit. Abul.

*Virtus iuſtorum inexpugnabilis eſt.*

51. *Deſcendent omnes ſerui tui, & adorabunt me.* Quid? tot minis interpoſitis à Pharaone, non defeciſti? quid? quaſi omnibus ſuperior, & omnium Deus loqueris, & adorabunt te? quid? non ne repulſam toties patiens, non frangeris animo? cur mente non decidis Pharaonis mentem obſtinatiſſimam experiens? neſcit virtus iuſtorum quibuſlibet aduerſis ſuperari. *Virtus enim* (inquit S. Chryſoſt. hom. 11. ad Philipp.) *vbique lucet, & inexpugnabilis eſt, nihil eam impedire poteſt, non diuitiæ, non paupertas, non principatus, non ſubiectio, non rerum præſidentia & adminiſtratio, non morbi, non ignominia, ſed his omnibus in terra relictis, ad cœlum ipſa pertingit.* Duntaxat ſit animus generoſus & nihil poterit ſtrenuum ac ſolidum impedire. S. Chryſoſt.

*Virtuosus quasi Deus esset, adoratur.*

52. *Descendent omnes serui tui & adorabunt me.* Quid? an ignoras quod soli Deo debetur adoratio? & licet in Deum Pharaonis constitutus fueris, non ita extollaris vt te Deum cui adoratio debeatur, arbitreris. sed cum nec Deum, agnoscant, quomodo tibi, Deo longe inferiori, vt pote creaturæ, adorationem exhibebunt? nonne experimento didicerunt esse virtutibus insignitum? nonne & plures crediderunt virtutem esse A Deam, teste S. August. lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 20? virtutem quoque Romani Deam fecerunt, quæ quidem si dea esset, multis fuerat præferenda, & nunc quia dea non est, sed donum Dei, ipsa ab illo impetretur, à quo solo dari potest. quid ergo mirum, si eum adorarent, cum virtutem deam crederent, & eum virtuosum agnoscerent? Sane, inquit Bernard. in ser. sancti Victoris, *sola est virtus cui gloria iuste debetur, & secure impenditur.* S. August. S. Bernard.



## *VARIETAS LECT. Vers. 9. & 10.*

*Vulg.* Et exiuit à Pharaone iratus nimis, dixit autem Dominus ad Moysen, non audiet vos Pharao, ni multa fiant signa in terra Ægypti.

*Sep.* Exiuit Moyses à Pharaone cum ira, non exaudiet vos Pharao, vt multiplicans multiplicem signa mea & portenta in terra Ægypti.

*Cald.* Et egressus est à facie Pharaonis cum ira furoris, non acquiescet vobis Pharao.

B *Onk.* Egressus est à Pharaone irato vultu.

*Vulg.* Moyses autem & Aaron fecerunt omnia ostenta quæ scripta sunt coram Pharaone, & indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua.

*Sep.* Fecerunt omnia signa & portenta hæc in Ægypto.

*Arias.* Et Dominus roborauit cor Pharaoh.

## *CONCORDIA.*

Hebraismum בחרי אף in ira furoris, recte reddidit interpres, iratus nimis, vbi legimus ni multa signa fiant, Hebraice est למען רבות מופתי vt multiplicans multiplicem portenta, sed C vtriusque lectionis idem est sensus, addiderunt Septuag. ἐν γῇ Αἰγύπτῳ sicut & vulgatus, quæ scripta sunt, sed sensum non immutarunt.

## EXPOSITIO.

*Exiuit à Pharaone iratus nimis.* Tantæ tergiuersationi peruicaciæ, & rebellioni Pharaonis, *non audiet vos ni multa signa fiant* illud ni consecutiue capiendum est, vt sensus sit qua occasione fiet vt multiplicem signa mea & portenta, *Moyses autem & Aaron fecerunt omnia ostenta quæ scripta sunt*, ostenta dicuntur ea signa, quæ non solum erant diuinæ potentiæ demonstratiua, sed etiam pœnæ inflictiua, *& indurauit Dominus cor Pharaonis*, ablata efficaciori gratia emolliente:

## CONCEPTVS.

*Ira non rationem præeat, sed subsequatur.*

53. *Exiuit à Pharaone iratus nimis*, Cald. *cum ira furoris.* Nescio cur tot præconiis extollatur Moyses? cur mitissimus hominum prædicetur? ecce quia Pharao non vult dimittere populum, ab eo secedit nimis iratus, imo cum ira furoris, quid ait Chrysost. homil. 29. ad populum Antioch? nihil iracundo homine insuauius, nihil grauius, nihil infestius, turpius nihil, feræ potius quam homini cohabitandum, nam illa cum semel mansuefacta fuerit, suam seruat legem, hunc autem quoties mitigaueris, rursum efferatur. dices sacram paginam non dixisse Moysem hominem iracundum, sed iratum, ita sane, sed audiamus, S. Hieronym. lib. 3. cap. 5. ad Galat. & cap. 1. ad Titum. inter iracundiam & iram hoc interest inquit quod iracundus semper irascitur, iratus pro tempore concitatur, & nescio quis D possit regnum Dei possidere, cum is qui irascitur separetur à regno. sed audiamus Spiritum sanctum loquentem Eccles. 27. ita non habet misericordiam, & 33. ira & furor vtraque execrabilia sunt, imo Christum D. apud Matth. 5. omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio &c. ecce irascitur Moyses, & non quomodocumque, sed vehementissime. Pharaoni irascitur quidem, sed non ira rationem præeunte, sed subsequente; ratio enim dictauit homini ita obstinato irascendum, vt deposita peruicacia ad meliorem frugem se recolligeret, & hæc non vituperanda. vnde recte Sanct. Gregor. Mag. in Epistol. ad Rogem Visigothorum sic eum monet. *Curandum ne ira subrepat, ira quippe cum etiam delinquentium culpas exequitur, non debet mentis quasi domina præire, sed post rationis tergum velut ancilla famulari, vt ad faciem iussa veniat, nam*

S. Chrysost. S. Hieron. Eccles. 27. S. Gre. Mag.

A *si semel mentem possidens, cœperis iustum esse, deputas etiam quod crudeliter facis, hinc etiam scriptum est, ira viri iustitiam non operatur.*

### *Irascimur iuste flagitiosis.*

54. *Exiuit à Pharaone iratus nimis*, Cald. *cum ira furoris.* Quis diceret Moysem virum iustissimum irasci? quid ait S. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 31. iræ stimulis cor accensum palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi & nequaquam recognoscuntur noti, lingua quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur, ignorat, in quo iste itaque ab arreptitiis longe non est qui actionis suæ conscius non est; si ergo tantus est furor hominis irati, quis non condemnabit B Moysen ira excanduisse, imo & quasi furore percitum? sed ne quæso eum vituperes, irascebatur enim non Pharaoni, sed suæ peruicaciæ & obstinationi, quod equidem fit iustè: in medium produco testimonium S. Diadochi Episcop. Photices cap. 62. de perfect. spirituali. *Ira* (inquit) *plusquam aliæ passiones, perturbare & confundere solet animam, aliquando vero magnopere vtilis est, cum enim contra eos qui aliquid inique aut flagitiosè quodcumque illud sit committunt, ea sedate vtimur, vt aut salui fiant, aut pudore afficiantur, tunc mansuetudinem ei adiungimus, eodem enim tendimus quo iustitia & bonitas Dei spectant, imo sæpe cum grauiter peccato irati sumus, illud fœmineum quod in ira inest, virile facimus &c.* deinde subiungit, *vt iam mea sententia, ira moderata magis tanquam telum natura nostra ab auctore nostro turbata est, quo si Eua contra* C *serpentem vsa fuisset, nunquam ab illa falsa voluptate delinita esset, vnde vt mihi videtur, qui propter studium & ardorem pietatis ira vtitur sedate, probatior vt lance remuneratio reperietur, præ eo qui nullomodo propter mentis immobilitatem ira mouetur: hic enim aurigam sensum hominis inexercitatum habere plane ceruitur, ille vero semper in equis virtutis certandi studio feruens vehitur inter medias dæmonum copias, quadrigam continentiæ in timore Dei omni tempore exercens.*

### *Ira ex appetitu vindictæ pessima est.*

55. *Exiuit à Pharaone iratus nimis* Cald. *cum ira furoris.* Definiens iram & furorem Ioannes Abbas Reythius super Ioannem Clymacum ait, ira est manens tristitia & perseuerans impetus ad vindictam, vel ira est habituata malitiæ memoria, cum odio contristantis; furor autē est ebullitio, & accensio, & euaporatio ad retributionem contristantis, impetuosè præcipitans, est ira passio væsana scientiam habentes infatuans faciliter, feralem constituens animam, & omnem affabilitatem declinare faciens, & ex hoc dira, lethalis, & maligna, à qua mouetur vento vehementi, & furiosus conturbatur à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu caliginis euaporationes, obscurant aerem, & furiæ motus mentem iracundi; hæc prædictus Abbas de furore & ira: at in Moyse iram videmus & secundum Caldaicam lectionem furorem, quid dicemus, mente perturbatum, iudicio obtenebratum? non equidem, ira enim illius non ex spiritu vindictæ procedens, sed ex peccato Pharaonis. primo autem modo sicut vituperio digna, secundo laudem meretur. teste Olympio. in caput 7. Ecclesiastis qui explicans hæc verba super risum bona est ira, ait. *Irasci naturaliter bonum laudabileque censetur, vt cum quis vel contra dæmones vel contra carnis passiones insurgat & excandescit, huiusmodi iram hoc loco bonam appellat, quæ autem non cum peccatis, sed appetitu vindictæ illatas vlciscitur iniurias; hæc damnanda est ira, melius hoc pacto irasci quam risu leniter dissolui, grauis enim vultus nec resolutus correctionis est index, & ad solidum virtutis gaudium animam parat.* — Eccles. Olympiod.

### *Diuini mandati contemptus iram excitat etiam in mansuetissimis.*

*Exiuit à Pharaone iratus nimis*, Cald. *in ira furoris.* Quid? nonne in laudem Moysis dicitur, quod erat inter mortales omnium mitissimus? ira autem & mansuetudo nonne sibi aduersari videntur? quomodo igitur in iram concitatur? vbi est illa mansuetudo ab omnibus prædicata, qui cum iniuriis & calumniis appetebatur patientissime sustinebat? nonne Pharao toties monitus non solum verbis, sed & flagellis, noluit dimittere populum Israel, monita illius habens contemptui? quid mirum igitur Moysem irasci vehementissime? contemptus enim diuini mandati iram excitat etiam in mansuetissimo: subscribit Oecumenius in caput 5. Actuum super percussionem Ananiæ à S. Petro. *Nouit contemptus diuinorum eum quoque iram incendere qui ab ira alienus est.* 56. — S. Gre. Mag. S. Diadoch. Oecumen.

### *Ira à zelo iustitiæ formata, laudanda.*

*Exiuit à Pharaone iratus nimis.* Non mihi negotium faceret, si semel iratum Moysem viderem, sed cum pluries conspicio iram non coercuisse, quid de eius mansuetudine sit sentiendum, dubium videtur: nonne ille est qui Leuitarum manus in alios Israelitas armauit, dicens, imo & hæc præcipiens, Exod. 32. vnusquisque vestrum gladium ad latus teneat, & transite à porta in portam, & flectite per circuitum castrorum, & suum quisque fratrem interimat, & quilibet proximum suum? sed omne dubium mansuetudinis Moysis remoue, ira enim qua vides mentem eius agitari, à zelo iustitiæ procedit, quæ sane non vituperium sed laudem meretur, *est enim* teste S. Greg. Mag. lib. 5. Moral. cap. 33. *Alia* D *ira quam impatientia excitat, & alia quam zelus iustitiæ format, illa ex vitio est, hæc ex virtute generatur.* Iusto igitur zelo ira Moysis succensa erat, vt refractarium & contumacissimum hominem qui nec flagellis, nec exhortationibus, nec comminationibus poterat adduci ad concedendum Israelitis liberum discessum: hinc scite. Dionys. Carthus. *Exiuit Moyses à Pharaone iratus, sic & iusti contra peruersorum duritiam interdum zelo iustitiæ irascuntur, & cupiunt eos in hac vita castigari à Domino ne pereant in æternum*, veruntamen zelus huiusmodi debet esse secundum scientiam, hoc est discretione conditi, vt memor sit homo propriæ fragilitatis, nec immoderatè feruescat, imo pro eorum salute oret quibus irascitur. 57. — Exod. 32. S. Gre. Mag. Dionysi. Carthus.

Oo iij

*Deus ita bonus vt etiam inobedientia nostra bene vtatur.*

58. *Exiuit à Pharaone iratus nimis, non audiet vos Pharao vt multa signa fiant*, ex Hebræo *vt multiplicent signa mea*. An quia tuis non acquiescit mandatis Pharao, mirabilia & ostenta operaberis in terra Ægypti? an signorum tuorum inobedientia hominis causa erit? ne inobedientiam Pharaonis dixeris esse causam, sed Deum tantæ bonitatis ac potentiæ, vt ex ea sciat aliquid in bonum elicere, annuit S. August. q. 40. in Exod.

S. Augustin. *Tanquam opus fuerit eius inobedientia vt signa illa multiplicentur, quæ vtiliter fiebant ad terrendum populum Dei, atque ipsa discretione ad pietatem informandum, sed hoc Dei fuit malitia cordis illius bene vtentis, non Pharaonis Dei patientia male vtentis.*

*Deus gloriæ suorum amantissimus.*

*Exiuit à Pharaone iratus nimis, &c. Moyses autem & Aaron fecerunt omnia ostenta quæ scripta sunt.* An alicui ignotum præcedentia legenti capita, Moysen & Aaron prodigia operatos fuisse in Ægyptiorum conuersionem? nonne Aaron proiciens virgam, conuersa est in draconem? aquas vertit in sanguinem? Cyniphes eduxit terræ puluere percusso? nonne per Moysem cætera facta sunt? cur ergo quasi superflue repetit eos huiusmodi miracula effecisse? non superflue quidem, sed vt seruorum suorum virtus & gloria intimius nobis inculcaretur, & ne posteritas vllo modo hanc veritatem in dubium reuocare posset. 59.





# CAPVT DVODECIMVM.

## SYNOPSIS.

Paſchalis agni ritu declarato ac celebrato, eiuſque ſanguine domorum ſuperliminaribus poſito, cæſis omnibus Ægyptiis primogenitis, Iſraelitæ cum diuitiis Ægypti, egrediuntur: de ritu Phaſe, ac eſu azymorum, & tempore habitationis Iſrael in Ægypto, aliqua hic inſeruntur, de agno Paſchali autem ſex hic pertractat Moyſes, primo de qualitate agni, ſecundo de tempore illum immolandi, tertio de ſanguine illius poſtibus ponendo ad euadendum percuſſorem Angelum, quarto de modo & ritu illum comedendi, quinto de nomine tam agni quam feſti, quod eſt Phaſe vel Paſcha, ſexto de perſonis ad edendum idoneis.



### *VARIETAS LECT. Verſ. 1. & 2.*

*Vulg.* Dixit quoque Dominus ad Moyſen & Aaron in terra Ægypti.

*Vulg.* Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni.

*Pag.* Menſis iſte vobis caput menſium.

### *CONCORDIA.*

Dictio ראש ros æquiuoca eſt, ſignificat enim primitatem & dignitatem, primitatem, ita vt nihil aliud præcedat, ſed in ordine ſit primum, dignitatem, id eſt vt hoc ſit principium & omnium celeberrimum, hinc eſt quod cum hic vtrumque poſſit intelligi, alii dictionem ros interpretati ſunt per primum, alii per caput.

## EXPOSITIO.

*Dixit Dominus ad Moyſen & Aaron*, ſcilicet antequam mortem primogenitorum ſignificaret Pharaoni, *in terra Ægypti*, non vt quædam quæ dicta ſunt ei in terra Madian, *menſis iſte* qui apud Ægyptios eſt Pharmuti, apud Macedones Xanticus, apud Romanos Martius, & iſte inquam iam præſens, in quo luna arieti opponitur, quique æquinoctio verno eſt coniunctus, & dicitur voce Caldæa Niſan vobis autem אביב, eo quod tunc ariſtæ & ſpicæ germinare inciperent, hordeumque tunc eſſet ſpicatum, vt ſatis conſtat ex ſuperiori capite nono, vbi linum & hordeum dicuntur læſa, reſpondet autem hic menſis Martio noſtro, partim Aprili non tamen ſemper, quoniam aliquando præcedit, aliquando æquinoctium vernale ſequitur, ingrediturque Aprilem; & quoniam Iudæi menſes ſuos per lunationes ſupputant, & prima lunatio à prima oppoſitione lunę ad ſolem, ſignum arietis ingreſſum, incipit, ita quod prima lunę oppoſitio ad ſolem in ariete eſt prima lunatio, & prima dies primi menſis apud Iudæos, ideo partim Martio partim Aprili noſtro correſpondet, menſis Niſan, ſecundum autem noſtrum Lyranum, primus menſis Hebræorum more communi & ordinario ſemper incipit à principio propinquiori lunationis æquinoctio vernali, ſiue principio prædictæ lunationis, ſiue ante æquinoctium, ſiue poſt, ſiue in ipſo, eſt autem æquinoctium prædictum propinquius principio Martij, quam fini, incidit enim in duodecimum diem Martij ſecundum veritatem, *vobis principium menſium primus erit in menſibus anni.*

Ex quo loco ſatis liquet alium Hebręos habuiſſe menſem anni primum ante egreſſum ex Ægypto, ab hoc menſe primo Niſan: iſtam autem aliam computandi rationem Hebręi in Ægypto ab Ægyptiis acceperunt: illa autem vox, *principium, & primus*, poteſt referri ad dignitatem, vt ſignificetur hic menſis deinceps futurus omnium celeberrimus, poteſt etiam referri ad ordinem, vt ſignificetur annus ab eo eſſe inchoandus, atque hoc rurſum poteſt dupliciter accipi, primo vt Iudęis hic præſcribatur nouum anni initium, quo antea non fuerant vſi, quia incipiebant tunc annum ab autumno: ſecundo vt ſit confirmatio prioris conſuetudinis, quaſi dicat ex nunc nouam habebitis rationem, quare hic menſis primo loco ponitur, nempe noua mea beneficia, quę vobis conferam, euehens vos ex ſeruitute in nouam rempublicam, & populum liberum, vt iam non alterius regni, ſed veſtri annos computetis, quæ ex his tribus expoſitionibus probabilior ſit, iudicauit Ioſeph. Moyſes. Niſan, qui eſt Xanthicus, primum menſem ordinauit, quod per hunc Hebręos ex Ægypto eduxiſſet, eundem etiam quæ ad rem diuinam pertinent, exordium fecit, alioqui quod ad nundinationes rerum venalium pertinet, reliquamque anni diſpenſationem, nihil de priſtino ritu innouatum eſt, adeoque manſit anni ciuilis initium, vt ſolebat, in autumno menſe ſeptimo.

Ioſephus.

Pro cuius clariori intelligentia obſeruate vſque in hodiernū diem Iudęis habere duplex anni initiū vnum vulgare & naturale, quod incipiunt à propinquiori nouilunio æquinoctio autumnali, quo vtuntur in rebus ciuilibus, alterum ſacrum ſiue Eccleſiaſticum quod incipiunt ab æquinoctio verno, in Martio, ratione enim atque ordine feſtorum, ipſis Iudęis primus menſium eſt Niſan, qui fere Martio noſtro reſpondet, quoniam regulariter vt diximus ex noſtro Lyrano, primus menſis Hebræorum ſemper incipit à principio propinquioris lunationis ęquinoctio vernali, ſiue principium prædictæ lunationis ſit ante æquinoctium, ſiue poſt, ſiue in ipſo: addunt tamen Rabini & benè iuxta hanc rationem duplicis anni ſacri & ciuilis, duo quę ſacra erant in anno ciuili fuiſſe ordinata, ſcilicet annum ſeptimum, & annum quinquageſimum, ſiue iubilęum, prout & de Iubilęo præſcribitur Leuit. 25. vbi diſerte habetur, annum Iubilæi inchoandum eſſe à menſe ſeptimo, ratio autem horum eſt, quia cum his annis abſtinendum eſſet ab omni ſatione & meſſe, futurum fuiſſet, vt duobus annis continuis nihil colligerent, illo enim anno meſſis quæ fiebat fuiſſet relinquenda in agris, & proximo autumno abſtinendum fuiſſet à ſatione, & incipiendo ab autumno, vna ſementis & altera meſſis, ſolum fuit omittenda.

Ordo autem & nomina menſium anni ſacri apud Hebræos non ſunt omittenda, hæc autem erant, primus dicebatur Niſan, ſecundus Iar ſiue Tiar, qui & aliquando dictus eſt Zio ſiue Zin; tertius Sinan aut Siuā, vel Siban, quartus Tamuz: quintus Ab: ſextus Elul. ſeptimus Tiſry, aliàs Ethanim vel ethanin: octauus Marcheſuan & Bul & Niar ſonam; nonus, Ciſlē vel Caſleau, decimus Thebeth ſiue Thobeth, vndecimus Sebat ſiue Sabath, duodecimus Adar, & quandoque Adar anterior ad differentiam alterius Adar, qui Adar hoc eſt Adar poſterior dicebatur: quandocumque enim opus erat addere anno decimum tertium menſem, nam cum fuerint hi menſes lunares, non ſolares (licet hoc ſecundum aſſerat Montanus lib. de temporibus) & annus duodecim lunarum breuior ſit anno ſolari, vndecim diebus neceſſario intercalandus, ſubinde fuit vnus menſis in fine anni, anno ſcilicet à poſteriore intercalatione ſecundo vel tertio prout res exigebat: aliàs enim primus menſis non ſemper fuiſſet menſis nouarum frugum, imo ſi nihil intercalatum fuiſſet, paulatim poſt aliquot annos, primus annus menſis anni occupaſſet mediam hyemē, & tandem ad autumnum & ęſtatem retroceſſiſſet: vt ergo annum ſuum & neomenias ordinarent, cum curſu ſolis, emboliſmum ſuum ſeu intercalationem vnius menſis, quem nunc ſecundo, nunc tertio tantum anno intercalabant, eratque is annus tredecim menſium, ſeu lunarum, vocabaturque tertius decimus ille menſis Adar ſecundus, vel Veadar, porro nunc ſecundo, nunc tertio anno fuiſſe intercalandum patet, non enim ſemper potuit fieri ſecundo, cum duo anni duodecim lunarum non recedant vna integra lunatione à curſu ſolis 22. diebus duntaxat,

neque semper fieri potuit tertio quoque anno, A quia tres anni duodecim lunarum recedunt plusquam vna lunatione à cursu solis, triginta tribus diebus scilicet, cum vna lunatio sit 129. dierum & semis.

Aduertendum tamen ista mensium nomina posterioribus temporibus apud Hebreos esse introducta, nam menses olim numeris tantummodo notari solebant, vt patet Genes. 8. vbi fit mentio mensis primi, secundi, septimi, & decimi, quæ vero prius nomina mensium retulimus, Caldaica potius quam Hebraica extitisse creduntur, & non nisi post captiuitatem Babylonicam vsitata, cuius rei signum est, quod in sacris libris post ipsam conscriptis, passim reperiuntur, videlicet in libris Esdræ, Esther, Zachariæ, & Machabeorum, in aliis autem non item, prætterquam 3. Reg. c. 3. v. 1. & 38. & c. 8. v. 2. vbi B memorantur Zio mensis secundus, & Ethanim mensis septimus, & Bul mensis octauus, quę tamen nomina in antiquissimis codicibus nequaquam extitisse arbitror, sed post captiuitatem ab Esdra in sua sacrorum librorum recognitione diuino instinctu fuisse adiecta, ad tollendam æquiuocationem, hoc est vt sic declararet menses illos, videlicet secundum, septimum, & octauum non fuisse tales in ordine ad annum communem, sicuti erant illi quorum mentio facta fuerat Genes. 8. sed in ordine ad annum sacrum.

Ex dictis superius sequitur, menses Hebræorum non potuisse semper ex æquo respondere nostris, quoniam sicut Nisan plures habebat, habetque partem nostri Martij & partem nostri Aprilis, ita & qui illum sequuntur puta Iar, partem nostri Aprilis, & partem nostri Maij, cuius ratio est, quia vt diximus, menses Hebræorum cum essent lunares, necessario erant mobiles & instabiles, primus namque interdum ante, interdum vero post vernũ exordiebatur æquinoctiũ, vnde ad mutationem primi, cæteros quoque menses mutari necesse est: at nostri menses fixi sunt & stabiles, semper eodem anni tempore incipientes ac desinentes, deinde menses Hebraici alternatim habebant vnus viginti nouem dies, alter vero triginta, nostrorum autem mensium vnus habet dies viginti octo, alii & triginta vnum, præterea fere nunquam possunt cum illis prorsus concidere.

## CONCEPTVS.

*Ex ærumnis pro Deo susceptis, dies hominis numerantur.*

1 DIxit Dominus ad Moysen, mensis iste vobis principium mensium. Ex tunc computantur menses Israelis, quando ex Ægypto liberatur, educitur & simul conicitur in labores & æ- C rumnas deserti: cur ergo Ægypti dies vt pote summe laboriosi & maxime ærumnosi, (vbinam enim tot calamitates perpessi sunt, quam in Ægypto? quonam enim genere persecutionis non fuere tentati?) cur ergo inquam ex tunc dies non numerati sunt, non autem ex quo abundant doloribus & ęrumnis in deserto? equidem postremi hi labores ferebantur à fidelibus propter Deum, & ideo ab illis incipiunt dies computari, D. Gaudent. in Exod. serm. 1. *non sunt imputati Israelitis illi dies quos consumpserunt in Ægypto, sed quando ingemuerunt ad* Dominum *conuersi ab operibus luteis, & Dominus percussit primogenita Ægyptiorum, qui eos seruire Domino non sinebant, tunc audierunt, mensis hic vobis initium mensium, primus est vobis in mensibus anni*, vbi gemitus nostri D & labores nostri Deum aspiciunt, ex tunc dies censentur nostri, & incipiunt clarissima ætatis nostræ .. mpora numerari. S.Gaudent.

*Virtutibus reflorescere debet qui cœlestis panis messem sperat copiosam.*

2 *Dixit Dominus ad Moysen, mensis iste vobis principium mensium.* Hunc mensem fuisse Nisan communis fert Expositorum sententia, qui quidem sæpius (vt vidimus in expositione) correspondet Martio & Aprili nostro, cui dum agni epulum populo Israel paratur, iubet Deus vt fiat mense anni primo, qui est Nisan? ait enim decima die mensis huius, tollat vnusquisque agnũ: nemini dubium, quin per hunc agnum intelligatur ille qui tollit peccata mundi, qui in sacramento Eucharistico sumitur ab Israelitis omnibus: etiam est certo certius, in mense Nisan omnia reflorescere, arbores enim ornantur floribus, plantæ similiter eis vestiantur, denique tota terra eis ditatur: en ergo cur alio mense non permittitur agni epulum, nisi vt telluris exemplo discat homo quam debeat reflorescere & iuuenescere, qui sese diuino excipiendo parat pabulo, vt copiosam ex cœlesti pane messem accipiat, pulchre Rupert. lib. 2. c. 5. in Exod. *ipsa mensis Nisan idest Aprilis verna tẽperies, cum tellus reflorescit, totusque post hyemem, quasi post senium rursum iuuenescit orbis, nonne hominem decet quatenus renouatus spiritu mentis suæ, spe lætus, charitate floridus epulis agni Paschalis intersit*, plane reflorescens homo, multisque virtutum generibus iuuenescens, sese maxime præparat, vt capere possit ditissimas diuinę mensis expulas. Rupert. Abbas.

*Depulsis tenebris peccati ad agnum mysticum & Eucharisticum accedamus.*

*Dixit Dominus ad Moysen, mensis iste vobis principium mensium.* Decima autem die huius mensis post æquinoctium vernum agnus domum deferebatur immolandus decima quarta die eiusdem mensis, quid est quod tempus eligitur post vernum æquinoctium ad agni immolationem? ad agni Paschalis comestionem? nonne eo tempore incipiunt longiora esse spatia diurna quam nocturna? si hęc ad anagogem referas, sane nox est peccatum, dies vero iustitia & pietas: dic ergo post vernum æquinoctium agnum immolari, quia qui ad agnum Eucharisticum venit, tempus verni æquinoctii in animum trahat, id est depulsis vitiorum tenebris, incumbat virtutum studio, 3

aliàs enim non est aptum tempus ad Euchari- A stiam excipiendam, depelle vitiorum tenebras & lumen pietatis in autumnum trahe, & tunc cum vere Israelitis accingere ad agni sumptionem, scitè eodem loco cit. Abbas, *quidnam illud quod non ante sed post vernum immolatur aequinoctium? nempe ab aequinoctio verno superare incipit dies noctem, nam ante illud tempus prolixiores tenebras, breuioremque habemus lucem, ergo & in hoc mysterium est, quia videlicet ab immolatione agni incontaminati & immaculati Christi cœpit lux iustitiae peccatorum tenebras superare, nam antea longa erat & profunda peccatorum nox, breuis autem & nubilosa legalis iustitiae lux erat.*

Abbas Tuicensis.

*Christus etiam quodam speciali amore terrae Ægyptiacae tenetur, ex eo quod prima immolatio agni Paschalis, nostri Eucharistici typi in ea incœpta fuerat.*

4 *Dixit Dominus ad Moysen in terra Ægypti, mensis iste est principium mensium, &c.* Cur notatur quod hoc ei dictum fuerit in terra Ægypti, cum super fluè additum videatur? nam certissimum est adhuc Moysen sicut nec Israelitas discessisse ab Ægypto, cum nec mors primogenitorum contigisset; quæso alium locum nempe versum 13. cap. 2. Matth. consulamus, referentis quid dictum fuerit ab Angelo Ioseph sanctissimo, surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dū dicam tibi. Quid est quod Christus Dominus potius eligit Ægyptum quam aliam regionem vt fugiat Herodis tyrannidem, & cur in ea voluit educari, cum memor deberet esse eorum quæ in ea olim tyrannicè perpessi sunt Israelitæ? verum nonne apud Ægyptios primum Pascha celebratum est? nonne agnus primo in ea immolatus est? ne dixeris ergo oscitanter positum hic fuisse *in terra Ægypti*, sicut nec sine mysterio & ratione Christum Dominum potius descendisse in Ægyptum quam in aliam regionem, sed vt indicaret, quod nescio quo Ægyptiorum amore tenetur, quia apud illos primò in agno occiso tanquam in typo, vidit se Christus in Eucharistia, cuius mysterii & sacramenti summo amore tenetur: ergo quamuis Ægyptiorum regio multis sceleribus scateat, & idolorum cultui sit dedita, nihilominus Deus eius amore flagrat, quia in illa sui corporis sanguinisque sacramenta primum vidit tanquam in figura: audiendus est S. Leo Papa serm. 5. de Epi- D phania, *ille qui sanguinem suum pro mundi redemptione fundendum in aliam differt ætatem, Ægypto se parentum ministerio subuectus intulit, ne sine illa regione pararetur singularis hostiæ sacramentum, in qua primum occisione agni salutiferum Pascha Domini fuerat præformatum.*

Matth. 2.

S. Leo.

*Licet fueris Aegyptius tenebris peccatorum obcæcatus, si tamen primogenita deleueris vitia, idoneus eris ad agnum Eucharisticum accipiendum.*

5 *Dixit Dominus ad Moysen in terra Ægypti.* Cur cum agitur de agno Paschali, nominatur prius Ægypti terra? cur cum primo Pascha celebrari, agnus occidi debet, terram Ægypti in medium protulit, imo & omnibus futuris mysteriis præposuit? quid est quod hoc tantum arcanum & admirabile sacramentum non distulit Deus in terram promissionis, sed in Ægypto, terra scilicet prophana & idololatriæ dedita primo celebrari iussit? ideo Ægyptus tanto mysterio illustrata est, quia inibi occisi sunt Ægyptiorum filij primogeniti, ergo & si animus tuus retulerit Ægyptum scilicet in caligine densa & tenebris Ægyptū retuleris, idoneus eris ad Eucharisticum agnum recipiendum, si tamen primogenita vitia deleueris, occide ergo per pœnitentiam peccata, & præcipue ea quæ in anima tua primatum gerunt, & hac ratione facile poteris ad hanc mensam peruenire, subiicio tibi Anastas. Synait. lib. 8. Anagog. contempl. in Hexamet. sic ad institutum B nostrum meditantem, *ille amenissimus & frugifer Nilus occidit olim fœtus primogenita Pharaonica legislatoris iussu morte affecta, prius indicans & significans Christum, qui occidit primogenita Pharaonis Diaboli, impietatem inquam & idololatriam in profundo aquæ Baptismatis, in ea Pascha fuit typus Christi passionis, & agnus primus est occisus.*

Anastas. Synaita.

*Vitæ initium imo horoscopum fœlicissimum ex agno Eucharistico habemus.*

*Dixit Dominus ad Moysen in terra Ægypti, mensis iste vobis principium mensium.* Ab occiso agno temporis initium ducitur, & qua de causa? quia & spiritualis vita etiā ab Eucharistia sumit exordium, sed in illo mense Nisan in quo agnus immolandus erat, aries præsidebat, cur quæso annus ille sacer ab ariete sumit exordium? quia Christus arietina victima vere nobis aperit an- C num spiritualem, omnes quidem sub hoc signo nascimur, quia Euangelium sub hoc anno cœpit: iuxta Astrologorum obseruationes, singula cœli signa quosdam peculiares mores indunt eis qui sub illis nascuntur, & hoc etiam in planetis verum est, vt qui sub Ioue nascitur honorum sit appetens, qui sub Saturno melācholicus, qui sub Marte iracundus, sub Mercurio eloquens, sub Venere impudicus, &c. non quia astra quemque cogere possunt, sed quia aliquo modo alliciunt, omnes Christiani similem horoscopum nacti sumus, scilicet omnes sub Eucharistia nati sumus, quia ad hunc cibum nati sumus, & quodam diuino pondere ad hanc mensam ducimur, hoc diximus ex Zenone Veron. serm. 5. ad Neophytos, his verbis, *fortasse requiratis & à nobis, quæ genitura, quo signo tam diuerso, tam dispares vno vos partu vestra vos peperit mater, sicut paruulus morem geram, sacrique horoscopi pandam tota breuitate secreta: igitur fratres genesis talis est vestra, primus vos qui in se credentem reprobat nullum, non aries sed agnus excipit, qui vestram nuditatem velleris sui niueo candore vestiuit, qui suum lac sacro vagitu hiantibus vestris labris indulgenter infudit.* 6

S. Zeno.

*Deus suorum etiam consuluit incolumitati.*

*Dixit Dominus ad Moysen mensis iste vobis principium mensium.* Quia in eo eripiam vos ab Ægypto, liberabo ab Ægyptiorum tyrannide, cur potius in hoc mense quam in alio? nam cur non mense Decembri, cum à tot annorum circulis gemunt sub Pharaonis oppressione? vel cur sal- 7

non differet vſque ad menſem Auguſti, cum frugibus abundat terra? aduerte quod in menſe Niſan opportuna eſt omnibus verna temperies, nec enim nimius calor adurit, nec nimium frigus: ſapienter igitur ſtatuit eos in menſe Niſan diſcedere, & itineri accingere, vt eorum opportunitati imo & incolumitati conſulat, non diſ-
Ambroſ. ſentit Ambroſ. lib. 1. cap. 4. Hexam, *decebat mollioribus auris foueri, neque enim poſſent aut aſperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æſtus iniuriam pati.*

### *Aliqui ſunt menſes præ aliis fortunati.*

8 *Dixit Dominus ad Moyſen, menſis iſte vobis principium menſium eſt.* In quo à tyrannica ſeruitute Ægyptica libertate donabo, in quo primum Paſcha à vobis celebrandum, & victoria à veſtris aduerſariis obtinenda: verum an aliud dignũ attentione noſtra in eo conſiderandum? ita ſane, B nam omnium creatione illuſtratus, ſed quod & admirationem ſuperat, genus humanum ſanguine Chriſti Domini à ſeruitute tartarea ereptum, & in libertatem ſpiritus tranſlatum, quid hoc
Rabanus Maurus. menſe fortunatius? audiamus Rabanum Maurũ, *menſem primum vocat Niſan ſecundum Hebræos, in quo creatum eſt cœlum & terra & mundi exordium, in eo & plebs Iſraelitarum à ſeruitute Ægyptiorum libera eſt, & genus humanum per Chriſti ſanguinem à poteſtate Diaboli ereptum atque tranſlatum eſt.*

### *Populus liber proprios menſes ſibi habeat & tempora.*

9 *Dixit Dominus ad Moyſen menſis iſte vobis principium menſium.* Cur tempora & menſes populo tuo aſſignas? cur à creatione mundi ordinem menſium non præfixiſti? cur à tempore qua- C dringentorum annorum, quo terram Ægypti incolunt, menſes non aſſignaſti obſeruandos? cur nunc cum egredi ab Ægypto & libertate donari debent, menſium ordinem ſeruare tene-
Cardin. Caiet. buntur? aptiſſime (inquit Cardina. Caiet.) *quando filii Iſrael erigebantur in populum liberum, qui nunquam fuerant populus, quoniam antequam deſcenderent in Ægyptum nec populum nec ciuitatem conſtituerant, poſtquam autem fuerunt in Ægypto in principio peregrini inter Ægyptios, poſtea vt ſerui fuerunt, modo autem in populum erigebantur, aptiſſime inquam ordinem anni proprium eis dat Deus, vt annus eorum incipiat à primo vere ita quod primus anni menſis ſit lunatio cuius oppoſitio eſt ad ſolem in ariete.*

### *Diſponit Deus omnia ſuaviter.*

10 *Dixit Dominus ad Moyſen, mẽſis iſte eſt vobis principium menſium.* Cum in libertate Dei conſiſteret aſſignare quemlibet menſem pro principio anni à populo Iſrael obſeruandum, an à ratione alienum erit, adhuc inquirere cur potius menſem
S. Gaudent. Cu. Card. Niſan, quam Iar vel Sinan aſſignat? *Si conſideraueris ſapiens Lector* (inquit cit. Cardina.) *quod annus naturaliter incipit à principio motus ſolis, & quod principium motus ſolis eſt ab ariete, quia ſi ſol, inquiunt Philoſophantes, inciperet moueri, inciperet ab ariete, conſequenter perpendes quod primus anni menſis decretus eſt menſis lunationis, quam primo implet ſol in ariete, & videbis Deum veriſſi-* A *me diſpoſuiſſe populo ſuo, & anni & menſium principium naturaliſſimum, & merito, quia ipſe diſponit omnia ſuaviter.*

### *Omnia in republica bene ordinanda.*

*Dixit Dominus ad Moyſen, menſis iſte eſt vobis principium menſium.* Quid neceſſe eſt menſium 11
ordinem illis aſſignare? nonne vitam degere poſſunt fœliciſſimam, nulla ad menſes habita conſideratione? poſſunt equidem viuere, ſed inordinate, omnia autem in republica bene ordinanda, inordinate inquam viuent, ſi nulla inſit eis menſium ratio, ſine qua nec religio poteſt conſiſtere, cum feſtis conſtare debeat, quæ ſemper eſſent incerta: hanc rationem aſsignat Lippom. Lippom.
*Eſt ordinatio menſium in republica neceſſaria, nam cum reſpublica non poſſit eſſe in religione ſine certis feſtis, in politia ſine certis contractibus, in agricultura ſine certa temporum obſeruatione, neceſſarium eſt vt annus in certa tempora deſcribatur, quo homines agnoſcant quid quouis tempore agendum ſit.*

### *Non ſolum beneficium attentè conſiderandum ſed tempus illius collationis attendendum.*

*Dixit Dominus ad Moyſen, menſis iſte vobis principium menſium.* Et quaſi non ſatis id inculcaſſet, 12
diſtinctius id repetit, *primus erit in menſibus anni*, non eſt dubium, quin in hoc toto fere capite prouocentur Iſraelitæ ad beneficiorum Dei recolendam memoriam, ſed qua de cauſa menſem & annum obſeruandum exprimit? quia gratus animus non ſolum beneficium attento conſiderare debet; ſed tempus illius collationis, vt maiores ſciat rependere gratiarum actio-
nes, *Fere hoc totum caput*, inquit Oleaſter, *commendat nobis memoriam diuinorum beneficiorum, vt ſcilicet non ſolum in ſe conſideremus, ſed tempus & omnes alias eorum circunſtantias, arguitur hic etiam noſtra ingratitudo quæ tanta eſt vt Deo opus ſit teſtes ad hæc vocare.* Oleaſter.

### *A ſpirituali vita incœpta, noſtri dies computandi.*

*Dixit Dominus ad Moyſen, menſis iſte vobis principium menſium.* Alii enim menſes auſpicantur à 13
locis, fluminibus, idolis, hominibus, &c. ſed vos ab hoc menſe initium anni ducetis, cur nunc potius quam cum ſeruitute in Ægypto detinebantur? aduerte quaſi alteram iam incipere vitam ſpiritualem, ſoli Deo cum feſtis, ſacramentis, myſteriis, ſeruientes: bene igitur præcipitur vt ab hoc menſe initium anni ordiantur, quia à ſpirituali vita incœpta noſtri dies computandi: fauet Pro- Procop.
copius, *illi qui repudium mittit mundo & alteram orditur generationem, congruit illud dictum, menſis iſte ſit initium menſium, de hoc ſcribit Paulus viuo ego iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus.*

### *A tempore quo Chriſtus Dominus nos redemit à ſeruitute tartarea, dies fœlicitatis noſtri computandi.*

*Dixit Dominus ad Moyſen, menſis iſte vobis* 14
*principium menſium.* An quæſo præcipue propter

immolationem Agni Paschalis? an propter libertatem quam post durissimam seruitutem Ægypti consequutus est Israel? an propter primogenitorum Ægypti cædem initium anni ducere debent Israelitæ? obsecus quæso in multis Agnum Paschalem præfigurare passionem Saluatoris, hic agnus tollitur in domo decima die mensis, Christus cum magno apparatu recipitur ab omni populo in die Palmarum, quæ erat tunc decima dies mensis Nisan; agnus hic à decima die vsque ad quartam decimam seruatur, Christus à Dominica Palmarum vsque ad diem Iouis specialiter seruatur, asseruatum dixi, nam Ioannes 12. hæc narrans ait, Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos, videte quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abit, hoc inquit ille, mox vt Christus ingressus fuit ciuitatem in die palmarum, quod & notaris per dictionem *ergo* quasi diceret à decima die qua Iudæi in ciuitatem Christum cum ritu solemni receperunt, ipsi attentius eum obseruarunt, vsque ad quartam decimam diem, tantaque erat illa obseruatio maior, quanto inuidia eorum in Christum magis augebatur: agnus hic in quarta decima ad vesperam immolatur ab vniuersa multitudine filiorum Israel, Christus Dominus ab vniuersa multitudine filiorum Israel, &c. dicamus ergo non præcipuè propter Agnum hunc Paschalē propter libertatem adeptam ex Ægypto, hunc mensem principiū anni censeri voluisse Deū, sed propter Christum Dominum, qui sua in cruce immolatione à seruitute tartarea nos redemit, obseruatio est Dionys. Carthus. *recte mensis ille primus in mensibus anni iussus est esse, in quo agnus Paschalis solatus est imo in quo Christus vnigenitus Dei pro mundi salute est immolatus, decuitque illo in mense typicum agnum offerri, & per eius oblationem populū Israeliticum à corporali & Ægyptiaca seruitute educi ac liberari, in quo Christus agnus Dei & verus vniuersitatis Auctor & Saluator elegit Deo Patri in cruce offerri, ac genus humanum à Diabolica seruitute à iugo peccati, à damnatione inferni eruere.*

Ioan. 12.

Dionys. Carthus.

*Per Christum D. Salus nostra & libertas vera.*

*Dixit Dominus ad Moysen in terra Ægypti, iste est principium mensium.* Statuta dies huius sacrificii præscribitur, principium anni, primusque mensis, sed qua de causa, cum adhuc sunt in terra Ægypti, gemuntque sub seruitute Pharaonica, vt hunc mensem anni principium obseruent in posterum iubetur? recte Cyrillus in Catena Græca. Non absre, (inquit) *principium siquidem est omnium & in principio Christus, ex Patre genitus ante omnia sæcula, præcipit autem Israelitico populo, cum adhuc seruus esset & sub Ægyptiorum potentia, vt omnia hæc rite operetur, denotans animum nostrum nulla alia ratione à seruitute peccati in libertatem se vindicare, atque Diaboli improbitatem subterfugere posse nisi per Christum, ipse enim aperte dicit si filius Dei vos liberabit, revera liberi eritis.* 15

*Qui Religionem ingrediuntur à die ingressus suam libertatem computent.*

*Dixit Dominus ad Moysen, iste est vobis principium mensium.* Hoc dictum Israelitis exituris à seruitute, & desertum ingressuris, Deo offerendi sacrificii gratia: sed an solis hoc eis dicitur? non equidem, sed omnibus Ægyptum mundanam deserentibus, & desertum religionis ingredientibus, desertum dixi, (nam sicut in solitudine à strepitu mundi alienamur, sic & in religione, Deus gustatur suauius, possidetur certius, amatur firmius, &c.) sane enim ab egressu mundi, & illius ingressu sicut Israelitæ, dies nostros fœlices imo & fœlicitatem nostram computare debemus: à quo non alienus S. Amb. lib. 1. hexam. c. 4. *derelinquit enim & deserit Pharaonem illum principem huius mundi dicens abrenuncio tibi Diabolo & angelis tuis & operibus, nec iam seruies vel terrenis huius corporis passionibus vel deprauatæ mentis erroribus, qui demersa omni malitia vt ecce plumbi, bonis operibus dextera læuaque munitus sæculi huius facta studet transire vestigio.* 16

S. Ambr.



## *VARIETAS LECT. Vers. 3.*

*Vulg.* Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel & dicite eis, decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas.

*Sept.* Loquere ad omnem synagogam filiorum Israel, dicens decima die mensis huius, sumat vnusquisque pecus per domos patriarum, vnusquisque pecus per domum.

*Cald.* Tollat sibi vnusquisque agnum pro domo paterna, agnum pro domo.

*Pag.* Accipiet sibi vnusquisque agnum per familiam patrum, agnum per familiam.

*OnK.* Tollat vnusquisque sibi pecudem iuxta domum patrum, pecudem pro domo.

*Oleast.* Accipient vobis vir pecus ad domum patrum, pecus ad domum.

*Ioseph. habet.* Decima tertia die.

### *CONCORDIA.*

Vt videmus aliqui pecudem verterunt, sed intelligendi sunt de parua pecude, hoc est agnonam, licet שה seh non solum agnum, sed etiam hædum significet, vt conuincitur ex cap. 14. Deuter. ac etiam pecudem, quia tamen mox subditur, agnus anniculus, patet de agno esse intelligendum, vt vsus quoque declarat, noster interpres per familiam, domum patrum intelligit, quo ad Iosephum pertinet, dicendum vel vitiose positum, vel id non debet referri ad victimam Paschalem, sed ad Hebræos, vt essent præparati 13. die ad egressum in sequentem diem.

EXPO-

## EXPOSITIO.

A *Loquimini ad uniuersum cœtum filiorum Israel.* Loquimini vos sermonibus, vt ipsi sigillatim cuique è populo illud idem edicant, nam omnem cœtum Hebræorum congregari nunquam passus fuisset Pharao, secreto vero & inscio, cœtum hunc congregare erat impossibile, *decima die mensis huius*, nempe 4. die ante immolationem: nec admittendi qui censent præceptum hoc seligendæ pecudis, & in domum introducendæ, tantum ad hoc primum Pascha celebratum in Ægypto, nō itē ad alia quæ deinceps in terra promissa celebrata sunt pertinere, nam licet alibi vbi de Pascha faciendo præceptū, nulla huius ceremoniæ fiat mentio, satis est factam fuisse hoc loco, nam si hoc esset alicuius ponderis, dicendum esset multa alia quæ ad ritum comestionis pertinent non fuisse seruanda, quia hæc alibi non præscribuntur: addo etsi præceptum illud deinceps non obligasset Iudæos, tamen in memoriam ritus in Ægypto seruati fuisse etiam deinceps seruaturos, *tollat vnusquisque*, nempe paterfamilias, nisi tam exigua sit familia, vt alteri iungi debeat, eo quod non sufficiat ad totum agnum comedendum, nil enim ex agno relinqui poterat: aliqui tradunt non pauciores quam decem adhiberi solere ad agni vnius esum, *per familias & per domos suas*, domos & familias distinguit, quia aliquando in vna domo sunt plures familiæ, adeoque plures agni immolarij debebant.

## CONCEPTVS.

*Fælix ille qui negotium suæ salutis alteri non committit.*

17 *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel & dicite, tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas.* Cur vnusquisque agnum tollere iubetur? nonne ad festi solemnitatem conduceret, si vnus agnum sumeret, & cæteris omnibus pararet magnificum conuiuium? nonne lautiores essent in fratrum conuiuiis quam si singuli domi sedentes, & tristes manducarent? equidem in tanto discrimine, vbi sacrificia agebantur salutis, optimum erat vt vnusquisque agnum sibi prouideret, nec dependeret ab aliorum etiam fratrum conuiuio, ita Greg. Naz. orat. 2. de Pascha; *mirandum* (inquit) *non est quod maxime quidem per singulas domos agnus requiritur, quandoquidem optimum est sibi vnumquemque ad perfectionem sufficere, seque hostiam sanctam viuamque Deo offerre*, & quis Israelitarum, quando intempesta nocte transiens Angelus Domini domos, plateas, & vicos replebat morte, non vellet magis apud se habere, quo se ipse muniret, quam expectare ab aliis munimen: gladius euolabat percutiens, quod si agnum tardasset afferre, quid si impediretur, ne posset offerre sacrificium? sane ille erat fœlix, qui in tanto discrimine nullius moras paueret, nullius tarditatem auxilij timeret, sed ipse ex se haberet præparatum, vnde liberari posset à periculo.

S. Gregor. Nazianz.

*Gratiæ misericordia nullum respuit.*

18 *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel & dicite, tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas.* Dictio autem seh agnum & hędum denotat, sed vt fundetur conceptus, post pauca subditur, iuxta quem ritum tolletis & hędum; & quando hędus potuit Deo placere? ecce enim Matth. 25. dicitur, veniens Dominus separabit eos ab inuicem, sicut pastor oues segregat ab hędis, statuet quidem oues à dextris, & hędos à sinistris: ex ouibus electorum greges, & ex hædis reproborum turbæ statuuntur, hic hędos respuit, illic admittit, hic solæ oues nequerunt electorum greges implere, illic & ab ouibus & ab hędis gratum Deo offertur sacrificium, quare hoc? sane hic solius iustitiæ opus, nullum gratię facinus ostenditur, illic redemptio Saluatoris exprimitur, & eius gratiæ efficacia, cuius vis tāta est, vt ęquales electorum fructus faciat ab ouibus & ab hœdis, hoc est à peccatoribus & à iustis parturiri: non longe abest cit. Nazianz. prædicta oratione, *eligitur autem nō ab agnis solum, sed à specie deteriore & sinistra manus hædis, quoniam non solum pro iustis sed & peccatoribus ingulatur Dominus, forsitan pro his magis, quanto plus indigemus misericordia*, vbi Dei miserentis gratia est, non solum ex ouibus, sed ex hædis inuenies, quos eligit, & oues & hædi ęquales partus salutis dabunt.

Matth. 25.

Cit. Epist.

*Longe gratius est quod pateris pro virtute obtinenda, quam quod pateris pro peccato tollendo.*

19 *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel & dicite, tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas.* Deinde multus est in explicando tum cuius qualitatis debet esse huiusmodi agnus, quod debet esset immaculatus, anniculus, &c, tū quibus ceremoniis comedendus & immolandus, vbi autem venitur ad hædum, solum ait tollet & hędum: in agno tanta tamquē minuta & particularia exigit, quæ tamen communi vocabulo præterit in hędo; cur id effecit Dominus? cur sigillatim explicat cæremonias quibus agnus comedendus & immolandus, nulla facta mentione explicita cæremoniarum, quibus comedi deberet hædus? aduerte quod in hædo peccator exprimitur, in agno iustus, quæ autem iustus patitur pro virtute, sic Deo placent, vt diuino censu videātur digna, quę autem peccator pro peccatis patitur, nec sic Deo placent, nec tantā habent commēdationē apud illum, ad hæc Paschas. lib. de corpore & sanguine Domini c. 22. inquit, *idcirco de solo agno quid agendum sit aperte instituit, de hædo vero quasi nolens edicere pressius reticuit, quod aliud est quod illum profecto perfectioribus mandauit, aliud vero quod lapsis & torpentibus ad indulgendum prouidit*, & iustus & peccator suas cruces ferunt, nemo est à cruce securus, peccator crucem tollit vt peccata examinet, iustus sustinet crucem, vt virtutem acquirat, peccatoris cruces non adeo æstimat Deus, iusti autem cruces in tanto precio habet, vt omni diligentia procuret.

*Quo quis plus ex ſuo ex Dei gratia præſtat, eo magis mercedem operis adauget.*

20 *Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſrael & dicite, tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas.* Ab integra familia agnus iubetur tolli, & manducari, ſed quid Deus filio prodigo reuertenti dederit videamus. adducite inquit Luc. 15. (Luc. 15.) vitulum ſaginatum, & manducemus & epulemur, quia filius meus mortuus erat, & reuixit: vitulus ergo ille ſaginatus mactatur, illi agnus permittitur, huic vitulus datur ſaginatus, & cur huius conuiuium maius & præſtantius? cur quando illi ſolum accipiunt agnum, hic vitulum ſaginatum meretur accipere à Patre? ambo in ſeruitute fuerant, ambo nunc miſeram excutiunt captiuitatem, cur in tam pari obſequio, tam diſpar conuiuium illis paratur vt alter agno, alter vitulo ſaginato veſcatur? vide diſparem modum proficiſcendi vtriuſque, de Iſraelitis ait Deuter. c. 32. (Deuter. 32.) ſicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum atque portauit in humeris ſuis, de filio autem prodigo ait Lucas, ſurgam & ibo ad patrem meum, &c. & ſurgens venit ad patrem ſuum, illi pergebant, ſed ingentis mercedis ſpe attracti, imo quaſi humeris patris ſublati: hic non ab alio ductus vadit, ſed ipſe pedibus ſuis deuocantis tamen beneficio iter agebat, cur ergo non acciperet maiorem mercedem? ait Ruricius Epiſc. lib. 1. Epiſt. 1. (Ruricius.) *Datur etiam ipſi iuniori vitulus reuerſo, qui ſeniori agnus datus fuerat ex Ægypto profecturo, quia ipſe eduxit ex Ægypto pater*, vbi totum eſt gratiæ diuinæ & parum aut nihil laboris humani, non adeo debuit merces eſſe aucta, quam auctiorem accepit, qui ex gratia Dei multum laboris humani præ ſe habuit.

*Omnes ad Euchariſtiæ cœnam vocantur.*

21 *Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſrael & dicite, tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas.* Cur non vni aut alteri dicitur, ſed vnicuique? dices per vnumquemque intelligi ſolum patrem familias, non vero vnumquemque indiuidualiter ex populo Iſrael, ſed licet ſolum vnuſquiſque pater familias tollere agnum deberet, nonne vnuſquiſque indiuidualiter ad agnum agni prouocabatur? ita equidem, cur ita diſtincte? cur omnes in particulari? quia cum huiuſmodi agnus Paſchalis Euchariſtiam adumbrat, nullus debuit ab eo excludi, quia Chriſtus Dominus nullum ab hac menſa quantum eſt ex ſe excludit, omnes ad hanc menſam inuitat, ſed ſicut oportet, (S. Eligius.) teſtis eſt S. Eligius hom. 14. *Notandum ſane quod dicitur tollat vnuſquiſque agnum, dum enim dicitur vnuſquiſque, neminem veſtrum ab hac myſticæ cœnæ feſtiuitate vult exceptum haberi, ſed omnes nos eandem ſummus cum deuotione celebrare, ſimus ergo nos omnes parati, vt decet ad eſum tanti agni.*

*Non ſolum Euchariſtia ſanat re exhibita, ſed etiam mente concepta.*

22 *Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſrael & dicite, tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas.* Non eſt dubium, quin hoc factum fuerit in Ægypto, cum adhuc ſub ſeruitute tenerentur Ægypti, antequam in libertatem aſſererentur, cur non differtur hæc ſolemnitas Paſchalis, vſque quo ab Ægypto ſaltem diceſſerint, vt maiori cum tranquillitate & deuotione ab omni timore liberi Deo agnum poſſent immolare? aduerte quod primum Paſcha in Ægypto celebratum fuit quaſi ideale reſpectu aliorum quæ celebrari deberent in terra promiſſionis: in hoc ergo myſterium agnoſce, quod primum celebratur in Ægypto, quo tamen liberi ite donantur, quia Euchariſtia, cuius agnus ille typum gerebat, non modo ſanat re exhibita, ſed mente concepta, hoc ex S. Amb. dixerim ſer. 11. in Pſal. 118 verba inferò, (S. Ambroſ.) *monet ſiquidem etiam ipſa lex vt his qui aliquando nobis profuerunt, nequaquam debeamus eſſe ingrati, nam ſicut habemus in veteri teſtamento Paſcha celebratum eſt in Ægypti finibus, cum adhuc ſub Rege Pharaone poſiti patres noſtri deplorarent ſeruitutis miſeriam, & poſtea liberati rurſus in terra promiſſionis Paſcha celebrauerunt ſuperius ad commemorationem, poſtea ad recordationem*, ac ſi dicat, ſemel celebrauerunt Hebræi Paſcha, adhuc in Ægypto, cum iam fugam meditarentur iterum in terra promiſſionis potiti.

*Intuitu Euchariſtiæ omnia nobis bona donantur.*

*Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſrael, & dicite tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas.* Hoc vt vidimus Hebræis dictum fuit 23
cum adhuc Ægyptiaca ſeruitute tenerentur: hoc myſterio non vacat, quod potius in Ægypto primum Paſcha celebrant, quam in deſerto, cum à Deo potuiſſent libertate donari, nulla ibi facta agni immolatione, nunc ſane Pharao viſis totius Ægypti primogenitis interfectis eos dimiſiſſet liberos, S. Amb. cit. ſer. in Pſal. 118. ideo ſic factū arbitratur, vt digni beneficiis ſibi tum in tranſitu maris rubri, tum in deſerto redderentur, ſcilicet dum exhibetur manna, dum coturnices immiſit, dum percuſſo ſilice vnda profluxit, dum mare ambulantibus ſicco pede peruium præbuit, & denique omnia alia in bonum illius populi operatus eſt Deus, ergo intuitu agni occiſi Deus illa edidit ſigna, quibus populum ſuum ab Ægypto eduxit, & in regionem promiſſam tranſtulit, quo ſignificauit intuitu Euchariſtiæ omnia nobis donanda, nempe ab Ægypto id eſt ſæculo liberandos, in beatitudinem transferendos, cibis ſpiritualibus reficiendos, & reliqua omnia bona conferenda: audiamus Amb. (S. Ambroſ.) *ille agnus patrum populum liberauit, ille agnus vocauit ad libertatem, ille agnus maris profunda ſolidauit, vt Ægyptum tranſire poſſemus.*

*In Euchariſtia memores ſimus beneficiorum à Deo nobis collatorum.*

*Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſrael, & dicite, tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas.* Tollat vt iubes, ſed expecta pauliſper 34
quouſque in locum tutum peruenerint, quo vſque mare rubrum tranſierint, & à Pharaonis iugo liberi omnino euaſerint, nam mihi indecorum videtur, quod in medio populi idololatræ, Deo ita excellens ſacrificium offeratur: cur ergo in terra infideli, in media adhuc ſeruitute, Paſcha primum celebrant? ſane vt cum ſecundum & deinceps celebrauerint, memores ſint beneficiorum quæ ab illo abundantiſſime

à Deo acceperunt, vt nos ad eorum imitationem, quoties agnum mundi redemptorem in sanctissimo Eucharistię sacramento acceperimus, quot iam nobis Deus beneficia contulerit in memoriam referamus: habeamus è calamo

Cit. Doctor cit. Ambrosij, *Quoties Pascha celebramus, meminisse debemus veteris seruitutis & nouæ libertatis, quid fuerimus & acceperimus, non enim potest plene quis intelligere, quid acceperit nisi meminerit quid ante fuerit: non ergo obliuiscamur, quia Dominus Iesus agnus Dei mundi hostia soluit nos grauium nexibus delictorum quibus Pharao ille teterrimus non vnius Ægypti, sed sæculi istius princeps, vinculo seruitij grauis nos tenebat adstrictos, non obliuiscamur in æternum, vt cum venerimus in illam vere terram redemptionis, vbi est regio viuorum, meminerimus quanta nobis Pharao dirus intulerit, quid perpessi in hoc sæculo fuerimus, quibus tandem erepti malis; & agamus gratias eripienti nos Domino Iesu qui perturbatorem omnium fecit esse captiuum.*

*Qui fugam peccatorum efficaciter, & vt oportet non meditantur, non idonei sunt agno Eucharistico sumendo.*

25 *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel, & dicite, tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas.* Non improbo tua iussa executioni mandare Moysem & Aaron, nec non tuam populo significare voluntatem adimplendam, sed quod miror, cur hoc mandatum non distulisti, vsquequo saltem in desertum peruenissent? sane si ad mores transferre hoc velimus, hoc vnum denotare videtur, quod in Ægypto esum Paschalem immolent & comedant, & non solum in terra promissionis hoc Pascha celebrent, agnũ sacramentalem non solum institutum esse pro his qui in terra promissionis degunt, id est pro viris perfectis, & qui à multis annis seruitutem tartarei Pharaonis euaserunt, iugumque eius excusserunt, sed etiam pro illis qui adhuc in Ægypto versantur, dummodo illius fugam efficaciter & vt oportet meditentur: consentit Philipp. Abb. lib. de dignit. cleri. cap. 5. *Non potest Deo sacrificium complacere, si is qui sacrificat non ad lucem egredi sanitatis sed in tenebris peccatorum disponit remanere, in Ægypto tamen iussum est agnum immolare, sed hæc immolatio non ad remanendum sed ad egrediendum inuenta est profuisse.*

Philipp. Abbas.

*Agnus in Eucharistia longe superat in virtute agnum Paschalem.*

26 *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel & dicite, tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas.* Ita vt pro singulis familiis, vel saltem pro singulis domibus, dummodo in eis vnica esset familia, vnus occidebatur agnus, qui à morte vnicum solum primogenitũ à morte liberabat, cum Angelus percutiens primogenitum, in qualibet domo Ægyptiorum interficiebat: nunc consulamus quid dixerit Christus Dominus Matth. 25. hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem, cum ait? pro multis idest pro omnibus, quid? nonne ille agnus Paschalis immolatus typus erat & figura agni, qui quotidie in altari sacrificatur? quomodo ergo solum nunc in qualibet domo primogenitum liberabit huius autem sanguis pro omnium salute effunditur? quia agnus immaculatus in Eucharistia, infinitè in virtute superat agni Paschalis efficaciam, tum etiam quia sanguis agni à morte corporali homines liberauit, hic à morte æterna, nempe à peccatis, quæ vere sunt mors animæ: subscribit S. Chrysost. apud S. Thomam in catena aurea in c. cit. Matth. *sanguinem nominat & passionem suam pronuntiat dicens, qui pro multis effundetur, & rursus dicit causam mortis cum ait in remissionem peccatorum, quasi dicat sanguis agni in Ægypto effusus est pro salute primogenitorum populi Israel, hic autem in remissionem peccatorum vniuersi orbis terrarum.*

S. Chrysost.

*Magna simplicitate & innocentia accedendum ad Eucharisticum agnum.*

*Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel & dicite, tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas.* Cur agnũ mactari vult potius quam aliã pecudem? aduerte Deum mactari voluisse agnũ, qui typum gerat Eucharistiæ, vt mores victimæ animus accedentis adumbret, scilicet Agnus simplicitatem notat & innocentiam, quam præferre debet & animo cõplecti, qui ad Eucharistiã venit, hoc dixerim ex S. Chrysost. qui hac ratione populum suum alloquitur post sumptam Eucharistiam hom. 1. de passione. *Ad hodiernum conuiuium qui frequentia solemni conuenistis, & cum Christi discipulis immolationem agni Pascha facere consueuistis, syncera mente & plena charitatis viscera diuinis exhibete mysteriis, nulla sit in mente duplicitas, nec liuoris libidine interior homo suffocetur, agnus comesus agni innocentiam præferat, nec immaculata ouis membra lupina transfundat in viscera.* 27

S. Chrysost.

*Nec creatura homini vni sufficiunt, & Iesus in Eucharistia omnibus sufficit.*

*Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel & dicite, tollat vnusquisque agnũ per familias & domos suas.* Plures agni apponendi erant pro vna domo, si plures erant in ea familię, & plures pro pluribus familiis, quia sane plures erant liberandi, quando pro vniuersis hominibus non solum in ara crucis, sed etiam in altari quotidie offerendus erat, cur similiter pro omnium Israelitarum libertate & incolumitate, vnus solus non apponitur agnus? posset enim minima guttula illius sanguinis postes Israelitarum intingi, vt Angelus eam aspiciens, non noceret, ad quid ergo tanta agnorum multitudo, cum vnus vel pauci sufficerent, cum non ad saturitatem, sed ad signum indemnitatis sumerentur? sumebantur hi agni de creaturarum pascuis, quarum maxima vel etiam plures, nec vni sufficiunt, verum ille agnus etiam sub minima parte hostię infinitis licet hominibus sufficit, mens est S. Gaudent. tract. 2. in Exod. *In vmbra illius pascha non vnus agnus occidebatur; sed plures, singuli enim occidebantur per domos, nam sufficere vnus non poterat vniuersis, in hac veritate qua sumus, vnus pro omnibus mortuus est, &c. idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis & vini reficit immolatus, viuificat creditus, consecratus sanctificat consecratos, hæc agni caro est, hic sanguis Christi.* 28

S. Gaudent.

*Non prius à nobis in Eucharistia edendus agnus immolatus, quam eum prius quasi quinque sensibus degustauerimus.*

29 *Loquimini ad uniuersum cœtum filiorum Israel & dicite, tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas.* Decima die tollebat, quam si incluseris, dies quinque super sunt vsque ad oblationem illius & esum: cur non statim vt agnum tulerunt in domum, eodem die mactant & comedunt? hæc in typum cedunt futuræ veritatis scilicet edendi à nobis agni immaculati, sic enim Procopius: Cum moremur in Ægypto, non statim vbi ouiculam acceperimus, eandem cædimus, qui enim audit de Christo & ad fidem animum intendit, is Christum accepit, hanc non immolat & edit prius quam in se ipso euoluti

B

fuerint dies quinque: sed qua de causa dies quinque euoluuntur respondet? *quinque dotati sumus sensibus circa quos bellum spirituale nascitur recepto peccati centro, nisi à singulis excipiatur Christus non poterit cædi, & igne tostus manducari, vbi enim sputo suo misceuerit lutum, nostrosque inunxerit oculos, vt acute cernamus, vbi aperuerit cordis nostri aures, vt habentes aures audiamus, vbi bonũ qui de ipso prodit odorati fuerimus odorem, cognito nomen eius esse vnguentum effusum vbi gustauerimus & cognouerimus, quod Christus sit Dominus, vbi quasi manibus contrectauerimus, sicut ait Ioannes & manus nostra contrectauerunt de verbo vitæ, his omnibus itaquam rite peractis poterimus digne mandere.*

Procop.

*Vmbra veritatis saluati Iudæi quorum posteri ipsam veritatem occiderunt.*

C

30 *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel, & dicite tollat vnusquisque agnum per familias & domos.* Quem deinde immolabitis, & cuius sanguine nostra domus linientes, ab Angelo percutiente salui & incolumes manebitis: non est dubium quin hic agnus Christi Domini fuerit typus & figura, omnia enim in figura contingebant, ergò in vmbra Christi salutem & libertatem adepti? ita sane, cur igitur eorum posteri ipsum Christum crucifixerunt, in cuius typo tot accepere beneficia? quia ingrati & immemores beneficiorum Dei, quod obseruauit cit. Gaudentius tract. 3. *multis formis sapientia Dei, ita per legem loquitur, vt ijsdem dictis futura prænunciet, quibus salubriter fieri iubet instantia, Iudæos tunc in his obseruationibus futuræ veritatis vmbra saluauit, significans pariter quod eorum posteri beneficiorum immemores diuinorum, ipsum aduenientem trucidaturi essent cuius sub vmbra saluati sunt.*

Cit. Gaud.

D

*Quæ Deo offerimus attente consideranda, & placitura sunt.*

31 *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel, & dicite, tollat vnusquisque agnum per familias & domos.* Quanam die? decima, seruetur vsque ad quartam decimam, cur Deus quæso, iussit Iudæos tollere agnum, & domi suæ seruare quatuor dies antequam esset immolandus? nonne satis esset eodem die adducere, & eodem immolare? nam quid opus vt quatuor diebus seruetur importune sitis? ne tot dies seruari condemnes, nam ideo hoc præcipitur, quo melius explorare ac inspicere possent, si quid esset in agno vitium & defectus, talisque esset qualem esse oportebat vt digne Deo offerretur: *locus iste docet,* (inquit Oleaster,) *quanta videlicet diligentia examinanda sunt quæ Deo sumus oblaturi, ad hoc enim omnium iudicio agnus iste 10. die domum inferebatur, vt impinguaretur, & nutriretur, & examinaretur si quid haberet maculæ quod illum à diuino conspectu arceret, vt nos hac doceremur ceremonia, quanta diligentia & quandiu oblationes nostras expendere debeamus, antequam Deo illas præsentemus.*

A

Oleaster.

*Singulare acceptum beneficium non in communi sed in particulari recolendum est.*

32 *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel & dicite, tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas.* Nonne satis est seniores illum tollere, & deinde immolare pro salute totius populi? cur vnusquisque tenetur in familia sua victimam illam offerre? sane illa oblatio non solum erat ne ab Angelo percutiente interficerentur, sed etiam in gratiarum actionem pro tanto beneficio libertatis consequendæ: ne sciscitens ergo cur vnicuique præcipitur, vt tollat agnum & immolet, quia singulare beneficium, non in communi sed in particulari recolendum est, *gratiarum actione,* (eiusdem Lusitani est obseruatio) *non sat est communitatem totam commune referre beneficium, sed opus sit vnamquamque familiam pro eo gratias agere, nam quemadmodum vnamquamque domum à cæde primogeniti seruauerat, sic voluit vnamquamque beneficium agni occasione referre.*

Lusitanus.

*Homo non imparatus ab hoc sæculo discedat.*

33 *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel & dicite, tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas.* Scilicet decima die mensis, quatuor dies ante sumi iubetur, & domi recludi agnus Paschalis, & licet iam à nobis hoc sit quæsitum, non grauabor iterum id sciscitari, qua de causa scilicet agnus antequam immolaretur iubebatur quatriduo seruari? Rupert. lib. 2 in Exod. c. 5. ait, *videlicet vt dum agnus præsto est causa quoque eius corda nostra sollicitet, ne sitis immemores vel imparati quia transeundum est dum ille tot ante diebus de profectione paranda vos admonet, quoties enim ille balatum emittit toties quasi tuba sonitus exituras castrorum acies excitet,* quis ignoret exitum Israel de Ægypto, exitum nostrum de mundo designare, & mortem primogenitis illatam, nostri etiam interitus figuram tenere? illum igitur exitum mortemque præueniat necesse est verus Hebræus, idest transitor, & multo antequam moriatur mortem præuideat, gemitusque mortis audiat apud se, imo & edat, ne postea emittat nihil sibi profuturos, qui nullatenus sibi tubam insonantem vltimam & vocantem ad exitum ante audiuit, vt disponeret sermones suos in iudicio, mittendo pauperibus, & accommodando diuitibus: Bernard. serm. 3. in vigilia Natiuit. post medium aduertit eam obrem Christum Dominum crucifixum & mortuum fuisse in die

Rupert.

S. Bernard.

parasceue, hoc est præparationis, tunc enim ad A diem magnum Sabbathi omnia necessaria præueniebantur, vt scilicet sanctificaret præparationes nostras, & inculcaret præuisionem eorum, quæ ad diem vltimum, & initium futuri Sabbathi, & perpetuæ requiei & vacationis in cœlis degendæ seu fruendę necessaria, sunt in terra, *in parasceue* (ait cit. Bernard) *passus est, id est in die præparationis, merito omnibus dicitur sanctificamini hodie & estote parati*, iisdem siquidem maxime prodest Christi Domini mors & passio, qui mortem propriam præuenientes, & prævidentes ad illam præparantur, ne imparatos intercipiat mors minime timenda, eos qui de fine suo
S. Cyprian. nunquam cogitauerunt, nam sicut dixit Cyprianus Epist. 52. *non est dignus in morte accipere solatium, qui se non cogitat esse moriturum*, &
Cit. Bern. sane nunquam deberemus vltimo reseruare hanc dispositionem: qua de re religio esset omittere verba citati mellifluí Doctoris serm. 38. ex paruulis, quid dissimulant homines in vita sua „ agere pœnitentiam, & extremo de confessione „ præsumunt? quomodo sibi vnius horæ sub „ articulo reuocare posse existimant, omnia ani„ mæ membra, cuius concupiscentia & desideria „ per totum mundum sparsa sunt, vbique terra„ rum velut quodam visco tenentur? si bene me„ mini in toto canone scripturarum, vnum latro„ nem inuenies: sic saluatum, noli vero huic tam „ periculosę expectationi credere te ipsum, equi„ dem spiritus non modo vbi vult, sed quia vult „ spirat, nec ei difficile est de subito perfectam „ dare contritionem cordis, quam non multo „ tempore alii consequuntur, sed vnde scis, quod „ tunc tibi subuenire venit quem tu interim sic „ repellis? benignus quidem est Spiritus Sapien„ tiæ, sed non liberabit maledictum, audi quis il- C „ le sit maledictus: qui peccat in spe.

*Qui in Deo confidit nihil humanum timeat.*

35 *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel, & dicite, tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas.* Tollat solum decima quarta, cum hoc die sit immolandus, vegetior enim cū aliis in pascuis communibus nutrietur quam domi solus, seruent, imperat Deus spatio quatuor dierum ante immolationem, vt fiducia diuinę protectionis non formidarent Ægyptios, nam licet Ægyptii hostili odio insectarentur eos qui occidebant vel ad esum vel sacrificii causa oues & boues, quibus diuinum ipsi honorem & cultum adhibebant, adeo vt eos lapidibus obruerent: Deus autem vt ostenderet Hebræis nihil ipsis suo munitis præsidio nocere Ægyptios posse, mandauit vt non modo agnum immolarent, sed D quatuor antea diebus palam in domos suas ducerent, & ante oculos Ægyptiorum toto illo tempore præparatum ad immolationem haberent,
Abulens. testatur Abulens. dicens, *hoc fuit vt Deus Hebræis magnam confidentiam de se daret, nam Moyses & Aaron dixerunt supra c. 8. quod si mactauerimus ea quæ Ægyptii colunt coram ipsis, lapidibus nos obruent; vt ergo viderent quia Ægyptii eis nocere non poterant, mandauit vt non solum illum agnum immolarent in terra Ægypti, imo etiam quatuor diebus antequam immolarent tenerent eum domi ligatum, & quasi ad immolandum præparatum, tamen Ægyptii hoc videntes non auderent aliquod malum committere in Hebræos.*

*Ita Deus actionis gratiarum Zelator, vt antequam beneficium conferat, vult sibi eam rependi.*

*Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel & dicite, tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas.* Vt deinde immoletur in gratiarum actionem pro libertate consequenda, nonne cum adepti fuerint sufficiet hunc agnum immolare? ita Deus gratitudinis nostræ Zelator est, vt etiam antequam beneficia conferat, grates sibi velit 36
Lipp om. rependi, testatur id Auctor Catenę aureę, *proxime sibi ingruentem redemptionem prius credi iubet quam experiantur, prius modum gratiis rependendi instituit quam beneficium largiatur, vt discant credere, sperare in Dominum, & amare.*

*Non vult Deus eorum quæ nobis iussa sunt obliuionem habere.*

*Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel & dicite, tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas.* Tollere autem solum debebat decima 37 die, & vsque ad decimam quartam seruare, si autem demo sciscitetis cur eodem die quo allatus, non immolatur? dices ne variis præpediti curis in discessu ab Ægypto immemores agni immolandi, iussa Dei obliuiscerentur, non dissentit no-
Lyranus. ster Lyran. *quia filii Israel erant occupati in præparando se ad recessum Ægypti cum omnibus quæ habebant, in qua præparatione requirebatur magna sollicitudo & distractio, & ideo ne hoc darent obliuioni accipere agnum vel hædum in die immolationis, præceptum fuit tunc quod acciperent eum quatuor dies ante.*

*Longe fœliciores sumus Iudæis, nos enim verum agnum Eucharisticum habemus, isti figuratiuum.*

38 *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel, tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas.* Qui deinde immolandus erat, recte Pas-
S. Paschas. chasius lib. de corpore & sanguine Domini c. 5. ait immolationem agni figuram fuisse passionis Christi, & nostræ communionis nullus fidelium ignorat, sed aliquod ne est discrimen inter hunc agnum Paschalem, & nostrum Eucharisticum? idem dubium est de manna quod de cœlo descendit & pane Angelorum qui quotidie in sanctis altaribus comedendus proponitur; dubitandi ratio est quia S. Apostolus 1. Corinth. 10. clamat, quod omnes patres nostri eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt: si ergo eandem perceperunt escam & eūdem potum, quid necesse fuit immutari quod ipsum erat? aut dari quasi aliud, si nihil amplius est? sane idem fuit agnus in figuratione, sed non in adimpletione veritatis, eadem fuit etiam esca, quia manna spiritualiter percipientibus typus fuit escę corporis Christi, & aqua illa quæ de petra fluxerat, est figura sanguinis, ita cit. S. Paschas. quod tunc adumbratur in " designatione futurorum imago veritatis & vm- " bra corporis, atque exemplaria erant, nunc autem " mysterium plete veritatis, & facta est Eucharistia "

*huiusmodi praecepit, sed ipse adfactus est sacrificium, et oblationem se ipsum patri afferens, vides quo pacto lex data est per Moysen, veritas facta est per Christum.* A

### *Licet omne tempus aestimari debeat, sed praecipue illud in quo à Deo singulare accipimus beneficium.*

41. *Loquimini ad vniuersum coetum filiorum Israel, & tollat vnusquisque agnum per domos & familias suas.* Decima die autem hoc fieri debebat, sed cur non nona aut octaua die mensis, cum vsque ad immolationem diuturna occasio daretur considerandi, an aliquid in agno immolando deesset, & ex frequenti aspectu agni, occasionem haberent inter se sermocinandi de redemptione ac liberatione sua ex Ægypto, eoque alacrius se ad profectionem illam se accingerent, & Deo tanti beneficij & gratiae auctori gratias agerent? cur ergo non octaua vel saltem nona, sed solum decima? aduerte numerum decimum fuisse semper celeberrimum, & sacratissimum, mysteriisque foecundissimum. quid mirum igitur si hunc diem potius quam alium eis nominat ad agnum defendum vt deinde immoletur? vt eis inculcet quanta erga Deum obligatione tenerentur, huncque diem prae aliis celeberrimum & sacratissimum haberent: sic enim de hoc die loquitur S. Greg. cit. orat. 1. in Pascha. *Decimus numerus omnium absolutissimus vtiturum ex vnitatibus vnitas prima perfecta, & perfectionis parens,* sic autem Nicetas id prosequitur, *dicitur quod omnes numeros comprehendat, nam cum ad eum numeri peruenerint progrediendi finem faciunt ac deinceps iterantur solum ac reuoluuntur, decas autē prima vnitas perfecta & perfectionis generatrix dicitur, quoniam est alia quoque vnitas, nempe prima vnitas rerum, illa tametsi principium numerorum est, eosque procreat, nequaquam tamen perfecta est at primas decas has duas habet praerogatiuas,* B *alteram quod perfecta est, quatenus ad hanc vsque numeri progrediantur ac rursus reuoluantur, alteram quod perfectionis est procreatrix, centenarium enim numerum qui perfectissimus est, producit.*

S. Greg. Naz.

Nicetas.



## *VARIETAS LECT. Vers. 4.*

V*ulg.* Sin autem minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui iunctus est domui suae, iuxta numerum animarum quae sufficere possunt ad esum agni.

*Sep.* Sin autem pauci fuerint in domo, vt nō sint idonei ad pecus, assumet secum vicinum suum proximum, secundum numerum animarum, vnusquisque quod sufficiat sibi, connumerabitur ad pecus.

*Cald.* Si autem pauci numero fuerint, vt non possint sufficere ad vescēdum agnum, tollat ipse & vicinus eius, qui propinquus est domui suae, iuxta numerum animarum, singuli iuxta quod possunt sufficere ad vescendum, numerabimini ad vescendum agnum.

*Onk.* Quod si minor fuerit domus quam vt sufficiat ad vescendam pecudem, tollat ipse & vicinus eius qui propinquus est domui suae, iuxta numerum animarum, singuli pro esu suo.

*Pag.* Et si minor fuerit familia, quam esus agni, accipiet & vicinum suum, qui propinquus est domui suae, secundum numerum animarum, vnumquemque secundum edere eius, numerabitis super agnum.

*Vatab.* Quod si paucior fuerit domus, quam vt agnum comedere possit, accipiet etiam vicinum suum proximum domui suae, pro numero animarum, singuli secundum edere suum, numerabitis C animas propter agnum.

*Arias.* Et si minor fuerit domus quam esse ab agno, & accipiet etiam ipse vicinum suum qui propinquus est ad domum suam in numero animarum, virum ad os comedere eius, numerabitis super agnum.

*Oleast.* Si minuerit ab esse ab agno, accipiet habitatorem suum propinquiorem domui suae, secundum numerum animarum, vir secundum os comedere sui, supputabitis super pecus.

## CONCORDIA.

NOn est qui non videat nostrum vulgatum interpretem clarius omnibus aliis reddidisse lectionem Hebraeam, alij enim laborant non D solum in explicando, sed & construendo verba quae reddiderunt.

## EXPOSITIO.

S*In autem minor est numerus vt sufficere possit ad vescendum agnum.* Si qui sint vnius familiae, & non sint tot, vt queant agnum Paschalem comedere, *assumet vicinum suum qui iunctus est domui suae,* Iudaeum vel Iudaeos qui sufficerent ad agni esum, non gentilem, incircumcisum, leprosum, seminifluum, qui ad similem cultum non admittebantur: ex quo patet non separatim eiusdem agni diuersas partes edere licitum fuisse, debebāt enim per sodalitia vel contubernia edere, & ratio cur vicinus adduci deberet, cum qui erant ex familia, non sufficerent ad agni esum, ratio inquam erat, quia tota victima Paschalis consumi debebat. aduerte quod licet ad foeminas non spectaret circumcisio, potuerunt tamen comedere, licet ad hoc non tenerentur: vnde postea liberum erat eis Ierosolymis in victima Paschali postea offerenda, ita comedere & non comedere. *Iuxta numerū animarum quae sufficere possunt ad esum agni* nihil dicitur de numero maiore, cui vnus agnus non sufficeret, quia poterant praeter agnum alio vesci cibo, neque determinatur quis numerus

preciſe ad eſum ſufficiat, licet ſcribat Ioſephus non pauciores quam decem viros adhiberi ſolere extra numerum fœminarum & puerorum, qui plerumque totidem erant, vel plures.

## CONCEPTVS.

### *Sancti patrocinantur eis qui imitantur virtutes.*

42. *SI maior eſt numerus aſſumet vicinum qui iunctus eſt domui ſuæ.* Caiet. per vicinum ait, intellige non gentilem ſed Iſraelitam, ſed cur eiuſdem generis vicinus quæritur ad eſum agni? nam ſi vt diximus permixtim habitarent in terra Geſſen Iſraelitæ & Ægyptij, non eſt dubium, quin aliquæ domus Ægyptiorum iungerentur domibus Iſraelitarum. cur ergo cum iubeat Deus, ſi ad eſum agni non ſufficiant hi qui ſunt eiuſdem familiæ, vocetur vicinus qui iunctus eſt domui ſuæ non debeat eſſe Ægyptius ſed Iſraelita? quia adiutorium non petendum niſi ab his quorum virtutes, vt poſſumus, imitamur, ita Nazia. oratione
S.Gre.Naz. 2. de Paſcha. *Datur ſaltem eorum opera atque adiumento ad eam rem vti, qui virtute nobis conſanguinei ſunt moribuſque perſimiles, hoc enim mihi ſignificare videtur quod ſacrificij participes fieri propinquos Deus præcipit ſi ita opus fuerit.* Caue diſſimilium & contrariorum aucupari auxilia, ſi vt Deo ſacrifices vt cœleſtibus veſci poſſis, vt mala deuites, ſanctorum indiges auxilio, illorum cura appropinquare virtutibus, & his de ſimilibus certum habebis auxilium.

### *Eleemoſyna pauperibus facienda, & in neceſſitatibus erit nobis adiutrix.*

43. *Si minor eſt numerus, aſſumet vicinum, qui iunctus eſt domui ſuæ.* Vt ſcilicet faciat enim participem conuiuij, & qui propter indigentiam, agnũ non potuerit habere. ſola illa familia quamuis minima ſibi ſuum comedat agnum. cur alios conuocabit vicinos? ſane in hoc docemur proximis ſubuenire, nulla enim victima citius quam beneficentia in proximum placatur Deus, qui beneficio noſtro non eget, ſed ſibi patitur imputari, quidquid in proximum egentem, ipſius reſpectu fuerit collatum, ſiue cibus, ſiue potus, ſiue hoſpitia, ſiue ſolatiũ, ſiue doctrinũ &c. ſic Theodoret.
Theodo. q. 24. in Exod. *Præcepit numero ſufficientes ad eſum agni ſimul immolare Paſcha, docens eos fraternam charitatem & erga pauperes miſericordiam.* Sed cur in illa immolatione agni denotatur vt pauperes conuiuio ſuo adſciſcant Iſraelitæ? nonne indigebant tunc maxime auxilio diuino, vt incolumes euaderent, à percutiente angelo, & libertatem
Chryſ. adipiſcerentur? eſt enim eleemoſyna, inquit S.
„ Chryſoſt. artifex magna & auxiliatrix eorum,
„ qui ipſam faciunt, amica namque Dei conſiſtit,
„ & ſemper ei propinqua eſt, pro quibuſcunque
„ voluerit facile gratiæ munus impetrat, tantum ſi
„ à nobis non lædatur, ſi nullam patitur iniuriam,
„ ſi munda fuerit, magnam præſtat confidentiam
„ tribuentibus eam, interuenit etiam pro delin-
„ quentibus, tanta eſt eius virtus tantaque poten-
„ tia, quod vincula peccatorum ipſa diſſoluit, fu-
„ gat tenebras, extinguit ignem, mortificat ver-
„ mem, expellit ſtridorem gentium, huic cum
„ multa fiducia portæ paradiſi aperiuntur, & velu-
„ ti regina intrante nullus Ianitorum, nullus Cu-
„ ſtodum, qui portis aſſiſtunt audet dicere, quæ tu
es, vel vnde?

### *Eleemoſyna facienda præcipue domeſticis.*

*Si minor eſt numerus vt ſufficere poßit ad agnum* 44.
*veſcendum, aſſumet vicinum qui iunctus eſt domui ſuæ.* Vicinum autem intellige non gentilem, ſed domeſticum, quo præcepto, diximus denotari pauperibus faciendam eleemoſynam, ſed cur potius voluit vt aſſumeretur vicinus, quam quilibet alius? cum alius quilibet remotus æque perfeciſſet numerum conuiuio neceſſarium: vult vt vicinior aſſumatur, quia eleemoſyna præcipue domeſticis, & vicinis noſtris facienda, Apoſtolo prædicante ad Galat. 5. operemur bonum maxime ad domeſticos fidei, & 1. Timot. 5. ſi quis ad Galat. 1. Timot. 5.
ſuorum curam non habet, & maxime domeſticorum, fidem negauit, & eſt infideli deterior, in quæ verba S. Chryſoſt. hom. 14. *Ait idem* S. Chryſoſt. Iſai 58.
*ferme Iſaias quoque prophetarum eximius, & admonet dicens cap 58. iuxta 70. domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris, nam ſi quis propinquos genere ac affinitate coniunctos aſpernetur, quomodo erit in alienos clemens? nonne vanitatis iudicio hominum erit ſimilis? erit obnoxius, ſi alienos beneficiis fouens, propinquos ſumma immanitate deſpiciat? quid item ſi illos in fide inſtituat, hos in errore iacere permittat? quibus benefacere iure ſuo facilius & commodius poſſit, quantæ iſtud immanitatis erit? & eſt inquit infideli deterior, cur id? quia iſte etſi alienos deſpicit, propinquos tamen nequaquam aſpernatur, diuinas leges plane violat, & iura naturæ, qui negligit ſuos.*

### *Eleemoſyna de rebus rectè acquiſitis impendatur.*

*Si minor eſt numerus vt ſufficere poßit ad agnum* 45.
*veſcendum, aſſumet vicinum qui iunctus eſt domui ſuæ.* Ecce vt ſignificat quod charitatis gratia adiiciat pauperem, vicinum conuiuij ſui participem faciat, ſed cur proprium agnum quem pecuniâ ſuâ acquiſierat, pauperi diſtribuit? quia eleemoſyna de rebus bene acquiſitis impẽdi debet, nam vt optimè S. Gregor. Mag. in Regiſt. S.Gre.Mag.
Epiſ. 100. *Eleemoſyna redemptoris noſtri oculis illa placet, quæ non de illicitis rebus & iniquitate congeritur, ſed quæ de rebus conceſſis & bene acquiſitis impenditur,* & S. Ambroſ. lib. 1. de officiis. cap. S.Ambroſ.
30. *Non probatur largitas, ſi quod alteri largitur, alteri quis extorqueat, ſi iniuſtè quærat, & iuſtè diſpenſandum putet.*

### *Vniuerſi ad Euchariſtiam conuocantur.*

*Si minor eſt numerus vt ſufficere poſſit ad agnum*
*veſcendum, aſſumet vicinum qui iunctus eſt domui* 46.
*ſuæ.* Vix fieri poſſe videtur in tam paruo numero futuram familiam, quæ non poſſit agniculum ſumere. cur ergo ad illius eſum, alii conuocan-

tur? nonne ille agnus legalis, typus est Eucharistici? dic ergo tantam futuram huius cœlestis agni virtutem, & tot beneficia conferenda, qui illum in Eucharistia percipient, vt non sufficiat vna familia aut prouincia, tot ac tanta bona opera capere, vnde omnes in vniuersum homines vocandi sunt, neque tamen horum bonorum fontem exhaurire poterunt. hoc quidem Dominus innuit in consecratione calicis, cum ait, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, idest sacramenta quidem legalia, intra vnius gentis & prouinciæ terminos concludebantur, at noui testamenti mysteria, & Eucharisticum sacrificium ad omnium hominũ bonum diffluet, sic explicat S. Gaudent. tract. 4. *Etenim S. Apostoli, quibus vere commissum præparare in superioribus Pascha Domini paucos videntes ex Iudæis in domo Ecclesiæ, qui conuenirent ad consumendum Paschæ sacrificium, conuocauerunt vicinos ex gentibus secundum quod præceptum fuerat ex lege, quod si pauci inquit erant in domo, itaut non sufficiant ad ouem, assumat secum vicinum proximum suum, nam vero non sufficiebant ad eum qui pro totius mundi peccatis mori sustinuit.*

S. Gauden.

*Tanta est dulcedo in Eucharistiæ sacramento, vt velle debeamus omnes illius participes fieri.*

47. *Si minor est numerus vt sufficere possit ad agnum vescendum, assumet vicinum suum.* Sicque curat legislator ne quid depereat ex carnibus agni, quid si perierit? adeone res preciosa erat, vt detrimenti multum pateretur gens Hebræorum, si pars aliqua ex illo agno deperderetur? Arnoldus Carnot. de septem verbis Domini, ad Eucharistiam id retulit, & ait, indicare hæc verba sub ænigmate, quanto desiderio Deus teneatur frequentationis huius sacramenti, neque velle, vt vllus ab hoc cibo ieiunus maneat: ergo vt pauperes etiam ad hoc conuiuium trahantur, hanc legem sanxit, scilicet in occasione huius, diuites pauperiores homines ad esum agni inuitent, audiamus huius auctoris verba. *Quod vero ad esum agni si forte quid superesset, vicinus coniunctus domus eius, cui supererat vocari præcipitur, introductionem gentium, ad communionem sacramentorum Ecclesiæ exprimit, & quos vis per Euangelium vocatos conuiuij huius sapor allexit, & catenus ieiunos ad ea qua Iudæus populus edere non potuit gratia mater admisit.* Ergo ex sententia huius auctoris, qui semel huic mensæ assidet, tanta dulcedine sacramenti huius repletur, vt continere non possit quin quoscumque vicinos obuios nactus fuerit in eandem cœnam trahat.

Arnoldus.

*Sanctum Eucharistiæ sacramentum sumpturi sanctorum auxilium precibus inuocemus.*

48. *Si minor est numerus vt sufficere possit ad agnum vescendũ, assumet vicinum suum*, quia sola familia illa sufficere non videtur ad illius agni esum. tantæne magnitudinis est agnus vt eum comedere non possit, iter facturi? Rupert. lib. 2. in Exod. c. 7. ad sensum mysticum hoc inuertit, scilicet nos non sufficere ad esum agni, cum in via virtutis torpemus, & in mysteriorum diuinorum consideratione cæcutimus, & in recordatione tanti beneficij frigemus. quid igitur eo tempore nobis faciendum? vocemus ad agni esum vicinos domus nostræ, idest sanctos viros siue eos qui è vita excesserunt, siue eorum, qui apud nos adhuc superstites sunt, auxilium petamus, & hac ratione totum agnum valebimus insumere. in huius rei probationem adducit illud Psal. 38. notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, vt sciam quid desit mihi, idest ostende ô Deus, quam impar ego sim meritis, vt ad tantum sacramentum accedere valeam, vt stimulatus huius rei cognitione, perquiram sanctorum virorum fauorem, quo torpor mentis meæ excutiatur: subiicio verba Ruperti. *Si autem minor est numerus (inquit) vt sufficere possit ad vescendum agnum, numerus hic mystice sic oportet pene intelligi, quomodo & in Psalmo cum propheta diceret, notum fac mihi Domine finem meum & numerum dierum meorum quis est, vt sciam quid desit mihi: numerus enim hominis, vt secundum præsentem causam loquar, tunc sufficiens est, quando is qui agnum manducat, mysteria eius penetrare præualet: sed ad hæc quis tam idoneus? quis in sanctitatem tantum progressus est, tantamque dierum bonorum multitudinem collegit, vt ad capiendum tantum cibum, tam solidum, nihil ei desit? ergo quoties hunc agnum immolamus, recte paucitatem nostram consitentes in nobis, quia totum eius mysterium capere non possumus, assumimus vicinum qui coniunctus est domui nostræ, scilicet Apostolorum & martyrum chorum, qui per eandem fidem propinqui sunt familiæ Christianæ.* Hoc idem innuit subinde Rupert. ex his quæ sacrificaturi agimus, in primis enim ara lapidea supra quam sacra fiunt, conspersa est sanctorum reliquiis, quorum auxilium summis precibus efflagitamus, & hoc sane ex antiqua Ecclesiæ Christianæ traditione, nam ab ipsis Ecclesiæ primordiis, martyrum & sanctorum virorum reliquiæ, subtus altare sepeliuntur, vt eorum precibus digni efficiantur adstantes tanto mysterio.

Psalm. 38.

Rupert.

*Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpturi, charitate simus concordes.*

*Si minor est numerus vt sufficere possit ad agnum vescendũ assumet vicinũ suum qui iunctus est domui suæ.* Intra domos non extra agnus comeditur, vnde si numerus familiæ non sufficiat ad esum agni, iubentur vt domui vicinos, & non quoscumque, sed sibi coniunctos vocent, vt integrum agnum insumere possint. Cur vicinos sibi iunctos & non alios assumere debent? quia tanta charitate debent omnes esse coniuncti, qui ad Eucharistiam conueniunt, vt non ad diuersum genus & rationem pertinere, sed coniunctos & familiares esse videantur, & ad eandem familiam & domum pertinere. hoc notauit cit. Abbas Tuicens. lib. 27. in Exod. cap. 22. *Porro secundum spiritum vnitas sancta Ecclesiæ commendatur attentius, videlicet vt manducatures mensam Dominicam, simus domus vna.* 49.

Abbas Tuicens.

*Immundi ad Eucharistiæ sacramentum non sunt inuitandi.*

*Si minor est numerus, vt sufficere possit ad ves-* 50.

*cendum agnum, assumet vicinum suum, qui iunctus est domui suæ.* Cum hoc ad sumptionem cibi Eucharistici extendatur ab auctoribus, inquiremus, quisnam vicinus conuocandus, vel quisnam vicinus per eum qui coniunctus est domui intelligatur? sane quotquot auctores, intelligunt non de gentili sed de Israelita, sed non de immundo, seminifluo, leproso &c. & merito, non immundi ad Eucharistiæ sacramentum non sunt inuitandi, & si non inuitati venerint, audiant quid eis minetur August. apud S. Thomam in illa verba
S. August. Matth. 8. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum &c. *Plures licet immundi Christi sacramentum sumere non verentur, quod significatur per Ozam qui indignus arcam tetigit: & percussus à Domino interiit 2. Reg. 6. significatur etiam per Bethsamitas, qui videntes arcam nudam perierunt percussi à Domino, septuaginta viri & quinquaginta millia plebis.*

*Eucharistiæ sacramentum munimen est ad superandas mundi illecebras.*

51. *Si minor est numerus vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui iunctus est domui suæ.* Vt simul conuiuantes integrum agnum consumere valerent, sed cur antequam discedant ab Ægypto, & Pharaonis iugum excutiant, iubetur vt agnum comedant? si per Ægyptum mundum, sicut per Pharaonem dæmonem intelligis; prudenter equidem hoc mandatum accipiunt ab Ægypto egressuri, quo significatur quod sumptione agni Eucharistici, agno legali adumbrati, muniemur ad mundi superandas illecebras, & ad dæmonem, Pharaonem
S. Chrysost. inquam tartareum vincendum. accipite S. Chrysost. in illa verba Psal. 22. parasti mensam
Psal. 22. aduersus eos qui tribulant me. *Ista mensa agnoscitur altaris Domini consecratio, qui sunt isti qui nos tribulant? suggestiones inimici, exagitationes, cupiditates, voluptates sæculi, honores ista tribulant, quia qui ita viuunt, tribulationes carnis habent, sed veniant ad mensam potentis, considerantes ea quæ apponuntur eis, accipere cum timore, & tremore, & tribulationes efficiuntur, consolationes auferuntur, ea quæ sunt carnis infunduntur, ea quæ sunt spiritus, & ex mensa præparata proficiunt contra eos qui tribulant eos.*

*Eucharistiæ sacramentum animum confert ad quodlibet caudendum arduum.*

52. *Si minor est numerus vt sufficere possit ad vescendū agnū, assumet vicinū suū, qui iunctus est domus suæ.* Vt deinde simul egrediantur ex Ægypto, in quo non exigui animi debebant esse, tum quia spolia ab Ægyptiis detraxerant, tum quia timendus erat Pharao, qui pluries promissis suis non steterat, cur ergo potius iam excusso timore, cum peruenissent in Ægyptum, agnum legalem non comedunt? prudenter equidem, antequam abeant iubet Deus illo muniri, in typum, vt cum aliquid arduum laude dignum aggredi voluerimus, muniamur antea agno sacramentali Eucharistico: inde cum olim à tyrannis fideles ad tormenta & cædem propter Christiani nominis confessionem vulgo raperentur, ne illi forte dolorum acerbitate victi in salutari certamine succumberent, vetus in Ecclesia Catholica mos fuit, vt iis ab Episcopis Dominici corporis & sanguinis sacramenta præberentur, ex quo sic sanctus Cypri. Epist. 54. *Nunc vero fortibus & viuentibus communicatio à nobis danda est, vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus, & cum hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus, nam quomodo docemus aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus?* S. Cyprian.

*Quis mysteria Eucharistici agni penetrare ex se potest?*

*Si minor est numerus vt sufficere possit ad agnum vescendum, assumet vicinum qui iunctus est domui suæ.* Nescio cur hoc à Deo iubetur, cum sufficientissima familia esset non solum ad esum vnius agni, sed duorum; cur ergo alij sunt conuocandi? cur numerus comedentium sufficiens esse videatur? audiamus quid respondeat eit. Rupertus: Numerus hominis tunc sufficiens est ad esum agni, quando is qui agnum manducat, mysteria eius penetrare præualeat, sed ad hæc quis tam idoneus, quis infantiam tantum supergressus est, tantamque dierum bonorum multitudinem collegit, vt ad capiendum totum cibum tam solidum, nihil sibi desit? ergo quoties hunc agnum immolamus, recte paucitatem nostram continentes in nobis, quia totum eius mysterium capere non possumus, assumimus vicinum, qui coniunctus est domui nostræ, quis ille vicinus vel vicini, quorum auxilio agnum comedere valemus? respondet idem Abbas, vicinus est Apostolorum & Martyrum chorus, qui per eandem fidem coniuncti nobis sunt, & sine illorum imitatione, nunquam edere præsumimus, dicimus enim Communicantes & memoriam venerantes, in primis gloriosæ semper virginis genitricis Dei, sed & beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, &c. quod idem est ac si dicamus, in eadem fide nos immolare & comedere agnum Dei, in qua Virgo concepit & peperit, quam Apostoli sancti prædicauerunt, pro qua beati Martyres passi sunt, ita vicinis assumptis nos per Dei gratiam ad esum agni sufficimus, quia videlicet etsi totum eius mysterium comprehendere non valemus, satis tamen est quia nihil de illo quod & apostolicæ fidei sit contrarium, sentimus. 53.

*Christus magnus non solum sanguine suo nos redemit, sed & lanis nos operuit.*

*Si minor est numerus vt sufficere possit ad agnum vescendum, assumet vicinum suum.* Iste agnus, inquit Hieronym. in Isaiam 5. 3. de quo immolari præcipitur, est de quo Isaias, sicut ouis ad occisionem ductus est, quasi agnus coram tondente se obmutuit, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, quem Ioannes Baptista monstrabat dicens, ecce agnus Dei, qui & in Apocal. agnus occisus memoratur. sed 54.

cur agno comparatur? dices propter innocentiam, nonne lana ouium & agnorum vestimur? dic ergo Christum Dei agnum esse, qui non solum sanguine suo nos redemit, sed & lanis suis nostram operuit nuditatem. ita cit. Doctor. *Hic agnus est cuius cruore linitus in postibus exterminatorem fugabat Ægypti, qui non solum sanguine suo vos redemit, sed & lanis operuit, vt algentes infidelitate sua veste calefaceret, & audiamus Apostolum nobis loquentem, quicunque in Christo baptisati estis Christum induistis, & alibi, induimini Dominum Nostrum Iesum Christum.*

Hieronym.

### *In Eucharistico agno sensus excludendos, & sola fides habenda.*

55. *Si minor est numerus vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum.* Miror quod in toto hoc capite, in quo agitur de agni immolatione & esu, & in quo tot ritus obseruandi, tot ceremoniæ tenendæ. nullus nec ipse Moyses discutiat, cur hoc fiat? cur sumendus est agnus antequam ex Ægypto sit discedendum? quid denotet ille agnus? si dictum à nobis fuit hunc agnum legalem typum esse agni Eucharistici, quid mirum igitur, si nec ipse Moyses velit discutere quid sit ille agnus? cur tales ritus in eo obseruandi? nam hoc nobis erat documentum, quod etiam in agno Eucharistico excludendus erat sensus, ratio sola non sequenda, sed fides: quod expendit Balduinus in alleg. Talm. in illa verba Matth. cap. 18. si oculus scandalizauerit te, erue eum, ait enim in sacramento altaris, fides & humana ratio compugnant, & hoc agitur inter eas, vt altera alteri oculum eruat, nec est finis huius pugnæ citra alterius excæcationem, habet enim humana ratio oculum suum, habet & fides suum, oculus rationis quasi lippus est & sæpe visibilia & prope posita videre non potest, oculus autem fidei acutus est, quo inuisibilia Dei intellecta conspiciuntur. circa virtutem sacramenti, mens hebet, oculus rationis caligat, omnis sensus obtunditur, manus in contrectando sedula, experientia gustus, oculorum intenta contemplatio, nulla sua diligentia explorare possunt, nisi ea quæ huiusmodi panis esse solent, ratio consulta hoc respondet, quod carnalibus cogitationibus persuasum habet, & corporis sensibus exploratum, oculus enim humanæ rationis inuisibilia Dei comprehendere non potest, nisi collyrio gratiæ inungatur, vtroque lumine illustretur, de quo scriptum est, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: si oculus tuus, inquit Dominus, scandalizat te, erue eum & proiice abs te, hoc Dei oculo humanæ rationis non inconuenienter accipitur, qui pietati fidei scandalum est, melius est enim oculum sanæ fidei habentem ingredi ad vitam, quam duos habentem, alterum humanæ rationis, alterum fidei mitti in gehennam. &c.

Balduin.

### *Misericordia in pauperes optima dispositio ad agnum Eucharisticum accipiendum.*

56. *Si minor est numerus vt sufficere possit ad* A *vescendum agnum, assumet vicinum suum.* Et eum conuiuij sui participem faciat, quo nobis indicatur, teste Theodoreto superius citato, quod pauperes & egenos ad mensam nostram inuitare debeamus, sed qua de causa antequam agnum immolent & comedant? quia cum eo denotetur Eucharisticus, significat quod idonea dispositio erit ad eum recipiendum & sacrificium Deo offerendum, in pauperes misericordia. quod D. Laurent. Nouariens. homil. de pœnitent. obseruauit in Zachæo digne recipiente Christum Dominum cum dixit, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus; ait enim. *Indignantur quidam & imputare conantur, quod Dominus ad peccatorem diuerteret, sed quid Dominus ad eos? amen dico vobis quod hodie salus facta est domui Zachæi, eo quod sit filius* B *Abrahæ, non audistis quid dixit? dimidium substantiæ meæ do pauperibus, non vidistis, quia publicanus factus est indigentium præsul?* equidem vbi Zachæus curam pauperum gerit, suas distribuens illis facultates, ecce meretur Dominum accipere.

S. Laurent. Nouariens.

### *Non solum gens Iudæa, sed & gentilis conuocanda erat ad conuiuium spirituale Eucharisticum.*

*Si minor est numerus vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum.* Sanctus Augustin. ait vicinum pro homine dixit, & licet non de quocumque homine hoc non intelligatur, sed de Israelita: tamen cum mystice loquamur, per vicinũ domui populi Israelitici, quẽ possumus C intelligere? sane gentilem populum; & cur populus gentilis conuocatur ad esum agni, cum ab eo incircumcisus arceatur? quia cum gens Iudæa non sufficere posset, imo non esset idonea, ex infidelitate, ad esum typici conuocandus erat populus gentilis, qui derelicto paganismo, fidei intellectum subiiciens, qui huius particeps redderetur. *Hoc typice designat*, inquit Raban. *quod non solum ex Iudæis sed etiam ex gentibus conuocandi erant ad fidem Christi, & ad veri agni immolationem, non enim sufficiebat sola gens Iudæa ad spirituale Pascha celebrandum, quin etiam gentes quæ iuncta fuerunt domus Iudææ, adhibendæ erant, quatenus domus Dei conuiuantium numero impleretur, & agni carnes domi comestæ fidelibus in pastum vitæ æternæ verterentur.* 57.

Rabanus, Maurus.

### D *Deus populum suum adhuc carnalem suauiter ad festa celebranda inuitat.*

*Si minor est numerus vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum.* Quod deinde obseruatum est in suo Paschate, omnium festorum suorum præcipuo & celeberrimo, sed vt hoc festum celebretur, cur necesse conuiuari? nonne pietate, deuotione, in pauperes misericordia celebrari potius deberet, quam epulis & conuiuiis? ita sane, sed cum adhuc populus ille Israelita rudis esset, & imperfectus, suauiter & mediis epulis ad festorũ celebrationem inuitari debebat; sic obseruat Abulens. *Videns Deus conditionem huius gentis, quæ ad huc carnalis, & valde imperfecta erat, vt alliceret eos ad colendum festa sua* 58.

*& diligendum eamandabat, & quod in festis comederent splendidius, & lætarentur in omnibus, quæ de-* A *siderabat anima eorum, vt patet Deuter. 12. & in alijs locis.*



## VARIETAS LECT. Vers. 5.

VVlg. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus, iuxta quem ritum tolletis & hædum.

*Septuag.* Pecus perfectum, masculum, anniculum erit vobis, ab agnis, & hædis accipietis.

*Alij legunt*, Agnus irreprehensibilis.

*Cald.* De agnis & de filiis caprarum accipietis.

*Onk.* Agnus integer, &c. quem ex agnis aut de capris tolletis.

*Arias.* Agnus perfectus, masculus, filius agni.

*Procop.* Ouis perfecta, mascula, & annina erit vobis.

*S. Amb. de ratione Paschatis celebrat.* Agnus sine macula, mundus, consummatus, anniculus, masculus erit vobis. B

## CONCORDIA.

VBi Vulgatus habet absque macula, in Hebræo est dictio תמים tamim, quæ immaculatum, perfectum, & integrum significat, & licet habeamus iuxta quem ritum tolletis & hædum, & in Hebræo paulo aliter habeatur, nihilominus vtriusque est sensus, nempe ex agnis & hædis posse Pascha celebrari, Procop. ouem transtulit, sed intelligit agnum.

## EXPOSITIO.

ERat autem agnus absque macula. Per maculam non intellige variegationem coloris, poterant enim oues bouesque sparsi velleris offerri, non minus quam aliæ pecudes, nec circa colores quidquã præscriptũ, nisi speciatim in vno sacrificio vitulæ rufæ: sine macula igitur est, quod sit corpore & omnibus membris integer, absque defectu, sine deformitate, ac fractura, *masculus* etsi apud nos tam agnus quam hædus, animal masculum significat, sed quia vox Hebræa vtrumque sexum denotat, hinc est, ne ad libitum relinqueretur sumere ouiculam vel agnum, masculum vertit interpres. nam licet in aliquibus aliis hostiis pacificis, & pro peccatis, offerri etiam consueuerit ex fœmineo sexu, hic autẽ ex masculino esse præcipitur. *anniculus* hoc ita intellige non vt annum præcise expleuerit, neque etiam vt annum circiter attigerit, plus vel minus, sed vt annum non excesserit, sic vt modo infra annum completum sumatur, modo tamen septem dies expleuerit; nam hoc in omnibus vi- C ctimis requiritur Leuit. 2. vt sit futura legitima victima, *iuxta quem ritum tolletis & hædum*, illud & disiunctiue accipiendum est, vt intelligatur ritus eosdem, easdemque conditiones in agno & hædo obseruandas fuisse: seruauit interpres Hebraicam copulam, quam alibi in disiunctiuam vertit: alterutrum igitur lex admittit, ita tamen vt si commode posset, assumeretur agnus, sin minus, assumeretur hædus. noli igitur admittere Burgensem, qui agnum tantum immolari posse contendit, caue etiam putes vitulum loco agni aut hædi accipi potuisse, puta in domibus in quibus erat magnus conuiuarum numerus, eo quod sicut hoc loco dictum est, sumendam esse hostiam de ouibus aut de capris, si autem Deutero. c. 16. dicitur, immolandum esse phase Domino de ouibus, & de bobus, in loco quem elegerit Dominus, id enim intelligitur de sacrificiis quæ septiduo azymorum immolabantur Deo, non autem de sacrificio hoc vespertino decimæ quar- D tæ Lunæ. Deut 16.

## CONCEPTVS.

*Ea est humanitatis Christi præstantia & similitudo cum Deo, vt & humanitas possit censeri quasi diuinitas, & diuinitas quasi humanitas.*

59. AGnus sine macula, masculus, anniculus, Greg. Nazianz. ait, *anniculus porro dicitur, vt Sol iustitiæ, atque item vt benignitatis corona benedicta, omnique ex parte sibi similis & æqualis.* Alludit ad illud Regij Dauidis Psal. 64. *benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, quem lex vocabat agnum anniculum, Dauid vocat coronam omni paterna benedictione contextam. Cur Iesus coronam exprimit? an quia ipse Rex & omnium dominus? an quia ab illo vniuersa triumphantium & regnantium corona? sane corona omni ex parte æqualis, etenim si quis lineam à superna circumferentia ad inferiorem duxerit, ac rursus transuersum idem fecerit, æqualia interualla reperiet; similiter item sibi corona est, quia ex omni parte similis ipsius figura cernitur, vndequaque enim rotunda visitur: cur ergo Christus corona dicitur? an quia

S. Greg. orat. 41. Psal. 64.

quia ex omnibus virtutibus constitutus, nec vllum A bonitatis iustitiæque finem habens, cuius iustitiæ propria est æqualitas, id est vt nec excedat nec deficiat, nam excessus aut defectus non à virtute, aut à iustitia oriuntur, sed à vitio & iniustitia, & sic Christus est æqualis vt nec ad excessum declinet, aut ad defectum, sed omnem virtutis æqualitatem habens, & item æqualis vt nihil nec contrarium in se ipso ostendens, aut aliis suggerens, verum similia omnia tum faciens tum docens: sed adhuc addamus dici & à Dauide & à Greg. Christum coronam, quod ex quacumque parte consideretur, & similis appareat & æqualis, vel si consideretur ex qua parte Deus, vel ex qua parte homo, nam & homo & Deus est in eadem vnitate suppositi Deus.

*Christus fortissimus & robustissimus.*

60 *Agnus sine macula, masculus, anniculus.* Cur B masculus cum aliud non potuerit intelligi, cum agnus dictus fuerit? scimus eo denotatum Christum Dom. nō solū propter innocentiam & simplicitatem: sed propter aliam rationem inferius exhibendam, sed cur masculus? dices quia cū mas fœmina sit perfectior, & principatu dignior, sic Christus quoque naturæ rex est vt mas fœminæ, ac proinde totius humanæ naturæ, quasi nubili cuiusdam puellæ solus sponsus est, qui animis nostris cognitionis diuinæ semina inserit. sed adhuc cur Christus masculus nuncupatur, *Vt qui* (inquit cit. Theolog.) *pro Adamo potissimum offeratur, ac firmum illum quidem ac robustum, sed tamen primum in peccatum lapsum firmitate ac robore superet.* Explico illud *potissimum*, ostendit enim quoque mulieris causa oblatum fuisse, etsi potius pro viro, quoniam ipse quoque grauius peccaue- C rat, vt qui & firmiori animo præditus esset & mādatum accepisset: firmior itaque muliere Adamus, firmior autē ac robustior Adamo Christus: ille enim à peccato superatus est, Christus autem peccatum fregit, quare non abs re pro robusto robustior mactatus est, adde eum masculum & robustissimum ex eodem Gregor. quia nihil omnino muliebre, nihil molle, nihil effeminatum gerebat.

*Christi Domini insignis potentia.*

61 *Agnus sine macula, masculus, anniculus,* Scio Christum Dominum ab Isaia cap. 8. masculum nuncupatum, cum ait, & accessit ad Prophetissam, & concepit & peperit filium, ac priusquam dolor partus venisset, effugit, & masculum peperit: sed quis in dubium reuocare potest, Christum D masculum fuisse, cum vir nominetur, ecce vir oriens nomen eius? sane non sine emphasi masculus nuncupatur, insignis enim fuit illius potentia, cum præter naturæ leges, virginitatis claustra aperuit, virili congressu nequaquam reserata, virginea & materna in vno supposito coniunxit, hæc decerpamus ex toties cit. Gregor. Theol. *Virgineis & maternis vinculis pro potestate ac violenter erupit, & masculus vt annuntiat Isaias, ex prophetissa natus est.*

Isai. 8.

Cit. Theol.

*Christus primæuam nuditatem tollit.*

62 *Agnus sine macula, masculus, anniculus.* De grege ouium in sacrificiū sibi offerri iubet, agnū, cur non ex frugibus, cum difficilius esset in exitu A fruges offerre, quā agnum immolare & conuiuas excipere? si Christus agno denotatur, & primus parens olim cum sua posteritate nudus apparuit: recte agnus & non aliud offertur, vt primæuam nuditatem indumento suo tolleret, forte inuenire possemus in aliis vnde infirmitati nostræ consuleremus per indumentum, sed qui simul esum & indumentum præberet agnus est, adstipulatur cit. Nazian. *Quocirca agnus quidem accipitur propter innocentiam veterisque nuditatis indumentum, talis est enim victima pro nobis cæsa, quæ incorruptionis indumentum vt reuera est appellatur* Et Diu. Zeno lib. 3. serm. 30. *Primus non aries sed agnus excepit, qui vestram nuditatem velleris sui niueo candore vestiuit.*

Naziant.

D. Zeno.

*Christus quasi à gloria egressus, ad eandem in ascensione regreditur.*

B *Agnus sine macula, masculus, anniculus.* toties 63 cit. Nazianz. ait, *anniculus porro vt sol iustitiæ vel è cælo progrediens, vel quantum ad eam partem, quæ oculis cernitur circumscriptus ac definitus, & ad se ipsum rediens.* Cur sol à S. Pontifice nominatur? an quia spirituales nostros sensus mundumque omnem intellectilem collustrat? an quia causa est cur omnia sint, gignant, crescant, ac fructum proferant? an quia præsentia sua lucem, & absentia tenebras affert? an quia ad vtilitatem omnia dispensat, non secunda tantum & prospera, verum etiam quæ acerba videntur? non secus ac hic sol aspectu sensibilis, non veris duntaxat & æstatis causa est, sed autumni etiam & hyemis, & quemadmodum lux illa prius condita est, deinde illa luminis domus, hoc est solis corpus, sic Christus lux illa vera secundum diuinam suam naturam prius C erat, secundum autem posteriorem humanitatis & carnis assumptionem, solis corpori comparari potest. sed aliam exhibeamus rationem cur Christus sol appellatur, nimirum vt temporum creator, quemadmodum hic quoque sol noster anni effector est, atque hic anno vertente, ad idem punctum à quo cursum auspicatus fuerat, reuoluitur, eodem modo Christus à diuina gloria, citra regressionem egressus, dispensationis suæ cursu peracto, rursus ad se ipsum reuersus est, hoc est ad pristinam gloriam & potentiam; hinc igitur Christus perfectus est, atque huc venit hoc est ex patre & cælo, quo confecto salutis nostræ negotio se recipit, sed qua de causa dicitur à Diu. Gregorio quod ad eam partem quæ oculis cernitur, D circumscriptus est? quia quemadmodum sol quātū quidē ad lumen attinet, circūscribi non potest; quantum autem ad orbem suum circumscribitur, sic Christus quantum ad diuinitatem circumscribi nullo modo potest, sed quantum ad partem visibilem, id est carnem, circumscribi potest.

D. Gregor. Theol.

*Christus Dominus non solum in se immaculatus sed etiam nos tales efficit,*

*Agnus sine macula, masculus, anniculus.* D. 64 Greg. legit, *immaculatus, incorruptus*, immaculatus quia nulla labe vitiatus, nec mutilatione fœdatus esse debet, sed cum eo Christus designetur, an hac solum de causa immaculati & incorrupti nomen obtinet? an quia solum in se immaculatus est? non equidem, sed quia etiā nos incorruptos & immaculatos efficit, vitiisque ac sordi-

D. Gregor.

bus à peccato manantibus medens, ita sentit Procopius, [Procopius] *Immaculatus insuper & incorruptus vt qui næuos, ac vitia, & sordes à peccato manantes cures, quamuis enim peccata nostra susceperit & morbos portauerit, ipse tamen nihil eorum quæ curationis indigent, perpessus est, tentatus enim per omnia pro similitudine nostra cæterum absque peccato.* Quamuis enim Dominus peccata nostra susceperit, quamuis etiam nostros animorum morbos tulerit, ipse tamen nihil vnquam cogitauit, nec admisit, quod medicinam desideraret, quemadmodum si medicus ab ægroto morbum tollere possit, ipse autem eo non corripiatur, etenim Dominus quidem per omnia quidem tentatus est, iuxta similitudinem nostram, verum absque peccato, lex enim in tenebris lucet, hoc est in caliginosa hac vita; & densa affectuum caligine circumfusa atque aduersaria, tenebræ, hoc est ille qui propter superbiam caligo effectus est, Christum quidem persecutus est, atque tentauit, sed victus & confusus recessit.

*Christus Dominus à iustis & peccatoribus originem trahens pro vtrisque mortuus est.*

65 *Agnus sine macula, masculus, anniculus, iuxta quem ritum tolletis, & hædum.* Quod Christus agno propter vitæ innocentiam & simplicitatem adumbretur, recta sane adumbratio, sed quod etiam hædo patres asserant denotari, capere non possum, nam hædus in malam partem sumitur, hædi enim sunt quos iudex ad sinistram statuit, vt pote nullam actionem dextram habentes, mittendi in ignem æternum: dicamus tamen rectè & agno & hædo adumbrari, quia non solum à iustis & peccatoribus originem traxit, verum etiam pro vtrisque mortuus est: primum habebis ex alio conceptu, secundum habet Gregor. Nazianz. [Greg. Naz. oratio. 1. de Pasch.] *Eligitur non solum ex agnis, verum etiam deteriori specie, & ex sinistra quæ hædis tribuitur in Euangelio, quia non solum pro iustis, verum etiam peccatoribus mactatur, ac fortasse ipsorum potius causa, quandoquidem maiore misericordia opus habemus,* idem fere habet Procopius, sed clarissime Diu. Gaudent. tract. 4. de lectione Exodi, [D. Gauden] *ab hædis & agnis sumetis, hinc aduertere debuerunt Iudæi legem Dei spiritualiter intelligendam, quoniam & ab hædis sumendum legerunt agnum qui immolandus erat, cum sit istud naturæ contrarium, vt si agnus est ab agnis sit pariter, & ab hædis: sed hæc est omnis ratio in ambiguitate sermonis, quod est immaculatus Dominus Iesus, & iustorum & peccatorum carnem suscipere sit dignatus ex virgine, corpus enim non solum de Patriarchis & Prophetis, sed ex totius humani generis massa suscepit, iustos autem comparari agnis & peccatores hædis, ipse in Euangelio declarauit dicens, agnos à dextris vocandos, venite benedicti, inquit, hædos vero à sinistris pellendos, discedite maledicti.*

*Christus licet innocentissimus, tamen ab impiis facinorosus reputatus est.*

66 *Agnus sine macula, masculus, anniculus, iuxta quem ritum tolletis & hædum.* Hædus reiiciatur à sacrificio, vel saltem eo Christus non adumbretur, nam eo vanus peccator intelligitur, quia scilicet exterius est vilis, sicut hędus, inhonestæ conuersationis, hædus enim lasciuus odoris vero grauis, id est infamis vitæ & opinionis, nihilominus Christus eo adumbretur, est enim immaculata hostia, non solum vt agnus in odorem suauitatis seipsum patri offerens, verum est hædus, qui pro peccato hominum offertur: agnus est quia ad ipsius instar, ad supplicium ductus pro peccato, veluti hircus sacrificatus est, pro hominum salute seipsum morti exponens: aut si mauis vt hædus in alta loca prosilit, sic Christus in cœlum ascendit, seque euehit, propter te enim mortuus est vt cum ipso viuas, sed adde, & agno & hædo denotari, quia licet sit in se innocentissimus, tamen ab impiis vt peccator vanus & facinorosus deputatus est, sic intelligit Rupertus. *Mala æstimatione hominum,* [Rupertus.] inquit, *hædus id est peccator, vera autem verissime similitudine innocentiæ agnus erit, quod vtrumque Propheta Isaias considerans cap. 53.* [Isai. 53.] *ait, & nos putauimus eum leprosum & percussum à Deo, & humiliatum, ipse autem vulneratus est propter delicta nostra, attritus est propter scelera nostra.*

*Quæ Deo offeruntur semper sint meliora.*

*Agnus sine macula, masculus, anniculus,* 67
Arias & Septuaginta, *agnus perfectus*, Onkelus & Oleaster, *agnus integer*, qui Deo immolari & offerri debebat, sed cur integritatem & in eo perfectionem requirit? cur omnino immaculatum sine vllo defectu & labe, cum potius affectus & intentio offerentis quam ipsa victima consideretur? merito agnum immaculatum & integrum requirit, quia quæ Deo offeruntur, debent esse optima & perfecta, *Disce hic* inquit Oleaster, *qualia esse debent, quæ Deo* [Oleaster.] *tuo offerre debes, vt semper potiora Deo tuo offeras.* Aliàs vt Cain à Deo in muneribus tuis non admitteris.

*Deus à teneris vult nos sibi seruire.* 68

*Agnus sine macula, masculus, anniculus.* Puta talis vt non excedat annum, etiam si annum non compleuerit, poterat enim post octauam à natiuitate diem immolari; cur ita teneros agniculos petit sibi offerri? nonne conuenientius fuisset, vt duorum esset annorum, cum sic hostia maioris esset æstimationis & pretij? non solum Christus, sed & quilibet iustus agno denotatur; ne mireris igitur si Deus agnum anniculum sibi offerri exigit: Deus enim à teneris annis gaudet nos in suum obsequium destinari, & sibi seruire, [Hugo Vict.] quod expendit Hugo Victorinus libro tertio de claustro animæ capite duodecimo. *In illa ætate quando flauescunt crines, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corporis vires subministrat, iuuenilis ætas longioris vitæ spatium repromittit, quando viget ratio, vigent etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus iucundior, qui in hac*

*ætate se domant & Deo sociant. præmium Ioannis* A *expectant*, & rursum, *tales offerunt hostiam viuentem, Deo placentem. immaculatam. non aure, non oculo, non pede carentem*, audiat hoc senum sera conuersio, quibus ex defectu senectutis, aures obturantur, oculi turbantur, & vt cuncta breuiter perstringam, ipsi in se per se deficiunt, si non offerunt agnum immaculatum, sed vt ita dicam, porcũ curatum, sicut enim porcus in immunditiis sic senex iacens in vitiis, & sicut porcus siliquis vescitur, sic senex fabulis & rumoribus delectatur.

*Innocentiam & vitæ perfectionem à nobis Deus requirit.*

69 *Agnus sine macula*, Gregor. Nazianz. *immaculatus, incorruptus*, Septuag. *perfectus*, Hancne Deus à nobis exigit victimam puram, & innocentem, in agno sine labe peccati immaculato B adumbratam? imo & perfectissimam in perfecto significatam, sic Lactantius lib. 6. diuin. instit. *Sancta & singularis illa maiestas, nihil aliud ab homine desiderat quam solam innocentiam, quam si quis obtulerit Deo satis pie religioseque litanit:* sic etiam Chrysostom. hom. 6. in Matth. *Sicut in conspectu hominum gratiosa est facies pulchra, sic in oculis speciosa est conscientia*: confirmat Diu. Laurent. Iustini. de discipl. monast. cap. 7. *Delectatur Dominus Iesus in grauitate vitæ, in cordium puritate, & in perfectione seruorum suorum.*

Lactantius. D. Gregor. D. Laurent. Iustini.

*Viros fortes & robustos requirit Deus.*

70 *Agnus sine macula, masculus, anniculus*. Cur addit Moyses masculum, agno? hoc enim dicto, C necesse est etiam aliud intelligi. dices quod licet agnus ab agna apud grammaticos genere distinguatur, tamen apud Rethores sæpe agnus non sexum sed speciem animalis designat, vt cum dicimus, agnus est non vitulus, idest est speciei agninæ siue agnus sit siue agna: sed mysticè cur agno, masculum addidit? si eo innocentiam designari diximus, merito masculum adiunxit, Deus enim non solum innocentia vitæ conspicuos, sed & fortes & robustos in prosperis & aduersis exigit, vnde recte Cassiodor. in Psalm. 1. *Vir vocatus à viribus est, qui nescit in aduersis tolerando deficere, aut in prosperis aliqua eleuatione se iactare, sed animo stabili defixus. & cœlestium rerum contemplatione firmatur, manet semper impauidus.* Et Diuus Gregorius 5. moral. D *Fortes facti sunt sancti. carnem domant, virtutibus corruscant, spiritum roborant, terrena despiciunt, cælestia apperunt, occidi possunt. flecti autem nequeunt. nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec lasi vnquam à veritate conticescunt.*

Cassiodor. D. Gregor. Magn.

*Christus omnium perfectissimus diuinitatis semina nobis infundens.*

71 *Agnus sine macula, masculus, anniculus*, Septuag. vbi legimus sine macula, habent, *perfectus*, si agnus dicitur & ille perfectus, cur subiungitur masculus? cum impossibile agnum esse & perfectum & integrum, quin sit masculus: recte, & *perfectum* dixit, & addidit *masculum*, quia vt optime Cyrillus in cat. Græca, *erat agnus sine macula & perfectus, propterea quod typus erat cui nihil desideratum est ad perfectionem, qui mas omnino fuit nobis infundens diuinitatis semina humani generis per Euangelica praconia Deo & patri exculta.*

Cyrillus Alexand.

*Agnus Eucharisticus sine macula conuiuas exigit irreprehensibiles.*

*Agnus sine macula, masculus anniculus*, aliqui ex Septuaginta habentes ἀμώμος, reddiderunt *irreprehensibilis*, Ambr. *Mundus*, non est laus in agno, quod sit irreprehensibilis, qui enim libertate caret, nec vituperio, nec laude quid dignum operari potest. de Christo ergo hoc intelligitur, sed cur irreprehensibilis cum agnus nuncupatur, cum agnus immolatur, & editur? sane vt nobis denotetur, quam irreprehensibiles conuiuas exigat, quam enim maculam patietur ille agnus Eucharisticus reprehensione dignam in suis conuiuis, quem nemo potest arguere de peccato? Ioan. 8. & in quo diabolus princeps huius mundi non habet quidquam? Ioan. 14. & cuius manus sunt tornatiles, Cant. 5. seu vt habet Interlin. in nullo reprehensibiles? quam irreprehensibilitatem Dionysius Areopag. sic declarat lib. de Eccles. Hierarc. cap. 5. *Vult Christus vt nos illi tanquam membra corpori congruamus, & per vitæ sinceræ ac diuinæ similitudinem compaginemur, ne corrumpentibus mortificati vitiis, ad diuina ac sanctissima membra incongrui efficiamur.* Vnde suscepturus Eucharistiam expurgari debet & irreprehensibilis reddi vt Domino suscipiendo agno irreprehensibili aliqua proportione accommodetur. 72

Ioan. 8. Ioan. 14. D. Dionys. Areopag.

*Qui ad Eucharistiam accedit, non fœminei & mollis, sed virilis sit animi.*

*Erit agnus absque macula, masculus.* Si agnum dixit, cur masculum addidit, cum non possit agnus offerri quin sit masculus? sane masculus additur ad agnum qui immolatur, vt denotetur quod qui hunc agnum vires habentem & robur comedere debet, sit similiter masculus, id est masculum præse ferat animum, contra ingruentes malorum & tentationum procellas infractus consistat, non sit fœmineus, mollis & delicatus, hoc dixerim ex Cæsario Arelatensi. hom. 6. *Masculus* (inquit) *id est contra omne peccatum robustus & validus, masculini enim & virilis animi est illecebram repudiasse peccati sed fœminea fragilitatis ignauia est initÿ suscepisse lasciuiam, vnde ille typum gerens diaboli Pharao premens populum Dei, inimicus spiritui, amicus carni, fortitudines præsecabat, concupiscentias inuertebat.* 74

D. Cæsar. Arelatius.

*In Eucharistia Christus Deus & homo.*

*Erit agnus absque macula, masculus*, &c. *iuxta quem ritum tolletis & hædum.* Non solum per agnum, sed etiam per hædum intelligitur Christus Dom. sic Rupert. lib. 2. cap. 8. & quia is qui sua non habuit, aliena peccata 75

portauit, sequitur lex, & dixit iuxta quem ritum tolletis & hædum, sicut enim propter suam innocentiam in agno, sic propter iniquitates omnium nostrûm, quas Deus posuit in eo, recte idem figuratur in hædo: siue ergo sit agnus siue hædus, qui apud illum & illum immolatur, vnus idemque est in mysterio, agnus à suis (quia nulla sunt) mundus pro alienis peccatis offerendus: alij per agnum Christi Domini diuinitatem, per hædum
S. Zeno, autem illius humanitatem intelligunt. Cur vtrumque coniunxit in sacrificio Paschatis? cur non posuit solum agnum, vel hædum? quia in Eucharistico Sacramento, Christus Deus & homo est: religio est zenonis serm. 1. verba in Exodum præterire, *sacram legem qui spiritalis accipit iste est, qui eius fructu lactatus*, &c.

*Non æqualiter omnes participant virtutem Sacramenti.*

76 *Agnus sine macula, masculus, anniculus, iuxta quem ritum tolletis & hædum.* Vtroque diximus Christum denotari, ita vt qui non poterat agnum habere, solum immolabat hædum, & eius carnibus vescebatur, cur non omnibus præcipitur, vt agnum comedant & offerant? cur & aliquibus conceditur hædum accipere? quia non omnes æqualiter participant virtutem agni Eucharistici, alij enim perfectius, alij minus perfectè: sensus est
Procop. Procopij Gazæi. *Qui edunt non similiter sed diuersis modis pro cuiusque ingenio & virtute edunt, nec enim omnes idonei sunt vt vescantur oue, vel quibusdam partibus ouis, plures vescuntur hædo: qui sunt perfecti & repudium miserunt peccato, illi victitant agnis, quia Christus est agnus Dei, qui tollit peccata mundi, qui adhuc peccatis sunt subiecti, cibum capiunt de hædis*, quod confirmat exemplo Christi, qui aliquos pauit pane hordeaceo, aliquos autem triticeo ait ergo, *hoc illud est quod* A *dicitur Christum saturasse eos qui ipsum comitabantur non iisdem sed diuersis panibus, quosdam hordeaceis, quosdam ex tritico coctis, pauit igitur hordeaceis panibus illos qui ob inconditam & belluinam vitam nequiuerant capere puriorem, & triticeum panem scilicet Christum, quia huius farinæ plures sunt homines quam pij, septem traduntur fuisse panes hordeacei, hic enim numerus perfectus & plenus habetur; significantur itaque illi qui plurimi sunt qui sedent manibus pressis, nec operantur dum dies est: at panes triticeos fuisse quinque in litterarum monumenta relatum est, non enim fame premuntur qui meliorem naturæ instinctum sectantur secundum numerum sensuum, sed hos semper pastos & satiatos habent pane rationali, sicut scriptum est, non esurient, neque sitient neque nutabunt oculi eorum.*

B *Temporis prærogatiua paruipendenda apud iustos rerum censores.*

*Agnus sine macula masculus anniculus.* Sane in puritate illud præstantissimum est quod minima labe careat, & vt vertit Arias ex Hebræo, sit perfectus, cui nullus omnino adsit defectus, sed vt reddit Onkelus, sit integer, in naturæ etiam vigore illud est excellentissimum quod in sexu virili intelligitur, verum in genere antiquitatis & temporis quidquid claudi potest sub vnius anni spatio, credo illud esse minimum, nam cum hic dicitur anniculus, intelligendũ est, quod licebat Deo agnũ litari dũmodo septiduũ excederet; cur ergo qui in re puritatis & vigoris summa requisiuit, in agniculo immolando, in re antiquitatis & temporis contentus est paucissimis diebus? C sane vbi virtutes reperiuntur, vbi prærogatiuæ fortitudinis & puritatis suppetunt, paruipendenda est temporis prærogatiua, quæ apud æquos rerum censores quasi pro nihilo habetur. 77



## *VARIETAS LECT. Vers. 6.*

*Vlg.* Et seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam.

*Sept.* Et erit vobis conseruatum vsque ad quartam & decimam mensis huius, & occident illud omne vulgus Synagogæ filiorum Israël ad vesperam.

*Cald.* Et erit vobis in custodiam, &c. immolabit- D que eum omnis Ecclesia filiorum Israël ad vesperam.

*Pag.* Et immolabunt eum omnis cœtus filiorum Israël inter duas vesperas.

*Oleast.* Iugulabit illum omnis multitudo congregationis Israël inter vesperas.

*Alij.* Inter duas coniunctiones seu duas mixtiones.

*Alij.* Inter duos soles.

## *CONCORDIA.*

Verum est quod Hebraicè habetur בין הערבים ben hasabbaim inter duas vesperas, & tamen reddidit noster interpres ad vesperam, nihilominus nulla est contrarietas, nam immolabatur quidem ad vesperam, vespera autem sic vulgari & communi vsu sumitur, non tantum tempus post solis occasum, sed etiam tempus ante occasum, cum iam ad eum pergit, significat, quam vesperam alia sequitur quæ in expositione litteræ declarabitur, qui autem dixerunt inter duas coniunctiones vel duas mixtiones, ideo est quia Arab significat miscere, inde arbaim mixturæ, vnde dicunt quod tempus illud quo dies nocti miscetur, quod est inter solis occasum & noctem quo Latine dicitur crepusculum, vocatur hoc inter duas vesperas, aut inter duas mixturas diei & noctis.

## EXPOSITIO.

*ET seruabitis eum vsque ad decimam quartam diem mensis huius.* Quod refertur ad hædum & ad Agnum, quia vterque die decima accipi debebat, & die decima quarta immolari, *immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israel*, non quod singuli Physice victimas immolarent & iugularent, cum in vnaquaque familia vnica tantum esset hostia, sed omnes dicuntur immolasse moraliter, tum quia vnus nomine omnium domesticorum faciebat, tum quia & cæteri concurrebant præsentia sua adstantes & Deo idem offerentes: & quod hoc dicimus de patrefamilias immolante ante sacerdotij Aaronici institutionem, dicendum etiam hanc semper postea consuetudinem valuisse. dico ergo fuisse quidem patresfamilias sacerdotes ante legem Moysi, & prima vice ab his in Ægypto Paschales victimas fuisse immolatas, cumque hoc sacrificium fuerit institutum ante sacerdotium Aaronicum, relictum illud fuisse prout initio fuerat institutum, & patresfamilias mansisse sacerdotes, non absolutè neque respectu alicuius sacrificij publici (hoc enim solis Aaronicis sacerdotibus competebat) sed diminutè quoad hoc vnicum duntaxat in anno sacrificium, idque domesticum ac priuatum, quomodo enim temporis spatio ab hora nempe nona quæ correspondet nostræ tertiæ pomeridianæ, vsque ad vndecimam, quæ est quinta ante solis occasum, hoc est spatio trium horarum, potuerint sufficere ad tot hostiarum mactationem? immolabant ergo Iudæi ipsa 14. luna in quamcumque diem incidisset suum Phase, nos vero post concilium Nicenum non decima quarta lunæ, sed Dominica illa proxime sequente nostrum Pascha celebramus in honorem Resurrectionis Christi: Pascha enim nostrum non est transitus de vita ad mortem, qualis erat Agni veteris, sed de morte ad vitam, qui sacrificij Christi in cruce fuit terminus.

*Ad vesperam*, licet vespera proprie sit tempus diei, quod est post solis occasum, & ante principium noctis, tamen vulgari & communi vsu vespera non tantum tempus post solis occasum, sed etiam tempus ante occasum, cum iam sol ad eum vergit, significat: sed cum Iudæi duas distinguerent vesperas (& ita in Hebræo est inter duas vesperas) primam existimo esse, cum iam sol declinat ad occasum, & secundam esse ipsum solis occasum, quod disertè docet Iosephus lib. 7. de bello Iudaico c. 17. & lib. 16. antiq. c. 10. cum ait, Hebræos solitos fuisse immolare hostias ab hora nona vque ad vndecimam, hora autem nona respondet nostræ tertiæ pomeridianæ: prima ergo vespera, hora nona diei completa incipiebat vsque ad solis occasum, secunda incipiebat à solis occasu, & ab eo durabat vsque ad finem lucis seu vespertini crepusculi, immolandus igitur fuit agnus prima vespera, seu eo tempore quod erat inter initia duarum vesperarum, hoc est post horam diei nonam, vt manifeste indicat cit. Ioseph. lib. 7. belli Iudaici, cum inquit, cū dies festus adesset, qui pascha vocatur, quando à nona quidem hora vsque ad vndecimam hostias cędunt, vbi tamen ita tempus illud stringit, vt vltima diei hora superesset excoriandæ, purgandæ, lauandæ victimæ, & cæteris quæ assationi præmittenda essent, vt mox occaso sole igni admoueretur.

Iosephus.

Sed dubitabis, cum Hebræi sua sabbatha & sacros dies inchoarent à præcedente vespera, vsque in posteriorem diei vesperam, Leuit. 23. an immolationis vesperę diei decimæ quartæ ea esset, quæ inchoabat diem decimam quartam & erat finis decimæ tertiæ, an ea quæ claudebat decimam quartam diem? Plane si Moysis narrationem & scripturæ contextum hic attendamus, nulla videtur remanere dubitatio, quin de posteriore vespera, seu ea quæ eum diem consequebatur, qui nobis esset decimus quartus lunę sit sermo, varias de hoc rationes consules quas apud auctores reperies, vt apud Suarem in tractatu de Eucharistia in azymo conficienda. Ribera lib. 5. de templo cap. 5. mihi vnica sufficiet ad id probandum eodem semper die mensis primi in posterum comederunt Iudæi Pascha, quo illud comederunt prima vice, atque prima vice in Ægypto illud comederunt vespera consequente diem decimam quartam, & quam immediate consequebatur dies decimus quintus: hoc patet, quia perspicue habetur Numer. 33. profectos esse de Ramesse 15. die mensis altera die Phase, deinde, tota narratio Moysis hic indicat eadem nocte egressos esse, qua comederunt Pascha, si quidem agnos Paschales iugularunt ante solis occasum postes & superliminare sanguine victimæ adsperserunt eadem vespera peracta immolatione, & cæsas victimas, deinde clausis domorum suarum ostiis comederunt sub mediam noctem, occisa sunt primogenita Ægypti, tota Ægypto per noctem tumultuante, & Pharaone ac cæteris Ægyptiis motu percussis, facta est potestas Moysi & Aaron educendi populum; imo compulerunt Ægyptij cito Hebræos egredi, ne quid deterius eis accideret, ergo sub matutinum tempus, necdum excussis noctis tenebris, si quidem noctem adhuc fuisse indicatur, infra vers. 42. licet autem cætera festa à vespera in vesperam per diem integrum celebrarentur, Pascha tamen solum celebrabatur in fine, puta in vespera decimæ quartæ diei, non autem decimo quarto die inchoante, vnde dies decimus quartus non erat sacer, nec festum, sed tantum eius vespera secunda siue finis.

Dico ergo hanc vesperam fuisse posteriorem decimæ quartæ lunæ, siue decima quarta die, iam desinente & decima quinta inchoante, ita vt ritus sic agni fieret partim decima quarta, partim decima quinta die, immolatio enim agni fiebat decima quarta, comestio vero præcise fiebat decima quinta die: vespera enim hæc erat confinium decimæ quartæ & decimæ quintæ diei, & vna su parte ad decimam quartam, altera ad decimam quintam spectabat vnde Iudæi & Christus dicuntur immolasse Pascha, nunc decima quarta, nunc decima quinta die.

## CONCEPTVS.

*Non se iactent sacerdotes antiqui, cum ad ipsos precise non pertineret agnum paschalem immolare.*

78 *IMmolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel.* Licet quæstio nõ possit esse, an in hoc primo Paschate sacerdotes Aaronici immolauerint, cum nundum essent instituti, sed an postea hæ victimæ adferrentur in templum ab eis iugulandæ, videtur enim hoc ex officio conuenisse;

Esdras. 6. 1. Esdræ enim 6. dicitur purificati fuerãt sacerdotes & Leuitæ, quasi vnus, omnes mundi ad immolandum pascha vniuersis filiis transmigrationis, item 2. Paralip. cap. 35. videtur idem vel Leuitis vel sacerdotibus adscribi: dicamus tamen non esse, cur se iactent sacerdotes antiqui Aaronici, cum ad ipsos nõ pertineret Agnum Paschalem immolare, nec hoc sacrificium inter vetera celeberrimum offerre,

Philo Iud. Philo Iudæus lib. 3. de vita Moysis post medium id edocet, vbi loquutus de Agno Paschali: *Non vt aliàs* (inquit) *plebei homines victimas adducunt ad altare mactandas à sacerdotibus, sed iubente lege tota gens sacrificat, dum pro se quisque mactat hostiam suis manibus, tunc vniuerso populo concelebrante lætas epulas, dum quisque se gerit pro sacerdote.* Et in lib. de Decalog. ad finem loquutus de festo Paschali, *Quando* (inquit) *populariter singuli sacrificant non expectatis sacerdotibus, ipsi permissu legis fungentes sacerdotio.* Hoc

D. Isidor. Pelus. etiam expressit Isid. Pelus. lib. 3. epist. ep. 75. *In veteri testamento sacerdotij munere fungi exceptis sacerdotibus nemini licebat, Paschæ tamen tempore omnes sacerdotij honore afficiebantur vnusquisque enim pecudem immolabat.* Ad obiectionem ex sacro textu desumptam, responde quod poterat contingere vt vel patresfamilias essent immundi, vel ratione ægritudinis domi remansissent, vel negotij conficiendi causa, necessarium iter suscepissent, vel non satis commodum esset vacare immolationi, vel mallent deferre immolatũ[illegible] sacerdotibus aut Leuitis, nam & Christus non videtur per se Agnum Paschalem iugulasse, & his casibus ad templum victimæ iugulandæ deferebantur, atque adeo necessarium erat vt sacerdotes & Leuitæ parati essent & purificati ad id præstãdum omnibus qui id deferebant, & sic verum est patres familias immolasse victimas, sed horum defectu sacerdotes & Leuitas.

*Discessus per corporis & animæ solutionem non sit nobis inopinatus.*

*Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël.* Quandonam? ad vesperam, cuius diei? decimæ quartæ, nonne præceperat Deus vt decima die mensis ab vnoquoque in domum tolleretur? cur ergo solum decima quarta immolatur? cur tandiu ante discessum iubetur agnus, qui in ipso exitu absumendus erat, domi custodiri? plures iam huius custodiæ rationes in medium adduximus, sed aliam ex Ruperto exhibeamus,

Rupertus. nempe quod erat agnus domi inclusus, cuius repetitus balatus, exeundi tempus ob oculos poneret, nec sineret eos profectionis non recordari, ad illamque non præparari: subdicio verba eius. Abbat. lib. 2. in Exod. cap. 3. vt quid tan-

A diu ante tollitis, tãto tempore seruatur? videlicet vt dum ille præsto est, causa quoque eius corda nostra sollicitet, ne simus immemores, nec imparati, quia transeundum est, dum ille tot antè diebus de profectione paranda nos admoneret, quoties enim ille balatum emittit, toties quasi tubæ sonitus exituras castrorum acies excitet. Ecce quomodo ab Israelitis, ne sui exitus ab Ægypto dies inopinatus eos comprehendat, datur agnus qui balatibus suis, in memoriam continuo reuocaret instantem profectionem, ne illius essent immemores: an arbitramur quod idem Deus à nobis exigit? ita sane, cum semper coram oculis plura dici extremæ excitatiua habeamus, ne immemores quando discedendum est ab hoc Ægypti sæculo, inopinata mortis hora nos opprimat: quod consulens Chrysol. serm. 118. & ne huiusmodi memoria nobis importuna esset, tanquam obiecti

Petrus Chrysol.

B amari, hoc remedium ante oculos ponit. *Resonet in ore nostro resurrectio semper, semper resurrectio ad nostræ mentis transmittatur auditum, vt mors quæ nostros semper obsidet sensus cum terrore suo, cum lamentis suis à nostris sensibus effugetur, quia si agricola fructus vberes & exsatiatas epulas cantat, vt imminentem vomeris laborem non sentiat & sudorem, si nauta portus modulatur & lucra, ne vndarum ruinas, ne mortis discrimina pertimescat, si miles ne vulnera metuat, & gladios non pertimescat, prædas personat & triumphos, vnde resurrectionem mente, oculis, aspectu cãtet, cogitet Christianus, vt totam mortis possit calcare formidinem.*

*Licet plures sint species sacramentales vnus tamen Christus sub eis continetur.*

C *Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum* 79
*Israël.* Cur eum dixit singulariter? nonne tot erãt agni quot familiæ? cur ergo non ait immolabit eos multitudo filiorum Israël? si enim sunt plures pluraliter enuntiari deberent: dices agnum vnum dici, quamuis plures essent ratione vnius speciei, sic enim plures homines vnus homo dicuntur, quia omnes vnam naturam specificam participãt: sed cum hic agnus legalis, eum qui eucharisticus est, significet, nonne possumus dicere quod licet plures sint agni, & tamen dicuntur vnus agnus, ita licet plures sint species, sub quibus agnus vere & realiter est eucharisticus, tamen vnicus est & non plures, ita explicat Abbas Tuicens li. 2. in Exod. Rupertus.
*Eum dixit singulariter, cum tot agni erant quot in* D *vniuersa multitudine filiorum Israël familiæ esse poterant, quia in omnibus quod magis ad rem pertinet vnitas sacramenti in cunctis vnius erat futura.*

*Eucharistia inter hanc vitam & beatitudinem nos constituit.*

*Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum* 80
*Israël ad vesperam.* Scilicet neque sub noctis tenebras, neque sub meridiem, sed sub vesperam, sed sub crepusculum, tempus scilicet medium inter tenebras & lucem, quod ex tenebris luceque constat, cur ita se res habet, & cur non in meridie agnus immolatur? si vera cecinit Macarius hom. 47. tenebræ noctis hanc vitam ærumnosam significant, quam dum viuimus, omnes dicimus

S. Macar.

meridies autem est beatitudo, vbi longe lateque A lux rutilat: dic igitur inter tenebras & meridiem agnum immolari, quia eucharisticus agnus inter vtrumque medius debebat esse, huius enim esus ab hac mortali vita quodammodo nos extrahit; neque tamen beatorum choris inserit, sed medio in loco constituit, vt inter vtrasque terminos fi- nitu constituti, subijcio verba Macar. *Ait ad vesperam edatur, hora autem vespertina media est inter lucem & tenebras, & intercedit assistente luce diuina quæ non sinit tenebras in animam insurgere, illamque absorbere.*

*Quasi Deum in meditatione videat qui agnum eucharisticum accipit.*

81 *Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Cur non ait immolabunt eum vniuersi Iudæi vel Hebræi? cur filij Israel nunc dicuntur, cum de immolatione agni est ser- mo? nonne qui agnum offert in immolatione, ille est qui Eucharistiam accipit: Israëlita autem nō- ne ille est, qui Deum videt? hoc enim nomen Is- raël portendit: quid mirum igitur si hoc loco Iu- dæi, Israëlitæ dicantur, cum agnum sunt legalem immolaturi? quia sane quasi Deum in meditatio- ne videre debet, qui dignè agnum accipit Eucha- S.Gaudent. risticum: huius sententiæ est S. Gaudent. tract. 6. *Sit vnusquisque nostrum in potestate Domini qui percussit Ægyptios, sit Israëlita Deum semper mente aspiciens, scilicet vt agnum rectè valeas im- molare.*

*Non in tenebris peccatorum, sed in luce gratiæ simus, vt digne agnum Eucharisti- cum immolemus.*

82 *Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam.* Diei decimæ quartæ: quando scilicet luna est in plenilunio, & quando exten- siorem lucem participat à lumine solis. Cur tunc agnus immolatur? cur expectatur cum luna splē- didissima & lucidissima est? quia vt digne agnum Eucharisticum offerre & accipere possimus, ani- ma nostra nulla tenebrarum, nempe peccatorum caligine, obuoluta esse debet, sed luce diuinæ gra- Procop. tiæ illustrata: consentit Procopius Gaz. *Sacrifica- batur die decimoquarto, sub vesperam, quando luna cyclus perfectissimus est, neque enim nos si non vera lux nobis perfecte exorta fuerit, & ad vnguem, ani- mi nostri principalem partem illuminauerit poteri- D mus verum eum immolare & edere.*

*Christus eodem tempore quo agnus immolatur, seipsum agnum Eucharisticum Deo patri offert.*

83 *Immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Is- raël ad vesperam.* Si meridie deliquit primus pa- rens, & cum eo omnis sua posteritas, cur cum agnus legalis, qui est Christi Domini typus, non immolatur meridie, vt adumbraret eodem tem- pore Christi Domini in cruce immolationem? sed cur hoc mēse, hoc die, hoc tēpore vespertino, Procop. hæc agni fit immolatio? consulamus Procopium » sic respondentem, alius interpres probans legem » conuenire cum Christo, ait, erat enim idem men- » sis, idem dies, nec etiam in hora aberratur, nam » cum Adamus in introitu primi nimirum mensis » deliquisset, oportebat illum, qui propulsat pecca-

A tum, etiam in introitu seu vespere mensis obedi- « re patri, usque ad mortem, mortem autem Cru- « cis. Et qui tenebat mere diem, quando homines ci- « bum capiunt & corpora curant, Adamus pecca- « uit, oportebat illum qui crimen tollebat, sexta « hora in crucem agi, & quia sub vesperam egres- « sus est paradiso Adamus, eodem etiam tempore « haud inepte audit latro, hodie mecum eris in pa- « radiso: quare igitur non cæditur ouicula sexta ho- « ra, sed potius vespera instante? audiamus scriptu- « ram noui testamenti & omnia congruere reperie- « mus, nam illi qui Christum cruci affixerunt, id « peregerunt hora sexta, at Pontifex noster Iesus « ouiculam quam assumpsit vespere immolauit, « cum Paschale conuiuium cum suis discipulis « ageret, usque dispertiret sacra mysteria, quan- « B do vero finis affertur legis, Euangelij stabi- « liuntur initia, & qui intra quidem sacerdos, « extrinsecus vero ouis erat, semetipsum ob- « tulit. «

*Vera lux nempe Christus in cruce immolatur vt Sathanæ tyrannidem dissoluat.*

*Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam* decimæ quartæ diei cum lu- 84 minare minus est in suo plenilunio, mysterio ne vacat tunc immolari agnum legalem? cur enim cum luna est in nouilunio vel in sua decretione non fit huiusmodi immolatio? nonne luna domi- natur nocti, & quia præsidet tenebris potest te- nebrarum principem adumbrare? nonne cum plenitudinem suam obtinet ad defectum vergit? en igitur mysterium, quod cum verus agnus Dei C nēpe Christus Dom. pro omnibus immolatur, Sa- thanas potentissimus omnibus fere dominaba- tur, sed ex tunc potestas eius diminuta imo & ab- Gazæus. lata: fatetur eit. Procop. *Veruntamen quia plenilu- nium in decimum quartum incurrit diem, lunaque adulterino & ascititio fulgore orbem illuminat, pau- latimque decrescit, magnum exemplum est Sathanæ qui princeps est noctis & tenebrarum tyrannidem vigsisse in mundo luna siquidem statuta est vt do- minetur nocti, sic Sathanas adulterinam lucem, sci- licet humanam sapientiam infudit humanis menti- bus, caterum vbi verus agnus pro nobis occisus est, qui tollit peccatum mundi, etiam demolitus est sua morte tyrannidem.*

*Christus Dominus ab iis occidetur pro quibus moritur, quique eum vt pote benefa- ctorem liberare deberent.*

*Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum* 85 *Israël ad vesperam.* In gratiarum actionem liber- tatis obtentæ ex Ægypto & incolumitatis à per- cutiente Angelo, deinde in memoriam horum & subsequentium singulis annis hoc festum cele- berrimum peragebatur: sed nonne Christus Do- minus cuius agnus ille typus erat, non à tyranni- de vnius Pharaonis, sed totius inferni, non à cap- tiuitate Ægypti, sed peccati hominem liberare venerat? quomodo non ab homine quocumque sed Israële, cui eximia impenderat beneficia, im- molatur? quia ita ingratus Iudæus, vt ab eo occi- datur Christus verus agnus Dei, quem vt pote benefactorem liberare deberet: sic expendit An- gelicus Doctor super 1. ad Corint. cap. 5. lect. 2. Angelicus Doctor. *Inter cætera Sacramenta legalia celeberrimum*

*erat agnus Paschalis qui vt præcipitur Exod. 12. immolabitur ab vniuersa multitudine filiorum Israel in memoriam illius beneficij, quo Angelus percutiens primogenita Ægypti, pertransijt domos Iudæorum, quorum fores linita erant sanguine agni: vnde nomen Pascha sumitur secundum quod ibi dicitur, est enim Pascha idest transitus Domini. & vltimo, virtute huius beneficij transiuit populus mare rubrum, ille enim agnus figura fuit Christi innocentis, de quo dicitur Ioan. 1. Ecce Agnus Dei, sicut ergo ille agnus figuralis immolabatur à filiis Israël, vt populus Dei liberaretur ab Angelo percutiente, & vt transirent mare rubrum liberati de seruitute Ægypti; ita Christus est occisus à filiis Israël per cuius sanguinem populus Dei liberatur à Diaboli impugnatione, & seruitute peccati per baptismum quasi per mare rubrum.*

Ioan. 1.

*Præuidetur populus Israël occisurus Christum, sed non cogitur eum interficere.*

86 D.Gauden. *Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam* Gaudent. tracta. 3. de lect. Exod. legit occident eum, nonne imperatiuo modo superius dictum fuerat, tollat vnusquisque Agnum per domos & familias? cur igitur nunc indicatiuo modo, non vero imperatiuo dicitur immoletque seu occidat? quia licet præuideatur à Deo omnia ab æterno cognoscēte, populus Israël Christum Dominum interfecturus, non tamen iubetur interficere, sicut nec ei talis necessitas imponitur, libere enim eum occidit: sed audiendus citatus Episcop. Brixiensis. Nec illud occisum putes, quod cum superius imperatiuo modo dictum sit, sumant ouem per domos, infra indicatiuo modo pronuntietur occident eum, non occidant. Synagoga quippe Iudæorū, quod erat crudeliter factura prædictum est, vt non fieret iussum est, nec ideo factum est quia prædictum erat, sed ideo prædictum est, quia erat futurum, vt præscientiam suam Deus in his quæ per libertatem arbitrij hominum futura erant, ostenderet; libertatem diximus arbitrij, quia voluerunt Iudæi facere quod fecerunt, & vtique si voluissent non fecissent: certe ingentis sacrilegij est cogitare quod Deus qui non solum bonus & iustus, sed ipsa bonitas & ipsa iustitia, vel iubeat aliquid vel cogat fieri, quod factum damnet, an fortasse putamus, quia si pœnituissent Israëlitæ, aliter omnipotens filius Dei saluare non potuit mundum? quis enim cognouit sensum Domini, aut quis eius consiliarius fuit? considera in Euangelio, quomodo expectauerit Christus pœnitentiam Iudæorum, præscientia quidem Dei non fallitur, sed nec homini concessa semel voluntatis libertas aufertur, ne nihil de eo iudicare possit, qui liber non fuerit in agendo, pertinaciam mali damnat Deus, conuersionem pœnitentis amplectitur.

Brixiensis.

*Christus in quartadecima generatione nascens in occasu mundi vel solis occiditur.*

87 *Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam* diei decimæ quartæ, nonne decima die vnusquisque tulerat agnum in domum vt immolaretur? cur igitur idem Agnus in quartamdecimam seruatur immolandus, non matutino tempore, sed vespertino? nobis satisfaciat episcop. Brixiensis serm. 3. de manducatione Agni Paschalis. *Quod decima die Agnus accipitur & quartadecima immolatur, hoc significari perspicio, quia Iudæorum populus filium Dei in decalogo legis acceptum, & post transmigrationem Babylonis, sicut scriptum est quarta decima generatione nascentem crucifixurus esset ad vesperum, ad vesperum autem sine huius mundi, quia nouissimis temporibus sæculi passus est, siue etiam ad ipsius solis occasum quoniam crucifixo Domino occidit sol, meridie namque ab hora sexta tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam quid potuit esse tam vesperum?*

Episcop. Brixiens.

*Moriente sole iustitiæ, luna quæ est Ecclesia nascitur lucida.*

88 *Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Quia vergente mundi vespere in consummatione sæculorum oblatus est Christus, ait Hesichius in cap. 23. Leuit. sed cur in plenilunio quando luna recepta sui luminis plenitudine sole iam occidente, in Oriente exoritur? quia moriente sole iustitiæ, Ecclesia quæ in luna intelligitur, caliginem peccati discutiens, noua luce exoritur, & ad vitam consurgit, ita Radulph. in Leuit. 10. & Stephanus in alleg. Trim. *Nota quod luna decima quarta* (inquit) *ad vesperum immolatur Phase, scilicet quando sol est in Occidente, luna in Oriente, quia in morte Christi nata est Ecclesia, vnde quidam de Christo globo fertur sublunari, vt luna surgens de mari suo stet in ordine.*

Hesichius. Radulph. Stephanus.

*Mundo tenebris ignorantiæ obuoluto, Christus Dominus moritur.*

89 *Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Quia in consummatione temporum, & nouissima extremaque ætate Christus est immolatus: sed nonne aliam rationem assignare possumus, cur ad vesperam huiusmodi Agnus immolaretur, vt tempus reliquum diei superesset ad discessum ab Ægypto, non autem vespere, cum iam sol occidere incipit? accipe respōdentem Cyrill. in Catena Græca, *Vesperi pro nobis Christus est occisus, quando nulla amplius solis idest diuina veraque lux mortalibus effulgebat, obrutis ignorantia.*

D.Cyrillus.

*Vt plenitudinem gratiæ tribueret Ecclesiæ Christus, immolatur.*

90 *Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam* diei decimæ quartæ, cum scilicet luna plenitudinem suam obtinet. Antequam conceptum formemus, supponendum lunā recte Ecclesiam adūbrari, teste S. Anast. Synait. lib. 4. in hexam. nōnulli dicunt lunam esse figuram scripturæ legis, & cultus, qui est in Synagoga, qui quotidie multos suscipit diuini luminis defectus, & diminutiones, nos autem audientes quod sol constructus sit primus, & postea luna, nos eam existimamus magis typum esse Ecclesiæ Christi coniugis hoc enim docemur per res ipsas. sic etiam Orig. hom. 1. in Genes. sicut luna de sole dicitur percipere lumen, vt per ipsam etiā nox possit illuminari, ita & Ecclesia suscepto lumine Christi, illuminat omnes qui in ignorantiæ nocte versantur, & Philo Carp. in Cant. cant.

S.Anastas. Synait. Origenes. Philo Carp.

lunæ comparatur Ecclesia, propterea quod quidquid habet diuini luminis, id à iustitiæ sole illo immobili atque diuino quandiu sese illi recte offert accipit, & veluti luna modo tentationibus ac pressuris decrescere videtur, ac minui, modo victis malignis hostibus innouari ac surgere, siue quod morte corporis aliquando defutura & in nouissimo tandem ad gloriam illam sempiternã, cum iustis omnibus resurrectura, nec vllas vnquam postea vices temporum perlatura, sed immortalis semper & beatissima permanebit, sed qua de causa cum luna est in suo plenilunio agnus A legalis immolatur? nonne possumus dicere quod quando agnus Dei pro sua immolabitur Ecclesia, quod ei plenitudinem gratiarum conferet? non alienus ab hoc sensu est. Sinaita *In die in quo fuit quarta decima, in principio, eo die iussus est Israël inprimis sacrificare Pascha in typum Christi, vnde etiam huc vsque eundem quartumdecimum diem seruant Iudæi, nescientes quid seruent, si ergo agnus Christum præfigurabat, est perspicuum quod lunæ quoque dies qui est plenæ lunæ, significat plenitudinem Ecclesiæ, propter quam Christus est sacrificatus.* Anastas. Sinait.

## *VARIETAS LECT. Vers. 7.*

**V***ulg*. Et sument de sanguine eius, ac ponent super vtrumque postem, & super liminaribus domorum, in quibus comedent illum.
*Sept*. Ponent super duos postes, & super limen in B domibus, in quibus manducabunt illa in eis.
*Pagn*. Tollent de sanguine, & ponent in ambubus postibus.
*Oleast*. Super fenestellam.

## *CONCORDIA.*

סקף Sakaph vnde משקוף maskoph, id est superliminare, significat aspicere, vnde quidam dicunt denotare paruam fenestram, quæ est in superiori parte ostij, à qua qui intus est aspicit, cum non vult totum ostium apetire, vnde Oleaster reddidit fenestellam: alij arbitrantur esse lignum transuersum, quod super ostium ponitur & dicitur mascoph, quod vi sui peruium sit, seu quod primum ingredienti sese offerat.

## EXPOSITIO.

**E***T sument de sanguine eius*, nempe agni vel hœdi, vt Angelus primogenita percutiens, conspecto victimæ Paschalis sanguine, Hebræorum domos pertransiret, *& ponent super vtrumque postem*, postes, dicuntur duo ligna coniuncta ex alterutra parte parietibus domorum, quibus adhærent ostia, super hos autem sanguis ponebatur, id est in capitibus postiũ, *& superliminaribus domorũ*, dicitur superliminare lignũ trãsuersaliter iacens super ostia, & in illo postes coniunguntur, cum ipsum sit super vtrũque quantũ ad vtrãque extremitatem: est qui dicat colorem sanguineũ, purpureũ coccineũ salutarẽ creditũ & amuleti vice fuisse vsurpatũ varijs gentibus, & ab ipsis Ægyptiis. sic Martinus de Roa. lib. 1. de sang. cap. 9. hic autem ritus liniendi postes, & superliminare etiam postea fuit obseruatus à Iudæis, non vt liberarentur ab Angelo percutiente, sed in memoriam tanti beneficij, *in quibus comedent illum*, vnde si familia vna ob sui paucitatem ad aliam transisset, vt cum ea agnum comederet, videtur in ea C ibidem pernoctare debuisse, additur enim speciatim ad hanc legem, vt ita fiat in domibus in quibus comedent agnum, nam si redissent ad domum propriam, quæ non erat tincta sanguine agni, in ea percussi fuissent ab Angelo.

Nota quod si qui Ægyptij primogeniti tunc essent in domibus Hebræorum, hi ante noctem foras missi sunt, alioquin enim vel omnes primogeniti Ægyptiorum percussi non fuissent, vel aliqui fuissent percussi in domibus Hebræorum sãguine agni tinctis, quorum vtrumque erat contra Dei decretum & mandatum: ni velis dicere sanguinem positum in domibus Hebræorum, fuisse signum salutiferum solum pro primogenitis Hebræorum, non vero pro primogenitis Ægyptiorum, qui in domibus Israëlitarum essent, nam cũ D plures commixtim morarentur, non solum in eodem vico, sed etiam in eadem domo, difficile esset sine alicuius doli vehementissima suspicione primogenitos Ægyptios foras mittere, cum Hebræis præualerent.

## CONCEPTVS.

*Accedas ad Eucharisticum agnum purgato interiori & exteriori homine.*

91 **S***Vment de sanguine eius, ac ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum.* Theodor. quest. 24. in Exod. hęc verba & ritum his significatum, trahit ad Eucharistiam, ait enim, hæc autem vniuersa mysteriorum nostrorũ sunt ænigmata: sed si ad Eucharistię Sacramentum trahuntur, quid est, quod postes & superliminare domorum populi Israël tinguntur? ad quid enim hic ritus & ceremonia? prosequitur eit. Theod. no, vngimus agni nostri sanguine non solum limen, sed vtrumque postem purgantes & sanctificantes exterius, linguam & labia, interius autem & secundum intellectum pro limine rationalem Theodor.

partem, & pro vtroque poste facultatem irascendi & concupiscendi. En qua ratione ad Eucharisticum agnum accedere oportet, purgato scilicet interiori & exteriori homine, nempe corpore & anima, tum etiam vtrumque limen oportet sanguine intingere, nempe vtramque potentiam naturalem, scilicet vim concupiscendi & irascendi; quis enim irascetur, cum Christum sumat in cruce pendentem? quo habitu etiam pro crucifixoribus orauit, tum etiam cohibet vim concupiscendi, quid enim tibi deest, imo quæ tibi bona non communicantur communicanti?

*Eucharistici agni sanguis non solum fugat diabolum, sed propius ad nos accedere vetat.*

92 *Sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus*, quid? nonne satis vt carnes agni comederint? cur sanguine eius superliminaria & postes intinguntur? vt quam nobis vtilis foret agnus typicus intelligeremus, eius enim caro nobis proficit ad vitam æternam, eius sanguis nobis vtilissimus ad pellendum Angelum vastatorem. Sed cur agni sanguis intra domos ipsas non effunditur, sed solum in postibus & superliminaribus ponitur, vt ab eis qui de foris sunt possit dignosci? sane si sanguis intra domos funderetur, necessum haberet Angelus percutiens domum ingredi, vt signum datæ veniæ dignosceret, cæterum positus sanguis in postibus etiam ab ingressu Angelum percutientem arcet: quo sane docemur Eucharistiam eam vim habere, vt neque propius sinat diabolum accedere, sic docet Arnoldus Carnotens. tractatu vltimo de septem Verbis Domini. *Datur nobis agnus iste ad epulum, datur sanguis eius ad potum, mandatur extrinsecus liminaribus & postibus domorũ nostrarum sanguis ipse apponi, in signum vt monitũ sit, quod pateret, quod lateret, habeatque sic caro & spiritus secura præsidia, cum cibus potusque diuinus animam intrinsecus alat, & vegetetur, abigatque virtutes contrarias*, expẽde illud, *quod lateret & pateret*, &c. Ac si dicat intra domos agnus comeditur, extra domum & in parte extima sanguis funditur, vtrumque Eucharistiam notat, quæ & spiritum roborat partem inferiorem, & corpori etiam auxilium præstat, quod extrinsecus est, vnde dolens Macharius hom. 4. quod tantæ vtilitatis effe[c]tus immemores ait, *Quemadmodum in infirmis, si corpus vltra cibum sumere nequeant, depereunt omnes, & deflent omnes, amici veri atque dilecti, ita luget Deus & Angeli sancti animas illas, quæ non vescuntur cœlesti spiritualique cibo.* Cum ita sit & in spiritualibus & in temporalibus vtilis.

Arnoldus. S. Machar.

*Omnes inimici superantur sanguine agni Eucharistici.*

93 *Sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem.* Vt scilicet ab Angelo percutiente domus Israëlitarum liberentur, quo respexisse Dauidem Psal. 115. arbitror, cum ait, Calicem salutaris accipiam, cur calix salutaris à Dauide nominatur, cum se fortiorem suis hostibus futurũ credit? sane quia sicut per sanguinem agni abegerũt Hebræi à domibus suis Angelum percussorem, ita etiam per Eucharisticum Calicem omnem vim inimici superamus, & ideo calix salutis vel

Psalm. 115.

A salutaris dictus est, quia salutem nobis ministrat, & omne malum auertit, sic Tertul. 5. contra Marcionem cap. 7. *Sic & Pascha nostrum immolatus est Christus, quare Pascha Christus, si non Pascha figura Christi per similitudinem sanguinis salutaris & pecoris Christi?*

Tertul. 5.

*Ad Eucharisticum agnum accedendum sine prauis animi affectionibus.*

*Sument de sanguine eius & ponent super vtrumque postem.* Cur sanguis prius effunditur super postes & superliminaria domorum? cur carnes agni quasi sine sanguine & exangues sumuntur? dubium tibi non est, quin carnes agni Eucharistiam denotent, sanguinem vero animi affectum & B passiones, siquidem vitam nutrit animalem. en cur sanguis debet separari, cum ad agnum comedendũ accedis, omnes enim animi motus & carnis pruritus, deponendi sunt & prorsus eliminãdi, cum agnum Eucharisticum sumere sancte decernis: audiamus D. Ambros. lib. 1. de Abrahamo c. 5. hunc locum cum alio Genes. 18. nempe quod Abrahamus tulit butyrum & lac & vitulum quẽ coxerat, coniungentem, ait autem, *Nec illud otiosum, cucurrit ad boues, vitulum tenerum sumpsit, & cum lacte apposuit, denique & in Exodo cum Pascha Domini declararet ait Moyses agnus sine macula, mundus, cõsummatus, anniculus masculus erit vobis, ab ouibus & hædis sumetis, & occidetis illum tota multitudo Synagogæ ad vesperum, vnde & hic meridies esse describitur, quando Abraham duo C offert hospitia, sed ad cœnam vitulus immolatur, & cum lacte manducatur hoc est non cum sanguine, sed cum fidei charitate.* Hærendum tibi in illis vltimis verbis Ambros. *manducatur non cum sanguine*, depositis animi tui prauis affectibus, ad agnum accede Eucharisticum. 94

D. Ambros. Genes. 18. D. Ambros.

*Castitate & cum recta intentione ad Eucharistiam accede.*

*Sument de sanguine eius & ponent super vtrumque postem, & superliminaribus domorum.* Agnus Paschalis exponente Paulo est Christus in Eucharistia, huius sanguis in superliminaribus domorum ponitur, vt Angelus percussor arceatur, sed quæso in hoc ritu obseruato, duo põderatione digna attente consideremus, in primis sanguinem non intra domum infundi, sed domorum exteriorem partem obliniri, alioquin nihil prodesset, cũ D ex eius aspectu præteriens Angelus vastator abigendus esset. duplex quidem genus reperitur virtutum, aliud quidem earum quæ sedem habent in anima, quales sunt illæ quæ præcipue animo exercentur, vt puta amor Dei, humilitas, proximorũ charitas, &c. aliæ vero sunt quæ licet originem habeant in anima, tamen in corpore præcipue locum habent, scilicet castitas, quæ præcipue in corpore exercetur: sanguis igitur agni non intra domum funditur, sed extra, quia corporis puritas maxime necessaria est eis, qui ad Eucharistiam veniunt, omni enim virtutum genere pollere debet, qui ad hanc mensam accumbit, sed præcipue castitate & puritate corporis, in limine vero domorum funditur non in penetralibus, aut in conclaui, aut cubili; limen vel superliminare, quod est excelsum intentionem adumbrat: hoc in loco ergo funditur sanguis vt qui ad Eucharistiam venit, 95

putam animi intentionem habere debet in omnibus operibus, præcipue autem dum huic accumbit mensæ, ne scilicet ob captandam vanam gloriam, vel aliam ob causam, sed tantum propter animæ vtilitatem, & Dei gloriam exequatur, hoc vtrumque in agni legalis ritu obseruatum accipe à Diu. Eligio hom. 15. *Pro nobis Christus occiditur, de cuius sanguine postes domorum tinguntur, id est corpora fidelium, quia oportet Eucharistiam assumentes, castigationibus & recta intentione bona voluntatis munitos, fornicationis viuum cohibere incursum, vt in omnibus redemptione Christi nos sciamus esse seruandos.* D. Eligius.

*Non solum ore, sed mente agnum Eucharisticum sumere debemus.*

96 *Sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem.* Nonne si vnus postis tingeretur sanguine agni, sufficiens signum visibile esset, vt eo conspecto Angelus percutiens, condonaret primogenitis Hebræorum? cur vterque cuiuslibet domus eo conspergendus est? Cardinalis Vitalis, cit. D. Thomas in opuscul. de Sacramento altaris c. 16. sed ante eos D. Greg. hom. 22. in Euang. per vnum postem, corpus, sicut per alium, animā intelligit, en vt non sufficit vnicum postem sanguine agni, cum comedendus est, cōspergere, sed vterque illiniendus est? quia cum quis agnum Eucharisticum sumit, non sat est vt solo ore sed mēte accipiendus est, meditari enim profundissime debes, quod verum corpus & sanguinem Christi comedis, audiendus est cit. summus Pontifex, *Quid sit sanguis agni, non iam audiendo sed bibendo didicimus, qui sanguis super vtrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis sed etiam ore cordis hauritur, in vtroque enim poste sanguis agni est positus, quando Sacramentum Passionis illius cū ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur, nam qui sic redemptoris sui sanguinem accipit, vt imitari passionem illius necdum velit, in vno poste sanguinem posuit, qui etiam in superliminaribus ponendus est domorum? quid enim spiritualiter domus nisi mentes nostras accipimus, in quibus per cogitationem inhabitamus, cuius domus superliminare est ipsa intentio, quæ præeminet actioni, qui ergo intentionem cogitationis suæ ad imitationem Dominicæ Passionis dirigit, in superliminari domus agni sanguinem ponit.* D. Thom. D. Gregor. Mag.

*Non solum mente, sed etiam bonis operibus agni Eucharistici mensæ accumbere debemus.*

97 *Sument de sanguine eius & ponent super vtrūque postē, & in superliminaribus.* Illud quod de vtroque poste intulerat Gregorius, superius exposuimus, nunc ex eodem de superliminaribus promamus, nōne superliminare est pars exterior domorum, & quæ transeuntibus per viam patet, hanc sanguine oblinire necesse est? cur obliniendá est, cum duo postes sanguine aspersi, sint sufficientissimi ad auertendum Angelum à percussione? hanc adhuc partem superliminarium vngere necesse est, quia non modo interiorem partem animorum mundare debemus, vt digne agnum Eucharisticum sumamus, sed etiam opera quæ exterius in omnium cedant conspectum, infero verba cit. Gregor. *In superliminaribus ponendus est sanguis agni, quia non solum in memoria, sed etiam in manifesto portari oportet crux Christi.* Id est non modo mente & cogitatione versare debemus Eucharisticum Sacramentum, sed etiam exterius opera pietatis exercere. Gregor.

*Licet eadem sit in pane Eucharistico ac in Calice Christi mors repræsentata, tamen videtur magis exprimi Calice quam pane.*

*Sument de sanguine eius & ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus.* Non agnum occisum obiici imperat aspectui percutientis Angeli (potuit enim extra domum suspendi vt eo viso transiret) in cuius conspectu fugeret, & per quem abigeretur à domibus Hebræorum: sed sanguinem fusum ex agno iubet aspergi in limine domorum, quo Angelus vastator arceatur: sanguis calicem, agnus panem denotat; quid ergo est, quod compellitur Angelus vastator non conspecto agno sed viso sanguine? an aliquid est in calice quod non sit in pane? an maioris efficaciæ est potus quam cibus? minime quidem, sed hoc refert Chrysost. in expressiorem significationem mortis Christi, itaut Christi mors magis expresse videatur significari per vinum & sanguinem, quam per panem & corpus, quapropter magis vereri videtur Angelus sanguine aspersas domos: do verba cit. Chrysost. *Timuit illum sanguinem Angelus, sciebat enim cuius typus, horruit Dominicam mortem intelligens propterea non tetigit postes: dixit Moyses tingite, & vnxerunt, & securi fuerunt, vos autem ipsius agni habentes sanguinem non confiditis.* 98 D. Chryso. ho. 26. in c. 11. Hebr.

*Sensus nostri mundandi vt digne agnum Eucharisticum comedamus.*

*Sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem & in superliminaribus,* Oleaster, *super fenestellas domorum.* An sanguine agni indigent fenestellæ? nonne per fenestras sensus Corporis nostri denotantur, teste Ioële, mors ascendit per fenestras, id est per sensus? domus autem nostræ inquit Gregor. homil. 21. in Euangelia, ipsa sunt corpora, in quibus quousque viuimus, habitamus: merito ergo sanguine agni liniuntur superliminaria, vel fenestellæ domorum antequam agnus comedatur; quia sensus nostri mundandi sunt vt digne agnum Eucharisticum comedamus: non dissentit Cyrill. in cat. Græco. *A ingulatione, postes & limina iubet sanguine perungi, significans debere nos terrenum hoc domicilium sanguine Christi communire, corpus scilicet à morte Christi vindicantes, abigendo procul à nobis supplantatorem tali perunctione, fores nostras & limina accipimus pro sensoriis, quibus animus noster in obeundis muneribus vtitur, teste Ioele Propheta, vt si fures per fenestras nostras irrepserint, nullo sint sanguine Christi peruncta:* & Procopius, *fingamus nos corporis nostri fores esse sensus, per hos conflatur nobis affectuum concertatio, & animæ interitus, de his in modum vaticinatur Ioel, fures quidem ingredientur per ianuas nostras, non enim erant oblinita cruore Christi.* 99 Ioel. D. Gregor. D. Cyrill. Alexan. Procopius.

*Omnis ratio vitæ nostræ muniatur caractere agni immaculati.*

100 S. Gregor. Nazianz. *Sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus.* S. Greg. orat. 42. quæ est 2. de paschate, ait, *agnus mactatur, atque ratio, & contemplatio, seu habitus & actus pretioso sanguine signatur, nam hi ostiorum nostrorum postes sunt, hoc est mentis agitationum & dogmatum quæ ex contemplatione recte aperiuntur atque clauduntur, quandoquidem comprehensionum quoque modus quidam est.* Quid denotat theologus per hoc quod ait, contemplationem & actionem, quæ sunt duo postes sanguine agni debere intingi? sic eum explico & intelligo, duplex vitæ nostræ Philosophia est, actiua & speculatiua, siue habitus & actus, Philosophiam porro nostram cum vitæ rationem voco, quæ secundum Christi doctrinā instituitur, & quidē actiua Philosophia ea vita est, in quā nulla reprehēsio cadit: speculatiua autē est recta doctrina, & firma fidei sententia: rursus habitus est diuturna ad virtutem animi affectio, atque huiusmodi vt vix excuti possit, actus autem ipsa est actio: nam vero otiua hoc loco dicuntur mentis agitationes & dogmata, agitationes quidem, cum mens aliquid exquirit ac secum versat, dogmata autem cum notitias quasdam per se fidē facientes, & ratas firmasque dogmatice retinet, aperiuntur autem huiusmodi agitationes, quoties mēs quæ dā inuenerit ad eius cognitionē perceptionēque venientia, eaque excepta est: clauditur autem, cum id quod exquiritur, ipsius intelligentiam superat, quandoquidem comprehensionum quoque animi modus quidā est, nam & mentis comprehensiones modum suū habent, atque ea percipit mens, quæ ipsi assequi licet, interdum autem mens portas suas claudens, agitationes repellit, & à se amolitur; proinde & actio nostra & cōtēplatio & habitus & actus regio signo hoc est Christi sanguine obsignādi sunt, nō vt claudātur, & nihil agant, verū vt inculpantur, atque huiusmodi signo muniantur & exemplares notas in seipsis integras retinent, vel etiam vt hostilibus copiis terrorem afferant, quemadmodum regium signum formidolosum esse solet.

*Non alteri credas, sed tu ipse operare ea quæ te à morte deffendant.*

101 *Sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem & in superliminaribus domorum,* scilicet vt hoc viso signo & sanguineo colore percussorem Angelum euadant, in cæteris plagis nihil fecere populares Israëlitæ, sed omnes per vnum Aaronem siue Moysem perficiūtur, in hac autem decima non solus Aaron, non solus Moyses, sed omnes Israëlitæ iubentur agnum sumere, vnusquisque ante tantum, tollat agnum per familias & domos suas, omnes iubentur agnum immolare, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël, iubenturque postes domorum suarum sanguine linire. & cur in hac sola plaga iubentur omnes esse in opere & labore? in hac sola [illegible] de omnium vita agebatur, in hac sola percussor Angelus veniebat, qui primogenitos interficeret, vbi autem te à morte liberare velis, & vitæ asserere, necessum est ne nimium alteri fidas, sed per te ipsum debes operari salutem, stultissimum est, quod in te vitæ acquirendæ, & mortis A deflectendæ, tu otio indulgeas, & negotium hoc alteri committas.

*Passionis Domini nostri vmbrâ liberamur à percutiente Angelo.*

*Sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postē & in superliminaribus domorum.* Nonne sufficiebat vel vnicum postem vel saltem duos sanguine linire? cur & superliminaria eo tinguntur? quis dubitat quin sanguine agni denotetur sāguis agni immaculati pro nobis in cruce effusi? per superliminare inquit Cardinalis noster Vitalis in speculo suo morali sacræ scripturæ tit. crux, significatur pars superior rationis, per vtrumque postem intellectus & affectus: recte ergo & postes & superliminaria rubricantur sanguine agni, B quia non solum corpus, non solum anima, sed homo integer à percutiente Angelo liberatur in virtute passionis Christi, fauet cit. Doctor. *Corpus & anima debent esse sanguine Christi rubricata, &* paulo post *præcipitur quod ponatur sanguis agni super vtrūque postē in superliminari, vt transiens exterminator videat sanguinem illum & non valeat eis nocere, hoc est vt habeatur memoria sanguinis & passionis in intellectu per fidem, in affectu per deuotionem, & cum nō timeat exterminatorem diabolum qui vt dicitur in Apoc. Latine dicitur exterminans, & sic non timens exterminatoris malitiam secure intro ducitur ad gloriam*, id etiam expressit Lippom. *sicut postea æneus serpens mandato Domini in deserto exaltatus positus fuit pro signo, ad* C *quod aspicientes qui vulnerati fuerant à serpentinis morsibus sanabantur: sic hoc in loco sanguis agni positus est in signum Dominicæ passionis, & ab exterminatore filij Israël liberati sunt.* 102 Cardinalis Vitalis. Lippom.

*Deus suorum maximam curam gerit.*

103 *Sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postē, & in superliminaribus domorum.* Vt Angelus percussor primogenitis Israëlitarum condonaret, solosque Ægyptiorum primogenitos morte percuteret. sed cum esset Angelus qui percutere deberet, indigebatne huiusmodi modo sensibili, vt quosdam incolumes seruaret? nonne potuit ei, dicere, occide Ægyptiorum primogenitos, Hebræorum autem illæsos serua, ita equidem. cur ergo iubet postes & superliminaria domorum sanguine agni immolati rubricari? vt hoc modo Israëlitis innotesceret, quantam Deus eorum curam gerebat mens est Theodoreti. D *Notandum* (inquit) *quod Deus iusserit postes sanguine tingi, vt cum exterminator transiret vt Ægyptiorum primogenita perderet, sanguinem super postes aspiciens Hebræorum domos illæsas seruaret non quia his natura illa corporis expers indigeret, sed vt illi hoc signo docerentur quanta erga illos esset Dei cura ac prouidentia.* Theodor.

*Diuinitas & innocentia Christi saluauit nos.*

104 *Sument de sanguine eius ac ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum*, Lycius Pontius exhortatione 28. in Cantica Canticorum refert ad solum agnum, ita vt solo sanguine agni tinctos fuisse domorum postes, asserat, licet tamen agnus & hædus Christum Dominum referant, est enim agnus propter innocentiam, hædus propter carnis peccati similitudinem, agnus Dei quia Iesus & saluator tollens

peccata

peccata mundi, hædus quia circumcisus est tanquam peccator, & cum sceleratis reputatus est, sed cum vtroque tam hædo quam agno Christus adumbratur, cur asserit Pontius solo sanguine agni domos intinctas fuisse? respondet, *Quia licet sit idem Christus Deus & homo, innocens, & imaginem peccatoris gerens, tamen propter eius diuinitatem & innocentiam sanguis eius saluauit nos, sanguis illius agni saluauit Hebraeos*, vt notauit Chrysostomus apud Lippom. *Propter sanguinem agni Dei Christi Iesu quem repraesentabat, nam quemadmodum regia statua, quamuis inanimatae sint, eos tamen qui ad se confugiunt, seruare solent, non quia statuae sunt, sed quia Regem repraesentant. similiter & sanguis agni homines liberabat à morte, nō quia sanguis erat, sed quia sanguinem Christi adumbrabat, in omni ergo domo quae non fuerit hoc sanguine tincta & in omni anima quae isto sanguine Christi aspersa non fuerit, & victa mors dominabitur, idque quod in ea est profusum, & quasi primogenitum nempe spiritus morte morietur, at vero quae tincta fuerit vel vncta illo per baptismum, vel alia Sacramenta applicato, à morte eruetur, & salua erit, oportet tamen quod hoc sanguine vtrumque postem & superliminare animae linias, & vngas, id est duplicem eius praecipuam potentiam intellectum & voluntatem, illam fidei lumine, hanc charitatis ardore, intentio vero quae instar superliminaris est, vtramque potentiam in suis actibus coniungens, vngenda est gloriae Dei & Christi sanguinem fundentis, vt à te & ab omnibus summe glorificetur in sacula.*

*Crux Christi Domini signum libertatis animarum.*

105. *Sument de sanguine eius & ponent super vtramque postē, & in superliminaribus.* Inungatur solum superliminare cum sit pars excelsior, quę facile patens obiicietur aspectui Angeli percutientis, vt eam intuens domibus signatis parcat, non est qui neget vtrumque postem & superliminare duplicem quasi crucem efficere, itaut ex vna parte superliminaris, & ex poste vno crux constituatur. sed quidquid sit, noster Cardinalis Vitalis tenet postibus sanguine agni conspersis cruentum crucis lignū adumbrari, en cur postes sanguine rubebant? nullo enim melius quam cruento crucis ligno imminens iamiam libertas exprimi potuit: huc spectans Macharius Philadelph. Archi. oratione de crucis exaltatione, ait. *Etenim nobis concessam crucis merito & munere plenam admirarione libertatem, tota haec historia praemonstrat*, & Method. oratione in sanctam crucem quam habes apud Gretserum p. 1. *vniuersa creatura libertatis causa hoc ligno crucis insignita est, nam & volatilia in altum subuolantia crucis figuram expansione alarum adumbrant, itemque homo expansis manibus eandem repraesentat.* Quidquid de sanguinolento ligno dicitur eo tēdit, vt Dominicae crucis virtus dicatur, sub qua maxima orbis libertas plaudit.

Machariús. Method.

*Anima nostra domus, prius esse consecrata debet charactere fidei, quam audeamus mensae agni Eucharistici accumbere.*

106. *Sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus.* Prius postes & superliminaria sanguine victimae tingebantur, & tunc agnus in domibus clausis comedebatur, comedatur prius agnus, deinde sanguine agni extracto, domus quælibet Israelitarum liniatur, imo sic fieri debet, imo & hoc necessarium, inquit Rupertus vt prius signetur domus sanguine agni, quam in illa agnus manducetur. sed cur in hoc ordine necessitatem ponit? respondet. *Etenim prius oportet quemque baptizari in morte agni, idest Christi, et ius inquam complantatum fieri similitudini mortis eius, vt sit & resurrectionis, atque ita consecrata domo, tum demum intrat mensae viuificae participari, sunt enim sanguinis notae tres, duae scilicet in vtroque poste, tertia in superliminari, in nomine enim Patris & Filij & Spiritus sancti baptisamur, quae tria nomina siue tres personae sunt, sed vnus Deus, eius videlicet trini nominis confessio, dum fide passionis Christi perornantur, vnius ostij duo postes cum superliminari agni sanguine titulantur.* Rupert. Abbas.

*Passio Christi semper nobis est memoranda.*

*Sument de sanguine eius & ponent super vtrumque postem & in superliminaribus.* Licet Abulens. dixerit hoc praeceptum tantum spectasse ad primam illam in Ægypto immolationem, quia finis huius aspersionis erat, vt Angelus in Ægypto primogenita percutiens, conspectu victimae Paschalis sanguine, Hebraeorum domos pertransiret, qui finis tantum in prima illa immolatione locum habuit: sed diximus in expositione, verius fuisse quod ritus postea viguerit. sed cur fine cessante, etiam non cessauit caeremonia? quia memoria tanti beneficij semper debuit recoli, nonne hic ritus adumbrabat passionem Christi Domini? sic tenet Isidorus Hispal. sanguine agni (inquit) liniuntur Israelitarum postes, ne vastator Angelus audeat inferre perniciem, signantur signo Dominicae passionis in frontibus fideles populi, ad tutelam salutis, vt hi soli ab interitu liberarentur, qui cruore Dominicae Passionis corde & fronte signati sunt, qui etiam opere loquuntur, signatum est super nos lumen vultus tui Domine. en cur ritus tingendi postes & superliminaria, semper obseruatus, vt hoc denotaretur, quod semper passio, cuius hic sanguis nobis fuit typus, memoriā recolenda esset, sic obseruat auctor Catenae. *Quemadmodum sanguis ille, memoriale erat primi agni in postibus, sicut litterae legis in vestibus Iudaeorum fidei quaedam attestatio tam foris aspicientibus, quam intra inclusis cordibus, sic semper nobis est passio Christi memoranda, & charitatis maximae beneficium quo liberamur à captiuitate vitiorum, siue domum ingrediamur siue exeamus, praecipuum studium nostrum sit Dei erga nos beneficia ruminandi, maxime autem redemptionis per agnum Dei qui tollit peccata mundi, de fide tali in ipsum nobis minime est erubescendum, ideo ad superliminare & vtrumque postem sanguis agni ponendus est.* 107

Isido. Hispa. Psal. Auctor Catenae Aureae.

*Citra sanguinis effusionem nec maioribus salus obuenire poterat.*

*Sument de sanguine eius & ponent super vtrumque* 108.

*postem & in superliminaribus.* Vt salutem consequi possitis, neue Angelus percussor primogenitis vestris mortem inferat, similiter vt vniuersum genus humanum à morte liberaretur & à tyrannide tartarea eriperetur, sanguis agni immaculati effusus est & eius cruore tinctum est lignum crucis sanctissimæ. Cur non solum agni legalis & typici, sed etiam veri & rationalis imo diuini sanguis effunditur? respondet cit. Gazæus. *Citra sanguinis effusionem, nec maioribus nec posteris salus obuenire poterat, post cadem ouiculæ imperauit, vt inungerentur cruore postes & superliminare, sed quare? vt pretioso sanguine munientes nostram terrenam habitationem, mortem quæ sequitur præuaricationem legis, per Christum vitam corporis nostri propulsemus, & in hoc cruore subinde hostem nostrum persequamur.*

*Ratio conciliatrix concupiscibilis & irascibilis facultatis, quas omnes agni sanguine intingi oportet.*

A *Sument de sanguine eius & ponent super vtrumque postem & in superliminaribus.* Quis non fateretur sufficientissimam esse sanguinis conspersionem, vel in solis superliminaribus vel in solis postibus, vt hoc signo purpureo moueretur Angelus percutiens, ne mortem primogenitis Hebræorum inferret? cur ergo & postes & superliminaria præcipit liniri sanguine? quid Nicetas in orationem 42. Gregorij dicat, audiamus. *Tripartitam anima nostra rationem habet (diuiditur enim in rationalem, concupiscibilem & rationalem) postibus quidē cōparari possunt, ira & concupiscentia postibus limini autem conciliatrix & collectrix earum ratio, vtrique coniuncta, atque ab vtraque sustentata ad fortitudinem ab ira obsirmatur, ad consortium autem summi boni per concupiscentiam subuehitur.* Merito igitur non solum duo postes, non solum superliminare cuiuslibet domus, sed & postes simul & superliminare sanguine agni conspergun- B tur, quia & ratio & facultas concupiscibilis & irascibilis, sanguine Christi Domini liniri debent, vt recte actus suos exerceant.

109.

Nicetas:



## VARIETAS LECT. Vers. 5.

*Vlg.* Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.

*Sep.* Et azyma super pecudes comedent.

*Cald.* Comedent carnem in nocte illa assam igne, & azymum panem cum amaris herbis comedent illum.

*Pagni.* Infermentata cum amaritudinibus comedent eum.

*Oleast.* Et infermentata scilicet comedetis super amaritudine comedent eum.

*Theod.* Cum amaris oleribus.

## CONCORDIA.

Legimus cum lactucis agrestibus, sed in Hebræo habetur על מררים hal meratim, eadem vox est in Caldæo, quam plerique Hebraicè periti verterunt cum amaritudinibus, vel cum amaris herbis, itaut nullæ speciatim herbæ ad hoc præscriptæ videantur, sed quælibet amaræ ad hoc possint vsurpari. sed si ita generatim hæc vox sumatur, ob radicem מרר marar quæ amarum esse significat, nihil vetabit non ad herbas tantum sed etiam ad quælibet edulia amara referre, quod tamen à scripturæ mente videtur alienum, alias enim & fel & absynthium & alia id genus assumi potuissent; at vero quid vetat speciei nomen, à radice generaliore sumptū esse, & lactucas agrestes seu amaras hac voce significari vt noster interpres vertit, imo & Salomō intellexit quod & Foresterus videtur probare, qui ait hac voce significari herbas seu lactucas amaras, sicut אורות oroth dicuntur oleta à luciditate, nec obstat quod Thren. 3. vers. 13. pro amaritudine poni hæc vox videatur, nihil enim mirum herbam amaram metonymicè pro amaritudine poni, causam pro effectu. consentiunt nostro interpreti Septuag. qui verterunt ἐπὶ πικρίδων quod licet aliqui reddiderint cum herbis amaris, tamen verum ab amaritudine eam vocem sumptam, crediderim tamen idem de hac voce Græca dicendum, quod dictum de Hebræa, hanc in- C quam vocem quæ generatim amaritudinem sonat, particulari alicui speciei inter herbas accommodatam. neque aliam hanc speciem esse quam vel lactucam agrestem, vel agreste cichorium quæ forma & amaritudine valde inter se conueniunt, vt cuilibet earum figuras & descriptiones apud rei herbariæ peritos, intuenti liquere potest: porro πικρίδα vnum esse ex his duobus herbarum generibus testantur boni auctores. sed siue vna sit & eadem herba picris dicta, quæ modo lactucæ generibus, modo chicorij annumeretur, siue duæ species, eodem nomine apud Græcos affectæ: illud tamen constat vtramque valde affinem & prope germanam esse, siue ex- D teriorem speciem siue saporis amaritudinem spectes, ex quibus recte mihi videor colligere; πικρίδας hic verti aut debuisse aut certe potuisse lactucas agrestes, ex quibus omnibus nemo non videat nostri interpretis doctrinam reconditam esse, & cum non tantum linguarum, sed etiam proprietatis vocum peritissimum esse, huiusque vnius proinde auctoritatem pluris faciendā præ innumeris plerisque aliis, qui vel Rabinos imperitos audiunt, vel radicū originumque duntaxat significationes sectātur, quæ vtraque ad sēsum scripturæ inuestigandum ratio, si nihil aliud accedat, est lubrica, eiusmodi enim sunt in omni lingua plurima quæ à generaliori voce originem

ſuam accipiunt, & tamen particulari alicui duntaxat accõmodantur, vt Latinis albugo & Græcis λευκώμα haud dubio ab albedine dicitur, non tamen quidquid albet, ſtatim albugo eſt, laterna à latendo, quod in ea lumen incluſum lateat,
123. non tamen ideo quidlibet in quo aliud latet, laterna dici poteſt: & licet aliqui Iudæi, vt in Germania, ad Paſcha celebrandum, raphanos amaros vſurpent, nihil mouere te debet, id enim faA ciunt, vel quia lactuca illa minus iſtis cognita, vel quia vt vero Paſchate carent, ita etiam vera verborum ſcripturæ ſacræ intelligentia. etſi autem hodie ab agno Paſchali abſtineant, eo quod is in templi vel tabernaculi loco immolari debeat, vt Deutero 16. patet, veſcuntur tamen azymis & herbis amaris, cæteriſque cæremoniis vtuntur, quæ non ſunt reſtrictæ ad locum templi.

## EXPOSITIO.

EDent carnes, per carnes accipe quoque viſcera, & quidquid in agno erat comeſtibile, *nocte illa*, quæ erat nox diei 15. *aſſas igni* huius rei ratio hiſtorica eaque cõmodiſſima reddi poteſt, quod celerius aſſetur caro quam coquatur, atque ita ſignificetur celeritas exitus ex Ægypto, nam quia aſſatio & ſimplicior eſt & expeditior quã coctio,
Geneſ. 18. hinc Geneſ. 18. Abraham in præparatione prandij extemporanei, iubet vitulum aſſari. hic erat ergo ritus immolationis agni, primo iugulabatur, ſecundo ſanguine eius aſpergebantur poſtes & ſubliminaria, tertio detracta pelle, inteſtina vel exempta ab agno, & mox repoſita vel relicta in ipſo agno lauabantur, vt poſſent cum agno & in agno torreri, omnia enim toſta comedenda erant præter fel, & ilia fæces continentia, quæ abiiciebantur. quarto integer agnus nec diſſectus cum capite & pedibus torrebatur.

*Et azymos panes*, vox ἄζυμος Græca eſt, quaſi dicas ſine fermento, ζύμη enim Græcis eſt fermentũ, & panis ἄζυμος is qui fermentũ non habet: ſed cur hoc pane Iudæi vſi, cauſa redditur in Deuteronomio 3. vbi hic panis vocatur panis af-B flictionis, nempe quia ſignum eſt & rememoratio afflictionis in Ægypto toleratæ, eſt enim panis hic inſipidus, & duræ concoctionis, & minus roborat corpora. voluit ergo Deus Iudæos hoc cibo perpetuam ſeruitutis Ægypticæ memoriam habere, ſimulque contra noſtri temporis hæreticos nos docuit non eſſe ſuperſtitioſum, ſi pia ex cauſa, certis diebus, homo cibis melioribus & lautioribus abſtineat, viliori contentus & pane afflictionis ad pœnitentiã. *Cum lactucis agreſtibus*, ſatis hoc manet explicatum in concordia, lactuca autẽ hæc amara eſt ſylueſtris, quæ inſtar eſt lactucæ hortenſis, minor tamen illa, & amari aſpectique ſaporis, cur autẽ iuſſerit Deus eas ſimul cum agno comedi, dicemus in conceptibus.

## CONCEPTVS.

### *Id ſolet homini promptius eſſe, quod magis conuenit cum ſuis affectibus.*

110. EDent carnes nocte illa aſſas igni, *cum lactucis agreſtibus*, Cald. *cum amaris herbis*. Pagn. *cum amaritudinibus*. Sed cur profecturis vbi ex incompoſito cœna feſtinata paratur, amariſſimæ herbæ dantur? nonne ad manum faciliores erant lactucæ hortenſes? facilius enim inueniuntur quã ſylueſtres, ſed ſi ita facile reperirentur ac aliæ, cur à Iudæis mãducari præcipit? reſpondet Epiſcop. Veronenſis Zeno lib. 3. ſerm. 44. *Viles*
S. Zeno. *agnos cum amaritudine homines amari manducant*, quaſi diceret, obueniunt hominibus promptius, & quæ eorum correſpondent affectibus, amariſſimo erant animo Hebræi, & ecce conformiter ad eorum amaritudinem, amaræ lectucæ facilius ab eis inuenturæ comeduntur.

### *In carnium ingurgitatione mundi ſalus non potuit eſſe, ſed potius ruina & pernicies.*

111. *Edent carnes nocte illa aſſas igni cum lactucis agreſtibus*. Cit. Zeno ex his verbis, concludit non potuiſſe in illo Paſchate eſſe vnde ſalus mundi ſperaretur, quid ais Zeno? nonne hic agnus legalis, erat typus agni immaculati, cuius ſanguis effundendus erat in ara crucis pro omnium hominum C ſalute? cur ergo in illo Paſchate, non potuit ſalus ſperari, cum veritas debeat figuræ reſpondere? nonne Iudæi edebant carnes aſſas, & vt pluribus placet, ad ſatietatem? recte ergo id verè aſſeruit cit. Epiſcop Veronenſis, quia ex carnium ingurgitatione non ſalus oritur, ſed magis naſcuntur crudeliſſima latrocinia. Zeno. ſubiicio illius verba ex ſermone octauo. *Agnus ſalutaris qui deſignatur ex ouibus & ex hædis, inter pecora non poteſt inueniri, ſane ouium greges infinitos interficit Iudæus quos in amaritudine aſſumit, quis non intelligat fratres illis Paſcha non eſſe, ſed brameſum latronis cruenti conuiuium*? in vanum quærebatur ſalutaris agniculus inter carnalia fercula, ad quæ tot hædi, tot agni D mactabantur vt poſſent gulæ Iſraelitarum ſeruire.

### *Non ſolum beneficium recolendum, ſed etiam omnes illius circumſtantiæ.*

*Edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos* 112. *panes*. Cur addidit nocte illa comedendum agnum? & licet tunc debuiſſent comedere propter non differrẽdum diſceſſum ex Ægypto, hunc etiam ritum extra Ægyptum ſemper obſeruarunt, quod miror equidem, nã cur non diurno tempore non autem nocturno agnum comedebant, cum & conuiuia celebrare tunc conuenientius ſit diu quã noctu? nonne nocturno tempore beneficium ſuæ libertatis à Deo acceperũt?

merito igitur semper in posterum debuerint noctè agnum comedere, vt non solum beneficium acceptum, sed etiam omnes illius circunstantias recolerent, ita sentit Oleast. *Quoniam eo tempore liberati sunt, voluit Dominus vt omnes circumstantias beneficij cæremoniâ adumbrarent, vt scilicet nocte comederent, quoniam tunc primogenitos Ægyptiorum, eorum gratiâ interfecerat.* Oleast.

*Licet variis premaris calamitatibus, noli tamen succumbere.*

113. *Edent nocte illa carnes assas igni, cum lactucis agrestibus*, Cald. *cum herbis amaris*, Oleast. *in amaritudinibus.* Forte dices Deum cum huiusmodi herbis amaris agnum comedere voluisse, vt eis innueret, quod amaro animo agnus esset comedendus: sed non deest qui asserat agno populum denotari. sed si ita est, cur postea iubetur quod nec os eius, nec minimum comminuatur? sane vt significaretur, quod licet populus Israel variis fuerit oppressus calamitatibus, tamen eis non succubuerit. ita sentit cit. Oleast. *Quod verius credo, igne significabatur populus iste, & sicut comedebatur in eadem domo cum amaritudinibus, & os ex eo non frangebatur & prius occidebatur: sic populus Dei amaritudine plenus erat prius, & tamen ossa eius non fuerunt contrita.* cit. Auctor.

*Suauissimũ reddidit Deipara Eucharisticũ panẽ.*

114. *Edent nocte illa carnes assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Ad Paschales epulas non fermentatum sed azymum panem adhibet Deus, qui neque ad gustum, imo nec ad sanitatem satis est vtilis, communis est enim auctorum sententia insipidum esse, difficilioris concoctionis, minusque ob id valetudini accommodatum. nonne deerat illa mulier, quæ hunc panem nouit fermentare suauem & sanum reddere? de qua Lucæ 13. simile est scilicet regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum? quænam est illa mulier quæ legales cibos alioquin ingrati saporis, & parum ad sanitatem aptos, dulces, suaues, & sanos efficit? sane Deipara Virgo, quæ dum Eucharistiam nobis præparauit, dulcissimum & suauem cibum efficit, hoc dixerim ex Andræa Hierosol. serm. de annun. cuius verba transcribo. *Salue sanctum Dei fermentum, quo tota humani generis massa conspersa est, & ex vno Christi corpore seu panis factus in vnum coit inæstimabilis concretio.* Luc. 13. Andreas Hierosol.

*Non est hominis particularis alterius conscientiam discutere, an recte agni Eucharistici mensæ accumbat?*

115. *Edent nocte illa carnes assas igni, & azymos panes.* Nocte Pascha celebrabatur, quod quidem minus aptum mihi videtur ad tantæ solemnitatis celebritatẽ, nam festa etiam ex Dei præcepto à vespera in vesperã fiunt, sed mystice loquamur, nonne nocturno tempore omnia velantur & obteguntur, nec colores rerum distinguntur? forte ergo carnes agni nocte comedũtur, quia cum typus esset agni Eucharistici, non licet nobis aliorum conscientias discutere, an dignè, an vero indignè ad hoc sacramentum veniant, an rarius, an frequentius accedere oporteat. sed vnusquisque sibi prospiciat, aliorum vero causam relinquat, vnde pulchre Paulus 1. Corint. 11. probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, se ipsum probet non alios, de se sit sollicitus, aliorũ curã negligat: sic autem loquitur Rupert. lib. 2. c. 10: *In nocte quippe agnum comedimus, quia in sacramento modo Dominicum corpus accipimus, quando adhuc ad lucem conscientias nostras non videmus.* 1. Corin. 11. Rupert.

*Christus Eucharisticum agnum ex ardentissimo in nos amore concessit.*

*Edent carnes illa nocte assas igni.* Carnes igne torrentur, qua de causa? nonne alio modo præparati potuerunt ad alimentum, idoneæ? dices quia Christus nobis per Spiritum sanctum, qui ignis amoris est, datur: Angelus cum virgine de incarnatione transigebat, cumque illa modum quæreret tanti mysterij, retulit eum ille ad Spiritũ sanctum, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, hoc idem in Eucharistia accidit, quæ dicitur extensio incarnationis, scilicet quia virtute Spiritus sancti conficitur, sed cur carnes agni igne torrentur? quia ex amore flagrantissimo in nos, hoc Eucharisticum agni immaculati epulum ipse Deus confecit. id prosequitur cit. Rupert. *Amplius autem quia de Spiritu sancto, qui æternus est ignis, Virgo illum concepit, & ipse per eundem Spiritum sanctum, vt Apostolus ait, obtulit semetipsum hostiam viuam Deo viuenti, eodem igne assatur in altari, operatione namque Spiritus sancti panis corpus vinumque sanguis Christi.* 116. Rupert.

*Cum fletibus & mente purgata ad agnum Eucharisticum sumendum accedamus.*

*Edent carnes illa nocte assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus*, ex Hebræo, *in amaritudinibus.* Certe nescio qua ratione cum herbis amaris præcipitur & panis azymus & agnus comedi, si enim agnus suauissimus, cur amaritudo herbarum in eo comedendo requiritur? non est dubiũ lactucas agrestes amaras esse, amarum autem virtutem purgandi habere. dic ergo agnum & azymos panes, qui figuram Eucharistiæ tenent, cum lactucis agrestibus comedi, quia qui ad Eucharistiã venit, debet prius conscientiã purgare, omnẽ sordẽ ab animo exuere, omnẽ maculã eluere, & cum amaritudine animæ & fletu illã suscipere. sic S. Eligius hom. 15. Hunc ritum ad Eucharistiam deuoluit, ait autem. *Caro etiam agni cum azymis panibus & lactucis agrestibus est edenda, vt cum corpus Redemptoris accipitur, nos pro peccatis nostris cum fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat à mentis stomacho peruersum humorem & prauitatem vitæ*, præiuit S. Greg. hom. 22. in Euang. *lactucæ agrestes valde amaræ sunt, carnes vero agni cum lactucis agrestibus sunt edendæ, vt cum corpus Redemptoris accipimus nos pro peccatis nostris cum fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ, abstergat à mentis stomacho, peruersã humorem vitæ.* 117. S. Eligius. S. Greg.

*Nulli malitia adhæreas, si digne velis agnum Eucharisticum sumere.*

*Edent carnes illa nocte assas igni, & azymos panes.* 118.

non est dubium, quin panis fermentatus sit salubrior, imo magis sapidus quam panis azymus? cur ergo cum Deus incolumitati Hebræorum consulat, non præcipit vt panem fermentatum comedant simul cum carnibus agni? non est dubium, quin fermentum malitiam denotet: rectè ergo panis fermentatus excluditur, sed solum azymus admittitur in comedendo agno legali, quia nulli malitiæ adhærere sed omni virtutis opere clarus venire ad Eucharistiam debet, qui enim spiritualibus meditationibus se exercet, & piorum operum frequentia, hic quidem panes affert azymos: ita ait. Greg hom. 22. in Euangelia. *Quid enim prodest* (inquit) *sanguinem illius & corpus percipere & ei peruersis moribus contraire? Vnde bene adhuc ad comedendum subditur, & azymos panes cum lactucis agrestibus comedetis, panes quippe sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet.* Prius ergo omnem malitiam excute, omne crimen longius propulsa, vt animo puro & inuito nitore conscientiæ ad agnum Eucharisticum accedas.

Greg.

*Variè participatur à communicantibus agnus Eucharisticus.*

119. *Edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Quæ sunt amaræ, vnde in Hebræo est, *in amaritudinibus*, quæ quæso horum trium connexio? caro enim igni assa suauissima, lactucæ agrestes amaræ, panis azymus nec suauis nec amarus, sed quasi inter vtrumque tenens medium, quid hoc denotat? nonne tria genera hominum, qui ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum accedunt intelligere possumus? caro enim igne assa, quæ suauissima est, vere designat perfectos; qui multa animi præparatione, rerumque cœlestium contemplatione, ad Eucharistiam accedunt, hi suauissima dulcedine spirituali replentur; lactuca agrestis quæ amara est, impios denotat: quibus hoc sacramentum est amaritudini, non ex natura sua, sed ex eorum malitia. tandem panis azymus neque dulcedinem nec amaritudinem habens, eos adumbrat qui tepidi sunt, qui nullius criminis mortiferi conscij, cæterum cum nulla sancta meditatione & nulla deuotione ad illud accidūt. nescio si hoc S. Macharius hom 47. voluit docere, ait enim. *Etenim licet suauis sit agnus & azyma bona, lactuca tamen aspera & amara, quocirca cum summa afflictione & molestia de agno & gratis de azymis edit anima illa, affligente quod secum habet, peccato.*

S. Machar.

*Armamur contra tela hostis humani generis agno Eucharistico.*

120. *Edent carnes nocte illa assas igni.* Licet cibus fortiores nos reddit, tamen si armis instruimur, si gladiis accingimur, si clypeis munimur, sane validiores reddimur ad quemlibet hostem repellendum. cur ergo suos ad prandium inuitat Deus, & non ad arma, cum repellendus est percussor angelus? cum telis eius lethiferis resistendum? non immerito sane agnus tum edendus proponitur, non arma capienda, quia cum hic agnus legalis Eucharisticum designet, recte eo munimur, non ensibus, non gladiis, nec quibuscumque aliis armis. Eucharisticus enim agnus ille est qui spicula vastatoris Angeli repellit, nosque contra inimicorum tuetur incursus, nullo alio facilius ferrum deuastantis Angeli auertere potemus, quam cibo Eucharistico. hoc dixerim ex S. Ambrosius sermone sexto in Psalm. 118. *Ideoque Sanctus Moses Propheta vt hoc prænuntiaret tempus, & sine Hebræorum fraude transiret, agnum ante immolauit hoc vespere, vt manducantes eum & Pascha Domini celebrantes, non occuparentur exterminatoris insidiis, ne inermes & vacui spiritualis alimenti nocturna spicula tenebrosi hostis opprimerent.*

S. Ambros.

*Cuiuis intellectus caligat in discutiendo Eucharistico agno.*

121. *Edent carnes nocte illa assas igni.* Cur nocte comeduntur? nonne tua potestas ita manifesta fiet diurno quam nocturno tempore? comedant ergo illum sole lucescente, & omnibus videntibus Ægyptiis abeant, quid? an aciem Regis Pharaonis times? nonne poterit dici, fugæ tuos se commisisse ex metu concepto? nihilominus iubet Deus agnum nocte comedēdum, quia cum esset typus agni sacramentalis, denotabat quod mysteria tanti sacramenti penitus reserare non possemus, sed cuiusuis intellectus etiam caligaret acumen, densissimasque in eo curiosè decutiendo, pateretur tenebras; nonne ideo hoc sacrificium sub mortem instituit, vt mortis tenebræ huius mysterij difficultatem protenderent? quapropter etiam ipsum sacramentum cœna dicitur, quæ sub noctem celebratur, Matth. 22. & Luc. 14. homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos: hæc confirmo auctoritate Arnoldi Carnot. tract. vltimo de septem verbis Domini. *Ideo nocte agnum mactare præcipimur, quia nondum ad liquidum elucet huius operis ratio, cuius fides ministra est, quam in splendoribus sanctorum detegit veritas, cum nouum vinum in regno Dei propinabitur, accensisque lampadibus ad æternas nuptias admittentur, positaque inextinguibili lucerna super candelabrum, omnibus qui in domo sunt lucebit, tam sacramentorum veritas quam ipsius ratio Trinitatis.*

Matt. 22. Luc. 14. Arnoldus.

*Ex amaritudine pœnitentiæ, magis idonei sumus ad Eucharisticum agnum sumendum.*

122. *Edent carnes nocte illa assas igni, cum lactucis agrestibus.* Nescio an huiusmodi lactucæ comederentur ante esum Agni Paschalis, auctores id supponere videntur, sed cur prius manducantur? hoc exponamus sumpta metaphora, ab eis qui morbo laborant, quibus prius necesse est vt per amara medicamenta noxij humores pellantur, vt postea subrepat cibi appetitus: lactucæ agrestes amaritudinem quandam præ se ferunt, ergo ante esum Agni Paschalis, idest Eucharistiæ, lactucæ agrestes comedendæ, vt per amaritudinem pœnitentiæ, peccata purgemus, qua purgatione facta, auidiores erga hunc cibum reddamur & ipsæ nobis vtiliores sint epulæ. testis est S. Chrysost. hom. 7. in Iob. *Et quia intestino malo laboramus, necinam illa amaritudinis gustu expellamus quo*

Chrysost.

*bona valetudine vegeti, Dominicarum carnium festa expleamur, Pascha enim comestum sumus.*

### *Simus firmi in fide & solidi in Charitate, vt agni Eucharistici mensæ accumbamus.*

123. *Edent carnes nocte illa assas igni.* Edimus autem nocte ista agnum Eucharisticum, scilicet in præsenti sæculo, secundum eum qui ait nox præcessit, at dies apropinquauit, dies enim significat futurum sæculum, quod suo lumine instar solis Christus illuminat, dum enim in hoc mundo hæremus, per sacram eius carnem & sanguinem, Christo sub velamine fruimur. cæterum vim & virtutem eius reseratam experiemur & sentiemus, eo quo dixit die, tunc enim excellentius ipsius participes reddemur, verum participatio qua Christum in præsenti habemus, continet passionis eius confessionem, sicut memoriæ proditum est, quotiescumque enim ederitis panem hunc, & biberitis sanguinem eius, meam mortem annuntiate. vbi autem aduenerit in gloria patris, non amplius confessionem passionis eius exprimemus, sed agnoscemus Deum pure, & facie ad faciem, vt ait Paulus. sed cur licet in nocte præcipiat comedere carnes agni, cur eas voluit esse assas? cur non coctas? sane carnes coctæ non ita firmæ sunt ac solidæ, sicut quæ igne tostæ sunt. en cur iubet carnes agni igne torreri, non coqui? *Vt vel hinc colligatur*, inquit Procop. *eos qui velint accedere ad epulum Christi, oportere esse feruidos fide & charitate, sic & Paulus imperat vt ferueant spiritu, necesse enim est vt ratio nostra sit attenta & nihil teneat fluxi, vt sit solida & firma, & igne qui omnia emundat, probata & examinata, & ab omnibus terrenis segregata & defæcata: præsto quoque sint sacri carbones qui mentem nostram incendant, & repurgantes, descendentes ab eo qui venit vt mittat ignem qui absumat vitia, & illam inflammationem maturet.*

Procop.

### *Syncero & non duplici animo; Eucharisticas epulas sumamus.*

124. *Edent carnes nocte illa assas, & azymos panes.* Comedant fermentatos, cum enim vires sint necessariæ ad iter faciendum, & iamiam vix sese accingant, panis autem fermentatus maiores præbeat, quam azymus, illo deberent potius refici. panis azymus purus & simplex, non ita fermentatus. vnde malitia Pharisæorum fermento comparatur, en vt recte statuitur, quod agnus Paschalis cum azymo pane comedatur? non enim duplici animo, sed syncero & columbino sumendus est agnus Eucharisticus, non dissentit. Gazæus. *Qui semel in Christianorum album fuit transcripti, aiunt, vt ipsorum officium postulat, purissimis cupiditatibus vitam, assuefacientes sese integra & syncera politia.* S. Eligius hom. 14. *absque fermento comedimus sacram Eucharistiam, sine dolo, & malitia, & simulatione, in synceritate vitæ bona percipimus.*

Gazæus. Eligius.

### *Cum memoria passionis Christi corpus suum sumendum.*

125. *Edent carnes nocte illa assas igni.* Non comederent sane crudas, cum hoc potius sit belluarum quam hominum, in eorum libertate ergo relinque, vt magis consentaneé gustui suo & palato comedant, sane per carnem agni assam igne, non est dubium quin passio Christi Domini denotetur, qui propter nimiam charitatem qua dilexit nos ex nimio igneo amore se ipsum obtulit pro nobis variis tam tormentis probatum, in ara crucis ac sacrificium. ergo cur carnes agni assæ comeduntur? quia cum memoria passionis Christi corpus suum immaculatum comedendum est: ita sentit S. Cyrill. in Cat. Græca, *Hoc loco designatur sacratum Christi corpus quo vescimur in memoriam mortis & tormentorum suorum, quotiescunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem meam annunciabitis.* S.Cyrill.

### *Amarum sit nobis hoc sæculum, vt digne ad agnum Eucharisticum accedamus.*

126. *Edent carnes nocte illa assas igni cum lactucis agrestibus*, Pagni. *in amaritudinibus.* Cur lactucæ amaræ quæ non excoluntur sicut hortenses, adhibendæ sunt in esu agni legalis? quod enim mysterium nobis hæc commixtio innuere potest? audi satisfacientem Stephan. Cantuar. in alleg. Tilman. qui hanc rationem in medium adduxit, inquiens cur lactucæ huiusmodi agrestes apponuntur cum agnus comedendus est? *lactucæ agrestes* (inquit) *sunt amaritudo sumpta ex agno, id est ex consideratione sæculi, quas comedimus cum amarum mundum reputamus, & tunc sumus digni accedere ad sacramentum.* Stephan. Cantuar.

### *Mente pura & corpore casto Eucharisticæ mensæ accumbamus.*

127. *Edent carnes illa nocte assas igni, cum lactucis agrestibus olera insipida.* Imo amara comedere cum cibis suauissimis, quales sunt qui torrentur igne, minime consentaneum videtur: alia ergo ob[?]onia statue in agni legalis esu: si nobis notum est lactucas frigidissimæ naturæ, quibus libido comprimitur, dices merito statutum fuisse, vt lactucæ syluestres cum agno comederentur, in typum quod qui agnum Eucharisticum sumere debet, non sine motibus libidinosis compressis hat, nam mente pura & casto corpore ad eum accedere debet. De cit. Eligium eadem hom. *Lactuca agrestis valde amara & luxuriam reprimit, significat autem hoc, vt quando ad corpus Christi, qui & verus agnus est, sumendum accedimus, quamuis de redemptione lætemur, amaritudinem tamen ex recordatione peccatorum habeamus, vt dulcescat ex venia quod amarescit ex pœnitentia, simulque refrænata luxuria, corporis & cordis munditia seruetur, ne forte quod absit, incurrat aliquis damnationis periculum quod ex Apostolo. 1. Cor. 11. dicitur, qui manducat indignus & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini.* S.Eligius. 1.Corin.11.

### *Varie à diuersis sumitur agnus Eucharisticus.*

128. *Edent carnes nocte illa assas igni, cum lactucis agrestibus.* An omnes comedunt huiusmodi carnes hoc modo? non equidem, nam aliqui crudas edunt, alij cum sanguine, alij coctas aqua. quinam sunt hi à quibus ita varie comeditur agnus? audiendus est noster Cardinalis Vitalis in speculo morali sacræ scripturæ cit. de Eucharistia, Vitalis Cardinalis.

*quidam comedunt carnem Christi crudam propter præparationis negligentiam: quidam cum sanguine, quia sunt in peccato immunditiæ: cum dicatur in lege, carnem cum sanguine non comedetis; quidam crudo corde, sine debita consideratione: quidam coctas aqua, dum per mundanam sapientiam carnali sensu & ratione volunt inquirere veritatem huius sacramenti, quidam assas igni per Spiritus Sancti potentiam & amorem, credentes hoc posse fieri, & hoc igne, habentes ipsum impressum in corde.*

*Qui peccator fuit & esse desiit, eandem Christi carnem participat in Eucharistico sacramento, ac qui semper fuit iustus.*

129 *Edent carnes illa nocte assas igni.* Quales carnes? an hædi, vel agni? & hædi vel agni, vnius vel alterius, nonne diuersa sunt in specie animalia? ita sane, sed tamen significatiuè pro eodem sumuntur, scilicet pro Christo, qui & hędus dicitur, quia pro nobis figuram carnis peccati sumpsit, & de peccato damnauit in carne peccatum, vt qui erant hædi à sinistris iure locandi sint oues in dextris clementer restituti, dic ergo licet agnũ vel hędum comedamus, certe eandem Christi carnem sumimus, licet sub diuersa ratione, si enim iusti sumus, agni carnibus vescimur, si peccatores & pœnitentiam agimus, nobis hędus occiditur, non quod Christus hædus sit, quos à sinistris stare docuit, sed pro diuersitate meritorum vnicuique aut agnus sit aut hædus, consulendus est Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini c. 22. qui de hac re sic erudite loquitur, *si quis peccator est & iam peccare desiit, licet hædus ei sit, tamen caro Christi sacramentum efficitur, vt per hoc & ipse ad veram innocentiam redeat, & inter agnos à dextris connumeretur: illi vero qui semper post lauacrum deinceps protegente Deo in corpore Christi manserunt, nullis obuoluti criminibus, digne accipiunt agni carnes, & potantur sanguine; verumtamen etsi ita loquimur non æstimandum est quod hic aut ille aliud accipiat quam Christi carnem & sanguinem, quia sicut nec hædus dicitur nisi dispensatiuè ob mysticam significationem, ita nec agnus nisi vt ille intelligatur verus aduenisse agnus, qui ex lege multoties præsignabatur & vera mentis innocentia per eum cunctis patesceret: cæterum quamuis hædus dicatur mihi pro qualitate meriti & obfuscatione delicti, tanti est omnino pretii pro mundi vita quanti est & caro Christi; nimirum quia nihil aliud est mihi quam caro Christi, sed ideo rursus hædus fit pœnitenti, pro mysterio, vt maledicta facinorum & peccata expiet, sicuti & agnus leuiora quæque.*

S. Paschas. Abbas.

*Dulcedo agni Eucharistici temperat lactucarum agrestium amaritudinem.*

130 *Edent nocte carnes illa assas igni cum lactucis agrestibus.* Ecce amaritudo lactucarum, in cibo suauissimo agni legalis, quod miror cum sit typus agni Eucharistici, qui in se dulcissimus & suauissimus, amaritudini non immixtus, ait enim sponsa Cant. 2. comedi faurum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo, Septuag. non sine diuino instinctu loco faui vertunt panem cum melle meo, vt significent nunc panem de cælo nobis præstitum omne delectamentum habentem, & omnis saporis suauitatem, fauus autem cum melle, est caro Christi cũ eius diuinitate, fauus est caro quam apis nesciens concubitum, id est purissima virgo, Spiritu Sancto & virtute Altissimi obumbrante, ex purissimis sui sanguinis floribus collegit, genuit, formauit: sed addit cum melle meo, id est cum diuinitate, quæ de cælo est & mea est ab æterno, quam ego carni coniunxi, vt vnus esset cibus hominis, sicut fauus mellis; potest etiam per fauum cum melle meo intelligi corpus cum anima, vel caro cum spiritu viuificante: nam sicut integer fauus constat ex collectis ceræ & ex melle, sine quo fauus esset aridus, sic homo constat ex corpore & anima, quę non fit ex terreno semine, sicut corpus, sed à solo Deo per creationem infunditur, & ideo dicitur venire de foris: in conuiuio autem Eucharistico datur corpus ex vi verborum consecrationis, sed cum anima concomitante, vt totus Christus sit in sacramento, & vere dicatur panis viuus qui de cælo descendit: denique vocatur fauus cum melle, ad significandum omnem spiritualem dulcedinem in illo nobis exhiberi, cum ipso fonte, vnde promanat: nam Christus vt homo fons est dulcedinis & gratiæ, per modum meriti, vt Deus autem est primus fons & causa illius suprema, & ipsa dulcedo per essentiam, qui volens dulcedinem amoris, quo nos prosequebatur, manifestare, totum fauum cum melle dignatus est nobis prebere, vt egregie quadret illi quod inquit Sapiens 16. substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat: & quæ est substantia huius diuini sacramenti, nisi substantia corporis Christi in quam substantia panis conuersa est? hæc velut fauus cum melle summam dulcedinem suam id est diuinitatis dulcedinem, & dulcissimum amorem, quem erga filios habet ostendit, cum eis se communicat. sed quoniam in conuiuio Eucharistico simul cum dulci & opiparo cibo, datur etiam pretiosus & suauissimus potus, subditur & bibi vinum cum lacte meo, vinum suum vocat sanguinem suum; vt autem ostenderet vinum istud quod dat secundum substantiam non esse ex vite, sed aliunde genitum, nempe ex substantia carnis humanę, addit cum lacte meo, id est ex carne mea progenitum, lac enim non est aliud quam sanguis cum perfectiori concoctione, vnde purus & defæcatus sumitur, sumiturque per modum potus & cibi: in hoc autem differt à vino, quod hoc nutrimentum est virorum & fortium, lac vero omnium sed maxime infantium, Christus ergo dat vinum suum quod est sanguis diuinitati vnitus, sed dat vinum attemperatum cum lacte suo, quoniam est vinum de carne sumptum fortibus, & debilibus, ac infantibus accommodum, imo vox *cum lacte meo*, ad totum conuiuium referri potest, ac si verbum diuinum dicat, manducaui panem meum, sed fauum cum melle meo, & bibi vinum meum, sed totum hoc conuersum in lac, quia per assumptionem carnis & sanguinis, aptus potus hominum factus sum, velut lac: quod eleganter explicat S. August. conc. 1. in Psal. 33. exaggerans humilitatem Dei cum factus est homo, & cibus noster, *unde* (inquit) *commendauit corpus & sanguinem suum de humilitate sua, nisi enim esset humilis, nec manducaretur nec biberetur, respice altitudinem ipsius, in prin-*

Cant. 2.

Sapient. 16.

S. August.

*cipio erat verbum, & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum, ecce cibus sempiternus sed manducant Angeli, manducant superna virtutes, manducant cælestes spiritus, & manducant, & saginantur, & integrum manet, quod eos satiat & lætificat, quis autem homo posset ad illum cibum? vnde tot tam idoneum illi cibo? oportebat ergo vt mensa illa lactesceret, & ad paruulos perueniret, vnde autē fit cibus lac? vnde cibus in lac conuertitur, nisi per carnem traijciatur? nam mater hoc facit, quod manducat mater, hoc manducat infans, sed quia minus idoneus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, per humilitatem mammillæ & lactis succum de ipso pane pascit infantem, quomodo ergo de ipso pane pauit nos Sapientia Dei? quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Videte ergo humilitatem: quia panem Angelorum manducauit homo, vt scriptum est: panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo: id est, verbum illud quo pascuntur Angeli sempiternū, quod est æquale patri, manducauit homo, quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, saginantur illo Angeli sed semetipsum exinaniuit vt manducaret panem Angelorum homo.* Si ergo hic cibus Eucharisticus, & quoad diuinitatem quoad humanitatem, quoad corpus & animam, quoad carnem & sanguinem, totus est melleus, totus est lacteus, & ideo suauissimus & dulcissimus, quomodo comedendus cum lactucis agrestibus quæ sunt amaræ? quid commune habet amaritudo cum melle fauo seu melle? dices suauissimum quidem esse, sed comedendum tamen cum amaritudine scilicet mortificationum & abnegationum, meditationum mortis & passionis Christi, pœnitentiæ, &c. sed ipsa manducatio tam seu corporis Christi talem infundit dulcedinem, quæ temperet omnem amaritudinem, & ad mellifluos eleuet mentis affectus, quibus tam Christus quam anima mirabiliter pascantur.

## *Suos excipit Deus etiam in celebritate festiuali, amaritudinibus & ærumnis.*

131 *Edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus*, Cald. *cum herbis amaris*, Oleast. *in amaritudinibus*. Licet cum primum hoc Pascha celebratum in Ægypto, non mirum quin huiusmodi ritum adhibuerint, hoc enim iussum fuerat, propter amaram seruitutem quam tolerauerant: cumque adhuc amaro essent animo, sed facessit negotium, cur deinde cum ab omni incommodo essent liberi, cum festiuos suos dies agerent, cum Pascha in omni lætitia celebrarent, adhuc lactucas amaras, & azymos panes insipidos adhiberent? quid enim commune habet gaudium cum amaritudine? sane Deus in hoc mortali sæculo etiam festiuissimos dies non vult liberos esse aliqua animæ amaritudine, sed temperat eos aliqua calamitate & miseria, imo quos charissimos habet, malis vrget, & sane apud ipsum Pascha celebrat, qui amara sustinet, sic enim dies festus apud ipsum digne celebratur: mens est Philonis Iudæi lib. de congressu quærendæ eruditionis gratia, *Vnde factum est quod primarium festum Hebræorum per panem afflictionis significatur, quamuis nemo vnquam celebrarit exhilararitque epulis & lætis conuictibus non afflictionum.* Philo.

## *Laboribus maxima bona parantur.*

132 *Edent carnes nocte illa igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus*, Cald. *cum herbis amaris*. Quid? cum tot bona Israelitæ credunt se consequuturos, libertatem, post diuturnam & durissimam seruitutem, adepturos desideratissimam, terræ promissionis fragibus abundantissimæ possessores futuros, quid ergo in obsonium eis parantur herbæ amarissimæ, panis non suauis, sed insipidus, non facilis sed difficilis decoctionis? quia initiis amaritudinis enim & ærumnis maxima comparantur à Deo bona, mens est cit. Phil. *Licet hanc vocem absque accipere pro labore castigatorio, nam maxima plurimaque bona meditatione parantur, laboribusque similibus.* Cit. Philo.

## *Piè in Christo viuere volentes obnoxij ærumnis.*

133 *Edent carnes nocte illa assas igni, cum lactucis agrestibus.* Theod. *cum amaris oleribus.* Cur id quod dulcissimum est, vt carnes assæ, miscetur cum eo quod est amarum, sicut lactucæ agrestes? omnia vel sint amara, vel suauia: respondet Theodoret. *Azymos panis cū amaris oleribus sumitur quia qui piè viuere volunt in Iesu-Christo persecutionem patientur:* & Cyrill cit. *azymos panes cum amaris oleribus comedunt ij qui Christiani censentur, expurgati omnem concupiscentiam, ac vitæ in simplicitatem tristitias perturbationum facile tolerantes.* Theodor. S Cyrill.

## *Ad bonum per malum ducimur à Deo, à Diabolo autem ad malum per bonum.*

134 *Edent carnes nocte illa assas igni cum lactucis agrestibus*, Cald. *cum herbis amaris.* Nonne in terram promissionis debent proficisci? nonne iamiam accingere se debent itineri? nonne sat difficultatum & incommodi in via & præcipue per desertum reperitur? cur ergo adhuc obsonia amara eis præparantur? cur lactucæ agrestes? quia licet à Diabolo ad malum per bonum ducimur, sed à Deo per malum ad bonum, per amarum ad dulce, sic Galfridus in allegoriis Tilmani qui postquam dixit lactuca amara, est labor & tolerantia afflictionis, prosequitur, *bonum & bonum expectationis Israeli, vbi erit sanctitatis & beatitudinis plenitudo, malum & malum tormentum malitiæ æternum habens, & cruciatum pariter & reatum etiam nunc bonum, & malum in vitiis blandientibus, malum & malum in inuidia, in immunditijs, desperatione, cæterisque noxijs & amaris, malum autem & bonum pœnitentiæ, luctus, bonum & bonum fructus est charitatis, & quidem nil penitus nobis aduersarius noster nisi malum & malum cupit, sed ad hoc trahit per bonum & malum, nil etiam Dominus optat nobis nisi bonum & bonum, sed ad hoc semper malum & bonum reuocat & reducit.* Galfridus

## *Ægyptiacum viuendi institutum relinquendum ab ijs qui terram promissionis petere volunt.*

135 *Edent carnes nocte illa assas igni & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Lactucæ agrestes adhibentur, vt acerbissimæ in Ægypto commemorentur seruitutis, sed cur & azymus panis adhibetur ha-

no facilius quam fermentatus coquitur, dices ergo per eum feruorem itineris designari, sed cum azymus candorem & simplicitatem etiã denotat
Theodor. sicut fermentũ malitiam, cur non dicemus in hoc significari, quod deinceps Ægyptiacum fermentum derelinquendum, & sola simplex & candida vitæ ratio amplectenda? Do Theodoret. *per azymos panes, vt ostenderet Ægyptiacam viuendi institutum atque rationem minime obseruandam esse; sic enim & Dominus in sacris Euangeliis interpretatus est, attendite vobis à fermento Pharisæorum & scribarum.*

*Beneficia nobis in memoriam reuocantur, vt laudemus benefactorem.*

136 *Edent carnes nocte illa assas igni & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Quod vt diximus non solum in Ægypto obseruandum fuit, sed vbicumque Pascha ab Israelitis celebrabatur: quod equidem necessarium non videtur, nam iam amaritudo Ægypti desierat per amaritudinem herbarum denotata, iam acceleratus discessus non figurabatur per azymos panes, qui cito coquuntur: ad quid ergo lactucæ agrestes & panem azymum esui agni postea adhiberi videmus?
S. Thomas. ait S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5. ad 2. *amaritudo quam passi fuerant in Ægypto significabatur per lactucas agrestes*, quasi diceret, hoc etiã eis præceptum impositum, vt herbas amaras degustarent, quo se eo argumento ab acerba & amarulenta seruitute redemptos cognoscerent, hanc enim Deus dabat operam, vt sua illis semper beneficia ingereret quibus ad se diligendum prouocarentur. eadem fuit ratio quod panis azymus comedebatur, quia is non tam suauis est vt fermentatus, ex quibus fiebat vt præteritam amaritudinem suam recolerent, & Deum qui ab hac eos redemisset, laudarent.

*De Christo nihil carnale & abiectũ sentiamus.*

137 *Edent carnes nocte illa igni assas.* Cur igne torrentur? nam si respondeas belluinum esse eas crudas comedere, nonne agrestes lactucas potuit iubere crudas manducari in signum suę libertatis futurę? potuit sed noluit, sed carnes assas
S. Eligius. igni comedi, rationem producit in medium S. Eligius Nouio. hom. 14. *huius agni nostri nempe agni carnes assas edere debemus, vt nihil de eo carnale sentiamus, sed Spiritus sancti operatione incarnatum, verum in maiestate Deum, verumque in humanitate hominem, verè pro nobis propria voluntate mortuum, vere propria potestate resuscitatum credamus.* Si crederemus virili semine natum solum hominem, non propria virtute resuscitatum, coactè & inuoluntarie mortuum, carnes crudas agni comederemus.

*Sine fluxu concupiscentiæ Eucharisticum agnum comedamus.*

138 *Edent carnes illas nocte assas igni.* Nonne maiori cum silentio coquuntur carnes quam torrentur? nonne tunc omnia ab Israelitis mute perfici deberent, ne in suis à Pharaone consiliis deprehenderentur? coquantur ergo, caro cocta adhuc fluida est, quo posito sic ait cit. Episc. Nouiom. *Sic istius agni carnes assas comedamus, vt percepturi sacramenta eius, ab omni fluxu concupiscentiæ carnalis nos emundemus, & totos nos virtutibus & igne Sancti Spiritus roboremus.*

*Iudæi omnino syluestres, inurbani, suum benefactorem crucifixerunt.*

*Edent carnes illas nocte assas igni cum lactucis agrestibus.* An in typum, quod comederetur agnus immaculatus ab eisdem? quid nã nam quid agreste esse significat nisi rusticum, inurbanum, & syluestrem hominem? quis homo agrestis & sylnester, nisi beneficii nescius, benefactori ingratus? quando Iudæi magis ingrati comprobati sunt quam vbi Christum linguis suis serpentinis comederunt? ingratitudinem namque suam tunc temporis ostenderunt multipliciter, tum in Barrabę latronis prę electione, tum in Romani imperatoris prę ceptione, tum in sui legitimi Regis (qui Christus erat) publica cum clamoribus negatione, tum in tituli super crucem quantum in se fuit destructione, tum in crucifixi fere exanimis omnigena irrisione, tum in demortui lateris lanceę percussione, tum iam in sepulti ignominiosa nominatione, seductor adhuc ille viuens dixit, inquiunt, &c. nonne tibi luce meridiana clarius videtur, quod Iudæi tunc comederunt agnum Christum, cum lactucis agrestibus? & equidem vnde Iudæos fuisse tunc maxime agrestes significauit Deus cum per Isaiam sic lamentabundus dicebat, *filios, inquit, enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me*, quare ad Iudaicam ingratitudinem demonstrandam dixit, *filios exaltaui & enutriui?* quia ingratitudo tunc magis fit manifesta cum maximum beneficium fuisse cognoscitur; quomodo intelligitur illud *spreuerunt me*, non solum in membris meis, sed in me ipso, quæ maior ingratitudo quam spernere Deum nutritorem & exaltatorem suum? quid pro spernere intelligitur, nisi summus despectionis gradus? ea ratione dictum est simpliciter spreuerunt me, & nihil aliud additum in quo spreuerunt illum, vt eos illum spreuisse quouis spernendi modo noueris, quæ autem maior alicuius despectio, quam illum cum tot tantisque opprobriis crucifigere? quid hoc ingratissimo facinore agrestius? comederunt ergo tunc Iudæi agnum, verum cum lactucis agrestibus. 139 Isai.

*Iudæi tepidissimi & ideo difficilis eorum conuersio.*

*Edent carnes illa nocte assas igni cum lactucis agrestibus.* Non sine causa lactucas magis quam alias herbas cum agno comedendas scriptum esse credendum, licet enim indeterminate dixerit paraph. Caldeus, cum herbis amaris, tamen interpreti nostro fides potius adhibenda quam aliis. in præcedenti conceptu diximus quid denotat agnus comedendus cum agrestibus herbis, nunc inquisitione dignum, cur potius cum lactucis quam aliis oleribus? quid per lactucam intelligi autumamus? detestabilem sane Iudæorum tepiditatem, lactucæ enim proprietas hoc indicat, quę est illius proprietas? quod est mediocriter frigida, in quantum frigida significat peccatum, cum per omne peccatum lethiferum frigida sit 140

anima; inquantum vero mediocriter talis est, A significat tepiditatem, tepiditas enim est media inter caliditatem & frigiditatem, quod delictum tepiditas? maxime Deo inuisum, animabus nostris nociuum, vnde in Apocal. cuidã dicitur à Deo & quia tepidus vtinã calidus esses, aut frigidus es, incipiã te vomere, vtinam inquit magis frigidus esses quam tepidus, quid est hoc? nunquid tepidum est etiam frigidum? ita equidem, sed frigidum est mediocriter, ecce lactuca: quare tepidum magis est Deo inuisum quam frigidum simpliciter? quia tepidus peccatoris dicitur qui peccator quidem est, attamen se non cognoscit peccatorem, imo sanctum se esse præsumit; ratio huius est quia ea peccata apud illum æstimantur vel minima vel nulla; frigidus autem is peccator dicitur, qui & peccator est magnus, & se esse peccatorem facilius cognoscit, quis maior peccator est frigidus aut tepidus? frigidus, quis in periculosiori statu?. tepidus, omne enim animæ nostræ initium salutis (supposito semper auxilio diuino) à nostra dependet cognitione, nisi enim quis se peccatorem agnoscat, indignus est venia: quis autem ad sui cognitionem vicinior, an tepidus vel frigidus? iam audisti? vicinior ergo cum sit frigidus cognitioni propriæ quam tepidus, clarum est quod ex hac parte considerando frigidum esse minus malum quam tepidum, potest cadere sub desiderio, & de facto cadit, cum dicitur vtinam frigidus esses, magis quam tepidus, si namque frigidus es, peccator quidem es, sed à salute tua (ratione qua minus distas à peccati cognitione, imo & ratione scilicet qua magis præsertim qua te esse bonum quandoque arbitraris,) maxime elongatus es, quorsum ista ad Iudaicarum lactucarum declarationem cum quibus agnum comedebant? comestio igitur agni Christi à Iudæis peragenda erat iuxta figuralem litteram, hac cum tepiditate & consequenter futuri erat frigidissimi nedum frigidi, (hoc propter peccatum commissum) & simul tepidi, hoc propter cognitionem commissi peccati, facienda ergo erat sic comestio & facta est: vis videre, attende semper cum dicendis superiora de tepiditate narrata, & huiusmodi comestionem cum detestabili tepiditate factam apertissime videbis: in occisione Christi existimarunt Iudęi rem Deo gratam præstare, vt & Apostolis suis dixit Christus, *veniet hora vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium Deo præstare*, hoc dixit propter Iudæos, qui soli Deum venerabantur, ac si diceret, vt sitis vndique mihi conformes, & à Iudæis occidemini, & ista illorum tepiditate prędicta occidemini, ecce tepiditas Iudæorum ecce lactucæ cum agno comestę, & B ideo eorum conuersio difficillima: pro nobis est noster Bernardin. in cap. 3. Apocal. *Quidam sunt frigidi & multis criminibus obnoxij quorum corda plerunque Spiritus Sanctus tangit, ita quod inflammati feruentiores inueniuntur & efficiuntur, quia quanto peccatores se fuisse recordantur, eo amplius diligunt liberatorem: exemplum de Magdalena, & sunt alij qui à crimine se custodiunt, sed ad bona non assurgunt, vel propter inanem gloriam bona agunt, & hi dicuntur hic tepidi, & quoniam tales qui dicuntur sic frigidi, & liberius arguuntur de peccatis & facilius conuertuntur ad pœnitentiam & feruentius postea pœnitent, hinc est quod optat magis esse frigidum quam tepidum.*

Apocal. 3.



## VARIETAS LECT. Verʃ. 9.

Vulg. Non comedetis ex eo crudum quid, C nec coctum aqua, sed tantum assum igni, caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis.

*Sept.* Non comedetis de eis crudum, &c. caput cum pedibus & interaneis.

*Cald.* Caput eius cum cruribus & intestinis eius comedetis.

*OnK.* Caput eius cum cruribus eius, vna cum intestinis.

*Procop.* Caput eius cum fœmoribus.

*Arias.* Ne comedatis ex eo crudum, aut coquendo coctum in aquis, quinimo assum igne caput eius super genua eius & super interius eius.

*Oleast.* Non comedatur ex eo fractum, seu dissectum, *alij* non comedetis ex eo viuum.

## CONCORDIA.

IN Hebræo est נא quod noster Vulgatus reddidit crudum, Oleast. fractum seu dissectum, miraturque cur hæc vox versa sit hic per crudum, cum nusquam alibi ea vox in hac significatione ponatur, sed vel nunc vel quæso significet, creditque esse reddendum sicut ipse vertit, sed saneid omnino absque exemplo, nam crudum volunt non solum Hierony. sed Septuag. Rabini recentiores omnes etiam linguæ Hebreæ periti, quibus omnibus vnum se ex debili conjectura opponere temeritatis est, & vero particula aduersatiua *sed* necessario eiusmodi significationem exigit, fatentur tamen Hebræi hanc vocem non esse Hebraicam sed Arabicam, ratio autem quam adducit Oleast. non ita barbaros fuisse Iudæos, vt carnem crudam comederent, & ideo D non eis imponendum fuisse hoc præceptum, sed non est cur insistat in hac voce *crudum*, quia positũ est crudum pro semicrudo seu semicocto, non enim erãt Iudæi ita barbari, vt nisi accessisset diuina prohibitio, fuissent comesturi carnes crudas, voluit tamẽ Deus caueri, ne præ festinatione moræ impatientes, nedum bene coctas laniarent. qui habent non comedetis ex eo viuum, intelligendi sunt non de agno adhuc viuente, hoc enim adhuc superiore magis barbarum, sed de carnibus adhuc sanguine stillantibus, cuiusmodi etiam sunt carnes semicoctæ, caput cum pedibus eius, vertit

interpres, in Hebręo autem על super crura A eius vel super genua, præpositio על al pro super, cum, ponitur, pedes autem, non ita restringendi, prout communiter sumuntur, sed vt superiorem pedum partem etiam comprehendant, dictio enim כרעים karaim non tantum nudos pedes, sed & genua & crura significat, radix autem eius est כרע kora quæ ponitur communiter pro cado: voxque quę additur à nostro interprete, non vorabitis non est in Hebræo, sed omnia ad verbum *comedetis* pręcedens referunt, noster tamen addidit, lucis maioris gratia, vsusque est vorandi verbo, ad indicandam festinationem, quæ in comedendo erat adhibenda, causa autem cur de his expresse additum sit, quod hæc fere non assentur, sed tantum elixa edantur, ne igitur putarent hęc exuri posse, disertis verbis de illis fuit addendum.

## EXPOSITIO.

*Non comedetis ex eo crudum quid.* Quomodo hoc sit intelligendum iam diximus in concordia, addi potest Deum prohiberi agnum crudum comedi, quia hoc inhumanum est, tum quia B caro cruda insalubris est, & vix ab homine digeri potest, tum ne postea inter edendum carnem crudam fastidientes abiicerent; *nec coctum aqua sed tantum igni*, ratio congrua, citius enim carnes assatione coquuntur, quam elixatione, tum quia carnes assæ licet difficillioris sint cōcoctionis, tamen habent plus alimenti, ob idque qui corporis laboribus exercentur, cuiusmodi erant Iudæi, laboribus grauibus assueti, & modo etiam se ad iter faciendum accingentes, magis aptæ, *caput cum pedibus*, addit hoc quia cum hęc magis elixari soleant, quàm assari quis potuisset opinari ea cum agno comedenda non esse idem intelligi de intestinis non tamen de aliis quæ edi non solent, vt de felle, &c. quæ separari deberent, *vorabitis*, pertinet ad celeritatem comestionis, ea enim monebantur, quod profectio iam erat in propinquo, & futura cum summa festinatione.

## CONCEPTVS.

*Eucharisticus agnus fortiores & validiores nos reddit, ad quæque difficiliora toleranda.*

142. *Non comedetis ex eo crudum quid nec coctum aqua.* Non coctas aqua carnes agni comedendas proponit Deus, sed assas igni, nonne carnes C quas coquimus, salubriores sunt & meliores? cur ergo ex cibis quos meliores iudicamus, non eis concedit? aduerte cibum igne assum duriorē & firmiorem: sed quid nobis denotat agnus legalis firmior sumptus ab Hebræis, cum itineri se accingunt? nempe effectum quem producit agnus Eucharisticus in mentibus hominum, scilicet eos ad labores indurare, fortiores & vegetiores reddere ad resistendum telis aduersarii nostri percutientis, sicut enim caro Christi ipsis doloribus, quos tolerabat, validior reddita est, ita & nos ad hoc idem sacrificium accedentes, validiores reddit contra mundi aduersitates, & contra dæmonis impugnationes: non mea est sentētia sed S. Greg. Mag. hom. 22. in Euang. qui in huius rei proba-

Psal. 21. tionem adducit illud Psal. 21. aruit tanquam testa virtus mea, sumpta metaphora est ab eis qui lateres coquunt; sicut enim lateres nondum cocti D molles sunt, & facile dissoluuntur, si autem igni coquantur, durantur, & instar lapidum ad ædificiorū cęmenta assumuntur, non aliter caro Christi vires ab ipsis passionibus mutuata est, & hoc idem in nobis pręstat Eucharisticus cibus, sicut enim caro Christi ex igne amoris induruit, ad labores perferendos, ita etiam qui ad Eucharistiam accedit, validior redditur cōtra ingruētes calamitates, & cōtra dæmonum incursus, subiicio verba

S. Greg. Mag. Greg. *Qui enim conualuit ex morte, videlicet carnes illius ab igne indurnerunt, vnde etiam per Psalmistam dicitur, aruit tanquam testa virtus mea, quid enim est testa ante ignem nisi molle lutum? sed igne agitur vt solidetur, virtus ergo humanitatis eius velut testa exaruit, quia ab igne passionis ad virtutem incorruptionis creuit, sed sola redemptoris nostri percepta sacramenta ad veram solemnitatem mentis non sufficiunt, nisi eis & bona opera iungantur.*

*Christum vere præsentem in Eucharistico sacramento credamus, sed quomodo id fiat curiosè non inuestigemus.*

*Non comedetis ex eò crudum quid nec coctum aqua.* 143
Non erat necesse illis hoc præcipere, quis enim ita barbaræ naturę, vt carnes crudas comedat? hoc mystice exponamus, illud comeditur crudum quod vt videtur, æstimatur, agnus Eucharisticus non sic edendus, nam si species sacramentales sub quibus latet, intuemur, panem dicemus esse, non vero Christum pręsentem sub eis: sed cur saltem aqua coctus nōn editur? aqua sapientiam humanam denotat, quæ in hoc Eucharistiæ sacramento non est admittenda, caligat enim in eius veritate dignoscenda, & humana ratio ex se sola cęcutit, sic explicat Rupert. lib. 2. in Exod. Rupertus.
c. 10. *Igne assatur in altari, operatione namque Spiritus Sancti panis corpus, vinum fit sanguis Christi, sed illud non capit humana sapientia, repellitur ergo illa non tam sapientia quam curiositas, dum repetendo dicit non comedetis ex eo crudum quid, crudum namque comedere nihil aliud est, nisi quod videtur æstimare, & coctum aqua comedere, est quomodo fit vile carnaliter diiudicare, sed comedetis inquit tantum assum igni idest totum attribuetis operationi Spiritus Sancti, cuius effectus non est destruere vel corrumpere substantiam, quamcumque in suos vsus assumit, sed substantiæ bono permanenti, quod erat inuisibiliter adiicere & perficere quod non erat*, iuxta Rupert. tribuitur Eucharistia Spiritui Sancto, quia non destruit sed perficit quod erat, nam illud quod prius erat panis, fit caro Christi, & quod prius erat panis materialis, fit panis spiritualis, destruitur quidem substantia panis, sed succedit Christus, ma-

Ne intelligas ita Rupert. vt velit dicere substantiā panis vel vini manere in sacramento hoc enim falsissimū.

nec quidem panis, sed non panis materialis qui erat, sed spiritualis qui non erat, vnde hæc mutatio tribuitur Spiritui Sancto, qui non redigit in nihilum materias, sed perficit.

*Agnum Eucharisticum sumimus qui in singulis partibus corporis tormenta passus est.*

143 *Non comedetis ex eo crudum quid nec coctum aqua.* An vitio aliquando datum est Hebræis, quod carne cruda vescerentur? quid ergo necesse fuit lege cauere, ne crudum agnum comederent? non est dubiũ quin Eucharisticus agnus eo legali adumbretur: nonne ignis vniuersum cibum condit? cur ergo addit non comedetis quid crudum? quia Christus tot est passus tormenta, vt nulla pars corporis illius ab eis fuerit libera, caput enim spinis pungitur, cæsaries auellitur, oculi sputis conspurcantur, & sic de reliquis, nihil ergo crudum manditur, quia in Eucharistia Christum accipimus, omnia hęc passum, vt singula Christi tormẽta peculiarem nobis afferant vtilitatem, nec non animo inferãt lætitiam: do huius veritatis Auctorem Arnoldum Carnot. tract. vltimo de septem verbis Domini. *assatus est agnus noster in veru crucis subter incensis tormentorum carbonibus, nihil crudum aut carnale iam in eo sapimus.*

Arnoldus.

*Non sine meditatione agni Eucharistici sumendi, ad eum accedamus.*

144 *Non comedetis ex eo crudum quid nec coctum aqua.* Quis vidit homines diuino cultui deditos, carnes crudas comedere? ne caueatur ergo lege, ne quis Israelita agni legalis carnes crudas comedat: ad rem Eucharisticam locum hunc trahamus, dicamusque carnem crudam Christi comedere eum qui sine vlla animi meditatione, ad hanc sacramentalem mensam accedit, & inconsiderate, ac non attenta tanti sacramenti maiestate; oportet ergo vt Eucharistiam mente coquamus, id est multa animi meditatione hoc beneficium perpendamus, hoc dixerim ex S. Greg. hom. 22. in Euang. cuius & verba subinfero, *Nunquid fratres Charissimi Israeliticus ille populus in Ægypto constitutus comedere agnum crudum consueuerat, vt lex ei dicat non comedetis ex eo crudum quid? quid cruda agni carnes, nisi inconsideratam ac sine reuerentia, cogitationis relictam illius humanitatem significant? omnia enim quæ subtiliter cogitamus quasi in mente coquimus*, ne crudum ergo agnum comedamus, sed attenta & deuota animi meditatione eum edamus.

Greg. Papa.

*Non sufficit nuda meditatio, sed adhibenda bona opera, cum ad agnum Eucharisticum accedis.*

145 *Non comedetis ex eo crudum quid, caput cum pedibus & intestinis vorabitis.* Si sapidi sunt pedes agni, sicut & caput, cur lex pręcipit vtrumque comedi? agnus ille Christus est in Eucharistia, cuius caput comedimus cum eius diuinitatem contemplamur, pedes vero quibus gressus ponimus opera significant: sensus ergo est qui ad Eucharistiam accedit, sanctis cogitationibus mentem exerceat, verũ his cõtentus non sit, sed sanctis operibus occupetur; etenim ille qui multa meditatur, neque tamen pie operatur, caput quidem deuorat, sed pedes non tangit; vtrumque ergo comedat & pedes & caput: huius sententiæ auctorem accipe cit. Greg. eadem hom. *caput agni vorare est diuinitatem illius fide percipere, pedes vero agni vorare est vestigia humanitatis eius amando & imitando perquirere.*

*Arcana diuina perquirat, qui agnum Eucharisticum comedit.*

*Non comedetis ex eo crudum quid, caput cum pedibus & intestinis vorabitis.* De capite & pedibus iam diximus, nunc restat vt de intestinis disseramus, intestina sane minus esse solent ad gustum suauia, nihilominus legislator non vult ab Israelitis reiici, sed simul cum capite & pedibus comedi: quid ergo per intestina agni intelligemus? arcana sane verba eius, his ergo etiam vesci debemus, quia attenta animi consideratione debemus eius præcepta & verba discutere, & opere exequi, ille ergo se idoneum ad Eucharistiam reddit, qui mysteria diuina perquirit, scripturas attentius euoluit, & opere exercet: audiamus cit. Summum Pontificem, *Quid vero sunt intestina nisi verborum illius occulta & mystica mandata?* 146

Cit. Docto

*Maximo cum animi feruore, mensæ Eucharisticæ accumbamus.*

*Non comedetis ex eo crudum quid, caput cum pedibus vorabitis.* Omnes aliæ versiones hoc verbo non vtuntur, sed *comedent* dixerunt, cur hoc ergo vtitur interpres, cum indecentiam dicat? indecens enim est cibos in conuiuio deglutire & deuorare: aduerte hoc verbum nimiam velocitatem in comedendo protendere, qui deuorat enim potius deglutire videtur, quam dentibus cibos terere, omnis ergo mora amandatur, feruor iniungitur, qui ergo ad Eucharistiam accedit, torporem omnem excutiat, pietati auidus insistat, velox pietati incumbat, hoc ex cit. Greg. dixerim. *Quæ tunc voramus cum verba vitæ cum auiditate sumimus, in quo deuorationis verbo, quid aliud quam pigritia nostra torpor reprehenditur? qui eius verba & mysteria & per nosmetipsos non requirimus, & dicta ab aliis audimus inuiti.* 147

Greg.

*Totus agnus Eucharisticus in epulantium cibum cedit.*

*Non comedetis ex eo crudum quid, caput cum pedibus & intestinis vorabitis.* Nonne satis est comedisse exteriora scilicet caput & pedes? cur adhuc & interiora iubentur edenda? dices, quia qui ad Eucharistiam accedit, non modo interiora debet mundare, sed etiam exteriora, scilicet vt puro corde & corpore, vel vt non modo pia opera exerceat, sed etiam cum pia intentione exequatur: sed addamus ideo Deum voluisse, vt non solum pedes & caput agni comederentur, sed etiam interiora, vt indicaret quod totus agnus Eucharisticus in conuiuantium cibum & vtilitatem cedere debet, ita sentit S. Ambr. lib. 1. de Cain & Abel c. 5. *De cuius capite pedibus & intestinis nihil relictum est, & os non est contritum ab eo, sed totus epulantium cibo cessit, talem legis nobis figurauit vmbra, talem veritas Euangelij demonstrauit.* 148

S. Ambr.

*Non corde carneo nec Iudaico, agnus Eucharisticus a nobis sumatur.*

*Non comedetis ex eo crudum quid, aut coctum aqua* 149

aqua quis comedit crudum agnum Eucharisticum? sane qui vt Iudæus ait, quomodo potest hic nobis suam carnem dare ad manducandum? & quis coctum aqua? dices qui iuxta humanas rationes, cuncta quæ ad Eucharistiam pertinent, examinat, ita sane: sed adde coctum aqua comedere, qui in olla cordis carnei ipsum decoquit, quod cōmune esse ac terrenum existimās, vtrumque deprompsi ex Gaudentio tract. 2. *quod supra exposuimus edenda de carne agni specialiter in degustandis seruandum est ijsdem mysterijs Dominicæ Passionis, vt neque crudam carnem neque crudum sanguinem sicut Iudæus, esse putes & respuas, dicens quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? neque in olla cordis carnei humoribus per naturam semper obnoxij ipsum decoquas sacramentum, commune illud ac terrenum esse existimans, sed vt per ignem diuini spiritus id effectum, quod annuntiatum est credas, quia quod accipis corpus est illius, panis cælestis, & sanguis, id est illius sacræ vitis.* Gaudent.

### *Natura diuina & humana sunt in Eucharistico Sacramento, & si hoc difficile tibi videatur, considera immensum in te Dei amorem.*

150 *Non comedetis ex eo crudum quid, caput cum pedibus & intestinis vorabitis,* caput Christi est Deus, pedes eius sanctissima humanitas, quæ vere & realiter præsentes sunt in Eucharistico Sacramento, cum ergo agnum Eucharisticum comedis, Deum & hominem vre sumis: nonne hoc difficile creditu, vt sub exigua particula hostiæ, caput nempe Deus, & pedes nempe humanitas, Christi contineantur? sed quæso attende, intestina pariter vera in quibus est sedes amoris, quisquis enim pendit Dei summum amorem, & nimiam charitatem qua dilexit nos, omnia facile credet, quæ de hoc sacramento fides prædicat. Vnde addit cit. Episcop. Brixiens. *& idcirco caput diuinitatis eius cum pedibus incorporationis, & inferioribus simul iubemur comedere mysterijs, vt pariter vniuersa quemadmodum tradita sunt credamus, non confringentes os ipsius illud solidissimum hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* cit. Epic.

### *Nescit Christus in sacramento partita dona.*

151 *Non comedetis ex eo crudum, caput eius cum pedibus & intestinis vorabitis,* si festinanter comedere debent tanquam iam-iam ex Ægypto egressuri, iube solum vt caput comedant cum reliquo corpore: sine pedibus vel saltem intestinis omnia quæ esui apta sunt in agno, vult vt ab Israelitis comedantur, vt significet quod in agno Eucharistico nesciet sua dona diuidere, sed omnia quæ sunt in eo, largiri mens est Chrysol. serm. 68. *quotidianum,* inquit, *& in diem vult nos in sacramento sui corporis panis viaticum postulare, vt per hoc ad perpetuum diem & ipsam Christi perueniamus ad mensam, vt vnde hic gustum sumimus inde ibi plenitudinem, totasque satietates capiamus,* expende *sumimus inde plenitudinem,* plena sunt dona quæ Deus confert in hoc Eucharistico Sacramento, nescit ea diuidere, nescit tibi solum caput, nescit solos pedes, nescit sola intestina, sed omnia indiuisim concedit edenda. Petrus Rauennas.

### *Vbi Deus Eucharisticum agnum nobis donauit, quasi tenetur iam mortis dānationem delere.*

*Non comedetis ex eo crudum quid, caput cum pedibus vorabitis,* sigillatim & exacte omnia aperit comedenda ex agno, vt eo refecti tela angeli percussoris effugiant: in typum & in figuram hæc omnia erant, vt sumentes agnum Eucharisticum muniremur aduersus omnes aduersarios nostros, ex quibus mors ipsa censetur, ergo mors non timenda, sane si nosceret homo diuinum donum, nosceret mensam paratam, nosceret deificæ carnis ferculum, nosceret Eucharisticum agnum sibi donatum cum capite & pedibus & intestinis, disceret mortem nō timere. Cur enim debitum mortis timeret, cum sibi donatum accipiat vitæ auctorem? quod recte expendit S. Aug. ser. 4. de Natiuitate mart. contemptum mortis persuadere volens, ex tali dono accepto, *terret te fremitus mundi* (ait) *cui donatus est artifex mundi, Christum nobis donatum esse gaudeamus & nullos inimicos in hoc sæculo timeamus.* 152 S. August.

### *Christus iam non moritur.*

*Non comedetis ex eo crudum quid, sed tantum assum igni.* Nihil crudum aut carnale in agno immaculato, nihil elixum aut molle cogitemus, sed totum agnum assum igni, qua de causa? quia hac assatione ita induruit, vt mortis tela amplius non timeat, nihil enim in eo amplius est crudum aut coctum aqua, id est molle vt ad eum morti pateat aditus, sic explicat Arnoldus Abbas tract. 7. de verbis Domini, *nihil crudum in eo sapimus, sed illabens odoris assatio in patibuli flamma induruit, ita solidata est, vt nihil in eo vltra supersit, vel passibile, vel mortale, sed omnino mortis pyra ab antiquo accensa sanguinis illius conspersione extincta est, ideoque & sibi & nobis cōstat inconsumptibilis illius integritas, quia nec corrumpi potest quod omnino est solidum, nec minus quod æternum.* Arnoldus Abbas.

### *Deus exinaniuit se in sacramento, vt totus à nobis sumeretur.*

153 *Non comedetis ex eo crudum quid, caput cum pedibus & intestinis vorabitis,* expēdamus aliud quod simul à Deo etiam præscribitur, os illius non confringetis, siue vt est apud Ioanne 20. os non cōminuetis ex eo, si os agni non comminui licebat, quomodo integer cum capite & pedibus vorandus? quis sine fractione ossis vorare caput & pedes integri agni? non hoc est agni creati; cui tam repugnat integre communicari, quam sine ossium fractione totum manducari, vnus est qui se ita exinaniuit, non solum naturam humanam assumens, sed modo indiuisibili vtramque tam diuinam quam humanam constituens sub speciebus sacramentalibus, vt ab omnibus integrè sumeretur. sic acute expendit D. Dionys. Alex. epist. aduersus Samosat. *atqui prohibebatur illis fieri,* nempe ossium fractio, *vt nec tota irrationabilis veseretis permitteretur, at verò qui se ipsum exinaniuit Christus Iesus habens in se caput patris, fecit potentiam in brachio suo, & exaltauit humiles, vt in eis caput possit Altissimus, & habitare in nobis propter suā qua dilexit nos, benignitatē ac bonitatem.* Ioan. 20. Dionysius Alexand.

*Deus sese hominibus dedit comedendum, vt par pari referret pro cibis quos ipse ex hominibus comedit.*

155 *Non comedetis ex eo crudum quid, caput cum pedibus vorabitis.* Ecce agnus integer comeditur à Iudæis, in typum quod se agnum comedendum hominibus daret: nonne iam eximia eis contulisti beneficia? nonne pro eis homo factus es? quod omnem superat admirationem? cur ergo adhuc in agnum immaculatum præbes te in Eucharistico sacramento? alias proferes rationes, sed vnam exhibeo, vt par pari referret pro cibis quos ipse ex hominibus comedit, hinc D. Damasc. in libello de corpore & sanguine Christi, componens cum Deo existente in vtero virginali, eundem existentem in Eucharistia, inquit, *Sic hic tanquam in vtero virginis in mensa mystica posita est materia panis & vinum aqua mistum, his enim mater nutriebatur, & materiam præbebat corpori infantis*, expende verba ab illis, *his enim mater, &c.* quasi ideo sub pane & vino in mensa mystica se se Deus tradat, quod his ab vtero matris fuerit altus, sic pro cibo accepto se cibum referens, & par pari, id quod videtur ponderasse Ericus ad Luc. 14. vbi dicitur cum intrasset Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum Sabbato vt manducaret panem, ad hæc ille. *Adibat Dominus carnalia hominum conuiuia, non tam vt exterioribus epulis vesceretur, quam vt ipse qui est panis de cœlo descendens dapes superni conuiuij erogaret*, sumebat enim libenti animo ab hominibus Dominus panem quo obligabatur se panem cœlestem eisdem communicasse, vnde humanis epulis vescebatur, quibus se sciebat adducendum, vt cœlestes nobis porrigeret dapes.

D. Ioann. Damasc.

Ericus Luc. 14.

*In Eucharistia Christus Dominus omnino fere sui similis existit prout in cruce pendebat.*

156 *Non comedetis ex eo crudum quid, sed assum igni.* Hoc refert Arnoldus Abbas tract. vltimo de septẽ verbis Domini ad Christũ in cruce, assatus est agnus noster in veru crucis subter incensis tormentorũ carbonibus, nihil crudum iam in eo sapimus, S. autem Gregor. vt vidimus hom. 22. in Euang. quem plures alii sequuntur, interpretatur hoc de Eucharistico sacramento, ait enim quid crudæ agni carnes nisi inconsideratam & sine reuerentia cogitationis relictã illius humanitatem significat? deinde prosequitur, caput cum pedibus & intestinis vorabitis, deinde os non confringetis ex eo, quod S. Ioan. legens, os non comminuetis ex eo, intelligit de ossibus corporis Christi, non contractis in cruce, & vt vidimus, S. Dionys. Alexand. intelligit de agno Eucharistico, qui integer à nobis sumitur: nonne immolabatur agnus legalis ab Israelitis non solum in typum, quod in cruce mactaretur, sed etiam quod in Eucharistico sacramento mystica esset mactatio? quod in Sancti Iacobi liturgia, lector admonet, taceant mortales; & stent cum metu & tremore, nihil terrenum cogitantes, Rex enim Regum Christus Deus noster exhibit vt mactetur, & detur in cibum fidelibus: quid aliud igitur putas quid sit agnus Eucharisticus, quam pulcherrima totius cruenti mysterii commemoratio? quam memoria & viua repræsentatio crucis? quid enim aliud audimus in Eucharistia quam effusionem sanguinis, quam traditionem carnis, sicut in cruce? accipite etc. Damascen. in libello de corpore Christi sic fatetur, *eleuatur in manibus sacerdotis in crucem, & frangitur, & distribuitur & in nobis sepelitur, & facit nos secum à corruptione liberos*, adeo passionis crucisque mysteria hoc in epulo repræsentantur, vt merito dicat S. Paschas. lib. de corpore & sanguine Domini cap. 11. *nihil deest, inquit, in hoc sacramento ad commemorationem passionis, quod tunc extitit in cruce in consummationem nostræ redemptionis.*

Arnoldus Carnot.

S. Gregor. Mag.

S. Paschas.

*Corpus Christi sepeliẽdum est in corporibus nostris virtutum odoramentis, maxime mortificatione & pœnitentia.*

*Non comedetis ex eo crudum quid, sed assum igni.* 157
Cum quibus obsoniis comedetur? cum lactucis agrestibus, vel vt habet Caldæus, *cum herbis amaris*, & azymis panibus. Diximus huiusmodi panibus syncetitatem animi denotari, sicut & lactucis agrestibus castitatem, & pœnitentiam, & mortificationem: sed cur agnus legalis qui quasi sepelitur in Iudæorum corporibus, cum huiusmodi obsoniis, cum pane azymo, & lactuca agresti, hoc ritu comeditur? vt hoc typo denotaretur quod agnus Eucharisticus in sepulchris corporum nostrorum sepeliendus est, cum virtutum odoramentis, maxime mortificatione & pœnitentia. quod innuit sponsa, quæ dum in lectulo quieta sponsum expectabat, existimans se ostium habere apertum, quo sponsus introiret, didicit nõ fuisse apertam nisi paruam fenestram, quæ vix caperet sponsi manum, ait enim, dilectus meus misit manum per foramen, cur per foramen? Psellus apud Theod. dicit, etsi totum ostium aperuit vt Christum verbum & sponsum susciperet, tamen vix manus eius eaque sola immissa est, itaque magnitudinem ipsius magnopere est admirata, quid plura? ait totum sese ad sponsum excipiendũ accingere vt id ostium aperiret, quod integrum sponsum susciperet, ait surrexi vt aperirem dilecto meo, manus meæ distillauerunt mirrham; quasi diceret iuxta eundem Psellum, *ergo vt sponsum exciperem, aperui, at ille penetralibus meis capi non poterat, surrexi ad laboriosum & magis diuinum ordinem, vt quem antea non potueram capere laboribus multis, & carnis mortificatione latiorem portam patefaciens, sponsum comprehenderem, vnde manus meæ cum digitis continentes mirrham distillauerunt*, equidem vbi mirrheus odor est, vbi mortificatio & carnis maceratio, ibi conditur & requiescit Christus.

Cant. [illegible]

Psellus.

*In sacramento altaris, sanguineus calix, crucis signum, mortificationis exemplar propinatur.*

*Non comedetis ex eo crudum quid, sed assum* 158
*igni.* Ante ipsam agni comestionem, præcede-

bat immolatio, quod sic intelligit Nyssen. hom. 1. de resurrect. cuilibet perspicuum est, quod oue vesci homo non potest, nisi comestionem mactatio præcesserit, cum igitur dedit discipulis suis corpus ad comedendum, aperte demonstrauit iam fuisse perfectam & absolutam immolationem vocat sacrificalem iugulationem, & sanguinis effusionem mysticè à diuino agno & sacerdote peractam: sed quæ ratio Deum impulit, vt carnes suauissimas vt pote igne assas, & non crudas, manantem nectare cibum, sanguinis effusi mysterio fecerit purpurascere? hanc attingit S. Cyprian. serm. de Pasch. hæc de sanguine à latere fatus. *Tu Domine sacerdos in æternum, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio, sanctis huius sanguinis permanentem plenitudinem reliquisti, & beneficium huius sancti liquoris in perpetuum tradidisti, & constituisti nobis inconsumptibiliter potum viuificum, crucis signum, & mortificationis exemplum*, ideo ergo sub sanguinis effusi specie, nobis Christus D. escam parauit, vt sanguineum calicem crucis signum, mortificationis exemplar propinaret.

S. Cyprian.

*Non otio torpentes, sed laborantes agno Eucharistico refici debent.*

159 *Non comedetis ex eo crudum quid, sed assum igni.* Cur ipsi non solum tenentur deferre agnos in domum, ait enim textus, vnusquisque sibi tollat agnum, sed etiam immolare, immolabit vniuersa multitudo filiorum Israel, sed etiam igne torrere? vnus pro omnibus immolet, vnus pro omnibus tollat in aliquem locum publicum, vt ibi tibi offeratur, comedat cum non tanta cum diligentia preparatum? non dubium quin labor sit impendendus in carnibus igne assis, & si recte expendas, in hoc agno comedendo semper ab eis exigebatur labor; nec mirum, quia cum esset typus agni Eucharistici non otio torpentes sed laborantes eo refici debebant, vnde recte D. Cyrill. panis Christus est, sed cum labore & sudore inuenitur, hinc etiam Paschas. lib. de corpore & sanguine Domini vocat Eucharistiam stipendium, dicit enim Ezech. cap. 9. ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, & vnusquisque vas interitus in manu eius, vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis, & attramentarium scriptoris ad renes eius, & steterunt iuxta altare? cur scriptor hic cum attramentario iuxta altare stetit? D. Paschas. *Ideo inquit bene iuxta altare perhibetur, vt milites ad stipendia vitæ percipienda accedentes diuinitus discernat*, expendo illud ad stipendia vitæ accipienda, vt videant qui laborem fugiunt, quam temere ad altare accedunt, vbi quidquid datur, stipendium est, & hoc censoris manu prius recensitis, per scripturam, laboribus exhibendum.

S. Cyrill. Paschas. Ezechiel. 9.

*Fides & opera in sumptione agni Eucharistici necessaria.*

160 *Non comedetis ex eo crudum quid, caput cum pedibus vorabitis.* Nonne satis erat corpus agni comedere? cur pedes vel caput necessum est edere? nemini dubium quin in pietate christiana caput illius sit fides, cum virtutum sit fundamentum, sine quo ruit totum spirituale, opera recte pedibus designantur. Sicut enim ... progredimur, sic etiam his ... in viam salutis, recte pedes & caput agni ... comedi quia non sola fides in Eucharistico agno sumendo, sed etiam opera requiruntur, animaduertit ... Gazæus. *Plurima sunt membra quæ edantur, vnum vero est corpus Christi, nihil autem obstat vt per caput fides, & per pedes opera, sine quibus fides mortua est, intelligantur.*

Procop.

*Deus ignis est consumens eos qui nimis curiose quomodo Christus Dominus sumatur integer, in Eucharistia scrutantur.*

161 *Non comedetis ex eo crudum quid, sed solum assum igni, pedes autem cum pedibus & intestinis vorabitis.* Mysterium huius facti docet Christum non esse per partes diuidendum, sed totum esse in sacra synaxi sumendum, vt ex Diuo Thoma vel potius Ecclesiæ auctoritate colligimus, dicente, sub diuersis speciebus, signis tantum & non rebus latent res eximiæ; caro cibus, sanguis potus; manet tamen Christus totus, sub vtraque specie. à sumente non concisus, non confractus, non diuisus integer accipitur, sumit vnus, sumunt mille, tantum isti quantum ille, nec sumptus consumitur: quod Ægeæ proconsuli Achaiæ respondit & testatus est S. Andreas (in Epis. Presbyt. & Diacon. Ecclesiarum Achaiæ quam approbat Ecclesia in legenda S. Andreæ.) respondit inquam S. Andreas, Ego omnipotenti Deo qui vnus & verus est, immolo quotidie, non vitulorum carnes, aut hircorum sanguinem, sed immolatum agnum in altari, cuius carnem postquam omnis populus credentium manducauerit, agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat: sed antequam declararet typum huius mysterii, mentionem facit ignis, comedetis inquit solum assum igni, repetitio enim superflua videtur, cum in superiori versu dixerit, comedetis carnes eius assas igni, cur iterum idem repetit? aduerte non paucos esse qui nimis curiose scrutantur quomodo fieri potest, quod vnicus numero agnus immaculatus, ab vnoquoque sumatur integre, & tamen integer semper perseueret: quid mirum igitur si ante, ignem præmiserit, ignis enim est Deus consumens eos qui nimium id curiose scrutantur: consentit S. Ephrem in lib. de natura Dei minime scrutanda. *Quid scrutaris inscrutabilia? si ista curiose rimaris non iam fidelis vocaberis sed curiosus, esto fidelis atque innocens, participa immaculati corporis Domini tui fide plenissima, certus quod agnum ipsum integrum comedis, ignis immortalis sunt mysteria Christi, noli temere ea perscrutari, ne in ipsorum perscrutatione comburaris.*

S. Andreas. S. Ephrem.

*Agnus Eucharisticus ignis est purgans nos & emundans.*

*Non comedetis ex eo crudum quid, sed solum assum igni.* Cum eo denotetur agnus Eucharisticus, cur cum eo ignis? quid enim ignis cum agno? sane recte vterque coniungitur, eo nos enim purgat & emundat à maculis nostris, quod erudite expendit Isidor. Pelus. lib. 1. Epistola 219. *Igni assas agni carnes edebant Hebræi, magnum diuinæ incarnationis mysterium per huiusmodi esum* 162

Isidor. Pelus.

*typice adumbrantes, ac Dei agnum prædicentes, qui* A *diuina essentia igneam modo sermone omnis præstantiore cum ea carne conuenit quæ nunc à nobis editur vitiorumque remissionem affert.*

*Nihil solatij Christus in pœnis habuit.*

*Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua,*
193 *sed assum igni.* Sane allegorica & potissima causa fuit vt assus agnus significaret Christum amore nostri in cruce tostum, nam agnus in crucis formam assabatur, alter enim rectus paxillus ab imo vsque ad caput traijciebatur, alter vero transuersus armos agni assandi distendebat in-
S. Iustin. quit S. Iustinus Matt. Dialog. contra Triph. verba Iustini profero, *agnus ille quem assum iussu Dei esse oportebat, passionis suppliciique crucis, quo Christus afficiendus erat, fuit significatio, agni enim qui assus redditur, carnes vt ita dicam assantur, speciem crucis præferunt, vnum enim rectum veru ab infimis partibus, ad caput peruenit, vnumque rursus quod per dorsum pertinet, cui agni pedes coniunguntur*, sed cur nihil coctum aqua debet esse ex hoc agno, cum sciamus aquam refrigerare? merito iubetur quod aqua nihil ex eo coquatur quia in Christi Domini passione nihil fuit mitigationis, nihil refrigerii, sed tam dolore quam amore nostri fuit assus & tostus.

*Ita altitudinem Christi prædicemus, vt non erubescamus eius humilitatem.*

*Non comedetis ex eo crudum quid, caput eius cum*
194 *pedibus & intestinis vorabitis.* Cur pedes iungit cum capite, imo & intestina cum eo? nonne sufficit caput & reliquū corporis comedere, pedibus & intestinis relictis? aduerte caput agni immaculati Deum esse, pedes eius humanitatem: C non solum ergo caput sumendum, nec à pedibus diuidendum, sed vtrumque sumendum,
Cit. Arnold. quia vt bene citatus Arnoldus. *Sic caput, sic pedes, sic intestina comedimus, cum ita altitudinem Christi prædicamus, vt non erubescamus humilitatem ita infirmam, vt fortitudinem quoque eius non negemus.*

*Sacra scriptura non crude gustanda vt sapiat.*

195 *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum igni.* Procop. ait, carnes Christi Procop.
sunt sacræ scripturæ, eas igne necessarium est vt coquantur, & aqua amittatur ab eis & cruditas! quia sacra scriptura non crude gustanda vt sapiat, sed ignis Spiritus Sancti inuocandus vt eam suis flatibus assam percipiamus: sed audiamus cit. Gazæum. *Si Christus ouis est, quæ inter* Gazzus.
*oracula diuina creduntur carnes nisi scripturæ sacræ? has deuorat crudas qui litteræ inhæret, siquidem littera occidit & Spiritus viuificat: si igitur spiritus à Deo donatur, & Deus est ignis consumens, eleganter dicit Paulus, Vt simus spiritu feruentes, non igitur inepte egerimus, si acceperimus Spiritum Sanctum, cuius ope conuertemur Christi carnibus, idest sacris scripturis, has deinde torreamus flammis Spiritus Sancti, & eas manducemus postea quemadmodum diuina lex imperat, nam Spiritus Sancti auxilio mutabuntur in aliam quæ sibi tradantur formam, scriptu-* B *raque suaue alimentum cernemus & sentiemus.*

*Credendum de Christo Domino quod sit Deus & homo.*

196 *Non comedetis ex eo crudum quid, caput cum pedibus & intestinis vorabitis.* Si in aliquibus familiis non sufficientes erant ad esum agni, itaut necesse esset vicinos euocari, vt communi participes forent, cur potius non præcipit Deus, vt solum caput sine pedibus & intestinis ederetur, ne ex aliena familia adsciscerentur ad illius esum? si pedibus humanitas agni immaculati sicut & capite diuinitas intelligitur, recte ab omnibus agni non solum comedendum caput, sed etiam & pedes, diuinitas enim & humanitas Christi à quolibet fideli credenda. *Deus vult* (inquit Nazianz.
cit. Procop.) *totam totius mysterij quod de Christo habetur, notitiam inhærere fidelium mentibus, nam imprimis illud nos scire oportet, quod erat Deus in principio, Deus existens in patre, & cum patre, hoc enim veluti caput & principium mysterii creditur, alterum fundamentum est cui nos inniti oportet, scilicet quod Deus existens sit venturus iudicaturus viuos & mortuos, & finem impositurus omnibus, quæ nobiscum in hoc sæculo egit, & hoc per pedes insinuatur:* & Greg. Nyss. orat. 2. de Paschate, *ad caput vsque ad pedes, hoc est primas de diuinitate contemplationes, & postremas incarnationis meditationes.*



*VARIETAS LECT. Vers. 10.*

V*ulg.* Nec remanebit quidquam ex eo vsque mane, si quid residuum fuerit, igne comburetis. D *Sept.* Non remanebit de eo vsque mane, & os non conteretis ex eo, quæ autem superauerint ab eo vsque mane, in igne concremabitis.

---

*CONCORDIA.*

ADdendum post residuum ex Hebræo עד בקר ad boker vsque mane, sed consulto verborum repetitionem vitauit interpres, cum necessario subaudiretur, quod addiderunt Septuag. os non cōteretis ex eo, desumptū est ab eo quod inferius iubetur, id enim postea præcipitur.

## EXPOSITIO.

*NEc remanebit quidquam ex eo vsque mane.* Id A necessarium fuit præcipi, eo quod summo mane discessuri essent, nec è sacrificio illo fuit conueniens aliquid relinqui, quo profanè abuti possent postea Ægyptii, vel quod super esset, potuisset vel à canibus deuorari, vel putrescere, *si quid residuum fuerit igne comburetis,* quid autem residuum potuerit esse? alij pellem, quod improbabile est, alij ossa credunt, sed hoc residuum, intellige ossa, neruos, cartilagines duriores ad esum ineptas, vel si casu, & per imprudentiam aliquid relictum fuisset, ideo decentius fuit, hæc omnia quæ supererant Deo per ignem adoleri, sequentibus annis mansit eadem lex in memoriam festinatæ egressionis, & liberationis.

## CONCEPTVS.

### *Quæ Deo sacra, negligi non debent.*

167 *NOn remanebit ex eo quidquam vsque mane.* Licet remaneant ossa vel cartilagines, quæ B omnia esui inepta sunt, quid refert? sed quæso considera hunc agnum Deo oblatum fuisse, & ita ipsi sacrũ: merito igitur iubetur nihil residui ex eo custodiri, sed igne comburi, ne vel à canibus deuorarentur, vel in alios vsus profanos cederent, quod minime tolerandum, quæ enim Deo semel dicata, neglectui non habenda. *Ratio quare de hoc*
Abulens. *sacrificio nihil remanere debebat,* inquit Episcop. Abulens. *quia consumeretur comedendo aut combureretur igne, erat quia carnes sacrificiorum erant sacra, vt patet Leuit. 6. ideo non debebant negligi sicut carnes aliæ communes: si autem mandarentur omnes comedi aliqua de eis darentur canibus, sicut interdum consueuerunt dari etiam aliqua earum negligenter conseruatæ permitterentur putrefieri, hoc autem erat dedecus Dei, cum ista sacrificia consecrata essent.* C

### *Cum incarnationis mysteria penetrare non possumus, Spiritui Sancto reseruanda.*

168 *Non remanebit ex eo quidquam vsque mane, si quid autem residuum fuerit, igne comburetis.* Quid residui potest esse in agno, ad cuius esum cum non sufficerent ij, qui ex eadem erant familia, conuocabantur ex aliena? si per pedes & caput quę iubebantur comedi, intellexerunt aliqui ex sanctis Patribus, humanitatem & diuinitatem Christi, quæ meditatione & contemplatione adorari, & attente considerari deberent, recte præcipitur quod si quid residuum fuerit, igne cõburatur, quia si quid ex illo mysterio ineffabili incarnationis & vnionis hypostaticæ, penetrare non valemus, quo nihil certius; Spiritui Sancto igne designato committamus, *quod ex agno rema-* D
S. Greg. Mag. *net*, inquit Greg. Mag. hom. 22. in Euang. *igne comburimus, quando hoc quod de mysterio incarnationis eius intelligere & penetrare non possumus, potestati Sancti Spiritus humiliter reseruamus, vt non superbè quis audeat vel contemnere, vel non denuntiare quod non intelligit, sed hoc igni tradit cum Sancto Spiritui reseruat.*

### *Attingit humilitas mysteria, in quibus omnino cæcutit superbia.*

169 *Non remanebit ex eo quidquam, si quid autem residuum fuerit igne comburetis.* Diximus in præcedenti conceptu, quod si aliquid penetrare non possumus de mysteriis supernaturalibus, humiliter nos submittentes diuino spiritui, omnia ei committamus, sed quid inde? an hoc modo eorum cognitionem consequemur? quidni? humilitas enim eorum habet notitiam, in quibus omnino cæcutit superbia, fauet cit. sanctus Pontifex Cit. Summ. Pontifex. 20. moral. c. 9. *Plerumque humilitas ea etiam electorum sensibus aperit, quæ ad intelligendum impossibilia esse videbantur; nam peruersæ hæreticorum mentes, cum sibi superbe intellectum tribuunt, quasi certas dare sententias etiam de incognitis præsumunt, vnde fit vt ipsa nos elatio, quæ intus apud semetipsos eleuat, à veritate foras repellat, vix que vt Dei dictis exteriora capiant, qui se secreta spiritualia penetrasse singulariter putabant: at contra hi qui in sancta Ecclesia veraciter sunt humiles & veraciter sunt docti, norunt de secretis cælestibus, & quædam considerata intelligere, & quædam non intellecta venerari, vt & quæ intelligunt veneranter teneant, & quæ* C *needum intelligunt humiliter expectent.*

### *Fidei nostræ aduersariis illudentibus mysteria illius non diuulganda.*

*Non remanebit ex eo quidquam vsque mane.* Licet aliquid remaneat, nonne omnibus his libertas præferenda? si quid ergo residuum fuerit, relinquatur in Ægypto, vel secum deferant Israelitæ. 170
si mysteria vel incarnationis vel alia fidei nostræ intelligenda veniunt per huiusmodi carnes agni. merito eis præcipitur, vt si quid residuum fuerit, igne comburatur, non enim vel in Ægypto relinquendum est, vel in exteras regiones deferendum, quia mysteria fidei nostrę non diuulganda aduersariis illius. mens est Greg. Nazianz. orat. Greg. Nazian. 42. *Nec quidquam efferemus, nec vsque ad mane relinquemus, quoniã ne ad exteros quidem magna mysteriorum nostrorum efferenda est pars: quod ita intellige, nempe quod externis, hoc est fidei nostræ aduersariis, ac dogmata nostra suggilantibus, impertiendum non esse fidei nostræ mysterium.*

### *Toto animi nisu virtuti insistendum.*

*Non remanebit ex eo quidquam vsque mane.* Absumi vult omne sacrificium, neque aliquam ex eo 171
particulam remanere vsque ad tempus matutinum, sed quid refert vtrum aliquid seruetur? nonne itineri faciendo cibi sunt necessarii; si aliquid ergo seruarint eis cedet in alimentum, dona sua non vult Deus esse otiosa. sed à nobis absumi,

& ideo ea nobis largitur, vt & nobis sint visui, & cum eis proficiamus, sic Orig. hom. 5. in Exod. qui etiam in hunc sensum adducit legem datam sacerdotibus, nimirum in partem illam hostię quæ in visum sacerdotibus, vel offerentibus dabatur non asseruarent vt longum tempus, sed statim absumerent: Leuit. 7. cuius carnes eadem comedentur die neque remanebit ex eis quidquam crudum vsque mane, amat enim Deus homines diligentes & eos qui profectum non differunt, subijcio verba Orig. *Os tuum quidem offert sacrificium laudis, sed mens tua pro sterilitate hesterna carnis arguitur*, expende *pro sterilitate arguitur*, non vult dona esse sterilia nec otiosa, sed fœcunda, sed vtilia. Leuit. 7. Origenes.

### *Arcana Eucharistici agni curiosius non perscrutanda.*

172 *Non remanebit ex eo quidquam vsque mane, si quid residuum fuerit igne comburetis.* Quid illud residuũ? ait Aug. ossa, quæ igne comburenda sunt, cur hęc non insumenda, sed adurenda lex præcipit, imo nec confringenda? dicitur enim inferius, neque os illius contringetis: cur non infringenda, in illis enim aliqua continetur medulla, quæ gustui non est insipida? Arnold. Carnot. tract. vltimo de septem verbis Domini hoc refert ad ea quæ sunt difficillima in Eucharistico sacramento, quæ quidem non curiosius debemus cogitatione insectari, sed reseruare ea cognoscenda supremis illis spiritibus, qui ignis dicuntur, propter feruorē Charitatis, & sic os illius confringit qui speculatione assequi intendit arcana Eucharistica, quæ omnem captum excedunt, cur ergo tantam rei altitudinem assequi præsumamus? hæc ex Arnoldo accipe. *Carnem igitur hoc modo comedimus, ossa vero igne comburimus, quia sacramenta quidem quæ quasi diuinæ virtutis caro sunt, & veritatis integumenta visibiliter secundum suam speciem percipimus & sumimus, ipsam vero substantiam secundum intelligibilem & inuisibilem statum, firmam omnino & solidam neque frangimus omnino neque minuimus, sed flammis ingerimus, id est spiritualibus intelligentijs commendamus, quod spiritus & vita sunt in diuinis mysterijs, neque fas est intellectu humano tantæ rei confringi notitiam, quam interim intra se Spiritus Sanctus colligit.* Arnoldus.

### *Sapientiæ diuinæ reseruanda quæ in hoc sacramento assequi non possumus.*

173. *Nec remanebit quidquam ex eo vsque mane, sed quod residuum fuerit igne comburetis.* Cur igne comburendum quod iussum est iam igne torreri? S. Gaudent. tract. 2. sic hanc legem explicat, si humana ratio quippiam ex his quæ ad hoc mysterium pertinent, assequi non poterit, ad diuinam Sapientiam & amorem referendum: quid enim difficile potest esse ei, qui omnia nouit, & sine mensura & termino hominem amat? in quem sensum adducit illud, Deus noster ignis consumens est. id est si quid durum & asperum, & difficultatibus implexum vobis fuerit, referte ad Deum, scilicet ad amorem eius, benignitatem, potentiam, & sapientiam, & hac ratione omnia difficilia soluentur. *Si quid etiam (inquit) super fuerit, etiam nunc in vniuscuiusque sensu, quod expositione ista non ceperit, ardore concremetur quoniam Deus noster ignis consumens est purgans, & erudiens,* S Gaudent.

*& illuminans corda nostra ad intelligentiam mysteriorum diuinorum, vt & ipsius à Christo instituti sacrificij cœlestis causam rationemque noscamus in enarrabili dono eius sine gratias relaturi.*

### *Sic Eucharisticus agnus comedendus, quasi non amplius manendum esset in mundo.*

*Nec remanebit ex eo quidquam vsque mane.* Sic edendus agnus erat, vt nihil eius posset in crastinum reseruari, cur comedentes agnum legalem, de crastino cogitare non debent, sed potius credere, quod nullo iam die in Ægypto sunt moraturi? cur sic edendus? quia cum esset typus agni Eucharistici, nobis innuebatur quomodo erat comedendus, scilicet tanquam iam iam ab hac Ægypto idest mundo esset auolandum, sic enim quis salubriter agnum comedet, qui in crastinum superesse non credet: quod annotat S. Cyrill. Alexand. lib. 5. in Ioann. c. 10. explicans illa verba Euangelij Ioan. cap. 7. in nouissimo autem die magno festiuitatis, stabat Iesus, & clamabat dicens, si quis sitit veniat ad me & bibat ait, *nouissimus dies delicijs finem imposuerat, cum iam de reditu esset cogitandum, itaque eo die tanquam cæteris commodiore, ipse fons vitæ exuberantissimus omnes veram Dei cognitionem habere desiderantes dulciter inuitat vt ad se veniant & bibant potum illum salutarem*, expende, qui dies commodior ad potum salutarem pręstandum, nimirum dies nouissimus, cum iam de reditu cogitarent, vbi finitis omnibus nullius veniebat in mentem dies crastinus ad manendum, sed de reditu & de profectione iam instanti cogitabant, tunc opportunitas erat sumendi potus salutaris, & sane agnus proficit Eucharisticus, cum sic sumitur, vt non cogitemus de crastino, sed de discessu ab hoc mundo iam iam instanti. 174 S. Cyrill. Alexandr. Ioan. 7.

### *Non solum nuditas hominum peccatorum in Eucharistia operitur, sed quidquid necessarium est vnicuique, in illo habetur.*

*Nec remanebit ex eo quidquam vsque mane.* Præceperat ante, vt cum pedibus & intestinis caput agni comederetur, nunc autem vt ex eo nihil remaneat: an pellis saltem non remanebit? ita sentit Abbas Cellens. an adeps, an intestina etiam seruanda, an comedenda? cur cum his omnibus edendus? satisfacit cit. Abbas lib. de panibus c. 1. *in hoc Dominus conuiuio sanguinem, carnem, pellem, adipem, intestina, caput cum pedibus ponit, vt redemptio in sanguine, refectio in carne, vestis in pelle præstatur*, omnia tibi necessaria habes homo, in diuino cōuiuio, in eodem ferculo ministratur tibi cibus, quo reficiaris, & vestis qua opertus refulgeas: quod confirmat S. Bern. cit. in allego. Tum. in illud Matth. 26. dedit discipulis suis, &c. hoc est corpus meum, *ô datum optimum & donum perfectum descendens à patre luminum! Christus datus est nobis ad induendum, ad edendum, & offerendum sicut indumentum, sicut alimentum, sicut pretium:* nescit agnus Eucharisticus aliter dari, eo ipso quod suum corpus dare nobis dicatur, inibi & cibus datur nobis, & pretium, vestitus, quisquis accipis carnem Christi, iam inde pretium habes, quo te redimas, cibum quo reficiaris, indumentum quo induaris & tuam operias nuditatem. 1 Abbas Cellensis. S Bernard. Matth. 26.

*Variis virtutibus ornentur, qui agno Eucharistico reficiuntur.*

176. *Non remanebit ex eo quidquam mane.* Omnia ergo comedenda quæ esui sunt apta, caput & capitis aures, oculi &c. totum corpus, & corporis quælibet pars, cor & alia intestina, imo etiam pedes, vel vt alij habent genua, alij crura, alij fœmora? sed an in huiusmodi agni esu & singularum eius partium nempe oculorum, aurium, &c mysterium reperiemus, consideratione dignum? religio esset præterire quæ in his omnibus meditatur Procopius, ait ergo, quidā caput, alij manus, alij porro pectus capiunt, item alij eius edunt intestina, sunt qui nanciscuntur fœmora eius, sunt qui adipiscuntur pedes, quibus paucæ adhærent carnes: at singuli pro Spiritus sancti dotibus inde participant, similiter si vis etiam capitis recensere partes, quidam aures sortiuntur, scilicet vt habeant aures quas præbeant diuinis oraculis, quidam degustant oculos, quibus freti acute cernāt, ne offendant & impingant, quidā accipiunt manus, vt strenue operentur, nec habeant manus remissas, & ad dandum contractas: præterea vt capessant disciplinam, & corrigantur, quidam recumbentes in pectus eius, quasi huius esu illuminati cognoscant proditores Christi: qui autem se pascunt eius intestinis, hi inquam cum sint laboriosi, videbunt & peruestigabunt profunditates Dei, nam intestina habent spiras, & volumina varia, & vitam ministrant vniuerso corpori; talis est & ille qui sacrosanctis Christi mysteriis fuerit initiatus, siue occultum siue apertum incarnationis sacramentum, siue caput scilicet diuinitatem eius accipiamus, qui participes sunt fœmorum, carnem puram & mundam ab omni conseruant & tutantur labe, sequentes quocumque instituerit, ducem Christum; qui adhibiti sunt epulo pedum Christi, non amplius sunt tardi & ignaui cunctatores, imo festinanter currunt ad palmam supernæ vocationis Christi.

*Vera doctrina Christiana Eucharistici sacramenti non in longum tempus differenda.*

177. *Non remanebit ex eo quidquam vsque mane.* Imo cœna facta, si quid est residui relinquatur in ientaculum matutinum, cur ergo si aliquid ex agno remanserit, non seruabitur in mane? S. Gre. Nazian. orat. 42. in Pas. eius scholiastes Nicet. & ante eum Procop. per aliquid residui ex agno intelligūt doctrinam Christianæ pietatis, quid mirum igitur si lex præcipit, vt nihil mane seruetur? quia doctrina Christiana de Eucharistico agno in longum tempus differenda non est fauet Nicetas in comm. orationis 42. S. Greg. Naz. *Ex eo quod lex interdicit, ne quid ad matutinum vsque relinquatur, hoc nobis significatur differendam non esse, nec in aliud tempus reiiciendam veram atque perfectā mysterij huius cognitionē: nec iis qui semel illius participes effecti sunt committendum esse, vt plenā atque absolutam perceptionem sibi ipsis in minus serum gratiæ tempus reseruent: id autem faciunt qui per rudimentariam quidem institutionem Christianæ pietatis dogmata degustarunt, cæterum splendori illi quē baptismus affert nimiū longas morās producunt, hoc est ad senectutem reiiciunt, quare haudquaquā probanda est*

A *hi qui vere dilectionis participes sunt huiusmodi dilatio: verum quemadmodum lex Christi vult ista quidē præcipue nos omnino non vesci; hoc enim longe iniquissimum est: sin autem in eam animi perturbationem prolapsi fuerimus, vt ante vesperam saltem saporem eius primamus: ad hunc quoque modum hæc spiritualis esca, id est Christiana doctrina in vesperum diem minime reseruanda est, verum ilico admittenda.*

*Agnus Eucharisticus sic impleat hominem, vt illum aliis faciat præstare de abundantia.*

*Nec remanebit ex eo quidquam vsque mane, si quid residuum fuerit igne comburetis.* Si ad integrū agni esum euocati sunt ex aliis familiis vicini, cum ex propria non sufficiebant, tantusne erat; vt postquā tot homines de illo comedissent, adhuc aliquid illius superesset? sane lex illa non illius agni, sed cœlestis & diuini esum respiciebat, quo ita implendi erant fideles, vt non solum aliis de plenitudine communicare cogerētur, sed & igni tradere, hinc creuit ille mos receptus, quo hostia à sacerdote in tres partes diuiditur, quasi ipse non posset totam diuini epuli virtutem sustinere, nisi cum vicinis diuidat, quibus duas partes tribuat, id quod cecinit quingentis ab hinc annis Hildebertus Episcop. Cenomanensis in carmine de officio Missæ. 178.

Hildebert.

*Inde fit vt quoties sacras accedimus aras,*
*Particulis cedat hostia fracta tribus,*
*Pars intincta mero, pro viuis erat, opusque*
*Sanguinis & carnis expiat ipsa caro,*
*Pro bene defunctis, quorum purgatior vnus*
*Hoc interuentu non eget, alter eget,*
C *Offerimus tibi summe Deus sed propter eosdem*
*Oblata pariter non operantur idem,*
*Hostia pro iustis laus est, pro sanctificandis*
*Munus, pro reliquis causam agit alterius.*

Ecce tibi non vnus sufficit homo haurire bona agni Eucharistici, sed eo ipse impletur, vicinis sanctis siue qui gloriosa iustitia in cœlo fulgent, siue qui in purgatorio expectant, partes cogitur impartiri, & quasi hi omnes non ad illius esum sufficere possent, quod residuum fuerit igne comburitur.

*Pauperes & egeni à festis & conuiuiis nostris non expellendi, sed potius ad ea vocandi.*

*Non remanebit ex eo quidquam vsque mane, si quid residuum fuerit igne comburetis.* Et si quid residui superfuerit, cur igne comburendum? nonne plurimi sunt pauperes qui vocati adesse poterūt cōuiuio vestro legali, vt nihil residui maneat? ita sane & hæc fuit mens legislatoris, inquit Theod. q. 24. in Exod. *Admonet enim vt reliquiæ carnis comburantur, nec seruētur in diem posterum, hoc pacto compellens illos accersere egenos ad festum communiter celebrandum.* en vt pauperes à cōuiuiis nostris, & solemnitatū celebratione non expellendi, sed potius ad ea vt illorū sint participes, cōuocandi. 179.

Theodoret.

*In patibulo crucis Deus nihil pertulit patientis sensu, sed compatientis affectu.*

*Non remanebit ex eo quidquam vsque mane.* Quia caput cum intestinis & pedibus comedendum, indignum forte tantæ maiestatis præcepto duces 180.

fuisse, quod vilissimos edacis populi cibos, cum pedibus coniungi, & intestina purgari, Spiritus sanctus ordinaret: sed iã vidimus sub literæ cortice mysteria. nam agnus ille est de quo Ioannes Baptista, ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, in quo agno per caput diuinitatem oportet intelligi, de quibus etiam absque dubio pedi-
Sapien. 15. bus Sapientia Salomonis insinuat dum c. 15. ait, & pedibus figulus vertens rotam, & quid est figulus? nisi ille qui de terræ plasmator limo iussit esse ex nihilo, quid pedibus? nisi quod assumpti hominis disciplinis orbem totum ad salutaria instituta conuertit? de qua rota in Psal. legimus, vox
Psal. tonitrui tui in rota, id est per totam mundi vox Euangelij percurrit, de hac humana sapientia in-
Etherius Vxamensis. Beatus Presbiter. Psal. 67. quiunt Etherius Episcop. Vxamensis, & Beatus Presbyter aduersus Elipandum Archie. Toleta. lib. 1. in Psal. 67. est sermo, vt intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso, vt intingatur pes tuus in sanguine, id est homo assumptus in sanguine, sed cur dicunt hominem assumptum in sanguine? respondent. *Non enim natura cælestis crucis sensit iniuriam, sed pes conditionis humanæ in sanguine passionis intinctus est, in illo enim patibulo nihil pertulit Deus patientis sensu, sed pertulit compatientis affectu, nihil pertulit pro diuersitate, sed pro vnitate personæ, nihil Deus pro infirmitate passus est, sed pro dignatione compassus est.*

### *Agnus immaculatus, scilicet Christus, non diuidendus in Filium Dei, & in Filium adoptiuum.*

181. *Non remanebit ex eo quid quam vsque mane.* Et quomodo seruarent, si caput cum pedibus & intestinis in principio noctis comedere debẽt? seruabunt equidem, si caput nocte, si mane pedes ederentur: an diuidi potest hic agnus? diuisit sane Elipandus Archiepis. Toletanus, qui secundum caput Deum quidem esse & Filium Dei naturalem, secundum autem humanitatem Filiũ adoptiuum esse dicebat: diuisit equidem, sed malè, sed hæreticè, nam si Christus non vnicus Dei Filius sed secũdum caput idest diuinitatem esset Filius Dei naturalis, & secundum pedes id est humanitatem esset solum Filius Dei adoptiuus, nõ vnus agnus esset, sed duo agni, quod late prosequuntur
Citati duo Auctores. citati duo auctores lib. 1. *Ecce agnum figuraliter pronuntiat scriptura sacra & in capite agni diuinitatem Christi & in pedibus agni humanitatem Christi intelligere Spiritus sanctus præordinauit, & vnus agnus, qua temeritate diuiditur? ter si secundum caput est alter agnus, & secundum pedes alter, quomodo est vnus agnus qui tollit peccata mundi?* deinde, *cum hunc agnum Ecclesia in medium protulerit, & tu dixeris adoptiuus est secundum pedes, & nequaquam secundum caput, iam hæc illusio tua non valebit, quare, quia vna persona & vnus agnus non poterit esse proprius Filius, & ex parte adoptiuus id est ex parte Filius; & ex parte non Filius, & ex parte Deus & ex parte non Deus: non diuidas, non rumpas, non scindas, omnibus integer abundat omnibus, solus sufficit, & tamen licet diuidere coneris eum, diuidere non poteris, inseparabilis vnitio est, talis facta est illa susceptio quæ Deum hominem fecit, & hominem Deum, & ex vtroque vnum Christum.*

### *Quæ sunt solidiora in scriptura sacra, non relinquenda, sed intelligentiæ diuini Spiritus tradenda.*

*Non remanebit ex eo quidquam vsque mane, sed quod residuum fuerit igne comburetis,* addiderunt Septuaginta, *os non conteretis ex eo.* Sane omne corpus diuinæ scripturæ tam veteris quam noui testamenti, Filium Dei cõtinet, vel futurum promittens in hominem vel iam venisse declarans, vnde S. Philippus inuẽtus à Christo inuenit Nathanael & dixit, quem scripsit Moyses in lege & prophetis, inuenimus Iesum Filiũ Ioseph à Nazareth, & quid plura? in ipso cõtinetur omnis lex & vetus & noua &c. has immaculati agni carnes id est doctrinæ eius viscera neque cruda sine interpretatione sumi oportet, nec cocta in aqua, id est eorum dissertione dissoluta, neque decocta, quæ velut aqua deorsum fluũt quæ nihil supernũ sentiant, sed assata igni, id est Spiritu diuino solidata atque tosta, ignis enim sursum tendit, vnde dicebat Dominus Iudæis Ioann. 7. *Vos de inferioribus estis, ego de supernis sum.* Sed cur quod superfuerit non relinquẽdum vsque mane, sed igni comburendum imo nec os illius confringendum? respondet Brixient. Epis. tract. 2. de lectione Exod. *Si qua mysteriorum superauerint in mane illius resurrectionis manifestanda, quæ modo capere non possumus, modo enim scio ex parte inquit Apost. 1. Corin. 13. tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum, hæc igni cremanda sunt, id est diuino tradenda Spiritui, vt ea quorum rationem modo non capimus, ardentis fidei Spiritu consumantur, quod autem dixit os non conteretis ex eo, hoc præcipit vt omne quod est in scripturis robustius atque validius, non conteratur neque quassetur, sed solidum maneat, quod præceptum non custodientes merito væ excipiunt ab eo cuius ossa comminuunt, væ vobis, inquit Scribæ & Pharisæi Matth. 23. qui decimatis mentam & anetum & cyminum & reliquistis, quæ fortiora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem, hæc sunt ossa agni.* 182.
Ioann. 7.
S. Gaudent.
1. Corint.
Matth. 23.

### *Verbum Dei quis comprehendere poterit?*

183. *Non remanebit ex eo quidquam vsque mane, sed quod residuum fuerit igne comburetis,* Sept. addiderunt, *os non conteretis ex eo.* Quod delictum in ossibus conterendis, vt ex eis eliciatur medulla? Cyrill. in Cat. Græca apud Lipp. per os verbum Dei Filium Patris intelligit, quid ergo denotabit, quod os agni confringendum non erit? satisfacit cit. Alex. *Quid hæc sibi velint ossium natura declarat quæ nostris dentibus confici commanducarique nequeunt; id nobis esse verbum Dei significant, atque adeo inuolutum vt ab humana mente capi non possit: nam quod Filius Dei sit de patre genitus, credimus nihil præter ea comprehendentes, qui vero in sua temeritate confisi quæ alioqui recta sunt detorquent, & curiosiores circa vnigenitum disseminant hæreses, ij quantum est in seipsis ossa conterunt agni.*
Cyrillus Alexand.



## *VARIETAS LECT. Vers. 11.*

*VVlg.* Sic autem comedetis illum, renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter, est enim Phase, idest transitus Domini.

*Cald.* Lumbi vestri sint accincti, &c. est enim Phase coram Domino.

*Sep.* Comedetis cum festinatione, Pascha est Domino.

*Pagn.* Baculus vester in manu vestra, Pesach A est Domino.

*Arias.* Comedetis eum cum festinatione transitus ipse Domino.

*Oleast. sic explicat: Pesach.* Est signum saltus Domini.

*Tertul.* Est enim passio Domini, *idem habent Irenaeus, Naz.*

*Ambr. de celebrat. Pasch.* Comedetis eum cum sollicitudine *Theodot.* vertit πασχα.

*Symma.* Est enim transcensus Domini.

## *CONCORDIA.*

NOster Vulg. posuit *idest transitus* quod tamen non est in Hebraeo, Caldaeo aut Sept. tamen sapiente consilio, id ab eo est additum, ne vox peregrina quo ad significationem maneret obscura significat Phase seu פסח pesah: transitum à radice פסח pasah, quod transire, transilire significat. eadem vox est Pascha, sed habens terminationem Caldaicam, cum א in fine. Phase igitur dicitur transitus; Oleast. autem sic ait, significat pasah proprie saltare, potiusquam transire, & pesah saltum, quod ea nocte Dominus saltaret domos Israelitarum. cum enim domus Iudaeorum essent sitae inter domos Aegyptiorũ, opus erat saltare ab vna domo Aegyptiorum ad aliam relinquendô in medio domos Iudaeorum, C vnde pisah idest claudus sic dictus, quod quasi saltando incedat, & sensus est, victima haec seu sanguis eius est pesach idest signum saltus Domini: nam cum Dominus videret sanguinem statim in aliam domum saltabat. verum est certe quod פסח pisah vocetur claudus, & פסח saltare tamen non magis propriè quam transire seu trãsilire: scio quod Tertulianus lib. contra Iudaeos videtur dicere Pascha non esse Hebraeum sed B Graecum nomen, illud enim ἀπὸ τοῦ πάσχειν, id est à patiendo deducit, idem indicat Irenaeus lib. 4. c. 23. & Naz. oratione 2. de Pascha, quod probat ex eo quod si Pascha esset Hebraeum non Graecum, dicendum esset Phascha non Pascha, veteres enim Hebraei non habebant pe durum, sed phe molle, siue Arabicum, hinc enim dicimus Phares, Pharao, Pharisaeus: nõ autem Pares Parao Parisaeus: sane hi patres non ad litteram sed mystice loquuntur, & symbolicè, volunt enim non sine Dei consilio, hanc vocem Paschá inuentam esse, quae tam Graecè quam Hebraicè etymologiam habet rei maxime consentaneam, argumentum Naz. non est validum, nam non tãtum Graeci, Syri, & Caldaei, sed & ipsi Hebraei posteriores, pro phe initio dictionis, semper vsurpant pe, semper enim pe initiali insigunt daghes durum, vt patet ex eorum grammatica, illa autẽ particula causalis enim quae hic additur, non est in Hebraeo, Caldaeo, Sept. rectè tamen intelligi potest reddi ratio, cur praeceptum sit hoc sacrificium Paschatis, vt scilicet Hebraei in illa Aegyptiorũ clade, immunes reddãtur, vel certe dicendum *enim* poni pro *autem*, vt aliàs nonnunquam. Tertul. Iren. Nazia.

## EXPOSITIO.

S*Ic autem comedetis*, hic enim est ritus se tenens ex parte comedentium agnum, *renes vestros accingetis*, Iudaei olim sicut etiam & modo Orien- D tales lõgis vtebantur vestibus, quas proinde dum iter faciebant, ad renes succingi & reduci oportebat, vt ad ambulandum expeditiores essent: totus enim iste habitus & apparatus corporalis Hebraeorum in edendo agno Paschali significabat eos ad iter festinanter faciendum promptissimos esse debere. *calceamenta habebitis in pedibus vestris*, nota hypallagẽ Hebraeam idest habebitis pedes in calceamentis, siue calceatos; sic dicũt Hebraei, miserunt ciuitatem in ignem, idest miserunt ignem in ciuitatẽ eam succendendo. sed cur opus fuit praecipere Hebraeis, vt haberent calceamenta in pedibus suis, nam sine calceamentis nõ incedebant Hebraei. scio aliquos respondere illud praeceptum intelligendum esse de calceamentis non quibuslibet, idest domesticis vel vrbanis, sed de iis quae vsui esse possẽt ipsis qui ingressuri essẽt pedibus suis iter lõgum & laboriosam, vel quod calceamẽta in calidioribus illis regionibus multi non gestabant, ad iter tamen per aspera maxime & senticosa loca, ea omnino fuisse eis necessaria, vel quod cum hactenus Hebraei quasi mãcipia in Aegypto nudis incedebant pedibus, ad agros & opera sua durissima, nunc iubẽtur calceati incedere, instar ingenuorũ & liberorũ, *tenentes in manibus baculos*, baculus sane viatorũ est, atque adeo totus qui hic exprimitur habitus viatorum. *& comedetis festinanter* sane festinatio etiam illa symbolum expeditorum ad iter, & ad illud festinantium fuit.

Aduerte has omnes caeremonias deinde repetitas fuisse in memoriam scilicet illius prioris in Aegypto comestionis & beneficij cum accepti: ex hoc quod tenerent in manibus baculos comedentes, potes deducere stantes comedisse, nam si discubuissent cum in sinistrum brachium eis recumbẽdum esset, si dextram manum baculis armassent, quid illis residuum fuisset ad cibos apprehendendos, & ori apponendos? cum calceam

prodimus impedimenta sunt accubitus, olim enim qui accumbebant calceos deponebant, ne strągula fœdarent, imo & pedes lauabant, vt patet Iudicum 9. vnde & Magdalena Christo accumbenti lauit pedes; sed instabis Matth. 26. dicitur Christus celebrans Pascha discubuisse, ergo non stetit: respondeo Christum de more Iudæorum in cœna agni stetisse, sed discubuisse in cœna communi, quæ cœnam agni sequuta est.

*Est enim Phase (idest transitus) Domini*, de hac voce Phase an sit Hebræa vel Græca, & quid significet abunde diximus in concordia, solum restat discutiendum de quo Phase vel transitu est sermo, quadruplex enim assignatur, primus est Angeli percussoris, quo pertransiit totam Ægyptum, secundus eiusdem quo pertransiit domos Hebræorum inscriptas sanguine, easque dimisit illæsas, tertius Hebræorum quo transierunt ex Ægypto in Palæstinam: quartus eorumdem qui transierunt mare rubrum. probabilissimum est Phase à secundo Angeli transitu deriuari, ac dici, immediate enim hîc dicitur, quod Angelus percussor citato quasi gradu, & intercisa plaga, qua totam Ægyptũ affligebat, domos Hebræorum transiliisse, verum est tamen quod mediate & finaliter significat transitum Hebræorum ex Ægypto, ad hunc enim quasi ad finem dirigebatur hic transitus Angeli.

Non silentio prætereundum quod Phase vel Pascha trifariam vsurpatur in sacris literis, vno modo pro ipso agno Paschali, & ita sumitur Luc. 22. cum dicitur immolare vel comedere Pascha, & 1. ad Corint. c. 5. Paulus dixit, Pascha nostrũ immolatus est Christus, altero modo nomen Pascha positum legimus, pro ipso festo Paschali, & appellatur festum Paschæ, vt apud Ioann. c. 6. 13. & 18. quin etiã pro vniuersa solemnitate azymorum, quæ in septem dies extendebatur, hoc modo accepit S. Lucas Act. 12. scribens de Herode, apposuit vt apprehenderet & Petrum, erant autem dies azymorum, quem cum apprehendisset misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum; volens post Pascha producere eum populo: post Pascha dixit, id est post septimanam celebritatem Paschalem, & solemnitatem azymorum, tertio tandem modo interdum accipitur pro sacrificiis Paschalibus per singulos septem illorum dierum fieri solitis, quorum vbi fuerint oblata Deo, pars etiam ad eum pertinebat offerentium.

Quot modis Pascha sumitur.

1. Corint. 5.

Actu. 12.

## CONCEPTVS.

*Qui baculo gratiæ non sustentatur, ad agnum Eucharisticum accedere non potest.*

184. *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis &c. baculos in manibus habentes.* Quorsum baculi inter conuiuandum, qui potius ad iter agendum requiruntur? an quæso ad canes abigendos ne importuni sint dum mensæ accumbitur? crediderim vt qui ad illud conuiuium Eucharistici symbolum accessissent, suis se baculis firmiter sustentarent ne ruerent, hoc est vt non solum firmi starent in fide, sed etiam in nullam degenerem cupiditatem laberentur, quod mihi videtur S. Greg. Naz. oratione 2. de Pascha significasse. *Lex (inquit) fulcientem baculum tibi præscribit, nec vbi animo titubes, dum sanguinem Dei & passionem ac mortem audis, ac dum Dei patronus ac defensor videri cupis, impie corruas, [illegible] potius sine pudore ac confusione corpus ede, sanguinem bibe, si modo vitæ desiderio teneris, nec sermonibus de carne fidem abrogans, nec ad eos qui de passione [illegible] impingens, [illegible], sis firmus, & stabilis, atque ita comparatus vt nulla in re [illegible] ab aduersariis, in fastigio tuo [illegible], in atriis Hierusalem pedes statue, in petra [illegible] vt tui secundum Deum gressus non moueantur.* Ergo qui in scelerum volutabrum ciciderunt, & in eo iacent si detinentur, ad hoc conuiuium accedere maxime vereantur.

S. Gre. Naz.

*Corporis voluptates coercendæ, ad Eucharistiam accipiendam.*

185. *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis.* Quorsum lumbos accinctos esse oportet cum conuiuio indulgendum? nam hoc nec ad sapidiores cibos reddendos, nec ad excitandum appetitum pertinet: nihilominus merito cum agnus edendus præcipitur, renes præcingi lex imperat, eo enim denotatur, quod accessuris ad agnum Eucharisticum omnis intemperantia coercenda est & frænanda, sic enim S. Greg. Naz. cit. orat. *Tibi per zonam [illegible] intemperantiam [illegible] ligatur pars illa quæ libidine [illegible], ac velut binnus [illegible], ita fiet vt mortificatis membris quæ sunt super terram Pascha [illegible] solitarij illius Ioannis & præcursoris magnique veritatis præconis præcinctionem imitans.* Quo pacto enim concupiscentiis æstuanti, & prauis libidinibus efferuescenti ad illud frumentum electorum & vinum germinans virgines patebit accessus? an purior animus noster quam Christus? si igitur animus noster tabidum, & vlcerosum, ac debitis dispositionibus exutum corpus deserit, quo pacto Christus D. animam sordidam, inquinatam, multisque sceleribus infectã ingredietur?

Nazianz.

*Baculi necessarij sunt vitiosis coercendis, non autem mansuetis & pacificis.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, &c. baculos in manibus habentes.* Ecce Hebræis Pascha in Ægypto celebrãtibus, baculos in manibus habere præscribitur, Apostolis autem veris Israelitis, eos perferre denegatur. Matth. 10. nihil per viam tuleritis, neque calceamenta, nec virgam. cur quod iubetur vni alteri denegatur? quia videlicet illis tẽpe Israelitis in Ægypto agẽtibus, & cum seruilibus Ægyptiis affectionibus luctantibus, timoris baculo opus erat, Apostoli vero, & qui ab ipsis excolendi erant non timore sed charitate duci, & in viros perfectos efformari debebant, rem hic verbis adnotauit Gaudentius Brixiensis Episc. tract. 5. in Exod. *[illegible] & baculo, Pascha adhuc in Ægypto celebrantis, [illegible] sanctum Moysis [illegible] idest intellectum Israelitem qui Deum videre [illegible] liberum [illegible] Ægyptiis [illegible] propter se [illegible] quisque quãdiu sernus legi: si quis vero est Apostolicus* 186.

Matth. 10.

Gaudent.

*& per Iesum prostrato Ægypto magnus factus ac potens, non iam propter se baculum portat, sed propter eos quibus dicere necesse est, quid vultis in virga veniam ad vos an in charitate & Spiritu mansuetudinis?* 1. ad
1. Corint. 4. *Corint. 4. porro & propter eos qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, Matth. 7.* Vbi bene illud, *per Iesum prostrato*
Matt. 7. *Ægypto magnus factus ac potens &c.* Quasi à pædagogo liber & à lege minitante, tanquam à seuero patre emancipatus, dum Spiritu & charitate ducitur in virum sublimem euasit, vnde statim Prælatis & Apostolicis doctoribus, tale monitum subiicit. *Quod si lupus desinat esse lupus, & cum agno pascatur Isai 16. & si leo desinens esse leo, cum boue manducet paleas, baculo opus non est, si enim ferarum morum nequitia in tantam vertatur mansuetudinem, vt cum ouiculis innocentibus ac mundis Christi operarius, vitæ pabulum mites quærant & capiant, & tales vtique sint qui in charitate & Spiritu mansuetudinis ad perfectum debeant erudiri, dicitur à Christo Apostolicis quibusque sacerdotibus, vt neque baculos correptionum portent in via, quando in discipulis obedientibus ac modestis terram sanctam iam possidere cœperint.*

### *Virtus consecutione facilis.*

187. *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis baculos in manibus habentes &c.* Quæ omnia & quæ sequuntur, celeritatem denotant, Hebræi vtebantur demissis vestibus, & præcingebant se, dum viam ingrederentur, & calceamenta habebitis, vt celerius incedatis, quàm si vobis deessent: tenentes baculos quibus vtuntur illi qui pedibus iter agrediuntur, & comedetis festinanter, vt ipso habitu & motu, gestuque corporis, celeritatem præ se ferant, est enim Phase, idest transitus Domini, ipsum quoque nomen festinationis, præ se fert. Cur omnia tanta cum celeritate perfici debent? sane Israelita ita comedens, denotat hominem virtuosum, qui valedicens huic mundo, tendit in terram promissionis, imo hæc omnia indicant virtutem, quæ per dictionem Phase significatur, facilem esse, quam per transitum possumus obire, & tanquam aliud agentes, neque opus esse diutius immorari in ea, sed facile & sine difficultate ad eam possumus peruenire, hoc
Philo. dixerim ex Philone lib. de sacrificiis Cain & Abel his verbis. *Accingamus igitur & expediamus nos ad agendas omnipotenti gratias, reddendumque illi sine mora honorem debitum, præceptum est enim transeuntibus ad effectum à virtutis meditatione, vt accinctis lumbos Pascha celebrent, expediti ad ministrandum & induti calceamenta, quibus carnem mollem ratione contineant, stentque recti firmis pedibus, & disciplinam habentes virgam in manibus ad dirigenda citra errorem vitæ negotia.*

### *Ratio nostra temperantiam dirigat circa cibum & potum sumendum.*

188. *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis.* Accinctos iubet legislator ad mensam accedere, cum tamen hic habitus non satis aptus sit qui pransuri sunt, imo vero etiamsi aliàs accincti in-
cit. Philo. cedant, discincti accumbunt, quia eo tempore maxime corpus laxare ac curare solemus. Philo cit. lib. 2. de alleg. legis per filios Israel discedentes de Ægypto, eos significari autumat, qui virtuti incumbūt, relicta seruitute, hos maxime & imprimis decet accinctos ad prandium accedere, id est multa moderatione & parsimonia cibis indulgere: sed quodnam est cingulum, quo præcincti esse debent huiusmodi conuiuantes, ne delitiis ciborum capiantur? sane ratio est, quia hic vel maxime rationem iudicem adhibere debemus, cum accedimus ad conuiuia ne nos appetitus edendi abripiat, & in præceps detrudat. audiamus Philonem. *Affectus enim postulant nos accinctos esse non vtique cinctura laxiore, quapropter etiam de transitu per eos qui Pascha nominantur præceptum extat, quo monemur lumbos præcingere siue adstringere concupiscentias: paxillus hoc est ratio constituat affectum, ebullaturus ne se effundat, sic enim fiet vt solis contenti necessariis, abstineamus à superfluis, vt vel in conuiuiis atque paratu rerum copia qua ad vsum simul & luxū satis sit, rationem adhibeamus, quæ nos tanquam scutum protegat, vt neque vltra modum cibis pari modo ingurgitemus, neque nimio mero expleti per ebrietatē in delirationem prolabamur: nam ratio compescet refrenabitque procliuiorem talis affectionis impetū: ipse quidem sæpe hoc mihi vsu venisse memini, accedens enim ad indisciplinata conuiuia, mensasque sumptuosas, nisi rationem mecum adduxissem, mancipabar rebus apparatis abstractus à Dominis immansuetis, videlicet qui spectatu, auditu, odoratu, gustuque voluptatem pariunt.*

### *Tanto affectu desiderabat Christus Dominus pro hominibus sanguinem fundere, vt hunc diem quo pati debet, suum appellet.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis* 189.
*&c. festinanter comedetis, est enim Phase (idest transitus Domini.)* Alij Pascha est Domini, si Tertullianus cum aliquibus aliis sanctis patribus per Pascha intelligit passionē Christi, cum omnia festa Iudæorum & annuales celebritates Deus instituerit, quid est quod peculiariter Pascha seu Phase Domini dicitur? nonne eo tempore Iudæi mactabāt agnum, qui Christū in cruce immolandū denotabat? recte ergo Phase siue Pascha Domini hic dies dicitur à Spiritu sancto, vt quanto cum gaudio Christus sanguinē suum daturus esset pro humano genere, significaret, cum inter festa hoc peculiariter suum appellet. ita sētit Tertul. lib. 4. contra Marcionem c. 40. *Proinde sciit quando pati oporteret eum cuius passionē lex figurat, nam è tot festis Iudæorum Pascha diem elegit, in hoc enim sacramentū pronuntiarat Moyses Pascha est Domini, ideo & affectum suum ostendit, concupiscentia concupiui Pascha edere vobiscum ante quam patiar.*

Tertul. Septimius.

### *Sic agnum Eucharisticum comedamus, quasi de hoc mundo in æternam patriam transituri.*

*Sic autem comedetis, renes vestros accingetis, & cal-* 190.
*ceamenta habebitis in pedibus vestris, & comedetis festinanter.* Quæ sane omnia celeritatē & transcursum in via significant, quo ostendit Deus velle se significare, vt qui ad diuina mysteria accedunt, habitū gerant viatorū, qui tamen ad terram promissam properāt. sed cur tanta cum celeritate de Ægypto egressuri agnum legalem comedere tenentur? vt denotetur, quod quicumque agnū Eucharisticum manducaturi sunt, ita debēt esse expediti, quasi iam exituri de hoc mundo, & in terram viuentium, nempe in cœlestem patriam peruenturi. hoc deprompsi ex auctore operis imper- Auctor operis imperf.

fecit hom. 54 in Matth. *Propterea Iudæi (inquit) exituri de Ægypto expediti & præcincti agnum iussi sunt manducare, & ad exeundum parati ostendentes nobis quomodo quicumque nostri Eucharistiam manducant, ita debent esse expediti quasi quotidie exituri de hoc mundo.*

*Accessuri ad agnum Eucharisticum sanctorum exempla, qui eum digne comederunt, imitemur.*

191. *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis calceamēta in pedibus habentes.* Cur calceatos iubet accedere ad agnū legalem comedendū? videtur enim quod potius discalceari deberent, ne strata fœdarent, accumbentes mensæ: videamus quid sit calceamēta in pedibus habere in sensu morali? nonne ex demortuorū animaliū exsiccato corio fiunt? quo posito, S. Eligius hom. 14. sic satisfacit. *Calceamenta in pedibus habeamus, idest operum*
S. Eligius. *nostrorum gressus exemplis sanctorū patrum muniamus, nam sicut calceamentis quæ ex mortuis fiunt animalibus, pedes corporis circundamus, sic sanctorum patrum, qui iam discesserunt, exemplis, sensus animæ & actuū nostrorū pedes circundare debemus, ne fœdo prauitatis luto deturpemur.* En vt secundum Eligium calceamēta ille habere dicitur, qui sanctorū iam vita functorum sequitur exempla, quamuis enim vtile sit omnibus sanctorum sequi & discutere facta, & sibi ante oculos inspicienda obijcere, iis tamen præcipue conuenit, qui ad agnum accedunt Eucharisticum, vt in illorum sanctorum exemplis videāt, quanta animi puritate adierint.

*Magno cum animi timore agnum Eucharisticum sumamus, vt inde non exigua*
192. *afficiamur consolatione.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, baculos in manibus habētes.* Baculo alijs metum incutere debemus, vel alios ferire, cur ergo præcipit lex, vt teneant baculos agnū comestur.? an vt aliquem ex Ægyptijs feriant, vel alicui ex familia metū incutiāt Hebræi? non crediderim, cur ergo tale eis datur mandatū? sane etenim res importuna est baculū in manibus habere, cum mensæ accumbitur. sed cur non iuberentur baculos in manibus habere, agnū legalē comesturi? cum enim sit typus agni Eucharistici, eisdem baculis armati esse debemus, quia multo cum timore & terrore animi huic mensæ sacramētali accumbere debemus, ne nimia lætitia resoluti, quantum periculum nobis immineat, nisi deuota mente & multa animi puritate Eucharistiam sumamus, perpendere non possimus: pendamus ergo animo quantam animi puritatem exigat Christus, sub hoc sacramento delitescens, quantumque nobis periculum immineat, si indignē huic mensæ accumbamus, qui animi timor in hoc baculo præfiguratur: doctorem huius veritatis cit. Eligium eadē
Nouiomen. Episcop. hom. *Et baculos necesse est in manibus teneamus, vt in cunctis, quæ agimus timorem Dei viui præ oculis habentes. secundū ipsum, opera nostra dirigi postulemus, cum Psalmista dicente, respice Domine in seruos tuos*
Psal. 21. *Psal. 21. vt iterū cum eodē dicere possimus virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* In virga timorē, in baculo consolationē notat, quæ duo quanquam diuersa, imo & aduersa videantur, nihilominus in Eucharistiæ susceptione iungūtur, nam ille qui cum virga, idest cum timore ad hanc mē-

A sā decūbit, ille baculū idest cōsolationē accipiet.

*Tanquam peregrini in hoc sæculo caducis rebus non inhærentes, agni Eucharistici conuiuio accumbamus.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis &c. & comedetis festinanter.* Tanquā viatores qui non diutius immorari debent in aliquo loco, sed alium petere, quid est quod Deus tantopere satagit vt viatoribus similes simus cum ad agnū Eucharisticū accedimus? nonne propriū est viatoris & peregrini, singulis diebus noua quærere habitacula, obliuiscentis quæ retro sunt, paruique pēdentis ea, nullique firmiter adhærentis? quid mirum igitur si more viatorum, vult nos esse Deus, cum ad sacramentum corporis accedimus? quia tanquam peregrini in hoc sæculo nihil possidentes, rebusque caducis non inhærentes, sacramen- 193.
B tali mensæ debemus accūbere: cōsentit Episcop. S Eligius.
Nouiom. *Nec prætereundum quod dicitur comedetis festinanter, festinātur namque Pascha comedimus cum nos hic non habere certam mansionem recolentes, quotidie de festinantis & etiam iam imminentis fine suspendimur, assiduè meditantes quod, incolæ super terrā & peregrini sumus, vt enim ait Apost. non hic habemus permanentem ciuitatem sed futuram inquirimus.*

*Casti & mundi ad agnum Eucharisticum sumendum accedamus.*

*Sic autem comedetis, renes vestros accingetis.* Si sunt ex Ægypto iamiam discessuri, certū quod nō demissis & longis vestibus vtentur minime idoneis ad iter faciendū, eas ergo succingi & reduci oportet, ne illis sint impedimento: non est dubiū quin per id quod iubetur, quod renes accinctos habeant, moraliter denotetur castitas, iuxta men- 194.
C tem S. Greg. Mag. hom. 13. in Euang. Dominus S. Gre. Mag.
dixit, sint lumbi vestri præcincti, lumbos enim præcingimus cum carnis luxuriā per continentiā coarctamus. deinde paulo inferius, iubētur lumbos restringere, vt munditia sit castitatis in corpore: merito igitur cum agno Paschali edendo indulgēt, renes accingere debent, in typum quod magna animi puritate & eximia corporis munditia, agni Eucharistici cibum degustare debemus, ita cit. Episcop. *Nos charissimi agnum nostrum comesturi, renes nostros accingamus, idest delectationes noxias, & carnalium desideriorū fluxa restringamus,* deinde concludit, postquam hunc versum Exodi vt vidimus explicuit, *si sic fratres nos præparare studuerimus, cum digne Phase siue Pascha idest transitum Domini celebrabimus, & cum pura conscientia securi*
D *ac læti de redemptione nostra carnes agni, id est corpus Christi non ad iudicium sed ad salutem animæ & corporis & ad percipiendam cum ipso sempiternam gloriam, percipiemus.*

*Agnum Eucharisticum sumpturi de virtute in virtutem proficiamus.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis & comedetis festinanter, est enim Phase idest transitus Domini.* Diximus quod etiam agnus & victi- 195.
ma Paschalis Pascha nominatur; possumus ergo asserere ipsum agnum Eucharisticum, etiam esse Pascha; & ideo sicut ille dicitur transitus, sic & iste similiter. sed quem transitum denotare potest? sane quem nos facere debemus vt de virtute in virtutem transeamus, ad apicem perfectionis tendamus

tendamus, non autem in virtute acquisita torpescamus, sed virtuti virtutem addamus: ita sentit D. D. Ambros. Ambros. lib. 1. de Cain & Abel cap. 8. *Pascha Domini transitus est à passionibus ad exercitium virtutum.*

*Per opera bona ad esum agni Eucharistici quis se praeparet.*

195 *Sic autem comedetis enim, renes vestros accingetis, baculos tenentes in manibus vestris.* Qui se praecingit, indigne fluxa & decidentia tenet, & se omni ex parte & circum se accingit, sed qua de causa tenent in manibus baculos? per manus nõ est dubium quin opera denotentur, baculus autem rectam intentionem denotare potest, qua carere nõ debent actiones nostrae: ne sciscitaris ergo cur agnũ legalẽ comesturi, teneant baculos in manibus Iudęi, vt hoc ritu nobis denotetur quod ad esũ agni Eucharistici nos debemus praeparare per operum certitudinem, ita docet D. Macarius hom. D. Macar. 47. *Iubet ad vesperam edere agnum cinctos renibus, & calceatos, & habẽtes baculos in manibus; nisi enim prius omni ex parte per opera bona quantum in ipsa est praeparata sit anima non conceditur illi vt edat de agno.* Nempe ad salutem.

*Quam velociter omnia transeunt, & sic in his non immorandum.*

196 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, &c. comedetis festinanter* Cur cum tanta festinatione? si enim in manu Domini sunt momenta & tempora, nõne longiorem moram diuturniusque spatiũ concedere potuit Israëlitis, vt agnũ quietè & cum gustu comedere possent? tum, nonne ille agnus cum signum futurae suę libertatis esset, maximum quid erat concessum? ita sane & nihilominus festinantes edere tenebantur, vt eis denotaretur, quod dantur homini bona haec, quasi in transitu, non vt illis inhaereat, & immoretur, sed in illis pertranseunter vtatur, ad solida & aeterna prosD. Grego. piciens, ita D. Greg. hom. 22. in Euang. *Festinantes ergo Pascha comedamus, id est ad solemnitatem patriae caelestis anhelemus, nemo in huius vitae itinere torpeat, ne in patria locum perdat, nemo moras ad appetenda studia innectat*, quidquid hic est, transeunter attingendum, quasi viator qui transit, & festinato furto pomum ab arbore decerpit, totam mentem suam in patria, ad quam tendit, statuens, noli procũbere, noli immorari terrenis, quisquis cupis aeternae foelicitatis portum attingere.

*Qui celebrat Pascha Domini nempe resurrectionem Dominicam, nullis subiaceat vitiis.*

197 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis*, Cur tot ritus & caeremonias exigit Deus, cum Pascha sunt celebraturi? cur enim renes accingẽdi? cur lumbi restringendi? quid in renibus nisi delectatio carnis accipitur? vnde & Regius vates Psal. 25. Psal. 25. postulat dicens, vre renes meos, si enim voluptatem in renibus esse nesciret, eos vri minime petiisset, vnde quia potestas diaboli in humano genere maxime per luxuriam praeualuit, de illo voce Dominica dicitur, potestas eius in lumIob. 40. bis eius Iob. 40. ne sciscitetis ergo, cur renes Iudaei accingere debeant, cum Phase Domini celebraturi sunt, hoc nobis enim Christianis innuitur, quod si digne Pascha Domini nempe resurrectionem Dominicam celebraturi sumus nullis subiacere debemus corruptionis & luxuriae vitiis: D. Greg. Magn. hanc veritatem expendit D. Greg. mag. hom. 22. in Euang. *Qui Pascha comedit habere renes accinctos debet, vt qui solemnitatem resurrectionis atque incorruptionis agit, corruptioni iam per vitia nulla subiaceat, voluptates edomet carnem à luxuria restringat neque enim cognouit quae sit solẽnitas incorruptionis, qui adhuc per incontinentiam corruptioni subiacet.*

*Qui verus est praelatus, prius debet in se vitia compressisse, quam aliis consulere eorum extirpationem.*

198 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, tenentes baculos in manibus.* Cur hunc ordinẽ vult obseruari in esũ agni legalis? potuit enim prius praecipere, vt tenerent in manibus baculos, deinde vt renes accingerent, cur ergo hoc primum? cur prius lumbi praecingendi quam baculi habendi in manibus? per eos qui in manibus baculos habent, significantur facile ij qui baculo pastorali sunt praediti, qui prius sane accingere suos renes debent, id est sua vitia comprimere, suę carnis fluxa restringere, antequam baculo pastorali, vtãtur alios corrigendo & consulendo vt vitia deponãt: fauet cit. Summus Pontifex. *Illi debent curam Pastoralem suscipere, qui iam in suo corpore sciunt fluxa luxuriae domare, vt cum aliis fortia praedicant, ipsi desideriis mollibus enormiter non succumbant.* D. Gregor.

*Hodie bene operemur, ignorantes quid crastina dies sit paritura.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, &c. comedetis festinanter.* Cur tanta festinatio requiritur? nõne in matutinum tempus differre potuerunt illius esum? cur ergo hodie & nocturno tempore, cum tanta celeritate comedẽdus? in hoc praecepto quod Iudaeis datur de lumborum praecinctione, mandata Dei quae debemus adimplere, facile intelliguntur, & sic omnia festinãter perficienda sunt, quia profecto hodie, & iam cũ celeritate bene operari deberemus, nescientes quid futura dies sit paritura: hoc docet cit. D. Gregor. Mag. *Mandata Dei mysteria redemptoris ecelestis patriae gaudia cum festinatione cognoscite & praecepta vitae cum festinatione implere curate quia enim adhuc hodie licet bene agere, scimus, vtrum cras liceat, ignoramus.* 199 Cit. summus Pontifex.

*Mortem contemplemur, & à peccatis immunes erimus.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus* Non mirum quod exituri, calceamentis pedes suos cooperiant, sunt enim ad iter praecipue arduum cõficiendum necessaria, cur igitur hoc eis praecipitur? nonne calceamenta ex pellibus animalium mortuorum conficiuntur? quid mirum igitur si discessuri ex Ægypto, calceamẽta induãt? quia ab hoc exeuntes in desertum Religionis, tendentesque in viam perfectionis, mortem considerare debent, vt à peccatis immunes reddantur, ita sentit cit. Greg. *Calceamenta in pedibus habere est mortuã vitã cõspicere, & nostra vestigia à peccati vulnere custodire.* 200 Greg. Mag.

*Nihil ita aduersatur agno Eucharistico suscipiendo, quam luxuria.*

201 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis.* Per renes accinctos diximus virtutem continentiæ intelligi: sed cur toties in agni esu inculcatur continentia? nam in his verbis, agnus sit immaculatus, diximus eam intelligi, in illis similiter, quod adhibendæ erant lactucæ agrestes castitas denotabatur: cur igitur toties eadem virtus memoratur? quia ex omnibus vitiis, nihil ita aduersari videtur agno purissimo Eucharistico suscipiendo, quam luxuria, vnde recte Algerus lib. 2. de Sacram. cap. vltimo. *Sciendum quia agnum Dei sine macula qui virginis est filius, luxuriosi & incesti sumunt periculosius, quia cum in Sacramento ei vniri debeamus conformitate passionis & munditiæ nihil sic aduersatur Passioni Crucis vt voluptas, nihil sic munditiæ vt fœditas, nihil sic eius vnctioni vt fornicariæ libidini societas, libido enim appetitu suo allicit & incendit, actu suo fœdat & eneruat, vsu lubricat & illaqueat, adeo vt placendo displicens, displicendo placens, difficilem aut nullam sui pœnitudinem admittat.*

Algerus.

*Desides & pigri indigni esu Eucharistici agni.*

202 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, &c. & comedetis festinanter.* Nonne inurbanitatis arguuntur, qui cum mensæ accumbunt, nimia cum festinatione cibos comedunt? hoc enim non est comedere, sed potius more bestiarum est deuorare aut deglutire: prudenti tamen consilio statuitur vt agnum comesturi, festinanter edant, pigri enim & desides esu agni Eucharistici indigni censentur, sic hunc locũ explicat Algerus cit. loco, *Est Phase id est transitus Domini, cum quo desidia tardus & super ollas carnium in sæculi Ægypto remoratus transire non præualet, comedamus ergo cum desiderij feruore.*

Cit. Auct.

*Mortificationem in corpore ferentes, accedamus ad agnum Eucharisticum.*

203 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, tenentes baculos in manibus.* Quis vidit hominem mensæ accumbere cum baculo in manu? nam si baculum haberet antequam conuiuio adesset, sane deponeret tanquam quid indecens, cur ergo non deponere, sed habere iubentur Israëlitæ? non deest qui per baculum virgam mortificationis intelligat: non indecenter ergo mensæ accumbentes baculos tenent, quia mortificationem in corpore ferre debet, qui ad agnum accedit Eucharisticũ, mens est cit. Alger. *Virga disciplinæ castigantes carnis intemperantiam comedamus agnum.*

Algerus

*Maxima fides exigitur in hoc Eucharistico agno.*

204 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, &c.* Et quid hæc omnia portendunt? futuram libertatem à Pharaonis imperio, nec non incolumitatem à percussore Angelo, sane non exigua fides in eis elucescere debebat, nam cum Deo etiã difficillima facillima scirent, dubium nullum eis inesse potuit, quod si vellet in brachio suo excelso & potenti posset eripere, non adhibito esu Paschali, nec aliis obseruatis cæremoniis: necessaria ergo fuit in eis maxima fides, firmiterque credere debuerunt quod medio esu agni liberarentur, sed quid hæc fides denotat? sane aliam qua fulciri deberent veri Israëlitæ agnum Eucharisticum sumpturi, sed qua de causa tantopere fides exigitur in hoc Sacramento, nam in hoc præcipue requiritur? doctissime cit. Algerus lib. 2. ca. 4. Quia videlicet falsa fide mundus periit, quando Adam plus diabolo quam Deo credere præsumpsit, dum in ligno scientiæ boni & mali vetito plus sperauit diuinitatem assequi, quæ ab hoste promittebatur, quam incurrere mortem quam Deus minabatur: sicut ergo diabolus non vmbram in ligno inobedientiæ, sed ipsum verum & visibilem fructum exhibens promisit, id quod non videbatur, scilicet eritis sicut dij, sic & Deus non vmbram, sed ipsum qui in ligno pependit obedientiæ in suo Sacramento visibili exhibens promittit vitam æternam, quæ non videtur, vt dum in ea re plus ei modo creditur, quam hosti, vt dignum est, sanetur hac vera fide illa perfida fides, qua olim plus diabolo quam sibi iniuste creditum est: sicut igitur non in ligno vetito, sic nec in Christi Sacramento debet visus aut gustus, sed fidei vigere iudicium; quia sicut pomum visum decorum & suaue ad comedendum, cibus vitalis videbatur, & mortem intulit: sic e contrario Sacramentum corporis & sanguinis Christi videtur cibus mortalitatis nostræ cum vere vitæ æternæ sit, quapropter vtrique rei media vera fides videtur necessaria, Adæ vt crederet mortem esse in pomo, & ita vitaret, nobis vt in Sacramento Christi vitam credamus & ita eam assequamur; vtrũque enim ex se cõtrariũ visui effectũ parit, illud dum videtur cibus voluptatis, & vitæ mortem inferens, istud dum videtur cibus mortalitatis, vitam æternam exhibens.

Cit. Alger.

*Non solum libido coercenda, sed & terrenorum reprimenda in esu agni Eucharistici cupiditas.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, baculos in manibus habentes.* Diximus cur renes accingendi sunt, cum esus legalis comedebatur, sed cum & renes præcingi debeant in esu agni Eucharistici, cur calceamenta in pedibus habere iubetur? nam scimus plures propter reuerentiam tanti Sacramenti calceamenta deponere, cũ participes fiunt corporis Domini. Cur igitur si ille legalis typus erat nostri, calceamenta non deponi sed apponi præcipitur? per pedes non est dubium quin affectus denotentur, per calceamenta quæ ex pellibus mortuorum animalium fiunt, mortificatio, recte ergo non solum renes accinguntur, sed & calceamenta in pedibus ponuntur, quia non solum libido coercenda, sed & terrenorum desideria reprimenda in esu agni Eucharistici. consentit Galfridus in alleg. Tilma. *Hic per renes corporis voluptates, per pedes autem terrenos licet intelligere affectus, oportet enim comedentes carnes agni non modo carnales cohibere libidines, sed desideria nihilominus & in animo ipso mortificare terrena.* 205

Galfridus.

*Non propriis viribus confisi, sed auxilio diuinæ misericordiæ ad esum agni Eucharistici preparemur.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis.* 206

*baculos tenentes in manibus.* Scio iter facienti baculum esse necessarium tum ad defensionem, tum ad sublevamen; sed satis erat vt huiusmodi baculos sumerent iamiam profecturi, non autem agnum legalem esuri. Cur ergo antequam comedant tenēt in manibus baculos? forte vt nobis innueretur quod qui accedūt ad esum agni Eucharistici, suis nō confidāt viribus, sed baculo diuinæ misericordiæ innitantur, quo vere fulciantur: sic docet Galfridus apud Tilm. in alleg. Galfrid. *Sane baculos tenent qui non satis propriis confidunt viribus, sed auxilio gratiæ innituntur, cuius diuisiones & multiplicem opem non immerito appellamus baculos, vnde Propheta, virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Psalm.

*Prudentia tibi in omnibus est necessaria, sed præcipue in mortificationis operibus.*

*Sic autem comedetis eum. renes vestros accingetis tenentes baculos in manibus.* Non est dubium quin
207 hæc omnia denotent mortificationis opera, nam habere renes accinctos vt vidimus, est compescere carnis irritamenta & illecebras, habere calceamenta, inquit Philo lib. de Cherub. est carneam molem ratione continere, cum lactucis etiā agrestibus eum comedere, quid aliud significat quam cum dolore & animi amaritudine pœnitentiam peccatorum agere? sed si hæc omnia dicunt varia mortificationis opera in quibus vere pœnitens exerceri debet, cur baculi in manibus tenendi? an vt pœnitens viribus corporis consumptus, ieiuniis & pœnitentia, possit in eo sustētari? Audiamus quid dicat cit. Philo. *Disciplinam habentes virgam in manibus ad dirigenda citra errorem omnia vitæ negotia.* Philo. En vt virga necessaria vt secundum regulas prudentiæ mortificationis opera dirigantur, quod late confirmat D. Bernard. ser. 1. & 2. de circumc. dicens, *Nos etiam fratres circūcidi necesse non in vno membro solum, sed toto corpore simul.* D. Bernard. Qui postquam varia docuit octo diebus circumcisionis opera mortificationis efficienda, concludit serm. 2. *Hoc timendum ei qui tanta delectatione omnia facit, nedum sequitur affectionem, corpus destruat per immoderatam exercitationem, vt deinde necesse habeat non sine magno spiritualis exercitij detrimento, circa debilitati curam corporis occupari, ergo ne incurrat qui currit, illuminari necesse est lumine discretionis, quæ mater virtutum est & consummatio perfectionis: hæc nimirum docet, ne quid nimis, atque hæc est octaua dies in qua circumciditur puer quia discretio vere circumcidit, vt non plus nec minus fiat, nam & qui nimius est, fructum boni operis abscindit, non circumcidit sicut qui tepidus est qui minus facit.*

*Si possumus perfectius vitæ institutum, quam alij sequamur.*

208 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamēta habebitis in pedibus.* Scio per hoc præceptum quod calceamenta habeantur in pedibus, secundum aliquos, est gressus vitæ nostræ vel affectus munire sanctorum exemplis, qui nos præcessere: sed nonne & ipsi Moysi præcipitur, vt calceamenta deponat cum ad rubum accessurus est, quamuis potius ea sumere deberet, si eis fuisset exutus, ne à flamma vel à spinis rubi læderetur? nonne etiam iniungitur Apostolis iter facturis, vt non habeāt calceamēta? nonne ergo deberent imitari sanctorum vitam qui eos præcesserant, si calceamenta in pedibus habere hoc significat? nōne necesse est solum vitam sanctorum imitari, sed possumus ex auxilio gratiæ aliquid imitari in perfectum, quam ipsi duxerunt, sicut innuens dicit Galfridus apud Tilm. *Quod Apostolis calceamentorum vsus interdicitur, ad hoc forsitan pertinet, quod eisdem alibi etiam idem Dominus ait: nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Pharisæorum & scribarum non intrabitis in regnum cælorum, sed & Moyses ipse cuius postmodum ministerio calceamenta præcipiuntur haberi, sua iussus est soluere cū ei primò in Madian Dominus loqueretur: neque enim Moysen tunc oportuit vel circummanentium cæterorū exēpla sectari, cū ad nouū opus assumeretur, sed nec Apostolos imitari opera præcedētiū, quin potius nouā magis sequentibus tradere formā vitæ.* Galfrid. Matth.

*Pro his qui vitia deserunt, etiam agnus Eucharisticus instituitur.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, &c.* Ecce viatorum gerunt habitum, & non solum viatorum, sed & eorum qui iamjam exituri sunt ex Ægypto, quique in ea amplius commorari non debent, sed cur hoc habitu induuntur? nonne potius hominū stantium & quietorū habere deberēt, vt quietè & sine cōmotione agnum Paschalem comederent? non vt stantes & quieti (quibus viri perfecti) sed vt exituri ab Ægypto (quib⁹ ij qui iā vitia deserūt, denotantur) agnum legalem comedūt, in typum quod non solum pro perfectis, sed etiam pro imperfectis & qui incipiunt à tenebris Ægypti exire, institutus est agnus Eucharisticus: nō dissentit Algerus l. de sacra. c. 22. *Quia etiam in Ægypto datus est agnus Israëlitis, sed inde statim exituris, dādus est item Agnus Dei peccatoribus, vt à vastante Angelo protegantur, sed deinceps peccatis renuntiaturis.* Non sic intellige Algerum quod dandus sit agnus Eucharisticus iis qui peccatis nondū vale dixerunt, nam vt optime sancta Synodus Trident. sess. 13. c. 7. communicare volenti reuocandum est in memoriam Apostoli præceptū, probet seipsum homo, Ecclesiastica autem consuetudo declarat eā probationem necessariā esse vt nullus sibi cōscius mortalis peccati quātumuis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramētali cōfessione ad S. Eucharistiā accedere debeat, quod à Christianis omnibus etiā ab iis sacerdotibus quibus ex officio incubuerit, celebrare, hæc sancta synodus perpetuo seruandū esse decreuit, modo non desit illis copia confessoris. quæ sane declaratio cōsentanea est sanctorum Patrum dictis; ita enim scribit D. Greg. in 1. l. Reg. probet se ipsum homo, &c. quid enim est hoc loco se probare, nisi euacuatâ peccatorum nequitiâ, se probatum ad Dominicam cœnam purum se exhibere? qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamēta curramus, quia ipsa sola virtus est, quæ euacuat, quod in vētre animæ culpa coadunat, & D. Aug. li. de Eccles. dogmatibus, quē mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publicā pœnitentiā satis facere, & ita sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad iudicium & condemnationem sui Eucharistiam sumere, intellige ergo Algerum de renuntiatione omnimoda, vt scilicet iam peccatis renuntiarit, & deinceps mediante Dei gratiâ, amplius ea non commissurus.

209 Algerus. Concil. Trident. D. Gregor. D. August.

*Non solum à libidine cessandum, sed etiam stimuli carnis & commotiones coercendæ, vt mensæ agni Eucharistici accumbas.*

210 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus.* Diximus per renum accinctionem, cessationem à libidine intelligi, sed sufficit ne ab ea abstinere, vt digne particeps sis agni Eucharistici? non equidem; pondera enim quod sequitur, calceamenta habenda esse in pedibus, calceamenta ex pellibus mortuorum conficiuntur, in mortuis autem nullus est libidinis nec vlla commotio, pedibus affectus nostri denotantur: quid hoc est? quod ita munire affectus nostros bonis desideriis debemus, vt quasi iam mortui, libidinis stimulis non moueamur, vt digne Sacramentali mensæ accumbamus: vnde D. Ambros. orat. in 1. præparatione ad Missam, ait. *Rex virtutum castitatis & integritatis amator Deus cælesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo totum fomitem ardentem libidinis, vt maneat in me tenor totius castitatis animæ & corporis: mortifica in me carnis stimulos & omnes libidinis commotiones, & da mihi veram & perpetuam castitatem cum cæteris donis tuis, vt sacrificium laudis caste corpore & mundo corde valeam tibi offerre.*

D. Ambros.

*Ex esu agni Eucharistici dij efficimur.*

211 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, &c. est enim Phase, id est transitus Domini.* Cur agnus qui comeditur dicitur transitus Domini? non enim transit, cum in Ægypto comedatur & non feratur in desertum edendus: non transit, sed cum sit typus agni Eucharistici denotat, quod eius sumptione mediante transibimus in sortem diuinam: quid enim ait D. Leo serm. 14. de passione Domini? *Non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quam vt in id quod sumimus transeamus.* Quid sumimus quæso? nonne Deum & hominem? ergo dij efficimur; & D. Cypr. de natiuit. Christi. *Sacramentorum communicatio per quam illius corporis sinceritati vnimur, nos in tantum corroborat, vt de mundo, & de diabolo, & de nobis ipsis victoria potiamur & sacramentali gustu, viuificis mysteriis inhærentes vna caro & vnus spiritus sumus, dicente Apostolo 1. Cor. 6. qui adhæret Domino vnus spiritus est, sic hi ad quos sermo fit, dicuntur dij & filij Excelsi omnes & hæreditatis & æternitatis participes,* sed D. Macharius oratione de exaltatione Crucis id expressius annotat. *Tota hæc historia innuit diuinum agnum pro nobis immolatum & mysticum illud Pascha & totius mundi salutem euidenter præfigurat, neque enim corporalis illa perceptio vitam custodiebat, & in libertatem traducebat: at huius vera sumptio & communio immortalitatem & filiorum adoptionem donant, & ex terrestribus cælestes, deosque ex hominibus eos qui accipiunt, reddunt.*

D. Leo. D. Cyprian. 1. Cor. 6. Psalm. D Machar.

*Ex esu agni Eucharistici reddimur Christiferi.*

212 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, &c. est enim Phase, id est transitus Domini.* Quod agnus legalis qui comedebatur, transiret in substantiam Israelitarum nemini dubium est, cum alimentum transeat in substantiam aliti, sed ideo non deberet dici transitus Domini, non enim est Dominus qui transit, sed agnus: sed si agnus Eucharisticus est qui digne sumitur, recte transitus Domini dicitur, transit enim in Christū, qui eum manducat, ita vt iam christifer merito nuncupari possit, sic docet D. Cyrill. Hierosoly. Cathec. mystag. *Sic Christiferi erimus, hoc est Christum ferentes, cum eius corpus & sanguinem in membra nostra receperimus, atque ita vt dicat D. Petrus 2. diuinæ naturæ consortes efficiemur.*

Cyrill. Hierosol. cap. 4.

*Agni Eucharistici cibus magnifice nos transfert stipatos Angelorum comitatu in patriam cælestem.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, &c. est enim Phase id est transitus Domini.* Quo transferebat ille agnus legalis? in terram promissionis, quo nos transire faciet agnus Eucharisticus? sane in terram viuentium, in patriam cælestem, & cum celebri pompa, stipantibus nos cum regio apparatu Angelis curiæ cælestis: id annotauit D. Chrysost. lib. 6. de sacerdotio. *Quidam mihi narrauit non ille quidem ab aliis edoctus, sed dignus habitus, qui & id vidisset ipse & audisset, quod qui de hac vita migraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura consciētia fuerint participes, spiritum efflaturi ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus propter assumptū illud sacramentum hinc recta in cælum abducuntur.* 213

D Chrysost.

*Ardenti deuotione & intentissimo desiderio agnum Eucharisticum concupiscamus.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, baculos in manibus habentes, &c.* Nonne hæc omnia denotant ingens desiderium, quo ardebant Israelitæ circa agnum comedendum, vt citius liberi abirent ab Ægypto? sed quid hoc denotat? sane intentissimum desiderium quo æstuare debemus, cum sumpturi sumus agnum Eucharisticum: ita persuadet D. Chrysost. hom. 83. in Matth. *Nemo nauseans accedat, nemo remissus, sed excitati, incensi, ac feruentes omnes accedant, nam si Iudæi stantes calceati, & baculos in manibus habentes cū festinatione comedebant; quanto magis nobis inuigilandum?* & infra, *non videtis quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt, papillis infigūt labia? non minore cupiditate nos quoque ad hanc mensam & ad huius calicis spiritualem accedamus papillam, imo vero maiore desiderio, quasi lactantes pueri gratiam Christi sugamus, vnus sit nobis dolor, vna mæstitia, si hoc alimento spirituali priuamur.* Et D. Gauden. tract. 2 *ne lento corde & ore languido Sacramentum Dominici corporis sumamus & sanguinis, sed cum omni auiditate quasi esurientes & sitientes iustitiam, beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* 214

D. Chrys. D. Gauden. Matth. 5.

*Bona opera exercenda in agni Eucharistici susceptione.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, tenentes baculos in manibus.* Esto baculos ferre oporteat, eos qui ad esum agni veniunt, quo ostendāt, se quondā ex Ægypto profectos, cæterū quid est quod addit *in manibus?* an in pedibus deserti solēt baculi? vel qua ratione ij qui mēsæ accūbūt, baculos in manibus gestare possunt quas liberas & expeditas habere necesse est eos qui comedūt, vt ori cibos inferant? Diu. Paulinus Epistola 5. ad 215

D. Paulin.

tem præsentem inflecte sententiam, eius agni sine Eucharistiam significat, ad hanc qui venit, nō vacuas manus habeat, sed bonis operibus plenas, etenim bona opera baculi dicuntur, quibus fulcimur; gestent ergo baculos in manibus, id est bona opera exerceant, quibus fulciantur: audiamus cit. Episcop. *Quia idem est Pascha nostrum, quod expediti ac præcincti, nec depositis à manu baculis id est operibus quibus nitimur, nunquam remissis, cum omni festinatione edere præcipimur.*

*Cum munimine mandatorum Dei ad agnum Eucharisticum accedamus.*

216 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus.* Quia ad eum agnum necesse est calceamenta habere, mirum sane, quod tunc id præciperetur, cum apud Hebræos videtur, quod moris esset sine calceis mensæ accumbere: Calceamenta nonne munimina sunt pedum quibus asperitati frigoris, vel serpētum morsui resistimus? quibus Dei mandata intelliguntur, quibus, insidiis serpentis tartarei resistimus, & sic puri non solum in corpore, sed etiam in mente permanemus, præceptū enim Dei est vt nō solū sis liber ab adulterio, sed etiā vt non concupiscas vxorē alienam: merito igitur iubet lex, vt calceamenta sumat qui agnum legalem comedit, quia qui agnum Eucharisticum sumere debet, muniat se Dei præceptis, vt non solum in corpore, sed etiam in mente sit purus & incontaminatus: auctor est D. Gaudentij tract. 5. in lect. Exodi *Carnem agni qui tollit peccata mundi, tam fideles in mysterio quam simul vniuersi credentes in fide, ita debemus credere nostrique cordis interioribus commendare, vt non solum cinctos habeamus castitatis lumbos, verum etiam calceati simus, vt ait Apostolus in preparatione Euāgelij pacis Ephes. 6. sicut enim calceamenta terrestria carnalium pedum munimina sunt, & vel asperitati frigoris, vel serpentum morsui vel spinarum resistunt aculeis, ita legis diuinæ præcepta quibus gressus nostrarum mentium munire præcipimur, repugnant & serpenti diabolo & asperrimo aquiloni gentilium & hæreticorū, vndique compungētium spinis ac tribulis: huiusmodi ergo calceamentis vti debemus, quotquot Pascha Domini celebramus, quoniam lex vt ait Apostolus 1. Cor. 5. spiritualis est, & Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque & lumbi nostri præcincti esse debent & calceati pedes: quid enim prodest homini, si solum corporis habeat castitatem, & incautus & sine instructione calceamentorum legalium malis supradictis fuerit obnoxius? vel quod quotidie in vsu est cordis sui calcaneum patens præbeat comestioni serpentum si cogitet mala, si concupiscat aliena, si comedatur liuore, si tabescat inuidia? &c. quid profuit præcinctos habere lumbos, si diuinorum mandatorum calceamenta non seruans gressus cordis tui id est anima tua bases crudelissimæ concisioni tradideris?*

D. Gauden. — Ephes. 6. — 1. Cor. 5.

*Afflictiones & cruciatus citatissimum transitum ad gloriam operantur.*

217 *Sic autem comedetis eum renes vestros accingetis, &c. est enim Phase id est trāsitus Domini.* Qui occiditur, qui immolatur, nōne est agnus? quid? dicetur ne agnus qui igne torretur trāsitus Domini? sane in agno legali difficile hoc reperitur, sed in agno Dei immaculato inuenitur, qui dum à perfidis Iudæis crucifigitur, dum clauis transfoditur, dum verū crucis affatur, ad gloriam transit celestium, sic Rupert. lib. 1. in Ioan. ca. 7. *Ille cuius passiones præfigurantur etiam lancea clauisque confixus euasit in regnum*, sic cruciatus, sic vulnera quibus afficimur, proficiunt, vt inde gloriam & regnum capiamus. Rupertus

*Cum terræ viuentium fuerimus possessores, non timendæ serpentis tartarei insidiæ.*

218 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus vestris.* Nescio cur vni, ex tempore, alteri contrarium iubetur? ecce legislator hic iubet vt Israelitæ sumant calceamenta, Exod. autem 3. & Iosue 5. idem legislator Moysi & Iosue mandat, vt ea deponāt, soluite, inquit vtrique, calceamenta de pedibus vestris: sed facile soluetur difficultas, si attendemus rationem quæ subiicitur, locus enim in quo stas terra sancta est; quid autem denotat terra illa sancta, nisi eam quæ viuentium, quam mites possident? nonne diximus calceamenta seruire, ne venenatis serpentum morsibus cædamur? quid mirum igitur, si vbi terra sancta est, calceamenta iubentur deponi? quia cum terræ viuentium fuerimus possessores, non timendæ sunt serpentis tartarei insidiæ, quod late prosequitur cit. Episc. Brixiens. *Ibi soluitur quæstio vbi calceamenta soluuntur, dum statim causa adiicitur, locus enim in quo stas terra sancta est: ostenditur, ergo terra Ægypti vbi datur preceptio, illa superior sancta non esse, & ideo ibi habenda mandantur calceamenta: in terra autem sancta decernuntur esse soluenda, in illa enim non sunt tribuli & spinæ in qua non sunt scorpij & serpentes, quippe vbi diabolus cum cæteris immundis spiritibus non accedit, erit enim tunc vna cum suis satellitibus in igne æterno, quem parauit Deus vtique diabolo & Angelis eius.* Episcop. Brixien.

*Ita sanctus Saluator mundi, vt terra indigna sit sustinere eius nuda vestigia.*

219 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus vestris.* Quod quidē contrarium videtur præcepisse Apostolis, cum ait vt calceamenta non ferant, sed quod discipulis præcipis, cur non obseruas? nam videtur quod detuleris calceamenta, ait enim sanctus Ioannes Baptista Ioan. 1. cuius ego non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum. Cur defers calceamenta cum ea deponenda discipulis imperes? hanc assignat rationem cit. Gaudent. *Alia in Christo ratio est; ille non propter se calceatus est sed propter nos, quoniam terra sustinere non poterat maiestatis eius nuda vestigia.* Ioan. 1. — Gaudent.

*Cum pænitentia ad agnum Eucharisticum accede.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis.* De præcinctione lumborum in Hieremia cap. 1. scriptum est, & tu præcinge lumbos tuos, & cap. 38. Iob. præcinge tanquam vir lumbos tuos, Apostoli quoque audiunt Luc. 3. sint lumbi vestri præcincti, cur illud tantopere iubetur? sane in Ioanne Baptista cognoscemus, qui Zona Ierem. ca. 1. & Iob 38. — Luc. 3.

præcinctus erat, circa lumbos suos, quid illa zona A pellicea, quæ instar cilicij erat, denotat nisi pœnitentiam? en cur præcingendi sunt lumbi cum ad agnum Eucharisticum accesseris? optima enim dispositio est mortificatio vitiorum, & de eis pœnitentia: cit. Episcop. huius est sent. tract. 2. *Oportet nos ex præcepto Dei prius mortificare concupiscentias carnis, & sic accipere corpus Christi, qui pro nobis servientibus in Ægypto est immolatus, propter quod seipsum probet homo, 1. Corint. 11. & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Cit. Episc. — 1. Cor. 11.

*In Eucharistico Sacramento verum est corpus Christi.*

220 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, &c.* Est enim Phase id est transitus Domini, sive ut legit Gaudent. Pascha est Domini, quod etiam explicat transitum Domini, sed cur hic agnus vocatur transitus Domini? exclamat cit. Episcop. ô altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam hic altitudinem sapientiæ & scientiæ Dei reperis? respicit ad Eucharisticum Sacramentum, in quo fit transitus Domini, ibi enim ab esse panis transitur ad esse corporis immaculati, desinit enim verbis consecratoriis substantia panis, & præsens fit sub eisdem speciebus substantia corporis Christi: audiamus præfatum antistitem tract. 2. *Pascha est Domini, hoc est transitus Domini, ne terrenum putes quod cæleste effectum est per eum qui transit in illud, & fecit illud suum corpus & sanguinem: nam quod supra generaliter exposuimus edenda de carne agni, specialiter in degustandis servandum est iisdem mysteriis Dominicæ Passionis: ut neque crudam carnem crudumque sanguinem sicut Judæus esse putes & respuas dicens quomodo potest hic Joan 6. dare nobis suam carnem ad manducandum: neque in olla cordis carnei humoribus per naturam semper obnoxij, ipsum decoquas Sacramentum commune illud ac terrenum esse existimans: sed ut per ignem divini Spiritus id effectum, quod annuntiatum credas, quia quod accipis corpus est illius panis cælestis & sanguis est illius sacra vitis: nam cum panem consecratum & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.*

D. Gauden. — Ioan 6.

*Cupiditate rerum cælestium ardeamus agnum Eucharisticum sumpturi.*

221 *Sic autem edetis eum, renes vestros accingetis,* Iam diximus per renum succinctionem, libidinem coercendam intelligi in esu agni Eucharistici, sed cum audiam ex Paulo, state succincti lumbos in veritate, an eadem præcinctione in lumbis nostris utendum est, cum accumbimus mensæ Sacramentali? quidni cum per eam intelligenda veniat rerum cælestium cupiditas & amor, qui requiritur, ut digne accedas ad Sacramentorum Sacramentum? sic explicat Procopius Gazæus *Quid significat Paulus, state succincti lumbos vestros in veritate? scilicet ut intellectiva vis animi cupiditatem ita devinciat amore rerum cælestium, ut non patiatur cupiditatem alia præter cælestia amplecti, talem quoque vult eum esse qui accedit ad agni Paschalis epulum.*

Gazæus.

*Temperatus sis cum accedis ad agnum Eucharisticum, ingluvies enim ei contrariatur.*

222 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis.* Quo cingulo? an eo quo diximus libidinem esse comprimendam? an illo quo discretio denotatur, ad cognoscendum & discernendum quod carnes agni non sunt communes, sed sacræ? vel an eo quo præcingebatur Div. Ioannes Baptista quo pœnitentia significabatur? sane his omnibus, sed unum adiiciam, nempe temperantiam in cibis, maxime enim huic sanctissimo Sacramento adversatur ingluvies: sic enim persuadet Gazæus. *Cingulum te vinciat, temperantiaque gubernet cupiditatem tuam ut purus vescaris agno Paschali*, quod autem ei ingluvies adversetur, testatur D. Cyrill. Alex. l. 3. in Ioan. c. 34. cum notat Israëlitas tunc maxime supplicia dedisse, cum post manna acceptum cibos ex Ægypto petierunt, ait autem, *Postquam Domino fruebantur, tunc iure quoniam corporalia spiritualibus præposuerunt, acerba dederunt supplicia & ad supplicia insignem calamitatis memoriam, reliquerunt*, merito dure plectuntur qui post cæleste epulum sese Ægyptiis carnibus & ollis ingurgitant.

D. Ioann. — D. Cyrill. Alex.

*Cingulo virilis fortitudinis accingatur, qui agni Eucharistici vult esse particeps.*

*Sic autem edetis eum, renes vestros accingetis* Sed quo cingulo non dixit, liberum ergo nobis erit discutere, quo præcingendi sunt lumbi cum edendus est agnus, unum animadverto militarem & virilem, quo animi fortitudo denotatur, & cur hoc accigendos renes non dicemus, cum agni immaculati mensæ accumbere debemus: ita sentit præfatus Procop. *Meminit scriptura & alterius cincturæ, scilicet cinguli militaris & virilis, secundum hoc quidam dicuntur expediti, quidam uno cingulo accincti, uno cingulo constringendus Iob audit dicentem Deum, ut vir cinge lumbos tuos, & da responsum virile, hoc cingulo se vinctum testatur David, dum celebrat laudibus potentiam Dei, qua accinctus sit, similiter & Deum ita cinctum inducit potentia & robore, ut perdat impios, talem vult esse, eum qui accedit ad agni Paschalis epulum*, ante Procopium hæc dixit Nazianz. oratione 2. de Pascha. 223

Procopius.

*Cum fide & spe ad Eucharisticum agnum accedendum est.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis tenentes baculos in manibus.* Si huiusmodi agnus 224 D typus est illius qui nobis in Eucharistia datur, nonne maxime indecens esset baculum habere cum edendus est? cur ergo baculi in typo gerendi? credit Procop. baculum adumbrare spem nec non & fidem, sicut enim spe fulcimur, sic baculo; & sicut baculus impedit, ne claudicemus, ita & fides ne in mysteriis religionis nostræ titubemus; merito ergo baculis fulciri debemus, quia cum fide integra & spe firma ad Eucharisticum agnum accedendum est: audiamus legentem Procopium. *Baculus est typus spei, quæ obdurans in periculis parit patientiam, proinde inquiunt Prophetæ, sperate in Domino, & vicissim fulciemini in Deo, hic ille baculus est, quo cæcutientem sustinemus animum, & instar senum latrantes abigimus canes baculorum sive virgarum, alia nos sustinet & fulcit, alia nos pascit doctrina, hoc loco iubetur illa capi, qua in profectione sustentemur, ne scilicet audientes sanguinis & passionis Dominicæ mentionem, claudicemus, edamus autem corpus & bibamus sangui-*

Gazæus.

*nem, nihil etiam dubitantes quod sint vita, & viuificent.*

*Ad Eucharistiæ veritatem defendendam, simus parati aduersarios non timentes.*

225 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, baculos tenentes.* Plures adduximus rationes cur baculi adhibendi sunt? tamen adhuc sciscitari nõ pigebit, cur baculus adhibendus in agni esu Eucharistici? non est dubium, quin baculus sit pastoralis & doctoralis, quo hæretici coercentur & impugnantur: adhibe hunc ergo cum particeps fueris sacræ communionis, ad Eucharistiæ enim veritatem defendendam parati esse debemus, aduersarios non timentes, sensus est Diu. Gregor. Nazian. oratione 2. de Pascha. *Cum baculus alter fulciendi vim habeat, alter Pastoris & doctoris proprius sit, atque oues ratione præditas castiget, in viãque reducat; hunc lex fulcientem baculum tibi præscribit nec vbi animo titubes dum sanguinem Dei & passionem ac mortem audis, at dum Dei Patronus atque defensor videri cupis, impie corruas, quin potius sine pudore ac dubitatione corpus ede, sanguinem bibe, si modo vitæ desiderio teneris, nec sermonibus de carne fidem abrogans, nec ad eos qui de passione habentur impingens, innixus sta, firmus & stabilis atque ita comparatus, vt in nulla re quatiaris ab aduersariis, nec verborum lepore atque illecebris abripiaris, in fastigio tuus sta in atriis Hierusalem pedes statue, in petra suffulci, vt tui secundum Deum gressus fulciantur.* (D. Gregor. Nazia.)

*Qui fugit mundum, muniat se aduersus tentationes peccatorum.*

226 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus.* Imo deponant, vt maiori cum reuerentia ad agnum Paschalem signum salutis suæ futuræ accedant, sic enim legimus supra præceptum accepisse Moysen de suis deponendis, vt Deum alloqueretur, nonne iam exituri erant ab Ægypto figura huius sæculi? nonne se aduersus serpentes quibus feracissima est debebant munire? cur non ergo calceamenta sumerent in typum eorum qui mundi fugiunt illecebras, qui aduersus peccatorum tentationes se munire tenentur? (fatet Procop. *Qui fugit Ægyptum* inquit) *eius pedes vestiantur calceis, securitatis gratia, ne spinis vitæ nempe peccatis violentur pedes nudi, sed pro munimento habeant calceos.* (Gazæus.)

*Ad obediendum Deo simus paratissimi.*

227 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus vestris.* Non erat id necesse iubere, cum nullus sit qui itineri arduo se accingere debet, qui non calceamenta sumat, vt asperitati viarum resistat: cum ergo hoc præceptum superfluum videatur, cur non silentio obuoluitur? Imo sic accinctos, sic calceatos iubet esse Deus, vt quam parati ad obediendum esse debeant, denotet. *Indicant hæc verba* (inquit Cyrill. in at. Græca) *incunctanter eundum esse quocumque nos reuocauerit Deus, hunc locum sic intellexit Paulus cum ait, calceati pedes vt sitis parati ad Euangelium pacis.* (Cyrillus.)

*Maximo & ardenti studio Deo obsequamur.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, baculos tenentes in manibus, & comedetis festinanter.* Cur tanta cum festinatione & celeritate? quod dixit Moyses Pharaoni, cum licentiam petiit pro populo suo discedendi ab Ægypto? scilicet vt Deo in deserto sacrificaret, vel vt habent alii, vt Deo seruiret, eaque de causa festinãter edẽdus est agnus lege, scilicet vt maximo & ardẽti studio, deinde Deo obsequi & seruire valeant. sic docet Procopius. *Qui Christianæ Religionis particeps est factus, eum nec socordem nec indiligentem in bonis operibus conspici oportet, nam dictio illa cum festinatione, hoc ipsum significat, subditur enim quia Pascha Domino transituri erimus ex mundana ista vita in ciuitatem Dei opus habemus studio & celeritate ad eam rem, ne patiamur, quod Loth interdictum erat, scilicet ne conspiciamus, ne consistamus in vniuersa regione finitima, in montem contendamus, & ibi consequamur salutem, ne nos trahat alienus ignis, ne in salis statuam concrescamus, dum ad deteriora deflectimus, quæ omnia præstat cunctatio, eum præiuit,* Diu. Gregor. Nazianz. orat. 42. de Pascha. 228 (Procop. Gazæus.) (D. Gregor. Nazianz.)

*Velocissima sit obedientia.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, baculos tenentes in manibus,* quo habitu diximus animum promptissimum ad obediendum designari, sed notemus hæc verba, *Cum festinatione comedetis eum,* Cur festinationem ab obediente exigit? quia præter conditiones requisitas in vero obediente, vt quod sit hilaris, non curiosus mandatorum disquisitor, debet esse adhuc velocissimus: sic explicat D. Bernard. de virtute obedientiæ, *In eo quod filiis Israël præcipitur, vt agnum comedant festinanter, veri agni comestio signatur implenda, quia, verba illa quæ per legem dedit quæ per semetipsum præsens exhibuit, quæ per Ecclesiæ præpositos tradenda reliquit, veloci obedientia sunt adimplenda, & tu ergo cum voluntatem cordi, simplicitatem operi, hilaritatem vultui coniunxeris, adde velocitatem vt sis iuxta Apostolum Iacobum, velox ad audiendum & ad implendum velocior.* 229 (D. Bernard.)

*Semper de bono in melius tendamus.*

*Sic autem comedetis eum, &c. est enim Phase id est transitus Domini.* Nonne bonum opus, obedientem se Dei mandatis præstare, frænare libidinem, munire se contra serpentes tartareos? cur igitur transitum requirit? his virtutibus ornati maneant in Ægypto. non sat est virtuti studuisse, nisi de virtute in virtutem progrediaris, de bono enim in melius debes transire, sic annotante Hyeron. ad Fabiolam, *Porro quod ipsa solemnitas appellatur Phase id est transitus, id nobis indicat quod de peioribus ad meliora pergentes, tenebrosam Ægyptum derelinquamus.* 230 (D. Hieron.)

*Vita nostra attente consideranda tanquam transitus citissimus.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, &c. est enim Phase id est transitus Domini.* 231

Certe edendi modum non remissum quendam tradit, vt in conuiuiis fieri solet, vbi conuiuæ sedent manibus liberis, & pedibus non ad iter calceatis, & ad hæc effusis induti vestibus, sed contra quasi ad iter pedes iussit comedendo habere, duris calceis indutos, cingulis accingi, & baculis fultos: sed quid refert si recti aut sedentes, si aut ad iter calceati, vel alio modo, si festinanter an mature, si manibus baculum teneant, an non? quid hæc ad virtutem colendam, vel fugienda vitia, quod maxime latores legum respiciunt, hæc afferunt profecto parum aut nihil. Cur igitur iussit ita fieri? *Manifestum est* (inquit Gregor. Nissen lib. de vita Moysis) *hoc comedendi modo altius quoddam legislatorem nobis velle ostendere*, sed quid altius considerare possimus? respondet. *Patet hoc à nomine, transitũ enim comestionẽ illã appellauit quid illis rerũ inuolucris voluerit significare? mõet enim per hæc ænigmata, vt cõsideremus ac intelligere velimus transitum quemdam esse hanc vitam nostram, nam postquam ingressi sumus ad hanc vitam, necessitate quadam ad exitum semper compellimur.*

D. Gregor. Nissen.

*Parcissima viuendi ratio à peccatorum aculeis nos præseruat.*

232 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus.* Si per illud Phase transitum denotans vitam nostram diximus intelligendam. cur calceamenta in ea ducenda, necessarium est habere? plures enim in pluribus regionibus incedunt discalceati; aduerte quod spinis facile pedes læduntur, nisi calceis muniantur, spinæ autem nonne adumbrant peccata quibus pungimur? nonne calcei sunt duri & ex materia aspera? quo posito recte cit. Nissenus ait, quod cum vita nostra sit transitus, parcissimam, asperam viuendi rationem quæ calceamentis adumbratur, amplecti debemus, qua à peccatorum aculeis muniamur: verba illius subiicio. *Ne spinis in hoc arduo viuendi itinere pedes lædantur, non nudis pedibus sed durioribus calceis communiti, itinerare debemus: spinæ autem quæ pedibus infixæ non solum retinent retardantque, verum etiam enecant, peccata sunt à quibus calceorum durities defendit: continentissima videlicet ac dura vita quæ debilitet atque frangat spinarum acumina quibus à paruo tenuique principio ad anteriora vsque peccata sic ingrediuntur, vt penitus occidant.*

Cit. Nissen.

*Modestia in recta viuendi ratione necessaria est.*

233 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis.* An in recta viuendi ratione necessarium est, vt renes accingantur? videmus in republica bene ordinata, plures vestibus demissis incedere, & nihilominus non minorem mereri laudem: tamen Deus præcipit vt lumbi præcingantur, effusæ vestes sane voluptatem non solum veneream, sed quæ ex cibo, & potu, & vestimentorum curiositate & luxu capitur, denotãt: quo ergo cingulo hæc omnia præcingenda? sane modestia, quæ frenum his omnibus, quæ nimia sunt, imponit, quæ sumptus limitat, quæ vestibus & cibis modum imponit, hanc veritatem accipe à cit. Nisseno. *Ad hanc vitam faciendam talaris vestis & effusa, id est voluptuosa & vitiosa viuendi ratio, quæ latissime patet nimiumque effunditur, impedimento est quæ cingulo quodam sursum trahenda est & coarctanda, ne huc aut illuc circumfluat, cingulus vero modestia est & diligens viuendi ratio, quæ nos monet ad necessitatem non ad voluptatem rebus vti, quod autem pro modestia cingulum capiatur, etiam membra corporis quæ cingulo connectuntur, testimonio sunt.*

Cit. Nisseno.

*Spes necessaria, vt recta viuendi ratio instituatur.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis tenentes baculos in manibus.* Quid necessarium est tenere baculum vt recta viuendi ratio instituatur? dices vt impij coerceantur & puniantur. Sed cum amore potius quam timore ducimur, non mihi videtur conueniens baculum teneri: nonne iam à nobis dictum baculo spem denotari? nos enim fulcit ne cadamus, spes etiam nos alit, ne in aduersis corruamus: quot enim in vita humana casus aduersi contingunt, quibus obrueremur nisi spe fulciremur? dic ergo non immerito legislatorem iubere vt baculus præ manibus habeatur, spes enim eo adumbrata necessaria est, vt recta viuendi ratio instituatur, fauet cit. Episcop. Nissenus, *Baculus quo & feras repellimus & nonnunquam sustentamur, spes est, hac enim sola inducimur, vt labores simul & dolores sufferamus, hac fessos animos recreamus, hac fit vt ardentius plerumque in latrantes canes, alienas videlicet à veritate bestias insurgamus, hac armati longe illas ab ouibus nostris arcemus.* 234

Nissen.

*Christus Dom. transiturus ad patrem significatur.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis,* &c. S. Prosper. 1. p. præd. c. 37. ait, vides quomodo in Paschate quod est transitus, omnis actio fidei nostræ passionisque Dominicæ continetur Sacramentum, sed cum ad patrem ex hoc mundo transierit, & antequam ad patrem ascenderit, fide credimus ad inferos descendisse: quomodo secundum Prosperum, in hoc Paschate omnis actio fidei nostræ continetur? audiamus Abbatem Tuitensem lib. 2. respondentem. *Cæterum*, inquit, *transitus ille Hebræorum alium nobis transitum figurauit, de quo dicit Euangelista Sanctus Ioannes 13. ante diem festum Pascha, sciens Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad patrem, ille enim vere transitus Domini, imo omnium nostrum transitus est: nam illo transeunte ex hoc mundo ad patrem, transiuimus & nos eiusdem patris gratia de vinculis ad absolutionem, de tenebris ad oculorum nostrorum reuelationem, transiuit ille quidem de hoc mundo, qui & ipse quodam modo dicitur transiuit per Ægyptum interiorem id est infernum, qui secũdum nomen Ægypti vere tam tenebrosa est & locus horridus, & quoscumque inuenit illic dignos filios Israël signatos fide sanguinis sui, à iusto Abel qui primum in typum illius obtulit agnum, vsque ad latronem quem sanguine suo signauit, in ipsa hora transitus sui cunctos liberauit percutiendo primogenitum Pharaonis, id est peccatum primæ præuaricationis, quod originale dicitur.* 235

S. Prosper.

Rupert. in Exod. Ioan. 13.

*Accingunt se Iudæi, Christum agnum immaculatum crucifixuri.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis,* 236

Quid sibi volunt renes accincti? renes accingimus cum ad ambulandum promptiores esse volumus, vel quando aliquid cum fortitudine volumus perficere: an hoc vtroque modo Iudæi perfidi, cum agnum immaculatum ore suo blasphemo comedere, id est occidere voluerunt, lumbos suos præcinxerunt? ita equidem, nam quanta cum sollicitudine exierunt extra Hierusalem in montem Oliueti, trans torrentem Cedron ad quærendum Christum, vt eum captiuum ducerent? altitudo montis scandendi, difficultas nõnulla torrẽtis transeundi, sollicitudo itineris percurrendi, & in omnibus expedite se habendi, omnia hæc, renum accinctionem denotant: si autem attendas tibi, cognita erit renum accinctio secundo modo, ecce enim, *congregati sunt principes sacerdotum, & consilium fecerunt*: quale? *vt Iesum*, inquit, *dolo tenerent & occiderent*; nonne etiam diximus quod accinctio renum aliquando fortitudinem denotat in aliquo negotio peragendo? quid quæso hi omnes principes intendunt, dum simul peruersum ineunt consilium? sane suam ostendere fortitudinem in Christo Domino interficiendo: vbinam illorum fortitudo? audi illos, vt inquit dolo tenerent, &c. quod autem sit fortitudo impiorum patet 11. lib. Sapientiæ vbi adinuicem dicunt (Sapient. 11.) impij, *sit fortitudo nostra lex iniustitiæ*, & quid per legem iniustitiæ intelligant inferius exprimunt, *circumueniamus ergo iustum*, en accinxerunt se cum fortitudinis suæ argumenta præbere voluerunt in tenendo Christo per dolum & eo perfide interficiendo!

*Accincti semper debemus esse ad gratias Deo referendas.*

237 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis*, &c. Vt formetur conceptus, supponendum id quod ait Philo Hebræus lib. de sacrificio Abel & Cain, quod tria sunt genera hominum ingratorum aduersus Deum, trifariam inquit ingrati animi crimine mortalium plerique in Deum peccãt, aut enim per beneficiorum obliuionem, gratiarum actione se priuant, qua nil est pretiosius: quidam vero per nimiam arrogantiam, se ipsos auctores bonorũ suorũ existimant, nõ illũ verũ auctorem rerum omnium: tertij leuius peccant quã proximi, grauius tamen quam primi, hi bona sua referunt ad auctorem Deum, sed aiant se suo merito ea consequi, esse enim prudentes se ac fortes, & temperantes, iustosque, ideoque dignos diuina gratia & munificentia. sed ad quid hæc præsupponit Philo vt explicet cur renes accingẽdi sunt? cur baculi ferẽdi? quid enim commune habet renum accinctio, cum tot hominum ingratitudine? audiamus quid respondeat. *Accingamus nos & expediamus ad agendas omnipotenti gratias, reddendumque illi sine mora debitum honorem, preceptum enim est celebrantibus Pascha, id est ab affectu corporis & terrenarum rerum transeuntibus ad meditationem & cultum virtutum, vt accincti lumbos Pascha celebrent, expediti administrandum, & in virtutum exercitio laborandum, postremo iubentur properando cibum edere, quia Pascha creaturæ mortalis transitus ad Deum dicitur, & valde profecto conuenienter, nullum enim bonum est quod Dei non sit & diuinum, à Deo nempe petendum, & pro quo accepto gratias Deo agere oporteat, atque id in Dei cultum & obsequium conferre.*

(Philo Hebraeus.)

*Deus cum magna fortitudine pro suis pugnat.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, &c. est enim Phase, id est transitus Domini.* An Dominus transit cum nullo loco teneatur, sed vbique sit? quomodo transire potest? hoc enim dicit de loco in locum mutari, quod diuinæ omnino repugnans est immensitati: at Rupertus hoc dictum secundum figuram temporis illius, per quidam similitudinem, quænam Ruperte potest ille similitudini satisfacere? *Egredi ar in similitudinem Gigantis ingenti fortitudine cõtra hostẽ irruentis & post abscessũ suũ victoriæ suæ vestigia plena relinquentis planctibus, quocirca in lib. Sapient. c. 18 scriptum est de hac ipsa historia, cum quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter peragerret, omnipotens sermo tuus exiliens de cœlo à regalibus sedibus venit, & durus bellator in mediam exterminij terram prosiliuit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans repleuit omnia morte, & vsque ad cœlum attingebat stans in terra.* 238

(Rupert. lib.) (Sapien. 18.)

*Virtuosi esse debemus agnum Eucharisticum comesturi.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, & comedetis festinanter.* Septuaginta legunt μετὰ σπουδῆς. Pelusiota lib. 4. Epistol. 162. inquirit quo pacto illud intelligendum sit? id nonulli inquit existimarunt, sic dictum ideo quia Iudæis celeriter ex Ægypto excedendum erat, & hoc sane verum est: sed aliam subtilem adhibet rationem, supponit enim σπουδάζειν, significare diligenter, strenue, & etiam virtuose agere vnde σπουδαῖος, studiosus & σπουδαῖοι, hoc est studiosi vocantur virtute celebres: en cur iubetur vt festinanter Pascha comedatur id est virtuose? virtuti enim maximè dediti esse debemus, agnum Eucharisticum comesturi: subiicio verba citati Isidori Pelusiotæ, qui sic cõcludit postquam explicuit hanc dictionem festinanter, *Oportet igitur studiosum esse, hoc est virtutis amantem eum qui diuinum & verum Pascha digne velit comedere.* 239

(Isidorus Pelus.)

*Eucharisticum Sacramentum maximo cum timore considerandum.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus*, &c. Quis non asseret hunc ritum pluribus inuolucris obuolutum? ad quid enim hic habitus vt agnus comedatur Paschalis? quid baculi conferunt? quid lumborum præcinctio, cũ dicat Nicenus animaduerte diligenter totam huius conuiuij speciem, quã sit diuersa ab aliis: in symposiis enim habent homines solutas liberasque manus, & vestem, in pedibus nihil est quod faciat ad iter, cibi præterea omnes opipare iucundissimeque conditi, ad libitum apponantur conuiuatum: hic vero contrario modo se habent, pedes muniti sunt calceamentis, zona talarem togam adstringit, manus baculum gestat, & cum pane, eo quidem azymo apponuntur olera agrestia & amara, & carnes eousque deuorandæ sunt non comedendæ, vt nihil omnino supersit. quid ergo dicemus cum tot mysteriis scateat hic ritus agnum legalem comedendi? respondet Diuus Chrysostomus hom. 23. in Epist. ad Ephes. *Horrenda ac tremenda mysteria, multamque profunditatem ha-* 140

(D. Chrys.)

*bentia*, & addit, *si in typis ita sunt tremenda multo magis in ipsa veritate:*

### *Omnibus malis operibus valedicendum vt digne agnus Eucharisticus sumatur.*

241 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis,* Quia sunt hæc vitæ semina quibus virgines generantur, sed lumborum præcinctione intelligitur ne solius libidinis prohibitio & castitatis custodia? nō equidem ait D. Pascha. lib. de sanguine & corpore Domini prope finem, sed ea renum accinctione omnia praua opera prohibentur, vt digne valeas ad agnum Eucharisticum accedere, subiicio verba Abbatis Corbeiensis. *Si volumus panem illum qui de cœlo descendit, & agni Dei carnes digne comedere, necesse est ab omnibus peccati operibus vacare purificationem que mentis apud Deum dirigere.*

D. P. Schas. Abbas.

### *Actus sæculi non nos retardent ab esu agni Eucharistici.*

242 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus*, & subiungit, *comedetis eum festinanter.* Quid refert vtrum adhuc commorentur in Ægypto nec ne? quid enim obesse potest esui agni legalis, quod aliquam adhuc moram contrahant in terra Gessen, quam per tot annorum curricula incoluerunt? nonne per Ægyptum, hoc sæculum mundanum intelligimus? recte ergo præcipitur vt festinanter agnus legalis comedatur, quia nullus actus huius sæculi non omnino nos debet detinere, vt ad agnum Eucharisticum vt par est accedere valeamus: do citatum Abbatem, *In sæculi actibus remorantes non digne comedunt Pascha, videlicet carnes agni, & ideo satis timendum talibus ne cum Ægyptiis nocte perimantur dum sopore peccati premuntur, vastantur enim ab Angelo quorum mentes agni sanguine non sint respersæ, tam exterius in carne quam exterius in conscientia: saluantur vero lumbis accincti, & calceati pedibus, baculoque Christi sustentati ad patriam hinc quantocius summo mentis ardore vel desiderio festinantes.*

Cit. Abbat.

### *Magno desiderio cælestis patriæ teneantur fideles, & sic agnum sumant Eucharisticum.*

243 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus*, &c. *est enim Phase, id est transitus Domini.* Et quia transitus Domini comedendus cum festinatione, quæ festinatio ingens animi desiderium denotat, secundum plures, transitus autem ille exponitur ab Ægypto, nempe ab hoc sæculo ad terram promissionis, id est gloriam cælestem, sed qua de causa cum comedendus est agnus legalis id cum festinatione peragendum, & quia est transitus? quia magno desiderio cælestis patriæ teneantur fideles, cum agnum Eucharisticum sunt sumpturi: audiamus cit. Abbatem. *Patet igitur quod nisi desiderio cælestis patriæ ad superna vbi Christus est in dextera Dei patris, fide plenissima & spe certa, nec non charitate non ficta, festinus transeat, de agni carnibus iure non comedit, quia legem in hoc iubentis violat, propterea quoties eum percipimus, attollamus mentes in desiderium, & per ardorem fidei festinemus, ad tantam satietatem visionis, quia nimirum hic gustus est illic autem satietas, satiabor inquit Propheta Psal. 16 cum apparuerit gloria tua.* Psalm 16.

### *Vult Deus vt exacte beneficiorum suorum simus memores.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis*, &c. Nonne satis erat vt tunc agnum non comederent, sed post egressum ex Ægypto, & deinceps in Iudæa? cur etiam hunc ritum voluit ab eis obseruari in renibus accinctis & calceatis pedibus, nec non baculis in manibus habitis? nonne Iudæi erant omnium hominum ingratissimi? quid miraris igitur si non solum præcepit vt agnum comederent in memoriam suæ salutis, sed etiam cum hoc habitu, vt non solum tempori sed etiam habitui comunium memoriam suorum beneficiorum coniungere? eadem sunt fere verba Ioannis Chrysost. *Quid vult hæc historia? beneficiorum Dei, facile obliuiscebantur Iudæi, nō igitur beneficia sua Deus duntaxat tempori alligauit, sed & vescentium habitui.* 244

Cit. De &c. hom. 13. in Epist. ad Ephes.

### *Discalceatorum condemnatur hæresis.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus.* Nonne Deus præcepit Iosue & Mosi vt calceamenta deponerent, nec non Apostolis, vt ea itineri faciēdo non haberent? non immerito igitur aliqui dixere hæretici qui discalceati dicti sunt, teste D. August. hæresi. 68. homini non licere calceamenta deferre, sed quid nunc præcipit Deus Israëlitis? nonne audistis, calceamenta habebitis in pedibus vestris? nonne laudatur sponsa ex suis calceamētis? quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis? nonne Ioannes dixit de Christo Domino quod non erat dignus soluere corrigiam calceamentorum eius? merito ergo damnantur tanquam hæretici, non quia calceamentis non vtebantur, etenim propter corporis afflictionem & ad edomādam carnem nudis pedibus ambulare laudabile & meritorium, vnde in religiosissimis prouinciis discalceatorum nostri ordinis, (in quarum vna indignus habitum religionis Seraphicæ assumpsi & in ea professionē emisi) mos laudabilis inoleuit, vt omnino discalceati nudisque pedibus incedant religiosi, non ergo hac de causa damnantur ab Ecclesia vt hæretici, sed quia prænominata testimonia hoc sensu intelligebant, & mordicus defendebant, quod nunquam liceret homini calceamenta deferre; vnde credere nullomodo licitum esse calceamenta portare, hæreticum est, vt patet ex nostro contextu, in quo manifestissimum est Dominum iussisse Hebreis, vt calceati agnum Paschalem comederent, si autem Apostolis id prohibitum fuit, tamen non inde bene deducitur, quod idem omnibus fidelibus vetitū. Audiamus quid de hac hæresi dicat noster Alphonsus à Castro lib. 4. aduersus hæreses heresi 1. *Citant Philaster, Augustinus, vnam hæresim quæ docet non licere homini calceamenta portare, huius autem erroris nullum assignant patronum, eam tamen tenentes ab opere ipso discalceati sunt nominati, verum hic admonere oportet, hos non damnari velut hæreticos, quia calceamentis non vtantur, sed ideo damnantur quia credunt non licere illis vti.* 245

D. August. Alphonsus à Castro.

*Si Christus multa tolerauit, cur ad eius imitationem plura non sustinebimus?*

A *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, &c. est enim Phase, id est transitus Domini.* Aliqui, *est enim Pascha Domini*, ad quod alludens Paulus
1.Cor.5. 1.Cor.5. Pascha nostrum ait immolatus est Christus, quo passio Domini denotatur, qui tanquam ouis ductus est ad mortem, quique suum corpus dedit nobis ad manducandū. sed quid in nonnullis
Psalm.43. martyrum dicat Regius vates Psal.43. audiamus, facti sumus sicut oues escarum: an conquerendo hoc protulerunt, vel significando quod ad imitationem agni qui pro nobis tanquam Pascha immolatus est, libenter etiam tanquam oues ad supplicium ducti sunt? sane hoc secundum dixere, si enim Christus agnus immolatus, plura pro nobis passus est tormenta, cur similiter ad eius imi-
D.Ambros. tationem plura non sustinebimus? ex calamo D. Ambros. in dictum psalmū hæc deprompsi, *Sunt etiam qui fiunt oues escarum, bonus Dominus noster Iesus Christus qui factus est ouis epulationis nostræ, quæris quomodo factus sit, audi dicentē, Pascha nostrum immolatus est Christus, & considera quemadmodum parentes nostri in figura diripientes agnum manducabant, significantes Domini Iesu Passionē, cuius quotidie vescimur Sacramēto, per ipsum igitur ouem facti sunt greges escarum sicut Aquila dixit: vel greges in escas sicut Theodotio locutus est, vel pascua edentium sicut Symmachus dixit, sed bona est epulatio non solum metuenda sanctis, sed etiam concupiscenda. aliter enim ad regnum cœlorum non potest perueniri, cū ipse Dominus dixerit: nisi manducaueritis meam carnem, & biberitis meū sanguinem, non habebitis vitam æternam: probatum est igitur quod Dominus noster sit cibus, & epulatio, vel alimentum edentium: sicut ipse ait: ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, & vt scias quia hæc omnia propter nos facta sunt, ex quo illē descendit, ex illo sanctus ait: nos omnes vnus panis sumus: nō ergo timeamus quia facti sumus oues escarum, sicut enim Domini caro, & sanguis ipsius nos redemit, ita etiā Petrus pro Ecclesia multa tolerauit. multa etiam sanctus Apostolus Paulus, & cæteri Apostoli pertulerunt.*

*Vota nostra sine cunctatione Deo persoluenda.*

246 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, &c. comedetis festinanter.* Quod nō solū in Ægypto sed postea obseruatum est in Palæstina, quod non caret difficultate, nam cum ex Ægypto recessuri erant, celeriter comedendus erat agnus, quia eadem nocte percutiendi erāt morte primogeniti Ægyptiorū, sed cū in Palæstina post esum agni, nullius interitus nec discessus sequendus, cur voluit Deus vt etiam cum festinatione tunc comederent? vt denotaret quod nō solum semel sed semper sine mora & in festinatione Deo nostro vota sunt persoluenda, subiicio quid dicat cit.
D.Ambros. Ambros. lib.2. de Cain & Abel. c.8. *Habes in E-*
Luc 19. *uangelio dicentem Dominum Iesum Luc 19. Zachæe festinans descende, & ille quia impetrauerat quod volebat vt Christum videret, & amplius impetrauerat vt videretur & vocaretur à Christo, festinans descendit & excepit illum gaudens, & ideo probauit Dominus eius affectum ad beneficium, & eum celeri remuneratione donauit, dicens quia hodie salus domui huic facta est: festinauit enim Dominus ad beneficiū, & non expectauit vt promitteretur: postea impleret, sed quod ante fecit postea declarauit, dixit enim facta est salus quod vtique præuenientis fuit non promittentis, nisi ergo suum votum celeritate commendat, & ideo patres nostri festinanter manducabant Pascha.*

*Prædicator veritatis nihil timere debet.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus.* Si autē quid 247
iusserit Dominus discipulis suis consideremus, contrarium eis iussum intelligemus, ait enim illis apud Lucā c.10. Ecce ego mitto vos sicut agnos Luc.10.
inter lupos, nolite portare sacculū, non perā, non calceamenta: quę prohibentur Apostolis, Israëlitis in esu agni legalis iubentur accipienda, dices, quia cum calceamentum de corio mortui animā-
B tis confici soleat, hinc est quod Dominus in suis discipulis nihil mortale voluerit esse, nihil in eis terrenum. sed certum est nihil etiam in Israëlitis ab Ægypto egredientibus tale voluit conspici: verum attente consideremus quod Apostoli mittebantur vt veritatis præcones, annuntiaturi verbum Dei, & qui calceati incedūt, timent vel morsus animalium venenatorum, vel aliquod aliud offendiculum, vt viæ asperitatem, vel aculeos & spinas quibus læduntur: responde ergo prudenter à Christo Domino iussum fuisse Apostolis, vt depositis calceamentis incederent; quia Prædicatores veritatis nihil metuere debent, imo nec ipsam S.Episcop. Mediol.
mortem formidare: ita explicat S. Episc. Mediol. lib.7. in Luc. c.10. *Quod si quem mouet qua ratio-*
C *ne in Ægypto calceati iubentur edere agnum. Apostoli autem sine calceamentis ad prædicandum Euangelium diriguntur, is considerare debet, quia in Ægypto positus debet adhuc morsus cauere serpētis, nulla enim venena in Ægypto: qui autem minister est veritatis extat venena, non trepidat, huius enim muneris minister timere nihil debet, nec à suscepto officio mortis periculo retardari.*

*Quanta cum sollicitudine, examen debet fieri vt agnus sumatur Eucharisticus.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis,* 248
D.Ambros. *&c. comedetis festinanter.* D. Ambr. legit, comedetis in sollicitudine, cur tanta sollicitudo necessaria est vt agnus comedatur legalis? nonne satis est renes succinctos habere, nec non habere cal-
D ceamenta in pedibus? etiam cum sollicitudinē comedendus est agnus, vt quanto cum diligentia & cura examen fieri debeat in esu agni Eucharistici denotetur, sic noster Bernardin. ser. 11. tertij Noster Bernardinus Senens.
tomi art. 3. c.3. *Debet enim homo examinare conscientiam suam, & nullum sibi angulum relinquere indiscussum, quia vere sicut Ioan. 12. Dominus ait, nunc iudicium est mundi, scilicet microcosmi, & merito quidem, quia sicut Propheta ait Psal. 96. honor* Psalm.96.
*regis, scilicet Christi iudicium diligit, videlicet in sumptione corporis eius, discutienda est enim conscientia quasi homo ex hoc mundo transiturus ad patrem, in cuius mysterium Exod.12. dictum est populo Iudæorum ad agni comestionem renes vestros accingetis, &c.*

*Obseruatio disciplinæ & toleratio patientiæ in esu agni Eucharistici necessaria.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis,* 249
*calceamenta habebitis in pedibus vestris.* Quis iste

manducandi ritus? quæ cæremonia? quis vidit homines mensæ accumbentes, cum baculis & renibus accinctis: nonne risu dignus iudicaretur, qui sic conuiuio præsens adesset? quid ergo hic ritus nobis denotat? consulamus nostrum Bernard. Cit. Bernar. Senens. tom. 3. serm. 9. cap. 2. art. 3. *Debebat esse, manducans agnum, primo calceatus pedibus, secundo accinctus renibus, tertio tenens baculos in manibus, ex his omnibus aliquid morale intelligendum est. primo in pedum calceatione, duo intellige, scilicet conculcationem concupiscentiæ, & obseruationem disciplinæ; ad talem animam sequitur sponsus dicens* Cant. 7. *Cant. 7 pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis: secundo in renum accinctione duo quoque comprehende, scilicet obiectionem immunditiæ & exemplum bonum munditiæ. sicut* Luc. 12. *Luc. 12. Dominus ait. sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris: tertio vero in baculi sustentatione etiam duo intelligenda sunt, scilicet toleratio patientiæ, & peregrinatio, vt posset* Genes. 32. *dicere cum Iacob Genes. 32. in baculo meo transiui Iordanem.*

*Tanta cum puritate agnus Eucharisticus sumendus vt nullum propositum peccandi in te maneat.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis,*
250 &c. Sed quandonam comedendus erat? agnus legalis, mense primo, luna decima quarta, & hora vespertina, sed cur hora vespertina potiusquam matutina vel meridiana? supponit noster Bernard. Senens. cit. tom. & serm. cap. 1. quod mensis primus significat perfectam reformationem pœnitentiæ, dies decima perfectam obseruationem legis diuinæ, Luna 14. perfectam obseruationem operis virtuosi, hora vespertina perfectam obseruationem perseuerantiæ sola enim, secundum hunc inter cæteras virtutes triumphat, proinde licet in aliis temporibus sit præparatio agni, in sola tamen hora vespertina est sumptio eius: sed qua de causa in sola hora vespertina agnus comeditur? D. Bernard. respondet cit. Senens. *Quia semper cum nunquam mortaliter peccandi proposito sumi debet, quasi tali menti semper occidat sol, omnis gloria temporalis, ac sic in vespera mortis existeret, sic ad amorem Domini Iesu omnis ei mundi claritas obscuretur.*

*Sacramenta veteris legis figurantur parum duratura.*

251 *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis.* Vt vidimus in expositione, comederunt Hebræi non sedentes sed stantes agnum legalem, imo postea non solum stantes, sed etiam ambulantes circum mensam, vt dicunt in suo rituali מסבין mosubin gyrantes, & totus hic habitus nempe baculus in manibus, calceamenta in pedibus, & renes accincti denotant homines iamiam paratos ad iter, quod mox erant peracturi, & ideo comedebant festinanter, cur non accumbentes vel sedentes comedunt? cur gyrantes vel stantes & quasi iam iter perfecturi? sane vt eis significaretur, Sacramentum agni Paschalis, nec non alia veteris legis cito fore transitura, cum veniret Christus quem præfigurabant, cuius lex & Sacramenta vsque ad finem mundi perseuerabunt.

A *Ne à vitiis fallamur, sed si fallimur ea corrigamus illico.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis,* 252
*calceamenta habebitis in pedibus vestris.* Et quid amplius: *baculos tenentes in manibus.* Algerus lib. Algerus.
1. de Sacramento altaris c. 12. ait lex dedit in calceamentis cautelam ne à vitiis fallamur, verum est enim quod calceos induimus, ne ab aliquo extrinsecò lædamur, & sic affectus animæ nostræ muniendi sunt ne à vitiis impugnentur: sed cum natura propensi simus in malum, quid faciemus si ceciderimus, si lapsi fuerimus in aliquod delictum? baculos tenentes, inquit textus, in manibus. quid refert vtrum baculum teneas nec ne, cum deliqueris? nonne baculo correctio denotatur? merito B igitur postquam calceamenta posueris, ne à vitiis fallaris, tenendus est in manibus baculus vt si ab eis deceptus fueris, ea illico & sine cunctatione corrigas. id docet cit. Alger. *Lex dedit in baculo disciplinam qua perpetrata corrigamur.*

*A passionibus carnis ad gratiam transeamus.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis* 253
*&c. est enim Phase, id est transitus Domini.* Quotannis autem celebrant huiusmodi festum Paschatis & transitus, imo & nos postquam Pascha nostrum immolatus est Christus, singulis annis diem hunc sacrum peragimus, nonne satis erat semel in memoriam tanti beneficij hunc solemnem diem egisse? accipe quod dicat D. Ambr. li. D Ambro.
1. hexa. cap. 8. *Pascha Domini quotannis celebratur, hoc est animarum transitus à passionibus carnis* C *ad gratiam, sobrietatemque mentis, à malitiæ nequitiæque fermento ad veritatem & sinceritatem regenerationis.*

*Non solum in memoriam rerum factarum, sed & faciendarum Pascha celebratur.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis,* 254
*&c. est enim Phase, id est transitus Domini.* Vel vt alij, *est Pascha Domini* Cur Deus iussit celebrari Pascha in exitu Israëlis ab Ægypto, nempe mense Martio? an in tanti beneficij celebritatem? an in memoriam rerum factarum, in memoriam videlicet egressus & transitus creaturarum à Deo qui fuit eo tempore? sed an solum celebratur hac de causa, scilicet in rerum factarum recordationem? non equidem, sed etiam rerum faciendarum, nam D vt optime noster Georgius Venetus tom. 1. de histor. Sacram. probl. 336. *Eo tempore Christus nos è* Georgius Venet. *potestate tenebrarum eripuit, & eo tempore (vt nonnulli sentiunt) liberabimur ab omnigena seruitute corporis videlicet mundi, peccati, & diaboli per veram resurrectionem.*

*Nihil carnale cogitemus in agno Eucharistico nec aliquid nos reuocet ab eius vera fide.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accinge-* 255
*tis, calceamenta habebitis in pedibus vestris.* Licet pluries sciscitati fuerimus cur renes accinguntur, calceamenta in pedibus habentur, cum comedendus est agnus legalis; nihilominus non pigebit iterum inquirere, cur hic ritus obseruatur? cur igitur renes accinguntur? quid respondeat cit. Geor. Cit. Georg.
in suo libro de harmonia mundi tom. 3. cant. 2. cap. 19. audiamus. *Ne quid videlicet carnale sen-*

tiatur

*tiatur aut cogitetur in hoc edulio.* Carnale quid sentiebant & cogitabant, qui dixerunt, quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? sed cur calceamenta habenda sunt in
cit. Georg. pedibus? satisfacit cit. auctor, *ne affectus ostendantur ab aliquo extrinseco & deuiante obiecto*, obiectum scilicet species panis, quasi deuiat nos à fide adhibenda, quod sub illa sit verus agnus Eucharisticus, sed muniendi sunt pedes, id est affectus nostri ne in errorem incidamus.

### *Fortitudo militaris à virtute castitatis præfulget.*

256. *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis.* Non est dubium quin militaris fortitudo huiusmodi renum accinctione denotetur, his enim verbis militare balteum agnouit S. Greg. Nazianz. orat. 2. de Pascha, agnouerunt alij cingulum castitatis, vnde præter alios sic recte Algerus cit. lex dedit in accinctis renibus continentiam & castitatem, quia Christo agno immaculato, & virginis Filio crucifixo eiusque vnctioni nihil ita aduersatur, vt voluptas & fornicatriæ societatis vnitas. sed cur simul cingulum castitatis cum cingulo militari? quia in veris Israelitis & christianis militibus, robur & fortitudo militaris à virtute castitatis præfulget sic enim tanquam fortissimam commendat castitatem S.
S. Cyprian. Cypri. lib. de singular. clericor. *Castitas numen inuictum est, expugnatio fortis, fortitudinis firmitas, anima victoria, debellatio bellorum, seueritatis gladius, triumphator & dissolutionis excisor, armatura virium, & exarmatura fluxorum.*

### *In castitatis duello per fugam vincitur.*

257. *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis.* Quid hic lumborum præcinctus innuit? præcinguntur ne lumbi Israelitarum, an vt hostem Ægyptium aggrederentur, an vt hostem fugerent?
S. Fulgent. S. Fulgentius tracta. de incar. verbi, omnis Christianus ait præcinctos habeat lumbos, vt fugiat libidinem. quid? nonne conuenientius esset renes accinctos habere, ad impugnandam libidinem quam ad eam fugiendam? sane cæteræ virtutes suos præparant milites ad congressus, at castitas, quos victores expetit, sic præparat vt illis non congressum sed fugam suggerat, quod agnouit S. Iob. de quo loquens S. Chry. ho. de contin.
S. Chrysost. Ioseph. *Censebat*, inquit, *in prælio contra dæmones virili & audaci animo opus, in continentiæ præparatione victoriam concedi non ex virginis consuetudine sed secessu*, & S. Bruno Carth. in cap. 6. Epist. 1.
S. Bruno. 1. ad Cor. 6. ad Corint. super illa verba fugite fornicationem ait, *notandum est quod dicit fugite fornicationem, hoc enim peccatorum non est expectandum, sed antequam veniat, quibus adiumentis possumus, ab ea fugiamus, difficile enim est euadere ab ea, postquam ignitas sagittas fornicatio intorsit, & ideo dixit fugite & non expectate, quia vbi aliquos accessus habet, non est hominis inde eam expellere.*

### *Verus Israelita & Christianus omnia omnibus debet esse in bono.*

258. *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis.* Cur nõ est sermo de vestitu, & qua forma induē-

A di eram? cur agitur solum de lumborum accinctu? sic etiam Dominus Luc. 12. Apostolicos viros alloquens ait, sint lumbi vestri præcincti, ad Luc. 12. S. Petr. Chr.
quæ eleganter Petrus Chrysol. serm. 23. nouus ordo vigiliarum, nouus habitus imperatur, sint lubi vestri præcincti, nihil de vestitu, nihil de ipsius occursus apparatu, serui vigiles admonentur, sed tota in præstringendis cura demandatur. sed quid illo præcinctu insinuatur subdit cit. Episcop. Rauen. *Cingulum quidem est indicium seruitutis, quod & discursus expeditos habeas, & facias obsequentes*, hic est vere Israelita, hic vere Christianus qui nihil aliud expetit, nisi omnia in omnibus esse, in bono omnibus obsequi.

### *Verus Christi discipulus longe perfectior esse debet Israelita, & nulli inimicus.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis,* 259.
B *calceamenta habebitis in pedibus vestris*, & quid amplius? *baculos tenentes in manibus*, sed quid discipulis iusserit Christus Do. accipiamus à Matt. Matth. 10.
c. 10. *nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*, at Israelitis dicitur vt commodato petant ab Ægyptiis vasa aurea & argentea, *non peram in via*, panes ferebant Israelitæ, vel saltem farinam ex qua possent confici, *neque duas tunicas*, Israelitæ pretiosissimam suppellectilem habuerunt ab Ægyptiis, *neque calceamenta*, hi calceati incedunt, *neque virgã* hic cum baculis egrediuntur. sed premamus hoc consilium datum discipulis suis à Christo Domino: primum omnia mundi bona iubet à suis deponi, postremo etiam & virgam; cur ad extremum reseruatur depositio virgæ? cur non magis manda-
C tur virga deponi ante aurum & alia bona? in virga instrumentum vltionis denotatur, quæ solet sumi de inimicis. ideo post aurum deponi mandatur, quia post contemptum mundialium bonorum, nec instrumentum vltionis seruari debet nec manet inimicus. non longe abest S. Ambr. S. Ambros.
lib. de Ioseph c. 13. inquiens, *Dominus misit discipulos suos sine auro, sine argento, sine pecunia, sine virga, tacitè vt & incentiua litis & instrumenta eriperet vltionis.* Et quidem vbi temporalia bona à corde fidelium eripiuntur, & etiam instrumenta vltionis eripiuntur, nemo enim inde noscit inimicum, vnde cum Israelitæ onusti auro & argento essent opus habuerunt baculis, quibus à persequentibus se defenderent.

### *Lenitas & mansuetudo Christiana ad durissima quæque debellanda.*

D *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, &c. baculos in manibus habentes.* Quibus tamen emollire animum Ægyptiorum non potuerunt, quærso consulamus, quid dixerit Dominus suis, vt vniuersum mundum debellarent, nolite inquit apud Matth. 10. portare nec peram in via, neque virgam. cur Iesus mittit inermes? cur nudos mittit milites vt de vniuerso orbe triumphũ referant? quia Christus in suis, non armis, non gladiis, non baculis, sed suauitate & mansuetudine triumphat. pulchre D. Ambros. ad ca- cit. S. Doct. 260.
put 2. Lucæ. *Nihil in sensu Christi vereare terribile, nihil immite, nihil triste, vis Christi audire censores, iubentur censere, sed non virgis, nec terrore, sed gratia plebem quærere, condere gladiũ, non possidere*

*aurum, talibus censoribus acquisitus est orbis.* Nullius equidem gladius totum acquisiuit orbem, sed orbem acquisiuit Christiana suauitas, sed orbem acquisiuit lenitas Christiana.

### *Speres vbertatem à Deo, à quo te vides in penuriam agi.*

*Sic autem comedetis eum, baculos tenentes in ma-*
261. *nibus.* Calceatos etiam præcipit itineri se accingere, sed id parum esset ni & eis spolia aurea & argentea Ægyptiorum concederet, nec non farinam, vt panes in itinere conficerent, abundantissime eis omnia necessaria & ad victum & ad vestitum largitur; argues igitur eum eo quod parcissimus fuerit erga proprios discipulos, cum illis omnia fere ademisse videatur, ait enim illis, Matth. 10. nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniā in zonis vestris, non calceamenta, non virgam &c. cur sic discipulos Iesus mittit vacuos, vt nec frustum panis in pera, nec calceamentum in pedibus, nec pecuniam in zona, nec baculum in manu habere permittat? an id putabant fieri, quia Iesus illis commeatum non poterat præstare? absit hoc à discipulorum mentibus, id enim Marcionis erat nefarissimum cogitatum. boni autem discipuli cum se experiuntur ad eam penuriam à Iesu trahi, tunc magis credunt illius esse posse omnium abundantiam suppeditare, ex quo nefariam mentem Marcionis confundit Tertul. lib. 4. aduersus eum. *Dimit-*
Tertul. *tit* (inquit) *discipulos ad prædicandum Dei regnum, nec non prohibet eos victus aut vestitus quid in viam ferre, quis hoc mandasset, nisi qui & coruos alit, & flores agri vestit?* equidem nefarium esset credere extremam penuriam mandari, & inferri ab illo Deo, cuius non esset tanta rerum copia, quæ vel coruis desolatis, vel deserti herbulis superesset.

### *Virtus obedientiæ quasi immortales efficit.*

262. *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus vestris, &c.* Quo habitu diximus eorum animum ad obediendum promptum indicari, sed maiorem sane requirit à suis discipulis obedientiam, ait enim Luc. 10. nolite portare calceamenta, cur si viæ se accingunt & huic asperæ, non eis licitum calceamenta deferre? ait Origen. hom. de Elcana. *Vt pedes qui*
Origen. *currebant ad annuntiandam vitam æternam omnino carerent mortalitatis indicio,* pende hæc verba, *omnino carerent mortalitatis indicio,* quasi virtus obedientiæ quæ illos ducebat, non solū mortis metu eos eriperet, sed etiam immortalitatis dono solidaret.

### *Concionator Euangelicus ad res terrenas non se inflectat, nec mortuis operibus studeat.*

263. *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus vestris.* Deinde paulo post legimus quod farinam posuerunt in palliis suis, ex qua panes conficerent, contrarium videmus iussum discipulis Domini Matt. 10. no-
Matth. 10. lite possidere aurum &c. nō peram in via, neque calceamenta; dices ideo id quod iubetur Israelitis prohibetur discipulis, quia erant concionatores, sed cur concionatoribus id prohibetur? præ-
A cipue cur pera ab eis non ferēda? cur calceamēta deponēda? aduerte quod pera hominem grauat, collumque eam ferentis deprimit: oportet ergo vt is qui munus prædicatoris suscipit, ad res terrenas non se inflectat: sed cur postquam prohibuit vsum peræ, statim de calceamentis abiiciendis intulit sermonem? calceamenta ex S. Greg. Mag. statim citando, significant demortua opera S. Gre. Mag
sæculi, quo posito recte vtrumque eis prohibet, quia concionator Euangelicus nō solum ad res terrenas animum inflectere non debet, sed nullo modo operibus mortuis huius sæculi studere. hoc dixerim ex citato summo pontifice hom. 17. in Euangelia. *Quid per peram nisi onera sæculi? & quid hoc loco per calceamenta, nisi mortuorum operum exempla signantur? qui ergo officium prædicatoris sus-*
B *cipit dignus non est, vt onus negotiorum sæcularium portet, ne dum hoc eius colla deprimit, ad prædicanda cælestia non assurgat; nec debet stultorum operum exempla conspicere, ne sua opera quasi ex mortuis pellibus munire.*

### *Virgo Deipara immunis à labe peccati originalis.*

*Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis,* 264.
*calceamenta habebitis in pedibus vestris:* Et sane ex hoc laudantur quod calceati agnum comederūt, nec non quod filio prodigo data fuerunt calceamenta, sed præcipue commendatur sanctissima Virgo quod calceata fuerit, dicitur enim Cant. 7. Cant 7
quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. vbi iure sciscitaberis, cur potius virginis gressus à calceamentis commendatur quam calceamenta à gressibus? nam in aliis vide-
C mus non nisi loci vel temporis opportunitatibus calceamenta tribui, de virgine autem indefinita oratione enuntiatur, quod pulchri fuerint omnes gressus illius, de primo ad vltimum in calceamentis: aduertamus quæso quod si aliquibus data fuere calceamenta moraliter intelligendum hoc, ne terrenis inhærerent, sed potius cœlestibus adhærerent, sic enim de filio prodigo cui data fuere sic ait S. Aug. lib. 2. qq. Euangel. c. 33. ad non tāgenda terrena, vel vt cursus mentis, verba sunt S. August.
Bedæ in cap. 15. Luc. vers. 22. ad cœlestia tendens, à terrenarum contagio rerum inuiolatus Beda.
seruetur, & mundus, priorumque munitus exemplis, super serpentes & scorpiones securus incedat: siue vt inquit indidem Ambros. necubi of- S. Ambros.
fendat ad lapidem pedem suum, & supplantatus à diabolo, Dominicæ prædicationis officium derelinquat. de Israelitis autem qui calceati man-
D ducaturi erant agnum, ait S. Gaudent. supra citatus, sicut calceamenta terrestria carnalium pedū munimina sunt, vt vel asperitati frigoris, vel serpentum morsui, vel spinarum resistant aculeis, ita legis diuinæ præcepta, quibus gressus nostrarum mentium munire præcipimur, repugnant & serpenti diabolo, & asperrimo aquiloni gentiliū & hæreticorum indigne compungentium spinis ac tribulis. en vt calceamenta eis dantur, vt muniti non lædantur à serpentibus tartareis, &c. en nūc ergo facile intelliges, cur cōmendatur virgo à gressibus in calceamentis, quod nudis pedibus vestigium non fixerit, sermo enim est de ea terra, quæ à Deo iam olim maledicta spinas & tribulos germinare consueuit, terra, inquam humanæ naturæ communi originali

labis contagione infecta, atque commaculata, quam quisquis huius vitæ limen attingit nudis pedibus premere cogitur, & hoc sensu videtur de semetipso locutus Salomon Sapi. 7. *Sum equidem & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, in ventre matris figuratus sum caro, & ego natus accepi communem aërẽ & in similiter factam decidi terram.* Hæc enim originariam labem quam cum omnes in vitam ingrediuntur, à primo illo terreno parente hæreditario iure accipiunt, belle exprimunt præsertim ex phrases ex genere terreni illius, qui prior factus est, quæ Græce habentur ex genere terrigenæ illius protoplasti, & illa, in similiter factam decidi terram, qua vitæ ingressus, casus siue prolapsionis nomine significatur, bene ergo egregiæ virginis laudi adscribitur, quod hanc terrã non nudis pedibus, sed cum calceamentis calcauerit, dum diuina gratia protecta atque præseruata, prius cœli verticẽ quam terræ pedem fixit.



## VARIETAS LECT. Vers. 12.

VVlg. Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine vsque ad pecus, & in cunctis diis Ægypti faciam iudicia ego Dominus.

Sept. Et transibo in terra Ægypto in nocte hac, & in omnibus diis Ægyptiorum faciam vindictã.

Cald. Et apparebo in terra Ægypti &c. & in cunctis idolis Ægyptiorum faciam iudicia.

Gr. k. Reuelaboque me in terra Ægypti.

## CONCORDIA.

LEgimus *faciam iudicia* Septuag. autem habent faciam vindictam; sed hi nostrum interpretem enucleant, iudicium enim illud consistit in sumenda de idolis vltione.

## EXPOSITIO.

ET *transibo* non per motionem loci ad locum, sed per potentiæ suæ ostensionem, & manifestationem, vel transibo localiter per Angelum percussorem, *ab homine vsque ad pecus*, addit Abulens. quod si fuere aliqui primogeniti auium interfecti fuerunt, sed cum aues ouis incubent, difficile est discernere, quales fuerunt ex pullis primogeniti, adde quod non hic est sermo nisi de primogenitis hominum vel pecudum: aliqui crediderunt per primogenitos pecudum non solum intelligi pecudum domesticarũ, sed etiam & ferarum, *& in cunctis diis Ægypti*, licet quidam ass[...]ãt per Deos, magnates quorum primogeniti occisi fuere, intelligi, tamẽ certissimũ est per Deos, idola denotari, quorum simulachra in hac nocte deiecta sunt, & contrita, vel terræ motu vel fulminibus, Rabbini omnia idola lapidea in puluerem redacta, lignea putrefacta, & è metallo fusilia colliquata, arbitrantur.

## CONCEPTVS.

### *Mors primogenitorum parentibus durissima est.*

264. TRansibo per terram Ægypti, & percutiam omne primogenitum. Cur antequã vniuersum exercitum Ægyptiorum submersurus es, vitam omnibus eorũ primogenitis adimere decernis? nõne satis, vt tot aquis miserè pereant? voluit vt omnes primogeniti ante conspectum parentum interficerentur, quia nihil ita acerbum, nihil ita durum eis accidere potest, quam filiorum infortunatus interitus. Vnde rectè S. Cyrill. Alexand. in illud Zachariæ 12. & planget eum planctu quasi super vnigenitum, ait *Profusissimis namque lachrymis parẽtes primogeniti & dilecti mortem semper prosequuntur, nec plangendi modum sustinent, est que dolor longinquus plane & quasi perennis acriter & intolerabiliter vellicando animos macerans.* (S. Cyrillus. Zacha. 12.)

### *Vbi Deus est, simulacra Deorum consistere non possunt.*

265. *Transibo per terram Ægypti, & in cunctis diis Ægypti faciam iudicia, ego Dominus.* Sept. faciam vltionem, qualsnam ab eis pœnas exigesait Noster Lyranus ex Hebræorum sententia, quod omnia eorũ simulachra contrita fuerint, quandonã falsæ Deorum species, in puluerem rediguntur? transibo inquit per terram Ægypti, liceat transeas; cur non manent integra & illæsa eorum simulachra vt antea? quia vbi Deus est præsens, idola consistere non possunt, quod facile confirmatur ex 1. Reg. c. 5. in quo refertur, quod cum arca Dei constituta fuisset prope idolum Dagon. *Ecce Dagon* (inquit textus) *iacebat pronus in terra, rursumq; mane die altera, inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini, caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ.* 1. Reg. 5.

### *Malorum occisio, bonorum sanctificatio est.*

*Transibo per terram Ægypti, percutiamque omne primogenitũ.* Nõ solũ minatur percussurũ, sed omnes primogenitos hac nocte percussit morte: quid autem Deus dicat Nu. 3 meum est primogenitũ, ex quo, percussi primogenitos in terra Ægypti, cur prius occidũtur Ægyptij quã eligatur Hebræi? ad mores egregie hoc reducẽs respõdet S. Amb. l. 2. de Iacob & vita beata c. 3. *Cũ renunciatur improbitati, statim adsciscitur virtus, egressus enim* 266. S. Ambros.

*malitia, virtutis aperiatur ingressum, eodemque studio quo crimen excluditur, innocentia copulatur.* A Ac si nunquam eminceutur virtutes, nisi postquā vitia iugulantur, nec multum aliter Origen. hom. 3. in Nume. *Non prius sanctificati sunt primogeniti Israel quam percuterentur Ægyptiorū primogeniti, & quasi causam sanctificationis horum interitum & necem posuit illorum,* & statim per primogenitos Ægyptiorum, peruersos intelligens ait, *qui nisi percussi fuerint & extincti sanctificationē Israelitarum, primogeniti omnino non possunt percipere,* en vt opus malorum prius extingui debet quam opus Dei exercetur.

Origen.

### *Sacra & prophana non reuocātur ad concordiā.*

269. *Transibo per terram Ægypti, & in cunctis diis faciā iudicia.* Nonne potuisti per Ægyptum transire, imo & in ea commorari, conseruatis Ægyptiorum diis? cur igitur transiens per eam in omnia Deorū simulachra iudiciū exerces, cur ab eis vltionē exigis? si per idola, vitia intelligimus, vnusquisque enim vitio suo addictus, illud quasi suū numen veneratur. nonne auri argentiue cupidus, nullum alium agnoscit Deū nisi suam insatiabilem auaritiā? quem gulosus Deū habet, nisi ventrem? ne sciscitetis igitur, cur Deus non cōmoratur simul cum diis Ægypti, sacra enim & prophana, virtutes & vitia ad concordiam reuocari non possunt. quod recte expendit S. Hiero. lib. 2 cōtra Iouin. in principio alludens ad hæc verba. 2. Corint. 6 quę participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? sic ait. *Quæ communicatio luci & tenebris, Christi & Belial? quomodo dies & noctes misceri non queunt, sic nec iustitia & iniquitas, peccatum & bona opera, Christus & Antichristus, si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris, illico fugiamus diabolum, si peccauerimus & per peccati ianuam ingressus fuerit diabolus, protinus recedit Christus.*

2. Corin. 6.
S. Hieron.

### *Domini de diabolo triumphus.*

268. *Transibo per terrā Ægypti, & in cunctis diis Ægypti faciam iudicia.* Quis hanc sumet de diis Ægypti vltionem? *ego Dominus,* quodnā iudiciū de huiusmodi diis facies? simulachra eorū conterā, comminuam, in puluerē redigam, quinā sunt illi nisi dæmonia? quid Ægyptus nisi mūdus? si ergo Dominus in his omnibus facit iudicia, recte diximus Dominū de diabolo mundi principe triumphū referre, vnde S. Hieron. explicans illud Isaiæ 9. iugum oneris eius & virgam humeri eius superasti sicut in die Madian. ait. *Diabolus qui prius exultabat in mundo, qui cūctis gentibus imperabat, qui grauissimo seruitutis iugo colla omniū deprimebat, & virgā qua percutiebat vniuersos, & peccata sibi quasi quoddam tributum reddere compellebat, detraxisti.*

Isai. 9.
S. Hieron.

### *Non est cur idololatræ in suis confidant diis, à manu enim Dei forti omnes destruuntur.*

269. *Transibo per terrā Ægypti, & in cunctis diis Ægypti faciā iudicia.* Cur hunc terminum vniuersalem posuit *in cunctis?* nonne satis erat ponere in diis Ægypti faciam iudicia? & si transibat per terram Ægypti, nōne sub intelligebatur quod si aliquos Deos percussurus erat, quod erant dij Ægypti & non alij? cur igitur hunc terminum *Ægypti* addidit? vt denotaret quod non habēt omnes idololatræ, nō solum vnius prouinciæ sed totius mūdi cur in suis confidant diis, quia à manu Dei forti, omnes omnino destruentur: non alienus ab hoc sensu Salonius in bibl. pat. exponens illud Prou. 21. ciuitatē fortium ascendit sapiēs, destruxitque locū fiduciæ eius, sic fatur. *Ciuitatem appellat mundum, fortes dæmones, mundus iste quondā ciuitas fortium erat, quia idolorū cultus deditus dæmonibus seruiebat, & fiduciam vitæ habebat in cultu eorum qui non sunt dij, sed opera manuum hominum, quis est ergo ille sapiens qui hanc ciuitatem fortium ascendit? ille Filius Virginis Dei virtus & Dei sapientia, qui tunc hanc ciuitatem ascendit, quando natus in carne visibilis mundo apparuit, ipse nimirum destruxit robur fiduciæ eius, quia subuertit & abstulit de mundo cultū Deorum in quibus confidebant gentiles.*

Prouer. 21.
Salonius.

### *Cum anima à mundi illecebris exit, iam quasi diabolum occidit.*

*Transibo per terram Ægypti, percutiamque omne primogenitum.* Itaque cum iam iam egressurus est ex Ægypto Israelita, ecce percutitur morte omne primogenitum. sed cur solum cum egreditur non autem cum commoratur in Ægypto? ita enim Deus eos potuit interficere, sicut in egressu Ægypti: aduerte quod primogenitis Orig. intelligit dæmones nequissimos: quid miraris igitur si solum cum egrediuntur Hebræi ex Ægypto, & non cum in ea commorantur, interficiuntur primogeniti? tunc enim cum anima mundi laqueos confringit, cum mundo vale dicit, tunc primogeniti nempe dæmones vere consternuntur, testis est S. Macharius ho. 47. *Educitur anima ab Ægypto & à seruitute qua premebatur in ea, interfectis in egressu primogenitis eius, iam enim pars quædam potentiæ vere Pharaonis occidit.* & S. Hieron. apud C Lippo. *spiritualiter dicimus quod egredientibus nobis ex Ægypto, errorum idola corruent & omnis peruersorum dogmatum cultura quatietur.* 270.

Orig. hom. ... in num.
S. Machar.
S. Hieron.

### *Deus à quo omnia pendent, iustissimus.*

*Transibo per terram Ægypti, & faciam iudicia in omnibus diis, ego Dominus.* In Hebræo est יהוה אני ego iehoua, qui sum omnium origo & principium essendi, cur Iehoua se nominat cum à diis vindictam exigere debet? quia cum Dominus sit omnium à quo omnia habent esse, & conseruari, in suis iudiciis æquissimus est. *Aptissimè se ipsum nominat Deus,* inquit Card. Caiet. *supremum Deorum, à quo omnia habent esse, à quo omnia pendent in propriis esse, in actione exterminatrice primogenitorum & Deorum Ægypti, vt ipsius prouidentia ac iustitia intelligatur.* 271.

Caiet.

D

### *Seductores aliorum maxime puniuntur.*

*Transibo per terram Ægypti, & in cunctis diis faciam iudicia, Sept faciam vltionem.* Sed cum sint opera hominum huiusmodi simulachra, quia licet aures habeant, non audiunt, oculos non vident, nec intelligunt, carent non solum ratione sed etiam sensu, cur ab eis sumis vltionem? vltio enim quæ pœna, culpā supponit, cum autem hęc simulachra ratione careant, sine culpa esse necessario cōcludendū est: aduerte quod per huiusmodi simulachra, dæmones responsis suis genus humanū seducebāt: sed qua de causa in diis non autem in Ægyptiis dicit Deus se iudicia facturum 272.

cum graues etiam pœnas ab eis exegerit? quia licet qui seducuntur grauiter puniuntur, sed in seductores præ aliis grauiter animaduertitur, mens Olcast. est Olcast. *Etsi omnes puniendi & iudicandi sunt mali, maxime tamen hi qui alios seducunt.*

## *Qui alios in infernum detrudunt, detruduntur.*

273. *Transibo per terram Ægypti, & in cunctis diis faciam iudicia.* Nempe punitiones illis grauissimas S.Hieron. infligam. sed quænam fuerint, licet ex sacra scriptura non constet, tamen sic ait S. Hieron. ad Fabiolam, illud Hebræi autumant quod ea nocte qua egressus est populus, omnia in Ægypto templa destructa sunt, siue hiatu terræ, siue ictu fulminum. sed cur hiatu terræ absorbentur? quot millia hominum in infernum detruserunt? quid mirum si in inferiorem terræ partem descendant terræ hiatu absorbti? qui enim alios in infernum detrudunt similiter & hi detrudentur, vnde recte Iulius Firmicus Iulius Firmicus de error. prof. relig. c. 28. *Lignū diaboli semper ardet & ad ima tartari credentes homines cum familiis suis ducit.*

## *Ab idololatria reuocamur.*

274. *Transibo per terram Ægypti, & in cunctis diis faciam iudicia.* Omnia conterens, & in cinerem redigens. sed cur quæ in magno apud Ægyptios habentur pretio, ita vilipenduntur vt omnia comminuantur in puluerem? cur quæ tanto affectu diliguntur, sic Deus ea conterit? respondet cit. Lusitanus, destruit sæpius Deus quæ maxime diligimus & colimus, vt nos reuocet ab amore creaturarum ad suum. sed nonne verius dicemus, omnia falsorum numinum simulachra, quæ charissima erant Ægyptiis destruxisse vt ab idololatria eos reuocaret? & merito reuocare nititur, quia Philo. maximum est peccatum; nam vt optime Philo de decalogo. *Quemadmodum si quis magni Regis honorem satrapis eius præfectisque exhiberet, non stultitiæ solum argueretur, sed & periculosæ audaciæ, tribuens seruis quod debetur Domino: ita quicumque sic creaturas colit vt sciat se impudentissimum & iniustissimum, qui paria largiatur imparibus, non tam in honorem inferiorum, quam in potioris contumeliam.*

## *In debita pœna exigenda apud Deum non est discrimen inter vulgarem, plebeium, & nobilem.*

275. *Transibo per terram Ægypti, & percutiam omne primogenitum, & in cunctis diis faciam iudicia.* Aliqui nomine Deorum intelligunt Regem & principes. nonne satis erat dixisse quod percussurus erat omne primogenitum ab homine vsque ad pecus, vt intelligeremus nec primogeniti Regis & principum liberi futuri essent ab interitu? cur addidit, se etiam in diis facturum iudicia? vt nullus in dubium reuocare posset apud Deū in debita exigenda pœna, non esse discrimen inter plebeium & nobilem, inter Regem & grega-Holkotius. rium militem. sic explicat Holkotius in cap. 18. Sapient. Lect. 200. c. 11 *Postquam actum est de mirabili exterminatione primogenitorū in Ægypto quantum ad qualitatem eius, hic agitur de eiusdem pœnæ magnitudine quantum ad ipsius multiplicem acerbitatem, circa quod tria facit, primo ostēdit quod illa pœna nulli pepercit, propter generis nobilitatem,* exponebat autem hunc versum præfati capitis 18. similiter au- Sapien. 18. tem pœna seruus cum Domino punitur & popularis cum rege, eadem faciens.

## *Sumpto Eucharistico agno, sopiantur in nobis iniquitates.*

*Transibo per terram Ægypti.* Dixerat superius, 276. Phase est enim, id est transitus Domini, & sic nunc explicat, quisnam esset hic transitus, dicens transibo per terram Ægypti, & percutiam omne primogenitum Ægypti. sic in præcedenti versu diximus, per illud Pascha siue transitum, posse intelligi Eucharisticum agnum, qui etiam dicitur Pascha nostrum, quo ad meliorem vitæ rationē transimus. sed si ita est, quomodo ait quod percutiet omne primogenitū in terra Ægypti? quid enim commune inter agnū Eucharisticum cum morte primogenitorū, cum hic agnus sumentibus se vitam tribuat? sed si per primogenita Ægypti, vitia præcipua velis intelligere cum Origene, sane nihil absurdi reperies. sumpto enim Eucharistico agno, sopiūtur in nobis iniquitates, siue percutiuntur. vnde recte D. Cyprian. de cœna Do- S.Cyprian. mini sic loquitur. *Panis iste supersubstantialis & calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens.*

## *Ii qui se Deos arbitrantur, quique volunt fieri participes agni Eucharistici, grauiter puniuntur.*

*Transibo per terram Ægypti, & faciam iudicia in* 277. *cunctis diis Ægypti.* Cur ita seuere puniuntur eorum dii? nonne considerato honore qui eis impēditur, debuisset à punitione eximi? Cyrill. in Cat. Græca per huiusmodi Deos Ægypti intelligit quosdam viros magnates, qui præsumptuosè volunt fieri participes corporis Christi Domini. quid mirum igitur si ita seuere in eos animaduertitur? grauissimis enim digni sunt suppliciis, qui præsumptuose vel potius impudēter volunt fieri participes agni Eucharistici. subiicio verba cit. Alexand. *Pœnas quippe sumit de omnibus his diis* S. Cyrill. Alex. *Deus, qui proteruiores fidem reiiciunt, neque super Christum sanctitatis participes esse volunt.*

## *Licet præcipua peccata in te deleta fuerint, ne securus viuas, non leues enim insurgunt tentationes.*

*Transibo per terram Ægypti, & percutiam omne pri-* 278. *mogenitum ab homine vsque ad pecus.* Si plures adhuc remaneant Ægyptii, qui eos adhuc vsque ad necem persequuntur, cur eos sicut & primogenitos de medio nō tolles? per primogenitos Ægyptiorum intelligit Galfrid in Alleg. Tilm. præcipua vitia, per cæteros, tentationes nos insequentes. en vt licet in nobis deleantur peccata, tamen ab omni metu liberi esse non debemus, quia non leues insurgent in nos tentationes. Do verba cit. Galfridi. *Primogenita quidem principalia sunt pec-* Galf. i. *cata & vitia, vel in anima, vel in corpore tanquā in hominibus & iumētis, reliqui sane Ægyptii etiā nunc persequentes multiplices interim negligentiæ nostræ sunt & tentationes, sine quibus hæc vita non agitur.*

*Occidatur in nobis Ægyptius animalis, si verum transitum ad meliorem vitam facere intendimus.*

179. *Transibo per terram Ægypti, & percutiam omne primogenitum.* An necesse est ad hoc vt transire possis quod in Ægypto omnes interficiantur primogeniti? vnum enim cum alio necessario non coniungitur. si animaduertere volumus per quemlibet primogenitum, id quod animale est in nobis, quod quidem prius est spiritali, posse intelligi. recte inferre possumus quod vt in omnibus nobis primogenitus, idest animalis homo & Ægyptius interficiatur, non poterimus ad meliorem vitam verum facere transitum. in medium adduco nostrum Georgium Venetum in suo de harm. mundi lib. tono tertio, cant. 2 cap. 13. primogenitus occidendus in hoc transitu est ille de quo Paulus, prius quod animale, deinde quod spirituale, prior enim natus est Esau, postea Iacob, occidendus est ergo animalis homo & Ægyptiacus, qui spiritualem opprimit, si volumus facere verum transitum, nempe de seruitute Ægyptiaca ad regnum, de tenebris ad visionem pacis, de angustia ad regiones lætas, de palea, luto, & latere, ad manna, legem, & sapientiam rerum diuinarum, de vita bestiali ad vitam hunc transitum facere debemus, & viuere meliori vita, iuxta illud Apostoli ad Coloss. mortificate membra vestra, quia cum mortui fueritis, vita vestra erit cum Christo, & clarius cum Romanis hoc inquit scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato, qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato, si autem mortui sumus cum Christo, credimus quod etiam simul viuemus cum illo.

Noster Georg. Venetus.

ad Coloss. 3

Rom 6.

*Occiso in nobis primogenito animali, destruuntur etiam omnia idola, quibus seruimus.*

280. *Transibo per terram Ægypti, & percutiam omne primogenitum, & faciam iudicia in omnibus diis.* Cur prius vindictam non sumis de omnibus diis Ægypti, quam morte percutias omne primogenitum? vel an necesse vt prius non solum in hominibus, sed etiam in pecudibus primogeniti deleantur quam deorum simulachra conterantur? si idola quibus seruimus, sunt vitia quibus dediti sumus; dicemus non immerito omne primogenitum prius, deleri posse quam dij Ægyptij puniantur & confringantur; quia ni destruatur in nobis animalis homo qui est in vnoquoque primogenitus, idola quæ colimus illæsa adhuc & integra manebunt, testem adhibeo cit. Minoritam. *Quo animali nostro mortuo, fit iudicium in cunctis diis Ægypti, idest in his quæ adorabat animalis homo, vt sequitur Paulus dicens, non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. sed neque adhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, peccatum enim vobis non dominabitur, an nescitis quoniam cum exhibebitis vos seruos ad obediendum serui estis cui obeditis? dij igitur seruientium peccato sunt aut venter, iuxta illud Pauli, quorum Deus venter est, aut auaritia quæ est idolorum seruitus, aut diabolus cui obediunt seruientes peccato, quæ omnia iudicabit Dominus, dicente Apostolo, esca ventri & venter escis & Deus destruet: & hunc & illum simulacrum suggestore eorum, & talis differentia est inter seruientes Deo & inter seruientes peccato, qualis erat inter filios Israel & inter Ægyptios.*

cit. noster Minorit.

*Transeunte Christo D. de mundo ad patrem deletum est Chirographum diaboli.*

*Transibo per terram Ægypti, & percutiam omne primogenitum ab homine vsque ad pecus.* Quale est illud primogenitum? Bruno in alleg. Tilmani ait esse peccatum originale, quod in omnibus nobis omnino est primum. sed si tale est peccatum, cur etiam in homine quam in pecude, primogenitum percutiendum? animalia enim illud non contraxerunt: per homines & pecudes intelligit cit. auctor viros nobiles & plebeios, nulliusque æstimationis. sed quãdonam illud primogenitũ percuties? cum transiero. quisnam ille tam fœlix transitus? sane cum ex hoc mundo transit Christus Dominus ad patrẽ, medio baptismo in quolibet homine tã nobili quã ignobili, & cuiuscumque conditionis fuerit & sexus, delet primogenitum peccati, nempe originale. profero verba Brunonis. *Agno etenim immolato, Christo Domino crucifixo, postquam Dominus inclinato capite tradidit spiritum, mortua sunt omnia primogenita in terra Ægypti, quoniam originale peccatũ per vniuersum mundũ in omnibus iis periit, qui crediderunt, & baptizati sunt, vt peccatum quod per lignũ cõcupiscentiæ cœpit, per crucis lignum destrueretur: merito autẽ ab homine vsque ad pecus moriuntur, quoniam sine personarum acceptione in omni sexu, in omni gente, in omni ætate omnia originalia destruuntur.* 281.

Bruno.

*Deus temperat suam iustitiam misericordia.*

*Transibo per terram Ægypti, & percutiam omne primogenitum ab homine vsque ad pecus.* Cur solum in primogenitos animaduersurum te dicis? nõne omnium delicta merebantur vt capitale supplicium finaliter subirent? cur ergo eis condonans solum aliqui dant pœnas? quia Deus suam iustitiam in aliquos temperat misericordia in ceteros. fauet Georgi. Venetus tom. 1 de hist. sacram. probl. 337. *Si Deus per dexteram & pietatem procedit semper est beneficus sine alicuius damno, sicuti se habuit erga Abraham, si vero per viam iustitiæ & sinistram, siue per viam ex vtraque iustitia videlicet ac pietate mixtam, procedit, tum semper si vnum liberat alterũ punit, hinc percussit Ægyptios, & Hebræos liberauit. sic Christus in quo teste propheta Psal. 84. iustitia & pax osculatæ sunt in resurrectionem & ruinam multorum positus fuit, sicut Simeon prædixerat Luc. 2. sic ipse quoque in die iudicij aliis præmium, aliis pœnam tribuit, vnicuique secundum opera sua sicut ipsemet testatus est Matt. 25.* 282.

Georgius Venetus.

Psal. 84.

Luc. 2.



## VARIETAS LECT. Verſ. 13.

VVlg. Erit autem ſanguis vobis in ſignum ædibus, in quibus eritis & videbo ſanguinem, & tranſibo vos, nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti.

Sept. Et erit vobis ſanguis in ſigno, in domibus, in quibus vos eritis, illic, & videbo ſanguinem, & protegam vos, & non erit in vobis plaga diminutionis cum percutio in terra Ægypto.

Cald. Videbo ſanguinem, & miſerebor veſtri, & non erit in vobis mors diſperdens, cum interfecero in terra Ægypti.

Onk. Nec erit mors depopulans in vobis, cum interfecero ipſe in Ægypto.

Pagni. Tranſibo ſuper vos, & non erit in vobis plaga ad diſperdendum.

Oleaſt. Videns ſanguinem ſaltabo vos.

Vatab. Et non erit vobis plaga ad perditionem.

Cajet. Et tranſiliens vos.

## CONCORDIA.

TRanſibo vos reddidit interpres, licet in Hæbreo ſit עליכם Halechem ſuper vos, ſed ſenſum non variat, pulchre autem declarauit Caldaica, quid innueret hæc metaphora inquiens & miſerebor veſtri, vt nihil ſit aliud hoc in loco tráſire Dominum ſuper Iſraelitas, quam eorum miſereri, ſic & Septuag. habent καὶ σκεπάσω ὑμᾶς, & protegam vos, nec erit in vobis plaga diſperdens, dictio hebraica למשחית Lemaſchit, propriè in perditionem verti debet, quam perditionem, mortem rectè dixit Cald.

## EXPOSITIO.

ERit autem ſanguis vobis in ſignum, quod non percutiet vos Angelus vaſtator, non quod Angelus hoc ſigno corporeo indigeat, ipſe enim per ſe ſatis videt quæ ſint domus Hebræorum in quibus comeditur phaſe, quæ Ægyptorum. Sed quod vos hoc ſigno tutelam, cuſtodiam, & ſalutem expectare velit: in ædibus in quibus eritis, quod & pauperum, qui ab aliis erant inuitati etiam poſtes & domorum ſuperliminaria eiuſdem agni ſanguine linirentur. Vel quia toto hoc tempore manerent in domibus, in quibus erant inuitati, & tranſibo vos, eximens ab interitu, nec erit in vobis plaga diſperdens, qua percutiam primogenitos Ægyptiorum, quando percuſſero terram Ægypti metonymicè habitatores Ægypti.

## CONCEPTVS.

*Tunc ſerui Dei maxime protegi debent, quando clade aliqua percutitur regnum peccati.*

683 ERit ſanguis vobis in ſignum & videbo ſanguinē, & tranſibo vos. Cald. miſerebor veſtri. Sept. protegam vos, cur ait protegam vos? non enim videbantur Hebræi vllo protectore egere, quandoquidem exterminator primogenitorum amicus erat, eorumque negotium agebat, ſi ergo tu ipſe es, qui Ægyptios percutis, à quo ſpondes Hebræos protegere? ſane is & ſerpens ille antiquus humani generis hoſtis, qui ſuorum cladem non patitur inultam, qui ſuum imperium cum ſentit labefactari, vehementer iraſcitur & deſæuit in Dei imperium, quapropter vbi percutiendus eſt Leuiathan, caueant ſibi ſerui Dei, illiuſque protectionem expectent: accipite D. Gaudent. tract. 5. in Exod. ſic loquentem, protegam vos quaſi ab alio exterminatore, vtiq; vult percutere exterminator diabolus Hebræos Deo percutiente Ægyptios, nam retributionem molitur in ſeruos Dei, ſatellites ſuos à Deo percuſſos indignans, quoniam diabolus tunc maxime accenditur cum extinguitur, tum enim ſæuit in Dei famulos quando prima virtus eius in primogenitis occiditur, dum vel idololatriam, vel cæteros principales errores Deus diſperdet ex nobis, ecce non ſtringit Deus gladium aduerſus Ægyptios & diabolicos præuenit conatus ſuos, protegit ſeruos ab exterminio. (Gaudent.)

*Agni Euchariſtici ſanguine à dæmonis ſeruitute liberamur.*

Erit vobis ſanguis in ſignum in ædibus, & videbo ſanguinem & tranſibo vos, Sept. & protegam vos, nunquid indigebat Deus aut Angelus pertranſiens, ſigno quo noſſet domos in quibus Hebræi, & in quibus Ægyptij diuerſarentur? quid ergo opus fuit ſanguine agni commoueri? Chryſoſt. hom. 83. in Matth. hoc ad vim Euchariſtiæ ſignificandam factū putat, nam ſi vel ſola figura liberare potuit Hebræos potiori iure ipſa veritas deſæuientem Angelum pellet, longeque propulſabit, omnia diaboli tentamenta, profero verba Chryſoſtomi, nam ſi figura tāta ſeruitute liberauit, multo magis veritas terrarum orbem vindicabit? ad hæc, vt ſignificaret quod ad beneficia naturæ traderetur, hæc vltima verba hunc ſenſum poſſunt habere; ſicut ille agnus omnino vtilis fuit Hæbreis, nam illius carnibus veſcebantur, & illius ſanguine fuſo diabolum pellebant, ita etiam Chriſtus Dominus omnino vtilis nobis eſt cuius ſanguine à dæmonis ſeruitute liberati 684 (S. Chryſoſt.)

fuimus, & cuius carnibus vescimur.

*Sanguis agni Eucharistici longe salutaris est quam sanguis agni legalis.*

285 *Erit vobis sanguis in signum in ædibus & videbo sanguinem & transibo vos*, Sept. *protegam vos*, quosnam sanguis agni proteget? primogenitos Hebræorum, ne simul cum primogenitis Ægyptiorum interficerentur: sed quid Christus Dominus de suo dixit sanguine Matth. 26.? hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hoc dictũ putat Chrysost. per relationem ad agnum Paschalem, sed quæ relatio potest esse inter vtrumque? hæc profecto, quod agnus ille legalis occisus, & illius sanguis effusus pro salute primogenitorum Hebræi tantum populi, ast Eucharistia, non modo instituta est pro salute primogenitorum, neque pro tuendo vno aut altero populo, sed pro omnibus populis, quotquot in toto terrarum orbe habitant, neque semel tantum, sed bis & iterum, & sæpe in perpetuum, adde etiã illud *in remissionem peccatorum*, id est sanguis ille agni vitam corporalem attulit, ast Eucharistia vitam infert animæ: audi Chrysostomum hom. cit. qui rem his verbis aperit, *Sanguis ille ad primogenitorum salutem fuit effusus, hic in remissionem totius orbis peccatorum, hic est enim sanguis meus inquit, qui effundetur in remissionem peccatorum.*

Matth. 26.

S. Chrys.

*Sanguis agni immaculati clamat veniam.*

286 *Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem & transibo vos*, Cald. *& miserebor vestri*. Quare viso sanguine agni legalis dicis te misericordiam præstiturum? cur non ais potius viso sanguine, perditurum Ægyptiorum primogenitos? merito dixit cum videro sanguinem agni, miserebor, quia cum ille esset vmbra sanguinis agni Eucharistici, non est dubium quin ad misericordiam prouocet & veniam, inde recte D. Cyprianus Christiferum sanguinem Abeli præfert, quia ille clamabat vindictam, *at Christi sanguis*, inquit, *de cruce clamans pacem loquitur, & reconciliationem, quin idem sanguis quoniam à nobis bibitur si modo digne bibitur, clamat in corporibus nostris verba pacifica*, expende illud si modo digne bibitur.

S. Cyprian.

*In sanguinei calicis agni Eucharistici exhibitione summam Deus mundiciem commendat.*

287 *Erit sanguis vobis in signum, & videbo sanguinem & trãsibo vos.* Cur antequam de effectu sanguinis agni loquatur, tot præposuit, magnam requirentia munditiem? vt quod accinctos deberent habere renes Israelitæ, quod cum lactucis agrestibus comederent agnum, &c; quid necesse fuit tot referre quæ puritatem denotant, antequam sanguinis agni quo intingendæ essent fores ædium, mentio fieret? vt quanta cum munditia sanguis agni Eucharistici recipi deberet, nobis innotesceret: vnde Christus Dominus paucos conuiuas nuptiarum vt vino rigaret, iussit prius ingentem vim aquæ adduci quam in vinum commutauit, an quia vinum non posset fa-

A cere sine aqua? *absit*, inquit Chrysol. serm 5. de Epiph. *qui panes quinque fragmento profluo & furtiuo incremento, ad quinque milia hominum tetendit & dilatauit, saginam potuit augmentis crescentibus ad nuptiarũ festa vini ampliare & perpetuare mensuras. Sed aqua in sanguinis conuertenda erat mysterium, vt mera pocula de vase corporis sui Christus bibentibus propinaret*, & ita vbi mysterium sanguinei poculi pandebatur, intromittenda erat aqua, vt ex illa constaret, quam lauati, quam mundi prætequirimur, qui sanguineo Domini liquore initiamur.

Petrus Rauennas.

*Sanguine agni Eucharistici claustra cœlestia aperiuntur & reserantur.*

B *Erit sanguis vobis in signum, & videbo sanguinem & transibo.* Cald. *& miserebor*, quid? viso sanguine agni legalis solumne misereberis Hebræorum, eosque proteges? an eis terra promissionis clausa remanebit? imo reserata, in typum quod sanguine agni Eucharistici terra viuentium, paradisus inquam & claustra cœlestia aperientur, quod eleganter Abbas Cellens. cap. 15. de panibus confirmat, *ecce agnus agniculus Iesus saginatur & occiditur, tinge igitur digitum & asperge septies circa velum sanctuarij, vt sit tibi clauis reserationis cœli sanguis passionis Domini: non obfirmabunt valuas suas cœli, cum viderint sanguinem ad se leuari de visceribus Saluatoris, ô quanta reuerentia veneretur, imo cedit velum angelicarum virtutum digito agni sanguine madefacto! imo procumbens tremit in occursum cruoris Dei & creatoris sui festinans reserare claustra.* 288

Abbas Cellens.

C

*Idem sanguis agni Eucharistici vitam bonis, mortem malis infert.*

*Erit sanguis in signum, & videbo sanguinem, & transibo vos*, Cald. *& miserebor*, Sept. *protegam vos.* Licet tamen primogenitos Ægyptiorũ percutiam, idem enim sanguis agni qui effusus est super liminaria domorum Hebræorum, arcebat Angelum percutientem, ne læderet Hebræos, idem sanguis inquam licentiam indulgebat eidem Angelo, vt stragem in Ægyptios ederet, quid hoc? nisi ad denotandum quod idem sanguis Eucharisticus salutem quidem, vitam & protectionem infert piis viris, qui sunt vere Israelitæ, idem autem lædit Ægyptios nempe impios, & criminis conscios, ita S. Macha. hom. 47. *Mactari decet agnum & immolari eiusque sanguine fores inungi, Christus enim verus, bonus, & immaculatus mactatus est, cuius sanguine vncta sunt limina cordis, & sanguis Christi effusus in cruce, anima quidem cedit in vitam & redemptionem, damonibus autem Ægyptiacis in luctum & mortem, re enim vera sanguis agni immaculati luctus est illis, gaudium autem & exultatio animæ.* 289

D

S. Machar.

*Quæ à sanguine Eucharistice Christi Domini veniunt bona, firmiora sunt & diuturniora.*

*Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem & transibo vos.* Ecce tibi vt viso sanguine transibat aliò Dominus, cur transit? cur non simul cum Hebræis manet, vt eos protegat? quia 290

hoc discrimen inter eos & nos versatur, quod in nouo testamento in quo sanguis ipsius testatoris intercedit, & non ponitur sanguis in postibus, sed intra viscera conditur, dumque bibitur sanguis, non aliò transit Dominus, sed ibi manet, quando autem Dominus cum sanguine pro nobis effuso intrat in corda nostra, non est dubium, quod non pœnitus discedat à nobis vt abscessit à priori populo, sed in nobis fundabit tabernaculum, quod iuxta Isaiæ Vaticinium, auferri non poterit: quo respexit Origenes in illud Matth. 27. hic est sanguis meus, noui testamenti, &c. ait, *Si sanguis testamenti infusus est in corda nostra in remissionem peccatorum nostrorum, effuso eo potabili sanguine, in corda nostra remittuntur & delentur omnia, quæ gessimus ante peccata, ipse autem qui accepit Calicem dixit, bibite ex hoc omnes, nobis bibentibus non discedit*, expende illa verba, *nobis bibentibus non discedit*. Quibus notatur discrimen sanguinis veteris testamenti & noui: in veteri enim testamento vt hic videmus sanguis ponebatur in postibus ostiorū, quem vidēs Dominus præteribat.

Origen. Matth. 27.

### *Sanguis agni Eucharistici maxime Deū placat.*

291 *Erit sanguis vobis in signum, & videbo sanguinem & transibo vos.* Sept. *protegam vos.* Cald. *miserebor.* Quasi diceret, vobis ero propitius & placabor, cum sanguinem hunc conspexero, tantane efficacia & virtus erat in illo sanguine vt eo cōspecto, Deus misereretur & Hebræis propitius foret? sane adumbrabat sanguinem agni Eucharistici, qui sine controuersia nobis Deum maxime propitiū reddit: sic obseruat Angel. Thom. opus 58. annumerans varios effectus sanguinis Calicis ait, *ergo tria mala sunt in peccato veniali, scilicet quadam macula conscientiæ, quadam pœna tristitiæ, & quadam aduersitas offensæ diuinæ, contrabac tria mala propriè valet potus sanguinis, qui est purus, lenis & pretiosus, ratione puritatis lauat, ratione lenitatis sanat, ratione pretiositatis placat.* Expende hæc vltima verba, ita pretiosus & sanguis Eucharisticus, vt Deum summe propitium reddat, & placatum efficiat.

Angelicus Doctor.

### *Sanguis Eucharisticus quem non Angelum malum perterrefacit?*

*Erit sanguis vobis in signum, & videbo sanguinem & transibo vos.* Cur non manebis eo viso? 
292 cur aliò dicis te transiturum? an sanguine postes linitos times, itaut eo conspecto quasi fugæ te committens discedas? si secundum aliquorum mentem dixerimus hunc Angelum percussorem fuisse malum Angelum, scilicitari non debemus, cur fugit viso sanguine agni legalis; typus enim erat sanguinis Eucharistici quem mali Angeli ferre nullo modo possunt, quin eo conspecto fugiant: adstipulatur Chrys. hom. 26. in c. 11. ad Hebræos, *timuit illum sanguinem Angelus sciebat enim cuius typus, horruit Dominicam mortem intelligens; propterea non tetigit postes, dixit Moses tingite & vnxerunt, & securi fuerunt, vos autem ipsius agni habentes sanguinem non confiditis.*

S. Chryſ.

### *Sacerdotes figurantur sumpturi sanguinem Eucharisticum sub specie vini.*

293 *Erit sanguis vobis in signum, & videbo sanguinem & transibo vos.* Sept. *protegam vos*, quos proteges? an omnes Hebræos? sane loquitur de primogenitis eorum, cur sanguis solum est ad conseruationem primogenitorum? nonne potuit esse signum pro omnibus liberandis vtilissimum? aduerte quod per primogenitos intelligere possumus Sacerdotes, qui sunt Ecclesiæ primogeniti: quo posito audiamus quid dicat Theophilact. apud S. Thom. in cap. 22. Lucæ in illa verba; hic est enim sanguis meus noui testamenti, sic autem fatur, *& vetus quidem Pascha ad rememorandam seruitutem Ægypti fiebat, sanguis autem agni ad primogenitorum custodiam, nouum vere Pascha ad remissionem peccatorum, sanguis vero Christi ad conseruationem eorum qui dedicati sunt Deo*: ad examen nunc veniant hæc Theophil. verba vltima, *qui dedicati sunt*, ac si diceret Sanguis ille in superliminaribus fusus, tutabatur non quidem omnes Hebræos sed eorum primogenitos filios, quod quidem morem Ecclesiæ futurum subindicabat, scilicet fore quandoque, vt tantummodo primogeniti, id est Sacerdotes, qui dedicati sunt Deo, sanguinem Christi biberent sub speciebus vini, reliqui vero laici tantūmodo pane vescerentur.

Teophil.

### *Sanguis Eucharisticus maximum testimonium amoris Christi erga homines.*

*Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem, & transibo vos.* Cald. *& miserebor vestri.* 294
Quod sane maximum est erga Hebræos amoris Dei argumentum, vnde nam tanta in Israelitas dilectio: an ex vero sanguine agni legalis? non equidem, sed quia referebat sanguinem agni Eucharistici, in cuius dono maximum exhibet erga homines amoris indicium & argumentum, sic censet S. Thomas in opusc. de Sacramento altaris, *tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, spiritus quem misit de corpore, aqua quæ fluxit de latere, sanguis quem fudit de corde, testes sunt dilectionis maximæ.*

S. Thomas.

### *Sanguis Christi vniuersos saluos facit.*

*Erit vobis sanguis in signum & videbo sanguinem & transibo vos.* Ecce tibi vt vindex iniquitatum, 295
transit Israelitas ad conspectum sanguinis positi in superliminaribus, & cur etiam sub hoc sanguine, non etiam Ægyptij saluantur? erat sanguis in postibus, nondum apparuerat immaculati agni sanguis positus in altari, qui vniuersos homines quantū ex se saluos efficit a peccatorum vinculis eripiens. Sic cit. Angelicus Doctor præf. opuscul. *porrexit manus in cruce & libauit sanguinem, soluens omnes à vinculis peccatorum*, & S. Chrysost. hom. 64. in Ioan. *hic est salus animarum nostrarum, hic est quo Christus emit, quo vniuersam ornauit Ecclesiam, vt enim homo seruos emit & ornat, ita sanguine suo nos Christus*: pende, *hic est salus animarum nostrarum.*

Angelicus Doctor. S. Chryſ.

### *Sanguis Eucharisticus generosum indit animū.*

*Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem, & transibo vos.* Sed sanguis ille, an solum 296
illud præstitit vt conspectus saluaret Hebræos ab Angelo percussore, nonne etiam hunc indidit animum, vt ab Ægypto egrederentur in desertum, vt tandem in terram promissionis descen-

derent? quidni? & si id ei non concesseris, sane sanguini Eucharistico agni immaculati denegare non potes, vires enim acuit & generosum indit animam: testem do cit. Chrysost. in Cat. Græca super c. 22. Lucæ, *hic sanguis floridam nobis reddit regiam imaginem, hic decus indelebile, hic animæ generositatem tabescere non sinit, eam irrigans iugiter ac nutriens.*

Chrys.

*Sanguis Eucharisticus non solum perterrefacit malos Angelos, sed procul pellit.*

296 *Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem, & transibo vos.* Si huiusmodi sanguis typus est veri sanguinis agni immaculati, cur eo viso transis? quid enim hoc sanguine pretiosius? hoc abluitur anima, hoc adornatur, hoc inflammatur, hic mentem nostram igne reddit splendidiorem, hic auro animam clariorem facit, hic sanguis effusus est & cœlum fecit accessu facile: cur ergo vmbra eius conspecta, transis alio properās? ante perterre fecit? (supponimus ex plurimorum sententia malum fuisse Angelum) non solū perterrefecit, sed & procul pepulit, mens est citati Archiepis. Constant. loco præfato. *Hic mysticus sanguis dæmones procul pellit, hic sanguis adita mundauit & sancta sanctorum, si vero figura ipsius tantam habet virtutem, & in Hebræorū templo, & in Ægypti medio superliminaribus inūctis, multo magis veritas?*

Archiep. Constant.

*Sanguis Eucharisticus Angelos allicit ad hominum protectionem.*

297 *Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem, & transibo vos.* Sept. & protegam vos, suppono ex aliquorum sententia, vt Basil. in Psal. 77. hunc Angelum non malum fuisse, sed bonum; quo posito, quomodo hic sanguis visus potuit adducere Angelum, vt nullum inferens Hebræis damnum protegeret? quidni? cum sit typus sanguinis Eucharistici, qui conspectus adducit ad nos cœlestes spiritus ad nostram protectionem? fauet cit. Chrysost. *hic mysticus sanguis Angelos & Angelorum Dominum ad nos allicit.*

*Sanguis Eucharisticus mæstorum consolatio.*

298 *Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem & transibo vos.* Cald. *& miserebor vestri,* Sept. *& protegam vos.* Cur conspecto agni sanguine, diciste protecturum Israelitas, eisque misericordiam largiturum? si protectionem pollicerις, ergo non ita securi, vt nihil sibi esset timendum, qui enim alterius defensione indiget, ad propriam vires sufficere non videntur. ita se res habet, Israelitæ enim inclusi domibus pusilli & mœsti maxime fuissent, nisi sanguis, quo postes inuncti, securos de Dei protectione reddidisset, & ab eis omnem metum expulisset. Si hanc virtutem habuit sanguis agni legalis, nonne concedenda erit sanguini Eucharistico agni immaculati? testem huius veritatis do S. Thom. opusc. de Sacramento altaris. *Electi non solum flores virtutū, sed etiam frondes bonorum operum proferunt ex potu sanguinis Christi, ad triplicem gratiam, scilicet ad peccatorum conuersionem, inimicorum reconciliationem, & mæstorum consolationem.*

S. Thomas.

*Ex potu sanguinis agni Eucharistici terribiles apparemus dæmonibus.*

299 *Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem & transibo*, quid vidisti? postes ædium linitos sanguine vnius agni, ita ne te commouere debet sanguis positus in domibus, vt compellaris alio transire? sed si huiusmodi sanguis figura est sanguinis Eucharistici quo interius inungimur, quid mirum si hoc viso alio properat? quia ex inunctione huiusmodi sanguinis terribiles reddimur dæmonibus: consulamus sanctum Chrys. hom. quadam ad Neophytos sic dicentem, *cum te ex redeuntem post conuiuium dominicum viderit inimicus, post cœlestes epulas tanquam ignem leonis ore flammantem, fugit & deserit omni vento velocior, nec approximare contendit, & cum cruentam tuam linguam de longè ille crudelis prospexerit, mihi crede non stabit, & cum ostium senserit rutilare, gressum suum retro cum timore torquebit.* Et illustrat exemplo Angeli percutientis primogenitos Ægypti, qui vbi videbat fusum sanguinem Paschalis agni formidabat, & à cæde abstinebat, vnde egregie argumentatur cit. Chrys. *si Angelus cessit exemplo, quanto magis terrebitur inimicus, si ipsam prospexerit veritatem?*

S. Chrys.

*Qui Deo corrigenti nolunt subijci, traduntur dæmonibus percutientibus.*

*Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem & transibo, nec erit in vobis plaga disperdens.* In quibus ergo? in primogenitis Ægyptiorum, sed quis eos disperdet? an Deus, an bonus Angelus? ait Rupert. malus, iuxta illud Psalmistæ, misit in eos iram indignationis suæ indignationem, & inuenit tribulationem & immissionem per Angelos malos: sed cur homines ipsis tortoribus tartareis puniendos tradit? nonne antea per se ipsum puniebat, vel mediis elementis animalibus, &c.? ita sane, sed nihilominus cum non meliores effecti, nec Deo punienti subiici voluerint, quid mirum si dæmonibus percutientibus traduntur? ergo, inquit Rupert, *nec ipsa subita Dei, sed missa in vos ira indignationis eius; & quæ transit, ac rectè percussori traduntur Angelo malo postquam subijci noluerunt per semetipsum corripienti, & decem plagis ad pœnitentiam inuitanti Deo.* 300

Rupert.

*In sanguine & signo Christi Domini saluabimur.*

*Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem, & transibo vos.* Sept. *protegam vos.* Cald *miserebor vestri.* Ecce in quorum domibus sanguis agni conspicitur, ab Angelo proteguntur, & eorum miseretur Deus, quid? tantæne virtutis est vt qui illo signo careant, supplicio finali plectantur, qui autem illud habuerint incolumes euadant? ita sane, sed in mysterium futurorum, scilicet quod ij qui sanguine & signo inuenientur inuncti, saluabuntur à ventura ira, qui autem eo caruerint, æternas dabunt pœnas, fauet S. Cyprian. lib. 1. contra Demetrianum, ecce dies Domini venit ardens Malach. 4. velut Clybanus ignis, eruntque omnes alienigenæ, & omnes iniqui vt stipula, & succendet illos adueniens dies, dicit Dominus, succendi & cremari alienigenas præcinit Dominus, id est, alienos à diuino genere, & prophanos, spiritualiter non renatos, nec Dei filios factos, euadere enim eos solos posse, qui renati & signo Christi signati fuerint, aliò in loco Dominus, ait, quādo ad vastationē mundi, & interitum generis humani Angelos suos mit- 301

Malach. 4.

tens, grauius in vltimo comminatur, dicens, ite, & cędite, & nolite parcere oculis vestris, nolite misereri senioribus atque iuuenibus, & virgines, & mulieres, & paruulos interficite vt deleantur, omnem autem super quem signum scriptum est, ne tetigeritis, quod autem sit hoc signum, & qua in corporis parte positum, manifestat alio in loco Dominus, dicens, transi mediam Hierusalem, (Ezech. 9.) & notabis signum super frontes virorum qui ingemunt & mœrent propter iniquitates, quæ fiūt in medio ipsorum. Et quod ad passionem & sanguinem Christi pertineat hoc signum, & ille saluus atque incolumis reseruetur, quisquis in hoc signo inuenitur, item Dei testimonio comprobatur, dicens, & erit sanguis in signum vobis super domos in quibus eritis, & videbo sanguinem, & protegam vos, & non erit in vobis plaga diminutionis, cum percutiā & conterā terrā Ægypti, quod autem ante occiso agno præcessit in imagine, impletur in Christo, sequuta postmodum veritate: illic percussa Ægypto, Iudaicus populus euadere nonnisi sanguine, & signo agni potuit, ita & cum vastari cœperit mundus, & percuti quisquis in sanguine & signo Christi inuentus fuerit, solus euadet.

*Si Deus lachrymarum nostrarum sanguinem conspexerit misericordiam consequemur.*

301 *Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem & transibo vos.* Cald. *& miserebor vestri,* quis te ad misericordiam Israelitis impertiendam commouebit? sanguis conspectus, Rupert. in c. 2. Iohelis per illum sanguinem lachrymas pœnitentiæ intelligit, à quo non alienus Anastas. (Anast. Nicen.) Nicen. qu. 8. in scripturam, vbi lachrymas dicit similes sanguini martyrū, & optimam oblationem quæ Deo offertur ex nostris & internis, quo offensa diuina iustitia placabilis reddatur, effuso scilicet sanguine interno animi, qui in lachrymis continetur: subiicio eius verba, quomodo (inquit ille) omne peccatum quod facit homo est extra corpus, qui autem fornicatur tanquā ex sua carne maligna offert hostiam, nempe suum semen, ità etiam quæcumque bona faciet homo, sunt extra corpus, lachryma autem Deo offertur ex ipsa nostra essentia, sicut etiam sanguis martyrum, quo posito: quid mirum si respiciens sanguinem Deus, Israelitarum miseratur? signum enim est quod cōspecto lachrymarum nostrarum sanguine, Deus non aufert misericordiam suam à nobis, sicut enim viso in postibus sanguine agni, illæsam dimittebat Angelus percussor domum, eamque veluti filiorum Dei esse censebat, sic & Deus puniens peccata, vbi primum animi sanguinem præ foribus eiusdem animi nempe in oculis conspicit, abstinet quidem à supplicio, & confert benedictionem? & cur non conferret, cum nihil acceptabilius Deo offerri possit quam sanguis lachrymarū? teste Hieron. in illud Threnor. 2. (S. Hier. Thren. 2.) deduc quasi torrentē lachrymas per diem, & per noctem dicente, *omni tempore lachrymas per compunctionem cordis effundere debemus, sacrificium enim Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit, nullum munus Deo acceptabilius quam cōpunctio cordis prolata ex radice veræ dilectionis: hinc est illud quod in Euangelio Dominus cum ingressus domum Pharisæi ad prandiū discubuit, magis lachrymas mulieris peccatricis quam delicias epularum Pharisæi prebauit, &c.*

*Cum ad Deū conuertimur, ne superbe efferamur.* 302

*Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem & transibo vos.* Cur transis, cum viso sanguine, sine dubio eis misericordiam largiaris? verum est quod misericordia non denegabitur eis, & tamen dicit quod trāsibit, ne nimiū præsumptuose de Dei clementia essent securi, nam vt optime oraculum diuinum apud Ioelem 2. ad pœnitentiam conuocans ait, (Ioelis 2.) conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu, addit quis scit si cōuertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionem? quę verba sicut acute obseruat ibi Rupertus, non dubietatem continent sed securitatem & presumptionem tollunt, tam secura enim potest esse anima quæ ad Deum cōuertitur in ieiunio, fletu & planctu, vt necessarium fuerit ne præsumptuose superbiret, & in superbiā efferretur, loqui prophetam de venia obtenta sub dubio, *notandum,* inquit Rupert. (Rupert.) *quam diligenter in ipsa pœnitentia cautos esse cupit & securitatem tollit, cum dicit quis scit si conuertatur & ignoscat & relinquat post se benedictionem? sed hæc ipsa verba exponens addit, quomodo nunc Deus conuerti & post se benedictionem relinquere dicatur, vel speretur? illud pro exemplo est quod ipse in Exodo loquitur, erit vobis sanguis in signū, & videbo sanguinem & transibo vos, denique verbis istis sese ad sanguinis signū conuerti, & videre sanguinem, ac transire, atque benedictionem & vitam post se relinquere fatetur.*

*Qui signati signo pœnitentiæ non fuerint disperdentur.*

303 *Erit vobis sanguis in signum & videbo sanguinem & transibo vos, & non erit in vobis plaga disperdens.* In quibus ergo erit? sane in Ægyptiis, qua de causa? quia postes ædium suarum non intincti sanguine videntur ab Angelo, sed cūm dixerimus hoc signum sanguinis pœnitentiā & lachrymas cordis nostri sanguineas denotare, non est inquirendum cur eo non viso plaga disperdens sit in Ægyptiis, quia qui signati signo pœnitentiæ non fuerint, disperdentur, testis est præfatus Abbas in (Abbas Tuicens.) c. 2. Ioelis, *secundum hanc similitudinem post passionem Domini nostri Iesu Christi sanguine eius postes suos, id est, frontes suas signantes cunctis qui pœnitentiam in nomine eius prædicatam susceperunt, spem habent non vanam, quod conuertatur Deus ad signum istud, & relinquat post se benedictionem transiens & Ægyptios, id est, cunctos superbos, atque impœnitentes, æterni iudicij sententia percutiens.*

*Diabolus impiorum amator, & ideo eis quam maxime fauet.*

304 *Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem & transibo vos.* Sept. *& protegam vos.* A quo proteges? ab exterminatore; quisnam est ille exterminator? ait S. Gaudent. tract. 6. de Exodo diabolus est, cur ait quod proteget Israelitas ab exterminatore, non autem Ægyptios? an exterminator ingreditur domos Ægyptiorum eorum primogenitos interficiens? non equidem ait Gaudent. qua de causa ergo? quia sunt Ægyptij, quia peruersi & impij, diabolus autem ita eorum est amator, vt eis quā maxime faueat & non noceat, *profecto* eit. Brixient. Episcop. *Exterminator nō percutit Ægyptios quorum amicus & princeps est, quorum*

*sicut ait Dominus in Euangelio Marci beatissimi c. 3. si sathanas insurrexit aduersus seipsum diuisus est; hoc inquit facere non potest, sed finem habet.* A

305 ***Deus vult se solum verum Deum haberi.***

*Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem, & transibo vos.* Primogenitos Ægyptiorũ interfecturus, quid? solumne in homines & animalia animaduertes? imo & etiã in falsa eorũ numina, in omnibus enim diis Ægypti faciã iudicia, sed cur corã Hebræis asseris te iudicia facturum in omnibus diis Ægyptiorum? sane vt eos videntes contritos & in cinerem redactos à manu Dei potenti, solum eum verum Deum faterentur, fauet
Oleaster. Hieron. ab Oleast. *Voluit autem Dominus idola diiudicare, vt cernerent Iudæi non esse Deos, illique maxime displicere idololatriam.*

***Rationem ducem sequentes & crucem, seruabuntur illæsi.*** B

306 *Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem & transibo vos.* Vt cognoscamus quæ ibi geruntur, ait Procopius, esse mysterium, subiungit causam non admodum congruentem, nam nõne potuisset discernere, quis Hebræus & quis Ægyptius foret etiã absente cruore, nõne aderat Circumcisionis signũ, quo agnoscebatur Hebræus? quidnam ergo hoc signum indicat quo conspe-
Psal. 4. cto liberabũtur Israelitæ? exponamus illud Psal. signatum quartum est super nos lumen vultus tui Domine, nota, inquit Incognitus, quod per vultũ Dei intelligitur ratio, per quam rationales à brutis animalibus distamus, & sicut per vultum quis agnoscitur, ita per speculum rationis agnoscitur Deus, & sicut per vultum vnus alteri assimilatur, ita & nos per rationem Deo sumus similes: sed ista ratio per peccata obscura per gratiam illuminatur, vt homo cognoscat quid quæ- C
Psal. 88. rendum, quid vitandum sit, Psal. 88. Domine in lumine vultus tui ambulabant. vel secundum aliã expositionem magis mysticam, lumen vultus tui dicitur ipsa crux benedicta cuius lumine signati sumus interius & exterius, scilicet in fronte cordis, & corporis, quod est signum regis nostri, vt sicut denarius signo Regis signatur. ita & fidelibus signum summi Regis scilicet crux imprimitur, quæ verum lumen dicitur, quia virtute sacramenti crucis vera bona non solum ostenduntur nobis, verum etiam & conceduntur. quo posito recte in quibus erit signum saluabuntur à percutiente Angelo, sicut & in quibus erit signum tum rationis tum sanctissimæ crucis, sic exponit cit.
Procop. Ezech. Procop. *Cæterum hic locus similis illi qui habetur in Ezechiele in hunc modum, in quo inueneritis hoc signum illum non occideritis, vt vere dicere possimus, signatum est super nos lumen vultus tui Domine, nos quoque in hunc modum salutem inuenimus, Ægyptus lamentatur primogenita suæ rationis & operationis.* D

***Vult Deus suos cognitam habere suam prouidentiam.***

307 *Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem & transibo vos.* An incorporea natura indiget signo visibili & sensibili, vt aliquid agat & operetur, vt aliquos seruet, alios vero perdat? non equidem, cur igitur ait Deus quod Angelus signum videbit & non percutiet Israelitas? optime Theodor.
Theodor. q. 24. in Exodum. *Iussit in sanguine ouis mactatæ tincto postes & limen vngere, vt qui instabat ad perdenda primogenita Ægyptiorum, aspecto sanguine præteriret domos Hebræorum, non quod incorporea natura huiusmodi signis egeret, sed quia conueniebat vt per symbolum intelligerent illi prouidentiam diuinam.*

***Gradatim ad fidem credendorum disponimur.***

*Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem & transibo vos.* Non solum agnus typus fuit agni Eucharistici, sed & sanguis illius sanguinis qui effusus est à Christo Domino in cruce, & illius qui in altari nobis bibendus datur: sed cur ante tot sæcula, typus illius nobis proponitur? nonne satis esset sine vmbris & figuris, nobis cum temporis plenitudo aduenit credendum & adorandum proponere? prudenter illius figuræ præmittuntur vt gradatim sic ad tanti mysterii fidem adducamur: non renuit Cyrensis Episcop. cit. q. *Vt nos cum agnum immaculatum sacrificamus, cognosceremus ante descriptum typum.* 308 Cyrensis Episcop. B

***Credentes in Christum fide per dilectionem operante, saluantur, cæterorum vero adultorum nullus.***

*Erit vobis sanguis in signum & videbo sanguinem & transibo vos.* Quid huiusmodi positio sanguinis super postes domorum denotare potest? nam cur non alibi ponitur? nonne signum esset Angelo vt non percuteret Hebræorum primogenitos? dico quod hæc omnia denotant in nobis debere esse fidem, sed nõ informem, sed formatam charitate, vt salutem consequi possimus: explico. positio sanguinis Christi super domum denotabat fidem in Christum, nam per fidem Christus habitat secundum Apostolum in cor- 309
C dibus nostris; & sanguis Christi sanguine agni figuratur: vbi positus erat sanguis agni, ibi immunitas erat à percussione mortifera, quia fideles in Christum, vt sic, idest quatenus vere fideles tales existunt, futuri erant immunes à mortiferis percussionibus: nam si aliqui eorum damnantur, non ideo est quia sunt fideles, sed aliunde, quia non secundum quod docet fides, viuunt: at vbi non erat sanguis agni, ibi mors grassabatur: quia infideles in Christum, vt sic etiam, si nullo alio polluti essent peccato, percutiendi erant, quid per fideles sic intelligitur? audi & hinc quoque disces, attendendum igitur vbi sanguis ponebatur, nam si sanguis agni positus alicubi significat fideles illos apud quos positus est, consequenter habetur, quod sanguis ille sic vel sic positus, fideles sic vel sic idest formatos vel informatos significabit; vbi ergo ponebatur sanguis agni, ad hoc vt saluari possent Hebræi à percussore? ponebatur super vtrumque postem domus & in superliminaribus, quid est ista domus? Ecclesia scilicet, anima sancta, vnde sancta? à sanguine Christi posito super vtrumque postem, & in superliminaribus: nam & sanctus dicitur quasi sanguine tinctus ex Apostol. Hebr. 13. *vt sanctificaret per suum sanguinem populum.* Hebr. 13. Quid est postis animæ? potentia animæ, quare enim & partes ostij vocantur postes, nisi quia possunt claudere, quid claudere possunt? ostium, ab eo igitur quod istam habent potentiam, dicuntur postes, potentiæ ergo animæ recte per postes designantur, quotuplex est postis

seu

seu potentia animæ? duplex scilicet intellectus A & voluntas, quando ponitur sanguis Christi super intellectum animæ? quando anima credit in Christum, quando ponitur super voluntatem? quando anima diligit Christum, per quid ponitur in intellectu? per fidem, per quid in voluntate? per charitatem, fides ergo sola non sufficit ad salutem, sed fides cum charitate: fideles ergo informati non saluantur, si enim saluarentur, seu quod idem est si sola fides per se sufficeret ad salutem, tunc sufficiens esset linitio sanguinis super vnum solummodo postem, ad hoc vt Iudæi mortem euaderent, nunc autem linitio super vtrumque præcipitur, tanquam necessaria, quia ad hoc vt à ventura ira saluemur, exigitur fides charitate formata.

*Memoria passionis Christi tutela est contra aduersarios spirituales.*

310 *Erit vobis sanguis in signum, & videbo sanguinem & transibo*, Sept. *& protegam vos.* Quid? solum visus sanguis in postibus ad eorum protectionem te inducit? tantę ne efficaciæ & virtutis vt te à morte eos incolumes reddere compellat? nonne ille sanguis typus erat sanguinis fundendi in passione agni immaculati? quid mirum igitur, si tantæ energiæ est? memoria enim passionis Christi eo deuotabatur futura, contra aduersarios spirituales securissima tutela: pro nobis stat Rabanus Maurus. *Sanguis Christi etiam in signum est credentibus ne necat eos exterminator, quia maxima tutela contra hostes est Christianis memoria passionis Christi.* Rabanus Maurus.



## VARIETAS LECT. Vers. 14.

VVlg. Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris, cultu sempiterno.

*Sept.* Et erit vobis dies hic memoriale, & celebrabitis etiam festum Domino, omnes generationes vestras legitimum æternum, celebrabitis eum.

*Cald.* Et erit hic dies vobis in memoriam, & celebrabitis eum solemnem coram Domino in B generationibus vestris, fœdere sempiterno celebrabitis eum.

*OnK.* Celebrabitis eum solemniter in generationibus vestris, pacto sempiterno celebrabitis eum.

*Pagni.* Statuto perpetuo celebrabitis eum.

*Arias.* Statuto sæculi celebrabitis eum.

*August.* Et facietis diem hunc in progenies vestras legitimum æternum.

## CONCORDIA.

QVod legimus in monumentum, idem est C quod in memoriam & vbi dicimus in generationibus vestris cultu sempiterno, iuxta Hebręum legitur לדרתיכם חקת עולם תחגהו Ledorotechem chuκat holam techaguhu, in generationibus vestris fœdere sempiterno celebrabitis eum, sed doctus interpres consulto præterit verbi explicationem idiomatis Hebræi propriam, si Septuag. dixere νόμιμον αἰώνιον legitimum æternum, non discrepant à nostra vulgata.

## EXPOSITIO.

HAbebitis autem hunc diem in monumentum. Monumentum hic pro memoriali ponitur, vnde alię lectiones habent in memoriam siue memoriale percepti beneficii, ad hoc quippe solemnitates sunt institutę, vt in perceptorum beneficiorum contemplatione, & gratiarum actione fideles his diebus vacarent. *Celebrabitis eum in* D *generationibus vestris cultu sempiterno*, dicitur hic cultus sempiternus, quia per plures annos duraturus quamdiu scilicet vestrę generationis & gentis Iudaicæ ritus puta Iudaismus durabit per annos scilicet 1530. tot enim sunt ab exitu ex Ægypto vsque ad passionem Christi qui ritum hunc impleuit & aboleuit: bene monet S. August. etiam ex prę sciẽtia Dei præceptum hoc temporaneum esse, ex eo quod Deus non permiserit agnum immolari nisi in loco in quo inuocatur nomen eius (idest vbi tabernaculum est vel templum) sciuit autem dies venturos quando post passionem Christi locus ille tradendus esset hostibus, & cessaturæ simul omnes victimæ.

## CONCEPTVS.

*Optima beneficij custos memoria beneficij.*

311 HAbebitis autem hunc diem in monumentum, Cald. *erit vobis hic dies in memoriam.* Cuius rei? tanę tanti accepti beneficii, quale illud fuit liberari à seruitute Ægypti & à Pharaonis tyrannide: sed si ita est, cur addis, celebrabitis eum solẽnem Domino? si celebraturi sunt quatenus diem festiuũ, cur permisisti vt esse eis in monumentũ? quia optima beneficii custos est memoria beneficii, hoc confirmat S. Chrysost. iisdem ferme verbis hom. 26. in Matth. *Apostolus dicit ad Colossens. 3. grati estote, optima quippe beneficiorum custos est memoria perpetua gratiarum confessio, propterea* S. Chrysost. Ad Colos. 3

*& veneranda ac salutaria illa mysteria, quæ in omni Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia id. gratiarum actio nuncupatur, sunt enim beneficiorum recordatio plu[illegible] ipsum diuinæ erga nos [illegible] ostendunt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper exoluere.*

*Gratiarum actio armatura fortis.*

312 *Habebitis hunc diem in monumentum*, Sept. *erit hic dies vobis memoriale*. Accepti à me maximi beneficij, nonne satius esset cum exituri sint de Ægypto, & eos persecuturus Pharao, cum tot millibus hominum, eos armis instruere, vt conatus aduersariorum repellere possent, & se suosque à morte eriperent? quid igitur recordaris solum tibi gratiarum actionis persoluendæ? quia licet in hostes pergerent dimicaturi, sufficienter armantur si grates egerint, actio enim gratiarum armatura

S. Chrysost. nobis est fortissima, testem profero cit. Chrysost. hom. 1. ad populum Antioch. *Magnus thesaurus gratiarum actio, magna eleemosyna, inconsumptum bonum, armatura fortis; sicut blasphemia ingruentem iacturam intendit, ijs qui peierare solent, plura insuper perire facit, perdidisti pecunias, si gratias quidem egeris animam lucratus es & maiores nactus es diuitias, quia Dei beneuolentiam hausisti amplius, &c.* expende hæc verba, *armatura fortis*, qui scit gratias referre, non quibuscumque armis instruitur, sed validissimis.

*Nihil melius gratiarum actione.*

313 *Habebitis hunc diem in monumentum*, Sept. *erit hic dies vobis memoriale*. Beneficij accepti, cur aliud non exigis ab Israelitis pro libertate consecuta, pro erepti durissima seruitute, pro vitæ conseruatione & bonorum augmento, quam vt gratias referant? cur non postulas taurorum & hircorum

S August. sanguinem in sacrificium, vt sua pauperibus bona distribuant? tibi satisfaciat S. August. Epist. 5. ad Marcellinum. *Quid melius & animo gerimus & ore promimus & calamo explanemus quam Deo gratias? hoc nihil dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.*

*Deus ita gratiarum actionem pendit, & æstimat, vt eam loco beneficij habeat.*

*Habebitis hunc diem in monumentum*, Cald. *& erit hic dies vobis in memoriam*. Quod vos eripuerim à seruitute Ægypti, sed qua de causa vis eos tanti beneficij esse memores? an vt suo satisfaciant debito? non hac de causa solum, sed quia eam tanti

S Basil. Mag. pendit & æstimat, vt eam loco beneficij accepti habeat, fauet mihi Basil. Mag. hom. in martyrem Iulittam. *Quam rependis pro accepta gratia gratiarum actionem, in numerum refert Deus, & habet beneficij loco, qui licet nihil aliud accipiat quam quod suum est, perinde tamen retribuit gratiam ac si propria dedisset.*

*Gratiarum actio non Deo sed nobis vtilis.*

314 *Habebitis hunc diem in monumentum*, Sept. *erit vobis dies memoriale*. Cur non ait erit mihi dies memoriale non autem vobis, cum ipse Deus sit qui memoriam beneficij exigit? cur exigis cum nostra beneficiorum recordatione non egeas? quid enim nostra beatitudini potest conferre? sane si accepti beneficij memoriam à nobis requirit, non ideo est quia in suam cedat vtilitatem,

S. Chrysost sed potius in nostram: fidem adhibe S. Chrysost. hom. 26. cit. in Matth. *Neque Deus alicuius nostri eget, sed nos omnium quæ illius sunt, indigemus, siquidem gratiarum actio illi quidem nihil omnino addit, nos autem magis illi familiares facit: nos enim cum hominum beneficia recordamur, vehementius eorum amore succendimur, multo magis beneficiorum Dei in nos si memores, studiosiores erimus ad ipsius mandata seruanda*, Si enim immemor beneficij fueris diuini, Deum nescies diligere.

*Memoria beneficij accepti ad aliud beneficium impetrandum commouet.*

*Habebitis autem hunc diem in monumentum*, Cald. 315
*erit hic dies vobis in memoriam*. Expecta quæso cum introduxeris eos in terram promissionis, & illius eos possessores constitueris, tunc enim tempus opportunum erit persoluendæ gratiarum actionis; cur nunc ergo memoriam præsentis beneficij requiris? quia ad alia impetranda beneficia, certissima erit via, beneficium enim acceptum si recte recolatur, Deum profecto ad aliud nobis conferendum prouocat, id expertus fuerat S.Bernard. cum in serm. 13. in Cantica dixit. *Quod* S. Bernard.
*si copia aquarum secretis subterraneisque recursibus incessanter æquora repetunt, vt inde rursus ad visus vsusque nostros ingi & infatigabili erumpant obsequio, cur non etiam spirituales riui, vt arua mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude & sine intermissione redduntur ad locum? vnde exeunt reuertantur flumina gratiarum vt iterum fluant*, preme hæc vltima verba vt iterum fluant, quasi diceret, refer gratiarum actionem pro beneficio accepto, & alia de nouo tibi conferentur.

*Licet sit exiguum quod rependimus in gratiarum actionem, Deus tanquam quid pretiosissimum ponderet.*

*Habebitis hunc diem in monumentum*. Qua com- 316
pensatione? non rerum, quid enim habes quod non accepisti? quid enim Deo tribues quod non sit illius? non verborum, nam quæ compensatio verbi pro libertate consecuta, qua nihil charius habetur? dices diem quotannis solemnem acturos in memoriam tanti beneficij: sed quid vnicus dies pro beneficio, quod nunquam satis æstimabitur? ita sane nullus censendus est vnus dies singulis annis pro reddendis gratijs; sed licet exiguum sit quod Deo rependimus in gratiarum actionem, nihilominus tanquam quid pretiosissimum ponderat, quod probat S. Gregor. S.Greg.
Nazianz. orat. in Iulian. *Vnusquisque quod po-* Nazianz.
*terit Deo offerat quouis tempore, quouis genere vitæ, & fortunæ præsentis facultatis modulo, pro gratia sibi concessa, vt per omnes vitæ modulos omnes regni cœlestis mansiones impleamus:* & paulò post, *nihil earum rerum quæ Deo offeruntur tam paruum est quamuis etiam minimi momenti sit, quamuis illius dignitate inferius, quod non omnino accipiat atque comprobet, tametsi iusto iudicio misericordiam æstimare & expendere noris, accipit sic & Pauli plantationem, vt Pauli & Apollinis irrigationem, & viduæ diminuta, & Publicani humilitatem, & Manassis confessionem.*

*Gratiæ agantur Deo non modo in prosperis, sed etiam in aduersis.*

318 *Habebitis hunc diem in monumentum. Sept. erit vobis hic dies memoriale.* Quid mirum si pro libertate adepta beneficium recolant, gratias rependant? quis enim in rebus prospere cedentibus, Deo non benedicat? sed ô Deus immortalis, solumne tum cum à tyrannide Pharaonis liberi gratiarum actiones referent? nonne cum insequentem eum viderint, eum exercitu suo vt æterna memoriam eorum deleat, grates rependent? ita equidem deberent, nam gratiæ non solum agendæ Deo in prosperis sed etiam in aduersis, eo quod etiam aduersa immittendo permittendo, beneficium nobis præbeat, in hanc sententiam egregie S.

S. Basilius. Basilius in Psal. 33. *Nihil magis Christianum decet, quam vt rebus suis prospere cedentibus benedicat Deo, contra tristitiæ quapiam calamitate afflictus laudes retineat Dei, quando enim gratiæ vberiores accendæ veniunt, vt quis plane nouerit quia quem diligit erudit & castigat, flagellat autem omnem filium*

S. Hierony. *quem recipit*, & S. Hierony. in cap. 5. Epist. ad Ephes. *Christianorum propria virtus est, etiam vt his quæ aduersa putantur, gratias referre creatori, qui sibi sanctiores videntur solent Deo referre gratias quod de periculis vel miseriis liberati fuerint, sed iuxta Apostolum hæc virtus maxima est, vt in ipsis periculis & miseriis Deo gratiæ referantur, & semper dicamus benedictus Deus, minora me scio sustinere quam mereor, hæc ad mea peccata parua sunt, nihil mihi dignum redditur, hic animus Christiani est, hic crucem suam tollens sequitur saluatorem, quem nec orbitas nec damna debilitant.*

*Beneficia Dei quæ pluribus communia, reputa tibi soli præstita.*

319 *Habebitis hunc diem in monumentum*, Septuag. *erit hic dies vobis memoriale.* Quid? an omnibus vel aliquibus, vel vnicuique? sane vnicuique, nonne satis erat in compensationem beneficii accepti, vt respublica Iudæorum Deo gratias haberet? cur vnusquisque in particulari ad hoc tenebatur? quia beneficia Dei quæ pluribus communia, reputare debemus tanquam nobis solis præstita: ita

S. Chrysost. nobis suggerit os aureum lib. 2. de compunctione cordis his verbis. *Hic affectus est serui fidelis, vt beneficia Domini sui quæ communiter data sunt, omnibus quasi soli præstita reputet, & quasi ipse sit omnium debitor & pro omnibus ipse solus iudicetur obnoxius hoc fecit & Paulus qui mortem Domini & Saluatoris nostri quæ pro vniuerso expensa mundo, sibi soli præstitum dicit, quasi enim de se solo loquens ita*

Galat. 2. *scribit, quod enim nunc viuo in carne in fide viuo filij Dei ad Galat. 2. qui tradidit semetipsum pro me, hæc autem dicebat non coangustare volens amplissima, & per orbem terræ diffusa Christi munera. sed quasi quia vt diximus pro omnibus se solum iudicaret obnoxium, & reuera quid interest si & aliis præstitit, cum quæ tibi præstita sunt ita integra sint & ita perfecta, quasi nulli alii ex his aliquid fuerit præstitum.*

*Homo ingratissimus & præcipue Iudæus.*

320 *Habebitis hunc diem in monumentum, Sept. erit hic dies vobis memoriale.* An ita immemores tanti beneficii accepti, libertatis adeptæ qua nihil pretiosius esse potest, vt grates non rependant? hunc diem singulis annis solemnem non habeant? quis hoc sibi persuasum habebit? tibi facile persuadebis, si consideres Iudæorum naturam, quæ in ingratitudinem propensissima est; vnde eorum ingratum animum considerans ait S. Greg. hom. 13. in Euang. *Creator omnium per mysterium incarnationis Iudæam visitare dignatus est, sed ipsa non cognouit tempus visitationis suæ, ideo gentibus frequenter in prædam data est, nouissime Romanis tradita, & venerunt super eam omnia genera maledictionum, quæ in libro legis scripta sunt, similiter his qui gratiam Dei ingrati accipiunt certa est damnatio. si enim quis irritam faciens legem Moysi sine vlla miseratione moritur, quanto deteriora meretur supplicia qui filium Dei conculcauerit & sanguinem testamenti pollutum duxerit?*

*Festiui dies celebrandi cum lachrymarum compunctione & sanctorum imitatione.*

*Habebitis hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino cultu sempiterno*, Sept. 321
*celebrabitis etiam festum Domino.* Cur postquam comedendus est agnus Paschalis, præcipitur festiui huius diei obseruantia? nam cur sermo institutus de calceamentis, de renum accinctu, de baculis in manibus, de lactucis agrestibus, ad hoc vt concluderetur, quod huiusmodi dies festiuus esse deberet & solemnis? sane vt nobis innueretur quod huiusmodi festum Paschale celebrari deberet, cum bona operatione, per azymum declarata, compunctione per lactucam, cum castitate in rebus accinctis denotata, &c. Do Petrum Abbatem Cellens. lib. de Panibus cap. 23. qui constituens discrimen inter festa Paschatis & Pentecostes ait, *Diligentius differentiam Paschæ & Pentecostes, intuere in sanguine, azymo pane, carnibus assatis igne, lactuca, baculo, renibus accinctis, pedibus calceatis, agitur Pascha, & sanguine profecto postes inguntur, agnus assatur, quod superest de carnibus agni comburitur, cum lactucis caro agni editur, baculus in manibus tenetur, renes balteis Regnum accinguntur, & pedes calceamentis nouis induuntur, quid autem hæc significant? in sanguine cordis contritio, in igne oris confessio, in azymo pane absque vana gloria bona operatio, in baculo inflexibilis propositi sollicitudo, in lactuca lachrymarum compunctio, in renibus accinctis, libidinosorum motuum mortificatio, in pedibus calceatis, sanctorum imitatio vel sinistri assidua recordatio intelligitur; hæc arma sunt pœnitentis, hæc instrumenta in clibano coquentis, hæc necessaria in victu Pascha celebrantis.*

Abbas Cellens.

*In bene ordinanda republica præcipua ratio religionis habenda.*

*Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino.* Cur Deus non eis 322
præcipit, vt quamprimo constituant magistratus, qui reipublicæ præesse debeant? cur primum agit de festorum celebratione, dum respublica Iudæorum incipit, & iam agitur quod Deus est festis colendus? quidni? nam in republica bene ordinanda, religionis præcipua ratio est habenda. *Quia in condenda republica Israelis* (inquit Lipp.) *primum omnium institutum est diuinitus festum Paschæ quod ad religionem pertinet, perspicue significatur in ordinanda republica maximam omnium rationem veræ religionis habendam esse.*

Lippom.

*Dies festiui non condemnandi sed celebrandi.*

*Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino.* Septuag. *celebrabitis etiam festum Domino.* Si Deus præcipit festum Paschatis celebrari, & cultu sempiterno solemnem haberi, cur S. Paulus ad Galat. 4. videtur
Ad Galat. 4. festa condemnare? ait enim dies obseruatis, & menses & tempora, & annos, timeo, ne forte sine causa laborauerim in vobis. ex quo loco deducunt Hæretici nostra etiam abolenda festa tanquam à Paulo condemnata: nonne etiam idē Apostolus ad Colossens. 2. ait nemo vestri iudicet
Ad Colos. 2. in cibo, aut potu aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut sabbatorum quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi: sed audiatur Origenes qui iisdem cum Tertuliano temporibus claruit nempe Seueri imperatoris, haud amplius quā
Origen. contra Celsum li. 8. centum quinquaginta annis à temporibus Apostolorum, de vtraque Pauli sententia agens ac fusius disputans contra Celsum lib. 8. hęc ait; accommodatissimè ad festos dies gentilium scilicet arguendos illud apud Paulum videtur, dies autem obseruatis & menses, & tempora, & annos, timeo forte ne sine causa laborauerim in vobis; quod si quid ad hæc fortasse obiecerit vel Dominicos dies vel Parasceues Paschatis, vel Pentecostes tempora, quæ ex diebus vtique constant, dicendum perfectiorem quemque qui pro verbo Domini ac Dei natura, dictis factisque & cogitationibus semper insistat, assidue in diebus Domini versari, & Dominicos perseueranter agere dies, & ad recte viuendum sedulo paratiorem se reddere, & à mundi iuanitatibus abstinere, pergit enim agere de Paschate, quod celebretur à christianis, quod eo tempore immolatus sit Christus, & de Pentecoste quod Spiritus Sanctus cælitus effusus sit in Apostolos atque discipulos, ac denique monstrat pluribus, perfectiores christianos mente sua semper agere dies festos; esse tamen imbecilliores qui sensibilibus indigerent exemplis, iidemque his statutis festis manu ducendi essent ad sublimiorem, perfectioremque disciplinam, quamobrem
" hęc subdit: istiusmodi arbitror vbi Paulus cogno-
" uisset festi diei partem, festum id nominasse, quod
" pręter dies cæteros festos statis diebus celebrare-
" tur, & ex istiusmodi dicto aperuisse, non in parte
" aliqua festi diei, sed integra quadam & indeficien-
" te hanc esse, qui pro verbi doctrina vitam perpe-
" tuo duxerit, deinde in festis sic ex parte sublatis
S. Greg. Nazianz. hęc & Greg. Nazianz. *Festos dies Iudæus etiā agit, verum iuxta litteram, legem enim corporeā consectatus, ad spiritualē legē non peruenit, festos quoque dies gētilis agit, verum iuxta corpus.* Et paulò post, *feriamur ipsi quoque, verum vt spiritui gratum est*, & inferius, cum agit de festo Pentecostes, deque ratione eius festi diei celebrandi à christianis inita, hæc addit: *ob has igitur afferationes, vobis proximas, vel etiam sublimiores quasdā, magisque diuinas, Pentecostes diem Hebræorum voce colimus quemadmodū & alios multos Hebraicos ritus obseruamus, apud illos quidem figuratenus celebratos, à nobis autem mysticè restitutos atque perfectos*, his consentientia scribit Basilius.
Basil. in Esa c. 1. Sed quam erudite & eleganter Hieron. Hæreticorum obiectiones, qui ex Apostoli verbis ca-
S Hieron. ptiones quascumque possint calumniosè admodū aucupantur, retellat, hæc accipe: dicat aliquis:
" si dies obseruare non licet, & mēses, & tempora,
" & annos, nos quoque simile crimen incurrimus,
" quartam sabbati obseruantes, & parasceuen &
" diem dominicam, & ieiunium quadragesimæ &
" Paschæ festiuitatem, & Pentecostes lætitiam, &
" pro varietate regionum diuersa in honore mar-
" tyrum constituta: ad quod qui simpliciter respō-
" debit, dicet, non eosdem Iudaicę obseruationis
" dies esse, quos nostros, nos enim non azymorum
" Pascha celebramus, sed resurrectionis & cru-
" cis: nec septem iuxta morem Israel numeramus
" Hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus Sancti
" veneramur aduentum. & ne inordinata congre-
" gatio populi fidem minueret in Christo, proptē-
" rea dies aliqui constituti sunt vt in vnum omnes
" pariter veneremur: non quod celebrior sit dies il-
" la qua conuenimus, sed quo quacumque die con-
" ueniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia maior
" oriatur: qui vero oppositę quæstioni acutius re-
" spondere conatur, illud affirmat; omnes dies ęqua-
" les esse nec per parasceuen tantum Christū cru-
" cifigi, & die Dominica resurgere, sed semper san-
" ctæ resurrectionis esse diem, & semper cum carne
" vesci Dominica, ieiunia autē & congregationes,
" propter eos, inter dies & à viris prudentibus insti-
" tutos, qui magis sęculo vacant quā Deo, nec pos-
" sunt, immo nolunt toto in Ecclesia vitæ suæ tem-
" pore congregari, & ante humanos actus, Deo
" orationum suarum offerre sacrificium, quotus
" enim quisque est, qui saltem hęc pauca, quę statuta sunt vel orandi tempora, vel ieiunandi semper exerceat: hęc & alia Hieron. vt apparet, in sententiam Origenis, at non hi quidem sic cunctis Christianis dies ęquales esse dixerunt, vt festa dies non præster non festæ, sed quod dies in quantum dies sunt, omnes ab eodem auctore creati, eiusdem sint considerationis: tamen quod in aliquibus grandia inciderint diuina mysteria & his eosdem reddi celebriores constat: sicut de campis accidit, qui cum omnes æquè sint terra, ille tamen nobilior habetur cæteris, in quo magis egregia sunt sata semina, vel plantatæ arbores. quamobrem certi dies his muneribus diuinitus illustrati, celebriori cultu peragi debuerunt, cum alioqui ob immensam Dei erga mortales largitatem effusam, cum sufficere illi dies prescripti ad referendas gratias minimè videantur, omnibus diebus eadem meditari omnes æque deberent.

*Festum Paschæ quibus cum virtutibus celebrandum.*

*Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino*, Septuag. *celebrabitis etiam festum Domino.* Si huiusmodi festum 3 12
Paschale est, an cum solo aliquo apparatu externo celebre & solemne reddendū est? sane potius virtutibus ornati festiuum Deo efficiemus, sic ex-
Theophil. Alexand. hortatur Theophil. Alexandrinus Epist. Paschali 2. *Virtutum veste circundati splendorem solis imitemur, imitantes qui sic passionis Dominicæ festa concelebrant: festinemusque ad Angelorum metropolim quæ libera est, & nulla malitiæ sorde maculatur, in qua nec dissensiones sunt, nec ruina & de altera in alteram transmigratio; omnique voluptate calcata & compressis luxuriæ fluctibus, qui aduersum non crebrius intumescunt, cœlestibus misceantur choris, vt iam nunc illuc mente translati, & angustiora videntes loca simus quod futuri sumus.*

*Ad imitationem Christi Domini disponamur ad celebrationem agni Paschalis.*

324 *Habebitis hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino.* Sane hic dies ita solemnis, typus erat nostri Paschatis, quo erepti sumus à duro Pharaonis tartarei iugo, quodque Christus Dominus celebrandum nobis dedit: sed si Christus Dominus festum illud egit, nonne ad eius imitationem à nobis celebratio peragenda est? ita sane teste S. Esaia Abbate oratione 22. de operibus hominis noui; Dominus noster Iesus verum sabbatum obseruauit, docuitque quomodo deberet obseruari, cum in parasceue absconditis sed antequam in crucem ascenderet, cuncta preparauit, tot ignominias & contumelias ferens, non soluens neque seipsum recreans vllomodo, quin etiam cum diceret sitio, obtulerunt illi spongiam aceto plenam, quo gustato dixit consummata sunt omnia, & inclinato capite tradidit spiritum, & deposuerunt eum vere sabbatum obseruantem, quieuit enim Dominus Iesus septimo die, & benedixit ei, quoniam requieuit ab omnibus operibus, quibus humanas destruxerat infirmitates, ingrediens enim vt scribit Apostolus, in requiem suam ab omnibus operibus suis quieuit, quemadmodum & à suis Deus: hoc verum est sabbatum, quod qui non obseruat, non est Christianus, lugens enim Ieremias super populum Israel, nolite inquit, onera gestare in die sabbati, & ne egrediamini portas Ierusalem portantes onera in die sabbati. heu me miserum, qui hæc sancta mandata non obsequo, & grauia fero onera in die sabbati, quæ sunt ista onera? ira onus est graue, æmulatio, odium, inanis gloria, obtrectatio maledicentis, irritatio, superbia, arrogantia, contentio, amor proprius, inuidia, hæc animę sunt: corporis autem, ingluuies, nimius corporis ornatus & cura, libido, concupiscentia, cordis defectio, hæc omnia & reliqua his similia repulit à corporibus sanctorum occidens ea in sancto corpore suo, vt affirmat Apostolus, per crucem interficiens inimicitias in seipso: quisquis igitur grauia fert onera peccatorum, is sabbatum violat, nec verus est Israelita sed ipsum decipit.

Esaias Abbas.

Hebr. 4.

Ephes. 2.

*Qui ab omnibus vitiis sunt circumcisi hi recte celebrant festa.*

325 *Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino,* Sept. *celebrabitis eum festum Domino.* Quibus præcipit Deus festiuum hunc diem agere? Israelitis solum, cur solum Israelitæ tanti festi sunt obseruatores? nonne signo circumcisionis notati? quo adumbratur quod ab omnibus vitiis debemus esse alieni, & veri Israelitæ, si recte & merito velimus obseruare festa Domini: *Sabbatum*, inquit cit. Abbas Esaias. *ipsorum proprium est, qui circumcisi sunt & sanctum Pascha comederunt vt oportet*, explicans autem qui sanctum Pascha comederunt rite, vt digni sint celebrare sanctum sabbatum, ait, *non dixit eis accingetis vos super renes vestros, nequis de cingulo dictum intelligeret, sed renes vestros accingetis, vt de castitate & munditia intelligeremus: calceamenta significant vt prompti simus ad omnia fugienda & declinanda quæ conscientiam pungunt & maculant, mentemque auertunt à propria contemplatione in sanctitate, per baculum spes indicatur ad terram promissionis, hi sunt qui sabbatum obseruant.*

Cit. Abbas.

*Qui cultu sempiterno Paschatis æterni festiuum diem agere contendit, quaenam debet obseruare?*

*Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino cultu sempiterno.* Quomodo potest fieri quod cultu sempiterno huiusmodi festiuus dies celebretur? nam temporales erant Iudæi, & eorum festa adueniente veritate, euanescere debebant, nihilominus cultu sempiterno celebrari debebat, sed vbinam? sane in cœlo, a quibus? à veris Israelitis: sed quænam sint necessaria vt recte obseruari possit? attendamus & decerpamus ex sancto Theodoro Studita sermon. Cathe. 66. fratres, *inquit*, patresque iam præterequitat quadragesima, animus Pascha impendente lętatur, seu conquieturus in eo, tanquam rude donandus multorum laborum, quorsum hic institutus mihi sermo est? quod vita omnis nostra quasi quædam quadragesima est, æternum intuens Pascha, nostrum hoc quidem, & si venerandum, & ingens, simulachrum tamen est illius, vti prędicant patres: siquidem hoc diecula est, ac præterit, illud incomitatum, æternumque est, vnde tristitia, dolor, lamenta profugere, vbi gaudium lætitia, triumphus sempiternus: vbi murmur feriantum, cętusque agitantium corona, & iugis spectaculum lucis: vbi fœlix Christianû prandium, per omnibus bonis referta mensa, potus nouitius. quid his consolabilius verbis? quid reuerentius? quam non emolliant mentem, quem non animum pungunt? vel lapideam fore naturam, dicat quispiam: nedum cor humanum, atque hęc cogitantes tulere quæ tulere sancti, ærumnas pro gaudio ducentes, res arctas pro amplis, certamina pro delitiis, exercitationes pro quiete, necem pro vita: igitur nos quoque qui idem vrgemus studiũ, pariterque quęrimus Pascha, pręsentia, cohortor animose, ac fortiter feramus, non labantes, non ignauia torpidi, quin feruidius exciti; obserantes, & improbum serpentem, qui varietatem in nos exerceat vitiorum, in Angelum lucidum se distingant, res insolentes conuertat, tenebras lucem, amarum dulce ostentet. 326

Theodorus Studita.

*Festum verum Paschatis non singulis annis, sed diebus celebrare deberemus.*

*Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino.* Et hic festiuus dies singulis annis celebrari debebat, sed an etiam singulis diebus celebrare possumus? quis hoc asseret? nam quomodo quotidie huic festo incumbere debemus, cum quot annis, aliis nempe Iudæis solis præcipitur? quæso consulamus cit. S. Theodorum ser. 67. sic dicentem, *dies imminet Paschæ, postea quam Deo duce medium ieiunium præterimus, sed quid autem properamus Pascha occupare, quod adeat, abeatque? non id annorum permultis egimus curriculis? igitur præsens transibit quoque, nihil enim est in hoc sæculo constans, quin dies vmbræ labuntur instar, vitaque nostra seu pernix eques decurrit, dum vrgemur ad metam, quid? an non ait, amabile Pascha est? sane fateor amabile* 327

*vel in primis, sed quod in dies ebriatur, quod nam?* A *expurgatio scelerum, contritio cordis, lachrymæ ab compunctione profectæ, puritas cõscientiæ, terrestrium carnificina membrorum, adulterij, impudicitiæ, libidinis, noxij desiderij, ac quæ aliæ sunt simulitiæ noxæ: quæ qui parauerit non in annum semel, sed vt sic dicam, quotidie Domino peroptabile celebrat Pascha, at qui non habeat quæ dixi, vitijsque regatur, ne is feriandi sit impos: nam qui feriatur cui numen ingluuies, quæ carnis flagret libidinibus, qui inuidia, tabescat qui immersus auaritiæ, qui ambitione possessus, qui alijs inuolutus sint facinoribus? nisi quis dicat sane & febricitantem valere & naufragum vehi prosperè, at non id ratio, fasque patitur: nequit enim qui in tenebris versetur collustrari, nec qui sceleribus bacchetur feriari.*

## *Quibus operibus incumbere debemus festum Paschatis celebrantes.*

B

528 *Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino*, Sept. *celebrabitis etiam festum Domino.* Quomodo celebrabitur? cur non præcipitur eis quibus operibus incumbere debeant, in talis festi celebratione? non est necesse vt id præcipiatur, supponitur enim quod non sine pijs actionibus, & ijs multigenis festiuus huiusmodi dies agendus esset. legendus est Theo-

Theophil. phil. Alexandr. Episcop. Epist. 2. Pasch. *Cum Angelis merebimur dominicum Pascha celebrare, fidem conuersatione decorantes, misericordia in pauperes imitemur Deum cui nulla corporalium natura in forma consimilis est, habeamus in cunctos imaginem bonitatis eius, pœnitentia emendemus errores, oremus pro inimicis, pro detractoribus obsecremus, æmulantes Moysen, qui sororis contra se loquentis culpam oratione deleuit, oleo eleemosynæ peccatorum sordes leuemus, captiuorum vincula, nos videantur adstringere, & propitium illis imprecemur Deum, clausos carcere humanitas diuina sustentes, & his quorum corpora morbus regius occupauit, & iugi tabe membra soluuntur propter repositam in cælis mercedem sollicito ministerio seruiamus, si quando iudicis nobis potestas data fuerit, & irrigantium ad nos fratrum causa delata, non sit personarum consideratio, sed rerum cernentibus & in tribulatione positis, nos quoque humanus affectu leges normam teneant veritatis, charitas prona sit ad misericordiam, non insultans peccantibus, sed condolens; facilis est enim lapsus ad vitia, & fragilitas conditionis humanæ quidquid cernit in alio, in se debet pertimescere: cùmque alius fuerit pro errore correptus, illius emendatio nostra sit cautio, & super omnia quasi culmen & corona virtutum pietas in Deum toto cordis timore seruetur.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 15.*

*Vulg.* Septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentum in domibus vestris, quicumque comederit fermentum, peribit anima illa de Israel, à primo die vsque ad diem septimum.

C

*Sept.* A die primo remouebitis fermentum de domibus vestris, quicumque autem comederit fermentum, deperdetur anima illa de Israel.

*Pagni.* Septem diebus infermentata comedetis, veruntamen die prima cessare facietis fermentum è domibus vestris, quia omnis qui comederit fermentum, excidetur anima ipsa ex Israel.

*Procop.* Septem diebus comedetis panes infermentatos.

## *CONCORDIA.*

QVod dicitur non erit fermentum Hebraicè est תשביתו tasbitu cessare facietis, vel vt habet Caldaica, auferetis, Septuag. ἀφανιεῖτε expelletis, sed idem est apud omnes sensus, verbum כרת carat varia habet significata, sed hoc loco succidere, excidere, & ita perite significat.

## EXPOSITIO.

SEptem diebus. Dies hi accuratius exponuntur infra vers. 18. à vespera decimæ quartæ diei iã finitæ, & à die decimo quinto inclusiue, vsque ad vigesimum primum inclusiue, hi autem septem dies non ad primã comestionem præcise, referuntur nam vt bene scribit Iosephus, Iudæos azyma comedisse per totos 30. dies, sed ad cæteras deinde comestiones in terra promissa celebrandas, si autem azyma per illos dies comederunt, non ex præcepto id fecerunt, sed necessitate id cogente, quod fermentum secum non sumpsissent: septem autem dies præcipiuntur non plures, vel quia in hoc numero aliquid mysterii latet, vel quia hic numerus in scriptura pro quacumque multitudine ponitur: si autem tibi obijciatur, quod Deuteronomij 16. dicitur sex diebus comedetis azyma, ergo contradictio est in sacro contextu: dices verum esse quod sex azymorum dies hic addantur,

D

sed ideo hoc fit, nõ quia dies septimus excluditur sed quia erat dies collectę, de quo aliquid peculiare mox subiungebatur, sex diebus comedes azyma & in die septima, quia est collecta Domini Dei tui, non facies opus vt sit sensus, sex primum diebus comedes azyma, deinde septimo, sed hoc superaddes, vt eum festum habeas, quia est dies collectæ.

*Comedetis azyma*, id est panes sine fermento, vnde Procop. legit, comedetis panes infermentatos, fermentum dicitur quod quasi feruendo crescat, hinc panis azymus statim coquitur, nam in fermentato expectare oportet, dum fermentum digerat, & attenuet pastam ex qua fit panis, qui suauior est & salubrior pane infermentato: voluit autem Deus hos à Iudæis septem diebus, quotannis panes edi, vt eius celeritatis quæ fuerat in Ægypto, penuriæ & panis noxij, ac insipidi vsu,

postmodum meminissent.

*In die primo* idest à die primo, vt vertere Septuaginta, *non erit fermentum in domibus vestris*, ne si fermentatum in cellis aut promptuariis retineretur, multi occasionem acciperent comedendi de fermentato, *quicumque comederit fermentum*, dicunt Hebræi quod licet fermentum nullomodo his diebus comedendum esset, tamen non præcipi, quod comederent singulis his diebus azyma, sed satisfacere præcepto, si primo tantum die cum agno, azyma comederent, reliquis autem abstinerent à fermentato. tamen id facile refellitur, A ait enim expresse textus septem diebus comedetis azyma.

*Peribit anima illa de Israel.* Quia ego puniam vel morte præsenti vel æterna, vel vtraque, reus enim erit mortis propter inobedientiam, quamuis materia leuis videatur, in qua peccauerint; vel peribit sententia iudicum si res constiterit, & licet propter huius præcepti violationem nullum capitali supplicio affectum, vel à Deo morte punitum seuerimus, tamen non est dicendum nullum hanc pœnam incurrisse, non enim omnia posteritati tradita sunt.

## CONCEPTVS.

### *Morum simplicitatem & syncaeritatem à nobis requirit Deus.*

329. SEptem diebus azyma comedetis. Nonne poterit saltem aliquo ex septem diebus fermentum gustari? fermentum quicumque comederit peribit anima illius de Israel. quid obsecro Deo fuit cum fermento, ne illud in cibum adhiberi pateretur, non solum non adhiberi, imo pœnam grauissimam imponere, nempe capitale supplicium fermentum comedenti? aduerte quod panis fermentatus non est simplex sed compositus, & ex diuersis mixturis, quod simplicitati aduersatur, quid mirum igitur si tantopere illud reijciat, & azyma admittat? nihil enim ita à nobis requirit Deus, quam morum simplicitatem & sinceritatem, abhorruit semper Dominus à mixturis, præcepit enim non arandum in asino & boue Deut. 22. non serendum terram diuerso semine ibidem Num. 9. non gestandam vestem ex lino & lana contextam, ibidem Num. 11. voluit enim nos simplices esse, & simpliciter apud proximos conuersari.

Deut. 22. Num. 11.

### *Tum maior est ratio puniendi, cum id quod præcipitur exiguum est, & tamen negligitur.*

330. *Septem diebus comedetis azyma, omnis autem qui comederit fermentum peribit anima illa de Israel.* Certe maximæ seueritatis videtur esse Deus, qui propter exigui fermenti esum, capitali supplicio plectat; nonne Marcion & Manichæus merito asserunt alium esse Deum veteris & noui testamenti, respuendasque esse illius veteris scripturas, cum plura crudelitatem sapiant. sed quis non videt eos spiritu erroris blasphemi correptos? nam potius Deum iustissimum, non autem seuerum prædicare deberent, cum maior ratio sit puniendi, cum id quod præcipitur, exiguum est, quale est abstinere à fermento per aliquot dies. & tamen negligitur. *Vecordes non intellexerunt* (inquit Gaudentius tract. 7 in Exod.) *quod Deus tunc maiorem causam vlciscendi habeat, si in exiguis rebus vbi nulla est difficultas obseruandi, pernicaci tamen spiritu contemnitur.*

D. Gauden.

### *Ne desidiam probet, obedientiam exigit Deus.*

331. *Septem diebus comedetis azyma, omnis autem qui comederit fermentum peribit anima illa de Israel.* Non pereat exigua de causa, nonne anima pretiosissima est, in cuius comparatione omnia sunt B nullius ponderis? si igitur tantæ æstimationis, cur moraliter perire debet ex fermento degustato? aduerte quod si Deus panem fermentatum coquere iussisset propter nimiam celeritatem qua egressuri erant ex Ægypto, desides & negligentes fuissent in huiusmodi pane coquendo. maior enim temporis mora consumenda in pane fermentato quam azymo. quid igitur mirum si reprobet desidiam, cum per otium non liceret eis fermentatos panes coquere, obedientiam facilè exigat? Ita ut cit. Episcop. Brixiensis. *Si fermentatum fieri iussisset, diligentia illic necessaria fuerat ne deesset quod iussit, desidia est non laboris, negligentiam iubet vt obedientiam probet, & non vis vt probet illam animam quæ diligentiam commodauerit vt contenat?*

cit. Episcop.

### C *Vult Deus [illegible] suorum simus immemores beneficiorum, & libertatis adeptæ.*

*Septem diebus comedetis azyma.* Quod quidem præceptum spectabat ad futurum tempus, cum iam attigissent terram promissam, vnde non fuit hic illis præceptum, vt post illud primum Pascha in Ægypto, vescerentur azymo, et si enim ita reipsa factum sit, vt pluribus deinceps diebus azymis sint vsi, sed non ex præcepto sed necessitate compellente: verū qua de causa posteaquam egressi sunt de Ægypto, tenentur hoc præceptū obseruare? nam ideo panes fermentatos coquere non potuerunt in egressu ab Ægypto, quia compulsi sunt à Pharaone, viso primogenitorum interitu, media nocte abire, quod subire non tenebantur cum in terra promissionis morarentur; non ergo ratio videtur subesse, cur panes azymos tunc iuberentur comedere: rationem hanc accipe, D vt recordarentur quanta in afflictione fuerint patres eorum, & quam misericorditer ab ea à Deo liberati, sicque liberatori suo gratias referrent immortales. do tibi cit. Gaudent. *Vt ergo memores essent huius necessitatis & beneficiorum Dei, iussit eos septem diebus primi mensis ita celebrare Pascha, vt fermentatum panem non ederent, & vt semper indicarent filiis suis causam, pro qua istud facere iussi essent, scilicet vt ingratus iste populus vel imagine rerum admonitus, liberatori suo agere gratias cogeretur, ideo tantopere eis præcipitur septem diebus, comedetis azyma.* 332.

S. Gaudent.

### *Obedientia à Deo præfertur victimis.*

*Septem diebus comedetis azyma.* Quod præceptū propter pœnæ interminationē, difficillimū vi- 333.

detur, si enim quis illud non comederit, sed fermentatum, mortis reus censebatur. sed cum ita difficile videretur hoc præceptum, cur potius ab eis non exigit holocausta & victimas? cur vult sibi obedientiam exhiberi in abstinentia à fermento? quia hæc à Deo victimis & holocaustis præponitur. teste Samuele 1. Reg. 15. qui sermonem suum dirigens ad Saulem Regem, numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? melior est enim obedientia quam victima; cur autem hæc ipsis anteferatur, sic explicat S. Gregor. lib. 37. mor. c. 12. *Obedientia iure victimis præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero propria voluntas mactatur. tanto igitur quisque citius Deum placat, quanto ante eius oculos repressa arbitrij sui superbia gladio præcepti se immolat &c.* Facilius est enim immolare, quam propriam carnem domare.

1. Reg. 15. — S. Gre. Mag.

### *Obedientia vitæ præferenda.*

334. *Septem diebus comedetis azyma.* Sed si quis illud non comederit, quia huiusmodi panis azymus, nimium insipidus, difficilis concoctionis, imo & valetudini contrarius, an aliqua pœna plectendus? ita sane, nam peribit anima illius de populo Israel. sed cur Deo obediendum, in eo quod mihi in salute corporis aduertatur? nonne vita omnibus anteferenda? non equidem obedientiæ à Deo mihi iniunctæ, hæc enim primas tenere debet, potius enim occumbere debemus, quam non obedire, mens est melliflui Bernardi in illa verba, ecce nos relinquimus omnia. *Familiaris & amica saluti obedientia est, sed obedientia stabilis & firma, quæ fundata est super petram, melior est enim obedientia quam victima, & acquiescere nolle vt peccatum ariolandi est, vnde & vitæ quoque ipse Saluator prætulit hanc virtutem, eligens magis animam ponere quã obedientiam nõ implere.* preme hæc verba, *vitæ quoque prætulit hanc virtutem*, quasi diceret, licet vita sit magni ponderis, tamen nihili ducenda cum Deo obedientia præstanda est, cui nihil præferendum.

S. Bernard.

### *Magnum bonum obedientia.*

335. *Septem diebus comedetis azyma.* Fermentum autem nonne quis comedere poterit? non equidem, quicumque enim ederit peribit illius anima. sed nonne fermentum est bonum? vel sane malum non est, saltem indifferens censeri poterit? cur igitur prohibetur, imo cum pœna capitalis supplicij? quid respondeat beatus Augustinus audiamus in Psal. 70. *Non potuit Deus perfectius demonstrare quantum sit bonum obedientia, nisi cum prohibuit ab ea re quæ non erat mala; sola ibi obedientia tenet palmam, sola ibi obedientia inuenit palmam.*

S. August.

### *Fortes obedientia efficit.*

336. *Septem diebus comedetis azyma.* Minime autem fermentum, è contra mihi videtur præcipiendum, nam cum discessuri essent ex Ægypto, viæque arduæ se accingere, nec non forte pugnaturi contra Pharaonem eos insecuturum, muniri deberent cibis validioribus, quales sunt panes fermentati, si cum azymis conferantur. cibus enim validior maiores præbet vires, præstantius indit robur. nihilominus validiorem prohibet, cibum tenuiorem præcipit. nam si abstinueris à primo, & secundum sumpseris, dummodo obediens id præstiteris, sane contra quoslibet aduersarios euades fortissimus. fortes enim firmosque promptæ parentiæ vsus reddit, ita explicat S. Ioannes Climacus gradu 4. *Quemadmodum arbores à ventis agitatæ altiores radices agunt, ita qui sub obedientiæ iugo viuunt, fortes & inuicti redduntur*, alioquin omnis imbecillis fortitudo, quæ obedientiæ basi non innititur.

S. Ionnes Climacus.

### *Vir obediens loquetur victorias.*

*Septem diebus comedetis azyma.* Præcipio autem vt fermentum in his diebus nullo modo gustetis, vos enim in hoc obedientiam mihi præstate. sed cum Israelitas superiores redditurus, cum in eorum vtilitatem primogenitos Ægyptiorum occisurus est, cur ab eis obedientiam exigit? cur aliam virtutem non requirit? si per primogenitos Ægyptiorum vitia intelligimus, per alios Ægyptios sicut & per Pharaonem, principatus tartareos: cur non dicemus tunc Deum sapientissime obedientiam eis iniunxisse? hæc enim contra aduersarios nostros spirituales loquitur victorias, imo & ab eis eximios refert trophæos. ita testatur S. Greg. Mag. lib. 4. Reg. *Victimæ sunt obsequia obedientium, quia cum hominibus pro Deo subijcimus, superbos spiritus superamus; cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus, victores ergo sunt qui obediunt, quia dum voluntatem suam alijs perfecte subijciunt, ipsi lapsis per obedientiam Angelis dominantur.* 337.

S. Gre. Mag.

### *Obedias non discutiens præceptum.*

*Septem diebus comedetis azyma.* Fermento à domibus vestris ablato, & in his diebus non gustato. cur Israelitæ non dixere? cur potius septem diebus nobis erit cibus panis azymus, quam quatuor aut solum quinque diebus? vel cur Deo non obiecere, sane panis fermentatus melior, suauior & vtilior quam azyma, cur ergo iubes vt à primo abstineamus, vescamur secundo? nihil tale obiiciunt, quia ita obediendum, vt præceptum à Deo tibi impositum nullo modo discutias, quod docet S. Bernard. serm. de sancto Andræa. *Vis audire* (inquit) *perfectæ obedientiæ formam, vidit Dominus ait Euangelista Marcus 1. Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis, venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum, at illi continuo nihil diiudicantes aut hæsitantes, non solliciti, vnde viuerent, non considerantes quonam modo rudes homines & sine litteris prædicatores fieri possent, nihil denique interrogantes, sine omni mora relictis retibus & mari secuti sunt eum.* Vnde redarguens eos qui superiorum iussa discutiunt, hærent singulis quæ iubentur, ita loquitur tract. de præcepto & dispens. c. 13. *Imperfecti cordis & infimæ prorsus voluntatis est indicium, statuta seniorum studiosius discutere, hærere ad singula quæ iniunguntur, exigere de quibusque rationem & male suspicari de omni præcepto, cuius causa lateat, nec vnquam libenter obedire nisi cum audire contigerit quod forte libuerit, aut quod non aliter licere vel expedire monstrauit, vel aperta ratio vel indubitata auctoritas: delicata est satis, imo & me-* 338.

S. Bern. — Marc. 1.

*lesta est huiusmodi obedientia, non pene illa est, quæ ex regula traditur obedientia sine mora, disputare profecto est in astu cordis, non in auditu oris obedire.* A

*Pronior Deus ad beneficia impertienda, quam cogitamus.*

339. *Septem diebus comedetis azyma.* Cur azymus panis comedendus saltem in Palæstina, cum tempus conceditur ad panis fermentati coctionem? non est dubium quin panis azymus celerius & facilius coquatur quam alius. vt ergo memores essent quanta fuit Dei pronitas in libertate eis concedenda, & à seruitute eos extrahendo quanta celeritas, etiam in palæstina hunc panem comedendum statuit, à nostris Patribus stat Auctor Cat. aureæ. *Infermentatus panis comedendus est in memoriam subitaneæ salutis, vt longe citius saluati fuerint quam putassent, pronior enim Deus inuenitur ad beneficia quam nos ad precationes.* Lippom.

*Semper Deo gratias agere debemus, cum mera cordis simplicitate.*

340. *Septem diebus comedetis azyma.* Diximus ideò Deum voluisse vt comederent azyma in recordationem beneficij quo tanta cum celeritate liberi & incolumes euasere à seruitute Ægypti: sed cur septem diebus comedendus est huiusmodi panis? nonne sufficeret, vt non immemores essent beneficij, per vnum vel alterum diem panem infermentatum edere? sed cur potius in esu azymi panis debent recordari, quod acceperint beneficium quam in alio signo? aduerte septenario numero totum vitæ tempus designari, sicut & per azyma synceritatem. rectè ergo non vno vel altero, sed septem diebus comedendum azyma, vt eis innueretur, quod semper Deo gratias agere deberet, & non quomodocumque, sed cum mera cordis simplicitate: prima pars est S. Pauli ad Ephes. 5: *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino gratias agentes semper pro omnibus.* Secunda est S. Bernardi serm. 13. in Cant. *Non omnis (inquit) gratiarum actio accepta est Deo, nisi quæ de cordis pudica & mera simplicitate procedit: pudica sane dixerim propter eos, qui & de malis actibus suis gloriantes Deo gratias agere solent, quasi Deus more ipsorum lætetur cum male fecerint & exultent in rebus pessimis: mera vero simplicitas adiunxi, propter hypocritas qui Deum quidem de bonis suis sed verbotenus glorificantes, corde retinent quod ore præbuerant, & quoniam dolosè agunt in conspectu eius, inuenitur iniquitas eorum ad odium.* Ephes. 5. S. Bernard. B C D

*Vt rectè Pascha celebremus totò vitæ curriculo mente puri, & corde simus synceri.*

341. *Septem diebus comedetis azyma.* Cur Pascha celebraturi agnumque legalem esuri, per septem dierum spatium azyma comedere debent? nonne satis erat per vnum aut alterum diem hoc pane vesci? quid necesse fuit vt pane difficilis concoctionis, & insipido vescerentur, & per tot dies alerentur? si per septem dies totius vitæ curriculum designatur, merito hi septem dies & non pauciores exprimuntur, quia toto vitæ nostræ curriculo azyma comedere debemus, idest semper mentis puritatem & cordis simplicitatem retinere, vt digne Pascha Domini celebrare valeamus. *Quid est hoc* (inquit Rabanus) *quod Pascha celebraturos septem diebus azyma iubet comedere? nisi quod omnes qui passionis & resurrectionis eius mysteria vera fide celebrant, oportet vt sine fermento malitiæ & nequitiæ præsentem vitam quæ septenario dierum numero discurrit, totam incontaminatam ducant.* Rabanus.

*Ex synceritate vitæ temporalis securitas vitæ æternæ.*

*Septem diebus comedetis azyma, in die primo non erit fermentum in domibus vestris.* Non solum non erit fermentum in domibus, sed nec alibi vllomodo comedetis. nonne satis erat præcepisse vt septenario illo dierum curriculo, azyma comederent, non autem prohibuisse fermentum? nam subintelligebatur quod ab eo abstinere deberent azymum panem comedentes; cum septimus comprehenditur, non est dubium quin eo denotari posse requies sempiterna. die enim septimo ab operibus suis Deus cessauit. per fermentum malitia; abstineamus ergo ab eo vitam ducentes synceram & vitæ æternæ securitate fruemur. *Tum enim vere comedimus septem d[iebus com]edit azyma* (inquit S. Hierony. cap. 45. in Ezech.) *in requie & securitate rerum omnium, quando fermentum malitiæ & nequitiæ destruentes manducamus.* Qui enim secus agit verè decipitur malitiosus. 342. S. Hieron.

*Occasio mali præscindenda.*

*Septem diebus comedetis azyma, die autem primo non erit fermentum in domibus vestris.* Deinde omnino prohibet esum fermenti his diebus sub pœna capitali. nonne satis erat præcepisse vt omnes abstinerent ab eo comedendo? cur iubet vt nec à die primo vllum reperiatur in domibus? licet enim in eis seruaretur, non necessario inferretur, quod comedendum esset. aduerte quod si fermentum haberetur præ manibus, facile commoueretur quis ad illius esum. vt ergo omnis occasio transgressionis præcepti adimeretur, non solum voluit vt non comederent, sed nec etiam illud seruarent in domibus. rectè Procop in cap. 2. Genes. *Placuit radicem peccati pœnitus eruere, nedum vel minima eius reliqua foret particula, & nouos peccatorum surculos emitteret.* 343. Procopius.

*A vera charitate & dilectione absit omnis simulatio.*

*Septem diebus comedetis azyma, die autem primo non erit fermentum in domibus vestris.* In die primo, idest à die primo, cur à die quo comeditur azyma ab eo eiiciendum est fermentum ab ædibus? nam licet primo die inueniretur, non esset sufficiens irritamentum ad illud comedendum, nam nondum nauseam pepererat panis azymus. noster Georgius Venetus in sua mundi harmonia tono 5. Cant. 2. cap. 19. per azyma dilectionem & charitatem intelligit, sicut per fermentum simulationem. merito ergo iubetur eodem die quo comedendum est azyma, omnis fermenti eiectio, quia ab eo tempore quo fraterne & charitatiue proximum diligimus, ab eo omnis abesse debet simulatio do verba cit. Mi- 344. Georg. Ven.

rbuta. *Comedere debemus cum azymis panibus, id est cum syncera charitate, in qua non sit nec modicum fer-* A *mentum malitiæ aut nequitiæ, ac simulationis, corrumpens.*



## *VARIETAS LECT. Vers.* 16.

V*ulg.* Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis, nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.

*Sept.* Et dies prima vocabitur sancta, & dies septima vocata sancta erit vobis, omne opus seruile non facietis in eis, tantum quæ fient omni animæ illud solum fiet vobis.

*Cald.* In die autem primo solemnitas sancta erit vobis, in die quoque septimo, solemnitas sancta erit, id quod pertinet ad vescẽdum omni animæ, illud solum modo fiet vobis.

*Pag.* Et in die primo vocatio sancta, & dies septima vocatio sancta erit vobis, veruntamẽ quod comeditur ex anima omni, illud tantummodo fiet vobis.

*Onk.* Et in die primo conuocatio sancta erit vobis, in die quoque septimo conuocatio sancta erit.

*Oleast.* In die prima vocatio sanctitatis.

*Lippom.* In die prima erit inuocatio sancta, vel B lectio sancta vobis.

*Gaud.* Primus dies vocabitur sanctus, & septimus dies vocatus sanctus erit vobis.

## *CONCORDIA.*

VErum est in Hebræo esse מקרא קדש mikra kodesh quod vt vidimus aliqui vertunt, vocatio seu conuocatio sanctitatis, & explicant eo die sacros conuentus habendos esse, ad quos à sacerdotibus conuocandus esset populus, quod non aduersatur lectioni nostræ, hic enim dies quo conuocabatur populus, sanctus erat & solemnis; sed pro omnium lectionum concordia C sciendum dictionem מקרא mikra nomen verbale esse à kara verbo, quod vocare significat, descendens, & poni posse pro vocatione, conuocatione, & lectione, quæ omnia huic diei conueniunt, quod in eo die conuocabatur populus, docebatur de lege Domini, seu solemniter inuocabatur nomen Domini.

## EXPOSITIO.

D*ies prima erit sancta.* Licet nomen sanctum varia inuoluat, hîc denotat diem diuino cultui specialiter destinatum, *& solemnis*, quia in ea multa in Dei honorem cedebant specialius quam in aliis diebus. sanctum autem & solemne differunt, sabbatum quidem apud eos sanctum, sed non solemne, dies autem sancti & solemnes erant hi duo dies Paschales, & festum hebdomadarum & festum schenopegiæ, & dies propitiationis, hi quidem sancti, quia in his etiam à corpo- D ralibus operationibus abstinendum erat, & Deo soli seruiendum: dicuntur autem solemnes quia in eis fiunt specialia sacrificia aut oblationes, aut quædam alia quæ ad augustiorem diei solemnitatem pertinebant: de solemnitate huius diei ponitur Leuit. 23. scilicet quod illo die adducerentur primitiæ spicarum hordeacearum, & adolerentur coram Domino: debebat etiam agnus immolari cum libamentis suis, scilicet vino & oleo vt ibidem describitur. debebant etiam eodem die duo vituli offerri de armento, aries vnus, agni anniculi, septem & tres decimæ similæ conspersæ oleo, cum quolibet vitulo, duæ decimæ cum ariete & decima, decimæ cum quolibet agno & vnus hircus pro peccato. hæc autem dies non solum erat solemnis quantum ad Deum, sed etiam quantum ad Hebræos, quia tum veste elegantiore & cibo lautiore vtebantur. hinc ait eis Nehemias lib. 2. Esdræ cap. 8. ite inquit & comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite eis qui non præparauerunt sibi, quia sanctus dies Domini est, & nolite contristari, gaudium enim Domini est fortitudo nostra. *& dies septima eadem festiuitate venerabilis*, dies intermediæ erant ad sacrificandum Domino, tamen non vocabantur sanctæ, quia in eis licebat operari sicut in cæteris diebus, ideo prima dies & vltima solemnes erant, *nihil operis facietis in eis*, scilicet in prima & septima die, nec per manus gentilium opus iniungere, sed tantum quæ ad vescendum pertinebant, quod in textu subditur, hoc autem additur vt indicet his diebus non requiri tantam vacationem ab omni opere quantam ad sabbatum, in quo nec erat ciborum præparatio licita, quæ his diebus permittitur.

Leuit. 23.

2. Esd. c. 8.

## CONCEPTVS.

*In diebus festiuis legantur publicè vel prædicentur Dei beneficia.*

345. **D**ies prima erit sancta atque solemnis, Lippom. *in die prima erit lectio sancta.* Quid lectionis sanctæ cum die solemni & festiuo: nam singulis diebus potest fieri lectio sancta, cum tamen singuli dies minime sint solemnes & festiui: recte tamen Lippoman. vbi legimus dies erit sancta atque solemnis, vertit, erit lectio sancta, quia dies festiui quasi destinati deberent esse lectionibus sanctis & concionibus habendis, ad inculcanda hominum mentibus Dei beneficia. ita cit. auctor Cat. aureæ.
Lippom. *Sic docenda est plebs fidelium ut legantur publicè vel prædicentur ex lege & sacris litteris beneficia Dei, quæ præcipue diebus istis celebribus populo inculcanda sunt, vt reliquis quoque diebus spiritui inhæreat voluntas Dei & gratia.*

*A Christo Domino incipimus, in eum desinere debemus.*

346. *Dies prima erit sancta, atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis.* Gaudent.
Gaudent. dies primus vocabitur sanctus & septimus dies vocatus sanctus erit vobis, cur primus solum & septimus solemnitatem & sanctitatem consequentur? nam quartus vel tertius potuit etiam haberi celebris: per diem primum Christus Dominus sicut & per septimum intelligitur à Ruperto, septimus autem est ille in quem resoluitur dierum numerus, sicut primus à quo omnes incipiunt. dic ergo non immerito diem primum & septimum solemnes dici, quia Christus veneratione dignus, non solum est à quo incipimus, sed etiam ille est in quem desinere debemus. *Quisnam*
Rupertus hic. *nam ille primus dies* (inquit Rupert.) *nisi is de quo*
Psal. 117. *Psalmista, hæc est inquit dies quam fecit Dominus Psal. 117. subauditur illucescere nobis, subiungens ita, exultemus & lætemur in ea: hæc dies plane est Christus, dies magnus & præclarus, in quo de Ægypto exiuimus, in quo de tenebris vocati in admirabile lumen educti sumus: propter quod dicit erit dies prima sancta & solemnis; itemque ex eodem Psalmista*
Psal. *constituite diem solemnem in condensis vsque ad cornu altaris, idest positi in condensis & multiplicitate bonorum operum, vacate à peccatis, secundum diem qua illuxit nobis vsquequo perueniatis ad cognitionem diuinitatis eius, in cuius fide tanquam in altari, quidquid boni est, Deo offerimus: dies itaque prima inquit sancta erit atque solemnis, qui enim velut agnus occisus est ex infirmitate hominis, ipse verus dies æterna claritate fulget ex virtute Dei, hanc diem sequuntur nostri dies septem continua celebritate, vt septimus quoque eadem festiuitate sit venerabilis, tota namque vita nostra sic agenda est vt in eo consumatur à quo cœpit.*

*Dies festiui virtutibus & bonis operibus excolendi.*

347. *Dies prima erit sancta atque solemnis.* Festiuus ille primus dies erit vobis, sed cur sanctus? an quia præ aliis sanctitatem possidet? an quia aliis melior? tum estne sanctus respectu Dei vel hominum? sanctus sane respectu Dei erit, huncque solemnem ducet, si in eo bonis operibus studuerimus virtutibusque dediti fuerimus. mens est Origen. homil. 23. in Num. in illa verba secundum Septuag. in diebus festis meis Orig. in Num.
*Puto quod per singulos quosque credentium, per singulos qui conuertuntur ad Deum, qui proficiunt in fide, festiuitas oritur Domini, sed sicut boni actus nostri & virtutum profectus lætitiam festiuitatemque Deo & Angelis gignunt, ita vereor ne mala conuersatio nostra non solum terris sed & cœlo lamentationem inducat.* pende hæc verba, *sicut boni actus nostri &c.* virtutum enim nostrarum studia dies reddunt coram Deo solemnes & sanctos.

*Diebus festiuis memoria beneficiorum Dei recolenda.*

*Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies* 348.
*septima eadem festiuitate venerabilis, nihil operis facietis in eis.* Quid? an otio torpebunt & desidia mollescent? si nihil enim operis facturi sunt, an somno indulgebunt? vel in colloquiis diem consument? quid. an dies festiuus ad hoc institutus? non equidem, sed vt recolas Dei beneficia, quod recte expendit Amalarius Fortunatus Episcop. Treuerensis lib. 3. de Amalarius.
Eccles. Offic. cap. 35. *Beneficiorum eius solemnitatibus festis & diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio, & sacrificamus hostiam humilitatis & laudes in ara cordis igne feruidam charitatis.* Qui secus faciunt dies festiuos celebrare nequaquam dicendi sunt.

*Quomodo festiuis diebus nihil operis faciendum?*

*Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies* 349.
*septima eadem festiuitate venerabilis, nihil operis facietis in eis.* Sed cur ab opere abstinendum, cum otiosi damnentur? cur non laborandum cum ad laborem homo sit natus, sicut auis ad volatum? non derogat labori sed seruili, sed vitia præscindit, otio quidem indulgendum his diebus festiuis, sed pio, sed orationis & contemplationis otio. vnde Syluester Papa teste Ra- Syluester Papa.
bano Mauro lib. 2. de instit. Cleric. cap. 46. cuius verba subscribo. *Statuit, inquit, vt otium sabbati magis in diem Dominicam transferretur, vt eadie à terrenis operibus ad laudandum Deum vacaremus, iuxta illud quod scriptum est Psal.* Psal. 45.
*45. vacate & videte quoniam ego sum Dominus, secundum autem hunc morem in natalitiis sanctorum vacare idest ad laudes Dei celebrandas sancta nos iubet Ecclesia. cæterum qui his diebus ad hoc vacare vult ab agricultura, vt crapulæ & ebrietati deseruiat, vel iocis inanibus operam det, agnoscat se magis peccare per tale otium quam si aliquid vtilis operis insisteret Salomone Prouerb. 23. teste qui ait, væ illis qui* Prouer. 23.

*morantur in vino & student calicibus epotandis.*

*Non solum aliquot diebus vt nunc, sed octo festiuis Pascha celebrabatur.*

350. *Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis.* En quando comedebatur agnus Paschalis, qui typus fuit veri nostri Paschatis, dies festiui azymorum obseruabantur? an ita solus festiuus erit dies nostræ Paschalis solemnitatis, vt nulli alij sancti & solemnes comitentur cum? sane toti dies Paschalis festiuitatis, præcipuo cultu olim à fidelibus custodiebantur, vt ab operibus manuum abstinerent, rebusque diuinis vacarent. hinc illud concilij Meldensis cano 77. *Dies quoque octo Paschalis festiuitatis omnibus Christianis feriatos esse decernimus ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, pictorio, venatorio, forensi, mercatorio, audientiali, ac sacramentis exigendis: quatenus eisdem diebus tanto licentius, quanto liberius omnibus Christianis sanctæ resurrectionis laudibus & sacrosanctæ prædicationi iugiter insistere liceat: quod si quis aliud temerarie præsumpserit, excommunicetur*; huc spectant etiam Concilium Engolismense Canone 6. hæc illius verba, *vt Paschalis hebdomada festiue tota celebretur.*

Concilium Meldense.

Concilium Engol.

*Maximum festum, conscientia bona.*

351. *Dies prima erit sancta atque solemnis.* Hanc diem primum azymorum non solum sanctum sed solemnem ab Hebræis haberi præcipitur: quod à Iudæis pluribus etiam vsque ad superstitionem obseruatum, omnibus ferme compertum. sed quodnam festum hoc solemnius & sanctius celebrare possumus? vellem vt disceremus à S. Chrysost. hom. de his quæ tantum ad festa concurrunt, sic autem loquitur. *Maximum festum est conscientia bona, & quemadmodum in externis festiuitatibus, is qui nec vestem habet qua induatur, splendidam, nec mensam qua fruatur, lautam, sed viuit in paupertate, fame, extremaque miseria non afficitur festo die, etiamsi vniuersum orbem choreas agitare videat. sed hac de causa magis angitur ac dolet. diues vero delicatus mutatoriis vestibus abundans, & in summa prosperitate viuens, etiam extra festiua tempora festum agere sibi videtur. ita & in spiritualibus vsu euenit, qui enim viuit in iustitia & operibus bonis, vel absque festo festum agit, syncerам voluntatem ex bona conscientia percipiens; qui vero in peccato & malitia vitam degit, multorum malorum sibimet conscius etiam cum maxime festum est, festo caret quam maxime.* Omnis festi diem abolet conscientia, quæ scelerum punctans lancinatur & torquetur, exulant festiua gaudia ab illa mente quæ vitia adamat.

S.Chryso.

*Quando & quibus in festis theatralia spectacula prohibita.*

352. *Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis, nihil operis facietis in eis.* Nihil operis scilicet seruilis, ergo qui ab opere seruili abstinebit, recte festum peraget: sed cum adesse theatralibus spectaculis non sit opus seruile, nec aliquid ab ea videntibus manu fiat, licitum erit in huiusmodi festiuis diebus, præsentes adesse, ea intueri, illicitum censeo præcipue apud nos maxime in festis solemnioribus, theatrorum enim & Circensium spectacula Theodosij sanctione prohibita. sic enim ille scribit ad Asclepiodorum. *Dominico, qui septimanæ totius primus dies est, natalis atque Epiphaniarum Christi, Paschæ, & in quinquagesimo, diebus, quamdiu cœlestis lumen lauacri imitantia, nouam sancti baptismi lucem vestimenta testantur, quo tempore & memoratio Apostolicæ passionis totius christianitatis magistra à cunctis rite celebratur, omni theatrorum atque circensium voluptate per vniuersas vrbes, earumdem populis denegata, tota Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur*, & quia idem statutum est in concilio Aquileiensi primo, verba illius subiiciam, *inoleuit abusus ille quidem è memoria nedum à consuetudine fidelium remouendus, vt solemnioribus quibusdam diebus cum frequens populus ad Ecclesiam solemnitatis, ac deuotionis causa venit, vt veniam Deo peccatorum precetur, votaque sua humiliter offerat, eiusque misericordiam in suam tutelam, & subsidium imploret, non sine Dei offensione, & scandalo bonorum choreas ducat, & gentilitiis quibusdam rebus se totum dedat: vnde committendorum peccatorum non leuis occasio, deinde blasphemiæ, ebrietates & periculosa interdum rixæ, & homicidia subsequuntur: & festis præsertim dies præpotentis Dei laudibus destinati, ipsius summi Dei graui cum iniuria traducuntur, ipsis pene Ecclesiarum foribus profanatis. idcirco statuimus per Episcopos singulis Ecclesiarum Parochis, Curatis & Vicariis præcipiendum districte & sub interminatione diuini iudicii mandandum, vt quantum possunt, tantum nitantur, quo abusus & corruptela huiusmodi tollatur: semel autem singulis mensibus primo Dominico die mensis, decretum hoc populo promulgent, & intimare studeant: ipsi autem pro virili sua curent, vt populum Parochianos in primis suos ab huiusmodi corruptione auertant, cum dies festos ad gloriam Dei institutos sine scandalo, & peccato ducere oporteat.*

Theodos.

*Diebus festiuis non conuenienda domorum oratoria sed templa.*

*Dies prima erit sancta atque solemnis.* Pagni. in *die primo erit vocatio sancta*, quid commune dies sanctæ atque solemni cum vocatione sancta? nam singulis momentis Deus homines ad salutem, ad pœnitentiam ad bona opera vocat, quæ quidem vocatio sancta nuncupatur, & nihilominus scimus quod in his diebus non est solemnitas semper festiua. recte tamen dicitur hæc dies solemnis, vocatio sancta, quia in festiuis diebus vocamur ad vnum locum communem, nempe Ecclesiam vt in ea laudes Deo debitas persoluamus. *Audis hic*, ait Oleast. *ad quid dies sanctificentur, nempe ad conueniendum & audiendum sacra*, & ideo huiusmodi diebus non conuenienda domorum oratoria nisi necessitate compellente. 353.

Oleast.

*Dies Dominicus inter alios sanctus.*

*Dies prima erit sancta atque solemnis.* Arbitratur S. Gaudent. tract. 10. in Exodum, per hunc diem, Dominicum intelligi, qui in singulis hebdomadibus primus nominatur. sed vnde tam suam mutuatur præ aliis sanctitatem, cum à Deo nulla eorum fuerit facta distinctio? nonne hoc die Christus Dominus à mortuis gloriose resurrexit? die ergo à Saluatoris resurrectione hunc diem Dominicum 354.

minicam sanctitatem & solemnitatem habuisse, D Gauden. *Primum diem*, inquit Gaudent. *Dominicum diem nuncupamus sanctum, credentes eum sanctificatum resurrectione.*

*Dies vltimus in quo omnes sunt resurrecturi, cur sanctus non erit?*

355 *Dies prima erit sancta atque solemnis, & septima eadem festiuitate venerabilis.* Quennam diem septimus adumbrat? an eum in quo requieuit ab omnibus operibus suis quæ cœperat facere? hunc enim legimus benedixisse & sanctificasse, consulamus cit. Episcop. Brixiensem sic respondentem. *Expectamus illum vere sanctum diem septimi millesimi anni diem, qui adueniet, & post istos sex dies sex millium videlicet annorum seculi quibus completis, requies erit vera sanctis & fideliter credentibus, in resurrectione Christi: nam nulla erit ibi pugna contra diabolum, qui tunc vtique detinebitur suppliciis relegatus, nullum certamen contra vitia corporis, quod iam concupiscentiis obnoxium est, non erit, nam spiritale resurget corpus, vt Apostolus ait, quod seminatur in corruptione, surget in incorruptione, quod seminatur in contumelia, surget in gloria, quod seminatur in infirmitate surget in virtute, quod seminatur corpus animale surget corpus spirituale.* Opinatur mundi consummationem in sexto millenario futuram quod pluribus aliis visum est etiam probabile.

*Totum vitæ nostræ curriculum bonis operibus impendendum.*

356 *Dies prima erit sancta atque solemnis, septima eadem festiuitate venerabilis.* In quibus nihil operis seruilis faciendum, quænam dies prima, quænam septima? vel cur secunda dies & sexta, hanc solemnitatem & sanctitatem non consequuntur? cur in his diebus abstinendū ab operibus seruilibus? per primam diem intelligit Rabanus primā qua fide imbuimur, per septimam, finem vitę: quo posito dicemus merito primam diem, & septimā ducendam festiuam, in eis ab opere abstinendum, à primo enim die quo baptismate Deo reconciliamur, vsque ad vltimam vitæ periodum, bonis operibus semper incumbendum: do verba cit. Episcopi Moguntini. *Diem primā, initium credulitatis, diem septimam finem vitæ præsentis vocat, omne enim tempus vitæ conuenit veris Israëlitis festiuum ducere, hoc est in passionis & resurrectionis Christi mysterio honorare, nihilque operis in illis facere exceptis his quæ ad vescendū pertinent, quia non licet eis in mundi concupiscentia & peccatorum opere laborare, sed in meditatione sanctarum scripturarum atque in bonis operibus quæ æternam in cœlis resurrectionem sanctis præparant.* Rabanus Maurus.

*Tempus in quo sancti sumus, sanctū nominetur.*

357 *Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis.* Cur dies prima sancta, & non secunda, cum vtraque à Deo fuerit creata? non desunt qui intelligant per primam diem eam in qua creatus est primus parens. & eam diei partem in qua iustitiam seruauit originalem & sanctitatem sibi à Deo inditam: quid mirum igitur si hæc dies prima sancta nominetur? tempus enim in quo sancti sumus, sanctum potest nominari, audiamus quid dicat Procopius, Procopius *Primum tempus quo conditus est Adamus in initio creationis, & nondum transgressus erat legē Dei, vescebaturque paradisi alimentis, illud tempus in quam sanctum erat:* sed cur dies septima sancta similiter & eadem festiuitate venerabilis? nam septem dies non præterierunt quin misere occiderit: iterum satisfaciat cit. auctor. *similiter sanctum est illud tempus quo in extremis diebus iustificabuntur, qui se iungunt fidei in Christum, qui nos in integrum restituit.* Idem habet Cyrill. Alexand. in cat. Græca. *Prima quidem dies & septima dicatur sancta, quia & primum illud nostrum tempus sanctum fuit, quando degebat Adam in Paradiso sanctum quoque postremum est, quo nos per Christum iustitia instructi pristinam gratiam recuperauimus.* D. Cyrill.

*Cur festorum octauas celebramus?*

358 *Dies prima erit sancta atque solemnis & dies septima eadem festiuitate venerabilis.* Ludouicus Ystella, hinc ait forsan solemnitas octauarum ortum habuit, sed cur octauæ in Ecclesia celebrantur? nam nonne satis erat diem integrum dicare Sanctorum solemnitati? cur per octo dies recolitur eorum memoria? primo satisfaciat Amalarius Episcop. lib. 4. de Eccles. Officiis, ca. 32. *quando sequentia bona opera recurrunt, aliquo modo octauas exercemus, tanta miseria fuit in hominibus ante Christi aduentum vt nemo ad eandem innocentiam perueniret, quam habuit primus homo antequam peccaret: nam & circumcisio quæ octaua die celebratur in recordatione primæ innocentiæ agebatur, id est vt mens circumcisa esset ab omni cogitatione carnali, quamuis sit & ipsa figura futurorum virorū. Christus per baptismum restituit in genere humano, eandem innocentiam, ideoque octaua die id est Dominica ex baptismo resurrectio recolitur, hoc est inter istos qui primi innocentiā hominis imitantur, & illos qui in veteri testamento erant, quod quamuis illi iusti essent, tamen detinebantur intra claustra inferni ante Christi aduentum, isti penetrant regna cœlorum, & quoniam ad meliorem statum vult nos redēptor noster perducere, quā haberet primus Adā adhuc expectatur octaua quæ erit in resurrectione corporum.* secundo respondeat Rupert. l. 8. de diuinis offic. c. 5. *illud fere omnibus notū quod idcirco octauas habeāt solēnitates, quia principiū iā illis ad esse finē que idest cōsummationē fœlicitatis in resurrectione futurā esse pariter considerātes, iure in octauam vsque celebritatis perducimus lætitiam.* Ludouicus Ystella. Amalarius. Rupertus.



*VARIETAS LECT. Vers. 17.*

Vulg. Et obseruabitis azyma, in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo.

*Sept.* Et seruabitis mandatum hoc, in die enim hac educam virtutem vestram de terra Ægypti, & facietis diem hunc in progenies vestras legitimum æternum.

*Cald.* Quia in hac eadem die eduxi exercitus vestros de terra Ægypti, obseruabi[illegible] diem hũc in generationibus vestris fœdere s[illegible]terno.

*Pagni.* Et custodietis infermentata, [illegible]a in corpore diei huius eduxi exercitus vestros, custodietis diem hanc in generationibus vestris, statuto perpetuo, *ita Onk.*

*Arias.* Statuto sæculi.

*Oleast.* Custodietis azyma quoniam in robore diei huius eduxi vos.

## *CONCORDIA.*

IN Hebræo est הוצאתי hozethi eduxi, licet noster vulgatus & Septuag. legant educam', sed satis intelligunt præteritum poni pro Hebræo, dictio צבא exercitum, robur, virtutem &c. significat, similiter dictio חקת chakat ritum, cultum, fœdus, statutum legitimum, præceptum denotat, עולם olam sumitur & pro æterno & pro sæculo.

## EXPOSITIO.

ET *obseruabitis azyma.* Obseruabitis ritum edendi azymos, scilicet vt in his diebus quiescatis ab opere seruili, in eadẽ enim die nempe in prima die azymorum, seu postridie esus agni Paschalis, quasi dicat, ideo speciatim præcipio hoc die inchoari esum azymorum, quia eadem ipsa die incipiam vos educere de Ægypto, *comedetis azyma*, quia tempus non erit vobis fermentandi, *educam exercitum vestrum*, in Hebræo exercitus vestros, idest multitudinem filiorum Israël, *& custodietis diem hunc ritu perpetuo*, non absolute sed quandiu gentis Iudaicæ vestræ ritus religio perdurabit, cum enim cultus his superueniente Christi Domini religione abolebitur, tunc & ritus Phase de medio tolletur.

## CONCEPTVS.

### *In Crucifixi Domini memoria, non admittendum temporale solatium.*

359 OBseruabitis azyma. Miror quomodo toties azymum panemq; & infermentatum inculcauerit: pluries enim & quasi ad nauseã hoc præceptum repetitur, de comedendis azymis, & fermento longe à se remouendo: sed cur in commemoratione salutis adeptæ, libertatisque ab Ægypti seruitute obtẽtæ per agni sanguinem, quo postes domorum linitæ, aboletur fermentum gustui sapidum, delicatum, facilis concoctionis; & insipidus, insalubris panis azymus infertur? per fermentum gulæ irritamentum intellige: & dic ideo in huiusmodi memoria agni, in cuius sanguine libertatem consecuti sunt, qui typus erat sanguinis agni immaculati, qui eum effudit copiosissime in ara crucis pro libertate generis humani à seruitute tartarea, id inquam in tali commemoratione, recte fermentum excluditur: quia cum ea minime bene cõuenit gulæ solatium, immolati enim agni memoria, qui sanguinem pro nobis fudit, prorsus excludere debet quidquid ad suauitatem & solatium temporale pertinet. ex quo bene D. Germanus Patriarch. Constantinop. oratione de adoratione Crucis apud Gretserum to. 2. *Obtemperate,* inquit *praeunti per asperam viam, & cedite & honorate eius altare, nihilque afferte quod sensum exhilaret & oblectet, & ad voluptatem resoluat: cruci enim dolor competit non voluptas, fellis hic gustandi tempus non mellis, altare Christi respuit fermentum Ægyptium.* Quid melius? quod libet verbum preme & exprimes, quod dum memoriam agni pro nobis immolati celebramus, ab omni suauitate temporali alieni esse debemus. (D. Germanus.)

### *Azyma toties commendatum quia in eo corpus Domini perficitur.*

360 *Obseruabitis azyma.* Lege hoc caput & pluries inculcatũ cõspicies azyma, & fermẽtum reiectũ pluries. cur sancta Rom. Eclesia nũquã in sacrificio fermentũ admiserit, non otiose quæritur, nec inutiliter, licet consuetudini huic tota hactenus Græcia refragetur: nã de fermentato Græci immolant, cur cum plura abrogata de lege veteri, similiter non est demptum huiusmodi azyma? notandũ quippe & memori animo retinẽdum, multas antiquæ legis consuetudines contrariis superuenientibus, ex Euãgelio decretis esse destructas, sed quæ abolitæ sunt vel destructæ, melioribus non contrariis cesserunt, vt circuncisio baptismo, nam circuncisio bona quidem fuit, sed baptismus lõge melior: nec mutabilitate vsus est Deus, dum bono prætulit melius, præsertim cum bonum illud irritum fecisset populus, sicut ipse Dominus improperat illis per Malach. c. 2. dicentẽ, & irritũ fecisti pactũ meũ: at vero fermentum & azymum manifeste opposita sunt, igitur non decebat Deum vt tanquam sibimet contraria, abiecto azymo, de fermento præciperet de quo ante prohibuerat, dicens non immolabis super fermento sanguinem hostiæ tuæ: sed cur approbat azymũ? approbat non propter se ipsum dicunt aliqui, sed propter id cuius est signum, significat quippe sacrificantibus nobis, vt epulemur Paschali conuiuio non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. sed & aliam addamus rationem, nempe ideo toties commendari, quia sub eo & in eo corpus Domini perficiendum: non improbat Abbas Tuicensis lib. 2 de diui. offic. cap. 22. *Azyma tam ex Euangelica quam ex legali auctoritate professa sunt, nam Dominus & in lege, vbi typicum Paschæ sacrificium mandauit, fermentum abiici iussit, & in Euangelio vbi nouum sacrificium primus celebrauit, azyma nihilominus ipse consecrauit, & ne forte aliter suspiceris fermentum in domibus Israel non inueniebatur, lege enim* (Malach. c. 2. Abbas Tuicens.)

*vnien sancitum erat, dum ergo à vetere ad nouum sacrificium proficiscens azyma non reliquit, sed azyma benedixit fregit, dedit discipulis suis dicens hoc facite in meam commemorationem: nec ideo re itam necessaria significatio hæc reiicienda est, quia lelegis antiquæ ceremoniis illam constat esse profectam, non enim cunctas legis antiquæ significatiuas consuetudines abiecimus, adhuc quippe plenariam lunæ faciem consideramus, nec vnquam in defectu eius Pascha celebramus, & quotidie thus sacrum Domino in odorem suauitatis adolemus & oleum vnctionis sanctum apud nos est, nam illa quæ significantur quoniam bona sunt moralia, ipsas omnes quasdam lectione, quasdam vero actu quoque celebramus, vt significata ipsa nostris sensibus oportune importune ingerantur.*

*Quam pura sancta Romana Ecclesia!*

*Obseruabitis azyma,* Ita enim eo delectatur De⁹,
360 vt semel nō cōtentus inculcare, pluries idē repetit, & quasi in eo etiam delectaretur sancta Romana Ecclesia, illud retinuit, in maximo omnium conficiendo Sacramento, à quo nihilominus abhorruit Græcorum Ecclesia, cur azyma tanto affectu amplectitur Ecclesia Latina? si syncerita tē & puritatem azymis diximus denotari, non mirabetis cur exploso fermento, in Græca tamen retento, Latina semper azyma retinuerit, vt quantæ sit puritatis indicaretur; sic obseruat Rupert. cit.
Rupert. lib. de officiis. *Tantis heresibus fermētata est Græcia vt mirum videri non debeat hoc quod de fermento immolat tantæ ē contra synceritatis semper fuit sancta Romana Ecclesia, vt cui deest scripturarum notitia vel argumentandi facultas, sola illi de azymo contra Græcos sufficere debeat eius auctoritas, nam Constantinopolitana non solum hæreticos sed & hæresiarchas protulit multos. Romana vero Ecclesia super Apostolicæ fidei petram altius fundata firmiter stetit, & tam Græciæ quam totius orbis hæreticos confutauit, & de excelso fidei tribunali data sententia iudicauit.*

*Ingratis sæpius inculcanda beneficiorum Dei memoria.*

*Obseruabitis azyma, & custodietis diem istum*
361 *in generationibus vestris.* Nonne iam dixerat superius, vt azyma comederent, & quod dies prima & septima azymorum foret sancta & solemnis? cur igitur etiam hic idem repetit, imò expresse rationem exhibet cur ad id tenerentur? *Quia,* inquit *ipsa die educam* Hebraicè eduxi, *exercitum vestrū de terra Ægypti*. Quia ita ingrati Iudæi, vt
Episcopus Brixiens. pluries inculcanda erat eis beneficiorum Dei memoria: quod late expendit Brixiens. Episcopus tract. 7. de Exodo. Fecit & alia plurima pro illis Deus, & in mari rubro, & in deserto, sed immemores misericordiarum Dei, vt de cæteris malis eorum taceam, propter illud quod fecerant, caput vituli aureum, & quod adorantes illud dixerunt, isti sunt Dii tui Israël, qui eduxerunt te de terra Ægypti. Iesum quoque filium Dei qui eorum liberator extiterāt, venientem ad se sacrilegis manibus respuerat, vnde sanctus Euangeli-
Ioan. 1. sta Ioannes non sine querela cōmemorat Ioan. 1. in propria venit, & sui eum non receperunt, id est ad eos venit, quos de seruitute Ægypti liberarat, quos per mare rubrum vestigio sicco traduxerat, in quorum conspectu Pharaonem & Ægyptios, resolutis aquarum circumstantium muris obruerat, quos manna cælesti satiauerat in deserto, quibus de rupe arida fontes duxerat, quibus eloquia legis crediderat, quibus aduentum suum secundum carnem vaticinio prænuntiauerat Prophetarum: ad vos præcipue venerat, dicens Matt. 15. non sum missus nisi ad oues perditas domus Israël, isti eum non modo suscipere noluerunt, sed & crucis supplicio trucidarunt. En cūm ingratissimi fuerint, necessarium fuit pluries inculcasse memoriam beneficiorum Dei sibi collatorum, quorum nihilominus vsque ad deicidium immemores fuere.

*Adueniente veritate, vmbra rerum abolet ur & euanescit.*

*Obseruabitis azyma & custodietis diem istum in generationibus vestris ritu perpetuo.* Alij, *cultu sem-* 362
*piterno.* quod perpetuum & sempiternū fine carere notum est: quomodo ergo nos qui Deo, præ Iudæis, obedientissimi sumus, hunc diem non obseruamus, nec celebrem azymorū diem ducimus? scio S. August. phase & cæremonias veteres asserere dici æternas, non quod ipsa signa rerum, sed quod res quæ signis illis significatur, puta Christus, Christique mysteria æterna essent futura: sed hæc ratio mystica, literalem ergo adhibeo, ritu perpetuo celebrandum esse, quandiu perduraret Iudaismus, sed adueniente rerum veritate, nempe Christo Domino, in signis & huiusmodi ritu designato abolendum. hanc veritatem haurimus à sancto Iustino martyre Dial. cōtra Tryphonem. Iustinus martyr.
*Præceptum* (inquit) *agni Paschalis fuisse temporaneum ex eo apparet, quod Deus non permiserit eum immolari nisi in loco in quo inuocatur nomen eius,* puta Hierosolymæ, vbi erat templum, nimirum quia sciuit dies venturos post passionem Christi, quando tradenda esset hostibus, cessantibus simul omnibus victimis.

*Non indecens diebus solēnioribus & victu paululum lautiore, & vestitu honestiore vti.*

*Obseruabitis azyma, & custodietis diem istum in*
*generationibus vestris cultu perpetuo.* Diem ergo 363
solemnem azymorū, vt vidimus, ducebāt, in quo opus seruile nō erat faciendum, diuino enim cultui omnino prima dies, & septima dicata erat, sed nonne exteriore cultu etiam colenda? quidni? nam non indecēs diebus solēnioribus, & victu paululū lautiore, & vestitu honestiore vti, sic enim noster Lyran. *Dies prima erit sancta in cultu diuino, & in amictu honesto, & in cibo delicato secundū possibilitatem cuiuslibet, vnde Esdræ 2. c. 8. comedite pinguia & bibite mustū, dies enim Domini sanctus est.* Esdræ 2. c. 8.

*Rerum omnium creationis vult Deus memoriam haberi.*

*Obseruabitis azyma.* Tantæne tibi curæ est ob- 364
seruatio azymi vt non semel, sed iterum atque iterum præcipias huiusmodi diē obseruari? cur hunc diem ita specialiter vis recoli? respōdet Lippom.
*Sunt qui dicunt azyma obseruare iussos in memoriā* Lyppom.
*& repræsentationem creationis rerum quæ facta fuit sine aliqua præuia corruptione, in illius igitur operationis memoriam iussit Deus comedi panes absque fermento, quod teste Paulo vel modicum totam massam corrumpit.*

*Laudabile est abstinere ab aliquo cibo delectabili, in die qua aliquod beneficium à Deo consecuti sumus.*

364 *Obseruabitis azyma*. rationem subiungit, *in ipsa enim die educam exercitum vestrum de terra Ægypti*. Si tantum à te beneficium consecuti sunt in hac die, cur in eadem opipare non epulabuntur? aut saltem cur pane sapido & bonæ decoctionis non vtentur? sane in recognitionem beneficij in tali die recepti, vnde optime Seraphinus Porretan. appendice conclus. 5. *Similiter habes hinc quod laudabiliter instituit vigilias Sanctorum quorumdam quatuor temporum, quadragesimam, quia tunc maiora quædam beneficia à Deo recepit, & ideo vigilias Apostolorum & huiusmodi in sancta Ecclesia procerum instituit: simili ratione ducta cõsulit vt aduentus à Christianis celebretur, vide obseruantias tales in scripturis fundatas, & de iis ab his edoceri Ecclesiam. nunquid non ergo hæretici eas impugnantes Deum impugnant? vtique.*

Seraphin. Porret.

*Post Paschæ celebrationem, oportet nos assidue morte voluntaria defungi, & mortificationi studere.*

365 *Obseruabitis azyma*. Nonne sat erat agnum immolasse? post agni immolationem, cur adhuc panis insipidus comedendus? nam licet cum eo comedatur, cur adhuc per septem dierum curriculum hoc pane vtendum? nam iam populus Israëlita adeptus erat libertatem, iugum seruitutis Ægyptiacæ excusserat, sicut & nos post immolationem agni immaculati in ara Crucis à seruitute tartarea liberi sumus. aduerte quod azymo pane insipido, mortificatio denotatur carni nostræ insipida: quid mirum igitur, si post agni immolationẽ & esũ, adhuc tot dies ab azymis abstinendum? quia transacto die immolationis Domini non cessandum à mortificatione, sed ea adhuc amplectenda, & huic toto affectu studenda. religio hac in re esset prætermittere doctrinam D. Theod. Studitæ Cath. 2. Præteriit Pascha, peractæque feriæ sunt, & non gaudere atque feriari si volumus, præteriit, licet enim gaudere semper ac feriari nobis spiritaliter, secundum eam sententiã gaudete in Domino semper, semper iterũ gaudete ad Philip. 4. cæterum qui id fiet, si recentem suppliciorum Saluatoris nostri Iesu Christi memoriã perpetuo teneamus, quemadmodũ pro nobis gloriosus herus in crucẽ suffixus sit, ac sepultus, tertiaque die resuscitatus, instaurans nos, & vna secum vitam impertiens, vt rediuiui non iam nobis viuamus, sed pro nobis defuncto in vitãque reuerso, illudq; Apostoli cũ fiducia dicamus ad Gal. 2. viuo ego iã nõ ego, viuit vero in me Christus, quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo Iesu, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: hæc mysterij summa est, mundo emori, Deo viuere: quamobrem debemus post Pascha quoquo intẽti vigilare, comprecari, extimulari, lachrymari, semper Domini nostri Iesu necẽ in corpore circumgestare, quotidie mori, studio assiduo à corpore peregrinari, ad Deumque proficisci per carnis libidinum fugam: ne dicas iam diu sum in exercitatione, & quiescere necesse est, non est hic quies, ne dicas consenui in virtute, nec timeo, semper timenda est conuersio, multosque qui in virtute consenuere vno temporis momento in peccati barathrum sathanas detraxit, vt cauendum ei sit, qui stare videtur ne cadat.

D. Theodo. — Ad Philip. 4. — Ad Gal. 2.

*Sancto Paschate celebrato, maxime vigilandum ne labamur, sed virtutes quas acquisiuimus, custodiamus & adaugeamus.*

*Obseruabitis azyma*. Non solum solemnẽ habebitis vtramque diem primam & septimam, sed per septem dies cõtinuos azymum panem comedetis: nonne satis erat tot præmisisse, vt agnus legalis comederetur, nẽpe cum calceis in pedibus, cum baculis in manibus, &c. vt lactucæ agrestes, & amaræ in illius esu adhiberẽtur? cur adhuc post illius comestionem, azyma per tot dies degustandum, quo veritas & synceritas denotatur? cur non dicemus, nobis innui, quod non solum virtutes acquirendæ denotatæ renum accinctu, baculorum delatione, &c. ante Paschæ celebrationem, sed etiam illo celebrato huiusmodi custodiendæ, & per totum vitæ curriculum, septenario numero designatum, toto conatu adaugendæ, nobis fauet citatus Studita Cathec. quarta. *Vocat post festum ad colloquium redire, tempus, ac solemnem catechesim reddere, sane alacres conuenimus, quid igitur dicere est in præsentibus? scilicet vnumquemque vestrum quasi quemdam mercatorem opibus coactis spiritualibus, velut in portum ad sacrum Pascha venisse multis comportatis eximiis mercibus virtutis, id est ieiunio, vigiliis precibus, industria, & quæ sunt alia studia pietatis, eaque non minima cura est conseruare, neque enim quod in sensili vsu venit, idem in portu cogitandum, qui mente ingenioque describitur, nã illic simul atque appuleris, otiũ agis fluctuum maris ac discriminum securus, hic carnis contra licentiam magis intra fērociunt, nequam spiritus stupri gulæ auaritiæ ignauiæ, tristitiæ, superbiæ, timendumque ne in portu inundemur: enimuero sanctus Dauid conspecta forte Vriæ coniuge incustoditè, quid patrarit norunt qui legant: attrectauit quis fœminam volens & incensus libidine scelus cõtraxit: attende qui hæc inaudis, fuge noxia peccati loca, atque modos, oculusque tibi auditus, odoratus, tactus, gustus, cibus, potus, somnus, seu ad amussim componatur, ne vitiorum mergare fluctibus.* 366

Citatus Studita.

*Littera occidit, spiritus viuificat.*

*Obseruabitis azyma, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo*. Ecce Deus præcipit, vt ritu perpetuo vel cultu sempiterno, huiusmodi festa azymorum seruentur, sicut antea iusserat de die Phase seu transitus Domini: qui ergo hunc diem obseruaret, reus non esse videretur, cum Dei præcepto satisfaciat, ritusque huiusmodi in perpetuum seruandus iubeatur: sed si vt littera sonat, accipias, peribis; sic enim littera intellecta occidit, cuius Spiritus viuificat, vnde S. Niconis Epist de pessimorum Armeniorum pessima religione ait. *Omnia fere quæ sunt abolita legalia obseruant, agnum enim magno Dominico sacrificant, & limina inungunt, & eius ossa comburentes seruant cinerem cum sanguine in signum expiationis.* 367

S. Niconis in Bibl. PP.

*Cæremonia pia non eliminanda, sed retinenda.*

*Obseruabitis azyma*. Nescio cur hæc cæremonia comedendi cum agno Paschali panem azymum

& non communem, tenendi baculos in manibus, &c. tamdiu obseruata ab Israëlitis? nonne satis erat agnum legalem comedere non adhibito alio ritu? merito eas seruauere, piæ enim erant & viles ad excitãdam beneficiorum Dei memoriam, quis ergo nunc mussitabit aduersus eas quæ ab Ecclesia sunt approbatæ, & per traditionem acceptæ, quæque sunt piæ & vtiles? in medium adduco verba Synodi Augustensis cap. 23. *Ceremo-* A *nias maioribus nostris hominibus religiosissimis vsitatas, quod ad varios pietatis vsus valeant, & exercitia quædam sint quibus mens externarum scilicet rerum sensu, & significatione ad diuinum cultum, ipsumque Deum attrahitur, in Ecclesiis nostræ diœcesis retinendas, & vbi abrogata fuerint, reuocandas esse statuimus atque mandamus.* Rideant hæretici, imo apud omnes sine in ludibrio, quod cæremonias sanctas nó approbét.

Synodus. August.



## *VARIETAS LECT. Vers.* 18.

**V***Vlg.* Primo mense, quarta decima die mensis, ad vesperam comedetis azyma, vsque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam.

*Sept.* Incipientes quarta & decima die mensis B primi, à vespera comedetis azyma vsque ad diem vnam, & vigesimam mensis vsque ad vesperam.

*Cald.* In mense Nisan.

*Pagni.* In primo, quarta decima die mensis in vespera infermentata comedetis.

## *CONCORDIA.*

**D**ictio *mense*, addita est hic ab interprete, vt pote quæ necessario subaudiebatur, est enim in Hebræo duntaxat בראשון barison in primo, quò loco recte Caldæus dixit, in mense Nisan, qui primus deinceps, ab eis habendus erat.

## EXPOSITIO.

**P***Rimo mense*, nempe Nisan, *quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma.* Incipiebant ergo dies azymorum decimò quarto die, nõ mane, sed ad vesperam, puta incipiente die decima quinta, quæ proinde vocatur prima dies azymorũ. pro huius declaratione obserua dies azymorum incæpisse cum Paschate, vnde quia vespera Paschatis referri poterat ad 14. diem, cuius erat finis, & etiam ad decimam quintam cuius erat initium, hinc & ab Euangelistis describentibus vltimam Christi cœnam, decimus quartus dies vocatur primus azymorum, Leuit. vero 23. & alibi decimusquintus dies vocatur primus azymorum, vnde superiori versu dictum, obseruabitis azyma, in eadem enim die educam exercitum vestrum de terra Ægypti, constat autem Num. 33. Hebræos egressos esse ab Ægypto 15. mensis primi, verum quia agnus licet ante immolatus & assus non tamen comedebatur, nisi nocte quæ proprie pertinebat ad 15. diem, cum esu autem agni D C incipiebat & esus azymi panis, hinc præcise loquendo esus azymorum incipiebat non à 14. sed à 15. die, qui proinde communiter vocatur primus azymorum.

Hinc patet Christum Dominum legis obseruantissimum instituisse Eucharistiam, pane azymo, nam instituit eam post cœnã agni, in qua incipiebat esus azymorum, qui durabat per septem dies: hinc etiam colligẽ tantum dies septem azymorum computandos esse, licet aliter aliquibus videatur, & vero plures non fuerunt, si rationem legalem supputandi dies à vespera in vesperam, vel etiam à momento in momentum seruemus, sin modum nostrum & ciuilem quem Iudæi seruabant attendamus, synecdochicos potuerunt dici dies esse octo, nam iuxta hanc rationem, prima dies erat finis decimæ quartæ, quæ tamen eadem vespera iuxta legalem computationem erat initium decimæ quintæ, & sic pro diuersa supputandi ratione diuersimode hi dies possunt numerari.

## CONCEPTVS.

### *Cum primum redempti sumus à misera peccatorum seruitute, virtutum flores emittamus.*

369 **P***Rimo mense*, Cald. *in mense Nisan quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma.* Rationem superius dixi, in illa enim die educam exercitum vestrum, id est omnem filiorum Israël multitudinem de terra Ægypti: an caret mysterio, quod postquam à tot annis sub iugo seruitutis Ægyptiacæ durissimo fuerunt, quod in hoc mense liberi educantur? scimus mẽsi Nisan Martium respondere, in quo arbores & plantæ germinare, imo & arbores florere incipiunt: dic ergo non sine mysterio, dummodo moraliter loquamur, mensem, quo liberantur Israëlitæ ab Ægypto, fuisse Nisan: sed vt innuatur quod vt primum redempti sumus à misera peccatorum seruitute, virtutum flores emittamus, hoc docet sanctus Macharius hom. 47. S. Machar. *Ipsa anima redimitur tempore verno mense florum recentium, cum anima terra potest emittere pulchros & florentes ramos iustitiæ, præterita graui hyeme ignorantiæ tenebrarum,*

*& ingenti prouentu ob scœnarum actionum & peccatorum.*

*In azymis synceritatis & veritatis diem redemptionis nostræ celebremus.*

370 *Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma* Hanc autem primam diem vidimus solemnem & festiuam: ratio redditur, quia eduxit Dominus filios Israël de Ægypto, sed qua de causa licet educti fuerint Israëlitæ de terra Ægypti, & illius seruitute, comedere debēt panes azymos? quia cum à Christo Domino peccatum destruente, & tenebras ignorantiæ dissoluente, in libertatem spiritus, post peccati seruitutem adducti sumus, redemptionis nostræ diem in azymis synceritatis & veritatis celebrare debemus, sic consulentem do Abbatem Cellensem l. de panibus c. 4. *Venit Dei filius natus ex Virgine absque fermento culpæ, & tulit de massa naturæ humanæ solummodo farinam incorruptæ carnis, non fermentū seu fomentū originalis peccati: cribro namque Spiritus sancti euentilauit furfur iniquitatis in sacrosancta carne concepta in vtero, & de vtero virginis animam quoque rationalem in vnitate personæ sibi assumpsit, & carnem quidem in sacrosancto cœnæ conuiuio tanquam reparationis azyma nobis apposuit, & statuit in cruce nouum pascha instituens obtulit, animam vero ad spolianda tartara transmisit: hic conceptus exterminauit fermentum, hic natus destruxit peccatum, nam quod impossibile erat legi Roma. 8 vt ait Apostolus, in quo infirmabatur per carnem scilicet destructo peccato [illegible] carne hominem, Deus misit filium suum in similitudinem peccati, vt de peccato damnaret peccatum idest nouo veterem azymo fermentatū, repurgati igitur animo & spiritu in azymis sinceritatis & veritatis, diem redemptionis nostræ de Ægypto, id est peccato vel diabolo solemniter recolamus*

Abbas Cellensis. — Roma. 8.

*A quo luce fidei illuminati sumus, non delinquere debemus, aliàs grauis sequetur vltio.*

372 *Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma, vsque ad diem vigesimam primam.* Quod superius dictū fuerat, septē diebus comedetis azyma, & quicunque his diebus fermētum comederit, peribit anima illius de Israël, sed cum sint septem in quibus à fermento abstinere debemus, & solum azyma comedere, inutile non erit si quænam sint huiusmodi dies significamus, & si in vnoquoque eorum fermentum comedens, morte morietur: à primo ergo incipiamus, quis primus ille [illegible] fuerit. Abbas, est per fidē mentis illuminatio, sed si quis hoc die fermentum comederit reusne mortis erit? an fermentum illuminationi mētis aduersatur? si eo malitia & peccatū denotatur, quidni, si in hoc die illud comederit supplicio afficiendus? à quo enim quis luce fidei illuminatus fuerit, delinquere non debere. [illegible] dum & abstinendum, *inquit præfatus author*, à fermento à primo die, vt cum illuminatus fueris luce fidei (quæ præcedit omnia opera Dei [illegible]) non denuo redeas ad [illegible] & [illegible] lucifer [illegible] qui [illegible] præsumptione superba, suum amorem in seipsum conuertendo [illegible], primam diem fermentauit, & ideo de cœtu filiorum Israël, id est Angelorum, qui Deum amore & obedientia [illegible], & adiecti sunt, [illegible] & loci &

Ciū Abbas.

mentis sequestratione, non itaque retro respicias sed cum sanctis animalibus Ezechiel. 1. ante faciem tuam vbi est impetus spiritus, sine retrogradatione tendas & contendas, nemo enim mittens manū ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei Luc. 9. sortem enim nullam habebit in regno Christi & Dei, qui spiritu gratiæ contumeliam faciens, redit post conuersionem fidei ad vomitum infidelitatis, vnde Apostolus Hebr. 6. impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonū Dei verbum virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiam rursum crucifigentes filium Dei & ostentui habentes profsus infimæ [illegible] sententiæ, quam graue sit post pœnitentiam delinquere, hoc est à primo die fermentum comedere.

Ezechiel 1. — Luc. 9. — Hebræ. 6.

*Qui simul cum Sacramentis religionis nostræ antiquæ legis Sacramenta commiscere vult, peribit anima illius.*

*Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma vsque ad vigesimam primam.* [illegible] de prima die azymorum [illegible] mus lucis fidei illuminationem, quænam autem secunda? professio fidei, profitemur autem fidem continentem [illegible], [illegible], quo ab omni peccato abstinemur & renouamur, quis hoc fermentum hoc die comedit? nonne nunc fermentum est circumcisio? qui ergo cum professione fidei nostræ, simul commisceret Sacramenta veteris legis, hic secundo die azymorum fermentum iniquitatis gustaret, hicque de libro viuentium animalium deleretur, sicut ait ex venerabilis Abbas. *Attente audiamus, redarguit Paulus quosdam qui fidem Euangelij professi iam quasi firmamentum relucebant in medio nationis prauæ atque peruersæ, sicut firmamentum diuidit aquas superiores ab inferioribus Genes. 1 quia fermentare fermentum Ecclesiæ volebant, cum Sacramento enim baptismatis, quod est sufficiens emūdatio cunctarum leprarum, recisionem quasi necessariam superinducebant, & ita veteri fermento nouitatem gratiæ confundebant: ait itaque ad Galat. 5. si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit, & ibidem num. 12. vtinam abscindantur qui nos conturbant, qui enim cogunt vos in carne circumcidi, &c. Ecce quomodo condemnandus est qui spiritu mentis renouatus & professione religionis inter aquas cœlestium virtutum, & aquas desideriorum carnalium constitutus, illas sitiens, istas exsiccans, illas attrahens, istas extrahens, illas sorbens, istas absorbens si quæ destruxerat, iterum reædificat, si quod lauerat iterum contaminat, si dissoluit quod statuerat in templo cordis sui, non statuas sicut Dagon, cum arca sanctificationis, non filium Virginis cū filio Veneris, non Belzebub cum Iesu, quæ enim communicatio Christi ad Belial 2. Cor. 6. in die itaque secundo azymorum, ne gustes fermentum, quia exterminaberis de cœtu filiorum Israël.*

373

Genes. 1. — Galat. 5. — 2. Cor. 6.

*Qui baptizatum rebaptizandum dixerit, mortis reus æternæ.*

*Primo mense, quarta decima die mensis, ad vesperam comedetis azyma, vsque ad vigesimā primam.* 374

Iam primum & secundum diem attigimus, in quibus omnino abstinendum est à fermento, quisnam sit tertius exprimamus: est susceptio visibilis Sacramenti, parum enim est corde credere ad iustitiam, nisi ore confiteatur ad salutem: præcedens igitur illuminatio fidei & sequens professio, exigunt susceptionem Sacramenti visibilis, vnde Dominus in Euangelio, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum cœlorum: regeneratio spiritus ad inuisibilem pertinet cordis fidem, regeneratio vero ex aqua ad visibilem id est Sacramentalem, quis huius diei fermentare puritatem poterit? nam cum baptismo nihil purius, quomodo fermentum in eo comedetur? si tenuerit eum qui rite baptizatus fuerit, denuo rebaptizari posse, profero Petrum Abbas Cellensis. Cellensem. *Huius diei nempe tertiæ nouitatem & puritatem fermentare voluerunt, qui rebaptizandos homines docuerunt, semel namque susceptus baptismus non reiteratur, quia Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, semel resurrexit & iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur Rom. 6 rursus* Rom 6. *autem Christum crucifigit, qui rebaptizare instituit, qui ergo fermentum in hoc die comederit, id est qui rebaptizatus fuerit, peribit de cœtu filiorum Israël.*

*Qui fidei lumine illustrati, bona opera non esse necessaria ad salutem credunt, fermento malitiæ coinquinati sunt.*

375 *Primo mense, quartadecima die mensis, ad vesperam comedetis azyma, vsque ad vigesimam primã.* Non silentio prætermittendus est quartus dies, in quo abstinendum est à fermento, & comedendus panis azymus, quis autem sit ille? est operatio fidei, Iacob. 2. fides enim sine operibus mortua est, Iacobi 2. & sic necesse est vt animæ fideles per filiorum id est bonorum operũ regenerationẽ saluentur 1. 1. Tim. 2. Timot. 2. filij enim seruorũ habitabũt in sæculũ Psalm. 101. sæculi, Psalm. 101. quia illius fides remuneratur, quæ bonorum operum operibus accumulatur, sunt autem fidei fructus in anima relucentes, & vniuersum orbem vitæ humanæ illuminantes, sicut magna luminaria in firmamento cæli, quæ quarta die facta sunt. habet vero anima duo luminaria magna, luminare maius vt præsit diei, & luminare minus vt præsit nocti, Genes. 1. cum im- Genes. 1. plet duo præcepta charitatis, vno, diem contemplationis, altero noctem actionis suæ illustrans, præclara certe nouitas quartæ diei, quomodo fermentari potest huiusmodi dies? an quis potest in eo fermentum comedere? ille profecto qui dixerit fidem sufficere ad salutem, opera autem non esse absolute necessaria: non dissentit prænomi- Apocal. natus Abbas. *Ecce hypocrita tanquam equus pallidus quem sequebatur mors, sed ecce falsi Christiani pro quibus dicitur, ecce in pace amaritudo mea ama-* Isai 38. *rissima Isai 38, fermentum hypocrisis fermentum* Rom. 3. *inferunt Schismatis qui enim dicit Rom 3 faciamus mala vt veniant bona, qui dicit vanus est qui seruit Deo, qui dicit non est resurrectio mortuorum, qui dicit fato reguntur omnia, qui dicit aliter res euenire non possunt, vt fata tollant meritum & negligentiam extollant, & alij huiusmodi, fermentum comedunt & comedendum suggerunt, & de cœtu filiorum Israël peribit anima eorum.*

*Virtus discretionis bonum opus comitetur.*

376 *Primo mense, quarta decima die mensis, ad vesperam comedetis azyma vsque ad vigesimam primam.* De quinta die azymorum sermonem instituamus, quem dicimus esse discretionem boni & mali, cur post operationem fidei quæ in quarta die azymorum reperitur, constituimus in quinta discretionem boni & mali? quia ea virtus bonum opus comitari debet, vt diuinæ placeat maiestati, in hoc autem die à fermento imprudentiæ & inconsiderationis abstinere debemus, ni miseri perire velimus, aurea verba profero toties nominati Abbatis, omne illud animal ex decretis immundum quod ruminat, & vngulam non findit, Leuit. 11. quia nullum opus bene placet diuinæ Leuit. 11. maiestati, quod non commendat virtus discretionis, hinc est enim quod non ministrat tortum, vel paruum nasum habens; valde namque est indecens sacra regimina ei committere, qui nunquam apprehendit sacram disciplinam, qui prorsus indiscretus est, nasum nõ habet qui discernit, se insufficienter nasum habet sed paruũ qui sufficit discernere, sed negligit, nasũ habet, sed tortũ, non contingat tali sanctuaria Domini vasa, ecclesia vero quæ omnia sua in numero, põdere, Sapien. 11. & mensura discernit, Sap. 11. quæ in statera iusta singula singulorum membrorum appendit, na- Cant. 4. sum dicitur habere sicut turris Damasci Cant. 4. opus nimirum quintæ diei huic discretioni con- Genes. 1. uenit, in quo dicitur producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cœli; hic discretio baptizatorum notatur quia alij seruata fide & deuotione baptismatis nunquam de sinu Ecclesiæ exeunt, alij per superbiam euolantes, imo euanescentes in aëra præsumptionis & vanitatis blasphemas hæreses confingunt; hic necessaria est Ecclesiæ discretio, vt moneret pios sensus, sicut columba electa grana deligere, vocem funestam hæreticorum cum prophana nouitate deuitare, necesse est inquit Apo- 1. Cor. 11. stolus 1. Corint. 11. & hæreses esse, quare? vt probati manifesti fiant, & alibi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt. implorãda est ergo discretio spirituum, vt discernamus spiritum, qui soluit Iesum à spiritu, qui manifestat Iesum in carne venisse, non seducat simplicitatem nostram, qui seduxit Euam astutia sua, transfigurat enim se in Angelum lucis, & fermento fraudis suæ corrumpere nititur bonitatem fidei nostræ, cauendum, non comedendum hoc fermentum.

*Tolerantia pro Christi fide, eximia virtus.*

*Primo mense quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma vsque ad vigesimam primã.* 377
De sexta die azymorum disseramus, quæ tolerantia passionis pro Christo Domino est: sed cur post operationem fidei, post discretionem boni & mali, hanc tolerantiam laborum constituit? an quia omnibus alijs virtutibus inferior & posterior? nõ equidem, sed vt principalior & quasi aliæ in eam dirigerentur, tanquam omnibus superiorem, quid præclarius quam pro Christo Domino aduersa tolerare? imo quid magis eximium quam pro Christo occumbere? innumera pro eo tormenta subire? quid excellentius tolerantia passionis pro fide: *Sexta dies est* (inquit Venerabilis Abbas) *de hac dicit Dominus in Euangelio Matth. 10. qui me* Matt. 10. *confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego* Petrus Abbas. *eum coram patre meo, consummatio fidei & totius infidelitatis consumptio est, pati pro Christo, rara*

hæc virtus sed chara & eo charior, quo rarior. ad A hanc virtutem nō peruenit, nisi qui habet imaginem filij Dei: nam sicut in superioribus singularum dierum opera, his anima diebus singulis exponendo cōparauimus, sic & in hac sexta opus quod in ea factum est, considerandum est, & coaptandum: faciamus ait Dominus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, Christus qui est patris filius obe- Genes 1. Philipp 4.
diens fuit & vsque ad mortem, mortem autem crucis. poteris igitur imaginem & similitudinem Dei in te repingere, si pro fide Christi poteris occumbere: tūc enim quasi cera sigillum imprimitur, cum morti Christi mors nostra assimilatur. & cera quidem prius emollitur, cum anima diuino desiderio in conflatorio gratiæ ad configurationem corporis Christi accedi- B tur, & accedit tandem sigillo vel etiam concidit in sigillum, cum de latere Christi pendet in contumeliarum perpessione, in flagellorum castigatione, in membrorum distensione, in vltima Spiritus emissione fermentum huius diei æstimo illorum pseudomartyrum passionem, qui potius pro vana quam pro vera gloria occumbere non respuerunt. & hoc fermentum in tabernaculis iustorum non inueniatur, non enim pœna sed causa martyrem facit.

*Optata quies à vitiis sequitur omnes alias virtutes.*

378 *Primo mense, decimaquarta die mensis, comedetis azyma vsque ad vigesimam primam.* Hæc dies vigesima prima, septima dies est azymorum, quæ maxime sancta & venerabilis est, quæque omnem à vitiis cessationem denotat: sed cur post tot virtutes memoratas, in præcedentibus diebus, hęc C cessatio sequitur? nonne in qualibet die, cum exercetur virtus, cessatur à vitiis? cessatur quidē sed non perfecte sed nō consummate, perfecta enim quies à vitiis solum obtinetur in sanctorum requie, in felicitate æterna, septima die azymorum denotata, subiicio verba venerabilis Petri Cellensis. *Iamjam ad requiem septimæ diei cum Apostolo festinemus ingredi, vbi absterguntur & ab animo illicita & à corpore molesta. nam tunc non erit graue abstinere à fermento peccati cum iam absorpta fuerit mors in victoria resurrectionis; de hac dicit Iob. 5. in sex tribulationibus liberabit te Dominus, & in* Iob 5.
*septima non tanget te malum; ita enim à tribulatione erroris primum liberat animam Deus, cum illuminat per fidē: secūdo, à superstitione religionis, cū docet non solum recte offerre beneuolendo sed etiam recte diuidere sapienter opera sua discernendo: tertio à boni propositi violatione cum omni studio, & cura inordinata componere errata corrigere, immūda emundare, fluxa restringere, Et faciem cordis ab omnibus superficie liberare. quarto, à duplici ignorātia, scilicet vincibili. & inuincibili. cum per solem supernæ illustrationis, occulta sapientiæ suæ manifestat nobis, secundum quod notum est Dei, id est, noscibile de Deo & per lunam Sacramentorum suorum, in nocte condensa, donec dies illucescat, consolatur tenebras nostras. quinto ab intemperantia moderatur, cū nec deprimitur in aduersis nec extollitur in prosperis cū nouit & proximorum necessitatibus condescendere & altæ contemplationis alas expendere: sexto à commotione & tempestate persecutionum roboratur, cum fortior surgit de vulnere, & de instabilitate aquæ transit in cristallinam soliditatem, & de molli testacea fragilitate proficit in gloriam impassibilitatis, vnde aruit tanquam testa vir- A tus mea: ecce in sex tribulationibus liberabit te Dominus, in septima non tanget te malum, quare quia* Psal. 21.
*iustorum animæ in manu Dei sunt & non tanget illum tormentum mortis, illi autem sunt in pace bene* Sapien. 3.
*erit in extremis terræ, anima quæ sic à primo die vsque ad septimum non comederit de fermentato.*

*Digni omni supplicio qui sanctam spernūt communionem, cum alij ad eam certatim confluant.*

*Primo mēse, quarta decima die mēsis ad vesperā comedetis azyma, vsque ad vesperam.* Eodemque 379
tempore & agnus comedebatur, cum lactucis agrestibus, cur quartæ decimæ diei vespera cum luna tota lumine decora & splendescens conspi- B ciatur, Israëlitæ hæc prædicta perficiebant? quid hæc nobis indicant? quæ luna nostra est nitescente lumine insignis nisi Ecclesia, dum spiritualibus præcipue aucta est gratiis, & mysteriis quibus potissimum locupletatur? cum lugubrem funestamque Christi Passionem recolit, tunc nobis mactatur agnus; cum in sacrificio sancto Missæ conficitur, in eiusdem Passionis memorationem sacratissimum corpus Christi: tunc comedimus quando ad sacram communionem accedimus, vt sanctissima illa Eucharistia, cum fidei candida sinceritate, & cordis exacta contritione, sumpta recreemur; tūc nobis celebris efficitur ille transitus, quo ab iniustitia ad iustitiam, à culpa ad gratiam, à tenebris ad lucem, à morte ad vitam transgredimur & transmigramus; impij igitur illi christicolæ maximisque pœnis mulctandi, qui cum C luna nostra lumine est tota perfusa in sacro scilicet Paschate, sanctissimam communionem spernunt, parui faciunt, negligunt, reliquo fidelium cœtu, ex præscripto sibi ab Ecclesia statuto, certatim ac pie confluente.

*Propugnatores regni Dei contenti sint victu & vestitu.*

*Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma, vsque ad vesperam.* Id est 380
decima quinta prima dies erat azymorum, quæ erat sancta & solemnis sicut & vigesima, quæ erat septima eadem festiuitate venerabilis, in his nullum opus seruile faciendum, sed solum quæ ad victum necessaria præparari licitum erat: cur solum conceditur eis, vt curent de victu? nonne D pluribus aliis indigebant? recte Tuicensis Abbas lib. 2 cap. 15. *Propugnatoribus regni Dei nihil de omni mundo curandum est, sed iuxta Apostolum 1. Timot 6. habentes victum & vestitum his contenti sint, præoptantes tamen & primum quærentes panem verbum Dei, & interim sine vlla obliuione obseruent azyma.* Abbas Tuicensis.

*Non ad otia vocamur, cum eximus de seruitute peccati, sed ad pugnam.*

*Primo mense quarta decima die mensis, ad vesperam comedetis azyma.* Quem quidem custo- 381
dietis tanquam festiuum & solemnem, in hoc enim inquit Deus educam exercitum vestrum de terra Ægypti, cur non ait educam omnes filios Israël? cur exercitum nominat, cum egressuri sunt de Ægypto, & in terram promissionis profecturi? nonne. exercitus ad hoc destinatur, vt pugnet, non autem vt otio indulgeat? signanter ergo dixit

Rupertus. *Exercitum*, ait Rupert. *videlicet quod non ad otia siue ludicra eximus de terra Ægypti, de domo antiquæ seruitutis, sed ad pugnandum aduersus principes & potestates, aduersus mundi huius rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, quippe cum tempus sit vt regnum Dei vim patiatur, & nos violenter agendo diripiamus illud.*

*Perseuerantia de omnibus aliis triumphat.*

382 *Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma, vsque ad vigesimam primam ad vesperam.* Cur toties vesperæ fit mentio? nonne satis fuisset dicere, à quarta decima die comedetis vsque ad vigesimam primam? aduerte ex Ioanne Mauburno in roseto exercitiorum spiritualium alphabeto 27. §. 2. mensem primum reformationem pœnitentiæ, quartam decimam diem diligentiam operationis diuinæ, horam vespertinam consummationem esse perseuerantiæ, recte igitur non omittitur illa hora vespertina, sed toties repetitur, quia hæc virtus perseuerantiæ necessaria est, de omnibus trophæum referes, A sic enim idem auctor, *Et quia sola perseuerantia inter cæteras virtutes triumphat, ideo licet in aliis tribus temporibus sit quædam agni præparatio, in sola tamen hora vespertina est eius sumptio, quia semper fieri debet in proposito nunquam peccandi mortaliter.*

Ioannes Mauburnus.

*Sacramentum agni Eucharistici nobis velatum.*

*Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma.* Et cum hoc eodem tempore comedebatur agnus, quæres cum potius sub vesperam, & eam ad nocturnum tempus iam vergentem, comedatur, quam matutino tempore, vel meridiano? quid obscurius nocturno tẽpore? vt ergo nobis innueretur quod sacramentum agni Eucharistici non ita apertum, sed obuolutum esse deberet, præcipit Deus vt Agnus legalis illius B typus tunc temporis comederetur, fauet citat. Abbas. *Quæ etiam hora vespertina designat, quia Sacramentum est nobis velatum iuxta illud Tobiæ duodecimo, Sacramentum Regis abscondere bonum est.* 383

Cit. Abbas. Tobiæ 12.

## VARIETAS LECT. Vers. 19.

Vulg. Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus vestris, qui comederit fermentum peribit anima eius de cœtu Israël, tam de aduenis, quam de indigenis terræ.
*Septuagin.* Disperdetur anima illa de Synagoga Israël, & in aduenis, & indigenis terræ.
*Cald.* Quia omnis qui comederit fermentum, peribit homo ille.
*Pagni.* Exterminabitur anima ipsa è cœtu Israël, tam peregrini quam indigenæ terræ.
*Arias.* Excidetur anima illa è cœtu Israël in peregrino, & indigena terræ.
C *Oleast.* In indigena seu orto terræ.

## CONCORDIA.

Hunc Hebraismum כגר ובאזרח הארץ bager vbezerah haarez in aduena seu peregrino, & indigena terræ, hunc Hebraismũ inquam recte reddidit noster interpres, tam de aduenis quam de indigenis terræ, de verbo כרת carat superius diximus, consule concordiam.

## EXPOSITIO.

*Septem diebus fermentum non inuenietis in domibus vestris*, sicque nunc etiam diligenter inquirunt, verum sit aliquod fermentum quod repertum illico eiiciunt è domibus, *qui comederit fermentum peribit anima eius*, vel sententia iudicis, vel alio quocumque modo, *tam de aduenis quam de indigenis terræ*, per aduenas intellige proselytos, hos enim indigenis terræ opponit, & in Hebræo גר ger habetur, qua voce Hebræi peregrinum & proselytum vocant. Septuaginta γιώρας, habent, qua voce etiam aduenas & proselytos significari omnes volunt, hanc vocem à Septuaginta confictam aliqui autumant, ex similitudine vocis Hebraicæ aut Chaldaicæ, quod D enim Hebræi גר dicunt Caldæi גיור guor & גיורא giiora appellant, hi γιώρας, proselytus autem est, qui à gentibus ad Iudæorum ritum conuersus est.

## CONCEPTVS.

*Mansuetissimos in vindictam armat vitium ingratitudinis.*

384 *Qui comederit fermentum, peribit anima eius de cœtu filiorum Israël.* Nonne sub agni, qui est mansuetissimus, figura sese comedendum offerebat, memoriamque beneficij Israëlitis præstiti, in panibus azymis quibus eis significat libertatem adeptam, & ex afflictione ad lætitiam transiisse, collocabat? cur sic hanc memoriam inculcat, vt si hæc deficiat capitale supplicium minatur? quantum hoc malum fermentum comedere, vt morte plectatur comedens? nonne Deus accusabitur crudelitatis, quod vitam adimat ei qui fermentum & non azyma ederit? sane in fermento nulla erat memoria diuinæ benefi-

centiæ Israëlitis præstitæ, sed omnis beneficij illius oblivio, quam habere ingratissimi animi est, & acerbissima morte vel à mansuetissimo Deo plectendi, ad hæc ait Oleaster. *Audis hic quale malum sit ingratitudo quæ mortis pœna mulctatur.*

Oleaster.

*Nihil ita videtur displicere Deo quam ingratitudo.*

385 *Qui comederit fermentum peribit anima illius de cœtu Israël.* Non solum vult vt non comedatur, sed ne in domibus retineatur: nonne antea satis expressis verbis idem prohibuerat sub pœna capitali? nonne etiam in versu subsequenti eandem prohibitionem repetit? tantine periculi vel omni bonitate carens fermentum, vt toties prohibeatur? in quo te offendit quod adeo tibi invisum est? quia, vt vidimus, ingratitudinem adumbrat, quæ maxime Deo displicet. à partibus nostris stat D. Bernard. de Evangelio septem panum. *Ingratitudinem prorsus odit anima mea, peremptoria siquidem res est ingratitudo, hostis animæ inimica salutis dico ego vobis quoniam pro meo sapere nihil ita displicet Deo præsertim in filiis gratiæ, in hominibus conversis quemadmodum ingratitudo*, preme, *nihil ita displicet Deo*, videtur alia in gravitate excedere crimina, vnde quidam rectè, ingratis nihil est iniquius.

D. Bernard.

*Ingratitudo Dei cultui adversatur maxime.*

386 *Qui comederit fermentum peribit anima illius de cœtu Israël.* Cum tamen dies azymorum præcipue primus & septimus haberentur festiui & solemnes, & cultu præcipuo præciperentur observari, ecce azyma sub cultu Dei cadit, non autem fermentum, imo ab eo excluditur, cur non excluderetur, cum ingratitudinem (vt diximus.) in se involuat? sic D. August. lib. de Spiritu & litt. c. 11. *Cultus Dei in hoc maxime constitutus est vt anima ei non sit ingrata. vnde in ipso verissimo & singulari sacrificio Domino Deo nostro gratias agere debemus*, pondera, *cultus Dei in hoc maxime constitutus est, vt anima non sit ei ingrata*, & tibi compertum erit quod nihil ita alienum à cultu Dei quam ipsa ingratitudo.

D. August.

*Ingratitudo beneficia præterita sepelit, præsentia corrumpit, futura repellit.*

387 *Qui comederit fermentum peribit anima illius de cœtu Israël.* Cur tantopere invisum habeat fermentum diximus, quia in eo missa erat memoria tanti à Deo accepti beneficij, sicque ingratitudinem adumbrare; sed licet in aliquo ex his diebus illud comedissent Israëlitæ, digni equidem fuissent pœna, quia immemores erant præteritorum beneficiorum: verum an obstaculum quoddam fuisset quin aliis de novo donarentur? ita equidem, nam vt optime Stephanus Episcopus Tornacēsis. *Ingratitudinis obscœnitas beneficia præterita sepelit, præsentia corrumpit, futura repellit, huius contagium fugiamus.* Cur non fugeremus cum etiam indignos futuris beneficiis nos efficiat?

Stephanus Tornacens. in Epist.

*Qui minimum lethaliter circa Eucharistiam peccat, morte dignus est.*

388 *Qui comederit fermentum peribit anima eius de cœtu Israel.* Ex hoc loco, vt iam diximus, arguebant Marcionitæ sævitiam Dei veteris testamenti, qui propter res exigui momenti, pœnam capitis proponebat transgressoribus: quid enim levius quam fermentatum domi habere, & comedere? quæ autem gravior pœna quam capitalis? ex quo eruere sibi videbantur sævitiam Dei auctoris veteris testamenti, vnde eum secernebant à Deo novi Evangelij. Cæterum Gaudentius tract. 6. de Exodo hoc ad mysterium retulit, scilicet panis hic panē Eucharisticū adūbrat, quapropter etsi minimum illud videatur, fermenti eius tamen iure, qui legem transgreditur, capite plectitur, scilicet tantum est Eucharisticum Sacramentum & sacrificiū, vt qui etiam minimū iuxta illud peccat, vltimo supplicio sit dignus: vnde Paulus, epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis; & reddit causam, etenim Pascha nostrū immolatus est Christus: hanc sententiam trahit Episcop. Brixiensis tract. nominato, cuius hæc sunt verba. *Ausi sūt & insuper in dicta lege azymorum adscribere ei sævitiam, dicentes hominis animam disperdi propter fermentum panis: nihil potest esse crudelius, vacordes non intellexerunt, quod Deus tunc maiorem causam vlciscendi habeat si in exiguis rebus, vbi nulla est difficultas observandi, pernicaci tantum spiritu contemnatur.*

Gaudent.

*Nec minimum fermenti huius sæculi deferendum cum religionem ingredimur.*

*Qui comederit fermentum peribit anima illius de cœtu Israël.* Ita vt secum detulerunt ex Ægypto 389
farinam, vt panes azymos conficerent, nec minimum autem fermenti secum asportaverunt ex Ægypto, sed omne in ea reliquerunt, quid hoc est? nonne panis fermentatus melior est & suavior azymo? vt ergo in deserto aliquomodo recrearentur ex laboribus, cur id eis non permittitur? si per desertum, religionem intelligimus, in qua post Ægypti servitutem derelictam, pacifice soli Deo servientes degimus, merito omne fermentum in hoc sæculo Ægyptiaco relinquendum. nec minimum illius nobiscum deferendum. *Fermentum submovetur*, inquit D. Gregor. Nazianz. oratione 42. *hoc est vetus & acida pravitas (non enim illud quod panem efficit ac vitale est) vt ne quod Ægyptiacæ conspersionis viaticum, nec vllas Pharisaicæ & impiæ doctrinæ reliquias nobis paremus.* Sed Petrus Abbas lib. de panibus cap. 4. sic expressius loquitur, *Qui sæculari habitu & cōversatione tanquam Ægypto relicta ductu & auctoritate divinæ legis divinique amoris quasi in manu Moysi & Aaron in solitudinem religionis ingreditur, fermentatam timeat habere conscientiam. quia periculosè de fermento sæculi à professo religionem gustatur, non est autem interdictus panis fermentatus habitantibus in Ægypto, tam irrevocabili auctoritate vel austeritate, quia nimirum non constringebantur ore proprio huius mandati religione, est autem voti prævaricatio, mortis attrectatio.*

D. Gregor. Nazianz. oratione 42.

Petrus Abbas.

*Inter mundanos quanta malitia? in religione quanta puritas & innocentia?*

*Qui comederit fermentum peribit anima illius de cœtu Israël.* Fermentum igitur non secum deferunt, sed in Ægypto relinquunt, quid ergo in deserto comedent? azyma, quid hoc est quod in Ægypto fermentum totum relinquitur, & solum in 390

deserto comedetur azyma, fermentum nescitur A vt quanta sit inter mundanos malitia, quanta autem in deserto religionis puritas & innocentia, compertum habeamus, succinit cit. Abbas Cellens. Veniamus inquit ad desertum religionis &

Cfr: Abbas Cellens.

„ comedamus azyma renouationis, in Ægypto nec „ nominatur azyma, totum fermentatur, totum „ corrumpitur, melior dicitur qui corruptior, coinquinatis & infidelibus 1. Timoth. 15. nihil mundũ, „ sed polluta sunt eorum mens & conscientia, etiã „ quiescens Ægyptius ab operatione exteriori, iuxta quod dicit Salomon Prouerb. 11. in manu non „ erit innocens, malus dum non animaduertit fer„ mentatur, sicut pasta, non solum cum ei admitte„ tur fermentum fermentatur, sed multo magis „ cum à commixtione cessat, qui commiscuit, & „ ipsa pasta bene cooperta, quasi quiescens obdor„ mit: sic animo concepta malitia, etsi videatur ali„ quanto tempore (forte quia deest occasio) à malo „ opere cessare, eo tamen quasi acrius sæuit in cor„ de, quo non transit in opere: vnde Oseæ. 7. paululum ciuitas cessit à commixtione fermenti, do„ nec fermentaretur totum, quasi diceret, vt studio„ sius perpetratum cogitet malum callidius pro tē„ pore retraxit manum, confotum enim stuparum „ superiectione incendium, non dormit sed serpit, „ non extinguitur sed reficitur, sic voluntas mala „ velut flamma latens, vorat tandem suppositas ne„ cessitates, & reiicit velut torrens dilationum „ obices.

1. Tim. 15. Prouerb. 11. Oseæ 7.

*Qui fermentato azyma ponit, id est plenus malitia corpus Domini suscipit, quanta cum pœna manet?*

391 *Qui comederit fermentum, peribit anima eius de cœtu Israël.* Sed qui comedisset fermentatum, & deinde azyma gustaret, an similiter periret anima eius? quis dubitat? nam qui fermento malitiæ plenus, azyma nempe corpus Domini suscipit, non est dubium quin cum pœna mortis maneat, quin dignus sit æterno supplicio. *Nam vt indecens est* (ait Abbas Cellensis ca. 3.) *vinum nouum in vtres veteres mittere, sic stomacho iniquitate corrupto & dentibus putridis propter mendacia labiorum panem azymum qui corruptionem non vidit, cum periculo anteponimus, probet enim se prius homo 1. Corint. 11 & sic de pane illo id est azyma comedat: Iudas buccellam quidem panis azymi accepit, sed medius crepuit, vir enim discernens magna, mundum ab immundo in pane illo cum stercoribus auaritiæ & infidelitatis proditoris non patitur immorari.*

Abbas Cell. 1. Cor. 11.

*Peccatum, omnium bonorum operum puritatem destruit.*

392 *Qui comederit fermentum, peribit anima eius de cœtu Israël.* Nescio quid in te deliquit fermentum, vt ita in conspectu tuo sit abominabile; itane periculosum valetudini hominum, vt non solum permittas illud comedi, sed nec in domibus haberi? de serpente timendum, ne domi remanens veneno suo omnes inficiat, sed hoc virus minime in fermento reperitur: imo maius, si per illud peccatum intelligimus, omnium enim bonorũ operum suo veneno puritatem destruit, hoc recte agnouit Petrus Cellensis c. 1. *Fermentum peccatum est, vnde Apostolus 1. Cor. 6 expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio, sicut enim fermentum vetustatis saporem & corruptionem massæ cui immixtum fuerit diffundit, sic peccatum castitatem omniũ operum quibus se admiscuerit, adimit: sic enim ait Apostolus 1. Corint. 5 modicum fermentum totam massam corrumpit, & Iacob 2 qui totam legem ob seruauerit, offendit autem in vno, omnium est reus: ecce quomodo peccati venenum sine fermentum venarum meatus omnes inficit, vt omnes iustitiæ quas fecerat homo postquam auersus fuerit, non recordentur.* Nisi pœnitentiæ indulserit.

Petrus Abbas. 1. Cor. 6. 1. Cor. 5. Iacob. 2.

*Gratia Dei nisi pulsis vitiis excipi non potest.*

393 *Qui comederit fermentum peribit anima eius de cœtu Israël.* Comedat simul & fermentum & azyma, ne secundum per tot dies comedens nauseam pariat. Si per fermentum peccatum vel B vitium intellexerimus, sicut per azyma gratiam, merito dices impossibile esse, quod simul fermētum & simul azyma comedas; nec quod in eodem sint habitaculo, sed tollendum est fermentum vt habeatur azyma, gratia enim Dei nisi pulsis vitiis excipi non potest, sic enim canit Billius Abbas in Sacra sua anthologia num. 109.

Billius Abbas.

*Gratia parca Dei non est, sed prodiga sese*
*Si vacua inueniat pectora fundit eis.*
*Cor vitiis purga, sic aceti pectus inane*
*Protinus æthereus proluet ora liquor,*
*Ipse cados affer vacuos, oleumque repente*
*Influe, & subitas conciliabit opes.*
*Nam vacuis vasis, vt cœperis ipse carere,*
*Non tibi qui stillet, iam liquor vllus erit.*

C Tantum enim inquit August. nos exercet sanctũ desiderium, quantum desideria nostra amputauerimus ab amore sæculi, exinani quod implendum est, bono implendus es: funde malum, puta quia melle te vult implere Deus, si aceto plenus es, vbi mel pones fundendum? quod portas vas, mundandum est ipsum vas: quibus non dissimile est quod Epist. 1. scribit Basilius. Ita demum cor præparatur, cum eę doctrinæ dediscuntur, quæ praua consuetudine sedem in ipso occupauerunt, nam neque in tabulis cereis scribere possis, nisi prius litteras induxeris, quæ ante scriptæ fuerunt, neque animæ prius diuina placita accommodaris, quam anticipatas opiniones ab ea exemeris.

D. August. D. Basil.

*Qui sine liberis est, tanquam mortuus censetur.*

394 D *Qui comederit fermentum peribit anima eius de cœtu Israël.* An illico peribit? si peccatum mors est, non est dubium quin inobediens fermentum comedens iam periit: sed præter hanc mortem, aliam & temporalem intelligere possumus, scilicet sententia iudicis, vel Dei iudicio; verum aliterne possumus dicere periturum? quid dicat Oleaster attendamus, *Quidam Hebræorum putant hanc exterminationem fieri, cum quis præmatura morte hoc est ante 15. annum moritur alij vero cum quis moritur sine liberis.* Quot moriuntur sine liberis? an animæ eorum dicuntur perire? satisfacit Lusitanus, *Hebræi omnino reputant mortuum qui sine liberis e vita discedit, quemadmodum mortuum cum liberis dicunt viuum.*

Oleaster.

*Peregrini leges patriæ seruent.*

395 *Qui comederit fermentum peribit anima eius de cœtu Israël, tam de aduenis quam indigenis terræ.*

Atias in peregrino & indigena terræ, licet terræ indigenæ ad id tenerentur, cur peregrini nam legibus non videntur alterius patriæ teneri. nihilominus dicit Deus, quod tam indigena quam aduena terræ de cœtu Israël peribunt si comederint fermentum, quare? sic ergo respondet Hieronymus Oleaster, *Debent peregrini seruare legem patriæ, in qua degunt, ne indigenis scandalo sint.* (Oleaster.)

### *Inobedientia, pœna nec temporali nec spiritali caret.*

396 *Qui comederit fermentum peribit anima illius de cœtu Israël.* Peribit quia Dei præcepto rebellis per inobedientiam, an peribit anima pœna temporali vel spiritali? vtraque, tantum enim peccatũ est inobedientiæ vt non solũ vnica sed duplici plectatur pœna, varia profert exempla eorum qui fuere inobedientes Deo, quibusque pœnis affecti D. Bernardus serm. 21. de obedientia. (D. Bernard.) Maria soror Aaron per inobedientiam murmurauit contra fratrem suum, & statim percussa est lepra, Maria quæ contra fratrem suum, idest Prælatum murmurauit per inobedientiam, significat animã cuiuslibet hominis, qui murmurat cõtra Prælatũ suũ, cum nõ vult obedire, nec præcepta salutis accipere: & quia non vult per obedientiã precepta prælati sui accipere, lepra peccatorum percutitur atque fœdatur: etiã Core, Dathan & Abiron qui contra Moysen & Aaron per inobedientiam insurrexerunt, statim pro sua præsumptione pœnas sustinuerunt, sicut scriptum est in Psalmo, aperta est terra & deglutiit Dathan, & operuit super congregationem Abiron: & iterum & arsit ignis in Synagoga eorum, flamma combussit peccatores: nam & Ozias Rex cum per inobedientiam atque contumaciam thuribulum accepisset, à Deo est lepra percussus & maculatus in fronte, nam & Saül Rex quia inobediens fuit, regnum perdidit, & in manibusque inimicorum suorum cecidit, etiam Ionas Propheta per inobedientiam fugit, & eum piscis absorbuit, atque in profundum maris misit. (Psalm. 21.)

### *Recta intentio tibi sit, cum agnum sumis Eucharisticum.*

*Qui comederit fermentum peribit anima illius de cœtu Israël.* Quid ergo comedet? azyma, quod quidem sumendum cum agnus Paschalis comedendus erat; sic enim lege statutum est, licet varias in medium adduxerimus rationes, cur cum hoc pane comedendus & non fermentato, non grauabor iterum inquirere, cur azymus panis adhibendus erat in eius esu, nam sicut caro assa erat, & ideo gustui sapida, cur similiter panis non adhibetur saporosus, non autem insipidus? quid azyma denotat? Ioannes Mauburnus Abbas Alphab. 27. §. 3. per azyma rectam intentionem in operibus intelligit: quo posito facilis responsio, nempe cum sumis agnum Eucharisticum recta intentio tibi necessaria est, sic autem ait, *Tria in comestione nostri agni Paschalis necessaria. quia pro peccatis oportet dolere, rectam intentionem habere, passionem imitari.* 397 (Ioannes Maubur.)



## *VARIETAS LECT. Vers. 20.*

VVlg. Omne fermentatũ non comedetis, in cunctis habitaculis vestris edetis azyma.

*Pagni.* In omnibus habitationibus vestris comedetis infermentata.

## EXPOSITIO.

*Omne fermentatum non comederis.* Id est nullum fermentatum per æquipollentiam negationis postpositæ, & bene seruatur hic vis æquipollentiæ, quia nullum fermentum vel fermentatum comedere debebant, nec minimam illius particulam. *In cunctis habitaculis vestris edetis azyma.* Non sic agnum, nam si ad eum comedendum, qui erant de vna familia non sufficerent, de alia conuocabantur, azyma licet paucissimi essent, in eodem habitaculo, ibi tamen comedebatur.

## CONCEPTVS.

### *Licet modicum fermentum malitiæ totam corrumpat massam, tamen non sicut delictum ita & donum.*

398 *Omne fermentatum non comedetis.* Id mihi videtur vsque ad nauseam repetitum, nam vt superius vidimus, quoties hoc Israëlitis inculcatum? an ita labilis memoriæ vt necesse fuerit idem toties prohibere? diximus ideo toties idem repetitum, quia Deus maxime inuisum habet fermentum propter peccatum quod adumbrat, cuius modicum totam corrumpit massam: si ita est quare ergo dictum est ab Apostolo Roman. 5. non sicut delictum ita & donum? quis illustrare poterit hanc profunditatem & mysteriorum abyssum? nisi Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, 2. Corin. 7. scriptum est, quia sapientia minuit malitiam, Sapient. 7. scriptum est, quia non sicut delictum ita & donum, vbi abundauit peccatum superabundauit & gratia: & tamen econtrario videtur scriptum, quod modicum fermenti totam massam corrumpit; hic dentes obstupescunt, hic oculi Isaac caligant, & clare videre non potest: quis horum dissonantiam ad pacem ad veritatis lucem deducere potest? sane clauis Dauid quæ clausa aperit, confusa distinguit, apposita igitur hac claue, vectes huius difficultatis sic soluuntur à venerabili Petro Cellensi

Cellensis lib. de pa[illegible] fermentat[illegible] & [illegible] antiquo vetere [illegible] *[illegible] quãdiu [illegible] consumitur, sed tamen [illegible] in qualitate [illegible] & superat [illegible] quã delectatione [illegible] totam massam corrumpit [illegible] disciplina obicem inuenit: [illegible] malitiam cum subintrat gratia, [illegible] compendium mundum [illegible] qui tenebatur in [illegible] gratia [illegible] vincula soluit, solutis vero [illegible] sequitur gratiam, [illegible] gratia, vt deinceps gratia [illegible] & [illegible] persequatur inimicum, & [illegible] fermentum abeo, & [illegible] in ingenuitate libertatis, vbi non [illegible] gratia modicum fermentum totam massam corrumpat, & [illegible] gratia [illegible] massa [illegible].*

## *Non sufficit declinare à malo nisi & bonum feceris.*

399. *Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitaculis com[edetis az]yma.* Nonne satis est vt abstineant à fermento? ad quid compelluntur etiam azyma comedere? non equidem satis est à fermento abstinere, à malitia cessare, malum derelinquere, nisi & azyma comedas, nisi bonũ operteris, nisi virtutibus studueris, & veritati indulseris. *Postquam enim* (ait cit. Abbas cap. 4.) *fermentũ malitiæ & nequitiæ à domo conscientiæ depulsum fuerit, nouitas spiritus tanquam azyma in ordine liberationis nostræ succedit: vt enim parum est exire de Ægypto, nisi terram promissionis intraueris, similiter non sufficit declinare à malo nisi bonum feceris, omne autem bonum imperfectum est, nisi sit consummatum, vt vero habeat consummationem duret vsque in finẽ, qui enim perseuerauerit ait Dominus Mat. 10. vsque ad finem hic saluus erit.*

Petr. Celle.

Matth. 10.

## *Non solum abiicienda mala opera, sed & praua cogitationes.*

400. *Omne fermentatum non comedetis.* Non solum hoc iubet, sed ne in domibus fermentum retineatur, verũ foras eiiciatur. Nonne satis erat, quod non comederetur fermentatum? cur nec retinendum? nonne ex fermento & massa conficitur fermentatum sicut ex cogitatione & consensu malum opus? merito igitur non solum fermentatum non comeditur, sed à domibus abiicitur, quia non solũ deponẽda mala opera, verũ & peruersæ cogitationes abiiciendæ. *Ad hæc*, inquit sanctus Macha. hom. 47. *præcipit tum è singulis domibus omne fermentum antequam expelli, nẽpe consilia & actiones veteris hominis, qui corrumpitur, peruersas cogitationes & conceptiones sordidas quod fieri potest, abiicere.*

S. Machari.

## *Veritas tanquam regina maxime Deo placet.*

401. *Omne fermentatũ non comedetis, in cunctis habitaculis comedetis azyma.* Quoties id iniunxisti vt comederent azyma? septẽ diebus comedetis azyma dixisti, deinde à decima quarta die mẽsis ad vesperam vsque ad vigesimum primum comedetis azyma: tantene tibi gratum azyma, tantone in pretio à te habetur, vt toties inculcare deiecteris? nonne azyma veritatem denotat, iuxta illud 1. Corint. 5. epulemur in azymis sinceritatis & veritatis? quid mirum igitur, si tam eo delectaris? veritas enim tanquam maxima regina ei gratissima est: sic annotat Clemens Alexand. lib. 6. Strom. *Cum sit singularis veritas quæ in [illegible] Philosophia, quæ vere autem veritas [illegible] illuminans colores, & album & nigrum ostendit qualis sit vnusquisque eorum: sic ipsa quoque rejecit omnem fermenti probabilitatem, merito ergo à Græci acclamatum est, principium magnæ virtutis est Regina veritas.*

1. Corint. 5.

Clem. Alex.

## *Veritas fidei fundamentum.*

402. *Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitaculis comedetis azyma.* Cur cum profecturi sunt in desertum, & in terram promissionis, vbi in obsequium fidei intellectus suos captiuare debent, vix enim credenda Deus inibi perpetrauit, quis enim crederet mare rubrum siccis pedibus transisse, petram aquas dedisse, panẽ de cœlo pluisse? imperat vt azyma comedant? &c. si dictum per azyma veritatem intelligi, merito ab eis tunc requiritur, veritas enim fundamentum fidei esse censetis sic docet S. Amb. ser. 30. in Psal. 118. exponens hæc verba, principium verborum tuorum veritas. *Omne principiũ ait est verborũ Dei veritas vt que fidei fundamẽtum est, primum enim oportet vt credamus vera esse Dei summi quæ in diuinis scripturis legimus oracula, secundum est, virtutem eorum pleniore cognitione discamus.*

S. Ambr. Psal. 118.

## *Veritas maximopere colenda.*

403. *Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitaculis comedetis azyma.* Quid ita sollicitus de azymo? omnis cura tua in illud procumbere videtur? quid ad illud edendum ita Israelitas vrges? quidni, cum denotet veritatem, quæ maxime colenda & maximo habenda in pretio? vnde de ea Cyrill. Alexan. lib. 5. thesauri ait. *Vt Esdras scribit omnis terra veritatem vocat, & cœlum ipsam adorat, & omnes creaturæ ipsam tremiscunt: Filius vero de se ipso ait ego sum veritas.* & S. August. de vera religione, *quid admirabilius, quid speciosius ipsa veritate, ad quam omnis spectator peruenire se cupere confitetur tum vehementer ne fallatur, inuigilat* & idem lib. 2. de libero arbitrio, *quid petis amplius quam vt beatus sis? & quid beatius eo qui fruitur inconcussa & incommutabili & excellentissima veritate?* Sed proh dolor mendacium sequimur & non veritatem.

Cyrill. Alex.

S. Augu.

## *Veritas nescit mendacio copulari.*

404. *Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitaculis comedetis azyma.* Ab eisdem habitaculis eiicieturne fermentum? ita præcipit Deus, cur in eodem habitaculo non comedetur azyma, retẽto fermento licet non eso? quia cum fermentum mendacium adumbret, sicut & azyma veritatem, impossibile est quod azyma & fermentum sint in eodem habitaculo. veritas enim nescit mendacio copulari. hinc S. Hier. in c. 12. Osee.

S. Hier. *quamuis conentur haretici veritati miscere mendacium, oleum aquis, & cateris humentibus & liquentibus rebus non potest copulari; semper veritas supra est deorsumque mendacium, omnes alia species idest hareses qua non habent oleum veritatis, possunt sibi misceri, & de pluribus vnum effici corpus, sed harum oleum detestatur Propheta dicens oleum peccatorum non impinguet caput meum.* Psal.

*Veritatis notitia amara quidem pluribus & insipida.*

406. *Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitaculis comedetis azyma.* Quod quidem insipidum gustuique ingratum, quomodo ergo veritatem adumbrat, quæ cum sit virtus excellentissima, suauissima nonne deberet esse? in se quidem suauissima, sed pluribus sane insipida & amara. sic testatur cit. Hieron. lib. 2. in Iouinian. *Amara est veritas, & qui eam prædicant replentur amaritudine, in azymis enim veritatis & synceritatis Domini Pascha celebratur & cum amaritudinibus comeditur.* & lib. 1. cont. Pelagianos, *veritas amara est, rugosæ frontis ac tristis, offenditque correptos. vnde & Apostolus loquitur, inimicus factus sum vobis veritatem dicens vobis.* non omittam Bernardum serm. 74. in cant. *amara est veritas sine condimento gratiæ, sicut absque veritatis freno leuis & nesciens modum, plerumque & insolens est ipsa deuotio.* S. Hier. Bernard.

*Qui male viuit veritatem cognoscere non potest.*

407. *Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitaculis comedetis azyma.* Cur azymi posterius fit mentio quam fermenti? cur prius abstinendum ab eo quam comedatur azymum? nonne potuit dicere comede azyma, & deinde, non edetis fermentum? merito hunc seruauit ordinem, nisi enim prius à fermento malitiæ & nequitiæ abstinueris, veritatem degustare non poteris. obseruatio est S. August. c. 13. de agone Christiano. *Errat quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter viuat, nequitia autem est mundum istum diligere & ea quæ nascuntur & transeunt pro magno habere, & ea concupiscere, & pro his laborare vt acquirantur, & lætari cum abundauerint, & timere ne pereant, & contristari cum pereunt, vita talis nō potest puram illam & synceram & incommutantē videre veritatem, & inhærere illi.* præclare id etiam monet S. Cyprianus in Epis. ad Iubaianum, *sapientibus,* inquit, *& Deum timentibus congruit patefacta & perspecta veritati libenter atque incommutanter obsequi.* S. Cypria.

*Maxime Deo inuisa superbia omnis peccati radix.*

408. *Omne fermentatum non comedetis.* An itatuis rebelles mandatis Israelitæ, præcipue post tot accepta à tua infinita bonitate, beneficia, vt necesse fuerit toties idem prohibere? vel an adeo tibi inuisum fermentum, vt nullo modo permittas, non solum illud comedere sed nec domi habere? si obseruaueris fermento tumorem animi & superbiam significari, ipsum enim pastæ immixtum eā eleuat, non senties abeeris cur ita inuisum habuerit Deus fermentum: maxime enim odibilis superbia, omnis initiū peccati, sic enim scribit S. Greg in lib. 31. mor. *Radix cuncti mali superbia, de qua scriptura attestante Eccles. 10. initium omnis peccati superbia, prima autem eius soboles septem nimirum principalia vitia de hac virulenta radice proferūtur, scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria; sed habent contra nos hac singula exercitum suum, nam de inani gloria, inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ & nouitatum præsumptiones oriuntur.* idem habet S. Prosper. lib. 3. de vita contemp. c. 2. *initium, inquit scriptura non aliquius sed omnis peccati superbia, vt euidenter ostenderet quod ipsa sit peccatorum omnium causa, quoniam nō solum peccatū est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest aut poterit sine ipsa, si quidem nihil aliud omne peccatum, nisi Dei contemptus quo eius præcepta calcantur.* S. Greg. Eccles. S. Prosp.

*Præcipua superbiæ, locus est in virtutibus.*

409. *Omne fermentatum non comedetis.* Noluit nec secum retinere, nec secum deferre, quamuis plura alia proficiscētibus iniunxerit, quæ non ita rationi consona videbantur, quale est baculos comedentes in manibus habere, cum lactucis agrestibus amaris agnum Paschalem edere &c. cur ergo non etiam comedent fermentatum panem, vitalem & communem? nonne diximus per ea quæ obseruanda erant in esu agni, virtutes varias denotari. sicut per fermentum, superbiam? non igitur immerito illud omnino amouet, nihil enim ita virtutibus se ingerit, vt eas perdat & corrumpat, quam superbia. recte id cecinit Iacobus Billius Abb. in sua sacra anthologia Num. 26. Billius Abb.

*Iungere se tantum fastus virtutibus audet*
*Cætera cum fugiunt crimina cuncta procul,*
*Scilicet vt fructum penitus corrumpat earum,*
*Non secus ac cereris munus auena solet,*
*Quam vere scriptura canit, tum denique quemquā*
*Ordiri cum iam culmina summa tenet,*
*Quandoquidem cum quis vitiorum cætera fregit*
*Agmina, tum fastus prælia dura mouet.*

Idem habet S. Aug. Epist. 109. alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant, superbia vero bonis operibus insidiatur, vt pereāt. quin etiam Cyprianus de ieiunio & tent. Christi quantum mali secum afferat filia superbiæ, nēpe inanis gloria. his verbis eleganter describit. Ieiuniorum sudoribus laus importuna se ingerit, & subtilissimis aculeis penetrans animum, dum extollit, emollit, & pungit cum vngit: virtutē in hypocrisim vertit, & simpliciter inchoata peruertit. quasi tinea, quod integrū erat rodit, & occupat, & sanctitatis fundamenta euellit & dissipat; subtilissimuū malum proprio laqueo hypocritā ingulat & propriis armis sanctitatē impugnat. sed & Chrysost. ho. de perfect. Euang. perspicue ostendit, quas ruinas edat in operibus bonis superbia, qui Pharisæum illū, qui cum de virtutibus gloriatur, omni earū fructu caruit, naui cōparat, quæ post diuturnā nauigationem ac plurima pericula vitata, tandem in portu frangitur, pereuntque opes omnes quas vehebat. S. August. S. Cyprian.

*Alios sub hypocrisi decipere maximum vitium.* 410.

*Omne fermentatū non comedetis.* Imo in habitaculis vestris erit nec minima fermenti pars. azyma probo, sed fermentū cur reprobatē, cū pani submixtū salubriorē & meliorē efficiat? nihilominus

reprobat illud, & plures: nec mirum, cum enim sit symbolum hypocrisis, iuxta illud Christi Domini Luc. 12. cauete à fermento Pharisæorũ quod est hypocrisis, merito à Deo tanquam pessimum vitium damnatur. ait enim S. Aug. in lib. 83. qq. quæst. 52. *Prope summa & diuina virtus est neminem decipere, sic vltimũ vitiũ est quemlibet decipere.* (Luc. 12. S. August.)

### *Hypocrisis præsentissimum virus.*

411. *Omne fermentatum non comedetis.* Imo nec illud vobiscum habebitis nec in ædibus vestris. quid tantæne malitiæ est, vt nec domi retineri possit? si per illud diximus hypocrisim intelligendã esse, merito reiiciendum esse iubetur etiã à domibus, nullum enim venenũ ita periculosum, quodque latius serpat, teste S. Petro Chrysol. serm. 7. *Hypocrisis*, inquit, *subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis.* En vt secretum virus, quod vix quis cauere potest, quin intime serpat, caueturi serpens, quia cognitum est eius venenum, & ideo minus periculosum, at periculosius hypocrisis virus, cum subtilissimum sit & latens. (Petrus Rauennas.)

### *Hypocrisis idololatria est.*

412. *Omne fermentatum non comedetis.* Si attente consideremus, videbimus non strictius prohibitam idololatriã nec sub grauiori pœna quam mortis nec sub maiori exterminatione, quam esus fermenti vnde hoc? nonne grauius est crimen idolis seruire quam fermẽtum vel domi retinere vel comedere? cur igitur in vtrumque eadem pœna animaduertitur? quia cum fermẽtum denotet hypocrisim, hypocrisis autem sit species quædam idololatriæ, non mirum quod sub eodem supplicio vtrumque comprehendatur. attende Geometr. in tetrastichis (Geom.)

*Idolum & qui sese ostentat inaniter vnum*
*Efficiunt, auro nam simulachra micant*
*Cum pice & plena luto intus, sic quoque & iste*
*Cum sacer extra sit, non tamen intus is est.*

Vellem à Christianorum cœtu exularent hæc simulachra, & Christi virtute cadere, cui, vera solidaque virtute & ab omni simulatione aliena seruiendum est.

### *Virtutum simulator diabolus est.*

*Omne fermentatum non comedetis.* Non miror 413.
illud a Deo prohibitum Israelitis tendentibus in terram promissionis, quid enim magis nos auocat à tendentia in terram viuentium, quam obsequium datum dæmonibus? fermentum autem (quod est hypocrisis) comedere nonne ipsis est obsequi, cum ea homines in dæmones transformet? adducendus huc S. Cyrill. Hierosol. Catech. 4 *Imitatur*, inquit, *virtutem improbitas, zizania contendit triticum videri, quæ quidem specie quadam tritico assimilatur, gustu autem à sentientibus facile discernitur, & diabolus quoque transformatur in Angelum lucis.* (S. Cyri. Hie.)



## *VARIETAS LECT. Vers. 21.*

**V**ulg. Vocauit autẽ Moyses omnes seniores Filiorum Israel, & dixit ad eos, ite tollẽtes animal per familias vestras, & immolate Phase.

*Sept.* Vocauit autem Moyses omnem senatum Israel & dixit ad eos, abeuntes sumite vobis ipsis pecus secundum cognationes vestras, & sacrificate Pascha.

*Cald.* Capite & tollite vobis de filiis ouium, per familias vestras, & immolate Phase.

*Pag.* Accipite vobis pecora & immolate pesach.

*Arias.* Trahite & accipite vobis pecus ad familias vestras, & immolate transitum.

## *CONCORDIA.*

**Q**Vi legere pecora, hoc dixere propter & agnum & hœdum qui immolari poterant, quod non discrepat ab aliis lectionibus: verbi משך masak significatio propria etsi non sit plene nota Hebræis, ex multis tamen scripturæ locis constat significare trahere, vt patet Deuter. 20. quæ non masechach, idest traxit iugum. vnde tralat hic refertur ad tractionem agni à grege, à quo non sponte separabatur, sed trahebatur ad sacrificandum.

## EXPOSITIO.

**V**ocauit Moyses. Ante decimum diem mensis hoc factũ fuit vt possent deinde decimo die agnum domum deducere prout mandatum fuit. *Omnes seniores Israel* quibus demandata erat cura populi, etiamsi aliis ætate iuniores essent, vocauit Moyses, quibus mandatum de sancto Paschate notum faceret, vt per hos reliquis innotesceret, *ite tollentes, è grege animal*, agnum vel hœdum, & *immolate Phase* illud animal vocat Phase, etenim cum in celebratione Paschatis, multa concurrant Paschatis nomine nunc tempus, nunc agnus, aliquando azyma, & sic de aliis sacra scriptura designat. consule quæ dicta sunt.

## CONCEPTVS.

### *Ab instabili sæculo ad fundatissimum regnum transire debemus.*

414. **V**ocauit Moyses omnes seniores populi, & dixit, ite tollentes animal & immolate Phase. Arias. *transitum.* Cur hic toties de Paschate fit mentio? cur toties transitus nominatur? quia transituri erant Israelitæ de Ægypto in terram promissionis, Ægyptus autẽ nonne designat hoc sæculum inconstans, sicut terra promissionis regnum cœ-

lmum? quid mirum igitur si toties transitus siue Phase nominatur? nobis enim innuitur veris Israelitis, quod ab instabili hoc sæculo ad fundatissimum regnum transire debemus. sic sanctus
S. August. Augustin. in expositione Euangelij secundum Ioannem. *In sua ergo lingua hoc est in Hebræa Pascha transitus dicitur, propterea quia tunc primum Pascha celebrauit populus Domini, quando ab Ægypto fugientes, rubrum mare transierunt, nunc ergo prophetica illa figura completa est in veritate, cum sicut ouis ad immolandum ducitur Christus, cuius sanguine linitis postibus nostris, id est cuius signo crucis frontibus nostris, à perditione huius sæculi tanquam à captiuitate, vel interemptione Ægyptia liberamur, & agimus saluberrimum transitum, cum à diabolo transimus ad Christum, & ab isto instabili sæculo ad eius fundatissimum regnum.*

*Per tribulationes transire debemus ad regnum cælorum.*

*Vocauit Moyses omnes seniores populi, & dixit ite*
415. *tollentes animal, & immolate Phase*, Septuag. *sacrificate Pascha*, Arias. *immolate transitum.* Cit. August. serm. 55. in Ioannem ait, Pascha dicitur Græce passio, quia enim pati Græce dicitur πάσχειν ideo Pascha passio putata est. Hebraice autem transitus dicitur, qui & Christi Domini & nostrum adumbrat. sed quomodo Christus Dominus de hoc infœlici sæculo ad patrem transiit? patiendo, sic enim Græce Pascha passio dicitur: quomodo ergo & nos de vita mortali ad vitam æternam, de vita terrena ad vitam cœlestem, de vita corruptibili ad incorruptionem, de tribulationum conuersatione, ad perpetuam securitatem transibimus? sane similes facti Christo Domino in tribulationibus & passione. sic enim ait Cit. Episcop. super Psal. 110. *Pascha He-*
S. August. *bræum verbum est & transitus interpretatur, per passionem enim Dominus transiuit de morte ad vitam, & fecit nobis viam credentibus in resurrectione, vt transeamus & nos de morte ad vitam.*

*Prælati futurum Pascha suis subditis annuntient vt digne illud celebrent.*

*Vocauit Moyses omnes seniores populi, & dixit ite*
416. *tollentes animal, & immolate Phase.* Vocauit autem ante decimum diem mensis, vt possent decimo die deducere agnum, domum: cur ante diem immolationis & agni Paschalis esum conuocantur, cum omnia festinanter peragenda essent? cur ante monentur? sane vt digne Pascha suum possent celebrare. ita & Prælati Ecclesiæ Pascha nostrum sanctissimum suis subditis annuntient, vt sicut oportet illud peragant; sic S. Ambros. cit. in
S. Amb. Dominica de ramis palmarum à Bartholomæo
Barthol. Vrbinate Episcopo in milleloquio. *Firmissime*
Vrbin. Epis. *credite fratres quia nostrum periculum est, si mysteria nostri Saluatoris vobis non annuntiamus, & vestrum periculum est si ea paruipendatis: monemus denique vt quantomagis solemnitas Paschalis appropinquat, tanto magis vos præparetis, mundantes vos ab omni inuidia, odio, ira, contentione, maledicto, ac detractione, vt digne illam diem celebrare possitis: dimittite illis qui peccauerunt in vos, vt vestra vobis Dominus dimittat peccata. quoniam qui vel contra vnum hominem odium, aut iram tenuerit, malo suo Pascha celebrabit, quia non manducauit cum Petro vitam, sed cum Iuda mortem in sancta communione.*

*Moritur Christus vt perpetuo viuamus.*

*Vocauit Moyses omnes seniores populi, & dixit ite tollentes animal & immolate Phase*, Septuag. *Pascha*. Episcopus Mediolanensis in tractatu de mysterio Paschæ, ait, Paschæ sacrum nomen ab ipsius passione Domini descendit, Pascha enim 417.
passio est Saluatoris. sicut S. Apostolus 1. Corint. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus, ad 1. Corin. 5.
hoc enim humanum corpus Christus accipiens, se in passionem Paschæ mysterio consecrauit. cui huic mysterio se consecrat? cur huiusmodi S. Ambros.
Pascha celebrat? respondet idem auctor cap. 4. cit. tractatus. *Saluatoris passio vitæ humanæ salus est, ad hoc enim pro nobis mori voluit, vt nos in eum credentes perpetuo viueremus, voluit pro tempore fieri quod nos sumus; vt nos æternitatis eius promissionem adepti, cum eodem perpetuo viueremus, hæc illa est cælestium mysteriorum gratia, hoc Paschæ donum.*

*Omnes Christiani verum Pascha digne celebrent.*

*Vocauit Moyses omnes seniores populi & dixit, ite tollentes animal per familias vestras & immolate Phase*, Septuag. *sacrificate Pascha.* Scio Bachiarium Episcop. ad Ianuarium, non multo post 418.
initium, dicentem, scimus quod sine sacerdote Pascha celebrari non poterat; verum hoc inde Bachiarius.
refellitur, quod in Ægypto primum Pascha celebrarunt absque sacerdotibus, qui postea creati sunt Leuit. 8. non igitur ad Pascha celebrandum sacerdos requirebatur: ratio est, quia cum hoc sacrificium fieri consueuerit per familias & do- Intellige de
mos, fieri moraliter non poterat, vt in singulis sacerdoti-
domibus singuli sacerdotes reperirentur, qui bus absolute.
agnum sacrificarent. ad laicos igitur & præcipue ad Patrem familias, hæc immolatio pertinebat vt Bellar. lib. 1. de Missa cap. 7. testatur, cum præiuit D. Isid. Pelus. lib. 3. Epist. 25. Paschæ tempore dicens omnes sacerdotij honore afficiebantur,
vnusquisque enim pecudem immolabat, quia Bellar.
sicut in loco huius sacrificij dispensabatur, non enim erat templum in quo fieri sacrificia præci- Pelus.
piebat, sed quælibet priuata domus, ita & dispensari potuit in sacrificante, vt & laicus esse posset: quo posito quod vnusquisque suum Pascha immolabat & celebrabat; an hoc in typũ Christianorum qui omnes verũ Pascha digne celebrare debeant? quidni? nullus enim ab eius celebratione eximitur, peccator enim Pascha faciet, si de peccato ad virtutẽ transeat, iustus autem de virtute in virtutẽ progressum faciẽs: religio esset nõ referre
verba Ambrosij in sermone ac ipsa die in mille S. amb.
loquio. *Pascha transitus ideo tali nomine vocata est ista festiuitas, quia in ipsa transierunt filij Israel de Ægypto, & in ipsa transiuit Filius Dei ex hoc mundo ad patrem, & quid vobis prodest qui Pascha celebratis si non imitamini quod colitis? hoc est si non transitis ab Ægypto id est à tenebris vitiorum, ad lucem virtutum, & à mundi huius amore ad desiderium cælestis patriæ. sunt enim multi Christiani qui gaudent in illa festiuitate, extollunt hanc solemnitatem, & tamen male & malo suo, quia non transeunt ex hoc mundo ad patrem, id est non transeunt à mundi cupiditate & carnali delectatione ad cœlestis patriæ amorem. ô miseri Christiani qui in Ægypto sunt, id est in potestate*

*diaboli & gaudent eis qui in malis suis; minime quippe fratres ut celebretis Pascha, idest transitum faciatis, quicumque mali hanc festiuitatem celebratis, transite de vitiis ad virtutes, quicumque vero boni transite de virtutibus ad virtutes, & ita nullus remaneat qui transitum non faciat.*

**_Senioribus Dei mandata communicanda ut ipsi aliis aperiant._**

419. *Vocauit Moyses omnes seniores filiorum, & dixit ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase.* Cur senioribus hæc dixit? nonne vnusquisque tenebatur in familia sua agnum vel hœdum immolare? omnibus ergo & non solum senioribus id præcipiat: seniores populi conuocat, vt mandata Dei exponat, his enim tanquam sapientioribus proponenda, vt aliis exponant. Sic Glossa ordi. *Nota quod non pueris, non iuuenibus* Gloss. ordin. *mandata Dei primo communicat, sed senioribus, quia in senibus est sapientia & in multo tempore prudentia.*

**_Seniores specimen obedientiæ aliis præstent._**

420. *Vocauit Moyses omnes seniores filiorum Israel.* Deinde mandata eis exposuit, de agno Paschali comedendo, & de cæremoniis in eius esu seruandis. cur primo obtemperaturi seliguntur ad iussa Dei capescenda? vt aliis iunioribus specimen obedientiæ quam Deo debent, exhiberent; certum est enim quod si maiores natu & reipublicæ primates facile iussis Dei obtemperauerint, minores natu ea libenti animo excipere. vnde recte Lippom. auctor Catenæ aureæ. *Discimus, inquit, ex hoc loco præcipuos adesse debere seniores solemnitatibus sacris, & specimen præbere obedientiæ & deuotionis ad Deum minoribus, Dei populo.*

**_Sanguine Eucharistico in vnum cōglutinamur._**

421. *Vocauit Moyses omnes seniores Israel, & dixit ite tollentes animal & immolate Phase.* Hic non repetuntur quæ à Deo sibi dicta fuerant, licet certum sit quod eis, quibus cæremoniis & quibus adiunctis edendum erat illud Phase immolatum, aperuerit, scilicet cum azymis, & quod abstinere deberēt ab omni fermēto. vnde ad illud respiciēs S. Paulus 1. Corint. ca. 5. ait expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. quid est hoc? idest sicut farinę puluis mista aqua in vnum coalescit, sic etiā qui mutuis odiis conflagrabatis, coeatis in vnum. sed dic nobis Paule quo glutino coniungendi sunt? etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, idest per sanguinem Christi, qui nobis in Eucharistia Angelicus doctor. relictus est. auctorem huius conceptus fas esset silentio obuoluere Angelicum Thomam opusc. de sacramento altaris, qui postquam dixit potu sanguinis Christi perfusa coniunguntur, conglutinantur & roborantur ad bona, in medium profert citatum locum Pauli & ait. *Vt sitis noua conspersio sicut & estis azymi, idest per baptismum à vitiis synceri facti, ita sitis aspersione sanguinis Christi, quasi pastu in noua vita & bona compacti.*

**_Agnus Eucharisticus vitia inueterata & quasi immedicabilia demit._**

422. *Vocauit Moyses omnes seniores Israel & dixit eis, ite tollentes animal et immolate Phase,* Septu. *sacrificate Pascha*, quodnam Paschæ Typum illud quod semel immolatum est in ara crucis, & quod indesinenter immolatur in altaribus nostris. sed quid dicit Paulus faciendum, vt digne illud immolemus, expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. sed Apostole quid præcipis? expurgare nos iubes fermentum, rem plane impossibilem iubes, sane fieri potest vt azyma vel fermentum accipiāt. cæterum qui fieri potest, vt panis semel fermentatus, fermentum deponat? hoc inquam fieri non potest. audi quid dicat Apostolus &c. etenim Pascha nostrū immolatus est Christus. quod de Eucharistia exponit S. Chrysost. hom. 15. in hanc Epist. ex qua expositione, præsentem nodum soluo; tanta est vis Eucharistiæ & Christi mysticè immolati, & mortui, vt non modo ea crimina deleat, quæ facilia videntur, & facile sordes eluunt, sed etiam illa peccata quæ quodammodo immedicabilia videntur, omnino abluat, & sordes quæ medullitus adhærent, abstergat. Eucharistia est quæ fermentum etiam cum totam massam compleuerit S. Chrysost. extrahit & panem azymum reddit. subnectamus verba Chrysost. *In hoc sensibili fermento azymum fermentum fieri potest, fermentum autem nunquam azymum, hic autem contra rursum fieri potest.*

**_Non solum peccata in Deum, sed etiam in teipsū, & in proximum debes abiicere, vt digne particeps fias agni Eucharistici._**

*Vocauit Moyses omnes seniores Israel & dixit eis, ite tollentes animal, & immolate Phase,* Sept. *sacrificate Pascha.* Quomodo à nobis immolandum? increuente, sic docet Paulus, expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio, etenim Paschā 423. nostrum immolatus est, deinde, itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ; nonne satis erat dixisse vt expurgaretur vetus fermentum? cur triplex numerat expellendum, nempe vetus fermentum, fermentum malitiæ, & fermentum nequitiæ? iuxta S. Thom. in opusc. de sacramento altaris fermentū vetus est superbia, quod vitium iamdiu inoleuit, postquam primi parentes astu serpentis superbierunt, hoc fermentum debet abiicere, qui ad Christum in Eucharistia venit: tum etiam fermentum malitiæ est peccatum, quod fit in proximos, hoc etiam abiicere debet, qui agni Eucharistici vult fieri particeps. tandem nequitia peccatum est, quod quis in se ipsum exercet. ergo si ad cœlestem mensam venire festinas, neque in Deū nec in proximos, nec in te ipsum pecces. hæc tria peccasse videntur illi, qui ad cœnam vocati venire renuerunt, nam ille qui villam emit, contra Angelicus doctor. proximum peccasse videtur per malitiam & ambitionem. qui iuga boum probare pergit, contra Deum, per superbiam, qui vxorem duxerat contra seipsum per luxuriam: audiamus loquentem Angelicum doctorem. *Epulemur non in fermento veteri, idest in corruptione superbiæ, quæ fit in Deum, neque in fermento malitiæ quæ fit in proximum, nec in fermento nequitiæ quæ fit in seipsum, sed in azymis synceritatis, idest synceritate à vitiis & veritate bonorum operum, vt scilicet studeamus esse in nouitate vitæ sine omni fraude, de fermento veteri.*



## VARIETAS LECT. Verſ. 22.

A *Vulg.* Faſciculumque hyſſopi tingite in ſanguine qui eſt in limine, & aſpergite ex eo ſuperliminare, & vtrumque poſtem, nullus veſtrum egrediatur oſtium domus ſuæ vſque mane.

*Sept.* Sumetis autem faſciculum hyſſopi, & tingentes de ſanguine qui eſt iuxta oſtium, tingetis limen, & ſuper ambos poſtes de ſanguine qui eſt iuxta oſtium: vos autem non exibitis vnuſquiſque oſtium domus ſuæ vſque mane.

*Cald.* Tingetis in ſanguine qui eſt in vaſe.

*Arias.* Tingetis in ſanguine qui eſt in vaſe, & pertingere facietis vſque ad ſuperliminare, & ad ambos poſtes, de ſanguine qui eſt in vaſe.

*Arias.* Tingetis in ſanguine qui in pelui.

*Auguſt. Eugub.* tingetis in ſanguine qui eſt in catino.

*Aliqui Rabbini.* Tingetis in ſanguine in malunio.

*Lyranus.* In ſanguine qui eſt in bacino.

## CONCORDIA.

EVgubinus qua ſolet fronte, tam noſtrum interpretem, quam Septuag. manifeſti erroris arguit. ſic autem habet, hoc quomodo eſſet verum (nempe quod habet vulgatus in limine) iam enim ſanguis in limine non erat. præterea is ſanguis quomodo de ſanguine ſumptus eſt? manifeſte igitur hic locus corruptus eſt temporum iniuria, non auctoris vitio. itaque Hebraice ſic legitur אשר בסף aſer beſaph qui in pelui vel catino, quamquam id erratum inuenitur etiam apud Septua. ἀπὸ τοῦ αἵματος ἐστὶ παρὰ τὴν θύραν tollite de ſanguine qui eſt iuxta fores. atque hos fortaſſe ſecutus eſt Hierony. hæc Eugubinus. at quid ita reprehendit? an quia vox id non ſignificet? at contrarium certum eſt, nec aliter quam pro li- B mine capi poteſt. Ezech. 40. verſ. 7. Iud. 19. verſ. 27. teſte etiam Pagnino, imo contendit Oleaſt. hic, vbicumque ea vox reperitur, vertẽdum eſſe limen. an quia inconcinne ſic vertatur? at ſanguis pelui exceptus ſtatim ad limẽ erat deferẽdus, quo mox poſtes erant aſpergendi. quid obſecro in hac verſione inconcinnum? vel quod ex ea abſurdum colligi poteſt? nec vetat illud qui eſt in limine ſic explicari, vt ſit idem quod qui delatus ſit ad limen. alij ergo verterunt enucleantes inſtrumentum, in quo ſanguis continebatur, quo intingendum eſt ſuperliminare. tandem certum eſt סף ſaph ſignificare omne vas domeſticũ, ſiue paruum, ſiue magnum, & etiam limen. deducitur autem à radice סוף ſaph quod eſt finire.

Eugubinus.

## EXPOSITIO.

F*aſciculum hyſſopi tingite in ſanguine.* Explicant hæc verba plenius ritum quo poſtes & ſuperliminaria ſanguine iungi debebant, nempe non digito aut baxillo, ſed hyſſopi ramulis inter ſe in faſciculum colligatis, aut naturaliter concretis. pro hyſopo autem eſt in Hebræo אזוב ezob, quæ vox etiam noſtram vocem ſane refert, ex quo etiam probatur noſtra verſio. præterquã quod noſter interpres & Septuaginta vbique ſic eam vocem vertunt, quam etiam verſionem Paulus ſequitur ad Hebræos 9. verſ. 19. nec vero ignorare potuerunt vel Paulus vel Septuag. cuiuſmodi & è qua materia eſſet aſpergillum illud, quo ſuo etiam tempore vtebantur ſacerdotes aſperſionibus pro quo Septuag. & hyſopum: in D Hebræo eſt אזוב ezob Leuit. 14. Num. 17. Pſal. 50.

*Qui eſt in limine.* Occidebatur enim forte agnus iuxta limen oſtij, ex cuius ſanguine fuſo tingebatur ſuperliminare cum poſtibus. vel iugu- C latio agni fiebat in pelui, in qua ſanguis recipiebatur, & quæ ad limen deferebatur. peluim ferunt Hebræi argenteam, & ſanguinem quiupereſſet igni comburi, ſicut & alias agni reliquias, non vero in inteſtinis repoſitum & coctum comedi. *& aſpergite ex eo ſuperliminare & vtrumque poſtem* Septuag. tingite, ſed idem apud omnes ſenſus.

*Nullus veſtrum egrediatur domus oſtium vſque mane.* Nec contra præceptum Moyſis fecerunt, cum antequam illuceſceret in iter ſe dederint, nã non alia fuit mens Moyſis, quam nec domo excederent, donec peracta eſſet cædes primogenitorum, & ab Ægyptus exire compellerẽtur. quod quo noctis tempore futurum eſſet, forte Moyſes neſciebat. addo etiam tempus omne quod eſt ſub auroram, paulo ante & poſt comprehendi ſub mane, imo ſubinde mane ita ample capi, vt totum tempus comprehendat, quod mediam noctem ſequitur, inclinante ſcilicet ad ortum ſole.

## CONCEPTVS.

*Ab huius vitæ egreſſu, & futuræ ingreſſu claret nobilitas hominis & gloria.*

424. F*aſciculum hyſopi tingite in ſanguine, qui eſt in limine.* Septuag. ſumetis faſciculum hyſopi, & tingetis ex ſanguine qui eſt iuxta oſtium. S. Auguſtinus quæſt. 46. in Exod. non paruam mouet quæſtionem, cur iubetur ſpeciatim hyſopus tingi in ſanguine, qui eſt iuxta oſtium, ſiue in limine portæ? ſolus enim agniculus

occidebatur, cuius sanguis seruabatur ad A protectionis & immunitatis insigne, nec inter cæremonias agni occidendi iussum fuit, quod sanguis poneretur iuxta ostium in portæ limine ante unctiuram, sed solum sanguis agni petitur: cur ergo non placuit solum dicere, tingetis ex sanguine agni, sed notanter adiecit ex sanguine qui est iuxta ostium? credunt aliqui ibi nos doceri à Deo, in quo sanguine debeant fideles gloriari, & dicerent; nimirum in sanguine, qui est iuxta

Tertul. ostium, hoc est in præstantia quæ appareat in vitæ exitu, in futuri sæculi ingressu, vnde monebat Tertul. lib. aduersus Gnosticos. *Sicut nec vlla in morte aut quæstionem in limine Christianis occursurum qui non dignoscet habent sed agnoscet*, illa est Christianorum nobilitas & præstantia vera, quæ in mortis portis, in regni ingressu, non debeat inquiri, sed debeat agnosci, has portas expectet, qui velit manifeste ostendere, qualem præstantiam B præ cæteris habuerit.

425 *Quod rationis compos offertur, maiorem habet vim sanctificandi.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, nullus tamen vestrum egrediatur ostium domus.* Posset equidem Deus absolute Israelitas

1. ad Timot. 2. etiam à domibus exeuntes saluare & liberare ab exterminatore, tamen totus agni immaculati sanguinis effectus protegebat manentes intra domum, sed quid nos moneat Paulus 1. ad Timoth. 2. attendamus, in omni loco inquit leuantes puras manus, sine ira: apud Israelitas in sola propria domo, licebat sperare immunem & liberum euadere ab exterminatore, per agni immolatio- C nem: cur autem Paulus iubet vt in omni loco speremus & petamus per Iesum? nonne verus agnus rationis particeps & diuinitatis in sacrificium Deo Patri oblatus fuerat? quid mirum igitur si apud Israelitas solum speratur domi inclu-

S. Chrysost. sos, apud Christianos autem in omni loco? quia hostia quæ rationis compos longe maiorem efficaciam & virtutem habet, tum ad saluandum tum ad sacrificandum: hoc volut S. Chrysost. in hom. de cruce & latrone circa principium. *Iudæis ideo iussit omnem terram Deus dimittere & vno in loco sacrificium celebrare, quia tum omnis terra immunda fuit fumo & odore, & alia contaminatione polluta, quæ ex sacrificijs gentium super ipsam celebrabantur: nobis autem quoniam Christus adueniens omnem terram emundauit, omnis locus orationis vacat, ideo Paulus cum omni confidentia exhortatur dicens, volo ergo orare vos in omni loco leuantes* D *manus sanctas: ecce totus mundus mundatus est, elementa purgata sunt, vt vbique nobis liceat Deum prædicare & omnis terra sanctior illo loco est, qui illo in tempore prædicabatur sancta sanctorum, nam ibi pecus irrationale oblatum, hic spiritale immolatum est, tanto maius sacrificium fit, quanto & sanctitas de sacramento profertur*, preme hæc verba; *ibi pecus irrationale oblatum hic spiritale immolatum est*, cum offertur irrationale pecus, ideo minor efficacia ad saluandum, ad certum & determinatum restringitur locum, vbi autem spiritale & rationis compos ibi maxima virtus ad saluandum ad sanctificandum in omni loco.

A *Non modo abiiciendum peccatum, sed omnino illud exterminemus vt digne agnus comedatur Eucharisticus.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine.* In sanguine quidem agni qui deinde comedendus in azymis, ad quod alludens Paulus 426 ait, expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio, sicut & estis azymi. Richard. Victorinus in declarationibus ad Bernardum, iure quærit, quanam ratione vera sint, quæ infert hoc loco Paulus, nam si erant azymi Corinthij, vt indicant illa verba, sicut estis azymi, quid est quod dicit expurgate vetus fermentum? nam azymi dicuntur panes sine fermento, qui ergo azymi erant, fermentum non habebant, qua ergo ratione iubentur fermentum deponere? absque dubio respondisse videtur Paulus verbis quæ præmiserat, B nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpat: ac si dicat non satis est ex parte fermentum abiecisse, sed necesse est illud omnino exterminare, vt nihil omnino remaneat: ergo quamquam abieceritis fermentum, omnino illud expurgate; nam si vel modicum remaneat, totam tamen massam acidam reddere solet. igitur non modo abiiciamus peccata, sed omnino illa exterminemus, vt neque vestigium illorum remaneat, vt ad culmen pietatis conscendamus, neque patiamur in loco humili residere, sed ad fastigium vsque perfectionis conscendamus: quod quidem præcipue dictum est ad illos qui ad Eucharistiam accedunt, vnde subdit, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus; hoc dixerim ex Richardo loco cit. verba dono. *Quid mirum si eos qui iam azymi ex parte erant, ex parte non erant, & mediante noua conspersione ex toto azymi fieri volebant, quid mirum si eos ad azyma comedendum inuitabat?* subinde Richardus eiusdem nodi solutionem deducit ex verbis quæ subdit Paulus, nempe etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, id est si ad perfectionem contenditis & non modo intenditis fermentum abiicere sed omnino azymi esse vultis vt nihil vitæ pristinæ in vobis reliquum sit & ad Eucharistiam contendite & tantã accipietis vim & efficaciam vt facile ad virtutis fastigium peruenire possitis: vnde subdit Richardus: *Principaliter autem eos inuitat ad esum agni sine cuius gratia perseuerare non poterant, in eo quod iam erant azymi, erant enim noua conspersio, atque ex eo azymi fieri poterant.*

Richard. Victor.

*In puritate & sanctitate agnum Eucharisticum imitemur vt digne illum sumamus.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine.* In sanguine quidem agni iugulati, qui iuxta 427 Dei præceptum cum azymis edendum & nullum fermentum non solum comedendum, sed nec in habitaculis tenendum: ad quod etiam alludens Apostolus ait, expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. vim huius rationis non satis teneo, expurgate vetus fermentum, id est omnem simulationem, dolum, & omnia crimina quæ quidem nomine fermenti hic significantur, & satagite effici noua conspersio & massa, sine vlla corruptione & macula peccati; & subdit causam etenim Pascha nostrũ immola-

tus est Christus, idest etenim Christus se nobis manducandum obtulit, & sub speciebus panis azymi delitescit: huius argumentationis aculeum hoc ratione exacuit cit. Richardus, si Christus D. immaculatum se obtulit nobis in cibum, quod vt significaret, panem azymum in sacramento adhibuit, eadem vos illi referte, & in vobis ipsis expurgate fermentum peccatorum, vt omnino azymi facti, cibum dignum Deo offeratis, qui non fermentato vescitur, idest peccatis maculato, sed azymis sinceritatis & veritatis, in quem sensum

Prouerb. adducit illud Prouerb. quando sederis ad mensam potentis, diligens attende quæ apponuntur tibi, sciens quia talia te oportet præparare, quod ad Eucharistiam præcipue referendum est, idest, si ad Eucharistiam accesseris, & immaculatum cibum ceperis sub speciebus etiam panis azymi & incontaminati; attende te talia debere præparare Christo, qui te inuitauit, idest memineris te debere omnem maculam exuere, & omne fermentum abiicere, nec non puritatem & sanctitatem illius imitari; nam sicut ille qui ad Eucharistiam venit, corporaliter Christo vescitur, ita spiritualiter Christus manducat accedentem ad Eucharistiam, & in seipsum conuertit, sic autem ait Richardus. *Nunc ergo illud attende obsecro quam sit consequens, quam conueniens, vt qui de seipso tibi fecit cibum tuum, tu illi facias de te ipso cibum suũ, ad mensam diuitis sedisti, attende quæ tibi apposita sunt, & vide quia oportet te talia præparare, vult Apostolus nos fieri noua conspersio & de conspersione panis absque fermento & nequitia, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, efficiamur itaque noua conspersio, vt veniat Christus in nobis, vnde possint sibi epulas v jes.*

*Non solum ore corporis sed, etiam ore mentis, imo humillime sumendus est agnus Eucharisticus.*

428 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo super liminare & vtrumque postem.* Cur fasciculo hysopi tingi debent postes potius quam fasciculo alicuius arboris excelsæ, vel saltem alterius herbæ proceræ? Dungalus in responsione aduersus Claudij Taurin. sent. tom. 2. 4. p. sic ait, hysopus herba humilis & etiam in hysopo vis purgatoria, ne instante scientia de diuitiis ab Ægypto ablatis superbe aliquid pulmo tumidus anhelet: hæc ille. hysopum ergo sume, cum sanguis agni super vtrumque postem ponendus est, idest teste S. Greg. Mag. quando non solum ore corporis sed etiam ore mentis sumendus est, quia maxima cum animi demissione & abiecta omni vana gloria, recipiendus, sic S.

S.Thom. Thomas opusc. de sacramento altaris ex mente Gregorii. *Panem sine fermento comedit,* (loquitur de Eucharistia,) *qui recta opera sine corruptione inanis gloriæ facit.*

*Cum afflictione ex peccatis sumendus est agnus Eucharisticus.*

428 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine.* Sanguis agni inquit S. Elias Abbas de operibus hominis noui. c. 22. significat sanguinem Domini Iesu, qui factus homo venit ad nos, vt filios Israel duceret ad promissam cœli hereditatem, apparent qui instructi sunt, & signum in anima sua perspicue habent, sed cur fasciculo hyssopi tingendi sunt postes animæ nostræ cum sanguine agni eam illinimus? ait cit. Abbas. Elias Abbas.

*Hyssopi fasciculus indicat afflictionem,* en vt cum afflictione & dolore ex peccatorum commissione agnum Eucharisticum sumere debemus?

*Sanguis Christi Eucharisticus interius nos mundat.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine.* Totus sanguis agni cum iugulabatur, separabatur à carnibus, & recipiebatur in peluí, vel cratere, non quidem ad illum bibendum, sed vt in eo tingeretur fasciculus hyssopi, ad liniendum postes domus, carnes vero comedebantur assæ igni. sed si huiusmodi agnus typus est illius immaculati, cuius sanguis effusus est in limine vitę super aram crucis, cur hic bibitur, ille vero minime? in hoc sicut & in pluribus aliis vterque sanguis differt, quia licet agnus immaculatus cum immolatus est in cruce, totum suum profuderit sanguinem, ita ut à corpore maneret separatus, in cuius memoriam corpus sub accidentibus vini continetur ex vi consecrationis, tamen exceptus in calice non est ad liniendum exteriores postes domus, quia iam cessarunt ceremoniæ illæ externę, & inania sunt sacramenta legis antiquę, sed ad bibendum illum vt intra nos sit, intus mundet, animam sanctificet, & eius sitim expleat: bibendus est tamen cum fasciculo hyssopi tincto in ipso, idest colligendo per meditationem, omnes amaritudines, quas Saluator noster perpessus est, dum sanguinem suum fudit, vel in horto, vel in prætorio Pilati, vel in cruce illiusque memoria liniendo cunctas animæ vires & intentiones, vt Christo crucifixo sint conformes, sic autem ait S. Chrysost. hom. 45. in Ioan. *Hic sanguis in figura peccata purgabat, hic sanguis animarum nostrarum salus est, hoc lauatur anima.* 429

S. Chrysost.

*Eucharistia superans alia sacramenta, vas enim est reipsa continens verum sanguinem Christi.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine,* Cald. *Tingite in sanguine qui est in vase.* Ex eo quod sanguis agni sit in vase, vasque illum contineat, aliquid ne colligere possumus, denotans excellentiam Eucharistiæ super alia sacramenta? ita sane, quia licet alia sacramẽta nouæ legis habeãt virtutẽ ex sanguine Christi, qui in diuina acceptatione seu decreto, quasi in quodã sacro vase ad omnium hominum salutem exceptus est, tamen baptismus cũ reliquis sacramentis veluti fasciculus hyssopi sanguine tinctus, quo anima lauatur, mundatur, vngitur, & roboratur per gratiam, quæ & infunditur iuxta illud Psal. 50. asperges me Domine hyssopo & mundabor, lauabis me & super niuem dealbabor; at Eucharistia est vas reipsa continens Christi verum sanguinem, qui bibitur, & veram carnem quę comeditur, & intra nos traiicitur, vt sua reali pręsentia nos mundet, sanctificet, & perficiat. hanc veritatem depromamus ex calamo S. Cęsarij Arelatens. hom. 430

Psal. 50.

ꝫ. de Paschate. *Unica & perfecta hostia fide existimanda non specie, nec exteriore censenda visu, sed interiori aspectu: vnde merito cœlestis confirmat auctoritas, quia caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus: recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui est auctor muneris, ipse etiã est testis veritatis, nam inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui secreta potestate conuertit, ita dicens accipite & edite hoc est corpus meum, & sanctificatione repetita, accipite & bibite hic est sanguis meus, ergo ad nutum præcipientis Domini, repente ex nihilo subsisterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum pari potentia in spiritualibus sacramentis verbi præcipit virtus & rei seruit effectus, quanta itaque celebranda beneficia vis diuinæ benedictionis operetur? quomodo tibi nouum & impossibile esse non debeat, quod in Christi substantiam terrena & mortalia commutantur?*

## *Omnia quæ Christus pertulit, nobis applicanda sunt, vt digne Pascha celebremus.*

B

431 *Fasciculũ hyssopi tingite in sanguine qui est in limine.* Idest in cratere, vbi exceptus est, qui erat in ipso limine domus, quid? hyssopus ne necessarius est intinctus sanguine agni vt vngantur postes & superliminare? an mysterio vacat, cur potius sumatur hæc herba quam quælibet alia? hyssopus sane herba est humilis, modica, & amara, cuius fasciculus tinctus in sanguine agni occisi & immolati, à populo (qui figura erat Christi Domini) repręsentat vniuersa, quæ pro nobis in passione sua pertulit, quæ in vnum fasciculum collecta applicanda sunt nobis, vt per ea liniantur, signentur, & mundentur superliminare & duo postes animæ, idest frontes, labia, & pectora, seu intentiones, verba, & opera, vt à Diabolo exterminatore liberemur & digne festis Paschalibus adsimus. vnde sic rectè Lippom. *Fasciculus hyssopi humilitatem & amaritudinem non absque iusta causa naturali significat, qua tingenda sunt solemnijs Paschalibus.* Lippom.

## *Frons crucis titulo depingitur, ne à percutiente Angelo lædamur.*

432 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare & postes domus.* Cur aspergendum est superliminare? cur tingendi sunt postes? vt cum transierit Dominus vel Angelus eius immunes sint primogeniti Hebręorum à clade; videns enim domos eorum tinctas sanguine, alio transibit, sed quid domus nostrę nisi corpora nostra? quid superliminaria nisi frontes eorum? quæ sane si muniantur titulo sanctissimæ crucis, causa non suberit, cur Angelus percutiens timeatur, quisquis es quitale signũ tuleris, saluus & incolumis euades. sic testatur S. Arelatens. Episcop. hom. 6. *Hodie deluto ac paleis populus Dei, idest de vilissimis & manifestis operibus liberatur, hodie agnus ille qui tollit peccata mundi in redemptionem humanæ salutis offertur, quando postes domorum sanguine illius iubentur inscribi, idest crucis titulo mens nostra depingi, ne locum Angelus exterminator inueniat.* S. Episcop. Arelat.

## *Omnibus sanguis Christi exponitur, vt si velimus liberemur.*

433 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & duos postes*, Sept. *tingetis.* Ecce sanguis agni in superliminari & in postibus positus patens erat Angelo, ne percuteret eos qui in ædibus erant huiusmodi sanguine tinctis: an idem de sanguine agni immaculati possumus asserere? imo quid excellentius & verius si considerare velimus, Rupert. Abb lib. 2. c. 16. *Cæterum de sanguine veri agni Christi filii Dei, certum est quia non in absconditis, vel intus reponitur; sed omni mundo palam expositus, vt quicumque domum suam signare velit vt liberetur de manu percussoris Diaboli cito inueniat, cito & velociter illi salus occurrat, dummodo sic faciat, tollat fasciculum hyssopi & intingat in sanguine, idest retentis symbolum spem totam constituens in sola salutifera Christi passione, & inde tres notulas faciat in vtroque poste & in superliminari, baptizatus videlicet in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Rupert. Abbas.

## *Ex meditatione passionis Christi tumor superbiæ deponitur.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine.* Cur hyssopus tingendus est in sanguine, vt cuiuslibet domus Hebræi eo liniatur? nonne digito potuit inungi vel saltem quodam penicillo? aduerte hyssopum humilem herbam idoneam esse ad deprimendum pulmonis tumorem: quo posito dicemus non sine mysterio hyssopum intingi in sanguine agni, sed vt nobis denotetur, quod humili meditatione sanguinem Christi pro nobis effusum considerare debemus, sicque omnem prorsus tumorem superbiæ deponemus, ita sentit eit. Rupert. *Hyssopus herba humilis est, nascitur que in petrosis locis, & deponit tumorem pulmonis, significat vero fidem & humilitatem passionis Christi, per quam superbiæ tumor deponitur, quo primus homo correptus contra suum creatorem intumuit, quod sperans Psalmista dicebat, asperges me Domine hyssopo & mundabor, lauabis me & super niuem dealbabor.* 435 Cit Rupert.

C

## *Semper intra claustra Ecclesiæ Catholicæ maneamus, ni perire velimus.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni, & nullus egrediatur ostium domus suæ vsque mane.* Nonne satis est habere domos aspersas sanguine agni, ne Angelus percussor quemquam ex Hebræis percutiat? quid adhuc necesse est vt vnusquisque ex eis maneat inclusus vsque ad tempus matutinum? domus Israelitarum Ecclesia nostra est, quam si ad finem vitæ quis egrediatur, delusus erroribus falsę doctrinæ, sane percussus ab Angelo exterminatore misere peribit, auctore do Abbate Tuicensem. *Hoc vobis vigilantissime obseruandum est, vt vsque mane, idest vsque ad finem huius nostræ nocturnæ vitæ, intra Ecclesiæ Catholicæ claustra maneamus, neque per hæreses vel schismata tumultuando foras erupisse quis inueniatur, nam quisquis foris fuerit inuentus, reputabitur Ægyptius, & cum Ægyptiis pariter pertranseuntis Domini flagello percutietur.* 436 Abbas Tuic.

D

## *Dum Pascha celebramus ne mente vagi discurramus.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni, &c. & nullus egrediatur ostium domus suæ vsque mane.* Cur dum celebratur esus agni Paschalis, cur, postquã iam eius sanguine vncti manent postes ædium II- 437

Israelitarũ, præcipitur vt nullus egrediatur ne quidem domus ostium? quid periculi inest si limen domus pertranseat, vt quid fiat attente cõspiciat? merito id præcipitur, dum enim Pascha celebramus, cum sanguine agni immaculati linimur, nequaquam extra nos exire debemus, nec mente vagari, mens est Anselm. Laudunensis. *Intra claustramentis debemus conuersari, dum Pascha celebramus ne cum Dina vagemur & cum Diabolo fornicemur.*

Anselm. Laudun.

## *Ne te malis immisceas, cum eos Deus castigat.*

437 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni, &c. nullus egrediatur ostiũ domus suæ vsque mane.* Nõne discernere poterit Angelus exterminator, an sit Hebræus vel Ægyptius, cum Hebræus signo circumcisionis ab aliis sit distinctus? licet ergo percutiatur tunc Ægyptius quid periculi incurrere poterit Hebræus, præcipue cum Angelus mandatum à Deo acceperit mortem Hebræis non inferre, sed solis Ægyptiis? cum Deus id iusserit sane non sine causa, sed forte vt sciremus, quod malis non debemus immisceri, cum à Deo finaliter puniuntur, ita sentit Oleast. *Periculosum valde est malis se immiscere, eo tempore quo Deus eorum delicta castigat.*

Oleast.

## *Deus suos vult à terrore liberos esse.*

438 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni, &c. nullus egrediatur ostium domus vsque mane.* Quare id iussum fuerit, non mihi videtur ratio probabilis, quam in medium aliqui adducunt, nempe quod Deus iusserit Angelo, vt quemcunque primogenitum siue Ægyptium, siue Hebræum reperiret in via eum occideret: cur igitur ita mandatum est? cur Israelitæ, dum percutitur Ægyptius, manent in ædibus inclusi? respondet Episcopus Abulensis. *Quia forte apparebant illa nocte terribiles visiones, ambulante per vicos Angelo exterminatore, & Iudæi territi fuissent si talia vidissent*, en vt Deus suos à nimio terrore vult esse liberos!

Abulens.

## *In corpore vere puro recipiendus est sanguis Christi Eucharisticus.*

439 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni, qui est in limine.* Cald. *qui est in vase.* Ponebatur ergo sanguis in aliquo vase quod deferebatur iuxta limen ostii domus, & hyssopus eo intingebatur, & aspergebantur eo postes & superliminaria domorum: sed quo in vase recipiebatur huiusmodi sanguis? an luteo, æreo, vel ferreo? nam quodlibet ex his maxime idoneum est ad recipiendum sanguinem, & illum in aliquem locum deferendum: quid dicat noster Lyranus attendamus, est vas argenteum, in quo recipitur sanguis agni immolati: quid ergo si in vase non testaceo, non ferreo, sed in vase ex metallo pretiosissimo, & purissimo recipitur, an in corpore terreum, ferrum, vel æs sapiente, sanguinem Christi recipies? nequaquam dignius vas requirit, vas argenteum imo aureum, nempe corpus purissimum, vnde recte S. Chrys. relatus à S. Thom. ad c. 22. Luc. sic ait *hic sanguis effusus lauit orbem, & adibile fecit cœlum, huius participes sanguinis sunt supernis virtutibus amicti regio pallio, magis autem ipso Rege induti, & sicut si mundus accesseris, salubriter accessisti, sic si imbutus conscientia praua damnose accedis in pœnam & supplicium: nam si quis imperatoriam coinquinant purpurã, pari pœna plectuntur cum his qui diuellunt: absurdum non est vt & qui obscœna mente corpus Christi recipiunt pari pœna plectantur cum his qui illum clauis confoderunt.*

S. Chrysost.

## *Etiam antiqui Patres petunt aspergi sanguine Christi vt liberentur à morte.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni.* Quæso consulamus Regem Prophetam Psal. 50 sic Deum pulsantem, asperges me Domine inquit hyssopo, & mundabor, qua quæso hyssopo aspergi deprecaris? scio multiplicis vsus deseruisse hyssopum in veteri testamento: nam num. 19. iubebãtur expiationis aqua, cui vaccæ cineres admiscebantur, qui polluti erant contactu cadaueris defũcti adhibito aspergillo, ex cedro, cocco & hyssopo colligato conspergi, vt à pollutione purgarentur: hyssopi aspergillo mactati passeris sanguine intincto is aspergebatur, qui lepra mundandus erat: vtramque hanc omittimus sed ad tertiam veniamus, cuius hic fit mẽtio, an ea aspergi petebat? non ea sed quæ per eam figurabatur, intincta in sanguine agni immaculati, vt à morte liberaretur propter adulterium & homicidium commissum: subscribit Fridericus Fornerus Episcop. Hebronens. in Psal. miserere. *Moyses populo mandabat vt qui ab Angelo percutiente immunes esse desiderabant sumpto aspergillo ex hyssopi ramusculis compacto, super liminaria, domorum aspergerent sanguinem agni Paschales, quoniam igitur Dauidi timendum erat, ne adulterinæ prole sua, immatura morte intercepta, & ipse quoque diuinæ vindictæ manũ expertus cogeretur immaculati agni sanguine aspergi postulat & emendari.* 440

Psal. 50. Fornerus Episcop.

## *Messias desideratus à sanctis Patribus, quo à suis purgarentur delictis.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni.* Hyssopum petentem intueor Prophetam Regium, qua aspergatur, & lauetur, & super niuem dealbetur, quænam hyssopus antiquæ legis tantæ efficaciæ & virtutis vt homines coinquinatos lauare & dealbare valeret, super niuem? nullam aliam agnosco, quam ergo postulas? Messiam sane futurum quo omnia hominum delicta mundari deberent sancit cit. Episc. *Hyssopus quam expeto, est Messias meus mundi Saluator vt perfusione humilis ac patiens in conuersatione odoratur, in doctrina, abstersiuus in amore, feruenter calidus, in passione purgatiuus ineffabilis efficaciæ in opere redemptionis, similis erat cruentato aspergillo per vulnera affixus cedro sublimis patibuli, quando operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, ligatus funibus purpureæ charitatis, asperges me Domine hyssopo & mundabor.* 441

Cit. Episc.

## *Humilitas in Christo radicata, superbiam deprimit.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni.* Cur tingendus in sanguine, qui erat in vase, vt virtutem habeat repellendi percussorem Angelum? nã nonne satis erat quod tingeretur in sanguine agni cum immolabatur, non vero cum iam fusus erat sanguis in vase? hyssopus inquit S. Bernard. ser. 45. in Cant. humilis herba, humilitatem significat, quid aliud habet hyssopus? ait Durand. lib. 1. de ratione Diui. offic. c. 7. hæc herba naturaliter crescit in petra, petra autem est Christus: valet 442

S. Bernard. Durand.

etiam ad tumorem, eo cur hæc hyssopus in vase quod est profundum tingitur, humilitas enim debet esse profunda idest in Christo radicata vt superbiam deprimat: sic expresse Innocentius in expositione vers. asperges me Domine. *Est hyssopus herba humilis sed medicinalis, quæ vbi extra hortum per se crescit, figit radices in petra, & valet ad purgandum pulmonem, & signifi. ai humilitatem quæ figit in humili Christi radicem, purgatque inflationem id est tumorem mentis depellit.*

Innocent. tertius.

*Sanguis Christi saluat fideles, perdit incredulos.*

443 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare & super ambos postes.* Ad quid huiusmodi sanguinis aspersio, vt eo viso parcat Israelitis, & primogenitos Ægyptiorum morte percutiat exterminator Angelus? an idem sanguis vni propitius, alteri nociuus? quomodo ergo potest esse typus sãguinis agni immaculati qui pro omnium salute effusus est? quia etiã Christi sanguis veros Israelitas saluat, incredulos autem perdit, non ex natura sua sed ex praua eorũ dispositione: sic enim hoc prædicat Basil. Mag. hom. 15. in Psal. 61. *Non est sanguis Christi deterior igne Babylonico illo, scit in camino sanctorum honorare corpora, & Caldæos cõburere, quanto magis sanguis ille pretiosissimus scit perdere incredulos & saluare fideles? decuit enim splendorem crucis excæcare gentiles & illuminare credentes, pretium hominis est sanguis Christi hoc pretio empti estis, nolite fieri serui hominum.*

S. Basil.

*Christi passio ipsi amara, nobis autem medicinalis.*

444 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine.* Per hyssopum inquit Gauffredus Boussardus Cancellarius Parisiensis in expositione Psal. 50. passio Christi merito designatur: sed quid commune inter vtrumque, vt passio Saluatoris ea denotetur? hyssopus enim herba vilissima & abiectissima, quid autem sublimius & excellentius passione Redemptoris? nonne ex Innocentio superius diximus, quod herba est hyssopus humilis & medicinalis, nec non amara? per eam ergo merito designatur passio Christi Domini. *Quia sicut hyssopus*, (ait cit. Cancellarius,) *herba humilis est & amara, sed medicinalis, sic Christi passio fuit ipsi dura, nimis acerba & amara, atque in ea maxima humilitas apparuit, insuper & contra omnem lepram & infirmitatem spiritualem Christi passio medelam attulit.*

Gauffred.

*Humilitas, perinde ac hyssopus duritiem lapidis, Dei iram emollit.*

445 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine.* Sane hyssopus licet multiplici vsui in veteri lege deseruiebat, tamen non ex vi sua, nam virtus non erat ei ad abluendas maximas animæ maculas, vt homicidium, & adulterium, sed illa aliquod latens sacramentum tegebatur, quod detegendum est, nobis enim conuenit spirituales sensus qui intra litteræ corticem includuntur, eruere, quia littera vt inquit D. Paulus 2. Corint. 3. occidit, spiritus autem viuificat: Iudæi siquidem Moysen tanquam paruulum in fiscella scirpea concluserunt, dum spirituales & cœlestes illius sensus ad litteræ infirmitatem pueriliter reduxerunt, sed hunc Pharaonis filia, è fiscella exclusit, & regio sublimauit honore, quia & Ecclesia ex gentibus sumpta, Moysi legem honorat, multos illi sensus spirituales tribuens, quam Iudæi iuxta solum litteræ corticem crediderũt, & hoc est quod Isaias Propheta prędixerat c. 5. deserta in vbertatem versa aduenæ comederunt: nam legis Moysis & Prophetarum dicta deserta apud Iudeos fuerunt, qui iuxta mysticum intellectum ea diligendo excolere noluerunt, & ideo de eis nullum fructum exceperunt: nobis autem in vbertatem versa sunt, quia fructum in cortice sub foliisque latentem inquirimus, & iam aduenæ comedimus, quæ ciues legis gustare noluerunt: quid ergo in illa hyssopo adumbratur in sensu spirituali? sic habet glossa ordin. hyssopus herba humilis nascens in petris, purgans pulmonem: sed circumloquamur, est herbula quædam exigua ad purgandum pectus, & à pulmone tumorem expellendum maxime conducibilis, cuius radices durissimos etiam lapides in quibus nascitur, penetrant: quæ omnia humilitati maxime conueniunt vt vidimus. in primis enim vere humilis paruulus est in oculis suis, adeo vt sicut dicit Bernardus non velit apparere humilis sed vilis, quamobrem 2. Reg. c. 6. Dauid dixit humiliabo me, & vilior fiam in conspectu Domini. procedit enim humilitas secundum Augustinum ex intuitu propriæ conditionis & sui conditoris in cuius celsitudinis conspectu, & consideratione ipsa humanę naturę vilitas magis apparet. deinde humilitas hyssopo in eo adumbratur, quod quemadmodum herba illa inflationes pectoris & pulmonis purgat, sic etiam humilitas tumorem superbiæ, (quæ maximus morbus est animi) ab eodem expellit: nec non etiam ei humilitas assimilatur, quod quemadmodum ipsa petrę adnascitur & eiusdem radices ipsius petræ duritiem penetrant, & quodammodo infringunt: sic humilitas petræ de qua dicitur 1. Cor. 10. petra autem erat Christus, adnascitur, & adhæret: & sicut herba ex terra in qua nascitur, vigorem & vires accipit, quibus in altum crescit, sic humilitas etiam à Christo Domino tanquam ab eiusdem fonte & origine procedit, tum ipsius imitatione, tum vel maxime diuini eius spiritus communicatione incrementum recipit: sed vltra hanc rationem quomodo humilitas sicut & hyssopus, durissimos penetrabit lapides? sane cum Dei iram emollit, & quodammodo infringit, quia sicut fulmen dura & sibi obsistentia, blanda vero & sponte cedentia non lædit, sic Deus, *superbis resistit*, vt ait D. Iacob. c. 4. *humilibus autem dat gratiam*, ac proinde ipsius iræ impetus infringuntur, quodammodo humilitate: quemadmodum præterea in expugnatione vrbium, solent qui obsidione tenentur, saccis lana oppletis muros iam iam ruituros protegere, & eisdem multo melius quam duris aliis rebus iaculorum ictus, cedendo sustinent, ita similiter humiles sponte Dei irati ictibus cedentes, eosdem detinent, & quodammodo infringunt, ne ab ipsis penitus interimantur.

2. Cor. 3. — Isai. 5. — 2. Reg. 6. — Iacob. 4.

*A Christo Domino nullus separetur, vel aliquomodo seiungatur, nisi velit perire.*

446 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, &c. nullus vestrum egrediatur ostium domus*

S. Hier. *quamuis conentur haretici veritati miscere mendacium, oleum aquis, & cateris humentibus & liquentibus rebus non potest copulari; semper veritas supra est deorsumque mendacium, omnes alia species idest hareses qua non habent oleum veritatis, possunt sibi misceri, & de pluribus vnum effici corpus, sed harum oleum detestatur Propheta dicens oleum peccatorum non impinguet caput meum.* Psal.

*Veritatis notitia amara quidem pluribus & insipida.*

406. *Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitaculis comedetis azyma.* Quod quidem insipidum gustuique ingratum, quomodo ergo veritatem adumbrat, quæ cum sit virtus excellentissima, suauissima nonne deberet esse? in se quidem suauissima, sed pluribus sane insipida & amara. sic testatur cit. Hieron. lib. 2. in Iouinian. *Amara est veritas, & qui eam prædicant replentur amaritudine,* S. Hier. *in azymis enim veritatis & synceritatis Domini Pascha celebratur & cum amaritudinibus comeditur.* & lib. 1. cont Pelagianos, *veritas amara est, rugosæ frontis ac tristis, offendisque correptos. vnde & Apostolus loquitur, inimicus factus sum vobis veritatem dicens vobis.* non omittam Bernardum serm. 74. Bernard. in cant. *amara est veritas sine condimento gratiæ, sicut absque veritatis freno leuis & nesciens modum, plerumque & insolens est ipsa deuotio.*

*Qui male viuit veritatem cognoscere non potest.*

407. *Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitaculis comedetis azyma.* Cur azymi posterius fit mentio quam fermenti? cur prius abstinendum ab eo quam comedatur azymum? nonne potuit dicere comede azyma, & deinde, non edetis fermentum? merito hunc seruauit ordinem, nisi enim prius à fermento malitiæ & nequitiæ abstinueris, veritatem degustare non poteris. obseruatio est S. August. c. 13. de agone Christiano. *Errat quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter viuat, nequitia autem est mundum istum diligere & ea quæ nascuntur & transeunt pro magno habere, & ea concupiscere, & probis laborare vt acquirantur, & lætari cum abundauerint, & timere ne pereant, & contristari cum pereunt, vita talis nō potest puram illam & synceram & incommutantē videre veritatem, & inhærere illi.* præclare id etiam monet S. Cypria. S. Cyprianus in Epis. ad Iubaianum, *sapientibus,* inquit, *& Deum timentibus congruit patefacta & perspecta veritas libenter atque incommutanter obsequi.*

*Maxime Deo inuisa superbia omnis peccati radix.*

408. *Omne fermentatum non comedetis.* An itatuis rebelles mandatis Israelitæ, præcipue post tot accepta à tua infinita bonitate, beneficia, vt necesse fuerit toties idem prohibere? vel an adeo tibi inuisum fermentum, vt nullo modo permittas, non solum illud comedere sed nec domi habere? si obseruaueris fermento tumorem animi & superbiam significari, ipsum enim pastæ immixtum eā eleuat, non sciscitaberis cur ita inuisum habuerit Deus fermentum: maxime enim odibilis superbia, omnis initiū peccati, sic enim scribit S. Greg

A in lib. 31. mor. *Radix cuncti mali superbia, de qua scriptura attestante Eccles. 10. initium omnis peccati superbia, primæ autem eius soboles septem nimirum principalia vitia de hac virulenta radice proferūtur, scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria; sed habent contra nos hæc singula exercitum suum, nam de inani gloria, inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordia & nouitatum præsumptiones oriuntur.* S. Greg. Eccles. idem habet S. Prosper. lib. 3. de vita contemp. c. 2. *initium, inquit scriptura non alicuius sed omnis peccati superbia, vt euidenter ostenderet quod ipsa sit peccatorum omnium causa, quoniam nō solum peccatū est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest aut poterit sine ipsa, si quidem nihil aliud omne peccatum, nisi Dei contemptus quo eius præcepta calcantur.* S. Prosp.

*Præcipue superbiæ, locus est in virtutibus.*

B 409. *Omne fermentatum non comedetis.* Noluit nec secum retinere, nec secum deferre; quamuis plura alia proficiscētibus iniunxerit, quæ non ita rationi consona videbantur, quale est baculos comedentes in manibus habere, cum lactucis agrestibus amaris agnum Paschalem edere &c. cur ergo non etiam comedent fermentatum panem, vitalem & communem? nonne diximus per ea quæ obseruanda erant in esu agni, virtutes varias denotari. sicut per fermentum, superbiam? non igitur immerito illud omnino amouet, nihil enim ita virtutibus se ingerit, vt eas perdat & corrumpat, quam superbia. recte id cecinit Iacobus Billius Abb. in sua sacra anthologia Num. 26. Billius Abb.

*Iungere se tantum fastus virtutibus audet*
*Cætera cum fugiunt crimina cuncta procul,*
*Scilicet vt fructum penitus corrumpat earum,*
C *Non secus ac cereris munus aruca solet,*
*Quam vere scriptura canit, tum denique quemquā*
*Ordiri cum iam culmina summa tenet,*
*Quandoquidem cum quis vitiorum cætera fregit*
*Agmina, tum fastus prælia dura mouet.*

Idem habet S. Aug Epis. 109. alia quæcumque S. August. iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant, superbia vero bonis operibus insidiatur, vt pereāt. quin etiam Cyprianus de ieiunio & tent. Christi S. Cyprian. quantum mali secum afferat filia superbiæ, nēpe inanis gloria, his verbis eleganter describit. Ieiuniorum sudoribus laus importuna se ingerit, & subtilissimis aculeis penetrans animum, dum extollit, emollit, & pungit cum vngit: virtutē in hypocrisim vertit, & simpliciter inchoata peruertit. quasi tinea, quod integrū erat rodit, & occupat, & sanctitatis fundamenta euellit & dissipat; subtilissimum malum proprio laqueo hypocritā iugulat & propriis armis sanctitatē impugnat. sed & D Chrysost. ho. de perfect. Euang. perspicue ostendit, quas ruinas edat in operibus bonis superbia, qui Pharisæum illū, qui dum de virtutibus gloriatur, omni earū fructu caruit, naui cōparat, quæ post diuturnā nauigationem ac plurima pericula vitata, tandem in portu frangitur, pereuntque opes omnes quas vehebat.

*Alios sub hypocrisi decipere maximum vitium.* 410.

*Omne fermentatū non comedetis.* Imo in habitaculis vestris erit nec minima fermenti pars. azyma probo, sed fermentū cur reprobarē, cū pani submixtū salubriorē & meliorē efficiat? nihilominus

reprobat illud, & plures: nec mirum, cum enim sit symbolum hypocrisis, iuxta illud Christi Domini Luc. 12. cauete à fermento Pharisæorũ quod est hypocrisis, merito à Deo tanquam pessimum vitium damnatur. ait enim S. Aug. in lib. 83. qq.
Luc. 12. S. August. quæst. 52. *Prope summa & diuina virtus est neminem decipere, sic vltimũ vitiũ est quemlibet decipere.*

*Hypocrisis præsentissimum vitium.*

411. *Omne fermentatum non comedetis.* Imo nec illud vobiscum habebitis nec in ædibus vestris. quid tantæne malitiæ est, vt nec domi retineri possit? si per illud diximus hypocrisim intelligendã esse, merito reiiciendum esse iubetur etiã à domibus, nullum enim venenũ ita periculosum, quodque latius serpat, teste S. Petro Chrysol. serm. 7.
Petrus Rauennas. *Hypocrisis*, inquit, *subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis.* En vt secretum virus, quod vix quis cauere potest, quin intime serpat, cauetur serpens, quia cognitum est eius venenum, & ideo minus periculosum, at periculosius hypocrisis virus, cum subtilissimum sit & latens.

*Hypocrisis idololatria est.*

412. *Omne fermentatum non comedetis.* Si attente consideremus, videbimus non strictius prohibitam idololatriã nec sub grauiori pœna quam mortis nec sub maiori exterminatione, quam esus fermenti vnde hoc? nonne grauius est crimen idolis seruire quam fermẽtum vel domi retinere vel comedere? cur igitur in vtrumque eadem pœnâ animaduertitur? quia cum fermẽtum denotet hypocrisim, hypocrisis autem sit species quædam idololatriæ, non mirum quod sub eodem supplicio vtrumque comprehendatur. attende Geometr. in tetrastichis Geom.

*Idolum & qui sese ostentat inaniter vnum*
*Efficiunt, auro nam simulachra micant*
*Compta & plena luto intus, sic quoque & iste*
*Cum sacer extra sit, non tamen intus is est.*

Vellem à Christianorum cœtu exularent hæc simulachra, & Christi virtute cadere, cui vera solidaque virtute & ab omni simulatione aliena seruiendum est.

*Virtutum simulator diabolus est.*

*Omne fermentatum non comedetis.* Non miror 413. illud à Deo prohibitum Israelitis tendentibus in terram promissionis, quid enim magis nos auocat à tendentia in terram viuentium, quam obsequium datum dæmonibus? fermentum autem (quod est hypocrisis) comedere nonne ipsis est obsequi, cum ea homines in dæmones transformet? adducendus huc S. Cyrill. Hierosol. Catech. 4. S. Cyril. Hier. *Imitatur, inquit, virtutem improbitas, zizania contendit triticum videri, quæ quidem specie quadam tritico assimilatur, gustu autem à sentientibus facile discernitur, & diabolus quoque transformatur in Angelum lucis.*



## VARIETAS LECT. Vers. 21.

*Vulg.* Vocauit autẽ Moyses omnes seniores Filiorum Israel, & dixit ad eos, ite tollẽtes animal per familias vestras, & immolate Phase.

*Sept.* Vocauit autem Moyses omnem senatum Israel & dixit ad eos, abeuntes sumite vobis ipsis pecus secundum cognationes vestras, & sacrificate Pascha.

*Cald.* Capite & tollite vobis de filiis ouium, per familias vestras, & immolate Phase.

*Pag.* Accipite vobis pecora & immolate pesach.

*Arias.* Trahite & accipite vobis pecus ad familias vestras, & immolate transitum.

## CONCORDIA.

Qui legere pecora, hoc dixere propter & agnum & hædum qui immolari poterant, quod non discrepat ab aliis lectionibus: verbi משך masak significatio propria etsi non sit plene nota Hebræis, ex multis tamen scripturæ locis constat significare trahere, vt patet Deuter. 20. quæ non masecbach, idest traxit iugum. vnde trahit hic refertur ad tractionem agni à grege, à quo non sponte separabatur, sed trahebatur ad sacrificandum.

## EXPOSITIO.

*Vocauit Moyses.* Ante decimum diem mensis hoc factũ fuit vt possent deinde decimo die agnum domum deducere prout mandatum fuit. *Omnes seniores Israel* quibus demandata erat cura populi, etiamsi aliis ætate iuniores essent, vocauit Moyses, quibus mandatum de sancto Paschate notum faceret, vt per hos reliquis innotesceret, *ite tollentes, ègrege animal*, agnum vel hœdum, *& immolate Phase* illud animal vocat Phase, etenim cum in celebratione Paschatis, multa concurrant Paschatis nomine nunc tempus, nunc agnus, aliquando azyma, & sic de aliis sacra scriptura designat. consule quæ dicta sunt.

## CONCEPTVS.

*Ab instabili sæculo ad fundatissimum regnum transire debemus.*

414. *Vocauit Moyses omnes seniores populi, & dixit, ite tollentes animal & immolate Phase.* Arias. *transitum.* Cur hic toties de Paschate fit mentio? cur toties transitus nominatur? quia transituri erant Israelitæ de Ægypto in terram promissionis, Ægyptus autẽ nonne designat hoc sæculum inconstans, sicut terra promissionis regnum cœ-

Iorum? quid mirum igitur si toties transitus siue Phase nominatur? nobis enim innuitur veteris Israelitis, quod ab instabili hoc sæculo ad fundatissimum regnum transire debemus. sic sanctus Augustin. in expositione Euangelij secundum Ioannem. *In sua ergo lingua hoc est in Hebræa Paschatransitus dicitur, propterea quia tunc primum Pascha celebrauit populus Domini, quando ab Ægypto fugientes, rubrum mare transierunt, nunc ergo prophetica illa figura completa est in veritate; cum sicut ouis ad immolandum ducitur Christus, cuius sanguine linitis postibus nostris, id est cuius signo crucis frontibus nostris, à perditione huius sæculi tanquam à captiuitate, vel interemptione Ægyptia liberamur, & agimus saluberrimum transitum, cum à diabolo transimus ad Christum, & ab isto instabili sæculo ad eius fundatissimum regnum.* S. August.

*Per tribulationes transire debemus ad regnum cælorum.*

415. *Vocauit Moyses omnes seniores populi, & dixit ite tollentes animal, & immolate Phase*, Septuag. *sacrificate Pascha*, Arias. *immolate transitum.* Cit. August. serm. 55. in Ioannem ait, Pascha dicitur Græce passio, quia enim pati Græce dicitur πάσχειν ideo Pascha passio putata est. Hebraice autem transitus dicitur, qui & Christi Domini & nostrum adumbrat. sed quomodo Christus Dominus de hoc infœlici sæculo ad patrem transit? patiendo, sic enim Græce Pascha passio dicitur: quomodo ergo & nos de vita mortali ad vitam æternam, de vita terrena ad vitam cœlestem, de vita corruptibili ad incorruptionem, de tribulationum conuersatione, ad perpetuam securitatem transibimus? sane similes facti Christo Domino in tribulationibus & passione. sic enim ait Cit. Episcop. super Psal. 110. *Pascha Hebræum verbum est & transitus interpretatur, per passionem enim Dominus transiuit de morte ad vitam, & fecit nobis viam credentibus in resurrectione, vt transeamus & nos de morte ad vitam.* S. August.

*Prælati futurum Pascha suis subditis annunttent vt digne illud celebrent.*

416. *Vocauit Moyses omnes seniores populi, & dixit ite tollentes animal, & immolate Phase.* Vocauit autem ante decimum diem mensis, vt possent decimo die deducere agnum domum: cur ante diem immolationis & agni Paschalis eum conuocantur, cum omnia festinanter peragenda essent? cur ante monentur? sane vt digne Pascha suum possent celebrare ita & Prælati Ecclesiæ Pascha nostrum sanctissimum suis subditis annuntient, vt sicut oportet illud peragant; sic S. Ambros. cit. in Dominica de ramis palmarum à Bartholomæo Vrbinate Episcopo in milleloquio. *Firmissime credite fratres quia nostrum periculum est, si mysteria nostri Saluatoris vobis non annuntiamus, & vestrum periculum est si ea parui pendatis: monemus denique vt quantomagis solemnitas Paschalis appropinquat, tanto magis vos præparetis, mundantes vos ab omni inuidia, odio, ira, contentione, maledicto, ac detractione, vt digne illam diem celebrare possitis: dimittite illis qui peccauerunt in vos, vt vestra vobis Dominus dimittat peccata. quoniam qui vel contra vnum hominem odium, aut iram tenuerit, malo suo Pascha celebrabit, quia non manducabit cum Petro vitam, sed cum* S. Amb. Bartho. Vrbin Episc.

*Iuda mortem in sancta communione.*

*Moritur Christus vt perpetuo viuamus.*

*Vocauit Moyses omnes seniores populi, & dixit ite tollentes animal & immolate Phase*, Septuag. *Pascha.* Episcopus Mediolanensis in tractatu de my- 417.
sterio Paschæ, ait, Paschæ sacrum nomen ab ipsius passione Domini descendit, Pascha enim passio est Saluatoris. sicut S. Apostolus 1. Corint. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus, ad hoc enim humanum corpus Christus accipiens, se in passionem Paschæ mysterio consecrauit. cur huic mysterio se consecrat? cur huiusmodi Pascha celebrat? respondet idem auctor cap. 4. cit. tractatus. *Saluatoris passio vitæ humanæ salus est, ad hoc enim pro nobis mori voluit, vt nos in eum credentes perpetuo viueremus, voluit pro tempore fieri quod nos sumus, vt nos æternitatis eius promissionem adepti, cum eodem perpetuo viueremus, hæc illa est cœlestium mysteriorum gratia, hoc Pascha donum.* 1. Corin 5. S. Ambrof.

*Omnes Christiani verum Pascha digne celebrent.*

*Vocauit Moyses omnes seniores populi & dixit, ite tollentes animal per familias vestras & immolate Phase*, Septuag. *sacrificate Pascha.* Scio Bachia- 418.
rium Episcop. ad Ianuarium, non multo post initium, dicentem, scimus quod sine sacerdote Pascha celebrari non poterat; verum hoc inde refellitur, quod in Ægypto primum Pascha celebrarunt absque sacerdotibus, qui postea creati sunt Leuit. 8. non igitur ad Pascha celebrandum sacerdos requirebatur: ratio est, quia cum hoc sacrificium fieri conuenerit per familias & domos, fieri moraliter non poterat, vt in singulis domibus singuli sacerdotes reperirentur, qui agnum sacrificarent. ad laicos igitur & præcipue ad Patrem familias, hæc immolatio pertinebat vt Bellar. lib. 1. de Missa cap. 7. testatur, cum præiuit D. Isid. Pelus. lib. 3. Epist. 25. Paschæ tempore dicens omnes sacerdotij honore afficiebantur, vnusquisque enim pecudem immolabat, quia sicut in loco huius sacrificij dispensabatur, non enim erat templum in quo fieri sacrificia præcipiebat, sed quælibet priuata domus, ita & dispensari potuit in sacrificante, vt & laicus esse posset: quo posito quod vnusquisque suum Pascha immolabat & celebrabat, an hoc in typum Christianorum qui omnes verum Pascha digne celebrare debeant? quidni? nullus enim ab eius celebratione eximitur, peccator enim Pascha faciet, si de peccato ad virtutem transeat, iustus autem de virtute in virtutem progressum faciens: religio esset non referre verba Ambrosij in sermone de ipsa die in milleloquio. *Pascha transitus ideo tali nomine vocata est ista festiuitas, quia in ipsa transierunt filij Israel de Ægypto, & in ipsa transiuit Filius Dei ex hoc mundo ad patrem, & quid vobis prodest qui Pascha celebratis si non imitamini quod colitis? hoc est si non transitis ab Ægypto id est à tenebris vitiorum, ad lucem virtutum, & à mundi huius amore ad desiderium cœlestis patriæ. sunt enim multi Christiani qui gaudent in illa festiuitate, extollunt hanc solemnitatem, & tamen male & malo suo, quia non transeunt ex hoc mundo ad patrem, id est non transeunt à mundi cupiditate & carnali delectatione ad cœlestis patriæ amorem. ô miseri Christiani qui in Ægypto sunt, id est potestate* Bachiarius. Intellige de sacerdotibus absolute. Bellar. Pelus. S. Amb.

*diaboli & gaudent eis om in malis suis; moneo quippe fratres vt celebretis Pascha idest transitum faciatis, quicunque male hanc festiuitatem celebratis, transite de vitiis ad virtutes, quicunque vero boni transite de virtutibus ad virtutes, & ita nullus remaneat qui transitum non faciat.*

### *Senioribus Dei mandata communicanda vt ipsi aliis aperiant.*

419. *Vocauit Moyses omnes seniores filiorum, & dixit ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase.* Cur senioribus hæc dixit? nonne vnusquisque tenebatur in familia sua agnum vel hœdum immolare? omnibus ergo & non solum senioribus id præcipiat: seniores populi conuocat, vt mandata Dei exponat, his enim tanquam sapientioribus proponenda, vt aliis exponant. Sic Glossa ordi. *Nota quod non pueris, non iuuenibus mandata Dei primo communicat, sed senioribus, quia in senibus est sapientia & in multo tempore prudentia.* Glossa. ordin.

### *Seniores specimen obedientiæ aliis præstent.*

420. *Vocauit Moyses omnes seniores filiorum Israel.* Deique mandata eis exposuit, de agno Paschali comedendo, & de cæremoniis in eius esu seruandis. cur primo obtemperaturi seliguntur ad iussa Dei capescenda? vt aliis iunioribus specimen obedientiæ quam Deo debent, exhiberent; certum est enim quod si maiores natu & reipublicæ primates facile iussis Dei obtemperauerint, minores natu ea libenti animo excipere, vnde recte auctor Catenæ aureæ. *Discimus,* inquit, *ex hoc loco præcipuos adesse debere seniores solemnitatibus sacris, & specimen præbere obedientiæ & deuotionis ad Deum minoribus, Dei populo.* Lippom.

### *Sanguine Eucharistico in vnum cõglutinamur.*

421. *Vocauit Moyses omnes seniores Israel, & dixit ite tollentes animal & immolate Phase.* Hic non repetuntur quæ à Deo sibi dicta fuerant, licet certum sit quod eis, quibus cæremoniis & quibus adiunctis edendum erat illud Phase immolatum, aperuerit, scilicet cum azymis, & quod abstinere deberẽt ab omni fermẽto. vnde ad illud respiciẽs S. Paulus 1. Corint. ca. 5. ait expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. quid est hoc? idest sicut farinę puluis mista aqua in vnum coalescit, sic etiã qui mutuis odiis conflagrabatis, coeatis in vnum. sed dic nobis Paule quo glutino coniungendi sunt? etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, idest per sanguinem Christi, qui nobis in Eucharistia relictus est. auctorem huius conceptus fas esset silentio obuoluere Angelicum Thomam opusc. de sacramento altaris, qui postquam dixit potu sanguinis Christi perfusa coniunguntur, conglutinantur & roborantur ad bona, in medium profert citatum locum Pauli & ait. *Vt sitis noua conspersio sicut & estis azymi, idest per baptismum à vitiis synceri facti, ita sitis aspersione sanguinis Christi, quasi pasti in noua vita & bona compacti.* Angelicus doctor.

### *Agnus Eucharisticus vitia inueterata & quasi immedicabilia demit.*

422. *Vocauit Moyses omnes seniores Israel & dixit eis, ite tollentes animal et immolate Phase,* Septu. *sacrificate Pascha,* quodnam Pascha? Typum illius quod semel immolatum est in ara crucis, & quotidie incruente immolatur in altaribus nostris. sed quid dicit Paulus faciendum, vt digne illud immolemus, expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. sed Apostole quid præcipis? expurgare nos iubes fermentum, rem plane impossibilem iubes, sane fieri potest vt azyma vel fermentum recipiãt. cæterum qui fieri potest, vt panis semel fermentatus, fermentum deponat? hoc inquam fieri non potest. audi quid dicat Apostolus &c. etenim Pascha nostrũ immolatus est Christus: quod de Eucharistia exponit S. Chrysost. hom. 15. in hanc Epist. ex qua expositione, præsentem nodum soluo; tanta est vis Eucharistiæ & Christi mystice immolati, & mortui, vt non modo ea crimina deleat, quæ facilia videntur, & facile sordes eluunt, sed etiam illa peccata quæ quodammodo immedicabilia videntur, omnino abluat, & sordes quæ medullitus adhærent, abstergat, Eucharistia est quæ fermentum etiam cum totam massam compleuerit extrahit & panem azymum reddit. subiiciamus verba Chrysost. *In his sensibilis fermenti azymum fermentum fieri potest, fermentum autem nunquam azymum, hic autem contrarium fieri potest.* S. Chrysost.

### *Non solum peccata in Deum, sed etiam in teipsũ, & in proximum debes abiicere, vt digne particeps fias agni Eucharistici.*

*Vocauit Moyses omnes seniores Israel & dixit eis, ite tollentes animal, & immolate Phase,* Sept. *sacrificate Pascha.* Quomodo à nobis immolandum? incruente, sic docet Paulus, expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio, etenim Paschà nostrum immolatus est. deinde, itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ; nonne satis erat dixisse vt expurgaretur vetus fermentum? cur triplex numerat expellendum, nempe vetus fermentum, fermentum malitiæ, & fermentum nequitiæ? iuxta S. Thom. in opusc. de sacramento altaris fermentũ vetus est superbia, quod vitium iamdiu inoleuit, postquam primi parentes astu serpentis superbierunt, hoc fermentum debet abiicere, qui ad Christum in Eucharistia venit: tum etiam fermentum malitiæ est peccatum, quod fit in proximos, hoc etiam abiicere debet, qui agni Eucharistici vult fieri particeps. tandem nequitia peccatum est, quod quis in se ipsum exercet. ergo si ad cœlestem mensam venire festinas, neque in Deũ nec in proximos, nec in te ipsum pecces. hæc tria peccasse videntur illi, qui ad cœnam vocati venire renuerunt, nam ille qui villam emit, contra proximum peccasse videtur per malitiam & ambitionem. qui iuga boum probare pergit, contra Deum, per superbiam, qui vxorem duxerat contra seipsum per luxuriam: audiamus loquentem Angelicum doctorem. *Epulemur non in fermento veteri, idest in corruptione superbiæ, quæ fit in Deum, neque in fermento malitiæ quæ fit in proximum, nec in fermento nequitiæ quæ fit in seipsum, sed in azymis synceritatis, idest synceritate à vitiis & veritate bonorum operum, vt scilicet studeamus esse in nouitate vitæ sine omni fraude, de fermento veteri.* 423. Angelicus doctor.



## VARIETAS LECT. Verſ. 22.

VVlg. Faſciculumque hyſſopi tingite in ſanguine qui eſt in limine, & aſpergite ex eo ſuperliminare, & vtrumque poſtem, nullus veſtrum egredietur oſtium domus ſuæ vſque mane. A

Sept. Sumetis autem faſciculum hyſſopi, & tingentes de ſanguine qui eſt iuxta oſtium, tingetis limen, & ſuper ambos poſtes de ſanguine qui eſt iuxta oſtium: vos autem non exibitis vnuſquiſque oſtium domus ſuæ vſque mane.

Cald. Tingetis in ſanguine qui eſt in vaſe.

Arias. Tingetis in ſanguine qui eſt in vaſe, & pertingere facietis vſque ad ſuperliminare, & ad ambos poſtes, de ſanguine qui eſt in vaſe.

Arias. Tingetis in ſanguinem qui in pelui.

Auguſt. Eugub. tingetis in ſanguine qui eſt in catino.

Aliqui Rabbini. Tingetis in ſanguine in malunio.

Lyranus. In ſanguine qui eſt in bacino.

## CONCORDIA.

EVgubinus qua ſolet fronte, tam noſtrum interpretem, quam Septuag. manifeſti erroris arguit. ſic autem habet, hoc quomodo eſſet verum (nempe quod habet vulgatus in limine) iam enim ſanguis in limine non erat. præterea is ſanguis quomodo de ſanguine ſumptus eſt? manifeſte igitur hic locus corruptus eſt temporum iniuria, non auctoris vitio. itaque Hebraice ſic legitur אשר בסף aſer beſaph qui in pelui vel catino, quamquam id erratum inuenitur etiam apud Septua. ἀπὸ τῦ αἵματος ἐςὶ παρὰ τὴν θύραν tollite de ſanguine qui eſt iuxta fores. atque hos fortaſſe ſecutus eſt Hierony. hæc Eugubinus. at quid ita reprehendit? an quia vox id non ſignificet? at contrarium certum eſt, nec aliter quam pro li- B mine capi poteſt. Ezech. 40. verſ. 7. Iud. 19. verſ. 27. teſte etiam Pagnino, imo contendit Oleaſt. hic, vbicumque ea vox reperitur, vertēdum eſſe limen. an quia inconcinne ſic vertatur? at ſanguis pelui exceptus ſtatim ad limē erat deferēdus, quo mox poſtes erant aſpergendi. quid obſecro in hac verſione inconcinnum? vel quod ex ea abſurdum colligi poteſt? nec vetat illud qui eſt in limine ſic explicari, vt ſit idem quod qui delatus ſit ad limen. alij ergo verterunt enucleantes inſtrumentum, in quo ſanguis continebatur, quo intingendum eſt ſuperliminare. tandem certum eſt סף ſaph ſignificare omne vas domeſticū, ſiue paruum, ſiue magnum, & etiam limen. deducitur autem à radice ספף ſaph quod eſt finire. Eugubinus.

## EXPOSITIO.

FAſciculum hyſſopi tingite in ſanguine. Explicant hæc verba plenius ritum quo poſtes & ſuperliminaria ſanguine inungi debebant, nempe non digito aut baxillo, ſed hyſſopi ramulis inter ſe in faſciculum colligatis, aut naturaliter concretis. pro hyſopo autem eſt in Hebræo אזוב ezob, quæ vox etiam noſtram vocem ſane refert, ex quo etiam probatur noſtra verſio. prꝛterquā quod noſter interpres & Septuaginta vbique ſic eam vocem vertunt, quam etiam verſionem Paulus ſequitur ad Hebræos 9. verſ. 19. nec vero ignorare potuerunt vel Paulus vel Septuag. cuiuſmodi & è qua materia eſſet aſpergillum illud, quo ſuo etiam tempore vtebantur ſacerdotes aſperſionibus pro quo Septuag. & hyſopum: in Hebræo eſt אזוב ezob Leuit. 14. Num. 17. Pſal 50.

Qui eſt in limine. Occidebatur enim forte agnus iuxta limen oſtij, ex cuius ſanguine fuſo tingebatur ſuperliminare cum poſtibus. vel immo- C latio agni fiebat in pelui, in qua ſanguis recipiebatur, & quæ ad limen deferebatur. peluim ferunt Hebræi argenteam, & ſanguinem qui ſupereſſet igni comburi, ſicut & alias agni reliquias, non vero in inteſtinis repoſitum & coctum comedi.

& aſpergite ex eo ſuperliminare & vtrumque poſtem Septuag. tingite, ſed idem apud omnes ſenſus.

Nullus veſtrum egrediatur domus oſtium vſque mane. Nec contra præceptum Moyſis fecerunt, cum antequam illuceſceret in iter ſe dederint, nā non alia fuit mens Moyſis, quam nec domo excederent, donec peracta eſſet cædes primogenitorum, & ab Ægyptiis exire compellerētur. quod quo noctis tempore futurum eſſet, forte Moyſes neſciebat. addo etiam tempus omne quod eſt ſub D auroram, paulo ante & poſt comprehendi ſub mane, imo ſubinde mane ita ample capi, vt totum tempus comprehendat, quod mediam noctem ſequitur, inclinante ſcilicet ad ortum ſole.

## CONCEPTVS.

*Ab huius vitæ egreſſu, & futuræ ingreſſu claret nobilitas hominis & gloria.*

424. FAſciculum hyſopi tingite in ſanguine, qui eſt in limine. Septuag. ſumetis faſciculum hyſopi, & tingetis ex ſanguine qui eſt iuxta oſtium. S. Auguſtinus quæſt. 46. in Exod. non paruam mouet quæſtionem, cur iubetur ſpeciatim hyſopus tingi in ſanguine, qui eſt iuxta oſtium, ſiue in limine portæ? ſolus enim agniculus

occidebatur, cuius sanguis seruabatur ad protectionis & immunitatis insigne, nec inter cæremonias agni occidendi nullum fuit, quod sanguis poneretur iuxta ostium in portæ limine ante tincturam, sed solum sanguis agni petitur: cur ergo non placuit solum dicere, tingetis ex sanguine agni, sed notanter adiecit ex sanguine qui est iuxta ostium? credunt aliqui ibi nos doceri à Deo, in quo sanguine debeant fideles gloriari, & discerni, nimirum in sanguine, qui est iuxta ostium, hoc est in præstantia quæ appareat in vitæ exitu, in futuri sæculi ingressu, vnde monebat

Tertul. Tertul. lib. aduersus Gnosticos. *Sciente vlliam moram aut quasi neminem in limine Christianis occursurum qui non dignos se habent sed agnosci*, illa est Christianorum nobilitas & præstantia vera, quæ in mortis portis, in regni ingressu, non debeat inquiri, sed debeat agnosci, has portas expectet, qui velit manifeste ostendere, qualem præstantiam præ cæteris habuerit.

425 *Quod rationis compos offertur, maiorem habet vim sanctificandi.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, nullus tamen vestrum egrediatur ostium domus.* Posset equidem Deus absolute Israelitas

1. ad Timot. 2. etiam à domibus exeuntes saluare & liberare ab exterminatore, tamen totus agni immaculati sanguinis effectus protegebat manentes intra domum, sed quid nos moneat Paulus 1. ad Timoth. 2. attendamus, in omni loco inquit leuantes puras manus, sine ira: apud Israelitas in sola propria domo, licebat sperare immunem & liberum euadere ab exterminatore, per agni immolationem: cur autem Paulus iubet vt in omni loco speremus & petamus per Iesum? nonne vetus agnus rationis particeps & diuinitatis in sacrificium Deo Patri oblatus fuerat? quid mirum igitur si apud Israelitas solum speratur domi inclu-

S.Chrysost. sos, apud Christianos autem in omni loco? quia hostia quæ rationis compos longe maiorem efficaciam & virtutem habet, tum ad saluandum tum ad sacrificandum: hoc voluit S. Chrysost. in hom. de cruce & latrone circa principium. *Iudæis ideo iussit omnem terram Deus dimittere & vno in loco sacrificium celebrare, quia tunc omnis terra immunda fuit fumo & odore, & aliis contaminatione polluta, quæ ex sacrificiis gentium super ipsam celebrabantur: nobis autem quoniam Christus adueniens omnem terram emundauit, omnis locus orationi vacat, ideo Paulus cum omni confidentia exhortatur dicens, volo ergo orare vos in omni loco leuantes manus sanctas; ecce totus mundus mundatus est, elementa purgata sunt, vt vbique nobis liceat Deum prædicare & omnis terra sanctior illo loco est, qui illo in tempore prædicabatur sancta sanctorum, nam ibi pecus irrationale oblatum, hic spiritale immolatum est, tanto maius sacrificium fit, quanto & sanctitas de sacramento profertur*, preme hæc verba; *ibi pecus irrationale oblatum hic spiritale immolatum est*, cum offertur irrationale pecus, ideo minor efficacia ad saluandum ad certum & determinatum restringitur locum, vbi autem spiritale & rationis compos ibi maxima virtus ad saluandum ad sanctificandum in omni loco.

*Non modo abiiciendum peccatum, sed omnino illud exterminemus vt digne agnus comedatur Eucharisticus.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in* 426
*limine.* In sanguine quidem agni qui deinde comedendus in azymis, ad quod alludens Paulus ait, expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio, sicut & estis azymi. Richard. Victorinus in declamationibus ad Bernardum, iure quærit, quanam ratione vera sint, quæ infert hoc loco Paulus, nam si erant azymi Corinthii, vt indicant illa verba, sicut estis azymi, quid est quod dicit expurgate vetus fermentum? nam azymi dicuntur panes sine fermento, qui ergo azymi erant, fermentum non habebant, qua ergo ratione iubentur fermentum deponere? absque dubio respondisse videtur Paulus verbis quæ præmiserat; nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpat? ac si dicat non satis est ex parte fermentum abiecisse, sed necesse est illud omnino exterminare, vt nihil omnino remaneat: ergo quamquam abieceritis fermentum, omnino illud expurgate; nam si vel modicum remaneat, totam tamen massam acidam reddere solet. igitur non modo abiiciamus peccata, sed omnino illa exterminemus, vt neque vestigium illorum remaneat, vt ad culmen pietatis conscendamus, neque patiamur in loco humili residere, sed ad fastigium vsque perfectionis conscendamus: quod quidem præcipue dictum est ad illos qui ad Eucharistiam accedunt, vnde subdit, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus; hoc dixerim ex Richardo loco cit. verba dono. *Quid mirum si eos qui iam azymi ex parte erant, ex parte non erant, & mediante noua conspersione ex toto azymi fieri volebat, quid mirum si eos ad azyma comedendum instabat?* subinde Richardus eiusdem nodi solutionem deducit ex verbis quæ subdit Paulus, nempe etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, id est si ad perfectionem contenditis & non modo intenditis fermentum abiicere sed omnino azymi esse vultis vt nihil vitæ pristinæ in vobis reliquum sit & ad Eucharistiam contendite & tantam accipietis vim & efficaciam vt facile ad virtutis fastigium peruenire possitis: vnde subdit Richardus: *Principaliter autem eos inuitat ad esum agni sine cuius gratia perseuerare non poterant, in eo quod iam erant azymi, erant enim noua conspersio, atque ex toto azymi fieri poterant.* Richard. Victori.

*In puritate & sanctitate agnum Eucharisticum imitemur vt digne illum sumamus.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in li-* 427
*mine.* In sanguine quidem agni iugulati, qui iuxta Dei præceptum cum azymis edendum & nullum fermentum non solum cum edendum, sed nec in habitaculis tenendum: ad quod etiam alludens Apostolus ait, expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. vim huius rationis non satis teneo, expurgate vetus fermentum, id est omnem simulationem, dolum, & omnia crimina quæ quidem nomine fermenti hic significantur, & satagite effici noua conspersio & massa, sine vlla corruptione & macula peccati: & subdit causam etenim Pascha nostrum immola-

tus est Christus, idest etenim Christus se nobis manducandum obtulit, & sub speciebus panis azymi delitescit: huius argumenti motiui aculeum hoc ratione excitat cit. Richardus, si Christus D. immaculatum se obtulit nobis in cibum, quod vt significaret, panem azymum in sacramento adhibuit, eidem vos illi referte, & in vobis ipsis expurgate fermentum peccatorum, vt omnino azymi facti, cibum dignum Deo offeratis, qui non fermentato vescitur, idest peccatis maculato, sed azymis sinceritatis & veritatis, in quem sensum

Procerb. adducit illud Prouerb. quando sederis ad mensam potentis, diligens attende quæ apponuntur tibi, sciens quia talia te oportet præparare, quod ad Eucharistiam præcipue referendum est, idest, si ad Eucharistiam accesseris, & immaculatum cibum ceperis sub speciebus etiam panis azymi & incontaminati, attende te talia debere præparare Christo, qui te inuitauit, idest memineris te debere omnem maculam exuere, & omne fermentum abiicere, nec non puritatem & sanctitatem illius imitari: nam sicut ille qui ad Eucharistiam venit, corporaliter Christo vescitur, ita spiritualiter Christus manducat accedentem ad Eucharistiam, & in seipsum conuertit, sic autem ait Richardus. *Nunc ergo illud attende obsecrò quam sit consequens, quamque conueniens, vt qui de seipso tibi fecit cibum tuum, tu illi facias de te ipso cibum suum, ad mensam diuitis sedisti, attende quæ tibi apposita sunt, & vide quia oportet te talia præparare, vult Apostolus nos fieri nouam consperßionem & de conspersione panis absque fermento & merito, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, efficiamur itaque noua conspersio, vt veniat Christus in nobis, unde possunt sibi epulas vesci.*

*Non solum ore corporis sed, etiam ore mentis, imo humillime sumendus est agnus Eucharisticus.*

428 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo super liminare & vtrumque postem.* Cur fasciculo hysopi tingi debent postes potius quam fasciculo alicuius arboris excelsæ, vel saltem alterius herbæ proceræ? Dungalus in responsione aduersus Claudij Taurin. sent. tom. 2. 4. p. sic ait, hysopus herba humilis & etiam in hysopo vis purgatoria, ne inflante scientia de diuitiis ab Ægypto ablatis superbe aliquid pulmo tumidus anhelet: hęc ille. hysopum ergo sume, cum sanguis agni super vtrumque postem ponendus est, idest teste S. Greg. Mag. quando non solum ore corporis sed etiam ore mentis sumendus est, quia maxima cum animi demissione & abiecta omni vana gloria, recipiendus, sic S.

S. Thom. Thomas opusc. de sacramento altaris ex mente Gregorii. *Panem sine fermento comedit,* (loquitur de Eucharistia,) *qui recta opera sine corruptione inanis gloriæ facit.*

*Cum afflictione ex peccatis sumendus est agnus Eucharisticus.*

418 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine.* Sanguis agni inquit S. Esaias Abbas de operibus hominis noui. c. 22. significat sanguinem Domini Iesu, qui factus homo venit ad nos, vt filios Israel duceret ad promissam cœli hereditatem, apparent qui instructi sunt, & signum in anima sua perspicue habent, sed cur fasciculo hyssopi tingendi sunt postes animæ nostrę cum sanguine agni eam illinimus? ait cit. Abbas. Esaias Abbas.

*Hyssopi fasciculus indicat afflictionem,* en vt cum afflictione & dolore ex peccatorum commissione agnum Eucharisticum sumere debemus?

*Sanguis Christi Eucharisticus interius nos mundat.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine.* 429

Totus sanguis agni cum iugulabatur, separabatur à carnibus, & recipiebatur in peluı, vel cratere, non quidem ad illum bibendum, sed vt in eo tingeretur fasciculus hyssopi, ad linendum postes domus, carnes verò comedebantur assæ igni. sed si huiusmodi agnus typus est illius immaculati, cuius sanguis effusus est in limine vitę super aram crucis, cur hic bibitur, ille vero minime? in hoc sicut & in pluribus aliis vterque sanguis differt, quia licet agnus immaculatus cum immolatus est in cruce, totum suum profuderit sanguinem, ita ut à corpore maneret separatus, in cuius memoriam corpus sub accidentibus vini continetur ex vi consecrationis, tamen exceptus in calice non est ad linendum exteriores postes domus, quia iam cessarunt cęremoniæ illæ externę, & inania sunt sacramenta legis antiquę, sed ad bibendum illum vt intra nos sit, intus mundet, animam sanctificet, & eius sitim expleat: bibendus est tamen cum fasciculo hyssopi tincto in ipso, idest colligendo per meditationem, omnes amaritudines, quas Saluator noster perpessus est, dum sanguinem suum fudit, vel in horto, vel in prætorio Pilati, vel in cruce illiusque memoria liniendo cunctas animæ vires & intentiones, vt Christo crucifixo sint conformes, sic autem ait S. Chrysost. hom. 45. in Ioan. *Hic sanguis in figura peccata purgabat, hic sanguis animarum nostrarum salus est, hoc lauatur anima.* S. Chrysost. Psal. 50.

*Eucharistia superans alia sacramenta, vas enim est reipsa continens verum sanguinem Christi.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine,* Cald. *Tingite in sanguine qui est in vase.* 430

Ex eo quod sanguis agni sit in vase, vasque illum contineat, aliquid ne colligere possumus, denotans excellentiam Eucharistiæ super alia sacramenta? ita sane, quia licet alia sacramēta nouæ legis habeāt virtutē ex sanguine Christi, qui in diuina acceptatione seu decreto, quasi in quodā sacro vase ad omnium hominum salutem exceptus est, tamen baptismus cū reliquis sacramentis veluti fasciculus hyssopi sanguine tinctus, quo anima lauatur, mundatur, vngitur, & roboratur per gratiam, quæ & infunditur iuxta illud Psal. 50. asperges me Domine hyssopo & mundabor, lauabis me & super niuem dealbabor, at Eucharistia est vas reipsa continens Christi verum sanguinem, qui bibitur, & veram carnem quę comeditur, & intra nos traiicitur, vt sua reali pręsentia nos mundet, sanctificet, & perficiat. hanc veritatem depromamus ex calamo S. Cęsarij Arelatens. hom. Psal. 50.

7. de Paschate. *Unica & perfecta hostia fide aestimanda non specie, nec exteriore censenda visu, sed interiori aspectu: unde merito caelestis confirmat auctoritas, quia caro mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus: recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor muneris, ipse etiam est testis veritatis, nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui secreta potestate convertit, ita dicens accipite & edite hoc est corpus meum, & sanctificatione repetita, accipite & bibite hic est sanguis meus, ergo ad nutum praecipientis Domini, repente ex nihilo substiterunt excelsa caelorum, profunda fluctuum, vasta terrarum pari potentia in spiritualibus sacramentis verbi praecipit virtus & rei servit effectus, quanta itaque celebranda beneficia vis divinae benedictionis operetur? quomodo tibi novum & impossibile esse non debeat, quod in Christi substantiam terrena & mortalia commutantur?*

*Omnia quae Christus pertulit, nobis applicanda sunt, ut digne Pascha celebremus.*

431 *Fasciculũ hyssopi tingite in sanguine qui est in limine.* Idest in cratere, ubi exceptus est, qui erit in ipso limine domus, quid? hyssopus ne necessarius est intinctus sanguine agni ut ungantur postes & superliminare? an mysterio vacat, cur potius sumatur haec herba quam quaelibet alia? hyssopus sane herba est humilis, modica, & amara, cuius fasciculus tinctus in sanguine agni occisi & immolati, à populo (qui figura erat Christi Domini) repraesentat universa, quae pro nobis in passione sua pertulit, quae in unum fasciculum collecta applicanda sunt nobis, ut per ea liniantur, signentur, & mundentur superliminare & duo postes animae, idest frontes, labia, & pectora, seu intentiones, verba, & opera, ut à Diabolo exterminatore liberemur & digne festis Paschalibus adsimus. unde sic recte Lippom. *Fasciculus hyssopi humilitatem & amaritudinem non absque iusta causa naturali significat, quae iungenda sunt solemniis Paschalibus.* — Lippom.

*Frons crucis titulo depingitur, ne à percutiente Angelo laedamur.*

432 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare & postes domus.* Cur aspergendum est superliminare? cur tingendi sunt postes? ut cum transierit Dominus vel Angelus eius immunes sint primogeniti Hebraeorum à clade; videns enim domos eorum tinctas sanguine, alio transibit, sed quid domus nostrae nisi corpora nostra? quid superliminaria nisi frontes eorum? quae sane si muniantur titulo sanctissimae crucis, causa non suberit, cur Angelus percutiens timeatur, quisquis es qui tale signũ tuleris, saluus & incolumis evades. sic testatur S. Arelatens. Episcop. hom. 6. *Hodie de luto ac paleis populus Dei, idest de vilissimis & manifestioris operibus liberatur, hodie agnus ille qui tollit peccata mundi in redemptionem humanae salutis offertur, quando postes domorum sanguine illius iubentur inscribi, idest crucis titulo mens nostra depingi, ne locum Angelus exterminator inveniat.* — S. Episcop. Arelat.

*Omnibus sanguis Christi exponitur, ut si velimus liberemur.*

433 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & duos postes,* Sept. *tingetis.* Ecce sanguis agni in superliminari & in postibus positus patens erat Angelo, ne percuteret eos qui in aedibus erant huiusmodi sanguine tinctis: an idem de sanguine agni immaculati possumus asserere? imo quid excellentius & verius: si considerare velimus Rupert. Abb. lib. 2. c. 16. *Caeterum de sanguine veri agni Christi filii Dei, certum est quia non in abscondito, vel intus repositus; sed omni mundo palam expositus, ut quicumque domum suam signare velit ut liberetur de manu percussoris Diaboli cito inveniat, cito & velociter illi salus occurrat, dummodo sic faciat, tollat fasciculum hyssopi & intingat in sanguine, idest veram symbolum, spem totam constituens in sola salutifera Christi passione, & inde tres notulas faciat in utroque poste & in superliminari, baptizatus videlicet in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* — Rupert. Abbas.

*Ex meditatione passionis Christi tumor superbiae deponitur.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine.* Cur hyssopus tingendus est in sanguine, ut cuiuslibet domus Hebraei eo liniatur? nonne digito potuit inungi vel saltem quodam penicillo? adverte hyssopum humilem herbam idoneam esse ad deprimendum pulmonis tumorem: quo posito dicemus non sine mysterio hyssopum intingi in sanguine agni, sed ut nobis denotetur, quod humili meditatione sanguinem Christi pro nobis effusum considerare debemus, sicque omnem prorsus tumorem superbiae deponemus, ita sentit cit. Rupert. *Hyssopus herba humilis est, nasciturque in petrosis locis, & deponit tumorem pulmonis, significat vero fidem & humilitatem passionis Christi, per quam superbiae tumor deponitur, quo primus homo correptus contra suum creatorem intumuit, quod sperans Psalmista dicebat, asperges me Domine hyssopo & mundabor, lavabis me & super nivem dealbabor.* 434 — Cit. Rupert.

*Semper intra claustra Ecclesiae Catholicae maneamus, ni perire velimus.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni, & nullus egrediatur ostium domus suae usque mane.* Nonne satis est habere domos aspersas sanguine agni, ne Angelus percussor quemquam ex Hebraeis percutiat? quid adhuc necesse est ut unusquisque ex eis maneat inclusus usque ad tempus matutinum? domus Israelitarum Ecclesia nostra est, quam si ad finem vitae quis egrediatur, delusus erroribus falsae doctrinae, sane percussus ab Angelo exterminatore misere peribit, auctorẽ do Abbatem Tuicensem. *Hoc vobis vigilantissime observandum est, ut usque mane, idest usque ad finem huius nostrae nocturnae vitae, intra Ecclesiae Catholicae claustra maneamus, neque per haereses vel schismata tumultuando foras erupisse quis inveniatur, nam quisquis foris fuerit inventus, reputabitur Aegyptius, & cum Aegyptiis pariter pertransseuntis Domini flagello percutietur.* 436 — Abbas Tuic.

*Dum Pascha celebramus ne mente vagi discurramus.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni, &c. & nullus egrediatur ostium domus suae usque mane.* Cur dum celebratur eius agni Paschalis, cur postquã iam eius sanguine uncti manent postes aedium Is- 437

facilitas, præcipitur vt nullus egrediatur ne quidem domus ostium? quid periculi inest si limen domus pertranseat, vt quid fiat attente cōspiciat? merito id præcipitur, dum enim Pascha celebramus, cum sanguine agni immaculati linimur, nequaquam extra nos exire debemus, nec mente vagari, mens est Anselm. Laudunensis. *Intra claustra mentis debemus conuersari, dum Pascha celebramus ne cum Dina vagemur & cum Diabolo fornicemur.*

Anselm. Laudun.

### *Ne te malis immisceas, cum eos Deus castigat.*

437 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni, &c. nullus egrediatur ostiū domus suæ vsque mane.* Nōne discernere poterit Angelus exterminator, an sit Hebræus vel Ægyptius, cum Hebræus signo circumcisionis ab alijs sit distinctus? licet ergo percutiatur tunc Ægyptius quid periculi incurrere poterit Hebræus, præcipue cum Angelus mandatum à Deo acceperit mortem Hebræis non inferre, sed solis Ægyptiis? cum Deus id iusserit sane non sine causa, sed forte vt sciremus, quod malis non debemus immisceri, cum à Deo finaliter puniuntur, ita sentit Oleast. *Periculosum valde est malis se immiscere, eo tempore quo Deus eorum delicta castigat.*

Oleast.

### *Deus suos vult à terrore liberos esse.*

438 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni, &c. nullus egrediatur ostium domus vsque mane.* Quare id iussum fuerit, non mihi videtur ratio probabilis, quam in medium aliqui adducunt, nempe quod Deus iusserit Angelo, vt quemcunque primogenitum siue Ægyptium, siue Hebræum reperiret in via eum occideret: cur igitur ita mandatum est? cur Israelitæ, dum percutitur Ægyptius, manent in ædibus inclusi? respondet Episcopus Abulens. *Quia forte apparebant illa nocte terribiles visiones, ambulante per vicos Angelo exterminatore, & Iudæi territi fuissent si talia vidissent*, en vt Deus suos à nimio terrore vult esse liberos!

Abulens.

### *In corpore vere puro recipiendus est sanguis Christi Eucharisticus.*

439 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni, qui est in limine.* Cald. *qui est in vase.* Ponebatur ergo sanguis in aliquo vase quod deferebatur iuxta limen ostij domus, & hyssopus eo intingebatur, & aspergebantur eo postes & superliminaria domorum: sed quo in vase recipiebatur huiusmodi sanguis? an luteo, æreo, vel ferreo? nam quodlibet ex his maxime idoneum est ad recipiendum sanguinem, & illum in aliquem locum deferendum: quid dicat noster Lyranus attendamus, est vas argenteum, in quo recipitur sanguis agni immolati: quid ergo si in vase non testaceo, non ferreo, sed in vase ex metallo pretiosissimo, & purissimo recipitur, an in corpore terram, ferrum, vel æs sapiente, sanguinem Christi recipies? nequaquam dignius vas requirit, vas argenteum imo aureum, nempe corpus purissimum, vnde recte S. Chrys. relatus à S. Thom. ad c. 22. Luc. sic ait *hic sanguis effusus lauit orbem, & adibile fecit cælum, huius participes sanguinis sunt supernis virtutibus amicti regio pallio, magis autem ipso Rege induti, & sicut si mundus accesseris, salubriter accessisti, sic si imbutus conscientia praua damnose accedis in pœnam & supplicium: nam si quis imperatoriam coinquinant purpurā,*

S.Chrysost.

*pari pœna plectuntur cum his qui discellunt: absurdum non est vt & qui obscœna mente corpus Christi recipiunt pari pœna plectantur cum his qui illum clauis confoderunt.*

### *Etiam antiqui Patres petunt aspergi sanguine Christi vt liberentur à morte.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni.* Quesso consulamus Regem Prophetam Psal. 50 sic Deum pulsantem, asperges me Domine inquit hyssopo, & mundabor, qua quæso hyssopo aspergi deprecaris? scio multiplici vsui deseruisse hyssopum in veteri testamento: nam num. 19. iubebatur expiationis aqua, cui vaccæ cineres admiscebantur, qui polluti erant contactu cadaueris defuncti adhibito aspergillo, ex cedro, cocco & hyssopo colligato conspergi, vt à pollutione purgarentur: hyssopi aspergillo mactati passeris sanguine intincto is aspergebatur, qui lepra mundandus erat: vtramque hanc omittimus sed ad tertiam veniamus, cuius hic fit mētio, an ea aspergi petebat? non ea sed quæ per eam figurabatur, intincta in sanguine agni immaculati, vt à morte liberaretur propter adulterium & homicidium commissum: subscribit Fridericus Fornerus Episcop. Hebronens. in Psal. miserere. *Moyses populo mandabat vt qui ab Angelo percutiente immunes esse desiderabant sumpto aspergillo ex hyssopi ramusculis compacto, super liminaria domorum aspergerent sanguinem agni Paschales quoniam igitur Dauidi timendum erat, ne adulterina prole sua, immatura morte intercepta, & ipse quoque diuina vindictæ manū expertus cogeretur immaculati agni sanguine aspergi postulat & emendari.* 440 Psal. 50.

Fornerus Episcop.

### *Messias desideratus à sanctis Patribus, quo à suis purgarentur delictis.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni.* Hyssopum petentem intueor Prophetam Regium, qua aspergatur, & lauetur, & super niuem dealbetur, quænam hyssopus antiquæ legis tantæ efficaciæ & virtutis vt homines coinquinatos lauare & dealbare valeret, super niuem? nullam aliam agnosco, quam ergo postulas? Messiam sane futurum quo omnia hominum delicta mundari deberent fauet cit. Episc. *Hyssopus quam expeto, est Messias meus mundi Saluator vt persecutione humilis ac patiens in conuersatione odoratur, in doctrina, abstersiuus in amore, feruenter calidus, in passione purgatiuus ineffabilis efficacia in opere redemptionis. similis erat crucentatæ aspergillo per vulnera affixus cedro sublimis patibuli, quando operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, legatus funibus purpureæ charitatis, asperges me Domine hyssopo & mundabor.* 441

Cit. Episc.

### *Humilitas in Christo radicata, superbiam deprimit.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine agni.* Cur tingendus in sanguine, qui erat in vase, vt virtutem habeat repellendi percussorem Angelum? nā nonne satis erat quod tingeretur in sanguine agni cum immolabatur, non vero cum iam fusus erat sanguis in vase? hyssopus inquit S. Bernard. ser. 45. in Cant. humilis herba, humilitatem significat, quid aliud habet hyssopus? ait Durand. lib. 1. de ratione Diui. offic. c. 7. hæc herba naturaliter crescit in petra, petra autem est Christus: valet 442

S. Bernard.

Durand.

etiam ad tumorem, en cur hæc hyssopus in vase A quod est profundum tingitur, humilitas enim debet esse profunda idest in Christo radicata vt superbiam deprimat: sic expresse Innocentius in expositione vers. asperges me Domino. *Est hyssopus herba humilis sed medicinalis, quæ vbi extra hortum per se crescit, figit radices in petra, & valet ad purgandum pulmonem, & significat humilitatem quæ figit in humili Christi radicem, purgatque inflationem id est tumorem mentis depellit.*

Innocent. tert. ex.

*Sanguis Christi saluat fideles, perdit incredulos.*

443 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare & super ambos postes.* Ad quid huiusmodi sanguinis aspersio, vt eo viso parcat Israelitis, & primogenitos Ægyptiorum morte percutiat exterminator Angelus? B an idem sanguis vni propitius, alteri nociuus? quomodo ergo potest esse typus sãguinis agni immaculati qui pro omnium salute effusus est? quia etiã Christi sanguis veros Israelitas saluat, incredulos autem perdit, non ex natura sua sed ex praua eorũ dispositione: sic enim hoc prædicat Basil. Mag. hom. 15. in Psal. 61. *Non est sanguis Christi deterior igne Babylonico illo, scit in camino sanctorum honorare corpora, & Caldæos cõburere, quanto magis sanguis ille pretiosissimus scit perdere incredulos & saluare fideles? decuit enim splendorem crucis excæcare gentiles & illuminare credentes, pretium hominis est sanguis Christi hoc pretio empti estis, nolite fieri serui hominum.*

S. Basil.

*Christi passio ipsi amara, nobis autem medicinalis.*

444 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine.* Per hyssopum inquit Gauffredus Boussardus Cancellarius C Parisiensis in expositione Psal. 50. passio Christi merito designatur: sed quid commune inter vtrumque, vt passio Saluatoris ea denotetur? hyssopus enim herba vilissima & abiectissima, quid autem sublimius & excellentius passione Redemptoris? nonne ex Innocentio superius diximus, quod herba est hyssopus humilis & medicinalis, nec non amara? per eam ergo merito designatur passio Christi Domini. *Quia sicut hyssopus*, (ait cit. Cancellarius,) *herba humilis est & amara, sed medicinalis, sic Christi passio fuit ipsi dura, nimis acerba & amara, atque in ea maxima humilitas apparuit, insuper & contra omnem lepram & infirmitatem spiritualem Christi passio medelam attulit.*

Gauffred.

*Humilitas, perinde ac hyssopus duritiem lapidis, Dei iram emollit.*

445 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine.* Sane hyssopus licet multiplici vsui in veteri lege deseruiebat, tamen non ex vi sua, nam virtus non erat ei ad abluendas maximas animæ maculas, vt homicidium, & adulterium, sed illa aliquod latens sacramentum tegebatur, quod detegendum est, nobis enim conuenit spirituales sensus qui intra litteræ corticem includuntur, eruere, quia littera vt inquit D. Paulus 2. Corint. 3. occidit, spiritus autem viuificat: Iudæi siquidem Moysen tanquam paruulum in fiscella scirpea concluserunt, dum spirituales & cœlestes illius sensus ad litteræ infirmitatem pueriliter reduxerunt, sed hunc Pharaonis filia, è fiscella exclusit, & re-

2. Cor. 3.

A gio sublimauit honore, quia & Ecclesia ex gentibus sumpta, Moysi legem honorat, multos illi sensus spirituales tribuens, quam Iudæi iuxta solum litteræ corticem crediderũt, & hoc est quod Isaias Propheta prędixerat c. 5. deserta in vbertatem versa aduenæ comedetunt: nam legis Moysis & Prophetarum dicta deserta apud Iudeos fuerunt, qui iuxta mysticum intellectum ea diserendo excolere noluerunt, & ideo de eis nullum fructum exceperunt: nobis autem in vbertatem versa sunt, quia fructum in cortice sub foliisque latentem inquirimus, & iam aduenæ comedimus, quæ ciues legis gustare noluerunt: quid ergo in illa hyssopo adumbratur in sensu spirituali? sic habet glossa ordin. hyssopus herba humilis nascens in petris, purgans pulmonem: sed circumloquamur, est herbula quædam exigua ad B purgandum pectus, & à pulmone tumorem expellendum maxime conducibilis, cuius radices durissimos etiam lapides in quibus nascitur, penetrant: quæ omnia humilitati maxime conueniunt vt vidimus. in primis enim vere humilis paruulus est in oculis suis, adeo vt sicut dicit Bernardus non velit apparere humilis sed vilis, quamobrem 2. Reg. c. 6. Dauid dixit humiliabo me, & vilior fiam in conspectu Domini. procedit enim humilitas secundum Augustinum ex intuitu propriæ conditionis & sui conditoris in cuius celsitudinis conspectu, & consideratione ipsa humanę naturę vilitas magis apparet. deinde humilitas hyssopo in eo adumbratur, quod quemadmodum herba illa inflationes pectoris & pulmonis purgat, sic etiam humilitas tumorem superbiæ, (quæ maximus morbus est animi) ab C eodem expellit: nec non etiam ei humilitas assimilatur, quod quemadmodum ipsa petrę adnascitur & eiusdem radices ipsius petræ duritiem penetrant, & quodammodo infringunt: sic humilitas petræ de qua dicitur 1. Cor. 10. petra autem erat Christus, adnascitur, & adhæret: & sicut herba ex terra in qua nascitur, vigorem & vires accipit, quibus in altum crescit, sic humilitas etiam à Christo Domino tanquam ab eiusdem fonte & origine procedit, tum ipsius imitatione, tum vel maxime diuini eius spiritus communicatione incrementum recipit: sed vltra hanc rationem quomodo humilitas sicut & hyssopus, durissimos penetrabit lapides? sane cum Dei iram emollit, & quodammodo infringit, quia sicut fulmen dura & sibi obsistentia, blanda vero & sponte cedentia non lædit, sic Deus, *superbis resistit* D vt ait D. Iacob. c. 4. *humilibus autem dat gratiam*, ac proinde ipsius iræ impetus infringuntur, quodammodo humilitate: quemadmodum prętera in expugnatione vrbium, solent qui obsidione tenentur, saccis lana oppletis muros iam iam ruituros protegere, & eisdem multo melius quam duris aliis rebus iaculorum ictus, cedendo sustinent, ita similiter humiles sponte Dei irati ictibus cedentes, eosdem detinent, & quodammodo infringunt, ne ab ipsis penitus interimantur.

Isai. 5. 2. Reg. 6. Iacob. 4.

*A Christo Domino nullus separetur, vel aliquo modo seiungatur, nisi velit perire.*

440 *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, &c. nullus vestrum egrediatur ostium domus*

*vsque mane.* Cur qui celebraturi sunt Paschale A conuiuium, ne foris proferant capita, imperatur? quid refert egrediantur velne, dummodo redeant cum transiturus est exterminator Angelus? nemini dubium quin Christus Dominus dixerit se esse ostium Ioan. 10. quod non intelligendum corporaliter, per quod corporalis pateat ingressus & egressus, sed ostium spirituale scilicet ad vitam æternam possidendam, vt ait Palatius vel vt ait Cardin. Tolet. sicut per ostium aditus & ingressus patet in ouile, sic per Christum & fidem in ipsum ingrediendum est in Ecclesiam Dei: vtrumque confirmat Euthymius, dicens, est ostium per quod ingrediuntur oues ad supernam mansionem, neque enim quisquam aliter ingreditur, nisi per ipsum & fidem quæ in ipsum est, ac eius doctrinam, en cur imperat Deus vt nullus ostium ingrediatur? qui enim paulisper à Christo Domino se separauerit, Angelum percutientem sentiet. hunc sensum allegoricū præbet Procopius. B

Ioan. 10. Palatius Cardin. Tolet. Procop.

*Recorderis fores seu ianuam esse Christum, ipse enim inquit, ego sum ostium, domus est Ecclesia, ab hac nemo qui salutis compos fieri cupit, separetur, non solum quoad locum sed etiam sapiendo & faciendo, quæ in Ecclesia imperantur.*

### *Ne variis & externis affectibus agitemur.*

*Fasciculum hyssopi tingite in sanguine, &c. nullus egrediatur ostium domus suæ vsque mane.* Quo sensu intelligendum est hoc præceptum: cur nullomodo egrediendum est ostium domus propriæ? per domum propriam intelligit Gazæus animam a qua non egrediendum vt variis & externis agitetur affectibus, ne misere pereat: sic autem ait. *Vt contrahenda est anima, nec ei permittendum vt euagetur ad externa negotia, sic nemo egrediatur ex semetipso, nam foris exit omnis, qui agitatur affectibus, cum debeat mentem colligere, & rationem intra mentis adienium vsque ad matutinum tempus continere.* 447

Gazæus.



## *VARIETAS LECT. Vers. 23.*

*VVlg.* Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios, cumque viderit sanguinem in superliminari & in vtroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere.

*Septuag.* Præteribit Dominus ad percutiendos Ægyptios, &c. & præteribit Dominus ostium, & non sinet disperdentem ingredi in domos vestras ad percutiendum.

*Cald.* Et reuelabitur Dominus vt percutiat Ægyptios, &c. miserebitur Dominus super ostium, & non sinet vastatorem ingredi domos vestras ad ad percutiendum.

*OnK.* Et reuelabit se Dominus vt percutiat Ægyptios, cumque viderit sanguinem in superliminari & in duobus postibus, transiliet Dominus & non sinet deuastatorem ingredi ad ædes vestras ad percutiendum.

## *CONCORDIA.*

DIctionem Hebraicam לנגף lingoph vertunt aliqui ad percutiendum, alij vt percutiat, siue cædat Ægyptios, quod vulgatus dixit transcendet ostium domus, explicuit Caldæus dicens, miserebitur Dominus super ostium, hic C enim est transitus Domini, vt misereatur hominum, qui in domo intincta sanguine agni fuerint: verbum autem נתן nathan significat vel dare, vel permittere, vel sinere.

## EXPOSITIO.

TRansibit autem Dominus percutiens Ægyptios. Medio Angelo percussore, quod autem dictum, transibit Dominus, metaphoricè sumendum, scilicet ratione noui effectus: hæc verba transcendet ostium domus etiam per metaphoram accipe pro eo quod miserebitur eorum, quorum ædes aspersæ fuerint sanguine agni, *& non sinet percussorem ingredi domos vestras & lædere*, passiuo sibi tribuit Deus vel certe Angelus vices Dei sustinens, hanc Ægyptiorum cladem, hæc tamen verba satis indicant Deum vel Angelum illum vices Dei agentem alterius vsum ministerio, ait enim non sinet Dominus percussorem ingredi domos vestras. & ita quæri potest, quis ille fuerit, cuius ministerio vsus fuerit Deus? an malus vel bonus genius? certum est Deum in præsenti vita indifferenter homines per Angelos bonos vel malos punire, nam Sodomitas pessimos puniuit per Angelos bonos, quos Abraham paulo ante hospitio susceperat: & tempore Dauidis interempta sunt septuaginta millia hominum per Angelum vtique bonum vt satis indicat scriptura 1. Paral. 21. præterea malus Angelus erat, qui vexabat Regem Saül, tunc iam mente ac voluntate corruptum, & à Deo repulsum; nihilo item minus qui beatum Iob tantopere afflixit malus fuit Angelus, vt pote Sathan vocatus a scriptura.

Aliqui ex sanctis patribus Basil. in Psal. 17. D Theod. & ex aliis Euthymius, Nicephorus, & aliqui ex recentioribus, tenent bonum Angelum fuisse, qui percusserit primogenitos Ægyptiorum: rationes autem quibus id confirment non video, solum enim aliorum tenentium fuisse malum Angelum, soluere videntur argumenta, non autem propriis innituntur.

Basil. Theod. Euthy. Niceph.

Secunda igitur sententia plurium est sanctorum patrum, tenentium hanc percussionem Ægyptiorum factam fuisse per malum Angelum, sic asserunt S. Hieronymus in Isaiam cap. 5. & Ioel 2. S. August. in Psalm 77. Chrysost. etiam hom. 3. de patientia Iob. Isidorus 1. sent. c. 15. Iustinus in Dialog. cont. Trypho. S. Gaudent.

S. Hieron. S. August. S. Isidor. S. Iustinus S. Gaudent.

sent tradit ... in Exod. citato duos grauissimos A auctores eiusdem sententiæ, vt Rupertum, Lyranum, Abul. Genebr. & alios: quod probant rationibus deductis ex sacra scriptura, Deus dicitur hic non permissurus vt percussor ingrederetur domos Hebræorum, vt illis noceret, desiderabat ergo percussor etiam in Hebræos grassari, si permissus fuisset, debebat ergo esse malus genius, qui cuperet etiam Hebræis nocere, sic non desiderasset bonus Angelus, certum est quod vt obtemperaret in domibus Hebræorum, sicut ad signa non signatas transiturum, nec necesse fuisset vt Deus non sineret ingredi domos Hebræorum, tum Angelus bonus non irruisset Hebræos, qua enim de causa? at hic dicitur quod Deus non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere, cupiebat enim Angeli percutientis intentio erat si posset B etiam Hebræos tanquam populum Dei electum interficere. secundo probant ex expressissimo testimonio sacræ scripturæ, nam Regius vates apertè malis Angelis hæc percussio facta sit,
Psal. 77. Misit in eos iram indignationis suæ, & immissiones per Angelos malos, & inde percussit quemque primogenitum in terra Ægypti, ait ergo David immisisse Angelos mala & ideo vt declararet ad quid missi fuerint, ait & percussit omnem primogenitos in terra Ægypti, quasi diceret medijs Angelis malis, quos immiserat Deus interfecit Ægyptiorum primogenitos, scio aduersarios vt eludant hanc authoritatem, ad varias versiones recurrere, dicunt enim quod ex Hebræo ad verbum ita verti debere, immissiones per Angelos malorũ ita vt vox *malus* non sit adiectiua vel epitheton Angelorum, sed poni neutraliter vel substantiuè, vt Angeli malorum C idem sit quod Angeli afflictionum & calamitatum; nam in Hebræo non dixit David immissiones per מלאכים רעים malachim raim quomodo dicere debuit, si vox רעים raim adiectiuè, sed מלאכי רעים malacheraim, quod est signum vocem רעים raim substantiuè poni.

Sed quis non videt hoc subterfugium nullum esse, nam quis non nescit sequendum esse nostram vulgatam, cum aliquid expresse affirmat, vt hic Angelos fuisse malos, & malos adiectiuè sumere non substantiuè, & nullum esse inconueniens cum hoc sensu admittere, nam scimus in hac vita malos Angelos non solum percutere homines, vt septem maritos Saræ, sed etiam bonos Deo permittente attingere, & offendere, vt fecit in sanctissimum Iob, nullum ergo est inconueniens id asserere de percussore Ægyptiorum, quod fuerit malus genius, cum expresse id asseratur à vulgato, quæ quidem alteri cuicumque lectioni præferendus & amplectendus. nec valet recurrere ad aliorum lectionem, Hebræizantes enim Hamminius, Anchbrandus vertunt Angelos malos, Syra lectio Angelum malum, Arabica Angelum malitiæ, imo & Hierony. doctissimus & peritissimus linguæ Hebraicæ in cap. 2. Ioelis legit Angelos pessimos, Chaldaice in textu Nebiim hi nominantur dæmones mali, editio Elysica vocat Angelos crudos; hinc ergo secundæ sententiæ libenter subscribo tanquam probabiliori.

Sed cum dixerit Regius vates plures fuisse malos Angelos, & hic habeamus vnum percussorem, controuersia est an fuerint plures vel vnus; nam neuter textus certam fidem facit, notum enim est esse moris in scriptura ponere interdum singularem numerum pro plurali, & è contra pluralem pro singulari, etenim mihi probabilius videtur fuisse plures Angelos, hoc suadet amplitudo Ægypti, & eadem hora noctis media, vt huiusmodi percussores Angelos plures asseueremus, vnus aliquando occidit Hebræorum septuaginta millia 2. Reg. 24. sed triduo, vnicus Assyriorum quinque & octoginta supra centum millia, at per noctem & in eodem exercitu locoque, rectius ergo creditur plures fuisse Angelos percussores, qui tam breui tempore in tam ampla regione tot domibus, oppidis, ciuitatibus, tot primogenitos inquisierunt atque occiderunt.

## CONCEPTVS.

### *Deus quasi non amator suppliciorum, ea celeriter & obiter infert.*

447. TRansibit Dominus percutiens Ægyptios Sept. Præteribit Dominus ad percutiendos Ægyptios, cum eis debitæ erant pœnæ eisque iustissimè infligebantur, cur non dicitur quod Deus staret vel sederet Ægyptios percutiens, non autem quod transiens vel pertransiens eos medio percussore interficiat? quia Deus quasi non amator suppliciorum, ea celeriter & obiter inferre videtur, hoc notauit sanctus
D.Hieron. Hieronymus in cap. 10. Oseæ, vbi ait, *Verbum transire maxime cum à Deo profertur, semper plagas significare videtur*. Denique inquit ille, *& exterminator in Ægypto transisse memoratur*. Idemque notat in cap. 8. Amos quia transibo in
Ose. 10. medio tui, & certe illud Oseæ 10. ego transiui super pulchritudinem colli tui ad supplicium refertur à Theodoreto, ait enim. *Ego* Theod. *collum eius superbum & contumax domabo*. En D vt Deus non sedens non permanens percutit, sed transiens occidit & veluti obiter statim inde profecturus.

### *Christus Dominus ad iudicium videtur in medio mortis venturus.*

*Transibit Dominus percutiens Ægyptios*, Quandonam? in noctis medio, nunc consulamus quandam traditionem Apostolicam, quã in 448 die vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non licebat, veterum enim Christianorum mos erat, vt in vigilia Paschæ qui in Ecclesia ad diuini numinis cultum conuenerant, ante noctis medium, inde non dimitterentur Christi aduentum

expectantes, quia tunc ad iudicium venturus A videtur, media nocte venit Ægyptiorum primogenitos iudicaturus, meminit huius rei S. Hieronymus in cap. 25. Matth. dicens, *traditio Hebræorum est Christum media nocte venturum in similitudinem Ægypti temporis, quando Pascha celebratum est, & exterminator venit & Dominus super tabernacula transiit, & sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt; vnde reor & traditionem Apostolicam pertransisse, vt in die vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, expectantes aduentum Christi, & postquam illud tempus transierit securitate præsumpta, festum cunctis agentibus diem, vnde & Psalmista dicebat media nocte surgebam ad confitendum nomini Domini.*

igitur similiter tenuere non videtur Ægyptiorum domos ingredi, ne illos & mancipia interficere periret, & violenta morte occumberent innocentum intor, nam si vult ostendere Israelitas, ideo est quia omnium mortalium hostis infensissimus, si autem percutit Ægyptios, ideo est quia etiam impiorum vltor est & vindex, suffragatur Andreas Cæsariensis serm. 8. cap. 22. Apocaly. quod est 8. super eandem. *Per montem magnum Diabolum designatum arbitramur, hic enim est qui & furoris igne contra genus nostrum ardet, & gehennæ incendiis reseruatur, nam & mortalium hostis, & iusto Dei iudicio peccatorum vindex est, & lege rata ita receptum est, vt quiuis eius efficiatur seruus, à quo legitime superatus est.* B

Andreas Cæsariens.

*Sicut Dei propensio est benè facere, sic Diaboli studium est nocere.*

449 *Transibit Dominus percutiens Ægyptios, & cum viderit sanguinem, ostium domus transcendet, & non sinet percussorem ingredi domos vestras & lædere.* Suppono tanquam probabiliorem sententiam, hunc percussorem fuisse pessimum Angelum; quo posito, cur non contentus solos Ægyptiorum primogenitos interficere, vult etiam & Hebræos offendere? & licet sanguinem agni videat in domibus eorum tentat eas ingredi, vt illis vitam adimat, sicut & Ægyptiis? quid autem Deus pro salute & tutamine Hebræorum agebat? non sinebat percussorem ingredi domos eorum; en vt Dei propensio est suos protegere eisque benefacere, cacodæmonis autem ingenium & studium omnes lædere & perdere si posset de vtriusque ingenio recte Eusebius Emissenus ho. 4. de Epipha. de septem sanctis infantibus, qui inquiens quomodo Deus malis bene vtatur, & è contra, diabolus, ait *diuina prouidentia etiam malorum operibus bene vtitur, melior a de contrariis peragit, & ita iustas ordinat causas, vt boni ex aduersis proficiant, & ad pia transeant pietatis ingenia, sicut etiam ex hoc admirando certamine fœlicium germanorum euidenter cognoscitur: nam quos per cruentissimam persecutionem humiliauerat diabolus, exaltauit Deus, quos ille damnauit ille glorificauit, ille opprobriis adimpleuit, hic præmiis, ille affecit flammis, refrigerio hic refecit, ille induxit in mortem, hic ad vitam, de morte perduxit, ille interfecit gladiis, hic dignos fecit coronis, & superius, quanto percussor in necem consistentium immanior, tanto Deus in remuneratione perseuerantium est ditior,* ecce diaboli ingenium & studium, ecce Dei propensio. Deus benefacit, gratias confert, diabolus nihil aliud conatur, quam omnibus nocere, imo & interficere si posset.

Eusebius.

*Diabolus omnium mortalium hostis & peccatorum etiam vindex.*

450 *Transibit Dominus percutiens Ægyptios.* Medio exterminatore Angelo malo, cum impiorum sit amicissimus, & in hoc sæculo illis foueat, vt sceleratiorem vitam ducant, quomodo idololatras Ægyptios non renuit interficere, nam vt deducemus ex textu quasi coactè & violenter abstrahitur ab ædium Hebræorum ingressu, cum propensissimè ad eorum damnum ferretur, cur

*Iustis Diabolus maxime infensus.*

*Transibit Dominus percutiens Ægyptios, &c. & non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere.* Qui sineret ergo eum, ingrederetur domos Israelitarum eosque interficeret, tibi concessum quidem est morte percutere primogenitos Ægyptiorum, at minime datum occidere Hebræos: cur ergo quasi vim faciens retinetur ab ædibus populi Dei? cur ei ita infensus? quia iustus & electus, vt nullo modo ei condonaret, si concessum liberè est eum lædere, nam vt optime animaduertit S. Nilus de octo vitiosis cogitat. cap. de superbia. *Quemadmodum (inquit) prædones in eam potissimum nauem quæ mercibus onusta est, impetum faciunt, eodem quoque modo Diabolus peccatoribus non admodum infestus hostis est, verum iustis acerrimum bellum indicit.* C 451

S. Nilus.

*Diaboli potentia infirma.*

*Transibit Dominus percutiens Ægyptios, &c. non sinet percussorem ingredi domos vestras & lædere.* Nonne potentia eius maxima super terram? quis enim comparabitur ei in fortitudine? quis æqualis ei in viribus? vel potius quem non superat? quomodo ergo Deus non sinet eum ingredi domus Israelitarum? vt quam debilis sit eius potentia agnoscamus, qui nihil potest nisi Deo volente aut permittente, vnde recte Sanctus Laurent. Iustin. lib. de obedientia c. 6. scribens de dæmonibus ait. *Hi quamuis natura sint immortales, ingenio acutissimi, doctissimi experientia, & virtute potentes, inuiti nolentesque obtemperant Domino, nec quicquam nisi eo permittente, aut iubente agere queunt, quapropter siquidem sicut Euangelista testatur, dum à Domino pellerentur ab homine introire porcos, quod minime nisi prius obtenta facultate complere potuerunt; petiit denique Sathan sacro inferente eloquio, vt sanctissimum tentaret Iob, permissum est illi, eo intacto omnem ipsius præripere facultatem, in quo antiqui hostis impotentia ostenditur.* D 452

S. Laurent. Iustin.

*Diabolus proborum orationibus vitorum resistere non potest.*

*Transibit Dominus percutiens Ægyptios, &c. nec sinet percussorem ingredi domos vestras & lædere.* Scio Deum potentissimum esse, vt dæmonem aliquem in suos seruos mouentem possit repellere, sed an etiā hoc meritis Israelitarum dandū, quod 453

cum à suis fortibus repulerint? non desunt qui orationi vacasse asserant, dum Angelus percussor transiret. cur ergo non dicemus non potuisse dæmonem coniungere voluisse, quia orationibus iustorum nunquam resistere potest? non alienus ab hoc sensu S. Isidor. Pelus. lib. 2. Epist. Epistola 51. *Sic extremè dæmonem ne probo quidem à sancto viro eludi, id quidem ex eo constat, quod Apostoli dæmones in fugam agebant, tum ex eo quod Paulus Pythonem gentilium cultum sursum deorsumque misceentem sermone profligauit ac depulit, quin in martyrum templis gratia ea quæ sanctorum virorum corporibus insidet, eos excruciat.* — S. Isidor. Pelusiot.

### *Diabolus nullum tempus aut horam prætermittit vt nos possit perdere.*

454 *Transibit Dominus, percutiens Ægyptios.* Quonam tempore? cum medium silentium tenerent omnia, inquit Sapientiæ Auctor c. 18. & hoc tempore, non permisit Dominus percussorem ingredi domos Israelitarum, quid? an etiam tempore noctis & in medio eius? & cum occupabatur tot primogenitis populi Ægyptii interficiendis, molitur ædes Israelitarum ingredi; vt eis nocumentum afferat vel vitam adimat? quidni? cum omne tempus & horam obseruet, vt vos possit perdere, testatur idem Pelusiota cit. lib. Epist. 164. *Illud permirum videri dixisti, qui fiat vt diabolus viribus eius fractis & debilitatis quamplurimos homines in potestatem suam redigat? ego vero minime illud miror, quod scelestus ille excubans, ac ne tempus vllum nec horam prætermittens nos desidia torpentes & dormientes superet.* — Sap 18.

### *Vix malum aliquod homini accidit in quo Diabolus præcipua causa esse non vellet.*

455 *Transibit Dominus percutiens Ægyptios.* Medio Angelo percussore, quem tamen non sinet ingredi domos Israelitarum, nec eos lędere, ecce vt instrumentum est interitus primogenitorum Ægypti, & etiam si posset idem damnum, eundem interitum inferret Israelitis, nec mirum; ille enim morbos nobis immittit, ipse pestes trahit, immissiones enim Dauid per Angelos malos, & idem Psal. 128. sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi, expugnatum se à iuuentute quæritur, non tamen causam vel manum per quam expugnatur explanat, an quia in omni impugnatione & labore hominum manus sit inuisibilis, nimirum nequitia spiritualis? ita S. Zeno in hunc Psal. fatur. *Causa noscenda est tur auctores impugnationis silentur, omnes humanæ iniuriæ, quæ religiosis viris inferuntur, unum eosdem habet auctores, quos habent ministros; executio quidem hominum est, sed Diaboli instinctus*, noscamus primam manum infirmitatum nostrarum & laborum, quæ licet executioni mandentur ab aliis causis, tamen vt in plurimum has causas mouere solet & incitare in homines ipse diabolus. — S. Zeno

### *Diabolus gaudet in iniuriis hominum inferendis.*

*Transibit Dominus percutiens Ægyptios, &c.* Et non sinet percussorem ingredi in ædes vestras, nec lædere volens, ergo ingredi à Deo impeditur, sed cur à Deo non vocatus nec permissus, molitur ædes Israelitarum ingredi vt eis noceat? quia ita peruersi est ingenii, vt gaudeat lætetur que in iniuriis hominum inferendis, id asserit S. Hierony. in cap. 24. Isaiæ. *Sinistræ quædam sunt contrariæque virtutes venientes, vt impleant furorem Domini, gaudentes in aliena iniuria, atque lætantes, de quibus & in Psalmis legimus, misit in eos furorem iræ suæ, furorem, & iram, tribulationem immissionē per Angelos pessimos, ex his est & exterminator in Ægypto, qui postes agni litos sanguine non audet intrare, & ille spiritus qui egressus stetit in conspectu Domini & ait, ego decipiam Achab 3. Reg. 22. dixitque ei Dominus decipies & præualebis, egredere & fac sic, vnde & in eodem Regum volumine Michæas dixit, vidi Dominum Israel sedentem super thronum suum, & omnis exercitus cœli stabat circa eum à dextris, & à sinistris, dexteræ virtutes sunt eorum Angelorum, qui ad bona mittuntur, sinistræ autem eorum quibus ad puniendum traduntur, vnde & Apostolus 1. Timot. 1. quos tradidi inquit Sathanæ vt discant non blasphemare.* 456 — 3. Reg 22. — 1 Timot.

### *Si vmbra Eucharistiæ immunes reddit à dæmone quid non efficiet ipsa veritas?*

*Transibit Dominus percutiens Ægyptios, &c. & non sinet percussorem ingredi domos vestras nec lædere.* Quid protegit Israelitas immunes à ruina, qua obuoluuntur Ægyptii? quid liberat eos à dæmone exterminatore, qui circuiens quærebat eos interficere? sane agnus rite & pie immolatus & sumptus, vt ex nostro licet colligere textu, quod si vmbra agni Eucharistici ita excellens est, vt immunes reddat à dæmone, quid non efficiet ipsa veritas digne exhibita & suscepta? *Dæmones enim*, (inquit Sanctus Chrysostmus hom. 45. in Ioannem) *cum Dominicum sanguinem in nobis vident in fugam conuertuntur*, & Hugo Cardin. in Psalm. 22. *beata communicatio sancti Eucharistiæ sacramenti, in quo est epulatio fœlix futuritas fidei, esca cœlestis paratur aduersus eos qui tribulant nos nempe contra dæmones*, inquit sanctus Hieronymus. 457 — S. Chrysost — Hugo Cardin.



## *VARIETAS LECT. Vers. 24.*

*Vulg.* Custodi verbum istud legitimum tibi & filiis tuis vsque in æternum.

*Sept.* Et custodietis verbum hoc legitimum tibi & filiis tuis in sæculum.

*Cald.* Et obseruabitis verbum istud in pactum.

*Pagni.* Et custodietis rem illam pro statuto siue in statutum.

*Alij.* Vt sit tibi & filiis tuis perpetuus ritus.

CONCORDIA.

IN Hebreo est לחק lechak, quod alii vertunt statutum, pactum, Septuaginta autem legitimum, חק autem sumitur à radice חקק chakak quod est statuere, & decernere, patescit, sicque omnium idem est sensus, & ita pro huius dictionis notitia (cum pluries repetatur in sacro contextu) obserua, quod negare nemo protervus potest, sumi & vsurpari sæpissime pro æternitate, non rigorosa neque natura sua finis expertè, sed significante durationem quandam longinquam, & cui finis aliquando possit esse siue circa initium siue exitum aduenire: non tamen est præfixus siue constitutus,
Deut. 33. Psal. 16. Ierem. 2. hinc Genes. cap. 49. & Deutero. cap. 33. colles dicuntur æterni, idest antiqui, quemadmodum Psalm. 16. cogitaui dies antiquos & annos æternos in mente habui, Ierem. 2. à sæculo confregisti iugum, Hebraice meogholam id est ab æterno, hoc est ab antiquis temporibus
Genes. 6. B & Genes. 6. isti potentes sunt à sæculo Hebraice meghołam hoc est ab æterno, idest à priscis temporibus, constat enim hæc omnia habuisse à parte ante suæ durationis initium, cum tamen dicantur æterna à parte post, siue versus exitum; suppetunt non pauciora exempla, nam 1.
1. Reg. 1. Reg. 1. dicebat Anna mater Samuelis, ducam eum vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter, in Hebreo habetur ad
1. Reg. 27 verbum, maneat ibi vsque in æternum 1. Reg. 27. & dicebat Achis Rex Geth de Dauide ad se confugiente, erit mihi seruus sempiternus: ex hac igitur significatione gholam pro duratione scilicet longinqua, cui non est appositus finis, quamuis natura sua possit & interdum debeat apponi, liquet nullam vim habere ar-C gumenta quæ Iudæi petunt ex aliquibus scripturę locis, vbi lex vel circumcisio vel immolatio agni Paschalis, vel denique pactum quoddam initum cum Hebræis, dicuntur ęterna siue sempiterna
Genes. 17. Genes. 17. & erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum, agitur autem de pacto circumcisionis, & hic, custodi verbum istud legitimum tibi & filiis tuis vsque in æternum, quibus in locis & similibus semper in Hebræo legitur gholam, quod large vsurpari solet, & sic hic accipiendum est. & sane noster interpres vt indicet quando vertit æternum, non illico significare velle durationem omnino infinitam, pluries vertit sæculum seu antiquum, vnde sit perspicuum, quo sensu accipienda
Rom. 16. & 2. Timot. 1 sunt apud Paulum Rom. 16. & 2. Timot. 1. tempora æterna vel tempora sæcularia, Hebræus enim homo Hebræus, & quamquam D Græce scripserit tamen æterna vel sæcularia perinde dixit ac vetustissima, & ab initio mundi cœpta decurrere, ita Euangelia pro mundo & duratione eius, à sæculo autem pro ab initio
Luc. 1. Ioan. 9. mundi solent accipere, Luc 1. sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt. Ioann. 9. à sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.

Sed inferet fortasis quisquam ex hac doctrina, loca illa scripturæ in quibus Regnum Mes-
Luc 1. siæ dicitur æternum vt Luc 1. regnabit in domo Iacob in æternum, Danielis 7. potestas eius potestas æterna, & Miche. 4. regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsque in æternum, illa etiam loca in quibus alterius vitæ præmia beatorum & impiorum supplicia æterna dicuntur Matth. 25. ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam, & si quæ sunt alia huius generis ac locutionis loca, quæ de rebus perpetuo duraturis agunt, nullam vim habere ad institutionem probandam, facile namque dixerit hereticus aut Iudæus, his in locis Hebræam vocem *gholam* & Latinam, *æternum* sumi plerumque pro duratione æterna, quę tamen finem possit habere. Daniel 7. Mich. 4. Matt. 25.

Ad hoc sic responde, in multis locis ea verba subiungi quæ æternitatem ab illa ampla significatione & vsurpatione non stricta deiiciunt, & ad rigorosam necessario trahunt, vt ad dictum Lucæ locum, regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis, & potestas eius, potestas ęterna, quæ non auferetur & regnum quod corrumpetur: secundo dic sacram scripturam quæ teste Hierony. in fine Epist. aduersus Luciferianos non in legendo consistit sed intelligendo, non esse iuxta cuiusque proprium sed secundum patrum sensum intelligendam, itaut vnanimis Patrum consensus locum aliquem alias obscurum, vel ambiguum, tali vel tali modo intelligat, ea profecto habenda sit legitima intelligentia, scripturæque eo in loco certissima significatio, sicut docet August. ser. 18. de verbis Domini secundum Matth. sub finem, quare quando Patres aut Hebręum gholam aut Latinum æternum, cum de Messiæ regno vel alterius vitæ præmio supplicioue agitur, propria ęternitate accipiunt, non sic autem cum de circumcisione aut de veteri lege agitur, sufficiens sane est ratio & sumatur vno in loco pro vna significatione in alio vero pro altera, sed quid si Iudæi & Pagani Patres contemnunt? tertia sit adhuc solutio. S August.

Sed pro illa obseruandum significationem propriam & primæuam cuiuslibet vocis, sæpe ab illius vsurpatione distingui, nam multoties propter multas quæ interuenire possunt, causas accidit, vt à germana & primæua sua significatione distrahatur, vox enim vsurpatione fundatur Latius quam fuerat ab initio ad significandũ posita, vt statim patebit. Deinde obseruandum dictam vocem gholam quando scribitur sine littera vau, significare durationem limitatam, verbi gratia vsque ad annum quinquagesimum, qui Hebræis erat annus Iubilæi vt patet ex Exod. 26. per forabit Dominus aurem eius subula, & erit seruus in sæculum, & tamen aduentu Iubilæi, seruus soluebatur, quod si scribatur cum littera vau vt fere semper scribitur, tunc veram æternitatem significat, ita docet Hebrææ linguæ peritissimus Hieronymus super illud 2. ad Galat. vt eriperet nos de præsenti sæculo nequam, quod non id eo obseruo, quasi velim in locis annotatis proicircumcisione aut lege veteri gholam scribi sine vau fateor enim ingenuè etiam ibi cum vau scribi, non aliter atque quando agitur de regno Messiæ vel de præmiis aut Ad Galat. 2.

supplicijs vitæ æternæ, hoc tamen volo propriam & germanam significationem prædictę vocis appolita tali littera æternitatem proprie dictam, quod etiam significat latina vox æternum, siue æternitas, & græca vox *con* quam Sept. interpretes fere semper reddunt pro gholā: vltimo obseruandum in omni disciplina siue vocibus ea tradatur, siue scriptis, hanc haberi optimam regulam; vt vocabula semper accipiantur proprie, nisi quid cogat aliter interpretari, quam regulam de sacra scriptura spectatim agens, ita proponit S. August lib. 3. de doctrina christiana c. 1. prius est demonstrandus modus inueniendæ locutionis propriane an figurata sit, & iste omnino modus est: quidquid in sermone diuino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas, quasi dicat, de cætero semper sermo diuinus accipiendus est proprie, nō proprie autē seu figurate tunc solum accipitur, cum honestas morum vel rei veritas proprietatem impedit, & quoniā neutrum horum latinum *æternum* siue græcum *con* sicut Hebręum *gholam*, si proprie accipiatur, cum agitur de retributione animę in futura vita, neque cum agitur de Regno Messiæ, cui ęternum regnum debetur, & tribuitur (sedes tua Deus in sæculum sæculi) hinc efficitur vt citra omnem violentiam in his locis, & christiani & exteri possint ac debeant de æternitate ex parte termini dictam vocem interpretari, non sic autem in alijs locis, vbi veritas quæ ex ipsa caducę rei natura, vel ex diuino testimonio alibi clare proposito constat, omnino repugnat.

S. August.

Rogabis autem cur igitur in posterioris huiusce generis locis, vtitur scriptura voce *æternum*? respondeo quod propter similitudinem & proportionem quandam, siquidem hominibus ea quæ finem aut principium suæ durationis habent, longissime distans, proinde apparent ac si vere ęterna forent, omnique prorsus fine, principioque carerent, imo sic vulgo loqui solemus, cum possessionem, aut consuetudinem, aut quamlibet aliam rem immemorabilis initii agnoscimus vocamus rem ab initio & ante sæcula, id est æternā.

## EXPOSITIO.

*CVstodi verbum istud legitimū tibi & filiis tuis, &c.* Sensus est quę circa Paschę celebrationem & azymorum obseruationem vobis refero, obseruabitis, *vsque in æternum*, hic ritus perpetuus erit vobis, & posteris vestris dum sæculum hoc scilicet veteris legis durabit.

## CONCEPTVS.

### *Maxima Iudæorum durities denotatur.*

458 *CVstodi verbum istud legitimum tibi & filijs tuis vsque in æternum.* Quid necesse est toties idem repetere? nonne pluries idem eisdem significatum est? an ita labilis memorię, vt decidat ilico quod eis imperatum est? non idem inculcatur mandatum, quia labilis sunt memorię; sed quia durissimi sunt cordis, Deoque maxima cum difficultate obediunt, eius iussa facile negligentes: quod S. Basil. Seleuc. Episcopus oratione 19. his verbis expendit. *Quid tibi Israel lucri ex miraculis in Ægypto editis? & quæ vtilitas ex facinoribus Moysis virga perpetratis? aer per ignem in ætherem transiit, quo tuum cor transmutaret, dies dies spatia concessit quo te Domino parere doceret, exstans mare supra naturæ leges in elatur, vt te fidem doceret, igne ad mentem meliorem Deus vocat duritiem contumaciamque tuam reuerentia mollire machinatus, superne cœlum alimentis tibi parandis vacabat, infernæ rupes inexpectatas aquarum compotationes adornabat, quo tibi cessit talium rerum cognitarum fructus? vnicus gentilis supra totam Iudæorum multitudinem fide se extulit: esto gentilis discipulus, nam Moysen legem ponentem non audisti, incredulos, vt credas, sequere.*

S. Basil. Selem.

### *Oportuit totius Christiferi sanguinis lauari & Baptizari pelago, vt digna puritate ad diuinissimum epulum accederemus.*

459 *Custodi verbum istud legitimum tibi & filiis tuis vsque in æternum.* Scilicet vt agni Paschalis cęremonias omnes quas vobis proposui, exacte seruetis, quiquidem agnus typus fuit (vt pluries diximus) agni immaculati qui immolatus est in ara crucis, & quotidie in altaribus nostris incruente immolatur, quod significans Apostolus 1. Cor. 5. ait Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur. nota quod prius diuini agni internecionem memorat, prius sanguineos passionis fluctus, procellosa illa maria dolorum proponit, quibus vniuersi homines immersi sunt, vt Ægyptiis enectis noua conspersio pullularet, & tunc ad epulas adhortatur, quasi dicat, si quidem rubentes passionis vndas excepimus, iam ergo possumus digne epulari: hanc sequelam euidentius educit sanctus Anselmus in cit. Epist. *Epulemur ergo idest epulis corporis & sanguinis eius reficiamur.* Siquidem stolas nostras sanguineus agni torrens inundauit, siquidem rubras vastissimi maris passionis vndas sustinuimus, iam non moremur ad epulas, iam cœlesti pane reficiamur: fallor si huc non respexit Cellens. lib. de panibus c. 13. cum ait, *transeundum igitur mare rubrum vt comedas panem mundum, hoc enim ostensum est in Apoc. cap. 17. ab Angelo Ioannis cum dicit, hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione & lauerunt stolas suas in sanguine agni, ideo sunt ante thronum Dei,* solos eos reputat dignos cœlesti & mundissimo pane, qui, tribulationibus probati hoc est agni sanguine fuerint abluti & dealbati.

1. Cor. 5. S. Ansel. Abbas Cellens. Apoc. 17.

### *Ingens in agno Eucharistico suscipiendo gaudium.*

*Custodi verbum istud legitimum tibi & filijs tuis* 460

*vsque in æternum.* Pascha celebrabitur ab omnibus vobis sed cum azymis, à nobis tam esuso cū gaudio, vt dicat Paulus, Epulemur in azymis sinceritatis & veritatis, hoc verbum sic prolatū letitiam sonat & maximā, vnde ex verbo græco elici potest, saltemus præ gaudio, tripudiemus pre lætitia, vt indicaret quanta alacritate & voluptate perfundantur, qui agni Eucharistici diē cum omnibus circunstantiis debitis celebrant: quod confirmare videtur sponsa Cant. 5. cum hoc suis sodalibus conuiuium offerens, eas ad insolitos quosdā lętitiæ effectus seu potius excessus inuitat, comedite inquit amici & bibite & inebriamini charissimi: vbi in primis soli amici & charissimi, seu vt habent Sept. proximi & fratres, ad hoc conuiuiū accedere iubentur, cęteri qui à Deo auersi sunt & alieni procul ab hac mensa repelli debent, vt D. Greg. Niss. hom. 10. in Cantica obseruat. deinde notandū illud discrimen, nā amici quidem iubentur comedere & bibere, Charissimi autē inebriari, quia quo quis paratior & sanctior & charior accedit, eo maiori gaudio triumphat, qui eandē dilectissimus sic exultat, vt quadāmodo inebrietur & mentis excessum patiatur, quæ ebrietas & excessus est summa lętitia & exultatio, vt notat S. Greg. loco cit. *Per illum diuinum cibum & potum semper fit commeatio cum cibo & potu, mutatione & excessu à deterioribus ad meliora*, hoc est si nostra tanto gaudio congruat dispositio.

Cant. 5.

S. Gregor.

### *A minimarum rerum neglectu ingentia damna oriuntur.*

461 *Custodi verbum istud legitimum tibi & filijs tuis vsque ad æternum.* Omnino custodias, quę tibi iniuncta sunt, ne à transuerso pedis ab omni ritu in esu Paschalis agni obseruando elongeris: in hoc autem includebatur abstinentia à fermento; quod etiam in sumptione agni Eucharistici prohibebat Paulus dicens 1. Corint. 5. modicum fermentum totam massam corrumpit, cur non ait solum, fermentum totam massam corrumpere? cur signate addit modicum? modico quidem quia à minimarum etiam rerum neglectu ingentia oriuntur dāna: huc verba flexit S. Petrus Damia. opus. 12. c. 7. *Si* (inquit) *perexigua mala, largissima sæpius bona corrumpunt, quo pacto de lenocinante conscientia te iactas quia minimum est quod contra professionis tuæ propositum priuata proprietate possideas, nam iuxta Apostolum modicum fermentum totam massam corrumpit, & Ecclesiast. 19. qui modica spernit paulatim decidet*, qui exemplo probat qui non diuitis conuiuii apparatu non repetita mensarum variorumque ciborum delectatione sed vno vnius pomi esu omnem posteritatem infecerit & ingentiū malorū semina ad posteros transmisent; hæc eius verba. *Neque enim primi parentes nostri ex illo prohi-*

1. Corint. 5.

Petrus Damian.

*bito pomo frequentibus sunt conuiuiis crapulati, cuius vna tantum leguntur infausta perceptione corrupti, sed non idcirco momentaneæ vltionis perplexi sunt pœna, quia diutius non persistere transgressores in culpa.*

### *Parentes in erudiendis filijs quæ sunt Dei, sint assidui.*

*Custodi verbum istud legitimum tibi & filiis tuis vsque ad æternum.* Quasi diceret, vos parentes custodite quę vobis iniungo, & custodienda à filiis vestris satagite, nā hęc ad Dei cultum pertinent. 462 pendamus quæso quæ Clemens. Alexand. lib. 2. Pedagog. c. 8. de filiis dicat, & quomodo eos appellet, scilicet matrimonii flores, matrimonii inquit flores liberi, quos quidem carnalium pratorum diuinus colligit agricola, concinit S. Hiero. Epist. 9. ad Saluiam, vbi de illius fœminæ filiis loquens, Rosarum inquit & liliorum Calathus, eboris ostrique commercium, facit etiā Psal. 44. qui quoddam epithalamium seu carmen nuptiale complectitur, sic enim inscribitur pro iis qui commutabūtur filiis Core, S. Hierony. transfert, pro floribus seu liliis filiorū Core, hoc est pro filiis Core, qui sunt veluti quidā flores ac lilia, sed quænam similitudo filii cum liliis? quod sicut lilia diligentem custodiam requirunt ne defluant aut marcescant, ita plane & filii diligentem vendicant Pedagogiam, vt in cultu Dei erudiantur, vt ritus & cæremonias à Deo mandatas perdiscant: vnde S. Hierony. in Epist. 7. ad Lætam exhortatus parentem ad filios bene instruendos rationem subdit. *Cito, inquit, flores pereunt, cito violas & lilium & crocum pestilens aura corrumpit*, quare sicut natura quodam veluti spinarum vallo rosas circumuenit, vt melius pullulent, pulchriusque florescant nec vllis pateant iniuriis: ita & parentes aculeatis præceptionibus debent filios erudire, tum in cultu Dei amplectendo, tum & à vitiis abstinendo.

Clemens. Alexand.

S. Hieron.

### *Negligentiæ parentum tribuuntur indisciplinati filij.*

*Custodi verbum istud legitimum tibi & filijs tuis vsque ad æternum.* Vobis expono quæ sunt obseruanda in ritu agni Paschalis edendi, idem aperite filiis vestris: cur mentionem fecit filiorum Moyses, qui edocendi essent à parentibus de cultu Dei, nonne ad id tenentur parentes? tenentur quidem, sed quia plures, in eo sunt desides, ne negligentię eorum tribuantur filii indisciplinati, & his quæ sunt Dei, consulit Moyses vt eos erudiant. 463 *In filiis enim suis vir agnoscitur*, Ecclesiast. 11. in quæ verba Ambr. cit. in glossa, *vnusquisque*, inquit, *in filijs suis æstimatur, si bene filios suos instituit & disciplinis erudiuit, siquidem ad negligentiam patris refertur dissolutio filiorum.*

Ecclesiast. 11. S. Ambros.



## *VARIETAS LECT. Vers. 25.*

*Vulg.* Cumque introieritis terram quam Dominus daturus est vobis vt pollicitus est, obseruabitis cæremonias istas.

*Sept.* Custodite seruitutem hanc, *ita Oleaster.*

*Cald.* Obseruabitis cultum hunc.

*Pagni.* Custodietis opus hoc, *ita & Arias.*

*Aly.* Custodietis ministerium hoc.

## CONCORDIA.

INterpres noster legit cæremonias, vbi in Hebræo est העבדה הזאת hahaboda azot, quæ verba ab aliis varie redduntur, nam Septuag. seruitutem dixere, Caldæ. cultum, alij opus vel mini- A sterium. nec mirum cum vox haboda omnia hæc in sua significatione comprehendat, tum etiam non est inusitatum in sacro contextu, seruitutem pro cultu & ministerio vsurpare.

## EXPOSITIO.

*CVmque introieritis terram quam daturus est Dominus vobis.* Ex his verbis inferunt aliqui, Iudæos vsque ad ingressum terræ promissionis hæc non obseruasse ex præcepto, sed esto ita sit, non tamen ex hoc textu certo deprehenditur. non enim quia de eorum obseruatione, cum in B terram Chanaan introirent, sermonem facit, ideo illorum obseruantiam ante ingressum excludit. *Obseruabitis cæremonias istas*, cæremoniæ dicuntur quædam obseruationes, vel modi speciales colendi Deum, qui non sunt de se ad aliquid determinati, sed ex solo Dei mandato vel legislatoris,

## CONCEPTVS.

### *Etiam externus cultus Dei siue cæremonialis necessarius est.*

464. *OBseruabitis cæremonias istas.* Cur vsque ad cæremonias tenentur? nonne satis est quod Deum toto corde, & tota mente diligant? quod cum in spiritu & veritate venerentur? ad quid igitur adhuc externæ cæremoniæ? aduerte quod si nuda mens esset nostra, nec vllo membrorum inuolucro irretita, satis esset Deum in spiritu colere: quoniam vero iuncta est & implicata cum corpore, ac illius adminiculo persæpius mouetur, & nititur ad summum Deum: ideo adhuc alius constituendus est cultus qui corpore, quique rebus externis exhibetur. cur ergo non necessariæ essent C cæremoniæ, quibus Dei cultum exterius testamur? sic Basil mag. hom. de vita solit. c. 5. si extra S. Basilius. corpus constituti essemus, necessarium esset ea tantũ curare quæ animæ soli optime conducerẽt; quoniam vero geminus est homo, conuenit esse geminũ virtutum studiũ, quod & corporis laboribus & animæ exercitiis absoluatur. ne illud quidem homini christiano certum & indubitatum esse debet, quod omnis Dei cultus, omnis veræ pietatis & religionis vis, per quam cum Deo vere coniũgimur, ac illius numini maiestatique dediti sumus, in mente & spiritu & in ipsa interiori voluntate consistit, quæ voluntas cum bona & magna est, charitas vocatur, per quam adhærentes D Deo, vnus cum eo spiritus efficimur: hac coli maxime Deus gaudet, qui cum sit spiritus in spiritu & veritate, vult adorari. non ex alia causa quamobrem de sublimi cœlo filium suum in hãc lachrymarum vallem dimittere, & hoc mortis nostræ corpus indutum in terris versari cum hominibus voluit, quam vt sicut ipse nobiscum vna caro & vnum corpus fieri dignatus est, sic nos vicissim eius qui prior dilexit nos & semetipsum tradidit pro nobis, amore inflãmati, ex illo toti pendentes, in illo acquiescentes in illius beneficiorum contemplatione, omni mente cogitationeque nostra defixi voluntates & actiones omnes nostras ad illum tanquam ad vltimum finem referentes, vnus cum eo spiritus efficeremur hic est ille cultus quem præcipue Deus à nobis exigit, quem quantum diligimus tãtum colimus, nã sicut ab August. Epis. 120. c. 18. quoque scriptum legimus, pietas Dei cultus est, nec colitur ille S. August. nisi amãdo. cæterũ vbi verus est amor, nequaquã sic in ipsa mente reconditus & abstrusus esse potest, vt non per signa quædam & indicia se foras proferat, ac ad spectantium oculos traducat: hinc illæ sublationes & deiectiones oculorum, pectorum percussiones, capitum inclinationes, genuum inflexiones, & aliæ huiusmodi gestationes, quæ ceremoniæ vocantur, quæ sicut externa alia omnia, ita demum ad promerendam gratiam & misericordiam Dei momenti aliquid adferre videntur, si ea ex intima erga Deum voluntate proficiscuntur imitationes vt sint & simulachra animi varios in se affectus erga Deũ suscipientis: est autem duplex cæremoniarum vsus, quædam enim è veritate mentis profectæ in ipso corpore & in iis quæ vnita sunt corpori suscipiuntur, cuius generis sunt preces, Deique inuocationes, & ea quæ paulo ante recensuimus: quædam non magis à veritate proficisci quam ad illam aspirare videntur, quales illæ sunt quæ in templis, ornatibusque templorum, in varietate ordinum, in ritu quorundam sacrorum, in cantibus, in vestibus, in festorum dierum celebratione sitæ sunt, quas qui sumptu suo instituerunt si non alia re quam fragranti Dei amore adducti fecerunt, nec alium, quam laudem ipsius & gloriam, finem sibi propositum constituerunt, fieri non potest, quin hæc eorum præclara voluntas, cum primis Deo grata sit & accepta, sit suam apud illum mercedem habitura: omnes autem hæ cæremoniæ ad instructionem populi ordinantur, est enim illius pars maxima, qui cum sensibus magis quam intelligentia menteque mouetur, suis cogitationibus ad pie Deum colendum, & eius eximiam benignitatem contemplandam, ac grata quædam recordatione colendum, facile valeat excitari. quamobrem fit non raro rebus in his externis, quæ in oculos incurrunt, quæque sensibus

offeruntur pulsatus sæpius & admonitus, curam tandem aliquam & meditationem homine grato dignam suscipiat: huius igitur vtilitati, ceremoniarum horum institutione prospectum est, maxime sumuntur autem cæremoniæ à persona, re, loco, & tempore; & sunt quæ recta ad Deum ipsum referuntur, cui cultus exhibetur, vt ritus sacrificij: sunt quæ ad homines Deum colentes, vt ieiunia, eleemosynæ, orationes, & eiusdẽ generis exercitationes; aliæ quibus animus hominis ad colendum Deum præparatis, sunt rursus alia quasi quædam instrumenta diuini cultus, vt sacra vasa, sacræ vestes, chrisma, cereus, luminaria & id genus alia. Fauet noster Seraphicus Doctor tractatu de 7. donis Spiritussancti cap. 2. titulo de dono pietatis. *Sed notãdum, quod duplex est cultus, scilicet cultus interior & exterior, interior cultus est quo quis se offert Deo tanquam principio suæ creationis, & fini suæ beatificationis, & hoc quantum potest secundũ omnia quæ ab ipso recepit, quod recta ratio dictat, & natura ad hoc inclinat. ratio dictat, quia inferius debet subesse superiori à quo dependet, & à quo multipliciter deficit, ideo eius indiget influentia, quam consequitur natura rationalis suum superius colendo; vt dictum est, similiter natura ad hoc inclinat quod satis natura rationalis ostendit, cuius desiderium non quiescit plenè, nisi in suo superiori. vnde August. in libro Confessionum primo dicit: Domine inquietum est cor meum donec veniat ad te. cuius ratio est, quia Dominus est animæ patria, vt dicitur in libro de Spiritu & anima. simile dicit Isaac: in libro de contẽptu mũdi in principio. cultus exterior, consistit in oblationibus, sacrificiis, adorationibus, & similibus, quæ sunt signa protestantia interiorem cultum, qui soli Deo debetur: vnde August. in lib. de ciuitate Dei, dicit quod hic cultus soli Deo debetur, quia videmus in omni repub. obseruari, quod rectorem suum aliquo singulari signo honorat, quem quicunque alteri exhiberet, incurreret crimen læsæ Maiestatis: vnde lege diuina pœna mortis statuitur his qui diuinum honorem aliis exhibent, qui immolat Diis occidetur, præterquã Domino soli.* hæc Bonauentura. Exod. 22.

*Cæremoniæ quæ etiam à loco sumuntur non vituperandæ, sed admittendæ.*

465. *Obseruabitis cæremonias istas.* Quandonam? cum introieritis terram quam daturus est vobis: sed cur tunc potius quam in deserto? an locus ad sanctitatem sacrificij pertinet? an terra promissionis necessaria est vt rite huiusmodi cæremoniæ seruentur? nonne hoc superstitionem sapit, potius vnum locum eligere quam alium? ne tale dixeritis, cæremoniæ enim sanctæ à loco etiam iure merito sumuntur, nam oraturi ad templa conuenimus, quæ sunt ædes Deo solemni ritu consecratæ, quin & corpora nostra non nisi in templis aut certe in cœmiteriis, quæ & ipsa consecrantur, sepeliri volumus: præcipue vero tremendum illud sacrificium alibi quam in æde consecrata peragi per sanctorum patrum canones non licet. neque nouum hoc est institutum, nam præterquam quod in veteri etiam lege tabernaculi per Moysem ac templi per Salomonem constructi fuit vsus, etiam Petrum & Ioannem in templum Hierosolymitanum ascendisse legimus ad horam orationis nonam, quibus autem in locis euangelium prædicabant: nominatim autem in Asiæ, Syriæ, Æthiopiæ & Indiæ ciuitatibus, quin & apud ipsos Anthropophagos, Philippum, Bartholomæum, Matthæum & Andream templa, & quidem maxima construxisse tradit Niceph. lib. 2. c. 39. 40. 41. quos eodem illa consecrasse quoque dubium non est, vt in alios vsos ea transferri fas non fuerit: etiam si primus Higinus referente Gratiano de consecratione lib. 1. cap. omnes. & ante eum Iuone lib. 2. decret. vel vt ipse vocat basilicarum consecrationis mentionem facere videatur. Philo quoque qui fuit Apostolorum æqualis, scribit hoc de viris Apostolicis quod habuerunt sacra domicilia quæ temina siue monasteria vocabant, in quibus manentes honestæ ac sanctæ vitæ mysteria celebrabant, nihil illo inferentes nec potum, nec cibum, nec aliud quicquam eorum, quæ ad corporis sustentationem necessaria sunt, sed leges & oracula prophetarum, & hymnos ac reliqua eiusmodi quibus scientia & pietas augescunt & consummantur: ac illud quidem dubium non est, quantum ad ipsum Deum attinet nihil referre, quo in loco colatur qui cum corporis sit expers, nullis finibus circumscribitur, nec loco clauditur vllo. quod nec ille ignorabat qui templum illi fabricatus 3. Reg. 8. *Si cælum,* inquit, *& cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis hæc domus quam ædificaui tibi?* Cæterum quod in templis potius orationes præsertim vero sacrificia peraguntur, hominum id causa constitutum est, quorum ingenium est præsertim eorum qui sunt de vulgo, vt quæ peruulgata sunt, minorem eorum rationem habent, quin ea despicatui ducunt, si quę vero solemni ritu proprie diuinæ rei faciendæ dicata & consecrata sunt, nescio quomodo maiore quadam habentur à multis, veneratione. sic videmus ad Regum ac principum venerationem, permultum facere, si domus habitent, quam reliqua multitudo, magnificentiores, si vestes etiam habeant splendidiores. visum est igitur ad multitudinis maiorem erga Deum reuerentiam excitandam, non parum interesse vt ædes certe constituerentur, in quibus res alia nulla fieret, præterquam quę ad colendum Deum pertineret: postulabat ergo ratio vt locus aliquis designaretur, in quo beneficia Dei quam maxime clara testataque redderentur cunctis: cui rei non alia domus magis visa est idonea, quam ea ipsa quæ rebus diuinis faciendis esset dicata, est quidem verum quod in omni loco Deum adorare fas est qui non locum sed mentem requirit feruidam, sic Hieremiam in cœno, sic Danielem in lacu, sic Iob in sterquilinio, sic Ionam in ventre ceti, sic Latronem in cruce pendentem, sic Ezechiam in lecto decumbentem, sic Paulum in carcere clausum, Deum deprecatos & ab eo legimus exauditos. sed si illam mentem feruidam ad locum sanctum, ad congregationem sanctam attuleris, certum est & indubitatum, quod ex tali mente profectæ preces multorum Deo gratiores, & ad quiduis impetrandum futuræ sint efficaciores. est quidem verum quod vbique est Deus, verum

Niceph. Higinus. Gratian. Philo. 3. Reg. 8.

Psal. 32. non vbique tamen æqualiter operatur, *misericordia Domini plena est terra*, Psal. 32. sed in scripturis tamen legimus quod certa loca suis operationibus delegit exauditioni templum Hierosolymitanum, arcam miraculis, piscinam probaticam ægrorum solatio, templum quidem eo dignatus est honore, vt si quis etiam exul versa facie oraret, exaudiretur. quod priuilegium alteri loco concessum non legimus, arcæ vero tantam virtutem esse voluit vt ea præsente funderentur hostes, Hiericho corrueret, & Iordanis retrorsum conuerteretur. piscinæ vero probaticæ prærogatiuam hanc fuisse nobis Euangelium indicat, vt qui primus in eam descendisset, quocumque tandem affectus esset morbo, statim ab eo liberatus discederet, nunquid parem vim ad sanandum aliæ quoque vulgares aquæ habuerunt? sic Deus cuius misericordia pleni cœli, plena est & terra, licet nullo loco circumscribatur, certa tamen loca esse voluit, in quibus manifestius virtutem suam declararet.

*Celeberrima debet esse dies, in qua agnus Eucharisticus instituitur.*

466 *Obseruabitis cæremonias istas.* Inter quas non inferiorem locum obtinebat, quod dies in qua agnus comedebatur, cultu sempiterno celebris debebat haberi. ad quod alludens Regius Propheta ait Psal. 75. quoniam cogitatio hominis

Psal. 75. confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. quæ auctoritas de morte Christi exponitur, iuxta Augustin. sermo 78. de diuersis, ergo sensus est, Christus quidem mortuus est semel, eius tamen memoria quotidie celebratur, dum in Eucharistia eadem Christi passio sine cruore redit. illud autem aduertendum, Christi mortem & passionem non vocari diem festum, sed solam Eucharistiam, ait enim reliquiæ cogitationis, idest Eucharistiæ, quæ memoriale est passionis Christi, diem festum agent tibi; dies enim in quo mortuus est Christus, dies quidem fuit, sed dies profestus. si cum eo die comparetur, in quo Christus D. Eucharistiam confecit. in hunc sensum trahit Augustin. illud 1.

1. Corint. 5. Corint. 5. etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, id est nondum primo immolaretur per cruorem, sed cum eius memoria celebraretur in Eucharistia, siue tunc quidem Pascha nostrum est, ergo celebris mundo fuit dies ille, in quo Christus per mortem nostrorum peccatorum pretium persoluit, multo magis celebris dies in quo sacramentum altaris confecit, adeo vt hic dies festus sit & Paschalis celebritas; ille vero si cum isto comparetur pro festus, sic autem loqui-

S. August. tur S. Augustin. *Quod enim semel factum est in rebus veritas indicat, hoc sæpius celebrandum in cordibus piis solemnitas renouat, veritas, quæ facta sunt sicut facta sunt, aperit: solemnitas autem ea non faciendo sed celebrando, nec præterita præterire permittit: denique Pascha nostrum immolatus est Christus, proinde secundum vocem veritatis semel Pascha dicimus festum, secundum autem vocem solemnitatis omni anno dicimus Pascha venturum. sic intelligi arbitror quod in Psalmo scriptum est, quia cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.*

*Quia Iudæi Dominum non audierunt, exteriora eorum contempsit.*

*Obseruabitis cæremonias istas.* Quantum temporis? vsque in æternum, quo cultu? sempiterno; 467.
quid est hoc? nonne aperte scimus huiusmodi cæremonias nunc non obseruari, euacuatas esse, nullius veritatis, à Deo & ab hominibus neglectas? vnde earum contemptus & negligentia? non crediderunt Deo dicenti & insinuanti eas tantum esse rerum futurarum vmbras, & adueniente veritate nihili ducendas, sed ipsam amplectendam veritatem: quid mirum igitur, si nunc etiam in abominatione sunt? quia enim Iudei Dominum contempserunt, eorum exteriora & cæremonialia contempsit. hinc recte sanctus Vualfridus libr. de rebus Eccles. cap. 13 *In vanum*, inquit, *ligna & lapides poliunt qui mores non componunt, frustra dona & pecunias comportant, qui interius diuinæ subtilitatis oculum non placant; nam quia Iudæi Dominum interius non audierunt, exteriora eorum contempsit.* quod confirmans concludit, *ergo propter peccata hominum loca sacra neglecta, testis est Arca ab allophylis capta, templum toties prophanatum & euersum &c.* S. Vualfr.

*Cultus exterior Deo exhibendus in gratitudinem deuotionis.*

*Obseruabitis cæremonias istas.* Cum ingressi 468.
fueritis scilicet terram promissionis, cur hic cultus cæremoniarum tunc à Deo requiritur, cum iam egressi fuerint ex Ægypto, nec non terram, cuius tanto desiderio tenebantur, consequuti iam fuerint? quid enim proderit tunc in agni Paschalis esu baculos in manibus, renes accinctos habere, necnon obseruare omnia quæ hic iubentur à Deo? aduerte earum omnium memoriam habere noluisse, vt sibi tanquam benefactori non essent ingrati, lauda ergo huiusmodi cæremonias a Moyse voluisse obseruari, cultus enim exterior Deo exhibendus est in gratitudinem deuotionis, quod late expendit noster Bernardinus Senensis tom. 1. ser. 10. de cultu idololatriæ art. 3. cap. 1. *propter infinitam* (inquit) *Dei bonitatem cultus ei tres exhibendi sunt, qui enim credit Deum esse bonum & beneficum, tres ei honores impendit, quorum primus est gratitudo deuotionis, secundus promptitudo delectionis, tertius est rectitudo intentionis.* declarans autem actus quos exercemus & frequentamus quotidie in diuino cultu, *primus* S. Bernard. Senens.
*est* inquit *recognitio, secundus benedictio, tertius collaudatio, quartus glorificatio, primus est recognitio, quæ est gratiarum actio pro receptis, vnde Regius Vates Psal. 21. ait, Cantabo Domino, id est recognoscendo recepta beneficia: secundus est benedictio, quæ* Psal. 21.
*est bonorum imprecatio largitori, sicut Psal. 115. benedictus es Domine Deus patrum nostrorum & laudabilis & gloriosus in sæcula, & Psalmo 33. benedicam* Psal. 115.
*Dominum in omni tempore semper laus eius in ore* Psal. 33.
*meo: tertius collaudatio, quæ est benefactoris magnificatio, vt pote cum dicimus tibi Domine gloria & imperium, honor & magnificentia, nobis autem confusio & opprobrium semper debetur. vnde Psal. 47. magnus* Psal. 47.

bonum quale est religio, nam alia quæ videntur hominis esse propria, cæteris etiam animalibus sunt communia, hominis vero proprium religionem & verum Dei cultum habere, sic erudité Lactant. lib. de falsa sapientia cap. 4. *summum bonum* (inquit) *hominis in sola religione est, nam cætera etiam quæ putantur esse hominis propria, in cæteris quoque animalibus reperiuntur, cum enim suas voces propriis inter se notis discernunt atque dignoscunt colloqui videntur, ridendique ratio apparet in his aliqua cum demulsis auribus & oculis in lasciviam resolutis, aut homini alludunt, aut suis quisque coniugibus ac fætibus propriis &c. incertum est igitur vtrumne illa quæ homini tribuuntur communia sint, cum aliis viventibus: religionis certe sunt experti, & quia in homine ipsa ratio perfecta est, sapientia nominatur, quæ in hoc eximium facit hominem, quod soli homini datum est intelligere diuina: in hominibus nulla gens est, neque tam mansueta, neque tam fera quæ non etiam si ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat, philosophi, qui volunt animos omni metu liberare, tollunt etiam religionem, & orbant hominem suo proprio ac singulari bono.*

Lactant.

### *Homo & religionis & sapientiæ cupidus.*

471. *Cum dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio?* Cur tanto desiderio id sciendi tenentur? quia in colendo Deum sapere debemus, quod cultus sit reddendus, & quomodo dignè venerandus, & in sapiendo colere id est re & actu quod notum est nobis implere; non enim sat est scire, quid religio, nisi scientes quæ sunt religionis, ea adimpleamus, quod docet eit. Lactant. cap. 11. Naturam hominis hanc Deus esse voluit, vt duarum rerum cupidus & appetens esset, religionis & sapientiæ. sed homines ideo falluntur, quia aut religionem suscipiunt omissa sapientia, aut sapientiæ soli student, omissa religione, cum alterum sine altero verum esse non possit: idcirco dicendum quod in sapientia religio, & in religione sapientia est, tantoque nexu sibi inuicem cohærent, quod vtrumque verum esse necesse est quia & in colendo sapere debemus quid sit colendum, & in sapiendo colere, idest re & actu, quod scierimus adimplere. ibique sapientia vere cum religione coniungitur, vbi Deus colitur vnus, secundum suam sanctissimam voluntatem: itaque veri illi sunt Dei cultores, qui sapientiam cum religione coniunctam habent, quia sapientia spectat ad filios, quæ exigit amorem, religio vero ad seruos, quæ exigit timorem: nam sicut illi patrem diligere & honorare debent, sic hi Dominum revereri & colere: Deus autem qui vnus est, quoniam vtramque personam patris & Domini sustinet, eum amare debemus, quia filij sumus, timere quia serui: non potest igitur religio à sapientia separari, nec sapientia à religione secerni, quia idem Deus est, qui & intelligi debet, quod est sapientiæ, & honorari quod est religionis munus.

Lactant.

### *Deum quem amiseramus, religamus.*

472. *Cum dixerint filij vestri quæ est ista religio?* Cald. *quid est hic cultus?* Si ergo id sciscitantur, de speciali hoc cultu & religione, non grauabimur eis satisfacere in communi, non quid ieri inquirimus, sed solum quid nominus, vtrumque enim eos do-

A cere debemus. supponamus Deum relinquentes peccato & inobedientia primi parentis: religiosi ergo dicemur, si eum denuo religantes, & toto affectu obsequimur. audi S. August. lib. 10. de Ciuit. c. 4. sic docentem: *Ipse Deus fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis, hunc eligentes, vel potius religentes, amiseramus enim negligentes, vnde & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus, ideo beati quia eo fine perfecti.* Sed an alia religionis etymologia? Lactant. lib. 4. diuin. instit. c. 28. à religando religionem vult esse nominatam scribit enim, *nomen religionis a vinculo pietatis esse deductum, quod hominem sibi Deus religauerit, & pietate constrinxerit, quia seruire nos ei vt Domino & obsequi vt patri debemus: hac enim conditione gignimur, vt generanti nos Deo iusta & debita obsequia præbeamus, hunc solum nouerimus, hunc sequamur, hoc vinculo pietatis obstricti Deo & religati sumus, vnde ipsa religio nomen accepit.* Lactantio manifeste adstipulatur sanctus Hieron. c. 9. Amos. scribens religionem à religando dictam esse, quod quasi in fascem Domini vincti & religati sumus ab his non discedit Isidorus Hispal. lib. 18. Etymo. docens religionem ideo a religando dictam, quod per eam vni soli Deo religamus animas nostras ad cultum diuinum animo seruiendi.

S. August.

Lactant.

B

S. Hier.

Isidor. Hispal.

### *Vera Dei religio, verus Dei cultus.*

473. *Cum dixerint filij vestri quæ est ista religio?* Caldæus, *quid est ille cultus?* Cur non vertit religionem sicut & ipse vulgatus? an synonyma sunt cultus & religio? tibi satisfaciat S. August. lib. 10. de ciuit. Dei cap. 4. *Verus Dei cultus, vera religio, recta pietas & debita seruitus est, diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, & diligere proximum tanquam sicut te ipsum.* Religio autem quæ nunc Christiana & Catholica nuncupatur, vt cum eodem August. loquar libr. 1. retrac. cap. 13. erat & apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quo vsque ipse Christus veniret in carne, vnde vera religio quæ iam erat, cœpit appellari Christiana, quæ sola propriè verè & antonomasticè appellanda est, verus Dei cultus, per quem religiosè Deo servimus & obtemperamus, cumque quantum in nobis est sectamur, quoniam secundum eundem doctorem, religionis summa est imitari quem colimus, & reuera in hoc vniuerso nihil est, quod homines debeant quærere diligentius, amplecti charius, & tueri constantius, vera & salutari religione, sine qua non homines, sed bruta, imo brutis peiores sunt, Lactant. lib. 3. diuin. instit. cap. 10. teste & scribente, *qui religionem non suscipit, vitam pecudum secutus humanitate se abdicat.*

S. August.

C

D

Lactant.

### *Qui verè religionem possidet, nec superstitiosus nec negligens.*

474. *Cum dixerint filij vestri quæ est ista religio?* Cald. *quid est iste cultus?* An ita à mente alieni, vt quid agatur non intelligatis? nonne immolatur agnus? nonne comeditur cum lactucis agrestibus & pane azymo? sinite has cæremonias peragi? quæ vobis cura anxios reddit quænam sit hæc religio quæ à vestris patribus exercetur? quid mirum si ita sciscitantur? in cultu enim Dei nec negligentes esse volunt, nec superstitiosi, vtrumque enim reijcit vera religio, sic testatur

S. Hieron. Sanctus Hieron. lib. 16 in c. 57. Isaiæ. *[illegible] via religio, via regia est, pietas erga Deum, cognita vna [illegible], [illegible] quæ dixit à via [illegible] & [illegible], vel quæ [illegible] incedere, via regia temperata est, nec plus in se habens nec minus, declinat ad dexteram pietatis, qui superstitiosus est & [illegible] ad sinistram qui negligit, & [illegible] nuncupatur: via enim regia temperata est, nec plus in se habens nec minus.*

## *Cultus Dei seruitus Dei.*

474. *Cum dixerint filij vestri, quæ est ista religio?* Cal. *quid est iste cultus?* Septuag. quæ est ista seruitus? sic etiam Oleaster, si religione liberi sumus, quæ enim minor captiuitas, imo quænam maior libertas quam ab idololatria exire, & verum Deum venerari? cur ego vertunt Septuag. imo & Hebræi [illegible] seruitutem, vbi legimus cultum, vel religionem? quia verus Dei cultus est illi soli seruire, suffragatur S. August. lib. 10. de ciuit. Dei

S. August. c. 1. *Quæ* λατρεία *Græcè nuncupatur latinè interpretatur seruitus, sed ea qua colimus Deum vel quæ* θρησκεία *Græcè, latinè autem religio dicitur, sed ea quæ [illegible] est erga Deum, vel quam illi* θεοσέβεια *[illegible] non verbo exprimere, sed Dei cultum possumus appellare, hanc ei tantum Deo deberi dicimus qui verus est Deus, facitque suos cultores Deos.*

## *Patrum præcipuum munus est filios docere religionem.*

475 *Cum dixerint filij vestri quæ est ista religio? dicite eis victima transitus est.* Cur Moyses iniungit patribus, vt filios suos doceant quænam est hæc religio ab ipsis obseruata? nonne magistris quibusdam & præceptoribus hoc præcipere potuit, eosque constituere super omnes Israelitas, ad documenta eis præstanda? potuit, sed committit hoc patribus, quia præcipuum munus eorum est filios docere religionem, eam ob rem non sine

Hebr. 12. causa scribebat Apostolus Hebræo. 12. patres carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos, quoniam vt scribit Iosephus lib. 1. contra

Iosephus. Appion. *Hebræorum præcipua [illegible], circa filiorum nutrimenta, ea [illegible] legum custodiam, & traditionem, pietatem tanquam totius vitæ opus necessarium, educere.* Et idem lib. 2 volens ostendere summam vniuersorum Hebræorum sapientiam, & scientiam scribit, *nostrorum quemlibet si quis diuinas leges interroget, [illegible] nomen suum recitat [illegible] quidem max à primo sensu eas [illegible], in animo veluti [illegible] habemus.* Et vt de

Eusebius. ipsis Iudæis scribit Euseb. lib. 2. de præp. euang. c. 2. *Qui Spiritus sancti gratia discernere de spiritibus [illegible], dicta & scripta diligentes examinabant, & quæ aliena videbantur à veritate, sicut pseudoprophetarum libri reprobantur, scripturæ quoque sanctæ [illegible] parentes & nutrices tenellis pueris infundere [illegible], vt eo facilius cum viri essent vterentur.*

## *Mysteria luteis hominibus & terrestribus non sunt aperienda.*

476. *Si dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? dicetis eis victima transitus Domini est.* Cur eis respondendum? non ne satis est, vt tale mysterium agni Paschalis immolationis venerentur? quinam interrogant? nonne sunt Israelitæ, qui Dei vnius cultores, quique in terram promissionis tendebant Ægyptum deserentes? noli ergo quærere, cur ei [illegible] solis enim luteis hominibus & terrenis mysteria & arcana non sunt aperienda. audiamus Sedulium Hybern. in Epist. ad Romanos c. 9. *Apostolus hoc loco non sanctos prohibuit à quærendo, sed eos qui nondum sunt in charitate radicati & fundati, vt possint comprehendere cum omnibus sanctis latitudinem, longitudinem, altitudinem, & profunditatem eius in eodem loco exequitur: non ergo prohibuit à quærendo qui dicit spiritualis omnia iudicat, ipse autem à nemine iudicatur: quos ergo prohibuit nisi luteos atque terrenos qui nondum intrinsecus generati atque nutriti, imaginem illius hominis portant qui primus factus est de terra terrenus: talibus dicit Apostolus ô homo tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti: quandiu ergo figmentum es nondum perfectus filius es, quia nondum hausisti plenitudinem gratiæ, qua nobis diuina est potestas [illegible] quæ possis audire, iam non dicam vos seruos, [illegible] qui respondeas & veluti [illegible] Dei. Sic enim legimus & in Euangelio eos qui præterire & [illegible] à Domino Matth. 21. in qua potestate hæc facieret, & quis ei dedisset potestatem hanc, [illegible] quidem [illegible] habitos similiter quoque & in præsenti loco [illegible] videmus Apostolum, & aduersum insipientes quæstiones, per ea quæ respondit, proponentis contumaciam confudisse.* Matth. 21.

## *Tunc facile persuadentur sancta mysteria cum prius peccata expurgata fuerint.*

*Si dixerint vobis filij vestri quæ est ista religio? dicetis eis victima transitus Domini.* Vbi amabo hoc 477.
dant responsum? cum iam sunt egressi ex Ægypto, & quæ symbolum fuit tenebrarum peccati, quibus animæ impiorum obuoluuntur; & quandonam? postquam rectè dispositi ad agnũ edendum fuerunt, cur tunc huiusmodi mysteria inquirentibus datur responsum & non antea? quia hoc persuasum habere debemus, quod si rectè diuina mysteria intelligere & veritatis percipere radios velimus, à nobis omne peccatum excutere debemus, & piè iustè que viuere, peccatori quærenti fidei quæstiones pulchrè respondit S. Isidorus S. Isidor. Pel.
Pelusiota Epist. 104. *[illegible] tuis litteris, pudore suffundor, at rursus ob parum honestas rationes te aduersor, atque quidnam tibi respondeam, ancipitis animi sum, nõ quod id quod quæris explanare nequeam, verum quod auribus tuis indignis paream: neque enim sancta canibus dare licet, si autem insanire desinas, & quod me quæsisti, exponam.* vbi enim sic te composueris vbi vitia abominaueris, & sequatis virtutes, summũ in scientiis mysteriisque fidei incrementũ accipies.

## *Rationem fidei suæ & illius mysteriorum reddant præcipue præsules.*

*Si dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? dicetis, victima transitus Domini.* Cur proponit vt 478.
satisfaciant filiis suis, sic inquirentibus? cur non ait dicite eis, vt credant mysteria quæ ipsis exhibentur; nec aduerte quod non omnibus indifferenter permittitur sacra Dei arcana discutere &
proponere, verè namque scripsit S. Greg. Na- S. Gre. Naz.
zian. oratione 33. quæ est de theologia, non est omnium disputare de Deo, non est omnium diuinam discutere naturam. non ita vilis est sacræ scripturæ sermo, vt vulgo indocili & per terram adhuc

S.Gregor. Nazianz.

adhuc repentibus homunculis pateat, & oratione 26. non procul à fine, Ac profecto legem apud vos constitutam esse oportebat, quæ iuberet, vt quemadmodum olim apud sapientes Hebræos à quibusdam sacræ scripturæ libris, iuuenes arcebantur, vt pote teneritoribus adhuc, minimeque firmis animis, haudquaquam profuturis: eodem quoque modo non quibuslibet, nec semper, sed certo tempore, ac certis hominibus de fide disputandi potestas fieret, iis nimirum qui nec ingenio sunt omnino segni & ignauo, nec rursum iis qui inexplebili quadam auiditate laborant, gloriæque studio ducuntur atque in pietate feruentiores sunt quam par sit: atque hi quidem illic collocarentur, vbi nec sibi ipsi nec aliis noxij essent, iis autem qui in disputationibus modesti essent, ac vere compositi & temperantes libera disputandi facultas daretur, promiscua vero multitudo ab hac via & loquacitatis morbo hac tempestate ingente abducta & auersa, ad aliud virtutis genus minus periculosum traduceretur vbi & segnities minorem labem ac detrimentum afferret, & insaturabilis auiditas pietatis laudem haberet. Aduerte etiam patribus Prælatos Ecclesiæ designari, quid mirum igitur si illis iubeatur, quod filiis inquirentibus de Religione, hanc, reddant rationem, ad id enim tenentur Ecclesiæ Prælati sic S. Fulgentius lib. 1. ad Transimundum Vuandalorum Regem, & primarium Arrianorum fautorem, confirmans hæc sancti Petri 1. c. 3. verba, parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem, de ea quæ in vobis est spe. *Cum pro nostra fide* (inquit) *libere respondemus nulla contumaciæ suspicione debemus notari, cum nec regiæ simus dignitatis immemores, sciamusque Deo timorem, honorem Regibus exhibendum, nos etiam S. Petrus ad respondendum paratos esse debere paternæ iubet dilectionis instinctu, parati inquiens semper ad respondendum omni poscenti nos rationem, fidei speique nostræ præcipimur reddere. cessat prorsus vniuersæ tam dignitatis exceptio quam personæ*, quod etiam astruit Dydimus *sicuti agi continuè quod bonum est, diuina doctrina vult, ita & instructos esse vult fideles, hortatur vt probati sint ad comparationem rerum sapiendarum, quia enim multi Euangelio disciplinabiliter intendentes, exigunt nos satisfactionem spei beatæ, non oportet segnes esse, & ad satisfactionem differre requirentes, sed magis præparatos Christi discipulos.* & post pauca, *ad hoc etiam Paulus ad Colos. 4 inuitat dicens, in sapientia ambulate, propter eos qui foris sunt, scientes quomodo oporteat singulis respondere, propterea qui præsidere Ecclesiastico magisterio deputantur, super hoc quod debent habere doctrinam, debent etiam resultantes obstruere.*

S.Fulgent.

Dydimus.

*Non curiosi, sed humiles simus mysteriorum indagatores, vt eorum cognitionem consequamur.*

479 *Si dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? dicetis eis victima transitus Domini est.* Nonne vident ea à patribus suis obseruari, agnum Paschalem cum omnibus cæremoniis iniunctis comedi? nonne sciunt patres suos nihil superstitiosè efficere, sed à Deo edoctos? nonne confunduntur qui rimari diuina mysteria contendunt? ea enim venerari & credere debemus non discutere: ait enim Petrus Abbas Cellens. lib. de panibus c. 21. *Desinat mirari, quia sic operatur, cuius discutere facta non debemus, sed credere & venerari.* Sciunt equidem patres suos nihil sine ratione efficere & nihilominus sciscitantur de religione, sed humiliter, non vanè nec curiosè, & ideo merentur consequi, quod pio affectu desiderant.

Abbas Cellens.

*Diuina Mysteria silentio occultanda, nisi aliud iubeatur.*

*Si dixerint vobis filij vestri quæ est ista religio? dicetis eis, victima transitus Domini.* Cur iubet Deus, vt ea filiis suis aperiant? nonne sui muneris erat ea filios suos docere, vt bene instructi in suis sacris ritibus essent? merito iubet Deus hanc religionem declarari, quia mysteria fidei nostræ, vt in plurimum silentio obtegenda, nisi aliud iubeatur: quod Dauid confirmare videtur dicens in corde meo abscondi eloquia, vt non peccem tibi Psalm. 118. vbi Ambros. serm. 2. *Periculum non est falsa solum dicere, sed etiam vera, si quis ea insinuet quibus non oportet, quod vitium quadripertitum, vel adulationis vel auaritiæ, vel iactantiæ, vel loquacitatis incautæ, quia dum adulari vult aliquis, ei cui loquitur effundit mysterium, nonnulli etiam studio lucri mercedem proditionis sequuntur, vt tegenda silentio vendant loquendo aliis vt plura nosse videantur, & scientiam suam iactitent, aperiunt quod celare deberent plerique dum sine præiudicio loquuntur verbum quod reuocare non possunt.* & paulo post obseruat regnum cœlorum comparari à Christo Domino thesauro abscondito in agro Matth. 13. *Hunc* (inquit) *cum inuenerit homo abscondit in corde suo, nec diuulgat eum, sciens, quia si diuulgauerit Babylonis thesaurum, Dei magnam offensam contrahet, vt dicatur ei sermone prophetico, de semine tuo accipient & facient spadones in domo Dei Isaiæ 19. per quæ significatur, quia is qui prodiderit diuina mysteria, posteritatem animæ suæ seminariumque meritorum habere non possit.* Contra vero varius ac prophanus homo, non potest diuina mysteria suo animo retinere, in cuius typo dixit Dauid Psalm. 118. dormitauit anima mea præ tædio, seu vt legit ibi Diu. Ambros. serm. 4. stillauit anima mea, & declarat, perfecti anima quasi bene composita & confirmata non stillat vt fastidia culminum, quæ benè tecta ac munita sunt, cæterum incomposita citò stillant, ideo confirmanda est anima nostra, ne stillet, & indiuidua compage solidanda, vt possit regis æterni seruare mysterium, cæterum is quicunque est facilis in verbis, velut plenus rimarum, hac atque illac effluens, interiora euacuat sua, & exterioribus passionibus mundatur tegere se nesciens, nec tenere verbum quod acceperit, sane non sic sanctissima Maria quæ conseruabat omnia verba in corde suo, ne quid ex eius ore deflueret.

480

Psalm. 118.

Matth. 13.

Isaiæ 29.

Psalm. 118.

*Sanctissimum Sacramentum agni Eucharistici adoratione colendum.*

*Si dixerint vobis filij vestri quæ est ista religio dicetis victima transitus Domini est, &c. quibus auditis incuruati sunt omnes,* Septuaginta &

*procumbens populus adorauit*, Solum præcipit Moyses vt Patres responderent filiis suis inquirentibus, cur huiusmodi agnus cum tot cæremoniis immolabatur, & edebatur, statim tamen se incuruant & adorant, & quid in illis verbis secundum Septuaginta procumbens populus adorauit? sane tam ibi diuinissimi agni immolatio figurabatur, insuper & commemoratio redemptionis humanæ, quæ in Eucharistiæ epulis celebratur, quod vel adumbratè populus percipiens, non miror quod summa reuerentia correptus, adorationem exhibeat humi prostratus, hoc enim à nobis religionis officium postulat, vt quem adesse in Eucharistia credimus, cultu quoque debito prosequamur, creaturæ creatorem, serui Dominum ac redemptorem, vnde diuinus Propheta

Psalm. 21. Psalm 21. cum hoc Sacramentum eiusque magnitudinem contemplatur, non sat habet dicere, edent pauperes & saturabuntur, sed hoc etiam addidit, adorabũt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium, hũc in Eucharistia veteres Ecclesiæ patres, non tantum adorarunt, sed etiam adorandum scripto reliquerunt, atque in primis sanctus ille martyr atque Ecclesiæ summus Pontifex,

Alexander summus Pontifex. Alexander huius nominis sextus, à Diuo Petro, in ea sua prima Epist. decretali ad omnes orthodoxos de sacrificio Missæ disserens, hæc inter cætera scripsit: *Id circo passio eius in his commemoranda est mysteriis qua redempti sumus, & sæpius recitanda atque hæc Domino offerenda, talibus enim delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. nihil enim in sacrificiis maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi, nec vlla oblatio potior hac est, sed hæc omnes præcellit, quæ pura conscientia Domino offerenda est & pura mente seruanda, atque ab omnibus veneranda, & sicut potior est cæteris, ita potius excoli & venerari debet.* Ex quibus verbis apertissimè docet sacratissimam Eucharistiam esse cum magna reuerentia adorandam.

D. Hieron. D. Hieron. tomo 8. comment. in Psalm. 98. exponens hunc versiculum, exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctũ est, scribit: *Multæ de scabello opiniones sunt, sed hic propheta corpus Dominicum dicit, in quo maiestas diuinitatis tanquam super scabellum stat.* Quod autem adorari debeat, eo ascendente Apostoli docuerunt, cum adorantes regressi sunt in Hierusalem. prædictum Prophetæ versiculum enarrans

D. August. D. August. scribit: *Quid habemus adorare scabellum pedum eius suppedaneum dicitur scabellũ, quod dicunt Græci ὑποπόδιον, dixerunt Latini scabellum & alij dixerunt suppedaneum, sed videte, fratres, quid nos iubeat adorare, alio loco scriptura dicit: cælum mihi sedes est, terra autem scabellũ pedum meorũ, ergo terrã nos iubet adorare, quia dixit alio loco, quod sit scabellum Dei. Et quomodo adorabimus terram cum dicat aperte scriptura, Dominum Deum tuum adorabis & hic dixit, adorate scabellum pedum eius? exponens autem mihi quid sit scabellum pedum eius dicit: terra autem scabellum pedum meorũ, anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cælum & terram rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei quia Psal. mihi dicit adorate scabellum pedum eius: quæro quid sit scabellum pedum eius, & mihi dicit scriptura terra scabellum pedum meorum, fluctuans conuerto me ad Christũ, quia ipsum quæro hic & inuenio, quomodo sine impietate adoretur terra sine impietate adoretur scabellum pedum eius suscepit enim de terra terrã, quia caro de terra est & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipsa carne hic ambulauit & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit, inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini vt solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*

*Memoria excitanda ad gratiarum actionem pro beneficiis acceptis.*

*Si dixerint vobis filij vestri quæ est ista religio? di- 482
cetis victima transitus Domini est.* Num plura iubentur exequi? cur nouum adhuc eis imponitur præceptum, vt dicentes cur huiusmodi agnus legalis proponeretur, & in huius rei signum? vt facilè reuocarẽt in memoriam beneficia quę à Deo acceperant, & pro illis gratias referrent immortales. doctrina sumpta est à Chrysosto. in hom. de proditione Iudæ, sic scribente. D. Chryso. *Iudæi circa Deum bonorum sibi omnium largitorem fuerunt effrænata diffidentia contumaces, & eius beneficia obliuione præteribant, nam post Ægypti profectionem viderunt conscindi maria, & denuo conuenire, & alia multa mirabilia & dicunt faciamus nobis deos qui nos antecedant, adhuc inspicis quod miraris, & oblitus es largitoris: quia ergo insensatores & contumaces erant, festiuitatis celebratione beneficiorum memoriam roborauit, & ideo Pascha celebrari præcipit, vt si te filius tuus ipsius Paschæ interrogauerit rationem, respondeas. quod aliquando in Ægypto cum mortis portitor speraretur, maiores nostri ne euersionem sustinerent, postes huius agni sanguine linierunt. & vastator Angelus adueniens cum videret, illaturus plagam non audebat intrare. & illa festiuitas perpetuam beneficij memoriam tribuebat.*

*Agnus Eucharisticus nobis figuratur.*

*Si dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? 483
dicetis hæc est victima transitus Domini, &c.* Præterid quod hæc verba sonant aliud ne quod agni Eucharistici institutionem denotat, adumbrat? an aliquid, cum Christus Dominus transiturus erat ad Patrem, significat? nihil vtrique commune videtur, non enim hic percutiuntur Ægyptij sicut ab Angelo exterminatore factum est in Ægypto, nec transeunt hic Israëlitæ ab Ægypto in terram promissionis. consulamus Episcopum Metonensem, in sua Cate. aurea & eum sic loquentem audiamus: Episcop. Metonens. "O magnum (inquit) & admirabile Sacramentum! nonne tibi videtur Christus Dominus sub his verbis, cum venit hora eius vt transiret ex hoc mundo ad Patrem, & Pascha vetus cum discipulis celebrabat, contineri? similique sermone statim subinde Pascha nouum instituere? sicut enim dixerat, hoc est sacrificium Phase Domino, sic dixit Sacrosancta corporis & sanguinis sui instituens mysteria, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, & hic est calix nouum testamentum in meo sanguine, hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem; quasi dicat, nunc vobis nouum instituo Sacramentum, nõ carnem agni, sed meam oblaturus, non sanguinem per vinum, sed proprium corporis mei effusurus, vnde & Apostolus, quotiescumque manducabitis panem hunc

„ & calicem bibetis mortem Domini annunciabi-„ tis donec veniat, quia ergo pueri communicaue-„ rũt carnis sanguini, ipse similiter participauit eis-„ dem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat „ mortis imperium, idest diabolum, & liberaret eos „ qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant A seruituti, sed & populi incuruatio & adoratio, „ quid aliud nobis nisi fidelis populi adorationem „ & venerationem quam sanctissimæ exhibet Eu-„ charistiæ, innuunt? quam bene ergo figura rei ve-„ ritas vmbræ concordat. „



## VARIETAS LECT. Vers. 28.

**V**Vlg. Et egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron.

*Sept.* Et abeuntes fecerunt filij Israël sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron, sic fecerunt *ita Heb.*

## CONCORDIA.

**A**Liqua sunt in Hebræo vt עשו כן chen hasu sic fecerunt, quæ prudenter omisit noster B vulgatus, Hebraismus enim est Latine idiomati non consentaneus, repetitio enim iniucunda.

## EXPOSITIO.

**E**T *egressi filij Israël.* Quæ verba referri possunt vel ad seniores conuocatos à Moyse, vel ad populum conuocatum à senioribus si primo, sensus est quod seniores egressi sunt à loco, in quo steterant cum Moyse & Aaron, audiẽtes Dei iussa, & ex tunc executioni mandarunt quod sibi iussum fuerat: si secundo sensus est quod populus iussa Dei audiens à senioribus, agnos cœpit, vel hædos immolationis causa quærere, & in domum deducere.

## CONCEPTVS.

*Obedientia dux & præuia ad Dei mandata.*

484 **E**Gressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus. In Hebræo additur, & apud Septuag. *sic fecerunt*, cur bis idem verbum repetitur? dices Hebraismum esse, sed arbitror non sine emphasi hanc repetitionem fieri, sed per primum, *fecerunt sicut præceperat Dominus*, eorum obedientiam designari, quæ dux & præuia fuit ad aliud, *fecerunt*, scilicet ad cætera Dei mandata capescenda, non renuit Diu. Gaudent. tract. quodam (D. Gauden.) quem prima die ordinationis suæ, quorumdam ciuium notarij exceperunt, *Cogor*, inquit, *seniorum præcepta obsequi intra vires meas, nec potestatem silendi habens, nec fiduciam proloquendi, sed spiritualium Patrum salutaria esse præcepta diuinæ legis auctoritate perspiciens, audeo in verba prorumpere, ac tenuem vestris auribus inferre sermonem, quem idcirco forsitan patienter accipitis, quoniam populo Christi vtile videtur, obedientiam, quæ & sacrificio diuino præponitur & mandatis Dei omnibus anteferturt, exemplo discere prædicantis, nam cum populus Hebræorum post Ægyptia illa portenta ad vnius Dei notitiam vocaretur primum didicit obedientiam, tanquam ducem seruandorum cœlestium mandatorum.*

*Salutem adepturo obedientia necessaria est.*

485 *Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Cur obedientia filiorum Israël memoratur, cum libertatem consecuturi, nec non salutem, liberi à percussione exterminatoris Angeli, adepturi? quia salutem tum temporalem tum æ- C ternam consecuturo, necessaria est obedientia *non satis est ad salutem* (inquit Victor Antiochenus ad caput quartum Euangelij Marci) vt (Victor Antiochenus,) viridis prati more, per obedientiam floreamus, sed quadam præterea mascula animi fortitudine, qua ventorum flatibus, hoc est tentationibus circumacti, exorti culmi instar consistamus, opus est tum etiam, vt veluti vberes aristæ, fructuum hoc est virtutum granis turgeamus, mentisque manum impleamus. Pende hæc verba, non satis est vt viridis prati more per obedientiam floreamus, &c. præsupponit ergo hanc esse necessariam, si velis salutem consequi,

*Si vincere Pharaonem tartareum tibi in animo est, obedientiam sectare.*

D

*Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Obedientiam, & eorum ad exequenda 486 Dei mandata commendat promptitudinem, quod mihi nõ bene facessit negotium, cum enim dux vel miles licet strenuus & obediens non laudetur nisi consecuta ab aduersario victoria, cum nondum populus Israël trophæum ab hoste Pharaone retulerit, cur eius obedientiæ virtus celebratur? cur non commendaretur? si enim vincere Pharaonem tartareum tibi in animo est, obedientiæ virtute clarere debes. non dissentit Diadochus Episcopus Photices in libro de perfectione spirituali cap. 41. *Obedientiam esse omnium virtutum introducentium principem exploratum est; repudiat enim arrogantiam,* (Diadochus.)

*parit autem nobis humilitatem, unde ianua & aditus charitatis in Deum efficitur, iis qui libenter eam amplectuntur: hanc cum Adam abiecisset decidit in profundum tartarum, hanc cum amasset Dominus causa redemptionis usque ad crucem patri obtulit, idque cum nulla ex parte infra illius amplitudinem esset ut cum crimen humanæ inobedientiæ sua obedientia diluisset, eos qui obedientes essent ad beatam & immortalem vitam reduceret: primum igitur huius virtutis curam habere oportet eos qui studium certandi cum superbia diaboli suscipiunt hæc enim deinceps progressa omnes vias virtutum nobis sine ullo errore demonstrabit.* Preme illa verba, *curam huius virtutis habere oportet eos qui studium certandi cum superbia diaboli contendunt*, qui enim superbientem tartareum Pharaonem vincere voluerit, & in profundo tartari detinere, hac virtute prius muniri debet. A B

*Obediendum sine discussione mandati.*

487 *Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron.* Quantas quæso cæremonias Deus præcepit obseruari in esu legalis agni, quarum aliquæ non adeo rationi consentaneæ videntur? ad quid enim dum accumbitur mensæ, tenendus in manibus baculus? quod alienum, imo & importunum videtur: cur similiter lactucæ agrestes & amaræ simul cum agno sapido apponuntur? quid enim amarum cum dulci coniungit? si ergo hæc iubebantur adimplere, cur huiusmodi mandatum non discutiunt antequam obtemperent? quia verus obediens sine discussione mandatorum, quæ sibi iniunguntur adimplet, etiam cum alacritate: fauet Anthiocus hom. 39. *Sane obedientia est qua quis persuadetur & obedit, citra ullam diiudicationem, adeo ut quod superioris iussu imponitur, iucundus quis & alacer non item turbulentus expleat.* C

Anthiocus.

*Obediens quietissimus & pacatissimus.*

488 *Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron.* Nonne promissa est sibi libertas? nonne dictum sibi fuerat, quod excutiendum durum Pharaonis iugum? quod unusquisque agnum conquireret in domum immolationis causa deferendum? quomodo in his omnibus tumultus non concitatur? quomodo certi de sua salute tragœdias non excitant aduersus Ægyptios, à quibus tot affecti fuerant iniuriis? quid ait textus? fecerunt sicut præceperat Dominus, obedientes igitur erant, & ideo quietissimi, nullas scientes commouere querelas, ad hæc Diuus Dorotheus doctrina 1. de renuntiatione. *Memini me quandoque Abbatem Ioannem S. Barsanu hij discipulum interrogasse rem huiusce modi, cum scriptura commemoret opus nobis esse multis afflictionibus & angustiis ad vitæ ingressum, & salutis. dubitare me ut perirem qui nulla me sentirem cura moueri, & sollicitari, idque per litteras sciscitabar, inter scribendum fateor, augeri mihi lætitiam sentiebam, timebamque mihi ipsi magis ad tribulationes scripturæ, aduertens quibus omnino carere non cognoscebam, ac mihi senex respondit, & vanum timorem ademit, inferens ita necessario euenire, ut scilicet paratissimi, iucundissimi & quietissimi sunt, quicunque se se in Patrum obedientiam dedidere.* D

D. Doroth.

*Obediens maximos efficiet progressus.*

*Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Quid inde contigit? nempe incolumes ab Ægypto discedere, varia onustos supellectili, in auro & argento potentissimos, suos aduersarios infensissimos submersos intueri: & cur ita non contingeret? cum enim fuerint obedientissimi, cur in omnibus progressus non facerent, & in omnibus bonis non multiplicarentur? sic nobis testatur D. Ephrem. lib. de virtutibus & vitiis tit. de obedientia. *Qui obtinet obedientiam* (inquit) *magnam possessionem obtinet, magnasque sibi diuitias accumulauit, qui obediens est omnibus gratus est, ab omnibus laudatur, ab omnibus probatur, vir obediens cito exaltatur, celeriter magnos progressus efficiet.* 489

D. Ephrem.

*Qui indignè sumit agnum Eucharisticum, cum in Sacramento esse realiter non credere videtur.*

*Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Scilicet agnum comedere, cum omnibus ceremoniis sibi iniunctis, quibus diximus virtutes denotari, quæ ad esum veri agni immaculati necessariæ erant: sed qua de causa tanta dispositio requiritur? quia sane qui communicat indigne, credere videtur agnum Eucharisticum non esse realiter in Sacramento, ait enim Diuus Paulus 1. Corint. 10. non diiudicat corpus Christi, id est nō discernit corpus Domini à reliquis cibis, quid est nō discernit? D. Thomas 3. part. quæ. 8. art. 5. ad tertium. *Id ex ipso suo facto asserit Christum verè non esse sub speciebus panis & vini, sed esse verum panem & vinum, ut illa quæ afferuntur mensis prophanis nihil que ab ipsis distare*, itaque quicumque in peccato accedit ad Eucharistiam, videtur suo facto testari Christum sub speciebus non latere: nunquid fieri potest eo peruenisse dementiæ ut cum labe peccati ad Eucharistiam accederet, si vere credidisset, ibi auctorem gratiæ subesse? adde verba D. Thomæ, *Fidelis autem qui cum conscientia peccati sumit, contemnit hoc Sacramentum, non in seipso, sed tanquam ad usum undique accipiens, unde Apost. 1. Cor. 11. assignans rationem huius peccati dicit, non diiudicans corpus Domini, idest non discernens ipsum ab aliis cibis, quod maxime facit ille, qui non credit Christum esse sub hoc Sacramento.* 490

1. Cor. 10.
D. Thom.

*Accede nihil aliud considerans ad Eucharisticum agnum, nisi animæ puritatem.*

*Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Accinxerūt enim renes suos, cum comederent agnum, quo accinctu denotatur puritas, ut superius à nobis obseruatum est, id quod postea consuluit D. Paulus 1. Cor. 10. dicens, probet seipsum homo, & sic de pane illo edat: sed quid est *sic*? quod sic de pane illo edat, id est seipsum discutiat, & nihil aliud examinet, ut ad hanc mēsam veniat, non tempus, non dies, nōn alia: sunt enim non pauci qui ad Eucharistiam accedunt, quia alios vident accedentes, vel quia solemnis apparet dies, &c. cum tamen unum tantum discutere deberent, animi puritatem, ac si dicat Paulus si purus es, si omne peccatum exuisti, si pietatem coluisti, si ad hanc denique mensam te ipsum parasti, accede nihil aliud videas. exte- 491

exterum quamuis dies festus sit, si animum intuitum noueris letali noxa ..., recede, hanc enim habet particularia. Sic, testante Diuo
D. Chryso. Chrysost. hom. 27. in dictam Epistolam Pauli, *ideo neque his quæ prius dicta sunt duntaxat contentus, hæc addidit, probet seipsum homo, quod & in secunda inquit, vosmet probate, non quemadmodum nunc facimus, temporis gratia accedentes, magis quam animi studio, neque vt præparati ad vitia nostra expurganda compunctionisque pleni accedimus, sed vt in solemnitatibus simus, quando omnes adsunt consideremus. sed non ita Paulus præcipit, sed vnum tempus nouit, quo accederemus communicationis & conscientiæ puritatem,* ... Chrysost. *sane dum firma vtimur valetudine, tempus assignatum habemus, quo corpora reficimus, nempe sub meridiem & sub vesperam. si vero morbo laboramus, & tertiana aut quartana febre quatimur, nō assuetis temporibus cibos capimus, sed expectamus quoadusque deferbuerit vis caloris, & tum quidem corpus reficimus: ergo qui perfectiores sunt & semper mundi incedunt, dum voluerint ad Eucharistiam, conueniant, nos vero qui innumeris malis scatemus, tum quidem hoc pane vescamur, cum animus morbum depulerit, ne forte cibus Eucharisticus corpus non alat, sed morbo vim addat.* Ergo qui ad Eucharistiam accedit eo tantum titulo, quod dies Paschæ, aut natalis Domini, aut Pentecostes agitur, non discussa conscientia, perinde fecerit, ac si quis febris æstu flagrans, cibis se ingurgitet sub meridiem, ac si sanus, cum tunc solebat cibos capere: audiamus Chrysost. *Nam si sensibili nunquam communicaremus mensæ si febre laboramus, & malis humoribus abundamus ne perderemur: longe magis hanc tangere nefas est ab ... cupiditatibus impeditis. quæ febribus grauiores sunt:* quæ verba intelligenda sunt de cœnis, quas supra sepulchra Martyrum adornabant, & charisticas vocabant: est ergo sensus vos quidem celebrioribus diebus cōuiuia instituitis neque aliud expectatis, quam dierum festiuitates: aliter autem in cœna Eucharistica faciendum, ad quam non tam dierum solemnitas, quam animi puritas nos debet trahere. *Solemnitas enim,*
Cit Doct. inquit cit. Doctor, *bonorum operum est demonstratio, animæ puritas vitæ certitudo, quæ si habueris semper habere poteris solemnitatem & semper accedere.*

### *Non satis est ab omnibus probum iudicari, vt accumbas cœnæ Eucharisticæ, nisi ex tuæ conscientiæ testimonio talis habearis.*

492 *Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Quid præceperat? vt agnum sine macula immolarent, vt eū accincti renibus & baculos in manibus habentes, &c. & cum azymo pane eum comederent, quo ritu varias diximus adumbrari virtutes, quibus adornari deberet qui agni Eucharistici mensæ accederet: sic etiam ad id exhortatur Apostolus cit. Epist. probet seipsum homo & sic de pane illo edat, cur non ait probetur homo ille, non autem probet se ipsum homo? nā nullus iudex in propria causa admittitur, cur ergo ait Paulus quod se ipsum probet homo? recte equidē, quia nō satis est quod alius eū probet & dignū approbet, nisi & ipse arcanorum suorum conscius testis accedat: ergo non satis est, si quis externus virtutem colat, & ab omnibus pius habeatur, & dignus qui ad Eucharistiam accedat, nisi etiam & ipse sibi met, qui mensæ accumbit accedat testimonium: sicut enim plures qui externis quidem pij videntur, internus autem sordibus maculantur, hi non audeant quidem hanc mensam attingere, cum Paulus iudicium eius qui accedit, quærit, nō requirit iudicium eius qui curam habet animæ eius, qui accedit. vel sensus potest esse horum verborum, probet seipsum homo, id est non curet de alterius conscientia, cuius cura sibi commissa nō est, neque discutiat, an alius sæpius aut rarius ad hanc mensam accedat, sed aliorum actiones quæ ad se non pertinent, alienæ curæ committens, & vitiis in spiritualibus versatus, se ipsum probet an dignus sit qui ad Eucharistiam accedat: hunc duplicem sensum innuit Diuus Chrysostomus
D. Chryso. hom. 27. in 1. ad Corint. his verbis. *Propterea,* inquit *probet autem seipsum homo, & sic edat, non iubet vt alter alteri probetur, sed ipsum sibi non publicum faciens iudicium, & sine teste argumentum: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini.*

### *Indigne accedens ad agnum Eucharisticum variis infirmitatibus obnoxius & tandem vltimo supplicio plectendus erit.*

*Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* 493 Quid fecerunt? sane comederunt panem azymum cum agno, non autem fermentatum, quod si quis comedisset, qua pœna plectendus? vt vidimus, anima eius delenda erat de cœtu filiorum Israël: sed recurro ad id quod ait Paulus cit. Epist. qui indignus accedit cum fermento, id est peccato, ad agnum non legalem, sed Eucharisticum, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini: sed dic nobis Apostole, quodnam supplicium meretur ille qui hoc scelus committit: ideo is quit, inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, morbos annumerat, & varia ægritudinū genera, tandem mortem, ac si dicat diuersis hominum criminibus variæ decernūtur iuxta decreta legum pœnæ, alij enim equuleo suspenduntur, alij mulctantur exilio, aliorum bona proscribuntur, alij triremibus addicuntur, alij publicæ exponuntur infamiæ, tandem aliqua sunt extrema delicta, quæ quidem vere mulctantur: non aliter alia quidem sunt peccata, quæ quamquam grauia sunt, minoris tamen sunt ponderis & facilius eluduntur, leuiorique pœna puniuntur: inter autem hæc, maximum & grauissimum est irreligiosè ad Eucharistiam accedere, vnde hoc extremo supplicio videlicet ipsa morte
D. Chryso. luendum, sententia est Chrysostomi Epist. 7. ad Olympiam cuius hæc sunt verba. *Nonne iniquitatis extremæ hanc dixit Paulus vltimam pœnam? nam indigne mysteriorum Sacramenta tangentes, & venerandæ mensæ participes, inhonestos hanc pœnam habere memoratus est, ita dicens propterea inter vos multi infirmi, & debiles multi, & dormiunt multi.*

### *Qui indigne agni Eucharistici mensæ accumbit, ipsam mortem ebibit.*

*Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Ita enim ei obedierūt in omnibus, vt ne latum quidem vnguem discesserint ab his quæ sibi 494

à Moyse iniuncta fuerant circa agni esum, abstinuerunt ergo à fermento, aliàs pœnam mortis indictam incurrissent: sed cur genus mortis non dixit, quo perciti deberet qui fermentum cum agno comedisset? nam diuersum mortis genus statuitur diuersis delictis. consulamus S. Paulum qui sermonem habens de eo, qui indigne mensæ agni Eucharistici accumbit ait, iudicium sibi manducat & bibit, omnes quidem qui peccant iudicium Domini subeunt, & pœnæ & supplicio subiacent, & sub finem vitæ tartareis flammis addicentur: tum etiam sub extremum iudicium, damnabitur. quid ergo est quod peculiariter eos terret Paulus memoria diuini iudicij, qui in hanc cœnam indigne irrepserint? S. Pacianus parænesi de pœnitentia nodi solutionem deducit ex illo, iudicium sibi manducat & bibit. Alij quidem qui peccant iudicium subeunt quidem & sententiam à Deo illatam coguntur sustinere, ast qui cum peccato Eucharistiam sumit iudicium, pœnam & supplicium manducat & deuorat, reus qui ob crimen damnatur multis modis potest pœnam euadere & mortem, vel forte iudicem precibus aut muneribus flectet, vel vincula confringet, & de carcere euadet, vel aliquouis modo pœnam eludet: cæterum ille qui virus in viscera immisit, vel toxica sibi ipsi miscuit & ebibit, qua quæso ratione mortem euadet? ergo omnes alij qui peccant, sententiam & pœnam à Deo illatã subeunt, quam aliquando vel euadere, vel differre, vel imminuere poterunt: ast qui criminis conscius ad Eucharistiam accedit, ipsam mortem ebibit, & in pectus traiecit quam non euadet, hoc dixerim ex cit. Paciano cuius verba subiicio *Qui manducat*, inquit *& bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit. euigila peccator, time in visceribus tuis præsens iudicium si quid tale fecisti, propterea inquit inter vos multi infirmi & ægri, & dormiunt multi.* D. Pacianus

*Tale scelus est indigna agni Eucharistici sumptio, vt bene cum ipso agatur, etiamsi grauissimas tulerit in hoc seculo pœnas, dummodo in æ[ternum] absoluatur ab æternis.*

495 *Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Comedentes azyma, & omnino abstinentes à fermento, aliàs vt vidimus mortem euadere non poterant, sed an temporalem, an æternam? vtramque, sed an cum eo misericorditer actum sentires, si qualescumque pœnas grauissimas lueret in hoc sæculo, pro expiatione huius criminis, dummodo in alio absolutus maneret? premam adhuc quod ait Apostolus cit. Epist. qui manducat & bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini, ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi: sed cur vltima verba addidit Paulus? sane ad consolationem fidelium, hac ratione, tantum crimen committit ille, qui indignus huic mensæ sese inserit, vt si cuiquam contigerit, hanc noxam per morbum vel etiam per corporis mortẽ abluere, putet secũ præclare actum nam manent huiusmodi hominem post vitam, immortalia tormẽta, & vltrices flammæ, vnde si Deus illi mala immittat in præsenti sæculo, quibus noxam eluat, etiamsi illa mala extrema sint, scilicet graues morbi, lues sæuissima, & si quid aliud peius fuerit, putet se benignũ Deũ aliecutum, & præclare secum actum esse: testis A est cit. Sanctus Pacianus, *Cum iudicamur autem*, inquit, *à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur, lætare peccator, si in hoc sæculo aut morte interciperis, aut languore consenueris, ne puniaris post sæculum*, Intellige quantum sceleris admittat, qui ad altare venit indignus, cui pro remedio computatur cum aut morbis laborat, aut morte dissoluitur. Cit. Pacian.

*Qui indigne communicat, non solum sibi ipsi damnum infert, sed toti reipublicæ Christianæ.*

*Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Abstinentes à fermento, cum comederetur agnus Paschalis: quod similiter iussit Paulus fieri, cum comedendus esset agnus Eucharisticus, B ait enim, nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit, expurgate vetus fermentum, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, sed cur an fermentum totã massam corrumperet, eos arceret ab illo comedendo: nonne sufficiebat dicere expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio & azymi? recte rationem hãc subiungit, quia fermentum totam massam corrũpit, nam qui crimine maculatus ad hoc conuiuiũ venit, non modo sibi malum infert, sed toti plebi Christianæ damnum accersit; fermentum enim totam massam maculat, & acrorem iniicit non alicui parti sed toti: hac ratione si quis criminis cõscius huic conuiuio se immittit, omnibus aliis qui adsunt malum quodammodo immittit, mens est cit. Paciani Parænesi de pœnit. *Quod si vestra vo-* Cit. Patiani C *bis vilis est anima parcite populo, parcite sacerdotibus, clamat Apostolus, exiguum fermentum totam massam corrumpit, quid facis tu, propter quem tota massa corrumpitur? propter quem laboratura est tota fraternitas?* 496

*Qui ad mensam Eucharisticam accedit, sequatur ductum confessarij.*

*Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Secuti in hoc sunt Moysis consilium, vel potius Dei præceptum in agno edendo & in cæremoniis circa eum obseruandis, & in tempore quo immolaturi & comesturi erant: ita non suam sed Dei sed Moysis secuti sunt voluntatem; an aliquid tale in esu agni Eucharistici reperiemus? quid nisi ait enim Paulus, qui manducat & bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit: quid est D quæso quod manducat indigne? dices quod indigne recipit, qui eo tempore accipit, quo agere debet pœnitentiam: ergo prius purgare debemus animam, & omnes vitiorum sordes eluere, postea ad hãc mensam accedere: sed addere liceat, indignè accipit agnum Eucharisticum, qui non sequitur ductum sacerdotis, dum ad eum accedit, ergo is qui ad Sacramentum accedit præscriptum sibi à confessario modum teneat, vt non frequentius, non tarius ad illud accedat, quam sibi fuerit iniunctum, fatet D. Eligius hom. 4. *Vt enim ante nos dictum est à patribus, cum tanta est plaga peccati atque impetus morbi, vt medicamenta corporis & sanguinis Domini differenda sunt auctoritate Antistitis, debet se quis ab altario remouere ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. lectum quippe modo est qui manducat & bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini, hoc est enim indigne illud* 497 D. Eligius

*accipere qui accipit eo tempore quo debet pœnitentiam agere.*

*Cum agni Eucharistici es particeps, facias pauperes eleemosynæ tuæ participes.*

498 *Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Inter alia quæ iniunxerat, unum erat quod si non sufficerent, qui ex eadem familia erant ad esum agni, conuocarent qui ex alia, ad conuiuium, ex quo tunc colligimus pauperes asciscendos, ut forent nostrarum participes facultatum: quæso an idem inferre possumus cum agni Eucharistici sumus participes? consulamus Paulum qui postquam eis timorem incussit, qui indigne ad tantum accedunt Sacramentum, subiicit 1. Corint. 11. dum iudicamur autem à Domino corripimur ut non cum hoc mundo damnemur, mundum vocat Apostolus hoc loco eos, qui corpus Domini indigne insumunt: sed quæso dic nobis Paule, quid faciendum est nobis ne damnemur cum his qui peccaminose communicant: itaque fratres mei inquit cum conuenitis ad manducandum inuicem expectate, id est non arceatis à mensa vestra pauperes, & hac ratione digni eritis qui ad Dominicam mensam asciscamini: non te pudet, ad Dominicam cœnam accedere, qui à mensa tua pauperes expellis? non te pudet frustum panis, & haustum vini denegare pauperi, qui Domini corpus & sanguinem excipis? ergo si te ad Eucharistiam dignum reddere satagis, in primis emendicantibus stipem præbe, & eleemosynam, hac ratione locum exponit Chrysostomus hom. 27. in 1. ad Corint. ita scribens, *Itaque cum conuenitis ad manducandum inuicem expectate adhuc enim permanentem in eis formidine & tremore gehennæ, vult iterum pauperum gratia admonere propter quos hæc omnia dicta sunt, ostendens quod qui hoc non faciunt indigne communicant, quod si non communicando suas facultates ab illa mensa quis prohibetur, multo magis rapiendo?*

1. Corint. 11.

D. Chrysos.



## *VARIETAS LECT. Vers. 29.*

*Vulg.* Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis qui in solio eius sedebat, usque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum.
*Sept.* Factum est autem mediante nocte, & percussit &c. usque ad primogenitum captiuæ, quæ in fouea, & usque ad primogenitũ omnis pecoris.
*Cald.* A primogenito Pharaonis, qui sessurus erat super solium regni eius, usque ad primogenitum captiuæ quæ erat in domo vinctorum.
*Onk.* Usque ad primogenitum captiui, qui est in domo carceris, *sic ex Hebræo Pagni.*
*Oleast.* Qui sedebat in domo pueri.
*Alij teste Lippom.* A primogenito Pharaonis sedentis super solium eius.
*Arias.* Usque ad primogenitum captiuitatis.
*Basil.* Usque ad primogenitum captiuæ quæ erat in lacu.

## CONCORDIA.

Licet in Hebræo sit חישב על כסאו haioseb hal chiso sedente super soliũ eius, quod tamẽ explicat Caldeus, quomodo sedebat, ait enim qui sessurus erat super solium regni eius, dictio autem בור bor foueam, carcerem, puteum, lacum significat ut iam vidimus.

## EXPOSITIO.

*Factum est autem in noctis medio.* Non id mathematice sumendum, sed sub noctis medium. *percussit Dominus omne primogenitum*, quod nam fuerit hoc mortis nomen aut genus, quo extincti sunt primogeniti, dubium est, & quidem violentam fuisse mortem nemo dubitat, percussi quippe ab Angelo & occisi sunt. Iosephus peste interiisse asserit, Deus inquit præteritis illæsis Hebræis, Ægyptios morbo percussit, nam pestis nocte illa absumpsit primogenita Ægyptiorum. Genebrard in Psal. 77. certo pestis genere perniciosissimo & acutissimo percussos ait, consentit Comestor in historia Scholastica, tamen innuere videtur fuisse gladio percussos Sapient. 18 nam gladium acutum vocat diuinum mandatũ, quasi acuto gladio implendum, verum gladius in scriptura de quolibet vindictæ genere usurpari solet, illud certe satis constat ex illo Sapientiæ loco omnes qui perierunt, eodem mortis genere periisse quod scilicet eodem nomine appelletur.

Iosephus.

Genebrar.

Petrus Comestor.

*A primogenito Pharaonis qui in solio eius sedebat.* Hoc est qui successurus erat ei in regnum, ita Caldæus, vel qui iam Rex coronatus erat à patre, sicut Salomon à Dauide Patre suo: & aliquando apud quasdam gentes regnasse simul patrem & filium traditum memoriæ est. dubium oritur cur Pharao qui verisimiliter erat parentis sui primogenitus, ut pote patris successor, non fuerit occisus? omissis pluribus responsis, quæ satisfacere non videntur, dicendum quod hic primogenitus capitur, non pro omni eo qui primus quomodocumque ex parentibus natus est, sed qui in quauis familia primogenitus esset patrisfamilias, unde primogeniti qui iam in aliam familiam cõmigrarant, & facti erant suarum familiarum capita & patres familias (qualis erat Pharao) non comprehendebantur hic nomine primogenitorum: adde latius videtur extendendam significationem primogenitorum, ut non tantum is qui in aliqua familia natus esset primus cẽseretur primogenitus, sed etiam qui mortuo primogenito, in primogeniti iura successerat: iis qui dicũt de primogenitis

fœminei sexus hoc debere intelligi non assentior, A tum quia voluit Dominus consecrari primogenitos Israëlis pro primogenitis Ægypti, at non omnes, sed tantum masculini sexus, vt constat ex capite sequenti, tum quia cædes primogenitorũ respondeat cædi paruulorum Hebræorum, vt sapiens ipse testatur, & istorum soli masculi occisi fuerint, vt initio Exodi scriptum est: etiam solos masculos occisos probabile est, denique vbicunque mentio est huius historiæ, solius masculini sexus est mentio, fœminei nusquam.

*Vsque ad primogenitum captiua quæ erat in carcere.* Non desunt qui hoc adagialiter dictum esse volunt, ita ut hæc omnia denotent omnes omnino primogenitos, vt explicuimus à summo ad imum à nobilissimo ad abiectissimum, ab hærede regni ad quasillariæ seu pistrinariæ filium, sed antea dictum est de ancilla, quæ sedebat ad molam, verũ B idem est, quia huiusmodi ancillæ diurno tempore molere solent, nocturno autem ne effugiant carcere includuntur. consule quæ vndecimo capite à nobis dictum est, sicut & de primogenitis iumentorum.

Sed cum hæc sit plaga decima, nam prima fuit aquarum conuersio in sanguinem, secunda productio ranarum, tertia cynyphum, quarta muscarum, quinta pestis & interitus animalium, sexta vesicæ turgentes & vlcera tam in hominibus quam in animalibus, septima tonitrua, grando & fulmina, octaua locustæ, nona triduanæ tenebræ, decima cædes primogenitorum, si (cum, inquam) hæc sit decima, inquiri potest an his plures fuerint quam decem? Nescio D. August. super Psal. 77. C (D. August.) in quo sicut etiam in Psal. 104. Ægypti plagæ recensentur, plures fuisse quam decem plagas arbitratur: subscribit Petrus Comestor in historia scholast. (Petrus Comestor.) etenim in Psal. 77. inter plagas Ægypti, numerantur tres quarum non fit mentio in lib. Exodi, prima quidem declaratur his verbis, dedit ærugini fructus eorum, secunda, occidit moros eorum in pruina, tertia & dedit possessiones eorum igni: verum probabilius fuisse tantum decem plagas communis habet patrum & interpretum sententia, & tres illas memoratas non esse diuersas ab illis, sed ad eas reduci debere: nam illic pro ærugine dictio Hebræa halil significat bruchum, speciem locustæ, & ita vertit ex Hebræo Hieron. & Aquila teste Euthymio, (Euthimius. Psalm. 104.) imo in Psalm. 104. itidem sic redditur, dixit & venit locusta, & bruchus, cuius non est numerus: quare plaga illa æruginis pertinet ad octauam plagam locustarum, plaga vero pruinæ pertinet ad septimam plagam grandinis, illa demum plaga ignis ad eandem septimam pertinet, siquidem narrat Moyses simul cum grandine, cuius species videtur esse pruina; simul inquam cum grandine mixtum fuisse ignem, magnamque vim fulminum, quorum incendio, & item grandinis ictu, omnia quæ in agris erant, vastata & consumpta sunt. sed dices saltem adhuc altera est plaga, & omnium maxima, submersio Ægyptiorum in mari rubro. sed in numero earum non censeri debet, hæc enim accidit iam emissis ex Hebræo Ægyptiis, illæ vero factæ vt ex Ægypto emitterentur.

## CONCEPTVS.

*Castigatio peccatorum adhibenda est tempore quo sperentur maiores inde profectus.*

499 **F***Actum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Cur in noctis medio? cur non potius inter cœnandum vel prandendum? nam non maiori difficultate laborat Deus mortem inferre diurno vel nocturno tempore: sane vbi Deus vltimo supplicio plurimorum hominum vult emollire duritiem Pharaonis, hoc tempus noctis obseruat: id præclare D. Ambros. Psal. 118. Octon. 8. ait, (D. Ambros.) *Non otiose Dominus Deus noster, cum posset quocumque momento primitiua Ægyptiorum extinguere, hoc tamẽ tempus dolori & luctus peccatoribus opportunius* D *iudicauit.* Itaque vbi Deus emollire induratum cor vult, tempus spectat aptius quo suppliciis illatis peccator in luctum & bonam voluntatem emolliatur. sed dices, nonne Deus etiam infert supplicia inter pocula? (Daniel 5.) etenim habes Daniel. 5. de conuiuio Balthasaris, bibebant vinũ, & laudabant deos suos aureos, argenteos, &c. in eadem hora apparuerũt digiti quasi manus hominis scribẽtis; ecce tibi inter pocula peccatori pœna indicitur à Deo verum, sed pœna sine remedio quæ statim cõterat peccatorem, non pœna quæ peccatorem molliat, eumque adducat in bonam voluntatem, vbi enim Balthasar conterendus funditus est, nil curandum quo tempore pœnæ adhibeatur notificatio, vbi Pharao emolliendus est, vt Hebræos liberet tunc obseruetur tempus opportunius & aptius, vt quis doleat de peccatis.

*Non soli Ægyptij perimuntur, sed male communicantes.*

*Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Ecce dum somno indulgent dormientes, iugulantur Ægyptij, Israëlitis à morte liberis manentibus, quia agnum legalem comederant: sed omnes nunc qui comedunt agnum Eucharisticũ, an eximuntur ab interitu? vel an aliqui ex eis noctere cum Ægypriis pereunt? consulamus quæso S. Paschasium lib. de corpore & sanguine Domini, & audiamus sic dicentem cap. 22. (S. Paschas.) *In sæculi actibus remorantes non digne comedunt Pascha, videlicet carnes agni, ideo satis timendum talibus, ne cum Ægyptiis nocte perimantur dum sopore peccati premuntur.* Caue ergo ne pristinos vitiorum actus habeas, dum manducas carnes agni, caue ne in sæculo moreris, vt antea, & si nolis nocturnis peccati tenebris interimi, tanto epulo refectus, ad altiora transi, nil in te appareat, quod Christum non oleat, Christum non sapiat: ita D. Cyprian. de cœna Domini. (D. Cyprian.) *Cũ saturati fuerint vide quid agant, intellige quæ loquantur, quam sancti odoris sit quidquid illa eructat plenitudo, verbum bonum, mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos, illa interior synceritas vbique diffundit.*

*Dementia est non exigua, quod Deo non offeramus quæ ipse potest auferre vel inuitis.*

501 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Paratis iam ad
egrediendum de Ægypto Israëlitis, & cur sic Do-
minus ante oculos egredientium percussit omne
Ægyptiorum primogenitum? ibidem cap. 13.
aiebat Dominus ad Israëlitas; separabis omne
quod aperit vuluam Domino, & quod primiti-
uum est in pecoribus tuis, quidquid habueris maf-
culini sexus consecrabis Domino: qui sic amabat
primogenita Israëlitarum, vt illa sibi vellet offer-
ri, cur ante oculos eorum percutit primogenita
Ægypti? percutit vt dum hæc videntur auferri à
Deo, discant Hebræi illi sua vltro offerre, quis
enim si sapit non vltro offerat primogenitum pe-
tenti Deo, cuius potestatis est, & primogenita au-
D. Hieron. ferre parentibus etiam inuitis? ad hæc Diuus
Hieronymus Epistol. ad Fabiolam ait, *Ad
extremum Dominus primogenita Ægyptiorum
perdidit, vt primogenita Israëlitarum Domino sa-
crarentur.* Ne quis refugeret sacrare primogeni-
tum suum illi Domino, cuius in potestate est om-
nia primogenita absumere.

*Aliis illatum damnum sentient reprobi in seipsis amarissimum.*

502 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitũ in terra Ægypti.* Cur magis voluit
primogenita Dominus percutere quam omnes
delere Ægyptios, cum à crimine oppressionis Is-
raëlitarum liberi non essent? sane eorum filios
primigenos occidit, vt Ægyptij in suis filiis perci-
perent illam ipsam doloris immanitatem, quam
Israëlitis ipsis intulerant, eorum liberos suffo-
D. August. cantes in aquis fluminis: sic D. August. ser. 89. de
tempore, *Percutitur* (inquit) *Ægyptus primoge-
niti affectu, vt ex eo agnoscerent, quantus dolor sit
filiorum qui necauerant filios Hebræorum.* Quam
aliis potionem amaram propinant, equidem co-
gentur bibere iniusti, & illatum aliis malum co-
gentur gustare, quod illis amarissimum erit.

*Quibus fauit diabolus in vita, eos postmodum seuere torquet in morte.*

503 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Percussit inquã
medio exterminatore Angelo malo, nonne po-
tius fauebat diabolus, non solum primogenitis
Ægyptiorum, sed etiam iis omnibus, quam vlli
ex Israëlitis? omnes enim cum vnum Deum co-
lerent, aduersarios sibi habebat: illi autem cum
simulachris seruirent, sibi erant charissimi: quo-
modo ergo eos vel peste percutit vel internecio-
ne delet? quid mirum? quia quibus fauit diabolus
in vita, eos postmodum seuere torquet in morte,
D. Petrus Damian. ad hæc Diuus Petrus Damian. lib. 2. Epist. 10.
*Diabolus æterna mortis internecione trucidat, ac
quibus fuerat minister in pugna, eorum fit postmo-
dum tortor in pœna, quæque illis arma suggesserat,
eadem exigentibus meritis in eorum tunc iugulum
vertit.*

*Peccator ex consortio iustorum magnum emolumentum capit.*

504 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Omnes omni-
no deleat Ægyptios, nam nec hoc supplicio ad
meliorem mentem reuocabuntur, Israëlitas enim
persequentur eos deleturi si possint. Cur non di-
cemus licet primogeniti merito puniti fuerint, a-
lios incolumes euasisse ex Israëlitarum saltem
consortio? nam peccator ex societate iustorum
magnum emolumentum capit. pulchre ex hoc
monebat Bachiarius Epist. de recipiendis lapsis, Bachiarius.
*Et tu ergo si mortuum dicis vel iuxta Elisei ossa il-
lum constitue, nolo vt eum longe segreges à Christi
membris, quia ipse consortio meliorum erubescet, &
resurget in vitam, nonne emendationis parum putas
esse momentum si peccator asciscitur in consortium
beatorum: quia illorum præmia sua sentit esse tor-
menta si quis laudatur, erubescit, si quis vituperatur
agnoscit inter hæc flagella verberum constitutus, sa-
tisfactioni emẽdationique semper approximat.* Nũ-
quam non salutaris est peccatoribus iustorum
hominum vicinitas, quorum virtutum exemplis
ob oculos concurrentibus aliquando fiunt me-
liores.

*Nec Reges pœnas demeritis suis debitas euadent.*

*Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Regis.* 505
Quod omnes alios primogenitos interfe-
cerit, non equidem miror, sed cur saltem primo-
genito Regis iam sedenti super thronum patris,
non condonat? sicut enim legibus aliorum non
subiciuntur, sic nec aliorum pœnis obnoxij esse
deberent: sed quæso sibi Reges non adulentur,
supplicia enim suis demeritis debita nõ euadent,
in se enim & in filiis suis punientur, vt nunc Pha-
rao in primogenito suo. fauet Episcopus Meto- Episcop. Meton.
nensis in cat. *Regis tam impij primogenitus euade-
re non debebat, qui tot filios fidelium occidi iusserat.*

*Cum ad summum peccatorum deuenimus tum nobis non condonatur.*

*Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti*, 506
Cur obserua-
tur quota in medio noctis? nam satis erat dixisse
percussos fuisse omnes Ægypti primogenitos ab
homine ad pecus: silentio obuoluatur hora eo-
rum interitus: aduerte ex Hieronymo, vesperam
initium esse peccatorum, sicut est tenebrarum,
mediam autem noctem eorum consummatio-
nem; ne sciscitaris ergo cur percussionis eorum
memoretur hora, & in medio noctis interfician-
tur? cum enim ad summum peccatorum deueni-
mus, tunc nobis non condonantur: non dissentit
Diu. Hieron. in cap. 21. Isaiæ. *Spiritualiter quia* D. Hieron.
*vespera noctis & tenebrarum principium est, om-
nis qui habet initium peccatorum versatur in vespe-
ra, qui autem venit ad summum in media nocte cõsi-
stit, vnde & in Ægypto primogenita in media no-
cte caduntur.*

*Muniti agno Eucharistico à morte immunes.*

*Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* 407
Ecce sæuit An-
gelus Domini in primogenitos Ægypti, abstinet
tamen ab Israëlitarum primogenitis, illos sternit
mortuos, hos viuos conseruat, quænam quæso
discriminis ratio? nisi quia solus Hebræorum
primogenitos inueniebat agni Paschali esu non

tam pastos quam armatos, & solos Hebræorum A
postes aspiciebat eiusdem agni cruore non tam
D. Cyrill. tinctos quam munitos, sic exponit Diu. Cyrill.
lib. 4. in Ioann. *Quid maiores eorum, id est Israelitarum ab ira liberauit, quando mors in primogenita Ægyptiorum sæuiebat? nonne palam est quia diuinæ institutioni perdocti agni carnes manducarent ac postes & superliminaria sanguine perunxerunt propterea mortem ab eis diuertisse.* Si igitur
mortem omnibus terribilem caro & sanguis
Paschalis agni perterrebat, & repellebat, quis
D. ambros. dubitet fore vt corpore & sanguine Christi
Domini multo magis perterreatur mors, ac multo longius repellatur? sed expressissime D. Ambros. Octo. 8. in Psal. 118. *Quia media nocte primogeniti Ægyptiorum ab exterminatore sint interempti, ideoque sanctus Moyses Propheta, vt hoc preueniret tempus, ac sine Hebræorum fraude, trāsiret agnum ante immolauit, hoc est vesperi, vt manducantes eum, & Pascha Domini celebrantes, non occuparentur exterminatoris insidiis, ne inermes & vacuos spiritales alimenti nocturna spicula tenebrosi hostes opprimerent, hæc diligenter intende, prudenter intellige, sollicite require, nunc perfunctorie ista dicuntur, sed diuina sibi mysteria declarantur, preueni & tu insidias tentatoris, instaura prius cœleste conuiuium.*

*Honor debitus Regibus, maxime fundatur in Deo illis assistente,*

508 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Quo includitur non solum primogenitus Regis, qui sedebat in solio patris, sed etiā primogenitus captiuæ vilissimæ, nonne maximum discrimen est inter
Regem & subditos, sicut inter solem & stellas? C
quid enim Regio nomine excellentius, quid sublimius regia maiestate? cur igitur filius regis & filius captiuæ non dissimiles in pœna? cur non magis reuerenda persona Regis percutienti Angelo, quam personæ abiectissimæ ancillulæ vilissimi mancipij? an quæso assistebat Regis filio Deus ne perceteretur? non equidem, ne mireris igitur si nullus ei honor impenditur, imò si eodem modo tractatur ac mancipium, non enim solum in regio cultu & dignitate, sed in Deo assistente etiam fundatur regibus exhibita reuerentia: consentit Beatus Chrysostomus hom. de Dauid & Saüle, qua referens rationem quam præbuit Dauid, ne perceuteret Saülem, scilicet, quia Christus Domini erat. *Non dixit Rex est sed Christus Domini est, non ab humano honore sed cœlestii calcio sumpto honorifico testimonio, contemnis inquit conseruum tuum, reuerere Dominum, aspernaris electum, metue eum qui elegit.* Nobis hinc colligere, quod si Deo opē mittente Rex prædē vinceret, non esset in honore habendus, nam ei semper obtemperandum, & semper tanquam Dominus in veneratione suscipiendus, solum enim dicimus, quod si ab eo Deum abesse videremus, non tamen cum reuerentia amplectendus, aspernantur enim homines hominem etiam Regem, nisi in eo diuinitatis quid præsentirent assistentis.

*Reges si aliquando seruantur à pœnis debitis, ideo est quia ad maiores cruciatus destinantur, nisi resipiscere voluerint.*

509 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharaonis qui sedebat in solio eius.* Per primogenitum Abulensis intelligit, non solum eos qui primo nati sunt, & sub custodia Patrum tunc degebant, sed omnes homines in Ægypto siue iuuenes, siue senes, siue habentes tunc patres, siue non habentes, qui apud patres suos primogeniti fuerunt, & sic multi senes centum aut plurium annorum mortui sunt in Ægypto, quia primogeniti erant, & ita contingebat quod in eadem domo pater & filius interficerentur, quia vterque erat primogenitus, sed si ita res habet, quomodo Pharao qui primogenitus creditur, hac peste vel alio mortis genere non perijt, cum esset inter omnes maxime noxius? sane vt deinde ad maiores seruaretur cruciatus, ni resipisceret: hāc etiam assignat rationem cit. Episcopus, *Licet Pharao* (inquit) *esset primogenitus, tamen non permisit eum Deus in peste illa perire, vt reseruaret eum ad maiora*
B *mala, & vt magis cruciaretur exigentibus peccatis suis, nunc valde cruciabatur peste illa, nullus enim erat in tota Ægypto, qui maioribus anxietatibus vrgeretur, alij namque dolebant de morte primogenitorum suorum, ipse autem in primogenito toto que populo angustiabatur: alij namque solos primogenitos perdebant, ipse autem primogenitos & seruos & regnum totum amittebat, nam enim cæteri morerentur, quid ei proderat tenere regnum cum quasi ad nihilum redigeretur, vt nullos quibus præesset haberet, praelegisset ergo ipse inter cæteros morte cadere, quam cæteris morientibus solus inutilisque Rex manere: magna ergo afflictio erat, sed adhuc ad maiores calamitates seruabatur scilicet vt pereunte coram se toto suo exercitu fluctibus maris ipse vlterius moreretur, & sic omnium Ægyptiorum infælicissimus atque calamitosior foret, quod non contigisset*
C *si eum mors inter cæteros primogenitos occupasset.*

*Cupiditates in nobis interficit Deus.*

*Factum est in noctis medio percussit Dominus omne* 510
*primogenitū in terra Ægypti.* Quid illud primogenitum? an dices cum Origene hom. 4. in Exod. Origen.
non incongrue principatus & potestates huius mundi, id est Angelos malos, quos in aduentu suo Christus destruxisse idest captiuos duxisse, & de ipsis in ligno crucis suæ triumphasse dicitur? an dices cum D. August. serm. 87. de tempore per D. August.
huiusmodi primogenitos, omnes hæreticorum auctores, & inuentores falsarum quæ in hoc mundo sunt, religionum quos Christi veritas cum suis extinxit auctoribus? an dices cum D. Hieron. in D. Hieron.
Epist. ad Fabiolam, primogenita Ægyptiorum
D esse dogmata Philosophorum, quibus deceptos homines atque irretitos, tenebant homines, quæ omnia Christus dissoluit? quid ergo vltra hæc addere possumus? subiciam quod ait D. Prosper. 1. D. Prosper.
parti. præd. cap. 36. *Decima plaga Ægyptiorum est mors omnium primogenitorum, & decimum mādatum est in lege non concupisces vllam rem proximi tui. primitiuam vero esse concupiscentiam malam Pharaoni diabolus ille ostendit, quod & ipse concupiuit esse quod non erat, & Adam quem cupiditas præcipitauit in mortem. vitia vero Angelorum eius per quem mors introiuit in orbem terrarum vt primitiuus Ægyptiorum in hoc mundo tanquam in Ægypto dux noster interfecit, dum nos docet renuntiare diabolo, pompis, & Angelis eius, vt vbi abundauit peccatum superabundet & gratia.*

*Qui maior est, & praestat minori materiam peccandi, moriatur.*

511 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Nonne aliquando minor natu maiori affectu diligitur à patre, quam primogenitus, vt Beniamin à Iacob? cur ergo vt plus doleant Ægyptij de morte filiorum, etiam non interficit minores natu sicut & primogenitos? noster Seraphicus Doctor in dicta salutis tit. 3. de praecept. cap. 4. arbitratur primogenitos in oppressione Israëlitarum, mouisse exemplo suo fratres ad illorum persecutionem, quid mirum igitur si primogeniti ab Angelo exterminatore percutiantur vltimo supplicio? qui enim alteri peruerso suo exemplo praestat aliis materiam peccandi, mortis reus est: subiicio verba D. Bonauenturae, *Tria sunt homicidarum genera, sunt enim quidam qui interficiunt seipsos pro peccatis & illi inter omnes sceleratissimi homicidae sunt, de his dicitur Tobiae 12. qui facit peccatum & iniquitatem hostis est animae suae: sunt alij qui procurant abortum, scilicet quando bonum propositum in se extinguunt quod eis misericorditer inspiratur, ex quo per gratiam impregnantur, sicut in persona ipsorum dicitur Isai. 26. à facie tua Domine concepimus & peperimus spiritum salutis: sunt alij qui spiritualiter interficiunt proximum per scandalum & malum exemplum, quod figuratur in morte primogenitorum Ægypti, vt habetur Exodi 12. tunc enim moriuntur primogenita in Ægypto, quando maiores praestant minoribus materiam peccati vel ruinae suo malo exemplo.*

Noster Seraphicus Doctor. — Tobiae 12. — Isai. 26. — Exod. 12.

*Tanta est aliquando peccatorum impietas & obstinatio, vt vtraque manus Dei in eos agere videatur.*

*Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Et haec fuit decima plaga, qua in Ægypto percussi fuere, sed cur hoc tantum decem plagarum numero percutiuntur? nam mysterio non caret cur non vltra puniuntur, vel cur solum ad nouem vel octo plagas non extenditur eorum punitio? dices quia in decem praecepta populus Ægypti peccauerat, vel vt denotetur consummata Ægyptiorum plaga, per denarium numerum consummatum ac completum. sed liceat addere, quod tanta fuit eorum impietas & obstinatio, vt vtraque manus eius nempe decem illius digiti in eos agere necesse fuerit. Fauet Georgius Venetus tom. 1. de histor. Sacram, sect. 5. probl. 338. *Ægyptus decem plagis plagata fuit, quia manus Dei extentae & apertae fuere in decem digitos super Ægyptios, vnde secundum vnumquemque digitum Ægyptus plagata fuit, propterea dictum est, digitus Dei est.* 512

Noster Georgius Venetus.



## *VARIETAS LECT. Vers. 30.*

*Vulg.* Surrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaque Ægyptus, & ortus est clamor magnus in Ægypto, neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus.

*Septuag.* Et factus est clamor magnus in omni terra Ægypti, non enim erat domus in qua non erat in ea mortuus.

## EXPOSITIO.

*Surrexit Pharao nocte*, &c. post mediam noctem sentiens & experiens mortem primogeniti, *& serui eius*, quorum multi erant primogeniti, & ideo conserui eorum tanto casu perculsi, surrexerunt, *cunctaque Ægyptus*, omnes illius habitatores, interitum non solum filiorum, sed etiam iumentorum sentientes, *& ortus est clamor magnus in Ægypto*, describit hunc clamorem Sapiens 18. resonabat inconueniens inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus, ploratorum infantium, vbi in verbo resonabat emphasis est, vnde & in Graeco ἀντήχει significatur enim hac voce quod non tantum homines ipsi luxerint, sed & domus ipsae, & aër vocis repercussum luctum, clamoremque auxerint, quod proprium est auctorum in solemnibus planctibus describendis, *neque enim erat domus in qua nō iaceret mortuus*, quod difficillimum intellectu videtur, fieri enim posset vt nullus in quibusdam domibus esset primogenitus, vt si aliqui à paruo tempore matrimonio essent coniuncti, si quaepiam vel illius maritus esset sterilis, si omnes liberi iam essent defuncti, quomodo ergo hoc intelligendum venit? dices Deum effecisse vt in omnibus omnino domibus essent primogeniti, nec vlla domus esset ab hac clade immunis; quod facile tibi persuasum erit, si attendatur foecunditas mulierum & virorum illius regionis, si vxorum eiusdem mariti attendatur in eadem domo multitudo, si autem dixeris supponamus quod à paucis diebus matrimonio essent coniuncti in illa domo, non erat primogenitus, tunc satisfacies si dixeris, hoc intelligi debere in domibus, quae perfectam familiam constituerent, atque adeo quae liberos haberent, sed omnem difficultatem effugies si dixeris aliquam esse hic hyperbolem vt idem sit, non erat domus ac vix erat vlla domus, quod quidem satis familiare est sacrae scripturae, vt vniuersales faciat propositiones etiam citra hyperbolem, vbi tam modica est exceptio, vt quodammodo pro nihilo censeri possit.

Sapien. 18.

Non mirum igitur si tantus ortus est clamor, qualis nec antea fuit, nec postea futurus, nam licet maius paulopost planctus & doloris argumentum appareat, quando ipsemet Pharao cum flore nobilitatis ac iuuentutis, & immenso poene exercitu, cum vniuerso bellico apparatu, equis, armis, curribus, maris fluctibus obrutus est, dicendum tamen est, quod licet maior iactura videatur, non tamen nec maior clamor aut luctus extitit sine quia plerimi fuerunt ad quos non pertinuit postremus ille luctus, at prior ille adeo latè patuit,

vt sicut nulla erat domus (vt explicuimus) in qua non iaceret mortuus, ita nulla erat in qua luctuosissima comploratio non exaudiretur; deinde in illa submersione indiscriminatim multi periere, at hîc delectus est ad interitum flos totius Ægypti ipsi primogeniti, quos ipsi parentes in oculis ferunt, & in iis plerique vnigeniti spes generis ac posteritatis, quibus parentes sua omnia destinant, vt in iis deinceps viuant ac floreant, qui quod ipse regni hæres perierat, in quem vt in orientem solem plerique omnes intuebantur, & à quo beatos se factum iri existimabant, ac Pharaonis ipsius mors, hoc minus afferebat tristitiæ, quod simul publicas calamitates ipsius duritia pertinaci inductas vlciscebatur, denique vt omittam noctis horrorem vt inuisibilem aduersarium, vt acerrimum acutissimum mortiferæ plagæ sensum, vt terrifica visa percuntium tunc inchoata in primogenitis cæde omnes se morituros credebant, & vociferabantur, vt non primogenitis tantum mortuis, sed sibi ipsis etiam quasi proxime morituris, lachrymis atque eiulatibus parentarent.

## CONCEPTVS.

### *Maxime deplorandi sunt qui solum corpora deflent.*

513 *SVrrexit Pharao nocte*, &c. *& ortus est clamor magnus*. Nec non lachrymas omnes Ægyptii profudere, quæ causa tanti luctus? quæ gemitus eorum origo? percussit Dominus à primogenito Regis vsque ad primogenitum captiuæ. Sed cur non lamentantur propter tot crimina in Deum commissa? propter tyrannidem, quam per tot annos in Israëlitas exercuerunt? & id eo nescio vtri magis deplorandi primogeniti mortui, ob tam atrocem plagam, an viui ob tam insignem insaniam, qui solas corporales cædes, non autem spirituales ruinas deflebant, clamor factus est magnus? sed quam ob causam, an propter delicta, an propter iniurias seruis Dei illatas? an propter infidelitatem erga Deum? non id textus inculcat sed solum eo quod percussit Dominus omne primogenitum in Ægypto, inter suorum crimina ne minimum quidem luctum edunt, inter natorum funera, clamorem magnum excitant, quid insignius & quid insanius quam lugere corpus à quo recessit animus? animum autem à quo recessit Deus, non lugere. vtinam Ægyptij pro suis culpis funderent quas pro suis pœnis lachrymas effundebant, haud dubium quin suis animis efficacius quam suis corporibus mederentur, vnde D. August. serm. 41. de sanctis, *Sic lugeamus*, inquit, *extinctam nostram animam, quomodo alienam carnem mortuam plangimus*, & statim, carnales propinquorum luctus prosequutus, *si vxor*, inquit, *aut filius aut maritus mortui fuerint in terram se collidũt homines, capillos trahendo, pectora tundendo, & in luctu ac lachrymis non paruo tempore perseuerant, atque hinc ad spirituales luctus argumentatus, exhibeamus*, inquit, *nos animæ nostræ, quod illi exhibent aliena carni*, & in eos qui secus faciunt acriter inuehiens ait *carnem quam non possumus suscitare plangimus & animam nostra mortuam non plangimus quam possumus per pœnitentiam ad statum pristinum reuocare?* & huius insaniæ rationem, si qua ratio insaniæ est declarans, *Corpus*, inquit *mortuum plangimus quod amamus, animam vero mortuam, quam non amamus, non plangimus nec dolemus.* D. August.

### *Qui propria peccata conspicis, aliena non videt.*

514 *Surrexit Pharao nocte*, &c. *& ortus est clamor magnus*. Qua de causa tanti singultus & clamor? quia non erat domus in qua non esset mortuus, vnusquisque enim suum lamentabatur mortuum, cur cum plures essent sanguine coniuncti, vnus alterum non deflet? cur vnusquisque in domo sua super defunctũ suum lachrymas fundit? aduerte ex septẽ capitulis verborũ quæ misit Abbas Moyses Abbati Prememõ vel parmenu vt habetur l. 6. de vitis Patrum libello 4. per mortuum suæ domus, intelligi eum qui est in peccato, qui enim eo detinetur, inter mortuos censendus est, cum vera vita quæ est spiritalis, careat. ne mireris igitur si vnusquisque proprium mortuum defleat, non alienum, qui enim proprium peccatum considerat, aliena non attendit. subiicio verba cit. Abbatis Moysis. *Quando manus Domini occidit primogenita Ægypti, non erat domus in qua non esset mortuus, dicit ei frater, quid est hoc verbum? respondit ei senex quia si conspexerimus peccata propria, non videbimus peccata proximi, stultitia est enim homini habenti mortuum suum, relicto eo ire, & flere mortuum proximi sui, mori autem proximo suo hoc est portare peccata tua, & sine cogitatu esse ab omni homine, quia iste bonus est, ille malus, & ne facias malum vlli homini, neque cogites malum in aliquem, & noli gaudere cum eo qui facit malum proximo suo, & hoc est mori proximo tuo.* Vita Patrd.

### *Increduli verbis seruorum Dei tandem vltimo plectuntur supplicio.*

*Surrexit Pharao nocte*, Quid? nonne tunc temporis solent Reges in vtramque aurem dormire? 515
quæ curæ Pharaonem sollicitant, vt surgat de lecto? percusserat Dominus in medio noctis primogenitum eius, cur in medio noctis, cum omnes somno indulgent? quia increduli cum nihil de interitu cogitant, tunc debitas suæ incredulitatis dant pœnas. *Non crediderunt* (inquit Abulensis) *Ægyptij verbis Moysis, scilicet quod primogeniti eius illa nocte morerentur, ideo dormiebant securi in lectis cum autem facta media nocte quilibet in domo sua sensit mortem filiorum surrexit à lecto, clamans dolore magno commotus.* Abulens.

### *Qui primus est in culpa prior sit in pœna.*

*Surrexit Pharao nocte & omnes serui eius.* Sanè 516
mihi videtur rationi consentaneum, vt serui prius surgant à lecto quam dominus, quis enim vidit Regem somno indulgentibus seruis, ipsum excitatum surgere? nihilominus hic videmus Regem Pharaonẽ ante seruos suos è cubili surgere, deinde

deinde vero seruos suos. quid mirum cum enim prior fuerat in culpa in tyrannide, & in oppressione Israelitarum, quam serui sui: ideo prior sibi debitum expertus supplicium, & sic non ferens dolorem in morte primogeniti, stratum relinquit. mens est cit. Episcopi Abulens. *Quia mors incepit in primogenito Pharaonis, ideo ipse primo surrexisse ad plangendum dicitur.*

## *Dei prouidentia etiam elucet in puniendis peccatoribus.*

517. *Surrexit Pharao nocte &c. & clamor factus est magnus, non enim erat domus in qua non esset mortuus.* Quomodo hoc veritati consentaneum? qui fieri enim potuit; quod in singulis ædibus essent primogeniti? quot enim à paucis diebus matrimonio cõiunctis, qui nondũ liberos susceperãt? nonne omnes Ægyptij in oppressione Israelitarum deliquerant, vel actione vel consensu? cur igitur in hoc non apparebit diuina prouidentia, vt in B singulis domibus inueniantur puniendi, cum omnium commune fuerit delictum? sententia est S. Augustini q. 44 in Exod. *Cum primogeniti tantummodo morerentur, quomodo nulla erat domus quæ non haberet mortuum? an & hoc diuinitus præscientia Dei fuerat procuratum, vt in omnibus omnino essent domibus primogeniti, in quibus perimerentur Ægyptij & ab hac plaga immunes non fuerunt qui habitabant in terra Gessen? hominum quippe erant vel animalium non terra, idest homines, & animalia primogenita moriebantur occulto & Angelico percussu.* idẽ habet Hugo à S. Victore, *forsitan Dominus tunc ita fecerat vt in omni domo aliquis esset primogenitus.* S.August. Hugo Vict.

## *Salubriter excitamur, ne in peccatis nostris dormiamus.*

518. *Surrexit Pharao nocte &c. & clamor factus est magnus.* An clamor ille solum indicat dolorem, quem Ægyptij ex morte primogenitorũ conceperant? an nobis inutilis erit, sicut & illis? imo saluberrimus, nos enim monet ne cõsopiti in peccatis nostris dormiamus, sicut Ægyptij, nisi velimus cum ipsis miserè perire. suffragatur hic Rupert. *Clamor magnus, qui ortus est in Ægypto, salubriter in interiori auditu fatigat nos, vt non dormiamus sicut Ægyptij, sed vigilemus & sobrij simus, qui enim dormiunt, inquit Apostolus 1. ad Thessal. 5. nocte dormiunt & qui ebrij sunt.* Rupert. 1.Thess.5.

## *Sub regno peccati nullus viuus sed omnes mortui.*

519. *Surrexit Pharao nocte &c. & clamor factus est magnus; non enim erat domus in qua non esset mortuus.* Quomodo in tota Ægypto nulla domus omnino reperitur, quæ mortuum nõ habeat? si per Ægyptios tenebris peccatorum inuolutos intelligimus, quique sub tyrannide dæmonis degunt, merito dicitur, nullas esse ædes in quibus non reperiatur mortuus, quia sub regno peccati nullus omnino viuus sed omnes mortui sunt: consule Episcopum Metonensem dicentem. *Quod nulla fuerit domus in qua non iaceret mortuus, quid nobis indicat aliud quam quod in regno diaboli tyrannico, in peccatis mortui sunt omnes? sancti autem viuunt & regnant in syncera ac pacata conscientia diem Domini in desiderio præstolantes.* Lippom.

## A *Tunc maximè dilationem suppliciorum non patitur Deus esse, cum diuinæ prouidentiæ fides periclitatur.*

*Surrexit Pharao nocte.* Post mediam noctem, vt 520. enim morte primogenitorum Ægyptus mulctaretur, prouectæ iam noctis tempus expectatum est, sic enim ait Sapiens 18. cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine exiliens de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans, repleuit omnia morte. en vt prouectæ noctis spatium expectatur, vt primogeniti interficiantur, nihilominus vt Deus supplicium aquæ versæ in sanguinem inferat Pharaoni, quantocius festinat, ait enim ad Moysem; vade ad eum mane, cur primo mane vrgetur Moyses ibi primo mane vt denuntiet & inferat supplicium? B cur mali inferendi non patitur dilationem? ipse ait, in hoc scietis quod sim Dominus. laborabat Pharao, laborabat Ægyptus circa cognitionem diuinæ prouidentiæ, nihil per supremum Dominum putabant mandari, quod malum ne serperet iubet Deus, quamprimum aliquale supplicium accelerari, vt qui minimè soleat dilationem supplicij pati, vbi notitia & fides diuinæ prouidentiæ periclitatur. nemo nescit impijssimi tyranni Iuliani Apostatæ festinatam mortem, cuius festinationis causam proponens D. Nazian. oratione 4. ait. *Ac proinde finem quoque amentia vt dignum tulit, Deo hic solum consueta sua patientia vti non sustinente, vbi multis perniciosa futura erat benignitas, atque & iis qui honestè viuunt mœrorem multum &* C *peccantibus contemptum non paruum allatura, tanquam videlicet nemo esset, qui res nostras inspiceret, præmiaque & pœnas cuique pro merito rependeret, sed temerè & fortuito mundus ferretur,* expende illa verba, *Deo hic solùm sua consueta patientia vti non sustinente,* quippe qui pœnè incredibili patientia impijssimos homines sustinet, & in largissima tempora differt eorum pœnas, vbi puniendus fuit Iulianus, non diu sustinuit, quin potius quasi pro tunc suæ patientiæ oblitus, accelerauit supplicium, cuius dilatio benigna peccantibus contemptum non paruum esset allatura, tanquam videlicet nemo esset, qui res nostras inspiceret, periclitabatur ibi notitia diuinissimi vindicis, & ideo non sustinuit Deus sua consueta vti patientia in inferendo supplicio. Sapien. 18. S.Gre. Naz.

## D *Tanta est aliquando peccatorum impietas, vt non solum in se, sed etiam in aliis puniantur.*

*Surrexit Pharao nocte.* Videns non solum primo- 521. genitum suum & alios omniũ Ægyptiorũ morti succubuisse; sed etiã omnia animaliũ primogenita periisse, quod non exiguum ei incussit timorẽ, nam quid animalia ratione carentia cõmisere? in quo contra Deum vel populum Israeliticum deliquere, vt morti miseræ subiaceant? non deliquerunt, sed tanta est aliquando peccatorum iniquitas, vt non solũ in se, sed etiam in aliis puniantur. sic sentit Hieron. ab Oleast. *Solet Dominus impios castigare in se, & suos castigare, quẽadmodũ propter bonos eorum filiis benefacere, & benedicere solet.* Oleast.

*parit autem nobis humilitatem, unde ianua & aditus charitatis in Deum efficitur, iis qui libenter eam amplectuntur: hanc cum Adam abiecisset decidit in profundum tartarum, hanc cum amasset Dominus causa redemptionis usque ad crucem patri obtulit, idque cum nulla ex parte infra illius amplitudinem esset ut cum crimen humanæ inobedientiæ sua obedientia diluisset, eos qui obedientes essent ad beatam & immortalem vitam reduceret: primum igitur huius virtutis curam habere oportet eos qui studium certandi cum superbia diaboli suscipiunt hæc enim deinceps progressa omnes vias virtutum nobis sine ullo errore demonstrabit.* Preme illa verba, *curam huius virtutis habere oportet eos qui studium certandi cum superbia diaboli contendunt*, qui enim superbientem tartareum Pharaonem vincere voluerit, & in profundo tartari detinere, hac virtute prius muniri debet.

*Obediendum sine discussione mandati.*

487 *Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron.* Quantas quæso ceremonias Deus præcepit observari in esu legalis agni, quarum aliquæ non adeo rationi consentaneæ videntur? ad quid enim dum accumbitur mensæ, tenendus in manibus baculus? quod alienum, imo & importunum videtur: cur similiter lactucæ agrestes & amaræ simul cum agno sapido apponuntur? quid enim amarum cum dulci coniungit? si ergo hæc iubebantur adimplere, cur huiusmodi mandatum non discutiunt antequam obtemperent? quia verus obediens sine discussione mandatorum, quæ sibi iniunguntur adimplet, etiam cum alacritate: fauet Anthiocus hom. 39. *Sane obedientia est qua quis persuadetur & obedit, circa ullam diiudicationem, adeo ut quod superioris iussu imponitur, iucundus quis & alacer non item turbulentus expleat.* — Anthiocus.

*Obediens quietissimus & pacatissimus.*

488 *Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron.* Nonne promissa est sibi libertas? nonne dictum sibi fuerat, quod excutiendum durum Pharaonis iugum? quod unusquisque agnum conquireret in domum immolationis causa deferendum? quomodo in his omnibus tumultus non concitatur? quomodo certi de sua salute tragœdias non excitant aduersus Ægyptios, à quibus tot affecti fuerant iniuriis? quid ait textus? fecerunt sicut præceperat Dominus, obedientes igitur erant, & ideo quietissimi, nullas scientes commouere quærelas, ad hæc Diuus Dorotheus doctrina 1. de renuntiatione.
D. Doroth. *Memini me quandoque Abbatem Ioannem S. Barsanu hij discipulum interrogasse rem huiusce modi, cum scriptura commemoret opus nobis esse multis afflictionibus & angustiis ad vitæ ingressum, & salutis, dubitare me ut perirem qui nulla me sentirem cura moueri & sollicitari, idque per litteras sciscitabar, inter scribendum fateor, augeri mihi lætitiam sentiebam, timebamque mihi ipsi magis ad tribulationes scripturæ, aduertens quibus omnino carere non cognoscebam, ac mihi senex respondit, & vanum timorem ademit, inferens ita necessario euenire, ut scilicet paratissimi, iucundissimi & quietissimi sunt, quicunque se se in Patrum obedientiam dedidere.*

*Obediens maximos efficiet progressus.*

*Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Quid inde contigit? nempe incolumes ab Ægypto discedere, varia onustos supellectili, in auro & argento potentissimos, suos aduersarios infensissimos submersos intueri: & cur ita non contingeret? cum enim fuerint obedientissimi, cur in omnibus progressus non facerent, & in omnibus bonis non multiplicarentur? sic nobis testatur D. Ephrem lib. de virtutibus & vitiis tit. de obedientia. *Qui obtinet obedientiam* (inquit) *magnam possessionem obtinet, magnasque sibi diuitias accumulauit qui obediens est omnibus gratus est, ab omnibus laudatur, ab omnibus probatur, vir obediens cito exaltatur, celeriter magnos progressus efficiet.* 489 — D. Ephrem.

*Qui indignè sumit agnum Eucharisticum, cum in Sacramento esse realiter non credere videtur.*

*Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Scilicet agnum comedere, cum omnibus ceremoniis sibi iniunctis, quibus diximus virtutes denotari, quæ ad esum veri agni immaculati necessariæ erant: sed qua de causa tanta dispositio requiritur? quia sane qui communicat indigne, credere videtur agnum Eucharisticum non esse realiter in Sacramento, ait enim Diuus Paulus 1. Corint. 10. non diiudicat corpus Christi, id est nõ discernit corpus Domini à reliquis cibis, quid est nõ discernit? D. Thomas 3. part. quæ. 8. art. 5. ad tertium. *Id ex ipso suo facto asserit Christum verè non esse sub speciebus panis & vini, sed esse verum panem & vinum, ut illa quæ afferuntur mensis prophanis nihil que ab ipsis distare,* itaque quicumque in peccato accedit ad Eucharistiam, videtur suo facto testari Christum sub speciebus non latere: nunquid fieri potest eo peruenisse dementiæ ut cum labe peccati ad Eucharistiam accederet, si vere credidisset, ibi auctorem gratiæ subesse? addo verba D. Thomæ. *Fidelis autem qui cum conscientia peccati sumit, contemnit hoc Sacramentum, non in seipso, sed tanquam ad usum undique accipiens, unde Apost. 1. Cor. 1. assignans rationem huius peccati dicit, non diiudicans corpus Domini, idest non discernens ipsum ab aliis cibis, quod maxime facit ille, qui non credit Christum esse sub hoc Sacramento.* 490 — 1. Cor 10. D. Thom.

*Accede nihil aliud considerans ad Eucharisticum agnum, nisi animæ puritatem.*

*Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Accinxerũt enim renes suos, cum comederent agnum, quo accinctu denotatur puritas, ut superius à nobis obseruatum est, id quod postea consuluit D. Paulus 1. Cor. 10. dicens, probet seipsum homo, & sic de pane illo edat: sed quid est *sic*? quod sic de pane illo edat, id est seipsum discutiat, & nihil aliud examinet, ut ad hanc mẽsam veniat, non tempus, non dies, non alia: sunt enim non pauci qui ad Eucharistiam accedunt, quia alios vident accedentes, vel quia solemnis apparet dies, &c. cum tamen unum tantum discutere deberent, animi puritatem, ac si dicat Paulus si purus es, si omne peccatum exuisti, si pietatem coluisti, si ad hanc denique mensam te ipsum parasti, accede nihil aliud videas. cæte- 491

cæterum quamuis dies festus [illegible], si animum tuum numeris letali noxa [illegible], recede; hanc vim habet particula illa, *Sic*, teste diuo Chrysost. hom. 27. in dictam Epistolam Pauli, *ideo neque hic quæ prius dicta sunt duntaxat contentus, hæc addidit, probet seipsum homo, quod & in secunda inquit, vosmet probate, non quemadmodum nunc facimus, temporis gratia accedentes, magis quam animi studio, neque vt præparati ad vitia nostra expurganda compunctione, quæ pleni accedimus, sed vt in solemnitatibus simus, quando omnes adsunt consideremus: sed non ita Paulus præcipit, sed vnum tempus nouit, quo accederemus communicationis & conscientiæ puritatem.* tum probat pulchra similitudine Chrysost. *sane dum firma vtimur valetudine, tempus assignatum habemus, quo corpora reficimus, nempe sub meridiem & sub vesperam. si vero morbo laboramus, & tertiana aut quartana febre quatimur, nō assuetis temporibus cibos capimus, sed expectamus quoadusque deferbuerit vis caloris, & tum quidem corpus reficimus: ergo qui perfectiores sunt & semper mundi incedunt, dum voluerint ad Eucharistiam, conueniant, nos vero qui innumeris malis scatemus, tum quidem hoc pane vescamur, cum animus morbum depulerit, ne forte cibus Eucharisticus corpus nō alat, sed morbo vim addat.* Ergo qui ad Eucharistiam accedit eo [illegible] titulo, quod dies Paschæ, aut natalis Domini, aut Pentecostes agitur, non discussa conscientia, perinde fecerit, ac si quis febris æstu flagrans, cibis se ingurgitet sub meridiem, ac si sanus, cum quo solebat cibos capere: audiamus

D. Chryso. Chrysost. *Nam si sensibili nunquam communicaremus mensæ si febre laboramus, & malis humoribus abundamus ne perderemur: longe magis hanc tangere nefas est absurdis cupiditatibus impeditis, quæ febribus grauiores sunt:* quæ verba intelligenda sunt de cœnis, quas supra sepulchra Martyrum adornabant, & charisticas vocabant: est ergo sensus vos quidem celebrioribus diebus cōuiuia instituitis neque aliud expectatis, quam dierum festiuitates: aliter autem in cœna Eucharistica faciendum, ad quam non tam dierum solemnitas, quam animi puritas nos debet trahere. *Solemnitas enim*, inquit cit. Doctor, *bonorum operum est demonstratio, animæ puritas vitæ certitudo, quæ si habueris semper habere poteris solemnitatem & semper accedere.*

Cit. Doct.

### *Non satis est ab omnibus probum iudicari, vt accumbas cœnæ Eucharisticæ, nisi ex tua conscientiæ testimonio talis habearis.*

492 *Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Quid præceperat? vt agnum sine macula immolarent, vt cū accincti renibus & baculos in manibus habentes, &c. & cum azymo pane eum comederent, quo ritu varias diximus adumbrari virtutes, quibus adornari deberet qui agni Eucharistici mensæ accederet: sic etiam ad id exhortatur Apostolus cit. Epist. probet seipsum homo & sic de pane illo edat, cur non ait probetur homo ille, non autem probet se ipsum homo? nā nullus iudex in propria causa admittitur, cur ergo ait Paulus quod se ipsum probet homo? recte equidē, quia nō satis est quod alius eū probet & dignū approbet, nisi & ipse arcanorum suorum conscius testis accedat: ergo non satis est, si quis exterius virtutem colat, & ab omnibus pius habeatur, & dignus qui ad Eucharistiam accedat, nisi etiam & ipsi sibimet, qui mensæ accumbit accedat testimonium: sicut enim plures qui exterius quidem pij videntur, interius autem sordibus maculantur, hi non audeant quidem hanc mensam attingere, cum Paulus iudicium eius qui accedit, quærat, nō tenet iudicium eius qui curam habet animæ eius, qui accedit: vel sensus potest esse horum verborum, probet seipsum homo, id est non curet de alterius conscientia, cuius cura sibi commissa nō est, neque discutiat, an alius sæpius aut rarius ad hanc mensam accedat, sed aliorum actiones quæ ad se non pertinent, alienæ curæ committens, & vltis in spiritualibus versatis, se ipsum probet an dignus sit qui ad Eucharistiam accedat: hunc duplicem sensum innuit Diuus Chrysostomus hom. 27. in 1. ad Corinth. his verbis. *Propterea*, inquit *probet autem seipsum homo, & sic edat, non iubet vt alter alteri probetur, sed ipsum sibi non publicum faciens iudicium, & sine teste argumentum; qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini.* D. Chryso.

### *Indigne accedens ad agnum Eucharisticum variis infirmitatibus obnoxius & tandem vltimo supplicio plectendus erit.*

*Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Quid fecerunt? sane comederunt panem azymum cum agno, non autem fermentatum, quid si quis comedisset, qua pœna plectendus? vt vidimus, anima eius delenda erat de cœtu filiorum Israël: sed recurro ad id quod ait Paulus cit. Epist. qui indignus accedit cum fermento, id est peccato, ad agnum non legalem, sed Eucharisticum, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini: sed dic nobis Apostole, quodnam supplicium meretur ille qui hoc scelus committit? ideo inquit, inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi; morbos annumerat, & varia ægritudinū genera, tandem mortem, ac si dicat diuersis hominum criminibus variæ decernūtur iuxta decreta legum pœnæ, alij enim equuleo suspenduntur, alij mulctantur exilio, aliorum bona proscribuntur, alij triremibus addicuntur, alij publicæ exponuntur infamiæ, tandem aliqua sunt extrema delicta, quæ quidem vere mulctantur: non aliter alia quidem sunt peccata, quæ quamquam grauia sunt, minoris tamen sunt ponderis & facilius eluduntur, leuiorique pœna puniuntur; inter autem hæc, maximum & grauissimum est irreligiosè ad Eucharistiam accedere, vnde hoc extremo supplicio videlicet ipsa morte luendum, sententia est Chrysostomi Epist. 7. ad Olympiam cuius hæc sunt verba. *Nonne iniquitatis extremæ hanc dixit Paulus vltimam pœnam? nam indigne mysteriorum Sacramenta tangentes, & venerandæ mensæ participes, inhonestos hanc pœnam habere memoratus est, ita dicens propterea inter vos multi infirmi, & debiles multi, & dormiunt multi.* 493 D. Chryso.

### *Qui indigne agni Eucharistici mensæ accumbit, ipsam mortem ebibit.*

*Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Ita enim ei obedientes in omnibus, vt ne latum quidem vnguem discesserint ab his quæ sibi 494

à Moyse iniuncta fuerant circa agni esum, abstinuerunt ergo à fermento, aliàs pœnam mortis indictam incurrissent: sed cur genus mortis non dixit, quo percuti deberet qui fermentum cum agno comedisset? nam diuersum mortis genus statuitur diuersis delictis. consulamus S. Paulum qui sermonem habens de eo, qui indigne mensæ agni Eucharistici accumbit ait, iudicium sibi manducat & bibit, omnes quidem qui peccant iudicium Domini subeunt, & pœnæ & supplicio subiacent, & sub finem vitæ tartareis flammis addicentur: tum etiam sub extremum iudicium, damnabuntur. quid ergo est quod peculiariter eos terret Paulus memoria diuini iudicij, qui in hanc cœnam indignè irrepserint? S. Pacianus parænesi de pœnitentia nodi solutionem deducit ex illo, iudicium sibi manducat & bibit. Alij quidem qui peccant iudicium subeunt quidem & sententiam à Deo illatam coguntur sustinere, ast qui cum peccato Eucharistiam sumit iudicium, pœnam & supplicium manducat & deuorat, reus qui ob crimen damnatur multis modis potest pœnam euadere & mortem, vel forte iudicem precibus aut muneribus flectet, vel vincula confringet, & de carcere euadet, vel aliquouis modo pœnam eludet: cæterum ille qui virus in viscera immisit, vel toxica sibi ipsi miscuit & ebibit, qua quæso ratione mortem euadet? ergo omnes alij qui peccant, sententiam & pœnam à Deo illatã subeunt, quam aliquando vel euadere, vel differre, vel imminuere poterunt: ast qui criminis conscius ad Eucharistiam accedit, ipsam mortem ebibit, & in pectus traiicit quam non euadet, hoc dixerim ex cit. Paciano cuius verba subiicio *Qui manducat, inquit & bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit, euigila peccator, time in visceribus tuis præsens iudicium si quid tale fecisti, propterea inquit inter vos multi infirmi & agri, & dormiunt multi.* D. Pacianus

*Tale scelus est indigna agni Eucharistici sumptio, vt bene cum ipso agatur, etiamsi grauissimas tulerit in hoc seculo pœnas, dummodo in alio soluatur ab æternis.*

495 *Egressi filij Israël fecerunt sicut preceperat Dominus.* Comedentes azyma, & omnino abstinentes à fermento, aliàs vt vidimus mortem euadere non poterant, sed an temporalem, an æternam? vtramque, sed an cum eo misericorditer actum sentires, si quascumque pœnas grauissimas lueret in hoc sæculo, pro expiatione huius criminis, dũmodo in alio absolutus maneret? premam adhuc quod ait Apostolus cit. Epist. qui manducat & bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini, ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi: sed cur vltima verba addidit Paulus? sane ad consolationem fidelium, hac ratione, tantum crimen committit ille, qui indignus huic mensæ sese inserit, vt si cuiquam contigerit, hanc noxam per morbum vel etiam per corporis mortẽ abluere, putet secũ præclare actum nam manent huiusmodi hominem post vitam, immitia tormẽta, & vltrices flãmæ, vnde si Deus illi mala immittat in præsenti sæculo, quibus noxam eluat, etiamsi illa mala extrema sint, scilicet graues morbi, lues sæuissima, & si quid aliud peius fuerit, putet se benignũ Deũ assecutum, & præclare secum actum esse: testis est cit. Sanctus Pacianus, *Cum iudicamur autem, inquit, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur, lætare peccator, si in hoc sæculo aut morte interciperis, aut languore consenueris, ne puniaris post sæculum*, intellige quantum sceleris admittat, qui ad altare venit indignus, cui pro remedio computatur cum aut morbis laborat, aut morte dissoluitur. Cit. Pacian.

*Qui indigne communicat, non solum sibi ipsi damnum infert, sed toti reipublicæ Christianæ.*

*Egressi filij Israël fecerunt sicut preceperat Dominus.* Abstinentes à fermento, cum comederetur agnus Paschalis: quod similiter iussit Paulus fieri, cum comedendus esset agnus Eucharisticus, ait enim, nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit: expurgate vetus fermentum, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: sed cur ait fermentum totã massam corrumpere, vt eos arceat ab illo comedendo: nonne sufficiebat dicere expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio & azymi: recte rationem hãc subiungit, quia fermentum totam massam corrũpit, nam qui crimine maculatus ad hoc conuiuiũ venit, non modo sibi malum infert, sed toti plebi Christianæ damnum accersit; fermentum enim totam massam maculat, & acrorem inijcit non alicui parti sed toti: hac ratione si quis criminis cõscius huic conuiuio se immittit, omnibus alijs qui adsunt malum quodammodo immittit, mens est cit. Paciani Parænesi de pœnit. *Quod si vestra vobis vilis est anima parcite populo, parcite sacerdotibus, clamat Apostolus, exiguum fermentum totam massam corrumpit, quid facis tu propter quem tota massa corrumpitur? propter quem laboratura est tota fraternitas?* Cit. Paciani

*Qui ad mensam Eucharisticam accedit, sequatur ductum confessarij.*

*Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Secuti in hoc sunt Moysis consilium, vel potius Dei præceptum in agno edendo & in cæremonijs circa eum obseruandis, & in tempore quo immolaturi & comesturi erant: ita non suam sed Dei sed Moysis secuti sunt voluntatem; an aliquid tale in esu agni Eucharistici reperiemus? quid nisi ait enim Paulus, qui manducat & bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit: quid est quæso quod manducat indigne? dices quod indigne accipit, qui eo tempore accipit, quo agere debet pœnitentiam: ergo prius purgare debemus animam, & omnes vitiorum sordes eluere, postea ad hãc mensam accedere: sed addere liceat, indignè accipit agnum Eucharisticum, qui non sequitur ductum sacerdotis, dum ad eum accedit, ergo is qui ad Sacramentum accedit præscriptum sibi à confessario modum teneat, ut non frequentius, non tarius ad illud accedat, quam sibi fuerit iniunctum, fauet D. Eligius hom. 4. *Vt enim ante nos dictum est à patribus, cum tanta est plaga peccati atque impetus morbi, vt medicamenta corporis & sanguinis Domini differenda sunt auctoritate Antistitis, debet se quis ab altario remouere ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari, lectum quippe modo est qui manducat & bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini, hoc est enim indigne illud* D. Eligius.

496 (margin, beside "Egressi filij Israël … Abstinentes à fermento")
497 (margin, beside "Egressi filij Israël … Secuti in hoc")

*accipere qui accipit eo tempore quo debet pœnitentiam agere.*

*Cum agni Eucharistici es particeps, facias pauperes eleemosynæ tuæ participes.*

498 *Egressi filij Israël fecerunt sicut præceperat Dominus.* Inter alia quæ iniunxerat, vnum erat quod si non sufficerent, qui ex eadem familia erant ad esum agni, conuocarent qui ex alia, ad continuum, ex quo tunc colligimus pauperes asciscendos, vt forent nostrarum participes facultatum: quæso an idem inferre possumus cum agni Eucharistici sumus participes? consulamus Paulum qui postquam eis timorem incussit, qui indigne ad tantum accedant Sacramentum, subdidit 1. Corint. 11. dum iudicamur autem à Domino corripimur vt non cum hoc mundo damnemur, (i. Corint. 11.) mundum vocat Apostolus hoc loco eos, qui corpus Domini indigne insumunt: sed quæso dic nobis Paule, quid faciendum est nobis ne damnemur cum his qui peccaminose communicant? ita- A que fratres mei inquit cum conuenitis ad manducandum inuicem expectate, id est non arceatis à mensa vestra pauperes, & hac ratione digni eritis qui ad Dominicam mensam ascendatis: non te pudet, ad Dominicam cœnam accedere, qui à mensa tua pauperes expellis? non te pudet frustum panis, & haustum vini denegare pauperi, qui Domini corpus & sanguinem excipis? ergo si te ad Eucharistiam dignum reddere satagis, in primis emendicantibus stipem præbe, & eleemosynam, hac ratione locum exponit Chrysostomus hom. 27. in 1. ad Corint. ita scribens, (D. Chryso.) *Itaque cum conuenitis ad manducandum inuicem expectate adhuc enim permanent eis in formidine & tremore gehennæ, vult iterum pauperum gratia admonere propter quos hac omnia dicta sunt, ostendens quod qui hoc non faciunt indigne communicant, quod si non communicando suas facultates ab illa mensa quis prohibetur, multo magis rapiendo?* B



## *VARIETAS LECT. Vers. 29.*

*Vulg.* Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis qui in solio eius sedebat, vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum.
*Sept.* Factum est autem mediante nocte, & percussit &c. vsque ad primogenitum captiuæ, quæ in fouea, & vsque ad primogenitũ omnis pecoris.
*Cald.* A primogenito Pharaonis, qui sessurus erat C super solium regni eius, vsque ad primogenitum captiuæ quæ erat in domo vinctorum.
*Onk.* Vsque ad primogenitum captiui, qui est in domo carceris, *sic ex Hebræo Pagni.*
*Oleast.* Qui sedebat in domo pueri.
*Alij teste Lippom.* A primogenito Pharaonis sedentis super solium eius.
*Arias.* Vsque ad primogenitum captiuitatis.
*Basil.* Vsque ad primogenitum captiuæ quæ erat in lacu.

## *CONCORDIA.*

Licet in Hebræo sit על כסאו היושב haioseb hal chiso sedente super soliũ eius, quod tamẽ explicat Caldęus, quomodo sedebat, ait enim qui sessurus erat super solium regni eius, dictio autem בור bor foueam, carcerem, puteum, lacum significat vt iam vidimus.

## EXPOSITIO.

*Factum est autem in noctis medio.* Non id mathematice sumendum, sed sub noctis medium. *percussit Dominus omne primogenitum*, quodnam fuerit hoc mortis nomen aut genus, quo extincti sunt primogeniti, dubium est, & quidem violentam fuisse mortem nemo dubitat, percussi quippe ab Angelo & occisi sunt. Iosephus peste (Iosephus.) interiisse asserit, Deus inquit præteritis illæsis Hebræis, Ægyptios morbo percussit, nam pestis nocte illa absumpsit primogenita Ægyptiorum. Genebrard in Psal. 77. certo pestis genere perniciosissimo & acutissimo percussos ait, (Genebrar.) consentit Comestor in historia Scholastica, tamen innuere (Petrus Comestor.) videtur fuisse gladio percussos Sapient. 18 nam gladium acutum vocat diuinum mandatũ, quasi acuto gladio implendum, verum gladius in scriptura de quolibet vindictæ genere vsurpari solet, illud certe satis constat ex illo Sapientiæ loco omnes qui perierunt, eodem mortis genere periisse quod scilicet eodem nomine appelletur.

*A primogenito Pharaonis qui in solio eius sedebat.* Hoc est qui successurus erat ei in regnum, ita Caldæus, vel qui iam Rex coronatus erat à patre, sicut Salomon à Dauide Patre suo: & aliquando apud quasdam gentes regnasse simul patrem & filium traditum memoriæ est. dubium oritur cur Pharao qui verisimiliter erat parentis sui primo- D genitus, vt pote patris successor, non fuerit occisus? omissis pluribus responsis, quæ satisfacere non videntur, dicendum quod hic primogenitus capitur, non pro omni eo qui primus quomodocumque ex parentibus natus est, sed qui in quauis familia primogenitus esset patrisfamilias, vnde primogeniti qui iam in aliam familiam cõmigrarant, & facti erant suarum familiarum capita & patres familias (qualis erat Pharao) non comprehendebantur hic nomine primogenitorum: adde latius videtur extendendam significationem primogenitorum, vt non tantum is qui in aliqua familia natus esset primus cẽseretur primogenitus, sed etiam qui mortuo primogenito, in primogeniti iura successerat: is qui dicũt de primogenitis

fœminei sexus hoc debere intelligi non assentior, A tum quia voluit Dominus consecrari primogenitos Israëlis pro primogenitis Ægypti. at non omnes, sed tantum masculini sexus, vt constat ex capite sequenti; tum quia cædes primogenitorũ respondeat cædi paruulorum Hebræorum, vt sapiens ipse testatur, & istorum soli masculi occisi fuerint, vt initio Exodi scriptum est: etiam solos masculos occisos probabile est, denique vbicumque mentio est huius historiæ, solius masculini sexus est mentio, fœminei nusquam.

*Vsque ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere*, Non desunt qui hoc adagialiter dictum esse volunt, ita vt hæc omnia denotent omnes omnino primogenitos, vt explicuimus à summo ad imum à nobilissimo ad abiectissimum, ab hærede regni ad qualislitatæ seu pistrinariæ filium, sed antea dictum est de ancilla, quæ sedebat ad molam, verũ B idem est, quia huiusmodi ancillæ diurno tempore molere solent, nocturno autem ne effugiant carcere includuntur. consule quæ vndecimo capite à nobis dictum est, sicut & de primogenitis iumentorum.

Sed cum hæc sit plaga decima, nam prima fuit aquarum conuersio in sanguinem, secunda productio ranarum, tertia cynīphum, quarta muscarum, quinta pestis & interitus animalium, sexta vesicæ turgentes & vlcera tam in hominibus quam in animalibus, septima tonitrua, grando & fulmina, octaua locustæ, nona triduanæ tenebræ, decima cædes primogenitorum, (si cum, inquam) hæc sit decima, inquiri potest an his plures fuerint quam decem? sicio D. August. super Psal. 77. C in quo sicut etiam in Psal. 104. Ægypti plagæ recensentur, plures fuisse quam decem plagas arbitratur: subscribit Petrus Comestor in historia scholast. etenim in Psal. 77. inter plagas Ægypti, numerantur tres quarum non fit mentio in lib. Exodi, prima quidem declaratur his verbis, dedit ærugini fructus eorum, secunda, occidit moros eorum in pruina, tertia & dedit possessiones eorum igni: verum probabilius fuisse tantum decem plagas communis habet patrum & interpretum sententia, & tres illas memoratas non esse diuersas ab illis, sed ad eas reduci debere: nam illic pro ærugine dictio Hebræa hasil significat bruchum, speciem locustæ, & ita vertit ex Hebræo Hieron. & Aquila teste Euthymio, imo in Psalm. 104. itidem sic redditur, dixit & venit locusta, & bruchus, cuius non est numerus: quare plaga illa æruginis pertinet ad octauam plagam locustarum, plaga vero pruinæ pertinet ad septimam plagam grandinis, illa demum plaga ignis ad eandem septimam pertinet, siquidem narrat Moyses simul cum grandine, cuius species videtur esse pruina; simul inquam cum grandine mixtum fuisse ignem, magnamque vim fulminum, quorum incendio, & item grandinis ictu, omnia quæ in agris erant, vastata & consumpta sunt. sed dices saltem adhuc altera est plaga, & omnium maxima, submersio Ægyptiorum in mari rubro. sed in numero earum non censeri debet, hæc enim accidit iam emissis ex Hebræo Ægyptus, illæ vero factæ vt ex Ægypto emitterentur.

D. August

Petrus Comestor.

Euthimius. Psalm. 104.

CONCEPTVS.

*Castigatio peccatorum adhibenda est tempore quo sperentur maiores inde profectus.*

499 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti* Cur in noctis medio? cur non potius inter cœnandum vel prandendum? nam non maiori difficultate laborat Deus mortem inferre diurno vel nocturno tempore: sane vbi Deus vltimo supplicio plurimorum hominum vult emollire duritiem Pharaonis, hoc tempus noctis obseruat: id præclare D. Ambros. Psal. 118 Octon. 8. ait, *Non otiose Dominus Deus noster, cum posset quocumque momento primitiua Ægyptiorum extinguere, hoc tamẽ tempus doloris & luctus peccatoribus opportunius iudicauit.* Itaque vbi Deus emollire induratum co[r] vult, tempus spectat aptius quo supplicijs illatis peccator in luctum & bonam voluntatem emolliatur. sed dices, nonne Deus etiam infert supplicia inter pocula? etenim habes Daniel. 5. de conuiuio Balthasaris, bibebant vinũ, & laudabant deos suos aureos, argenteos, &c. in eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribẽtis; ecce tibi inter pocula peccatori pœna indicitur à Deo verum, sed pœna sine remedio quæ statim cõterit peccatorem, non pœna quæ peccatorem emolliat, eumque adducat in bonam voluntatem, vbi enim Balthasar conterendus funditus est, nil curandum quo tempore pœnæ adhibeatur notificatio, vbi Pharao emolliendus est, vt Hebræos liberet tunc obseruetur tempus opportunius & aptius, vt quis doleat de peccatis.

D. Ambros

Daniel 5.

*Non soli Ægyptij perimuntur, sed male communicantes.*

*Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Ecce dum somno indulgent dormientes, iugulantur Ægyptij, Israëlitis à morte liberis manentibus, quia agnum legalem comederant: sed omnes nunc qui comedunt agnum Eucharisticũ, an eximuntur ab interitu? vel an aliqui ex eis interire cum Ægyptijs D pereunt? consulamus quæso S. Paschasium lib. de corpore & sanguine Domini, & audiamus sic dicentem cap. 22. *In sæculi actibus remorantes non digne comedunt Pascha, videlicet carnes agni, ideo satis timendum talibus, ne cum Ægyptiis nocte perimantur dum sopore peccati premuntur.* Caue ergo ne pristinos vitiorum actus habeas, dum manducas carnes agni, caue ne in sæculo moreris, vt antea, & si nolis nocturnis peccati tenebris interimi, tanto epulo refectus, ad altiora transi, nil in te appareat, quod Christum non oleat, Christum non sapiat: ita D. Cyprian. de cœna Domini. *Cũ saturati fuerint vide quid agant, intellige quæ loquantur, quam sancti odoris sit quidquid illa crustas plenitudo, verbum bonum, mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos, illa interior syncæritas vbique diffundit.* 500

S. Paschal.

D. Cyprian.

*Dementia est non exigua, quod Deo non offeramus quæ ipse potest auferre vel inuitis.*

501 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Paratis iam ad egrediendum de Ægypto Israëlitis, & cur sic Dominus ante oculos egredientium percussit omne Ægyptiorum primogenitum? ibidem cap. 13. aiebat Dominus ad Israëlitas; separabis omne quod aperit vuluam Domino, & quod primitiuum est in pecoribus tuis, quidquid habueris masculini sexus consecrabis Domino: qui sic amabat primogenita Israëlitarum, vt illa sibi vellet offerri, cur ante oculos eorum percutit primogenita Ægypti? percutit vt dum hæc videntur auferri à Deo, discant Hebræi illi sua vltro offerre, quis enim si sapit non vltro offerat primogenitum petenti Deo, cuius potestatis est, & primogenita auferre parentibus etiam inuitis? ad hæc Diuus Hieronymus Epistol. ad Fabiolam ait, *Ad extremum Dominus primogenita Ægyptiorum perdidit, vt primogenita Israëlitarum Domino sacrarentur.* Ne quis refugeret sacrare primogenitum suum illi Domino, cuius in potestate est omnia primogenita absumere. D. Hieron.

*Aliis illatum damnum sentient reprobi in seipsis amarissimum.*

502 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitũ in terra Ægypti.* Cur magis voluit primogenita Dominus percutere quam omnes delere Ægyptios, cum à crimine oppressionis Israëlitarum liberi non essent? sane eorum filios primigenos occidit, vt Ægyptij in suis filiis perciperent illam ipsam doloris immanitatem, quam Israëlitis ipsis intulerant, eorum liberos suffocantes in aquis fluminis: sic D. August. ser. 89. de tempore, *Percutitur* (inquit) *Ægyptus primogeniti affectu, vt ex eo agnoscerent, quantus dolor sit filiorum qui necauerant filios Hebræorum.* Quam aliis potionem amaram propinant, equidem cogentur bibere iniusti, & illatum aliis malum cogentur gustare, quod illis amarissimum erit. D. August.

*Quibus fauit diabolus in vita, eos postmodum seuere torquet in morte.*

503 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Percussit inquã medio exterminatore Angelo malo, nonne potius fauebat diabolus, non solum primogenitis Ægyptiorum, sed etiam iis omnibus, quam vlli ex Israëlitis? omnes enim cum vnum Deum colerent, aduersarios sibi habebat: illi autem cum simulachris seruirent, sibi erant charissimi: quomodo ergo eos vel peste percutit vel internecione delet? quid mirum? quia quibus fauit diabolus in vita, eos postmodum seuere torquet in morte, ad hæc Diuus Petrus Damian. lib. 2. Epist. 10. *Diabolus æterna mortis internecione trucidat, ac quibus fuerat minister in pugna, eorum fit postmodum tortor in pœna, quæque illis arma suggesserat, eadem exigentibus meritis in eorum tunc iugulum vertit.* D. Petrus Damian.

*Peccator ex consortio iustorum magnum emolumentum capit.*

504 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Omnes omnino delerat Ægyptios, nam nec hoc supplicio ad meliorem mentem reuocabuntur, Israël tas enim persequentur eos deleturi si possint. Cur non dicemus licet primogeniti merito puniti fuerint, alios incolumes euasisse ex Israëlitarum saltem consortio? nam peccator ex societate iustorum magnum emolumentum capit. pulchre ex hoc monebat Bacharius Epist. de recip. endis lapsis, *Et tu ergo si mortuum dicis vel iuxta Elisei ossa illum constitue, nolo vt eum longe segreges à Christi membris, quia ipse consortio meliorum erubescet, & resurget in vitam, nonne emendationis parum putas esse momentum si peccator asciscitur in consortium beatorum: quia illorum præmia sua sentit esse tormenta si quis laudatur, erubescit, si quis vituperatur agnoscit inter hæc flagella verberum constitutus, satisfactioni emẽdationique semper approximat.* Nũquam non salutaris est peccatoribus iustorum hominum vicinitas, quorum virtutum exemplis ob oculos concurrentibus aliquando fiunt meliores. A Bacharius. B

*Nec Reges pœnas demeritis suis debitas euadent.*

*Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Regis.* Quod omnes alios primogenitos interfecerit, non equidem miror, sed cur saltem primogenito Regis iam sedenti super thronum patris, non condonat? sicut enim legibus aliorum non subijciuntur, sic nec aliorum pœnis obnoxij esse deberent: sed quæso sibi Reges non adulentur, supplicia enim suis demeritis debita nõ euadent, in se enim & in filiis suis punientur, vt nunc Pharao in primogenito suo. saniet Episcopus Metonensis in cat. *Regis tam impij primogenitus euadere non debebat, qui tot filios fidelium occidi iusserat.* 505 C Episcop. Metonen.

*Cum ad summum peccatorum deuenimus tum nobis non condonatur.*

*Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti,* Cur obseruatur quod in medio noctis? nam satis erat dixisse percussos fuisse omnes Ægypti primogenitos ab homine ad pecus: silentio obuoluatur hora eorum interitus: aduerte ex Hieronymo, vesperam initium esse peccatorum, sicut est tenebrarum, mediam autem noctem eorum consummationem; ne scisciteris ergo cur percussionis eorum memoretur hora, & in medio noctis interficiantur? cum enim ad summum peccatorum deuenimus, tunc nobis non condonantur: non dissentit Diu. Hieron. in cap. 21. Isaiæ. *Spiritualiter quia vespera noctis & tenebrarum principium est, omnis qui habet initium peccatorum versatur in vespera, qui autem venit ad summum in media nocte cõsistit. vnde & in Ægypto primogenita in media nocte caduntur.* 506 D D. Hieron.

*Muniti agno Eucharistico à morte immunes.*

*Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Ecce sæuit Angelus Domini in primogenitos Ægypti, abstinet tamen ab Israëlitarum primogenitis, illos sternit mortuos, hos viuos conseruat, quænam quæso discriminis ratio? nisi quia solos Hebræorum primogenitos inueniebat agni Paschalis esu non 407

tam pastos quam armatos, & solos Hebræorum A postes aspiciebat eiusdem agni cruore non tam tinctos quam munitos, sic exponit Diu. Cyrill. lib. 4. in Ioann. *Quid maiores eorum, id est Israelitarum ab ira liberauit, quando mors in primogenita Ægyptiorum sæuiebat? nonne palam est quia diuinæ institutioni perdocti agni carnes manducarent ac postes & superliminaria sanguine perunxerunt propterea mortem ab eis diuertisse.* Si igitur mortem omnibus terribilem caro & sanguis Paschalis agni perterrebat, & repellebat, quis dubitet fore vt corpore & sanguine Christi Domini multo magis perterreatur mors, ac multo longius repellatur? sed expressissime D. Ambros. Octo. 8. in Psal. 118. *Quia media nocte primogeniti Ægyptiorum ab exterminatore sint interempti, ideoque sanctus Moyses Propheta, vt hoc præueniret tempus, ac sine Hebræorum fraude, transiret agnum ante immolauit, hoc est vesperi, vt manducantes eum, & Pascha Domini celebrantes, non occuparentur exterminatoris insidiis, ne inermes & vacuos spiritales alimenti nocturna spicula tenebrosi hostes opprimerent. hæc diligenter intende, prudenter intellige, sollicite require, nunc perfunctorie ista dicuntur, sed diuina sibi mysteria declarantur, præueni & tu insidias tentatoris, instaura prius cœleste conuiuium.*

D. Cyrill.

D. Ambros.

*Honor debitus Regibus, maxime fundatur in Deo illis assistente.*

508 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Quo includitur non solum primogenitus Regis, qui sedebat in solio patris, sed etiã primogenitus captiuæ vilissimæ, nonne maximum discrimen est inter Regem & subditos, sicut inter solem & stellas? quid enim Regio nomine excellentius, quid sublimius regia maiestate? cur igitur filius regis & filius captiuæ non dissimiles in pœna? cur non magis reuerenda persona Regis percutienti Angelo, quam personæ abiectissimæ ancillulæ vilissimi mancipij? an quæso assistebat Regis filio Deus ne percuteretur? non equidem, ne mireris igitur si nullus ei honor impenditur, imo si eodem modo tractatur ac mancipium, non enim solum in regio culmine & dignitate, sed in Deo assistente etiam fundatur regibus debita reuerentia: consentit Beatus Chrysostomus hom. de Dauid & Saüle, qua referens rationem quam præbuit Dauid, ne percuteret Saülem, scilicet, quia Christus Domini erat, ait, *Non dixit Rex est sed Christus Domini est, non ab humano honore sed cœlesti iudicio sumpto honorifico testimonio, contemnis inquit conseruum tuum, reuerere Dominum, aspernaris electum metue eum qui elegit.* Noli hinc colligere, quod si Deo permittente Rex prauè viueret, non esset ei honore habendus, nam ei semper obtemperandum, & semper tanquam Dominus in veneratione suscipiendus, solum enim dicimus, quod si ab eo Deum abesse videremus, non tanta cum reuerentia amplectendus, aspernantur enim homines hominem etiam Regem, nisi in eo diuinitatis quid præsenserent assistentis.

D. Chrys.

*Reges si aliquando seruantur à pœnis debitis, ideo est quia ad maiores cruciatus destinantur, nisi resipiscere voluerint.*

509 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharaonis qui sedebat in solio eius.* Per primogenitum Abulensis intelligit non solum eos qui primo nati sunt, & sub custodia Patrum tunc degebant, sed omnes homines in Ægypto siue iuuenes, siue senes, siue habentes tunc patres, siue non habentes, qui apud patres suos primogeniti fuerunt, & sic multi senes centum aut plurium annorum mortui sunt in Ægypto, quia primogeniti erant, & ita contingebat quod in eadem domo pater & filius interficerentur, quia vterque erat primogenitus, sed si ita se res habet, quomodo Pharao qui primogenitus creditur, hac peste vel alio mortis genere non periit, cum esset inter omnes maxime noxius? sane vt deinde ad maiores seruaretur cruciatus, ni resipisceret: hanc etiam assignat rationem cit. Episcopus, *Licet Pharao* (inquit) *esset primogenitus, tamen non permisit eum Deus in peste illa perire, vt reseruaret eum ad maiora mala, & vt magis cruciaretur exigentibus peccatis suis, nunc valde cruciabatur peste illa, nullus enim erat in tota Ægypto, qui maioribus anxietatibus vrgeretur, alij namque dolebant de morte primogenitorum suorum, ipse autem in primogenito toto suo populo angustiabatur: alij namque solos primogenitos perdebant, ipse autem primogenitos & seruos & regnum totum amittebat, nam cum cæteri morerentur, quid ei proderat tenere regnum cum quasi ad nihilum redigeretur, vt nullos quibus præesset haberet, praelegisset ergo ipse inter cæteros morte cadere, quam cæteris morientibus solus inutilisque Rex manere: magna ergo afflictio erat, sed adhuc ad maiores calamitates seruabatur, scilicet vt pereunte coram se toto suo exercitu fluctibus maris ipse vlterius moreretur, & sic omnium Ægyptiorum infelicissimus atque calamitosior foret, quod non contigisset si eum mors inter cæteros primogenitos occupasset.*

*Cupiditates in nobis interficit Deus.*

*Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitũ in terra Ægypti.* Quid illud primogenitum? an dices cum Origene hom. 4. in Exod. non incongrue principatus & potestates huius mundi, id est Angelos malos, quos in aduentu suo Christus destruxisse idest captiuos duxisse, & de ipsis in ligno crucis suæ triumphasse dicitur? an dices cum D. August. serm. 87. de tempore per huiusmodi primogenitos, omnes hæreticorum auctores, & inuentores falsarum quæ in hoc mũdo sunt, religionum quos Christi veritas cum suis extinxit auctoribus? an dices cum D. Hieron. in Epist. ad Fabiolam, primogenita Ægyptiorum esse dogmata Philosophorum, quibus deceptos homines atque irretitos, tenebant homines, quæ omnia Christus dissoluit? quid ergo vltra hæc addere possumus? subiiciam quod ait D. Prosper. 1. parti, præd. cap. 36. *Decima plaga Ægyptiorum est mors omnium primogenitorum, & decimum mãdatum est in lege non concupisces vllam rem proximi tui. primitiuam vero esse concupiscentiam malam Pharaoni diabolus ille ostendit, quod & ipse concupiuit esse quod non erat, & Adam quem cupiditas præcipitauit in mortem. vitia vero Angelorum eius per quem mors introiuit in orbem terrarum vt primitiuus Ægyptiorum in hoc mundo tanquam in Ægypto dux noster interfecit, dum nos docet renuntiare diabolo, pompis, & Angelis eius, vt vbi abundauit peccatum superabundet & gratia.* 510

Origen.

D. August.

D. Hieron.

D. Prosper.

*Qui maior est, & præstat minori materiam peccandi, moriatur.*

511 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Nonne aliquando minor natu maiori affectu diligitur à patre, quam primogenitus, vt Beniamin à Iacob? cur ergo vt plus doleant Ægyptij de morte filiorum, etiam non interficit minores natu sicut & primogenitos? noster Seraphicus Doctor in dicta salutis tit. 3. de præcept. cap. 4. arbitratur primogenitos in oppressione Israëlitarum, mouisse exemplo suo fratres ad illorum persecutionem, quid mirum igitur si primogeniti ab Angelo exterminatore percutiantur vltimo supplicio? qui enim alteri peruerso suo exemplo præstat aliis materiam peccandi, mortis reus est: subiicio verba D. Bonauenturæ, *Tria sunt homicidarum genera, sunt enim quidam qui interficiunt seipsos pro peccatis & illi inter omnes sceleratissimi homicidæ sunt, de his dicitur Tobiæ 12. qui. facit peccatum & iniquitatem hostis est animæ suæ: sunt alij qui procurant abortum, scilicet quando bonum propositum in se extingunt quod eis misericorditer inspiratur, ex quo per gratiam impregnantur. sicut in persona ipsorum dicitur Isa. 26. à facie tua Domine concepimus & peperimus spiritum salutis: sunt alij qui spiritualiter interficiunt proximum per scandalum & malum exemplum, quod figuratur in morte primogenitorum Ægypti, vt habetur Exodi 12. tunc enim moriuntur primogenita in Ægypto, quando maiores præstant minoribus materiam peccati vel ruinæ suo malo exemplo.*

Noster Seraphicus Doctor. — Tobiæ 12. — Isai. 26. — Exod. 12.

*Tanta est aliquando peccatorum impietas & obstinatio, vt vtraque manus Dei in eos agere videatur.*

512 *Factum est in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Et hæc fuit decima plaga, qua in Ægypto percussi fuere, sed cur hoc tantum decem plagarum numero percutiuntur? nam mysterio non caret cur non vltra puniuntur, vel cur solum ad nouem vel octo plagas non extenditur eorum punitio? dices quia in decem præcepta populus Ægypti peccauerat, vel vt denotetur consummata Ægyptiorum plaga, per denarium numerum consummatum ac completum, sed liceat addere, quod tanta fuit eorum impietas & obstinatio, vt vtraque manus eius nempe decem illius digiti in eos agere necesse fuerit. Fauet Georgius Venetus tom. 1. de histor. Sacram. sect. 5. probl. 338. *Ægyptus decem plagis plagata fuit, quia manus Dei extensæ & apertæ fuere in decem digitos super Ægyptios, vnde secundum vnumquemque digitum Ægyptus plagata fuit, propterea dictum est, digitus Dei est.*

Noster Georgius Venetus.

## *VARIETAS LECT. Vers. 30.*

*Vulg.* Surrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaque Ægyptus, & ortus est clamor magnus in Ægypto, neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus.

*Septuag.* Et factus est clamor magnus in omni terra Ægypti, non enim erat domus in qua non erat in ea mortuus.

## EXPOSITIO.

*Surrexit Pharao nocte*, &c. post mediam noctem sentiens & experiens mortem primogeniti, *& serui eius*, quorum multi erant primogeniti, & ideo conserui eorum tanto casu perculsi, surrexerunt, *cunctaque Ægyptus*, omnes illius habitatores, interitum non solum filiorum, sed etiam iumentorum sentientes, *& ortus est clamor magnus in Ægypto*, describit hunc clamorem Sapiens 18. resonabat inconueniens inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus, ploratorum infantium, vbi in verbo resonabat emphasis est, vnde & in Græco ἀντηχει, significatur enim hac voce quod non tantum homines ipsi luxerint, sed & domus ipsæ, & aër vocis repercussum luctum, clamoremque auxerint, quod proprium est auctorum in solemnibus planctibus describendis, *neque enim erat domus in qua nõ iaceret mortuus*, quod difficillimum intellectu videtur, fieri enim posset vt nullus in quibusdam domibus esset primogenitus, vt si aliqui à paruo tempore matrimonio essent coniuncti, si quæpiam vel illius maritus esset sterilis, si omnes liberi iam essent defuncti, quomodo ergo hoc intelligendum venit? dices Deum effecisse vt in omnibus omnino domibus essent primogeniti, nec vlla domus esset ab hac clade immunis, quod facile tibi persuasum erit, si attendatur fœcunditas mulierum & virorum illius regionis, si vxorum eiusdem mariti attendatur in eadem domo multitudo, si autem dixeris supponamus quod à paucis diebus matrimonio essent coniuncti in illa domo, non erat primogenitus, tunc satisfacies si dixeris, hoc intelligi debere in domibus, quæ perfectam familiam constituerent, atque adeo quæ liberos haberent, sed omnem difficultatem effugies si dixeris aliquam esse hîc hyperbolem vt idem sit, non erat domus ac vix erat vlla domus, quod quidem satis familiare est sacræ scripturæ, vt vniuersales faciat propositiones etiam citra hyperbolem, vbi tam modica est exceptio, vt quodammodo pro nihilo censeri possit.

Sapien. 18.

Non mirum igitur si tantus ortus est clamor, qualis nec antea fuit, nec postea futurus, nam licet maius paulopost planctus & doloris argumentum appareat, quando ipsemet Pharao cum flore nobilitatis ac iuuentutis, & immenso pœne exercitu, cum vniuerso bellico apparatu, equis, armis, curribus, maris fluctibus obrutus est, dicendum tamen est, quod licet maior iactura videatur, non tamen nec maior clamor aut luctus extitit siue quia plurimi fuerunt ad quos non pertinuit postremus ille luctus, at prior ille adeo latè patuit,

deinde vero seruos suos: quid mirum cum enim prior fuerat in culpa in tyrannide, & in oppressione Israelitarum, quam serui sui: ideo prior sibi debitum experitur supplicium, & sic non ferens dolorem in morte primogeniti, stratum relinquit. mens est ex. Episcopi Abulens. *Quia mors incepit in primogenito Pharaonis, ideo ipse primo surrexisse ad plangendum dicitur.*

### *Dei prouidentia etiam elucet in puniendis peccatoribus.*

517\. *Surrexit Pharao nocte &c. & clamor factus est magnus, non enim erat domus in qua non esset mortuus.* Quomodo hoc veritati consentaneum? qui fieri enim potuit; quod in singulis ædibus essent primogeniti? quot enim à paucis diebus matrimonio coniuncti, qui nondum liberos susceperant? nonne omnes Ægyptij in oppressione Israelitarum deliquerant, vel actione vel consensu? cur igitur in hoc non apparebit diuina prouidentia, vt in singulis domibus inueniantur puniendi, cum omnium commune fuerit delictum? sententia est S. Augustini q. 44. in Exod. S. August. *Cum primogeniti tantummodo morerentur, quomodo nulla erat domus quæ non haberet mortuum? an & hoc diuinitus præsentia Dei fuerat procuratum, vt in omnibus omnino essent domibus primogeniti, in quibus percuterentur Ægyptij & ab hac plaga immunes non fuerunt qui habitabant in terra Gessen? hominum quippe erant vel animalium non terræ, id est homines, & animalia primogenita moriebantur occulto & Angelico percussu.* idē habet Hugo Vict. Hugo à S. Victore, *forsitan Dominus tunc ita fecerat vt in omni domo aliquis esset primogenitus.*

### *Salubriter excitamur, ne in peccatis nostris dormiamus.*

518\. *Surrexit Pharao nocte &c. & clamor factus est magnus.* An clamor ille solum indicat dolorem, quem Ægyptij ex morte primogenitorū conceperant? an nobis inutilis erit, sicut & illis? imo saluberrimus, nos enim monet ne cōsopiti in peccatis nostris dormiamus, sicut Ægyptij, nisi velimus cum ipsis miserè perire. suffragatur hic Rupert. Rupert. *Clamor magnus, qui ortus est in Ægypto, salubriter in interiori auditu fatigat nos, vt non dormiamus sicut Ægyptij, sed vigilemus & sobrij simus, qui enim dormiunt, vt ait Apostolus 1. ad Thessal. 5. nocte dormiunt & qui ebrij sunt.* 1. Thess. 5.

### *Sub regno peccati nullus viuus sed omnes mortui.*

519\. *Surrexit Pharao nocte &c. & clamor factus est magnus; non enim erat domus in qua non esset mortuus.* Quomodo in tota Ægypto nulla domus omnino reperitur, quæ mortuum nō habeat? si per Ægyptios tenebris peccatorum inuolutos intelligimus, quique sub tyrannide dæmonis degunt, merito dicitur, nullas esse ædes in quibus non reperiatur mortuus, quia sub regno peccati nullus omnino viuus sed omnes mortui sunt: consule Episcopum Metonensem dicentem. Lippom. *Quod nulla fuerit domus in qua non iaceret mortuus, quid nobis indicat aliud quam quod in regno diaboli tyrannico, in peccatis mortui sunt omnes? sancti autem viuunt & regnant in syncera ac pacata conscientia diem Domini in desiderio præstolantes.*

### A *Tunc maximè dilationem suppliciorum non patitur Deus esse, cum diuinæ prouidentiæ fides periclitatur.*

520\. *Surrexit Pharao nocte.* Post mediam noctem, vt enim morte primogenitorum Ægyptus mulctaretur, prouectæ iam noctis tempus expectatum est, sic enim ait Sapiens 18. Sapien. 18. cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine exiliens de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans, repleuit omnia morte. en vt prouectæ noctis spatium expectatur, vt primogeniti interficiantur, nihilominus vt Deus supplicium aquæ versæ in sanguinem inferat Pharaoni, quantocius festinat, ait enim ad Moysem; vade ad eum mane, cur primo mane vrgetur Moyses ibi primo mane vt denunciet & inferat supplicium? cur mali inferendi non patitur dilationem? ipse ait, in hoc scietis quod sim Dominus. laborabat Pharao, laborabat Ægyptus circa cognitionem diuinæ prouidentiæ, nihil per supremum Dominum putabant mandari, quod malum ne serperet iubet Deus, quamprimum aliquale suppliciū accelerari, vt qui minimè soleat dilationem supplicij pati, vbi notitia & fides diuinæ prouidentiæ periclitatur. nemo nescit impiissimi tyranni Iuliani Apostatæ festinatam mortem, cuius festinationis causam proponens D. Nazian. oratione 4. ait. S. Greg. Naz. *At proinde finem quoque amentia vt dignum iulit, Deo hic solum consueta sua patientia vti non sustinente, vbi multis perniciosa futura erat benignitas, atque & iis qui honestè viuunt mœrorem multum & peccantibus contemptum non paruum allatura, tanquam videlicet nemo esset, qui res nostras inspiceret, præmiaque & pœnas cuique pro merito rependeret, sed temerè & fortuito mundus ferretur,* expende illa verba, *Deo hic solum sua consueta patientia vti non sustinente,* quippe qui pœnè incredibili patientia impiissimos homines sustinet, & in largissima tempora differt eorum pœnas, vbi puniendus fuit Iulianus, non diu sustinuit, quin potius quasi pro tunc suæ patientiæ oblitus, accelerauit supplicium, cuius dilatio benigna peccantibus contemptum non paruum esset allatura, tanquam videlicet nemo esset, qui res nostras inspiceret, periclitabatur ibi notitia diuinissimi vindicis, & ideo non sustinuit Deus sua consueta vti patientia in inferendo supplicio.

### D *Tanta est aliquando peccatorum impietas, vt non solum in se, sed etiam in aliis puniantur.*

521\. *Surrexit Pharao nocte.* Videns non solum primogenitum suum & alios omniū Ægyptiorū morti succubuisse; sed etiā omnia animaliū primogenita periisse, quod non exiguum ei incussit timorē, nam quid animalia ratione carentia cōmisere? in quo contra Deum vel populum Israeliticum deliquere, vt morti miseræ subiaceant? non deliquerunt, sed tanta est aliquando peccatorum iniquitas, vt non solū in se, sed etiam in aliis puniantur. sic sentit Hieron. ab Oleast. Oleast. *Solet Dominus impios castigare in se, & suos castigare, quēadmodū propter bonos eorum filiis benefacere, & benedicere solet.*

*Licet Deus seuerè puniat, non tamen omnino delet & funditus euertit.*

521. *Surrexit Pharao nocte.* Cum percussisset Dominus non solum primogenitos hominum, sed etiam iumentorum. sed quodnam hoc supplicium, si conferatur cum tot delictis populi, qui tot atrocia commiserat crimina? fere nullũ, nam paucissimi erant primogeniti, si cum tot millibus hominum comparentur, qui remanebant superstites. cur igitur omnes funditus non deleuit? quia ita misericors est Dominus vt citra condignum puniat, quod confirmat Philo Ægyptius lib. 1. de vita Moysis. (Philo.) *Tandem accessit extrema pœna decima superioribus omnibus atrocior ipsis Ægyptijs morientibus, non tamen omnibus, nolebat enim Deus regionem desertam reddere, quam castigatam tantum voluit: parcens enim maximæ turbæ omnis ætatis virorum atque mulierum morti addixit.*

*Cum publica est pernicies, longe dolor est grauior quam cum est priuata.*

522. *Surrexit Pharao nocte &c. & ortus est clamor magnus.* Cur magnus dicitur hic clamor? nã cum solũ vnicus esset mortuus in qualibet domo, priuatus deberet esse dolor & ita exiguus. ne dicas, exiguum, cum non fuerit solum priuatus, sed etiã publicus, cum enim publica est pernicies grauissimus inde dolor nascitur. mens est ea Philonis. (Philo.) *Cum nemo esset expers eius calamitatis, vnus erat omnium clamor, vno luctu totam regionem quacumque patebat obtinente, qui tantisper dum inter priuatos parietes se continebat, singulis aliena mala ignorantibus priuatus etiam tunc videbatur, vbi vero alij didicerunt ex alijs geminabatur comploratio, accedente grauanteque dolore publico, vt ne consolator quidem existeret.*

*Cum tartareæ potestates inter se pugnant regnum illarum dissipatur.*

523. *Surrexit Pharao nocte.* Videns primogenitum exanimem iacere, percussum vt diximus a malo genio, nonne peruersi Angeli à partibus Ægyptiorum stabant? cur igitur ab iis percutiuntur, vt cum videris tartareas hinc inde pugnare legiones, nec in idem consentire, credas proximã esse earum ruinam, vt videre est in tyrannide qua conabantur medijs Ægyptijs Israelitas opprimere, nam liberius dissidentibus cualere, imò & eorũ vana corruere simulachra. non dissentit S. Augu. in Psalm. 77. *Vt Angeli mali ex vtraque parte consisterent hinc illos affligentes, inde fallentes, vt dum Angeli se inuicem oppugnarent ab eorum oppugnationibus populus Dei feliciùs erueretur.* quod in vniuersum confirmat S. Hiero. in c. 7. Micheæ. (S. Hieron.) *Perdit quippe fortitudines pessimas inter se non habere concordiam, vt cum satanas aduersus satanam diuisus fuerit, tunc ademptum regnum illius desinet, & hoc in consummatione mundi fiet, quando vnaque inter se pugnabunt dæmonum legiones, vt dissipato regno illorum fiat regnum Domini Iesu.*

*Vbi gladius, ibi futurus erit Iesus omnibus medens.*

524. *Surrexit Pharao nocte &c.* Tunc enim percussit Dominus omnes primogenitos Ægyptiorum, quod Sapiens vt diximus c. 18. pluribus verbis declarat, Omnipotens sermo tuus Domine exiliens de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminij terrã prosiliuit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans, repleuit omnia morte. ecce tibi gladius in Ægypto, & quidem durissimus & acutissimus gladius, qui omnia repleuit morte. num venit in Ægyptum solus hic durissimus gladius? absit sed & Iesum audio venisse in Ægyptum: ait enim Matth. 2. accipe puerũ & matrem eius & fuge in Ægyptum. cur puer Iesu fugis in Ægyptum? cur non magis in Iudææ montana repetis iter? ibi Ioannem etiam latitantem inuenies, qui exultet in aduentu tuo? cur mauis ire in regionem adeò remotam, & incognitã? ierat ibi prius gladius acutus, omnia replens morte, & mille plagis mortificans: & quo ierat gladius, non poterat non venire quamprimum Iesus. sic Imperfectus hom. 2. in Matth. (Auctor imp.) *Recordatus Dominus qui non in finem irascitur quanta mala fecerit super Ægyptum, ideo misit filium suum in eam, & dat illi magnæ reconciliationis pignus & perpetuæ amicitiæ, vt decem plagas Ægypti vnica medicina sanaret,* in Ægyptum præmiserat Deus gladium, præmiserat plagas, & eo festinat mittere Iesum, qui cum solus sit, non potest abesse ab eo cui gladius plagam intulit.

*Impius qui materiam præbet clamoris inutilis, clamare ex nimio dolore, cogetur.*

*Surrexit Pharao nocte &c. & clamor factus est magnus.* 525. Stupendum sane flagellum & deplorandã perditio, à primogenito Pharaonis qui sedebat in solio eius, vsque ad primogenitũ captiuæ. quis quæso tam vecors, tam stupidus, aut ferreus parens qui non citissimè hanc plagam atrocissimam animaduertens, & circumspiciens, è lectulo non surgeret ad proli charissimæ pereunti subueniendum? neminem profectò tam adamantino pectore fuisse arbitror, qui sine maxima perturbatione rerum tantarum iacturam ferre potuerit horum primogenitorum, vnus erat illustris familiæ vnicus hæres, alius patriæ spes maxima, alter parentum deliciæ & amor, alter senectutis paternæ futura & desiderata spes, qui tamen omnes immedicabili vulnere conciderunt. ingens igitur in omni Ægypto luctus, summus dolor nec alius huic similis, parentum dissoluebantur naturæ penetralia, matrum viscera disrumpebantur, & omnia ad commiserationem euocabant mundi elementa, hæc tantumne dolorem Ægyptus sustinere potuit? nonne nox illa luctuosa (si modo aliquis ei commiserationis erat sensus) terricum illud spectaculum horruit? narratu difficile est quo lugubres voces ad cœlum vsque euolarent: sed quid homines commemoro? nonne brutis etiam ipsis animalibus innatus erat dolor & luctus, cum viderent primogenita sua interire? quod si D. Basilius oratione 24. quæ est de morte, testatur se vidisse aliquando bouem ad præsepe lachrymantem cum contubernalis ipsius morte ereptus esset, (S. Basilius.) quid de horum primogenitorum parentibus iudicandum est? aufer ab oue agnum, à vacca vitulum, nonne vociferabuntur? surrexerunt ergo omnes Ægyptij à minimo ad

maximum, [illegible] clamorem & gemitum [illegible] terram [illegible] planctus & [illegible] Dei iudicio [illegible] clamor [illegible] filii Israel propter [illegible] ra grauissima, [illegible] Ægyptij: merito igitur [illegible] gemitum [illegible] cogitur, [illegible] clamoris, clamore & [illegible] dolore compelletur.

*[illegible] non cogitat nisi Dei iudicium sentiens.*

126. *[illegible]* [illegible]

Noster Ferus. è lecto, quia vt bene noster Ferus: *[illegible] non cogitat nisi [illegible] iudicium Dei [illegible].*

*Anima lege Dei accedente, ad meliorem mentem reuocatur.*

127. *Surrexit Pharao nocte.* Sent[illegible] omne primogenitum Ægypti more [illegible] non est qui per Regem Pharaonem, intelligi[illegible] animam Regis Dei imagine munitam, quæ tamen Ægyptù cola, dum variis detinetur peccatis, sed quomodo reuocanda est, tautis derelictis, creatorem suum sequatur? an decem plagis puniri debet, sicut Ægyptus? quis eam sanaturus accedet? sane si eam lex Dei Moyse adumbrata, appropinquauerit, aquas ei vertens in sanguinem, idest [illegible]

& [illegible] sanguinem [illegible] aduentum Dei [illegible] [illegible]

Lucas. [illegible]

[illegible]

2.Cor.12. castigata [illegible] correctione [illegible] & consiteri iam cœperit quia dignus Dei est, & parum quid agnitionis acceperit, [illegible] gestorum suorum tenebras videt, [illegible] errorum suorum caliginem sentit, [illegible] quomodo in eo primogenita extinguentur? Consulamus

Rabanus Maurus. Rabanum Maurum, *Omni anima [illegible] [illegible] aduenerit. [illegible] quædam lex [illegible] [illegible] secundum desideriun carnis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] in peccatum [illegible] Ægyptiorum primitiuis [illegible] [illegible] quæ vitæ conuersio [illegible] sic ergo in anima quam lex diuina [illegible] suscepiam castigat & corrigit, [illegible] primogenita Ægyptiorum intelliguntur esse deleta.*

## VARIETAS LECT. Vers. 31.32.

V*Vulg.* Vocatisque Pharao Moyse & Aaron nocte ait, surgite & egredimini à populo meo, vos & filij Israel, ite & immolate Domino sicut dicitis.

*Sept.* Seruite Domino Deo vestro, ite & seruite Domino Deo vestro sicut dicitis.

*Cald.* Seruite coram Domino sicut dicebatis.

*Arias.* Egredimini è medio populi mei, & ite, seruite Domino secundum quod locuti estis.

*Vulg.* Oues vestras & armenta assumite, vt petieratis & abeuntes benedicite mihi.

*Cald.* Ite orate etiam pro me.

## CONCORDIA.

PLures diximus de verbo עבד abad quod immolare, sacrificare, seruire significat, vbi legimus benedicite Caldæ. habet orate, sed idem est sensus, petebat enim vt coram Deo preces funderent, ne percuteretur ab Angelo exterminatore, & hæc oratio non parua benedictio.

## EXPOSITIO.

*Vocauit Pharao Moysen & Aaron.* Nocte siue ipsemet Pharao aduenit, siue per [illegible] hæc denuntiari iussit, id saltem ex hoc loco manifestum est, nō longe Pharaonem à Moyse & Aarone ea nocte [illegible], sine ipsius tunc inuicem regia fuerit, siue ea nocte præ timore enim alterius futuræ cladis, non [illegible] ma- A tutinum tempus. *Surgite & egredimini à populo meo*, ne sicut primogenitum [illegible], mittere peccamus, vos enim hanc eis mortem intulistis, [illegible] licet viam tuam dictam, [illegible] *assumite*, quod antea [illegible], sed cogente necessitate id permittit, *& [illegible] benedicite mihi*, ne [illegible] primogenitus moriar.

## CONCEPTVS.

*Ad quid nox compellit futuri timor mali.*

528. *Vocatis Pharao Moyse & Aaron nocte ait.* Vt cum filiis, armentis, & gregibus a regno suo discederent, quas plagas sustinuit? [illegible] calamitates tolerauit Ægyptus, [illegible] populo Israel [illegible] discessum à regno suo, cum armentis & gregibus suis, [illegible] his nihil petentibus id annuis, non procrastinans sed nocturno tempore, [illegible], vt surgerent, & ideo proficiscerentur, compellens? quia maximo timore alterius cladis [illegible] percellebatur, & ideo nihil intactum [illegible], nihil non [illegible], mens est Episcopi Abulen. *Pharao [illegible] dolorībus conuulsus, [illegible] timore futuri quam dolore præteriti angebatur, putauit enim [illegible] Ægyptum [illegible], si [illegible] remansisset, [illegible] velociter vocauit Moysen & Aaron, vt cæterum populum educerent,* & noster Lyran. [illegible] *non expectauit diem.* B

Abul.

Lyran.

*Iustus inconstans non vult videri.* C

529. *Vocatis Pharao Moyse & Aaron nocte ait, surgite & egredimini,* Nonne dixerat Moyses amplius non se visurum faciem Pharaonis? quomodo ergo nunc eum alloquitur, nūc eum intuetur? nonnulli arbitrantur ipsum Pharaonem non per se ipsum Moysi hæc annuntiasse, sed per internuncios, sed cur cum tanto timore [illegible] ipsemet non [illegible] Dei? [illegible] amplius eum non visuros, ne ergo mutabiles viderentur, noluit eos conuocare, sed [illegible] eis per internuncios significauit voluntatem. *Per internuncios voluerit [illegible]* Lipomanus) *[illegible] Moysi & Aaron vocatio [illegible], per quod [illegible] contra id quod [illegible] dixerant, [illegible] faciem eius [illegible] videantur, tanquam inconstantes & mutabiles.* D

Lippom.

*Si verus fueris Israelita, hostibus tuis facile condonabis.*

530. *Vocatis Pharao Moyse & Aaron dixit surgite [illegible] & [illegible] benedicite mihi.* Quid ab homine vexato, oppresso, multisque afflicto, sperare potes? vt mihi benedicat, quid? nonne durissima tyrannide oppressisti populum eius? nonne masculos eius innocentes aquis crudelissimè submergi iussisti, quid ergo ab eo consequi affectas, benedictionem, quid? an tibi, tot quæ in eum commisisti condonabit? ita equidem; verus enim Israelita & veri Dei cultor (qualis erat Moyses) non potest hostis [illegible] non condonare, verus erat Israelita [illegible], qui [illegible] huic [illegible] benedicere [illegible], [illegible] hoc peccatum in Dominum, vt [illegible] in quæ verba sanctus Chrysostomus, [illegible] exponens ait. *[illegible] non [illegible] sumus [illegible] à me, inquit, vt [illegible] pro [illegible], quam igitur veniam nos [illegible] in posterum, cum qui de noue sunt & qui de veteri testamento omnes [illegible] ad hoc [illegible] & [illegible] hoc [illegible].* S. Chrys.

*Vita impiis maxime grata.*

531. *Vocatis Pharao Moyse & Aaron nocte ait surgite.* Cur non progrediuntur? cur eos à domo exire? vel saltem cur eos tempore noctis è domo exire compellit? ait noster Lyran. [illegible] timore mortis non expectauit diem, quid? [illegible] mori? [illegible] quid enim est ait S. Ambr. lib. [illegible] de bono mortis cap. 2. quod hæc vita delectet? plena ærumnarum & sollicitudinum, in qua innumeræ calumniæ, & multæ molestiæ, & multæ lachrymæ eorum qui affliguntur molestiis, quid boni est homini in hac vita, qui in vmbra viuit, nec expleri potest cupiditatibus suis? [illegible], quid cogitat custodire, quod [illegible] quæsiuit, vt [illegible] possideat? [illegible] non poterunt, itaque [illegible] plena [illegible] vita [illegible], [illegible] honor, [illegible] & [illegible] cap. 7. [illegible] ad edendum & bibendum [illegible], & nullus expletur, vt non post [illegible] & [illegible] quotidie lucrum quærit, [illegible] cupiditati modus imponitur. non [illegible] oculus [illegible] auris auditu, qui diligit argentum non satiabitur argento, nullus finis laboris, & nullus est finis [illegible] æ, [illegible] & quid est ipsa [illegible] omnia quæ [illegible] sub sole nouum; sed omnia vanitas, Eccles. 2. totam vitam odio habui. [illegible] qui vitam odio habuit, vtique mortem [illegible], cur ergo tanto timore mortis corripitur Pharao? quia impius qualis erat hic Rex [illegible], vita [illegible] S. Cypriano de mortalitate [illegible] 4. *[illegible] velle manere, quam [illegible], [illegible] blandiens atque decipiens [illegible] voluptatibus mundi.* S. Amb. C Eccles. [illegible] Eccl. [illegible] S. Cyprian.

*Mori timeat qui impius est.*

532. *Vocatisque Pharao Moyse & Aaron nocte ait surgite.*

Nocte surgens eadem imperat nuntiis, vt deferant Moysi & Aaron, sibi liberam fieri potestatem cum omnibus suis ab Ægypto discedendi, nec sibi procrastinandum credidit timens ne eadem, qua primogenitus, clade innolueretur. quid times, ait, Tertul. lib. de test. animæ, nō est timendum, quod nos liberat ab omni timendo. si times vita decedere, quia optimam nosti, certe mortem timere non debes, quam malum nescis tum generoso animo indignum (qualis est Regius) timere. quod tandem necessario eueniet. commorandi enim nobis natura diuersorium non habitandi dedit. mors naturæ lex est, mors tributum, officiumque mortalium, malorumque omnium remedium est. quid ergo timet quod debet naturæ soluere? quia impius est & ideo metuit iure merito ex hac vita discedere. *Mori plane timeat*, inquit et Cyprian. *sed qui ex aqua & spiritu non renatus gehennæ ignibus mancipatur, mori timeat qui nō Christi cruce & passione censetur: mori timeat qui ad secundam mortem de hac morte transibit: mori timeat quem de sæculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit: mori timeat cui hoc mora longiori confertur, vt cruciatus eius & gemitus interim differatur.* & S. Chrysost. hom. 5. ad populū Antioch. *Vis scire causam cur mortem timeamus, non viuimus cum diligentia, non habemus conscientiam puram, quod si hoc esset nihil mors vos terruisset.*

Tertul.

S. Chrysost.

*Insensatus, qui mortem times, peccatum non times.*

533. *Vocatisque Pharao Moyse & Aaron nocte ait, surgite & egredimini à populo meo.* Quænam hæc vicissitudo? aliàs vidimus nec precibus, nec comminatione, nec variis portentis commotum vt permitteres Israelitis liberam abeundi facultatem. nunc vero nullo rogāte, imo omnibus Israelitis in ædibus suis inclusis legimus te nocte è somno excitatum, de cubili surrexisse vt vocatos Moysen & Aaron compelleres è regno discedere. dices timore perculsum mortis, sic cum eis egisse etiam de nocte. an cum durissimam tyrannidem exercuit? an cum tot innumera perpetrauit homicidia? an cum tot delicta commisit aliquo metu concussus fuit? nec tale auditu, & ideo insipientissimus, qui nullipendens peccatum quod omnino vitare debuit, ita exhorruit mortem quam tandem fugere non potuit. obseruatio est S. Chrysost. hom. 5. ad populum Antioch. *Puerilem timemus pauorem, mortem timentes, pueri enim laruas quidem timent, ignem vero non timent, si quidem & nos timemus mortem, quæ est larua contemptu digna peccatum vero non timemus, quod est vere timendum: quod si cogitemus quid tandem sit mors, nunquam timebimus quid enim mors est quod est vestem exuere? corpus enim anima quasi veste circundatum est.* Preme ab his verbis, pueri laruas quidem timent, vere enim sine iudicio sicut pueri, qui tanti pendunt mortem, peccata autem contemnunt.

*Mors Dominos seruis & sceptra ligonibus æquat.*

534. *Vocatisque Pharao Moyse & Aaron nocte ait, surgite & egredimini.* Quid noui accipis, vt de nocte surgens, alios cōpelleres discedere? ait textus percussit Dominus à primogenito Regis, vsque ad primogenitum captiuæ: maxima inæqualitas inter Regis filium & liberum captiuæ, quo nihil vilius & abiectius, quomodo vterque non solum morti succumbit, sed eodem genere perit? quia pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres. quod expendit S. Cyprianus de mortalitate *Quid nobis Christianis (inquit) non commune cum cæteris quandiu adhuc secundum legem primæ natiuitatis manet caro ista communis? quamdiusque istic in mundo sumus cū genere humano carnis æqualitate coniungimur, spiritu separamur.*

S. Cyprian.

*Tempus quod ad parcendum piè disposuit Deus, districtius deinde ad feriendum vertit.*

535. *Vocatisque Pharao Moyse & Aaron nocte, ait, surgite & egredimini.* Cur non iuberet nos egredi cum crederet eorum causâ filium iacere exanimem, & omnes Ægypti primogenitos? quis non gemitus ederet? quis lachrymas vberrimas non profunderet, si se peste vel alio mortis genere subitaneo filium perisse cerneret? quæ tam infœlicis casus origo? quis Deum benignissimum ad tam graue supplicium impulit? nonne mens Regis in peccatis obstinata quam cum pluries ad meliorem sensum reuocare niteretur, nihil proficiens, tandem seuerissimè in eum animaduertit. *Misericors Deus* (inquit Greg. Mag. hom. 11. in Ezech. *tempus ad pœnitentiam relaxat nobis, sed cum eius gratiæ patientiam nos ad augmentum vertimus, culpæ hoc ipsum tempus quod ad parcendum piè disposuit, districtius ad feriendum vertit, vt quia reuerti quis etiam spatio temporis accepto noluerit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit si conuerti voluisset, vnde scriptum est ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundum autem duritiam tuam & cor impœnitens thesaurisas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti Dei iudicij.*

S. Gre. Mag

*Qui te odio habet, eum dilige & benedic.*

536. *Vocatisque Pharao Moyse & Aaron ait surgite & egredimini & benedicite mihi* Tibi benedicat, cum tot opprobriis eū affeceris, maledictis insectatus, mortē minatus & cū ignominia eū à facie tua abieceris, tibi benedicat, cū nullum genus maledictionis in populum effutire non omiseris, qui tandem in omnes Israelitas omni cum tyrannide debacchatus fueris, tibi inquam benedicat, quidni? nam quo maiores ab aliquo iniurias acceperis, eo largius eum benedicere deberes: sic consulit S. Chrysost. in Psal. 7. *Hic odio te habet, & bellum gerit? tu ama & cum beneficio affice: probris & maledictis appetit, tu benedic & lauda? sed ne sic quidem soluit inimicitias, maiorē igitur tibi affert mercedem, mali enim quo magis à nobis obseruati bellum volunt componere, eo nobis splendidiorem remunerationem comparant, & se reddunt imbecilliores.*

S. Chrysost.

*Amor iustorum in aduersarios quam benignus.*

537. *Vocatisque Pharao Moyse & Aaron, ait surgite & egredimini & benedicite mihi.* Si diceret mihi condonate, tacerem vtique, nec mirum videretur, hominem post tot crimina in Deum & populum suum commissa, veniam humiliter petere, sed culpæ nō impetrata remissione, sibi benedictionē

impertiri postulare, hoc mihi facessit negotium: nam quomodo tibi benedicet Moyses, cum ab eo veniam non petieris? quomodo beneficium impendet offensus? quia amor iustorum in aduersarios benignissimus est, *Patiens est charitas* S. Gre. Mag. inquit Gregorius 10. moral. cap. 8. *quia illata mala æquanimiter tolerat, benigna vero est quia pro malis bona largiter ministrat.*

*Talis debet esse princeps, vt sciat iniurias condonare.*

538. *Vocatisque Pharao, Moyse & Aaron ait surgite & egredimini & benedicite mihi,* Non est dubium quin annuerit eius desiderijs Moyses, quomodo in veniam ita facile fertur? quomodo pro malis bona scit rependere iniuriarum immemor? quia talis debet esse princeps, qualis erat Moyses Iudæorum, vt sciat facile condonare iniurias, hoc docet sanctus August. Epist. ad Marcellinum. S. August. *Quomodo poterant Romani gubernare atque augere Rempublicam, quam ex parua & inopi magnam opulentamque fecerunt? qui acceptas iniurias ignoscere quam persequi malebant, quomodo Cæsari administratori vtique reipublicæ mores eius extollens Cicero dicebat, quod nihil obliuisci soleret nisi iniurias; dicebat enim hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator, sed si laudator talem Cæsarem nouerat, si autem adulator talem esse debere ostendebat principem ciuitatis, qualem illum fallaciter prædicabat.*

*Tandem Deus eos vlciscitur, qui nos iniurijs affecerunt & quibus condonauimus.*

539. *Vocatisque Pharao Moyse & Aaron ait, surgite & egredimini,* Quid te mouet eis licentiam abeundi concedere, quos vi ac tyrannide detinuisti? percussit Dominus omnes primogenitos à primogenito Pharaonis vsque ad primogenitum captiuæ, cur tanta clade percutit populum Ægypti, simul cum Rege? nonne pluribus opprobrijs non solum Rex, sed & populus seruos Dei affecerat, & nihilominus plures Moyses condonauerat? en igitur quomodo Deus tandem vlciscitur eos, qui nos affecerunt iniurijs, & quibus pepercimus; ita S. Cyprian. de bono patient. S. Cypr. *Quoniam plurimos scio vel pondere iniuriarum ingentium, vel dolore de ijs qui aduersum se grassantur & sæuiunt, vindicare velociter cupere, nec illud reticendum est, vt in istis fluctuantis mundi turbinibus consistentes patienter expectemus diem vltionis, nec ad vindictam doloris nostri querula festinatione properemus; cum scriptum sit expecta me dicit Dominus in diem resurrectionis meæ, in testimonium quoniam iudicium meum est ad congregationes gentium.*

*Licet aliqua difficultas sit in condonandis inimicis, sed præmium ineffabile est.*

540. *Vocatisque Pharao Moyse & Aaron ait, surgite & egredimini & benedicite mihi.* Supponis ergo tibi pepercisse, an ita facile tot acceptas iniurias condonauit? nonne maxima difficultas reperitur in conuitijs sustinendis, & quod amplius est remittendis? quis enim non ait? non possum inimicos diligere, minime valeo eis benefacere, quomodo singulari amore complectar eum, qui patrem meum amantissimum interfecit? qui à me non prouocatus, omnia mea dilapidatus est? fateor quidem hoc non carere difficultate, sed etiam fateor maximam esse mercedem, quod eruditè docet sanctus Aug. ser. 5. de sanctis. *Dicit aliquis, grandis est labor inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare, nec nos negamus fratres, non paruus quidem labor est in hoc sæculo, sed grande præmium erit in futuro, per amorem enim hominis inimici efficieris amicus, imo non solum amicus sed etiam filius Dei, sicut ipse Dominus dixit Matt. 5. diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est:* Matt. 5. *si te aliquis homo diues in hoc sæculo vellet adoptiuum filium facere, quomodo seruires? quas ei dignitates impenderes, & seruitium eius quæ durissima seruitia, & aliquoties etiam turpissima sustineres conuitia, vt ad caducam & fragilem eius hæreditatem peruenires? quod ergo ille sustinet propter substantiam terrenam, tu sustine propter vitam æternam; conuincimur enim certissima ratione, quia propter Deum possumus quidem, sed nolumus inimicum sustinere: denique si nobis aliqua potens persona iniuriam facit, si nos etiam in faciem maledicit nec respondere aliquid asperum, non dico vicem reddere audemus, quare hoc? ne ab illa persona potente adhuc maiora quam pertulimus patiamur, quod à nobis torquet hominis timor, deberet à nobis exigere Christi amor.*

*Ille sanæ mentis est, qui in oratione iustorum confidit.*

*Vocatisque Pharao Moyse & Aaron ait, ite & egredimini & benedicite mihi.* Cald. *Et orate pro me,* 541.
Cur ab homine quem tibi aduersarium arbitraris, postulas vt pro tua incolumitate Deum deprecetur? & in hoc sanæ mentis eum existima, qui in oratione viri iusti, (qualis erat Moyses) confidit, quid enim ea non obtinet? in quo non est vtilissima & efficacissima? ubi hoc persuaderat S. Nissenus lib. de oratione qui eius virtutem describens sic loquitur, *Oratio corporum robur est,* S. Gre. Niss. *abundantia domus, recta legum ac iuris in ciuitate constitutio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, coniunctorum conseruatio: oratio virginitatis sigillum est, matrimonij fides, maioribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, nauigantium salus, præsentium fructus, futurorum repræsentatio.*

*Benedictio data misero, non inutilis, sed salutaris.*

*Vocatisque Pharao Moyse & Aaron ait, ite &* 542.
*egredimini & benedicite mihi.* Quod benedictionem seruorum Dei postulet, & expectat Pharao non mirum, cum sciat sibi maxime profuturam, sed solumne benedictio Regi erit vtilis, non autem benedicenti? quis hoc asseret? cum benedictio misero data maxime sit vtrique salutaris. S. Ambros. testem do S. Ambr. lib. de bono mortis cap. 8. *Si quem videt vnus pauperem moriturum, sumptu iuuemus, & dicat vnusquisque nostrum benedictio morituri veniat super me: si quem viderimus debilem non deseramus, si quem in extremis positum non relinquamus, occurrat & nobis dicere benedictio morituri in me veniat; laudet te vnusquisque moriturus, vnusquisque depositus æuo, vnusquisque confectus dolore graui, vnusquisque morbo assumptus & morti proximus, resonent te postrema verba morituri, & benedictionem tuam egrediens anima corpore secum vehat, tuam benedictionem secum habeat miser & illi, & tibi erit salutaris.*

*Superbus dolore & timore pressus mollia loquens se deprimit.*

*Vocatisque, Pharao, Moyse & Aaron ait, ite & egredimini, an soli abscedent?* Non equidē sed cum
543 filiis, gregibus, & armentis, *& benedicite mihi,* inquit, Nonne ille qui Deū contemptui habebat? qui ministros Dei subsannabat? qui populum electum tanquam vile mancipium tractabat? quomodo ita humilis apparet vt ab iis quos flocci pendebat, benedici expectat? qui ita superbè loquebatur, nunc mollia proferat? nonne ex primogeniti morte maximè cruciabatur & timore grauioris cladis percellebatur? quid igitur mirum si à seipso ita mutatus? superbus enim dolore & timore pressus, mollia loquens se se deprimit. *Nunquid non & hoc futurum erat* (inquit Rupertus,) *vt ille superbus cuius hic typum gerebat mollia loqueretur? nempe sic de illo Dominus ad beatum Iob loquitur cap. 40. dicens nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur ad te mollia? quis* Rupert. Iob. 40.

A *enim dubitet quod ei mollia locutus fuerit, infernum spolians, cum adhuc in corpore viuentes clamauerat dicens quid tibi & nobis Iesu Nazarene venisti perdere nos? scio quis sis sanctus Dei, nec enim frustra propheta Regius Psal. 88. dicit, tu humiliasti sicut vulneratum superbum, nam sicut superbus quantumuis ante percussionem stet rigidus, subito tamen vulnere à summo descendit, verba deponit, ceruicem demittit. sic superbiæ Rex diabolus, quantumlibet antea vt fortis armatus confidenter locutus sit, vbi tamen fortiorem sensit arma deposuit, spolia reddidit & mollia non ex pietate, sed præ dolore locutus est, & adhuc in extremo iudicio molliora cum omni corpore suo locuturus ipse caput iniquorum, sed non parcam ei inquit Dominus Iob 41. verbis potentibus & ad de-* B *precandum compositis, quia videlicet sera & indigna pœnitentia est, quam cruciatus extorquet, hæc idcirco dicta sunt, vt laudantium Dominum digna admiratione pulcherrimum illud dicat miraculum, quod agnus exiguus vicit & contriuit leonem maximum, pressitque os superbi vt mollia proferret eloquium.* Psal. 88. Iob. 41.



## *VARIETAS LECT. Vers. 33.*

*Vulg.* Vrgebantque Ægyptij populum exire de terra velociter, dicentes omnes moriemur.

*Sep.* Et cogebant Ægyptij populum festinatione eiiciendo eos de terra, dicebant enim quia omnes nos moriemur.

*Cald.* Præualescebantque Ægyptij super populum, vt cito mitterent eos de terra, quia dixe- C runt omnes nos mortui sumus.

*Pag.* Et vim fecit Ægyptus populo, festinando dimittere eos à terra, quia dixerunt omnes mortui sumus.

*Arias.* Et inualuit Ægyptus super populum festinando emittere eos.

*Oleast.* Et roborauit se Ægyptus.

## *CONCORDIA.*

Verbum חזק chazak vrgere, cogere, vi compellere, vim inferre præualere &c. significat, in Hebræo habetur vbi nos legimus omnes moriemur, כי אמרו כלנו מתים chi amru cullanu methim, quoniam dixerunt omnes mortui sumus, est enim dictio methim participium præsentis temporis, quod denotat actum esse de iis, quod non differt à sensu nostri vulgati.

## EXPOSITIO.

*Vrgebantque Ægyptij exire de terra*, Timore enim mortis primogenitorum territi, & timentes ne sibi & reliquis filiis simile omne genus necis accideret, Israelitas adurgebant, & compellebant, nullamque eis facere moram in D Ægypto longiorem sinebant, id factum spiritu animaduertens Dauid concinit Psal. 104. lætata est Ægyptus, in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos, dicentes omnes moriemur, licet enim Deus per Moysem dixisset solum primogenitos interficiendos, tamen quia experientia sibi compertum erat, Pharaonē plagâ aliqua immissâ & iam cessante, promissis non stare nec populum velle dimittere, timebant ne post primogenitorum interitum, si diutius adhuc retineretur populus Israel tanquam omnes miserè perituros.

## CONCEPTVS.

*Misera aliquorum hominum conditio, ne meliores fiant à se abiiciunt viros virtuti deditos.*

544 *Vrgebantque populum de terra exire velociter* Pagnin. *vim fecit Ægyptus populo festinando dimittere eum.* An ex humilitate populum Israelem à se ablegare nituntur? erit qui dicat ex humilitate, cum antea Pharaonem humiliatum, & ceruice demissa benedictionem petere videremus, indignos ergo se iudicantes Ægyptij consortio, populi Deo charissimi, cogunt eum ilico recedere, quemadmodum (inquiunt) diuus Petrus dicebat exi à me, quia homo peccator

Luc. 5. S. Ambros. sum Domine Luc. 5. vbi D. Ambr. lib. 4. admirabatur (inquit) dona diuina, & quæ plus meruerat, hoc præsumebat minus, & quemadmodum Matth. 8. S. August. Centurio, Domine, inquit, non sum dignus vt intres sub tectum meum Matth. 8. de quo D. August. serm. 74. de tempore, tecto non recipiebat, corde recipiebat, quanto humilior, tanto capacior, tanto plenior, colles enim aquam repellunt, valles implebuntur & Genezareni expulso dæmone, & præcipitato in mare, cum grege porcorum rogabant Christum Dominum vt transiret S. Hieron. à finibus eorum Matth. 8. in quem locum Hierony. Quod rogāt inquit vt transeat à finibus eorum non de superbia hoc faciunt vt nonnulli arbitrantur, sed de humilitate, qua se præsentia Domini indignos iudicāt, sed ne dixeris ex humilitate Pharaonē à se repulisse Israelitas, sed potius ex nimia animi cæcitate vel peruersitate, quia aliquādo ita misera est hominū conditio, vt ne meliores fiant, à se abiiciunt viros virtuti deditos, sic de Venerab. Beda. quibusdā idololatriæ cultoribus Venerabilis Beda. *Qui videntes*, inquit, *potentiam Christi contra Deos suos volunt fidem eius respergere propter hanc solam coguntur omnem deorum suorum turbam abdicare*, immo *sic facere solent mali christiani*, *vt notat idem Beda qui videntes*, inquit, *propter fidem Christi, interdicta sibi peccata, quæ amant, ipsam fidei religionem quantum valent detestantur, ne huius occasione desideria, quibus pro Deo seruiunt, iubeantur extinguere*. in his Ægyptus illi peccatores adumbrantur, qui nolunt intelligere vt bene agant, & Israelitas cultores Dei à se eiiciunt, ne cœlestem legem seruare teneantur.

*Impij tandem volentes nolentes Deo obsequi coguntur.*

545 *Vrgebantque Ægyptij populum de terra exire velociter*, Sept. *& cogebant*, Pagni. *& vim ferebant Ægyptus*. Quid? nonne antea omni cū tyrannide vim inferebant Israelitis vt in Ægypto remanerēt, vt sibi tanquam mancipia seruirent? diuinæ tamen resistentes voluntati quæ sibi à Moyse denuntiata fuerat de non detinendo amplius populo suo? quomodo ergo nunc vrgent Ægyptij, cogunt immo & vim inferunt eidem populo Israel, vt ilico & quantocius relinquat Ægyptum? quia impij tandem volentes nolentes Deo obsequi coguntur, de his peruersorum consiliorum architectis S. Greg. Mag. locutus Greg. Mag. lib. 6. Moral. c. 12. ait. *Inde voluntatem Dei peragunt, vnde hanc immutare contendunt, omnipotentis Dei consilio, dum resistere nituntur, obsequuntur Dei consilijs, humana facta etiam tunc congrue seruiunt, cum resistunt*, & S. S. Chrysost. Chrysost. hom. 61. in Genes. *consultant, scilicet impij, attentant & suam declarant malitiam, at sapiens & omnipotens Deus, insidiatores ministrare etiā inuitos facit dispensatio futurorum*, & D. Greg. vbi supra, *sic diuinum consilium dum deuitatur impletur, sic humana sapientia, dum reluctatur, comprehenditur, & vnde humana sapientia voluntati Dei per intentionem resistit, inde eius militat impletioni*, itaque Pharaonis consilium de retinendo per tyrannidem populo Israel, non modo incolumem seruauit, sed & multis onustum diuitiis cum honore dimisit.

*Cum Deus aliquem sub manum suam redigere voluerit, nulla arte eluditur.*

*Vrgebantque Ægyptij populum de terra exire velociter*. Nonne omni arte qua potuit eludere, conatus est Pharao Dei voluntatem, statuentis populum suum, in libertatem vindicare? nam quid non est molitus, tum duris oneribus, & seruitute intolerabili, vt Israelem retineret, neue cogitaret discessum suum inaudita oppressit tyrannide? quid non egit vt Dei mandatis non obediret, vt iugum illius excuteret? quomodo ergo elusis eius artibus, tandem Deus Israelem pristinæ restituit libertati? quia cum aliquem sub manum suam statuit redigere, nulla eluditur arte. nobis fauet Greg. Nazianz. in apologetico seu oratione 1. de fuga suā sub finem. *Is est* inquit, *ex omnibus rebus Deus est, qui nec fuga vitari nec superari potest, cum aliquem accipere, ac sub manum & potestatem redigere voluerit, celeres anteuertit, prudentes decipit, fortes subuertit, sublimes contrahit, audaciam mitigat, potentiam deprimit*. 546 S. Greg. Naz.

*Punitio diuina quæ in hac vita infertur pro peccatis, ludus quidem vel illusio est.*

*Vrgebantque Ægyptij populum de terra exire velociter*. Ecce percussi non solum dimittunt populum sed discedere compellunt, sed consulamus caput 6. lib. 1. Reg. in quo sic Philisthinis dicitur. *Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor suum? nonne postquam percussus est tunc dimisit eos & abierunt?* Septuag. in bibliis Sixtianis, verterunt, nonne quando illusit eis dimiserunt eos? & similiter in Regiis & Complutensibus, nisi quod pro singulari illusit vertunt in plurali illuserunt, nempe Angelicæ potestates per quas hæc illusio facta est, sed quæ fuit hæc illusio Pharaonis & Ægyptiorū quæ illos ad dimittendum populum coegit? dices percussionem diuinam, quia Ægyptum flagellauit, tum aliis plagis, cum extrema nece primogenitorū, sed cur illa percussio appellatur illusio? vel quia Deus more illudentis, non autem vires suas omnes expromentis, cum Pharaone confligebat, vel quia percussio diuina, quæ in hac vita infertur quamuis sit acerrima, tamen leuis quædam illusio est, comparatione illius, quam hominum peccata merentur, & quæ in futuro inferetur sæculo. 547 1. Reg. 6.

*Cui mors ante oculos obuersatur, omnia temporalia vilescunt.*

*Vrgebantque Ægyptij populum exire de terra Ægypti velociter ratio est, quia omnes moriemur*. D. Chrysost. in Psal. 135. ad illa verba qui percussit Ægyptū, cum primogenitis eorum, credit mortem primogenitorū antecessisse Ægypti spoliationem, quam omnium plagarum Ægypti dicit nouissimam, sed id negat D. August. q. 45. in Exodum, vbi de hac spoliatione locutus ait, *Iam hoc factum fuerat ante mortes primogenitorum Ægyptiorum, fieri enim quomodo posset, vt in tanto luctu ex mortibus suorum accommodarent ista filiis Israel, quasi incredibile videretur, Ægyptios bonum pro malo reddituros fuisse*. Verum est, si ordini rei gestæ insistamus, prius primogenitos mortuos, quam 548 S. Chrysost. Psal. 35.

Ægyptios spoliarent, licet enim a parte Dei impe- A [illegible] occisio facta diem [illegible] primogenitorum [illegible] [illegible]

*Immoderatus luctus deponendus in charorum interitu*

559 *Vrgebantque Ægyptii populum exire de terra Ægypti, velociter.* Non solum [illegible] [illegible]

*Culpa populi merito tribuitur, quod princeps peragat iniustius.*

560 *Vrgebantque Ægyptii populum exire de terra velociter*. Sept. Cogebantque [illegible] Ægyptii [illegible] [illegible]

*Qui alieno malo non sapit, grauius punitur.*

560 *Vrgebantque Ægyptii populum exire de terra velociter.* Ad quod aspicientes sacerdotes Philisthinorum, eis dixerunt, quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus & Pharao cor suum? nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos & abierunt? ex quo indicari possunt duriores Philisthini, qui ex maiore scientia peccabant quam Ægyptii. hi enim Ægyptiorum plagas audierant, & nihilominus culpas talibus pœnis dignas committebant, merito igitur iudicari [illegible]

Theodoret.

[illegible] illos liberos [illegible] procul dubio Regem a persecutione [illegible] vnde quod ducit Rex in tyrannide, culpa est, & socordia populi connuentis, & tacentis: nec mirandum quod ab eis Dominus tantæ culpæ

S. Chrysost. pœnas exigat, præclarè D. Chrysost. in Psal. 104. aiebat, ne quis diceret cur puniuntur omnes Ægyptij cum Rex Iudæos detineret & peccaret per hoc [illegible] soluit hanc quæstionem. *[illegible] quando percussi sunt eorum primogenita, vel inuite Rege Iudæos expulerunt, quare etiam si voluissent [illegible] Regem [illegible] quod non possent, sed quod noluerunt.* quid non concedunt principes importunis precibus, & importunis clamoribus [illegible] & quod [illegible] clamantes [illegible] Rege non [illegible] culpabilis, & [illegible] A malo non [illegible] & in bonum non [illegible].

*Ex sano nobis dato consilio, vel documento contrarium in nostram aliquando perniciem eliciemus.*

552 *Vrgebantque Ægyptij populum exire de terra velociter.* [illegible] Israëlitarum populi [illegible] primogenita [illegible] Deo manus [illegible] Israëlitas [illegible] scire velis, quoniam [illegible] salubre consilium [illegible] audi Salomonem

Sapient. 19. Sapient. 19. [illegible] adhuc enim inter manus luctum habentes, deplorantes ad monumenta mortuorum [illegible] cogitationem insciemtiæ, & [illegible] persequebantur [illegible] Salomon [illegible] oculis [illegible] luctum [illegible] quæ in oculis, aut, inter [illegible] oculos habemus [illegible] hoc est dum [illegible] consilium [illegible] de persequendis Hebræis [illegible] Salomon Ægyptios

A mentibus suis [illegible] quod consilium persequendi Hebræos, post [illegible] experimentum [illegible] de opportunitate [illegible] ambages, ait siquidem Salomon [illegible] cogitationem insciemtiæ, nam [illegible] habebant, [illegible] luce tenebras per vim vellent abstrahere, & [illegible] rationis lumen, propterea [illegible] vnde S. Bernard. ser. 2[illegible]. in Cantic. [illegible]

B [illegible] mors primogenitorum monebat [illegible] Ægyptios, ne amplius persequerentur Israëlitas, & [illegible] contrarium eliciunt, nempe eorum internecionem, [illegible].

*Gaudium maximum à periculo liberari.*

*Vrgebantque Ægyptij populum de terra exire velociter.* 553 [illegible] Ægyptij [illegible] plagis [illegible] ex Hebræo [illegible] Ægyptios [illegible]

C [illegible] Regius Vates Psal. 104. lætata est Ægyptus in profectione eorum, [illegible] Psal. 104.

[illegible] periculo liberari [illegible] explicat Baptista Folengius *Postquam vero [illegible]* Baptist. Folen.

*[illegible]* & Genebrardus [illegible] Ægyptus in egressu eorum, [illegible] timore, ob plagas & flagella. Genebrard.

*Si impius es & in impietate tua velis manere, time pœnes te pios habere.*

*Vrgebantque Ægyptij populum de terra exire velociter.* 554 Qua de causa eos sic vrgent, cum antea [illegible]

D *moriemur*, inquiunt ex Hebræo *omnes* [illegible] *mus*, propter plagas inquit Ludolphus [illegible] Hebræorum præsentia [illegible] In Exod. in [illegible] præsentia [illegible] quomodo igitur dicunt Ægyptij [illegible] imo pæne iam mortuos, [illegible] populum Israel? quia impius [illegible] sua cessare non statuit, sed semper [illegible] peccatorum tenebris [illegible] præsentia, ita sentit Hieronym. Oleaster. *[illegible] pœne, [illegible] pios, quoniam tanta mala*

Digitized by Google

3. Reg. 17. *gis verum Dei apparent, vt dixit Helia ait 3. Reg. 17. ingressus es ad me, vt rememorentur peccata mea.*

*Iudæi nunc propter mentis obstinationem & duritiem decem plagas Ægyptiorum sustinuerunt.*

33 *Vrgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter.* Timebant enim omnes perire, sicut & primogeniti quos Dominus in decima plaga morte percussit, cum antea nouem alias præmisisset, quia populo Israel liberam discedendi libertatem ab Ægypto impertiri nolebant, nec in terram à Deo sibi promissam secedere, has Ægyptii pertulere propter Iudæos, sed an Iudæi nunc vice versa, eas tolerare coguntur? quis id asseret cum nec scriptura testetur, nec experientia constet? nam vt de nouem prioribus plagis taceam, an primogeniti eorum morte percussi sunt ab Angelo exterminatore? nequaquam id scriptum reperietur, sed audiamus Episcopum Chrystopolitanum Iacobum de Valentia in Psal. 104. Aduertendum quod sicut Moyses intulit decem plagas Ægyptiis nolentibus dimittere populum, ita Christus intulit reliquis decem maledictiones scribis & Pharisæis Iudæis qui noluerunt dimittere populum à iugo legis peccati, immo oppresserunt Apostolos & discipulos persecuti sunt, Christum & primitiuam Ecclesiam quas quidem maledictiones enumerat Christus, Matth. 23. cum dicit, væ vobis scribę & Pharisæi hypocritæ qui clauditis regnū cœlorum ante homines, vos enim nec intratis nec introeuntes sinitis intrare, nam sicut Pharao & eius principes prohibuerant filios Israel ne exirent è captiuitate & intrarent in terram promissionis, ita scribæ & Pharisæi prohibuerunt illum populum ne exiret à iugo legis, & etiam Rabini prohibent Iudæos modernos ne exeant à tenebris & iugo legis & peccati, ne veniant ad Ecclesiam & lumen fidei: & sic claudunt eis cœlum, & nec ipsi intrant nec permittunt alios intrare, & ipsi ductores cæcorum simul cum cæcis omnes in foueam inferni cadunt, & ideo Christus dat eis decem maledictiones: vnde octies dixit eis væ vobis: per quæ intelliguntur octo maledictiones, & addit nonam cum dicit, ecce relinquetur domus vestra deserta, & subdit decimam cum ait, Amen dico vobis, quia non me videbitis donec dicatis, benedictus qui venit, &c. omnes istæ decem maledictiones illatæ Iudæis fuerunt figuratæ per decem plagas illatas Ægyptiis, nam illas & easdem patiuntur hodie Iudæi non solum spiritualiter: sed etiam temporaliter, nam sicut Moyses conuertit aquas Ægyptiorum in sanguinem, ita Christus conuertit aquas & sacramenta & ceremonias Iudæorum in sanguinem, nam sacramenta veteris legis vt circuncisio, &c. quæ ante erant eis salubria, nunc sunt eis mortifera & nociua, & bibunt sanguinem & peccatum: item misit eis Christus ranas, nam sicut ranę in aquis cœnosis & putridis & luto inuolutæ semper coaxant: sic Iudæi semper murmurant contra Christum & conqueruntur, quia eiecit eos à sedibus suis, & expulsi extra aquas mundas veręę sapientiæ semper loquuntur in luto litteræ, ignorantes sensum spiritualem & tali aqua cœnosa potantur, item etiam Christus reliquit eis cynomiam & cinifes: quæ eos spiritualiter pungunt: vt patet Psalmo 77. item intulit eis locustam & brucum corrodentes arborem & ficulneam synagogæ quæ arida nullum facit fructum vt patet Matth. 21. cum Christus maledixerit ficulneæ: quæ continuò aruit, per quam significata est synagoga: item misit eis ignem & grandinem quum venit Titus & Romani & interfecerunt decies centena millia eorum & totidem captiuos duxerunt: & ciuitatem & regnum eorum totaliter deleuerunt item interfecit primogenita eorum cum animas eorum in mortem perpetuam destinauit cum dicit, Amen dico vobis: quia non me videbitis, &c. vbi priuat eos diuina visione, ex quo patet quod totidem plagas & maledictiones patiuntur hodie Iudæi quot passi sunt Ægyptii.

## *VARIETAS LECT.* Vers. 34.

*Vulg.* Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur, & ligans in palliis posuit super humeros suos.

*Sept.* Assumpsit autem populus farinam suam, antequam fermentaretur, conspersiones suas ligatas in vestibus suis super humeros.

*Caldæus.* Tulitque populus massam suam; antequam fermentaretur, sicut erat in panariis suis, ligatam in palliis suis.

*OnKel.* Et tulit populus pastam suam, antequam fermentaretur, vna cum reliquis cibis, ligatam in vestibus eorum, super humerum suum.

*Pagni.* Et tulit populus pastas suas, ligatas in vestimentis suis, super humerum suum.

*Arias.* Et tulit populus conspersionem suam, antequam fermentaretur, conspersiones suas ligatas in vestimentis suis, super humerum suum.

*Oleast.* Et leuauit populus reliquias suas, quæ superfuerant de conspersione.

*Vatab.* Tulit conspersiones suas, inuolutas vestimentis suis.

*Alij teste Vatablo.* Tulit panaria sua inuoluta vestibus, vel reliquias ciborum inuolutas.

## CONCORDIA.

HEbraica dictio בצק bazek à bazak verbo A descendit, quod subtritum vel attritum esse significat, est autem bazek massa vel pasta, eo quod fit terendo manibus, vel pedibus, vnde hoc in loco nil aliud quam massam dicit ex aqua & farina confectam, vnde pastam suam verterunt aliqui, alii conspersionem, Sept. τὸ σταῖς αὐτῶν farinam suam. Cald. massam suam, quę omnia sanè idem significant. sciendum, dictionem seoroth, descendere à verbo saar, quod reliquum esse significat, & propriè denotat reliquias ciborum; potest tamen capi etiam pro cibis, alii significare volunt panaria, id est vasa in quibus seruatur massa conspersa, nonnulli pro ipsa conspersione & farina subacta, hoc est pasta accipiunt, hinc factum quod varia sit huius loci versio: quidam enim reddunt, vnà cum reliquis cibis ligatis in vestibus super humerum suum, vt sit appositio ad massam, de qua dixerat, alii panaria sua inuoluta vestibus, vertunt, vt tamen continens sit pro contento, &c. nihilominus in tanta varietate nulla versio non concordat cum Latina editione.

## EXPOSITIO.

TVlit populus conspersam farinam antequam fermentaretur. Non loquitur hic de azymo quo vsi fuerant iuxta ritum in cęna, sed de illa farina quam parabant ad iter, conspersam dicit id est magno labore, manibus vel pedibus subactam: quia scilicet non habebant spatium, eam B fermentandi & coquendi, cocturi illam prima occasione, *& ligans in palliis*, id est in quibusdam sindonibus albis, quia ibi melius ligabatur, quam in palliis, id est in vestimentis quæ cum sint pilosa, eis pasta adhæreret. simul enim propriè significat inuolucrum vel amiculum quo aliquid tegitur, aut inuoluitur, siue sit pallium quo humeri teguntur, siue syndones vel linteamenta, *posuit super humeros suos*, licet non desint asserentes aliquos etiam in asinis suas tulisse massas.

## CONCEPTVS.

### *A celebratione festiui Paschatis reuocari non debemus.*

556 TVlit populus conspersam farinam antequam fermentaretur. Non enim eis licebat per tempus eam fermentare, vel coquere, sed cum eos vrgerent Ægyptii discedere, eam secum detulerunt, verum cum ita ab Ægyptiis vrgerentur, imo eis quasi vis inferretur, vt suum maturarent discessum, an etiam azyma quo comedendus erat agnus? vel an etiam secum ipsum agnum detulerunt, immolandi sacrificii gratia? C non equidem, nihil enim omnino nos reuocare debet à festiui Paschatis celebratione, cum nobis imperatur, eleganter cecinit S. Paulinus in suis poëmatibus natali octauo.

S. Paulinus

*Legitur vt quondam Pharis tellure tyranni,*
*Pascha sacrum Moyses prima sub lege dicauit,*
*Sanctaque tunc Iudæa, (domo licet impius illos*
*Maturare fugam valida vi cogeret hostis.)*
*Libertate tamen deuoti pectoris audax,*
*Nec turbante metu, iussum solemne reliquit*
*Sed trepidans fugiensque licet diuina peregit,*
*Festa salutifero lætis epulatur in agno.*
*Cœtibus, & ficto Christi iam sanguine victor,*
*Duxit ouans lætas, victo Pharaone choreas.*

### *Ita Deo obediendum, vt omnium aliorum sis immemor, imo etiam & tui ipsius.*

557 *Tulit populus conspersam farinam antequam fermentaretur.* Tibi dubium non est comedi non posse farinam solum conspersam antequam vel sine fermento, vel cum eo coquatur: cur igitur tuum non protrahis discessum? cur moram aliquam non interponis, quoadusque tibi panis præparetur ad cibum? nam in deserto præ eius inopia, fame miserè potes perire, nihil tale curat populus, nec quopiam est sollicitus, dummodo Dei mandata adimpleat & quod in mandatis accepit exequatur, tam celeriter Deo obediendum est vt omnium immemor sis, & Deo fidas quod omnia necessaria suppeditabit tibi.

### *Festinemus obedire sine vlla discussione.*

*Tulit populus conspersam farinam antequam fermentaretur.* Quo eam tecum defers in desertum, nonne rationi magis consentaneum esset tecum panes deferre, necessitatis subleuandæ gratia? 558
cur ergo à Moyse non requiris, quid agemus in deserto cum fames oppresserit? nonne vt nobis & paruulis nostris subueniamus saltem panes coctos habere deberemus? nihil tale discutiunt, sed festinant omni cum celeritate mandata Dei perficere, Deo enim vel eius ministris festinanter obediendum, non discusso curiosè mandato, vnde Cassianus lib. 4. instit. cap. 10. sic quosdam Monachos celebrat. *Ægyptij monachi vniuersa* D *complere quæcumque fuerint à præposito suo præcepta, tanquam si à Deo cœlitus sint edita, sine vlla discussione festinant.*

Cassian.

### *Qui pane diuino cibandus est, fermentum vitiorum secum non deferat.*

*Tulit populus conspersam farinam antequam fermentaretur*, Oleaster, *& leuauit populus reliquias suas quæ superfuerant de conspersione.* Reliquias 559
autem

autem intellige infermentatas, sed cur in desertum profecturi, memorantur quod massam sine fermento detulerunt? quid necesse fuit hoc referre? nonne cibo cælesti pane Angelorum cibandi erant in deserto? merito igitur dicitur, quod solum secum massam conspersam, infermentatam detulerunt, qui enim panem Eucharisticum, panem diuinum excipere debet, secum nullo modo habeat fermentum malitiæ: *mittuntur Hebræi ex Ægypto*, inquit Procopius, *Intempesta nocte, liberati seruitute aspera & tenebris, nam in tenebris nec in diuina luce peccati seruitus consistere auet: qua propter coniuncti Domino nullas portabant vitiorum reliquias, nec iuuabantur commeatu prophano & alieno, carebant fermento, expetebant panem diuinum hæc sane celebritas omnium celebritatum erat mundissima.*

Procop.

### *Deus minime tentandus.*

560 *Tulit populus conspersam farinam antequam fermentaretur.* Si tot Deus pro tua libertate prodigia operatus est in Ægypto; an credis in deserto te derelicturum? permissurum vt fame & inedia consumaris? cur igitur tecum tanto cum labore massam, ex qua conficiendi panes, defers in humeris? nonne tenebitur vobis ad victum necessariò ministrare? prudenter tamen id quod in se efficiunt, & secum farinam conspersam deferunt, ne tentasse Deum viderentur, & nimium præsumere, vnde recte Sanctus Augustinus tract. 33. in Ioannem sic ait. *Ex vtroque homines periclitantur & sperando, & desperando contrariis rebus contrariis affectionibus: desperatione periclitantur, qui cum in grauia inciderint peccata, putantes sibi non posse iam ignosci pœnitentibus, & statuentes se ad damnationem sine dubio destinatos, dicunt apud semetipsos iam damnandi sumus, &c. sperando quis decipitur, qui dicit bonus est Deus, mise-* C

S. August.

A *ricors est Deus: faciam quod mihi placet, quod libet, laxem habenas cupiditatibus meis, impleam desideria animæ meæ, quare hoc? quia misericors est Deus, bonus est Deus, mansuetus est Deus, [illegible] occupat spes, & cum multum speras de misericordia incidas in iudicium*, & licet Augustinus loquatur de peccatore, qui sine cooperatione sua in sola Dei misericordia confidit, à qua sine dubio excidet, nihilominus accommodari potest etiam iis, qui nimium in Dei prouidentia sperant, scilicet qui omnia à Deo expectant, de humanis mediis non solliciti.

### *Peccata ad memoriam reuocemus, vt de eis doleamus & pro eis satisfaciamus.*

*Tulit Dominus conspersam farinam antequam fermentaretur & posuit super humeros suos.* Cur exiens 561
B ab Ægypto, defert farinam conspersam, in eadem? nam eam non conspersam potuit deferre, quæ sane diutius conseruaretur: nonne alia habet onera ferenda? cur igitur in aliorum humeris non ponit ferendam? cur in suis, cum aurum & argentum, vel pretiosissima suppellex habetur deducenda? respondeat Patriarcha Paludanus, teste doctore Pepino. *Exiens de Ægypto id est de peccato debet portare farinam de fructibus Ægypti, confectam, fructus Ægypti sunt peccata, siue mala de quibus debemus facere farinam, id est peccatum ad memoriam reducere, & reducendo siue retractando per contritionem comminuere: debet etiam huiusmodi farina esse conspersa, id est aqua conglutinata, per effusionem lachrymarum, pro peccatis in confessione, hinc Threno. 2. dicitur, deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem, non des requiem tibi, nec taceat pupilla oculi tui, insuper hanc pastam debemus deferre in humeris nostris, per satisfactionem de peccatis nostris.*

Thren. 2.



## *VARIETAS LECT. Vers. 36.*

*Vulg.* Feceruntque filii Israel sicut, præceperat Moyses, & petierunt ab Ægyptiis vasa aurea, & argentea, vestemque plurimam.

*Sep.* Filii autem Israel fecerunt sicut constituit illis Moyses.

*Cald. & Pagni.* Fecerunt iuxta verbum Moysis, postularunt ab Ægyptiis & vestes.

*Antiq. Bibl.* Fecerunt filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi.

---

## *CONCORDIA.*

Hebraice est וּשְׂמָלֹת vsmaloth & vestes, sic D etiam Cald. noster autem interpres habet vestem plurimam, explicatque in singulari, cum termino multitudinis quod in plurali alii dixere.

---

## EXPOSITIO.

*Fecerunt filii Israel sicut præceperat Moyses*, ex Dei mandato, vt videre est in initio capitis præcedentis, *& petierunt ab Ægyptiis vasa aurea & argentea*, hæc per recapitulationem dicta plurimi arbitrantur, & ante hoc tempus facta, alii capite præcedenti id quidem impetratum fuisse, hic autem imperium expletum: sed placet quod quidam sentiunt, nempe & in hoc capite petiisse, scilicet & ante mortem primogenitorum, & paululum ante discessum, itaut prius petierint ab iis, qui extra terram Gessen habitabant, postmodum

vero ab iis, qui illam incolebant, vt sic totam Ægyptum spoliarent, vix enim in tanta festinatione otium esse potuisset ea in ipso egressu petendi, & licet id daretur, dicendum esset tantummodo eos, qui in terra Gessen erant, spoliatos, quæ tamen erat minima Ægypti portio: quo circa omnino verisimile est hysterologia hic vsum Moysen, possentque illa præterita perfecta, *fecerunt, petierunt*, per enallagen accipi, pro plusquamperfectis fecerant, petierant: non est autem audiendus hic Iosephus, qui nesciens quomodo suos liberaret à furto & mendacio, dixit Ægyptios donasse vltro illa dona Hebræis, præueniendo eorum petitionem, nec commodasse eis, quasi post vsum eorum in sacrificio, quod in solitudine facturi erant Deo suo, reddenda ipsis, & gratuito & liberaliter ea donasse: hoc enim esse falsum euidenter ostendunt verba scripturæ, quę in sequenti versu exponemus scilicet donasse Deum gratiam populo suo coram Ægyptiis, vt commodarent eis, & spoliasse Ægyptios: si autem illa bona fuissent donata Hebræis liberaliter, non dicerentur ea commodata Hebræis, aliud enim est commodare alicui quidpiam, & aliud donare ei, nec Hebræi dicerentur spoliasse Ægyptios, si ea bona liberaliter & dono accepissent ab eis.

---

## CONCEPTVS.

### *Si aliquid à mundo tecum habeas, in tuam sane cedet perniciem.*

562 FEcerunt filij Israel sicut præceperat Moyses & petierunt ab Ægyptijs vasa aurea & argentea. Deo monente, & præcipiente, Ægyptia ornamenta accipit & seruat Israel, quæ quia ex Ægypto erant tandem scandalo fuerunt Israeli, quem in Ægypti idololatriam traxerunt, sic Aaron Exod. c. 32. quibus ego dixi, quis vestrum habet aurum? tulerunt & dederunt mihi, egressusque est hic vitulus: non ait, ego feci vitulum, sed ego petij aurum, quod solum dedi igni, & ecce vitulus egreditur, vbi enim aurum Ægypti asseruatur, omnis alia ars, omnis industria vacat, ipsum per se sufficit Ægypti idola parere, D. Macharius senior hom. 11. ait. *Compulsus est Aaron dicere Israelitis, vt aurea & pretiosa vasa afferrent, postea aurum illud & vasa, quæ, coniecerant in ignem, in idolum versatum*, equidem quidquid commune cum peccatoribus habeas, quidquid de impura consuetudine acquiras, non quiescet, donec in te à vero Deo defectionem parturiat, non aliud expectet Israelita, ab Ægyptiorum ornamentis, non aliud speret homo pius ab impiorum communione. S. Machar.

### *Diuitiarum contemptu, peccati regnum corruit.*

563 *Fecerunt filij Israel sicut præceperat Moyses, & petierunt ab Ægyptijs vasa aurea & argentea.* Cur iubet Moyses vel potius Dominus, auri & argenti spolia auferri ab Ægypto? nam nonne potuit diuitias Israelitis cumulatissime conferre? quid enim vetat thesauros ipsis possidendos largiri, forte iubet Dominus facultates auri auferri ab Ægypto, vt ex eius ablatione iam peccati regnum ibi incipiat deficere, equidem nutat peccati regnum, & facile cedet, si diuitiarum fulcra tollantur, vnde merito Lippom. in c. 3. Exodi. *Putat aurum ab Ægyptiis auferri, vt amota sede Mammonæ seu Lu... Ammony, Ægypto præsidentis facilius ipse elideretur*, sustentat peccati sedem celonium, fidei nequitiæ principatum aurum, quod dum à cordibus humanis tollitur, tota conteritur fortitudo peccati. Lippom.

### *Argenteus fit, imo totus aureus, qui à mundo recedit.*

564 *Fecerunt filii Israel sicut præceperat Moyses & petierunt ab Ægyptiis vasa aurea & argentea.* Nonne maximum beneficium eis conferebatur libertatis possessio, & tyrannicæ seruitutis iugi excussio? quid enim fœlicius contingere potest homini captiuo, quam desiderata libertas? cur ergo non solum iugum durissimæ seruitutis excutiunt, sed cum aureis argenteisque poculis, ab Ægypto recedunt? cur eis onusti egrediuntur? forte vt ostendatur quod mundo valedicentes, & ab eo omnino egredientes, fiant argentei imo & aurei, in id propendit Macarius hom. 47. *Mutuari præcipit Deus ab Ægyptiis vasa aurea & argentea, & cum accepissent, egredi, quia dum exit è tenebris anima argentea & aurea vasa accipit, nempe suas probas cogitationes septuplo ardentiores quibus inseruitur Deo & Deus conquiescit in illis*, quo citius mundo valedicens, delitias illius spernens, cogitas Deo seruire in deserto religionis, iam luteus non es, sed totus argenteus, imo & aureus effulges. Et cur non aureus cum mundo valedicens charitate fulgeat? Macarius.

### *Non iniustitia committitur, si mercedem quis sibi comparet à Domino etiam inuito.*

565 *Fecerunt filii Israel sicut præceperat Moyses, & petierunt ab Ægyptiis vasa aurea & argentea.* Sane spoliatio illa Ægyptiorum facta ab Hebræis videtur iniqua, & merito culpanda, videtur enim fuisse furtum, quid enim aliud est furtum nisi rem auferre inscio Domino, nec volenti? & quę commodata sunt, perinde quasi donata essent, nunquam reddere, sed tanquam propria retinere? hoc autem fecerunt Hebrei spoliantes Ægyptios: deinde non videntur posse vindicari à peccato fraudis, per quam circumuenerunt Ægyptios, petentes ab eis commodata bona ipsorum, cum in animo haberent nunquam ea reddere: sed reuoca in mentem Hebræos diu multumque Ægyptiis violenter seruisse, cum tamen essent liberi ingenuique, nec vllam tam laboriosæ & diuturnæ seruitutis mercedem accepisse: cur igitur accusarentur iniustitiæ si vasa illa aurea & argentea loco mercedis sibi debitæ retinuerint? propter hanc causam Sanctus Irenæus causatur etiam grauissimum ingratissimi animi Ægyptiorum in Hebræos crimen, ob quod suis illi bonis fuere spoliati, amplissima enim

beneficiis acceperant à S. Patriarcha Ioseph, qui per plures annos vniuersam Ægyptum admirabili prudentia & inæstimabili eius gentis vtilitate, summo cum imperio administrauerat, quamobrem Ægyptios, in eius gentem, humanissimos & benignissimos esse oportuit, cui tamen illi fuere inhumanissimi atque crudelissimi: scribit autem hunc in modum Irenæus lib. 4. aduersus Hæreses c. 49. *Qui exprobrabant & imputabant, quod profecturus populus iussu Dei, vasa omnis generis & vestimenta accepit ab Ægyptiis, & sic abierit, ex quibus tabernaculum factum est in eremo, ignorantes profecto iustificationes Dei & dispositiones eius*, & quibusdam interpositis subdit rationem cur factum illud Hebræorum iustum censeri debeat ita scribens, *Ægyptij debitores erant Hebræis non solum rerum sed & vitæ suæ, propter Patriarchæ Ioseph præcedentem benignitatem: adhuc populus Hebræus pessimam seruitutem seruierat Ægyptiis vitam eorum acerbam facientibus in durissimis operibus luti & lateris, & in ædificandis ciuitatibus munitis, & multis ac diuturnis laboribus suis, facultates eorum vehementer auxerant, cum illi tamen non solum ingrati essent aduersus eos, verum & vniuersos eos perdere vellent: quid igitur iniuste ab illis? aliquid est si ex multis pauca sumpserunt? & qui potuissent multas suas substantias habere si non seruissent eis, & diuites abire, paucissimam mercedem pro magna seruitute accipientes inopes abierunt.*

S. Irenæus.

## *Quis vituperare potest quod Deus approbat & iubet?*

565 *Fecerunt filii Israel sicut præceperat Moyses & petierunt ab Ægyptiis vasa aurea & argentea.* Nunquam redditur, quis id iubet? Deus consulente Moyse, nonne insurget quidam Marció Hæresiarcha, qui Hebræos criminis arguet, dicetque non eis fuisse licitum, etiam Deo imperante, Ægyptios spoliare? sed quis vituperare potest quod Deus approbat & iubet? quomodo potest esse peccatum quod Deo fit iubente? cum in eo sit peccati ratio, quod Dei præceptis & voluntati contrarium sit? imo facere quod Deus non vult, id verissimum censendum est peccatum, Hebræos vero spoliasse bonis Ægyptios non auctoritate sua, proprioque consilio, sed Dei non solum instinctu, sed etiam expresso præcepto & iussu manifestum atque indubitatum est, hanc rationem breuiter & pulchre comprehendit exposuitque S. August. q. 39. in Exodum his verbis. *Non ex hoc Hebræorum facto quisquam sumendum exemplum putare debet ad expoliandum isto modo proximum; illud enim Deus Hebræis præcipit qui nouerat quod quemque pati oporteret, nec Hebræi furtum fecerunt sed Deo iubenti ministerium, quemadmodum cum minister iudicis occidit eum quem iudex iussit occidi, profecto si id sponte faciat homicida est etiam si occidat quem scit à iudice occidi debere.*

S. August.

## *Bonis fortunæ & donis naturalibus & gratuitis abutentes, iuste à Deo his priuantur.*

566 *Fecerunt filii Israel sicut præceperat eis Moyses & petierunt ab eis vasa aurea & argentea.* Quorum possessores, inuitis etiam dominis, effecti sunt, cur suo auro libenter commodato priuaretur? nonne de ratione commodati est quod restituatur, vel restituendi habeatur intentio? aduerte aurum suum & argentum in malos vsus, vt in cultum idolorum, illicitas voluptates impendisse: quis ergo Deum iniustitiæ arguet, cum iustissime bonis fortunæ & donis naturalibus abutentes possit priuare? sic enim scribit est Sanctus Episcopus lib. 22. contra Faustum c. 71. *Quid ergo tam desipiens quam Faustus, qui non intelligit quid loquatur, quod fame iubente Moyses vsque adeo non peccauit vt non faciendo peccaret. Deus enim iusserat qui vtique nouerat non solum secundum facta, verum etiam secundum cor hominis quid vnicuique, vel per quem perpeti debeat: carnalis itaque adhuc ille populus erat, & rerum terrenarum cupiditate occupatus, Ægyptii vero sacrilegi & iniqui erant, qui & auro illo hoc est Dei creatura male vtentes ad creatoris iniuriam suis idolis seruiebant, & homines peregrinos labore gratuito iniuste & vehementer afflixerant, digni ergo erant & Hebræi quibus talia iuberentur, & Ægyptii qui talia paterentur.*

S. August.

## *Deus non solum adimit bona male vtentibus, sed ea tradit iuste bene vsuris.*

*Fecerunt filij Israel sicut præceperat Moyses & petierunt ab eis vasa aurea & argentea,* Quæ illis iure 567
merito adempta diximus, quod his bonis male vterentur, & ad creatoris iniuriam, idolis ex illis constructis deriuarent. sed cur conceduntur Hebræis, cum sint cupidissimi, & in auaritiam propensissimi? sane vt in salutem eorum cederent, eisque in Dei cultum & honorem vterentur, ita Nazianz. orat. 42. *Quid gratis tu & absque argento egredieris? quid, an Ægyptiis & aduersariis potestatibus ea relinques, quæ male adepti sunt & peius consument? nullum ius in ea habent, sacrilegis compilarunt, eripuerunt ei qui dixit, meum est argentum, meum est aurum, daboque ea cui voluero, heri illa possidebant, sic enim permittebatur, hodie ea tibi Dominus offert ac tradit honeste & ad salutem vsuro,* ergo tu quisquis externis his bonis oblectaris, qui diuitiis, honoribus, valetudine, corporisque viribus flores, vt floreas, valeas, abundes ad iustitiæ opera, hæc omnia transfer, nec illis tam fruere, quam vtere, quippe si ad creatoris iniuriam, idola ex illis erigis, siue in idolorum cultum transfers, scito te illis tanquam Ægyptium hominem spoliandum, eaque conferenda, qui honeste & ad salutem illis vsurus est.

S. Greg. Nazianz.

## *Insana cupiditas habendi nunquam satiatur.* 568

*Fecerunt filij Israel sicut præceperat eis Moyses & petierunt vasa aurea, argentea & vestes,* & egressi de Ægypto vniuersas secum illius diuitias detulere. & nihilominus adhuc cupidi ad spolia Ægyptiorum de mari rubro exeuntium aspirabant, nam postquam Ægyptios mari rubro oppressos, fluctus in terram euomuerũt, Hebræi ad eos diripiendos ac denudandos euolarunt nisi, quidem Moyses acriter obstitisset, nihil de via capessenda vlterius curaturi, tulit Moyses inquit textus Israel de mari rubro Exodi 15. vbi noster Lyranus. *Dicitur tulit, quia cum quadam violentia, & importunitate, fecit eos inde recedere, erant enim cupidi & ideo nimis intenti ad spolia Ægyptiorum submersorum colligenda,* quid hoc est boni Israelitæ? si quidquid

Lyranus.

auri, si quidquid argenti, quidquid pretiosæ vestis in Ægypto erat, vobiscum pariter extulistis? cur modo ad laceras, & attritas, ac sale tabescentes vestes inhiatis? nempe satiari nunquam potest insana cupiditas acquirendi, imo vt bene S. Basil. hom. 7. in diuites auaros. *Non solum*, inquit, *crescendo non expletur sed ardentior redditur appetitus, velut ebriis occasio sitiendi est vini copia & augmentum, sic & qui repente ditatus est, plura possidens plura concupiscit*, & statim obseruat miseros auaros non tam exhilarari propter diuitias acquisitas, quam propter acquirendas excruciari.

S. Basil.

*Obediendum superiori tanquam Deo.*

569 *Fecerunt filii Israel sicut præceperat Moyses.* In antiquis bibliis legitur sicut præceperat Dominus, si Moyses hoc præceptum imposuerat, cur dicitur Deus id iussisse? magna enim inæqualitas inter Deum & hominem: recte tamen vbi habemus, quod Moyses præceperat, legitur quod Deus id iusserit, quia quod superior imperat ac si Deus id iuberet excipiendum est, & ei tanquam Deo obediendum: id docuit sanctus Patriarcha eximiæ societatis Iesu Ignatius, in Epist. quondam ad Lusitanos fratres scripta anno 1553. *Non inspicia tinis in persona superioris hominem ob noxium erroribus atque miseriis, sed Christum ipsum qui est sapientia summa, bonitas immensa, charitas infinita, nec decipi potest, nec nos vult ipse decipere: & quoniam conscij vobis inet estis, vos Dei amore iugum obedientiæ subiisse, vt in superioris voluntate sequenda voluntatem diuinam certius sequeremini: nolite dubitare quia pergat fidelissima Domino charitas eorum ministerio, quos vobis præfecit, vos deinceps gubernare & rectis itineribus ducere: itaque superioris vocem ac iussa non secus ac Christi vocem excipite, siquidem Apostolus etiam in hanc sententiam scribens ad Colos. c. 3. cum ad obtemperandum præpositis subditos adhortatur, ait, quodcumque facitis ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus; scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis*, & postea, *statuite vobiscum ipsi quidquid superior præcipit, ipsius Dei præceptum esse & voluntatem.*

S Ignatius societatis Iesu Patriarcha.

*Deus cultu externo etiam colendus.*

570 *Fecerunt filii Israel sicut præceperat Moyses & petierunt vasa aurea & argentea.* Rationem huius petitionis aliquam dedere nempe vt Deo honestius in deserto sacrificium offerrent, sed quid? an auro, & alia supellectili pretiosa, Deus indiget vt sacrificium offeratur? nam anima nostra & non quomodocumque considerata sed virtutibus Theologicis ornata, vt decet, colitur: colitur quidem interne, sed auro & argento & aliis quæ sunt æstimationis & pretii apud homines externe veneratur inquantum testimonia sunt nostræ erga Deum propensionis, & amoris. doctrina vera est & confirmata ab Abulens. Episcopo. *Habebant rationabilem colorem in hac scilicet petitione auri & argenti, quia Deum suum quem solemniter colere intendebant his pretiosis rebus, quæ apud mortales magni valoris existimantur honorare debebant*: postquam autem dixit quibus virtutibus vere colitur, subiungit. *Res inferiores corporea in tantum sunt ad cultum Dei inquantum voluntatis nostræ, & interioris virtutis testimonia quædam sunt, cum nos aliquem hominem maxime honorare volumus facimus ei magnas humiliationes & ei ista preciosa quæ nos multum appreciamus, apponimus, vt aurum, argentum, & vestes preciosas, ista enim placent illi, inquantum affectionis, quæ secundum se conspici non potest, quædam demonstrantur insignia: ita enim Deus volens sibi affectionẽ puram sine crimine haberi, & hanc per exteriora nostra monstrari, non quantum ad ipsum, quia ipse optime nouit cordis abscondita, sed quantum ad alios vt alii videant, quod nos Deum colimus, ista acceptat.*

Abulens.

*Deus ingratos, gratos facit nescientes.*

*Fecerunt filij Israel sicut præceperat Moyses, & petierunt vasa aurea & argentea.* Totus est Marcion 581
in blasphemiis euomendis contra Deum, quod bona aliena inuitis dominis iusserit eripi, sicque relucentem bonitatem creatoris infuscare nititur, sed Iudex à Tertuliano lib. 2. contra hunc Hæresiarcham ipsemet huius controuersiæ constituitur, supponitque ita actum per legatos vtrimque Ægyptiorum, quidem repetentium vasa, Iudæorum vero reposcentium operas suas quibus satisfacere nec potuerunt, nec voluerunt: quomodo enim non solum pro labore immenso, quem in operibus luti & lateris, in construendis ciuitatibus impenderunt, per tot annos, sed pro atrocissimis iniuriis acceptis, à quibus abstinere omnino debuissent, cum tot beneficia imo & regni & vitæ suæ conseruationem à Ioseph seruatore suo accepissent, minime satisfacere eis fuisset possibile: si ergo ita ingrati, an nullas suæ ingratitudinis pœnas luent? luant, & ingrati, grati fiant compensatione debitorum, vel inscientes, vel etiam nolentes, sic ait Tertul. *Si bona Hebræorum causa, bona, & iam & causa idest mandatũ Creatoris, qui & Ægyptios gratos fecit nescientes, & suum populum in tempore expeditionis angusto aliquo solatio tacitæ compensationis expunxit.*

Tertull.

*Deus semper in omnibus prouidus.*

*Fecerunt filij Israel sicut præceperat Moyses & petierunt vasa aurea & argentea.* Ecce profecturi 582
in desertum non solum auro, argento, vestibus, sed & armentis & gregibus onerantur, si autem eorum successores consideremus, pauperes per mundũ & omnibus denudatos iuisse videbimus: Christus enim Dominus suis discipulis præcipit, vt nec aurum imo nec peram per viam deferant. quid? nonne vtrique itineri se accingunt? nonne vtrique viam sibi iniunctam perficere tenentur? cur ergo tam inæquali conditione? cur Israelitæ ditissimi quibus nihil deerat, discipuli autem Domini pauperrimi quibus omnia deficiebant? aduerte priores missos in desertum, in quo nec aliquid ad victum inueniebatur, alios autem in ciuitates, quæ in omnibus erant abundantissimæ: en vt Deus in omnibus prouide se gerit, quibus pereundum erat in deserto præ nimia illius sterilitate, prouidit de armentis & gregibus, nec non auro & argento ad ea cõmenda? pro nobis stat Tertul. lib. 4. contra Marcionem cap. 14. *Profectionem filiorum Israel creator etiam illis spoliis aureorum & argenteorum*

Tertull.

*vasculorum & vestium præter oneribus conspersionum offarcinatam eduxit ex Ægypto: Christus autem nec peram discipulis in viam ferre præscripsit Luc 10. illi enim in solitudinem promouebantur, hi autem in ciuitates mittebantur, considera causarum differentiam, & intelliges, vnam & eandem potestatem, quæ secundum penuriam & copiam, expeditionem suorum disposuit, proinde per ciuitates abundaturam circuitus, sicut & egituram per solitudinem struxerat.*

**Deus in prædictione sua infallibilis, qui iustis sua restituit.**

582 *Fecerunt filij Israel sicut præceperat Moyses & petierunt vasa aurea & argentea.* Et sic onusti spoliis Ægyptiorum recesserunt, nec de æquitate Dei id heri præcipientis, nec de iustitia populi obedientis, dubium esse debet, quid? nonne iniquum est commodatò aliena accipere, nulla habita intentione ea restituendi? aduerte quondam Hebræos in Ægyptum descendisse, cum omnibus suis facultatibus, Deumque prædixisse Abraham, sobolem tandem aliquando ex Ægypto redituram, cum multa suppellectile: en vt Deus & suis satisfacit promissis, & quæ erant iustorum, cumulate restituit. arbitror hanc mentem fuisse S. Ambr. lib. 2. de Abraham cap. 9. *Post hac reuertentur huc cum suppellectili multa: itaque exibunt iusti vt nihil de suo dimittant in hac terra, ne spolia eorum resideant apud incolas & possessores istius terræ, quæ etiamsi abibunt de terra Ægypti ista vasa. quæ sumpserunt ab Ægyptiis aurea vel argentea, quibus ad tempus vterentur, secum auferant & deprædentur Aegyptios. hac vasa acceperunt voluntate Domini & secum ea auferunt, quia resurrectionis filij sunt, quibus dicitur Luc. 2. non peribit capillus de capite vestro.*

S. Ambr.

Luc. 2.

**Corpus nobis concessum vt eo tanquam organo magis mereamur.**

583 *Fecerunt filij Israel sicut præceperat Moyses, & petierunt vasa aurea & argentea.* Vestemque plurimam, & sane pretiosam qua induerentur, in terram promissionis tendentes, exeunt ergo ab Ægypto ornatiores mediis vestibus, quibus induantur, quid ni? cum tot antea tolerassent? quænam est illa vestis? sane corpus nostrum quo anima nostra vestitur, & sane cum plura & hæc acerba sustinuerit, in Ægypto huius sæculi, ornatissimum tandē in terra promissionis admittetur suorum laborum mercedem recepturum. ita citat. Episcopus Mediolanensis explicat. *Hæc est vestis Aegyptiorum eua vestitur anima nostra, vt locupletior hinc recedat, & quæ hic vehementer laborat, liberetur, non enim omnis creatura ingemiscit & parturit sed etiam nos donec veniat redemptio corporis nostri.*

S. Episcop. Mediol.

**Cum Pascha celebramus, ea quæ sunt in mundo meliora sumamus, vt cum omnibus his Deo seruiamus.**

*Fecerunt filii Israel sicut præceperat Moyses & petierunt vasa aurea & argentea.* Aliqui opinantur quod hęc petierunt post celebrationem agni Paschalis, sed probabilius est ante agni immolationem: cur celebraturi Pascha, aurum & argentum aliaque pretiosa commodato ab Ægyptiis accipiunt? quid enim conducunt, vt festinantius edatur agnus? aduerte plures in mundanis & Ægyptiis hominibus virtutes morales fuisse, in vno fortitudinē, in alio constantiam, æquitatem, parsimoniam, &c. merito igitur agnum immolaturi, vasa aurea & argentea, nec non & vestes pretiosas mutuant, vt nobis innuatur, quod si recte festum Paschale celebraturi sumus, virtutes etiam morales quibus decorantur homines Ægyptii, nobiscum habeamus, sic consulit noster Ferus. *Hoc tempore Pascha nobis faciendum est, nempe vt optima quaque quæ Aegyptus habet asportemus in cultum Dei nostri, consecranda, signanter autem aurum sapientiæ, argentum eloquentiæ, & vestes virtutum moralium, quas etiam in mundanis & ethnicis videmus & legimus: habet mundus diuitias, potentiam, sanitatem, scientiam, eloquentiam habet interdum etiam bonas virtutes, omnibus tamen his abutitur mundus ad mundanam gloriam, nos autem ea quæ bona in mundanis videmus, accipiamus & bene his vtamur.*

Noster Ferus.



## *VARIETAS LECT. Vers. 36.*

VVlg. Dominus autem dedit gratiam coram Ægyptiis vt commodarent eis, & spoliauerunt Ægyptios.

*Sept.* Et prædati sunt Ægyptios.

*Cald.* Et vacuos reliquerunt Ægyptios.

*OnK.* Atque ita euacuarunt Ægyptios.

*Arias.* Et exuerunt eos.

*Oleaster.* Et fecerunt petere eos, *ita etiam Cajet.*

## *CONCORDIA.*

VErbum נצל nazal eruere, diripere, spoliare significat, qui autem spoliantur, & quorum bona diripiuntur, vacui redduntur, hinc Caldę. recte reddidit, *vacuos reliquerunt Ægyptios*, nempe sua suppellectili pretiosa, verum est quod etiā verbum שאל saal petere significat, & sic vbi legimus & commodarunt eis, ex Hebræo verti potest וישאלום & fecerunt petere eos.

## EXPOSITIO.

*Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis*, Quoniam mirandum cuipiam accidere poterit, Ægyptios acerrimos scilicet Hebræorum hostes, induxisse in animum suum, pretiosissima quæque bonorum suorum abeuntibus illis commodare, idcirco Moses, qua ratione id factum fuerit, non vtique humana industria & prudentia, sed diuina potestate indicans scribit Deum talem gratiam dedisse Hebræis apud Ægyptios, vt illi petentibus Hebræis libentissime largissimeque commodarent: sed quid est Deum dedisse populo gratiam coram Ægyptiis? hoc est Deum inflexisse corda Ægyptiorum ad ea quæ petebant Hebræi, beneuolo animo commodanda, est enim cor hominis in manu Dei, qui facile ipsum in quemcumque humanum animi affectum siue amoris siue odij, siue timoris siue spei, siue gaudii, siue tristitiæ inclinare potest: amor itaque erga Hebræos, quem Deus excitauit atque accendit in cordibus Ægyptiorum, efficiebat vt Hebræi viderentur Ægyptiis non solum commiseratione, verum etiam amore, atque honore, quin etiam quibuslibet beneficiis, muneribusque dignissimi. reuocabat Deus illis in memoriam beneficia quæ ab Hebræis acceperant, lumenque aliquod infundebat, quo ipsi animaduerterent, quam ingrati & immemores beneficiorum extitissent, quam iniustè hactenus Hebræos oppressissent, ob idque dignos esse in posterum commiseratione, & omni fauore: quam impie hactenus Deo restitissent, & ne quid grauius illis accideret, demerendos esse illos, pro quibus ita Deum pugnare conspicerent.

*Vt commodarent eis*, si petierunt titulo commodati, debuerunt habere animum restituendi, hoc enim secum commodatum habet, aut certe in petendo mentiti sunt, vt pote qui peterent titulo commodati, & per speciem ea postea restituendi, cum tamen decreuissent ea sibi retinere: sed nullum fuit mendacium, licet ea titulo commodati petierint, titulus enim commodati non necessario requirit animum restituendi absolutum, sed sub conditione, nisi alia via mea res fiat, vel donatione liberali Domini, vel aliter, vnde qui ita commodato rem acciperet, vt sibi persuaderet se facile effecturum, vt Dominus sibi rem commodatam postea donaret, & ob id non haberet eo tempore quo accipiebat commodato animum eam restituendi, non peccaret mendacio: sic qui rem suam, quam alius possideret, nec sciret esse alienam, commodato peteret ab altero, animo eam non restituendi, absolute non peccaret peccato mendacii, quia licet ex ratione contractus, tacitè vel expressè adesse debeat animus restituendi eandem in specie, tamen tacita inest conditio, ni mea sit aliquo modo. pari modo cum hæc Ægyptiorum bona essent Israelitis, vel iam data, vel donanda à Deo legitimo & supremo rerum omnium Domino, potuerunt ea commodato petere, cum animo expresso vel tacito ea restituendi, nisi aliunde iam res illa esset facta ipsorum, vel legitima donatione esset futura, cum hoc tamen stare potest animus absolutus non reddendi, quod scirent rem illam aliquo titulo sibi debitam, vel iam Dei donatione factam, esse suam, vel mox futuram: astutè ergo titulo commodati vsi sunt, illumque prætenderunt suæ spoliationi, alioquin enim illud ipsum quod sibi debitum & à Deo donatum erat, assequi nequiuissent, nunquam enim sua commodassent Ægyptii, si Hebræos illa sciuissent retenturos.

*Et spoliauerunt Ægyptios*, dices, ergo spolium, id est furtum & rapinam commiserunt Hebræi: sed dicendum spolium iussu Dei admissum iustum & sanctum esse: Deus enim iubens tibi aliquem spoliare, hoc ipso tibi ius & dominium in eius bona largitur: tum secluso Dei iussu poterant Hebræi bona Ægyptiorum per spolium accipere, tum titulo mercedis, seruierant enim eis laboriosissimè, tum titulo iusti belli, hostes enim publici Hebræorum erant Ægyptii, qui eos vsque ad mortem persecuti fuerant, & multis modis diuexauerant, poterant ergo eos tanquam publicos hostes Sapient. 10.
suos spoliare Hebræi, vnde Sapient. 10. dicitur, reddidit Deus iustis mercedem laborum suorum.

## CONCEPTVS.

*Deus terribilem se ostendit aduersariis, pluribus modis.*

585 *Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis, & spoliauerunt Ægyptios.* Hanc spoliationem Chrysost. in Psalm. Psal. 135.
135. ad illa verba, qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, existimat illusionem fuisse quandam, de qua secundum Septuag. lib. 1. Reg. cap. 6. vers. 6. habetur, quando illusit eis, dimiserunt eos: sed cur Deus per illusionem, & non per vim abstulit diuitias Ægyptiorum? nonne nullo contradicente, in manus Hebræorum potuit omnes facultates Ægypti tradere? quis enim hoc prohibere potuisset cum voluntati eius nullus valeat resistere? cur ergo hanc spoliationem vocat il- S. Chrysost.
lusionem Chrysostomus? vel cur Deus illusisse eis dicitur? respondet citatus Doctor, *hoc fecit Deus volens omni ratione esse terribilis hominibus, & ostendere quod & vi & auctoritate potest omnia facere*, eodem modo interpretatur homilia 8. in Matth. vbi loquens de Herode illuso à magis Matth. 2. & ostendens Deum non semper suos hostes vi conterere, se aliquando arte illudere, quo pacto illusit Herodem. *est* (inquit) *dominus*-

*tatis virtute dignum, non modo apertè conterere inimicos, verumetiam cum omni facilitate illos decipere: sic enim & Ægyptios populi sui vtilitate seduxit, cumque palam in Iudæorum manus illorum posset transferre diuitias, occulte hoc magis fieri ac decipiendo præcepit, quod rectè illum apud inimicos non minus fecit quam alia signa terribilem: denique Ascalonitæ omnesque per circuitum alienigenæ, quando arcam Dei ceperunt, percussique plaga suaserunt ciuibus suis ne aduersus Dei manum repugnarent cum cæteris mirabilibus hoc quoque in medium protulerunt, dicentes, quare aggrauatis corda vestra sicut aggrauauit Ægyptus & Pharao cor suum? nonne postquam illusit eis dimiserunt populum suum & abiit? hæc vero dicebant cum ad documentum virtutis Dei signis manifestius factis nequaquam illud inferius iudicarent.*

### *Diuitiarum spoliatio acerbißima est auaris.*

586. *Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis & spoliauerunt Ægyptios* S. Chrysost. cit. Psal. 135. tenet hanc spoliationem fuisse inter plagas Ægyptiis immissas, omnium grauissimam, quod tamen mihi difficillimum intellectu videtur, nam quis non dicet mortem primogenitorum omnium atrocissimam? quid enim si cum morte primogeniti conferatur leuissimum non videatur? quidquid sit de veritate huius sententiæ, sane auaris & auri cupidis amarissima est diuitiarum spoliatio, nam diuitiis sicut homines iucundissime perfruuntur, ita & violentissime expoliantur, ita videtur sensisse Petrus Damianus
Petr. Damian. opusc. 6. seu lib. qui appellatur gratissimus c. 34. *pecunia* (inquit) *cum negotiatore percutitur* (loquitur de Simone Mago cui Petrus Actuum 8. dixit
Actuum 8. pecunia tua tecum sit in perditionem) *at vbi deest pecunia, percussio non timetur.* Quasi diceret, omnis plaga, qua pecunia non læditur, leuis auaro est, si tamen pecunia tollatur grauissima, grauius igitur
Drogo Ostiens. illum puniit, quam si vel ipsa vita spoliaret, & de auaro Iuda loquens Drogo Ostiensis lib. 1. de passione Domini ita scribit. *Ecce infœlix qualiter excæcatus est, maluit se ipsum perdere quam denarios perire, denarios templo, se ipsum laqueo addixit.*

### *Deus etiam liberalis est in auaros quibus adimit ea quibus male vtuntur.*

587. *Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis & spoliauerunt Ægyptios.* An in hac spoliatione dices non leuem iniuriam accepisse Ægyptios? nam quis non læditur cum ei facultates adimuntur, cum bonis spoliatur? si, vt notauimus, Ægyptij diuitiarum cupidi erant, & auari, cur non dicemus non exiguũ beneficiũ eis contulisse, cum auro & argento spoliauit? nam Deus etiam liberalis, cum habenti & abutenti adimit
Matth 18. S. Hilarius. quod habet: fauet Hilarius in Psal. 118. exponẽs hæc verba apud Matth. c. 18. qui enim habet dabitur ei & abundabit, qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo, ait. *Adeo enim bonitate plenus est, vt habenti abundantiora munera det, adeo enim non vult quempiam non habere, vt id quod habet, adimat.* Ac si dicat, non modo Deus est bonus & liberalis, cum non habenti largitur, verum cum habenti adimit id quod habet, cæterum qui fieri potest, vt Deus liberalis habeatur, non modo cum largitur non habenti, sed cum adimit ab eo qui habet? imprimis Deus liberalis est, cum largitur ei qui non habet, hoc quidem perspicuum est, cæterum etiam liberalis est, cum auaro habenti adimit id quod habet, quia pauperior est auarus, dum habet quam dum non habet, nam sitis auaritiæ crescit ex habitis, vnde sicut alios homines ditat Deus dando eis, ita ditat auarum hominem auferendo ab eo, quapropter liberalis est Deus, cum ditat pauperes, & liberalis dum auarum facit pauperem.

### *Tanta est ingratitudo Iudæorum, vt ex maximis beneficiis maxima in Deum eliciant sacrilegia.*

*Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis & spoliauerunt Ægyptios.* Hic ita Caiet. tanta gratia narratur data Israelitis in oculis Ægyptiorum, vt non solum commodauerunt, sed etiam induxerunt eos ad petendum, offerendo benigne sua & incitando vt confidenter peterent, nam pro eo quod latinus interpres vertit, vt commodarent eis, ex hebeo habetur *fecerunt petere eos*, hoc igitur modo reddidit Deus mercedem laborum suorum. quod etiam annotat Clemens Alexandrinus 1. Strom. exeuntes Hebræi, magna Ægyptiorum præda exportata recesserunt, non propter auaritiam vt dicunt accusatores (neque enim eis Deus persuasit aliena concupiscere) sed præmium quidem earum quas omni tempore Ægyptiis præbuerunt operarum, ac seruitiorum necessariã mercedem referẽtes: eduxit ergo eos Dominus cum maxima auri & argenti copia; sed pro libertate adepta, pro tot donis sibi à Deo liberaliter concessis, quid Deo reddiderunt? videamus ex Lippom. ad 22. eiusdem Exodi, vbi agens de adoratione vituli, ita habet. *Ingratitudo impia fuit contra Deum, cum ex eo auro quod Dominus Deus eorum illis tradiderat spoliatis Ægyptiis, in iniuriam Dei, Deos Ægyptiis coluerunt quos sane suo bono senserant prostratos & victos à suo illo vero Deo & sancto.* En vt maxima fuit Hebræorũ ingratitudo, qui diuinitus consecuti aurum & argentum, imo in eorum acquisitione gratiam adepti, qui eos ad iuges gratias compellebat, dona Dei in idola conflant, & beneficia diuina in grauem iniuriam conuertunt. Clem. Alexandr. 588.

### *Si memor es nobilitatis tuæ, impium debitè spoliabis.*

*Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis & spoliauerunt Ægyptios.* Cum certo scirent se libertati iamiam restituendos, quomodo viri nobilissimi originem ex Abraham trahentes, student aliorum spoliationi? nonne vitio datur nobili, quod suis non contentus facultatibus, alienis victitare velit? non vitio illi dabitur si memor est ingenuitatis suæ, impium iniuste sua possidentem bona, eis illum spoliare, sic testatur Philo Alexandri. lib. 1. de vita Moysi. *Expulsi extrusique ab Ægyptiis Hebræi, memores ingenuitatis pristinæ ausi sunt facinus quo iniurias acceptas rependerent, multum enim prædæ nacti, sarcinas partim suis humeris, partim iumentis imposuerunt, nec id pro auaritia fecerunt, nec alie-* 589.

*narum fortunarum cupiditate, sed primum, vt diuturni laboris necessariam mercedem reciperent, deinde vt pro acceptis in tempore seruitutis iniurijs, si non pro merito aliquid saltem damni reponerent,* (Philo.) præmo hæc verba, *memores ingenuitatis pristinæ &c.* Quibus indicatur, quod sit liberorum ingenuorum nobiliumque hominum facinus, nimirum quod deprædentur impios qui sibi sua bona populati sunt.

*In bello iusto licet spoliis hostium ditari.*

590. *Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis & spoliauerunt eos.* Ergo bonorum spoliatores, deprædatores facultatum alienarum, quis in hoc eos commendatione dignos asseret? sed si Ægyptios hostes infensissimos Israelitarum dixerimus, eorumque bona tyrannide detinere, nec non mercedem laboribus suis debitam negare, cur eos prædones asseremus? imo viros prudentes qui bello iusto quodam stratagemate sciuerunt sua repetere, & hostium (Clem Alex.) spoliis ditati: fauet Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. *Siue ergo vt in bello, quis hoc factum esse dixerit res hostium victoria iure iuste auferre volebant, vt potentiores inferiorum, belli autem iusta erat causa, supplices propter famem Hebræi venerunt ad Ægyptios, illi autem hospites redactos in seruitutem instar mancipiorum seruire coegerunt, ne mercedem quidem eis soluentes, siue vt in pace mercedem prædam ab inuitis acceperunt, qui longo tempore non soluebant, sed ipsos ea priuabant.*

*Crux Christi ditans veros Israelitas; spolians Ægyptios.*

591. *Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis & spoliauerunt Ægyptios.* Ecce spoliantur incolæ ab aduenis, Ægypti possessores legitimi, à peregrinis, pauperes redduntur Ægyptij, diuites & opulentissimi euadunt Hebræi: nonne ille cuius potestati nihil æquale super terram, tuebatur suos cultores, quorum facultates etiam malis artibus adaugebat? quomodo illius ergo fortitudine contrita potentia vacui redduntur, spoliantur, decipiuntur? respondeat S. Ælredus Abbas serm. 4 in cap. 13. Isaiæ. (S. Ælredus. Luc. 11.) *Cum fortis armatus custodit atrium suum Luc. 11. in pace sunt ea quæ possidet, sed si fortior illo superueniens eum vasa eius diripit, & spolia diuidit: fortis armatus diabolus, atrium mundus, vasa eius mundi sapientes, arma, Reges & Principes spolia plebes: ecce Babylon & Rex eius & diuitiæ illius, ante fortioris aduentum Rex iste in pace erat est nullo contradicente regnabat, sed fortiore superueniente imponitur ei onus premonet onus, vincens onus, expolians onus istud Babylonis Crux est Christi, quæ Diabolum vicit, & Babylonem inuasit quæ spoliauit Ægyptios, ditauit Hebræos: isti sunt Hebræi de quibus dicitur super montem caliginosum leuate signum, vt eius virtute omnibus gentibus prædicata dissipantur spolia Babylonis & Ægypti, illi eo videlicet qui vos eruit de* (Colossens. 1.) *potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij claritatis suæ, ad Coloss. primo.*

*Ita potens est Deus vt hominum corda quocumque voluerit, flectat.*

592. *Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptiis vt cōmodarent eis, & spoliauerunt Ægyptios.* Quomodo barbari & inhumani ad hoc adduci potuerunt, vt dediti deprædationi bonorum proximi, ea cōmodato præbeant? nonne infensissimi erāt hostes Israelitarum? quis inimicus aduersario suo forte nūquam redituro, bona sua commodet? vnde tanta mutatio? sane à Deo, qui potest animos & corda hominum quantumuis infidelium & barbarorum flectere, quocumque voluerit, ac proinde conuertere in amorem & fauorem piorum hominum, sic olim Alexandrum magnum infensum erga Iadon sacerdotem summum mitigauit teste Iosepho lib. 11. antiq. c. 8. (Iosephus.) non imparili prouidentia Gainam genere Celtam, ingenio barbarum & ferocem, religione Arianum, tyrannidis affectatorem, atque Arcadio Imperatori ob regni affectati suspicionem formidabilem erga D. Chrysostomum tenuit, hic enim miratus Episcopi fortitudinem, nullum omnino periculum pro pietate recusantis, occurrit illi longo itinere, ac præsulis dexteram oculis suis admouit, quin & filios suos sacra illius genua osculari iussit, Hist. Tripart. lib. 11. c. 6. (Hist. Tripa.) quis crudelissimi Attilæ qui flagelli Dei cognomine gloriabatur, Romā cum quingentis armatorum millibus proficiscentis, ferocem & barbarum animum ad verba Leonis Papæ huius nominis primi, doctrinæ & vitæ præstantia magni & occurrentis cum clero, prælata argentea cruce, emolliuit? nisi ipse omnium fidelium custos omnipotens Deus. sed quid (Prouerb.) exemplis indigemus, cum dicat Salomon Prouerb. 21. cor regis in manu Domini, quocumque (S. August.) voluerit inclinabit illud? & ita recte S. August. in lib. de gratia & lib. arbit. c. 21. dixit. *Deus transtulit indignationem Regis Assueri in lenitatem, scriptum est enim, sicut impetus aquæ, sic cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit declinabit illud.* Et ita ipse fuit qui dedit gratiam populo suo coram Ægyptiis acerrimis ipsius hostibus, vt commodarent ei vasa aurea & argentea, & vestes pretiosissimas, illaque tam repentina tam mirabilis rerum commutatio, fuit mutatio dexteræ Excelsi. cuius ratio collocanda fuit, & est in ipsius supremi mediatoris Dei clementia, bonitate, gratia, & misericordia, quæ mentes horum Ægyptiorū cicurauit, emolliuit, & in omnem beneuolentiam, & dilectionem erga populum suum conuertit.

*Deus cum vult suis quandam gratiam confert, qua suis aduersariis amabiles reddit.*

*Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt cōmodarent eis.* Quæ tanta potuit eis conferri gratia, vt eius virtute redderentur amabiles hostibus suis infensissimis? potestne fieri vt acerrimus hostis gratus fiat aduersario media qualitate quadam producta à Deo in aliquo? quidni? sicut in Hebræis secundum aliquos mirifice lucente in vultu, totoque corpore, & in verbis & in motibus factisque eorum, quæ gratia facit amabiles iucundos, atque gratiosos, ad quem modum legimus Deum sanctæ illi fœminæ Iudith præter naturalem eius pulchritudinem singularem, eximiā que decorem atque venustatem dedisse: sic enim ait scriptura Iudith 10. omnibus ornamentis suis (Iudith. 10.) ornauit se, cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio non ex li- 593.

bidine, sed ex virtute pendebat & ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit vt incomparabili decore omnium oculis appareret. Abulens. fauet Abulens. de dit *Deus* inquit, *Hebræis quandam qualitatem supernaturaliter creatam secundum quam placuerunt Ægiptiis, ita quod omnia quæ petierunt impetrauerint.*

594. ***Nostra à Philosophis tanquam ab iniustis possessoribus vindicanda.***

*Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt cōmodarent eis & spoliauerunt Ægyptios.* Sed mysterione vacat, & ad eruditionem nostram erit ne inutilis hæc Ægyptiorum spoliatio facta ab Hebræis? quid nobis innuitur, quod exeuntes ab Ægypto Israelitæ, onusti recesserint spoliis ditissimis, auri, argenti & cuiuscumque supellectilis pretiosissimæ, quorum possessores erant gentiles idololatræ? sane quod Doctores Christianæ disciplinæ ex gētilismo transeuntes ad Christianimum, omnibus ferme bonis artibus & disciplinis spoliauerunt ethnicos, eaque spolia magnifice atque vtiliter ad fidei Christianæ defensionem, ad eruditionem fidelis populi, ad explanationem atque illustrationem diuinæ scripturæ, ac demū ad confutationem errorū, veritatisque confirmationē & persuasionē contulerūt: ac me quidem hæc ipsa scribentem, ingens subit admiratio prouidentiæ Dei, Is enim per Ecclesiæ suæ Doctores, ita omnium pœne disciplinarum opibus & ornamētis spoliauit Ethnicos, vt iampridem illi tam copiosæ ac opulētæ supplectilis inopes ac prorsus expertes sint. solus autem omnium nationum populus Christianus, illum omnium doctrinarum thesaurum, iucunde & secure possideat. Videre profecto est cunctarum fere scientiarum optimarumque artium inuentores, principesque doctores fuisse ethnicos, vt Philosophiæ Socratem, Platonem, Aristotelem: Mathematicarum artium Euclidem, Archimedem, Ptolomæum: Medicinæ Hippocratem & Galenum: Rhetoricæ artis Isocratem, Demosthenem, Ciceronem: Poëticæ Homerum, Pindarum, Virgilium: Historicæ denique Herodotum, Thucydidem, Sallustium, & Liuium: hos autem veri Dei cognitione caruisse constat, aut certe debitum vero Deo cultum & venerationē non adhibuisse. Transiit ab ipsis ad eorū posteros etiam Ethnicos istarum artium studium & cultus, & apud eos aliquandiu mansit, sed enim iam pridem apud eos plane obsoletum & extinctum est, & in solo populo Christiano floret & D viget. equidē cum scripta lego Iustini martyris, Tertuliani, Clementis Alexandrini, Origenis, Arnobij, Lactantij, Eusebij, Hieronymi, Augustini, Cyrilli, Theodoreti, & aliorum venerandorum Ecclesiæ Patrum, sapientiumque doctorum, cum horum inquam scripta lego, & multiiugem in his eruditionem de penu Ethnicorum depromptam contemplor, videre mihi videor Hebræos illos ex Ægypto, ditissimis August ac pretiosissimis Ægyptiorum spoliis ornatos exire. audiat quæso lector S. August. pulcherrime in libro de doctrina christiana, super hac re ita disserentem *Philosophi* (inquit) *si quæ forte vera, & fidei nostræ accommodata dixerunt maximè* Platonici, *non solum formidandi*

A *non sunt, sed ab eis etiam tanquam iniustis possessoribus, in vsum nostrum sunt vendicanda, sicut enim Ægyptij non solum idola habebant, & onera grauia quæ populus Israel detestaretur & fugeret, sed etiam vasa & ornamenta ex auro & argento, & vestem quæ populus Dei exiens de Ægypto, sibi potius tanquam ad vsum meliorem clanculo vendicauit, non auctoritate propria sed præcepto Dei, ipsis Ægyptijs nescienter commodantibus ea, quibus non bene vtebantur. sic doctrinæ omnes gentilium, non solum simulata & superstitiosa figmenta pluresque sarcinas superuacanei laboris habent, quæ vnusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens, debet abominari ac deuitare: sed etiam literales disciplinas vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent, deque ipso vno Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis diuinæ prouidentiæ* B *quæ vbique infusa est, eruerunt, quo peruerse atque iniuriose ad obsequia dæmonum abutuntur; cum ab eorum misera societate, sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus, ad vsum iustum prædicandi euangelij, vestem quoque illorum id est hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, quia in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit, in vsum conuertenda Christianum, nam quid aliud fecerunt multi, boni fideles nostri? nonne aspicimus quanto auro & argento, & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus, doctor suauissimus, & martyr beatissimus? quanto Lactantius, Victorinus, Hilarius, vt de viuis taceam, quanto innumerabiles Græci?*

595. *Profana sacro vsui dicanda, quis vetat?*

C *Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptijs, vt commodarent eis, & spoliauerunt Ægyptios.* An ex cupiditate habendi? negat Philo & post eum Clemēs Alexandr. an aurum huiusmodi prophanum, cum idolum Ægypti fuerit in pios vsus conuerti poterit? an diuino cultuj dicari? an tabernaculo deseruire? quidni? ecce enim ex Ægyptiorum auro & argento, Dei tabernaculum ab Hebræis structum, nec pollutum fuisse tabernaculum affirmabis, quod ex gentilium opibus fabricatum, sed potius aurum ipsum & argentum sacro vsu sanctificatum fuisse censere debes. vt verum censeas adest sanctus Petrus Damian, Petrus Damiani qui id firmet sic enim ille habet serm. de sancto Eleucadio. *Aurū & argentum cum vestibus ab Ægyptiis petimus vnde Domino tabernaculum fabricemus,* & Epist. 28; *thesaurum tolle Ægyptijs, vnde Deo tabernaculum contexes.*

596. *Multa à sacris, prophani suffurati.*

*Dominus dedit gratiam populo coram Aegyptijs vt cōmodarēt eis & spoliauerunt Aegyptios.* Tanquam ab iniustis possessoribus sibi ea vindicantes, ex quo diximus pleraque ex prophanis ad sacra iuste vtiliterque traduci: sed cum etiam asseruerimus Israelitas, plurimas in Aegyptum facultates detulisse, cum in eam descenderunt, ex quibus opulenti euaserunt non pauci Aegyptij: quomodo potest fieri, quod Aegyptij diuites fiant ex bonis Israelitarum, & econtra Israelitæ ex spolijs Aegyptiorum opulenti recedant? quia sicut plerique ex prophanis ad sacra iuste & vtiliter traducuntur, sic etiam multa à sacris prophani

& gentiles [illegible] sunt, quibus commendati, abus [illegible] patinis certum est plura ex prophetis didicisse, quæ in sua scripta transtulerunt. subsignat Clemens Alexand. lib. 5. stromat; *omnes & poetæ inquit, qui a prophetis didicere Theologiā per arcana sensa multa philosophantur*: nec aliud volunt Tertul. in Apolog. c. 47. *quis poetarum, quis sophistarum qui non omnino de prophetarum fonte potauerit?* de Philosophis eadem omnino censeo, præstantiora fere quæ protulerunt, à nostris abstulere: adeo vt dixerit Ambr. de bono mortis c. 11. *Nostra sunt quæ Philosophorum literis præstant* à quo non videtur abire Minutius Fœlix auctor antiquus æqualis D. Cypriani in Octauio; *animaduertis, inquit, Philosophos eadem disputare quæ dicimus, non quod nos simus eorum vestigia subsecuti, sed quod illi de diuinis prædictionibus prophetarum, vmbram interpolatæ veritatis imitati sunt*, eadem fuit & Clementis Alexandrini mens lib. 5. Strom, *Pythagoras et qui sunt ex eo cognominati vna etiam cum Platone maximo aliorum Philosophorum vsi sunt legislatore Moyse.* Adeo etiam loquutionis modos ac pleraque sermonis elegantias, à sacris profanos mutuasse: certe prius in diuinis literis fuerunt quam humanis, Christianus grammaticus in c. 2. Matth. ita scribit, *omnis Philosophia & omnes modi loquutionum anti fuerunt in scriptura diuina quam apud sophistas seculares.*

Clemens Alexand. — Tertul. — Minutius Fœlix. — Clement. Alex. — Christianus Grammaticus.



## VARIETAS LECT. Vers. 37. 38.

*Vulg.* Profectique sunt filij Israel de Ramesse in Socoth, sexcenta ferè millia peditum virorum, absque paruulis.

*Sept.* Promouentes autem filij Israel de Ramesse in Socoth, in sexcenta millia peditum viri, præter apparatum

*Cald* Præter familiam.

*Oleast.* Sexcenta millia fortium.

*Biblia Regia & alia quædam exemplaria addunt* cum mulieribus.

*August.* Sustulerunt filij Israel in sexcenta millia peditum viri præter instructum vel censum.

*Vulg.* Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oues, & armenta, & animantia diuersi generis, multa nimis.

*Sept.* Et commixtus multus ascendit cum eis. & oues & pecora multa valde.

*Cald.* Extranei quoque multi ascenderunt cum eis.

*Pagni.* Et etiam mixtio multa ascendit cum eis; & pecudes & boues, animal graue valde.

*Arias.* Et possessio grauis valde.

## CONCORDIA.

EVgubinus fert impatienter versionem Septuaginta, qui reddiderunt לבד מטף lebad mitaph πλὴν τῆς ἀποσκευῆς præter suppellectilem, additque quare factum est, vt omnem locum vbi eius vocis vsus incidisset, male interpretati fuerunt, cumque hic censeatur numerus virorum, & excipiantur paruuli, & manifestum cuilibet esse posset, quorum fieret exceptio, persisterunt tamen illi ita vertendo, cui rei etiam ratio refragatur, quis enim ita loqueretur erat eorum numerus sexcenta millia, excepta suppellectile, quæ enim affinitas viri & suppellectili? sed nimium rigidus est censor Eugubinus, nam benigne sic eos interpretatur August. q. 47. suppellectilem non tantum motam, sed etiam mouentem, puta paruulos & mulieres intelligens: verum est quod vbi habemus *virorum* in Hebræo esse גברים quod robustos & fortes significat, nomine fortium recte intellexit interpres viros, non autem quoscumque, siue viros siue fœminas prouectæ ætatis, vt sentit Oleaster, licet Biblia Regia addant & *mulieribus*, quod in Hebræo non habetur, tamen siue addatur siue prætermittatur, intelligi tamen debent exceptæ mulieres: vulgus promiscuum, recte reddidit interpres ערב רב hereb rab, est enim hereb mixtio diuersorum hominum, vel diuersarum rerum, quod ergo Hebraice dicitur mixtio, interpres recte transtulit vulgus promiscuum, qui autem hi fuerunt Cald. exprimit, inquiens, extranei quoque multi: quinam autem fuerint, dicemus in expositione. Vulg. exprimit quod in Hebræo non habetur, nempe animalia non fuisse vnius sed diuersæ speciei.

## EXPOSITIO.

PRofectique sunt filij Israel de Ramesse. Ramesse vrbs erat in extremis Ægyptiorū finibus, ad quam populus Israel in desertum exire cupiens congregatus est quinta decima die mensis primi, altera die post pascha egressus & summo mane in manu excelsa, & in conspectu omnium Ægyptiorum sepelientium, quos Dominus ex eis percusserat: significat Ramesse ait Hierony. gaudij tonitruum, à רעם raam quod est tonitru, Psal. 76. & סוס quod quidem equum communiter in scriptura, simul tamen significat lætum & hilarem esse, vt notat Rabi Bechai, alij vertunt dissoluens malitiam à רע raa vel רעה reath quod est afflictio, miseria, contritio, & מסס masas quod & dissoluere, deriuari autem posset ab eodem etymo, & verti confractio tributi; illic enim Iudæi incæperunt confringere seruitutem Ægyptiacam, & se in libertatem asserere, nam רעע raa est, confringere, & מס mas vel מסס masas est tributum, Ramesses autem &

locus primus inter. 42 mansiones, quas Hebræi totis 40. annis in sua peregrinatione habuerunt, *In Socoth* & hæc secunda mansio, sic dicta à tabernaculis, inde enim nomen loco inditum, quod ibi primum Hebræi tabernacula fixerunt.

*Sexcenta fere millia peditum virorum*, Qui numerus complectitur tantum armatos siue bellatores, qui annum vigesimum vel attigerant, vel excesserant, vt plenius patet Numerorum 2. ab anno enim vigesimo & supra, solent Hebræi suos conscribere ad militiam. an autem comprehendantur hoc in numero Leuitæ; tam negatiua quam affirmatiua non est improbabilis opinio, nam etiam Numerorum 2. excluduntur, & si Deus eos nec dum ab aliis segregasset; hoc tempore tamen, quando Moyses hæc scripsit & digessit, iam omnino segregati erant. dicitur hic quod sexcenta fere millia peditum virorum egressi sunt, & tamen citato loco Numerorum numerantur sexcenta & tria millia bellatorum & quingenti ac quinquaginta, Leuitis exclusis; quod pugnare videtur, tamen nulla est contradictio, quia numeratio ista in lib. Numer. vno anno post hanc contigit: interea vero facile fuit in tanta multitudine 4. hominum millia exire vel ingredi annum vigesimum suæ ætatis. nō numerantur ergo hic paruuli, imo nec adolescentes, qui necdum attigerant annum vigesimum, nec mulieres, nec decrepiti, qui omnes solent alteram & insuper dimidiam populi partem efficere: solent enim bellatores ad totum populum se habere sicut se habent quadraginta ad centum, quo computo totus populus Hebræorum hic habuisset decies & quinquies centena millia hominum, quin & Hebræi tradunt fuisse decies, & octies centena millia.

*Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit.* Per quod intelligi debet turba ex variis hominum nationibus mixta, partim Ægyptiorum qui vel Israelitarum consuetudine, vel prodigiis in Ægypto factis Iudaicam religionem complexi fuerant, partim seruorum, aliorumque externorum, quos omnes extraneorum nomine, complexus est Caldæus.

## CONCEPTVS.

### *Omnia quæ in orbe, in orbem voluuntur.*

597. PRofectique sunt filii Israel de Ramesse, An vacui egrediuntur de Ægypto? imo cum illius auro, argento, & pretiosa suppellectile, nonne Ægyptiorum erant huiusmodi diuitiæ? quomodo nunc in potestate Israelitarum? quid miraris? huius sæculi bona instabilia, perpetua enim vertigine conuoluuntur, & rotarum in morem, de manu in manum voluuntur. ad hunc terrenarum circuitum spectauit S. Nazianz. oratione de pauperum amore cum ait, *Natura nihil est in rebus humanis firmum & æquabile ac durabile, atque eodem statu constanter manens, verum res nostra velut orbe quodam voluuntur, alias etiam sæpe vno eodemque die, atque etiam interdum hora, mutationes aduehente* Idem habet S. Ambr. lib. de Abrhaam, *Bona huius sæculi instabilia sunt & rotarum in morem cum hoc sæculo voluuntur*, Quid igitur his vertiginibus rapimur? quid his rotis misere voluimur? quid perituris inhiamus æternitatis obliti? cui nati? siccine tam instabilibus fidimus & tam dubiis salutem credimus? Iure Richardus inclamat contra deliram hanc mortalium insaniam tract. 2. de exterminatione mali c. 5. *Quis digne comprehendat? quis explicare sufficiat, quanta sit stultitia quam infinita miseria, summa bona sponte deserere, infima bona auide quærere? æterna gaudia fastidire transitoria ardenter concupiscere, & pro perituris præmia infinita perdere, & mala æterna incurrere?* Pudeat ergo te terrenis studere, æternis neglectis.

S. Greg. Nazianz. — Richard.

### *Prosperitas & aduersitas instabiles.*

598. *Profectique sunt filij Israel de Ramesse.* Ex tot spoliis de Ægypto ablatis, nonne tum in diuitiis plures credent sitam esse beatitudinem, imo solum arbitrabuntur prosperum, cui aurum est in crumena, & argentum in arca? & econtra miserum & omnium infælicissimum cui dominatur inopia? sane assererent Ægyptios summe beatos, cum tot diuitiarum possessores erant, nunc autem summe miseros, cum his spoliantur, & econtra Israelitas nunc summe fælices, qui antea miseri censebantur: quomodo ita breui labitur prosperitas Ægyptiorum, accedit aduersitas? quia vtraque summe instabilis & inconstans, audiamus quid monet S. Greg. Nazianz. in Epist. ad Sophronium, *Vides quanta sit conditio rerum nostrarum, vtque rota quædam negotiorum humanorum cursu circumagatur, nunc his nunc illis florentibus, ac marcescentibus; dum neque prosperitas nec aduersitas (vt aiunt) nobis constat, sed quam ocyssime in diuersum mutatur ac transilit, in aquis aut litteris aquæ inscriptis fidere liceat, citius quam humana fælicitati.* Ne te fœlicem ergo arbitreris cum omnia tibi prospere contingunt. Nazianz.

### *Cui mors ante oculos obuersatur, nihili pendit omnia.*

*Profectique sunt filij Israel de Ramesse*, quibus Ægyptii vasa & argëtea aurea, iam iam profecturis 599.
commodarant, & nihilominus non suspicati sunt ea non reddituros, mirabile autem censet textus Num. 33. quod exierunt Israelitæ Numer. 33.
videntibus Ægyptiis, vbi Cajetan. ait non more Caietan.
fugitiuorum, vt nullus timuerit, nullus pretiosa commodata petierit: sed vndenam tanta obliuio? quomodo immemores auri & argenti? huius rei rationem sacer textus reddit, *sepelientibus primogenitos quos percusserat Dominus*, conspecta enim morte suorum, nihil prorsus de vita cogitabant, quinimo veluti retenati filiorum interitu, Hebræos attingere minime audebant, sic enim hunc locum interpretatur Abulens. ibi Abulens.
quæst. 2. cum ait, *tanto illorum dolore & simul timore Ægyptii tenebantur, vt viderent Iudæos cum vasis auri & argenti & vestibus recedentes, &*

*Benere non curarent, sed potius ipsi eos ad velociter fugiendum incitarent, dicentes omnes moriemur, non enim erat aliqua plaga naturalis quam passi sunt Ægyptij, sed Deus immisit eis mortem quia Angelus percussor ambulabat per omnes domos Ægyptiorum, & occidebat primogenitos tam hominum quam pecorum.* Ita vt non esset aliqua domus in qua non esset mortuus, en igitur quid Ægyptios continuerit? quid suorum bonorum æstimationem abstulerit, proposita scilicet ob oculos mors: nam sicut dixit

S.Greg. Mug. Gregorius lib 13. moral.c. 10. *qui considerat qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione, nihil quod transeat appetit, & cunctis præsentis vitæ desiderijs cōtradicit, & pæne mortuum se considerat, quia moriturum minime ignorat, perfecta enim vita, est mortis meditatio.*

### *Auari malunt fame perire quam opibus suis defraudari.*

600. *Profectique sunt filij Israel de Ramesse in Socoth* cum innumeris armentis, & gregibus, ait enim textus *quod erant animantia diuersi generis, multa nimis*, quæ noua in dies fœtura multiplicata, vsque ad primum in Palæstinam ingressum conseruarunt, tamen in media solitudine quasi fame tabescentes, suspirabant, quis dabit nobis ad vescendum carnes? Num. 11. ac si nullas tunc

Numer.11. haberent quibus vescerentur: quis non miretur hos Tantalos sitientes inter vndas, esurientes inter epulas? quid miramini ô Hebræi? cur non mactatis has pecudes? cur non iugulatis hæc armenta? cur hos agnos, hædos, vitulos quos innumeros vobiscum de Ægypto extulistis, non occiditis? cur lauta conuiuia non instruitis? cur vestram appetentiam non expletis? cur ad carnes Ægyptiacas nihilo his suauiores suspira-

Noster. Lyran. tis? *quia scilicet*, respondet Lyranus, *propter suam auaritiam parcebant suis animalibus, malebant enim fame perire quam suas pecudes interimere, ne perderēt pecunias ex pecudibus colligendas*, cui interpretationi concinunt verba quæ sequuntur, recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis: quasi illas epulas desiderarent, non quod grauiores & suauiores essent, sed quod gratuitè seu gratis haberentur.

### *Malorum societas omnium calamitatum origo.*

601. *Profectique sunt filij Israel de Ramesse in Socoth.* Non autem solum Israelitæ egrediuntur, *sed vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis*, qua diuersorum hominum multitudine intelliguntur à Caldæo extranei, quorum plures licet ad Iudaismum conuolarent, tamen non depositis peruersis moribus, imo cum propensione ad idololatriam, in qua à teneris annis educati fuerant in sua impietate remanebant. quid obsecro vtilitatis ab hoc malorum hominum consortio, nisi pessimam culpam & grauissimam pœnam Israelitæ reportarunt? nam videns po-

Exod.32. pulus, inquit textus Exodi 32. quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersus Aaron, dixit, surge fac nobis deos; vbi Rabi Salomon apud nostrum Lyranum asserit hunc populum tantarum auctorem trage-

diarum non fuisse de Hebreis, sed potius de Ægyptiis, qui cum Hebræis permixti incedebant, nam sicut erant in Idololatria enutriti, ita Hebræos ad idololatriam incitarunt: & deinde ob grauissimam pœnam quam illis Moyses intulit, adegerunt. nam vbi est prauorum hominum societas, ibi certa est rerum temporalium & spiritualium calamitas, neque tantum semel illi pessimi socij Hebræorū in flagitium & supplicium, impulerunt, nam & Numer.11. dicitur vulgus Numer.11.

promiscuum quod ascenderat cum eis flagrauit desiderio, sedens & flens iunctis sibi pariter filis Israel, & ait, quis dabit nobis ad vescendum carnes? vbi Oleaster, *Aduerte quam periculosum* Oleast.

*sit malos secum habere*, & rectequidem, non enim laboriosam viam vario sermone leuabant sed prauo exemplo laboriosiorem faciebant, vnde & sobrios ad epulas acuerunt, & insano desiderio iam ebrios in flammas præcipitarunt.

### *Qui à Deo deficiunt, nihil non luctuosum & vile complectuntur.*

*Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth*, 602.
& qui nam cum eis? vulgus promiscuum innumerabile, de quo Moyses Numer. 11. vulgus promiscuum, qui ascenderat cum eis, flagrauit desiderio sedens & flens ait, in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porraque, & cæpæ, & allia, ecce despiciebant mensam cœlestem, panem Angelorum, sed quales sibi dapes effingunt? pepones, allia, & cæpas, quæ lachrymas à comedentibus eliciunt, quid? cur coturnices? cur perdices? cur lepores cibos suauissimos & vtilissimos non expetunt? quia vniuersi qui à Deo deficiunt, vt erat illud vulgus promiscuum, nihil habent quod ex mundo metant, nisi id per quod in lachrymas abeant, & luctus, S.Greg.

id quod præclare ponderans D. Greg. lib 20 moral.c. 16. inquit. *Manna igitur deserentes, cum peponibus, & carnibus, porros cæpasque quæsierunt, quia peruersæ mentes dulcia gratiæ per quietem dona despiciunt, & pro carnalibus voluptatibus, laboriosa huius vitæ itinera etiam lachrymis plena concupiscunt: contemnunt habere, vbi spiritualiter gaudeant, & desiderantes appetunt vbi carnaliter gemant*, quid pulchrius? sic prorsus se habet omnium peruersorum cupiditas, fastidit suauia omnia quæ in Deo sunt, amat illa quæ in mundo, nihil citius pariunt, quàm lacrymas, quam suspiria, quam gemitus.

### *Viles sunt qui superflua ciborum gula tenentur, quæ Dei obliuionem generat.*

*Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth* 603.
*& vulgus promiscuum innumerabile*, Quod ita deditum fuerat gulæ, vt cum esset in solitudine immemor benefactoris, qui coturnicum abundantiam vesperi, & panem cœlestem in mane ei dederat, clamet, quis dabit nobis ad vescendum carnes? prorsus quippe desperat se posse carnes ab aliqua potentia accipere: & vnde tanta desperatio tenuit illum populum miserum? cur adeo nefarie Deum obliuiscitur, à quo iam semel à Deo acceperat coturnices quæ illi tanti beneficij parturit obliuionem dicu

recordamur

recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones &c. vbi tot ciborum species in mentem illius venit, gulamque illius trahit, non mirum quod in illo extremam Dei obliuionem generet, ait enim D. Isidor. Pelus. lib. 1. Epist. 381. *Superfluus cibi sumptio non cibus est sed saturitas, & est & appellatur. saturitas porro contumeliæ ac petulantiæ mater est, quapropter ne intemperantiæ demus operam per quam Dei quoque obliuio venit in mentem.* Equidem per ciborum intemperantiam in hominum animis Dei obliuio generatur.

Isidorus Pelusiota.

*Qui mundo valedicit, maxima sibi comparat lucra.*

604 *Profectique sunt filij Israel de Ramesse in Socoth.* An nudi & vacui? imo cum auro & argento, & pretiosa quacumque suppellectili. an soli cum vxoribus & liberis? imo cum maximo comitatu, cuius maxima pars famulos & ancillas eorum apprehendebat. nam vulgus promiscuum innumerabile eos sequebatur. an sine armentis & gregibus? nequaquam, ascenderunt enim cum eis oues, armenta & animantia diuersi generis multa nimis. ecce quot secum deferentes Ægyptum bona deferunt. sed perpendamus, quæ sibi erat possessio in Ægypto? nam præter quotidianum gemitum, luctum inenarrabilem, quotidianas lachrymas, opera intolerabilia, durissimamque seruitutem, liberorum in aquis suffocationem, paleæ non dabantur eis, an maior miseria potest excogitari? quid rarius? cur Ægyptus omnibus dat solum paleas, imo eis denegat? & Ægyptum deserentes nihil non pretiosum & viute possident? quia in hoc mundo licet sis pauperrimus & miserrimus omnibus destitutus, vbi mundum relinquis, & sæculum abnegas, ingentia lucra recipis. pulchrè Eusebius Emiss. in ser. ait. *Ecce filios Israël inimica Ægyptus, mundi speciem præferens, dum incolitur, afflixit, dum relinquitur, locupletauit, sic est charissimi. magnam sæculo rapit prædam, qui se abstrahere contendit à sæculo.* Cæcus est, qui non videt diuitias quas sibi acquirit, qui contendit abnegare mundum & ab illo exire.

Euseb. Emiss. in ser. castig.

*Si Deum ducem habere velis, non thesaurises vbi tinea demolitur.*

605 *Profectique sunt filij Israël de Ramesse in Socoth.* Cur non remanent in ciuitate Ramesse amœnissima, quam sibi construxerant Israelitæ? cur in Socoth tendunt, cum solum ibi figenda sint tabernacula in solitudine? nonne satius est vrbes populosas incolere, quam media in eremo commorari? quomodo Ramesses interpretatur? ait Origenes hom. 5. in Exodum, quod commotio tineæ: merito igitur tanquam veri Israëlitæ Ramessen deserunt, & in Socoth viâ rectâ, media nube & columna ignis tendentes proficiscuntur, quia si tanquam verus Israelita, Deum ducem velis habere, non manendum, nec thesaurizandum vbi tinea demolitur, ita ait. Origen. *Si quis est qui proficisci de Ægypto parat, si quis est, qui obscuros cupit mundi huius actus, & errorum tenebras derelinquere, primo omnium ex Ramesse proficiscendum est. Ramesse vero interpretatur commotio tineæ. si ergo vis venire in Socoth, vt Dominus tibi dux sit, & in columna nubis te præcedat & sequatur te petra, quæ tibi escam spiritalem & potum nihilominus præbeat spiritalem proficiscere & exi ex Ramesse, ne thesaurises ibi vbi tinea exterminat & vbi fures effodiunt & furantur, hoc est quod & ape te Dominus in Euangelio dicit, si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me, hoc est ergo proficisci de Ramesse & sequi Christum.*

Orig.

*Cum gaudio egrediamur à tumultu mundano, ad audiendam vocem Dei tonantis.*

*Profectique sunt filij Israël de Ramesse in Socoth.* S. Hierony. Epist. ad Fabiolam, præter Etymon datum ab Origene, arbitratur interpretari tonitruum gaudij. sic enim ait, nos autem verius existimamus exprimi tonitruum gaudij: quid est quod prima mansio cum egredimur ab Ægypto, hanc sortiatur interpretationem? quid enim tonitruo commune cum ciuitate, à qua egrediuntur? subiiciam quod ait citatus Doctor. *Ad hanc vrbem quæ in extremis Ægypti finibus erat, populus congregatus est, qui in desertum exire cupiebat, eo quod tumultum sæculi derelinquens mouebatur à vitiis pristinis, & ab excedente se primi tinea peccatorum in omnem amaritudinem vertens, in dulcedinem Dei vocem in Sina monte, desuper tonantis au. iret. quod autem verba diuina & eloquia scripturarum in istius sæculi & mundi rota tonitruus appellentur Psalmista declarat dicens, vox tonitrui tui in rota, & Dei patris vocem in baptismo Saluatoris audientes tonitruum putauerunt.* 606

S. Hieron.

Psal.

*Miraculis plures ad Dei cultum conuertuntur.*

*Profectique sunt filij Israël de Ramesse in Socoth & vulgus promiscuum.* Quænam autem esset hæc plebs innumera, declarans Cald. ait, extranei quoque multi ascenderunt: per extraneos intelligit qui natione non erant Israelitæ, sed Ægyptij. quomodo relicta patria, propriis laribus, alienas sedes petunt? quis vidit innumeram multitudinem populi, nemine cogente, sed proprio motu, sedes proprias deserere, alienas inquirere? dices ad Deum conuersos, & fidem Hebræorum amplexos, quomodo idololatriæ cultu neglecto, in quo ab incunabulis enutriti fuerant, ad Israelitarum religionem se transferunt? sane Deo interius corda eorum mouente, & visis tot miraculis in defensionem populi sui à Deo perpetratis. fauet Abul. *Multi de Ægyptiis promiscui viri & fœminæ ascenderunt cum eis, quia videntes mirabilia quæ Deus egerat in Ægypto super eos conuersi sunt ad ritum Iudæorum, isti autem forte voluerunt ire ad sacrificandum Deo Hebræorum vt placarent eum sibi.* 607

*Mors præsens à quacumque alia cogitatione nos reuocat.*

*Profectique sunt filij Israël de Ramesse in Socoth & vulgus promiscuum innumerabile.* Quam plebem, diximus fuisse Ægyptios ad cultum Hebræorum conuersos; sed cum in exitu regnorum custodes constituantur, vt diligenter inspiciant, quinam egrediuntur, vel illud ingrediuntur. quomodo cum solum Israelitis data fuisset recedendi 608

licentia, tanta multitudo Ægyptiorum diſcedere potuit? quomodo nullum eis appoſitum impedimentum? quomodo à cuſtodibus regni non detinentur? nonne recens adhuc erat mors primogenitorum? quid mirum igitur ſi cuſtodes liberũ ſinunt egreſſum? mors enim præſens, à quacumque alia cogitatione nos reuocat, mens eſt citati
Tostat. Epiſcopi, *Illi qui cuſtodiebant portus regni, ante primogenitorum ſuorum, quos ſepeliebant anguſtia detinebãtur, vt non inquirerent, quis de Ægypto exiret, ſic enim dicitur Numer. 33. quod Iſraelitae xierunt de Ægypto videntibus Ægyptiis, & ſepelientibus mortuos ſuos.* Num. 33.

*Licet gaudendum cum à ſaeculo & à peccato recedimus, non tamen ſine metu eſſe debemus.*

609 *Profectique ſunt filij Iſrael de Rameſſe in Socoth.* Diximus ex S. Hieronymo Rameſſen interpretari gaudium tonitrui. merito hoc Ethymon ſortitur, quis enim ſumme non lætaretur ex captiuitate libertatem adeptus? ſed quis gaudio non perfunderetur, ſæculo vel mundo valedicens? ipſimet Hebræi exprimunt apud Pſal. 125. in conuertendo Dominus captiuitatem Sion facti ſumus conſolati, tunc repletum eſt gaudio os noſtrum & lingua noſtra exultatione, magnificauit Dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes. Pſal. 125.
ſed ſi tanto perfuſi gaudio recedunt, an omnino ſecuriſſimo cum timore. dicitur enim Deuter. 16. in pauore egreſſus es de Ægypto. quid hoc eſt? ſi enim timore percelluntur, quomodo lætantur? quia gaudio, cum iam diſceſſimus ab Ægypto, ſemper timor permiſcendus eſt. vnde illud Pſal. 2. ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; permanet concupiſcentia in iis, etiam qui ex Ægypto egrediuntur, neceſſaria eſt ergo virga timoris, qua concupiſcentia percuſſa à malo reuocetur. nam vt ait Clemens Alexand. in exhortatione ad gentes. *Non facile arcetur cupiditas, terreat metus* & D. Greg. Mag. lib. 24. moral. c. 12. *Mater inquit negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas, ne ergo ſecuritas negligentiam pariat, ſcriptum eſt Eccleſ. 2 fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Deuter. 16. Clem. Alex. Greg. Mag. Eccleſ. 2



## *VARIETAS LECT. Verſ. 39.*

VVlg. Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conſperſam tulerant, & fecerunt ſubcinericios panes azymos, neque enim poterant fermentari, cogentibus Ægyptiis, & nullam facere ſinentibus moram, nec pulmenti quidquam occurrat præparare.

*Sept.* Et coxerunt farinam, quam extulerant de Ægypto ſubcinericia azyma, non enim fuerat fermentata, eiecerunt enim eos Ægyptij, & non potuerunt commorari, neque cibum fecerunt ſibi ipſis in viam.

*Cald.* Et coxerunt maſſam, feceruntque placentas azymas, quia non erat fermentum, eo quod eiecti fuerant de Ægypto, & non poterant immorari, viaticum quoque non parauerunt ſibi.

*Onk.* Pinſuerunt autem ex paſta, quam eduxerant de Ægypto.

*Pagn.* Et coxerunt paſtam placentulas infermentatas, & c. etiam eſcam non fecerant ſibi.

*Vatab.* Et coxerunt conſperſionem, quam extulerant ex Miſraim.

## *CONCORDIA.*

TAm in Hebræo, & Caldaica lectione, quam apud Sept. vacat dictio *dudum*, quam addidit interpres, & rectè; nam pluſquam die integro erat conſperſa & non fermentata farina: loco farinæ eſt in Hebræo בצק bazek, quod aliqui tranſtulerunt paſtam, alij maſſam, alij conſperſionem, vide dicta ſuperius de hac dictione.

## EXPOSITIO.

COxeruntque farinam quã dudum de Ægypto tulerant. Coxerunt nempe in ſecundis ſuis caſtris, quando venerunt in Socoth, nam in Rameſſe non fuit eis conceſſum otium coquendi dictio autem *dudum* non notat hic menſem aut plures dies, ſed ad minus diem vnum, qui fluxit dum ex Rameſſe irent Hebræi in Socoth, *& fecerunt ſubcinericios panes azymos*, cuius ratio datur, *neque enim poterant fermentari, poterant*, hîc ponitur pro potuerant, ex quo patet Iſraelitas omnino cogitaſſe ſibi panes fermentatos & cibos ad iter apparare, ſed eorum opinione coactos diſcedere, *nec pulmenti quidquam*, pulmentum eſt obſonium, puta piſces, olera, & quidquid cum pane comeditur, veteres enim pulte pro pane vtebantur.

## CONCEPTVS.

*Senſim ad ſapientiam & virtutem accedendũ.*

610 COxerunt farinam quam dudum de Ægypto conſperſam tulerunt. Cur non ſtatim ac populus diſceſſit ab Ægypto, manducauit panem Angelorũ? cur prius farinã, quam ſecum tulerãt, coxerunt, & panes inſipidos comederunt Iſraelitas? quia oportet ſenſim ad virtutẽ & ſapientiam

Philo. pane cœlesti denotatam, accedere, neque vltra modum se extollere: fatet Philo lib. de sacrificio Abel & Cain. *Coxerant ergo*, inquit, *farinam suam quam extulerant ex Ægypto, vt fierent azymi subcinericij, idest ferum crudum quæ affectum subegerunt, tanquam cibum coquendo maturandoque & mutando in melius, quod per diurnam quandam moram fit, non prodiderunt sermones sed in occultis suis reposuerunt non elati, sed submittentes se sine iactatione, humiliantesque*, expõde illud *sed in occultis suis reposuerunt*, idest egressi in Ægypto Hebræi, prius manducauerunt subcinericios panes, scilicet qui sub cinere occultantur, & decoquũtur, nam qui viam virtutis arripuerunt, statim in principio onera oportet occultare, & se demittere, neque audent sapientiam suam, aut virtutem verbis prodere, sed silentes virtuti incumbere, neque alios edocere, sed seipsos ad virtutem se accingere, donec in via pietatis & virtutis progressum fecerint.

### *Virtus conseruatione facilis.*

611 *Coxerunt farinam quam dudum de Ægypto consperſam tulerunt, & fecerũt subcinericios panes azymos.* Philo cit. tenet hos figuram esse virtutis, quæ facile & sine labore cõparatur, qua de causa huiusmodi panes facile parantur, hos ergo panes comedunt Hebræi, cum primo de Ægypto exeũt quia virtus facilis est, idest non modo illis, qui multum in virtute profecerunt, sed etiam illis qui limen virtutis attigerunt, & in huius rei figuram, cum azymis panibus Pascha comedebant. quia virtus consecutione facillima est, subiicio verba Cit. Philo. cit. Philonis. *Longa experientia doctus nouit, quod quidquid innatum est animæ longo vsu confirmatur, sicut fit cum artes earumque præcepta traduntur discentibus, non possunt enim præceptores, quemadmodum qui in vas infundunt implere mentem eorũ, qui introducuntur, sed quãdo fons sapientiæ Deus sententias tradit humano generi, sine mora hoc facit & ex tempore, tunc enim homines discipuli facti eius qui solus sapiens summa celeritate quod quærebant, inueniunt.*

### *Cum veritas adest, perit vmbra figuræ.*

*Coxerunt farinam quam dudum de Ægypto consperſam tulerant & fecerunt subcinericios panes.* Cuius discessus memores vsque in hunc diẽ Pascha celebrantes, azyma comedunt. an eis vtilis hic esus: dices quidni? cum in argumentum gratitudinis, propter tam eximium à Deo beneficium libertatis consecutæ hunc ritum obseruent? sed quæso hunc vitupera, quia cum veritas adest, perit vmbra figuræ. quod docte id cecinit S. Paulinus D. Paulinus poëmate octauo.

*Inde fugæ memores etiam nunc azyma sumunt*
*Iudæi, solo retinentes nomine gentem,*
*Infermentatis pulsi quia panibus olim*
*Ægypto fecere fugam, paribus modo signis*
*Per patrios, sed iam per inania sabatha, ritus*
*Antiqui recolunt vestigia grata timoris,*
*Nam frustra veterem vacua sub imagine legem*
*Exercent, verum nobis quia Pascha repleuit*
*Vnus pro cunctis patri deditus hostia Christus,*
*Et quia corpus adest, vitæ perit vmbra figuræ.*

### *Egredientes ex Ægypto, & in promissionis terram tendentes, abstineamus à fermento malitiæ.*

*Coxerunt farinam suam quam dudum de Ægypto consperſam tulerant, & fecerunt subcinericios panes.* Quonam in loco huiusmodi panes coxerunt, & quandonam? cum egrediuntur, & in Socoth tabernaculorum loco: nonne cum longũ restaret iter, pane fermẽtato qui est solidioris alimenti & facilioris digestionis, quam azymus, 612 vesci deberent? nequaquam; egredientes enim ex mundana Ægypto, & in terram viuentium tendentes, abstinere debemus omnino à fermento malitiæ & nequitiæ, mens est S. Hieron. in Epist. ad Fabiolã. *Proficiscentes filij Israel de Ramesse,* S. Hieron. *castrametati sunt in Socoth: in hac coquunt panes azymos, & primum tendunt tabernacula, vnde & ex re locus nomen accepit, Socoth quippe in lingua nostra interpretatur tabernacula siue tentoria: & ab hoc septimo mense quinta decima die mensis, solemnitas tabernaculorum est: cum ergo exierimus ex Ægypto primum tabernacula figimus, scientes nobis ad vlteriora pergendum, tunc non comedimus de fermento Ægypti malitiæ & nequitiæ, sed vescimur azymis sinceritatis & veritatis Domini præceptum opere consumantes.*

### *Quod abstineamus à peccato, diuinæ gratiæ imputandum.*

613 *Coxerunt farinam suam &c. fecerunt panes subcinericios azymos,* ratio subiungitur, *non enim poterant fermentari.* Quidni? nonne pluries panes fermentatos coxerunt? nonne iam massa consperſa erat? nonne præ manibus habere fermentum potuerunt? quomodo ergo dicitur quod fermentari non poterant? non fermentari moraliter est abstinere à peccato & nequitia: recte ergo dicitur, non potuisse fermentari, non enim nostræ industriæ solum, sed diuinæ gratiæ dandum est à peccatis cessare; sic hunc locum ad mores trahit Abbas Tuicensis. *Eiusmodi dictio, sæpe* Rupert. *dicto consentit azymorum mysterio, quia videlicet quod azymi, idest synceri de tenebris peccatorum nostrorum exuimus, non hoc industriæ nostræ, sed diuinæ gratiæ debet adscribi quæ spiritales Ægyptios cum suo fermento citius absistere compulit.*

### *Qui salutis iter tenet, mentem ad res fluxas flectere minime debet.*

614 *Coxerunt farinam suam, & fecerunt panes subcineritios azymos.* Quem quidem panem azymum diximus difficilis concoctioni, minime salubrem, sed insipidũ, asperũ, è contra fermentatũ. an cum in Socoth peruenerũt, vbi sub dio degendum esset, in tentoria posuissent, quod non sine incommodo graui fieri potuit: nonne tunc in mentem venit, quam opportune & commode sub tectis morabantur in Ægypto? sed an exciderat è memoria optimus panis fermentatus, nec non alij, quibus tunc carebant, cibi? quomodo pœnitentia ducti regressum in Ægyptum non expetunt? quia qui salutis iter tenet, sicut Israelitæ viam terræ promissionis, ad res fluxas & caducas (quales sunt Ægyptiacæ) minime mentem flectere debet,

Abb. Iacob. Billius. recte cecinit Abbas Billius in sua sacra anthologia num. 18. A

*Alta per angustæ petiit qui culmina rupis*
*Mentem præ nimio sentit abire metu,*
*Vertice, neue miser pereat, delapsus ab alto,*
*Non debet pauidum flectere lumen humi.*
*Sic qui virtutis summam penetrauit ad arcem*
*Vitabit lapsus hac ratione graues.*
615 *Namque suos torquere oculos non debet ad ima*
*Nec canis ad vomitum more redire suum.*

Orig. Huc facit quod est apud Origenem hom. 1. in Exodum, si inquit iam gratiam baptismi consecutus es, & numeratus inter filios Israel, ac suscepisti in te Deum Regem, & post hæc declinare volueris ad opera sæculi, agere actus terræ, lutea explere ministeria, scias & agnoscas, quia surrexit in te Rex alius, qui nescit Ioseph Rex Ægypti, & ipse te cogit ad opera sicca, & te facit laterem operari ac lutum.

*Qui Deo seruire debet, nihil sibi insipidum, sed quilibet labor illi suauissimus.*

616 *Coxerunt farinam suã & fecerunt panes subcinericios.* An conqueruntur de eorum insipiditate? imo saporosissimi sibi videntur. nonne portauerant huiusmodi farinã in humeris suis? an onus graue censuerunt? imo læti ac ouantes incedebant, quomodo non graue videtur onus? quomodo quod insipidũ, saporosum & suauissimum est illis? quo tendunt quæso? in desertum, quid acturi in eo? sane Deo sacrificaturi, & speciali cultu eum veneraturi. quid mirum igitur si nihil graue, nihil onerosum, nihil censent amarum, quia qui ad Dei obsequia aut cultum tendit, omnia sibi suauissima arbitratur: sic canit idem Abbas num. 37. C

Abbas Bill.
*Sarcina cum soleat quæuis onerosa videri,*
*Sola tamen Domini sarcina corda leuat.*
*Sic auibus leuitas ex pennis nascitur ipsis,*
*Nedum deprimat has & grauet istud onus,*
*Robora sic mulis addunt non parua clitellæ,*
*Hinc etenim melius pondera ferre solent,*
*Tale iugũ est Domini, nihil illo leuius vsquã est*
*Vtque laboris onus dulce sit omne facit.*

Sed quia S. Bernardus idem elegantissime describit Epist. 72. non erit iniucundum audire, quid dicat. Libet inquit admirari, quam leue sit onus veritatis, num vere leue est, quod portantem non grauat, sed leuat? quid eo leuius onere, quod non solum non onerat, sed portat omnem cui portandum imponitur? hoc onus potuit vterum grauidare virgineum, grauare non potuit hoc onus; D ipsa, quibus se præbuit sustentandũ, senis Simeonis brachia sustentabat. hoc etiam Paulum in graui licet & corruptibili corpore positum, rapiebat vsque ad tertium cælum. quæro in rebus si quid huic exoneranti, oneri simile inueniam: & occurrit mihi de pennis auium, quod vtcumque cœptem, quæ quidem videlicet singulari modo & corpulentiorem reddunt substantiam, & agiliorem, mirum opus naturæ. vnde grossescit materia, inde sarcina leuigatur, & quantum crescit in massa, tantum decrescit in pondere. hoc plane in pennis Christi oneris exprimit similitudinẽ, quod & ipsæ fecerunt à quibus feruntur. quid & de quadriga dicam? hæc nimirum admota iumento, sarcinam quæ ab ipso moueri non poterat, auget quidem, sed portabiliorem facit, onus oneri additur, & minus onerat. sic & oneri grauissimo legis accedens quadriga Euangelij & auxit perfectionem & difficultatem minuit. addam etiam præclaram sententiam quam in Epistola 341. idem Bernardus in medium affert, in via vitæ, quo citius eo facilius curritur, & leue Saluatoris onus, B quo crescit amplius, eo portabilius est, nonne & auiculas leuat non onerat pennarum siue plumarum numerositas ipsa? tolle eas & reliquum corpus pondere suo fertur ad ima, sic disciplinam Christi, sic suaue iugũ, sic onus leue quo deponimus, eo deprimimur ipsi, quia portat potius quam portatur.

*Bona opera coram omnibus non propalanda.*

*Coxerunt farinam quam tulerant & fecerunt subcinericios panes azymos.* Cur panes azymi qui syncer itatem, innocentiam, aliasque virtutes adumbrãt, sunt subcinericij? quod sub cineribus est, occultum & abscõditum est, & merito huiusmodi panes debent esse subcinericij, quia virtutes eo adumbratæ exerceri debẽt: nec non & bona opera debent fieri in occulto, & non coram omnibus propalari. sensus est S. Ambr. lib. 1. de Abel & Cain c. 9. *Est illa commendanda oration is & voti disciplina, vt non diuulgemus orationem, sed abscondita teneamus mysteria sicut tenuere patres qui coxere conspersum, quod extulerant de Ægypto, subcinericia facientes azyma, quæ Græce dicuntur ἐγκρυφίαι eo quod abscondantur in cinere, quod expressius Dominus in Euangelio docuit dicens Matt. 6. tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum & clauso ostio patrem tuum ora in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi &c cubiculum tuum mentis arcanum est animique secretum, in hoc cubiculum tuum intra, hoc est egredere de corporis tui exteriore vestibulo & totus intra in alta præcordia cordis tui, & claude ostium tuum: quod sit ostium tuum disce Psal. 140 pone Domine custodiã ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis &c & paucis interpositis, nos claudamus ostium, ne culpa intret ne lapsus aliquis sermonis exeat.*

618 S. Ambr. Matth. 6. Psal. 140.



## VARIETAS LECT. Vers. 40.41.

*Vulg.* Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum.

*Sept.* Habitatio autem filiorum quam habitauerunt in terra Aegypto, & in terra Chanaan, anni quadringenti triginta.

*Talmud Hierosolym* Habitatio filiorum Israel quam habitauerũt ipsi & patres eorum in Aegypto, & in terra Chanaan.

*Aliqua etiam exemplaria quorum vnum extat in musæo nostro legunt* ἐν γῇ Χαναὰν αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν quam habitauerunt ipsi & patres eorum

*Vulg.* Quibus expletis eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti.

*Sep.* Et factum est post quadringentos triginta annos, exiit omnis virtus Domini.

*Pagnin.* Et fuit in fine triginta annorum, &

quadringentorum annorum, fuit in corpore diei huius, egressi sunt omnes exercitus Domini.

A *Caiet.* Et fuit in proprietate diei huius. *Aly.* In osse vel robore diei.

## *CONCORDIA.*

VErum est vulgatum interpretē habere mansisse filios Israel solum in Ægypto quadringentos 30. annos, Septuaginta autem addunt *& Chanaan*, vt vidimus in varietate lectionum, quā translationem magno contemptu abiudicat & abijcit Eugubinus, hic enim tractans hunc locū sic ait, falso atque otiosè additur in codicibus Hebræis quibus mãserunt in Ægypto *& in Chanaan*, quis enim nō intelligit id esse falsum? amouendum igitur illud est *& in terra Chanaan*, neque enim Hebraicè habetur, & eo modo eū annorum numerū longe superare. sed minus bene reprehēduntur Sept. ab Eugubino, nā neque negari potest eā lectionem esse 70 interpretum, quos veneranda Ecclesiæ antiquitas reuerenter coluit & secuta est, & hanc ipsam lectionem huius loci omnes ferme scriptores antiquitā Græci quā Latini vt veram citant & approbant. sed non deest Talmud Hyerosol. ita legens, teste Serrario in prolog. Bibliorum cap. 17. quæst. 23. & hinc aliqui satis probabile iudicant ex Hebraico textu excidisse. sed quidquid sit, dicemus in expositione quam vera sit lectio Septuaginta: vbi legimus *eadem die* Hebraicè habetur, בעצם היום הזה
B beezem haiom azie quod summum mane indicat.

## EXPOSITIO.

H*Abitatio filiorum Israël qua manserunt in Ægypto 430 annorū.* Licet in primo tomo nostrorum in Genesim cōmentariorū, disseruerimus de hac filiorum Israel in Ægypto mansione, & ea quæ huius & illius loci perobscurū faciunt intellectū, & explicatū perdifficilē aperuerimus, tamē hîc etiā summatim aperiemus: diximus ergo Hebræos non habitasse in Ægypto totos 430. annos, sed hoc annorum numero comprehendi solere annos omnes peregrinationis Abrahæ, Isaac, & Iacob in terra Chanaā, vnde rectè Sept. non tantum annos commorationis in terra Ægypti, sed etiam in terra Chanaan disertè addiderūt.
C sed dices quo ergo sensu hic Moyses asserit Hebræos in Ægypto habitasse 430. annis? hoc quidem verum, quia potiorem partē in Ægypto fixe habitātes trāsegerunt, vbi & durissima sunt passi, deinde quia prima peregrinatio Abrahæ fuit in Ægypto Gen. 12. & vltima pariter Hebræorū fuit in Ægypto; à principio autē & fine denominatio sumitur, quia cætera hæc interijciuntur, hos enim 430. annos numerat scriptura, vt indicet totidem interfluxisse à data promissione de terra Chanaan possidenda, vsque ad eam expletā & præstitā: adde non dici hic habitasse eos 430. annos in Ægypto, sed habitationē fuisse 430. annorū, quod cōmode accipies hoc sensu, vt dicere velit Moses habitationem eorum peruenisse ad 430. annum peregrinationis Abrahæ, videlicet de Haran; quē
D sensum, inquit Caietanus, melius Hebræa patiuntur: tum etiam addere potes rationē Mosis de illis quadringentis triginta annis, non esse propriā locutionem, sed figuratiuā & synecdochicam, quia pars ponitur pro toto, est autē in verbis illis Mosis duplex Synecdoche, vna est cum memorat tantū posteros Iacob, cum reuera memorandi essent tā illi quam patres eorū, vt rectè transtulerunt Sept. sicut addiderunt in terra Chanaan; altera est Synecdoche, in eo quod nominat tantum habitationem in Ægypto, cum memoranda esset non solum hæc, sed etiam habitatio trium patriarcharum in terra Chanaan. Causa autem præter rationes assignatas, cur tantum nominauit mãsionem Hebræorum in Ægypto est quia illius habitationis quadringentorum triginta annorū maior pars in Ægypto consumpta est, si quidem in terra Chanaan, in diuersis temporibus manserunt illi tres Patriarchæ, cētum nonaginta quinque annis, Iacob vero mansit in Mesopotamia viginti annis; ac continua Hebræorum mãsio in Ægypto fuit ducentorum quinque annorum. huic accedat quod habitatio Hebræorum in Ægypto tribus rebus fuit valde insignita & nobilitata, primū enim Ioseph eo tempore summo cum imperio vniuersam Ægyptum per octoginta annos gubernauit, & eo tempore magna in prosperitate fuerūt Hebræi. deinde post mortem Ioseph perinsignis & admiranda fuit multiplicatio Hebræorum, licet laboriosissima seruitute affligerentur ab Ægyptiis; denique liberationem eorum atque exitum ex Ægypto tot & tanta tunc facta prodigia, valde memorabilem & admirabilem reddiderunt.

*Quibus expletis eadem die*, qua secundum aliquos ante 430. annos Abraham cœpit peregrinari in Ægyptum, secundo & genuine, *eadē die Pascha*, scilicet de qua vers. 17. alij asserunt hoc referri posse ad totum Hebræorum exercitū, quasi dicant, omnes simul, licet essent in tanto numero, eadē die ordinata acie ex Ægypto egressi sunt, hoc enim fuit instar miraculi, hanc autem diem arbitratur Torniellus, fuisse diem Veneris, quod ita deducendum est, nam trigesimo primo die ab egressu Hebræorum ex Ægypto, cœpit eis pluere manna, ille autem fuit dies Dominicus vt patebit 16. c. iam si trigesimus primus dies fuit Dominicus, ergo primus scilicet Paschæ, quo egressi sunt fuit dies Veneris, vt patet retro ascendenti & computanti, vnde sequitur Hebræos primum hoc suum Phase typicum immolasse pridie, puta die Iouis, perinde ac Christus suum Phase, & Eucharistiam die Iouis, paulo ante mortem celebrauit.

*Egressus est exercitus Domini de Ægypto.* Contigit autem hic exitus Hebræorum ex Ægypto anno mundi 2454, vel vt alij 2453, vel vt alij 2539. à diluuio 797. à natiuitate Abrahæ anno 505 à descensu Iacobi in Ægyptum 215. à morte Ioseph 144. ante ædificationem templi Salomonis 480. ante Christum natum anno 1496. vocat exercitum Domini, non quod omnes viri bellatores essent, plures enim erant pueri & mulieres, sed vocatur exercitus Domini, id est multitudo Domini, more Hebraico vocante maximam multitudinem, exercitum.

## CONCEPTVS.

*Deus semper mirabilia pro suis operatur.*

619 HAbitatio filiorum Israël in Ægypto fuit 430. annorum, quibus expletis eadem die egressus est exercitus Domini. Quomodo potest fieri quod eadem die sexcenta millia bellatorum hominum, sine mulieribus & pueris, sine innumera alia multitudine, tam virorũ quam mulierum, qui nõ erant origine Iudæi, quomodo inquã fieri potest, quod innumera multitudo limites regni egrederetur? nam quot mulieres imbecilles? quot pueri delicati, qui vix pedibus sustineri poterant? quanta suppellex deferenda, imo & farina conspersa in humeris tenenda? nam nec ad tot hominum, mulierum, puerorum, gregum & armentorum egressum videntur plures dies sufficere non posse, ita sanè. sed vna die obseruantur omnes discessisse, vt quanta Deus pro suis mirabilia operetur, compertum sit. Fauet Abulens. (Abulens.) *Omnis multitudo filiorum Israël eadem die egressa est ex Ægypto, id est vna die scilicet, quod non sunt morati in exeundo pluribus diebus, sed eadem die qua primi inceperunt exire & vltimi exierunt, nec manserunt aliqui exituri ad alteram diem, & ponitur hoc pro miraculo, quia tanta multitudo filiorum Israël qui omnes forte excederent trigesies centena millia possent exire eadem die de eodem regno, quia videtur quod egebant pluribus diebus ad exeundum, præcipue cum non irent vt bellatores, sed vt mouentes secum domos suas quantum ad suppellectilia quæ asportare poterant etiam, quia præcedebant ibi mulieres & paruuli, qui lento gradu mouebantur, & hoc fuit ex speciali Dei voluntate, ne si pluribus diebus egrederentur Pharao caperet multos eorum qui exirent vltimo.*

*Paterfamilias attendere debet vt nullus sit in domo qui Deo non seruiat.*

620 *Habitatio filiorum Israël in deserto fuit 430. annorum, quibus expletis eadem die egressus est exercitus Domini.* Quo exercitu illa multitudo innumera tum origine Israëlitarum, tum etiam religione Iudæorum comprehenditur; plurimi enim fuerant diuersarum nationum, tum viri tum mulieres, qui se seruitio Israëlitarum addixerant, quique ad eorum religionem transierant, quomodo permittunt Israëlitæ, vt secum discedant? nam quo pauciores fuerint, eo minus commouebitur Pharao; tum etiam maior copia ciborum, vel saltem panis necessaria erit in deserto, quo tendunt Israëlitæ nonne Deo sacrificaturi & seruituri? merito igitur secum innumeram illam multitudinem duxere, paterfamilias in hoc incumbere debet, vt nullus sit in domo, qui Deo fideliter non seruiat. qui Deo cum tempus aduenerit, non sacrificet, à quo non dissentit Diuus Petrus Chrysol. serm. 19 (D. Petrus Chrysol.) *Seruum catechumenum si habeat Dominus adducat vt habeat iam fidelem filiũs pater offerat non retardet, quomodo se christianum credit, qui non Christo annosa & vetera ducit? aut quomodo domum suam indicat ouile Dei, vbi non paschale germen Dei pecus dat balatum, obsecro vt in hoc vigiletis omnes, quatenus iis diebus nullus à Dei gratia relinquatur exterius.* Preme, *in hoc vigiletis omnes*, &c. Nullus enim debet esse pater familias qui diligentissime non incumbat, qui solito non vigilet, ne quisquam in domo sua sit qui Deo deuote & fideliter non seruiret.

*Deus in promissis suis fidelißimus & exactißimus.*

*Habitatio filiorum Israël in Ægypto fuit quadringentorum 30. annorum, quibus expletis eadem die egressus est exercitus Domini.* Cur eandem diem qua egrediuntur, memorat? nonne satis ad celebrandum Dei beneficium dixisse, quod expletis illis quadringentis & triginta annis, egressus est populus Dei ab Ægypto? nonne Deus promiserat, quod quarta generatione reuerteretur, quod post illos annos egrederetur cum magna substantia? merito igitur diem, postquam completus est numerus annorum, quo mansit in Ægypto, memorat, vt quanta cum fidelitate Deus suis stet promissis, nobis innotescat, qui in alteram diẽ noluit illius egressum protrahere, sed eadem die qua expleti sũt anni habitationis illius in Chanaã & Ægypto. Hieron. Oleaster annuit. *Quemadmodum Abraham ea die qua iussus est circumcidit se & suos, ita & Dominus eadem die qua pollicitus est, eos à seruitute redemit.* 621 (Oleaster.)

*Sicut Deus non procrastinat nobis benefaciens, ita nec nos procrastinare debemus in nostra conuersione.*

*Habitatio filiorum Israël in deserto fuit 430. annorum, quibus expletis eadem die egressus est exercitus Domini.* Eadem die dicit, nescit enim Deus procrastinare in suorum libertate, salute, & redẽptione; ecce enim eadem die qua promiserat se eos redempturum à captiuitate Ægyptiaca, eadem eos eripuit, & à tyrannide liberauit, si ergo Deus in beneficiis nobis conferendis, in salute nostra nescit procrastinare, nescit in alium diem redemptionem nostram differre, cur ita desides & ignaui sumus, vt de die in diẽ conuersionem nostram differamus? pœnitentiam procrastinemus? audiamus monita sanctorum Patrum primo Basilij oratione 4. de pœnit. *Suscipiamus tandem aliquando curam animarum nostrarum fratres, mæreamus ob stultitiam vitæ antegressæ, decertemus pro futuris, nec amplius in hac so ordia persteimus, nec præsens semper per negligentiam amittendo, in crastinum vero & consequens initium actionis differendo, reuocati ab eo qui reposcit animas nostras, nec bonis operibus preparati à gaudio sponsi excludamur. frustra tum pessimè actam vitam angebimus, cum nihil amplius hoc pœnitentibus proderit.* Secundus sit D. Ambros. lib. 2. de pœnit. c. 15. *Eos qui pœnitentiam differunt satis ipse Dominus admonuit dicens Matth. 4. pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum, nescimus qua hora fur veniat, nescimus an proxima nocte reposcatur anima. Adam post culpam statim de paradiso Deus eiecit Genes. 3. non distulit, sed statim separauit à delitiis, vt ageret pœnitentiam, statim tunicam vestiuit pelliceam non sericam, quid enim quod differas? an vt plura peccata committas: ergo* 622 (D. Basilius Mag.) (D. Ambros.) (Math. 4.)

*quia Deus bonus est ideo tu malus & diuitias bonitatis eius & patientiæ contemnis? sed bonitas Dei magis ad pœnitentiam te debet adducere.*

*Non sis personarum acceptor, sed meritorum ponderator.*

623 *Habitatio filiorum Israël in Ægypto fuit 430. annorum, quibus expletis eadem die egressus est exercitus Domini.* Quo diximus comprehendi non solum origine Israëlitas, sed etiam alios religione & cultu eis similes, quique famulatu erant eis addicti? cur Moyses omnem hanc multitudinem exercitum Domini vocat? cur simul inuoluit tam eximio nomine nobilissimos Israëlitas, & abiectissimos seruos? cur permittit Moyses simul proficisci in desertũ & in terram promissionis? nonne diximus ad Iudæorum religionem transisse? quid miraris igitur si omnes eodem nomine glorioso exercitus Domini decorentur, & quomodo simul omnes tam dominos quam seruos proficisci permittit, iustus enim non est personarum acceptor, sed meritorum ponderator, vnde recte Diu. Bernardus lib. 4. de consideratione, agens de idoneis hominibus ad curiam admittendis ab Eugenio Papa. *In talibus*, inquit, *respicies spiritus tuus qui non sunt attritæ frontis, sed verecundi, sed timorati, qui præter Dominum timeant nihil, nihil sperent nisi à Deo qui aduentantium manus non attendant, sed necessitates, qui stent viriliter pro afflictis & indicent pro mansuetis terræ, qui missi post aurum non eant, sed Christum sequantur, qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant datum sed fructum, qui diuites non palpent sed terreant, pauperes non grauent, sed foueant, minas principum non paueant, sed contemnant.* D. Bernard.

*Typus & veritas in institutione Eucharistici Sacramenti correspondent.*

624 *Habitatio filiorum Israël in Ægypto fuit 430. annorum, quibus expletis eadem die egressus est exercitus Domini.* Qua die, quæ nostris respondeat? A die veneris, quid inde deducere possumus? sanè Hebræos primum suum Phase typicum, immolasse pridie, puta die Iouis, perinde ac Christus suũ Phase, & Eucharistiam die Iouis, paulo ante mortem celebrauit, vt sic veritas institutionis Eucharistici Sacramenti corresponderet. annuit Augustinus Tornellius in Annalibus sacris ad annum 2544. num. 21. *Adde* (inquit) *eundem egressum Israelitarum de Ægypto & consequenter primum Phase eodemmet die ante exitum ipsum ab ipsis celebratum incidisse pridie Sabbati, hoc est feria sexta quam, vulgo diem veneris appellamus, eodem scilicet tempore quo postea Christus Dominus noster sacratissima instante sua passione, vetus illud Pascha postremo comedit, ac noui institutione antiquauit.* Torniel.

B *Deus æquissimus mercedis debitæ compensator.*

*Habitatio filiorum Israël in Ægypto fuit 430. annorum.* Quorsum Moyses postquam dixit Israëlitas recessisse ex Ægypto onustos auro, argento, & varia supellectili, vacuosque reliquisse Ægyptios, memorat per quot annorum sæcula intererunt in Ægypto? quid enim refert ad eorum exitum celebrem cognoscendum? imo prudenter post spoliationem Ægyptiorum ab Israëlitis factam, in medium adducit mansionem tot annorum, ex quorum plurimis, seruientes, non accepta mercede, vt quam rectus & æquus mercedis debitæ compensator sit Deus, non dubitaremus, mens est D. Epiphanij in ancor. *Cum tot annos sine vlla mercede Ægyptiis Israëlitæ suam operã locassent, nonne Dei hominũ que iudicio æquissimũ erat, sua vt illis merces saltem in fine persolueretur, quare non iniustus est Deus qui suos inde cum spoliis* C *non emisit, quòd si quispiam non eam esse summam annorum ac rationem existimet, Moysen audiat, porro habitatio inquit filiorum Israël in Chananæa & Ægypto annorum fuit 430. cum igitur mercedis iustissimæ curam gereret, quænam esse potest inanis illorum defensio qui sanctissimum Deum vituperare non dubitant?* 625 D. Epiphan.

## *VARIETAS LECT. Vers. 41.*

*Vulg.* Nox ista obseruabilis Domino quando eduxit eos de terra Ægypti, hanc obseruare debent omnes filij Israël in generationibus suis.

*Septuag.* Custodia est Domino ad educendum eos de terra Ægypti, nox hæc custodia Domino, vt omnibus filiis Israël sit in progenies eorum.

*Cald.* Nox obseruabilis est coram Domino, vt educeret eos de terra Ægypti, hæc est nox illa coram Domino obseruanda filiis Israël in generationibus suis.

*Oleast.* Nox custodiarum est à Domino.

*Pagni.* Ipsa nox est Domino custodia omnibus filiis Israël.

*Vatab.* Ipsa nox Iehouæ erit obseruantiæ omnibus filiis Israël. D

*Aquila.* Nox est obseruationis.

*Symmachus.* Nox obseruata.

*Caiet.* Nox custodiarum est ipsa ad faciendum educere ipsos è terra Ægypti.

*Macharius.* Hæc est nox promissionis.

## *CONCORDIA.*

IN Hebræo habemus אל שמורים el scimmurim nox custodiarum, quod non discrepat à vulgato, licet enim aliud significare videatur Hebr. nempe quod Deus ea nocte vigilauerit, & Hebræos custodierit ab Angelo vastante, tamẽ in expositione hunc sensum menti vulg. docebimus conformem esse.

## EXPOSITIO.

*NOx ista obseruabilis Domino*, hoc est custodienda, quam omnes custodire, idest obseruare & celebrare debent, *quando eduxit eos*, idest quando fecit vt educerentur, cum videlicet Pharaonem per cladem primogenitorum coegit Hebræos emittere. hac nocte autẽ videtur Deus excubias quasi pro eis egisse, ne quid damni acciperent, quod textus Hebræus innuere videtur: dicit autem noctem, vel quia tum exire cœperunt, & ad iter vrgeri ab Ægyptiis, vel quia more familiari, etiam crepusculum noctem vocamus: aliis scripturæ locis eos de die exiisse legimus, vt nu. 33. profecti sunt de Ramesse mense primo, decima die mensis primi, altera die (seu postridie) Phase, videntibus cunctis Ægyptiis, crepusculum enim etiam dies vocatur, & licet nocte profectio inchoata fuerit, tamen dies facile illuxit priusquam tanta hominum multitudo se moueret.

Deuter. 16. Sed dices Deuter. 16. dicitur immolabis vespere Phase, ad solis occasum, quando egressus est de Ægypto: ergo non nocte nec mane, sed sole occidente sunt egressi. hanc difficultatem soluit Caietanus, quod in Hebræo non habeatur tempus, quando egressus sed præparationem egressus tui, vt per appositionem dictum sit, immolabis Phase, quod Phase erit præparatio egressus tui. facilis solutio, nisi obstarent duo, primum quod Phase de quo hic agitur, non erat Phase illud in Ægypto celebratum ante egressum, cui soli competebat vt diceretur præparatio egressus: sed Phase immolandum deinceps in terra promissa, quod non poterat dici præparatio egressus, licet dici posset monumentum illius Phase Ægyptiaci, & ad exemplum illius factum, atque adeo & monumentum præparationis, alterum quod verum non sit, quod in Hebręo habeatur præparatio, vox enim Hebraica מועד mohed non præparationem significat, sed tempus constitutum ad aliquid agendum: vera ergo nodi huius solutio est, illud *quando* non referro præcise tempus vesperæ, vel occasus solis, sed totam noctem, vt sensus sit, immolabis occumbente sole ad noctis vesperam, qua nocte egressus es de Ægypto, quamquam etiam dici posset præcise illud tempus vesperæ, & occasus solis, posse eadem voce *quando* denotari, si egressus nomine etiam ipse ad egressum apparatus comprehendatur.

## CONCEPTVS.

*Vbi omne decus mundi occumbit, ibi hominis salus & vita.*

626 *NOx ista obseruabilis Domino, quando eduxit eos de terra Ægypti*, D. Macharius hom. 47. habet *hæc est nox redemptionis in qua pollicitus est Deus se redempturum nos.* In quo nouit noctem illam esse salutis initium? omnia Ægyptiorum pulchra obscurabantur, sub illa quidquid decorum, quidquid splendidum in Ægypto alliciebat Israëlitas, nigro sub luctu sordebat, ipsa familiarum fulcra nimirum primogenita, tenebris dabãtur sepulchri; vbi ergo sic omnia Ægyptiorum occumbunt, agnusque solus ponitur ob oculos Israëlitis, quis eorum non auguretur liberationem & salutem? ad hæc cit. Macharius, *Egressi sunt ex Ægypto quando Ægyptij primogenita sepeliebant, idcirco dixit Moyses hæc est nox in qua pollicitus est Deus redempturũ nos.* Vbi enim omnia mundialia decora quæ oculo cernuntur, & morti & tenebris traduntur, solusque superest agnus diuinus, cuius sanguine homo viuat, merito dici potest, quia adest hominis salus & vita.

D. Machar.

*In ipsa redemptione non patitur Deus tenebras in ipsam animam insurgere.*

627 *Nox ipsa obseruabilis Domino*, Macharius, *hæc est nox promissionis.* In qua scilicet Deus pollicitus fuerat se nos redempturum, hic per dictionem noctis intelligendum est crepusculum, nam sub aurora egressus est Israël. Sed cur cum redimendus est Israël, eligitur crepusculum, non autem ipsa nox media? crepusculum medium est inter tenebras & lucem, seu quod à tenebris recedit, & luci approximat. quo posito, dices in crepusculo redimi & liberari Israelem, quia in ipsa redemptione, non patitur Deus in ipsam animam insurgere tenebras; sensus est cit. D. Macharij, *Sic est anima in ipsa redemptione, inter lucem & tenebras intercedit assistente virtute diuina, quæ non sinit tenebras in animam insurgere, illamque absorbere.* Cit. Machar.

*Absque redemptore Christo Domino, vere anima liberari non potuit.*

*Nox ipsa obseruabilis Domino*, Macharius, *nox ipsa promissionis.* In qua quod Deus promiserat Israelitis, adimpletur, iteque ab eodem sancto vocatur nox restitutionis: sed an nox, vel dies vocabitur tempus, quo à Domino redempti sumus? annus acceptabilis & dies retributionis. Sept. redemptionis, cur tempus in quo liberatur Israel nox vocatur, dies autem in quo à Christo Domino redimimur? audiamus quæ dicit D. Macharius Ægyptius, *Christus in Synagoga, cum illi datus est liber, vt scriptum est, appellauit annum Domini acceptabilem, & diem redemptionis, Isaiæ 61. & apud Lucam 41. ibi erat nox restitutionis, hic redemtionis. & merito, omnia enim illa erant figura & vmbra veritatis, & mysticè præfigurata, describebat obscure veram salutem animæ, tenebris inclusæ in infimo lacu, clam compeditæ ac reclusæ portis æneis, vt potè quæ liberari non poterat, absque redemptore Christo.* 628

D. Machar.

*De die in diem proficit anima, quæ agnum Eucharisticum gustauit.*

*Nox ipsa obseruabilis Domino quando eduxit eos de terra Ægypti.* Et tunc profecti sunt de Ramesse in Socoth, quid est quod post Pascha celebratum, exeunt ab Ægypto & proficiscuntur in 629

terram promissionis? proficiscendo sane profi-
ciunt, quia à loco seruitutis recedūt, & ad terram
libertatis accedunt, sic qui digne particeps fuit
agni Eucharistici, proficit de die in diem, vsque
Machar. quo ad terram desiderabilem perueniat. *Post ce-*
*lebratum Pascha* (inquit cit. Sanctus) *filij Israel*
*abeunt, proficit anima quæ vitam sancti Spiritus*
*accepit, de agno gustauit, eius sanguine vncta est, &*
*verum panem verbum viuum manducauit*, pende
ab illis verbis *proficit anima*, cur non proficeret
cum auctorem in se omnis gratiæ habeat?

*Cum à Christo redimimur, omnia luci re-*
*stituuntur.*

*Nox ipsa obseruabilis Domino*, de qua loquēs
629 S. Gre. Naz. orat. 2. de Pascha. *hinc sacra nox ait*
S. Gre. Naz. *& præsentis vitæ hoc est suffusæ huius noctis inimi-*
*ca, in qua primigenæ tenebræ depelluntur, atque*
*omnia in lucem & ordinem formamque prodeunt, ac*
*confusio ea quæ prius vigebat ornatum accepit.*
Noctem vocat sanctam, in qua Christus rede-
mit nos, quia vt legimus, tenebræ factæ sunt su-
per terram. mystica ergo & sacrosancta nox ad-
uenit, inimica & hostis tenebrosæ huius vitæ,
quæ nox etiam ob eam causam vocatur, quod in
ea velut in nocte, & virtutes & vitia in obscuro
sunt, atque etiam propter offusam in ea ignoran-
tiam, & errorem, ac peccatum, quod in omnes
fusum ac propagatum est, omnesque imperio
premit. sed quomodo in hac sacra nocte omnia
luci restituuntur, cum potius in nocte tenebris
obuoluuntur? quia quemadmodum in mundi
creatione sensibili, luce producta, discussæ sunt
tenebræ, quæ primigenæ dicuntur: quemadmo-
dum igitur post creatam lucem, tenebrasque sub
motas, terra videri cœpit, atque elementorum
ordo distinctus est, & cœlum ornatum suum ac-
cepit, terraque itidem suum, atque ad hunc mo-
dum illa prius informis materia, formis adornata
est: sic etiam in hac sacrosancta nocte, qua Chri-
stus salutis nostræ causa, mortem excepit ac su-
stulit, ignorantia ac malitia nobis inhærens, ac
noctis rationem habens, profligata & dissoluta
est, atque ita mutatæ sunt rerum vices, vt pro vm-
bra veritas nobis illuxerit, pro ignorantia cogni-
tio, pro incredulitate fides, pro peccato iustitia:
possumus etiam addere per primigenas te-
nebras primorum parentum peccatum intelligi,
per quod omnia perturbata & euersa sunt, verum
in Christo vero lumine, hæ peccati tenebræ so-
lutæ sunt, prorsusque sublatæ, atque omnia col-
lustrauit is, qui dixit vt de tenebris lumen splen-
desceret, atque ea quæ prius forma carebant, in-
formarentur: ille inquam veræ pulchritudinis
virtutum architectus & fabricator qui res nostras
immoderatè agitatas ac fluctuātes intuitus, ex in-
ordinatis eas in ordinem adduxit, lux enim & or-
natus, & ordo cognitionem & virtutem signifi-
cant, tenebræ contra & confusio, quæ vitam hu-
manam prius obsidebant, vitium atque ignoran-
tiam designant.

*Cum mundum relinquimus, etiam principem*
*eius deserimus, necnon seruilia car-*
*nis opera.*

630 *Nox ista obseruabilis Domino quando eduxit*
*eos de Ægypto.* Ipsi ergo valedicentes ei, proficis-
cuntur in terram promissionis; sed cum ab hac

A terra liberantur, cum eam relinquūt: an solum eis
hoc confertur beneficium? an solum hanc conse-
quuntur gratiam, vt a sola liberentur Aegypto?
non equidem, sed etiam à Pharaone, verum etiam
à luteis & lateritiis operibus; & merito. qui enim
mundū relinquit simul & principē eius Tartareū,
imo & seruilia & lutea carnis opera deserit. hoc
testatur Nazianz. orat. 42 *Hinc Ægyptum fugi-*
*mus, hoc est triste nosque persequens peccatum, ac*
*Pharaonem inuisibilem tyrannum, & seruos ope-*
*rum præfectos ad supernum mundum migrantes, ac*
*luto conficiendorum laterum labore liberamur. hoc*
*est incerta & lubrica ac periculosa carnis huiusce*
*constitutione, atque ita in plerisque imbecilli, vt ne*
*palearibus quidem cogitationibus rationibusque re-*
*tineatur.* Sic explicanda mens S. Gregorij. Post
B hæc peccatum velut Aegyptum fugimus, quod
quidem triste vocandum, vt tristitiæ causam affe-
rens, acerbè autem persequens ac in hominis per-
niciem excursiones faciens, nec vero tristitiæ pa-
rens peccatum solum fugimus, verum etiam cali-
ginosorum dæmonum principem, seruilia opera
quibus animus opprimitur, imperantem. ac dæ-
mones etiam ipsos nunquam nec instantes, atque
ad peccati opus durè acerbeque impellentes &
vrgentes, atque eadem causa operum præfectos
appellatos. quemadmodum autem Israelitæ ad
promissionis terram, sic nos quoque ad super-
num mundum migramus, atque vt illi luto & la-
terum confectione, eodem modo nos quoque
lubrica & infida corporis huius compactione li-
beramur quod ex terra coagmentatum, vnde &
C lateres & lutum. porro compages ipsa corporis
ad offensionem & peccatum procliuis, apud plu-
rimos inferiores & ignauiores, ad voluptates ita
facile soluitur, & effrenato impetu fertur, vt ne
palearibus quidem rationibus, hoc est exiguis &
leuibus coerceatur & constringatur, quemadmo-
dum lateres paleis, verum luti instar ad voluptates
laxetur ac diffundatur; etenim conueniebat nos
densis, solidis, & spiritualibus rationibus con-
structos, à fœdis voluptatibus, propter Dei amo-
rem, constringi: at nunc improbissimi quique ne
subuentaneis quidem & leuibus rationibus te-
nentur, vt non propter Deum saltem ad laudem
hominum emerendam, à flagitiis abstineant.

*Dies festiuus lectionibus sacris & diuino*
*cultui dicandus.*

D *Nox ista obseruabilis Domino quando eduxit* 631
*eos de Ægypto.* Solemnem & festiuam habebi-
tis, in memoriam tanti accepti beneficij, quale, à
tot temporibus desiderata libertas accepta, po-
tior enim nobis libertas debet esse, quam vita,
maxime si seruitus fuerit intolerabilis, & sub Do-
mino immanissimo, qui nulla data mercede, one-
ra imponit non ferenda. sed si obseruabilis, in
quo eam sunt obseruaturi? an in tripudiis? an in
choreis, vel ebrietatibus, vt fieri solet in diebus
festiuis? non equidem, sed cum sacris lectioni-
bus, & in diuino cultu transigendo. primum ha-
bet Abulens. *Obseruatio illa est quia Hebræi tota* Abulens.
*nocte vigilant legentes in sacris libris*: secundum
noster Lyranus, *obseruatur dicata diuino cultui.* Lyran.

*Ne garriant heretici, si noctes vel dies aliquos*
*præ aliis celebramus.*

*Nox ista obseruabilis Domino.* Voluit enim 632

Deus nocturno potius quam diurno tempore A
egressionem hanc inchoari, idque annotari à
Moyse, vt tempus ipsum typus esset tum calami-
tatis in Ægypto toleratæ à Iudæis, tum præcipue
tenebrarum, & noctis illius, qua per Christum
Dominũ educti sumus: solet enim scriptura mi-
serias tenebris significare & conferre. sed cum
diem celebrent quo liberi euaserunt ab Angelo
percutiente Hebræi, iussit enim dicens, habebitis
hunc diem in monumẽtum, & celebrabitis eum
solemnem Domino in generationibus vestris,
cultu sempiterno: & paulo inferius, primam &
septimam diem azymorum festiuã habebitis dies
prima inquit erit sancta, & solemnis, & dies sep-
tima eadem festiuitate veneranda: si ergo hoc so-
lo in capite tot dies festiuos haberi præcipit, cur
insuper addit & noctes obseruandas cultu festi-
uo? vt saltem ex hinc discant obmutescere hære-
tici, in nos euomentes opprobria, quod aliquas B
noctes præ aliis, & dies festiuos veneremur. vnde
Abb.Tuic. optime ex hoc loco deducit Abbas Tuicensis ita
deccre fieri, ait autem li. 2. c. 21. Nox ista, subau-
ditur quando immolatus est agnus, & primoge-
nita Ægypti cæsa sunt, equidem alia nox fuit illa,
cuius in vigilia matutina, respiciẽs Dominus super
castra Ægyptiorum, per columnam ignis & nu-
bis, interfecit eorum exercitum & subuertit ro-
tas curruum & ferebantur in profundum. verum
nox vna pro duarum noctium rebus gestis Do-
mino obseruabilis. & recte, nam vna & eadem li-
beratio Israel, quæ in morte primogenitorum in-
choata, in subuersione cunctorum Ægyptiorum
peracta est, non ergo noua vel præsumpta aucto-
ritate, sancta Romana Ecclesia, duarum itidem
noctium acta, vna eademque nocte celebrari in-
stituit, vnius scilicet qua comprehensus & ad C
mortem ductus, primogenitum Pharaonis idest
superbiam diaboli cruce sua transfixit: alterius
vero, qua resurgens à mortuis, plenum gaudium
tam de animarum redemptione, quam morien-
do acquisiuit, quam de corporum resurrectione,
quam toti mundo attulit: hæc inquam duarum
noctium acta, vna nocte celebrare instituit in
laudem & gloriam veri agni, qui abstulit peccata
mundi, qui mortem nostram moriendo deuicit,
& vitam resurgendo reparauit: hanc inquam ob-
seruare debent omnes filij Israël, ita plane faciũt
omnes filij, imo omnes filij Dei, qui dispersi fue-
rant congregati in vnum, post huius noctis sacra-
mentum, qua Christus Dei Filius tanquã agnus
occisus, pro illis tanquam leo resurrexerit. noctẽ
istam concordi vbique tripudio concelebrant. D
illã esse non dubitantes, de qua scriptum est Psal.
Psal. 138. 138. & nox sicut dies illuminabitur, & nox illumina-
tio mea in deliciis meis, idcirco noctem æque ac
diem sequentem sancta Ecclesia quantum potest
celebrat, eodem namque resurrectionis obse-
quio, in vespera, quo & sequenti die persultat,
prius enim vespertinum quam matutinum sacri-
ficium, tantæ solemnitatis immolat. cur hoc? vi-
delicet quia est resurrectio prima, quæ noctem,
& resurrectio secunda quæ diem illustrat. en vt
dies aliqui & noctes festiuæ iure merito præ aliis
habentur?

*Continuo agendæ sunt Deo pro beneficiis accep-
tis gratiæ.*

633 *Nox ista obseruabilis Domino.* Cur obseruan-
da? quia eduxit Dominus populum Israël, voluit
eam obseruari, vt non excideret e mente tanti be-
neficij accepti memoria, sed legi superius etiam
diem solemnem habendum, in tantæ gratiæ re-
cordationem. nonne satis erat per diem occupari
in gratiis Deo referendis pro libertate accepta?
cur & noctem in his consumi requirit? quia nun-
quam cessandum est ab actione gratiarum Deo S. Chrysost.
referenda, sic monet S. Chrysost. hom. 27. in
Genes. *Non obliuiscamur Dei beneficia in nos col-
locata, sed semper ea in mente nostra versemus, vt
ad continuam gratiarum actionem mentem nostrã
compellant, tametsi tot sunt, vt mens nostra non
sufficiat ad comprehendendum, & enumerandum
magnam, quæ nobis contigit, illorum vbertatem, quo-
modo enim quis cogitare sufficeret ea quæ in nos iam
sunt collata, quæ item promissa, quæ & quotidie
conferuntur?* Hoc vtique impossibile.

*Deo digna pro redemptione nostra minime potest
gratiarum actio rependi.*

*Nox ista obseruabilis Domino, quando eduxit* 634
*eos de terra Ægypti.* Diximus & diem festiuum
etiam hac de causa celebrari voluisse, vt conti-
nuo Deo agerentur gratiæ. sed vlterius addamus,
cum hæc in typum nostræ futuræ redemptionis
à captiuitate peccati, & à tyrannide Pharaonis
tartarei cõtigerint, a qua sumus liberi pro agenda
gratiarum actione non solum dies, sed & noctes
petiisse. quia minime digna vsquam pro tanto
beneficio potest impendi? ita fatetur S. August. S. August.
7. de ciuit. Dei c. 31. *Quamquam enim quod sumus,
quod viuimus, quod cœlum terramque conspicimus,
quod habemus mentem atque rationem, quia eum
ipsum qui hæc omnia condidit inquiramus nequa-
quam valeamus actioni sufficere gratiarum; tamen
quod nos oneratos obrutosque peccatis non omnino
deseruit, misitque nobis Verbum suum qui est vni-
cus eius filius, quo pro nobis in assumpta carne nato
atque passo, quanti Deus hominem penderet nosce-
remus &c. quæ corda, quot linguæ ad agendas ei
gratias satis esse contenderint?*

*Deus pro suis vigilat semper & excubias agit.*

*Nox ista obseruabilis Domino,* Vatab. *ipsa nox* 635
*Iehouæ erit obseruantia omnibus filiis Israel,*
Oleaster & Caiet. *nox custodiarum est Domino.*
Quibus verbis significari videtur Deũ, ea nocte
vigilasse, & Hebræos custodisse ab Angelo va-
stante, vt eos exinde ab Ægypto educeret. quem
sensum videntur sequi Septuaginta, habent enim
custodia est Domino, & quidni? nonne verum est
tũc & semper pro suis vigilare, & excubias agere
vt eos custodiat? sic enim Iob c. 7. vocat eum sin- Iob 7.
gulari nomine custodem hominum, quod expli- S. Thomas.
cans Angelicus Doctor ait. *Tantam sollicitudinẽ
de hominibus habet quasi custos eorum: &* Isaias c. Isa. c. 21.
21. *sic eum interpellat, custos, quid de nocte?* quæ
verba sic Procop. & Theodor. exponunt, *ô Idu-
mæi recte facitis, quod pro muris vestris consistitis,* Procop. Theodor.
*de que nocte deque mane custodem vestrum interro-
gatis: si tamẽ salutem certamque viam ad eam quæ-
ritis, ad me qui sum vester Deus, & custos, venite,
agite pœnitentiam, peccata abdicate, iustitiæ stude-
te, itaque vos mihi reconciliate, ego vos deffendam,
ego pro vobis excubias agam, quia filij Abraham &*

S. Gre. Mag. *Isaac estis*: quanta cum sollicitudine pro nobis vigilet, vt custodiat declarat ipse Greg. Mag. 6. moral. c. 13. *ipsa nocte nasci voluit, vt nos protegeret, de nocte custos venit, qui a humani generis protector, & manifestus in carne apparuit.*

*Licet Deus pro nobis vigilet, tamen Iudæi obuoluti tenebris, obdormiunt.*

536 *Nox ista obseruabilis Domino*, Caieta. *nox custodiarum Domino.* Quibus verbis diximus denotari sollicitudinem qua Deus custodiebat filios Israël, pro eis excubias agens: ecce quomodo pro eorum salute vigilabat Deus, imo vt ex S. Greg. diximus, de nocte nasci voluit, & apud eos manifestus apparere, vt quam vere eorum custos & protector esset, declararet. an quis diligentiores pro alio excubias egit? an in alterius defensionem, maiori cum cura vigilauit? an quæso Iudæus pro cunis salute anxius, de nocte vigilans nascitur Deus, tanti beneficij memor, vigilauit ad eum diluculo, cognoscens suum redemptorem & custodem venisse: respondeat cit. Pontifex maximus. *De nocte custos venit, & manifestus in carne apparuit, & tamen hunc, pressa perfidiæ sua tenebris Iudæa minime cognouit, vbi bene ex voce custodis additur, venit mane & nox, quia per eius præsentiam, & noua lux mundo inclaruit, & tamen in corde infidelium vetusta cæcitas remansit.* S. Greg.



## *VARIETAS LECT. Vers. 43.*

*Vulg.* Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron, hæc est religio Phase, omnis alienigena non comedet ex eo.

*Sept.* Hæc est lex ipsius Pascha.

*Cald* Hic est ritus Phase, omnis apostata non comedet ex eo.

*Onk.* Omnis filius Israel destructus.

*Pagni.* Hoc statutum Pesah omnis filius alienigenæ non comedet.

*Arias.* Hoc statutum transitus.

*Olest.* Omnis filius ignoti.

## *CONCORDIA.*

De hac dictione חקת chukat, quam alij religionem, alij ritum, alij statutum vertunt, diximus superius. vbi habemus *alienigena* in Hebræo est נכר nechar, quod extraneum & ignotum significat, Cald. reddidit *destructus* & Onk. *Apostata*, ex quo aliqui deducunt, ea Iudaizare, quodque voluerunt per omnem filium destructum & apostatam, intelligere omnem christianum. destructos enim Iudæi vocant, eos qui à Iudaismo ad Christum conuertuntur, sed Lippomanus non sic explicat, ait enim, vide, quē intelligat hic alienigenam Caldæ. nempe eum qui ex Iudæis transierat ad gentes, & gentilis factus fuerat, sed quomodocumque intelligatur non recte, alienigena enim significat alienum à gente, & religione Iudaica.

## EXPOSITIO.

Hæc est *Religio Phase*, id est hoc more celebrabitis Phase, hic legalis cœnæ erit ritus, *omnis alienigena non comedet ex eo*, Rabi Salomō per alienigenam gentilem intelligit, & Iudæum baptisatum. sed certe antequam legalia cessassēt, licet iam Apostoli baptizati fuissent, rite ex eo edere potuerunt, eo enim tempore & baptizati erant, & legis ritus obseruare poterant: cessante vero lege per Christi mortem vsque ad sufficientem Euangelij promulgationem, legalia licet mortifera non essent, mortua tamen fuerant, nec ad eorum obseruantiam baptizari tenebantur. alienigenam ergo vocat Iudæum, qui ad gentilitatem apostatauit, sed melius, non excluduntur alienigenæ absolute ab esu agni, vt nunquam ad eum admitti possent, sed tantum ne admittantur, nisi prius circumcisi fuerint.

## CONCEPTVS.

*Afflictio & pœna nos piis coniungit.*

637 Hæc est *Religio Phase, omnis alienigena non comedet ex eo.* Plures alienigenæ simul cum Hebræis discesserant, ex Ægypto & licet plures eorum cultum & religionem sumpserant, tamen secundum aliquorum sententiam, plures in infidelitate sua remanserant. cur ergo Hebræorum consortium non fugiunt? dices quod commodi & vtilitatis gratia: sed cur non dicemus quod ex nimio timore, quo percussi fuerant ex primogenitorum totius Ægypti interitu? afflictio enim & pœnæ timor nos piis coniungit. fauet Procopius Gazæus. *Partim*, inquit, *sectabantur Hebræos alij moti gentis pietate, quidam multitudine plagarum correcti deserebant Ægyptum, & iungebantur Hebrais.* Procopius.

*Lex Dei sit suauissima, eam tamen plures non admittunt.*

*Hæc est religio Phase, omnis alienigena non comedet ex eo.* Cit. Gazæus ait hanc legem, tum demum promulgatam, cum ab Ægypto discessū fuerat, sed qua de causa cum aliæ præceptæ fuissent leges, tum circa cæremonias in agni esu seruandas tum circa modum edentium, nam vt vi- 638

dimus, præcincti debebant esse renibus, baculos tenentes in manibus &c. hæ autem leges datæ sunt in terra Ægypti, cur igitur hæc promulgatur in deserto? satisfacit Theodoretus. *Nam si eam posuisset cum adhuc forent in Ægypto, non tanta alienigenarum turba comitata esset abeuntes Hebræos, magna igitur benignitate cum omnes eripuisset Ægypto, præsentem legem proposuit.* En licet Dei lex sit suauissima, eam tamen plures non admitterent, si sibi foret promulgata tempore non opportuno. (Theodor.)

### *Non baptisatis licitum non est sanctam sumere Eucharistiam.*

639 *Hæc est religio Phase, omnis alienigena non comedet ex eo.* Vt solis Israëlitis circumcisis comedere agnum Paschalem licebat, ita omnibus aliis nationibus cuiuscumque essent nationis, incircumcisis vetitum erat eundem agnum Paschalem comedere: nam hic nomine alienigenæ serui emptitij, aduenæ, & mercenarij, & omnis incircumcisus intelligitur. sed cur prohibebitur huiusmodi alienigena ab esu agni? sicut enim admittitur in Hebræorum societate, cur ab eorum ritibus expelletur? quia ad sacra prophani non sunt admittendi. sed cum nemini dubium sit circumcisionem fuisse figuram sacramenti baptismatis, & agnum Paschalem fuisse vmbram agni Eucharistici in altaris sacramento, vt ergo incircumciso non licebat agnum comedere Paschalem, ita non baptisato licitum non est sacrosanctam sumere Eucharistiam. non enim sacra mysteria fidei nostræ aduersariis dogmata nostra suggillantibus, impertienda & porrigenda, ne illa ludibrio habeant & irrideant, Christo nobis dicente Matth. 7. nolite dare sanctum canibus, neque margaritas vestras mittatis ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis: canes sunt qui toto pectore dediti profanis rebus, abhorrent ab iis qui sanctimoniam sapiunt, sues sunt qui toti immersi voluptatibus obscœnis, puram castamque Euangelij doctrinam & sacra quoque execrantur. vt ergo canis re sancta non fit sanctior, sed rem sanctam profanat, & sus non fit ornatior gemmis, sed illam puritatem conspurcat. sic homines deploratæ malitiæ, sacramenta nostra vt vana & stulta irrident, & vt impia calumniantur, & more canum lacerant dentibus, & vt sues pedibus suis conculcant & execrantur. imo ipsis putrida cadauera, & fœtidus vomitus iucundior est omnibus nostræ religionis mysteriis. sic enim Iudæi tanti faciebant sua sacra, vt ab iis ex mandato Domini arcerent non suæ religionis professores. nonne magis abigere & procul pellere debemus à mysteriis nostris sanctissimis, illorum irrisores atque contemptores? hoc antiquissimi patres obseruarunt, teste D. Clemente Epist. 3. ad Iacobum fratrem Domini. *In mandatis,* inquit, *habemus vt venientes ad ciuitatem, discamus prius quis in ea dignus sit vt apud eum cibum sumamus, quanto magis conuenit noscere quis qualisque sit is cui immortalitatis verba credenda? solliciti enim esse valde debemus ne margaritas nostras mittamus ante porcos, sed & alias ob causas vtile est viri huius me habere notitiam: sic enim sciam quia in his de quibus potest dubitari, quod bona sint, emendatus est & inculpabilis, id est si sobrius, si misericors, si iustus, si mitis & humanus est, quæ vtique bona esse nullus ambigit, tunc consequens videbitur, vt ei qui obtinet bona virtutum, etiam quod deest fidei & scientiæ, ei conferatur, & in quibus maculari videtur eius vita quæ est in reliquis probabilis emendetur: si vero in his quæ palam sunt inuolutus peccatis permanet inquinatus, non me oportet aliquid de secretioribus & remotis diuinæ scientiæ eloqui. sed magis protestari & conuenire eum, vt peccata desinat, & actus suos à vitiis emendet, quod si ingesserit se & prouocarit nos dicere quæ eum minus recte agentem non oporteat audire, prudenter debemus eum eludere.* Clementi subscribit Iustinus Martyr Apolog. 2. pro Christianis ad Antoninum Pium circa finem, dum docet neminem admitti ad sacrosanctam Eucharistiam percipiendam, nisi qui credit veram esse nostram doctrinam, & ablutus regenerationis lauacro in remissionem peccatorum fuerit, & sic viuens vt Christus docuit. idipsum docet D. Chrysost. hom. 24. in 7. Matth. ait que nos mysteria nostra ideo ianuis clausis celebrare, & eos qui nondum initiati sunt, adesse prohibere, non quia mysteriorum aliquam infirmitatem deprehendimus, sed quia ad participationem eorum, illi adhuc quos arcemus infirmi sunt. (Matth 7. — Clem. Rom. — Iustinus Martyr. — S. Chrysost.)

### *Sponte mundus relinquendus.*

640 *Hæc est religio Phase, omnis alienigena non comedet ex eo.* O alienigena, non miror quod Israelitæ Ægyptum reliquerint, tibi enim compertum est, quam tyrannica seruitute opprimebantur, quot onera non ferenda eis crudeliter imponebantur, quot eorum infantes misere necabantur: sed quis te coegit patriam deserere & itineri arduo, per deserta & solitudines inuias te accingere? Israelitarum fortunam sectari? ex hoc alienigena quæso discamus, sponte & nulla impellente ratione, nisi malis quibus scatet mundus, quibus pios Israelitas opprimit, Ægyptum huius mundi relinquere. sic monebat S. Paulinus ita canens.

*Sponte relinquamus mundũ non sponte carendũ*
*Sponte nisi fugimus moriamur ne moriamur,*
*Lethalem vitam vitali morte tegamus,*
*Terrena intereat, subeat cœlestis imago*
*In Christo vertatur Adam mutemur & istic,*
*Vt mutemur ibi.*

(S. Paulin.)

Sius mundus insidus est, sed ita cecessit & amatur, perit & diligitur, cum nec amandus cum floret, cum calcandus cum non periret. *Quantum illi laudandi atque prædicandi,* inquit S. Augustinus Epist. 47. *qui dignati non sunt etiam cum mundo florente florere, tantum increpandi & accusandi sunt, quos perire cum pereunte, delectat.* (S. August.)

### *In mundi Ægyptum redire à quo quis discessit, nulla debet de causa.*

641 *Hæc est religio Phase, omnis alienigena non comedet ex eo.* Si tecum profecti sunt plures alienigenæ in desertum, si talem eis legem imposueris in Ægypto, à te minime latam, sane in Ægyptum cogentur regredi, non enim arceri à sacris sustinebunt, an quæso eos legimus regressos? nequaquam, vt nobis sint exemplo, quod

quod si semel mundi Ægyptum reliquerimus, nulla de causa ad eum regredi moliamur. sane enim in Ægyptum redire, qui de Ægypto discesserit, sæculum cogitare qui sæculum dereliquit, non est hominis amantis Deum, est contemnentis, qui terrenis voluptatibus qui vitiis mentium renuntiauit, non rursus illas quærat, his implicetur, ex Ægypto Deus educens populum Iudaicum non statim duxit illum per viam Philisthinorum, ne illorum armis sæuitiaque perterritus, oculos mentemque ad Ægyptum flecteret, faciliorem tutioremque viam induxit; vt tacite nobis innueret quod hic dicimus, scite rem veriat S. Greg. lib. 24. moral. c. 7. *Cum emisisset Pharao populum non eos duxit Dominus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum: ex Ægypto itaque exeuntibus à vicino bella subtrahuntur, quia derelinquentibus sæculum quædam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa sua teneritudine & inchoatione turbati ad hoc terrens redeant, quod euaserunt: prius ergo securitatis suauitatem sentiunt, prius pace quiete nutriuntur, post cognitam vero dulcedinem, tanto iam tolerabilius tentationum certamina sustinent quanto altius in Deo nituntur cognoscere quod amant.*

S. Greg. Mag.

## *Egredientes ex Ægypto duce indigemus, ni misere perire velimus.*

642 *Hæc est Religio Phase omnis alienigena non comedet ex eo.* Quis hanc legem obseruandam præcipit? Moyses ita Deo consulente, imo præcipiente, non solum leges statuit, sed dux Hebræorum populi eum eduxit ex Ægypto: nonne populus, cum sexcenta millia bellatorum contineret, potuit per seipsum exire, idest nullo duce habito cui subiiceretur cuius præcepta teneret, & custodiret? nequaquã, duce enim & præceptore ille indiget, qui ex Ægypto discedens, viam salutis tenere desiderat sic enim sanctus Climacus gradu. 1. suæ scalæ egressum ab Ægypto ita explicabat. *Quicumque ex Ægypto egredi Pharaonemque cupimus effugere, prorsus Moyse aliquo ad Deum, & post Deum mediatore, nobis opus est, qui pro nobis medius inter actionem & contemplationem stans manus extendat ad Deum, vt hoc duce directi peccatorum transeamus mare, atque Amalech vitiorum principem fugiamus: seducti igitur sunt qui sibi ipsis confidentes nullo sibi duce opus esse arbitrati sunt, & illi quidem qui ex Ægypto egressi sunt Moysen, qui vero ex Sodomis fugerunt Angelum Dei habuere ducem.*

S. Ioann. Climac.

## *Si in mundi Aegyptum redieris, sit ob salutem aliis impertiendam.*

643 *Hæc est religio Phase, omnis alienigena non comedet ex eo* Diximus licet hanc tulerit Moyses legem in Ægypto contra alienigenas, qui Israelitarum fortunam secuti fuerant, tamen nullus eorum in Ægyptum regressus est, quamuis manens alienigena à sacris arceretur: ex quo diximus nulla de causa in mundum Ægypti, à quo discessimus, redeundum: sed si ita se res habet, quomodo ipse Moyses dux egredientium ex Ægypto, ipsemet ea semel derelicta ad eam descendit, in ea commoratus est? sane Moses ipse ad suos à Deo missus

A in Ægyptum, à qua discesserat, rediit, sed vt suorum saluti consuleret, & nihilominus multis periculis patuit in Ægypto. sic grauiter premit Ioannes Climachus in scala paradisi gradu tertio, *Sunt* (inquit) *qui primum innocentiæ tuendæ causa patriam deseruere, at demum confirmato repurgatoque animo non sine fructu eandem reuiserunt, eo certo animo vti partam sibi salutem, aliis etiam nonnullis impertirentur: quando diuinus ille spectator & contemplator numinis Moyses, ad gentem suam publicæ salutis causa à Deo remissus, multos periculorum casus adiit, multaque mundi caligine & nocte sæpe inuolutus est.*

Citatur Climach.

## *Deus singularis prouidentiæ erga cultus sui obseruantiam.*

644 *Hæc est religio Phase, omnis alienigena non comedet ex eo.* Quis hoc immediate præcipit? ait sacer

B contextus, dixit Dominus ad Moysen, quomodo est in Hebræo? dixit Iehoua; cur Iehoua quod est nomen denotans principium essendi, hanc legem circa ritum edendi agnum Paschalem præcipit? vt quam singularis prouidentiæ sit Deus, circa cultus sibi debiti obseruantiam, agnosceremus, hoc modo sentit Cardinalis Cajet. *Nomen est tetragrammaton*, inquit, *quod sæpissime repetitur, ad manifestandum quod ipse fons essendi curam habet omnium & singulorum circa eductionem populi, & quod est auctor omnium præceptorum pertinentium ad Pascha.*

Cardinal. Cajetan.

## *Cultus Dei multoties inculcandus, ne ipsius simus immemores.*

645 *Hæc est religio Phase.* Nonne antea ritus & cæremonias agni comedendi Israelitis aperuisti? nam totus fuisti in discutiendo, qualis eligendus esset agnus, qui immolaretur, quomodo comedendus, quæ præparanda, vt rite comederetur, &

C à quibus abstinendum, quonam tempore perfici hæc deberent, quidnam hoc esset inquirentibus, & quænam religio, quomodo respondendum esset, quod hunc diem solemnem Phase in perpetuum haberent: cur igitur adhuc repetit hęc est religio Phase? quia cultus Dei multoties inculcandus, ne ipsius simus immemores: ratio est nostri Lyrani. *Repetitur*, inquit, *hic iste cultus Paschalis, vt magis mentibus filiorum Israel imprimeretur.*

Noster Lyran.

## *Apostata omnino eliminandus est à sumptione agni Eucharistici.*

646 *Hæc est religio Phase omnis alienigena non comedet ex eo.* Diximus ideo participem non fieri agni Paschalis alienigenam, quia & diuersæ est religionis, & sic apud nos alienigena est, qui

D aqua & Spiritu Sancto regeneratus non est, isque est indignus, qui ad agnum accedat Eucharisticum, ergo qui lauacrum regenerationis acceperit, poterit huic mensæ cœlesti accumbere. attendamus quomodo legerit Caldæus, omnis Apostata non comedet ex eo, quisnam Apostata? vt recte quis sit notum sit, consulamus expositiones in Salomonem cap. 6. Prouerb. homo Apostata vir inutilis graditur ore peruerso, noster Lyranus & Hugo, virum Apostatam non eum accipiunt qui à fide, sed qui à recta viuendi ratione, &

Prouerb. 6. Lyranus.

probis moribus desciuit, Cajet. non speciali aliquo crimine obstrictum hominem, sed absolute impium quemlibet & sceleratum eo nomine credidit: alij putant impudicum & scortatorem hominem notari: Bernardus de gradibus humilitatis de superbo & arroganti viro intellexit: D. Greg. parte 3. curæ Pastoralis admonitione 24. de illo interpretatur, qui discordias & iurgia in vulgus spargit, cui subscribunt Rodolphus & Iansenius, adde paraphrastem Cald. qui habet homo calumniator, licet antonomastice sumatur, pro eo qui recedit à fide & religione. quid an omnes apostatæ, eo modo quo explicuimus, arcendi sunt tanquam indigni à participatione agni Eu- A charistici? de vltimo sic Procopius, *Quicumque congregatur in templo cum piis, verum audito verbo Domini & consecratione peracta, in apostatarũ numerum deflectit, hic non gustabit agnum Paschalem*, De primo sic August. lib. de Ecclesiast. dogmatibus c. 53. *Quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari*, Preme si quem commissa premunt crimina, qui à recta viuendi ratione desciuit, qui primo modo Apostata nominatur, hic omnino amouendus est ab esu agni: quod scortator arceatur vers. 11. aperuimus:

Caietan. Bernard. D. Greg. Rodolph. Procop. S. Paulinus. S. August.



## *VARIETAS LECT. Vers. 44. 45.*

V*ulg.* Omnis autem seruus emptitius circumcidetur, & sic comedet.

*Sept.* Et omnem famulum vel argento emptum B circumcides eum, & tunc comedet ex eo.

*Cald.* Omnis autem seruus alicuius emptus argento, si circumciderit eum, tunc comedet ex eo.

*Onk.* Omnis quoque seruus quisquis fuerit.

*Pagni.* Et omnem seruum viri emptum argento.

*Arias.* Et omnem seruum viri emptionem argenti.

*Vulg.* Aduena & mercenarius non edent ex eo.

*Sept.* Aduena vel mercenarius.

*Aly.* Habitator vel peregrinus.

## *CONCORDIA.*

SCite admodum Vulgatus interpres summatim Hebraicam Phrasim expressit, Septuag. duo seruorum genera distinguere videntur, habent enim πάντα οἰκέτην τινὸς ἀργυρώνητον. omnem seruum alicuius, vel emptitium, hoc loquendi modo inuenies, quod quomodo cumquo fuerit seruus, si circũcidatur, comedet Phase, dictionem תושב tosab à ישב iasab verbo descendẽtem, habitatorem quidam, alii autem peregrinum, & interpres aduenam reddiderunt, si autem Cald. posuit disiunctiuam *vel*, conuenit tamen cum Vulgato habente coniunctiuam.

## EXPOSITIO.

O*Mnis autem seruus emptitius circumcidetur.* C Plures totis viribus nituntur persuadere huiusmodi circumcisionem non fuisse liberam & arbitrariam, sed præceptam & necessario subeundam. his rationibus nituntur, quia est pretium aut possessio pecuniæ Domini, tum quia scriptura hic distinguit seruum ab aduena & mercenario, statuitque vt seruus edat ex agno, non autem mercenarius, ergo seruum iubet circumcidi, non autem aduenam vel mercenarium: nam si seruo relinqueretur arbitrio circumcidi, & consequenter quod agni esset particeps, nulla differentia foret inter seruum, & aduenam & mercenarium, nam & hi, si volebant fieri, poterant proselyti petere circumcisionem, & sic agno vesci. sed arbitror circumcisionem absolute non præcipi seruis, sed in casu quo vellent agnum D Paschalem edere; non enim inuiti circumcidendi sunt, & ad religionem Iudaicam compellendi: sed cauebatur, ne seruos emerent, qui non essent parati suscipere religionem Iudaicam, & circumcisionem. deinde nec ante ad huius Paschatis esum esse admittendos, quam reipsa circumcisi essent: nec rationes in contrarium vrgent, licet enim huiusmodi seruus esset peculium Domini, non inde infertur, quod cogendus & compellendus ad Iudaismum suscipiendum, nam fides omnino libera esse debebat, in his qui eam nondum admiserant, nec ex fidelibus orti parentibus: præcipue cum tunc salus potuerit obtineri sine Iudaismo per fidem in verum Deum, & legis naturæ obseruationem. nec valet quod Cajetanus respondet, mancipia hæc non fuisse obligata ad suscipiendam circumcisionem, quatenus erat initiatio Iudaismi & religionis, sed tantum quatenus erat signum rei publicæ politicum seu externum, quo Iudæi à cæteris gentilium rebus publicis distinguebantur. verum cum hic agatur de circumcisione, vt præparatoria ad esum agni, esus autem hic apud Iudæos non fuerit tantum exterior politica cæremonia, sed actio sacra, hinc est quod cum ad circumcisionem nisi conditionaliter teneri diximus, vtroque modo intelligendum venit: concedo libenter non differre seruum, aduenam, & mercenarium quoad esum agni Paschalis, omnes enim si ipsius participes vellent fieri, circumcisionem subire debebant.

*Aduena* gentilis v. g. mercator Chananæus, qui inter nos commoratur, vel alius quicumque

fuerit diuersæ religionis, *& mercenarius* famulus A non emptus argento, vel mercenarius qui suam vobis operam locat, *non edent ex eo* nisi circumcidi velint, hos autem specialiter expressit, ne crederent Iudæi, quod solum serui sui si circumciderentur, deberent agnum Paschalem comedere, aliis omnibus seclusis, & ideo ne hoc sibi peculiatum haberent, nominat speciatim aduenas, & mercenarios.

## CONCEPTVS.

### *Qui mercenarius est in cultu Dei, indignus est agni Paschalis esu.*

647 O*Mnis seruus emptitius circumcidetur, & aduena & mercenarius non edent ex eo.* Cur non edet mercenarius? si suam operam locat nihil culpabiliter committit, imo dignus est laude, qui ne otiosus reperiatur, labori se exercet: nihilominus merito ab esu Paschalis agni cohercetur, quia qui in Ecclesia vel cultu Dei, solum lucri amore & cupiditate acquirendi laborat, sane indignus quod ad agnum admittatur Eucharisticum, Do Procopium Gazæum. *Mercenarius non degustabit agnum Paschalem, nam oues quia eius non sunt derelinquit, & patitur lupum in eas grassari, non enim tanto pastore amat oues, si dicat sequitur ductus & captus dulcedine lucri, eo quod eas curat: in hunc modum mercenarius sub prætextu religionis obrepit Israelitis, religionemque arbitratur quæstum, & inde diuitias quærendas opinatur; præfert virtuti mercedem, hinc talis non vescitur agno Paschali dum iustitiam cæteris rebus postponit.*

Procopius Gazæus.

### *Domini magnam salutis seruorum curam habeant.*

648 *Omnis seruus emptitius circumcidetur.* Non solum in symbolum eum ab aliis distinguendi, sed etiam in signum veræ religionis quam profitebitur: si circumcidatur aliquis, hanc curam quis gerere debet? quis dubitat? Dominus eius erit, nonne sufficit quod quæ ad corpus eius spectant, curam habeat? imo quod præcipue ab eo exigitur, est, vt specialem salutis animæ illius gerat sollicitudinem. *Ecce qualis* (inquit Oleaster) *cura Dominis suis esse debeat, vt seruos suos ad fidem & cultum vnius Dei adducant, vt eos negligentes admittantur ad fidem perducere.*

Oleaster.

### *Ad alia sacramenta veteris legis sine circumcisione nullus erat de se idoneus.*

649 *Omnis seruus emptitius circumcidetur, & aduena & mercenarius.* Scilicet Paschalem agnum si volunt comedere circumcisionem prius debent subire, cum lex data fuerit Abrahæ vt suos circumcideret, nec non vt posteri omnes circumciderentur, ni vellent omnes suas perire animas, cur aduenæ & mercenarii hac lege tenebuntur, cum in lege naturæ salutem consequi possent? non tenebantur quidem nisi sub hac conditione, si vellent agni Paschalis participes fieri, sine circumcisione enim ad alia sacramenta admittenda veteris legis nullus erat idoneus, est doctrina Doctoris Angelici 1.2. quæst. 102. art. 5. in corpore. *Sacramenta in veteri lege proprie dicebantur ea quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quandam consecrationem, qua scilicet deputabantur, quodammodo ad cultum Dei, cultus autem Dei generali quodam modo pertinebat ad totum populum, sed speciali modo pertinebat ad sacerdotes & Leuitas qui erant ministri cultus diuini: & ideo in istis sacramentis veteris legis quædam pertinebant communiter ad totum populum, quædam autem specialiter ad ministros: & circa vtrosque tria erant necessaria, quorum primum est institutio in statu colendi Deum, & hæc quidem institutio quantum ad* B *omnes communiter fiebat per circumcisionem, sine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium: quantum vero ad sacerdotes per sacerdotum consecrationem, secundo requirebatur vsus eorum quæ pertinent ad diuinum cultum, & sic quantum ad populum erat esus Paschalis conuiuij, ad quem nullus incircumcisus admittebatur, &c.*

Angelicus Doctor.

### *Possumus gratias referre Deo pro beneficiis aliis collatis.*

*Omnis seruus emptitius circumcidetur, & aduena & mercenarius.* Scilicet si Paschalis agni velint esse participes, nonne Paschalis obseruatio, memorialis erat liberationis ex Ægypto: ad quid igitur hunc agnum Paschalem comedent, cum nec sub seruitute fuerunt Ægyptiaca, nec à Pharaonis tyrannide erepti? quia etiam possumus Deo gratiarum actionem impendere, pro beneficiis non nobis, sed aliis collatis, mens est auctoris C Catenæ. *Mercenarius & aduena ad fidem verum conuersi & circumcisione initiati, solemni totius populi gaudio iuste admitti poterant, & ad publicam gratiarum actionem pertinebant.* 650

Lippom.

### *Pretio agni emptus, & sacro Baptismate renatus, poterit esse agni particeps Eucharistici.*

*Omnis seruus emptitius*, Cald. *seruus alicuius emptus argento circumcidetur.* Si argento coëmptus, cur non ad esum agni Paschalis admittetur? quænam enim maior gratia confertur quam mercenario & aduenæ, qui nullo pro se soluto pretio ad eum, accepta circumcisione admittentur? merito seruus licet argento aut auro coëmptus, indignus agni Paschalis esu iudicatur, quia non auro vel argento corruptibili, sed pretioso sanguine Christi redempti, & in spirituali circum- D cisione renati, agni Eucharistici participes possent esse, *quid est seruus emptitius?* ait Rabanus *Nisi is qui emptus est pretio sanguinis Christi, qui primum circumcidi debet spirituali vtique circumcisione non carnis sed cordis, & agni immaculati corpus comedere: nam talibus dicit Petrus Apostolus 1. Petri 1. succincti lumbis mentis vestræ sobrii perfecti sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam in reuelatione Iesu Christi:* & paulo post, *Scientes* (inquit) *quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati & incontaminati Christi, &c.* 651

Rabanus Maurus.

1. Petri 1.

*Qui dubitat in fide, amouendus ab esu agni Eucharistici.*

652 *Omnis seruus emptitius circumcidetur, & sic comedet*, deinde subiungit, *aduena & mercenarius non edent ex eo.* Hæc lex mutila esse videtur, nam cum peioris conditionis sit seruus quam liber, qualis est aduena, cur amouetur ab esu agni Paschalis, seruus autem emptitius admittitur? respondet cit.
Archiepisc. Moguntin. Archiepiscopus Moguntinus. *Quis est aduena? nisi is qui nuper venit ad fidem, nec firmus est in Catholica religione: iste sane non est dignus, sumere corpus Christi, quia eum non firmiter credit*, cui non dissen-
Rupert. tit Abbas Tuicensis. *Propter vagam instabilitatis licentiam refutat alienigenam, cum admittat seruum emptitium.*

*Scientiæ labore nostro comparatæ, admittendæ, dogmata autem falsa reiicienda.*

655 *Seruus omnis emptitius circumcidetur & sic comedet ex eo, alienigena & mercenarius non comedent.* Acceptor personarũ censeberis, cũ seruos, quia sũt populi tui electi, ad talem gratiam euchis, vt possint agnum Paschalem comedere, sicut & Domini, aduenas autem licet nobilissimos forte, & futu-
Theodor. ris, ab illius esu amoueas: audiamus Theodoretum, dicere possumus vernaculos, esse innatas atque insitas nobis rationes ac scientias, emptos vero argento, disciplinas, quas audiendo legendoque comparauimus, vernaculos tamen atque argento emptos, circumcidere & purgare debemus, & sic fient ex prophanis sacræ: gentium enim Apostolus cum scriberet ad Corint. 1. 15. illud ex
1. Corint. 15. prophano scriptore sumptum suis scriptis inseruit, corrumpunt bonos mores colloquia praua, quod Menandri esse compertum est: nemo tamen asserere audebit, sacra Apostoli verba, quidquam labis ac maculæ contraxisse, quia vilem hunc versiculum continerent ac veluti contin-
Tertul. gerent. succinit Tertullianus qui lib. ad vxorem sic eam alloquitur, stude modestiæ quæ pudori

A procurat & sedulitati, quæ nugas non facit; coniuncta atque commercia Deo digna sectare, memor illius versiculi sanctificati per Apostolum, corrumpunt bonos mores congressus praui, ergo profanæ scientiæ fient sacræ, si circumcidantur, quomodo autem circumcidendæ à S. Gregorii calamo monitum accipiamus, sic autem scribit lib. 17. moral. cap. 1. quisquis de magnis dictis
Gregor. Mag. arrogantium scientiam sumere nititur, prouidere solerter debet, ne hoc quod eorum scientia altum tumet, imitetur, ne cum virtutum flore, morum vitia colligat, & in eo quod loquendi notitiam assequitur, viuendi se imperitia transfigat: hos namque cum fortia dicere audimus, eos tamen de dictis fortibus tumere conspicimus, quasi doctrinæ hortum ingressi, de spinis rosas attingi-
B mus: discreta ergo nobis sollicitudine opus est, & capere quod redolet, & cauere quod pungit, ne si fortasse improuidè dictorũ flos legitur, incautis legentibus manus morum spina laceretur. Heliu itaque doctus & arrogans protulit aliquando quod redoleat, aliquando quod pungat, sic igitur sumendum est de eius doctrina, quod fragrat, vt tamen sollicitè cauendum sit de elatione quod vulnerat. in profanis scriptoribus veritas falsitati admixta est, & vtilitas aliqua vanitati, sacri cultoris est, tanquam probi nummularij, veritatis aurum, ab adulterino Lydio iudicij lapide secernere, & illud accipere isto repudiato, huc spectant S. Ioannes Damascenus lib. 4. de fide Orthodoxa. c. 18. in hæc verba, quod si quid etiam in quo vtilitatis, quidpiam insit, ab externis auctoribus possimus, accipere quo minus id faciamus, nihil vetat, illud modo nobis curæ sit, vt probi nummu-
C larii simus, verum nummum ac purum aurum aggerentes, adulterinum autem repudiantes. sed si scientiæ emptitiæ dummodo circumcidantur ad sacra euehuntur, quomodo aduena & mercenarius reiiciuntur? ait Theodoret. *Alienigenam nulla ratione admittere iubet vt pote qui alienum dogma recipiat.*

## *VARIETAS LECT. Vers. 46. 47.*

VVlg. In vna domo comedetur nec efferetis de carnibus eius foras, nec os illius confringetis.
*Sept.* Nec os illius conteretis.
*Cald.* In societate vna comedetis.
*Pagn.* In domo vna comedet, non educes è domo de carne extra, & os non confringetis in eo.
*Cyprianus*, Non eiicietis è domo carnem foras.
*Vulg.* Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud.
*Pagn.* Faciet eum.
*Sept.* Omnis synagoga filiorum Israel faciet id.

## *CONCORDIA.*

Rectius hæc verba בבית אחד bebat achad vertit noster interpres in vna domo, quam Cald. in vna societate, potuisset enim hæc societas extra domum esse, quod tamen prohibitum
D cum dictum est, nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ vsque mane, *nec os illius confringetis*, est in Hebræo dictio בו bo quod est in eo, vel ab eo, sed idem est.

## EXPOSITIO.

IN *vna domo comedetur* Quia Iudæis solẽne erat in diebus epulationũ sibi mutuo fercula trãsmittere, vt patet 2. Esdræ 8. ne id in agno hoc fieret speciali lege vetat Deus mandans ne extra domũ

quid quam efferatur vt significaretur in omni comestionis huius annua iteratione, Iudeos in Ægypto agni comedisse domi clausos, & constrictos: *nec os illius confringetis*, prout solent illi qui medullam volunt exsugere, vobis enim non tantum erit otij ad quærendam voluptatem, & delectationem ex eo, sed tantum erit festinatus cibus ad necessitatem, *omnis cœtus filiorum Israel*, quod distributiuè intelligendum, nec in vnum populus vniuersus congregandus, sed priuatim hoc in singulis domibus celebrandum, *Faciet illud*, Sacrificabit siue obseruabit Phase.

## CONCEPTVS.

### *Extra Ecclesiam salus non est.*

654 IN *domo vna comedetur*. Quid refert vtrum extra domū comedatur agnus, dummodo libertatem consequantur? dummodo à tyrannide Pharaonis liberentur? per domum non est dubium quin Ecclesia denotetur, iuxta illud Psal. 118. qui habitare facit sterilem in domo, matrē filiorū lætantem, hoc est qui Ecclesiam gentium quondam sterilem, nunc fœcundam vna constituit in domo plurimis filiis abundante. quo posito dicemus merito legem statuisse, vt in domo comederetur, quia extra Ecclesiam non est salus nec vera libertas spiritus; & recte dixisse in vna domo comedendum, quia Ecclesia vna est: doctrina est Sancti Cypriani Epist. 76. quæ est ad Magnum de baptizandis Nouatianis. *Foris non esse Ecclesiam nec scindi aduersum se, aut diuidi posse, sed inseparabilis atque indiuidua domus vnitatem tenere manifestat diuinæ scripturæ fides, cum de sacramento Paschæ, & agni, qui agnus Christum designabat scriptum sit, in domo vna comedetur, non eiicietis carnem de domo foras: quod item circa Raab quæ ipsa quoque typū portabat Ecclesiæ expressum videmus, cui mandatur & dicitur, patrem tuum & matrē tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam, & omnis qui exierit ostium domus tuæ foras reus sibi erit, Iosue 2. quo sacramento declaratur, in vnam domum solam, idest in Ecclesiam victuros, & ab interitu mundi euasuros colligi oportere.* Non enim extra eam salus reperietur.

Psal. 118. — S.Cyprian. — Iosue 2.

### *Ecclesia vna est.*

655 *In domo vna comedetur* Cur vnam addidit? nonne satis erat dixisse in domo non comedetur, vt intelligerent extra domum agnum Paschalē non esse comedendum? si diximus per domum, Ecclesiam intelligi: iure merito additum est, vnam esse debere, Ecclesia enim vna est, quod late prosequitur cit. Sanctus Cyprianus. *Quod autem vna Ecclesia sit, declarat in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex persona Christi dicens, vna est columba mea perfecta mea, vna est matri suæ electa genitrici suæ*, & lib. de vnit. Eccles. *Ecclesia vna est quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quo modo solis radij, sed lumen vnum tenaci radice fundatum est, cum de fonte vno riui, plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur, exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine.*

S. Carthag. Epist. Cant. 6.

### *In Ecclesia non scissura.*

666 *In vna domo comedetur nec efferetur de carnibus eius, os illius non confringetis.* Quod in agno Dei immaculato adimpletum est Ioannis 19. nam cum ad Iesum venissent, vt viderunt eum iam mortuum non fregerunt eius crura: cum permiserit corpus suum sibi tam atrociter lacerari, iuxta illud supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, seu vt ex Hebræo Theodotion & Aquila legunt, arauerunt peccatores, quasi Christi Domini dorsum non funibus flagellari, sed impresso vomere sulcari videretur: & tamen ne sibi quidem mortuo permisit, vel minimum ossium violari. cur Christus Dominus in suam carnem, tam diros habere voluit tortores, in ossa tam humanos? si per ossa Christi Domini vniuersam eius Ecclesiam intelligamus, iuxta illud Apostoli loquentis de structura, ecce ex costa Adami sacramentum hoc magnum est ego autem dico in Christo & in Ecclesia Ephes. 5. dicemus ideo permisisse Christum Dominum vt suum corpus verum ac reale, vt vocant, multis vulneribus scinderetur, noluisse tamen vt corpus suum mysticum, hoc est Ecclesia, vllas diuisiones seu scissuras pateretur, adeo non solum vnitam, sed etiam vnam voluit esse Ecclesiam. Omni omnino diuisione carentem.

Ioan. 19. — Ephes. 5.

### *In Ecclesia pax & vnitas.*

*In domo vna comedetur*, Cald. *in societate vna.* 667
Licet diximus per vnam domum, Ecclesiam esse vnam intelligi debere, tamen terminus ille, *vna* aliquid amplius denotare videtur, nonne vnitas pacem omnium designat, sicut & societas de eodem cibo comedentium? cur igitur non asseremus, non solum eam vnam esse, sed pacificam, in qua vnitas animorum viget & concordia regnat: ab hac explicatione non alienus est citat. Sanctus Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ, *Sacramentum Paschæ nihil aliud in Exodi lege continet, quam vt agnus qui in figura Christi occiditur, in domo vna edatur, loquitur Deus dicens in domo vna comedetur, non eiicietis de domo carnem foras, hanc domum hoc vnanimitatis hospitium designat, & denuntiat Spiritus Sanctus, in Psalmis dicens Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo Dei, in Ecclesia Christi habitant concordes, & simplices perseuerant, ideirco & in columba venit Spiritus Sanctus simplex animal, & lætum est, non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum, hospitia humana diligere vnius domus consortium nosse, cum generant, simul filios edere, cum commeant, volatibus inuicem cohærere, communi conuersatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia vnanimitatis implere, hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda, vt columbas dilectio fraternitatis imitetur.*

Cyprian. — Psal. 67.

### *In sola Ecclesia Catholica verus offertur agnus Eucharisticus.*

*In domo vna comedetur*. In quorum domo tam in 668

mercenariorum domo, an in aduenarum æde? non equidem, sed in Israelitarum domo, nam extra eorum domos extra vere Israelitici idest Catholici populi sanctam congregationem, Ecclesiam veram, agnus Eucharisticus nec offertur, nec comeditur. obseruatio est sancti Episcopi Carthaginensis tract. de cœna Domini. *In Ecclesiæ sacrificio nulla sit macula sed pura simplicitas & innocentia vitæ, in vna Ecclesia Catholica domo à fidelibus de Ægypto egredientibus, transito mari rubro, latis Christi sanguine affectibus offeratur.*

S. Cyprian.

### *Maior Christi charitas videtur in institutione sacramenti Eucharistici quam in effusione sanguinis sui.*

*In domo vna comedetur*, tamen *illius os non confringetis.* Rupert. ait, hoc testimonio sanctus Euangelista sic vsus est Ioan. 19. ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, & subinde, facta enim sunt hæc vt scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo: ergo & iuxta proprias vocum significationes, Prophetia manifesta est: si igitur Christum Dominum cruci suffixum & occisum intueamur, inibi integrum, nec comminutum reperiemus, at in sacramēto altaris licet reipsa integer & indiuisus permaneat, verū ad speciem saltem & iuxta nostrum modum concipiendi frangitur, vnde & ipsemet Paulus Eucharistiæ mentionem faciens, signatè dixit, & panem quem frangimus nonne participatio corporis Domini est? 1. ad Corinth. 10. quæ verba Chrysost hom. 24. in 1. ad Corinth. exponens ait. *Sed quare addit, quem frangimus? hoc in Eucharistia videre licet, in cruce autem minime, sed omnino contra, os enim eius inquit non conteretur, sed quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi sustinet, vt omnes satiet.* Quid inde colligimus quod os eius non confringatur in cruce, & quod in cruce passus non est inquit Chrysost. id in oblatione patiatur? saltem quoad fractionem specierum sacramentalium? sane eximiam in nos charitatem & bonitatem, & quasi maiorem in sacramento altaris, quam in cruce: hoc docet Dionys. Alexandr. Epist. contra Paulum Samosatenum, Deus igitur qui habitat in nobis, secundum testamentum, quod disposuit nobiscum, dicens accipite & diuidite inter vos, hoc nouum testamentum est, hoc facite in meam commemorationem; hæc est exinanitio Dei facta ad vsum nostrum, vt possimus capere eum, hoc enim mysterium pertimescendum, dicit Sanctus Apostolus, quod semetipsum exinaniuit, *& post pauca*, exinanitū vocat Apostolus, vt ante dixi capi à nobis mysterium vitæ, per manus eius incontaminatas, & incorruptibiles, & diuinas, vt possimus qui sumus fideles eius capere eum, & fieri mansio eius, accipientes eum, totum illustrat statim Dionysius, egregia illa similitudine agni, quem mactatum vniuersa filiorum Israel Synagoga comedebat, subdit autem, verum illi non poterant caput cum pedibus edere quomodo enim caput agni, cum pedibus in Pascha edi poterat, cum lex Iudæis iuberet, non frangere os ex eo illis quidem prohibebatur hoc propter incredulitatem & duritiam cordis, &c. veruntamen qui se exinaniuit Christus Iesus, habens in seipso caput, patrem, caput

669

Ioan. 19.

1. Corin. 10.

Dionys. Alexand.

A enim Christi est Deus, fecit potentiam in brachio suo & exaltauit humiles, vt ipsi capiant Altissimum & habitet in nobis, propter suam in homines charitatem & bonitatem qua dilexit nos: magis igitur exinanitum Christum Dominum inuenies in Eucharistico sacramento, quam alibi, & maior charitas eius fulgere videtur in hoc tremendo mysterio, quam in crucis sacramento.

### *Totus Christus nobis cedat in cibum, & tamen diuina eius vnio à nobis intacta relinquatur.*

678 *In vna domo comedetur, os non confringetis ex eo.* Tamen antea dictum fuerat, caput cum pedibus & intestinis comedetis, si caput cum pedibus comedendum, & in capite & pedibus sunt ossa, sane confringenda, vt fieri satis possit præcepto, sed cum huiusmodi agnus omnibus membris suis cōstaret, cur non ait sigillatim, quod oculi, quod aures, quod humeri, &c. esui seruire deberent? nam possumus comedere caput verbi gratia sine auribus sine oculis, &c. tamen quis diceretur huiusmodi caput comedisse? singula igitur eius membra enumeremus, caput priorem in agno locum habet, cum suis partibus, deinde collum vertebris interceptum, recta protensione in humeros desinit, à quibus anteriores pedes fabricationem sortiti sunt: post hos, in superiori quidem parte dorsum, ac dorsi spina distenditur, in inferiori autem ventris, concauum effectum est: sequuntur posteriores pedes, inter has autem partes sublimius est caput, vel vt aptius loquar, proiectius ac prominentius; pedes vero inferius, ac circa terram gressum figunt: an in agno Christo Domino, membra huiusmodi contemplabimur, quę simul cum pedibus comedere debeamus os tamen integrum relinquere? Michaelem Psellum auctorem antiquum vt pote Leonis cognomento Philosophi præceptorem consulamus, de hoc mysterio ita disserentem apud Nicetam Heracliæ Episcopum super orationem 42. S. Greg. Nazianz. huiusmodi diuinus agnus est constans ex capite & pedibus, idest ex diuinitate & humanitate, quē partim sola cogitatione diuidens, partim vniuersalque comedens, ad animæ susceptionem, apte transmitte: susceptio autem animæ vis est, spiritualium speculationum susceptrix, quæ quidem doctrinam diuisit, facile eam accipiens, spiritusque feruore concalefaciens, atque alterans, eam ad coctionem digerit, in suamque essentiam transfundit: vertex igitur diuini nostri capitis, hoc est diuini verbi pater est, à quo incorporeo & inexplicabili modo, genitus est: proinde verticem etiā edere debemus, hoc est intelligere, nequaquam productioni corporum hanc generationem similem esse. item quod ex illo quidem verbum est, sed non post illum: quoniam autem crines etiam verticem circumtegunt, hoc est caligo illa à speculatione remota, quæ paternam substantiam obtegit, hos quoque, quantum res postulat, diuidere necesse habemus, atque ita vim animæ adducere ad ea attingenda, quæ & sermone superiora sunt, & cogitatione. iam diuinas etiam aures agni diuini comedamus, nempe spiritualiter audientes, quod incarnatus sit quod verbum caro factum sit, neque enim verbum in carnem mutatum esse, nec incorpoream ipsius essentiam in carnem concreuisse, prædicamus,

Michael. Psellus.

verum id quidem mansisse, quod erat, id autem, quod non erat assumpsisse. oculos insuper comedamus, spiritualiter cernentes, nec rerum earum quæ sub aspectum cadunt, corporibus intersepti, verum intellectuali modo in diuinas illuminationes penetrantes: ne superciliorum quidem partem intactam relinquamus, perspicacem scilicet animæ vim obtegentes, ne superne alicunde falsa & amara spirituum aereorum fluxio infusa, oculum ipsum lædat: quid vero? non etiam, nares ipsas attingemus, nimirum diuinum vnguentum redolentes, quo ipse quoque dominus ante passionem vnctus est? bonus enim odor spiritualis sumus iuxta Apostolum, omnis igitur speculationum puritas per attrahentem animæ facultatem, quasi per quasdam nares, nobis haurienda est; quicquid autem in iis nebulosi ac caliginosi est, foris relinquendum, aurésque continendæ, ne crassitiem hanc nebulosam attrahant. ne ori quidem parcamus, quod quidem est fons ille vitæ, & immortalitatis, ad quem qui labra admouerit, diuinos latices hauriet: verum ad laticem illum nequaquam, temerario impetu prosiliamus, sed labia prius distinguamus, vt sic fonti perspicuitas sua constet: quod vero ad dentes attinet, eam rationem ineamus, vt eos quidem conspicemur, minimè tamen confringamus, vt quoniam autem fieri non potest, vt partem diuidamus atque intelligamus, quemadmodum diuinus hic agnus (idcirco enim in obscura quoque sede dentes collocati sunt, vtraque videlicet mala, & labiis obtecti) operimenta quidem parcè attingamus, ea autem quæ illis operiuntur, supernis thesauris sine vlla perscrutatione relinquamus. ne ceruicis quidem expertes simus diuinum nimirum iugum trahentes: diuinos insuper humeros accipiamus, orationibus videlicet iis animum adiicientes quæ ad perferendos aduersos casus hortantur: corrodendum nobis quoque est cartilagineũ illud arteriȩ, quæ ad anteriorem partem sita, anhelitum ducit. hæc porro spiritualem ascensum significat, per quem intellectilem aerem haurientes penetrale animæ, perflamus ac veluti aerem fouemus. quin totum etiam pectus & thoracem exedamus, nam hæc pars cor vitale potissimum circumtegit, hoc est omnem spiritualem speculationem, quæ quidem vel maximè spiritualem cibum excalefacit, atque ad fluxionem mirè lubricam & mobilem immutat, talemque reddit, vt in diuinos canales, per quos spiritus irrigatio ad animæ partes trãsmittitur facili ductu influat: nec intestinis quidem ipsis parcamus, verum cor ipsum, primum edamus, nimirum propter eum qui salutis nostræ causa seipsum deiecit, cor nostrum quoad eius fieri poterit, conterentes & deiicientes, ac principem animæ partem perpurgantes, nec eas ratiocinationes quæ à terra in pectus ascendunt admittentes. quoniam autem cor ad vitam minimè sufficit, vt potè immodico igne redundans, nisi à pulmone perfletur, qui quidem corpus molle atque absumptu facile suapte natura est, pulmonem quoque comedamus, hoc est, rationes animam nostram integram atque incorruptam conseruantes. ventrem etiam ipsum atque intestina accipiamus, simplicem ipsum custodientes, nec ciborum multitudine prementes, à quibus

A vapor fuliginosus in cerebrum ascendit, ipsiusque membranam tetra caligine implet, atque ab ea rursus oppleta intereanea mentem nostram tumefaciunt, flatuque distendunt, ac præsertim propter cæcum intestinum, hoc est peruersam cogitationem, quæ hinc impuritatem & immunditiam excipit, animæque vitiosam habitudinem affert. iam hepar quoque cum fimis ac gibbis edamus, nunc super alta & sublimia cupiditatem extendentes, nunc ad ea quæ inferioris cognitionis sunt, hoc est, ad primas & secundas naturas. lienem insuper modice ac leniter attrectemus, vim eam quæ à ratione auersa est, expurgantes, in qua sceleratus dæmon velut ater quidam humor insidet, atque occultis pestiferis seminibus inspersis animæ puritatem inficit: postremo partem etiam rationis expertem ita instituamus, B & vt rationis præceptis pareat. ita fiet, vt ne ipse quidem à nobis intactus relinquatur, at hæc quantum fieri poterit, esitantes animam nostram alamus. illud vero cauendum, ne in ossa dentes iniiciamus, neque enim ea sine summa difficultate confici possunt, nec in alimentum admittuntur, quod tamen non ipsorum naturæ sed nostrȩ infirmitati tribuendum est, ossa porro verbi arcana illa diuinitatis doctrina, atque assumptæ humanitatis consilia ita arcana & obscura, vt nulla oratione explicari queant.

*Exteris & indignis mysteria nostra non efferenda.*

*In vna domo comedetur, nec efferetur de carnibus eius foras*, quod aliquid efferatur, quid periculi? quid 671
piaculi? dummodo sanguine postes & super liminaria domorum tingantur, ne Angelus extermiC nator primogenitis Hebræorum damnum inferat. S. Greg. Nazanz. oratione 2. de pascha, per illud, *Foras* exteros, & à nobis in fide alienos sicut per carnem agni, mysteria quæ de agno immaculato Dei referantur, intelligit: quo posito præcipitur merito, vt de carnibus agni nihil foras efferatur, mysteria enim fidei nostræ, exteris & indignis non facile diuulganda, subiicio verba eit. Theologi. *Nec vero quicquam efferemus, quoniam ne ad exteros quidem magna mysteriorum nostrorum pars efferenda est*, per exteros autem fidei nostræ aduersarios, & dogmata fidei nostræ suggillantes intellige. S. Greg. Nazianz.

*Quæ mens nostra capit, digerat, quæ vero suum superant captum, curiose non scrutetur*

D *In vna domo comedetur, nec efferetur de carnibus eius foras*, & ideo quod carneum fuerit in qua- 672
libet domo comedendum; attamen os nullomodo confringendum: sed qua de causa? nonne in ossibus medulla reperitur, quæ esui suauissima? quid enim inter obsonia delicatius medulla? cur igitur os agni non confringendum vt exeo extrahatur? per illud carneum quod visibile est ea quæ captum nostrum non superant, per interiora autem ossium, illa quæ sunt recondita, & à sensibus nostris remotissima, quæque vires mentis nostræ in immensum excedunt, intelligit Gregorius præfata oratione. quid mirum igitur si illud quod carneum, comedendum, quod osseum, non confringendum sicut conte-

tendum, quia quæ mens nostra capere potest, quodammodo ea comedat & digerat, quæ vero captum illius excedunt, curiosè ea non confringat, idest scrutetur, sed fidei se submittat, in medium adduco verba cit. Greg.
S. Greg: *Quidquid ossium minimeque ad esum aptum, hancque rationem habet vt difficillime considerari queat, id ne confringetur quidem, hoc est male diuidetur, atque intelligetur, verum & igne absumetur, quæ & holocausta à spiritu omnia scrutante, & sciente attenuata & seruata*: quæ verba sic explicat, Nicetas, in præceptis diuinis eam rationem inire conuenit, vt ea quæ prompte ac
Heracliæ Episcop. facile intelligi possunt (hoc enim per carneum significatur) non ignaue ac veluti coactè confectemur, sed tanquam famelici, summa cum auiditate propositis cibis animum expleamus: eas autem speculationes quarum ratio ab hominum cognitione remota est, velut quærere quæ Dei essentia sit, quid ante creationem erat, quid extra ea quæ oculis cernuntur, quæ eorum quæ fiunt necessitas, & quæ in eodem genere posita, à curiosis hominibus inquiruntur, ea soli Spiritui Sancto, qui vt est apud Paulum Dei profunda scrutatur, cognoscenda relinquamus: idem præceptum nobis Sapientia Ecclef. 3. his verbis quo-
Ecclef. 3. que inculcat, fortiora te ne scruteris, hoc est ossa verbi ne confringas, neque enim opus est tibi occultis; quæcumque igitur dogmata mentis captum excedunt, ac solida & occulta sunt ea non confringentur: confringentur autem si male diuidantur, hoc est intelligantur, atque adeo nec indignis hominibus, ad diiudicationem porrigeritur, à quibus distrahantur: non secus atque os quod canibus proiicitur. quemadmodum ait Christus, nolite dare sanctum canibus, nec proiicete margaritas ante porcos, hoc est ne fidei mysteria discerptoribus Hæreticis committatis, nec luculentam ac diuinam doctrinam iis qui turpium affectuum cœno quasi cetis conuestiti sunt, verum huiusmodi speculationes & dogmata quorum firmitas mentem nostram superat igne absumentur, non materiali sed diuino, quo etiam holocausta consumuntur: quis autem est hic ignis? Spiritus sanctus est qui in forma ignis in Apostolos accessit, qui omnia scrutatur ac nouit: quonam vero modo illa solidissima dogmata à Spiritu sancto consumentur id est intelligentur, nimirum si attenuentur, hoc est tenuissima, & subtilissima atque acuratissima speculatione digna habeantur atque apud ipsum attenuantem nempe Spiritum sanctum seruentur, & custodiantur, non autem pereant.

*A peccato vinci non potuit Christus Dominus.*

*In vna domo comedetur, nec efferatur de carnibus*
673. *eius*, nihilominus inquit lex, os illius non cōfringetis. Sane si historicum sensum perquiramus, crura agni immaculati confracta non fuere, etiam si Iudæi mortem eius vrgerent, lex enim
Deuter. 21 dicebat Deutero. 12. si fuerit in quodam homine iudicium mortis ac suspenderitis eum in ligno, non pernoctabit corpus eius in ligno, sed eadem die sepelietis eum. Iudæi itaque ne in cruce corpora remanerent tum legis edicto permoti, tum quod ea parasceues vespera esset, ac sabbatum, quod ab iis religiose colebatur, instanter à Pilato postularunt, vt eorum qui in crucem sublati fuerant, crura frangerentur ac tollerentur milites autem latronum quidem quoniam adhuc spirantes eos offenderant, crura fregerunt, cum autem ad Iesum venissent vt viderunt eum iam mortuum, eius crura non fregerunt, vt scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo. sed licet corporea ratione ossa Christi confracta non fuerint, an spiritualiter confringentur? respondet præfatus Nicetas minime quidem, *Quoniam robur illud quod in eo erat, inuictum permansit, minimeque ad peccatum cecidit.* Nicetas.

*Non principis est, sed tyranni de alterius damno alteri honorem procurare.*

*In vna domo comedetur &c. os illius non confringetis.* Quod adimpletum est in Christo Domino, 674.
Iudæi enim quia parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus ille dies sabati) rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur: tamen cum ad Christum Dominum peruenissent, & inuenissent eum vltimū edidisse spiritum, crura eius non fregerunt. qua se hoc facinus Iudæorum? vt honorarent sabbatum, dolorum acerbitatem augere contendunt, crucifixis: sane hæc gratia, cum tanto damno miserorum, à solis Iudæis pessimis, & deploratis tyrannis posset deuenire, ait D. Cyrill. Alexandr. lib 12. in Ioann. Cyrill.
c. 38. *Honorant magnum illius sabbati diem, qui magna dies Domini in crucifixerunt, itaque gratiam à Pilato impetrarunt sibi solis conuenientem, crura enim eorum fregerunt, vt magnitudine doloris citius morerentur.* Idē habet Ammonius, *prætexūt se diem honorare festum, & gratiam postulant, quo citius homines morerentur*, Expende illa, *gratiam à Pilato impetrarunt sibi solis conuenientem*, quippe vt Pilatus princeps erat, non illi conueniebat gratiam dare pro honore sabbati, cum tanto miserorum discrimine, solis equidem Iudæis perfidis & peccati mancipiis poterat hæc gratia conuenire, vt honor diei præstaret de agni innocentissimi supplicio, hæc enim gratia facinorosorum est non principum, quo spectans Theodoricus Rex apud Cassiodorum 2. vari. 17. inquit, *Magnificentiam nostram nulli volumus extare damnosam, ne quod alteri tribuimus, alterius dispendiis applicetur.* Alexand. Ammonius

*Verba Dei ita solida vt ea non sint confringenda.*

*In vna domo comedetur &c. os illius non confringetis*, Si latus eius diuisum & apertum lancea, si à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas, cur ossa eius à confractione eximuntur? Ammonius in catena græca super Ioannem citatus, per os illius, soliditatem sermonis diuini intelligit: quid mirum igitur si non confringatur? ita enim solida sunt verba Christi Domini, vt à nemine poterunt conteri. subiicio verba Ammonii, *Os intelligitur firmitas ac soliditas mystici sermonis, quoniam vero agni Dei figuram retulit: nutritur quis capite Christi, qui excipit illa, quæ de eius traduntur diuinitate: pedibus vero qui docetur mysteria incarnationis: viscera vero sunt dogmata arcana, singula enim quæ de Christo sunt doctrinæ, arcanam quamdam habent ac mysticam rationem, cum itaque per os soliditas mysterij intelligatur.* 675. Ammonius.

*qui congruenter ac consentaneè Christi mysterium comprehendunt, os eius minimè conterunt.*

### *Semper rectam intentionem seruemus.*

678 *In vna domo comedetur, os illius non confringetis.*

An iustorum, ad imitationem agni immaculati, non franguntur ossa? quis hoc dicet, cum tot martyrum passiones nobis sint compertæ, in quibus vel lapidati, vel secti, vel membratim diuisi, nihilominus ait S. Bernardus serm. de cute carnib. & oss. animæ, *ossa quidem iustorum omnino integra atque illæsa custodiuntur à Domino*, quomodo ó Bernarde hoc fieri potest? cot in contrarium nobis suppetant exempla martyrum quorum ossa confracta & contrita: sic tamen prosequitur, „hoc intelligendum, scilicet vt nunquam frangatur propositum cordis eorum, nunquam salubris intentio conteratur, vt videlicet concupiscentia titillante, etiam detur assensus: sicut enim peccati cognitio decolorat, affectio vulnerat, sic consensus omnino animam necat; intentionem igitur & propositum mentis, ea solicitudine custodiamus fratres, qua vitam animarum nostrarum volumus custodire, quoniam istud omnino peccatum est ad mortem, cum ex consensu & deliberatione delinquimus, proprio iudicio condemnati. nec ideo sane id dixerim, vt desperet si quis forte delicti huius sibi conscius est, sed vt expaueiat præcipitiū, & qui cecidit adijciat citius vt resurgat, nouerit enim excidisse à iustitia, quicūque eiusmodi est cuius os confractum & comminutū est nouerit se præcisum a corpore Christi, de quo nimirum legitur os non comminuetis ex eo; vnde & in passione sua licet plagis virgarum in liuorē decolorata sit cutis, vt liuore eius nos sanaremur, licet clauis vulnerata sit caro, & lancea latus eius apertū, vt sanguine eius redimeremur, os tamen non est comminutū ex eo, propterea & Sanctus Dauid Psal. 138. non est inquit occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & in Psal. 101. ossa mea inquit vt cremium aruerunt, cum tunc fit, cum omnem delectationem boni prorsus amisisse videtur anima, solamque sibi ardæ intentionis fortitudinē reseruasse, & vide, ne forte tale aliquid etiam beatus Iob pateretur, cū diceret c. 19. pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, vt videlicet consumpta affectione vix solam sibi intentionem spiritalis cogitatio vendicaret.

S.Bern. Psal. 138. Psal. 101. Iob 19.

### *Diuinitatem ab Eucharistico sacramento non auferamus.*

679 *In vna domo comedetur, os illius non confringetis.*

Qua de causa post quam Phase esse præcipit, & quinam ab eo excludendi forent, induxit, itaut vt qui illud comederent, os illius non confringerent? tantùm refert os agni frangere, vt inde medulla extrahatur: si per os, Verbū Patris Deū ex Sanctorum Patrum sententia intelligimus, merito cum ait Phase comedendum, præcipit vt os illius non confringatur, sed integrum & illæsum maneat, verbum enim ab Eucharistico Phase separare non debemus. *Quotidie nobis mysticè*, (ait Rupert.) *obseruandum est, vt os eius non comminuamus, idest verbum per quod subsistit cibi & potus huius sacramentum non confringamus, sed integrum atque illibatum custodiamus, qui enim quid, non de diuinitate agni huius peruersum sentit, ipse sibi os illius confringit.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 48 49.*

V*ulg.* Quod si quis peregrinorum in vestrā voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculum eius, & tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ, si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.

*Sept.* Si quis autem aduenerit ad vos proselytus ad faciendum Pascha Domino.

*Cald.* Et quando transierit ad vestram religionem aliquis proselytus, vt & omnis profanus non comedet ex eo.

*Ol.* Quando autem tecum fuerit proselytus.

*Pagni.* Et si peregrinatus fuerit tecum peregrinus, & fecerit Pesah Domino, circumcidetur sibi omnis masculus, & tunc accedet ad faciendum illud, & erit sicut indigena terræ, & omnis qui habuerit præputium, non comedet ex eo.

*Arias.* Et fecerit transitum Domino.

*Vatab.* Nullus enim habens præputium comedet ex eo.

*Vulg.* Eadem lex indigenæ & colono, qui peregrinatur apud vos.

*Sept.* Lex vna erit indigenæ & aduenienti proselyto in vobis.

*Arias.* Lex vna erit indigenæ & peregrino, qui peregrinatur in medio vestri.

## CONCORDIA.

Nihil hic obseruatione dignum habemus, nā hæc verba interpretis si quis peregrinorum voluerit transire ad vestrā coloniā, eundem sensum reddunt, ac ea quæ habemus Hebraice גר אתך יגור כי nechi iagur Ittecha ger, cum autē ait Caldæ. ad vestram religionem, explicat ad quid peregrinus & aduena ad eos transiret, sicut cum vertunt Septuag. si quis aduenerit ad vos proselytus.

## EXPOSITIO.

S*I quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam*, Idest in vestrum ritum & cultum, dicitur autem colonia à colendo, sicut cultus, *& facere Phase Domini*, comedendo agnum pa-

-phalem, *circumcidetur prius omne masculinum*, sermo est de filiis qui apud patrem erant, illorum enim incircumcisio, qui in aliena domo communiter degebant, non erat patri impedimentum Phase celebrandi, *Eritque sicut indigena terræ*, Qui in vrbe natus indigena dicitur, hic autem sumitur pro omni illo, qui Iudæorum ritum erat professus, siue origine Iudæus esset, siue ex gen-

A tibus. *Si quis circumcisus non fuerit non vescetur ex eo*, Quacumque ratione euenerit, vt quis sit incircumcisus non admittatur ad phase celebrandum, *Eadem lex erit indigenæ & colono*, Scilicet sicut indigena phase celebrare nequit, quin omne masculinum eius sit circumcisum, sic nec colonus, etiamsi ad Iudæorum populum per circumcisionem fuerit admissus.

## CONCEPTVS.

### *Respublica in qua variæ sunt sectæ, non duratura pacifice.*

680 *SI quis peregrinorum in vestram voluerit transire colonicam, & phase Domini facere, circumcidetur*, Ecce vt ad esum agni non omnes indifferenter admittuntur, sed tantum circumcisi, at excluduntur quidem alienigenæ, aduenæ, & mercenarij, sed post quam circumcisi fuerunt, admittuntur indifferenter omnes. sed cur ita obseruatum, tur hæc ita statuta? recte Lippom. in sua catena aurea, *Hæc quidem ceremonia necessaria fuit in republica Israelitica, ne commixtione circumcisorum & incircumcisorum status reipublicæ dissiparetur, & semen Abrahæ confunderetur.* (Lippom.)

### *Maior erga nos Dei misericordia quam erga Iudæos.*

681 *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire colonicam, & voluerit Phase facere, circumcidetur*, Deinde concludit, *Eadem lex erit indigenæ & colono*. Vterque enim anteà quam agni paschalis C fiat particeps, circumcisionem subire debet: sed idem misericordiæ effectus elucet in nobis, quibus baptisma collatum, & necesse recipiendum, vt agnum Eucharisticum suscipiamus, sicut & in Iudæis, & aliis quibus circumcisio præcipitur, vt Phase Domini celebrent: nonne circumcisio dolorem & laborem habet quibus sane baptismus caret? cur ergo non dicemus maiori nos erga Deum beneficio teneri, qui nobis regenerationis lauacrum contulit, quam circumcisionis sacramentum? hoc voluit S. Chrysost. (Chrysost.) hom. 40. in Genes. *Verum considera Dei misericordiam & ineffabilem eius erga nos beneficentiam: illa enim circumcisio dolorem habet & laborem, & nulla alia ex circumcisione fuit vtilitas, quod hoc signo ab aliis gentibus sequestrarentur* (sed quod etiam à peccato originali mundarentur:) *nostra autem circumcisio vel baptismatis gratia medicinam habet citra dolorem, & innumera nobis bona affert, & Spiritus sancti gratia nos implet, & definitum nullum tempus habet sicut illa; sed licet & in prima & in media & in vltima ætate hanc non manifestam circumcisionem suscipere, in qua non sustinetur labor, sed peccatorum deponuntur onera & remissio inuenitur omnium peccatorum quæ per totam vitam gesta sunt.*

D

### *Simus quasi cælestes, vt digne agni Eucharistici simus participes.*

682 *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire colonicam, & facere Phase Domini, circumcidetur*, Qua accepta circumcisione simul cum Israelitis ad celebrandam Paschatis solemnitatem admittetur. Optime Seuerus in catena, Scimus circumcisionem figuram salutaris lauacri tenuisse per præputii abiectionem significans carnalem natiuitatem abnegandam esse, & in filios Dei nos euadere iubens. sed an solum baptisma B regenerationis necessarium, vt digne Phase Domini celebrare possimus? ita sane, si nullo deinde scelere simus coinquinati, sed confessione purificandi: imo si quasi cælestes esse valemus, legitime & maiori cum acceptatione participes agni Eucharistici censebimur. quod eleganter versat & expendit S. Leo magnus serm. 4 de S. Leo. passione Domini, *Cum tanta Dei sit misericordia, vt etiam de Iudæorum populo, multos per fidem iustificare dignatus sit, & nos sub veteri quondam ignorantiæ profunda nocte pereuntes in patriarcharum societatem, & in sortem electi generis adoptarit, ad altitudinem spei nostræ; non segniter neque cum corpore curramus, sed prudenter ac fideliter cogitantes de quali captiuitate, & quam misera seruitute, quo precio redempti, & quo brachio simus educti, glorificemus Deum in corpore nostro vt habitare eum in nobis ex ipsa conuersatione nostra probitate monstremus: &* C *quia nihil est omnium virtutum dignitate præstantius quam pietas misericordiæ & puritas castitatis, his nos præsidiis instruamus, & charitatis opere & vigore pudicitiæ tanquam duabus alis eleuati de terrenis mereamur esse cælestes; quo desiderio quisquis Dei gratia adiutus impletur, & de profectu suo non in se sed in Deo gloriatur hic legitime honorat Paschale sacramentum; huius limina vastator Angelus sanguine agni & signo crucis prænotata non intrat, is plagas Ægyptiacas non pauescit, & iisdem aquis hostes extinctos quibus est ipse saluatus. amplectamur igitur dilectissimi purificatis mentibus atque corporibus salutis nostræ mirabile sacramentum, & ab omni fermento malitiæ nos emundati, Pascha Domini cum obseruatione celebremus.*

### *Multiplex circumcisio necessaria vt digne agnus suscipiatur Eucharisticus.*

*Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire colonicam & facere Pascha Domini, circumcidetur*, 863
Nonne multiplex est circumcisio? incircumcisi enim corde dicuntur, qui rationibus & syllogismis colligunt & concludunt, quæ non decet fieri; incircumcisi auribus, quibus id vitio datur, sunt & illi, quibus aures impuræ sunt, & auersantes audire sanam doctrinam; Hebræis dicitur, incircumcisus labiis ille qui non omnem sermonem repugnantē veræ religioni resecat, sed impura & fœda verba sonare non desinit: dixeris aliquem incircumcisum carne, qui non carnalia rescindit negotia, nec solum ad prædicta pertinet circumcisio: sunt & alia membra quæ circumcisionem appetunt, oculi illi sunt incircumcisi, qui non recte purgant vim visiuam, manus appellantur incircumcisæ, quæ non operantur

& exequuntur virtutis opera, existimare possumus scortatorem incircumcisum, continentem autē circumcisione insignitum, licet habeat præputiū. Si ergo varia & multiplex est circumcisio, an ad agnum Eucharisticum suscipiendum, necessaria est? sane dempta legali, quis dubitat omnes alias esse necessarias? non dissentit Procopius *Monendi sunt Iudæi, inquit, qui in nulla solūmodo circumcisionē aptandam credunt, etiam aures esse circumcidendas, &c.* Sed potius dicere deberet, monendi sunt Christiani, vt aures, oculos, &c. circumciderent, & sic dignè Phase Domini ab eis celebrabitur.

Procop.

*Licet in peccatis existens accipiat corpus Domini sacramentaliter & realiter, non tamen ordinate & cum fructu.*

684 *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur, &c. & tunc ritè celebrabit.* Cur illud aduerbium *ritè* addidit? nonne sufficiebat dixisse & tunc Pascha celebrabit? merito illud aduerbiū adiecit, ad differentiam eorum, qui licet incircumcisi, Phase Domini comederent, illud sane celebrarent, sed non ritè, non ordinate, sicut qui in peccatis existens accumberet sacrosanctæ mēsæ sacramētali, corpus quidem Domini realiter sumeret sed non ritè nec cum fructu, sed in iudiciū & condēnationem, ita hoc explicat Episcop. Abulensis. *Sic faciendo celebratio illa erit grata Deo, aliter enim si quis incircumcisus in persona sua, vel in rebus suis, scilicet in domesticis celebret Phase, non erit grata Deo immolatio, quin potius magna pœna dignus erit talia faciens: sicut cum quis Eucharistiam indignè suscipit, quia iudicium sibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini vt ait Apostolus 1. Corint. 11. secundum substantiam tamen & sacramentaliter & realiter ita accipit corpus Christi, qui est in peccato mortali quantocumque, sicut qui est valde gratus Deo, ritè tamen idest ordinate non recipit iuxta institutionem Dei instituentis sacramentum, qui volebat à bonis solum sumi vt per hoc magis ei incorporarentur.*

Abulens.

1. Corint. 11.

A *Lachrymosa gratiarum deuotio, & studiosa gratiarum actio, rite transit ad sumendum corpus Dominicum.*

*Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur.* 685 Quid, an si solum iubeat circumcisionem, dignus censebitur admitti ad celebrandum Pascha, ad comedendum agnum Paschalem? non equidem, nisi & ritus statutos in eius esu obseruare velit: nam si quid ex eo crudum, vel aqua coctum comedere vellet, inordinate celebraret, sed cur solum igni assum? consulamus nostrum Bernardinum Senensem 3. tom. serm. 9. qui est de præparatione sacramēti. *Præceptū erat, ait, quod nihil comederetur crudum, nihil lixum, nihil frixum: totum assum, incensum: totum crudum sumit desidiosa indiscussio, idest qui mentem suam diligenter non discutit, vel qui non cogitat quod recipit aut purum hominem Christum credit: lixum sumit accidiosa indeuotio, idest qui mente distracta, & terreno affectu humida & insipiditate tota aquea, ad sacramentum dissoluens accedit: frixum sumit præsumptuosa perscrutatio, hoc est qui de sacramento præsumptuosè inquirit: assum & incensum sumit lacrymosa deuotio, atque studiosa gratiarum actio.*

Noster Bernardin.

*Lex sit omnibus communis sine personarum acceptione.*

556 *Si quis peregrinorum voluerit transire in coloniam vestram, & facere Phase Domini, circumcidetur,* &c. deinde concludit. *Eadem erit lex indigenæ & colono,* Nonne præferri debet indigena peregrino & aduenæ? cur ergo vtrique eadem sine discrimine statuitur? quia lex debet esse communis sine personarum acceptione. primam partem Oleaster confirmat, *Lex non magis extraneum quam indigenam grauet, debet enim esse communis.* Secunda pars est Moguntini Archiepis. *Eadem lex erit quia personarum non est acceptor Deus,* C *sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi, non enim est distinctio Iudæi & Græci, serui & liberi, sed omnia & in omnibus est Christus.*

Oleaster.

Rabanus.

## VARIETAS LECT. Vers. 50. 51.

*Vulg.* Feceruntque omnes filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron.

*Sept.* Et fecerunt filii Israel, sicut mandauit Dominus Moysi & Aaron ad eos, sic fecerunt.

*Vulg.* Et eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti per turmas suas.

*Septuag:* Et factum est in die illa, eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti, cum virtute eorum.

*Pagni.* Et fuit in corpore diei huius, eduxit Dominus filios Israel per exercitus suos, *ita & Arias.*

*Oleaster.* Fuit in robore diei huius, eduxit suꝰ per exercitus eorum.

## CONCORDIA.

Verum est quidē in Hebræo esse על צבאתם al zabotham, super, vel per exercitus, tamen proprie vertit per turmas suas, turmatim enim egrediebantur. de hac Phrasi Hæbr- בעצם היום הזה keazā hasom aze & fuit in corpore diei huius, superius diximus, consule concordiam versus quadragesimi primi.

## EXPOSITIO.

*Fecerunt omnes filii Israel sicut praeceperat Dominus*, Scilicet celebrantes primum pascha in Ægypto, nec non quæ spectabant ea quæ post discessum suum fieri deberent, etiam deinde executioni mandarunt, *Et eadem die eduxit Dominus*, Vide quæ diximus in ex positione versus quadragesimi primi, *Per turmas suas*: forte enim quælibet tribus ab alijs separata incedebat, & in qualibet tribu, quælibet familia distincta iter faciebat.

## CONCEPTVS.

### *Dei est proprium suos liberare.*

687. *Eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti*, Cur non ait sacer contextus, Moysem eos eduxisse? nam eorum dux à Deo constitutus fuerat; tum etiam in egressu ab Ægypto, eos regebat tanquam omnium princeps & gubernator, tum, cur non dicitur Deus non autem Dominus, idest Iehoua? quia proprium illius qui est fons essendi, nempe Domini, suos à periculo & calamitate liberare. non dissentit Cardinalis Cajeta. *Non Moyses* (inquit) *sed ipse fons essendi eduxit de facto filios Israel de Ægypto*, Negare non possumus quin eos non eduxerit Moyses, sed præcipue & immediate Deus eos liberasse dicendus est, tanquam omnium fons & origo. Cajetan.

### *Agnus Eucharisticus datur vt ad patriam cælestem tendamus.*

688. *Fecerunt filii Israel sicut praeceperat Dominus.* Scilicet cum omnibus prærequisitis, & omnibus cæremonijs iniunctis Phase Domini celebrarũt, quid tunc? eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti, quaquæso die? eadem scilicet die, qua agnũ manducauerũt, eadem inquam die egressus est populus de Ægypto, & ad terram promissionis contendit: quid hoc est? agnus hic Paschalis Eucharistiam significat, Eucharistia autem non datur, vt desides & supini iaceamus, sed vt in patriam cælestem pergamus, comeditur enim tanquam viaticum ad viam peragendam. audi Macharium, *Post celebratum pascha filii Israel abeunt.* S. Machar. hom. 17.

### *Crepabit medius, qui tanquam Iudas indigne suscipit agnum Eucharisticum.*

689. *Fecerunt filii Israel sicut praeceperat Dominus*, Itaut circumciderentur omnes, non solũ Israelitæ, sed etiam omnes aduenæ, aliàs qui ad celebrandum Pascha incircumcisus accessisset, pœnas suo crimine dignas sustinuisset: sed in lege gratiæ qui etiam incircumcisa mente agni Eucharistici mensæ accumbit, an supplicium euadet? imo Iudam contemplemur, de quo Actor. 1. & hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus. Episcopus Hostiensis de passione Domini hoc putat impletum, quod prædixerat Christus Dominus, scilicet, nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, vtrem veterem misit, nempe in cor suum incircumcisum, & malitia inueteratum, quapropter oportet vt vter crepet & dissiliat. hunc imitantur, qui incircumcisis vel auribus, vel oculis &c. id est qui alicuius lethalis criminis rei ad Eucharistiam veniunt, vnde & idem supplicium timeant, hoc idem alia similitudine euincit: sicut figulo vasa igne probante, illud ex arte elaboratum est vim ignis sustinet, sin minus crepat & dissilit: non aliter Deus qui ignis consumens est, accedentes ad Eucharistiam probat, quos pios reperit, decoquit & duros reddit; ergo Iudas inite crepat, quia vim huius ignis sustinere non potuit, vnde ex eius pecunia ager figuli emitur, id est locus sterilis in quo fculta illa ex vasis confractis proiciuntur, audi Drogonem, *Suspensus crepuit medius vbi sedes erat Sathanæ, crepuit ergo vas contumeliæ, quia non erat de vasis figuli quæ probantur in fornace, propter quod in agro figuli in sepultura peregrinorum sortem non habuit, sed velut crepitans per inane, dissoluitur & diffusa sunt omnia viscera eius.* Actor. 1. Drogon.

### *A sumentibus agnum Eucharisticum omnis auaritia expellatur.*

*Fecerunt filii Israel sicut praeceperat Dominus*, Sed & vasa aurea, & argentea, & pretiosam suppellectilem commodatam postulant, & sic cum omnibus his thesauris, Phase Domini celebrant, & ex Ægypto tendunt in terram promissionis: sed quid discipulis suis Christus Dominus consulit, Matth. 10. nolite possidere aurum, neque argentum, nec pecuniam in zonis vestris: sæpius Christus Dominus agit contra auaros, & illiberales viros, sæpius auaros mordet, sæpius increpat, & durioribus verbis insectatur: tum etiam mandat discipulis suis, vt omnem pecuniam abijciant, quos mittit ad prædicandum, scilicet id fecit notante Chrysost. Hom. de Iudæ proditione, vt serpentem morbum à se depelleret, si vellet corpus suum aliquando dignè sumere: scilicet nouerat Christus D. hoc malum sensim vires sumere, & habitis titim addere, vnde mandat, ne quis discipulorum pecuniam portet in via, ne Iudas habita pecunia magis ad auaritiam incendatur, & cum hac effrenata cupiditate habendi incircumciso corde, ad communionem agni Eucharistici accedat. subiicio verba Chrys. *Ideo te diuitias debere contemnere prædicabat, ideo admonebat dicens, ne possideatis aurum neque argentum aut æs in zonis vestris, vbique tibi auidam pecuniarum cupiditatem excludens, quid vultis mihi dare (ô crudelitas) & cum vobis tradam?* & hoc habendi desiderio, iam corpus Domini sumpserat, quid mirum igitur si deinde miserrime perijt? 690. S. Chrysost.

### *Nihil necessarium Deus sibi fideliter ministrantibus denegabit.*

*Fecerunt filii Israel sicut praeceperat Dominus*, comederunt enim Pascha calceati, & baculos in manibus 691.

manibus habentes, quæ tamen Christus Dominus a suis amouit, cum Matth. 10. eos sic monuit, nolite portare aurum, nec argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, nec calceamenta, neque virgam, dignus est enim operarius cibo suo: hæc Christus discipulis, cum primum eos mittit ad prædicandum. mirabile sane, quod tunc primum omnem temporalium curam abstulit, cum discipulos ad prædicandum mittit, scilicet futurum nouerat, vt hæc cura temporalium eos maxime homines pungeret, quibus cura est animarum: nescio enim qua ratione factum est, vt nonnulli eorum, quibus cura est rerum spiritualium, magis crucientur cura temporalium, quam ipsi sæculares homines. tum etiam vt ostendat omnium quidem necessitatibus Deum subuenire, præcipue tamen eorum curam agere, qui in spiritualibus ministrant, vnde hi omnem sollicitudinem & curam nimiam debent abiicere: id suadebat Petrus Chrysol. serm. 170. *Ipsum cum non esses, dedit ipse, & quidquid homo habet dedit ipse, & cum tibi & tuis voluptatibus viueres, victus necessaria non negauit: suis operibus seruienti non panem, non vestimenta æstimas largiturum?*

Matth. 10.

Petrus Chrysol.

*Qui nihilipendit bona temporalia, facile alios ad Deum allicit.*

*Fecerunt filii Israel sicut præceperat Dominus*, & ditissimi recesserunt ab Ægypto, aurum illius & argentum, nec non pretiosam supellectilem secum deferentes. quid deinde contigit? ecce Pharao eos insequitur cum exercitu suo, vt male eos perdat, postea transacto mari rubro, quot à Chananæis passi sunt, & cum desiderio ferrentur proselytos habere, quot legimus fecisse? quot ad suum cultum conuertisse? nunc videamus, quid Dominus missurus Apostolos in animarum capturam monet: nolite possidere aurum, neque argentum, & post pauca, ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum: oues mittuntur ad lupos; B & nihilominus oues non pereunt, sed magis conuertunt in oues lupos, & quare oues non pereunt inter lupos? ex eo solum quia studuerunt mundialia omnia sic à se depellere, vt nihil in se luporum reciperent, ait enim Isaias Abbas orat. 16. *Præcepit Dominus eis vt nihil acciperent in via, cum enim nihil luporum acciperent, non poterant eos lupi deuorare.* Vorabitur ille, qui aliquod mundialium in se recepit, & non magis satagit omnibus suas communicare virtutes, quibus sibi similes fiant. 627

Isaias Abbat.





# CAPVT DECIMVM-TERTIVM.

## SYNOPSIS.

Iubet Deus in gratiarum actionem, pro cæsis primogenitis Ægyptiorum sanctificari sibi omne primogenitum Iudæorũ tam in brutis quam in hominibus: simulque memoriam liberationis ex Ægypto mandat: retexitur egressus & egressionis modus ex Ægypto, & ad alteram fit transitus mansionem, inde Israel per desertum egrediens, ossa Ioseph secum defert, & columna ignis ac nubis ducatum præbet.



### *VARIETAS LECT. Vers.* 1. 2.



*Vlg.* Locutusque est Dominus ad Moysen dicens. A

*Cald.* Locutusque est Dominus cum Moyse.

*Vulg.* Sanctifica mihi primogenitum omne quod aperit vuluam in filiis Israel, tã de hominibus quam de iumentis, mea sunt enim omnia.

*Sept.* Sanctifica mihi omne, primogenitum adaperiens omnem vuluam in filiis Israel, ab homine ad pecus mihi erit.

*Pag.* Sanctifica mihi omne primogenitum, quidquid primũ aperit vuluam in filiis Israel, meũ est.

*Arias.* Omnis apertio vuluæ in filiis Israel, in homine & in animali, mea est.

*Oleast.* Separa mihi ome primogenitum.

*OnK.* Sanctifica coram me.

### *CONCORDIA.*

Significat proprie verbum קדש chadas separare, & ex consequenti immundum esse, quod immunda soleant esse separata, iubebat enim homines separari ab [illegible] munditiis, & hîc præcipiebat primogenita [illegible] ad cultũ & partẽ Dei: nihil enim erat huiusmodi primogeniti sanctificatio quã separatio eius à prophanis vsibus & applica- B tio ad vsus Dei. quod aperit vuluam Hebraice est פטר כל רחם pethor col rechem, apertio omnis vulvę, quod per appositionẽ dictũ est, primogenitũ quod primo aperit matris vterũ, Septuag. vt recte aduertit August. q. 23. habent πρωτοτόκον à primo matris partu, non autem πρωτογενῆ à prima patris generatione.

## EXPOSITIO.

Locutus est Dominus ad Moysen. Antequam exirent Hebręi de Ægypto vel forte in ipso die quo egressi sunt, alii autem volunt locutum Deũ decima sexta die mensis primi, castris iam stanti-

bus in Socoth, *Sanctifica mihi*, Sanctum vocat scriptura id quod a communi vsu in Dei honorem segregatur, itaque idem est Sanctifica, quod à communibus vsibus in meum honorem segrega, vnumquodque scilicet eo modo quo segregari possunt: pecora, vt offerantur, homines vt famulentur, non præcipit autem hic Deus, vt id fiat hoc tempore quo omnes occupati erant in egressu, sed vt fiat postea cum opportunitas fuerit, videlicet cum possiderint terram Chanaan vt patet Num. 11. coniunxit tamen Deus hanc legem præcepto de agno, quia sicut agni immolatio, ita & primogenitorum oblatio, Hebræis iugiter refricare debebant memoriam suæ liberationis ex Ægypto, hanc enim effecit & procurauit Deus per cædem primogenitorum totius Ægypti: quia ergo tunc Deus cæcidit primogenita vt Hebræos quasi primogenitos suos inde liberaret, & quia tunc intacta seruauit primogenita Hebreorũ habitantiũ in Ægypto, hinc ea lege eadẽ sibi offerri ac quasi mihi & à te conseruata, iure reddi depoposcit *Omne primogenitum quod aperit vuluam.* Hoc est quod vuluã matris reserando, naturali more in lucẽ hãc egreditur: sed hoc primo intelligendum, si masculini sexus esset, vnde si quod primo nascebatur, sexus fœminei esset, non offerebatur Deo, sicut nec masculus qui post primũ fœtum partum nascebatur, quia is non aperiebat vuluã, etsi ipse quoad hęreditatẽ ac cętera primogeniturę frueretur: secundo non solus primogenitus patris, hac lege cõprehenditur, sed matris cuiuslibet primogenitus, quandoquidẽ dicatur omne quod aperit vuluã, vnde qui plures habebat vxores singularũ vxorũ primogenitũ Deo consecrare debebat. addendũ non omne primogenitũ patris fuisse Deo consecrandum, poterat enim ex vidua filius suscipi, qui cum non aperiret vuluam, sed iam apertam inuenisset, non erat Deo offerendus.

*Mea enim sunt omnia*, non solum titulo creationis & dominii quod habeo in omnia à me creata & possideo, sed etiam & maxime titulo liberationis, & redemptionis, qua ab exterminatore primogenita vestra tutatus, ea quasi à morte redemi, eaque vobiscum ex Ægyptiaca seruitute eduxi.

## CONCEPTVS.

***Ex primogenitorum oblatione, coniugium commendatione dignum redditur.***

1 *Sanctifica mihi primogenitũ omne quod aperit vuluam in filiis Israel.* Cur celebris illa primogenitorũ lex introducitur? cur consecrari Deo debent omnes primogeniti? non reiicienda illa ratio quã tradit Philo lib. de præmiis & honorib. sacerd. *Vt appareat* (inquit) *gratam esse fœcunditatem, vel præsentem vel quæ speratur in posterum, id quod cedit in laudem coniugij sacrari primum eius fructum, simulque coniuges admonet temperantiæ, curæ domesticæ, atque concordiæ, vt mutuo consensu in veram firmamque societatem coniungãt:* vt enim illa arbor ex qua fructus pulcherrimi nascuntur, à Deo, antequã Deo consecrati, amatur & colitur. & vt ager primitiarum, ex quibus gratissima Deo vota nuncupãtur, in deliciis esse solet, & in amore, atque ex sanctitate fructuum quos Deo producunt, illa arbor & hic ager & quandã veluti sanctitatem sortiuntur: ita significare voluit Deus coniuges, ex quibus primogeniti gratissima Deo gemma offerebantur, tanquã rem sacram ab aliis habendos esse, & ipsos inter se sancte, caste cõcorditerque victuros.

Philo. Iudæus.

***Pro quacumque re prospera siue aduersa gratiarum actiones agendæ.***

2 *Sanctifica mihi primogenitum omne quod aperit vuluam tam in filiis Israel quam in iumentis.* Philo lib. quis diuinarum rerum sit heres, per primogenita exponit gratiarum actionem, quã Deo debemus reddere. sed cur ait quod sanctificanda sunt primogenita, non solum in filiis Israel, sed etiam in iumentis? nonne satis est in memoriam beneficii accepti de primogenitorum incolumitate, eos Deo sanctificari & suo cultui dicari? cur etiam & in iumentis, hoc requirit? *Quia* (inquit) *pro quacumque re actiones referendæ, siue illa fœliciter nobis acciderit, aut alicuius sit momenti, quæ nomine hominis designatur, siue contra nostrã voluntatem euenerit, aut minimæ sit æstimationis, quæ per iumentum donotatur.*

***Quæ prima sunt, à Deo adamantur.***

*Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam.* Cur non præcipit, vt viri seniores qui lõga rerum experientia præclari sunt, sanctificentur? primogenita exigit Deus, quia quæ prima sunt in quibuscumque rebus adamat. ea vero quę iam senio abuerunt, non ita diligit: expende autem illud verbum *sanctifica*, illa enim opera quæ ab hominibus fiunt valida & robusta ætate consistentibus, plerumque sancta & Deo grata sunt, quæ vero iã in vitæ periodo constitutis, sæpe Deo ingrata Deo reddũtur. fauet eadẽ auctoritas citata. Philonis. *Hic etiam confessum est quod quæ antiquiora sunt & præcipua Deo debentur præsertim primogenita.* Philo.

***Quæ Deo dantur, non nobis amittuntur.***

*Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam.* Si ergo tibi tuoque cultui dicantur eorũ parẽtes instar Ægyptiorũ primogenitis priuabũtur: quia ab Israelitis eos exigit, licet quoad modũ auferẽdi sit disparitas, nã Ægyptiorũ primogenitos morte violenta de medio sustulit, tamẽ quoad carentiã, videtur eadẽ esse ratio: nã sicut Ægyptii ita & Israelitæ his carere videntur: falleris, ab Ægyptiis enim sic petiuit primogenitos, vt perirẽt, ab Israelitis autẽ sic eosdẽ postulat, vt magis à parẽtibus habeantur, nulla enim res magis habetur, quã quæ pro Deo vel Deo datur, ex quo sapiẽter monebat Euseb Gallicanus serm. de S. Faustino factus. *Propter beatitudinem tuam offer Deo salutem tuã, o quale præmium est! ò quale pretium, quod cum dederis tecum remanebit! o pretiũ quod à te expenditur sed magis dũ prærogatur augetur.* hoc enim habet singulare quidquid pro Deo expenditur vt nihil tibi adimas quæ Deo donas. quęcuque das tibi integra manẽt. 5

Euseb.

***Non prius aliquis Deo sanctificatus censetur, nisi primogenita mundi apud eum sint extincta.***

*Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam.* Cur postquam primogeniti Ægyptiorum occisi, tunc dictum est Moysi, sanctifica mihi omne primogenitum? nonne antequam interficerentur, potuit exigere, vt priores natu sibi consecrarentur? cõsulamus Origenem hom. 3. 4

in cap. 13. Numer. *Cum populus Israel educeretur de Ægypto primogenita Ægyptiorum occisa sunt, & tunc dictum est Moysi, Sanctifica mihi omne primogenitum, hoc est ergo quod in hoc loco indicatur, quia non prius sanctificata sunt primogenita Israel quam perimerentur primogenita Ægyptiorum, & quasi causam sanctificationis horum interitum & necem ponit illorum.* Origen. Non ergo sanctificata Israelitarum essent primogenita, nisi prius mortua Ægyptiorum, sic certe non prius æstimandus est sanctus, iustus ac Sanctificatus, totusque Deo oblatus, nisi Ægyptiorum primogenita, idest ea quæ sunt præcipua in mundo, & quæ in pretio habentur, prius apud eum omnino sint extincta, pro nihilo habita, ac omnino mortua, tunc enim Deo Sanctificabitur, & tunc ex Ægypto exibit mundo vere derelicto, imo tunc eum mundus apud se minime sustinere poterit, imo nec patietur: sicut Ægypti vt viderunt sua interfecta primogenita, non solum licentiam dedere, sed exire eos compulerunt, itaut quæ ad victum necessaria, nec tēpus preberent ad præparandum.

*Quæ meliora & nobis chariora, Deo offerenda.*

6 *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam.* Nonne primogeniti parentibus sunt charissimi, vt pote primi coniugiorum fructus, nominis & hæreditatis paternæ successores? cur ergo hos & non minores natu ab eis exigis? quia quæ meliora sunt & nobis chariora, Deo libenter offerenda. *Ea quæ in hoc capite continentur* (inquit Oleaster.) *prædicant ea Domino offerenda, quæ meliora & amabiliora esse cognoueris, nos vero quæ turpiora & quæ infirmiora sunt Deo damus, si filius gibbosus, lippus, claudus, & mancus est, hunc admonasterium ad Dei obsequium destinamus: si quis vero aspectu pulcher aut robustus est, hunc mundo & impiis, ac eorum ministerio seruamus, quis enim hodie hominum filium primogenitum Dei obsequiis ac ministerio seruat?* C

*Quæ Deo dantur meliora ab eo redduntur.*

7 *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam.* Nonne conqueri possunt parentes, quod sibi primogeniti demantur? immerito sane, nam falluntur parentes & maxime falluntur, qui filios quos apud se non retinent, sed Deo sacrarunt putarunt deterius vergere, cū omnibus titulis longe meliores reddantur: vnde D. Bernardus Epist. 110. huiusmodi parentes alloquutus. S.Bernard. *Si inquit, filium vestrum Deus facit & suum, quid vos perditis? aut ipse quid perdit? fit de diuite ditior, de nobili generosior, clarior de illustri, & quod his omnibus maius, est sanctus de peccatore, sed vos non perditis eum, quin potius per eum multos acquiritis vobis filios, quotquot sumus in Claraualli, ipsum in fratrem, vos in parentes, recipimus.* D

*Quæ Deo damus, verissime illa adhuc possidemus.*

8 *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam.* Licet primogenitus cultui diuino consecratus, melior reddatur, tamen negari non potest, quin illius fiat iactura: quod enim alteri donamus, de nostro sic suum. sed immerito hoc dicendū de his quæ Deo offerimus, nam etiam liberi qui Dei obsequio dicantur, verissime adhuc ab offerentibus possidentur, sic docet Chrysost. hom. 3. contra vituperatores vitæ monasticæ. Chrysost. A *Tunc inquit, maxime & verissime filios habemus nostros, cum Deo nostro illos tradiderimus: longe quippe ille eos melius & excellentius quam nos moderabitur & reget*, deinde quantū lucrum inde eueniat ex oblatione filiorum Deo aperiens ait, capta à Regū cultus similitudine: *Eos qui domi cum parentibus morantur*, inquit, *non vsque adeo illustres insignique potentia præditos videas, quos autem à parentibus principes abduxerint, suoque seruitio ac ministerio accommodauerint, eos videas & summa dominorum beneuolentia, & longe maxima fiducia potiri, tantoque conseruis esse clariores quantum serui Domini excellunt: si autem homines ministeriis & officiis suis deditos tanta beneuolentia & benignitate prosequuntur, longe id profecto dignius & excellentius infinita illa bonitas quæ Deus est faciet?*

*Multo gloriosius Dei obsequio dicari, quam in palatiis Regum enutriri.*

B *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam.* Non est dubium quin hoc intelligendum veniat de futuris Regum primogenitis, hi enim etiam Deo sanctificabantur. nonne conuenientius esset, cum futuri essent regni successores, nullomodo à palatiis extrahi? sane multo gloriosius Deo consecrantur, imo longe nobilius in templo Dei, quam in propriis palatiis educabuntur. vnde quamlibet matrem sic hortatur cit. Chrysost. hom. 21. in Epist. ad Ephes. Chrysost. *Peperisti puerum imitare Annam, disce quid fecerit illa, mox illum subduxit atque abstulit in templum, quis vestrum non innumeris modis mallet filium suum fieri Samuelem quam totius orbis Regem?* quasi in palatio nutritus adhuc maneat infra Regem, nutritus vero in templo supra Regem collocetur. 9

*Ab ipso vitæ exordio Deo dicandi liberi.*

*Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit* 10
C *vuluam.* Cum tempus nunc non statuas, quo tibi primogeniti sunt consecrandi: nonne sufficiet cum ad senium peruenerint, vel saltem virilem ætatem attigerint eos cultui tuo dicare? nequaquam, sed aptius ab infantia hæc consecratio instituenda, vnde citat. Chrysost. eadem homil. *Non dicebat*, nempe Anna, *expectabo donec crescat puer vt rebus mundanis vtatur, vt paululum puerili ætati immoretur, sed relictis his omnibus vnum duntaxat intendit, quomodo statim ab ipsis vitæ exordiis, spiritualem imagunculam Deo fingendam offerret*, ea optima est ratio quā in medium adducit, S. Episcop. Constant. præfatus Doctor in Psal. 14. *Si nullus vestrū vult possidere seruum senem, quanto magis vult Deus adolescentiam, & tanquam intactam virginem eam sibi iungit vt eius vitæ primitias ambiat, ne quis cum iuuentutem peccato exhauserit, languidam & eneruatam senectutem virtuti reseruet, & vitæ fæcem temperet sapientia* D

*Deus à nobis præcipue exigit gratiarum actionem.*

*Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit* 11
*vuluam.* Primam omnium legem in noua Israelitarum republica constat fuisse Paschæ obseruationem, de qua in præcedenti actū est capite, hoc autē in loco describitur secunda lex in nouo populo, quæ est de Sanctificatione primogenitorum, nā in liberatione hoc vnum præcipuū quod Dominus in media nocte pertransierit Ægyptū,

& occiderit omnia primogenita Ægyptiorum, pepercerit autem Hebræorum primogenitis, constituit Dominus pro hoc miraculo hanc grauissimam legem, vt miraculum tanto diligentius memoriæ mandaretur: sed cur vult hoc è memoria beneficiorum non excidere? quia Deus à nobis exigit præcipue gratiarum actionem, hoc docet S. Ambr. serm. 42. *Dic mihi nunc si aliquid de tuo cuicumque largiris, expectas vt tibi gratias agat, qui si forte gratias non agit, quemadmodum à te denotatur ingratus, ita ergo & à nobis expectat qui nos pascit Deus, vt pro praestitis à nobis escis illi gratias referamus, & saturi donis ipsius laudes ei dicamus: cæterum si accipientes diuina munera taciti & immemores fuerimus, tanquam ingrati, & indigni eorum subministratione fraudabimur.*

S. Ambr.

## *Nihil puritati virginis detrahit.*

13 *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam.* Ex hoc loco non pauci ex sanctis Patribus asserunt, hac lege solum Christum comprehendi, eo quod ipse solus natus sit ex virgine, ideoque solus in partu matris vterum aperuerit, idest ex eo hactenus clauso prodierit: nam in aliis mulieribus vterus aperitur primo non in partu, sed in congressu maritali, ante conceptum, sic enim Tertul. lib. de carne Christi cap. 23. quis vere sanctior quam Dei filius? quis proprius vuluam adaperuit quam qui clausam patefacit? Greg. Nissenus lib. cui tit. fecit ex veteri test. testimonia delecta cap. de natiuit. Christi, illud legis præceptum in solo incarnato Deo singulariter & ab aliis differenter impleri videtur, ipse namque solus ineffabiliter conceptus, & incomprehensibiliter editus, virginalē vterū aperuit, nō antea connubio reseratum, seruans & post partum inuiolabiliter signaculum castitatis: vnde quod dicit adaperiens vuluam designat, quod nihil intrauerat antea vel exiuerat, & per hoc etiam specialiter dicitur masculinus, quia nihil de fœmineitate culpę portauit, singulariter etiam sanctus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non sentit: idem habent Epiphanius hæres. 87. Ambr. lib. 2. in Luc. cap de circumcis. Hierony. explicans hæc verba Exodi lib. 2. aduers. Pelag. sed hæc testimonia nonne si iuxta verborum tenorem interpretentur, aliquid videntur detrahere summæ integritati perpetuæ Virginis Mariæ? sed falleris, ea enim attentius expendens Ildefonsus serm. 1. de parturit. & Purif. & Angelicus Doctor 3. p. q. 28. art. 2. ad 1. vt ab errore & calumnia vindicant, nam sentiunt Christum ita potentia sua Virginis aperuisse vuluam mirabiliter, vt sibi esset ad natiuitatem peruia, maneret tamen clausa, sicut manserunt ianuæ, cum Christus ad discipulos ingressus est, & sepulchrum, in resurrectione: sic enim rem explicant Cyrill. hom. cont. Nestor. in Concilio Ephesino, & Hormisdas Papa Epis. 1. c. 3 Greg. hom. 26. in Euangel. &c. denique Aug. Epist. 3. dixit & habetur in Concil. 11. Tolet. & lib. contra Felician. Arian. cap. 8. dixit, fides credat intelligentia non requirat neque aut non inuentum putet incredibile, aut non repertum non credat singulare: creuit igitur Virginis in partu integritas corporis potius, quam decreuit, & Virginitas potius ampliata est, quam fugata: imitatus Chrysolog. serm. 142. qui ingreditur inquit & egreditur, & introitus sui & exitus nulla vestigia relinquit, diuinus habitator est, non humanus: & paulo inferius, in tuo conceptu, in tuo partu creuit pudor, aucta est castitas, integritas roboratur. & Proclus. hom. de Christi natiuit. Ita ex vtero egressus sicut & ingressus, ita natus sicut conceptus, qui impassibiliter fuerat illapsus, impassibiliter est elapsus. primæ ergo sententiæ patres per apertionem vuluæ, quam Christo peculiariter tribuunt, non significant læsam fuisse à Christo matris suę Virginitatem, sed apertionem vuluæ accipiunt pro fœcundatione, vel natiuitate, non tamen qualibet, sed quæ fiat ex vtero matris, non prius aperto vel læso, nam in cæteris mulieribus vulua proprie non aperitur à prole, sed à semine in impręgnatione: in Christi autem natiuitate sicuti non præcesserat semen virile, ita neque illa vuluæ maternæ apertio antecessit; sed ipse Christus vuluam matris aperuit non lædendo integritatem sed tribuendo fœcunditatem, vnde recte Amphilochius hom. in Hypap. Quātum attinet ad virginalē naturā, Virginis claustra nequaquam aperta sunt, quantum vero ad potentiam Domini Saluatoris, nihil ei clausum, omnia aperta: sed clarius huiusmodi apertionem sine detrimento virginitatis deducamus ex modo loquendi communi, quo apertū dicimus id quod nullum affert impedimentum, ad ingressum moralem physicumue: moraliter dicitur apertus locus auctoris, idest facilis & intelligibilis, & seruo fideli nihil clausum quando nihil illi denegatum à Domino aut custoditū & clausa consilia aperta dicuntur sub simili intellectu, physicè vero dicūtur aperta multa, quæ antea clausa erant, sine reali apertione, per alicuius rei ablationē, clausum etiā dicebatur cœlum ante Christi passionē, quia nemo penetrare illud poterat, & cum nihil prorsus cœlum passum fuerit ingresso Christo, & eis, qui eum comitabantur, apertum modo dicitur, quia nullum habet impedimentum illò aspirantibus quo sensu Actor 1. dicuntur cœli aperti Stephano, qui per ipsos spectare potuit Iesum stantem à dextris Dei, cum ergo Christo nascituro impedimento minimè essent virginei pudoris signata claustra, illi aperta dici potuerunt, quia non minus facile ac commode ortus est, quam si aperta existerent, sicut aliarū matrum sunt: denique quādo sancti dicunt, filium Dei aperuisse matris suæ vuluam, intelligendi sunt dedisse illi fæcunditatē quam nullus alius cōferre matri suæ poterat, vtūtur autem illa metaphora, vt declarent partum virginis, & Christi natiuitatem veram, & realem fuisse, non phantasticam & apparentem, vt plerique calumniabantur.

Tertul. — S. Grego. Nissenus. — S Epiph. Ambro. Hierony. — S. Cyrillus Hormisdas. S. Greg. August. — S. Petrus Chrysol. — Amphiloch.

## *Legem communem obseruans Maria filij maiestatem impiis celauit.*

*Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam.* De qua lege sermonem habens S. Euangelista Lucas c. 2. ait, postquam impleti sunt dies Purificationis eius, secundum legem Moysi, tulerunt illū in Ierusalem vt sisterent eum Domino sicut scriptū est in lege Domini, quiā omne masculū adaperiens vuluā sanctum Domino vocabitur: Cyrill. Hierosol. hom. de occursu Domini, negat hāc legē Christo conuenire, Christus enim nascens non reserauit vuluam matris, sed clausum matris virginis vterum penetrando prodiit: 13

in lucem adeoque hac de lege non tenebatur, licet sponte sua illi se subiecerit, eamque seruarit. si ergo beatissima Virgo nō ignorabat se hac lege non teneri, sicut nec seipsam purificare, cum in conceptu pueri in partu nihil impurum, nihil illicitum, nihil purgandum, cum proles sua, fons sit pietatis & purgationem fecerit delictorum: cur hanc vtramque legem adimpleuit? consulamus S. Amb. quodam serm. de Purificatione sic respondentem. *Cunctis fidelibus liquet nequaquam redemptoris matrem, ex eius natiuitate maculam contraxisse, quæ illorum dierum spatio à sacris ædibus abstinens purgaretur, quæ sine humana concupiscentia sine humano concubitu virgo concepit, sine aliqua corporis corruptione virgo peperit, & sine fine virgo permansit: ac per hoc nec masculus ex ea natus vuluam eius aperuit, sed hoc iuxta legis narrationem Euangelista contexens, claudit impiis sacramentum diuinæ incarnationis, matremque legem obseruantem introducit: nec mirum si mater obseruat legem, quam eius filius non venerat soluere sed adimplere: sciebat quo ordine conceperat, quis esset quem genuerat; sed legem communem obseruans celauit filij maiestatem.*

S. Ambr.

*Licet ex primis fructibus Deus honorandus, tamen ita ingrati vt si id non præciperetur contemneremus.*

13 *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam.* Sanctifica, segrega à prophano vsu, & diuino deputa, si tua sunt omnia, & titulo creationis & conseruationis tibi debita, cur ea ab hominibus exigis? non ita stupidi, vt se ad id teneri non arbitrentur: licet credant hac teneri obligatione, tamen ita ingrati, vt si sub præcepto eis non iuberetur, nequaquam forte primitiis liberorum eum honorarent, *initium est autem* inquit Hugo Cardinal. *Quod primis fructibus honorandus sit creator omnium primus.*

Hugo Cardin.

*Initium boni operis à Deo.*

14 *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam.* Spiritualiter primogenita nostra Domino offeremus, cum primordia operum nostrorum illi sanctificamus, quidquid enim ex vulua bonæ voluntatis, ac bonæ cogitationis in apertum sani sermonis, & bonæ operationis processerit, iure Domino competit, qui dedit bonum velle & perficere, pro bona voluntate: mea enim sunt inquit omnia, nonne bona opera, nostra sunt? si enim pie & sancte vitam non duceremus, si in consequenda nostra salute non laboraremus, nequaquam fœlicitatis æternæ participes redderemur: cur ergo dicit Deus omnia sua esse? quia vt optime Rabanus cum Anselmo Laudunensi. *Quia initium omnis boni à Deo cuius misericordia præuenit & sequitur.*

Rabanus Anselmus Laudunens.

*Quæ à periculo imminenti liberamus, nostra dicere possumus.*

*Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam tam in filijs Israel quam de iumentis.* Huius exactionis rationem quam in medium adducit, audiamus, mea enim sunt omnia: cur cum hoc luce meridiana sit clarius, Domini enim est terra & plenitudo eius, inquit Regius Vates, cur inquam vt primogenita Hebræorum tibi dicentur, tuo cultui sacrentur, hanc exhibes? nonne Hebræorum primogenitos ab Angelo exterminatore eripuit? merito igitur, specialiter suos esse affirmat, quæ enim à periculo imminenti liberamus, iusto titulo, ea nostra dicere possumus. *Non solum est verum* (inquit Abulens.) *quod primogenita sint aliquid Dei sed etiam omnes res, sed vocantur hic primogenita specialimode aliquid Dei, nam cætera sua sunt creatione, primogenita autem Hebræorum non solum istis modis pertinebant ad Deum, sed etiam quodam speciali beneficio, scilicet quod ab eo liberata sunt ne morerentur: nam cum in Ægypto exterminator occideret primogenita Ægyptiorum, non permisit Deus ingredi eum domos Hebræorum ad perimendum.* 15

Abulens.



## VARIETAS LECT. Vers. 3.

VVlg. Et ait Moyses ad populum, mementote diei huius in qua egressi estis de Ægypto, & de domo seruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto, vt non comedatis fermentatum panem.

*Septuag.* In mannu enim valida eduxit vos Dominus hinc.

*Pagni.* Egressi estis ex Ægypto è domo seruorum, quia in fortitudine manus eduxit Dominus vos hinc.

## CONCORDIA.

VBi noster Vulgatus legit de domo seruitutis Hebraice est מבית עבדים mibet habadim, de domo seruorum, nec ponitur coniunctio, &, sed tantum per appositionem Ægyptum vocat domum seruorum, sed non est sensus immutatio.

## EXPOSITIO.

MEmentote diei huius. Scilicet quintæ decimę mensis primi in qua egressi estis de Ægypto, quia licet tunc non egrederentur, refertur hoc ad futuras generationes quæ huius diei recordari tenebantur, *de Ægypto & de domo seruitutis* de patria seruitutis, in qua scilicet dura subiectione seruierant, *in manu forti*, Hebraismus est, manus hic pro potentia sumitur, in manu forti idest in magna virtute & magna fortitudine, propter indurationem Pharaonis, *vt non comedatis panem fermentatum*, quasi dicat à Deo propere egressi estis vrgentibus Ægyptiis, vt non licuerit per tempus fermentare, tantum ab est vt vos retinere tentauerint.

## CONCEPTVS.

*Licet Christus Dominus visus sit debilis, tamen fortissimus extitit.*

16. MEmentote diei huius in qua egressi estis de Ægypto & de domo seruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto, Inuitat sanctus Domini seruus Moyses filios Israel ad laudandum Deum, & narrandum eius in illos collata beneficia, & maxime quod Ægyptus plagis stupẽdis percussus sit, & ipsi in manu valida liberati fuerint. æquissimum certe erat ipsos Israelitas tanti beneficii memores esse omnibus diebus vitæ suæ: hæc autem gratitudinis exhortatio ad nos quoque pertinet, decet enim nos non tantum agnoscere, sed etiam recordari omniũ beneficiorum, quæ per Christum omnibus fidelibus impensa sunt, & maxime celebris nobis debet esse dies, qua ex seruis diaboli in Dei seruos recepti fuimus, imo sanguine agni immaculati redempti ex crudelissima diaboli tyrannide & seruitute plusquam Ægyptiaca: etenim si Iudæis mandatum erat in memoriam creationis, sabbata summo cultu celebrare, festum Pentecostes in memoriam legis datæ cum prodigiis: festum tubarum in memoriam liberationis Isaac, cum eum immolare volebat pater, cui apparuit aries inter vepres hærens cornibus: festum propitiationis siue expiationis, in memoriam diuinæ clementiæ, quando ad orationem Mosis remissa est culpa vituli adorati: festũ Tabernaculorum, siue scenopegiæ, quod quadraginta annis sub vmbraculis in deserto vixerint, festum Neomeniæ in nouæ lunæ gratiarũ actionem, festum quoque liberationis à conjuratione Aman, dies victoriæ Iudith in memoriam trucidati Holofernis, cur non summo cultu honoraremus liberationem nostram per Iesum Christum Saluatorem nostrum, factam à tyrannide diaboli? quod si dies victoriæ ab aliquo principe obtentæ aut liberationis ab inimicis visibilibus, nobis est singulis annis commendatissima, cur non & sacratissimi nobis dies erunt, in quibus Christus mysteria nostræ salutis operatus est? sed præcipue cum à tyrannide Pharaonis tartarei nos eripuit? sed quomodo Deus ab ea nos liberauit? *in manu forti*, Quid est in manu forti? idest, *In filio*, Inquit Stephanus apud Tilman. sed ipsemet sibi obiicit, *Deberet dicere in manu debili, quia in primo aduentu nil nisi infirmitatem ostendit*, quid enim infirmius, quam ipsa naturæ infirmitas, quam assumpsit? quid eo debilius, cum sicut ouis ad victimam ducitur? quid infirmius, cum à planta pedis vsque ad verticem non sit in eo sanitas? cur ergo dicit Stephanus quod in manu forti, id est filio nos eduxit Dominus de seruitute Ægyptiaca mundi huius & de tyrannide durissima Pharaonis tartarei? *imo benedicitur quod in manu forti liberauit, quia fortes nos fecit, imo fortissimos dum non armata, sed clauis manu confixa diabolum superauit.*

Stephanus apud Tilm.

*Christus victor vincendi viam nobis ostendit.*

17. *Mementote diei huius in qua egressi estis de Ægypto & de domo seruitutis, quoniam eduxit vos in manu forti.* Id est inquit Stephanus in filio, in filio ergo suo vnigenito, victoriam retulit de crudelissimo Pharaone, qui nos durior seruitute nẽpe peccati opprimebat, quam ea qua tenebantur Israelitæ in Ægypto. nam vt optime Eusebius Emiss. hom. 1. de pascha, hominis cuiuscumque seruus, si durius Domini sui vrgeatur imperiis, quocumque fugiendo aut latitando, euadere & declinare ini quũ Dominum potest, seruus peccati quo fugiet, qui secum se trahit, quocũque fugerit mala conscientia prosequitur, & imo non recedit à se, vnde Bernard. l. 1. de consideratione infert, quod licet miserabilis sit seruitus coacta, qua quis in alicuius Domini captiuitatem iniustus redigitur miserior tamen est ea qua nos libere diabolo subdimus colla, vnde Tertull. in exhortatione ad castit. c. 1. ait, diaboli vnum est tentare quod in te est vt velis, at vbi voluisti sequitur vt te sibi subigat non operatus in te voluntatem, sed nactus es possessionem voluntatis. quod inde etiam probatur quia tot seruit sceptris ac Dominis dedita anima quot vitiis; & sic Cajet. ad ea verba orationis dominicæ Matth. 6. adueniat regnum tuum, ait, regnat in terra cupiditas, caro, mundus, diabolus propterea veniat regnum Dei ad destructionem horum regnorum. sed quid nobis denotatur in illa victoria, qua Christus trophæa retulit de Pharaone tartareo, liberans nos à durissima peccati seruitute? ita satisfacit Origenes hom. 2. in Exodum, *Propterea Christus superauit & vicit, vt tibi vincendi iter aperiret.*

Euseb. Emiss.

S. Bernard.

Caiet. Matth. 6.

Origenes.

*Longe maiori obligatione tenemur Christo Saluatori, quam Israelitæ Moysi liberatori.*

*Mementote diei huius in qua egressi estis de Ægypto, & de domo seruitutis, quoniam eduxit vos in manu forti*, Cur non ait, quia eduxit vos Moyses liberator vester de tyrannide Pharaonis? ipse enim ducem in illo discessu ab Ægypto se præbuit, ille tot edidit prodigia vt cogeret Pharaonem libertate donare Israelitas: sed nonne Christus sola sua virtute nos redemit? ait enim torcular calcaui solus Isaiæ 63. & de gentibus non est vir mecum, quasi diceret ego victoriam hanc difficilem & cruentam solus mihi peperi, neque enim fuit vir, id est aliquis me adiuuans mecũque contra hostes depugnãs: ne mireris igitur cur non dicitur de Moyse, quod eduxerit populum Israel de Ægypto, & quod Christus de se efferat, torcular nempe passionis se calcauisse solum vt scilicet nos eriperet de seruitute peccati, vt sciremus longe majori obligatione erga Christum Saluatorem nos teneri, quam Israel erga Moysen liberatorem. sic sanctus Bernardus expendens illa verba 1. Ioann. 5. hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus, non in aqua solum sed in aqua & sanguine, ait enim Bernard. serm. 1. in Pascha. *Ad differentiam Moysis arbitror accipiendum, Moyses quidem in aqua venit, à qua & nomen accepit; venit ergo in aqua tantum qui congregauit quidem populum sed populum quidem non redemit: nam & ipsa quoque liberatio non Moysi:* 18.

Isai. 63.

Ioan. 5.

S. Bernard.

*sed agni sanguine facta est, liberando nos præfigurans à vana nostra conuersatione huius sæculi sanguine agni immaculati Christi Iesu, hic est verus legifer noster, apud quem copiosa est redemptio.*

*Licet liberati fuerint Aegyptii à seruitute Aegypti, alia restabat libertas consequenda.*

19. *Mementote diei huius in qua egressi estis de Ægypto, & de domo seruitutis, quoniam eduxit vos Dominus in manu forti*, Ecce redempti à tyrannide Pharaonis, ecce à durissimo seruitutis Ægyptiacæ iugo erepti, & libertate donati: an omnino libertate vindicati, itaut nullo alio indigeant liberatore? ne hoc dixeris quæso, Christus enim venturus erat, qui eos ab omni eriperet captiuitate, consule Chrysol. serm. de natiuitate Ioann. Baptis. *quousque piger dormis? inquit, quandiu manibus pectus amplecteris? surge & attinges Christum Dominum, in quo iam nauticâ vox secura maria fretat, patefacto mari rubro quod clauserat Pharao cum magno mugitu doloris submersus cum suo exercitu, ex quo liberatus Moses cum suis suauiter, hostibus cæsis celebrabat, & pro voto populum monebat dicens, in mente habetote hunc diem, quo liberati estis de domo seruitutis, qui nec dum liberati estis, quia damno eos annexerant opera peccati, ac seruitutis Ægypti, & ideo Dominus dicit eis Ioan. 8. cum vos filius liberauerit tunc verè liberi eritis.*

Petrus Chrysolog.

*Vera seruitus cum idola coluntur.*

20. *Mementote diei huius in qua egressi estis de Ægypto & de domo seruitutis*, Cur domum seruitutis vocat Ægyptum? dices quia in ea durissima seruitute oppressi sunt, quæ natio enim intolerabiliorem captiuitatem perpessa quam Israelitica? vel quia quinta pars bonorum regibus soluebatur: sed venerabilem Bedam audiamus dicentē, *Quia idolis Ægyptiorum seruierunt*, En vt per antonomasiam dicitur Ægyptus domus seruitutis quia idola colebantur non solum ab Ægyptiis, sed ab aliquibus Israelitis, qui vero Deo derelicto simulachra deorum venerati sunt.

Vener. Beda

*Cum à peccatis liberamur, ne iterum vitiis studeamus.*

21. *Mementote diei huius in qua egressi estis de Ægypto &c. vt non comedatis panem fermentatum*, Cur postquam in eorum memoriam reuocauit singulare beneficium, quo ab Ægypto in manu forti sunt erepti, præcipit vt pane fermentato non vescantur? imo hunc diem celebrare & festiuum agere deberent, cum optimo pane, qualis non est azymus, sed fermentatus: si per libertatem adeptam ex Ægyptiaca seruitute, eam quam consecuti sumus medio redemptore à peccatis, intelligimus:

A merito iubetur vt à pane fermentato denotante varia peccatorum genera abstineamus, quia cum à peccatis abstinemus, ne iterum in vitia labamur, illudere debemus. adstipulatur Anselmus Laudunensis, *Memoriter tenete quanta fecit vobis Dominus in sanctâ hac die, qua vera mundo lux effulsit, & in qua liberati estis de tenebris huius mundi, & de familia diaboli, in inuincibili filio Dei qui est Virtus & sapientia patris, & propter hoc non sumatis panem cœli & verbum Dei, in malitia & nequitia.* & Episcopus metonensis, *Nos quoque semel à tyrannide diaboli redempti per Christum, summopere caueamus ne nos prioribus flagitiis contaminemus,* B *quod est fermentum addere, perperam nempe agere.*

Episcop. Meton.

*Festiuus dies agatur, cum à peccatis liberamur.*

*Mementote diei huius in qua egressi estis de Ægypto* 22
Quis in dubium reuocare potest quin festiuum hunc diem libertatis suæ celebrent? quid enim libertati præferendum? imo quid non contemnendum pro illius consecutione? sed an in hoc præcepto solum reuocatur eis in memoriam egressus ab Ægypto? an solum eis vt hic dies solemnis habeatur? consule Hyeroni. ab Oleastro sic respondentem, *Certè is nobis valdè debet esse dies quo ex seruis diaboli in Dei seruos adsciscimur, vnde antique solebāt diem circūcisionis celebrare, quoniam eo à peccato originis mundus puer militiæ diuinæ & populo Dei aggregabatur: sic & Angeli in cælo celebrare solent nostram conuersationem, vt gaudium in cælo sit* C *super vno peccatore pœnitentiam agente, si ergo istâ tanta ambitione celebrant libertatem à seruitute tyranni, quanto magis homo debet celebrare libertatem à laqueis diaboli?*

Oleast.

*Præcepta imponenda beneficii accepti recordatione leuia redduntur.*

*Mementote diei huius in qua egressi estis de Ægypto,* 23
Deinde proponit præcepta Dei obseruanda, scilicet de obseruatione diei qua egressi sunt de Ægypti seruitute, de cōmedendo pane azymo, de consecratione primogenitorum Domino, &c. cur quæso prius commemorat singulare & eximium Dei beneficium, quam præcepta seruanda imponat? nonne satis erat Dei voluntatem eis aperire, nullo alio præmisso? sane in hoc sicut in omnibus Moyses prudentissimus cum prius animos Israelitarum præparet, & quasi beneuolos D faciat, commemoratione diuinorum beneficiorum antequam Dei præceptum in medium proponat: nihil enim ita Dei iussa efficit inania, quam si attenta mente consideremus, quid iam à Deo accepimus, & quid ab eo ad huc consequi speramus.



## *VARIETAS LECT. Vers. 4. 5.*

*Vulg.* Hodie egredimini mense nouarum frugum.

*Sept.* Hodie enim vos egredimini in mense nouorum.

*Onk.* In mense maturescentis frugis.

*Pagni.* Hodie egredimini in mense Iulii.

*Oleast.* In mense viridis spicæ.

*Vulg.* Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi & Hethæi, & Amorrhæi, & Heuæi, & Iebusæi: quam iurauit patribus tuis,

vt daret tibi terram fluentem lacte & melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense isto.

*Sept.* Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram Chananæorum & Chetæorum, & Amorrhæorum, & Euæorum, & Iebusæorum A & Gergesæorum, & Pheresæorum, &c. & facies seruitutem hanc in mense hoc.

*Chald.* Celebrabis cultum istum in mense isto.

*Pagni. & Oleast.* Serues seruitutem hanc.

*Vatab.* Coles cultum istum.

## CONCORDIA.

IN Hebræo est בחדש אביב bechodes abid porro abid spicam significat, vnde mensis abid est mensis spicarum, seu vt recte vertit noster interpres mensis nouarum frugum, ἐν μηνὶ τῶν νέων in mense nouorum, qui mensis haud dubie idem est, qui & mensis nisan. vt mirum sit, quid venerit in mentem Pagni. in hac versione ac dictionario, & Ariæ Montano, libro de sæculis, mensem Abid Iulium facere, quasi is apud Iudæos esset mensis nouarum frugum: quod quam à veritate remotum nemo non videt: sed nimirum Pagninum & Ariam Montanum fefellit quod mensem Abid eundem esse crediderint, cum mense Ab, qui quintus erat apud Hebræos mensis, licet enim huiusmodi menses voce sint affines, tamen & significatione plurimum differunt: Abid vero non proprium mensis sed appellatiuum est nomen significans virens, siue culmus id sit, siue spica, extenditur etiam Abid ad segetes, in grana maturescentes, necdũ tamen plane maturas vt patet Leuit. 2. illarum enim manipulus altera Die azymorum offerebatur, tostis primum granis, deinde in farinam contusis, vocaturque Abid: vnde vlterius B translatio est Abid, vt significet mensem, quo primæ hæ fruges hordeaceæ progignebantur, & Deo offerebantur, qui erat mensis Paschalis, siue Nisan. sed quod spectat ad Pagninum vertentem in mense Iulio ait Oleaster, id post modum correxisse, quod idem censendum est de Aria Montano, in lectione enim sua habet mensem nouarum frugum. licet noster interpres sequens lectionem Hebræorum tantum quinque nationes posuerit, & Septuaginta septem, tamen non sibi aduersantur, quia sub his quinque aliæ comprehenduntur.

## EXPOSITIO.

HOdie egredimini in mense nouarum frugum, In mense Nisan, qui correspondet Martio, aliquando autem & Aprili, & Martio: dicitur autem mensis nouarum frugum, quod hoc mense spicæ in Palestina & Ægypto maturescerent: in hoc autem mense nouas fruges colligere, & eas Deo offerre cõsueuerant: si quis autem huius mẽsis & aliorum Calendariũ Iudaicum scire voluerit consulat Leonardum Marium in cap. 12. Exodi. *Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi*, Totis ergo 40. annis peregrinationis per desertum lex non obligabat. aliquando solius Chananæi populi nomine omnes gentes quæ in Chananea sunt comprehenduntur, *Quam iurauit patribus suis vt daret tibi*, Alludit ad promissionem factam Genes. 22. *vt daret*, id est assignaret, terra autem quod fertilissima sit idiotismo linguæ, lacte & melle manare dicitur, *Celebrabis hunc morem sacrorum*, Quo nomine Paschales obseruantias hic intelligit, quæ in honorem diuinum & gratiarum actionem fiebant.

Leonardus Marius.

Sed si obieceris contra id quod diximus, hanc legem offerendi primogenitos non obligasse Hebræos totis 40. annis, quibus vagabantur in deserto instabiles. si inquam obieceris quod Numer. 3. in Sinai sub finem anni huius quo egressi sunt ex Ægypto Deus exigit ab eis primogenita C respondeo id præceptum nouum esse, & diuersum ab hoc, quod tamen ab eo occasionem & originem accepit, vnde & noua ibidem oblationis primogenitorum fuit forma, nam ibi Moses iussu Domini recensuit primogenitos filiorum Israel, inuenitque eos esse numero viginti duo millia, & 273, quorum loco Deus asciuit sibi & cultui suo Leuitas omnes, qui inuenti sunt pene totidem, scilicet vinginti duo millia, cæteros 273 primogenitos, qui in populo supererant, & numerum Leuitarum superabant, iussit Deus redimi, persolutis in singula capita quinque siclis: ibi ergo non proprie præscribitur oblatio, sed tantum numeratio primogenitorum Israelis, idque eo fine vt eorum vice substituerentur Leuitæ, qui totidem erant ad seruiendum Deo in taD bernaculo: tũc ergo primo hæc lex impleta, & in Leuitas commutata, deinde vero singuli primogeniti Deo offerri, & quinque siclis redimi debuerunt.

## CONCEPTVS.

*Deus prouidet suorum incolumitati & voluptati.*

24. HOdie egredimini in mense nouarum frugum. Voluit Dominus hunc nouarum frugum mensem, & veris primum temporis à Iudæis obseruari: quoniam quinta decima huius mensis eduxit nos de Ægypto, vt clarissime leges in sacris litteris, vbi scribitur Numer. 33. profecti de Ramesse quinta decima die mensis primi, fecerunt altera die Phase: & per Mosem mandauit cuilibet Hebræorum Deuter. 16. obseruis

Numer. 33.

Deuter. 16.

mensem nouarum frugum, & verni primum A temporis vt facias Phase Domino Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto: sed cur potius hoc mense & hoc tempore, statuit eorum egressum ex Ægypto quam alio? sane quia tunc oportunissimum, cum videlicet fructum terra emittere incipit, neque viget æstas, nec frigus, & tempus tẽperatum, quo iter commodum non solum fortibus, sed etiam imbecillibus, agrediendum, quod obseruat Oleast. *Aduerte inquit quam oportuno tempore cum nec frigus nec viget æstas, sed cur hoc tempus seligit pro decernendo Israelitis itinere? vt sic eorum incolumitati & voluptati consulat; delitiis enim non caret tempore verno itineri accingi.*

Oleast.

## *Accepto à Deo beneficio aliquo, ilico gratias ei impende.* B

52 *Hodie egredimini in mense nouarum frugum*, An caret mysterio quod sextadecima die huius mensis primitias frugum Deo offerunt in hunc modum, auctore Iosepho lib. 3. antiq. c. 10. spicarum manipulum igni torent, triticum deinde pinsunt, atque ita in aliçæ modum fracti assaronem ad altare offerunt, inde pugillo vno in eam iniecto reliquum sacerdotum vsui cedit, & ex eo tempore licitum sit publicas ac priuatas messes metere, an inquam caret mysterio? imo quod accepto aliquo à Creatore beneficio quale sunt nouæ fruges, gratiarum actiones ei sunt impendendæ, subscribit Philo Iudæus lib. 3. de vita Moysis. *Mose, inquit, primum mensem fecit eum qui in vernum Æquinoctium incidit, non sicut quidam qui præcedentibus id honoris tribunt non obseruato naturæ beneficio, tunc enim maturescunt segetes ad victum necessaria ex creatoris beneficio, inde in gratiarum actionem primitias Deo offerunt.* C

Philo.

## *Deo liberalissimo etiam creaturæ inanimata se conformant.*

26 *Hodie egredimini in mense nouarum frugum*, Quando scilicet prima germina frugum in terra vtuntur, & vt diximus ex Iosepho & Philone, fiebat oblatio de earum primitiis: sed cur Deo liberalissimo educenti hoc tempore Israelitas ex Ægypto, & suis primogenitis condonanti, sese mensis frugifer conformat illis suas segetes in itinere tribuens, & primitias suas Deo quasi offerens? quia Deo munificentissimo erga Israelitas sese creatura inanimata conformat plena manu suarum frugum abundantiam liberalissime eis tribuens. quo spectauit Greg. Naz. orat. 43. n. 21. *Quomodo cuncta ad hoc festum concurrunt, simul que lætantur, vide enim qualia sint, quæ oculis offeruntur, princeps anni pars princeps dierum pompam peragit, ac quicquid pulcherrimum & suauissimum habet, dono dat, nunc cælum splendidius, nunc sol sublimior magisque aureus, nunc lunæ orbis clarior, & syderum choros purior, nunc & fluctus cum litteribus, & nubes cum sole, & venti cum aere, & terra cum stirpibus, & stirpes cum oculis in gratiam redeunt, nunc & pratum suauiter olet, & planta viret, & herba detonditur, & in virentibus aruis agni saltitant, nunc plantarum cultor, plantam curat, & anceps calamos instruit ac ramos suspectans nunc sedulæ apes solutis pennis, & relictis aluearibus, sapientiæ suæ documentum præbent, atque ad prata conuolant, floresque diripiunt*, Inter anni tempora principatum tenet vel propter eas oblectationes quas in medium adduxit Nazian. principatum itidem tenet inter dies, illa qua liberati sunt filii Israel ab Ægypto, & nos erepti à miserabili seruitutis peccati iugo: itaque Rex temporum, hoc est verna constitutio, hunc dierum Reginæ pompam lætam peragit, idest ministerium quoddam ipsi obit, & pars anni imperium huius diei agnoscens, quasi famula Dominæ, quidquid pulcherrimum ac sensu gratissimum habet, offert.

S.Greg.

## *Deus scit suis consulere, ea via quam humana mens difficile attingere potest.*

*Egredimini in mense nouarum frugum & profecti sunt*, inquit textus, *filii Israel ad sexcenta fere millia peditum absque paruulis*, Quis esurienti tantæ multitudini in deserto poterit subuenire? Deus promisit carnium abundantiam mense integro sed sapientissimus Moyses eorum singularem curam agens, & speculatus qualiter tot carnes dari possent ait Numer. 11. sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis dabo eis esum carnium mense integro? nunquid ouium & boum multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum, vel omnes pisces maris in vsum congregabuntur, vt eos satient? ecce sapientia Moysis quousque peruenit, vt ingentem populi multitudinem crederet à Deo carnibus saturandam, si vel Dei potentissima virtus oues bonesque pœne innumeras quotidie cæderet, vel omnes pisces maris in cibos traheret: quid tunc Deus ait textus? ventus autem egrediens à Domino, arreptas transmare coturnices detulit, & dimisit in castra, non boues, non arietes, non pisces parat Dominus populo suo, sed coturnicum tantam adducit multitudinem, quæ vel numerosiorem populum satiaret: & cur relictis bobus ac arietibus coturnices adducit? nisi vt ostendat quam longe ab humana sapientia procedat diuinitas in suis saturandis, ait D. August. lib. 1. de mirab. script c. 127. *Et id circo vt nihil desit quæ Moysi mens fragilis, vt puta humana arripuit in pastum populi cederet, ventus à Domino egrediens arreptas trans mare coturnices ad castrorum loca detulit*. Non qua via cogitabat Moyses Dominus suis prouidit, quin potius cauit nihil adducere de iis quæ humana sapientia potuit pertingere, & cogitatas carnes boum arietumque contemnens, coturnices adduxit, nisi vt ostendat, quam longe ab humana sapientia procedat diuinitas in suis saturandis. 27 Numer 11. 6 August. D

## *Dei iuramento infirmitas nostra arguitur, & roboratur.*

28 *Egredimini in mense nouarum frugum, cumque introduxerit te Dominus in terram quam iurauit patribus tuis*, Cur iurare Deus dicitur? an iuramentum diuinum obiectum certius facit? an naturam diuinam recte contemplantibus infallibiliorem in suis promissis efficit? an maior securitas & fidelitas in iuramento quam in simplici eius promissione? non equidem, cur iurasse

dicitur de terra Chananæorum danda Israelitis? ut nostra infirmitas coargueretur, cum fidem ei adhibere nolumus tali iuranti, sicque iuramento præstito roboretur. hanc eadem difficultatem proponit & soluit Philo de sacrif. Abel, & Cain versus finem, *Homines*, inquit, *ut fides ipsis habeatur ad iusiurandum confugiunt, Deus vel simpliciter loquens fide dignus est: itaque verba eius quantum ad certitudinem nihil à iuramento differunt, cur igitur vati nostro visum est iurantem eum introducere? ut infirmitatem naturæ coargueret, & conuictam consolaretur, non potest enim anima nostra semper in promptu habere præcipuam illam de Deo sententiam, non esse eum hominum similem, ut transcendamus quidquid prædicatur de homine: sed quia maxima ex parte affines sumus rerum mortalium, & propter eas nihil cogitare possumus, ideo ei affingimus affectus, nihil ad auctorem illum summum pertinentes, in quibus & iusiurandum est quo sublevatur nostra infirmitas.*

Philo.

*Tanta certitudo est rei quam Deus pollicetur ut iuramento stabilitatur.*

29 *Egredimini in mense nouarum frugum, cumque introduxerit te Dominus in terram quam iurauit patribus tuis*: Cur iuramento se obstrinxit? nam simplex verbum eius iuramentum esse censetur teste Philone lib. 2. allegoriar. ipsa Dei verba iuramenta sunt, legesque diuinæ & iura sacratissima, idque statim probat; quod effectu inquit non caret, quidquid ille dixerit, id quod iuramenti est proprium: vnde consequitur omnes Dei sermones iuramenta esse per effectus suos confirmata. si ergo quidquid ab eo prædicitur, & promittitur iuramentum esse censetur, cur dicitur de eo quod iurauerit? tum mihi videtur quod Deus iurare non possit, tum quia iuramentum est actus religionis, cuius Deus capax non est, tum quia confirmatio est dicti quam summa & infallibilis veritas non recipit. tamen dicendum est iurare quoad modum vel quoad effectum iuramenti, ut sumitur ex D. Paulo Hebr. 6. abundantiam volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui interposuit iusiurandum, ut per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum fortissimum solatium habeamus: quibus verbis significat diuinum iusiurandum præter alia conducere, ut ostendat promissionem suam esse absolutam non conditionatam & proinde infallibiliter euenturam; quod non præstat simplex affectio, quæ potest esse conditionata: vel certe ostendit quo ad nos rem iuratam infallibilius futuram, quemadmodum quæ iurantur ab homine, ex modo iurandi certiora videntur, quamuis in se siue iurata, siue non parem aliquando certitudinem sortiantur.

Philo.

Hebr. 6.

*Iurat Deus cum veritate, ut tu quod iuras noueris seruandum.*

30 *Egredimini in mense nouarum frugum, cumque introduxerit te Dominus in terram quam iurauit Dominus patribus tuis*, Deus non ideo iurat quod fide credentis indigeat aut testimoniorum adstipulationibus destitutus suffragium sacramenti requirat, sicut homines qui fidem nobis asciscimus sacramento, & ideo iuramus ut credamur vera dixisse: Deus autem & cum loquitur, fidelis est, cuius sermo sacramentum est; non enim propter sacramentum fidelis omnipotens Deus, sed propter Deum etiam fidele sacramentum: qua ratione igitur Moyses Deum iurantem inducit? dices quia nos usu quodam mortalium claudimur, & velut Echini cortice quodam nos vulgaris opinionis inuoluimus, aut velut cocleæ quæ nisi intra testæ operimentum sint, spirare non possunt, nec aërem liberum capere, aut sustinere: sic nos nisi intra quædam humanæ consuetudinis latibula terrena versamur: vnde quia illud verius solemus credere quod iureiurando firmatur, ne nostra claudicet fides, iurare describitur Deus, sed addamus iurare & seruare iusiurandum, *ut & tu*, inquit S. Ambr. lib. de Cain & Abel c. 1. *quod & tu iuraueris, ita noueris esse seruandum, ut quia per eum iuras qui non mentitur, scias eum futurum si mentiaris, ultorem.* S. Ambr.

*Non leuis sed constans sis in virtute.*

*Egredimini in mense nouarum frugum, cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi quam iurauit ut daret*, nempe possidendam, eiectis ab ea Chananæis. sed Israelitas possessores illius terræ esse, ab ea expulsis habitatoribus. aliquod ne continet dignum consideratione? non mihi displicet quod ait cit. Ambros. quid tam profundi mysterii, tam altæ secretæque sapientiæ, quam in quibusdam inuenis verbis simplicibus? verum quodnam mysterium in his reperietur? quinam sunt Chananæi nisi mobiles & inquieti? si ergo eiiciuntur, hinc monitum tibi sit leuitatem animi fugere, & constantiam amplecti, mens est cit. Doctoris. *Cum in eorum terram fueris ingressus*, inquit, *quos aduertis propter leuitatem, inquietudinem & instabilitatem morum, possessione deiectos, tu teneto constantiam, non te vilis ratio, non leuis sermo perturbet, hoc est enim Chananæus mobilis, sermo affectus instabilis, & inquieta contentio, sed magis tranquillitatem cordis & animi serenitatem placidus seruato, ut tanquam in salo maris tutam nauibus stationem portu quodam tuæ mentis exhibeas, hanc possessionem tibi Dominus pollicetur, & quodam sacramenti promittit vinculo, ut constantiam tuam firmet.* 31

S. Episcop.
S. Ambr.

*A nobis non sunt bonæ cogitationes, sed à Deo.*

*Egredimini in mense nouarum frugum, cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi quam iurauit, ut daret tibi*, prosequitur cit. Ambr. expulsis inquietis, & mobilibus cogitationibus, dabit tibi Deus vacuam possessionem cordis & mentis, ut eam cultu quodam tranquillitatis exerceas & fructum ex ea capias, nec sustineas in ea Chananæos, hoc est turbidos sensus recurrere: eradices gentilium vitiorum omne conseptum, lucos eorum diruas, quibus obumbratur veritas, & quidam liber cœlestis visus cogitationis, horrore tenebrosæ disceptationis absconditur. sed cur ait Moyses quam dabit tibi Dominus? cur non ait quam armis tibi acquires? quam labore & sudore tibi comparabis? merito S. Doctor ita respondet. *Hoc nisi diuino donatus munere efficere non posses, ideo ait dabit tibi Deus, hoc est cogitationes optimas, placida consilia, tranquillas intentiones, quie-* 32

*quid enim sanctum cogitaveris, hoc munus Dei est, Dei inspiratio, Dei gratia.*

### *Beati nos pro quibus Deus iurat.*

33 *Egredimini in mense novarum frugum, cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi, quam iuravit.* Diximus iurare Deum vt nostra hinc arguatur infirmitas, sed nonne iuramentum illius in nostrum cedere potest honorem? nam in vtilitatem quis dubitat iurantem pro nobis Deum? considerans Tert. de pœnitent. c. 4. aiebat, *vivo dicens cupit sibi credi, ô beatos vos quorum causa Deus iurat*: sed cur nos beatos quorum causa Deus iurat? quia hoc omnibus fere gentibus familiare, vt per ea & pro iis iurarent quæ quibusque chara. Tertul.

### *In beatitudine omnium bonorum plenitudo.*

34 *Egredimini in mense novarum frugum, cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi fluentem lacte & melle*, Quis conspexit vel audiuit terram ita amœnam & fertilem vt ex ea manent lac & mel? cur igitur talem pollicetur Deus egredientibus ex Ægypto, & per desertum transeuntibus? sane per terram fluentem lacte & melle, terra viuentium designatur, in qua nihil deficit, & omnia abundant, in qua omnes deliciæ, nihilque amarum: bene ergo promittitur terra fluens lacte & melle, quia qui Ægyptum vicerit, qui per deserta in quibus virtus colitur, transierit, terram viuentium in qua omnium est plenitudo bonorum, possidebit, sisto Hugonem Victor. libro 3. Alleg. pentat c. 3. *Ægyptus quæ interpretatur tenebræ, carnem significat, quid enim cæcius, quid tenebrosius carne? quæ nisi ratione frænetur semper quærit delectabilia, nunquam vtilia: desertum designat animum, eo quod à multis deseritur, & à paucis recolitur; pauci vero qui de præuaricatione ad cor redeunt, vt virtutes animi exerceant, terra promissionis exprimit Deum, sicut enim in terra promissionis temporalis libertas, sic in Deo consistit æterna fœlicitas: egredimur itaque de Ægypto, id est de tenebris carnis, & concupiscentia per desertum, id est per animum virtutes eius exercendo, & de virtute in virtutem proficiendo tendamus ad terram promissionis in qua nobis omnium bonorum plenitudo promittitur.* Hugon. Victor.

### *Labore gloria comparatur.*

35 *Egredimini in mense novarum frugum, cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi fluentem lacte & melle.* Diximus per huiusmodi terram, eam quæ vere viuentium est, nempe æternam fœlicitatem intelligi, sed vacatne mysterio quod beatitudo cœlestis sub trita metaphora mellis designetur? ita enim etiam explicat Bernardus ser. 26. ex variis, illud Cant. 5. comedi fauum cum melle meo, de æterna fœlicitate: aduerte quod apes natura duce & maximo cum labore cellulas ex cera confingunt, prius vt tenax materia diffluentia mella continere possit: cur non dicemus igitur ideo beatitudinem melle adumbrari? quia in hac vita, ex duriori materia, nempe ex virtutum laborioso exercitio, cellulas compingamus, quæ postea cœlesti melle nempe fælicitate compleantur. *Vnde autem* loquitur Bernard. *Gaudium internum nisi de iustitia & pace procedit? ipsa ergo præcedat tanquam cellula mellis, vt facile adhuc labilem liquorem suauitatis solidior possit materia continere: ceteris autem cum simplici illo melle fruemur, &* Citatur Bernard.

*gaudium nostrum purum & plenum erit, vt non tantum in spiritu, sed ipso quoque spiritu gaudeamus.*

### *Mortis memoria tendentibus in terram viuentium maxime necessaria.*

*Egredimini in mense novarum frugum, cumque induxerit te Dominus in terram Chananæi, &c. celebrabitis hunc morem sacrorum.* Aliqui, vt Baltazar Paëzius in vers. 1. cantici Ezechiæ annot. 2. arbitratur quod hic nõ est sermo de paschatis celebratione, quam credit nec in deserto intermissam: quo posito fundamento inquiritur, cur cum Deus noluerit obseruari aliquas in deserto cæremonias, quas olim præcepit Moysi, sed solum in terra promissionis, quod facile potest deduci ex circumcisione, quæ præcipuum erat præceptorum, & maximum apud illos sacramentum, nam Iosue 5. omnes qui in deserto nati fuerant, transacto Iordane circumcidit, insuper & festiuitatès clangoris, propitiationis & tabernaculorum in deserto minime obseruatas probat Abul. quæst. 9. in ca. 9. Num. cur ergo ex aliquorum sententia Pascha non est intermissum? nonne mortẽ Ægyptiorum adumbrabat, & stragem illam communem coram omnium oculis proponebat? insuperque & ex exitus Ægypto profectum ex hoc mundo in terrã promissam referebat? & proinde vtilissima erat hæc solemnitas, vt Hebræos tendentes in terram desiderabilem, à malis refrenaret, & in cultu ac obsequio diuino religiose contineret, sicut recte S. Greg. 9. moral. c. 39. *Cautum se ac solicitum ostendit, qui breuitatem præsentis vitæ considerans, non eius vsum sed terminum conspicit, vt ex fine colligat nihil esse quod transiens delectet.* 36 S. Greg. Mag.

### *Allicimur spe futuri boni.*

*Egredimini in mense novarum frugum, cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi fluentem lacte & melle*, Nonne satis erat libertatem consequi, & e domo seruitutis eripi? cur pollicetur eis non solum terram daturum, sed abundantissimam, amœnissimam, ita fertilem, vt ex ea manent lactis & mellis riuuli? vt hoc modo spe futuri boni comparandi allicerentur ad ea quæ iniungebantur à Deo, *Ponebat hoc Moyses* (ait Abulens.) *vt incitaret eos ad desiderium terræ illius, quæ tam fertilis erat, & eis dono concedebatur, ne si eam vilipenderent, nam mali qui erant inter eos magis volebant redire in Ægyptum quam ire in terram illam desiderabilem, & sic dicitur Psal. 104. & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, id est terram Chanaan quæ desiderabilis erat valde.* 37 Abulens. Psal. 104.

### *Ille vere promissorum Dei contemptor, qui pro effectu eorum assequendo non vult laborare.*

*Egredimini in mense novarum frugum, cumque introduxerit Dominus in terram Chananæi fluentẽ lacte & melle*, Quis non intensissimo fertur desiderio terram fertilissimã possidendi? an aliqui ex Israelitis ita stupidi, vt satius ducerent vitam transigere in deserto, quam amœnissimam ac fertilissimam prouinciam incolere? consulamus Regium Psaltem. 104. pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, sane à mente alieni censendi sunt, cum possessionem ditissimam sibi à Deo promissam, cum iuramento, & infallibiter conse- Psal. 104.

quendam

quendam, adeo vilipendunt, quomodo eam spreuerunt: in hoc quod pro ea consequenda laborare noluerunt, ille enim vere promissorum contemptor censendus est qui pro effectu eorũ assequendo aliquem non vult laborem impendere. non dissentit Iansenius. *Spreuerunt terram optatissimam eis promissam, optantes potius in solitudine mori, aut in Ægyptum redire, quam terram à Deo promissam fluentem lacte & melle ingredi, & pro ea obtinenda aliquod periculum aut laborem subire.* sed clarius ad mentem nostram Euthymius Monachus, *Nõ spreuerunt hanc terram quin imo admirati sunt, sed propheta intelligit quod dum molles ac languidi fuere & laborare noluerunt, vt illam reciperent spreuisse eam videantur.*

Iansenius.

Euthymius.

*Figuræ à sacro textu non reiiciendæ.*

*Egredimini in mense nouarum frugum. cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi fluentem lacte & melle.* Ridebit diuinas promissiones A hæresiarcha Marcion, impossibile ducens terram Israelitis dari, ex qua mel & lac manarent, dicens nec tale visum in terra Chanaan: sed non rideret si sacrum contextum sciret figuris Rhetorum abundare, sicque metaphorice dici fluẽtem lacte & melle propter eximiam fertilitatem. & ideo verissime Tertul. lib. 3. aduersus eũ Hæresiarcham. *Pleraque figurate portenduntur per ænigmata, & allegorias, & parabolas aliter intelligenda quam scripta sunt, nam & montes legimus distillaturos dulcorem, non tamen vt sapam de petris, aut defrutum de rupibus speres. & terrã audimus lacte & melle manantem non tamen vt de glebis credas te vnquam placentas & samias coacturum.* Sapam appellat, quod de musto ad mediam partem decoctum: defrutum si ex duabus partibus ad tertiam redegeris, deferuescendo: samia placenta erat, quæ in delitiis habebatur, à Samo opifice earum ita dicta. B

Tertul.

## *VARIETAS LECT. Vers. 6.*

V*Vlg.* Septem diebus vesceris azymis, & in die septimo erit solemnitas Domini.

*Sep.* Sex dies comedetis azyma.

*Pag.* Septem diebus comedetis fermentata.

*Onk.* Et in die septimo festũ erit corã Domino.

*Vulg.* Azyma comedetis septem diebus, non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.

*Cald.* Non apparebit tibi fermentum in omni termino tuo.

*Onk. Pagn. Oleast.* Infermentata comedent septem diebus, non conspicietur tibi fermentatum, & non conspicietur tibi fermentum in omni termino tuo.

## *CONCORDIA.*

SOlita corruptela inquit Eugubinus in Græcis codicibus, ἓξ ἡμέρας sex dies azyma comedetis. sed quod non sit corruptela, inde manifestũ est, quod versu sequenti dixere ἑπτὰ ἡμέρας septẽ diebus: quod autem posuerũt solum sex dies azymorũ, qui festum præcedũt quia & septimo festũ celebrabatur. ea autem quæ habẽtur in Hebræo C quæ tamen omisit interpres, nẽpe ולא יראה לך שאר velo ieraer lecha seor, & non videatur apud te fermentum. sed prudẽs vulgatus Hebraicam phrasim restrinxit, & omnia sub paucissimis verbis expressit, comprehendens sub nomine fermenti, quodlibet fermentum.

## EXPOSITIO.

SEptem diebus comedetis azyma. Quæso consule concordiam & expositionẽ versus decimi quinti capitis præcedẽtis, & quæcumque de hoc præcepto azymorum, necnon de die prima eorũ solẽni & septima reperies: *azyma comedetis septẽ diebus* repetitio superioris præcepti, *non apparebit* D *apud te aliquid fermentatũ* nõ domi habere debes vel fermentum vel panem fermentatum, vtrumque enim prohibitum. *nec in cunctis finibus tuis* nec in aliis domibus debet esse, sic enim in præcedenti capite dictum, non apparebit fermentum in domibus vestris.

## CONCEPTVS.

*In diebus festis Deo sacrificium offerendum.*

40 IN *die septimo erit solemnitas Domino.* In quo ab aliis diebus differt, vt solẽnis & festiua censeatur? an quia in illa à seruili opere abstinebitur, & otio & desidiæ indulgebitur? nequaquam, sed vt optime Græcus apud Lippom. *Cœtum populi hæc dies habebat lectiones, sacrificia, & alia quadã* & merito honestari debet dies festiuus populi cœtu, in loco diuino cultui dicato, verbi diuini annuntiatione, sacrificiis aliisque piis operibus. imo S. August. ser. 8. de resurrectione Domini, ait plures festiuitates institutas, vt inertiã & otiũ fugiamus, Deo debitum reddentes cultũ. subiicio eius verba. *Christus non solum nostræ redemptionis causa, diuersarũ infirmitatum genera subiit, verum etiam sacri cultus ritũ per diuersas festiuitatũ gratias, æternæ beatitudinis causa nobis efficit, vt multũ inertiæ somnum, non tam inuiti quam voluntarij sancta religionis dulcedine prouocante, magnarum solemnitatum aduentu fugere compellamur.*

Græcus apud Lipp.

S. August.

*Quod semel factum est solemnitas renouat.*

*In die septimo erit solemnitas Domini.* In 41

memoriā eorum quæ facta sunt in Ægypto, nempe cum quanta celeritate ab ea discesserūt, vt nec sibi fermentare licuerit. sed si semel hoc accidit, cur solemnitate id celebrabitur, cum iam præterierit nec amplius præsens adsit? optime eit. Augus. in serm. 23. de tempore, in milleloquio. (Cit S. Episc Hipponen.) *Nō contraria sunt veritas & solemnitas, quia quod semel factum est in rebus veritas indicat, hoc sæpius celebrandum impiis cordibus, solemnitas renouat, veritas quæ facta sunt sicut facta sunt aperit: solemnitas autem non ex faciendo sed celebrādo, nec præterita præterire permittit: sic enim intelligi arbitror quod in Psalmis scriptum est, cogitatio hominis confitebitur tibi, à religione cogitationis diem festū agēt vt quod debemus temporaliter gestis hominis cogitatio memoriæ commendaret, ideo cogitatio hominis intuens veritatem Domino confitetur, reliquiæ vero cogitationis his quæ sunt in memoria notis temporibus non cessant celebrare solemnia, ne cogitatio cognoscatur ingrata.*

*Solus sapiens vere solemnitatem Dei celebrare videtur.*

41 *In die septimo erit solēnitas Domino.* Quā vnusquisque vestrum seruare tenebitur, sed an omnes rite eā celebrāt? non equidē, quinā ergo vt oportet eā sunt celebraturi? soli sane sapientes. testem huius veritatis in mediū profero S. Amb. lib. 2. de Abel & Cain. *Festus dies Domini est*, inquit, *vbi perfectarū virtutū gratia est, quæ tum perfecta sūt,* (S. Ambro.) *si solitudinū sæculariū & corporalis illecebræ victor animus delinimenta voluptatis excludat liber à sæculo. Deo deditus, nihil de tramite rectæ intentionis diminuens, nec effectus sui quoque tempora nunc luxuriæ diuidens, nunc labori. solus itaque sapiēs hāc celebrat solemnitatē, nullus alius, immunē enim mihi huiusmodi passionum animam reperire difficile est.*

*Cum proximis simpliciter conuersemur.*

42 *In die septimo*, nempe azymorum, *erit solemnitas Domino.* In quo, & in aliis præcedētibus abstinendū erat à fermētato: quid quæso tibi Domine & fermento, vt toties iubeas ab eo abstinendum, tanquā si maxime inuisum illud haberes, & solū acceptū azyma? nonne vtrumque suum à te consecutū est esse? per fermentū pluries diximus duplicitatē, fraudem, sicut per azyma sinceritatem, simplicitatem denotari. quid mirum igitur si toties vnum prohibetur, alterum præcipitur? *Quia* vt bene Hieron. Oleaster. *voluit nos simplices esse* (Oleast.) *& apud proximos simpliciter conuersari.*

*Ne contra legem peccasse videamur, excusationes nobis fingimus.*

43 *In die septimo erit solēnitas Dominò.* In hoc autē sicut & in aliis præcedentibus, prohibebatur eis panis fermentatus, imo etiam fermentum in ædibus haberi. habemus enim in Hebræo, non conspicietur tibi fermentatū, & non conspicietur tibi fermentū in omni termino tuo. si fermentū non comeditur, sed solū panis fermētatus, quid refert illud habere domi? tum cur præcipit, vt non conspiciatur vel vt habet Vulgat. interpres, non appareat tibi? quid enim piaculi in conspectu fermenti? quid criminis licet appareat? quia si ab eis cōspiceretur panis fermentatus, vel si domi haberetur fermentum, si legem hanc infringerent, excusationem hanc texerent, quod præ oculis erat, quod præ manibus, & tentatione impellente, gustu suadente comedisse. fauet Lipponi. (Lippom.) *Vehementer igitur cauetur, ne quacumque ratione fermentum vel accidum aliquid fermenti loco edant, solet enim caro affectibus dedita, legibus simpliciter traditis in fraudem vti, velleque circumire & confringere ne contra legem peccasse videatur.*

*Visus peccandi occasio.*

*In die septimo erit solemnitas Domino.* In aliis autem iacet textus ait nō apparebit aliquod fermētatū in omnibus finibus tuis, ex Hebræo nō cōspicietur tibi fermentatum: si oculis comederent, improbarē quod fermentatū ab eis cōspiceretur, vel coram eis appareret, sed cum ore & nō oculis edatur, cur ita graue eis præceptum imponitur, vt nec fermentū conspiciāt, cum in potestate nostra non sit visis non tangi? ne Deū nimis in hoc præcepto seuerū asseras, nā visus in his quæ sunt prohibita, peccandi vt in plurimū est occasio & incitamentū, & ita S. Amb. lib. de fuga sæculi c. 1. ait. (S. Amb.) *Pulchre David qui periculosos homines, etiā aspectu suo fuerat expertus, beatū illum dicit cui spes omnis in Domino est, sic enim non respicit in vanitates, vnde iterū ad se conuersus ait, auerte oculos meos ne videāt vanitatē.* hinc recte Greg. l. 21. Moral. c. 2. (S. Gre. Mag.) *cōprimendi sunt oculi quasi quidam raptores ad culpam*, & proba illa est S. Nili cautio in parænesi, (S. Nilus.) *munito auditum & oculos, per illa enim omnia tela malitia ingrediuntur.* 44

*Iniquitatis & oculorum maxima cognatio.*

*In die septimo erit solemnitas Domino*, in quo sicut nec in aliis, *non apparebit fermentū in omnibus finibus tuis.* Vel vt habet Oleaster, *non conspicietur tibi fermentum*, si diceres non comedetur fermentatum, aliàs qui comederit delebitur anima eius de cœtu filiorum Israel, nulla esset in intelligentia præcepti difficultas. superius dixisti quicumque comederit, cur igitur nunc ais, quicumque conspexerit? quia tanta est cognatio oculorū circa res prohibitas, & illarum transgressionis, vt hæc duo omnino eadē videantur, tanta inquam affinitas inter oculos & iniquitatem, vt vel in illā conuerti videantur. *Prodiit*, inquit Regius vates Psal. 72. *quasi ex adipe iniquitas eorum.* S. Hiero. (Psal. 72.) *processerunt à pinguedine oculi eorum.* sic & Symmachus ad Hebraicum sensum vertit, *prominent à pinguedine oculi eorum.* (Hieron. Symmach.) tantus oculorum & iniquitatis est nexus, tamque facile ex oculis iniquitas prodit & oculis hauritur & cum noster habeat, *iniquitas*, potuerit ab aliis verti *oculi*. 45

*Cupiditates malæ per oculos, quasi per cuniculos in cor influunt.*

*In die septimo erit solemnitas Domino.* In quo solius azymi esus licitus, fermētati autē prohibitus. sed quid amplius videtur innuitū cōtextu nostro *non apparebit apud te aliquid fermentatum*, vel ex Hebræo *nō cōspicietur tibi fermentū*, permittatur visus si esus illicitus est, imo quia esus prohibitus & mortifer, etiam visus non permittitur. cupiditas enim mala obiecti prohibiti, per oculos quasi per cuniculos in cor influit. sisto Saluianum lib. 3. de gubernatione dicentem. (S. Saluian.) *Quam castos vos esse saluator iusserit, hinc intelligere* 46

*plane possumus, qui etiam licentiam visionis abscidit, sciens enim fenestras esse quodammodo nostrarum mentium lumen oculorum, & omnes improbas cupiditates in cor per oculos quasi per naturales cuniculos introire, extinguere eas penitus foris voluit, ne intus orirentur & lethaliter crescentibus fibris conualescerent forte in animo si germinassent in visu: idcirco itaque ait Dominus petulcos impudicorum intuitus noxâ adulterij non carere scilicet vt qui bona fide fugeret adulterium custodiret aspectū.* Diceres oculum ad modum agri se habere, qui ciliis ac superciliis veluti sepibus munitur, & obiectorum species, veluti semina recipiat, quæ in eo germinant, præsertim si malorum obiectorū, aut eorum quæ ad non licita flectere videntem possunt: noxia igitur semina visu non excipiantur ne multiplicato fœnore succrescant in animo, quæ in visu germinauerant.

*Vnius praecepti obseruatio, alterius adimpletionem trahit.*

*Jn die septimo erit solemnitas Domino.* In quo vobis præcipio omnino abstinere à fermentato. 47
sed cur tot Deus obseruanda tradit præcepta? iuncta enim est sanctificatio primogenitorū, imposita solemnitas Paschalis, festiuitas azymorū, & nunc eius azymorum denuo inculcatur, & fermentati prohibetur. nonne durissima lex Dei censebitur, qui tot suos grauat præceptis? ne grauate dixeris, qui enim vnum Dei præceptum adimplet, ad alterius & quotumcumque aliorum obseruationem trahitur. elegans est cuiusdam sapientis sententia, quæ in Pirkeaboth his verbis traditur. *Accurre ad adipiscendum facile præceptum & à peccato fuge. nam vnius præcepti adimpletio secum aliorum præceptorum adimpletionem trahit, & peccatum aliud peccatum trahit, & præmium boni operis bonum opus est, & pœna peccati aliud peccatum est.*

Sapiens quidam apud Hebræos.

## *VARIETAS LECT. Vers. 8.*

V*Vlg.* Narrabisque filio tuo in illo die, dicens hoc est quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum ex Ægypto.

*Sept.* Et annuntiabis filio tuo in die illa dicens, propter hoc fecit Dominus Deus mihi, cum egrediebar de de Ægypto. *sic Pagn. cum Cald.*

## *CONCORDIA.*

HEbraice sic habetur בעבור זה עשה יהוה לי bahabur zehasa ichouali, propter hoc quod fecit Dominus mihi, Vulg tamen reddidit hoc est quod fecit mihi Dominus: nō te moueat, quod in Hebræo non est relatiuum *quod*, nam vulgare est apud Hebræos, vnam esse ex dictionibus quæ frequenter non ponitur, & tandem subintelligitur.

## EXPOSITIO.

N*Arrabis filio tuo in illo die.* Scilicet inquirenti quid tot cæremoniæ denotarent: *in die illo* idest in tempore illo, quando egressi fueritis de terra deserti, *hoc est quod fecit mihi Dominus*, verbum facere hoc in loco pro constituere & præscribere ponitur, vt sit sensus, narrabis filio tuo dicens has cæremonias nobis præscripsit, siue constituit Dominus, quando de Ægypto egressi sumus. sed Hebræus aliquid amplius innuere videtur, ait enim: *propter hoc fecit mihi Dominus*, & ita sensus etiam poterit esse, propterea quæ fecit Dominus videlicet occisa primogenita Ægyptiorum, celebramus Paschæ ipsius festum in memoriam beneficij accepti, *mihi quando egessus sum de Ægypto*, pronomen *ego* hic demonstrat vniuersum Israelem, quia omnes tenebantur ista filiis suis annuntiare.

## CONCEPTVS.

*Quanto dignus vituperio, imo quam pœnam non meretur pater filios de cultu Dei non instruens?*

48 N*Arrabis filio tuo in illo die dicens, hoc est quod fecit mihi Dominus &c.* Sed si desides forent parentes in instruendis suis liberis de gratiarum actione Deo reddenda, pro tam eximio collato beneficio, quale fuit eripi à misera Ægypti seruitute, ab intolerabili Pharaonis tyrannide, sed si ita ignaui, vt eos non edocerent, qualis cultus Deo reddendus, & quibus titulis tenerentur ei venerationem impendere, si inquam in hoc negligentes, cur pœna in eos non statuitur? si enim in eum animaduertitur, qui solum panem fermentatum comederit, itaut delendus sit de cœtu filiorum Israel, cur quæso postquam Deus iussit patribus, vt filios suos de cultu suo instruerent, pœnam non statuit similiter in eos qui in hoc forent desides? minime necessarium est eam statuere, luce enim meridiana clarius dignos esse æterno supplicio nec illud euasuros. quod doctissime prosequitur S. Chrysostom. lib. 3. aduersus vituperatores vitæ Monast. Beatus Paulus iugiter admonet patres Ephes. 6. educate filios vestros in disciplina & correptione Domini; si enim nos ipsi vigilare iubemur

S. Chrysost. Ephes. 6.

» tanquam pro animabus illorum rationem reddi-
» turi, id profecto multo magis pater, qui genuit,
» qui educauit, qui cum illo domi semper cōuersa-
» tur: vt enim in suis propriis delictis nō valet quis-
» que se ad excusationis remedia conferre, ita ne in
» his quidem quæ filij deliquerint: idque rursus S.
» Pauli probatur testimonio 1. Timot. 3. cum enim (1. Timo. 3.)
» ille sanciret, cuiusmodi esse deberent, qui ad alio-
» rum magisterium & regimen assumerentur, inter
» cætera quæ illis inesse necessario debere testatus
» est, etiam filiorum curam & diligentiam annu-
» merat, quasi nulla iam reliqua sit spes veniæ, si
» peruersi illi fuerint; & nimirum id quidem con-
» uenienter, nam si à natura ipsa vitia homines hau-
» rirent & acciperēt, posset aliquis excusationis se
» velamine obtegere: quoniam vero sponte atque
» ex proposito probi & improbi efficimur, quam
» tandem ille probabilem poterit excusationē ob-
» tendere, qui quem omniū maxime diligit & cha-
» rum habet, peruerti ac nequissimum fieri permit-
» tit? an quod noluerit eum probū reddere? & quis
» ex patribus vnquam hoc dixerit, cum ex naturali
» affectu iugiter ad profectum liberorū auidissime
» expetendum excitetur? an vero quod non potue-
» rit? nihil est quod illi minus concesserit; nam
» quod cum tenerum acceperit, primusque ac solus
» omnem eiusce instruendi facultatem nactus sit,
» semperque domi eum continuerit, & bellissime
» illum & facillime imbuere ac moderari potuit,
» itaque nulla alia ex ratione vt fiant peruer-
» si contingit, nisi quod eorum patres, circa vi-
» tæ præsentis commoda, æquo amplius incūbunt,
» & fere dixerim insaniunt. cum enim illa solum-
» modo inquirunt, nihilque illis præferendum cen-
» sent, & suam pariter & liberorum animam negli-
» gere coguntur: hos ergo patres, quod nemo tamē
» ni commotius dicere quam verè existimet, parri-
» cidis ipsis immaniores, sceleratiores quedixerim;
» illi enim corpus ab anima separant, isti & animā
» & corpus æternis ignibus tradunt, atque is qui-
» dem qui corpore occiditur, necessario naturali
» lege etiamsi necatus non fuisset, moreretur: hic
» vero sempiternam mortem vitare potuisset, nisi
» hanc illi paterna negligentia consciuisset &c. *de-*
» *inde concludit* itaque non iniuria parentes eius-
» modi deteriores parricidis esse dicemus. Nihil prorsus Chrysostomo detrahendum, & cui nihil prorsus addendū, maxime cum ibi latissime prosequatur argumentum, & totus sit in ostendendo quantum parentibus incumbat recte instituere filios, & ipsorum mores componere, & in Dei cultu & religione nutrire, quantaque pœna digni sunt ij, qui ignari & desides sunt in hac re.

*Deo maxima est cura filiorum optima educatio in cultu suo.*

49 *Narrabis filio tuo in illo die dicens hoc est quod mihi fecit Dominus.* Quid illos admones tui muneris? nonne incumbit parentibus filios suos in cultu tuo religiosè educare, & studiosè instruere? eis nihilominus præcipit vt filios suos doceant in iis, quæ ad religionem pertinent, vt omnibus constet quam curam bonæ educationis filiorum gerat, præstat hoc audire à præfato sancto Doctore eodem lib. *Ne id quidem dicere possumus quod non illi summa sit huius rei ratio & cura, summum enim optime educandorum liberorum studium* (S. Episcop. Constant.)

A *inducit, adeoque ingens eius rei desiderium naturæ præterea inseruit, vt velut in necessitatem quandam inenitabilem prouidentiæ & curæ habendæ filiorum parentibus constituisse videatur. leges item post modum intulit de cura pro liberis habenda, nam cum dies festos agi statueret filiis suis eiusce celebrationis rationes, & causas vt aperirent, imperauit: denique cum de Pascha loqueretur adiecit, & annuntiabis filio tuo in illa die dicens, idcirco fecit Deus mihi hæc &c. atque per omnia vt illos ad Dei notitiam adducant, monet & iubet.*

*Pater per se ipsum docere deberet filios ea quæ spectant ad pietatem.*

*Narrabis filio tuo in illo die dicens, hoc est quod* 50
B *mihi fecit Dominus.* Cur præcipis, ô Deus, vt ipsi patres per seipsos erudiant filios de iis quæ pro eorum libertate, & salute operatus es, vt cultum tuum illos doceant? nonne eos instruendos possunt præceptoribus tradere? possunt equidem, sed conuenientius, si ipsimet eos erudiant de iis quæ spectant ad pietatē. sic enim hic noster Lyranus, (Noster Lyran.) *Ex quo patet quod patres tenentur filios suos erudire per se de his quæ necessaria sunt ad salutem* (addit vel per alium) sed sane Rex erat Dauid, & simul pater, nihilominus per se ipsum vult filios erudire, venite inquit filij timorem Domini docebo vos, quæ verba optime explicat Serarius (Serarius.) Tobiæ 1. quarta capitis particula in hunc modū. *Negligant alij filiorum suorum doctrinam, ego inquit nō item, venite filij audite me, doceāt eos alij &*
C *diligenter, sed artes mundo huic placendi, opes & honores coaceruandi, imo etiam illas ipsas quæ liberales vocantur, vel per se ipsos vel per alios doceant, ego quod hisce omnibus præstantius, vtilius, magisque necessarium est, timorem Domini docebo vos.* Vnde Basilius Imperator lib. 66 exhortationum (Basil. Impe.) ad Leonem filium c. 6. quæ habentur in bibl. Patrum ait, præterea se tot capita exhortationum ad filium edocēdum dictasse, vt quem naturalis lex ipsi deuinxerat, rationalis amplius deuinciret, & filius plus sibi quam alteri deberet, nam si istum tantum ipse genuisset, alius vero edocuisset & informasset, plus certe alteri quam parenti deberet. *Si enim,* inquit, *ille quos natura dedit tibi parentes debes revereri, multo magis eos qui te in spiritu Dei per bonas disciplinas genuerunt.*

D *Nihil parentes videntur docere debere filios quam Dei timorem.*

*Narrabis filio tuo in illo die dicens, hoc est quod* 51
*mihi fecit Dominus &c.* Sed cur non præcipis vt illos doceant, quomodo victum sibi cōparare, & laborare debeant? quomodo iter conficere, & in deserto se gerere? cur solum memorat quod eos erudiant in cultu suo? quia parentes nihil aliud videntur docere debere filios, quam Dei timorem & cultum. ita monet S. Hieron. ad Lætam in (S. Hieron.) epistola quam ad eam scribit de institutione filiæ. *Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet, turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, adhuc tenera lingua Psalmis dulcibus imbuatur, procul sit ætas lasciua puerorum, ipsæ puellæ & pedissequæ à secularibus consortiis arceantur, ne quod male didicerant*

*peius doceant, tibi prouidendum ne discat in tenero quod ei postea dediscendum est.* A

### *Traditiones admittendæ.*

52 *Narrabis filio tuo in illo die dicens, hoc est quod mihi fecit Dominus.* Israelitæ suam narrabant liberationem filiis suis, vt eam cognosceret generatio altera, atque in Domino suo spem collocaret: hæc enim narratio non fuit per solam scripturam sed etiam per traditionẽ; duplex enim modus est sciendi, vnus per scripturam, & alter per traditionem: est autem traditio doctrina Ecclesiæ necessaria, nusquam à primo auctore immediate scripta. sed si dixissent filij parentibus suis, nequaquam his fidem adhibere volumus: certe traditionibus etiam fidem adhibere tenerentur, quis enim eas improbat? nonne Ecclesia Dei spatio ad minus duorum millium & sexcentorum septuaginta annorum sine scripturis nutrita fuit? prima enim patrum ætate puræ & salutaris religionis ad nos transmissæ & ad sæculi extremum duraturæ fundamenta, non per scripturam sed per traditionem iacta sunt. tradidisse enim Adam filiis suis ac nepotibus religionem de Deo vno in essentia, & trino in personis, de creatione mundi &c. certissimum est, hoc autem in loco non loquimur de vanis aut superstitiosis hominum traditionibus, sed de diuinis.



## *VARIETAS LECT. Vers. 9.10.*

*VVlg.* Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos, & vt lex Domini semper sit in ore tuo, in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto.

*Sept.* Et erit tibi signum super manum tuam, & memoriale ante oculos tuos, vt sit lex Domini in ore tuo, in manu enim valida eduxit te Dominus.

*Cald.* Et erit tibi in signum in manu tua, & in memoriale inter oculos tuos.

*Pag.* Et erit tibi in signum super manum tuam, & in memoriam inter oculos tuos.

B *Vulg.* Custodies huiusmodi cultum statuto tempore à diebus in dies.

*Sep.* Et seruate legem hanc secundum tempora statuta à diebus in dies.

*Cald.* Et custodies pactum hoc in tempore suo, à tempore in tempus.

*Pag.* Et custodies statutum hoc in tempore suo quotannis.

*Sic Arias.*

*Vatab.* In tempore statuto à diebus in dies.

*Oleast.* Custodies decretum hoc ad statutum suum.

---

## *CONCORDIA.*

NOster Vulg. reddidit hæc verba Hebraica עליך haliadcha in manu tua, licet significent super manum tuam. sed idem tamen vtriusque sensus est: iam diximus hanc dictionem חקה chukah cultum, pactum, statutũ, ritum & legem reddi posse, hic Hebraismus מימים ימימה miiamim iamimah, de diebus in dies, recte redditur à Pagnino quotannis.

---

## EXPOSITIO.

ET *erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos.* Alludit ad eos qui cum sciant se fragilis esse memoriæ, filum digito alligant, vel aliquod simile signum manui admouent, ne cuius meminisse volunt, obliuiscantur: cum enim manus ante oculos frequenter versentur, non facile obliuisci possumus eorum quorum manus ipsa memoriam renouat: idem est de iis quæ fronti vel pileo alligata continue ante oculos versantur; & sic sensus horum verborum erit, studebis continuam huius beneficij memoriam habere, perinde ac si aliquod signum imposuisses digito, vel ante oculos fronti alligasses, ad refricandam memoriam. hinc Pharisæi malè hæc, nempe carnaliter intelligentes, alligabant brachiis & fronti suæ Philacteria, quæ non erant aliud quam membranulæ quædam in quibus descripta erant præcepta illa, quæ hic & Deuteronomij 6. & 11. dicuntur, debere esse tanquam signum in manu vel memoriale in fronte. tota ergo hæc locutio allegorica est, ac prior eius pars desumpta est ab anulo, vel ab aliquo alio signo, quod memoriæ causa in manibus habemus: qua phrasi etiam intelligi potest quod apud Isaiam Isaiæ 49. à Domino dicitur in manibus meis descripsi te, & quod in Cant. habetur, pone me vt signaculum super brachium tuum; idem enim est ac si Cant. 8. Dominus dixisset, facies omni studio, vt legis meæ perpetuo recorderis, sicut recordaris eius quod in manu gestas, vel cuius signum & memoriale manui alligasti.

D *Vt lex Domini semper sit in ore tuo.* Vnum enim ex alio sequitur, nam si diuina præcepta bene animo sint infixa, & continuo oculis ac memoriæ obuersentur, consequenter etiam continuo absque difficultate, de illis erit sermocinatio, *in manu enim forti eduxit te Dominus*, multiplicatis prodigiis, *custodies huiusmodi cultũ* nempe ritum de azymis comedendis, & cæremonias agni Paschalis. *statuto tempore, à diebus in dies*, singulis annis, vt sit sensus, incipies annum ab hoc mense in quo Pascha fit, & reuoluto anno, rursum eodem mense Pascha celebrabis.

## CONCEPTVS.

*Fides bonis operibus & obsequiis praponenda.* A

53 E*Rit quasi signum in manu tua.* Vel vt habet Hebr. *super manum tuam*, cur pascha super manum? cur in manu signum ponendum, vt habeatur recordatio à Deo beneficij accepti? an quia in pascha fides Christi exhibetur? ita sane est fides Christi manibus præfigenda: ne tendas manum, quin prius imbutus sis fide, de qua te elegantissime disserit diuus August. qu. 48. in Exodum lib. 2. inquiens, *Pertinet pascha propter occisionem ouis ad fidem Christi, hac autem fides operibus praponenda est, vt quodammodo sit super manum, de qua re Apostolus loquitur & ait, nullum posse placere Deo sine fide, qui fidem operibus sic anteponit, vt ex illa pendeant bona opera atque ab ea praeueniantur nec vt ipsa velut meritis bonorum operum tribui videatur.* Qua auctoritate & veritate videre licet quam maturanda est fides, & exhibenda ante omnia, adeo vt nec ad Deum manus tendamus, quin prius ducamur fide Thomam sequuti, qui manus tetendit, & cœlestem thesaurum attigit, vnde cumulatus bonis Deum confessus est.

August.

*Operibus non verbis examinandum, an digne suscipias cibum Eucharisticum.*

54. *Erit quasi signum in manu tua.* Præcipit Deus pascha celebrari in memoriam eius diei, scilicet quando populus egressus est de Ægypto, eo tempore præcipit agnum manducare, & azymos panes cum lactucis agrestibus, & subdit, & erit quasi signum in manu tua: sane cum hæc essent ore perficienda, aptius diceret, & erit signum in ore tuo non in manu tua. S. Aug. ad sensum moralem recurrit, nimirum manus significat opera, ergo an indigne vel digne agnus accipiatur & manducetur, non tam ore quam manu examinandum est: quidam enim sunt qui ore accipiunt, qui tamen non dicendi sunt accipere, quia fructus huius sacramenti non percipiunt: alij vero sunt qui quanquam reipsa sacramentum non excipiant, dicuntur tamen excipere; ergo hac in re potius manus quam os, examinanda *Quid est* inquit cit. doctor q. 48. *quod ait cum de pascha praciperet, erit tibi in signũ super manum tuam? an intelligitur super opera tua idest quod praeferre debeas operibus tuis, pertinet enim pascha propter occisionem ouis ad fidem Christi. & sanguinem quo redempti sumus*

C

Richard.

D

*Passio Christi Domini pra oculis semper habenda.*

55 *Erit quasi signum in manu tua.* Alludit vt diximus ad eos, qui cum sciant se fragilis memoriæ, filum digito alligant, vel quid simile, ne rei cuius meminisse volunt, obliuiscantur: cum enim manus ante oculos frequẽter versentur, non facile obliuisci possumus eorum quorum manus ipsa memoriam renouat: sed quid ponendum est in signũ in manu vel super manum? scilicet agni paschalis immolatio, cuius sanguine primogeniti seruati ab Angelo exterminatore. nonne immolatio illius agni passionem agni immaculati adumbrabat? merito ergo vt sit signum in manu tua requiritur, passio enim Christi Domini semper præ oculis habenda. sistenda verba nostri Bernardini serm. de stimagtibus nostri Patris Seraphici art. 1. c. 4. qui præfatam auctoritatem expendens ait, *Vt sicut quod ante oculos pendet obliuioni minime tradi potest, sic nec passio Christi iugiter à te meditata.*

Noster S. Bernardin.

*Habeamus Deum in manu per operationem.*

*Erit quasi signum in manu tua.* Vnde Pharisæi crasse hæc intelligentes, nata est apud eos consuetudo vt mire superstitioso apparatu, sibi Tephilim quæ in sinistro brachio alligarent, conficerent: verum nos metaphorice capientes, quinam sunt non solum qui hunc diem libertatis, sed ipsum liberatorem quasi signum in manu sua habent? sane illi qui in operatione Deum diligunt: huc voco illud Richardi à sancto Laurentio lib. 4. de laudibus Virginis. *Nota quod quidam habent Christum in corde per dilectionem alij in manu per operationem, sine qua tria pradicta non sufficiunt, quia probatio dilectionis exhibitio operis, & isti soli remunerabuntur,* pende *alij habent in manu operationem*, nam hoc sane modo Deum semper habere deberemus. 56

B

Richardus a S. Laurent.

*Pracepta Dei alte cordi incidenda.*

*Erit quasi signum in manu tua* Desumpta metaphora ab annulo vel ab aliquo alio signo, quod memoriæ causa in manibus habemus: quasi diceret præceptum quod de celebratione agni paschalis & obseruatione azymorum, vobis imposui, nunquam è memoria excidat, sed firmiter menti adhæreat, cur te tanta tenet cura vt illius non sint immemores? in ære aliquo incide vt diutius permaneat, vt quotidie illud legẽtes è memoria non dilabatur. non in ære sed in corde inscribi iubet ne cito aboleatur. hinc S. Ambr. lib. 2. Epist. 7. *Lex vera sermo rectus, lex vera non insculpta tabulis nec are incisa, sed impressa mentibus atque infixa sensibus, quando sapiens non sub lege, sed ipse sibi lex est, opus legis in corde suo continens naturali sibi stylo, & quadam inscriptione formatum,* & S. Aug. in Psal. 93 *scribite illud,* nempe præceptum *in cordibus vestris, moribus vestris, & nunquam delebitur.* 57

S. Ambr.

S. August.

*Verba & manuum opera adinuicem conueniant.*

*Erit quasi signum in manu tua, & vt lex Domini semper sit in ore tuo*, semper de lege Dei sermocinatio esse deberet, an satis esset? an aliquid aliud requireretur? & sit quasi signum in manu tua: opera demonstrent eam legem, de qua tibi est sermo, verba enim & manuum opera adinuicem cohærere debent; quod sanctus Prosper cecinit lib. Epigram. num. 7. 58

S. Prosper.

*Non prodest cuiquam solis bona dicere verbis,*
*Vt pia mens habeat quod bene lingua sonat,*
*Nam fari recte miserum est, & viuere praue,*
*Damnat nota malum regula iustitia*

Cytharam pulsantis similitudine, oris & manus nexum. verborum & operum cohærentiam sic explicabat S. Chrysost. hom. de decem mil. debit. Nõ satis est si diuina verba percenseas, nisi ea

S. Chrysost.

quoque rebus ea prætes. & quemadmodum Cythara neruos attingit artifex, attingit quoque & imperitus, verum non iste auditorē vexet, ille voluptatibus & oblectatione ducat, atque vtrobique eiusdem generis digiti, & idē nerui, rectè, sed non adest eadem peritia: ita quoque in sacris scripturis, multi adornantur diuina verba, sed non omnes lucrum inde faciunt, aut fructum referunt, in causa quod non eo modo, vt iam dictū est, neque cum artificio Cytharam pulsant, quod enim in re Cytharædica ars, hoc ipsum in Dei legibus operum exhibitio. vnde opera verbis
Philo. copulanda monebat Philo lib. de premiis & pœnis in hunc modum, Quisnisi natura malignus, & inuidus non fateatur hoc solum genus pollere scientia sapientiaque, cui datum est diuina mandata non incassum accepta suis actionibus exequi, & cum laudandis dictis paria facta coniungere?

*Verba nostra resonent legē Dei & nostrā salutē.*

59 *Erit quasi signum in manu tua & vt lex Domini semper sit in ore tuo.* Si semper in ore eorum est lex, ergo semper eorum sermo de lege erit, verba eorum nihil aliud quam legem proferent, colloquia eorum semper de lege Dei, quidni? lingua enim nostra, os nostrum nihil aliud proferre deberent, quam verba legis & salutis, ea enim ex
D. Alcimus. ore nasci debere docet S. Alcimus in poem. numer. 179.

*Semper in ore suo resonent bona verba salutis.*

Pet. Blesen. Hoc Petrus Blesensis epist. 8. *Vt nunc noueris quod nunquam super verbis faciam quæstionem de qua facultate sumantur, dummodo ædificēt ad salutem, in hoc enim nostra verba debent dirigi, vt semper sint salutaria.*

*Lex Dei cohibet nostras cupiditates & purgat.*

60 *Erit quasi signum in manu tua & vt lex Domini semper sit in ore tuo.* Sed cur lex quasi signum in manu eius? vt illius nunquam obliuiscatur, & vt eam semper præ oculis habēs coerceat in se quid-
Agellius. quid diuinæ legi cōtrarium, teste Agellio in Psal. 118 vers. 9. *Nihil est efficacius ad cohibendas cupiditates quam diuinæ assidua legis meditatio, quæ & ducis officio fungitur & instar frænorum exul-*
Dydimus. *tātes ætatis impetus cohibet* Didymus hūc præiuit, *quomodo hæc aliquis superet* (nempe quæ sunt legi diuinæ contraria) *nisi assidue Dei verba atque sermones in mente habeat, nam ea cogitatio purgatrix ac seruatrix est omnium.*

*Anima sit lege Dei obsignata, vt alienos caracteres mundi non admittat.*

61 *Erit quasi signum in manu tua.* Sept. *erit tibi signum in manu tua.* Signata erit eius manus, quo signo? legis. Sed quid hoc denotare potest quod quis signatam manum Domini lege habeat? nōne quod obsignatum est litteris, huic nihil addi potest? manus nostra legis signo obsignata, alienos terrenarum rerum characteres non admittit, peritura non cogitat, nō mundi delicias, & oblectamenta quærit, clausa tanquā epistola est, nihil sapit, nihil amat, nihil agit, nisi quod legis latori suo placet: audiendus hic Tuccius qui hæc verba
Tuccius Protonot. Apost. Cant. 8. cant. 8. pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, explicat ad literarum ac tabularum metaphoram spectans. *Vt scilicet de me, inquit, cogites dies noctesque, & mandatis meis meditere, nihil aliud animo ac spe suscipias, nihil aliud corde concipias, quam me: vt scilicet nihil aliud agas, nihil aliud tractes, & nihil aliud pangas, præter legitima opera, quæ in lege & Euangelio scripta sunt, & quæ tibi præcepta sacras: cæteras omnes alias operationes, & cogitationes à corde & brachio tuo repellendo, aditus includendo, prohibendo ingressus. quemadmodum litteris obsignatis, tabulisque testamenti nihil vltra additur, sic etenim, sicut annulo obsignabis cor tuum, id est cogitationes tuas, quæ de corde exeunt & brachium tuum id est opera tua quæ brachio aguntur.*

*Semper mandatorum Dei recordemur.*

*Erit quasi signum in manu tua.* In manu signum 62
aliqui referunt ad morem illum, quo signum aliquo digito aut brachio alligatur ad excitandam alicuius rei memoriam. sed quare id quod Deus præceperat Israelitis, vult in eorum manibus esse? ne vnquam mandata eius obliuione exciderent. hanc veritatem requirimus à Venerabili
Ven. Beda. Beda lib. 6. in Cant. *Bene ait pone me vt signaculum, solemus enim sæpe signum aliquod digito vel brachio alligatum circumferre, quo admoneamur illius rei cuius frequentiorem habere memoriam curamus: hoc ergo more etiam nos Dominus in præsenti signaculo semper admonitos sua vult mandata retinere.* Domini obliuiscitur, qui eius mandata alta obliuione sepelit, nec Dei signaculum defert, qui Dei mandata non custodit.

*Legum sono litterali non nimis hærendum est illi qui nolit errare.*

*Erit quasi signum in manu tua.* An ex hoc lau- 63
dandi Pharisæi, qui Tephilim in quibus lex seruanda, brachio suo alligabant, dicentes hunc legitimum horum sensum verborum? imo vituperandi, qui carnaliter & solum ad verborum sonum intelligentes de spirituali eorum intelligentia non curantes, legem Dei non in corde, sed solū in corpore habuerunt. non dissentit Origenes
Origen. hom. 2. in Iosuē. *Legis littera humi posita est, & deorsum iacet, nusquam ergo ascendit qui legis litteram sequitur, si ergo potueris à littera ascendere ad spiritum, ab historia ad intellectum conscendere celsiorem, tunc vere ascendisti locum editum & excelsum quem à Deo in hæreditate percipies.* Nō humili & repenti litteræ legis nimis inhærendum est, sed dominante spiritu inquirendus & amplectendus est nucleus in cortice literali. Alias facillimè in errores grauissimos incides.

*Legum obseruatio necessaria principibus.*

*Erit quasi signum in manu tua.* An omni Israë- 64
litæ hoc distincte præcipitur? nullus excluditur, quid? an etiam principes & reges futuri, qui tot regni negotiis distrahentur, occupati, quasi signū in manu sua legem à te præscriptam habebūt? an qui loquuturi sunt varia & necessaria de optima regni sui administratione, semper in eorum ore lex erit Dei? quidni? cum à lege Dei principes minime debeant eximi, imo cum illius obseruantia maxime sit eis necessaria: ab hoc principio manauit illud decretum Regis Theodahadi apud
Cassiod. Cassiod. 10. Variar. 5. vbi ad præscriptum tituli huius conceptus sic cauet. *Nobilis princeps, præ-*

*ſenti iuſſione præcipimus vt quicumque ad domum noſtram noſcitur pertinere, nullis præſumptionibus inſoleſcat, quia ſolus dicendus eſt meus, qui legibus poterit eſſe tranquillus, à domeſticis inchoare volumus diſciplinam, vt reliquos pudeat exire, quando noſtris cognoſcimur excedendi licentiam non præbere.* Regius filius cognoſcitur, qui legis præſcripta obſeruat.

### *Lex diuina vt ſeruetur, ametur.*

65 *Erit quaſi ſignum in manu tua*, deinde addit, *& lex ſemper in ore tuo.* Cur vtrumque & in manu & in ore? non eſt dubium quod cum aliquid ſemper ore verſamus, diligimus; de re enim dilecta ſemper miſcere ſermones volumus, nec nō alios de ea ſermocinari, nec incertum per manū, operationem. recte ergo vtrumque cōuertit Dominus legiſlator, quia lex diuina, vt quaſi ſignum habeatur in manu, in operatione vt ſeruetur, habenda eſt ſemper in ore, diligenda eſt. hoc innuit S. Ambr. ſer. 21. in Pſal. 118. in illa verba, cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua & dilexit ea vehementer. *Plus eſt diligere*, inquit, *quam cuſtodire, quia cuſtodire interdum neceſſitatis eſt vel timoris, diligere charitatis: ideo cum hic dixiſſet cuſtodiuit, adiecit dilexit vt cuſtodia amantis fuerit non timentis: in lege ergo Domini non tantum manum habeas exequendo ſed voluntatem amando, imo lex Domini, vt ſeruetur diligatur.*

S. Ambr. ſerm. 1.

### *Non indagare rationes præcepti, Deum glorificare eſt.*

66 *Erit quaſi ſignum in manu tua & quaſi monimentum ante oculos tuos.* Imponit eis præceptum, & dicit quaſi ſignum futurum in manu & memoriale ante oculos. cur non inquiritur à Moyſe vel ab aliis deinde Iſraelitis, cur ita obſeruandum? cur huiuſmodi circunſtantiæ adhibendæ? cur ſignanda manus eſt? cur memoriale ſemper ante oculos habendum? neſciunt hi omnes indagare rationem huius præcepti, & in hoc Deum glorificant, quia ſic fatentur ipſum nihil imperare, niſi rectiſſimum: à quo non diſcrepat Chryſoſt. homil. 2. in Epiſt. ad Rom. ſuper illa verba Pauli, ſæpe propoſui venire ad vos & prohibitus ſum vſque adhuc. *Nihil horum*, inquit, *curioſè indagat, quin potius incomprehenſibili prouidentiæ cedit, partim animi ſui moderationem ſpectatam faciens, partim nos omnes erudiens à* [illegible] *eo nunquam exigendam eſſe eorum quæ facit rationem, etiam ſi ea multorum animos turbare videantur, Domini enim ſolius eſt iubere, famulorum parere.*

S. Chryſ. Rom. 1.

### *Humili curioſitate Dei beneficia perſcrutanda vt eorum ſemper ſimus memores.*

67 *Erit quaſi ſignum in manu tua & quaſi monimentum ante oculos tuos.* Vt beneficium tibi à me collatum aſſiduè mediteris, nonne ſatis eſt aliquoties illius recordari? cur ſemper ante oculos geſtandum? cur ſemper in manu ſignatum? vt curioſitate humili & cum omnibus circunſtantiis illud examinarēt, ſicque innumeras ei gratiarum actiones perſoluerent: ita habet Hieronym. ab Olea. *Quemadmodum Dominus omnes circunſtantias miniſterij aut oblati ſibi muneris oculatè conſpicit, ita voluit nos curioſe eius beneficia circumſpicere, iſtud enim tendunt hæc verba, erit tibi in ſignum ſuper manum tuam, auſer quæſo Domine ſocordiam noſtram ad munera tua.*

Oleaſt.

### *Fides ſine operibus mortua, & ideo vtrumque à nobis exigit Deus.*

*Erit quaſi ſignum in manu tua & quaſi monimētum ante oculos tuos.* Ponitur ante oculos tuos ad mouendum intellectum, qui vocatur oculus & viſus animæ; ponitur in manu, vt moneamur operari. ſed cur hæc duo ab Iſraelitis exigit Deus? nonne ſufficeret vt eſſet memoriale ante oculos, vt moneret intellectum de credendo quod annuntiabatur? cur igitur etiam requirit vt ſit ſignū in manu? recte Epiſcop. Abulenſ. *Quia hæc duo ſunt quæ à nobis petit Deus, fides ſcilicet & operatio, fides namque ſine charitate mortua eſt. & hoc rationabile erat, quia quædam præcepta iſtorum erant ad agendum, quædam ad credendum ſolum.* 68

Abulenſ.

### *Laus Deo ſemper enarranda.*

*Erit quaſi ſignum in manu tua & lex ſemper in ore tuo.* Ad quid lex ipſius ſemper in ore verſanda? nonne ſatis erit ſi cum ſeſe occaſio non importuna obtulerit, tunc de ea ſermonem habere? toties repetita diſplicent. merito hoc iubetur, vt ſemper ſit lex in ore vniuſcuiuſque, nam ſic impoſſibile erit Dei magnalia non efferre, & laudes ſibi debitas ſub ſilentio premere. conſentit nobiſcum Toſtatus. *Iſta eſt intentio ſupradictorum, ſcilicet quod lex deberet eſſe quaſi memoria in oculis noſtris, & in manu noſtra vt ſic eam continua cogitatione verſantes, etiam in ore verſaremus: volebat enim Deus vt laudes eius ſemper enarrarentur, ad quod proficiebat continua legis meditatio.* 69

Toſtatus.

### *Omnis dies feſtiuus, in quo agnus Euchariſticus ſumitur.*

*Erit quaſi ſignum in manu tua*, deinde, *cuſtodies eiuſmodi cultum ſtatuto tēpore à diebus in dies.* Scilicet ſingulis annis, curriculo anni reuoluto feſtiuum diem agetis, cum agnum Paſchalē comederitis, memores libertatis adeptæ, ecce ſolum ſingulis annis tenebantur hunc diem feſtiuū ducere, dieſque ſolemnis hic agebatur; an ſolum etiam nos ſingulis annis, cum agnum Euchariſticum ſumimus in memoriam noſtræ libertatis adeptæ à Pharaonis tartarei tyrannide media paſſione, eiuſdem agni, vel ſingulis diebus diem feſtiuum agimus? hoc ſecundum aſſirmat S. Auguſt. in ſerm. 1. de Rebecca, cuius verba ſubiicio. *Dicite mihi vos qui tantummodo feſtis diebus ad Eccleſiam conuenitis, cæteri dies non ſunt feſti aut non ſunt dies Dominici, Iudæorum eſt certos & tantos dies obſeruare ſolemnes. adeo Dominus dicit ſic Iſaiæ 1. ſolemnitates veſtras & ſabatha odiuit anima mea, odit enim Deus eos qui vna die putant feſtū eſſe Domini & non alia: Chriſtiani autem omni die carnes agni comedunt, id eſt carnes verbi quotidie ſumunt, ideo omni die feſtum colunt, Paſcha enim noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* 70

S. Auguſt.



## VARIETAS LECT. Vers. 11. & 12.

*Vulg.* Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi sicut iurauit tibi & patribus tuis & dederit tibi eam.

*Sept. Cald. & Hebr.* Et erit cum introduxerit te Dominus in terram Chananæorum.

*Vulg.* Separabis omne quod aperit vuluã Domino, & quod primitiuum est in pecoribus tuis, quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino.

*Sept.* Et separabis omne adaperiens vuluam, masculina Domino, omne adaperiens vuluam de armentis vel in pecoribus tuis, quæcumque nata tibi fuerint masculina sanctificabis Domino.

*Cald.* Transire facies omne quod aperit vuluã coram Domino, & omnes masculos qui aperiunt vuluam in animalibus, quos habueris sanctificabis coram Domino.

*Onk.* Transire facies omne quod aperit vuluã coram Domino, quidquid item vuluam aperit iumentorum, quæ tibi sunt, masculos inquã sanctificabis coram Domino.

*Pagn.* Transire facies quidquid primum aperit vuluam Domino, & quidquid primum aperit vuluam, & emittit animal quod erit tibi masculum erit Domino.

*Vatab.* Tunc transferes omnem apertionem vuluæ ad Iehouam, omnem item apertionem, emissionem iumenti quod tuum erit, mascula Iehouæ erunt. *sic Arias.*

*Alij teste Lippom.* Et quodcũque adiectitium primo aperuerit pecudem, quæ tibi fuerit.

*Alij.* Quidquid primo aperit vuluam, & euertit animal quod est tibi, masculina Domini erunt.

### CONCORDIA.

Verbum Hebraicum והעברת hahabarta eleganter reddidit noster interpres dicens, separabis à te, scilicet à te dando illud Domino, deinde paucis verbis & his clarissimis alia quæ sunt in Hebræo subsequentia transtulit, quæ sic redduntur, & omnem apertionem, emissionem animalis, quod erit tibi mascula Domino, quæ sane obscurissima: פטר peter sumitur & pro primogenito, vel pro adapertione.

### EXPOSITIO.

*Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi.* Nomine Chananæi omnes alias gentes in terra Chanaan commorantes intellige, *separabis omne quod aperit vuluam Domino*, offeres Domino omne quod aperit vuluam tam in hominibus quam in iumentis, & discernes illud à cæteris fœtibus, tanquam ad Dominum pertinens, *& quod primitiuum est in pecoribus tuis*, nomine pecorum hic intelligenda veniunt primogenita, non solum eorum quæ homines vel sarcinas portant; vt sunt asini, equi, cameli, sed quæ pastum & cibum præbent, vt sunt oues, boues, capræ, &c. licet quidam asserant, quod quia solius asini fit mentio, ideo camelos & equos debere excludi. sed non est maior ratio vnius quam aliorum, asini autem fuit facta mentio potius quam aliorum, quia id iumenti genus apud eos fuit frequentissimum: rarus enim camelorum vsus, aut aliorum iumentorum & equorum, & suadet auctoritas Numerorum 18. vbi dicitur omne animal quod immundum est redimi facies.

### CONCEPTVS.

*Facinoris virtuosi præmium spirituale requiratur.*

71 *Separabis omne quod aperit vuluam Domino.* Hoc requirit Deus pro interfectis Ægyptiorũ primogenitis. sed quodnam hoc præmium? nam temporale solum videtur pro strenuo opere quale fuit mors aduersariorum populi sui: an talis est Deus, vt pro eximiis actionibus & operibus virtutis, in quorum numero est exigere pœnam à sceleratis, tẽporale quid requirat? absit, non temporale est quod petitur, sed spirituale, non enim primogenita vt sic exiguntur, sed vt cultui diuino consecrata, & ab vsu prophano separata. sic autẽ considerata iam rationem præmij temporalis transcendunt, & sub spirituali comprehẽduntur, vnde recte Augustinus Epist. 120. reuocans eos (S. August.) qui Deo obsequuntur pro mercede temporali, *Non Deo seruire debent*, ait, *vt terrenam fœlicitatem adipisci quærerent.*

*Quod vnicum, Deo offerendum, & magis æstimabitur.*

*Separabis omne quod aperit vuluam Domino, quidquid habueris masculini sexus consecrabis* 72 *Domino.* Primogenita hominum requirit Deus ab Israelitis. sed, o Deus benignissime, si solũ vnicus fuerit filius patrisfamilias, in quo omnis familiæ suæ spes recumbit, qui suarum facultatum futurus est hæres; quomodo diuino tuo cultui consecrari postulas, & à patre separari? quidni? nam quod vnicum est tibi, licet fuerit filius, Deo offerendum est, & in maiori erit pretio. perite id canit Prudẽtius in præfatione Psychomachiæ dũ ait; (Prudent.)

*Quod dulce cordi est, quod pium, quod vnicum, Deo libenter offerendum credito.*

### *Affectus in Deum, paternum vincat affectum.*

73 *Separabis omne quod aperit vuluam.* Separabis inquam à profano vsu, & meo cultui dicabis, consecrabis obsequio. nonne singulari amore fertur pater in filium primogenitum? nonne omnis alius affectus paterno cedere debet amori? cur ergo primogenitum tibi offerri præcipis? da parenti filium dilectissimum, & ex amore quo filium vnigenitum prosequeris, cum quo filios parentes amplectuntur, intuere, & minores natu in obsequium tuum sume. primogenitum requirit licet amantissimum, licet vnicum, affectus enim paternus cedere debet affectui in Deum. pulchrè Franconius Abbas de gratia Dei, tomo 3. *Vincat paternum affectum affectus in Deum, & qui Deum patrem agnoscit, patrem se esse nesciat.* Franconius Abbas.

### *Similes idololatris qui non meliora Deo offerunt.*

74 *Separabis omne quod aperit vuluam.* Et ideo primogenitum erit, illud enim est quod primo vuluam matris aperit, secundum enim quod nascitur iam apertam inuenit. cur non obiiciunt Israelitæ, filios minores natu tibi consecratos sume, primogenitos nobis serua, nequaquam ita conuenit, similes enim idololatris qui non meliora Deo offerunt, quos ita perstringit Tertul. c. 13. apologet. *Non dico quales sitis in sacrificando cum euecta & tabidiosa quæque mactatis, cum de optimis & integris superuacua quæque truncatis capitula & vngulas quæ domi quoque pueris vel canibus destinaueritis, quum de decima Herculis nec tertiam partem in aram eius imponitis.* Tertul.

### *Deus vult sibi perfecta offerri.*

75 *Separabis omne quod aperit vuluam, quidquid habueris masculini sexus consecrabis Domino.* Cum contingere potuerit quod fœmina sit quæ primo vuluam matris aperuerit, cur etiam Deo non consecratur? cui diuinæ maiestati non offertur, vt in suum admittatur cultum? nemini dubium quin sexus fœmininus imperfectus respectu masculini censeatur: ne sciscitteris igitur, cur non exigit Deus vt sibi fœminina offerantur, vult enim sibi perfecta præsentari. mens est Abulens. *Deus solum mandauit redimi masculina, aut immolari. quia vult Deus pro se perfecta cum ipse sit perfectus sicut dicitur Matth. 5. estote perfecti sicut pater vester cœlestis perfectus est, opera etiam Dei perfecta sunt vt patet Deutero. 32. volebat ergo sexum perfectum sibi attribui. iste autem est sexus masculinus, cum natura intendat gignere masculinum, & fœmina sit vir occasionatus, debuit ergo ei applicari & offerri masculus.* Abulens. Matth. 5.

### *Quod Domino consecratum, censetur sanctum.*

76 *Separabis omne quod aperit vuluam.* Quod antea dixerat, sanctifica mihi primogenitum, tam in filiis Israel quam in pecoribus. si huiusmodi sanctificantur primogenita, sancta censebuntur. quis dubitat? sed si primogeniti Israelitarum dicantur sancti, non mirum sanctitatis sunt capaces. sed quod hoc effatur de pecoribus vix capere possum, nam sanctitas eis inhærere non potest, cum subiecta illius apta non sint. nonne exigit Deus ea sibi offerri, & suo cultui seruire? ne mireris ergo ea sancta censeri, annuit noster Bernard. Senensis ser. 10. qui est de Purificatione Deip. Virg. art. 1. c. 2. *Nominabantur sancta quia Domino offerebantur.* Noster Bernard.

### *Admiranda prorsus est Christi redemptoris humilitas.*

*Separabis omne quod aperit vuluam,* superius dixerat. *sanctifica mihi omne primogenitum.* Licet plures è sanctis patribus teneant solum Christũ Dominum hic intelligi, qui sanctus aperuit vuluam, matris tamen illæsa virginitate ipsius permanente, sanctus nascitur. sed alij è contra affirmant Christum Dominum nullomodo sub hac lege comprehendi posse, quia vuluam matris nõ aperuit; cur igitur tanquam primogenitus offertur & præsentatur in templo, nec non pretio redimitur? quomodo qui redemptor est omnium, redimitur? quomodo qui pro omnibus pretium debitorum est soluturus, pro eo datur pretium? quomodo qui purissimus ex purissima & intemerata Virgine natus est, tanquam sicut alij primogeniti vuluam matris aperuisset, offertur pretio redimendus? ô admiranda Christi redemptoris humilitas, qui sicut peccator legi redemptionis subiicitur, cum ab ea omnino liber esset. *In hac redemptione*, inquit cit. Bernardinus, *dedit Dominus exemplum profundissimæ humilitatis, quis enim non digne miratur Christi humilitatem, quando pretio auium redimitur pretium animarum nostrarum, & quod redemptor noster redimitur antequam redimamur ab illo.* 77 cit. S. Bern.

### *In Dei præceptis non est dubitationi locus.*

*Separabis omne quod aperit vuluam.* Nonne antea dixerat sanctifica mihi omne primogenitum, nonne qui dicit primogenitum, dicit etiam aperiens vuluam mittitur naturali modo nascendi, nequaquam quis posset primogenitus nasci, sine vuluæ apertione. cur ergo cum dixerat, sanctifica primogenitũ, addis, separa mihi omne quod aperit vuluam? aduerte quod si vir plures vxores haberet, ex quibus plurimos susciperet liberos, vnus sane eorum esset primogenitus, & nihilominus non sufficeret illum Deo offerre, sed omnes alios qui primo nati sibi fuissent ex aliis mulieribus, quia omnes primo vuluam aperuerunt. en ergo vt nullus dubitationi locus subesset in hoc præcepto primogenitorum, non solum primogenitum dixit separandum, sed omne quod vuluam aperit. obseruatio est Ruperti Abbatis qui eadem proposita difficultate, ait quare cum dixisset supra, sanctifica mihi omne primogenitum addidit hic & ibi quod aperit vuluam, respondet. *Videlicet vt dubium non esset. quod intendit, vult autem primogenitum omnis vteri quod plus est quam primogenitum viri. sæpe enim factum est & fit. vt plures vnius viri sint vxores, ne ergo suspicari liceret quod de quanlibet, ex multis vxoribus vnum primogenitum deberet, vnus vir, recte cum dixisset primogenitum, addendo quod aperit vuluam suam, exactionem definiuit.* 78 Rupert.

### *Licet omnia nobis dederit Deus, partem tamen solum exigit.*

*Separabis omne quod aperit vuluam Domino.* 79

Et illud consecraturus propter primogenitos ab Angelo exterminatore ictatos. hoc enim titulo petit sibi illos dicari. sed nonne tibi omnia titulo & creationis & cõseruationis debentur? à te enim & in esse, & in conseruari quodlibet in rerum natura subsistit, omnino dependet: cur igitur non exigit quidquid sub cuiuslibet hominis potestate continetur cum suum esse censeatur? quia Deus est nõ seuerus exactor, sed aliquid solũ ex tot debitis postulans, ita censet S. Ambr. lib. 1. de Cain

S. Ambros. & Abel c. 10. *Non totum exigit à te Deus, qui totum donauit, multa enim ad vsum substantia largitur humanæ, & hoc non potest esse diuinum sacrificium vbi est vsus naturæ.*

*Virtutes sunt masculinæ, & ideo Deo offerendæ non vitia quia fœminina.*

80 *Separabis omne quod aperit vuluam.* Fœmina tibi offerenda est ergo cum multoties illa sit, quæ vuluam matris primo aperiat. sed falleris, cum postea dixerit, quid sit illud primum aperiens vuluam, quod sibi offerendum est, quidquid habueris masculini sexus consecrabis Domino. sed à litterali ad spiritualem sensum transeamus, non est dubium quin anima plura generet, ex corde enim exeunt cogitationes, sicque vuluam aperiat

Isai. 26. secundum illud Isaiæ 26. in vtero accepimus & parturiuimus spiritum salutis: quodnam ergo hanc animæ vuluam aperiens Deo consecrabitur? nonne ab anima virtutes & vitia nascuntur? ita sane, sed cum vitia sint fœminina & imbecilla, virtutes autem viriles & robustæ, colligere debes solas virtutes Dei oblatione dignas, vt pote

S. Ambros. masculinas. sitto ex. Episcopum Mediolanensem. *Quæramus omne quod aperit vuluam, masculinum, hoc est iustum, & principale, quod sanctificare Domino debeamus: neque enim hi nos corporei fœtus atque conceptus partusque sanctificant, quibus vulua fœminea deplorato pudore virginitatis aperitur. nam etsi mulier sanctificat virum, & vir mulierem, tamen plerumque contingit virginis vuluam etiam sine coniugij sanctitate reserari &c. officia animæ discutientes, istam sane inuenio quæ nullo discreta sit sexu, & cum concipit parit, & sicut fœminis dedit vuluam natura in qua vniuscuiusque animantis generatio per mẽstruas formatur ætates, ita est quædam virtus animæ, quæ velut quodam vulua genitalis secreto cogitationum nostrarum suscipere semina, conceptus fouere, partus solet edere: neque enim aliter diceret Isaias, in vtero accepimus & parturiuimus spiritum salutis, nisi vuluam animæ nouisset: harum generationum quædam fœmineæ sunt malitia, petulantia, luxuries, intemperantia, impudicitia, aliaque huiusmodi vitia, quibus animi nostri quædam eneruatur virilitas: masculina sunt castitas, patientia, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia, quibus mens nostra & caro ipsa firmatur, & ad obeunda impigre munia virtutis erigitur: hos partus alius ille propheticus parturiuit, & ideo ait in vtero accepimus & parturiuimus spiritum salutis.*

*Sensus nostri rationi se subiicientes Deo offerendi.*

81 *Separabis omne quod aperit vuluam.* Non solum in filiis Israel sed quidquid primitiuum est in pecoribus, si masculinum fuerit consecrabis Domi-

A no. dixerat de principalibus generationibus, hoc est plenis capacibusque rationis, addidit de gregalibus, hoc est reliquis velut plebeis sensibus, qui irrationabilibus cõparantur iumentis sed sicut non omnia in vniuersum pecora Deo consecrantur, sed solum quædam: an quæso omnes sensus qui pecoribus conferuntur, Deo consecrandi sunt? aduerte quod iumenta si à rectore aliquo gubernantur facile mansuescunt, & imperata exequi, & iugum subire, & ad vocem magistri accelerare gradum, aut sistere, aut deflectere, aut aliqua munia aut operis quæ iubentur, humano quodam famulatu obedire consueuerunt, tantum valet institutio vt vincat naturam. itaque illa quæ consortium nostræ substantiæ non habẽt, agnoscunt tamen nostræ vocis imperium, & cum suæ

B naturæ nullam rationem habeant, nostræ naturæ rationem capessunt, & quodammodo transfusam acquirunt. equos videmus popularibus incitari studiis, gaudere plausibus, blanditiis delectari magistri. toruos leones cernimus naturalem feritatem imperata mutare mansuetudine, suam rabiẽ deponere, nostros mores sumere, & cum ipsi sint terribiles, discunt timere. cæditur canis vt pauescat leo, & qui sua iniuria exasperatur, coercetur aliena, alteriusque exemplo frangitur: quoties parata præda & cibo obuio famẽ perpeti malunt, dum offensam magistri verentur? quoties repentino impulsi motu, aperta ad morsus ora iussi resoluunt? ita dum nostræ voluntati obsequuntur, suæ obliuiscuntur. non ita illæ feræ vel illa armenta equorum vel omne genus pecudum quæ sine rectore vagantur vlio, & omni domitoris gubernaculo destituta exasperantur, & ideo appositi sunt armentarij, opiliones, cæterique pastores

C quidam magistri gregum, officia sua singulis animantium commissorum sibi conditione formantur. sic etiam & sensuum nostrorum quidam rationem ducem sequuntur, & illius imperium subeunt, quidam ea neglecta in delectationes belluinas prorumpunt: dic ergo non quoslibet sensus Deo tanquam masculos ex pecoribus offerri, sed qui rationem ducem sequuntur. in hoc præiuit S. S. Epis. Med. Ambrosius lib. 2. de Cain & Abel c. 1. *Videtur & sensuum nostrorum quoddam genus, aliud domi mansuetum, aliud indomitum, quod armentario quodam metu mentis velut deside atque resoluto prorupat ad irrationabiles delectationes corporis: mansuetum autem quod velut duci cuidam moderationi mentis se subiiciat, & subdat: quæcumque ergo eius naturæ reguntur, ea sunt masculina atque perfecta,*

D *quæcumque autem sine duce vllo plebeia præsumptione quadam dominantur, velut ciuitatis alicuius quæ regis optimatumque consilio priuata sit, ita omnem corporis sui statum & virilem vigorem muliebri quadam dissolutione effœminant, ex istis illa lex carnis est, quæ legem Apostolicæ mentis impugnãs captiuam trahebat eam quadam lege peccati, & ideo vt de illo mortis corpore liberaretur, spem suam Paulus omnẽ non in sua virtute sed in Christi gratia reponebat: vnde liquet quod hæ commotiones quæ secundum legem mentis sunt, diuino fauore præcedunt, alij autem sensus ex voluntate corporea: illa igitur quæ sancta sunt primitiua sunt nostrorum sensuum, ista velut de quodam grege sunt & vilitate plebeia, quod varie videtur Moyses nominibus significasse diuersis.*



## *VARIETAS LECT. Verſ. 13.*

VVlg. Primogenitum aſini mutabis oue, quod ſi non redemeris, morte interficies, omne autem primogenitum de filiis tuis pretio redimes.

*Sep.* Omne adaperiens vuluam aſini mutabis oue, ſin autem non mutaueris redimes illud, omne primogenitum hominis filiorum tuorum redimes.

A

*Cald.* Omne primogenitũ aſini redimes agno, & ſi non redemeris, mactabis eum, omneque primogenitum in filiis tuis redimes.

*Pagn.* Redimes hœdo, & ſi non redemeris ceruicem franges ei.

*Oleaſt.* Apertionem aſini redimes pecude.

*Onk.* Deceruicabis eum.

*Eugub.* Excerebrabis eum.

## *CONCORDIA.*

NEſcio quo motus ſpiritu Eugubin. vt Sept. vbicumque ſe ſe offert occaſio eos pũgat, nec ſciat eos aliquomodo excuſare, ſic enim hic ait, quantum ad noſtros attinet codices nulla eſt controuerſia, non enim aliter habent Hebraica, ac Græci codices permultum & ab ipſa veritate, & ab ipſa ratione diſcrepant, præcipitur enim hìc vt primogenita eorum animalium quæ ſacrificari non ſolent, vt aſini, & equi, redimantur, vel commutentur aliis animalibus ſacrificio aptis, quæ commutatio ſi facta non fuerit, præcipit vt eius animalis primogenitum non permittatur viuere. hoc igitur quomodo in codicibus Græcis exprimatur, cognoſcamus ἐὰν δὲ μὴ ἀλλάξῃς λυτρώσῃ αὐτό quod ſi non mutaueris redimes. at non eſt B idem commutare & redimere. vertendum igitur, vt fecit Hieronymus: ſed modeſtius agendum eſt cum verſione Septua. quæ ſemper in honore habita eſt. dicendum ergo vel quod ſubrepſerit aliquod mendum, vel quod myſterium aliquod occultum lateat. ego vero de mendo non dubito, & pro λυτρώσῃ redimes λυθρώσῃ cruentabis, ſanguinem eius fundes. vbi legimus mutabis oue alij habent redimes vel agno vel pecude, vox enim שה ſe eſt communis ad hæc omnia. verbum autem ערף haraph deceruicare, excerulcare, vel frangere ceruicem proprie ſignificat, & quia ex fractione ceruicis mors ſequitur, hinc recte noſter interpres reddidit morte interficies.

## EXPOSITIO.

PRimogenitum aſini mutabis oue. Primogenitus aſini dicitur pro primogenito aſinæ, huius enim aperitur vulua, potius autem aſini quã equi mentionem fecit, quia illius erat frequentiſſimus vſus apud Iudæos, & quo præ equis vti ſolent. hinc principes eorum non equis inequitabant, vt patet Iudic 10. & 12. vnde & Chriſtus Rex aſino vectus ingreſſus eſt Hieruſalem. quin & equorũ vſus (vti volunt aliqui) vel verius equorum copia Iudæis vetita fuit. vt patet Deutero. 17. Pſal. 71. Iſai. 2. idque in Iſaiæ 2. ſcribentes S. Hieron. Baſilius diſerte docent.

*Mutabis oue* quam ſcilicet immolare liceat, *quod ſi non redemeris morte interficies*, nõ per ſpeciem ſacrificij, nefas enim erat immundũ animal Deo immolare, ſed cæde alia quæ non eſſet ſpecies diuini cultus. liberum ergo erat vel redimere, vel interficere, quia contingere poterat, vt aſinus D futurus eſſet inutilis. atque adeo herus mallet aſino carere, quam oue, proinde libera optio relinquitur, vt vel aſinum retineat, vel oue redimat. atque ita vſibus profanis eum deſtinare poſſit, vel certe ſi redimere nolit, interficiat, cum res Deo dicata, nec redempta, non poſſit vſibus profanis deſtinari: quod diximus de aſino intellige de camelo & equo.

*Omne autem primogenitum de filiis Iſrael pretio redimes.* Aliqui dixerãt primogenitum etiã commutare poſſe pro aliquo quod eius loco immolari poſſet: ſed illa verba redimes pretio, non habẽt hunc ſenſum. ſed quod pretio redimendum erat primogenitum Iſraelitarum, pretium autem erat quinque ſiclorũ, voluit autem illud redimi, vt hæc redemptio refricaret eis memoriam redemptionis primogenitorum, cum hæc ab Angelo & morte liberata ſunt.

## CONCEPTVS.

### *Dei etiam beneuolentia erga animalia.*

52 PRimogenitum aſini mutabis oue. Nunquid Deo cura eſt de bobus? & à fortiori nunquid Deo cura eſt de aſinis, vt eorum primogenitos præcipiat oue mutari? & licet vero verius, quod omniũ animalium etiam prouidentiam habeat, cur ſpecialiter ſtatuit de primogenitis aſinorum potius quam equorum, qui ſane inter domeſtica animalia nobiliſſimi & generoſſimi ſunt? aduerte nullum animal ita prolem ſuam diligere ac aſinam. tanta ergo eſt etiam Dei beneuolentia erga aliqua animalia, vt nõ ea velit contriſtare prolis abſentia. hoc accepi à Cornelio à Lapide. *Noluit Deus aſellos à matre auelli ne matrem affligeret, nullum enim animal ita amat prolem vt aſinus & ſimia.* Corn. Lapi.
*Tanti Deus ſeruos ſuos facit, vt ea etiam ratione carẽtia, quia illis ſeruierũt, aliquo modo honorat.*

*Primogenitum aſini mutabis oue.* Primogenitus 53
ergo

ergo asini debebatur Deo, tamen nec vsui profano A addici posset, sed redimebatur oue, quæ Deo in sacrificium offerri poterat: sed quia de causa præcipue asinum animal immundum abiectissimum eximit ab vsu profano, cum nihil sit eo vilius? aduerte ex Abraham Auenezra, quod maxima asinorum multitudo educta fuit ex Ægypto, quæ vtilissima fuit populo Israelitico, ad deferendam suam suppellectilem, pueros suos, mulieres, & senes vehendos: cur ergo non dicemus quod tanti Deus suos pendit famulos, vt etiam ratione carentia, quia illis commodi fuere, & vtilitatis, aliquomodo dignetur obsequio suo, non dissentit

Abulens. Abulens. *Asinorum autem redemptio commendanda erat, quia licet aliqua animalia haberent vt equos, mulos, vel forte camelos, tamen pauca animalia erant de illis, ideo modicum adiumentum Hebræis egredientibus præstare poterant: asini autem fuerunt quasi in multitudine infinita, ideo illi totum onus suppellectilium Hebræorum & paruulos suos & vxores deferebant, quamobrem voluit Deus illud animal honorare, aut quandam ei excellentiam inter cætera tribuere.*

## *Deus suos ab idololatria reuocat.*

57 *Primogenitum asini mutabis oue, quod si non redemeris interficies.* Quid? nonne asinus ad obsequiũ Domini sui destinatur? nonne ei vtilissimus est ad onera ferenda? cur ergo iubes vt interficiatur? forte pauperculus agricola nihil aliud possidebat præter asinam, ex cuius prole aliquam vtilitatem capturum se arbitratur: cur ergo in pauperes benignissimus, pauperculum possessione sua deiicis? aduerte ex Abulensi, gentiles asinum immolasse

Tostat. Deo suo Priapo, eius verba do. *Priapus vocatur Deus Hellespontiacus quia fuit natus in insula Hellesponto, & ex ea propter magnitudinẽ membri virilis exulauit, & postea in gratiam ob eandem turpissimam causam in Deum assumptus est, huic autem Asinus immolatur, propter inimicitiam quam habet cum eo, quia clamoribus suis importunis eum à solatio nympharum, quod iam ei inesse videbatur, disturbauit.* Cur ergo non dicemus merito nec sibi immolari voluisse sed interfici vt suos ab idololatria reuocaret & à cultũ priapi deterreret?

## *Quæ vilia & immunda tenemus, Deo non offerenda.*

58 *Primogenitum asini redimes, quod si non redemeris interficies.* Quid à tuo reiicis obsequio animal quod ita vtile fuit populo dilecto, si redimi non potest tibi consecratũ maneat, & in tuum honorẽ tibi immoletur, quæ enim vtilitas ex illius occisione? non dubitas quin illud animal sit abiectissimum & immundum: cur ergo Deo immolaretur? ea enim quæ vilia & immunda censemus, ipsi offerri non deberent. *Arguit locus iste,* (inquit O-

Oleast. least.) *esse quædam quæ Dominus reiicit, neque libenter accipit alioqui natura sua bona, quid hoc est Domine quod sic asinum reiicis? nonne creasti illum quemadmodum omnia alia? ita quidem sed vult nos docere, vt quæ vilia reputamus non offeramus illi.*

## *Decori Dei non detrahendum.*

59 *Primogenitum asini redimes oue, quod si non redemeris interficies.* Si quia inutilis primogenitus asinæ est, non vult redimere eũ illius Dominus, cur interficiet? cur sibi eum non seruabit? forte enim successu temporis vtilis euadet? nonne iam Dei est, ex illa lege omne primogenitum tam de filiis Israel quam de pecudibus consecrabis Domino? merito igitur si non redimitur oue, interfici iubetur, non autem Domino suo seruatur, quia in dedecus Dei esset, si quod sibi consecratum, profano vsui deseruiret: sistendus Cardinal. Caiet.

Cardin. Caiet. *Quia asinus erat animal non immolabile, propterea redimendus præcipitur aut interficiendus, poterat quippe contingere, vt primogenitus asinæ esset inutilis, ac per hoc Dominus eius nollet redimere oue, & in eiusmodi euentu præcipitur primogenitus ille interficiendus, quia videlicet Dei est & non redemptus, derogaret enim decori rei diuinæ si res Deo profanos vsus verteretur vel neglecta seu derelicta haberetur.*

## *Ingratitudo maxime Deo inuisa.*

*Primogenitum asini redimes oue, quod si non feceris, interficies,* Pagnin. *& ceruicem franges.* alii, *excerucabitur,* Cur hoc genus mortis B indicitur? horrendum enim est alteri ceruicem frangere: quasi genus cuiusdam ingratitudinis erat nolle Deo consecratum animal redimere, in detestationem igitur illius ingratitudinis, præcipit vt frangatur ceruix asino, *Excerucatio,* inquit Abul. *fiebat in horrorem ingratitudinis, quia omittendo redemptionem, parum se gratum esse plane ostendebat Dominus pecoris.* 60

Abulens.

## *Ab homidio reuocamur.*

*Primogenitum asini redimes oue, quod si non redemeris interficies.* Quid autem statuis de primogenitis Israelitarum tibi consecratis? vt pretio redimãtur, sed si eorum parentes nolunt redimere, nec vtiles sint tuo cultui, vt pote claudi, cæci, &c. quid de his decernis? an vt interficiantur? nequaquam, cur non interficientur in pœnam suæ ingratitudinis? omnes enim Israelitarũ primogeniti sunt tui non solum titulo creationis & conseruationis, sed etiã titulo redemptionis: potes ergo de eis quodlibet statuere, etiam vt interficiantur. minime id decernit, sed vt pretio redimantur, omnino enim habat iniustum homicidium & ab eo nos reuocare contendit, ita Cyrillus. *Primogenita hominum redimi iubet vt homicidium vetet, quia omnia vt incorruptibilia essent creauit.* 61

C

Cyrill. In Cat.

## *Agnum Eucharisticum sumpturus, vel sis pœnitens, vel innocens.*

*Primogenitum asini mutabis oue.* Primogenitos tã in pecudibus quam in filiis Israelitarum sibi consecrari postulat, sane primogenitorum sacrificiũ Eucharistiæ sacrificium obumbrabat: sed dum de agno Paschali agitur, quo agnus Eucharisticus denotatur: cur tantidem ouis & asinus æstimantur? ait enim Deus primogenitum asini redimes oue, sane asinus addictum animal labori est, sicut ouis innocentiam denotat: ergo quantum attinet D ad sacrificium Eucharistiæ, idem est laborem seu innocentiam importare, siue innocens siue pœnitens fueris, perinde feceris: ergo si nunquam piaculis animum contaminasti, accede: si post lapsum pœnituisti accede, vel quidem ouis contemplationem denotat, asinus vero actionem, ergo vel multa contemplatus accede ad Eucharistiam, siue postquam te sanctis operibus exercueris, siue vnum siue alterum præstiteris, non male hoc ex Ambr. dixerim lib. 2. de Cain & Abel c. 2. *Cæterum si quis sensum spiritualis intelligentiæ altius prosequatur, considerabit quod asinus laboriosum* 62

S. Ambros.

*sit animal, ouis fructuosa, fructu ergo dicit mutuandum laborem, vt finis operis sui fructus sit vel certe hoc modo omnem laborem tuum, omnem industriam puro & simplici mutuabis affectu.* Iuxta hæc vltima Ambrosij verba, ouis pura intentio est, asinus opus, ergo in ara Dei pro asino ouis imponitur, idest pro opere pura intentio, ergo si recte operari non potes, tandem pro desiderio Deum pulsa, quia vtrumque apud eundem eiusdem est valoris & meriti.

### *Immundam vitam in puram & innocentem commuta.*

60 *Primogenitum asini mutabis oue.* Sane in maiori pretio est asellus quam ouis, vel vt habet Cald. agnus, quare ergo commutatur oue? commutatio enim deberet esse æquiualentis ad æquiualens: adverte immunditiam & luxuriam, asino, sicut agno innocentiam & vitæ puritatem adumbrari. merito iubet igitur Deus asini primogenitum mutare oue, quæ sibi in sacrificium offeratur, quia commutatio sibi erit acceptissima, cum vitæ immundū genus in purum & incontaminatū commutauerimus. sic allegoricè hunc locum exponit S. Greg. Mag. lib. 27. moral. c. 11. & hom. 8. in Ezech. S. Greg. Mag. *Quid per asinum,* inquit, *nisi immunditia? & quid per ouem nisi innocentia designatur? asini ergo primogenitum oue mutare est immundæ vitæ primordia in innocentiam simplicitatis conuertere, vt postquam illa peccator egit quæ vt immunda Dominus respuit, etiam agendo proferat, quæ Dei sacrificio imponat: omnes enim homines natura peccatis sumus atque ex carnis delectationis concepti, culpæ nobiscum originem trahimus, vnde fit vt etiam ex voluntate nostra peccatis implicemur: sed quisquis post malitiam carnis ad innocentiam conuertitur cordis, primogenitum asini mutat oue, quia prioris vitæ immunditiam ad innocentiam conuertit, qui enim qualis prius fuerit esse desinit, apprehensa carnis munditia innocentiam custodit, in oblationem Dei primogenitum asini ad ouem mutauit.*

### *Qui peccata redimere eleemosynis renuit, mortis reus erit.*

61 *Primogenitum asini redimes oue.* Rupertus moraliter hoc explicans ait, præcedentia carnis opera posteriore spiritus correctione, quisquis superet, peccatum namque carnis primogenitum asini eleemosyna vero qua præcedens peccatum redimitur, recte dicitur ouis: sed quid est quod si non redimitur morte interficiatur, vel vt habet ex Hebræo Pagninus, ceruix frangatur ei? cur interficietur cum Deus asserat se nolle mortē peccatoris, sed vt conuertatur & viuat? respondet tamen cit. Abbas. Rupertus. *Quia videlicet qui peccata sua redimere renuit, morti sempiternæ seipsum addicit.*

### *Omnem laborem nostrum & studium, vero & puro commendemus affectu.*

62 *Primogenitū asini redimes oue.* Cur potius oue quā hœdo? etiam hœdus animal mundum erat, deoque in sacrificium offerebatur: non est dubium quin asino oneribus ferendis idoneo, labor noster & studium, quod forte rebus mundanis impenditur, adumbretur, sicut oue purus & syncerus affectus, vel recta & simplex intentio. quid mirum igitur si non hædo, sed oue, vel agno, vt habet Caldæus, commutatur primogenitus asini? omnis enim laboris nostri & studij primitiæ, pura intentione commendandæ & sincero affecta commutandæ, vel melius dirigendæ, sic hanc veritatem illustrat S. Doctor Mediolanensis præfato libro. Ambros. *Hoc modo omnem laborem tuum, omnem industriam puro & simplici commendabis affectu; relinquenda ergo sunt opera quæ verum fructum, bonosque processus habere non possunt, qualia sunt ista mundana quorum vsus non potest esse diuturnus, in quibus ipse nudus & veri vacuus effectus est, & quamuis summo quæsitus labore animam nihil iuuat: ea enim quæ seruitutem animæ inferunt, inutilia sunt omnia, etsi non desit effectus, magna videtur præliantium victoria triumphantium gloria. sed frequenter ipsos videmus qui vicerint rursus bellorum subiacere incertis, & transferri ad hostem euentu prælij, & eo ipso quo victores ante fuerint, fieri miseriores. opus ergo est, vt opera tua ad Deum dirigas & eius tibi aspiret fauor. athleta ipse qui suis non alienis decertat viribus, quoties congreditur dubios casus subire se credit, & cum ad coronam peruenerit intelligit citius hanc mundi gloriam tanquam coronæ ipsius folia marcescere: gubernator cum in portū nauem duxerit vix finem impositum labori putat, & statim quærit laboris exordium: soluitur corpore anima & post finem vitæ huius adhuc tamen futuri iudicij ambiguo suspenditur, ita finis nullus vbi finis, vnde veris & pura conscientia & spiritu charitatis adhæreamus Deo nostro, & diuinum nobis conciliemus fauorem, precantes vt sæcularibus curis tanquam ab immitibus Dominis possimus absolui, atque exui mundanoque exire seruitio, in libertatem supernæ cognitionis, quæ vera & sola est libertas, vocati.*

### *Deus sui iuris iacturam non patietur.*

*Primogenitum asini redimes oue.* Nec non primogenitum in filiis tuis redimes, cum Deus sit liberalissimus, imo ipsamet liberalitas, vnde Greg. Nazianz. de pauperum amore sic consulit, fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando, quasi qui in alios est liberalis, sit Deus qui fons est liberalitatis. si ergo ita se res habet, quomodo Deus eorum, quæ sibi consecrata sunt, pretium exigit? cur primogenitos parentibus suis gratuito non donat, vt maiori titulo obligationis & gratitudinis eos constringeret? exigit pretium Deus, quia sui iuris iacturam non patitur: hinc Olearster. *Non vult Dominus perdere aliquid sui iuris, quod aduertant qui Deo debita suffurantur.* 63 Oleaster.

### *Non statim cum quis fidei nostræ imbutus est rudimentis, adducendus est ad Eucharisticum sacramentum.*

*Primogenitum asini redimes oue.* Nam Deo consecratum erat, sicut & mundorum primogenita. Dictum enim est superius, omne primogenitum quod aperit vuluam tā in filijs Israel quam in pecudibus consecrabis Domino, paulopost idem iubet, in monte Choreb, cum hac appendice, vitulus tuus, ouis tua, & iumentum tuum septem diebus erit sub matre, octauo autem dabis mihi ipsum: cur ilico vt aperuit ouicula matris vuluam, Deo non immolatur? cur in sacrificium non offertur? cur octauus dies expectatu 64

consulamus Procopium Græcum sic dicentem, A idem etiam apud nos, qui rationabiles oues dicamus, obseruari solet. etenim continuo vacatos & nouitios qui adhuc hærent primis fidei rudimentis non adducimus ad diuinum illud & incruentum sacrificium, sed huiusmodi homines in catechumenorum numero aliquantisper retinentur, lactisque potu quem ministrat mater Ecclesia, aluntur, & confirmantur paulatim, secundum illum qui ait, lacte potaui vos, nec solido cibo pau, nondum enim potuistis, imo nec nunc quidem potestis & rerum omnis qui particeps est lactis, rudis est sermonis iustitiæ, est enim infans, perfectorum autem est solidus cibus, lacte imbutos & pastos apportant octauo die, qui significat tempus resurrectionis, cuius rei Symbolum est Baptismus, quo quasi rudes & infantes depelluntur lacte, nam vt inquit Paulus consepulti sumus ei per Baptismum in B mortem, vt quemadmodum Christus excitatus est è mortuis, per gloriam Patris, sic nos in nouitate vitæ ambulemus, regenerati per fidem ad agnitionem veritatis, & conformes reddamur illi qui nostri respectu primogenitus est. deinde epoto & rationali illo & syncero lacte, tenouemur in virum perfectum, in mensuram ætatis plene adultæ Christi, tum demum erimus Sancti Domino, & consecrabimur, scilicet mundo quidem mortui & Deo viuentes, Sancti sicut victimæ quæ ad altare cæduntur, nam inquit Paulus mortui estis & vita vestra occultata est in Christo cum Deo siquidem sancta est mors sanctorum, vt docet illud eloquium, pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

*Fides nostra perit nisi bonis operibus redimatur.* C

65 *Primogenitum asini redimes oue, omne autem primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes.* Quale est hominis Israelitæ primogenitum, sane fides quæ in nobis tanquam prima & fundamentum aliarum virtutum præsupponitur, Chrysostomus (S. Chrysost.) serm. de fide fide, spe & charitate, fides est origo iustitiæ, sanctitatis caput, deuotionis principium, religionis fundamentum, nullus inquam sine hac Dominum promeruit, nullus sine illa fastigium sublimitatis ascendit: Russinus (Russinus) in expositione Symboli Apostol. Fides fons & origo omnium bonorum, & S. August. serm. 38. de (S August.) tempore, Fides est humanæ salutis initium, sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest peruenire, quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam iustificationis consequitur gratiam, neque in futuro vitam possidebit æternam. sed si primogenitum hominis est fides, quia à Deo in nobis primo nascitur, cur pretio redimenda? hoc pretium tene esse bona opera, sine quibus fides illa mortua est, in medium adduco testimonium Brunonis apud Titmanum. *Hominis primogenitum fides est, sine qua impossibile est placere Deo, hæc omnium virtutum prima in mentibus filium nascitur, hæc prima à sacerdotibus in Christianorum cordibus generatur: sed quia fides sine operibus mortua est vt pretio redimatur necesse est, baptizatus es, fidem habes, cessas à bono opere, moritur fides tua: si ergo in his qui à bonis cessant operibus fides otiosa mortua est, quanto magis in homicidis, adulteris, sacrilegis fides mortua esse credenda est? Apostolus enim dicit, qui suorum & maxime Domesticorum curam non habet, fidem non habet, & est infidelis deterior: non igitur semel, sed multoties fides redimenda est, redimatur ergo sed quanto pretio? quinque vtique siclis, id est quinque corporis sensibus, qui tunc quidem argentei sunt, quando pro sua puritate digni fiunt, qui in thesauris reponantur.*

*Tandem vitam Deo debere testari debemus.*

*Primogenitum asini redimes oue, omne autem primogenitum hominis de filijs tuis pretio redimes.* Redimunt nunc quoque primogenitos Iudæi, idque post diem trigesimum, ex quo natus infantulus est: quod si pater ante hunc terminum à vita discedat, tunc mater si filium non redimat rea nō est, collo autem eius cartulam laminulamque auream appendit, in qua Hebraicis litteris, quæ id sonant scribit, filiolus primogenitus hic est, sed non redemptus, filiolus autem iste cum adoleuerit redimere se ipse à sacerdote debet. sed cur cū à patre non redemptus, nec mater ipsum redemerit, cur seipsum redimet? quia tandem aliquando vitam Deo debere, testari tenetur, ita censet Oleaster. (Oleaster.) *Memento inquit redimere vitam tuam quam Deo debes.* 68



# VARIETAS LECT. *Vers.* 14. & 15.

**V***Vlg.* Cumque interrogauerit te filius tuus D cras dicens quid est hoc? respondebis ei, in manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti, & de domo seruitutis.

*Sept.* Si autem interrogauerit te filius tuus dicens quid hoc est? dices ei quoniam in manu valida eduxit nos Dominus.

*Pagni.* In fortitudine manus eduxit nos.

*Vulg.* Nam cum esset induratus Pharao, & nollet nos dimittere occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito hominis vsque ad primogenita iumentorum, idcirco immolo omne quod aperit vuluam masculini sexus, & omnia primogenita mea redimo.

*Sept.* Quando autem indurauit se Pharao ad dimittendum nos interfecit omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenitis hominum vsque ad primogenita pecorum, propter hoc ego immolo omne adaperiens vuluam, masculina Domino & omne primogenitum filiorum meorum redimo.

*Pagni.* Idcirco ego sacrifico Domino, quidquid primo aperit vuluam, masculos.

*Vatab.* Idcirco ego sacrifico Iehouæ omnem apertionem vuluæ masculini sexus.

*Aliq.* Et fuit cum difficilem se redderet Pharao,

### *CONCORDIA.*

HÆc verba Hebraica כי הקשה פרעה chi hikfa Pharao, quæ recte transtulit noster interpres, cum induratus esset Pharao, alij non ineptè verterunt, cum difficilem se redderet A Pharao, ex obstinatione enim mentis difficilem se omnino præbuit in permittendo Israelitarum egressu ex Ægypto.

### EXPOSITIO.

SI te interrogauerit filius tuus. Nesciens cur hę cæremoniæ fierent, tam in esu agni Paschalis quam in primogenitorum consecratione & eorum redemptione, *cras dicens*, futuris temporibus, est synedoche ponitur enim cras pro futuro tempore, etiam post plurimos annos, *quid est hoc?* non de re inquirunt, sed de causa, ratio ergo subiicitur, *in manu forti eduxit nos Dominus, nam cum induratus esset Pharao*, licet varijs probatus plagis, occidit Dominus omne primogenitum, vt primogenitorum saltem interitu ad concedendam nobis liberam abeundi licentiam, induceretur. *idcirco immolo*, quia & Deus eorum primogenita interfecit, nostra autem illæsa seruauit, immolo idest ea trado immolanda, *& omnia primogenita redimo*, quia immolari non debent, sed pretio quinque siclorum redimi.

### CONCEPTVS.

*Ita aliquando corda hominum ferrea erga Deum benefactorem, vt nisi difficile emolleantur.*

66 QVod si interrogauerit te filius tuus, cras dicens quid est hoc? &c. Si quis quæ in præcedenti & in hoc capite continentur attentè legerit hæc quę hic iacent, multoties repetita, & quasi vsque ad nauseam, reperiet quod sane ab historiographo vitari debet, ne lectori fastidium pariat: cur ergo sapientissimus Moyses hanc non fugit repetitionem? recte nouerat populi sui lapideam, & quasi ferream mentem, qui nisi pluries inculcata fuissent à Deo beneficia accepta, ea obliuioni traderet, ita ponderat Dionysius Car. (Dionys. Char) *Moyses, inquit, ea multoties repetit, vt ea durissimis cordibus Iudæorum firmius inculcaret, quemadmodum enim lapis aut* C *ferrum non cito recipit formam imaginis imprimendæ, sic corda illa lapidea, imo ferrea, frequenti repetitione & incusione egebant, vt tandem diuina testimonia & mandata stabiliter retinerent, quod legislatorem eorũ non latuit, non ergo superflua fuit tã frequens repetitio.*

*Licet omnes deberemus instruere de his quæ fidem nostram spectant, sed potiori ratione sanguine coniunctos.*

67 *Quod si interrogauerit te filius tuus, cras dicens quid est hoc?* An parentes satisfecerunt eorum interrogationi? & amplissimè quidem, vt videre est in contextu, licet enim omnes instruere deberemus, de his quæ ad fidem nostram spectant, eos qui de illa sunt solliciti & cupidi, dummodo idonei censeamur: sed D potiori ratione eos qui nobis sanguine affinitate, vel amicitiæ vinculo sunt coniuncti: sic explicat ad mentem nostram Episc. Abulens. (Abulens.) *cum interrogauerit te filius tuus quem teneris principaliter instruere, quia licet omnibus parati esse debemus reddere rationem de ea quæ in nobis est fide, vt ait Apostolus, multo magis filiis nostris quos tenemur instruere in moralibus.*

*Tam accepti sunt qui ministrant aliquid Deo sacrificaturi, vt ipsi sacrificare dicantur.*

68 *Quod si interrogauerit te filius tuus cras dicens, &c. idcirco immolo omne quod aperit vuluam*, Vata. & B Pagni. *idcirco ego sacrifico.* Quid? an tuũ erat immolare aut sacrificare, an sacerdotis? cum ex numeror. primo & tertio nobis constet, quod quicumque ita temerarius de extraneis, idest de his qui non fuissent de tribu Leuitica ad tabernaculum accedere, vel ministrandi vel alterius rei gratia, morte punirentur? quomodo ergo quilibet ex parentibus ait se immolare vel sacrificare primogenita pecudum? quia ita Deo accepti qui aliquid in suũ sacrificium offerunt, vt ipsimet sacrificare censeantur, non renuit Abul. cum ait. *Immolo Domino idest trado ea ad immolandum ipse qui dabat primogenitum pecoris non immolabat illud, sed sacerdos nam nullus alius hoc sacrificium sub pœna mortis accipere debet.* (Citatus Episcop.)

*Quo quis maior & præstantior, eo in plures beneficentior.*

*Quod si te interrogauerit filius tuus, &c. dicens cras quid est hoc? quia eduxit nos Dominus de Ægypto & de domo seruitutis.* Medio ergo Moyse totius populi antesignano, cum eduxit & liberauit: sed quos liberauit? solum Israelitas & aliquos familiares & famulos sed quos Deus medio Christo Domino non solum ab Ægypto liberauit, sed à tyrannide Pharaonis tantum? sane omne genus hominum: nec mirum quo quis enim maior & præstantior, qualis Christus respectu Moysis, eo in plures beneficentior, ex quo supra Moysen extollens Christum Dominum sanctus Zeno Veronensis serm. 10. de Exodo ait. (S.Zeno.) *Iudæi maiores suos Pharaonis exercitusque eius graui seruitutis iugo depressos, de Ægypto prædicant liberatos; à Diaboli rabie idolorumque turba violenta non tantum non maiores sed omnis Christiana progenies de vera Ægypto, idest de isto mundo momentis omnibus liberatur.* Quantus Iesus supra Moysem, à quo non solum maiores, sed & minimi omni tempore ad salutem ducuntur? 69

*Summam hominis perfectionem attigit, qui & Deo familiaris est, & hominibus salutaris.*

*Quod si interrogauerit te filius tuus, dicens cras quid est hoc? quia eduxit nos Dominus de domo* 70

*seruitutis.* Hęc Deus aperiebat Moysi arcana, nec non alia quæ hic & alibi continentur mysteria, quę sane indicant ipsius cum Deo maximam familiaritatem, non enim nisi familiarissimis, quæ apud se recondita sunt, aperit verum, an solum hoc insignitus est priuilegio? an multis populo? imo qui pluries in discrimen venerit, vt saluti illius consuleret, & ideo summam, dicendum, hominis perfectionem attigisse. quod Nissenus obseruat lib. de vita Moysis. *Quod autem perfectionem hominis possibilem assecutus est diuinæ vocis testimonio perhibetur, cognoui inquit te, præter omnes, accedit quod amicus Dei ab ipso Deo nuncupatus est, propterea cum peccatis populi Deus iratus delere voluerit omnes, cumque Moyses vna cum populo perire maluerit quam absque populo viuere, tunc Deus vt amico rem gereret placatus est. quæ omnia ostendunt ad humanæ perfectionis apicem illum peruenisse.* expende illud, *quæ omnia*, duo enim tantum dixerat, nimirum quod haberetur Moyses à Deo vt amicus, & quod saluti populi sui postponeret propriam vitam, & hæc sunt omnia quæ in Moyse ostendunt summam hominis perfectionem. (S. Greg. Nissen.)

*Gratitudo nunquam non lucrosa.*

71 *Quod si interrogauerit te filius tuus, cras dicens quid est hoc, &c. idcirco immolo omne quod aperit vuluam.* Immolo, id est immolanda trado, pro dato beneficio exigit Dominus sibi primogenita; an vt depauperetur populus spoliatus primogenitis gregum suorum? hoc ita censebis, qui enim sua dono largitur, his carere dicendus est. an ergo vt populus suis gregibus spolietur? absit, sed vt magis ditetur, quando gratitudinis testatio in aliquo dono nunquam non recipit maiora, ait Auctor Cat. *Deus exigit primogenita, non quod Deus indigeat hoc tali, sed vt homines hac oblatione testentur gratitudinem suam, testari autem gratitudinem opus est acceptissimum Deo, & inuitat Deum ad maiorem liberalitatem; quare qui ex fide obtulerunt primogenita consecuti sunt paruo sumptu magna beneficia:* nescit sterilescere gratitudo, sed quo magis exhibet gratiarum munus, eo paratior est vt maiora accipiat. (Lippom.)

*Præstantissima victoria est, & quæ à solo Deo venire potest, qua nullus victorum occumbit.*

72 *Quod si interrogauerit te filius tuus, dicens cras, quid est hoc, quia eduxit te Dominus in manu forti de Ægypto, & de manu seruitutis.* Non parum celebranda hæc, quam retulerunt de Ægypto, victoria, vt educerentur ex Ægypti captiuitate Israelitæ, & armati ascenderent tanquam ab aduersariis, trophæum referentes. sed an in eo discessu, vel an illa victoria ab Ægyptiis obtenta, aliquis inquam Israelitarum periit? an occubuit, aliquis ex tot millibus hominum? nequaquam, ideo & præstantissima censenda est, & quæ à solo Deo venire potuit, eduxit enim eos in manu forti, & in qua nullus victorum occubuit, egressi sunt enim omnes de domo seruitutis. quod confirmat S. Ambros. ser. 1. de Elisæo. *Hæc est vera, hæc incruenta victoria, vbi sic aduersarius vincitur, vt de vincentibus nemo lædatur.* (S. Ambros.)

*Ne te infœlicem arbitreris, si Deo seruire tenearis.*

*Quod si interrogauerit te filius tuus, cras dicens quid est hoc, &c. idcirco omnia mea primogenita redimo.* 73
Sed si tanta est patris & matris paupertas, vt quinque siclos (erat autem siclus monetæ genus viginti obolos continens secundum pondus Sanctuarii) non haberent, redimendi primogeniti gratia, an quia Deo consecratus, & nulli profano (sui seruitutis) interficiendus? quid ergo? nonne hunc infœlicissimũ puerũ dices, cui nec quinque sicli suppetant suæ redemptionis gratia? imo fœlicissimũ cense, qui hac penuria parentum pressus, Deo seruire teneatur, & in ministerio sacerdotũ esse, sic noster Cardinalis Viguerius c. horda de Purifi. Virginis c. 7. *Si vero parentibus voluntas non esset redimendi, aut non sufficerent facultates, qui sic erat oblatus & non redemptus sacerdotibus in ministerium erat addictus, eratque liberum pontifici apud se nutriendi infantis curam accipere, vel nutriendum parentibus reddere, cum maturauisset ad templi ministeria remittendum.* (Noster Cardinalis Viguerius.)

*Tanta Deus in ministros suos fertur beneuolentia, vt ea quæ sui sunt iuris, cum eis diuidat.*

*Quod si interrogauerit te filius tuus, cras dicens quid est hoc? idcirco immolo omne quod aperit vuluã masculini sexus.* 74
Si immolantur pecora Deo, cum sibi omnino debeantur, quia seruata ab Angelo exterminatore, cur pars eorum in vtilitatem sacerdotũ cedebat? quia tanta Deus in ministros suos fertur beneuolentia, vt ea quę sui sunt iuris, cum eis diuidat, sic enim scribit Abul: *De pecore primogenito oblato pertinebat primo ad Deum sanguis qui effundebatur in altari holocaustorum, pertinebat etiam totus adeps id est pinguedo interior & hoc tam generali quam speciali lege, generali quidem quia Leuitici 3. dicitur omnis adeps meus Domini erit perpetue in generationibus, & cunctis habitaculis vestris, nec adipem nec pinguedinem omnino comedetis, & Leuit. 7. dicitur, si quis adipem qui offerri debet in incensum Domini comederit, peribit de populo, lege autem speciali etiam hoc pertinebat ad Deum, quia Numer. 18. dicitur quod adeps primogeniti pecoris oblati pertinebat ad Deum, illis autem datis Deo, omnes carnes pertinebant ad sacerdotem, sic enim ibi dicetur primogenitum autem ouis, bouis, & capræ, non facies redimi quia sanctificata sunt Domino, carnes vero in vsum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum & armus dexter tua erunt.* (Abulens. Leuit. 3. Leuit. 7. Num. 18.)



*VARIETAS LECT. Vers. 16.*

VVlg. Erit igitur quasi signum in manu tua quasi appensum quid, ob recordationem inter oculos tuos, eo quod in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto.

*Sept.* Et erit signum super manum tuam, & immobile ante oculos tuos, in manu enim valida eduxit te Dominus de Ægypto. *Cald.* Eritque in signum in manu tua, & in appensum quod-

dam inter oculos tuos.

*Pagni.* Et in memoriam inter oculos tuos, quia in fortitudine eduxit vos Dominus.

*Vatab.* Et erit in signum super manum tuam, & in frontalia inter oculos tuos.

A *Alij.* Et in tephilim id est appensoria.

*Oleast.* Et erunt ocularia siue specilla inter oculos.

*Alij.* Et in conspicilia.

### CONCORDIA.

VErum est vbi habemus quasi appensum quid, in Hebræo esse ולטוטפת vltotaphot, est autem secundum aliquos totaph frontalis quædam schæda, quæ inter oculos, hoc est super oculos fronti affigebatur, pertingens ab aure vsque ad aurem, in qua certæ scribebantur sententiæ: & ideo quidem verterunt, & in frontalia, nihilominus ait Oleaster potius significare ocularia siue specilla, & alii conspicilia, quia quasi super oculos ponebantur vt viderentur. Eugubinus semper Septuaginta interpretibus offensus, sic ait, hic Septuag. nihil tale innuere videntur, nisi forte eam vocem græce exprimi non posse crediderunt, interpretati igitur sunt ἀσάλευτον, hoc est inconcussũ, immobile, ac firmissimũ. sed non reprehendẽdi, quod ita verterint, nã firmissima & quasi immobili recordatione, tenere debebant tã eximiũ à Deo acceptum beneficium. sed scitè admodum & doctissime vertit noster interpres verba Hebraica, nam qui dixerunt tephilim ideo est quia huiusmodi schædas, quas super frontem & ante oculos constituunt, sic vocant à radice B תפל tephal, id est coniungere, alligare, appendere, vel à תפלה tephilah. idest oratio, q. d. oratoria, quia ipsi in suis precibus iis quotidie vtuntur, iisque se ab omni malo tutos existimant.

### EXPOSITIO.

ERit igitur quasi signum in manu tua. Quia sicut signum aliquod positum in manu, siue super manũ, excitat alicuius recordationem, ita illa primogenitorũ redẽptio recordatiua erit liberationis omnis primogeniti, tã in pecudibus quã in filiis tuis *& quasi appensum quid*, quod priori additur, vt aliquid magis exprimat, quia quæ appenduntur magis mouent & excitant, quam quæ ligata in manu vel brachio, cum sint & inter oculos mouteantur, & ita subiungitur in recordationem, *ante oculos tuos*, quasi diceret si aliquid ante oculos appensum haberes, ne è memoria excideret, quod tibi iniunctum, sane nunquam illius immemor esse posses, sic nec huius præcepti obliuisci debere, quod continuo quanta tibi collata fuere in Ægypto beneficia in memoriam reuocabit.

### CONCEPTVS.

*Mira Iudæorum cæcitas & crassities.* C

75 ERit igitur quasi signum in manu tua & quasi appensum quid ob recordationem ante oculos tuos, Vatab. *& in frontalia.* Ex quo Hebræi schædas, quasdam sibi composuerunt, quas vel in manu ligabant, vel è fronte versus oculos appensas ponebant, quas Tephilim dicebant, quæ mira superstitione sibi confingebant: quædam erant capitis, quædam manus, aut sinistri brachii, ea parabantur ex membranula sumpta ex pelle animalis, in qua scribuntur quatuor scripturæ tractatus, quos ipsi idiomate Hebræo parschiot nominant, quæ diligentissime deinde corio includuntur, quę omnia & parantur & scribuntur maxima cum superstitione: cum enim Iudæus vitulum, vt de me[illegible] pro conficiendis Tephilim accipere [illegible], vult [illegible] declare, diceretenetur hunc vitulum propterea macto, quod ex eius pelle membranam D pro parandis Tephilim mihi deferri volo. coriario cum eam parandam præbet, similiter dicit, hanc pelliculam mihi parato, nam ex ea Tephilim [illegible] volo. membranam scriptori cum suppeditat, ita etiam loquitur, hanc membranam ideo [illegible], vt mihi in ea Tephilim describas: quod si eorum quæ dicta sunt, aliquid intermittitur, credit Iudæus hæc signa minoris efficaciæ. debet autem hæc lamina vel schæda ab aure in aurem circuire, scribitur autem in huiusmodi Tephilim hæc lectio sumpta ex Deuter. 6. audi Israel, Dominus Deus noster, &c. receptaculũ eorum, quo includuntur Tephilim, necesse est ex iumento mundo desumi. necesse est vt ea quę in his continentur, scribantur manu dextra, etiam si scriptor ambidexter sit. qui autem rectas lineas ducere nescit, discat, vt rectas trahere sciat, vel lineamento vtatur: sit integra membrana, nullum in ea foramen, quod si aliquid deest in litteris, ita tamen vt puer non omnino sapiens, neque etiam fatuus ipsum legere possit. sufficiens & non vitiosa scriptura necesse est in superiori parte spatium relinquere, ad textum litteræ lamed. pars vero inferior spatium habere debet iuxta mensuram longitudinis caph, & nun, non debent etiam scribi Tephilim nisi in ea parte in qua fuit caro, non tamen hoc necesse est inter lineam: Tephilim capitis scribi debent in pelle membranæ, qua parte candida est; quatuor præterea capita scribi debẽt quatuor sectionibus, ita vt linearũ vna non sit lõnga, alia breuis, sed æqualis: nõ ambulet qui Tephilim capitis in capite habet in loco sepulturæ, nisi absit quatuor cubitorum spatio. prohibitum est præterea vti rè venerea in domo in qua sunt Tephilim, aut liber legis, donec extrahantur, aut in vase aliquo recondantur: sacræ autem lectiones quæ in his continentur, sunt sequentes, audi Israel, & cætera ex Deuter. vsque, ad illa Deuter. 6.

ſcribes ea ſuper poſtes domus tuæ & in portis tuis: ſecunda ex hoc capite ſcriptus eſt Dominus ad Moyſen dicens, Sanctifica mihi omne primogenitum, vſque ad hæc, cuſtodies ſtatutum illud tempore ſuo, &c. tertia ibidem, & futurum eſt quod introduxerit te Dominus, vſque ad illum locum, vbi dicitur, erit itaque in ſignum ſuper manum tuam vſque ad finem verſus: quarta incipit, erit itaque ſi audiendo audieris præcepta mea, quæ deſumpta eſt ex 11. Deuter. vſque ad illum locum vbi dicitur, ſcribes quoque ea ſuper poſtes vſque ad finem huius verſus. an hæc quæſo de Tephilim inuenta à Iudæis religioſa dices? imo ſuperſtitioſa, an vt eos legis obſeruatores nuncupes? nequaquam, ſed à mente alienos, vnde recte

Oleaſt. Oleaſter, Apparet miſera gentis cæcitas, quam anxie ſuperſtitioſi ſint in rebus minutulis, & quæ nullius ſunt momenti, omittentes quæ ſunt legis grauiora, Dominus autem hic nihil aliud vult quam memoriam beneficij commendare.

*In circuitu flectendi oculi, vt per omnia Dei beneficia mens tua voluatur.*

76 *Erit igitur quaſi ſignum in manu tua, & quaſi appenſum quid ob recordationem ante oculos tuos.* Pagni. in memoriam inter oculos tuos. Cur ſemper inter oculos tuos? vt ſemper circa illud eos flectas? cur flectendi, cur voluendi? quid ait textus? eo quod in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto: nonne hoc eximium Dei beneficium eſt? prudenter igitur, quid inter oculos appenditur, ob recordationem,

Oleaſt. quia circa illud ſemper voluendi ſunt oculi vt mens ſemper beneficia Dei voluat. doctus Oleaſter, cum verba Iſaiæ c. 60. leua in circuitu oculos tuos, & vide, explicans, ait ad mentem noſtram, *Non ſunt diſſimulanda aut ſine maxima attentione prætereunda dona & beneficia Dei, ſed lynceis vt aiunt oculis penetranda, vt non ſolum ea quæ ante te ſunt, videas, ſed etiam ea quæ ſunt in circuitu tuo: & licet ad turpia & vilia, & terreſtria viſus demittendus ſit, leuandus tamen nimium eſt ad munera Dei. aduerte etiam quomodo vndique circundaris beneficiis Dei.* Lynceos habent oculos, qui in Dei beneficia ita figunt oculos vt in extrema ſuperficie nō ſiſtant ſed intima penetrent, multa in iis latentia conſiderent, quæ prima fronte non videbantur, ad diuinam bonitatem pertinere quæ nihilominus in ſingulis eius donis delitеſcit & diffunditur.

*Tanquam in membranis, ſiue in libro, ſemper Dei ſcripta beneficia habeamus, vt ea aſſidue legentes, è memoria nunquam excidant.*

77 *Et erit quaſi ſignum in manu tua, quaſi appenſum quid ob recordationem ante oculos tuos*, alij, inſrontalia, alij, in tephilim, quæ quidem erant ſchædulæ, in quibus lex Dei & beneficia à Deo ſcripta continebantur: ſed cur ita conſcribuntur? ſane vt ea legentes continue nunquam è mente exciderent, & vt ea ſemper ob oculos habētes ea meditaremur, iugiter pro eis gratias agētes. recte

Chryſoſ. hoc monuit ſanctus Chryſoſt. hom. 38. in acta Apoſtol. *Recogitemus ſinguli quid ſibi peculiariter datum eſt, recogitemus autem id quotidie quod magnam hoc habeat vim, vnuſquiſque noſtrum apud ſe ipſum recogitet & diligenter ſcrutetur, nam aliquando prolapſus in periculum manus hoſtium effugerit, &c. & beneficiis, quæ continuo pro manibus adeſſe nequeunt, tanquam in libro vtatur.*

*Ita ingrati vt beneficia quæ nobis proxima ſunt quæ ſuper oculos ſunt non conſideremus, & ideo ea neceſſe ſit elongari, & quaſi remoueri.*

78 *Et erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi appenſum quid ob recordationem ante oculos:* Cur ante oculos? vt beneficii à Deo accepti eos memoria teneat. ſed an quia ita vicinum oculis, ſiue ſuper oculos id appenſum, nunquam obliuione ſepultum eſt? nequaquam, plures enim ex Iudæis, imo ex nobis proxime poſita Dei beneficia non videmus, & ideo cogitur Deus frequenter à nobis ea elongare: ſicut & in corporeis oculis accidit, quæ enim illis nimis vicina, aut quæ in illis ſunt aut eorum penitus effugiunt aciem, aut diſtincte videri nequeunt, vt neceſſe ſit aliquid inter ea & rem quæ videtur interponi ſpatii: ita & in beneficiis accidit. ſæpe dum in nobis illa ſunt, non videntur à nobis, nec conſiderantur, vt grati largitori ſimus, vnde neceſſe eſt, vt à nobis amoueantur, quo illis vidui, figamus oculos in illa, & nonnihil diſtantia intueamur quæ non intuebamur vicina. firma quis vtitur valetudine, opibus abundat, rerum omnium copia refertus eſt: lætatur filiis diuitiarum hæredibus, his aliiſque Dei donis innatat, nec tamen ea videt, nec tanquam ſingularia Dei beneficia cognoſcit: quid præſtat benefica largitoris manus, vt ingratitudinis vitium tollat? ſua à nobis beneficia abiungit, ea à nobis elongat vt longè poſita videantur, quædum viciniora eſſent, viſum effugiebant, adeo vt ob oculos non eſſent, quia in oculis erant. huc flectenda ſunt B. Baſilii verba qui homilia in martyrem Iulittam hæc habet in hanc fere

B. Baſilius. ſententiam: *tu ne vxore quidem ſuperſtite, aut filio, aut aliud quicquid, tu ne tandem ob cuius abſentiam, luctu ac mærore conficeris, nullam habebas gratiam præſentiæ iſtorum collatori: potius dequerebaris quod quæ optares non ſuppeterent: cohabitabas ſolitaria vxori? mox expoſtulabas quod pro voto non adeſſent liberi. aderant filii? dolebas, quoniam minus abunde ſuppeterent luculentæ opes: aut certe quia perſpiceres ex inimicis quoſdam quotidiana rerum fœlicitate cumulari: videto igitur, ne forte ipſi cauſas præmoliamur nobis ipſis & connectamus: quibus ſit vt merito noſtro rebus ſpoliemur in vita cariſſimis. cum ea adeſſent, ne ſentiebamus quidem: vbi defluxerunt, flagranti vrimur earum deſiderio: præſentibus enim quæ ex Deo ſunt, bonis perfruentes cum nullam rependamus gratiarum actionem, vt ſenſum aliquem percipiamus ex iactura rei, neceſſe eſt vt ea ſpoliemur. vt enim oculi quod iuſto propius admotum eſt non vident, ſed opus habent intervallari quadam diſtantia: itidem animas minus gratas videmus ſenſu attingi prærepta gratiæ, dum priuatos ſe intelligunt prærogatiua bonorum acceptis enim vitæ iſtius commodis erga benignum datorem ingrati, ne vnam quidem agnoſcunt gratiam: vbi quid intercepi vident, id demum quod interceptum eſt deprædicant.* Sic ille, nil verius, nil frequentius: igitur ne Dei muneribus priuemur, Dei cogitemus munera; gratias pro exhibitis beneficiis agamus, ne noſtra ingratitudine ac culpa, à nobis Dei dona ſemoueantur.

*Dei beneficia non leuiter percurrenda, sed iugi & diligenti meditatione versanda.*

79 *Et erit quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid ob recordationem ante oculos.* Nonne sufficit cum se se occasio offert, beneficia quæ à te liberali manu acceperunt memorari? cur ab eis exigis, vt sint tanquam signum in manu sua, & tanquam quid appensum ante oculos suos, vt eorum sint memores? quia non obiter spectanda Dei beneficia, sed ante oculos semper habenda, id est iugi ac diligenti meditatione discutienda, & penetranda. hoc elegantissime pistilli ac mortarioli Metaphora exprimit S. Petrus Damianus serm. 19. qui est de Maria Magdalena. *Secundum vnguentum est deuotionis, de recordatione beneficiorum Dei, prorsus dignissima huius vnguenti compositio, eius enim species de cælesti paradiso allatæ sunt, & in terra fieri non hominum nequeunt inueniri: virtutes enim diuinitus collatæ & in mortariolo cogitationis pistillo diligentissimo meditatione intritæ, & exultationis oleo superfusæ, igne suffuso iustitiæ, & humilitatis aheno decoctæ, vnguentum faciunt, & odore & virtute mirabile, quod solum super caput Domini possit effundi, & exhiberi reuerentiæ maiestatis.* Multum suauitatis deperit, multum præstantiæ, si vnguentum æstu meditationis, pistillo non conficiatur, si iustitiæ ignis ei non supponatur, si humilitatis aheno careat, vt constat ex Pharisæi verbis, qui licet ob accepta beneficia videretur gratias agere, tamen quia id cum quodam fastu ac iactantia præstitit, & publicani contemptu, gratus Christi naribus odor à beneficiorum quæ recensuit memoria non emanauit.

S. Petrus Damianus.

*Nihil contra diuinæ legis præscriptum conspiciendum.*

80 *Et erit quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid ob recordationem ante oculos.* Vatab. *& erit in frontalia.* Oleaster *& erunt ocularia siue specilla ante oculos*, Cur hæc lex Dei? cur hoc diuinum præceptum tanquam specilla seu ocularia ante oculos debent esse? quid commune cum lege Dei & ocularibus? lex Dei incorruptibilis, ocularia vitrea; quid autem vitro fragilius? recte specilla siue ocularia ante oculos habenda, cum de legis obseruatione agitur, quia nihil videre, nihil desiderare debemus, nisi quæ lex diuina videri permittit, nil contra diuinæ legis præscriptum videatur, nihil quo lex diuina violari potest in nostrorum oculorum aciem incurrat: sicut enim qui conspicillis siue ocularibus vtitur, nihil videt nisi illis mediis, adeo vt conspicillorum colorem induant, quæcumque videntur; idem hic fiat, sicut lex sancta diuina est, sic sanctitatem referant, ad sanctitatem vocent quæ videmus. audi eius Oleaster qui in cap. 9. Genes. ita vertit, vertitque hæc verba Deuter. 6. eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, vbi de præceptorum suorum obseruantia loquitur ait, *Erunt specilla siue ocularia inter oculos tuos, & considera quam pulchrè & rationabiliter voluerit te habere præcepta velut specilla super oculos tuos, qui enim per ocularia seu specilla videt mediis ocularibus videt, & talia qualis fuerit oculorum seu vitri color, sic statuit Dominus, vt nihil videres ad concupiscendum nisi medio præceptorum eius, neque desideres nisi quæ præcepta Domini te desiderare permittunt, & talia iudices qualia tibi dixerunt mandata eius,* Si hac cautione homines vterentur, non tam fœde in grauia crimina liberiori conspectu laberentur, nec tam facile alios dijudicarent, in peiorem partem rapientes quæ in aliis vident; diuinæ legis specillis qui vtitur, omnia peccata contemnit.

Deuter. 6. Oleast.

*Cauet Deus ne sua beneficia aliis tribuantur quam ipsi.*

*Et erit quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid ob recordationem ante oculos.* Cur ita iubes beneficii accepti memores esse? quia in manu forti eduxit vos Dominus de Ægypto, ter antea idem eisdem verbis inculcauerat, Deum esse qui eum eduxerat de captiuitate, & Pharaonis tyrannide; cur toties repetit Deum esse, & non alium qui liberauerat Israelitas? vt tam eximium beneficium non suis meritis, sed solius Dei potentiæ & fortitudini tribueretur, cauet enim Deus ne quæ diuinæ sunt virtutis, alienæ tribuantur. legimus tres pueros in Babylonia in ignis fornacem esse coniectos, quod auream Nabuchodonosoris statuam, adorare noluerint, vt traditur Daniel. 3. sed hic aliquis requirat, cur Deus Danielem exemerit, nolueritque cruciatuum comitem esse, qui comes erat pietatis, quin & magister? an id factum, ne miraculum quod sequutum, cum socios flamma non læsit, falso Babyloniorum numini, cuius illi nomen indiderunt, Balthasarum appellantes, tribueretur? nimirum Dei prouidentia abfuit Daniel, vt virtuti diuinæ, diuino auxilio, non falso numini tribueretur, quod flammis superiores euaserint: digna sunt quæ hic inserantur S. Isidori Pelusiotæ verba qui lib. 1. epist. 19. ad Heraclidem Episcopum, qui id postulauerat ita scribit, *Quæris cur magnus Daniel vna cum tribus piis adolescentibus à Babylonio Rege ignis supplicio minime mulctatus fuerit, cum eiusdem cum ipsis sententiæ esset, eiusdemque tribus, victusque socius, imo vt rectius loquar, pietatis magister? respondeo hoc diuino consilio & prouidentia contigit, ne impii homines flammæ oppressionem Dei Babylonici nomini adscriberent, Balthasarum enim eum in honorem declarationis rerum arcanarum appellabant, atque eiusmodi opinio apud illos vigebat, nempe ipsorum Deum si vel duntaxat nomen eius pronuntiaretur, res miras perpetrare. Deus igitur vt hanc opinionem comprimeret & aboleret, in hoc iudicio Danielem ab aliis seiunxit, inuentaque est sola iuuenum continentia, Deique auxilium quo incensa illa fornax consopita & extincta est.* Sed quia hic sumus, obseruo & tres istos pueros miraculi gloriam studiosius à se excussisse, quam ignem: hinc est quod in suo cantico, Deum benedicentes, se quoque illi inseruerunt, dicentes, benedicite Anania, Azaria, Misael Domino, laudate & super exaltate eum in sæcula, Danielis 3. cur se nominatim proferunt, in mediumque producunt? num in recensitis ordinibus filiorum aut seruorum Dei nō continebantur? cur igitur se signate exprimunt, & ad Dei laudem vrgent excitantque? an id eorum pietas & humilitas exculpsit ab illis, ne scilicet ob miraculi magnitudinem Deos aliquis eos putaret, sicque eis tantam virtutem & non vero Deo tribueret? suam seruitu- 81

Pelusiota.

Daniel. 3.

cem indicant ac proinde omnem gloriam Deo A adscribendam inclamant, cum se ad Dei laudem 6. Chrysost. vrgent. religio esset hic Chrysostomi verba supprimere qui hom. 6. de tribus pueris hæc ad nostram mētem habet. *Benedicite*, inquit, *Anania Azaria, Misael Domino, quid igitur prodest, quod tot ordinibus enumeratis in postremum ipsi nomine proprio sunt relati? nunc enim inter filios erant qui benedicerent? num inter Domini seruos numerati erant cum dicerent, benedicite serui Domini Domino, vel sancti & humiles corde? nonne ante sanctos recēsiti? quid ergo sibi vult illud additamenti, benedicite, Anania Azaria, Misael Domino? etenim quia supra naturam erat res illa, quia naturā humanam excedebat, siquidē in corpore fornacem ingressi calcauerant, ne quis eorum qui seducti erant, propter miraculi nouitatem appellare Deos ipsos auderet & adorare, multo iustius vt pote à quibus superatus ignis fuisset, vt ne quid tale B spectatoribus eueniret idcirco suam iudicant seruitutem, seque adorare confitentur dicentes, benedicite Anania, Azaria, Misael Domino.* Quam abeunt ab hac mente qui in Dei donis & beneficiis non excutiunt à se gloriam, in Deumque vt par est, reiiciunt, vere omni gloria ac laude indigni, imo omni pœna digni, quia indignè & iniustè gloriam vel sibi, vel aliis arrogant, quæ soli Deo tribuenda.

*Beneficia beneficiis compensanda.*

82 *Et erit quasi signum in manu tua & quasi appensum quid ob recordationem ante oculos*, Quis dubitat aliquid appensum ante oculos, in alicuius rei recordationem excitare? quomodo enim ita quis immemor esse posset, cum motiuū reminiscentiæ semper præ oculis haberet? cur ergo adhuc exigit signum in manibus? si manus beneficum C & liberalem, vel saltem bene operantem denotent: recte non solum requirit Deus aliquid appensum ante oculos ob recordationem, sed etiam signum in manu, quia beneficia ab eo accepta, non solum sunt speculatione consideranda, sed practicè, id est beneficia beneficiis vel Oleast. bonis operibus compensanda. fauet Oleaster, *Vult Deus munera sua non solum esse ante oculos vt videas ea, sed etiam in manibus, vt opere reddas, aut eleuatis manibus saltem gratias agas.*

*Deus vult semper à suis agnosci, honorari, nec non æquissimus haberi.*

83 *Et erit quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid ob recordationem ante oculos*, Vt nunquam exidat è memoria, nec sanctificatio primogenitorum, nec ratio ob quam sanctificari de- D bent, quia scilicet omnia Ægyptiorum occisa, vestra vero illæsa fuere. sed quid Deus in hoc præcipue intendit? an vt solum sibi gratiæ referantur? non equidem, sed cum sciret eorum propensionem in idololatriam, hoc modo vult hac beneficii recordatione, & primogenitorum oblatione, ab eis agnosci, reuereri, & erga omnes æquissimus haberi, quod sic Episcopus Metonensis declarat, *Vt discas, quid vtilitatis memoria huius miraculi filiis Israel attulerit, & conseruatio legis sanctificationis primogenitorum, scito primum voluisse Dominum miraculum in primo exitus editum hac lege & hoc sumptu inculcare, non quia sufficiat meminisse tantum rerum in Ægypto gestarum, sed potius vt per harum rerum memoriam, agnosceretur nomen & maiestas Dei, videlicet quod is verus sit Deus, qui Patriarchis reuelatus est, quod is Deus sit omnipotens, quod sit seuerus erga impœnitentes, quod sit misericors erga pœnitētes, quod sit misericors erga credentes & afflictos, quod sit verax in promissionibus suis, hæc inquam vult Deus inculcare, & docere lege & sumptu sanctificationis primogenitorum: vbi autem hæc docentur & inculcantur, fides illic creditur in Deum, timor Dei, obedientia erga Deum, spes & constantia in omni vocatione Dei, & in omnibus aduersis. vbi autem fides, spes, & timor Dei, & obedientia in vocatione Dei habetur, ibi habetur summa salus & fœlicitas: quare cum Deus lege exigat sanctificationem primogenitorum; quid aliud agit quam quod offerat, & voueat veram salutem & fœlicitatem, quæ certe multo pretiosior est omnibus huius sæculi opibus, nedum tantillo primogenitorum sumptu? primogenita etiam exiguntur, vt Israelitæ publice diuinam clementiam fateantur: quemadmodum enim in contractu ciuili in aliquibus regionibus quotannis, Dominus agri repetit à colono suo aut obolū, aut pomum, aut pyrū, non quod hoc redditus quidquā augeat opes Domini, sed vt colonus hoc reddito confiteatur & testetur agrum non sui iuris esse, sed Domini, ita Deus exigit primogenita.*

C *Ore & opere cicatrices Christi D. consideremus ne in futuro sæculo confundamur.*

*Et erit quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid ob recordationem ante oculos.* Quale est il- 84 lud signum quod habendum in manu & ante oculos? respondet noster Cardinalis Ioannes Cardinal. Vitalis in speculo morali sacræ scripturæ tit. Vital. Crux, esse cicatrices Christi Domini, quibus sanctissimum corpus eius signatum est: sed cur in manu & ante oculos, id est in corde & opere habendæ, id est attenta mente considerandæ? ne in futuro sæculo, his visis, confundamur, quod eas in hoc nihili duxerimus, subiicio huius Cardin. verba: *Sic enim in manu Christi adhuc est signū, nempe cicatrices quas reseruat, vt eas pro nobis patri repræsentet, pro nobis in trophæum suum circumferat, vt gratitudine bonos prouocet, vt malos confundat, qui aspicient in manibus quas confixerunt: nos ergo considerare debemus corde, ore, opere, hoc est signum in oculis, in ore, & in manu, vt habeatur in memoria sicut illud quod appenditur ante oculos.*

## *VARIETAS LECT. Vers. 17.*

VVlg. Igitur cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum.

*Sept.* Non deduxit nos Deus per viam terræ Philistium quia prope erat.

*Cald.* Quia dixit Deus ne forte formidet populus

cum viderint prælium, & reuertantur in Ægy- A ptum.

*Oleast.* Quoniam dixit Dominus ne forte trepidabit populus, cum viderit prælium.

## CONCORDIA.

NOster interpres secutus Hebr. vertit, ne forte pœniteat בחנו פן pen innachem, tamen Cald. vertit, ne forte formidet, sed sensus idem est, nisi quod metu perculsi eos pœniteret de egressu Ægypti.

## EXPOSITIO.

CVm emisisset Pharao populum, timore mortis perculsus, *non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est*, illa dictio, *vicina*, non refertur ad terram promissionis, vt quidam vo- B lunt, sed ad terram Ægypti. sensus ergo est inter Ægyptum & palæstinam, non est distans vicinitas, nam præter tabulam Geographicam, id docet etiã illud Genes. 20. vbi Gerara quæ Palæstinæ vrbs est, sita est inter Cades & Sur, Sur autẽ vt Exodi 16. patet, ita est Ægypto vicina, vt statim post transitum maris rubri, venerint in desertum Sur, Philo ponit trium dierum, alij decem dierum intermedium.

*Reputans ne forte pœniteret eum*, Sciebat vtique Deus certissime si Hebræi ducti fuissent per viam Philisthinorum, futurum fuisse, vt pœnitentes de exitu de Ægypto, illuc reuerti vellent, sed dixit Moyses, *Reputans ne forte*, humano more de Deo loquens, vt sæpe aliàs solet scriptura, in similitudinem videlicet hominis prudenter prospicientis futura, & de his quæ possent euenire, prouide deliberantis, simulque ita loqui voluit, vt nulla cuiquam moueretur suspicio necessitatis, & coactionis liberi arbitrij, sed libertas eius nullo modo pugnans cum diuina omnium rerum præscientia ostenderetur.

Sed quæres, cur noluerit Deus Hebræos ducere per viam Philistijm breuiorem, nempe ac faciliorem, ne Hebræi pœnitentes egressionis ex Ægypto, ob quamcumque occasionẽ vellent eo regredi, præsertim cum via illa nec longa esset nec difficilis. nam si ducti per aliam viam, magnis terrarum interuallis, vastisque interiectis solitudinibus distantem ab Ægypto, tentarunt tamen in eam reuerti, & ducem eligere voluerunt, qui eos illuc reduceret, vt narratur cap. 14. lib. Numer: quanto magis id fecissent, si per viam Philisthinorum ducti essent, in qua talia incommoda non occurissent, quæ eos à regressu tantopere deterreret? deinde cum per eam viam ducti, transituri essent mediam Philisthinorum regionem, procul dubio illi scilicet admodum bellicosi & feroces obuiam armati processissent, quorum formidine Hebræi vltra progredi noluissent, præsertim autem cum inde regressus in Ægypto breuis esset, nec difficilis: nimirum Hebræi non fuerant assueti bellis, sed nati educatique in seruitute, animos gerebant seruiles, igna- C uos, & formidolosos, & sine dubio fecissent similiter vt fecerunt vbi cum ab exploratoribus terræ Chanaan, audissent habitatores eius terræ procerissimos esse, atque bellicosissimos, tanto sunt pauore ac terrore perculsi, & consternati animis, vt progredi vltra ad obtinendam terram promissionis nulla ratione vellent, & ob hanc præcipue rationem hæc enarrauit Moyses.

## CONCEPTVS.

### *Non expectanda Dei miracula, cum humana facultas suppetit.*

85 NOn eos duxit Deus per viam Philisthiim, quæ vicina est, Quis iter faciens & hostem fugiens non sequitur viam faciliorem & breuiorem? cur ergo Deus per viam Philisthiim viciniorem ducere noluit? ait textus, reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere: sed hæc ratio nulla mihi esse videtur, nam sicut Deus pro Hebræis pugnauit contra Ægyptios, nonne similiter pro eis pugnare in Philistæos, atque eos debellare poterat? poterat sane, sed exemplo suo docere nos voluit, licet ipsius auxilio potissimum non cõfidere ac niti cõueniat, nihilominus tamen humano consilio, prudentia, atque diligentia, omnique contentione animi faciendum nobis esse, quidquid fieri potest ad declinanda mala, & pericula, imminentia, & ad res arduas & difficiles superandas: nec enim expectanda sunt Dei miracula vbi suppetit humana ratio euadendi è periculis, alioquin esset Deum tentare, Hebræi non poterant Ægyptiaca seruitute liberari, nisi vt inquit scriptura in manu forti, excelsoque Dei brachio, multis videlicet magnisque editis prodigijs & miraculis, ac in terram promissionis sine miraculo duci poterant alia via D nec regionem Philisthinorum pertransire, necesse erat, & recte S. August. q. 49. in Exodum ait, *Hinc ostenditur omnia fieri debere, quæ consilio recte fieri possunt ad euitanda quæ aduersa sunt, etiam cum Deus apertissime adiutor est.* S. August.

### *Deus adiutor etiam ab omni labore & angustia præseruans.*

*Non eos duxit Deus per viam Philisthiim quæ vicina, ne forte pœniteret eum si vidisset aduersum se bella consurgere.* Licet in media conijciantur pericula, licet bello appetantur, licet inter medios hostium cuneos obuersentur, nonne sicut in brachio excelso & manu valida eos è domo seruitutis liberasti, sic à Philistæis armatis militibus eripies? cur ergo per eorum regionem vt pote breuiorem, non vis eos deducere, ne bellum eis ingruat? quia 86

Deus ita noster adiutor est, vt etiam ab omni labore & angustia præteruet, quod annotat Agellius in illa verba psal. 117. Dominus mihi adiutor, *In Hebræo est, Dominus mihi in adiutoribus meis, at sententiam breuiter reddiderunt Sept. neque enim id significare voluit Dominus inter adiutores meos vnus est, quasi alios adiutores præter Dominum haberet, sed hic vnus vice omnium adiutorum mihi est, quo adiuuante nihil mihi proderunt etiam mille adiutores si adsint.* Nimirum non ab hostibus tantum Deus suos deffendit, sed ab omni fere labore quo eos expugnare & ab eis se tutari deberent eximit.

Agellius.

*Infirmi adhuc in virtute, non sunt illatim periculis & tentationibus exponendi.*

87 *Non eos duxit per viam Philistiim, quæ vicina, ne forte pœniteret eum si vidisset aduersum se bellum consurgere.* Cur noluit vt egressi ab Ægypto impugnarentur, hostium ferrent impetus, & in discrimina venirent? per Israelitas qui recens egressi sunt ab Ægypto, intelliguntur qui à sæculo exierunt paucis à diebus Deo famulaturi: ecce ergo vt recenter erutos de seruitute, & vix in plenam libertatem mancipatos periculis eripit, & belli discriminibus: infirmi enim adhuc in virtute, non tentationum discriminibus exponendi, id consulit Rupert. lib. 2. c. 26. cuius hæc sūt verba, *Nunquid Deus contra Pharaonē & Ægyptios pro Israelitis pugnare poterat, & contra Philistæos non poterat? plane & contra istos poterat, sed in hoc similiter sicut & in cæteris factis, quæ superficies historica continet spirituale instrumentum rationabiliter prouidebat, spiritualiter namque hoc agit in omnibus electis suis in Ægypti exitu, id est in principio conuersionis, vt dum nouitius est conuersi animus, nec totus adhuc exiuit de pristinis erroribus, vt pacatam à vitiis paret viam, quatenus qui vocati sunt tranquillè & delectabiliter egrediantur, nec subitis tentationibus pulsati à sancto proposito vix incœpto deterreantur.*

Rupertus.

*Deus vult suos aliquando flagellis etiam peruersorum erudiri cum delinquunt.*

88 *Non eos duxit Deus per viam Philistiim, reputans ne forte pœniteret eum, si videret aduersum se bella consurgere.* Sed licet tunc Deus noluerit ducere per viam compendiosiorem, ne bello à Philistæis appeterentur, sicque perterrefacti in Ægyptum regrederentur, tamen postea cum Philistæis, Amalechitis bellum gerendum fuit, manus conserendæ: cur ergo populo aduersarios superstites reliquit, & hos fortissimos bellatores? vt cum à lege sua deficerent, flagellis etiam aduersariorum castigati resipiscerent: ita docet idem Abbas Tuicens. *Illa gens Philistæorum erat, quam Dominus Israeli reseruauit vtiliter, vt per illam exerceretur, & quasi proximo flagello castigaretur, quoties legem Dei sui relinqueret, quod sæpius futurum erat: ergo Deus non quasi timidus, vt simplex sermo sonare videtur, sed vt bene prouidus non duxit Hebræos per viam terræ Philistiim, sed per viam deserti circumduxit & circumducendo erudiuit, sicut hoc ipse Moyses dixit in cantico, Deuter. cap. 32. circumduxit eum & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi.*

Abbas Tuicens.

Deuter. 32.

A *Deus non vniformiter sed variè sibi seruientes tractat.*

*Non eos duxit per viam Philistiim, reputans ne forte pœniteret eum si videret aduersum se bella consurgere.* Non vult Deus Hebræos ducere per terram Philistæorum, ne insurgentibus aduersus ipsos bellis, incepti pœnitentes itineris, reuerti vellent in Ægyptum: sed id deinde non condonatum, nam varia cum eis postea gessere bella ancipiti fortuna, & tandem terræ totius sibi promissæ possessores effecti sunt. cur suos vel semper ad congressum non prouocat, vel semper ad pacem & quietem? cur nunc pacifice tractantur, & deinde cum eis hostiliter & bellicose agitur? quia Deus non, vniformiter, sed variè sibi seruientes probat, nam vt diximus præcedenti conceptu, arcet Deus ab iis qui nuper ad se conuersi sunt, & derelicta sæculari atque improba viuendi ratione, sobriè, iustè & piè ipsi seruire primū agressi sunt, arcet inquam Deus ab huiuscemodi hominibus prægraues tentationes, diaboli, carnis, & mundi, ne talibus tentamentis, atque oppugnationibus, initio statim occurrentibus, perterre facti, ab inchoato Dei obsequio deterreantur, atque reuocentur, & ad pristina mundi studia & mores & vitia reuertantur. sed postquam in diuino sunt confirmati seruitio, dura sustinere coguntur, acerba perferre, & grauibus probari tentationibus, vt tandem his omnibus superatis, præmia laboribus suis debita recipiant, sed præstat audire S. Gregorium lib. 24. moral. c. 13. sic diserte loquentem, verba illius tibi subiicio, *Tres modi sunt hominum conuersorum ad Deum, inchoatio, medietas, & perfectio; in inchoatione alli inueniunt blandimenta dulcedinis: in medio tempore certamina tentationis: ad extremū vero perfectionem plenitudinis: ergo dulcia suscipiunt, quæ consolentur: post modum amara quæ exerceant, & demum suauia atque sublimia quæ confirment: nam & sponsam suā vir quisque prius dulcibus blandimentis fouet, quam tamen iam coniunctam, asperis increpationibus probat, probatam vero securis cogitationibus possidet. vnde plebs Israelitica cum desponderetur Deo ad sacramentis nuptias ex Ægypto vocaretur, quasi arrharum vice, prius accepit blandimenta signorum: coniuncta autem probationibus exercetur in eremo: probata vero, in repromissionis terra virtutis plenitudine confirmatur. ante igitur in miraculis degustauit, quod appeteret, post modum in labore, tentata est, si custodire nosset quod gustasset: ad extremum quoque plenius accipere meruit, quod laboribus probata custodiuit. ita quoque vitam vnius cuiusque conuersi, & inchoatio blanda permulcet, & aspera medietas probat, & plena post perfectione roborat, nam sæpe conuersi quique in ipso adhuc aditu inchoationis suæ vel tranquillitatem pacatissimā carnis, vel dona Prophetiæ, vel prædicamenta doctrinæ, vel signorum miracula, vel gratiam curationum accipiunt: post hæc autem duris tentationū probationibus fatigantur, à quibus cum inciperent valde liberos esse crediderūt, quod diuina gratiæ dispensatione agitur, ne in sua inchoatione, tentationum asperitate frangantur; quia si eorum initio amaritudo exciperet, tam facile ad ea quæ reliquerant, redirent, quam nec longius discesserant; nam contemptis prius vitiis, quasi iuxta positis, replicarentur.* 89

B

C

S. Greg.

*Perfectorum est cum inuidia decertare, & ex ea triumphum referre.*

90 *Non eos duxit Deus per viam Philisthiim, reputans ne forte poeniteret eum, si videret aduersum se bella consurgere.* Nam si per eam viam ducti, transituri essent mediam Philistinorum regionem, proculdubio illi scilicet admodum feroces ac bellicosi homines, armati obuiam processissent, quorum formidine Hebræi vltra progredi noluissent. sed nonne Hebræis fuit pugnandum cum Amalechitis, ancipiti aliquandiu certamine dubioque euentu, vt traditur c. 17, Exodi? aduerte quod quo tempore pugnarunt cum Amalechitis, iam fuerant in diuini adiutorii fiducia, aliis victoriis ac miraculis confirmati; viderant enim cædem Ægyptiorum in mari rubro, vnde didicerant hostes non vereri, viderant aquas amarissimas conspectu tactuque ligni factas dulces, atque potabiles: acceperant cœlitus manna: largissimus è petra aquæ potabilis fons exilierat, & hic tunc temporis Hebræi perfecti erant, si cum seipsis conferantur vt egredientibus ex Ægypto, tunc enim infirmi adhuc censendi sunt. quo posito cur in educendo populo maxime cauit Deus Philistinorum congressus, & nihilominus non viam Amalechitarum cauit? cur non cauit illos ducere per Amalechitarum hostilem regionem, & cauit illos ducere per Philistum? fuit in Philistinis non solum odium & singularissima de bonis Israelitarum inuidia, vnde Deus qui infirmitatem nouerat populi sui recenter egressi de Ægypto, ideo prouidentissime cauit, ne infirmus & imbecillis cum inuidia luctaret, cuius certamen solũ perfectis & fortissimis paratur. rem aperit Rupert. lib. 2. cap. 26 *Igitur maxime habitatores Philisthiim erant vitandi non frustra, quia aliis timentibus, soli contra Israel tam hostilem coquebant inuidiam.* Sapientissime Deus non permittit populum imperfectum & imbecillem adhuc pugnare cum inuidia, cui non infirmos sed fortissimos validissimosque solet permittere.

Rupert

*Singularis est Dei prudentia in suis regendis & ducendis.*

91 *Non eos duxit Deus per viam Philisthim, reputans ne forte poeniteret eum si videret aduersum se bella consurgere.* Sed iam confirmatos in suo auxilio, nec non de suo confisos adiutorio non timuit eos cõmittere bellorum discrimini cum Amalechitis, cur vt eos educit, cum eis manus conserere & dimicare non permittit? aduerte Aquilam non statim è nido pullos suos expellere ad volandum, & prædandum, sed primum fouere aliquandiu in nido, tum eductos inde paulatim assuefacere volatui, ac demum latus iam exercitos, emittere ad prædandum. cur non dicemus hac cum dexteritate & prudentia in suis regendis & ducendis Deum se habuisse? itaut noluerit Hebræos statim obiicere dimicationibus Philistinorum. sed prius eos paulatim docuerit res arduas & laboriosas perferre, & leuioribus prælius exercerent. iuxta Lippomanum sic ad mentem nostram differentem, *Hoc illud est quod Moyses in suo cantico ait Deuter. 33. sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum atque portauit in humeris suis*

Lippom.

*& iterum Deuter. 1. portauit te Dominus Deus tuus vt solet homo gestare paruulum filium suum in omni via per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum, etenim quemadmodum aquila illa quæ Melanaeton vocatur non statim ex nido pullos suos ad prædandum, sed fouet aliquandiu in nido, & postea assuefacit eos paulatim vt volent: & vt prudens pater non mox recentem infantem suum solido cibo pascit, sed ludicra proponit; ita Dominus Deus noster noluit statim Israelitas suos recentes ex Ægypto liberatos, ac quasi renatos grauibus obiicere bellis Philistinorum, ne tenelli adhuc in fide deterrerentur ab ingressu in Chanaan & redirent in Ægyptum.* Deut. c. 1.

*Iudæorum nutans animus.*

*Non eos duxit per viam terræ Philisthiim reputans ne forte poeniteret eum, si videret aduersum se bella consurgere.* Recto sane itinere eos in terram promissionis deducere potuit, nihilominus longiorem & difficiliorem elegit viam Deus: si quis alteri regnum possidendum promisisset, & vt eum ad illud deduceret viarum ambages quæreret, nec viam compendiosiorem & faciliorem, nonne quis opinaretur nolle ei concedere? cum nonne qui cito dat, bis dat: eumque nolle dare credimus qui diu differt promissa adimplere? cur igitur cum manu forti eduxerit ab Ægypto, eadem manu valida non deduxit eos per viam terræ Philisthiim quæ erat vicinior? recte Cyrill. in catena aurea, *Longiore via eos deduxit, clare timiditatem illorum præcognoscens, qua facile à Deo defecissent, atque in Ægyptum regressi essent.* 92

S. Cyril.

*Peccatorum humanitas erga iustos irremunerata non manet.*

*Non eos duxit per viam terræ Philisthiim, reputans ne forte poeniteret eum si videret aduersum se bella consurgere.* Duxit eos per Arabiam & Eremum, per mare rubrum & inuiam solitudinem, hoc est montuosam & petrosam, an via difficilior & austerior? cur per planitiem quæ per aliam viam ducit ad Palæstinam non deducuntur, vt illius possessores essent? nonne Palæstini erga Patriarchas aliquando benigne se gesserunt? ne ergo irremunerata maneat huiusmodi benignitas & humanitas, eis suæ terræ possessionem adhuc per aliquot annos reliquit: ratio est Episcopi Metonens. *Palæstini pro humanitate sua ad Patriarchas nondum demeruerant exterminium, & Israelitis non prius fuisset accelerata hæreditas.* 93

Lippom.

*Tanto amore aliqui in Deum feruntur initio suæ conuersionis, vt eos ilico probet grauibus tentationibus.*

*Non eos duxit per viam terræ Philisthiim, reputans ne forte poeniteret eum si videret aduersum se bella consurgere.* Ex quibus verbis deduximus in initio conuersionis, siue cum relicto hoc mundo nempe Ægypto ad Deum tendimus per viam asperam deserti, nempe per poenitentiam, Deum suos non in grauia conicere discrimina, nec permittere vt grauibus probentur tentationibus, ne perterriti ad vomitum reuertantur. sic se habuit cum discipulis secundum illud Christi Domini Luc. 24. & ego promitto spiritum patris mei in vos, vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. in quæ S. Chrysost. 94

Luc. 24.

S. Chrysost. Chrysost. sicut milites inuasuros multos nullus A dux exire sinit, donec armati sint, sic & discipulos ante spiritus descensum, ad conflictum regredi non permisit, vnde subdit, vos autem sedete in ciuitate. En vt nolit Christus discipulos nisi fortes in fide, & indutos virtute Spiritus Sancti, descendere in palæstram. sed queso audiamus, quid Ananiæ de Paulo loquitur Christus, qui cũ timeret adire Paulum, quia potestatem audisset habere, in eius inuocantes nomen, ait inquam ei Actorũ 8. quoniã vas electionis est mihi iste vt portet nomen meũ Acta. 8. corã gentibus, & regibus, & filiis Israel, ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. hæc postrema verba non intellectu facilia, nã imperfectus Paulus tunc è Leone agnus, adhuc cæcus nondum sanatus, & Deus quod primũ ostendit rudi & nouitio tribulationes angustiæque fuerũt, quas pro nomine suo erat passurus, quid? nonne Deus solet in principio ad se conuer- B sos per vias faciles deducere, ne perterriti redeãt? quomodo aliter erga Paulũ se gessit, qui nondum cessauerat Ecclesiã persequi? de quo S. Hierony. Hieron. Amos 1. edisserens illa Prophetæ Amos verba lib. 2. in c. 5. qui vocat aquas maris, & effudit eas super faciem terræ, ait, Deus vocat ad se aquã maris, & effundit eam super faciem terræ de peccatoribus iustos faciens, Paulus quasi turbo violentus & sęua tempestas, tumentes maris gurgites, persequebatur & opprimere nitebatur Ecclesiã Dei, qui vocatus à Domino effusus est super faciem vniuersę terræ, vt predicaret Euangeliũ: turbo ergo erat tẽpestas maris, fluctus imo lupus rapax contra Dei Ecclesiã, aduersus Christi famulos, imo in ipsum Christum quem præ omnibus aliis inuisum habebat, & nihilominus iãjam ad se conuersũ non linit blanditiis, non allicit illecebris, nõ per viam deducit facilẽ, sed ostendã inquit illi quãta oporteat eũ pro nomine meo pati: cur ergo cũ Paulo C non se eodẽ modo gessit, ac cũ aliis recẽs ad meliorẽ frugẽ conuersis? cõsulamus August. in Psal. S. August. Psal. 44. 44. in illa verba, sagittę tuæ acutæ, ecce percussus est Saulus, adhuc erectus, nondũ prostratus accipit sagittã, cecidit in corde, & dixit, Domine quid me vis facere? modo ibas ad Christianos alligãdos, & modo dicis Christo, quid me vis facere? ô sagittam acutã, potẽtissimã, qua accepta cecidit Saulus, vt esset Paulus: egregie, Pauli ilico cor transfixũ est amoris diuini sagitta, ilico extitit pro Christo deperiens, & prius erat mare contra Ecclesiã turbidũ, vt dicebat Hierony. ilico redditur tranquillũ, & ait Chrysost. hom. 55. in acta Apostol. nõ peccauerit quis, si cor Pauli mare ac cœlũ dixerit, cũ ob puritatẽ, tum ob profunditatẽ. en ergo quomodo tibi mirũ esse nõ debet, si in principio conuersionis Pauli, eũ deducit per vias difficiles, ostendit quanta eũ oporteat pati, quia iam amabat Paulus Christum, pro illo æstuabat, iam Spiritus Sanctus virtute illũ induerat: quid igitur noui si fortis à principio? si imperterritus, etsi nouitius? si non solum pericula & bella non exhorreat, sed desideret, sed illis exultet & veluti equus generosus, cũ procul bellũ odoratur hilarescat & gaudeat? etsi in obsequio Christi nouitius quia tãtam potenter ab amoris diuini sagitta perculsus erat, non addubitat Dominus illi quanta oporteat pro nomine suo pati ostendere. *Diuino enim instiS. Basil. stigante amore*, inquit D. Basil. lib. 6. de vera virginit. *rotas carnificum, verbera, ignes, carceres, &* A *bestias non expauescit, quas contemnit, &c.* & Chysost. hom 12. in Acta Apostol. *Qui igne Chri- S. Chrysost. sti captus fuerit, tentationes sic contemnit ac flagella ac carceres, quasi in alieno corpore pateretur, quemadmodum si adamantinum possideret corpus.*

*Deus naturam non destruit, nec violat, sed omnia suauiter disponit.*

*Non eos duxit Dominus per viam terræ Philistiim,* 95
*quæ vicina est*, cuius rationem reddit, *reputans ne forte pœniteret eum si vidisset aduersum se bella consurgere.* Mirum sane, nunquid impotens erat Deus, ad animum viresque eis præbendum? qui tot patrarat mirabilia, nunquid iam desierat potens esse, itaut vnico intuitu omnes illos, si vellet, submergeret populos? non equidem, sed ratio illa est, quã tradit Dionys. 4. de diuinis nominibus, *quia Deus* Dionys. Areop. *naturam non destruit nec violat.* Violasset vtique si vim intulisset, si per terram Philistiim populum B duxisset, iam recenter è seruitute eductũ, & ideo animũ timidum imbellemque habentẽ, violasset illos Deus supraque eorum naturã aliquid eos facere præcepisset, si statim ad bellandum coëgisset: quod cum talis modus eius non sit prouidentiæ eis sese accommodans tanquam ipse etiam esset imbellis ac impotens timeretque, suauitate prouidentiæ suæ eos per tempus duxit ad terram promissionis, cum efficacitate potentiæ potuisset ad momentum.

*Deus nos quasi cogit ad sua beneficia admittenda.*

*Non duxit eos Dominus per viam terræ Philistiim,* 96
*ne forte pœniteret eum si vidisset aduersum se bella cõsurgere, & reuerteretur.* Quid tibi curæ si reuertatur? nonne eum eduxisti in manu forti ex Ægypto? nõne libertatem cuius à tot annis iacturam fecerat, ei restituisti? nonne à tyrannide Pharaonis libe- C rasti? si regredi velit, & iterum seruitutis iugum subire, suæ tribuetur culpæ, non tuæ prouidentiæ. regredi non vult sed terram ei promissam largiri, quasi cogens eum ad sua admittenda beneficia. *Considera*, inquit Oleast. *Dei bonitatem vt quasi cogat homines ad beneficia sua, ne collatum munus Iudæi* Oleaster. *renuerent reuertendo in Ægyptum alio duxit eos, non enim libenter reuocat beneficia sua, ostendit quantum curet ne nos eius beneficia amittamus, & quam facile ea nos amitteremus si ipse non prohiberet.*

*In bonum finem astutiis vti possumus licitis.*

*Non duxit eos Dominus per viam terræ Philistiim,* 97
*ne forte pœniteret eum si vidisset aduersum se bella cõsurgere.* Cur hac arte vteris? cur hoc tibi proponis stratagema, per viam faciliorem & compendiosiorem non deducere? rationem subiungit, ne perterriti ex bello ingruente, in Ægyptum reuerterentur, & miseriores quam antea redderentur. en ergo vt astutiis in bonum finem vti licitum, sic consentit Lusitanus. *Vtitur Dominus artibus* Lusitan. *& astutiis suis, vt doceat non esse malum si artibus ad bonum vtaris.* En cur malum si stratagema licitum dummodo rectus sibi finis proponatur?

*Prius filii instituendi, quam hæreditas eis tribuenda.*

*Non duxit eos Dominus per viam terræ Philistiim* 98
*ne forte pœniteret eum si vidisset aduersum se bella cõsurgere.* Cur paulatim eos deducere vult in terram

ortes promissam? cur recto itinere in eam profi- A cisci non permittit? si per quadraginta annorum spatium eis aperuisset, in solitudine mansuros, antequam lac & mel manantem attingerent terram, nunquam ex Ægypto fuissent egressi, cur ergo ita statutũ? *Voluit prius*, inquit Oleast. *Filios instruere quam dare eis hæreditatem, contra parentes qui filiis patrimonium parant & non doctrinam*, instrue prius filios in his quæ sunt œconomiæ temporalis & spiritualis, & tunc hæreditatem possidendam concedes.

*Longe aliter se gessit Deus nobiscum quam cum Iudæis in vltimi finis assecutione.*

99 *Non duxit eos Dominus per viam terræ Philistiim, ne forte pœniteret eum si vidisset aduersum se bella consurgere.* Cur statim non deducit eos recto tramite? cur ambagibus & inuolucris viarum vtitur, vt tandem laboribus fatigati in terrã promissionis perueniret? itan se nobiscum ita gerit? nonne recta & breuis est via, qua ducimur in terram vi- B uentium, illa autem qua deducuntur Israelitæ, lõga & obliqua? longe igitur aliter se gessit Deus nobiscum, quam cum Iudæis, teste Procopio sic dicente. *Non illis statim ab initio cõmonstrauit fidei callem Israelitis, quem nobis ostendit compendiarium & breuem ad parandam iustitiam, sicut testatur Paulus prope te verbum est, & in ore tuo, & in corde tuo, hoc est fidei verbũ quod annunciamus, per ænigmata & longas ambages legis ducti sunt Israelitæ, vt magno labore exerciti & in vmbris, & quibusdam inuolucris edocti, Christi mysterium non quibuslibet terroribus perculsi à vera religione deficerent, imo potius auidissime expeterent veritatem, huiusce modi tyrocinijs confirmati, simulque constanti amore prosequerentur Deum immortalem. cæterum via quæ ad Christum ducit, quam que ipse præscribit, recta & breuis est, nostrosque* C *animos excitat & erigit contra aduersarios, docetque vt omnia fortiter præsenti que animo feramus pericula quæ propter Christum occurrunt, semper illud Propheticum obiicientes, Dominus opitulatur mihi quis me lædet?*

Procop.

*Deus non imponit necessitatem libero arbitrio.*

100 *Non duxit eos Dominus per viam terræ Philistiim, recogitans ne forte, &c.* Cur sub cõditione, & quasi sub dubio de Dei scientia loquitur? cur quasi Deum ancipitem inducit, & non scientem assertiue, verum pœniteret necne? illi Lyncei oculi sunt, Lynx inquit Petrus Damian. opusc. 52. c. 21. tam incomparabile visus lumen habet, vt non modo quodlibet corpus solidum, sed & lapideos parietes penetret, quod nimirum hoc modo probatur, quia si Lynx ex vna parietis parte consistit, caro vero extrinsecus ponitur, tanquam nihil intersit, ad eam protinus inhiat, atque vt sibi præbeatur, anhelat: si ergo mutum pecus tam viuax intuitus lumẽ habet, humanę mentis intima Deus omnipotens quanto profundius rimatur? viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis, & nulla creatura est inuisibilis in conspectu Dei, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. Ecce nihil Dei oculos effugit, nihil est quod ille non videat, Lynceos habet oculos, quibus omnia clare intuetur: si ergo omnia patent diuinæ cogitationi, itaut omnino falli non possit, quomodo loquitur hic sub dubio de regressu filiorum Israel in Palæstinam? vt neminem cogere ad aliquid videatur, ita explicat Abulens. *Non est dubitatio in Deo, sed scriptura loquitur plano modo vt nos intelligamus, & voluit ponere alium modum qui magis conueniebat Deo & non inducere aliquam suspicionem de coactione liberi arbitrij:* vnde Lyne *forte*, non refertur ad notitiam diuinam, sed ad Israelitas, in quorum voluntate situm est reuerti, aut vlterius progredi.

Petrus Damian.

Abulens.

*Qui mundum relinquit, ab iis qui immundi sunt, oportet elongari.*

*Non duxit eos Dominus per viam terræ Philistiim,* 101 *quæ erat vicina.* Ergo per remotiorem, itane itineri faciendo assuefacti, vt longior via sit ab eis perficienda? si ilico vt exeunt, vias nõ tribuis faciliores, forte animo decident, viribus destituti: sed si Ægyptiis, mundani intelliguntur, merito ab eis statuit Deus Israel longius secedere, nam qui mundũ relinquit, ab iis qui immundi sunt, oportet elongari, docẽte id Brunone in alleg. apud Tilm. *Quanto plus in seruitio Dei exercitati longius ab hoc mundo recedimus, tanto minus vitiorum insurgentium bella timemus: si vero in terram Philistiim venientes, quæ Ægyptijs vicina est, ebrietati & voluptati operã damus, Philistiim namque cadentes populi interpretãtur, facile quidem in prælio victi reuertimur in Ægyptum.*

Bruno.

## *VARIETAS LECT. Vers. 18.*

*Vulg.* Sed circumduxit per viam deserti, quæ D est iuxta mare rubrum, & armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti.

*Sept.* Et circumduxit Deus populum, via quæ ad desertum ad mare rubrum, quinta autem progenie ascenderunt filii Israel de terra Ægypti, *sic Procopius.*

*Pagn.* Circumduxit Dominus per viam deserti maris suph, & accincti ascenderunt filii è terra Ægypti.

*Arias.* Et quintati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti.

*Oleast.* Et quini ascenderunt filij Israel, *similiter Theodotion.*

*Auen Esra.* Accincti per singulos quini.

## *CONCORDIA.*

Eugubinus qui nescit dissimulare cum editione Sept. interpretum ait, in hac voce nempe *armati* mira est dissonantia Septuag. & Hierony. & veritas quidem Hebraica est, vt vertit Hieron. at Septuag. eo quod vox Hebraica à חמש ducitur hoc est quinque, penitus aliam sententiam verte-

sunt, nempe quinta generatione ascenderunt filii Israel, vide quale & quantum hoc erratum sit, nã quarta generatione reuersi sunt in terram Chanaan Israelitæ, ipso Domino dicente ad Abraham Genes. c. 15. generatione autem quarta reuertentur huc, ex vocis ergo similitudine accidit error: sed hanc dissentionem acutate discutit S. Hierony. Epist. 125. ad Damasum, vbi versionem nostram primo omnibus aliis præfert etiam vt ait omnium Iudæorum & synagogarum, ac versionum, Aquilæ, & Symmachi, qui hic legunt ἀσλόνσαι χατα πλιομδιον, ascenderunt armati, deinde alteram versionem Theodotionis recipit, quod Hebræum חמש Chamas, etiã quinque significet, ac tandem de versione 70. ait, cum ipsi non quinque sed quinta legissent addiderunt substantiuum, *generatione*, vt tempus inhabitationis Ægypti annotarent; quæ quidem versio non est reiicienda, nec obiectio Eugubini admittenda, cum quarta generatione rediturus dicantur Genes. 5. sed vtrunque verum, nempe & quod dicto capite habetur, & quod in hac Sept. interpretum lectione continetur, nam in tribu Leui erat quarta generatio Caath, Amram, Aarõ, Eleazar, in tribu Iuda quinta, nẽpe Phares, Esron, Aaron Aminadab, Naason: deinde si per generationes intelligãtur sæcula, quia post promissionẽ Abrahæ factam, fluxerunt anni quadringenti triginta vsque ad exitum, recte sæculo quarto scilicet expleto & quinto scilicet inchoato, dicuntur exisse. en vt immerito reprehendit Eugubinus versionem Sept interpretum. sed dices quomodo id cũ Hebræa lectione consentiat? nam in Hebræo est חמשים Chamusim, quod à quinque deriuari non est du- C bium, habetque eadem vox formã passiui participii, maxime si Dagnes punctũ infixum tollatur, quomodo absque eo Iosue 1. & 4. eadẽ vox ab Amasoreis exprimitur. Hebraizantes quidam volunt hanc vocem significare accinctos gladio in quinta costa, quia scilicet baltheum in quo gladius pendebat, pertingebat ad quintã lateris costã: alii volunt hanc vocem, si vno verbo vertẽda sit, reddendam, quintatos, quasi dicatur quinque distributos, quinos & quinos specie ordinat exercitus processisse, imo vt vidimus Theodotion ita vertit πεμπταΐζοντες, vt vox hæc omnino respondeat Heb. vo. & ita verisimile fit omnino simile quid nouata voce habuisse Sept. sed aliquos non intelligentes, quid sibi ea vox vellet, credidisse illos voluisse dicere Hebræos quinta generatione egressos & suũ glossema loco eius vocis quę erat B in Septuag substituisse, iidem Sept. eandem vocem Hebræam Iosue 1. vers. 14. εὔζωνοι, accincti reddiderunt, & c. 4. instructi, quibus locis etiam Hierony. armatos vertit: cum enim non haberent vocem significationi respondentem Hebrææ, hanc illius loco posuerunt, cum idem fere sit in certos ordines distributos, ac more ordinati exercitus procedere, & armatos ingredi, vnde quini vel quinti idem est, quod armati per metalepsin Hebræis vsitatam, & sic reiiciendus omnino Caluinus, carpens nostrum interpretem, qui vertit armati, reddique vult dispositi, sed vt vidimus omnibus præferenda nostra lectio est tanquam magis litteralis & verior, nec obstat obiectio Caluini negantis Hebræos habuisse tunc arma; nam in expositione facile soluemus.

## EXPOSITIO.

Sed circumduxit, id est duxit in circuitu *per viam deserti*. Quasi dicat, via quæ erat per terrã Philistiim, erat recta, non item via quæ erat per desertum Sin, & desertum Pharan, quę solitudines erãt per viam, qua Israelitæ ascenderunt in terrã Chanaan, quæ est iuxta mare rubrum, si deducti fuissent per viam Philistiim, non debuissent transire mare rubrũ, sed via terrestri procedere, vnde autẽ dictũ mare rubrum, aliàs annotauimus, in Hebręo est suph, quod & cannosum & iunceum dicitur, si quidem in eius littore, & iunci & cannę abundãt,
Ionæ. 2. significat etiam & pelagus Ionæ. 2. vbi dicitur Pelagus operuit caput meũ, in qua significatione & mare illud suph dici potest, quod iuxta Magistrũ historiarũ in duos sinus diuiditur, qui enim est D ab Oriente Persicus dicitur, Persæ siquidem eius oram inhabitant, alter Arabicus.

*Et armati ascenderunt filij Israel de terra Ægypti.* Caluinus, vt diximus, damnat nostrã versionẽ, dicens vnde Hebræi inopes tot & tanta sibi arma comparassent, tũ nec credibile est illo seruitutis tempore, cũ ab Hebræis eorumque effusa propagatione, sibi timerent Ægyptii, eos ipsis arma reliquisse, sed responde, honestiores iã ante ea domi suæ habuisse, alios iã ante præmonitos de egressu ea sibi comparasse, alios ab Ægyptiis, ea commodato accepisse: nam satis probabile est cum vasis illis aureis, argenteis, ac vestibus multis, etiã arma ab Ægyptiis, maxime sub discessu, impetrasse, quibus se ab aliorum seu hominum seu ferarum vi in deserto, ad quod tendebant, deffenderent: verum est tamen non in illo egressu omnes armis idoneos instructos fuisse.

## CONCEPTVS.

***Ante periculum prouidenda sunt vtilia, ad illud vitandum, aliquo, si fieri potest, stratagemate.***

Sed circumduxit per viam deserti quæ est iuxta mare rubrum. Compendiosiorẽ non sequitur viã, imo lõgiorem, rationem reddidit superius, quia si duxisset illos per viã terræ Philistiim, quæ vicina est, forte ingruentibus bellis timore soluti, regrederẽtur in Ægyptũ. an dicemus egregium ducem Moysen, qui per viam difficilem & prolixam ducebat Israelitas, ne ab hostibus appeterentur? quis id negare audebit? cum strenuissimi sit imperatoris ante periculum præuidere, aliquo stratagemate ea quę ad illud fugiendum necessaria? Do Clementem Alexandrinum lib. 1. strom. qui hoc Moysis factum ad illius prudentiam imperatoriam & militarem, Græcosque duces idem olim imitatos ex Moyse ita refert. *Stratagema seu ratio ducendi exercitum tribus continetur speciebus, cautione, audacia, & ea quæ ex his mixta est*, Clemens Alexand.

*vnaquaque autem earum componitur ex tribus, aut per orationem, aut per facta, aut per vtrumque simul, hæc autem omnia licebat efficere, vel persuadendo, vel cogendo, vel iniuriam faciendo, in iis vlciscendis quibus expedit, vel faciendo id quod iustum, vel vera dicendo, vel etiam vtendo aliquibus eo ipso eodem tempore, hæc autē omnia & quomodo oporteat vti, vnocuique eorum cum accepissent Græcia Mose, non paruam acceperunt vtilitatem, verbi autem gratia, vnius aut alterius Imperatoris exempli meminero, Moses cum populum eduxisset, suspicatus fore vt persequerentur Ægypti, & compendiosa via relicta conuersus est in solitudinem, & maxima ex parte noctu iter faciebat, Moses ergo docet stratagemata oportere ante pericula ea quæ sunt vtilia prouidere, & sic agredi, & certe euenit id quod suspicatus est, in equis enim & curribus persecuti sunt Ægyptii, sed cito perierunt, cum mare disruptum esset, & ipsos cum equis & curribus obruisset, adeo vt nullæ eorum reliquiæ remanserint: hoc cum animaduertisset Miltiades Imperator Atheniensiū, quæ ea quæ in Marathone pugna fuit, pugna vicit Persas, hoc modo est imitatus, noctu duxit Athenienses per loca inuia iter faciens, & eos qui ipsum obseruabant barbaros decipiens, Hyppias enim qui defecerat ab Atheniensibus, barbaros in Atticam induxerat, & oportuna quæ præoccupauerat loca, seruabat, propterea quod erat regionis peritus, ac difficile quidem erat latere Hyppiam, vnde merito Miltiades & inuiis locis & noctu vsus aggressus Persas, quibus ducis erat in certamine, cum iis quorum ipse dux erat, superior euasit & rem bene ac feliciter gessit.*

### *In armis nostris confidere non debemus.*

105 *Sed circumduxit per viam deserti, &c. & armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti.* Licet armatos habeamus processisse, tamē Cajet. & Oleast. & alii, non improbabiliter reddunt accinctos, C quasi armis non essent instructi, (tamen non vt Caluinus, insurgunt in nostram versionem) quod si arma ex eorū sententia non habuerunt, & tamē constet multis opibus onustos de Ægypto prodiisse, cur arma non sumpserunt? nā si exirent inopes mirū non esset, si exirēt pariter & inermes, neque enim pauperes habent, quid armis tueantur; imo vt ille cecinit, cantabit vacuus coram latrone viator, at si diuites exeunt, cur nō armis ad tuēdas opes muniuntur? dicent noluisse Deum vt Israelitæ iam inde inciperent sibi confidere, nec armorū præsidio, sed diuino patrocinio suas opes tuendas sperarent, quos imitatus Dauid adolescens pugnaturus cum Goliath viro fortissimo & Gigante, nequaquā enim armis confisus, sed in Deo, inermis eum debellauit, & ita ait August. lib. 50. hom. hom. 31. *Expeditissimus ad prælium procedere cupiebat, fortis non in se, sed in Domino, armatus non tam ferro quam fide.* D S. August.

### *Auari vitas in discrimen adducunt, ne veniant in discrimen facultates.*

104 *Sed circumduxit per viam deserti, &c. & armati ascenderunt filij Israel de terra Ægypti.* Exituris de Ægypto facile arma commodarunt Ægyptii, vt vidimus in expositione, quorum tamen vsum in Ægypto commorantibus interdixerunt, veriti ne armati in dominorum cædē conspirarent, accommodant ergo arma exeuntibus, vt opes sibi mutuo datas, si quos forte in hostes incidissent, tuerētur, Hebræi enim exituri commodato petierunt ab eis vasa aurea, & argentea; sed quid iā tunc Ægyptii? A nonne timebant aliquā ex Hebræis rebellionem? timebant quidē vehementerque timebāt præsertim in ipso exitu, de seruitute in quo serui libertate donati, res nouas facilius machinarentur, timebant igitur Hebræorum rebellionem, sed vehementius formidabāt suarū diuitiarum iacturā, si forte ab hostibus Hebræos inuadentibus raperētur, quare suas in discrimen adducebant vitas, vt suas diuitias è discrimine vindicarent ac si opes quam vitas pretiosiores esse arbitrarentur: non dissentit noster Lyranus, ait enim. *Accommodauerunt arma ad defendendum pretiosa, quæ eis accommodauerant, à prædonibus.* Noster Lyran.

### *Non vt otio indulgeamus, huic seculo valedicimus.*

*Circumduxit eos per viam deserti, &c. & armati ascenderunt filij Israel de terra Ægypti.* Cur armis instructi? cū essent in Ægypto arma secū deferre debuerunt, vt ab aduersariis in se insurgētibus protegerentur, sed cū nunc recedāt ab Ægypto, cur armati? nonne post tot annorū durissimā seruitutē, post tot laboris exantlationem, quieti indulgere deberent, non præliari, ad otiū vocari non ad prælium? sed si Ægypto mundum intelligimus, prudenter quidem armati ascenderunt ex Ægypto, tanquam aduersus hostes præliaturi, non enim cum mundo valedicimus, vocamur ad otium & quietem, sed ad prælium & laborē: ita sentit Rupertus. *Armati ascenderunt filii Israel, videlicet in nostri exemplum, qui non ad otia de Ægypto huius seculi, sed ad bella vocati sumus contra barbaricas acies vitiorum aduersus phalanges malignorum spirituum, quanquam ipsi nondum essent idonei ad bellum ante maris transitum, sicut & nos nihil fortiter agere potuimus ante præceptum salutare baptismi Christi sacramentum*, ita etiam & Bruno apud Tilm. 105 B Rupert. Bruno.

### *Deus ad sui cognitionem & amorem inducit.*

*Circumduxit eos per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum.* Sanctus Moyses summi oratoris & peritissimi doctoris more vniuersa scitu & notatu digna, quæ non solum ad exitum filiorum de Ægypto, sed etiam ad eorum perfectionem spectant narraturus, docet Dominum populum discedendi libertate donatum, non deduxisse per proximam terram Philistinorum, fortissimorum, & ad arma aptissimorum, sed per viam deserti ad redeundū in Ægyptum difficillimam & longissimā, hocque fecisse, ne Israelitæ transeuntes inter Philisteos strenuissimos bellatores exterrerētur, vellentque iterum in Ægyptum remeare, sicut moliti sunt, quando exploratores terræ reuersi de terra Chanaan detraxerant terræ, quam inspexerunt, Num. 13. dicentes terra quam vidimus deuorat habitatores suos, &c. dixeruntque alter ad alterū, constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum, multo ergo citius deliberassent reditū à Philisteis bellicosissimis deterriti, sed nōne Dominus simili potestate poterat ipsos Israelitas à Philistæis defēdere & protegere, qua ab Ægyptiis defēdit & protexit? potuit, sed nō semper absoluta potētia suis virtute vtitur, sed pro beneplacito suo interdum suos sinit, & permittit suas facultates experiri, vt iis tentatis & probatis, fateantur vnum Deum, cuius auxilio indigent, & eum diligant; fauet cit. Clemens Alexand. lib. 1. strom. *Alia erat œconomia qua ducebantur Hebræi per multam solitudinem & longum tempus, credere vnum solum Deum* 106 D Num. 14. Clemens Alexand.

*esse, per moderatam [illegible] [illegible].*

### *Bellum non illicitum cum iuste geritur.*

*Circumduxit eos per viam deserti, &c. & armati ascenderunt filij Israel de terra Ægypti.* Sic ergo armis instruuntur, an vt præliemur, & manus conserant cum aduersarijs? ita equidē, sed nonne Manichæi

107 docuerunt omnibus illicitum hominibus bellum gerere, & ex natura sua peccatum esse? teste S. August. lib. 22. contra Faustum Manich. 74. & ideo Moysem, Iosue, Dauidem cæterosque veteris instrumenti patres, viros bellatores tāquam impios auersabantur & damnabant, & eorum errorem videtur ab orco renocasse Erasmus, annot. ad caput 3. & 22. Luc. docens bellum vnum esse ex malis, quę tolerantur, & veteribus Iudæis à Deo permissum. Christianis autem à Christo & ab Apostolis interdictum, cui subscribit Cornel. Agrippa lib. de vanit. Scient. c. 79. affirmans artem bellandi à Christo prohibitam. hos omnes veritatis hostes impietate vicit Lutherus docens, non licere Christianis aduersus Turcas arma sumere, quoniam inquit est repugnare voluntati Dei, visitantis & corrigentis iniquitates nostras per illos: scio equidem ita asserere, & ideo vel hæresiarchas vel hęreticos, quorum errorem vt veritate conuincamus, ante omnia obiectabimus Mosen, Iosue, Gedeonem, &c. Machabæos, cum infinitis alijs probatissimis viris veteris legis in idololatras, apostatas, & diuinæ legis contemptores ex præcepto Domini bella gessisse & post Christi in cœlum ascensionem, ex probatissimis auctoribus colligimus Christianos verè sanctos, & Deo gratos etiam sub ethnicis principibus belligerasse, huius rei testis est Tertul. in Apolog. aduersus gentes c. 5. D. Basil. in oratione de laudibus 40. militum; & vt paucis multa complectamur, manifestum est Constantinū Mag. Theodosium, Valentinianum, Carolum mag. S. Ludouicum nostræ Regem Galliæ, S. Mauricium cum sua Thebæorum legione bella gessisse, quos neque Ecclesiæ Præsules, neque Concilia oecumenica aut prouincialia reprehenderunt, sed potius eorū heroica gesta commendauerunt; bellū enim cum legitima auctoritate, causa iusta, recta intentione, modo conuenienti, legitimum est, nam vt cum D. August. Epist. 5. ad Marcell. loquar, *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in euangelio diceretur Luc 3. vt abijcerent arma, seque militiæ omnino subtraherent, est autem, neminem concusseritis, nemini calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum, quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit militare, vtique non prohibuit, & rursum Bonifacium militem alloquens Epist. 207. scribit, noli existimare neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis militat, in his erat sanctus Dauid, cui magnum Dominus perhibuit testimonium, in his etiam plurimi illius temporis iusti, in his erat & ille centurio qui Domino dixit Matth. 8. non sum dignus vt intres sub tectum meum, &c. nam & ego homo sub potestate constitutus, habens sub me milites, dico huic vade, & vadit, & alij veni & venit, & seruo meo fac hoc & facit, de quo Dominus* [margin: S. August. Luc. 3. Matth. 8.] *Act. 10. non inueni tantam fidem in Israel; in his erat & ille Cornelius ad quem missus Angelus dixit Corneli acceptæ sunt eleemosynæ tuæ, & exauditæ sunt orationes tuæ.* Vbi eum admonuit, vt ad S. Petrum Apostolum mitteret, & ab illo audiret quid facere deberet, ad quem vt ad eum veniret religiosum militem misit, & reuera vt idem doctor scribit [margin: Cirillus Doctor] serm. 19. de verbis Domini, *Militare non est delictum, sed propter prædam militare peccatum est.*

### *Deus confusionis osor.*

108 *Circumduxit eos Dominus per viam deserti, &c. & armati ascenderunt filij Israel*, Arias Mont. *quintati*, Oleaster, *quinti alij quinque ascenderunt.* Sed an ita dicuntur ascendisse, quia totus Israel simul ascendebat, præter partem quintam vel quinquagesimam, quæ remanebat pro cibis deferendis? nequaquam, vniuersus enim populus simul ascēdit nullo prorsus remanente: an quintati dicuntur, quia quinta pars siue quinquagesima eorum interierat, vt vult Rabi Salomon eos Deo puniente, propter suam impietatem? sed vndenam hoc somniant, cum in sacro contextu nulla sit talis punitionis mentio. dicit ergo Oleast. dici quinos ascendisse, quia solent homines in exercitu quinque & quinque incedere, aut quatuor & quatuor. nā via simul incedere non permittit, alijs agros & vineas conculcarent, sed cū nullus fere ordo seruetur in iis qui fugæ se committunt, & hic discessus ab Ægypto quasi fuga videatur, quomodo cum tanto ordine discesserunt, vt quini & quini de terra Ægypti ascēderint? quis eos eduxit, nonne Deus? ne mireris igitur si ita ordinati discedunt, & simul iter faciunt, quia Deus confusionis osor est, annuit Lusitanus. *Ordinata vult Deus omnia sua esse & maxime confusionem reprobat.*

### *Nostratum si possumus obtegimus vitia & imperfectiones.*

109 *Circumduxit eos Dominus per viam deserti, & armati ascenderunt filij Israel.* Cur Dominus non rectà deduxerit populum versus Philistæos, duplicem affert rationem Iosephus lib. 2. antiquit. c. 6. Moyses inquit hac Hebræos ideo duxit, vt si Ægyptii mutata sententia persequi eos vellent, pœnas malitiæ violatique pacti persoluerent, neue Palæstini, quos ob veterē simultatē infensos habebant, de hac profectione certiores fieri possent; ea enim illorum regio Ægypto contermina: quapropter omissa via quæ in Palæstinam ducit per desertum, via dispendiosa ac difficili voluit Chananæam inuadere, obiterque iuxta Dei mandata in montem Sina populum sacrificaturum adduceret: sed ô Iosephe an probare potes, quid Pharao post discessum suum contra Israelitas, vel quid vice versa Deus aduersus Pharaonē pro populo suo facturus esset? id enim si perspectum habuisset, mature populum suum de ea re edocendo, timorem omnem eius ac querelas abstersisset, ac ridiculum est Mosen operam dedisse, ne Philistæi de hac profectione certiores fieri possent quod ob vicinitatem & rei magnitudinem, apparatumque tanti populi vitari non poterat. causa porro sacrificii non primariæ intentionis, sed supposita tantū via per desertum, cur ergo non adduxit rationem à Moyse adductā, ne forte pœniteret eum si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum? quam etiam assignat Philo lib. 1. de vita Moysis. [margin: Philo] *Duxit per viam minime compendiariam, quia verebatur ne earum regionum incolæ, metu amittendarum vna cum libertate, sedium, armati occurrerent, ipsi vero ad hostes retecti ad hostes reuerti cogerentur;*

*à Deo ad veteres præter ludibria grauiora passuri, quam antea.* Cur inquam hanc verissimam à Moyse assignatam rationem in medium non adducit? vt quæ Iudaicum populum leuitatis, ignauiæ, & diffidentiæ aduersus diuinum numen assignabat, vt inde elicias ita nos amantissimos nostratum, vt eorum contra veritatem vitia, & imperfectiones excusationibus obtegamus.

### *Sapiens gubernator suorum obedientiam probare debet.*

109 *Circumduxit Dominus per viam deserti.* Scilicet per vastas solitudines, & ideo per viam difficillimam, in qua quæ ad vitæ conseruationem necessaria, deficiebant, & per viam prolixam, in qua fere nulli reperiebãtur habitatores, sicut in desertis & vastis solitudinibus: quis iter facturus, viam difficilem, arenosam, inuiam, inaquosam & longiorem eligit, à faciliori & breuiori deflectens? cur ergo ita non deducitur populus? non displicet quod in medium adducit cit. Philo Alexandrinus *Quia volebat per vastas solitudines ducendo, experiri eorum obedientiam, instructorum non amplius commeatibus, sed paulatim deficientibus,* en vt sapiens gubernator suorum obedientiam probare debet, ne in grauissimis experiatur rebelles?

Cit. Philo.

### *Dulcissima requies post laborum tolerantiam.*

110 *Circumduxit eos Dominus per viam deserti.* In qua non leues superandæ difficultates, non pauci exantlandi labores, penuria rerum, quæ ad vitæ conseruationem necessaria, vincenda. cur ergo post seruitutem adeo intolerabilem, post tyrannidem inauditam iterum ærumnis subiiciuntur? vt cum terræ promissionis facti fuerint possessores, post tot laborum tolerantiam suauius ea potiantur & in ea dulcius requiescant. hoc annotat Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. *duxit Hebræos per regionem inaccessam laboribus & itineribus ad robur & fortitudinem eos exercens, atque inducens, vt postquam eorum quæ videbantur grauia, periculum fecissent appareret quam bona esset regio, ad quam eos ex via inuia transmittebat.*

Clemens Alexand.

### *Pœnitentes Domini passionem meditentur.*

111 *Circumduxit eos Dominus per viam deserti.* Patriarcha Paludanus ait ideo Dominum pepercisse Israelitis à bellis nouiter de Ægypto egressis, vt innueret peccatoribus nouiter à peccato egressis, & recens conuersis ad pœnitentiam, non esse imponenda onera grauia pœnitentiæ, ne forte nimium his oppressi deficiant animo ad vomitum redeuntes. sed cur circumducit eos per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum? cur annotatur quod illa via fuerit iuxta huiusmodi mare? sicut per viam deserti via pœnitentiæ denotatur, sic mare rubrum passionem Christi Domini sanguine purpuratam adumbrat: merito igitur qui per viam deserti incedit, mare rubrum discurrit, vere enim pœnitens passionem Christi Domini semper præ oculis debet habere, iuxta illud Hebræorum 12. *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus, aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes,* & 1. Petri 2. *Christus passus est pro nobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius,* & c. 4. *Christo passo in carne & vos eadem cogitatione armamini.*

Hebr. 12. 1 Petr. 2. 1 Pet. 1.

## *VARIETAS LECT. Vers. 19.*

*Vulg.* Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum, eo quod adiurasset filios Israel, dicens visitabit nos Deus, efferte ossa mea vobiscum.

*Sept.* Et sumpsit Moyses ossa Ioseph secum, iurisiurando enim adiurat filios Israel dicens, visitatione visitabit vos Dominus, & simul efferetis hinc ossa mea vobiscum.

*Cald.* Eo quod iuramento adiurasset filios Israel, dicens, recordans recordabitur vestri Deus.

*Pagn.* Quia adiurando adiurauerat filios Israel dicendo, visitatione visitabit vos Dominus.

## *CONCORDIA.*

DVos Hebraismos consulto vitauit interpres, primus est כי השבע השביע chi hasbeah hisbiah, eo quod iuramento adiurasset, alter est פקד יפקד pakod ipskod visitando visitabit, seu visitatione, visitabit, seu recordans recordabitur, visitauit inquam inelegans enim apud latinos hæc repetitio.

## EXPOSITIO.

*TVlit quoque Moyses ossa Ioseph secum, &c.* Cum Ioseph extremo correptus morbo, vitæ suæ terminum propediem imminere sensisset, conuocatis fratribus suis & filiis, prædixit eis quod à maioribus acceperat, & Dei spiritu illustratus agnouerat, Deum post aliquot annorum interualla benigno fauore visitaturum posteritatem suam, eamque ex Ægypto educturum, & introducturum in terram lacte & melle manantem, patribus eorum repromissam: mandauit igitur ipsis imo & posteris eorum, vt cum educerentur de Ægypto, per Dei visitationem, asportarent secũ ossa eius ac tumulo reconderent in terra Chanaan, quod suo tempore factum esse atque completũ Moyses hoc in loco docet, & in postremo capite libri Iosue, de eorũdem ossiũ transportatione, & sepultura, sic refert historia, ossa quoque Ioseph quę tulerant filii Israel de Ægypto sepelierunt in Sichẽ, in parte agri, quem emerat Iacob à filiis Hemor centum nouellis ouibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph.

## CONCEPTVS.

*Voluntate vltima non sunt fraudandi morientes.*

112 TVlit quoque Moyses ossa Ioseph secum, eo quod adiurasset filios Israel, &c. Cum Ioseph ex filiis suis Ephraim & Manasse, progenitos sibi vidisset, & nepotes, vt neque in sobolis suæ multiplicatione diuina benedictione caruerit, compleuissetque ætatis suæ centum & decem annos, extremo correptus morbo, sensit vitæ suæ terminum propediem imminere: conuocatis igitur posteris præcipit, ne relinquerent ossa sua in Ægypto, sed ea secum educerent, quod factum fuisse Moyses affirmat & docet. verum nonne satis fuisset dixisse, secum ossa Iosephi deduxisse non additis quæ sequuntur, scilicet quod adiurasset eos scilicet moriens, vt in exitu de Ægypto sua secum deferrent ossa? merito hæc omnia addidit, innuens voluntati vltimæ morientium satisfaciendum esse, voluntas enim vltima defuncti iusta & pia, omnibus modis est adimplenda, docet Gratianus. 13. q. 3. c. 4 ex Gregorio IX. ad Ianuarium Episcopum Caralitanum, ita scribente, *Vltima voluntas omnibus modis conseruari debet*, Et quoniam secundum Gelasium Papam. 16. q. 1. c. 15. consideratio ecclesiasticæ veritatis hoc postulat, & iusta dispositione testatoris seruandum arbitrium, & secundum canones, testamentum probatum impediens. est excommunicandus (vt ex concilio Agathensi c. 4. probat Gratianus 13. q. 42. cap. 1.) sacrilegus & egenorum homicida, imo successor, non seruans defunctorum testamentum, est exhæredandus, vt ex Syluestro probat Gratianus. 11. q. 1. c. 13. & in glossa scribitur, si filius institutus hæres, non implet voluntatem defuncti, priuatur successione, relicta tamen sibi legitima, dixi iustam & piam voluntatem defuncti esse obseruandam, quia si esset iniusta, vt si quis vellet exhæredare filium sine causa, aut si aliquid contra pietatem & bonos mores statueret, obseruanda non esset, sed contemnenda.

Gratianus.

Gelasius. Papa

Syluest.

*Imbecillium possessio sit aurum & argentum, fortissimorum autem sit mortis meditatio, hæreditas.*

*Tulit quoque Moses ossa Ioseph secum*, Quid nonne ad imitationem filiorum Israel, tecum aurum

113 & argentum variamque suppellectilem ab Ægyptiis commodatam, non detulisti? nonne gubernator aliis, sicut in potestate, sic etiam in diuitiis debet eminere? cur ergo secum defert ossa Ioseph, populus autem Israel auro & argento onustus incedit? nonne conuenientius esset, vt secum haberet ossa defuncti? quid miraris? imbecillium (sicut erat populus Israel) possessio est aurum & argentum, fortissimorum autem vt Moysis, & aliorum hæreditas mortis meditatio: sic annotat Græcus apud Lippom. *Ioseph Patriarcha ossa secum portat, propterea quod Iudæi vt pote infantibus similes, aurum atque argentum secum detulerunt, Moyses vero intemerati animi vir, Ioseph ossa deportauit, ac si arida illius ossa, optimis Ægyptiorum spoliis anteferret.*

Græcus. Anonymus.

A *Omnia possidet qui nihil voluntarie possidet, nisi mortis meditationem.*

*Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum*, Nonne in pretio habetur apud plebem, qui immensas possidet opes, & vilipenditur pauper & egenus? nam diuites etiam iniqui honorantur, pauper autem etiam si iustus, contemnitur: cur ergo cum magistratibus necessaria sit reuerentia à populo exhibenda, vt efficaciter imperent, cur de te non effertur, quod tecum immensas opes detuleris, non autem ossa inanimata? consulamus Philonem lib. de præmiis & pœnis, de hac re ita differentem, *Regnauit Moyses non more aliorum fretus copiis equestribus & pedestribus, sed Deo, cuius authoritate regnum acceperat, & statim hunc solum memoriæ proditum est sine auro & argento reliquis opibus, regnum administrasse, consilium perspicacius cæca opulentia, & vt nihil dissimilem pro suo censu habentem, quidquid Deus possidet* preme hæc vltima, verba omni ponderatione dignanam nihil grauius in laudem Moysis, omnia têporalia lucra spernentis dici potuerit quasi terrenarum opum contemptor, diuinarum possessor censeatur, imo & omnium possessor, qui nihil voluntarie possidet, nisi in ossibus mortis meditationem. 114

Philo.

B

*In Regii culminis luce, spectandæ mortis tenebræ, vt fæliciter regnum administretur.*

*Tulit autem Moses ossa Ioseph secum*, Nonne euectus à Deo in ducem & gubernatorem populi Israel? nonne tibi commissa est illius cura? regni tot hominum tenes habenas? cur ergo de his prudenter regendis non consulis? cur de administrando iure non disseris? cur leges obseruandas eis non decernis, ne in itinere rixentur? cur in ossibus deferendis detineris? quia in Regii culminis luce spectandæ mortis tenebræ, vt fœliciter regnum administretur, ita scribit Beniamin in suo itinerario, *Vehitur ille (nempe Rex) curru regiis vestimentis ex auro & argento indutus, caput cidari ornatus incomparabilis pretii lapidibus splendenti: super cidarim vero nigrum sudarium gestat, quo signamine sæculi huius verecundiam profitetur, ac si diceret hanc maximam quam conspicitis amplitudinem tenebræ obscurabuntur in die mortis, & ideo bene regnum administras*, Quis autem Rex moriturum se cogitans, cum æquitate regni sui non tenebit habenas? 115

C

D

*Mors semper ob oculos à principibus habenda.*

*Tulit autem Moses ossa Ioseph secum*, Cur secum? nonne potuit aliquis ex Israelitis deferre, sic enim iuramento fieret satis, de deducendis in terram Chanaam Patriarchæ ossibus? merito secum ea deferre voluit, vt semper præ oculis dissolutionem corporis & animæ futuram haberet, semper enim si fieri potest cogitanda est, vnde recte S. Godefridus vt refert autor eius vitæ, *Hoc sic agebat, quemadmodum in exequiis mortuorum membra componi solent, manus & brachia sua composuit, dicens, ô si veniat hora illa nostri transitus ô si ad hanc horam aptare & præparare me digneris Domine Deus meus*: Sic manus & brachia composuit, vt 116

S. Godefridus.

in exequiis, vt nunquam à memoria laberetur mortis moderatio: vnde rectè diuus Bernard. Eugenium summum Ecclesiæ principem, ex breui pontificum vita ad mortis cogitationem & citissimæ decessionis memoriam, vocat & hortatur, sic enim ille Epist. 157. *In omnibus operibus tuis memento te esse hominem, & timor eius qui aufert spiritum principum semper sit ante oculos tuos, quantorum in breui Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti, ipsi te prædecessores tui tuæ certissimæ & citissimæ decessionis admoneant, & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum nuntiet tibi, iugi proinde meditatione inter huius transeuntis gloriæ blandimenta memorare nouissima tua, quia quibus successisti in sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem.*

*Princeps non intumescet elatus potestate, si moriturum se cogites.*

117 *Tulit autem Moses ossa Ioseph secum*, Nonne aliis vrgentioribus negotiis intentus distraheris, quam in ossium delatione? cur ergo quasi nihil aliud curandum haberes totus incumbis in ossibus tecum deferendis, deferẽdos cura cibos, auri & argenti pondera: merito cum se tot hominum rectorem cogitat, tot a suo nutu dependere, ossa secum defert, vt non intumescat elatus potestate, hoc speculum mortis ante oculos habens ad huiusmodi meditationẽ Principes & magistratus S. Zeno Veronen. Serm. de præcepto, attende tibi, conuocat, *Diuitiis*, inquit, *flores & polles, & illustrium priorum consulatibus intumescis, patria parentumque nobilitate te iactas, pulchritudine corporis erigeris, & decore, honoribus extolleris, & assectarum fulciris officiis; tum maxime attende tibi ipsi, & memento quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis, & quia potest & ad te dici, stulte hac nocte auferent abs te animam tuam, & quæ præparasti, cuius erunt? intuere eos qui ante te similis potentiæ dignitatibus effulserunt, vbi sunt? quid agunt? vbi fasces eorum? vbi magistratus? vbi diuersarum insulæ dignitatum? vbi largitio muneralis? vbi exquisita equestrium præparata certamina? vbi denique satrapæ? vbi Reges? vbi tyranni? nonne omnia puluis & cinis? nonne omnia antiqua fabulæ, superfluaque narratio est? nonne per exiguis ossibus angusta vasculo vrnæ conclusis, omnis eorum memoria continetur? denique intuere, & inspice eorum sepulchra, si poteris discernere quis seruus, quisue sit Dominus, quis pauper, quisue sit diues; discerne ibi si potes plebeium à Rege, virum fortem ab imbecilli, decorum ab informi, si ergo horum omnium memor fueris, nulla tibi orietur elationis occasio, sed semper memor eris tui, si præcepti memor attenderis tibi.*

Zeno.

*Qui alios iniustè in exilium mittunt, ipsimet exules manent, aliis in patriam redeuntibus.*

*Tulit autem Moses ossa Ioseph secum.* Cuius Io-

118 seph? illius qui à fratribus venditus, exul deductus est in Ægyptum, cur eius ossa saltem transferantur in Chanaan, fratrum suorum in Ægypto manentibus cadaueribus? nonne exul Ioseph factus est à fratribus? contemplare ergo rectum Dei iudicium quod qui eum iniuste in exilium miserant, ipsimet exules manent ipso in patriam redeunte. Ruperti est obseruatio, *Admirandus*

Rupertus. *[illegible] diuini iudicis, venditores fratris fecit Deus des-*

A *cendere post eum in Ægyptum, & nonnisi viuentem viuum reduxerunt, sed ipsis defunctis illic manentibus, filii eorum mortuum reuexerunt, eisque in peregrina terra sepultis, hic vero reconditur in terra & hæreditate patrum.*

*Etiam post mortem iusti auersantur impiorum consortium.*

*Tulit autem Moses ossa Ioseph secum.* Nonne iam à tot annis consumpta? & si adhuc manent inte- 119
gra, vel aliquo modo corrosa, cur tecum ea deducis? quia iuramento filios obstrinxerat vt cũ Deus sua infinita bonitate visitare dignaretur ea secum laturos, sed cur hoc onus tuis imponis? nonne si à tot annis in Ægypto iacent vsque ad futuram resurrectionem in pace sepulta manebunt? ita auersantur iusti impiorum consortium, vt nec etiam post mortem illud admittere velint & ideo nec sua permittunt inter eos iacere cadauera; no-

B bilem inuenit Oleaster, *Non æquo animo ferebant sancti inter impios requiescere, neque corpora neque cadauera sua permittunt inter impios haberi.* Oleast.

*Qui iuramentis se obstringunt, ne periurii sint rei, alias grauissimas daturi pœnas.*

*Tulit autem Moses ossa Ioseph secum, eo quod adiurasset filios Israel*, Cald. eo quod iuramento ad- 120
iurauerat, ne quæras ergo cur Iosephi transferuntur ossa in Chanaan, sciebat enim Moyses non leues daturos pœnas qui periurio sunt obnoxii, vnde D. Isidorus Pelusiota lib. 2 epist. 788. Isidoro diacono ita scribit, *Multi per Deum iurantes periurii crimine se se demerciunt, quænam his in hac vita satis digna pœna excogitari queat? nulla omnino.* Quis ergo periurium tanquam grauissimum scelus non fugiat, & cui condigna noxæ inuenitur punitio?

*Vbi sunt charissimorum cineres, ibi nostra requies & alibi nulla.*

C *Tulit autem Moses ossa Ioseph secum*, rationem subiungit, *eo quod adiurasset filios Israel visitabit vos* 121
*Deus efferte ossa mea vobiscum.* Cur tanto desiderio teneris cadauer tuum in Chanaan deferri? an quia ibi nasciturus est Christus & moriturus? an quia impiorum etiã post mortem Ægyptiorũ [illegible] aduersaris, &c. an ne debitus honor [illegible] exhiberetur? non reiiciẽdæ hæ rationes, sed aliam addamus, quia vbi sunt charissimorum cineres, ibi nostra requies & alibi nulla, in Chanaan parentũ corpora iacebant, ideo nullibi vult quiescere, nisi in illa promissionis terra in qua deposita erãt. nonne hæc docet Origenes, cũ explicat illud Ioãnis 20. [illegible] discipuli ad semetipsos; Maria stabat ad monumentum foris plorans, sic eam inducit loquentem: *Melius est mihi sepulchrum Domini mei custodire, quam abeo longius ire; stabo igitur & hic moriar vt saltem iuxta sepulchrum Domini mei sepeliar, o quam beatum corpus meum si fuerit sepultum prope magistrum meum! o quam fœlix anima mea quæ egrediẽs de vase fragili corporis mei, mox poterit ingredi in gloriosum sepulchrum Domini mei! sepulchrum Domini mei erit mihi requies.* En vt iuxta corpus exanime Domini sui, & non alibi requiem habitaturam proclamat Magdalena.

Ioann. 20. Origenes.

*Iustorum reliquiæ omnibus thesauris præferendæ.*

*Tulit Moses ossa Ioseph secum.* Nonne commo- 122

dato ab Ægyptiis accepisti vasa aurea & argentea, A nec non quæcumque pretiosa, quomodo non audimus ea tecum deferre, eorum esse solicitum, cum nihil à mortalibus vt in plurimum, in maiori pretio habeatur quam diuitiæ? cur ergo his abiectis, tecum ossa deferre legimus? ossa quidem sed ossa sancti Ioseph, & ideo omnibus thesauris

Procop. etiam pretiosissimis inponenda, do Procopium sic scribentem, *Moses eligit vnius iusti ossa quæ præfert immensis Ægyptiorum thesauris.* & Theofridus

Theofrid. Abbas serm. de sanctor reliquiis. Abbas, *quidquid in rebus volucribus pretiosum est in eorum comparatione vilissimum, eorum excellentiæ omnis lapis pretiosus non comparatur.*

*Sanctorum reliquiæ vtilissimæ ad propulsandos aduersarios.*

127 *Tulit autem Moses ossa Ioseph secum.* Quid tibi conferent vtilitatis? pondus tibi erit inutile, ne tale dixeris, cum reliquiæ sint sancti Patriarchæ, tibi B & populo maxime vtiles, ad propulsanda hostium arma, hoc enim præstat mortalibus sanctorum reliquiæ. sic testatur Theofridus Abbas ser.

Cit. Abbas. citato, cuius verba religio esset supprimere, itaque sic scribit, *Has singulis prouinciarum & ciuitatum populis dedit in solatium, vt dum importunis vrgentur incursibus hostium visibilium & inuisibilium per harum defensentur meritum, Rex enim quilibet vrbis alicuius defensurus mœnia, quanto audaciora & plura hostium comperit esse agmina, tanto fortiora & numerosiora in munitionibus militum opponit pectora: sic & Deus noster videns hostium multitudinem, per totum [illegible] aciem, & [illegible] aduersus adoptionis suæ filios [illegible] multiplicem, humanæ miseriæ misericorditer consuluit, & [illegible] super arenam [illegible], [illegible] id est [illegible] protegit vniuscuiusque [illegible], sicut & hunc [illegible] de magnis sanctorum [illegible] commendat, quatenus [illegible] digni ac [illegible], [illegible] indigenæ earum perpetua defensione [illegible].*

*Reliquiæ sanctorum in capsulis pretiosis recondendæ.*

*Tulit Moyses ossa Ioseph secum.* Tulit non præ manibus, non imposita nude iumentis, vbi ergo recondita posuit? non est dubium quin in capsula vel arca pretiosa, sciens quanti meriti fuerit apud Deum Ioseph, ideo in pretio habendas esse eius reliquias & in aliquo vase pretioso posuisse in terram Chanaan deferendas: hunc honorē tribuendum sanctorum reliquiis docet cit. Abbas *Ossa sanctorum licet mortali conditione arescant, virtutum tamen viriditate vt herba germinant, quamquam idem in generali resurrectione perfectius implendū esse diuinæ scripturæ interpretes astruūt in dispositissima sane Dei tanta quasi patrisfamilias domo vasa in honore esse ac fuisse electi creduntur, ideo & eorum reliquiæ in vasis aureis, & argenteis, & gemmatis ac in linteminibus quæ pretiosa sunt reconduntur.* 124 Theofridus

Alios conceptus huic versui accomodatos sume ex tertio volumine Commentariorum nostrorum in Genesim in c. 50. vers.

## *VARIETAS LECT. Vers.* 20.

V*ulg.* Profectique de Socoth, castrametati sunt in Ethā, in extremis finibus solitudinis.

*Sept.* Promouentes autem filii Israel de Socoth castrametati sunt in Ethon iuxta desertum.

*Cald.* Castrametati sunt in Ethan, quod est in littore deserti.

C *Onk.* Manserūt in Ethā, in fine deserti, *alij* à fine.

*Vatab.* Castrametati sunt in Ethan in ora deserti.

*Orig.* De Socoth profecti venerunt in Othon ad Epauleum iuxta mare.

*Petrus Damian. dicit aliquos codices septuag. habere* castrametati sunt in Buthen. Opusc. 32. cap. 5.

## *CONCORDIA.*

HÆc verba Hebræica בקצה המדבר bikze hamidbar sic reddidit noster intepres, in extremis finibus solitudinis, sed quia bikze finē, extremitatem, finem, oram, imo terminum & summitatem significat, hinc varia sed non contraria lectio, sicut nec illa sept. legentium [illegible] τὴν ἔρημον, iuxta vel circa desertum, sicut nec versio Caldaica quod & in latere deserti, vtrobique enim idem est sensus.

## EXPOSITIO.

P*Rofectique de Socoth castrametati sunt in Ethan,* Socoth secunda mansio est vltra Traianum fluuium, modo Ethan, quæ & Sur, teste S. Hierony. vt ex num. 32. constat, desertum vnum est, magnum quidem & arenosum, ad mare rubrum Ethan dictum, à Iosepho vero Lycus nuncupatur vbi Babylon deinceps constructa fuit, dum Cambyses Ægyptum vastasset, alia ab illa magna quam Nabuchodonosor se extruxisse gloria- D batur, porro teste S. Hyeroni. est Ethan aliud saxi munitissimi nomē, vt Iosephus scribit, in quo Samson abscondebatur, longe ab illo distans, *In extremis finibus solitudinis*, id est inter confinia eremi & Ægypti, post finitam Ægyptum vbi solitudo incipit ad ortum, itaque in extremis finibus solitudinis, non illius quæ terrā promissionis attingit, sed illius quæ Ægypti fines contingit, vbi solitudo post Ægypti habitabilē terrā, reperitur.

## CONCEPTVS.

*Deus nobis adest egredientibus è tentoriis huius mundi, vt fortiter bona aggrediamur opera.*

125 *Profectique sunt de Socoth & castrametati sunt in* Ethan, Ex D. Irinæo lib. 4. c. 50. aduersus hæreses vniuersa quæ ex Ægypto fiebat populi Dei profectio typus erat, & imago profectionis ecclesiæ

Dei quæ erat futura ex gentibus quam non Moyses famulus Dei, sed Iesus filius Dei in hæreditatē dabit. sed an hæc veritas elucescit in hac mansione, qua ex Socoth profecti sūt omnes in Ethan vbi primum videtur Deus præcedere populū suū nocte in columna ignis, & per diem, in columna nubis? quæ enim veritas in hoc typo continetur? cur potius in hac mansione Deus eis apparet eos protecturus quam antea? si per Ethan fortitudo operis designatur: cur non dicemus merito tunc Deum eis adfuisse? quia egredientibus è tentoriis huius mundi, & fortiter & viriliter bona agentibus, Deus non potest non adesse, à quo non longe abest Raban. Maur. *Non in Socoth standum, est vrgenda profectio, mouenda sunt castra etiam de Socoth, & festinandum vt veniatur in Ethan, Ethan siue Othon in nostram linguam verti, dicunt fortitudo, bis audis dici, quia Deus antecedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, non hoc inuenis factum in Ramesse, nec apud Socoth, quæ secunda mansio.*

Raban. Maur.

## *Magna fortitudo est sæculo derelicto, in deserto commorari.*

127. *Profectique sunt de Socoth & castrametati sunt in Ethan.* Ouæ manserunt in Ethan, in extremis finibus solitudinis, cur adiungitur Ethan cum solitudine? nonne satis erat dixisse manserunt in extremis finibus solitudinis, non facta mentione Ethan? si diximus Ethan denotare fortitudinem, merito vbi agitur de mansione in deserto, Ethan nominatur, quia magna fortitudo animi necessaria est vt sæculo derelicto, commoreris Deo famulaturus in deserto, fauet Hierony. ad Fabiolam, *Ethan nobis sonat fortitudo & perfectio, de qua & Dauid, canit tu dirupisti flumina Ethan id est fortes, grandis est fortitudo Ægyptum dimittere, & in extrema solitudine commorari: præparemus ergo nobis fortitudinem, assumamus robur perfectum, vt inter errorum tenebras, & confusionem noctis, scientiæ Christi lumen appareat.*

Hieron.

Psal.

## *Semper ad perfectionem tendere debemus, relictis quæ à tergo sunt.*

128 *Profectique sunt de Socoth & castrametati sunt in Ethan.* Remaneant in Socoth, vbi fixerunt tabernacula, cum egressi sunt Ægyptum, & sint extra tyrannidem Pharaonis. nonne diximus ex Hierony. Ethan sonare non solum fortitudinem sed etiam perfectionem? non ergo remanendum est in Socoth, sed cum animi alacritate proficiscendum est in Ethan, quia semper tendere debemus in perfectionem, immemores eorum quæ nobis sunt à tergo, obliuiscentes huius sæculi tentoria. hoc innuit Apostol. ad Philipp. 3. quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens, me ipsum ad destinatum persequor, brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. ad quæ verba apud Hierony. lib. 1. aduersus Pelagian. respiciens Atticus, cum Critobulus rogasset, quomodo ad perfectionem diuinus sermo prouocat respondit, *Hac ratione qua dixi, vt secundum vires nostras vnusquisque nostrum, quantum valuerit extendatur, si quomodo possit peruenire, & comprehendere brauium supernæ vocationis.* Quomodo autem nos extendamus exponit Chrysost. hom. 11. in Epist. ad Philipp. *Extendens inquit, is est qui pedes tanquam currentes reliquo corpore anteuertere studens, se ipsum in ea quæ à fronte sunt extendit, & manus quoque protendit, vt etiam amplius quiddam vltra cursum efficiat, ita oportet currentem currere cum tanto studio, cum tanta alacritate, non pigre.*

ad Philipp. 3

S. Hieron.

S. Chrys.

## *Medium ad perfectionem acquirendum, est vitiosa quæque abiicere.*

129 *Profectique sunt de Socoth & castrametati sunt in Ethan.* An caret mysterio, quod ante quā perueniant in Ethan, Ægyptum reliquerint? dices carere, quia impossibile est, vt Ethan pertingerent, quin prius ab Ægypto discesserint, sed si vt diximus, Ethan denotat perfectionem, sicut & Ægyptus peccata & vitia, non sine ratione vt perueniant ad Ethan, deserenda est Ægyptus, quia vt perfectionem acquiramus, vitiosa quæque abiicienda, sic consulit S. Basil. de instit. Monachorum, *Christianum qui ingreditur genus vitæ quod est secundum Philosophiam, id est secundum virtutis perfectionem, vitiosas animi affectiones diuersas, quibus anima infici solet, debet abs se segregare.*

S. Basil.

## *Ad mysteria Dei cognoscenda tendamus.*

130 *Profectique sunt de Socoth, & castrametati sunt in Ethan.* Minime steterunt in Socoth, sicut nec in Ramesse, sed festinauere, vt in Ethan peruenirēt, nonne sunt tabernacula, in secunda mansione? cur ea non contenti, aliam vlterius inquiritis Ethan appellatam? Orig. hom. 5. in Exod. ait Othon, in nostram linguam versum esse, signa eis, ibi enim apparuit Dominus in columna nubis: ne mireris igitur si derelictis tabernaculis in Ethan peruenire velint, quia ad signa Dei habenda, ad mysteria eius cognoscenda pigrescere non debemus. subiicio verba Adamantii, *Mouenda sūt castra de Socoth & festinādum vt veniamus in Othon, Othon vero in nostram linguam versum dicunt, signa eis, & merito, hic enim audiens dicit, quia Deus antecedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: non hoc inuenis factum apud Ramesse nec apud Socoth, quæ secunda proficiscentibus castra dicuntur, sed tertia castra sunt, in quibus fiunt mysteria diuina. recordare quæ superius lecta sunt, cum dicebat Moyses ad Pharaonem, iter trium dierum ibimus in deserto & immolabimus Domino Deo, hoc erat triduum ad quod festinabat Moyses, & contradicebat Pharao; ille enim dicebat, non eatis longius, non permittebat Pharao ad locum signorum peruenire filios Israel, non permittebat eos in tantum proficere, vt possent tertij diei mysteriis perfrui.*

Orig.

## *Peregrini in hoc sæculo fortissimi sint in humilitate, ad superanda quæque difficilia.*

*Profecti de Socoth castrametati sunt in Ethan*, Secundum S. Petrum Damia. opusc. 32. c. 3. septuag. habent Buthan, Ethan vt vidimus fortitudinem denotat, & Buthan humilitatē, inquit cit. Cardin. sed qui fortis est, nonne excelsi animi? quomodo ergo eadem mansio humilem & fortem denotat? tamen derelicto Socoth, peruenerūt in locū humilitatē & fortitudinem denotantē? quia qui peregrini sunt in hoc sæculo, quales erant Israelitæ, in eremo fortissimi debent esse in humilitate, & humiles in sua fortitudine, ad ferenda & superanda quæque difficilia, subiicio verba Damiani: *Veniunt in Ethan siue vt Septuag. dicunt Buthan quæ est in extremis finibus solitudinis, Ethan fortitudinem sonat, qui ergo iam pro Deo peregrinantur in* 131

Petrus Dam.

*mundo qui se incolas & exules recognoscunt necesse est vt quãto magis se præbent in terrenis actibus debiles, tanto sint in humilitate ac patientia fortiores, bathan autem vallis interpretabatur quod ab eodem sensu ne-* A *quaquam discrepat, oportet enim vt quisquis ad terram viventium properat, ad perferenda tentationum iacula in humilitatis & patientia conualle persistat.*



## VARIETAS LECT. Vers. 21.

VVlg. Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore.

*Sept.* Deus autem præibat eos die quidem in columna nubis, ostendere illis viam, noctu autem in columna ignis.

*Cald.* Dominus autem præcedebat eos per diem in columna nubis, vt pararet eis locum mansionis in via, & in nocte in columna ignis, vt illu- B minaret eis, vt ambularent die ac nocte.

*Pagni.* Et Dominus ibat ante eos per diem in columna nubis, vt duceret eos per viam, & per noctem in columna ignis, vt lumen faceret eis vt ambularent die ac nocte.

*Arias.* Et Dominus ibat ante eos interdiu, in columna nubis, ad ducendum eos via, & noctu in columna ignis, ad illucendum eis ad eundum die ac nocte.

## CONCORDIA.

VErum est in Hebræo plura esse quam apud Vulg. & Septuag. sic enim habentur hæ duæ dictiones להאיר להם leahir lachem, ad illuminandum seu vt illuminaret eis Cald. vt lumen præberet eis, sed vtráque hanc dictionẽ sub sequentibus verbis tacitis expressam notauit, videlicet vt dux esset itineris, vtroque tempore; proquo ita in Hebræo legitur ללכת יומם לילה lalechet iomam valaila, ad faciendum ambulare, seu vt ambularent die ac nocte, quæ omnino silent Septuag. quæ tamen virtute continentur in vulgata editione.

## EXPOSITIO.

D*Ominus autem præcedebat eos.* Licet Dominus dicatur præcessisse, potius tamen angelus dicendus est, cui Dominus imperabat hanc columnam mouere, aperte enim hic Dominus dicitur præcessisse, & lib. 2. Esdræ. c. 9. at vero capite sequenti, Angelo id officium diserte tribuitur: licet autem hic primum fiat huius columnæ mẽtio, tamen verissimile plures arbitrantur, iam inde à principio ex quo recesserunt ex Ramesse, hanc columnã ducem habuisse: quod indicat in nostra versione, & Septuagin. præteritum imperfectum, *Præcedebat*, & in Hebræo participium, quod sæpe per imperfectum vertendum &c.

*Ad ostendendam viam per diem*, Cuius officium duplex fuit præcipuum, nempe profectionem inchoare, & finire, ita vt quando inchoanda esset profectio leuaret se de tabernaculo supra quod quiescebat, ac populum præcederet instar ducis: quando autem finienda esset ab initio castrorum versus se ad tabernaculum reciperet, vnde ad initium profectionis canebat Moyses Num. 10. exurgat Deus & dissipentur inimici eius, eo quod cum nube Angelus qui nomine Dei castris Iudaicis præerat, se leuaret, vt plenius describitur Num. 10. ad finem vero illius canebat, reuertere Domine ad multitudinem exercitus. officium ergo illius fuit præeundo viã ostendere, vel cum quiescendum esset id quiete sua ostendere. & licet aliqui asserant columnam ignis, nusquam viam monstrasse, tamen hoc probabile mihi non videtur, quia verba scripturæ Dominus præcedebat eos, ad ostẽdendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in co- C lumna ignis, vt dux esset itineris in vtroque tempore, putant inquam hæc verba sufficienter exponi de lumine, quod columna ignis præstitit noctu per tota castra, cuius beneficio fiebat, vt possent ex vno tabernaculo commeare ad aliud, & in ipsis tabernaculis non egerent lumine noctis, prout noctibus egere solemus: sed hoc mihi probabile non videtur, quia propter nocturnum lumen non posset dici quod Dominus nocte præcesserit castra, prout Moyses loquitur: quia lumen nocturnũ imo & diurnũ, casu quo non erat profectio, non mouebatur, sed quiescebat. sed dices, Israelitis noctu non fuit proficiscendũ, ergo, &c. sed ex hoc versu contrariũ colligitur imo ex 2. Esdr. 9. ibi enim habetur in columna nubis, ductor eorum fuisti per diem, & in columna ignis per noctem, imo Clemens Alexand. lib. 1. Strom. author est, Mosem, quia cum eduxisset populum, suspicabatur sibi instare persecutionem Ægyptiorum, maxima ex parte noctu iter fecisse. D

Numer. 10.

*Per diem in columna nubis & per noctem in columna ignis.* Hanc enim speciem exhibebat ab anteriori parte castrorum columnæ, scilicet oblongæ, & versus cœlum protensæ, vt à totis castris cerni posset, cum enim in iis castris plura essent hominum centena millia, magnum haud dubie tractum terræ occupabant, quocirca eminus etiam ea columna cerni debuit: porro columna ea interdum nubis speciem, noctu ignis aut flammæ lucentis referebat, tum quod nubes interdiu facillime cernatur, noctu ignis vel lux, tum quod flamma noctu erat necessaria, vt quæ agenda cerni possent, imo cum omni alia luce carerent, verisimile est etiam huius lucis radios in

ipsa tentoria penetrasse, vel certe ostium vel fenestellam aliquam relictam ex parte qua columna illucebat, apertam, vt lux sufficiens in omnia tentoria penetraret.

Inquires vtrum vna columna fuerit vel ne? scriptura aliquando indicat duas fuisse, quarum altera dux viæ fuerit, altera vmbraculum aduersus ardentes solis æstus, adeoque altera præierit, ante castra, altera castris supercubuerit, hinc de vtraque
Num. 14. nube Num. 14. nubes tua, ait Moyses, protegat illos & in columna nubis præcedat eos: ac speciatim de nube protegente fit mētio Numer.
Num. 10. Psal. 104. 10. nubes Domini erat super eos per diem & Psal. 104. expandit Dominus nubem in protectionem eorum: de columna vero & nube antecedente exercitum ac tempore castrametationis quiescente, mentio fit Numer. 10. ibi nubes ad initium profectionis suscipiendæ eleuata tabernaculo fœderis, & recubuit in deserto Pharan, vt scirent Israelitæ, etiam sibi isthic esse manendum. nihilominus arbitror columnam ipsam ducentem vnam quidem fuisse, quæ noctu quasi ignis, interdiu quasi nubis speciem haberet; simul tamen hanc columnam quasi nubem aliam sparsisse quæ castra obumbrabat, non ad formam columnæ, sed pro vario castrorum situ & ordine.

Inquires iterum vtrum fuerit vera nubes, & verus ignis; de primo non mihi videtur dubitan-
A dū, quid enim aliud esset nisi vera nubes, quæ nē actione solis paulatim dissiparetur vel in humorem aqueum conuerteretur, impedita fuit? sed an fuerit verus ignis dubitari potest, cum Numer. 9. non ignis sed species ignis dicitur, quod autem alicuius rei species est, ipsa res non est, asserimus ergo non fuisse ignem, nam vt vidimus nubes erat, ergo non verus ignis, cum non duæ sed vna columna esset, erat igitur ignis secundum apparentiam, non autem secundum existentiam.

Huius columnæ obserua plures proprietates, prima Hebreos præcessit per quadraginta annos, eosque ex Ægypto in Chanaan deduxit. 2. viam ostendebat, vt scirent qua esset eundum per deserta, & inuia, 3. iam mouebatur, iam quiescebat, cum mouebatur, castra mouebātur & quiescente quiescebāt. 4. erat ingens, lata, longa, & crassa, vt à tantis castris vbilibet posset videri. 5. motor &
B stator illius erat Angelus. 6. per diē apparebat in columna nubis, per noctē in columna ignis, ad illuminandum castra, idque vicissim & assidue singulis diebus & noctibus. 7. in hac columna sæpe Deus apparebat ac loquebatur Moysi, & Hebræis, suamque ostendebat magnificentiam 8. hæc columna nubis tota obumbrabat castra eaque ab æstu solis protegebat. 9. discernebat Hebræos ab Ægyptiis, hos obtenebrando, illos illuminando.

## CONCEPTVS.

### *Christus Dominus in hac vita lenis, In altera, peccatoribus seuerus.*

122 *Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Hæc omnia facile Christo Domino adaptantur, est enim columna propter rectitudinem & stabilitatem, & quia ipse fulcit ecclesiam, & infirmitates no-
b Ambros. stras, rursum est columna Christus ob crucem, est enim crux Christi humani generis columna. secundo Christus nubes est, qua homo, est ignis qua Deus, nam vt ait S. Ambr. in Psal. 118. nubes est nebula corporis nostri. sed in Christo leuis, id est cælesti spiritus sancti operatione sancta, nullaque sorde grauis. sol ergo vt tolerari possit venit in nube, id est Deus, vt cum hominibus versaretur venit in carne, qua deitatem suam velauit, & vestiuit: sed cur est columna nubis per diem & ignis per noctem? cur non semper est, vel columna nubis vel columna ignis? sane vt denotaretur, quod Christus in die, id est in vita iusti est blandus & suauis, sed in nocte id est in vita peccatoris quasi ignis, id est terribilis apparet, vel, quod in die, id est in hac vita ostendit se leuem, vt nubes est, sed in nocte, id est in morte & altera vita, puta in iudicio & gehenna, se quasi ignem
S. Greg. Mag. formidabilem ostendit, ita testatur S. Greg. Mag. hom. 21. in Euangel. *Terror timoris est in fulgure, in niue autem blandimentum candoris, hinc in resurrectione Christi. Angelus talis apparuit vt sua specie & terreret reprobos & mulceret pios, vnde Hebræos per deserta gradientes columna ignis in nocte, & columna nubis præibat in die: in igne enim terror est, in nube visionis leue blandimentum, dies autem vita iusti, & nox accipitur vita peccatoris, in die igitur columna nubis monstrata est, & in nocte columna ignis, quia Deus in iudicio veniens per lenitatis mansuetudinem blande iustos demulcebit, peccatores autem per iustitiæ districtionem terrebit.*

C
### *Christus Dominus quos per nubeam carnem docebat, eos intimi Spiritus sancti igne accendebat.*

*Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis*, Quod Dominus 123
adumbretur columna ignis & nubis diximus, & aliam testem possumus adducere Abbatem Tui- Rupertus.
cens. lib. 2. in Exodum sic dicentem, quisnam est hic dux itineris? nisi qui & dux & via nobis est Iesus Christus filius Dei viui, ipse nempe columna ignis quia verus Deus, ipse idem colūna nubis quia verus homo: sed quid est quod eos quos columna nubis gubernabat in die, eosdem in nocte in columna ignis illuminabat, addunt & aliqui quod calefaciebat? nimirum quos per nubeam
D carnem suam perdocebat Dominus, eos intima virtute Spiritus sancti accendebat. ita eleganter
Drogo lib. de Sacram. passion. *Nubes ergo per* Drogo.
*diem, & columna ignis per noctem, quia & caro tua diuinitatis æstum temperat & Spiritus sancti lux tenebras mentis nostræ illustrat, igitur dum loqueris in via duobus discipulis, & nubes peregrina faciem tuā obtegeret, nonne cor nostrum ardens erat inquiunt in nobis? ardebat nimirum intus columna ignis, quia foris columna nubis loquebatur ad eos.*

### *Christi crucis vmbraculo tegitur, qui mundum fugit.*

*Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis,* 124
*& per noctem in columna ignis.* Cum iret enim Dei populus per desertum, ne solis æstu torreretur nubem illi exhibuit quæ cum tegeret & obum-

braret

braret tendentem in terram promissionis. sed an aliquid maius nobis est præstitum? quis negare potest? pro nube enim crucem habemus, quæ non in terram promissionis nos ducit, sed in cœlum. pulchre nobis succinit sanctus Andreas Cretensis oratione prima de exaltatione sanctæ crucis dum ait. *Crucis signum exhibuit columnæ nubis & ignis quibus deducebat Deus errantem Israelem & ex Ægypto profugum*, minimum dignus est qui crucis vmbraculo tegatur, qui mundum, cuius figura erat, deserunt seque ab eius seruitute abdicauit, qui in Ægypto moratur, non meretur hoc crucis tegmine operiri.

S. And. Cre.

*Christi Domini crux nubes est ad pessimas abigendas voluptates.*

135 *Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis & per noctem in columna ignis.* Verum est nos dixisse crucem hac columna adumbrari, sed quomodo eâ mediâ tanquam nube protegimur, ne in pessimas voluptates prolabamur? quia tegit nos velut nubes, ne noxio voluptatum terrenarũ æstu conficiamur, neue hostium incursibus fragilitas nostra exponatur. figamus in istam nubem obtutus, & periturarum deliciarum amor euanescet, à probo calamo probum monitum est, sic quippe habet S. Chrysost. serm. de Ioseph. *Semper crucem habe ante oculos radiantem, & purus à peccatis per id tempus abibis: nam sicut columna nubis figura nostræ crucis Hebræorum multitudinem protegebat ne quid mali ab Ægyptiis pateretur, ita crux ante oculos visa omnem statim abigit malam voluptatem.* Terrenis scilicet ac marcescentibus deliciis inhiant homines, qui sub hac crucis nube non degunt, ad illam non respiciunt, sub illius tegmine viuere nolunt.

S. Chrysost.

*In Christi vmbrâ vita, extra eam mors.*

136 *Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis.* Vt nimios ardores solis temperaret, quomodo enim ferre potuissent æstum vehementissimum, per arenosam eremum, quæ etiam nimium radiis solaribus calefacta, eos adussisset? cur ô bone Deus, hanc nubem super eos extendis? quærant sibi subleuamina? nonne satis est eos libertate charissima donasse? nubem omnibus nescit negare Deus, scit enim quod nisi Christus ea designatus, nobis obumbraret, sine dubio misere periremus, nam vt recte Richard. à sancto Laurent. lib. 1. c. 7. de laudib. Virg. ait. *In hac vita Christus est vmbra animæ, extra hanc vmbram mors est sola Thren. 4. dicitur Christo, in vmbra tua viuemus in gentibus.* Places vita quæ sit ad hanc vmbram, curre, displicet mors, sub crucifixi vmbra iugiter viue.

Richard. à S. Laurent.

*Christus Dominus omnes lustrat & illustrat.*

137 *Dominus præcedebat eos in columna nubis per diem, & per noctem in columna ignis.* Addit Cald. vt illuminaret eos, quid est vt eos illuminaret? omnesne comprehendit? nam cum sint inter eos, nobilissimi & alij plebeij, an etiam plebeios lumine suo illustrat? nullum excludit Christus à suo lumine, sed omnes sua lustrat & illustrat luce: annuit S. Chrys. c. 31. cat. Grecæ in Ieremiam. *Paruorum grandium, seruorum, liberorum, principum, subditorum, Regum, priuatorum, infantium, senum, omnium animos lumine cognitionis illustrauit.*

S. Chrysost.

*Christus Dominus purissimus & innocentissimus.* 138

*Dominus autem præcedebat eos in columna nubis.* S. Ambr. Venit in nube Christus, hoc est venit in susceptione corporis in hoc sæculum in nube venit, quem nebula corporis obumbrabat. sed quæ nubes eum obumbrabat? leuis equidem. sed quid refert vtrum leuis fuerit vel ponderosa, vel grauis? cum in scriptura peccatum graue notetur, iuxta illud Regij vatis, iniquitates sicut onus graue grauatæ sunt super me merito dicitur, quod in nube leui venerit, vt summa eius puritas denotetur & innocentia eius extrema *Leuis erat caro*, prosequitur S. Doctor, *quam nulla sua grauabant delicta quomodo enim suis grauaretur delictis qui auferebat omnium peccata delictorum? ecce inquit Ioannes, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, ante hesternum, lectum est, quia stabat Iesus & habebat vestimenta sordida, mea enim peccata portabat: sumpsit vestimenta nostra vt nos splendore immortalitatis indueret, venit in nube leui quasi iustitia, iniquitas enim in talento plumbeo, sed Christus in corde iustorum in quibus peccata non erant.*

S. Epis. Mediol.

*Christus Dominus non de se præsumentibus, sed tenebras peccatorum agnoscentibus, lumen suum immittit.*

*Dominus autem præcedebat eos in columna nubis per diem, & per noctem in columna ignis*, Cald. *vt illuminaret eos.* Nonne potuit addere Cald. similiter in columna nubis, vt luceret eis? nam etiam diurno tempore lux necessaria est. cur ergo non dicitur quod præcedebat eos in columna nubis, vt eis illucesceret? per diem intelligit S. Greg. 2. Moral. c. 30. aliquos, qui in suis meritis cõfidentes, iustos se arbitrantur, sicut Pharisæus ille in Euangelio, per noctem, peccatores non quoslibet, sed sua agnoscentes delicta: en cur in columna nubis per diem non illucescit, sed in columna ignis per noctẽ! non enim in se confidentibus, sed tenebras peccatorum suorum agnoscentibus, lumen suum immittit. *Christus D. columna nubis* prosequitur S. Doctor, *quæ in Eremo populũ præibat splendore ignis, non in die sed in nocte radiabat, quia videlicet redemptor noster suæ conuersationis exẽplo, ducatum sequentibus præstans, de sua iustitia confidentibus nulla luce claruit, peccatorũ vero suorũ tenebras agnoscẽtibus igne sui amoris infulsit.* 139

S. Greg.

*Ita Deus suorum amator, vt tanquam seruus & minister tedas & faculas eis præferat.*

*Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis*, ad quid? ad ostendendã viam, *& per noctem in columna ignis* qua de causa? Cald. *vt illuminaret eis.* Multis insignibúsque donis cumulatus à Deo fuit Israeliticus populus, nõ vltimum illud quod ab Ægypto liberatus, & in terram promissionis iter arripiens, nubem illi comitem dedit, quæ illum duceret & protegeret. latet sub hac nube Dei in suum populum amor eximius, nocte hæc columna ignem flammãque referebat; solent regibus faces præferri in Regiæ maiestatis signum, vnde etiam in die palmarum cum ad Ecclesiam se Imperator cum Patriarcha conferret, Lampadarius olim præcedebat Imperatorẽ facem præferens. hunc illud Codini Curopolatæ lib. de offic. constit. vbi post apparatum huius diei subdit. *Præcedit Lampadarius ferẽs facem, inambulacrũ psallens carmen continuum huius diei peculare, exi.* 140

Codinus.

*gentes exite populi, videte hodie Regem cælorum.* A quid an Deus ita seruus ac minister, vt populo suo ignem faciat atque præferat? ita illum amans, vt hoc ministerio prodat quanti eum faciat. iure exclamat me Oleast. Oleast. *magna dignatio tua Domine erga nos, vt quasi puer tædas accensas ante eos deferas & iter doceas, quis audiuit vnquam talia, vt Dominus accensa facula quasi minister suos præcederet?* & sane ancillæ officium populo hæc nubes præstare videbatur, hinc illud Clem. Alexand. ad Clem. Alex. gentes. *humanitatis gratia Hebræos ancillæ instar sequebatur nubes.*

*Maria nubes optima, quæ nos ab omnibus protegit & obumbrat.*

141 *Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* An huiusmodi columnâ Mariam Deiparam adumbrari dicemus? quidni? est enim columna nubis nos die no- B ctuque protegens, vt ab omnibus periculis liberi simus, & ab omni immunes calamitate: succinit Richard. à S. Laurent. Richard. à S. Laurent. lib. 7. de laudib. Virg. Psal. 104. *De Maria nube dicitur Psal. 104. expandit nubem in protectionem eorum nempe Israelitarum. & ignem vt luceret eis per noctem, ecce duo officia ad quæ data est Maria, vt protegat à feruore solis iustitiæ tanquam nubes. & etiam contra diabolum. quasi igneus murus & contra vitia & peccata.* Fœlix qui virginea hac nube tegitur & obumbratur, quæ simul se in igneam columnam conuertit, vt hostibus terribilis, hostes à suis eliminet.

*Maria nubes nostri itineris, operumque ductrix.* C

142 *Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis.* Ad quid? ad ostendendam viam. & per noctem in columna ignis. Maria nobis est columna nubis, quia tanquam nubes protegit ab æstu diuinæ indignationis, protegit etiam ab æstu diaboli & indignationis, Maria quoque columna ignis est illuminans mundum multis suæ misericordiæ beneficiis: sed an Maria vere columna nubis solum, quia protegit & obumbrat ab æstu? parum esset, quid ergo amplius? per rectam viam ducit ne à recto tramite aberremus, qui ergo ab eo deflectere non desiderat, Mariam sequatur. Mariæ se committat. hinc ὁδηγήτρια Græcis dicta quasi Nic. Grego. viæ monstratrix, quod innuit Nicephorus Gregoras historiæ Rom. lib. 4. dum ait *Nunquam prius quam sacratam viã Deiparæ, quam quasi viæ mon-* D *stratricem hodegetriam vocant, imago per portam, quam auream dicunt, ingressa esset* [illegible] ὁδηγήτριας.

*Maria mundum fœnore peccatorum leuauit.*

143 *Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis.* Quæ nubes est illa in qua Dominus præcedit Israelitas? diximus Deiparam esse: sed an solum illa nubes egressos ex Ægypto Israelitas Isa. 19. præcedebat? imo etiam Ægyptum ingressa, vt destrueret Ægyptiorum simulachra, sic enim Isaias cap. 19. ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & egredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti à facie eius. pluries diximus, Ægypto, mundum ipsum significari, nubes Maria est, super quam Dominus ascendit. quid inde consequens est? sane vt vitiorum simulachra concidant, quia peccatorum simulachra Christo A in virgine sedente conuerunt, & ipsa adeo fuit leuis nubes, vt mundum de peccatorum fœnore leuauerit. affert istud S. Ambr. c. 13. de instit. Virg. S. Amb. in hæc verba. *O diuitias Marianæ virginitatis! quasi olla feruuit. & quasi nubes pluit in terras gratiã Christi. scriptum est de ea, ecce Dominus venit sedens super nubem leuem, vere leuem. quæ onera coniugij nesciuit: vere leuem, quæ leuauit hunc mundum fœnore peccatorum, iure propheta dicturus simulachra Ægypti ad Domini præsentiam concidisse, etiam leuis huius nubis meminit, vt intelligeremus etiam per Mariam mundum reuixisse, vitiorumque simulachra collapsa, atque adeo falsorum deorum desiisse. cum sub spiritus vmbra Dei Filius in virgine velut in nube consedit.*

*Nubes Maria, ex qua mundus renouatur.*

*Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis.* S. Ambr. cit. de hac nube loquens, in qua 144 B Deus sedens Ægyptum nempe mundum ingressus est, ait, significat, quod in Ægyptum dat afflictionem istam mundi huius veniret per virginem. Sed licet Deus super Mariam veluti super nubem ascenderit, quomodo ex eo colligimus mundum senectam exuisse, & nouam induisse faciẽ? nonne prius dixit Dauid Psal. 103. qui ponis Psal. 103 nubẽ ascensum tuum? postea subdit, emitte spiritum tuum & creabuntur & renouabis faciem terræ: ex eo enim quod in nube leui, idest Maria consedit Deus, & super illam ingressus mundi huius Ægyptum est, senectam suam mundus exuit, & nouæ restitutus est formæ, quod non Deo soli sed etiam suo modo Virgini referendum. huc spectauit Leo Imperator hom. 3. de Annunt. B. Leo Imper. C Virg. Mar. vbi his eam verbis salutat. *Aue per quam ad melioris mundi reparationem humano genere vndis obruto semen salutis conseruatum est.* & S. German. de Virg. *hæc est illa per quam omnes renascimur,* nec non Dam. ser. 1. de Natiui. B. Ma- S. German. riæ *hæc est quam decet matrem & regeneratricem appellari*

*Virgo sanctissima non grauis, sed leuis nubes, propter eximias perfectiones.*

*Dominus autem præcedebat eos in columna nubis.* Cit. Ambr. illa columna nubis, specie quidem præcedebat filios Israel, mysterio autem 145 significabat Dominum Iesum venturum in nube: sed cum non dixerit Moyses an illa nubes fuerit grauis vel leuis, locus inquisitioni datus est. qualis illa fuerit. sed satisfacit Isaias, cum ait D Deum venturum in nube leui. quæ quidem nubes virginem sanctissimam adumbrat. sed non ei conuenire nubis leuis proprietas videtur, quia huiusmodi soliditate caret, à quolibet vento facile mouetur. facile solari radio in aqueum liquorem liquescet. facile autem à quolibet vento moueri, annuit animi inconstantiam &c. sed non S. Amb. sine mysterio nubi leui, & non graui comparatur, sed vt ait sanctus Doctor. *Virgo maria secundum hæreditatem nubes erat, at leuis erat secundum integritatem, leuis erat, quia non hominibus quærebat placere sed Domino, leuis erat quia non iniquitate conceperat, sed spiritu superueniente generabat, nec in delicto sed cum gratia parturiebat.*

*Qui cæcus est in malitia, igne inferni non illuminabitur, sed cruciabitur.*

*Dominus præcedebat eos per diem in columna* 146

*nubis, & per noctem in columna ignis.* Quid? an cæci Iudæi, vt necesse sit eos deduci per viã media nube quasi ancilla eos ducente per solitudinem? quis dubitat eos cæcos fuisse? nam licet cognitionem Dei præ se tulerũt cum Israelitæ dicti sunt, appellationi tamen non respondent, cum in incredulitate sua cæcutiant: pulchre eos perstringit S. Basil. Seleuc. Episcopus orat. 19. vbi explicans illa verba Christi apud Matth. c. 8. non inueni tantam fidem in Israel, de hoc laudabili nomine eos repercutit; nomen inquit, quo tu appellaris Dei cogniti argumentum est, vt amplius incredulitatem tuam patefacias. cur igitur appellationi cuius virtute cares, contumeliam irrogas? quid gestas cognomen, quod personæ probro sit? factis appellatione impugnas, & calumnia nomẽ tuum afficis. cæcus igitur est ille populus, & ideo columna nubis eum per viam deducentis indiget. sed cur simul est columna ignis? quid enim flamma indiget vt deducatur? columna ignis etiã eum præcedit, denotãs quod quia cæci fuere ex incredulitate, ita tandem aliquãdo flammis & igne inferni non illuminabuntur, sed cruciabũtur. sestiue S. Zeno Vero. ser. 2. *Columna nubis te perducit per diem, vt ostenderet cæcum, ignis columna per noctem vt admoneret arsurum.*

S. Basil. Seleu. Matth. 8.

S. Zeno.

## *Columna ignis ad fidem deducens, infideles, hac nostra fortunatior.*

147 *Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Lego columnã igneam, vt per tenebrosum noctis tempus iter facerent Israelitæ. sed an alia fortunatior columna etiam ignea? quis dubitat si eã mediã populi ex tenebris infidelitatis deducerentur ad lumen fidei? sed vbinam reperietur? attende, cum Paulus Rhegium appulisset & silentium tantisper poposcisset donec exigua candela columnæ affixa, cui naues in portu alligabantur, absumẽte, Paulo concionem protrahente, factum diuinitus est, vt columna ipsa candelæ vices subiret, & arderet & igniret. quo miraculo Rhegienses ad Christi fidem conuersi sunt, quin & ægris sanitatem columnæ puluis haustus conferebat. huc spectat hymnus ille qui à Rhegiensi Ecclesia canitur, est autem eiusmodi:

Rhegiensis Ecclesia.

*Aue columna nubis*
*Electro & auro ditior,*
*Illaque Mosi ignea*
*Columna fortunatior,*
*Quod ore Paulus prædicat,*
*Te fulgurante comprobat,*
*Te conflagrante Rhegium*
*Christi fidem complectitur,*
*Te palma tangens languida*
*Sensit medelam cælicam,*
*Haustusque puluis ilico*
*Ægris salutem contulit.*

Premo hæc verba, *illa Mosi ignea columna fortunatior*, quidni? eum solum populo Israelitæ in nocturno tempore lumen dederit corporale, illa autem quasi lumen spirituale dedit, cum ea media ad fidem deducti sint Rhegienses.

## *Cui præsens est corpus Christi varios in virtute progressus faciat.*

148 *Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Quandonã hoc prodigium inauditum experiuntur? cum de mansione in mansionem progrediuntur in terram promissionis. an hæc nubes adumbrare potest corpus Domini Eucharisticum? ita Card. Vigu. cot. 7. de pass. Domini c. 40. cõsulamus Drogonẽ Ostiensem Episcop. lib. Dominicæ passionis sic dicentem, quæ est nubes, quæ præcedit veros Israelitas nisi verissimum & sanctissimum corpus tuum, quod in altari sumimus? sed quid inde colligimus? quod sicut Israelitæ assistente eis columna nubis, iter faciunt, varias peragunt mansiones, vsquequo in terram sibi promissam perueniant, sic nos præsente corpore Christi Domini, varios in virtute progressus facere debemus. annuit alter Episcopus Ostiensis nempe S. Petrus Dami. lib. 2. Epist. 2. *Quod tunc visibiliter gestum est nobis per spiritualem intelligentiam congruit nostro tempori. vetus illud sæculum militauit, nos enim de fornace Ægyptiæ seruitutis egredimur, & terræ repromissioni per plurima mansionum loca: hoc est per diuersa virtutũ incrementa ingredi conamur.* Virtute ergo illius nubis Eucharisticæ ne desides simus, ne torpescamus in via virtutis, sed semper vlterius in perfectione acquirenda laboremus.

Card. Vigu.
Drog.
S. Petr. Dam.

## *Christus Dominus Eucharisticâ velatur nube, vt eum sustinere possimus.*

149 *Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis.* Qua diximus Eucharistiæ sacramentum intelligi. Sed cur Dominus voluit in eo quasi sub nube velari? nonne nubes tẽperabat solis nimiũ ardorem, itaut iter facientes Israelitæ eum sustinere possent? cur ergo similiter non dicemus Christum Dominum sub nube Eucharistica se velasse, vt eius diuinam maiestatem sustinere possemus, qua alias opprimeremur? mens est eit. Drogonis. *In qua,* nempe in altari, *velatur nobis altitudo dei, immensitas maiestatis tuæ, cuius & calorem & splendorem mortalis infirmitas sustinere non posset, nisi mediatrix nubes interposita & ardorem temperaret desuper, & tutam subtus se viam præmonstraret.*

Drogo.

## *Qui nubem Eucharisticam non sequitur, per semitas iustitiæ non ambulat.*

150 *Dominus præcedebat eos per diem in columna nubis.* Sic Israelitæ eam sequentes, non declinabant à semita recta. si autem quis eorum eam non insecutus fuisset, in eremo inuia periisset: nullam enim semitam secutus in aliquod barathrum præcipitem se dedisset. vel fortasse ab immani bellua deuoratus occubuisset. quid ergo si per nubem adumbrari sanctissimum corpus Domini Eucharisticum diximus? recte inferimus quod qui hanc nubem Eucharisticam non sequitur, extra viam salutis ambulat. nec vllam iustitiæ semitam amplectitur. testatur eit. Episcopus. *Hanc nubem totus exercitus tuus sequitur Domine Sabahot, qui autem non sequitur iam in tenebris est, & in tenebris ambulat, nescit quo eat: relucet enim de hac nube semita quæ ducit ad vitam, semita humilitatis, & patientiæ, semita mansuetudinis & misericordiæ, & quidquid humano generi per incarnationis tuæ mysterium reuelare dignatus es.*

Drogo.

*De veritate Eucharistici sacramenti alij magis, alij minus percipiunt.*

151 *Dominus praecedebat eos per diem in colūna nubis.* Hanc nubem fuisse opacam, tum vt facilius ab Israelitis videretur, tum vt facilius opacitate sua ardores solis temperaret. sed aliam nubem in nouo testamento aliquos obumbrasse, & Moysem & Eliam legimus. nubes enim fuit lucida, teste Matth. 17. cur his nubes lucida, aliis autem apparet opaca? quia de veritate Eucharistici sacramenti, alij magis, alij minus recipiunt, aliis opacum, aliis autem non illucidum: annuit praefatus Episcopus Ostiensis. Epis. Ostie. *Moyses & Elias tecum apparuerunt in monte, sed nubes lucida obumbrauit eos: nec enim ipsi sicut & nos sine tua protectione saluari potuissent, verumtamen illis sicut amicis & domesticis imo domesticorum & amicorum tuorum praecipuis sacramenti tui nubes erat perlucida, quae nobis iacentibus & proiectis à facie oculorum tuorum valde subobscura est: sed imperfectum meum viderunt oculi tui. & in libro tuo omnes scribentur.* Psal. 138. *quoniam sub nube tua nutris, & perficis, & deducis velut ouem Ioseph.*

*Spiritus sanctus nubes ad cælum euntibus necessaria.*

152 *Dominus praecedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Ad quid columna ignis indigent? si enim secundum plures nocturno tempore itineri non se accingebant, cur ea necessaria inducitur? potuerunt enim in tabernaculis faces vel lampades accendere, vt rebus domesticis consulerent. sed si per igneam columnam, cum patribus citandis, Spiritum sanctum intelligimus, omnino necessariam asseremus, spiritus enim nubes ad cælum euntibus maxime necessaria, quae solis aestum hoc est concupiscentiam arcet, de quo sole, de qua nube loquitur S. Gregor. Nissen. hom. 2. in Cant. Canticor. S. Gre. Niss. *Hic est sol lædens quando eius aestus non arcetur à nube S. Spiritus, quam expandit Dominus ad tegumentum.* Fœliciter ad patriam, cui Spiritus sanctus nubes est, peruenit.

*Spiritus, nubes nos obumbrans, & nihilominus illuminans.*

153 *Dominus praecedebat eos in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Si nubes est, obumbrabat eos, si obumbrat quomodo illuminat? Cald. enim habet, vt luceret eis. vmbra enim corpus lucidum nō illuminat. si Spiritū sanctum diximus hac nube denotari, recte hæc nubes & obumbrat & simul illuminat, primam partem habet Drogo cit. Drogo. *Columna ignis per noctem Spiritus sanctus est, qui super Apostolos in linguis igneis apparuit, qui caecitatis nostrae caliginem illuminat, tenebras mentis nostrae illustrat:* secundam colligere debemus ex eo quod contigit Petro vt Matth. 17. Matth. 17. scribitur in Transfiguratione Domini in monte Tabor, dixit, faciamus hic tria tabernacula, vnum tibi, Moysi vnum, & Eliæ vnum. laborem omnem statim abstulit Dominus, cum tabernaculum vnum ex nube illi ostendit, sic enim subdit Euangelista, adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos: datur vna nubes, qua tegantur omnes, omnes obumbrentur, ac sine vllo Petri labore, aut aliorum singulis exhibetur, qua Spiritus sanctus significabatur, qui omnes protegit, quique ita obumbrat vt lucem non excludat. audiendus super hoc S. Chrysost. qui S. Chrysost. hom. 10. in Marcum hæc habet. *O Petre qui vis tria tabernacula facere, respice vnum tabernaculū Spiritus sancti, qui nos pariter protegit, nube ipsa obumbrans hoc est vnum tabernaculū non excludit solem iustitiae, sed includit.* Satis est si hac nube tegamur, si supera hæc nubes obumbret, nihil refert alia strui tabernacula.

*Qui tanquam peregrinus in hoc sæculo degit, Deum habet ducem & protectorem.*

*Dominus praecedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* A quo tempore tanto donati sunt beneficio? nubem experti sunt itineris sui ductricem? non est dubium quin iam in Socoth eis huiusmodi nubis columna apparuerit. sed cur iam ab hoc loco, cum potuerint ducem itineris habere, per aliquot milliaria? consulamus Beat. Petrum Damian. opusc. 12. cap. 3. sic disserentem de Socoth. *Socoth interpretatur tabernacula; primus igitur animae profectus est* Petr. Dami. *vt terrenis commotionibus se diuidat, sibique tanquam peregrino & incolae non habitaculum figat, sed exilij tabernaculum struat, lugens cum Propheta Psal. 119. heu me, quia incolatus meus prolongatus est.* Psalm. 119. En igitur cur illa columna ductrix, in qua Dominus præcedit Israelitas apparet iam in Socoth? quia qui tanquam peregrinus in hoc sæculo degit, Deum habebit ducem & protectorem. 154

*Præmio & supplicio respublicae gubernantur.*

*Dominus praecedebat eos in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem.* Ducit Dominus & quasi regit populum suum media columna ignea & nubea. nonne eadem semper columna vel ignea vel nubea potuit eos conducere? non est dubium quin igne rigor, seueritas & supplicium denotetur, nube autem benignitas, clementia & misericordia: quid mirum igitur si eum ducat populum per diem media columna nubis? quia dum die, bona fiunt opera, clementia & præmio vtendum est erga populum, & per noctem, in qua fiunt mala opera, qui enim male agit odit lucem, regat eum columna ignea, quia male operantes coercendi sunt seueritate & supplicio, his enim duobus, promissione & remuneratione respublicæ gubernandæ sunt. Clemens Alexand. Clem. Alex. ex hortatione ad gentiles ita moraliter hoc exponit *In igne terret homines & ex columna flammam accendens quod est simul gratiae & terroris indicium, si obedieris lucem, si non obedieris ignem.* Hoc euincit similitudine sumpta à medicis qui quandoque lenioribus vtuntur medicamentis, quandoque durioribus, id vnum intendunt, qua ratione hominem pristinæ donent sanitati, siue his siue illis fiat, non multum satagunt. infero eius verba. *Iam vero etiā per Moysem omnibus numeris sapientiae absolutum, & veri amatorem Isaiam, & omnem chorum propheticum, magis ex ratione ad rationem, seu verbum conuertit eos qui habent aures. & alibi quidem maledictis incessit, alicubi vero etiam minatur, & nonnullos quidem deflet homines, nonnullos vero canit, quemadmodum bonus medicus, corporum aegrotantium alia quidem curat cataplasmatibus, alia vero purgationibus* 155

*alia vero fomentis, alia quoque ferro diuidens, alia autem vrens & nonulla etiam secans.* A *gnat, vnum aqua, quod gestum est, ignis alterum, quod futurum.*

*Deus suos leniter & suauiter tractat.*

156 *Dominus autem pracedebat eos in columna nubis per diem & per noctem in columna ignis.* S. Ambr. in Psal. 118. præibat (inquit) illos per diem in columna nubis, vt refrigeriũ daret viatoribus, noctu autem in columna ignis, vt viam ostenderet ambulantibus, & tenebras dimoueret: lex viarum columna erat ignis & nubis, denique in columna nubis loquebatur ad eos: vbi volebat exercitum requiescere à labore itineris, non mouebatur columna ignis, nec transibat nebula lucis, quando autem volebat exercitum mouere, proueliebatur, & columna ignis in nocte, columna autem nubis in die. sed cur non sub marmoris columna, vel æris, sed solum nubis ductor apparet Israelitis? quid ait S. Greg. hom. 21. in Euangel. *in nube visionis leue blandimentum*: en cur in columna nubis non æris, non marmoris, eos ducebat? vt ductoris Dei commendaretur lenitas & suauitas.

S. Amb.

S. Gre. Mag

*Iudicium finale in igne futurum.*

157 *Dominus autem pracedebat eos in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem.* Cur Moyses non ait præcedebat eos in columna nubis per noctem, & in columna ignis per diem? nam etiam hoc ordine denotaret Deum in omni tempore, tam diurno quam nocturno, præsentem se eis exhibuisse, eosque fouisse & protexisse. cur ergo prius annotat in columna nubis apparuisse, quam in columna ignis? per nubem, æquum iudicium Dei per diluuij aquam, per nubem ignis iudicium Dei futurũ in igne intellige. en ergo vt recte post columnã in nube, posuit columnam in igne? quia præfigurabatur iudiciũ in igne futurũ, id eo modo explicat Zeno Veronens. serm. 14. *Columna viam demonstrans Christus est: quod autem duplicem nubis & ignis imaginem gerit, indicia duo designat, vnum aqua, quod gestum est, ignis alterum, quod futurum.*

S. Zeno.

*Eunti per strictissimam tribulationum viam, Deus etiam miraculose præsens aderit.*

158 *Dominus autem pracedebat eos per diem in columna nubis.* Quandonam eos Dominus præcedit? cum per inuiam eremũ, & solitudinem petrosam iter faciunt. sed quid est quod Deus præbet ei faces ne aberret à via? cur in columna nubis & ignis apparet, cum præsidio suæ communis prouidentiæ tutissimi essent? nemini dubium quin inuia solitudine, huius vitæ tribulationes & tentationes adumbrentur. ne scilicet ergo cur Deus speciali eos regimine gubernat, quia eunti per inuiã & petrosam tribulationum viam, Deus B etiam miraculose aderit. *Expulsi Hebræi*, inquit S. Prosp. apud Lippom. *per eremum ducitantur, quia omni Christiano renuntianti mundo arcta illi angustaque necessaria est via quæ ducit ad vitam, huic populo columna nubis in die & columna ignis per noctem iter ostendit. quoniam Christiani hominis gressus à Domino diriguntur & vias eius volet.*

S. Prosper.

*Aduersitas iustis clara, prosperitas obscura.*

159 *Dominus autem pracedebat eos in columna nubis per diem, in columna ignis per noctem.* Vt eos, inquit Cald. illuminaret. sed cur similiter non ait Cald. præcessisse eos Dominum die, vt eos illuminaret? nemini dubium quin per diem prosperitas sicut & nocte aduersitas denotetur: Israelitis ergo quibus iusti adumbrãtur, nubes in die apparet, nocte autem nubes fulgida & quasi ignis. quia prosperitas iustis nõ lucida, aduersitas autem clara. profero testimonium Stephani Cantuar. apud Tilm. C *Ignis lucet, nox vero obscura est. per diem prosperitas, per noctem aduersitas designatur, nubes ergo est in die, & ignis in nocte, quia prosperitas obscura est iustis & aduersitas clara.*

Steph. Cant.



## *VARIETAS LECT. Vers. 22.*

*Vulg.* Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.

*Pagn.* Non recedere faciebat columnam nubis in die, neque columnam ignis in nocte ante populum.

## CONCORDIA.

Verum est omnes fere lectiones habere, non defuit, vt Septuag. & Cald. aliqui tamen reddiderunt verbum ימיש per recedere quod D minus est quam defuit, nihilominus sensus nullomodo immutatur.

## EXPOSITIO.

*Nunquam defuit columna nubis per diem* ex Rabinis illud *nunquam* plures explicant vsque ad mortem Aaron, itaut tempus quo columna illis adfuerit, definiunt in vita Aaron, quasi post illius obitum statim desierit. sed cum à morte Aaron vsque ad ingressum terræ promissionis ad huc septem menses intercesserint, nec non magnum iter perficiendum. & eadem ratio manserit columnam retinendi, & cum iam Moyses morte propinquus esset Deuter. 31. fiat adhuc huius columnæ mentio, hinc est quod nullo fulciãtur testimonio, cum asserunt solum vsque ad obitũ Aarõ mansisse. dicendũ ergo est columnã illã mortuo Moyse euanuisse cũ in proximo esset vt Israelitæ

intrans Iordanina regione exulantes, Iordanem traiicerent, nam tunc non eis iubetur columnā ducem viæ aspicere. sed arcam à sacerdotibus baiulatam eminus præeuntem cum tamen longius facile fuerit columnam sequi: quam arcam, adde quod si columnam tunc ducem habuissent, non fuisset à Iosue rationis loco additum, vt procul videre possitis & nosse. per quam viam ingrediamini quia prius non ambulastis per eam.

## CONCEPTVS.

*Gentibus, ex his quæ sibi contingunt, nostra fiunt eis credibilia.*

160 N*Vnquam defuit columna nubis per diem. nec columna ignis per noctem.* Cum à fide alieni hæc audiunt vel lectitant, nihil minus accidisse quam columnam nubis ductricem & viarum populo Israelitico, arbitrantur præbuisse. imo purum commentum esse autumant. sed an tandem resipuerunt? ait Clem. Alexan. lib. 1. Strom. hæc aliquando visa fuisse probabilia. an fidei lumine illustrati? non equidem, vnde nam ergo? ex iis quæ sibi fere ad illius instar columnæ contigerũt. subiicio verba Clemẽtis *Thrasybulo qui exules ex Phila reducebat & latere nolebat dux fit columna & Thrasibulo noctu non per loca trita ingredienti, cum nec luceret luna, hybernumque cœlum esset & caliginosum videbatur ignis præcedens qui cum illos citra illam offensionem deduxisset, defecit vbi nunc est ara τῆς φωσφόρου idest luciferæ vel ex hoc Græcis fiunt nostra credibilia, nempe quod facere potest Deus omnipotens vt columna ignis Hebræos præcedat, quæ etiam dux sit eorum itineris.* (Clem. Alex.)

*Dei dona duratura.*

161 *Nunquam defuit columna ignis per diem, nec columna ignis per noctem.* Nonne satis erat per aliquos dies vel menses huiusmodi columnam eos in itinere difficili & arduo præcessisse? nam viarũ exploratores potuere vsque ad terram sibi promissam destinare, & sic eos tanquam duces sibi assumere cur igitur nunquam eis defuit: cum eorum ingratitudo sibi auferri mereretur? nescit Deus sua dona transitorie largiri, vult ea esse permanentia. *Columna hæc*, inquit præfatus Clemẽs, *Dei stabilitatem significat ac firmitatem, & immutabilem eius lucem.* Nescit Deus non esse stabilis in suorum collatione beneficiorum, nescit non esse firmus in suorum exhibitione donorum. nescit cito ea reuocare, & Hugo Cardin. in cap. 24. Eccles. super illa verba, ego in altissimis habito & thronus meus in columna, nubis ait, *Hæc est columna nubis quæ præcessit & protexit filios Israel per desertum, ita stabilis vt nec ab ipsis peccatoribus recesserit*, preme hæc vltima verba, & colliges donorum Dei permanentiam etiam in peccatoribus. (Clem cit.)

*Deo magis quam hominibus placere debemus & obedire.*

162 *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem.* Quam tanquam ductricē viarum sequebatur populus Israelita. sed cur aliquod signum in hominibus non posuit, in quod intuens vniuersus exercitus viã suã perficeret? hoc enim nusquam ei impossibile. cur ipsemet præcedit eum, & non quomodocumque sed in columna nubis? quæso quid dixerit Iob de nubibus audiamus c. 37. & nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant per circuitum, quocumque eas gubernãtis voluntas duxerit & ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum, in hæc ait Pineda, nubes repræsentant imaginem obsequentissimorum seruorum, quod ad Dei iussa & voluntatem se totos impendunt, & superimpendunt, atque adeo consumuntur & pereunt, vt videantur illud dicere fidelissimi Pauli Rom. 14. siue morimur, siue viuimus Domini sumus? cur ergo vt non homo sed Deus præcedit in nube? vt innuat sibi & non hominibus debere esse obsequentissimum ad instar nubium, quæ nutum gubernantis sequuntur. non dissentit S. Ambro. ser. 5. in Psal. 118. qui explicans cur S. Virgo, nubes erat leuis, ait, *quia non homini quærebat placere sed Deo*, idest eius nutum tanquam obedientissima sequi & ei in omnibus obedire. (Iob. 37.) (S. Amb.)

*Deus post calamitates patienter toleratas, refrigerat & consolatur.*

*Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem.* Per diem in columna nubis deducit, ne solis radiis adurerentur, sicque nubem suam super eos expandit vt ardorem nimium temperet: cum sufficeret eos media nube ductrice per inuiam eremum deducere, cur adhuc eam expandit in vmbraculum? quid non tolerauerant Hebræi in Ægypto? quas calamitates & ærumnas non subierant? expandat ergo nũc Deus super eos nubem, sicut vmbraculum, post iniurias enim patienter toleratas, suos refrigerat Deus, & omni visitatione consolatur ita S. Maximus Taurin. Episc. hom. 3. penthec. *Semper Deus quos per iniurias perducit ad requiem, protegit eos nubis vmbraculo, sicut filios Israel liberatos de Ægypto nubis columna protexit, & vt post multum laborem eos in terram repromissionis induceret. refrigerij fouet vmbraculo, sicut ait propheta, expandit nubem ad protegendum eos, expandit enim nubem, ne siccitate Eremi fatigarentur, etiam solis ardore.* 163 (S. Maxim.)

*Quæ terrori hominibus sunt, si à Deo ducantur, in salutem confirmantur.*

*Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem.* Quod eos præcesseris in columna nubis quæ benignitatem denotat, approbo. quod autem in columna ignis, qui seueritatem & rigorem adumbrat, laudare non possũ. cur enim à tyrannide Pharaonis recens liberatis terror incutitur? nonne eos sufficienter metu percellit Ægyptus? cur ergo timor timori additur? sed ne Deum in hoc quod eos in columna ignis præcedat, vituperes: nam quæcumque creatura si sub speciali Dei ductu sit, non potest non esse hominibus salutaris: nostro instituto accommodata probatio, illa authoritas est quam in medium adduximus ex Iob c. 32. nubes quocumque voluntas gubernantis eas duxerit ad omne quod præceperis eis, super faciem orbis terrarum, siue in vna 164 (Iob 32.)

tribu sive in terra sua, sive in quocumque loco misericordiæ suæ eas iusserit, inveniri. Græce legitur sive ad disciplinam, sive ad misericordiam, vt ostēdat quò vltimo loco posuit misericordiam, vt ostēdat quò tendunt omnes Dei ducatus: tendunt nimirum ad misericordiam præstandam. quo spectans auctor Catenæ ait. *Hæc fiunt sive ad nocentes corrigendos, sive ad terræ fertilitatem fructuumque vbertatem, sive alias ob causas, illud certum est vt misericordiam mortalibus tribuat, ist hæc administrari.* Frementes licet videas creaturas nubium ad instar flammarum ignescere, dum tamen Deus illas ducit, hoc tecum reputa, inde hominibus misericordiam diuinam præparari.

Caten. in Iob.

*Nescit exigua Deus operari in suorum fauorem.*

165 *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem.* Nonne potuit transferre omnem populum Israeliticum in breui morula in terram promissionis, cum prophetā Abacuch in Babylonem breui momento transtulerit? aduerte non adeò ingens miraculum, si ita eos deduxisset, ac in columna nubis & ignis tam diurno quam nocturno tempore per 40. annorum spatium. en ergo vt Deus eos deduxerit in huiusmodi columna? quia nescit exigua operari mirabilia in suorum fauorem: sic scribit S. Chrysost. hom. quod nemo lædatur nisi à seipso. *Hoc fuit super omne miraculum quod ne forte acrior Israelitas radius solis adureret, vmbra nubis per diem desuper tegebantur, & cum ipsis quocumque abiissent circumferebantur tecta illa cœlestia.*

*Dominus vt peccatum fugiamus, semper viam ostendit.*

166 *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem.* An solum eis huiusmodi columna vtilis, quia ducatum præbebat in itinere, vt ad terram promissionis peruenirent? sed etiam vt ab Ægypto & Pharaone fugerent? nonne satis eximium beneficiu[illegible]cundum sine primo? nequaquam, Deus en[illegible]n solum ducit in terram promissionis viuent[illegible], sed quomodo à diabolo & à peccato fugiendum sit ostendit. annuit Rupert. lib. 2. in Exod. c. 29. *Ad quid huiusmodi columna nos præcessit? videlicet vt ostenderet nobis viam fugiendi à Pharaone Rege Ægypti, id est à diabolo principe huius mundi.*

Rupert.

*Qui in mundo lucere ambit, Deus ei non apparet.*

167 *Nunquam defuit columna nubis per diem.* De qua columna nubis etiam Num. 10. dicitur, nubes Domini erat super eos per diem, cum incederent, illis Dominus aderat, non clarus, non conspicuus: sed sic opertus nubibus, vt potius nubes viderentur adesse quā Dominus ipse, vnde ait nubes Domini: & cur non tàm Deus quam nubis caligo dicitur adesse hominibus illis? nisi quia ambulant in die, hoc est lucere & splendescere ambiebant in hoc sæculo: ait Stephanus apud Tilm. in alleg. *Præcessit ergo columna nubis in die, quia Christus nulla luce claret illis, qui se putant esse in die, superbis scilicet & præsumptuosis, & columna ignis in nocte, quia qui se reputat infirmum, igne sui amoris illustrat.* Deus se exhibet illis qui se tenebris abdunt propter illum, qui minime desiderant humanum diem.

Steph. apud Tilm.

*Abstinentia à cibis alimentum sanitatis.*

*Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem.* Vt eis luceret inquit Cald. sed cum esset fere innumera puerorum, mulierum, senum multitudo præter sexcenta ferme millia bellatorum, quomodo præter tegumentū nubis quod expandebat, ne radiis solis torrerentur, præter lucem quam eis nocturno tēpore cumsit, cur non dicitur quod tanquā medicus eos curauerit? quod eis medicamenta exhibuerit? plurimi enim inter tot pueros, mulieres, & senes videntur fuisse; sed falleris inquit Regius vates Psal. 104. non erat in tribubus eorum infirmus. quomodo in immensa hominum multitudine, nec vnus reperitur infirmus? quid detulerunt in desertum comesturi? farinam conspersam: quid ergo mirum si nullus erat inter eos infirmus, abstinentia à carnibus & à ciborum varietate, sanitatis alimentum est. quod consonat S. Basil. hom. 2. de laudib. ieiunij. *Non solum,* inquit, *ad venturi sæculi fugienda mala & assequenda bona vtile est ieiunium. sed hic interim ipsi carni conducibilius.* Confirmat exemplo nauis, quam nimio grauatā onere placidior fluctus haurit, & leuior flatus mergit, & latentior scopulus infringit. cum tamē æquo librata pondere, sine periculo decurrat, sic epulis prægrauatos morbis facilius obrui tenui contentos victu incolumitate perfrui. illustrat sacris litteris. *Nam Israelitæ simplici,* inquit, *ac moderato cibo pasti iter faciebant, neque vllus eorum in castris aliqua inualetudine constictabatur: cum vero in mentem illis venisset carnium ac voluptatū Ægyptiarum desiderium, eos cœpisset, terram quæ illis promissa erat non conspexerunt* & D. Chryso. orat. de ingluuie & ebrietate. *Moderate,* inquit, *edentium corpora robusta sunt sensusque expedite munus suum explent, illorum vero qui gulæ & luxuriæ student, flaccida, & quauis cera molliora, & morborum examinibus obsessa.* 168

Psal. 104.

S. Basil.

S. Chrysost.

*Excubias Angeli super homines præcipue fideles specialiter agunt.*

*Nunquam defuit columna ignis per diem.* Quis nunquam defuit? dices Dominum, qui præcedebat eos, quis est ille Dominus qui præcedebat columnam nubis, & ignis, omni tempore? sane Angelus, illius enim erat motor & stator. sed cur ita incumbit deducendo populo Israel, amoto omni discrimine? cur ita inuigilat vt ei per diem non deficiat, nec lumen per noctem? quia excubias super homines præcipue fideles specialiter agit, testatur S. Laurent. Iustinian[illegible]culo amoris c. 17. *Quis non ineffabili quoda[illegible] exuberet gaudio, quum reuoluit mente sanctorum adiutorium Angelorum. qui sine fatigatione atque internallo, excubias celebrant super plebem Dei, cœtusque fidelium?* & S. Bernard. ser. 12. super Psal. qui habitat & ser. 4. in dedica. Ecclesiæ. *Dicas, forsitan,* inquit, *sese vidisse excubias gloriatur, & si tu fortasse non vides, est tamen ipse qui videt, ipse qui mittit, quis ille? nimirum qui loquitur per prophetam super muros tuos Hierusalem constitui custodes benignus es Domine, nec nostrorum hac fragili protectione murorum potes esse contentus, sed ipsis ho-* 169

S. Laurent.

S. Bernard.

*minum prælatis hominibus Angelicam quoque custodiam superponis, vt muros defenses, & eos qui murorum ambitu continentur.* Nec somno corripiuntur hi custodes, die noctuque vigilant, columnam nubis per diem & columnam ignis per noctem deducunt, vt super eos semper agant excubias.

*Sancti columnæ mundi & cæli.*

170 *Nunquam defuit columna nubis per diem.* Sed præter hanc columnam ductricem populi sui fidelis, aliasne columnas ei exhibet, quibus per vias iustitiæ rectas in terram viuentiũ deducatur? sane alias, nempe viuentes, & medijs virtutibus quæ tenebras illius illustrant cognitione salutis. sic loquitur Procop. *Conformes Christo in Psalmis appellantur columnæ, ego ait solidaui columnas eius, consolidati enim & corroborati sunt discipuli, induti virtute ex alto, vt possint sustinere tanquam columnæ orbem*, hoc titulo donatum reperimus domini præcursorem, sic eum indigetat Guerricus Abbas ser. 4. in eius natiuit. dum ait, *columna cæli, gloria generis humani, miraculum mundi*, & sane sancti, columnæ censendi sunt: nam sicut columnæ ædificia sustentant ne ruant & decidant, sic sancti inquit. S. Hieron. in verba Iob c. 9. sub quo curuantur, qui portant orbem. *Portantes orbem*, inquit, *recte intelliguntur sancti qui gloria meritorum suorum magni & potentes sunt apud Deum; hi ergo cordis humilitate ad interueniendum pro peccatoribus in conspectu eius sunt incuruati, ita sancti portant mundum dum eum ne ruat ac pereat, orationum fortitudine sustinent.*

Procop. — Guerr. Abb. — Iob. 9. Hieron.

*Virtuosis religiosum institutum lucidum, mundanis graue & tenebrosum.*

171 *Nunquam defuit columna nubis per diem.* Vocatis filiis Israel, religiosis, ostendit Dominus viam salutis ad terram promissionis in columna nubis, per rectitudinem obedientiæ, in nube per refrigerium castitatis, in igne per purgationem paupertatis, impletur illud Sapient. decimo deducit eos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarũ nocte. sed quid significat quod illa columna lucida fuerit Hebræis, tenebrosa autem Ægyptijs? nisi religiosum institutum, quod virtuosos illustrat, mundanos autem obumbrat & quasi caligine replet: annuit Card. noster Vitalis in speculo morali sacræ scripturæ tit. religio. *Mirabile est quod illa columna erat tenebrosa & illuminans noctem, & secundum quod exponit Andreas, non Hebræis sed Ægyptijs erat tenebrosa, Hebræis luminosa: quia mundani & carnales non credunt dulcedinem quam tamen religiosi quotidie experiuntur & sentiunt spiritales.*

Sapien. 10. — Noster Card. Vital. — Andreas.

*Angeli humanis oculis non conspiciuntur.*

172 *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem.* Ingens sane miraculum quale nusquam auditum fuit post hominum memoriam, populum præcedebat nubes in magnæ columnæ speciem, solari splendore lucens interdiu, noctu vero flammeo. sed cum esset inanimata columna, quomodo ad instar nubis diurno tempore apparebat, ad instar autem ignis conspiciebatur nocturno? ait Philo lib. 1. de vita Moys. *Credi potest aliquem è summi Regis præfectis, Angelum nube inuolutum, eos deduxisse.* sed cur inuisibilis in visibili specie eos deduceret? respondet cit. Auctor, *quia nefas est eum aspici mortalibus oculis.*

Philo.





# CAPVT DECIMVM-QVARTVM.

## SYNOPSIS.

Pharao concessæ Iudæis libertatis, & prioris consilij pœnitens, collecto quantocyus omni exercitu, Iudæos insequitur, siue vt reducat, siue vt internecione concidat: illi inter maris & exercitus angustias conclusi; desperant de salute, ac murmurant, mox diuiso ad Mosis imperium mari, illud ingrediuntur, eosque insequutus Pharao cum omnibus copiis, demergitur & suffocatur.



### *VARIETAS LECT. Vers. 1. & 2.*



*Vlg.* Locutus est Dominus ad Moysem dicens.

*Cald.* Locutus Dominus cum Moyse.

*Vulg.* Loquere filiis Israel, reuersi castrametentur è regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum & mare contra Beelsephon in conspectu eius castra ponetis super mare.

*Sept.* Reuersi castrametentur è regione suburbij, inter Magdalum & mare contra Beelsephon, coram ipsis castrametaberis super mare.

*Cald.* Vt reuertantur & castrametentur coram Phihahiroht inter Magdalum & mare contra B

A Beelsephon, è regione eorum castrametabuntur super mare.

*Onk.* Castramententur ante Hiratha, inter Migdol & inter mare, è regione Baalzephon, ex opposito illius castra portatis iuxta mare.

*Pagn.* Contra ipsum castrametabimini iuxta mare.

*Alij secundum Eugub.* Castrametabuntur è regione stabuli.

*Orig.* Castrametabuntur è regione ascensionis tortuosæ.

*Alij.* E regione siccitatum.

*Alij.* E regione oris furorum.

*Alij.* E regione oris libertatis.

### *CONCORDIA.*

NOster interpres hanc vocem Phihahiroth vt & Cald. & passim Hebræi, accepit tanquam nomen proprium, quemadmodum & duas voces sequentes Magdalum & Beelsephon. Septuag. tamen hanc vocem Phihahiroth appellatiuè verterunt, ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως è regione suburbij, vel villæ, vel stabuli quod qua ratione & consilio factum sit, difficile est intelligere: suspicatur Hieron. Epis. ad Fabiolam Sept. legisse חירת chirot non per ח sed per ע porro עיר hir vrbem significat. atque Phihahiroth os vrbis vel vrbium. quod idem cum suburbio videtur. quod autem illam vocem Origenes interpretatur è regione ascensionis tortuosæ, id nullo modo videtur voci ἔπαυλις conuenire, credibile est ipsum voluisse Hebræam vocem interpre-

tari, sonat enim vox Hebræa os foraminum, erat quippe ingressus inter montes vtrimque à lateribus, vt proinde propter montis anfractus varios, diuersa quasi foramina videri possent, atque adeo & tortuosa & anfractuosa ascensio seu hominum illac ingredientium, seu montium ipsorum in altum per anfractus varios sublatórum. potest etiam reddi hæc vox Hebræa os siccitatū, quod illac à mari rubro esset aditus, quo tendebatur ad solitudinem Ethan, siccam nempe & aridam: vel, denique dici potest os furorum חרה chara enim Hebræis est irasci & excandescere. quia nimirum eo loco vel certe non procul inde Deus mire in Pharaonem & Ægyptios excandescens, omnes suos furores in eos deprompsit. sed tum fatendum esset per prolepsim ita hunc locum nominatum. qui dicunt ea voce significari os libertatis, nescio id vnde acceperint, vel à qua radice vocem illam חירת chirot deducere possint.

## EXPOSITIO.

LOcutus est Dominus. Hoc sexto die contigisse plures asserunt, nam cum vsque ad diem tertium concessa esset Hebræis venia, statim obseruarunt Ægyptij exploratores, num post diem tertium appararent se Hebræi ad reditum, an non: cumque nulla appareret præparatio, nuntiauerunt die quarto Hebræos vlterius fugere, itaque quinto & sexto die persequuti sunt Ægyptij filios Israel, & vbi illuxit septimus, descenderunt ad mare, & sic Dominus sexto die alloquutus est Moysem.

*Reuersi castrametentur.* Ideo dicuntur reuersi, quia veniendo de Ethan in Phihahiroth, potius ad Ægyptum, vel certè Memphim vrbem Regiam accedebant, quam ab ea recedebant, nam Chananæa erat versus Aquilonem. hic autem locus longius ad Austrum vergebat, erat autem locus vndique ab Oriente mari septus, Septentrione & Meridie montibus conclusus, vel vt aliqui volunt vtrimque deserto clausus. vt venientibus ab Occidente Ægyptiis, & Hebræos persequentibus, nullum ad fugam videretur patere effugium. sed inquires cur loquutus est Deus de reuersione hac, cum nubis columna sufficienter potuerit indicare, & indicere omnibus motu & profectione sua? respondeo ideo potius Dominum Moysi & quidem vt puto cum sensibili aliqua & publica manifestatione locutum, vt populus tanto promptius in profectionem consentiret.

*Castrametentur in Phihahiroth*, Hebræi processerant vsque ad maris rubri extremum, qua desinit, ibique desertum erat nomine Ethan. ne vero desertum transirent, iubet eos Deus aliquantum versus Ægyptum reuerti. non eadem prorsus via qua incesserant, sed obliqua: & castra in loco non adeo tuto, imo periculoso constituerant sic Deo disponente, vt hæc audiens Pharao, & quasi aberrare eos in deserto putans, illos insequeretur, & sic tandem ipse in mari periret.

*A Regione Phihahiroth.* Vnde nomen hoc deriuetur varias in concordia adduximus Ethymologias, locus est in deserto, & quarta filiorum Israel mansio, *quæ est inter Magdalum*, Magdalum ciuitas est in confinio Ægypti, ad quam Iudæi 4. Reg. 25. interfecto Godolia tempore Ieremiæ confugerunt, alia ab illa Palestinæ à qua Maria Magdalena cognominata est. *Beelsephon* Hebraice idem est quod Dominus speculæ, quæ omnia indicant loca fuisse abrupta & inaccessa, *in conspectu eius* idest coram vel contra Phihahiroth, *castra ponetis supra mare* figens tentoria vestra circa mare.

## CONCEPTVS.

*Dei consilia à nobis incognita, sed ad suam gloriam & ad nostram vtilitatem.*

1 LOcutus est Dominus, reuersi castrametentur è regione Phihahiroth. Cur non consulis, vt vlterius secedant, & progrediantur, ne à rege Ægyptiorum eos persecuturo, iterum reducantur in Ægyptum? cur mones vt versus Ægyptum reuertantur? quis in aliquem locum tendens, ad eum à quo secessit, regreditur? nonne quo propinquiores fuerint Ægypto, eo citius in discrimen suæ venient libertatis? nihilominus præcepit vt reuersi castrametentur in Phihahiroth, Dei enim consilia à nobis incognita, sed ad suam gloriam tamen & nostram vtilitatem. annuit Lippom. *Iubet* Lippom. *Dominus iam liberatum & manumissum populum retrocedere, & iterum periclitari ad atrocissimū hostem, tentari de fide iam concepta & cōprobata, impium hostem animosum fieri, fideles autem timere & desperare permittit, vt gloriam suam mundo ostendas, & à nemine indicetur, qui solus nouit consilij sui rationem, & quibus modis ac mediis opus suum perficere decreuerit.*

*Iter quo ad virtutes & ad terram promissionis tenditur ne procliue arbitreris.*

*Locutus est Dominus reuersi castrametentur è regione Phihahiroth inter Magdalum &c.* Origenes 2 inter Epauleum, & inter Magdalum, Epauleum autem est ascēsio tortuosa, imo vt diximus in lince expositionis, Beelsephon est etiam locus abruptus & inaccessus. quid? nonne satis est quasi fugæ se commisisse vt tyrannidem Pharaonis fugerent? cur vias faciles eis non præparas, vt citius ad locum toties promissum, & ardenti desiderio cōcupitum peruenire valeant? cur iter abruptum, tortuosum, & ascensu difficile disponis? quo tendunt? nonne in terram promissionis? ne mireris ergo iter arduū inuenisse? arcta enim est via, quæ ducit per virtutem ad terram viuentium. audiendus Origenes. *Tu fortasse credebas quia iter quod* Origen. hic *Deus ostendit planum esse ac molle, & nihil prorsus habere difficultatis, aut laboris ascensio tortuosa est non enim procliue iter est quo tēditur ad virtutes, sed ascenditur anguste ac difficulter: audi etiam Dominum in Euangelio dicentem quia arcta & angusta*

*via est quæ ducit ad vitam, vide ergo quantum consonat Euangelium cum lege. ostenditur ascensio tortuosa, in Euangelio dicitur Matth. 7. arcta & angusta via quæ ducit ad vitam.*

*In fide & in operibus non leues reperiuntur difficultates apud aliquos.*

3 *Locutus est Dominus reuersi castrametentur è regione Phihahiroth inter Magdalum &c.* Vidimus ex Origene Phihahiroth ascensionem tortuosam interpretari, Beelsephon autem est, Dominus speculæ vel habens speculam: ascensio ad actum & opus pertinet, specula ad fidem. quid enim fide cognitum non habemus? ab ea enim tanquam è specula, quæ in inferno aguntur intuemur, & quid in cælo: conspicimus. sed cur huiusmodi specula ita sublimis & eleuata? respondeat Origenes. *Quia & in actibus & in fide multa est difficultas, & multus labor, multæ enim tentationes nobis occurrunt, multa in fide volentibus agere, quæ Dei sunt. tum deinde in fide multa inuenies tortuosa plurimas quæstiones, multas obiectiones hæreticorum, multas contradictiones infidelium. hoc ergo iter agendum est sequentibus Deum, nam videns hæc Pharao inquit errant isti, apud Pharaonem qui Deum sequitur errare dicitur, quia sapientia iter tortuosum est, multos habens anfractus denique cum confitearis vnum Deum eademque confessione Patrem & Filium & Spiritum sanctum asseris quam tortuosum, quam difficile, quam inextricabile videtur hoc esse infidelibus tum deinde cum dicis Dominum maiestatis crucifixum & Filium hominis esse qui descendit de cælo, quam tortuosa hæc videntur & quam difficilia, qui audit si non cum fide audit, dicit quia errant isti. sed tu fixus esto, nec dubites de huiusmodi fide, sciens quia Deus tibi ostendit hanc viam fidei.* Origen.

*Fortitudine nobilitamur in Domino, qualibet idola contemnentes.*

4 *Locutus est Dominus reuersi castrametentur è regione Phihahiroth inter Magdalum contra Beelsephon.* Egressi ab Ethan, vbi fixerant tentoria, iubentur regredi castrametantes è regione Phihahiroth inter Magdalum & contra Beelsephon, nonne diximus Ethan fortitudinem interpretari? nonne hominis fortissimi est semper vlterius progredi, & non regredi? quoscumque exhantlare labores nullasque difficultates pertimescere? cur ergo ab Ethan egredientes iubentur regredi versus Ægyptum? nonne qui ponit manum suam ad aratrum & respiciens retro, non est aptus regno Dei? & cur ad terram promissionis tendunt, & nihilominus monentur, vt regrediantur? sistamus hic B. Hieroni. Epist. ad Fabiolam. *Phihahiroth interpretatur, os nobilium, Beelsephon in lingua nostra vertitur Dominus Aquilonis, aut ascensus speculæ, aut habens arcana, porro Magdalū fortitudo vel turris assumpta. igitur fortitudine nobilitamur in Domino, & Beelsephon idoli arcana contemnimus quā magnificentiam & turritam superbiam declinamus, non enim est ab austro vnde Dominus venit, & à meridie in quam sponsus recumbit in floribus, sed possessor Aquilonis venti frigidissimi, ex quo exardescunt mala super terram.* S. Hieron.

*Noui in fide sanam doctrinam Domini tanquam fortes amplectantur.*

5 *Locutus est Dominus, reuersi castrametentur è regione Phihahiroth inter Magdalū cōtra Beelsephō.* Cur fugiente Ægyptū vero Ægyptū regredi iubentur? & cur è regione Phihahiroth potius castrametantur quam è regione Beelsephon? Phihahiroth os nobilium interpretatur, inquit Rupertus, denotatque nobilem doctrinam, qualis est Christi Domini vel fidem Apostolorum nobilissimorum & cur Ægyptum deserentes è regione huius loci, figunt tentoria, quia noui in fide quales sunt qui relinquunt Ægyptum idolorum feracissimam, nobilissimam doctrinam Christi Domini toto corde debent amplecti & in ea sua corda figere. præstat Abbatis verba subnecto *Contrarias fortitudines, tam Ægyptiorum quam Philisthæorum idest non tam dæmonum, & eorum qui illos colunt, quam hæreticorum secundum nomen Philisthiim potione cadentium, quia miscuit eis spiritum vertiginis, has inquam contrarias fortitudines fugientes, castrametentur è regione Phihahiroth, quod interpretatur os nobilium Et significat nobilem doctrinam vel fidem Apostolorum inter Magdalum & mare, idest, inter magnæ turrim fortitudinis scilicet Christum, & sanctum eius Baptismum, contra Beelsephon, idest, diabolum aquilonis Dominum: tali vtique positione spiritualiter castrametentur nostri catechumeni, quando fugientes huius mūdi Ægyptum, vbi simulachra muta coluerunt, & abominati omnes sectas hæreticorum veniunt ad mare scilicet ad vnici & veri Baptismatis sacramentum.* Rupert.

*Grata balbuties, si opera præmittantur.*

6 *Locutus est Dominus ad Moysen loquere Filiis Israel. &c.* Nonne erat balbutiēs, & loqui se nescire fatebatur, se ineloquentē, ita vt ei Aaronem dederit Deus quo tanquā ore vteretur, nunc nulla balbutiei ratione habita, sermonem ad populum habere iubetur? cur ita? tum quia tot operum prodigia præmiserat, tot signa fuerat operatus, quibus balbutiei defectum suppleuerat, vt loquens licet balbutiens haud contemneretur. *Propter signa & opera* (ait hic Abulens.) *quantumcumque balbutiens audiretur; non ergo oportebat, quod alius pro eo loqueretur* Satis eloquens ineloquentia omnis est, si operum signorumque clamor exaudiatur, & contra muta fere & eloquens eloquentia omnis est signis & operibus destituta. Abulens.

*Cum quis est in laboribus, indiget exhortatione sanctorum vt eos ferat æquanimiter.*

7 *Locutus est Dominus, reuersi castrametentur è regione Phihahiroth inter Magdalum contra Beelsephon.* Nonne diximus ex Cardinali Damiano, quod Buthan quod apud nos Ethan interpretatur vallis propter humiliationem, qua quis labori & ærumnis addicitur? sed cur post Ethan figunt tentoria è regione Phihahiroth, quod interpretatur os nobilium? nobilibus, intellige doctores & sanctos patres quorum doctrina & exhortatione indiget, qui in valle nempe laborum & calamitatum errat, vt omnia ferat æquanimiter. huc voco Petrum Damian. op. 32. cap. 3. *Phihahiroth interpretari dicitur os nobilium per quod exprimitur lingua doctorum. in conualle quippe patientiæ constitutus, quo grauius vel persecutionum vel carnalium tentationum flagellis atteritur, eo magis necesse est vt ei labore nobilium, idest, à sanctorum Patrum exhortationibus succurratur.* Petrus Damian.

## CONCEPTVS.

*Impii nunquam perditioni propinquiores, quam cum sunt insolentiores.* A

11 *COarctati sunt in terra, conclusit eos desertum.* Cum vidisset Pharao Israelitas à recta via, quæ erat versus Philistæum diuertisse & versus mare extendere, ibique tentoria figere, arbitratus est eos omni ex parte conclusos, neque posse euadere aut fugere, ideo in rabiem versus, & potentiæ diuinæ oblitus, arbitrabatur se posse assequi quod dudum concupierat: verum an concupitis potietur? an spes eum non decipiet? an filios Israel in suam redigет potestatem, vel internecione delebit? imo misterrimè aquis rubri maris submersus peribit. nec mirum. cum nunquam impii perditioni propinquiores, quàm cum sunt audaciores & insolentiores, appropinquantes enim iudicio maximè insaniunt. cum temporibus Noe B cum annis centum gigantibus pietatis contēptoribus prædictum fuisset diluuium, insolentiores plus solito facti, arbitrantes nequaquam venturū, conuiuabantur opiparè, sponsas elocabant, vxoresque ducebant vsque ad extremum diem quo Noe ingressus est arcam, sed nimium fastidiosos, & insolentes oppressit Dei vindicta. Goliath Philisteus nunquam insolentior factus, quā cum esset neci infœlici propinquus. Holofernes multis trophæis clarus dum fit insolentior viuere desinit. Balthasar Babyloniorum rex in Deum factus contumeliosior, factus & coram suis lætior, mala morte eadem nocte ad tartara rapitur.

*Maxima securitas & inexpugnabilis murus, gratia Dei.*

12 *Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum.* Concludis ergo tuas manus effugere minime posse, C sed vel seruitutem iterum priori grauiorem, & intolerabiliorem toleraturos: vel gladio adinternecionem vsque delendos: sed falleris, manus enim tuas euadent incolumes: sed si coarctati sunt in terra, si conclusit eos desertum, si mari concluduntur, si armatis militibus vndequaque cinguntur, quænam spes salutis eis relinquitur? quomodo securi? ex diuina gratia necessaria suppeditantea ex illum, quæ fidelibus inexpugnabilis murus est, quod exemplo Dauidis, & Saulis comprobat Chrysost. hom. 46. in Genesim. *Ille de loco in locum transiens, & quasi erraticus vagans; nullo indigebat humano auxilio, quia manu superna munitus fuit, iste vero cum esset in medius ciuitatibus multos habens secum satellites & armigeros assiduè timebat & tremebat inimicorum insidias, quia destitutus erat & diuino auxilio priuatus.* S.Chrysost.

*Tandem impius suismet irretitur, & perit consiliis.*

*Coarctati sunt in terra conclusit eos desertum.* Aberrarunt à via versus Ægyptum regressi, cum 13 versus terram promissionis proficisci deberent, sed cur ô Deus ita tuos coarctari, & vndique cōcludi permittis, imo insolēti & fœdifrago Pharaoni vindictæ præbes occasionem? vt ea oblata, tandem ipsemet suis irretitus peruersis consiliis, miserrimè pereat. *Multa sunt,* (inquit Oleast.) & Oleaster. *varia offendicula, & muscipula quas Deus ponit impiis: vt irretiantur & cadant. sic Pharao exigentibus demeritis Deus permisit Iudæos redire, & quasi deserto & mari concludi, vt animus impii regis excitaretur ad eos persequendos, & corrueret tam ipse quam populus.*

*Licet impiis videatur iustorum pernicies certa, solum tamen est apparens.*

*Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum.* Nonne credit infallibilem Israelitarum ruinam? quis 14 enim ex Ægyptiis persuasum sibi non haberet, effugere manus suas non posse, in vltimo discrimine constitutos, cū à via aberrarint? sed ipsimet toto cœlo aberrant; nam licet impiis videatur iustorum pernicies certa, solum tamen est apparēs. *Erudimur,* obseruat Oleast. *non posse pios vnquam* Lusitanus. *concludi, licet malis hoc videatur, sed semper est aditum, quo mala exire possint, patere, iustus, ait, Sapiens,* B *de angustia liberatus est & tradetur impius pro eo.*

*Minime à spe decidendum, etiam cum maxima instant pericula.*

*Coarctati sunt in terra. conclusit eos desertum.* Iusserat enim Deus castrametari è regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum & mare contra Beelsephon: vbi scilicet à sinistris erant vallati mari, à tergo exercitu Ægyptiorum eos insequentium, antè & à dextris præruptis montibus, vnde eos velut mures in muscipula comprehensos credebat Pharao. Vatab. vbi habemus coarctati, legit, ipsi perplexi, quia videlicet in arctis constituti, & circumquaque rupibus, mari & armatis conclusi exitum non inuenient, itaque vel fame vel gladio eos conficiam, aut potius ad deditionem & seruitutem pristinam redigam: sed ô Deus, cur tuos ad extremitatem redigis? cur tanto discrimini vitæ vel libertatis obiicis? nonne in desperationem prolabentur? imo à spe in Deum excidere non debent: quo enim sunt præsentiora pericula, eo diuinum auxilium nobis est proximius: apposite Chrysostom. in S.Chrysost. Psalm. 117. *Quamuis vel ad ipsam mortem deueneris, & vndique tibi maxima immineant pericula, ne desperaueris, potest enim Deus in rebus vel difficillimis, & impeditissimis exitum inuenire. &* paulo post, *ne attende rerum naturam quæ præcipites agunt in desperationem, sed Dei potentiam quæ sunt desperata, adducit in bonam spem: hoc ostendit Psalmographus, & quanta sit Dei potentia facilitas, volens monstrare, quod scilicet eos etiam qui in grauia mala inciderunt prostrati, & conculcati* D *sunt, possit educere, & non tantum à principio audi, quid subiungat, omnes gentes circuierunt* Psalm. 117. *me, vidisti periculum ineuitabile, neque enumerat acie confligendum, neque stabant inimici è regione, sed erat interceptus, & tanquam sagena aliqua circumdatus, & veluti quibusdam retibus comprehensus, non ab vno, duobus, aut tribus, sed ab omnibus gentibus, sunt tamen hæc omnia vincula confracta à spe in Deum, & nomine Domini inquit, vltus sum eos,* hæc Chrysost. qui paucis interiectis subdit, ad hæc verba, impulsus euersus

sum ait, vt caderem, & Dominus suscepit me, *dixit malorum magnitudinem à multitudine, à figura, à promptitudine & animi alacritate, ab iracorum, qui inuadunt, dicit etiam ab iis, quæ ipse passus est, ita inquit me mala adorta sunt vt parum abfuerit, quin caderem & deturbarer, impulsus enim ita fui euersus, vt etiam essem casurus, sed cum iam essem super genua lapsurus, & inclinarer, & rerum humanarum nulla esset spes relicta, tunc ostendit suum auxilium.*

*Vel umbra remissionis à virtute incœpta, maxime nobis est cauenda.*

16 *Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum.* Septuag. *Filij Israel errant.* Cur aberrant ab itinere? quia Moyses ita Deo iubente eis dixerat, vt reuersi versus Ægyptum castrametarentur à regione Phihairoth: sed cũ nubes ad iter ostendendũ sufficeret, quid opus erat hoc iussu & sermone? imo teste Greg. Nissen. lib. de vita Moysis, hæc nubes, quam veluti ducem sequebantur Israelitæ, priore omisso itinere in rubrũ mare ducebat: cur ergo opus erat hac voce denuo Moysẽ monente, cum ipsa nubes quo pergere deberent ostenderet, & ad cuius motum omnis multitudo exercitus itineri se accingebat? promiserat enim Deus nec nocturno nec diurno tempore, suum auxilium denegaturum: quid ergo dicemus? dicemus sanè, quod ait Cajet. *Non erat directa reuersio, sed species quædam reuersionis ad locum Ægypto propinquiorem*, erat quidem etsi non vera species reuersionis in Ægyptum, quo mũdus designatur, est species remissionis ab itinere cœpto, versus terram Palestinæ, quã beatitudo adumbratur, quam sic verè fideles debent cauere, vt nequeant adhoc adduci communibus signis, nisi signa singularia multiplicentur, nisi Deus id iubeat. Cajet.

*Suorum seruorum famæ & honori Deus consulit.*

17 *Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum.* In hoc discrimen ò Moyses coniecisti populum tuũ, nam reflexo itinere versus Ægyptum castrametati sunt è regione Phihairoth, tuo consilio: sed ô Deus optime, si columnam nubis per diem viarum ductricem, & columnam ignis per noctem vt eis luceret, assignasti, & monetur ab Angelo ad nutum diuinæ maiestatis tuæ, quid opus nouo iussu, nouo sermone? nonne nubes ad iter ostendendum sufficientissima? de nouo loquitur & regressum imperat, vt Moysis serui sui fidelissimi famæ & honori consuleret, sic explicat Salianus in annalib. anno mundi 2544. Mosis 81. *Hac voce opus erat ne populus duræ ceruicis obmurmuraret contra ductorem suum, existimans temerè atque imprudenter fieri regressionem versus Ægyptum, vnde egressi fuerant.* Salianus.

*Deus fidem nostram varie probat.*

18 *Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum.* Cum promisisset Deus in terram Chanaan deducere, iussit eos regredi, cum pollicitus se eis affuturum? ducit in locum periculosissimum, vbi montibus & mari clausis, nullum patebat effugium, castrametari iubet inter montes arduos, & ascensu difficiles, nec non mare rubrum, vt sic nulla spes eis salutis remaneret, si Ægyptii eos persequerentur: vnde quasi certus Pharao de eorum imminenti discrimine lætabundus ait, *coarctati sunt*, alii, *irretiti*, adinstar auium, quæ retibus inuolutæ manibus aucupum capiuntur; cur quasi in ineuitabile periculum coniicis? cur angustiis vrges ita molestis? sane vt eorum fidem probaret, festinabant illi è conspectu Ægyptiorum effugere, at Deus quasi hac via non posset eos educere, aliam quærit, vt videat, an suis fidem adhibere velint promissis, vel diffidere: sic enim affecti sumus, vt tunc quidem credamus Deo promittenti, cum statim adimplet promissa, cum autem ea differt, aut quasi contrarium obiicit, statim à spe excidimus, & firmi in fide non adhæremus, *sed in solo Deo fiduciam habeamus*, inquit Clemens Alex. lib. 2. strom. *Quem scimus non transgressurum ea quæ sunt ab ipso nobis pulchrè promissa.* Clemens Alexand.

## *VARIETAS LECT. Vers.* 4.

V*Vlg.* Et indurabo cor eius, & persequetur vos, & glorificabor in Pharaone & in omni exercitu eius, scientque Ægyptii, quia ego sum Dominus, feceruntque ita.

*Pagni.* Et fortificabo cor Pharaonis, & sequetur post eos, & glorificabor in Pharaone, &c.

*Vatab.* Et roborabo cor Pharaonis, & magnificabor & glorificabor.

*Arias.* Fortificabo cor Pharaoh & persequetur post eos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius.

## *CONCORDIA.*

PLuries diximus verbum חזק chazak indurare, & fortificare, & roborare interpretari כבדי chabad glorificari, magnificari, exaltati, חיל chail autem quod noster interpres reddidit exercitum, robur, virtutem, vires, autumnale, &c. denoat & quia in exercitu est robur & fortitudo, hinc rectè vertitur.

## EXPOSITIO.

I*Ndurabo cor eius.* Quomodo Deus induret corda hominum pluries diximus, & addimus, non ita intelligi aliquem indurari à Deo, vt ipse se non induret, sed obduratiã seipso, quatenus obduratio habet adiunctam culpam, à Deo autem quatenus habet rationem pœnæ, sicut si, reus incar-

ceretur ipse sibi est causa carceris, & simul iudex A quoque qui & si eum non incarceret per se, quia tamen vtitur ministerio executoris, etiā tribuitur ei actio: eodem modo intelligi debet de obduratione, neque enim Deus positiuè hanc hominibus immittit, sed ea facit in rectū directione, vt ipsi seipsos indurent: & simili modo scripturę phrases de induratione, obstinatione, excæcatione, traditione in reprobum sensum intelligendæ sunt: quod si autem aliquando amplius tribuere videatur, semper tamen remouenda est causalitas circa malitiam, (quia malitia non esset, si à Deo esset) & tantum permissio danda: indurat ergo non positiuè, sed subtrahendo efficaciorem gratiā, qua cor emollicetur; quam tamen dare non tenetur: fuit ergo hic peculiaris ratio in Deo obdurandi Pharaonem, ratio videlicet, quod Deus Hebræos in hæc arcta adduxerit, eo quidē proposito fine, vt omnem suam spem in Deum conijcerent Hebręi, B sed vnde Pharaonem eos insequendi occasionem & voluntatem firmam, expertus sua malitia, tyrannide & obstinatione, concepturum pręuidebat, quam eius voluntatem malam non intendit Deus, sed solū positiuè voluit permittere ad hoc vt Pharaonem hac ratione pertraheret ad mare rubrum, ibique pro anteactis sceleribus & rebellionibus puniret atque submergeret.

*Et glorificabor in Pharaone & in omni exercitu eius.* idest, ab hominibus cognoscar esse gloriosus, & dicar, eo quod iam tandem plenè de Pharaone triumphabo, atque ita ostenda priorem illius impunitatem, inter tot suorum funera & plagas benignitatis meæ fuisse, qua volui eum adducere ad pœnitentiam, non imbecillitatis: in tera autē peccatorū punitione duplex est Dei glorificatio, vna clementiæ eius, altera potentiæ, nam ad clementiam pertinet Domini sustinere vasa iræ, ad potentiam ea tollere, *scientque Ægyptij, quia ego sum Dominus*, discent experimento suo, & reipsa sentient, me verum Deum esse, quę quidem cognitio & confessio etiā ab inuitis extorquetur, *feceruntque ita*, quia reuersi castrametati sunt è regione Phihairoth, inter Magdalum & mare, & contra Beelsephon.

## CONCEPTVS.

*A nobis effectiuè est nostra mentis obduratio, à Deo permissiuè.*

19 *INdurabo cor eius, & persequetur vos.* Quis non dicet mentis obstinationem peccaminosam nō esse, nec hominibus sed Deo imputandam? ille enim non solū hic, sed alibi pluries mentes hominū obdurare, imo & excęcare, tradere in reprobū sensum dicitur: Deuter enim 2. dicitur indurasse spiritū Sehō, & obfirmasse cor illius, Iosue 11. vbi cū de Philistinis dictum esset, non fuit ciuitas quæ se traderet filijs Israel præter Hæuæū, qui habitabat in Gabaon omnes enim bellando cœperat: statim subditur, Domini sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non mererentur vllam clementiā, quasi Deus decreto suo indurationi huic causam prębuisset. & Isaias 6. mandat Deus, vt dicat populo Israel audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere, excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanē eum: quæ verba in nouo testamēto sępius repetita sunt, apud Matth. auditu audietis, & non intelligetis, videntes videbitis, incrassatū est enim cor populi huius? Ioannes vero 12. eumdem hunc locū respiciēs, propterea ait non poterant credere D quia iterum dixit Isaias excæcauit oculos eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde & conuertantur vt sanem eos, & Isai. 62. vbi Iudæi Deo referentes miserias suas, tu Domine aiunt, Pater noster, redemptor à sæculo nomen tuum, ac statim cum maiori querela subiungunt, quare errare nos fecisti Domine de vijs tuis? indurasti cor nostrum, vt timeremus te? addere possumus Phrasim qua Paulus frequenter vtitur, nempe quod Deus dicatur aliquos tradere in reprobum sensum, nam hæc traditio videtur Deo tribuere aliquam cæcitatis actionem circa indurationem vel reprobum sensum hominis, quis ergo homines suæ indurationis, mentis cæcitatis reprobi sensus accusabit, cum Deus eam efficere dicatur? sed falleris si ita sentias, hi enim omnes modi loquendi, vt pluries vidimus, facilè explicātur de Deo permissiuè obdurante, excæcante, & in reprobum sensum tradente, tolerat enim & non impedit eorum indurationem, & vberiorem gratiam quæ nullo modo eis debetur, non elargitur, non enim obdurat Deus non impediendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam, nam C obdurare Deum, est nolle misereri exigentibus id demeritis, sed ab illo non irrogatur aliquid quo fit homo deterior, sed tantum non erogatur quo fit melior, sed quia S. Irenæus lib. 4. aduersus hęreses c. 48. has ferè omnes authoritates præfatas continet, & explicat, ideo, religio esset eius verba supprimere, Indurauit, inquiunt illi, Deus cor Pharaonis, & famulorum eius, qui ergo hęc imputant non intelligunt in Euangelio, vbi discipulis dicentibus Domino, quare in parabolis loqueris eis? respondet Dominus, quoniam est vobis datum cognoscere mysterium regni cœlorum, illis autem in parabolis loquor, vt videntes non videant, & audientes non audiant, intelligentes non intelligant, vt adimpleretur apud eos Prophetia Esaiæ dicentis, incrassa cor populi huius, & aures eorum obtura, & oculos eorum obcæca, vestri autem beati oculi, qui vident quæ vos videtis, & aures vestræ, quæ audiunt, quæ auditis, vnus enim & idem Deus, his quidem qui non credunt, sed nullificant eum, infert cæcitatem, quemadmodum sol, qui est creatura eius, his qui propter aliquam infirmitatem oculorum non possunt contemplari lumen eius, his autem qui credunt ei, & sequuntur eum, pleniorem & maiorem illuminationem mentis præstat. secundum igitur hunc sermonem & Apostolus ait in secunda ad Corinthios; in quibus Deus sæculi huius excæcauit men-

Marginalia: Iosue 11. — Isai. 6. — S. Irenæus.

mentes infidelium, vti non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi, & iterum in ea quæ est ad Romanos, & quemadmodum non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, facere quæ non conueniunt: in secunda autem ad Thessalonicenses, manifestè ait de Antichristo dicens, & ideo (mittet Deus operationem erroris vti credant mendacio, (vti) iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati, si igitur & nunc, quotquot scit non credituros Deus, cum sit omnium præcognitor, tradidit eos infidelitati eorum, & auertit faciem ab huiusmodi, relinquens eos in tenebris, quas ipsi sibi elegerunt: quid mirum & si tunc nunquam crediturum Pharaonem cum his, qui cum eo erant, tradidit eos suæ infidelitati? quemadmodum verbum ait de rubo ad Moysen, ego autem scio quoniam non dimittet vos Pharao Rex Ægypti abire, nisi cum manu valida, & qua ratione Dominus in parabolis loquebatur, & cæcitatem faciebat Israel, vt videntes non viderent, sciens incredulitatem eorum: eadem ratione & cor Pharaonis indurabat, vt videns, quoniam digitus Dei est, qui educit populum, non crederet, sed in infidelitatis præcipitaretur pelagus per magicam operationem opinatus fieri exitum eorum, & rubrum mare non ex virtute Dei transitum præstitisse populo, sed naturaliter sic se habere: dissoluit argumentum Marcionistarum quo Deum malorum auctorem facere nitebantur, quia dicitur excæcasse Pharaonem, hoc autem vult intelligi ea Phrasi dictum, qua in Euangelio & Apostolo Deum tunc excæcare, indurare, & tradere in reprobum sensum, cum faciem auertit gratiæ subsidium subtrahit, & in tenebris illos manere permittit, qui sponte eis sibi elegerunt: quod exemplo desumpto a sole eleganter declarat. eodem pacto hæc interpretantur Tertull. lib. 2 contra Marcion. Archelaus Mesopotamiæ Episcopus apud Cyrill. Hierosol. Catech. 6. cuius Archelai verba subiicio, qui respondens Mani hæretico & quabsnam Deus qui excæcat, Pauli enim verba sunt, in quibus Deus sęculi huius excæcauit cogitationes infidelium, vt ne fulgeat in illis illuminatio Euangelij: Archelaus. quæ paululum antecedunt lege, quod si etiam opertum est, Euangelium nostrum in iis qui pereunt videsne pereuntibus obtectum dici Euangelium; non enim danda sunt sancta canibus, præterea solus ne veteris testamenti Deus excæcauit cogitationes infidelium Iesus etiam nonne ipse dixit Matt. 13. ideo ipsis in parabolis loquor vt videntes non videant, oratione eos prosequens volebat vt non viderent? an quia indignum erat quoniam oculos ipsi suos incluserant, vbi enim voluntatis malitia, illic & gratiæ donum abest.

Archelaus Episcop.

### *Obstinatio in peccatis ex eorum cumulo.*

20 *Indurabo cor eius.* Cur permissurus Regis obdurationem, quem toties ad meliorem mentem reuocare conatus es? an incassa tua solicitudo? an inanis Aaronis & Moysis labor in eo emoliendo? versum præcedentem inspice, coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum persequar, & quot antea delicta commiserat, in tyrannide, quam in Israelem populum commiserat? quot iteritus sceleribus, cum obstetricibus imperat, vt pueros eorum in obstetricãdo interficiant? quot turpiter delictis fœdatus, cum iussit omnes eorum masculos aquis fluminum suffocari? quoties fœdifragus? nonne etiam in Deum impius? tandem nonne data licentia abeundi, internecione tamen delere vel iterum duriori seruitute opprimere statuit? cur miraris ergo quod Deus licet hominum salutis amantissimus, Pharaonis mentem indurari permiserit? obstinatio enim est ex cumulo peccatorum, sic explicat Augustin. Serm. 88. de tempore, *Cum enim semel, & secundo, & tertio vnusquisque grauia peccata commiserit, expectat tamen illum Deus, sicut per Ezechielem dicit 33. vt conuertatur, & viuat: cum vero in peccatis suis cœperit permanere de multitudine peccatorum nascitur desperatio, & ex desperatione obduratio generatur, dum homines negligentes in primis despiciunt peccata sua quæ parua sunt, crescentibus minutis peccatis adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt & demergunt, quod cum factum fuerit, impletur hoc quod scriptum est cum venerit in profundum malorum, contemnit.* S. August. Ezec. 33.

### *Quamtumuis peccator, ne de Dei misericordia desperes.*

21 *Indurabo cor eius & persequetur vos*, Vidisti in præcedenti conceptu, in maxima delapsum scelera impiissimum Pharaonem, imo & in indurationem, an de salute illius antequam submergeretur in aquis, desperandum? an licet damnationis reus ob innumera delicta, potuit ad meliorem frugem reuocari, aut post innumeram criminum multitudinem potuit ad pænitentiam recipi & vitæ melioris institutum admittere? Ita debes sentire, si vere fidelis fueris, in quacumque hora ingemuerit peccator, Deus erga eum suæ non immemor erit misericordiæ, & ei etiam innumera condonabit peccata: eximia sunt ad hoc institutum B. Chrysost. Hom. 2. in Psal. quinquag. vel 2. parte Homil. in præfatum Psalmum, *Ne mihi dicas Blasphemus sum, persecutor sum, impurus sum, habes horum omnium exemplar, ad quem voles portum confuge; vis in veterem Dauidem, habes, vis in nouum Paulum, ne tergiuerseris, ne cuncteris, peccasti, pænitentiam age, millies peccasti, millies pænitentiam age; hæc Pharmaca subinde adhibeo, tumoremque reprimo: non enim me fugit quantus in eorum, qui peccarunt: conscientia, cruciatus sit, quanta desperatio stat in procinctu, diabolus ensem acuens atque his verbis vtens: totam tuam iuuentutem probro, ac dedecore affecisti, totum vitæ tuæ tempus perdidisti, prius scortator eras, postea rapuisti, ac suum alteri detraxisti, periurio, & blasphemia te obstrinxisti, quænam tibi salutis spes esse queat? actum est de te, nihil aliud superest, quam vt præsentis saltem vitæ voluptatibus fruaris; hæc Diaboli verba sunt. at mea contraria, perijsti, at salutem consequi potes; stupris ac libidini operam dedisti, at pudicitiæ studere potes; adulterium admisisti, at hac labe liberari potes: cecidisti, at resurgere potes, exigua tua pænitentia est, at magna Domini benignitas: cædem perpetrasti, suum alteri ademisti,* S. Chrysost.

*at ab eo te remoue: sanatus es, at medicinam adhibe: quandiu speras etiam in, extremo die etiam iniecto, si illis lucras, etiam si autumn agas, ac iam iam ex hoc theatro, atque ex hac vita excessurus sis, tamen pœnitentiam age, temporis quidem angustia premeris, at Dei benignitas multa est: ne mihi dicas, quonam pacto? vlterius stare, vulneratus plenus sum, in extremo vitæ die pœnitentiam ne agere possum? tu vero potes, & quidem vehementer potes, ora, piis largitionibus egentium inopiam sublena, in testamento tuo aliquid illis relinque.* Vnde

S. Laurent. Iustinia. Sanctus Laurentius Iustinianus sermone ad conuersionem obduratorum, obstinatos ad Deum reuerti sic consulit. *Reuertimini ô contemptores ad correptionem, vos inquam, qui à Deo auersi estis, & obduratum habetis cor atque impœnitens, exorantis & hortantis ipsius sapientiæ verba, mentis aure percipite, monitisque eius saluberrimis assensum præbete, quæ ait Prouerb. 8. audite me beati qui custodiunt vias meas, audite disciplinam & estote*

Prouerb. 8. *sapientes, & nolite abiicere eam, &c. quanta dilectione vos inuitet ad veniam, intelligite, quantisque spiritualibus vos bonis locupletare desideret, considerate: emolliat quæso lapideum cor vestrum illius amoris flamma, beneuolentia renocet, alliciat pulchritudo, promissa erigant, & erogata accendant, erumpant absque dilatione oculi vestri lachrymarum flumina, ingeminentur suspiria, vestrique gemitus compunctionis indices, cælum compleant, omnis etiam à vobis propulsetur duritia, & perniciosa desperatio repellatur, quæ misericordiæ fontem euacuat, Paradisi ianuas claudit, diuinæ pietatis exsiccat viscera, indulgentiæ obturat semitas, spes fiduciam adimit, atque bonorum omnium plenitudinem perdis, apud Deum nulla est irremissibilis culpa cum ex cordis synceritate humiliter petitur venia, &c.*

## *Credit Deus in sui nominis gloriam cedere, suos liberare hostibus interfectis.*

22 *Indurabo cor Pharaonis & persequetur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius.* In quo glorificaberis? in rege, quid enim cum tua diuina potentia conferri potest? nam licet armatis militibus stipetur, & his bellicosissimis quid si comparentur cum tua fortitudine? nihil omnino, an glorificari potest elephas si formicam superet? nihilominus dicit Deus quod glorificabitur in Pharaone, in aquis cum exercitu suo submerso, credit enim in sui gloriam cedere,

Oleast. cum suos liberat, hostibus interfectis, fauet Oleast. *Hic omnes me glorificabunt, quod eum cum populo suo contriuerim vt meos liberarem & loquitur humano more, ac si esset miles strennus, qui ex præclarè gestis famam sibi acquireret, & gloriosum nomen apud omnes.*

## *Dei gloriam etiam punitiones eximiæ commendant.*

23 *Indurabo cor Pharaonis & persequetur vos & glorificabor in Pharaone.* Quid? an cum eo tot scelera commissa dissimulans? an ei misericorditer condonans? nam in eo gloriari soles cum peccatores à suis absoluis delictis: non in hoc, sed quod tandem ab eo vltimum exigam supplicium: quod aquis maris rubri simul cum exercitu submergam. Dei enim gloriam etiam eximiæ punitione

A commendant. subscribit Lusit. *Ad duo, nobis mala infligit Deus, scilicet ad emendationem & gloriam suam, quos enim punitet malorum illa emendant qui vero eis non emendantur instrumenta fiunt diuinæ gloriæ: neque hic peccauit, nec parentes eius, ait Christus, sed vt manifestentur opera Dei in illo: & de Lazaro Ioann. 11. infirmitas hæc inquit, non est ad mortem sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per illam.* Lusitan. Ioan. 11

## *Deus etiam à nolentibus agnoscitur.*

*Indurabo cor Pharaonis & persequetur vos, &c. & scient Ægyptii quod ego sum Dominus.* Si idolorum cultores, nec à crimine idololatriæ recedere volunt, sed in eo permanere, quomodo te verum, ac verum Deum agnoscent? quid ait Deus? 24

B glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius: capitali supplicio plectentur, quo cognito etiam inuiti fateri tenebuntur me Deum esse & omnipotentem. *Istæ punitiones inflictæ* (inquit Abulens.) *erant tantæ virtutis & potentiæ quod demonstrabant eum esse Deum qui talia infligere potuisset, nam infinitæ potentiæ erat subito mare diuidere, vel si forte Deus per Angelos suos repente fecit, se Deum demonstrauit, qui tales ministros haberet qui prædicta facere possent.* Abulens.

## *Punitiones cedunt in plurimorum vtilitatem.*

*Indurabo cor Pharaonis & persequetur vos, &c.* quid inde cõtinget? *glorificabor in Pharaone.* An solum in gloriam tuam nominisque tui exaltationẽ cedet supplicium sumptum à Pharaone? *& scient,* inquit, *quod ego sim Dominus,* nonne satis erat, 25

C quod punitio quam exigere coactè videris (nam misericordia tua super opera tua) cedat in tui gloriã? cur etiam inde ab Ægyptiis sancti nominis tui potentia adorabitur? ne censet punitiones Dei in paucorum vtilitatem cedere, æquissimæ enim sunt, & ideo in bono fœcundissimæ, *non solum ad gloriam suam,* Obseruatio est Oleast. *Deus ordinat mala nostra, sed ad bonum nostrum vt per ea eum agnoscamus.* Oleast.

## *Obedientia nobis à Deo iniuncta, etiam cum periculo vitæ adimplenda.*

*Indurabo cor Pharaonis & persequetur vos, &c. & fecerunt ita.* Nempe reuersi è regione Phihairoth, castrametati sunt: nonne reuertuntur versus Ægyptum à qua Pharaonis tyrannidem fugientes, recesserant? nonne quanto proximiores fuerint Ægypto, periculo maiori obiicientur? nonne si 26

D vbi præcipis, castrametantur; obruptis montibus coarctabuntur, ita ut etiam fuga saluti consulere non possint? cur ergo tale præcipis? imo cur ipsi tua iussa capessunt? quia obedientia à Deo nobis iniuncta, etiam cum periculo vitæ adimplenda. suffragatur Lippom. *Docemur hic ne rei difficultatem sed mandatum Dei semper & illius promissa consideremus, aggrediamurque infracto pectore quæ ipse iubet certi opem suam nunquam defuturam.* Lippom.

## *Quam securus qui Deo scit obedire etiam in periculo constitutus?*

*Indurabo cor Pharaonis & persequetur vos, &c. & fecerunt ita.* Si promittis quod eos insecuturus est Pharao, quod eos vel ad internecionem vel ad 27

seruitutem requiret, cur ergo tibi obedient in ca- A stramentatione futura? nam ex ea sumet occasionem Pharao eos insequendi, nonne extremo obijcientur discrimini? quid enim homines inermes contra armatorum immensam multitudinem? nihilominus securi subsistent, verus enim obediens etiam in periculo constitutus securus manebit, id elegantissime confirmat Richardus Victor. tract. de differentia sacrificij Dauid & Abrahæ. *O quam confidenter crucifixo astabit, qui se propter ipsum ad omnem obedientiam subdit, cum quanta conscientiæ securitate verus obediens ad thronum illius gratiæ accedet, qui factus est patri obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: cum quanti trophæi de studio huius vitæ exibit, qui semetipsum propter Christum penitus obijcit, & alienæ seruituti addicit?*

Richardus Victor.

*Verus obediens verbo simplici non minis* B *coactus obtemperat.*

72 *Indurabo cor Pharaonis & persequetur vos, &c. & fecerunt ita.* An Moyses eos coegit, vt castrametarentur è regione Phihahiroth? vt figerent tentoria in loco difficili & periculoso? an minis adegit, vt regrederentur, cum iam ab Ægypto discessissent libertate donati? imo solam Dei voluntatem eis aperuit, & ilico obtemperarunt, non enim minis cogitur verus obediens sed intimatione voluntatis ad id impellitur, perite S. Vmbertus cap. 8. quod obedientia debeat esse voluntaria, ad hanc enim mentem ille scribit. *Voluntaria quoque sit obedientia, quæ non virga, vel calcaribus indigeat, sed moueatur sibilo dulciori:* addit statim, *multum enim laudabilis est obedientia quæ præceptum seruat, laudabilior quæ consilijs & admonitionibus obtemperat, sed omni laude dignissima quæ præcipientis animo se conformat.*

S. Vmbert.



## *VARIETAS LECT. Vers. 5.*

VVlg. Et nuntiatum est regi Ægyptiorum, quod fugisset populus, immutatumque est cor Pharaonis, & seruorum eius super populo, & dixerunt quid voluimus facere vt dimitteremus Israel ne seruiret nobis?

*Sept.* Conuersum est cor Pharaonis & famulorum eius in populum, quid hoc fecimus vt emitteremus filios Israel?

*Pagnin.* Et reuersum est cor Pharoch, & seruorum eius ad populum.

*Arias.* Et vertit se cor Pharoch & seruorum eius ad populum & dixerunt, quid hoc fecimus, quia dimisimus Israel seruiendo nobis?

*Oleaster.* Nuntiatum est Pharaoch quod transiret, & reuersum est cor regis ad populum.

## *CONCORDIA.*

VErbum ברח Barach non solum fugere, C sed etiam transire significat, vt patet infra trigesimo sexto cap. vbi dicitur fecit vectem medium libroach, idest, vt transiret per medium tabularum, hinc berrah, idest, vectis sic à transeundo dictus, & ita non ineptè redditur ab Oleastro, quod transiret.

## EXPOSITIO.

N*Untiatum est Pharaoni quod fugisset.* Quæ fuga intelligenda venit de profectione, qua ex Ethan merunt in Phihairoth, quæ speciatim suscepta fuit, ad hoc, vt eius opportunitate Pharao illiceretur ad insidias, quas ei Deus in mari rubro pollicitus fuerat: *immutatumque est cor Pharaonis, & seruorum eius*, pœnituit eum de licentia ei data ab Ægypto discedendi, & sic immutata est eius voluntas, præsertim iram ac- D cendente expoliatione Ægyptiorum, videbant enim iam se spoliatos, ijs quæ commodato tantum dederant Hebræis, *quid voluimus facere? quasi dicerent*, hoc negotium à nobis non mature consideratum, *vt dimitteremus Israel ne seruiret nobis*, probabile est alias rationes memorasse, sed Moyses vnicam solum adducit, quod ea cum publica esset, totiusque regni maximam vtilitatem contineret, præcipua fuerit.

## CONCEPTVS.

*Verba adulationis, verba præcipitationis sunt.*

28 N*Untiatum est regi Ægyptiorum quod fugisset populus.* A quibus nuntiatum? ab exploratoribus, vel ab aulicis, quid enim nuntiatum? quod fugisset, nonne liberam abeundi licentiam dedit, cur fugam apud Pharaonem appellant? nisi de castrametatione è regione Phihairoth loquuntur, potius ad Ægyptum regredi videntur, quam ab ea fugere, sed ex hoc adulatorio nuntio quid contigit? immutatū est cor Pharaonis & seruorū eius, quid deinde? omnem Ægyptiū exercitum aquis submersum perijsse legimus: nec mirū, verba enim adulationis, sermones sunt præcipitationis, sic enim ad hanc mentem Augustin. explicat hæc verba psalmi 51. dilexisti verba præci-

Psal. 51.

spirationis linguæ dolosæ, vt *Verba præcipitationis* A *etiam dicuntur verba adulationis, Isaiæ 9. erunt qui beatificantur populum seducentes, & qui beatificantur præcipitati*, Infœlix beatificatio illa, quæ ad exitum adducit, miser qui dum beatus dicitur, adulatorius verbis in foueam cadit.

### *Adulatores vmbram referunt, cui obnoxii principes.*

29 *Nuntiatum est regi Ægyptiorum quod fugisset populus.* An iste nuntiatum de fuga populi Israelitici? quomodo non dicunt de eo, quod inquiriunt, vtrum populus Israel discessisset nunquam regressurus, sed quod nuntiatum est eis à quibus? ab aulicis & his adulatoribus, qui tanquam vmbræ principibus adhærent, & se ad eorum inclinationem & conditionem immutant atque conformant: cum enim scirent auersionem Pharaonis in populum Israel, suggerunt, & conformiter B adimentem eius, vt eos persequatur & deleat. sane reges & principes imo & vniuersim eos qui super alios sunt hę vmbræ comitantur: & vix ab adulatoribus sunt immunes, nullus ferè magnus est, quem hæc pestis non corripiat & inuadat. Imperatorem alloquens hoc monuit Agapetus Diaconus in sua parænesi. Num. 22. *Caros & commendatos eos qui tibi probè consultum esse volunt, habeto, non eos qui adulari frequenter student, illi enim quod re vera expedit respiciunt, hi vero ad ea quæ arrident potentibus imitantes vmbras omnibus ac singulis eorum verbis applaudunt.* Agapetus Diacon.

### *Adulator coruo similis oculos effodienti.*

30 *Nuntiatum est regi Ægyptiorum quod fugisset populus.* Et hac intentione vt eum persequeretur, nec non iterum seruituti addiceret, vel internecione deleret: sed si his adulatoribus assentiris, nonne qui morte omnes primogenitos Ægypti C percussit, vt te ad dimissionem populi cogeret, potest eum à persecutione tua incolumem & saluum seruare? an minoris potentiæ, vt ei subuenlat extra ditionem tuam? cur ergo cunctanter & maturè in negotio adeo graui non deliberas, & quod futurum sit prudenter præuides? nescit mens obumbrata adulatorum lingua, quod rectum est iudicare: hi enim similes coruis lumen rationis obtegunt, ne dicam, eruunt. testem do eit. Diaconum, qui eumdem Imperatorem monebat dicens. *Auersare adulatorum fallaces sermones, vt coruorum rapaces mores, illi namque corporis effodiunt oculos isti autem animæ hebetant cogitatus, cum non permittant perspicere rerum veritatem*, vt verus fuerit Ioannes Sarisberiensis Episcopus Carnotensis, qui florebat an. 1182. qui dixit, adulationis comitem, proximi excæcationem, sic enim ille loquitur cap. 5. lib. 3. Policrati. *Omnis adulatio comites habet dolos excæcationem populi & exterminium totius honestatis*, Verè fodiunt oculos qui adulantur, vt verè loquitur idem auctor, dum eodem lib. cap. 11. ait: *Adulator omnis inimicus est virtutis, & quasi clauum figit in oculo illius, cum quo sermonem conterit.* Ioannes Sarisber.

### *Adulatio, virus maximè nociuum.*

31 *Nuntiatum est regi Ægyptiorũ quod fugisset populus*, à quibus? ab adulatoribus, qui dixere in dedecus suum cedere si onustos Ægyptiorum spoliis non persequatur Israelitas, quasi non satis esset libertate donari, nisi ex auro, argento & omni suppellectile Ægyptiaca ditarentur, sed ô Pharao! an assentiens linguæ blandienti? an persequens eos quos liberos abire permisisti? ne spolia dicant sed mercedem tibi debitam; persequeris nihilominus, & tandem miserrimè peribis, vt verum fatearis adulationem esse virus maximè nociuum, subscribit B. P. Damian. Op. 50. c. 8. his verbis: *Sæpe malignus spiritus velut anguis in ramo arboris, sic in lingua, ponitur adulantis, & tanquam per organum vasis, sic vas virus effundit, quod letaliter audientis interiora transfundit*, claudant aures igitur principes ne venenum illud cordi illabatur. S. Petrus Damian.

### *Nuntius malè affectus plura de suo fingit.*

*Nuntiatum est regi Ægyptiorum quod fugisset populus* Oleast. *quod transiret*, Qui solum transit non 32 B dicendus est fugere: quomodo nuntiat ergo Pharaoni fuga sui salutem quærere: itum an verum est fugere? nõne castrametatiuræ regione Phihahiroth reuersi versus Ægyptum? potius ergo debueratis dicere, regredi quam fugere, cum malè affecti essent in populum Israeliticum, non mirum hæc Pharaoni retulisse, nuntius enim erga aliquem malè affectus nescit nisi multa mendaciter fingere, vt maius in eum excitetur odium, *Solent enim homines*, inquit Oleast. *in narrandis rumoribus multa adiicere.* Oleaster.

### *Malum desiderium quasi sopitum ne suscites.*

*Nuntiatum est regi Ægyptiorum quod fugisset populus*, Quid ex hoc illo nuntio? immutatum est 33 cor Pharaonis, Oleast. reuersum est cor Pharaonis; an sine corde erat antequam tale nuntium acciperet? quodenim in aliquem locum regreditur ab eo discesserat. quomodo autem fieri potest quod quis viuens, corde careat, cum ex ipsius absentia imo eo non pulsante necesse est mortem subsequi? corde non est dubium voluntatem denotari, quid ergo est cor regis reuersum nisi malè affectam voluntatem in populum Israel, iam reuiuiscere cœpisse ex allato nuntio, ex quo, quæ ruina Ægypto non est subsecuta? & ita concludit Oleast. *Cauendum valde est mala desideria aut opera refricare.* Lusitan.

### *Principum factum inferiores cogit ad simile.*

*Nuntiatum est regi quod fugisset populus*, Et quid 34 ex fugæ nuntio? *immutatum est cor Pharaonis & subditorum eius.* Non miror cor Pharaonis immutatum, sed cur corda subditorum similiter immutantur? an nuntiatum est eis quod fugisset populus Israel? non legimus, sed solum regi, vnde hoc ergo, quod immutato corde regis, simili- D ter subditorum corda immutari? quia ipse suam aperuit malè affectam voluntatem in populum, principis autem exemplum subditos ad simile impellit imo & cogit. sic enim Vualderanus Abbas Malpurgensis ad Solomonem Episcopum scribens ait. Vualderan. Abbas.

### *Talis erit populus qualem te viderit esse.*

Sed expressius ad mentem nostram Caiet. qui explicans illa verba Apost. ad Galat. 2. qui de B. Petro dixit, quomodo gentes cogis Iudaizare? *Cogis* inquit *exemplo facti tui; facta enim superiorum non tam imitant quam cogunt.*

*Consiliarii peruersi, regii solis lumen obtegunt.*

35 *Nunciatum est regi Ægyptiorum, quod fugisset Israel*, Nonne rex est, & ideo sol secundum illud fulgentii lib. 1. Mythol. tandem domini regis, *inquit*, fœlicitas aduentantis velut solis crepusculum mundo tenebris dehiscentibus, pauores exterfit: & Nicephorus Gregoras lib. 10. nænia in obitum imperatoris ita loquitur Ou! O terræ sol, in qua terra occidisti, vt relictis nostris in glacie calamitatum examinemur? si ergo Sol est princeps nihilque soli absconditum, quid necesse fuit fugam populi Israel nunciare Pharaoni? sed in hoc iam immoror, cur persequitur Israelem? nonne ex præteritis potuit euidenter inferre omnem conatum inutilem fore, imo in dedecus suum, nec non totius regni, perniciem cessurum, quidquid aduersus eum molitetur? quomodo infælicem suum suorumque exitum non præuidet, si cum sole comparatur? nonne ait textus, quod nunciatum? &c. an vt vt nuntii, imo & consiliarii peruersi, regii solis lumen obtegunt? huc flectamus quod Nicetas Chomates lib. 1. in Andronico vbi de malis consiliariis loquens, ait, *Per quos vt à nube sol abscondebatur ministro quam imperatori similior, cum ea faceret ac iuberet, quæ præceptores videbant*, Sic plerumque accidit, vt regum consiliarii regiam obscurent mentem.

Fulgent.

Nicephor. Gregor.

Nicetas Chomat.

*Principibus celantur subditorum calamitates, at quod illis perniciosum est facile innotescit.*

36 *Nunciatum est regi Ægyptiorum, quod fugisset Israel*, Quandonam? quinta forte die, post illius egressum, sed quæso cum innumeris calamitatibus opprimebatur in Ægypto, an ad aures Pharaonis incunctanter perueniebat illius miseria? an nuntii veloces ad referendas illius calamitates? nequaquam equidem, quomodo igitur eodem die, quo regredi deberent ex mente Pharaonis nunciatum est fugisse Israelem? quia nihil velocius ad aures principum peruenit, quam quæ in damnum suum & perniciem cedere debet, at calamitates regni subditorumque miseriæ, aut tardè aut nunquam non ignorantur; nullus est enim fermè qui miserorum ærumnis commotus, qui eas velit principi referre, cum vt plurimum quæ eum trahunt in ruinam & regni sui perditionem velociter à pluribus enunciantur, scite Fernandus Diaconus in paræn. ad Regium regula 3. de regum lateronibus dicebat; *Licet fiant omnia deperiisse quærant tamẽ aliqua loca satis rara, quæ misericordia Domini protegente meruerunt, vel illa sa[...] seruari, vel forsitan parum lædi, quorum nomina commendata memoriæ frequentius recitantes, magnitudinem calamitatis generalis extenuant, nihil euident, vnde pietas indigetur & hoc luminibus sollicitis notant, vnde inuidia generetur.* [...] regiam sententiam, & tibi compertum erit, nihil velocius auribus principis patere, [...]am quæ ipsis cedant in malum, quæ autem ca[lam]itates & miserias subditorum spectant, ipsis in cognita, vel si tandem aliquando cognita, nullum iam potest adhiberi remedium.

Fetandus Diaconus

*Apud politicos pure mundanos nulla fides stabilis.*

37 *Nuntiatum est regi Ægyptiorum, quod fugisset Israel, &c. quid voluimus facere, vt dimitteremus Israel ne seruiret nobis?* Deinde iunctis curribus iunxit, vt eum fugientem attingeret & reduceret. quid? nonne paulo ante legimus, quod eum ad egrediendum compulerat? egredimini à populo meo vos & filii vestri ite, immolate Domino, sicut dicitis, vrgebãt que Ægyptii populũ de terra exire velociter. quomodo igitur ita repente immutatũ est cor eorum, vt quos non solum exire permiserant, imo ad exeundum coegerant, nunc in perniciem persequantur? attendendum, non pietate, non iustitia, non à Dei præcepto motos Israelem dimisisse, sed à timore proprii mali impulsos, vrgebant enim exire dicentes, morimur, ergo dimiserant ob proprium bonum, ob politicam rationem, quid ergo mirum hac eadem nunc intercedẽte, reputanteſque nunc in malum eis cedere populi demissionem si statim demisso consilio, ad persequendum dimissos se accingarent nulla habita iuris sed tantum status ratione? vt hinc discas, quam parum in politicorum iustitia fidendum, dum non ipsam pro obiecto habentes virtutem, sed tantum suum commodum & lucrum ad exigentiam istius illam exhibent, mutant & obseruant: rectè politicorum mores descripsit Billius Abbas in sua sacra Anthologia numero 108.

Iacobus Billius. Abbas.

*Odi qui fidei teneat cum dogmata sana,*
*Non tamen is fidei iungere curat opus,*
*Plus odi fidei qui septa relinquit auitæ,*
*Impius, & matri perfida bella mouet,*
*Plus etiam in medio qui cum versetur ouili*
*Clam tamen innocuas, est lupus inter oues*
*Omnibus his odi grauius qui numinis expers*
*Nomine prudentis fecegit œconomi.*

Per œconomum intelligit falsos nostri temporis politicos, qui tot & varias sumunt figuras, quot apprehensiones effingunt sibi proprii boni, nulla æquitatis vel fidei habita ratione.

*Impatientissime toleratur diuitiarum iactura.*

38 *Nuntiatum est Ægyptiorum regi quod fugisset Israel*, Quid ex hoc nuntio? *immutatum est cor Pharaonis & seruorum eius*, Quod immutetur cor regis, non equidem miror, nam molestè ferunt principes à subditis illudi; sed quod immutetur cor subditorum non satis capio., at reuoca in memoriam Israelitas commodato accepisse aurum, & argentum, nec non supellectilem pretiosam ab Ægyptiis, quid mirum igitur si immutatum cor eorum cum audierunt Israelem fugisse? impatientissimè enim toleratur diuitiarum iactura subscribit Abbas. Tuicensis, *Pharao tanto ad persequendum promptiorem habebat exercitum quanto insanius acceperat auro vel argento suo se esse spoliatos ab eis, quos dudum libertate spoliauerant, inde inflammati seque inuicem furore inflammantes quid, inquit, voluimus facere, vt dimitteremus Israel?*

Rupertus hic.

*Auri cupidus grauiter vulneratur.*

39 *Nunciatum est Regi Ægyptiorum quod fugisset Israel, immutatum est cor Pharaonis & seruorũ eius*, quasi enim grauiter sauciarentur acceperunt hoc nuntium molestè, quid vobis contigit? sane eorum aggrauata vulnera, vulnere enim quasi insanabili sauciata erat antea eorum anima ex cupiditate auri & argenti possidendi, cum autem

nuntium sibi infælix accipiunt de illius iactura, vulnus vulneri additur & profecto alte mentem vulnerat, quam possidet, quam corripit auaritia, vniuerse vulnerari, qui auri & argenti dispendia patitur, non est dubium. Præclare Cassiodorus apud quem Theodo. lib. 1. variar. 30. ita loquitur, *Si vero tales facinoris reum fide mala Dominus iudiciis præsentare distulerit, nouerit se decem librarum auri dispendio vulnerandum*: Imo vulnerari & exercere auaritiam in idem fere recidit, nam apud Hebræos verbum בצע & vulnerare significat & auaritiæ studere, vt statim moneatur auarus, non sine vulnere se futurũ, si nõ sine auaritia. succinit huic menti etiam Forerius qui in cap. 10. Isaiæ ita scribit, *verbum בצע vulnerare significat & exercere auaritiam, quæ tanquam gladius vulnerat & sanguinem exsugit, & substantiam absumit.*

Cassiod.

Forerius.

*Auari stultissimi, licet sapientes se arbitrentur.*

14 *Nuntiatum est Ægyptiorum regi quod fugisset Israel, & immutatum est cor Pharaonis, quid voluimus facere vt dimitteremus Israel*, Abulens. ista verba sunt reprehensiua Ægyptiorum ad seipsos dicentium se fecisse magnam stultitiam, dimittendo Hebræos qui valde sibi vtiles erant: arbitrabantur ergo se sapienter agere, cum Hebræos detinerent vtilitatis & cupiditatis suæ gratia, sed sane in hoc maxime decepti, infani enim prorsus & ratione carentes auri cupidi & auari. subsignat huic veritati Agellius qui in Psal. 9. ita scribit, *Stulti quidem iis, opibusque suis fretos, appellare solet in sacris litteris, in Psalm. 48 simul, stultus & insaniens peribunt, relinquent alienis diuitias suas; & in euangelio, stulte hac nocte repetunt animam tuam.* In huius vero Psalmi expositione hunc sensum apertissimè ex Salomone confirmat, dum ait, *Salomon & in Prouerbiis pauperi insipientem opposuit, quasi eumdem esse diceret, & insipientem intelligeret, melior est enim pauper & qui ambulat in simplicitate sua, quam torquens labia sua & insipiens, at ne esset vlius dubitandi locus, melior est inquit pauper ambulans in simplicitate sua, quam diues in prauis operibus.*

Agellius.

Psal. 48.

Prouerb.

## *VARIETAS LECT. Vers. 6. & 7.*

*Vulg.* Iunxit ergo currum & omnem populum suum assumpsit secum.

*Sept.* Iunxit Pharao currus suos, & omnem populum suum simul eduxit secum.

*Vulg.* Tulitque sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit, & duces totius exercitus.

*Sept.* Et sumens sexcentos currus electos, & omnem equitatum Ægyptiorum & tristatas super omnes.

*Cald.* Et omnes currus Ægyptiorum & fortissimos viros constituit super omnes.

*Cajet.* Et iterum super omnem eum.

*Oleast.* Et triarios constituit super eum.

*Eugub.* Tulit trecentos currus.

## *CONCORDIA.*

IN Hebreo pro duces est שלישים schalischim, quæ vox a שלש schalosh quod tres significat, deducitur, vnde & septuaginta τριστάτας verterunt, sic & c. seq. versu 4. eædem voces in Hebræo & Græco habentur, pro quo noster electos principes vertit: porro τριστα videtur sonare ternos statores, & ita olim in vulgata lectione, è græco fuisse versum testatur Hieronymus in Ezech. 23. sed vtrũque quid sibi velit, æque obscurum: & Ezichius tristatam vult esse satellitem regiũ sic dictum, quod terna vibret hastilia: Gregor. Nissen. in Cant. videtur varias conjecturas sequi, vel tristatas dictos quod tres vnus currus pugnantes capere posset, vel quod tres equos ascenderent, vel quod singuli aduersus tres in bello possent resistere, vel quod in bello, in alterius è duobus qui ante ipsum pugnabant, occisi, vel deficientis locum, quasi triarii fortioresque funderent: vel denique inquit tristata significat eum, qui sedente rege, tertius ibat, vel tertiam sedem habet apud regem, qualis erat Dauid apud Saul: & postrema notio videtur aliquibus verisimillima, & hoc indicare videtur noster interpres, qui vbique vocem illam Hebræorum duces vel principes vertit, vti & Pagninus: & vere vbique videtur præfecturam aliquam significare, & maximè 4. Reg. vers. 2. & 17. vnde Hieronymus in 5. Daniel. verba illa explicans, tertius in meo regno erit, ait, tristatas his verbis indicari, qui vel tertius à rege sit vel vnus è tribus primis principibus, at in Ezech. 23 distinctius ait quod tristata apud græcos significat secundũ gradum post regiam dignitatem, quod tres essent, qui in secundo gradu à rege, principesque principum essent, ac inter se pares: sic autem Oleast. de hac difficultate loquitur, dictio Hebraica salis à salos, quod est tres ortum habet, inuenitur tamen ducem significare 2. Reg. & respondit hasalis, id est, dux super cuius manum innitebatur Rex, putarem tamen inquit non quemcumque triarium, quem aliqui putant à Rege tertium, sed melius videtur eum esse qui curabat partem populi seu exercitus: addit Cajetanus vertit & terni super omnem eum scilicet currum, quasi quisque curruum portaret tres, aut & duces super omnem ipsum, qui scilicet gubernarent currum, & videtur simplicior sensus: male hic in textu Latino trecentos legit Eugubinus, & vero dubito an vllis in codicibus ea exter lectio: vbi habemus omnem populum, in Hebræo non est dictio *omnem* sed tantum עמו ammo, idest, populum suum, habent tamen eam Septuag. καὶ πάντα τὸν λαὸν αὐτοῦ.

Ezechiel.

Daniel. 5.

Hieronym.

1. Reg.

Oleaster.

## EXPOSITIO.

*Tulit ergo currum*, præcepit ministris vt illico currus suus iungeretur, *Et omnem populum suum assumpsit secum.* Numerum explicat Iosephus, nempe equitum quinquaginta millia, & ducenta millia peditum scutatorum: in carmine Ezechiel. poeta. Ezechieli poetæ recēsentur virorum fortium Myriades centum seu decies centenamillia, probabile est collectum fuisse quicquid subito conuocari potuit, cum sciret Pharao Hebræos esse in longe maximo numero, eique pugnam fore cum desperatis, qui pro vita simul ac libertate dimicaturi sunt, nullamque haberent aliam euadendi spem præter victoriam, idque ob montium ac solitudinis impedimenta, ac maris post terga, obiectum.

*Tulit sexcentos currus electos.* Olim enim in curribus falcatis & in aliis curribus depugnabant, currus enim sua falce demetebat homines, animalia, segetes, milites vero in ipsis curribus præliantes ferebantur, & decurrebant in hostem. anti- A quissimi & primi currus de quibus legimus, sunt illi Pharaonis, Ægyptii in eorum vsu speciatim excellebant; videtur ad curruum Ægypti elegantiam respexisse Salomon, cum de sponso scribit, equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea, Cantic. *Et quicquid in Ægypto curruũ fuit*, idest præter illos sexcētos optimos quoscumque alios potuit colligere. Septuag. habent & omnem equitatum Ægyptiorum, quos quinquaginta millia ex Iosepho diximus fuisse, sed si omnia iumenta & pecora in Ægypto, grandine & peste consumpta fuere, quomodo tot equi reperiri potuerunt? dicendum quod quæ in agris erant, periere grandine, equi autem & pecora, quæ in stabulis seruabantur illæsa mansere. *& duces totius exercitus*, hos duces aliqui præfectos intelligunt, Caldeus viros fortissimos habet, non enim dubium quin duces, ex fortissi- B mis fuere & in arte militari periti.

## CONCEPTVS.

*Populus sequitur libentius regem in peccatis, quam in bonis actionibus.*

41 *Tulit currum suum & omnem populum suum.* Pharao audiens Iudæos montibus & mari coarctatos, vocauit regni sui maiores natu omnesque duces & bellatores suos, quibus dixit cogitationem suam esse, velle omnes Israelitas iterum suo subiugare imperio, aut eos penitus exterminare & de superficie terræ delere tanquam coniuratissimos hostes, & totius Ægypti spoliatores. quod inceptum cum omnibus placuisset, C statim duces dinumerauerunt, & inscripserunt totius Ægypti viros ad belli expeditionem aptissimos, eosque omnes conscriptos exacerbauerũt, citarunt & lacessiuerunt ad pugnam aduersus Iudæos, affirmantes ipsos esse intensissimos hostes, imo totius Ægypti grassatores, populatores & deprædatores, quos aperto marte debent persequi, & de omnibus elapsis & susceptis damnis, vlcisci, maximè, cum eos animaduertant in solitudine errare, & ex omni parte conclusos esse. ideo confidentes in numerosis & ordinatis sexcētis curribus electis, & in multitudine armorum innumerabili, Israelitas cum tanto furore & liuore persecuti sunt, vt actum videretur esse de omni Israelitarum gente, *tulit enim currum suum* inquit textus, *& omnem populum secum*, quid ô popule! nonne satis experimento didicisti quam grauis est manus Dei Hebræorum protectoris? anè memoria excidit mors primogenitorum vestrorum? nonne qui omnes primogenitos interfecit, potens est & vniuersam Ægyptum delere? cur ergo ita libenter vestrum principem Dei mandatis rebellem sequimini? quia populus libentius regem sequitur in prauis quam in bonis Oleaster. operibus, sic Oleast. *Sequitur populus regem non solum in bonis: sed etiam in malis, sed etiam in peccatis.* hæc regia Alphonsi regis mens. *Sunt* inquit *heliotropium ad motum solis vertitur: sic populus in principum mores vertitur, illique conformatur.*

*Diabolus, tum duriora apponit certamina, cum quis morti proximus est.* 42

*Tulit currum suum & omnem populum suum*, Ecce vndique bellatores aduocat, currus armatos congregat, equitum peditumque innumeram multitudinem concitat, vt his viribus stipatus populum Israel persequatur & deleat; cur potentiore apparatu & vehementiore exercitu, insecutus est ex Ægypto exeuntes quam in eo commorantes? si per Pharaonem, dæmonem intelligimus, facilis responsio erit, nempe quod sicut Rex Ægyptiorum filios Israel, in numerosiori militum copia persequitur, cum ab Ægypto discedunt, quam cum illius incolæ erant: sic dæmon, exeuntem ex hoc Ægypti mundo id est, morientem, acrius affligit, vrget, premit, persequitur, quam incolumem, tunc duriora apponit certamina, tunc arctius illum constringit, tunc vehementius oppugnat quanto ambiguissimum tempus sibi ad vincendum videt remansisse, cognoscit siquidem post mortem nullum esse pugnæ locum, ac proinde tunc omnes suas expandit vires, vt illum in sui deditionem cogat venire, hoc fatetur Dauid Psalm. 55. quando ait, ipsi calcaneum meum Psal. 55. obseruabunt, calcaneum nostrum ipsi dæmones obseruant, cum morti nostræ insidiantur: & rectissime vitæ nostræ præsentis terminus calcaneo comparatur, quoniam hunc à tergo portamus, & vix illum, aut raro conspicimus, nihil est autem quod magis oculos nostros effugiat, quam mors, de qua rarissimè cogitamus. hunc calcaneum maligni spiritus obseruant, quia circa finem vitæ præsentis, nos supplantare conantur, sciunt enim Deum non tām considerare qualia quisque habuerit initia aut media, quam nouissima, & hac de causa non solum peccatores, sed

etiam iustos acrius in morte inuadunt, quod sciant tunc de tota salute hominis agi: testis locupletissimus nobis erit Martinus teste Seuero Sulpitio lib. 2. de transitu S. Martini, cuius morti adstitit Dæmon, obseruans, an aliquid in illo moriente inuenire posset criminosum, cui sanctus confidenter dixit. *Quid tu hic adstas cruenta bestia? nihil in me funesti reperies, Abrahæ sinus me recipiet.* D. Cyrill Episc. Hierosol. describens piissimi viri Eusebii Cremonensis discipuli obitum, multa non minus vera quam mirabilia narrat, sicut constat apud D. August. epist. 19. Cyrill. ad August. *Adueniente, inquit, die quo venerabilis Eusebius ab Hyeronimi anima se moriturum sciebat, die tertia praeunte languore febrium concussus valdè, se super terram nudum deferri commendauit, & triduo mutus & cæcus iacuit, circumstantibus psallentibus, & legentibus psalterium, passionem Domini & alia sacra: die autem quo ex hoc sæculo migraturus duorum horarum spatio tam terribilis actus cœpit peragere, quod circumstantes monachi pauore perterriti, velut amentes in terra iacebant, nam quandoque transuersis oculis, manibus simul iunctis facie terribili, voceque dira, quasi cadens clamabat, non faciam, non faciam, mentiris, mentiris, post hac ad terram rediens, faciem in terram firmebat quantū potuit, clamans, adiunate me fratres mei, ne peream: quod Monachi videntes, lachrymātes & tremētes cum interrogauerunt, quid habes pater? ad quos ille, non videtis dæmonum agmina, quæ me debellare cupiunt? & illi, quid te facturum volebant, cum dicebas non faciam, non faciam? at ille, conantur vt diuini nominis blasphemus inueniar, & ideo me hoc non facere clamabam: & illi, quare faciem tuam abscondebas in terram? & ille, ne eorum aspectum cernerem, qui tam turpis & terribilis est, quod omnes pene formidines, quæ in mundo sunt respectu eius, nihil sunt.*

Seuerus Sulpicius. S. Cyrill. Hierosol. August.

## *Malitiæ rotæ, sæuitia, impatientia, audacia, impudentia.*

44 *Tulit currum suum & omnem populum, &c. & constituit duces*, alii *præfectos*. Plures ergo sub se habuit duces qui singuli singulis curribus vehebantur: sed quinam sunt illi regis Ægyptiorum principes siue præfecti, & quo nomine rotæ curruum in quibus vehuntur, appellantur? S. Bernard. Serm. 39. in cātic. Vis ne inquit vt aliquos de principibus Pharaonis propriis tibi designem nominibus, & de curribus describam, instar quorum quoque alios, si qui sunt per te ipsum valeas inuenire? magnus quidē princeps spiritualis atque inuisibilis regis Ægypti, profecto malitia est, magnus luxuria, magnus auaritia. Et hi quidē possident terminos suos sub rege suo, sicut sui cuique assignati: nam malitia in omnem regionem maleficiorum, & facinorum dominatur: sed quales quæso principibus Pharao præparauerit currus, ad persequēdum populum Dei? habet namque malitia currum suum, sed cum quilibet currus constet quatuor rotis, duobus saltem equis & duobus aurigis, quænam sunt rotæ currus malitiæ? quibus equis vehitur? & quinam eam ducunt aurigæ? eruditè hoc exprimit mellifluus doctor, *Habet malitia currum suum rotis quatuor consistentem, sæuitia, impatientia, audacia,*

S. Bernard.

A *impudentia, valde est enim velox currus iste ad effundendum sanguinem, qui nec innocentia sistitur, nec patientia retardatur, nec timore frenatur, nec inhibetur pudore: trahitur autem duobus admodum pernicibus equis, & ad omnē perniciem paratissimus terrena potentia, & sæculari pompa: tunc namque quadriga malitiæ curris velociter, cum hinc quidē potentiæ affectus subest eius malitiosis adimplendis conatibus, inde plausus pompæ arridet perpetratis sceleribus, vt sermo impleatur qui scriptus est Psalm. 9. quoniā laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur: porro præsidēt duo eius equis his aurigæ duo, tumor & liuor, & tumor quidem pompam, liuor vero potētiam agit, is enim rapido fertur diabolicarum amore pomparum, cuius apud se cor prius intumuit: nam quod in se firmiter stat, timore compressum, grauitate modestum, humilitate solidum, puritate sanum, aura huius vanitatis nequaquam leuiter rapietur, ita terrenæ iumentum potentiæ nonne inuidia agitur, &* Psal. 9.

B *quasi quibusdam liuoris vrgetur hinc inde calcaribus, suspicione, vtique decedendi, & metu succumbendi? aliud esse enim quod suspectus est successor, & aliud quod timetur inuasor, his itaque stimulis terrena potentia continuo agitatur, & currus malitiæ quidem sic se habet.*

## *Currus luxuriæ rotæ, ingluuies, libido, mollities, desidia.*

*Tulit currum suum, &c. nec non sexcentos alios, quibus præfecit duces*, vnum ex principibus siue ducibus Pharaonis, vidimus malitiam, rotas, equos, aurigas sui currus annotauimus, ecce alius princeps constituitur, nempe luxuria, quo omni immunditiæ & turpitudini carnis præest: sed cum maximo principatu gaudeat, non enim vix est qui se à calore eius abscondat; nemini dubium erit quod etiam currum suum, quo vehatur habeat, at non sine rotis voluitur, non enim 45

C luxuria multum dominaretur, ni adminicula quibus foueretur, haberet: sed quibusnā rotis vehitur currus eius? consulamus B. Bernard. *Luxuriæ currus quadriga voluitur vitiorū, ingluuie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie vestium, otii corporisque resolutione: trahitur equis duobus, prosperitate vitæ, & rerum abundantia, & qui his præsident duo, ignauiæ torpor & infida securitas, quia & copia in ignauiam & secundum scripturam prouerb. 1. prosperitas stultorum perdet illos, non sanè ob aliud, nisi quoniam malè securos reddat: cum autem dixerint pax & securitas, tunc subitaneus superueniet eis interitus, hi calcaria minimè habent neque flagella, vel aliquid huiusmodi: sed pro his vtuntur paruulo papilione, conopæo ad faciendam vmbram, & flabello ad excitandum ventum: porro conopæum dissimulatio est vmbram faciens, & protegens ab æstu curarū, proprium namque est mollis & delicatæ animæ, etiam necessarias dissimulare curas, & ne æstuantes sentiat, sollicitudines sub latibulo dissimulationis abscōdit in flabellū vero effusio est ventum adulationis apportans, largi enim sunt luxuriosi ementes auro ventum de ore adulatorum.* S. Bernard. 1. Thess. 5.

D

## *Currus auaritiæ rotæ, pusillanimitas inhumanitas, contemptus Dei, mortis obliuio.*

*Tulit currum suum nec non sexcentos alios,* Quibus 46

duces præfecit quisnam dux tertius principis A Ægyptiorum? auaritia est, an habet dominium in plures rapinæ & fraudis sortita est principatum. sed qualis à Pharaone datus est ei currus ad persequendum populum Dei? quibus rotis constat ille currus, quibusque quadrigis? itane nobilis auaritia (vitium sane abiectissimum & vilissimum) vt vehatur curru? nonne pedes potest iter facere? currum habet & hunc etiam quatuor rotis constantem: quænam sunt illius rotæ? vitia quatuor nẽpe pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis obliuio, sic noster Bonau. in Psal. 19. qui sic prosequitur, *Porro duo sunt* Noster Bonau. *equi tenacitas & rapacitas, & his vnus*, inquit, *Auriga ambobus præsidet, habendi ardor: sola namque auaritia, quoniam plures conducere non patitur, vno contenta est seruitore, ipse vero iuncti operis promptus admodum atque infatigabilis executor vrgendis sane iumentis trahentibus, flagris vtitur acerrimis, libidine acquirendi, & metu amittendi* proh quam velociter voluuntur rotastæ? quam celeriter ad exitum currit, qui curru isto trahitur, qui rerum terrenarum gyris circumfertur, & sæcularium negotiolum vertiginibus abripitur?

*Nihil in rebus humanis stabile nec firmum, & hoc maximè ex Ecclesia addiscendum.*

46 *Tulit currum suum, nec non sexcentos alios currus,* Præterquam quod apud omnes penè gentes, currus in prælis vsurpabantur; sed Ægyptii in eorum vsu speciatim excellebãt, vnde Salomoni 1. Reg. 10. dicitur aduectas ex Ægypto quadrigas bellicas, scilicet & quidem 600. siclis, & equos siclis 15. similiter Iudæi vltimus regũ suorũ temporibus, quoties ab Assyriis præmebantur vel Caldæis, speciatim ad Ægyptios reges confugiebant pro auxilio, confisi in eorum curribus & equis: hinc apud Hierem. exprobratoriæ illæ comminationes cap. 3 Ægyptus homo & non Ieremi. 3. Deus, equi eius caro, & non spiritus. & apud Isai. 30 Isai. cap. 30. quia dixistis ad equos confugiemus, ideo fugietis, & super veloces ascendemus, ideo velociores erunt qui vos persequentur. magna igitur curruum erat copia in Ægypto, hisque in tantum delectabatur, vt etiam his & rotis tanquam Symbolis in templis vterentur, teste Clemente Alex. lib. 5 strom, qui hoc aperte habet. Dionysius Thrax, inquit, grãmaticus in lib. de declaratione Symb. de rotulis dicit his verbis: Significabant autem non per verba solum sed etiam per Symbola, nonnulli, actiones quæ dicuntur præcepta Delphica, nihil nimis, & nosce teipsum, per symbola autem, vt & rota quæ vertitur in deorum templis, quæ tracta est ab Ægyptiis. En vt ex testimonio Clemẽtis ita delectabantur Ægyptii, vt etiam currus in templis haberent? sed cum templis currus & rotas habent? vt hoc signo tanquam hieroglyfico indicarent in rebus humanis nihil firmum & stabile esse, sed omnia ad modum rotæ volui: nec abs re est, quod rota hæc in templis volueretur, per illud enim monemur in templis maximè rerum terrenarum instabilitatem discendam esse, & in Dei Ecclesia hoc nos vtilitatis consequi debere, vt præsentia negligamus, eorum vertiginem alte voluentes. sic enim B. Ambros. lib. de Abrah. *Bona* S. Ambros. *huius seculi instabilia sunt, & rotarum in morem, cum ipso sæculo voluuntur.*

*Repetita scelera grauius puniuntur.*

*Tulit currum suum nec non sexcentos alios currus,* 47
Quibus fortior factus, populum Dei persequetetur; sed cui infausta illa persecutio? an Israeli B an principi Ægyptiorum Pharaoni, nec non exercitui suo, qui in aquis vltimum dedere supplicium? sed quomodo cui condonatum erat, nunc pœna finali plectitur? nonne ab obedientia Dei qua dimiserat populum Israel relapsus est in inobedientiam? quid mirum igitur si cum illo malè agitur? qui enim resipiscũt à sceleribus, & mox in eadem relabuntur, grauiter puniuntur. nouissima, inquit Dominus, fiunt peiora prioribus, Dæmon enim rediens in priorem suam domum, adducit secum septem alios dæmones se multo peiores: satius fuisset illis nõ agnouisse viam iustitiæ, quam vbi cognouerunt conuerti ab eo quod illis traditum fuerat sancto præcepto; verum accidit id quod vero prouerbio dici solet, canis reuersus ad suum ipsius vomitum, & sus lota reuersa est ad volutabrum cœni: & ita quid mirum si deinde grauiter pu- C niantur? sitque rectè concludit Oleast. *Grauiora* Oleaster. *sunt scelera repetita, ideo grauius punienda.*

*Tum plebeii, cum nobiles operi se arduo accingunt, facile ad idem mouentur.*

*Tulit currum suum nec non sexcentos alios currus,* 48
Quorum numerum etiam fideliter recenset Philo lib. 1. de vita Moysis: Assumpto inquit omni equitatu, iaculatoribus, funditoribus, sagittariis, velitibus & vniuersis leuis armaturæ militibus, sexcentisque falcatis curribus præfectis que huic expeditioni purpuratis, excurrit summa celeritate properans, vt fugientes improuisos opprimeret: sed cur purpuratos huic expeditioni præfecit? an solum vt militibus imperarent? an solum vt eos ad debellandum Israelem ducerent? D an Philo, *Quo alacrius cæteri sine detrectatione* Philo. *militiam sequerentur*: & rectè. facile enim plebeii se arduo operi accingunt, cum nobiles eos in ipso præire intuentur.



*VARIETAS LECT. Vers. 8.*

*Vulg.* Indurauitque Dominus cor Pharaonis regis, Ægypti, & persecutus est filios Israel, & illi egressi erant in manu excelsa.

*Cald.* Secutus est post filios Israel, filii autem Israel egrediebantur discooperto capite.

*Onk.* Egrediebantur capite aperto.

*Pagni.* Roborauit Dominus cor Pharaoh regis Ægypti.

*Vatab.* Fortificauit Dominus cor Pharaoh.

CONCOR-

## CONCORDIA.

VBi habemus in manus excelſa, quod etiam A eſt in Hebræo ביד רמה beiad rama, Cald. legit, egreſſi ſunt palam, non clam vt faciunt fugitiui, vel egreſſi ſunt animosè, alacriter, nihil ſibi timentes, qui fugiunt & timent ſibi caput & faciem obuelant, abſcondunt, inuoluunt deprimunt, vt non agnoſcantur: qui vero animoſi ſunt læti & hilares, nihilque timentes erecto capite apertaque facie incedunt, & ſic hæc verba poſſunt etiam ad animoſitatem, audaciam, & hilaritatem referri, manus enim eleuant, qui læti, alacres & hilares ſunt.

## EXPOSITIO.

INduravit Dominus cor Pharaonis. Conſule quæ à nobis ſuperius dicta ſunt de induratione, *& perſecutus eſt filios Iſrael*, vel vt eos internecione deleret, vel vt ad ſeruitutem & hanc duriorem iterum reduceret, *at illi egreſſi erant in manu excelſa*, videtur quod hæc particula *at* non rectè ſententiam conuertat, & ſic ponitur pro etiamſi vt ſenſus ſit, Pharaonem eos B perſecutum fuiſſe, etiamſi, ſeu non obſtante, quod egreſſi eſſent in manu excelſa & inſigni apparatu: in manu autem excelſa, ideſt, opere ſeu modo mirabili, vt manus pro opere, excelſum autem pro mirabili ponatur, vel ſit metaphorica alluſio ad ea quæ manu excelſa portantur, hæc enim ab aliis lædi minimè poſſunt, vel auferri.

## CONCEPTVS.

### *Populi Hebræi Deum oraturi, hilaritas & lætitia.*

49 *INduravit cor Pharaonis at illi egreſſi erant in manu excelſa*, Cald. *egrediebantur capite diſcooperto*, Onke. *capite aperto.* Quid refert ad regreſſum populi Iſrael, quod fuerit capite diſcooperto? nam ad faciliorem nihil refert: aduerte caput coopertum, ſignum triſtitiæ fuiſſe, vt patet ex Dauid. c. 13. verſ. 32. Eſther 6. verſ. 12. (Ester 6.) reuerſus eſt Mardochæus ad ianuam palatii & Aman feſtinauit ire in domum ſuam lugens & operto capite: inter omnes enim ferè gentes in more receptum fuit, in ſummo dolore & mærore caput faciemque obuelare, oculos deprimere, vel claudere; quaſi vel ipſam ſolis communē lucem pudor eſſet intueri: Dauid Hebræi populi moderator, Abſalonem fugiens inceſſit nudis pedibus, & facie velata, intimam animi triſtitiam indicās, Ezechiel imminente triſtiſſima populi ſui ſub captiuitate iubetur facie velata incedere, Ieremias cap. 4. refert iuniores miſſos à ſenioribus vt haurirent aquam, non inuentam rediiſſe opertis capitibus, imo hodie in funeribus amicorum & virorum præſtantium, veſtes ſumuntur lugubres, quibus facies & oculi teguntur: ſicut ergo caput coopertum triſtitiæ ſignum eſt, ita & apertum, lætitiæ, vt vidimus in concordia: ſed vnde quæſo hęc lętitia oriebatur? forte ex eo quod ad orationem ibant, iuxta illud, *ibimus viam trium dierum in ſolitudinem vt immolemus Domino Deo noſtro*, ſed quare viam trium dierum appellant, quæ fuit 40. annorum? quia tantam ex familiaritate, cum Deo lętitiam habebant, vt viam alioqui longam & difficilem, nonne ſi breuem ac facilem iudicarent.

### *Nihil niſi peccatum inuerecundum & confuſionem pariens.*

50 *Induravit Dominus cor Pharaonis, at eduxit eos in manu excelſa*, Cald. *filii Iſrael egrediebantur in capite diſcooperto.* Loquitur communi modo de eo qui nihil timet reprehenſione dignum, nam qui nihil indignum commiſit coram omnibus capite diſcooperto vel vultu aperto incedit, ideſt, nihil illi poteſt obiici, quod confuſionem adducat, vel verecundiam pariat; ſed quomodo in filiis Iſrael hoc locum habere poteſt? nam quot opprobria in Ægypto ſuſtinuerunt? nonne graui & intolerabili ſeruitute oppreſſi? nonne miniſteriis abiectiſſimis & viliſſimis in Ægypto occupati? quomodo ergo ex his omnibus non verecundantur, non confunduntur, cum nobilem pudeat vili ſeruitio occupari? quomodo ergo capite diſcooperto egrediūtur? quia ſeruire etiā in vilibus non indecorū, dummodo peccato non contamineris, illud enim eſt quod in dedecus confuſionē, & verecundiam inducit, vnde S. Thomas. 2. 2. (S.Thc) quęſt. 144. art. 3. inquirit vtrum in virtuoſis hominibus poſsit eſſe verecundia, reſpondet, *ſenes & virtuoſi carent verecundia, ſunt tamen ſic diſpoſiti, vt ſi in iis aliquid eſſet turpe de hoc verecundarentur*, ſi quid turpe commiſeris, ſi in aliquo deliqueris, obuoluto capite incede & licet in vilibus miniſteriis ſeruieris, non confundaris, *dummodo*, inquit S. Bruno ſerm. 2. de ramis pal- (S.Bruno. Chart.) marum, *ſeruilia opera non egeris, quæ faciunt homines ſeruos, nempe ea quæ dicit Propheta non occides non mœchaberis, &c.*

### *Incaſſum eſt omne quod quis molitur aduerſus eos quos Deus protegendos ſuſcipit.*

*Induravit Dominus cor Pharaonis, & eduxit Dominus eos in manu excelſa.* Sed cur annumeratis 51 tot curribus falcatis, tot (vt habet hiſtoria ſcholas) millibus hominum bellatorum, tam copioſo equitatu, vt legunt Septuag. tot ducibus conſtitutis, qui præerant exercitui, cur, inquam omnibus his recenſitis, ad debellandum Iſraelem, ſubiungit Moyſes illum egreſſum in manu ex-

celsa? ad denotandum quod incassum foret, quicquid moliretur Pharao, & exercitus aduersus Israelem, cum manu excelsa protegeretur: alludit enim fortè ad ea quæ manu excelsa portantur: hæc enim ab aliis minimè lædi possunt, eo sensu, quo Deus dicitur altum posuisse refugium suum. ex Hebræo tulisse in alis aquilarum quasi eleuatos in sublime, ita vt ea quæ in terris sunt eos minimè lædere possint: auget huius metaphoræ emphasim, quod hic sit sermo de manu Dei, ea enim quos in sui tutelam & protectionem suscipit, non solum hinc subducit ad modicam altitudinem, vt sint immunes ab iniuriis plebeiorum vel minorum principum, sed ad cœlos vsque, & ad liberationem ab omnibus aduersariis etiam potentissimis: cui rei inseruit quod dixit B. Iob. cap. 17. pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me, quodque Ioanni exhibitum est de mulieris paruulo Draconis faucibus erepto & deducto vsque ad thronum Dei Apocal. 12. hæc dixerim, ex Oleast. *Ex manu excelsa ad quam nullus potest attingere, metaphora videtur sumpta ab eo qui aliquid manu eleuata portat, ad quam nemo potest attingere, vt ab eo quod tenet auferat*, & in morali *nemo potest attingere pios & iustos quos Deus manu sua tenet.*

Iob. 17.

Oleaster.

### *Deus pro suis manus erigit, percussurus aduersarios.*

52 *Indurauit Dominus cor Pharaonis, at eduxit eos Dominus in manu excelsa.* Cur in manu excelsa eduxisse eos dicitur? nonne satis erat protulisse, quod Dominus eos eduxerit? nam quid magis emphaticum potest efferri? sed merito manum illius excelsam addidit, vt denotaret Deum pro suis manum erigere aduersarios percutiendi gratia: est enim manus excelsa signum paratæ percussionis: qui enim vult percutere manum erigit & eleuat, & quidem tanto excelsius, quanto intendit percutere vehementius: atque ita significari potest hic Deus ita eduxisse Hebræos, vt simul, excussurus sit paulo post omnes eorum aduersarios: quæ metaphora etiam in Deo emphasim habet, notatque percussionem à Deo vehementem & mirabilem vt potentia Dei per eam manifestetur: sic etiam obseruat Lusitanus. *In manu excelsa, id est, eleuata ad percutiendum aduersarios, quæ omnibus excelsior & fortior.*

Lusitan.

### *Obsequium impiorum coactum tamdiu durat quamdiu plagarum sensus.*

53 *Indurauit Dominus cor Pharaonis & persecutus est filios Israel.* Nonne à paucis diebus audiui te dicentem Israelitis vt sacrificaturi Domino in solitudinem discederent è regno tuo? nonne te Deo obtemperantem agnoui, cum quod iusserat adimpleiti? quomodo ergo infidus, eos quos dimisisti persequeris? reuoca in mentem morte primogenitorum Ægypti percussum, ne simile mortis genus incurreret, populum dimisisse? quid mirum igitur si hoc metu superato, ad vomitum redeat? obsequium enim impiorum coactum tamdiu durat, quamdiu flagelli dolor & memoria; hoc ita annotauit Lippom. *Pharaonis coactum obsequium, & omnium impiorum timor, seruilis inordinatus non durat diutius quam sensus plagarum.*

Lippom.

### *Qui sub Dei protectione, ouans exultat.*

*Indurauit Dominus cor Pharaonis & persecutus est eos, at ille eduxit eos in manu excelsa*, Caldæ. 54
*discooperto capite.* Idest palam, audacter, confidenter, sine vllo metu, & pudore, enimuero qui metuit, aut ille quem alicuius facti pudet, vt diximus, caput obuelare solet, ne aut deprehendatur in facto, ne aut agnoscatur in vultu: quem ignominia male perfudit, sic fugitans præ pudore & metu caput obtegit: contra vero qui nullius criminis est conscius, nihilque habet de quo verecundetur, aperta facie incedit: sed qui faciem depressam & vultum contectum habet, quomodo eriget? sanè si in Deo verè confidat: tunc enim ouans exultabit sicut filii egredientes ex Ægypto: expertus ita loquitur Dauid Psal. 3. tu autem Domine susceptor meus, gloria mea, & exaltans caput meum, quæ sic declarat Sanctus Basilius. *Neque enim de regno & potentia præsumo, sed te meam gloriam esse credo, eo quod breui per dexteram tuam sum exaltandus.* Pulchrè adiungit, *exaltans caput meum*, idest lætum, me & gestientem, atque ouantem efficiens, vt præ ingenti gaudio erectum & excelsum proferam vultum. Sic & Deus Hebræorum erexerat caput ex humiliatione & tyrannide quasi obiectum. egrediuntur enim alacres, & maximo perfusi gaudio.

Psal. 3.

S. Basilius.

### *Impius cito pœnitet boni quod fecerit.*

*Indurauit Dominus cor Pharaonis & persecutus est eos.* A quot diebus iussa Dei perficiens, populum dimisisti? sane à paucis liberam discedendi licentiam eis dedisti, te vidente, imo & tuis vrgentibus, egressi sunt: cur nunc igitur eos persequeris? quia impius cito pœnitet boni operis, quod fecerit: subscribunt Nissenus & Philo, vterque in lib. de vita Moysis, sic primus. *Cum iam Moyses tribus peragrasset diebus videt pœnitentia ductum hostem, cum magno exercitu, & instructissimo equitatu aduersus se pugnare*: secundus autem lib. 1. *iam missionis pœnitens rex Ægyptiorum statuit eos persequi, aut metu retracturus in seruitutem, aut internecione deleturus gentem profugam.* pende in vtroque verbum, *pœnitendi*, nescit enim impius diu in incœpto bono opere permanere. 55

S. Greg. Nissen.

### *Indurata est malitia peccatorum.*

*Indurauit Dominus cor Pharaonis & persecutus est eos.* Quo pertinet illud Sapientis c. 19. adhuc inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, etiam aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ, & quos rogantes proiecerant, hos tanquam fugitiuos persequuntur. cur obseruat Sapiens quod in monumentis mortuorum primogenitos interfectos deflentes, tunc apud se statuerunt persequi, quos dimiserant Hebræos? quam credis duritiem, quæso, non emollit memoria mortis? quæ nam mens obstinata non frangitur viso suorum monumento? quomodo ergo cum adhuc in monumentis, infœlicem suorum sortem gemerent, quos rogantes proiecerant, tanquam fugitiuos persequuntur? in hoc sanè, inueteratissima Hebræorum 56

Sapiens.

malitia agnoscitur, qui nec moueri potuerunt ex A suorum funeribus, quin ad vomitum redirent: tauet Holkotius lect. 206. in lib. Sapientiæ. *Quod ita recenter cum adhuc erant occupati circa luctum & sepulturam suorum mortuorum, redierunt ad exercendam malitiã & iniuriam in Hebræos, & persequendo, volentes eos reuocare satis ostendit malitiam eorum satis induratam fuisse & eos de bene actis non de culpis pœnitere.*

Holkotius.

*Prorsus à iudicio alienus, qui præsente suorum funere ad bene agendum non mouetur.*

57 *Indurauit Dominus cor Pharaonis & persecutus est eos.* Quo vt diximus spectabat Sapiens, cum dixit adhuc inter manus habentes luctum & deplorãtes ad monumenta mortuorum aliam sibi assumpserunt cogitationem insipientiæ, & quos rogantes proiecerant, hos tamen tanquam fugitiuos persecuntur. nonne satis erat in illis, aliam sibi assumpserunt cogitationem non addito nomine *insipientiæ*? & quid? nonne dixerat quod adhuc in monumentis mortuorum suorum infelicem exitum lachrymabantur? quam bene ergo aliam dixit fuisse cogitationem non quamcumque, sed insipientiæ, eam, qua iterum persecuti sunt eos, quos rogantes dimiserant, ille enim prorsus à iudicio alienus, qui præsente suorum funere, ad bene agendum non mouetur: ecce quam fatui fuerunt Ægyptii adhuc inter manus suorum funera habentes aliam sibi assumpserunt cogitationem, & sic facti sunt insipientes & stulti.



## *VARIETAS LECT. Vers. 9. & 10.*

*Vulg.* Cumque persequerentur Ægyptii ve- B stigia præcedentiũ, repererunt eos in castris super mare omnis equitatus & currus Pharaonis & vniuersus exercitus erant in Phihairoth contra Beelsephon.

*Septuag.* Et persecuti sunt Ægyptii post eos, & inuenerunt eos castrametatos iuxta mare, & omnis equitatus, & currus Pharaonis, & equites, & exercitus eius è regione suburbii contra Beelsephon.

*Cald.* Et secuti sunt Ægyptii post eos, & comprehenderunt eos castrametantes super mare, omnesque equi curruum erant super Phihairoth.

*Arias.* Et vniuersa virtus eius erant in Phihairoth.

*Vulg.* Cumque appropinquasset Pharao, leuantes filii Israel oculos viderunt Ægyptios post se, & timuerunt valdè clamaueruntque ad Dominum.

*Sept.* Et Pharao accessit, & respicientes filii Israel oculis vident, & Ægyptii castrametati sunt post eos.

*Cald.* Et ecce Ægyptii mouebantur post eos.

*Pag.* Et ecce Ægyptii proficiscebantur post eos

## *CONCORDIA.*

IDem est apud Hebræos אחריהם acharehem C post eos, & apud Vulg. vestigia præcedentiũ. & idem, comprehenderunt eos castrametatos, seu castrametantes iuxta mare, & repererunt eos in castris super mare: quoniam autem Septuag. reddiderunt è regione suburbii, vbi habemus è regione Phihairoth, legenda est concordia versus primi, habemus viderunt Ægyptios post se, sed ex Hebræo diuersimode legitur, nempe & ecce Ægyptus proficiscebatur seu pergebat post eos; sed licet diuersa sint verba, idem tamen est sensus.

## EXPOSITIO.

C*Vmque persequerentur Ægyptii vestigia præcedentium.* Quæ vel ex aliis terræ habitatoribus quærebant, vel ipsi facile obseruare poterant, ex multitudine eorum qui profecti sunt eadem via, *repererunt eos in castris iuxta mare*, quia Hebræi lento gressu mouebantur ad motum nubis. Ægy- D ptii autem velocissimè ideo adhuc eos castrametatos inuenerunt è regione Phihairoth, *cumque appropinquasset Pharao*, nihil tale cogitantes volens intercipere, *leuantes filii Israel oculos*, ab ea parte qua veniebat exercitus Pharaonis, *timuerunt valde*, non enim erant assueti bello & gladiis, sed oneribus & iugo, esto essent sexcenta millia armatorum, sic enim centum millia rusticorum facilè à decem millibus exercitatorum militum conficiuntur; *clamaueruntque ad Dominum*, potest hoc accipi vt re vera aliqui meliores ad Deum per orationes recurrerint, fiducia de Dei auxilio concepta atque adeo aliorum fuerint illæ murmurationes quæ subiiciuntur versu sequenti, vel eorumdem hæ preces & murmurationes fuerint, sed vicissim vt facile fit in magno timore, vt primo quis ad Deum recurrat, postea mutata voluntate & desperatione concepta, in murmurationes, verbaque indignationis & desperationis erumpat.

## CONCEPTVS.

*Cito immemores sumus diuini auxilii.*

V*Iderunt Ægyptios post se & timuerunt valde,* Quid? nonne paulo ante dictum fuerat quod egressi sunt filii Israel in manu excelsa; vel vt habet Cald. capite discooperto denotantes quanta cum lætitia & alacritate confisi in Domino egrediebantur, quomodo igitur nunc tanto

timore concutiuntur? nonne vobis adhuc præsens singulis diebus columna nubis? nonne singulis noctibus columna ignis? nonne in manu excelsa eduxit vos Dominus ex Ægypto? quid ergo vobis timendum? cur tanto timore percelluntur, quasi Deus vobis præsentis non adesset? quia talis est hominum conditio, vt ilico diuini beneficii sint immemores, *quantumlibet excelsa manu*, inquit Episcop. Metonens. Lippom. *Israelitæ exissent alacres & animosi, laudarentque Deum videntes beneficia, statim tamen visis Ægyptiis sequentibus, toti concidunt immemores diuini auxilii.*

### *In timore, enutritus virilem animum vix induit.*

59 *Viderunt Ægyptios post se & timuerunt valde.* Nonne sexcenta erant armatorum millia Israelitarum, vel saltem qui præliari poterant? quomodo ergo quasi animo omnino concidissent, viso exercitu Pharaonis, maximo percelluntur timore? cur potius obuiam ei non egrediuntur præliaturi? cur tanquã effœminatos & molles vos metus corripit, non autem ardor pugnandi? nonne sub tyrannide Pharaonis tanquam serui timidi fuere enutriti? quid mirum si nunc imbecilli & molles timore concutiũtur? qui enim à teneris annis metum ebiberit, vix postea virilem animum induit, subscribit Abenesrah. Abenezrah. *Ij non fuerunt assueti rebus bellicis, & præterea fuerant à iuuentute tyrannide oppressi ac sub metu regis enutriti, quæ omnia illis ademerant virilem animum.*

### *Vult Deus vt sibi & non viribus nostris confidamus.*

60 *Viderunt Ægyptios post se & timuerunt valde.* Miror quomodo populum sibi eligens, ita mollem & effœminatum susceperit? nam quis princeps nollet subditos habere generosos, & virilis animi? quis princeps si daretur sibi optio, vel regere exercitum timidum & pusillanimem, vel fortem & bellicosum, hunc primo deligens, alterum non admitteret? cur ergo Deus electurus populum, mollem & nullius animi suscipit? vt non suis viribus sed soli Deo confidere sciret, obseruatio Hierony. ab Oleastro. Oleast. *Credo Deum eos tales elegisse vt non sibi ipsis sed ei soli fiderent, quales vult omnes seruos suos qui nihil sui animi habeant, sed Dei.*

### *Diabolus lynceos habet oculos, vt nos decipiat, lynceos habeamus, vt non decipiamur.*

61 *Viderunt post se Ægyptios, qui persequebantur vestigia præcedentium.* Nempe Israelitarum, an sine mysterio obseruatur à vulgato, quod Ægyptii sequebantur vestigia Israel? nonne sat bene versum fuisset ex Hebræo, sequebantur post eos, nulla vestigiorum mentione facta? emphatice vestigia addidit interpres, vt denotaret Diabolum, Pharaonem tartareum obseruare quælibet vestigia animæ exeuntis ab Ægypto, & pœnitentis, omnesque illius actiones diligenter explorare, sicubi forte aliquid suum deprehendat: aperto enim ostio rursus illabitur in animam, eamque tanquam hamo apprehensam sibi subigit. ideo bonum est, vt obseruet etiam homo vestigia sua, diligenter attendat ne quid in eis sit, quod possit Diabolo accessum præbere; non tantum in itinere quod adhuc perficiendum superest, sed etiam in itinere quod iam exactum; nam quemadmodum nemo militi securitatem spondere potest ex vlla sui parte, & hostem tam oportet expectare aduersum, quam insequentem: ita etiam in militia nostra, non tantum per ea quæ adhuc agenda sunt, sed etiam per ea quæ facta sunt, insidiatur nobis aduersarius noster: vnde in Apocalypsi videbat Ioannes animalia coram throno Dei, quæ non solum ante, sed & retro plena sunt oculis: vt disceremus hoc Hieroglyfico, omnes qui coram Deo ambulant vndique etiam sibi prospicere debere, speciatim vero circa animi sui inclinationes, & frequentia desideria atque affectiones, hæc enim significantur per pedes, & vestigia, eo quod anima inclinationibus mouetur, sicut corpus pedibus, & ex iis vt in plurimum sumit Pharao tartareus opportunitatem quemlibet inuadendi, & persequendi, vnde sic nos monet Chrysost. lib. de sacerd. S. Chrysost. *Multa opus est diligentia, sexcentis etiam oculis, vt recte vndique humani sui animi habitum circumspicere possis.*

### *Cum nostras culpas agnoscimus, tunc verè dolemus.*

*Viderunt post se Ægyptios & timuerunt valde.* 62
Satis apertus sensus literalis, sed si ad altiorem recurramus, cur timuerunt post se respicientes? nonne aderat illis columna nubis per diem vt eos deduceret, & columna ignis in nocte, vt eos illuminaret? si ergo sub Dei speciali sunt protectione, quis metus eos comprehendere potest? aduerte lumine columnæ nempe ipsius Dei illustratos vt post se Ægyptios, nempe vitam præteritam & peccata commissa conspicerent: quid mirum si timore concutiuntur, cum enim culpas nostras vera cognitione intuemur, non possumus non timere, non dolere sensus est Rabani Mauri. Rabanus Maurus. *Tunc leuantes filii Israel oculos suos viderunt Ægyptios post se, quando auditores Euangelii præcedentis columnæ iam illuminatos oculos cordis habentes, respiciunt præteritos errores, in quibus fuerunt & conferentes veritati quam nouo nuntio audierunt, valde admirati sunt, commoti sunt tremor apprehendit eos, verum ibi dolores parturientis, id est non vani sed fructum afferentes gaudii sempiterni.* Psalm.

### *Non omnis clamor ad Deum, verus est clamor.*

*Viderunt post se Ægyptios & timuerunt valde,* 63
& quid inde? *clamauerunt ad Dominum.* Deum solum agnoscunt in imminenti necessitate posse sibi succurrere, & ideo Dei misericordiam pulsant clamoribus eius auxilium implorantes, sed in sequenti versu, quid continetur? detractio & murmur, contra Moysem quærimoniæ, quod eos eduxerit de Ægypto, vt in solitudine mortis causam præberet: nonne ad Deum clamauerunt? quomodo ergo ilico ad detractationẽ deuoluuntur? clamant equidẽ sed futilis eorum clamor, id est non ex puro corde nec ex vera procedens confidentia, mens est Cardin. Cajetan. Cardin. Cajet. *Quantum subinnuunt, inquit, fuit clamor potius vocis quam cordis, querula enim verba aduersus Moysem testantur minorem aut nullam eorum fiduciam fuisse in diuino præsidio.*

### *Mira rerum inconstantia & instabilitas.*

*Viderunt post se Ægyptios & timuerunt valde.* 64

Nonne illi sunt qui à quatuor aut quinque diebus egressi sunt ouantes, maxima perfusi lætitia, libertatem adepti, nec non spoliis auri & argenti Ægyptiorum onusti? quomodo nunc ita anxii, ita timore concussi, vt quasi de se actum esse sint? quomodo lætitiæ suæ tam modicus vsus? quomodo ilico gaudium versum est in amaritudinem? quia mira rerum humanarum vicissitudo & inconstantia, & infallibilis eius instabilitas: vnde optime S. August. in Psalm. 65. in illa verba, transiuimus per aquam & ignem. *Quando res sunt prospera & abundantia circumfluunt quasi aqua est*, en vt quælibet humana fœlicitas, quodlibet humanum gaudiũ, sicut aqua circumfluit, quid aqua velocius currit? probe similiter de hac rerum vicissitudine Philosophatur Greg. Nazianz. oratione 17. *Omnia facile in orbem feruntur atque in diuersum migrant, sibi inuicem aduersantia vt ventis tutius fides haberi videatur posse quam hominum fœlicitati.*

S. August. Psal. 65.

Greg. Nazianz.

*Terrena fœlicitas personata.*

*Viderunt post se Ægyptios & timuerunt valde*, 65
De salute desperantes, nonne fœlicissimum quis arbitrabatur populum Israel, cum libertate donatus, egressus est in manu Dei excelsa, auro & argento & omni profusa supellectili onustus possessurus terram lacte & melle manantem? quomodo ergo imminenti ilico obiicitur libertatis & vitæ discrimini? quomodo ex fœlici miserrimum euasurum ipsemet credit, & ex ditissimo pauperrimũ? vt notum tibi sit terrenam fœlicitatem omnino fucatam esse, quæ externa specie suos decipit amatores: vnde rectè Nicolaus S. Bernardi Notarius Epist. 6. ait. *Grata consolatio quam adulatio non extorsit, quam nescimit personata fœlicitas*, pende hęc vltima verba, *personata fœlicitas*, personam detrahe, & latentes fraudes, & obtrusam tibi ementita specie, & nomine infœlicitatem ipsam fœlicitatis vice, videbis.

Nicolaus Notarius Bernard.

## *VARIETAS LECT. Vers. 11.*

VVlg. Et dixerunt ad Moysen, forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine, quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Ægypto?

*Sept.* Eo quod non essent sepulchra in Ægypto, eduxisti nos, vt morti traderes in deserto, quid hoc fecisti nobis educens de Ægypto?

*Cald.* Nunquid, quia non erant sepulchra in Ægypto, tulisti nos vt moreremur in solitudine?

*Arias Mont.* An quod non sepulchra in Ægypto, cœpisti nos ad moriendum in deserto?

*Oleast.* An quod non, *vel* nunquid, quia non?

## CONCORDIA.

HEbraicè המבלי אין קברים hamibei en kebaim, nunquid non erant sepulchra? sed non rarum est apud Hebræos, vt duæ negationes mox se se consequantur, & tamen non efficiant vnam affirmationem: noster autem interpres forsitan non erant sepulchra in Ægypto, quibus sarcasmum satis mordaciter expressit, prout probabile est à Iudæis, eum, quantum ex sequentibus patebit, valde procacibus prolatum fuisse. Id enim de ingratis hominibus facile creditur.

## EXPOSITIO.

ET *dixerunt ad Moysen forsitan, &c.* Probabile hanc totam phrasim more scripturæ accipi debere, ita vt verbo plurali dicatur de toto populo, quod populi aliqua vel magna pars fuit, nam in tanto populo vt nullus, imo vt non multi manserint in spe liberationis, & adfuturi diuinitus auxilii, vix est probabile, *forsitan non erant sepulchra in Ægypto*, ironicè loquuntur, euadere posse desperantes, *ideo tulisti nos vt moreremur in deserto*, si moriendum erat satius fuisset mori in Ægypto: saltem sepulchra nobis fuissent ad cadauerum nostrorum requiem, quibus interfectis in deserto deerunt, belluarum carniuorarum voracitati obiecta: *quid hoc facere voluisti vt nos educeres de Ægypto?* cur in tantam calamitatem nos deiecisti, sub qua pereundum? & vitam in Ægypto licet miseram protraxissemus. Hanc enim anteponimus libertati quam consequuti sumus.

## CONCEPTVS.

*In tentatione quam facile plures deficiunt!*

DIxerunt ad Moysen forsitan non erant sepulchra in Ægypto, &c. En impatientissimi quasi desperatione laborantes, de suo conqueruntur saluatore, eum crudelitatis arguunt, quod eos adduxerit in desertum, vt morti exponeret! nonne Deus eos innumeris obstrinxit beneficiis? nonne Moyses plurima eis impendit obsequia? quomodo ergo in querimonias imo & in accusationes licet iniustas efferuntur? Deus eorum fiduciam probare voluit, adducto aduersus eos Pharaonis exercitu; & ecce ilico deficiunt spe salutis & auxilii diuini abiecta, sic annotante Seuero apud Lippom. *Diuini moris est eos quos beneficiis loco affecerit laboribus tentando probare, vt sciamus complures huiusmodi esse vt beneficiis affecti erga Dominum suum grato animo sint, cum vero paululum vexati fuerint*,

Seuerus.

*beneficiorum immemores sunt, ad hunc modum de Iudæis sacræ historiæ traditum est, cum enim illos Deus ex Ægypto eduxisset, atque ab immani seruitute liberasset, atque eorum se patrem declarasset, suique illos cognitione illustrasset, suamque erga illos potentiam signis ac prodigiis exercuisset, statim illos diuersis tentamentis probandos esse decreuit: Pharaoni namque cum tot curribus atque equitibus illos insequi permisit, atque adeo consilii inopes reddidit, vt nullam salutis atque effugii spem, illis reliquam fecerit: at illi statim diuinæ potentiæ & beneficentiæ immemores atque ingrati, in Ægyptum regredi cogitabant, & iam Ægyptiacam seruitutem memoria repetebant.*

### *Mens humana nescio quo instinctu mala imminentia aliquando præsagit.*

67 *Dixerunt ad Moysen forsitan non erant sepulchra in Ægypto?* Cur mortem, cur sepulchra memoratis? quid vobis accidit? vidistis Ægyptios ad vos aduentantes, quid? nonne rogantes etiam vos dimiserunt? nonne ab illis plura in beneuolentiæ signum accepistis? nonne lætati sunt in profectione vestra? cur ergo his visis itametu percellimini vt de vobis actum sit, credatis? si vt & amici & beneuoli à vobis relicti, cur aduersarios aut infensissimos hostes arbitramini? quia plurіes mens humana quasi præsago instinctu imminentia mala solet præsagire: quod paucissimis verbis expressit Philo contra Appionem. *Sagax est mens ad momenta percipienda, etiam quæ non percipiuntur longioris temporis spatio mala quæ longum tempus peterent, vt possent explicari, mens humana quodam quasi præsago instinctu in momento percipit.* Philo.

### *Non statim aliquando liberat Deus, sed postquam timor increuerit.*

68 *Dixerunt ad Moysen forsitan non erant sepulchra in Ægypto? &c.* Verba desperantium de salute hæc sunt, qui enim se ineffabiliter credit occidendum in nullo confidit auxilio: imo de eis textus sacer ait maximo timore perculsos: cur Deus in tantum discrimen suos venire permittit? cur tanto timore concuti? quia non statim aliquando Deus liberat, sed postquam maximus timor increuerit ex imminente iam periculo: quod probat Sanctus Cyrillus Alexand. lib. 3. in Ioann. cap. 23. explicans illa verba Ioann. 6. cum remigassent quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Iesum ambulantem super mare, & proximum naui fieri. *Nauigabant discipuli nec Iesus aderat, ingruebant tenebræ & nox atra mari incubabat*, nec Iesus suæ luce præsentiæ diem faciebat; tumescebant vndæ, crescebant venti, totum mare concitatum sæuiebat, nec Iesus suæ imperio vocis tempestatem serenabat; quid tandem cum procul à terra aduehérentur, adducerenturque in extremum periculum morti quam vitæ proximiores? Iesus supremo discrimini auxiliaturus aduenit, vt & suam potentiam ostenderet, & discipulorum fidem exploraret, subiicio autem verba Cyrilli: *Opera pretium est obseruare non statim neque in principio periculorum, sed quando iam longè à terra remigauerant, Christum discipulis apparuisse: non enim incipientibus aduersis gratia Christi confestim nos saluat, sed posteaquam terror increuerit, & certum imminere videatur, tunc è mediis eripit fluctibus, timorem abiicit, & ab omni periculo liberans ineffabili virtute in summam tranquillitatem periculorum fluctus transponit.* S. Cyrill. Alexand.

Permittit Deus crescere pericula, vt periclitantium merita augeantur & fides erigatur, spes in Deum excitetur; extremè autem periclitantibus opem fert vt suam potentiam demonstret, quę desperatis quoque rebus, & deploratis medicinam potest conferre salutarem.

### *Detractionis violentia & malitia.*

*Dixerunt ad Moysen forsitan non erant sepulchra in Ægypto?* Imo & erant, accusant quod eos in discrimen vitæ coniecisset, eo enim fine inquiunt nos eduxisti, vt moreremur in solitudine, etiam insepulti: nonne hoc omnino à veritate alienum creditis? nam quis sibi persuadere posset liberatorem populi insidias ei parare, vt misere ab aduersario suo interficeretur? hæc sane est maxima detractoris malitia, qui nescit etiam proprio liberatori parcere, & quem tanquam redemptorem reuereri deberet, eum homicidā pronuntiat. hanc malitiam imo & violentiam linguæ detractoris agnouit Valeri. hom. 5. *Falluntur profecto qui putant nihil esse veneno fortius, nihil veneno violentius, quamuis autem istum in perficiendis mortibus habeant peculiare naturæ beneficium, cedunt tamen in contentione verborum: nihil est enim tam noxium tam malitiosum quod non viribus suis minus sit, si se incitata semel lingua commoueris, multa quidem sunt humani corporis vitia & grauia, sed parum possunt consiliis viribusque suis, nisi sceleribus armentur alienis, sicut est crudelitas quæ impietati seruit, & portas inferi cruenta mortis lege custodit: quid autem felicitas posset, si cupiditas dormiret? nam & ipse mortis exitus minor esset si ferrum deficeret, aut venena cessarent, singulare autem malum est lingua, in tantum malitiæ robur exultat, vt in perficiendo opere suo attentius auxilium non requirat.* 69 S. Valerian.

### *Qui in prosperis aduersa exspectat, impatientiæ vitio non fœdatur.*

*Dixerunt ad Moysen forsitan non erant sepulchra in Ægypto?* Vnde hæc ironica irrisio? vnde hic ad instar desperantium de salute sermo? quæ tanta vos comprehendit impatientia, vt inexspectato auxilio, viro iustissimo detrahatis? an cum fœlices essent se miseros esse posse crediderunt? nequaquam: non mirum igitur in aduersis impatientissimos fuisse: qui enim in prosperis aduersa non expectat, in impatientiam facile labitur. nobis suffragatur S. Chrysost. hom. de auar. *In rebus paupertatem & mendicitatem expecta, memento, inquit scriptura Eccles. 18. tempus famis in tempore abundantiæ, mendicitatem & egestatem in diebus opulentiæ, ad hunc modum si fueris affectus, tum & diuitias multa cum sobrietate administrabis, & egestatem si incidat, fortissimè perferes, malum enim inexpectatum perturbat animum, si incidat, quod autem expectabatur, si accidat non multum affert perturbationis*, vnde infra, cur patientissimus fuerit Iob aperiens ait, *nimirū quia cum diues esset, egestatem expectabat, cum sanus esset expectabat ægrotationem, &c. Et hanc anxietatem semper, apud se alebat, intelligens rerum humanarum naturam atque volubilitatem*, Et sanè vnde impatientia in rebus aduersis nisi quod nihil nobis mali antequam eueniat proponimus? quę multa ante præuisa sunt languidius incurrunt. 70 S. Chrysost. Eccles. 18.

*Detractio quasi commune omnibus vitium est.*

71 *Dixerunt ad Moysen forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos vt moreremur in deserto?* En vt detrahitur innocentiæ sanctissimi viri, sed quinam hoc murmurationis vitio comprehenduntur? dixerunt, inquit sacer textus, ad Moysen, quinam ei dixerunt? quinam ei detraxerunt? non pauci arbitrantur omnes fuisse, sed alii saltem maiorem populi partem: verum quomodo tot hominum millia in hoc vitium prolabuntur? quia detractio quasi omnibus commune delictum est. teste B. Paulinus Epist. 14. ad Celantiã. (S. Paulinus) *Semper scripturæ memor esto dicentis Prouerb. 20.* iuxta Septuag. (Prouerb. 20.) *noli diligere detrahere, ne eradiceris: pauci admodum sunt qui huic vitio renuncient, raroque inuenies qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam, tantaque huius mali libido hominum mentes inuasit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum laqueum incidant: tu vero hoc malum ita effuge, vt non modo ipse detrahas, sed ne aliis quidem detrahenti credas.*

*Ingratus beneficia pro iniuriis accipit.*

72 *Dixerunt ad Moysen forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos vt moreremur in deserto?* Et cur dicunt se eductos in manu excelsa ab Ægypto? scilicet vt morti occumberent miserè in solitudine: nonne vobis compertum est terram Chanaan vobis promissam in hæreditatem, & post longam in Ægypto seruitutem eam possessuros? cur ergo ita à iudicio alieni, vel potius mente obcæcati, hoc præsertim proferatis mendacium, vos à Moyse eductos à captiuitate vt in Eremo misere pereatis? nescit ingratus qualis Iudæorum populus, beneficia grata habere, sed ea tanquam iniurias sibi illatas acceptat. *Disce,* annotat Oleaster, (Oleaster) *qualiter ingrati beneficia in maleficia conuertant, cum Dominus eos eduxisset ad libertatem, ipsi arbitrantur eduxisse ad mortem: malum est malis assuescere, quoniam pessimodum bona arbitratur mala qui in malis enutritus est.*

*Pusillanimus nihil scit, nisi detrahere.*

72 *Dixerunt ad Moysen forsitan non erant sepulchra in Ægypto ideo tulisti nos vt moreremur in deserto?* Quid vidistis? innumeram armatorum hominum multitudinem: cum ergo dictum sit de vobis, quod armati discessistis ab Ægypto, & non in tam exiguo numero, quod ferè sexcenta millia bellatorum existis: cur ergo vim vi repellere, arma ferre, animose præliari, viriliter in certamen descendere non decreuistis? cur occupatio vestra in detractione sanctissimi viri? quid ait textus? timuerunt valde, pusillanimes & timidi, quid ergo igitur agent, nisi ad detractionem conuolare? Iosephi obseruatio est lib. 2. antiqui. c. 16. (Iosephus.) *In iniquitate locorum conclusi cum nec obsidionem præ inopia tolerare possent, nec exitum ad fugam inuenire, nec arma adessent, etiam si maximè pugnare cuperent nihil superesse videbant nisi vt turpi deditione salutis consulerent; quo factum est vt Moysem incusarent obliti prodigiorum quibus libertatem eis Deus significauerat: minimumque aberat quin propheta lapidato, contemptisque per incredulitatem pollicitationibus, deditique in pristinam seruitutem redirent.*

*Nihil cogitantes circumuenimur, & ideo vigilandum.*

*Dixerunt ad Moysen forsitan non erant sepulchra in Ægypto?* Timore perciti hoc dicere, cum scilicet Ægyptios se insequentes, hostilem exercitum explicata acie instructum ad prælium conspexerunt: sed quandonam temporis ita deprehensi? an quando agunt excubias? an ab exploratoribus hostium habuere compertum aduentum? audiamus Ezechielum poëtam in Bib. SS. PP. & apud Euseb. lib. 9. præpar. Euang. c. 4. 73 (Ezechiel poeta.)

*Postquam Hebræorum nobis obuiam factus exercitus.*
*Alij iuxta littus prope iacentes.*
*Rubri maris erant congregati.*
*Alii liberis infantibus dabant cibum.*
*Et simul & vxoribus, fatigati labore.*

Non est dubium quin sibi etiam cibum sumerent. en ergo vt nihil cogitantes circumueniuntur, cum, hoste non longè distante, cuius in Ægypto infidelitatem in promissis agnouerant, vigilare, excubias agere debuissent.

*Quanta qui aliis dominantur & præsunt, sustinere coguntur!*

*Dixerunt ad Moysen forsitan non erant sepulchra in Ægypto, tulisti nos vt moreremur in deserto?* Hæc altera aduersus Moysen publica querela, quem tamen in tot tantisque prodigiis viderant autorem egressionis huius, & perpetuo miraculo quotidie spectabant ducem & auctorem admirabili prudentiæ suauitate vtentem: nihilominus vt vidimus tanta rabie agitati sunt, vt minimum abfuerit quin lapidibus ipsum obruerint, quid? an præmium condignum pro tot laboribus pro vobis susceptis? quoties discrimen vitæ subiit pro vestra libertate? quo modo cum iniuriis, & contumeliis iniustè & impudenter lacessitus? vt agnoscas, Quanta tolerare debent hi qui aliis præsunt & dominantur, nescio si ad hanc mentem meam illud traham S. Pauli ad Tim. 3. si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat? quod explicans noster Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ c. 18. ait. *Illo tempore ab Apostolo dictum est, si quis episcopatum desiderat, quo quisquis plebibus præerat, primus ad tormenta martyrii ducebatur, tunc ergo laudabile fuit episcopatum quærere, quãdo per hunc non erat dubium ad supplicia grauiora peruenire.* En etiam vt Prælatura Episcopalis quæ sacrosancta est, nihilominus quibus tunc temporis obnoxia periculis? quænam tunc non toleranda, cum per hanc non erat dubium ad grauiora peruenire supplicia? 74 (Timot 3.) (Aluarus Pelagius.)



*VARIETAS LECT. Vers. 12.*

VVlg. Nonne est sermo quem ad te loquebamur dicentes, recede à nobis vt seruiamus Ægyptiis, multo enim melius erat seruire eis, quam mori in solitudine.

*Sept.* Nonne hoc erat verbum, dimitte nos, vt A seruiamus Ægyptiis?

*Pagn.* Nonne est hoc & quod loquebamur ad te dicendo, cessa à nobis?

*Onke.* Sine nos, vt seruiamus Ægyptiis.

*Arias.* Cessa à nobis, quia nobis bonum seruire Ægyptiis præ mori nos in deserto.

## *CONCORDIA.*

OMnimoda est nisi in verbis, sic enim Hebraice חדל ממנו Cnadal mimmenu, quod alii verterunt recede à nobis, alii dimitte nos, vel cessa à nobis, vel sine nos, quorum idem est sensus, nec in aliquo alio discordia.

## EXPOSITIO.

N*Onne iste est sermo quem ad te loquebamur in Ægypto?* quasi dicerent, mala quæ nos comprehenduntiam prædiximus tibi in Ægypto, nihilominus contrarium pollicebaris, nempe quod nos introduceres in terram lacte & melle ma- B nantem. *Recede à nobis vt seruiamus Ægyptiis*, signis omissis, dimitte nos pacifice Ægyptiis seruientes, *melius enim est seruire eis quam mori in deserto*, anteponimus enim vitam libertati, licet præferenda ei videretur.

## CONCEPTVS.

### *Proprium ignauorum est seruitutem morti præferre.*

24 R*Ecede à nobis vt seruiamus Ægyptiis*, Qua de causa cum vos libertati vindicare studeat? *multo melius erat seruire eis quam mori in solitudine*, quid? nonne multi seruitutem vt euadant, mortem libenter amplectuntur? vnus è multis Philo lib. quod omnis probus sit liber, plurima commemorat exempla, hominum, mulierum, puerorum, qui vitam quam libertatem perdere maluerunt: & post alia, narrat de quibusdam populis, quos Xanthios appellat, qui cum à Romanis militibus ad deditionem cogerentur, seipsos omnes prius occiderunt, *vt fatali* inquit, *necessitati salua libertate, magnanimitateque satisfacerent*; sic illi acerbitatem tyrannicam fugiendo prætulerunt gloriosam mortem vitæ coniunctæ cum ignominia. concinit D. Ambros. lib. 1. de offi. c. 41. In bellica *inquit* virtute non mediocris honesti atque decoris forma est, quod mortem seruituti præferat ac turpitudini; vbi turpitudinem cum seruitute coniunxit, vt vtraque æque execrabilis censeatur, nec minus quam ipsa mors reformidetur: quomodo ergo Hebræi dixerunt recede à nobis vt seruiamus Ægyptiis, multo enim melius erat seruire Ægyptiis quam mori in solitudine? in hoc innotescit mira seu potius execranda ignauia Iudæorum quibus charior erat seruitus quam mors, cum boni rerum æstimatores mortem seruituti antepoluerint: vnde Origenes hom. 5. in Exod. tam præpostera verba eorum admiratus, *hæc*, inquit *tabescentis in tentatione animi verba sunt, alioquin falsum est, longè enim melius est in eremo mori quam seruire Ægyptiis*, Quod licet ad seruitutem spiritualem referat sub peccato, in aliis in scribus sine dubio deteriorem, tamen & de temporali intelligi potest, præstabit enim in deserto mori in gloria, quam Ægypto seruire cum ignominia.

Philo.

B. Ambros.

Adamant.

### *Superiorum contemptores Deum potius contemnunt.*

75 *Recede à nobis vt seruiamus Ægyptiis.* Nonne in maximum Moysis contemptum cedit, quod cum à Deo missus sit inuestrum ducem & gubernatorem, pollicitusque sit è seruitute & tyrannide Pharaonis vos educere, nihilominus quasi impotens esset, nulliusque meriti apud Deum, vultis eum recedere, eligentes potius vilis esse Ægyptiorum mancipia, quam libertate donari: C an Deus impunitum sinet hunc contemptum? nequaquam, superiorum enim contemptores etiam Deo sunt iniuriosi, Deumque contemnere censentur. testem profero S. Ignatium Martyr. epist. 6. ad Magnesianos *Decet*, inquit *& vos obedire Episcopo, & in nullo illi refragari: terribile namque est illi contradicere, nec enim hunc fallit qui videtur, sed inuisibilem fallere nititur, qui non potest à quoquam falli: nam si id fit, non ad hominem sed ad Deum contumelia redit.* vnde S. Cyprianus epist. 18. docet nec huiusmodi contemptum impunitum manere, ait enim, *Quomodo possunt censuram Dei vltoris euadere qui talia ingerunt non solum fratribus, sed & sacerdotibus quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, & in ipsis contemptis, Deus esse contemptus censeatur iuxta hunc locũ non te abiecerunt sed me.* Et. D. Cyrill. Alexand. lib. 10. in Ioan. c. 36. *Apostolorum vexatio in eum ascendit,* D *qui illos in apostolatus apicem euexit: sic enim etiam ad Samuelem de filiis Israel me contempserunt: periculosum igitur nimium est conuenientem honorem sanctis non attribuere, cum eorum contemptus in illum transeat à quo missi sunt.*

S. Ignatius martyr.

S. Cyprian.

S. Cyrill.

### *Longe melius est perfectam vitam quærenti in illius inquisitione mori, quam viuere non illa quæsita.*

*Recede à nobis vt seruiamus Ægyptiis, melius fuerat seruire eis quam mori in deserto.* An in Ægypto 97 manentes, à tyrannide & Pharaonis oppressione forsitan liberi? nequaquam, cur igitur conuenientius ducitis vitam miserrimam ducere, quam gloriosè occumbere? quis non à mente alienos credet Israelitas? & merito, tum in temporalibus, tum in spiritualibus, in temporalibus diximus scilicet ignauorum esse seruitutẽ morti præferre

miserationibus subiectum esse etiam, quia longè A melius est perfectam vitam quærenti, in illius inquisitione mori, quam viuere, non illa quæsita. hic docet eit Auct. *Verumtamen quia dicunt longè melius nobis erat seruire Ægyptiis quam mori in Eremo, tentaremus & hæc intelligere. hæc verba sunt, alioquin falsum est, longe enim melius est in eremo mori quam seruire Ægyptiis, qui enim in eremo moritur, hoc ipso quod separatus est ab Ægyptiis, & recessit à rectoribus tenebrarum, & de potestate Sathanæ, habuit aliquem profectum etiam si ad integrum peruenire non potuit: melius enim perfectam vitam quærenti est in itinere mori, quam ne proficisci quidem ad perfectionem quærendam: vnde & eorum videtur falsa opinio, quidam nimis arctam iter virtutis exponunt, dumque multas eius difficultates multaque pericula & lapsus enumerant ne incundum quidem id aut incipiendum iudicant, sed multo melius est me in hoc itinere mori, si ita necesse est, quam inter Ægyptios permanentem morari, & falsis atque amarissimis fluctibus obrui.*

Citat Origen.

### *Recens ad Deum conuersi arbitrantur se pauperrimos & miserrimos in via virtutis.*

77 *Recede à nobis vt seruiamus Ægyptiis, melius erat seruire eis quam mori in deserto*, cur melius id ducitis? quia sũma calamitas extra Ægyptum nos appetit, à qua in Ægypto fuissemus liberi, miseri sumus in deserto, cum imminenti discrimine obuoluamur: toto cælo aberrant, sed tentationi succumbunt, qua probantur ij qui recens ad Deum conuersi sunt, qui suspicantur se pauperrimos & miserrimos in via virtutis, vitiis autem indulgentes, fœlicissimos & ditissimos; annuit Oleast. *Hæc est prima tentatio quæ sequi solet conuersos ad Deum, arbitrari se abundare sub vitiis, & indigere sub virtute: audi quosdam apud Malachiam dicentes, vanum est colere Deum, & quid emolumenti quod custodiuimus vias eius, & quod ambulauerimus humiliter à facie Domini exercituum? & nunc beatificamus superbos, etiam ædificati sunt facientes impietatem etiam probauerunt Deum & euaserunt.*

Oleast. Malach.

### *Plures sunt qui sine spe remunerationis temporalis Deo non seruirent.*

78 *Recede à nobis vt seruiamus Ægyptiis, melius erat seruire eis quam mori in deserto.* Quid? an vobis persuasum erat, semper fœlices & beatos, tendentes in terram promissionis nullis calamitatibus retardari? omnia ad mentem succedere? nulla aduersa esse toleranda? ita sane, aliàs nec discessissemus ab Ægypto, melius enim fuisset in ea seruire, quam mori in deserto. quot Iudæis similes, qui nec mundo nec dæmoni valedicerent, si nulla eis spes remunerationis temporalis affulgeret? imo quot Deo seruiunt, vel spe diuitiarum, vel alterius commodi transitorii? mens est Albert. Magn. in c. 3. Malach. *Vanus est, inquiũt improbi, qui seruit Deo, bonis enim malè succedet, in mundo, malis autem bene Iob. 21. quare impii viuunt sublimati, confortatique diuitiis, quod enim emolumentum iustè viuendo? omnia referunt ad vtilitatem temporalem, Sapient. 2. hæc cogitauerunt & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei, nec sperauerunt mercedem iustitiæ, mali autem salutate terrenorum proficiunt.*

Malach. 3.

Sapient. 2

### *Detractor nulli scit parcere.*

79 *Recede à nobis vt seruiamus Ægyptiis, melius erat seruire eis quam mori in deserto.* Tu autem nos eduxisti, vt miserè in eo occũberemus: nonne à Deo vobis constitutus est in principem & gubernatorem Moyses? nonne ille est qui calcans regiam dignitatem in aula Pharaonis maluit nobiscum dura tolerare, quam vt filius filiæ Regis censeretur? cur ergo nunc in supremo principatu constituto non parcitis? cur ante oculos omnium id quod falsissimum est traducitis? cur principis vestri famæ & honori non consulitis? quia detractor, qualis erat populus Iudæorum nulli scit B parcere, eius peruersam inclinationem agnoscés: Hugo Carensis in Psal. 56. *Horum dentes*, inquit *idest verba detractoria corrodunt alios, sunt arma & sagittæ, per arma impugnantur propè stantes: vnde vbi habemus arma, alia littera habet lancea* (explicat enim hunc versum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua gladius acutus) *per sagittas impugnantur longè stantes, & ipsi detrahunt tam propinquis quam remotis tam domesticis quã extraneis, tam magnis quã paruis Iob 41. per gyrum gentium eius formido, quasi dicat, omnes quidem possunt timere à detractione eius, quia nulli parcit.*

Hugo Carens. Psal. 56.

Iob. 41.

### *Leuis quæcunque aduersitas, si cum præmio terræ promissionis conferatur.*

80 *Recede à nobis vt seruiamus Ægyptiis, melius erat seruire eis quam mori in Ægypto.* Quid vos in hanc quasi desperationem inducit? quid ad hanc impatientiam prouocat? timor immi- C nentis periculi, metus præsentis calamitatis. sed nonne vobis promissa est terra sancta, quæ terram viuentium denotat? cur ergo animo conciditis? rectè Greg. Nazian. in senten. nos perstringit cum ait, *Vt foliorum strepitus lepores exterrent, ita rami vmbra timidos & ignauos.* Nam scitè Chrysost. epist. 6. ait, *Aranea tela & vmbra & fumus est & si quid vilius fingi potest hoc sunt omnes tibi inflictæ acerbitates, verè ergo vos ignauos dixerim, si cum spe terræ promissionis vobis aliquid durum videatur*: nam leuis quæcumque aduersitas debet esse, si cũ præmio terræ promissionis conferatur, sic enim prosequitur doctor; *Hoc sunt tibi omnes inflictæ acerbitates, nempe vmbra, fumus & araneæ tela si cum iis prauiis conferantur, quæ hinc tibi tribuenda sunt quæcumque hic aliquis patitur, si mercedem cogitet euanescunt atque disparent, omnis amaritudo obducitur, aduersitas omnis D occultatur*, quod manipulorum & auenæ lolii que similitudine ita explicat S. Ambros. lib. 2. offic. c. 21. *Nonne talibus manipulis vita beata, si quid fortè accidit aduersi atque amaritudinis, tanquam sterilis auena absconditur, aut tanquam lolii amaritudo frumenti suauitate obducitur?*

S. Greg. Nazianz.

S. Chrysost.

S. Ambros.



## VARIETAS LECT. Verſ. 13.

*Vulg.* Et ait Moyſes ad populum, nolite timere, ſtate & videte magnalia Domini quæ facturus eſt hodie: Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquam videbitis, vſque in ſempiternum. A

*Sept.* Fidite, ſtate, & videte ſalutem quæ eſt à Domino quam faciet vobis hodie, ſicut enim vidiſtis Ægyptios hodie, non apponetis amplius videre eos in æternum tempus.

*Cald.* Ne timeatis, ſtate & videte redemptionem Domini, quam faciet vobis hodie.

*Onk.* Siſtite vos & videte redemptionem Domini.

*Pagni.* Ne timeatis, ſtate, & videte ſalutem Domini, nam quos vidiſtis Ægyptios hodie, non eſtis viſuri vltra vique in ſæculum.

*Varab.* Siſtite, & confidite, & videte opem Iehouæ, quam laturus eſt.

## CONCORDIA.

PRo *magnalia* in Hebræo eſt ישוע ieſeua, id eſt ſalutem, vel vt habet Cald. redemptionem, nam in ſaluatione hominum præſertim quæ cum tantis miraculis fit, cum quantis facta eſt hæc præſens, Deus verè oſtendit magnalia ſua B licet homines, proh dolorea paruipēdunt? dictio אשר aſer & aduerbialiter pro ſicut & relatiue poni ſolet, vnde relatiue reddidit noſter interpres, alij vero ad verbialiter. Sed in hoc parua eſt diſconuenientia.

## EXPOSITIO.

NOlite timere, quamuis motiuum timoris videatur apparens, *ſtate*, ſecuri quieſcite, *videte magnalia Domini*, alta mente conſiderate prodigia. *quæ facturus eſt hodie*: hic dies ſumitur pro die naturali, nam cum aduenerunt Ægyptii, & viſi ſunt ab Hebræis circa pomeridianum tempus fuit, non autem meridianum, id quæ ſuadet Ioſephus, cum ait perſequendo defatigatos, conſultius exiſtim aſſe quam differre in ſequentem diem, quam videntur non diuatgat, ſi totum pomeridianum tempus ſuperfuiſſet, idque confirmat Ezechielus Poëta cum ait. C

*Poſtquam autem ſol, occidiſſet,*
*Quieuimus, expectantes craſtinam pugnam.* Ezechiel Poeta.
*Confiſi populo, & horrendis armis.*

Et ita cum dicit, *videbitis magnalia Dei hodie*, intelligendum eſt de die naturali, nam nonniſi in tempore craſtino facta eſt Ægyptiorum ſubmerſio. *Ægyptios quos nunc videtis nequaquam videbitis*, eo ſcilicet in ſtatu, quo vobis damno vel formidini eſſe poſſunt, viſuri enim erant ſed mortuos ad ſpolia detrahenda.

## CONCEPTVS.

### *Maior eſt habenda ratio officii, quam iniuria acceptæ.*

81 NOlite timere, ſtate, & videte magnalia Domini, quid? an ſurdus? nonne detractionem populi audiſti? nonne te, cum ex Ægypto deduxiſſe aſſerit vt in deſerto miſerè occumberet? quid ergo quid in maius tuum dedecus & opprobrium cedere poterit, quam huiuſmodi illata iniuria? cur ergo ab ingrato populo pœnas non exigis? cur immemorem beneficiorum non deiectis? quia maior eſt habenda ratio proprij muneris & officij quam acceptæ iniuriæ, ſuffragatur Lyppom. *Quid ad hæc Moyſes*; nempe ad murmurationem populi, *num fugit ab Iſraele? nequaquam. Ne enim fugiſſet vocationem Dei: num tumultuatus & ipſe aduerſus Iſraelem? merebantur quidem Iſraelitæ grauiſſimas increpationes & ſupplicia propter impor. unam ipſorum incredulitatem, ſed in tanto rerum diſcrimine, maior erat habenda ratio Moyſi quid ſui officij & gloria Dei exigeret, quam quid impij Iſraelitæ meriti fuerant.* Lippom.

### *Ille verè cenſendus fortis, qui continet iram.*

82 *Nolite timere, ſtate, & videte magnalia Dei*, An ita magnanimus, vt non ſolum à metu ſis liber, verum etiam animum timidis inducas? an tantæ fortitudinis vt conſpecto exercitu Ægyptiorum innumero, animo non ſolū decidas, ſed ad deponendum metum alios compellas? an hac de cauſa fortem dicemus? non ex hac ſola, ſed quod depoſita omni ira, iniuriam ſibi illatam à populo patienter tulerit. ſcite S. Ambroſ. lib. 1. officior. c. 20. *Reuera*, inquit, *iure ea fortitudo vocatur quando vnuſquiſque ſeipſum vincit, iram continet, nullis illecebris impellitur, atque inflectitur, non aduerſis perturbatur, non extollitur ſecundis.* S. Ambroſ. D

### *Manſuetudine aliorum iniurias ſupera.*

*Nolite timere, ſtate & videte magnalia Domini*, 83
Quis non ira excandeſceret aduerſus populum non ſolum beneficij immemorem ſed etiam iniurioſum? quis non ira commoueretur in homines ita peruerſos, vt exprobrent, quod à veritate omnino alienum eſt? quomodo ergo ignominiam ſibi illatam non ſolum non refellit, imo Dei auxilium eis affuturum pollicetur? quia manſuetudine, omnium iniurias ſciebat ſuperare: hoc documentum habeo ab Ephrem. in S. Ephrem

doctrina varia c. 9: *Quod si alius frater te refellerit, ne mancaris mente, sed voluntate tuâ charitatis patisque gratia reprime, si enim iram excandescentis dæmonis per mansuetudinem respicis, nihil aduersum te poterit.*

*Fides sit omnibus superior.*

84 *Nolite timere, state & videte magnalia Domini.* Pagni. *videte salutem Domini.* Cald. *videte redemptionem Domini,* Si Pharaonis exercitus in proximo est, si tot millia impugnãtium ab eis visuntur, quomodo redemptionem suam videbunt? potius ruinam suam & perniciem sentient cum videnda proponis, quæ nondum sunt, & ad eorum intuitum eos prouoces: quomodo visio futurorum talis poterit esse quæ tollat præsentis & imminentis periculi horrorem? quomodo visis non tangentur, & ad ea videnda quæ non sunt adducantur? sane visio illa redemptionis & salutis futuræ, visio fidei erat, quâ habita, omnia quæ contrarium suadent, facile superat. quod rectè expêdit S. Ambros. cum ait, *Fides sancti prophetæ,* loquitur autẽ de Elisæo, *qui cinctus magno exercitu ad mortem quæsitus, dixit puero maximo timore concusso, noli timere, plures enim nobiscũ sunt quam cum illis.* 4. Reg. 6. *non timet aduersarios quos cõspicit, quoniam scit Angelos secum esse, quos credidit: videte beatitudinis meritum, propheta nuntiat de multitudine, cum adhuc puer incertus sit de salute, spirituales oculi carnalibus quanto plus cernunt;* Fidei enim visio superat quæcumque in contrarium proponuntur & obiiciuntur.

S. Ambros. ser. 86. 4. Reg. cap. 6.

*Spes in Deo posita non confunditur.*

85 *Nolite timere, state & videte.* Sept. *fidite.* Vatab. *confidite* licet confidant, nonne potentissimi sunt aduersarii? isti autẽ imbecilles & effœminati? nonne illi armis instructi, hi autẽ sine armis? si conclusi abruptis montibus & mari & nulla spes euadendi, cur consulis ô Moyses vt omnem deponant metum, & confidant se hostes superaturos? merito quidem, quia qui in Deo confidit, etiã in rebus extremis non cõfunditur. sic S. August. in Psal. 10. *Quis est qui confunditur? qui dicit quod sperabã non inueni, non immerito, sperabas enim de te aut de homine amico, maledictus autem qui spem suam in hominem ponit: confunderis quia fefellit te spes, fefellit spes posita in mendacio, omnis enim homo mendax: si autem ponas spem tuam in Deo tuo, non confunderis, quia ille in quo spem posuisti falli non potest, vnde & ille iustus positus in tempore malo in die tribulationis quia non confundebatur, quid ait? gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit, vnde spes non confunditur quia in Deo est posita.*

S. August.

*Spes in Deo posita ita certa, ac si quod speramus iam præsens adesset.*

86 *Nolite timere, state & videte.* Sept. *fidite, state & videte* Vatab. *confidite,* cur postquã Moyses hortatur ad spem in Deo ponendam, ait videte non autem videbitis? nã vt habet August. in Enchir. c. 85. est fides & malarum rerũ & bonarum, quia & bona creduntur & mala: est etiam fides & præteritarum rerum & præsentium, & futurarũ, spes autem nonnisi bonarum rerũ est, nec nisi futurarum idem habet S. Chrysost. in serm. de fide, spe & charitate. Spes, inquit, est futurorum expectatio bonorum, cur ergo post quam dixit confidite, non subiungit de futuro videbitis, non autem de præsenti, videte? quia ita certum est quod Deo promittente speratur, vt licet spes sit de futuris, tamen illud iamjam præsens adesse, credere possumus, annuit cit. doctor August. in Psalm. 133. *Spes nostra tam certa est, quasi iam res perfecta sit, neque enim timemus promittente veritate, veritas enim nec falli potest, nec fallere.*

S. Chrysost. S. August.

*Vbi spes, timor de aduersis paruipenditur.*

*Nolite timere,* sept. *fidite, state & videte,* idemne est non timere ac sperare, ita vt reddiderint Septuaginta vnum pro alio, ita coniunctum est non timere ac fidere in Deo, vt vnum pro alio supponere possit. vbi enim est spes vera, timor de aduersis paruipenditur. subscribit B. Ambros. in Psalm. 118. qui de efficacia & virtute spei ita loquitur, *Etsi sint aliqui duri ad labores, firmi ad iniurias perferendas, si spem auferas, non potest perpetua esse patientia, ipsa patientia non probatur si fides desit, cuius radix spes est, quæ enim probatio potest esse nisi Christi nomine, vel incommoda vel pericula vniuersa sustineas? ideo spes est sola, quæ nostrum non confundit affectum, vbi est spes Apostolicũ illud foris pugnæ, intus timores nocere non potest.* preme hæc vltima verba, quibus constat timorem nulli pendendum, dummodo spes certa sit. 87

*Spes in altum erigit & subleuat.*

*Nolite timere* Septuag. *fidite, & videte.* Cur spe proposita ilico subiungit sine cõiunctione, state? potuit enim dicere, fidite, & state, & videte: non sine emphasi demitur coniunctio inter fidere & stare, quasi ita vtrumque nectitur, vt idem sit sperare, ac in altum erigi & eleuari, quod annuit S. Laurentius Iustinianus c. 2. de spe. *Non defatigantur, vel debilitantur sperantes in Domino, quin potius assumunt pennas, vt aquilæ.* Perhibẽt hoc habere aquilam peculiare, vt recta sursum feratur, cæteras aues per gyros circuitusque. Sperantes igitur in Deum aquilæ se pẽnas habere ostẽdunt, qui sine vllo deflexu in sublime feruntur, nec creaturas noxio quodam gyro circumeunt, ac si creaturarum subsidia exposcerent: pennas aquilę habent qui sursum eriguntur, & stant in solo Dei auxilio confisi, vnde rectè doctissimus Nouarinus lib. 6. sacrorum electorum excur. 132. in fine, *Iacere miserè non potest qui spem in Deum iacit, spes diuina iacentes erigit, erectos sternit humana.* 88

S. Laurent. Iustin.

Nouarinus.

*Deus suos vult esse quasi otiosos suorum mirabilium spectatores.*

*Nolite timere, state & videte magnalia Dei,* Cur præcipis eos stare? cur non iubes vt pugnent? vt cum Ægyptus in certamen descendant? nam ita eos pugnantes licet viribus inæquales Ægyptiis, victores tamen reddere potes, cur ergo eos solum stare & videre magnalia tua iubes? quia Deus vult suos esse quasi otiosos suorum spectatores mirabilium, mens est Oleastri, *Solet Deus suos præbere spectatores mirabilium otiosos quapropter eorum salutem operatur non sinit eos præliari sed admirari.* 89

Oleaster.



## *VARIETAS LECT. Vers. 14.*

VVlg. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.

*Arias.* Dominus pugnabit vobis, & tacebitis.

## CONCORDIA.

HÆbraica dictio לכם lachem, id est vobis sumitur pro vobis, & ideo recte ita transtulit interpres. nam apud, Ariam Montanum supponenda est illa præpositio.

## EXPOSITIO.

DOminus pugnabit pro vobis, Dominus ipse suscipiet pugnam vestram, *& vos tacebitis* id est, quiescetis seu non pugnabitis, ita enim latinum tacere hic & græcum σιγᾶν accipitur pro nihil agere non pro nihil loqui, hic enim plus spondet Moyses & parum erat saluari sine locutione: multum vero erat saluari, sine repugnantia vel defectione, similis acceptio verbi tacere est apud Dauid in psalm. 27. ad te Domine clamabo Deus meus, ne sileas à me, nequando taceas à me & Psalm. 82. Deus quis erit similis tibi, ne taceas, neque compescaris Deus, & apud Isaiam c. 64. vbi cum pius propheta Deum pro populo interpellasset, proposita simul totius populi miseria, Et nunc Domine pater noster es, &c. tādem cōcludens orationem suam subiungit per interrogationem, nunquid super his continebis te Domine tacebis? id est non auxiliaberis & affliges, seu affligi permittes nos vehementer?

Psalm. 27.

## CONCEPTVS.

*Qui nondum in virtute fortis, non pugnat, sed Deus pro eo.*

90 DOminus pugnabit pro vobis. *Quid?* nonne fere sunt sexcēta millia bellatorum? nonne plures ex his armis sunt instructi? ascenderunt enim armati ex Ægypto, inquit sacer contextus, cur ergo ipsi non præliabuntur? cur manus cum hostibus non conserent vt trophæum ex eis referāt? clare patet ex præcedentibus quod exiguæ virtutis erant Hebræi, & ideo non mirum eos Deum noluisse in certamen descendere, sed pro eis præliari voluisse: arbitror ad hoc respexisse Origen. hom. 11. in Exod. cum ait, *Antequam Israel manducaret panem de cælo & biberet aquam de petra, non refertur populus pugnasse, sed dicitur ad eum Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.*

Origenes.

*Angeli etiam nostrum exigunt studium.*

91 Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis. Integrā populi curam sibi reseruat Deus, neque Hebræos aliquid moliri contra hostes patitur, sed tantum modo spectatores adesse sibi mandat; cæterum post quam Ægypto excessit, post quam panē cælesti pastus est, tandem postquam inuictus processerat, vide quid inclamet Angelus qui Dei iussu populum ductitabat Exod. 17. dixit Moyses ad Iosue, elige viros & egressus pugna contra Amalech non iam spectatores belli exigit, sed milites iam mandat gladium exerere, clypeum obiicere, manus conserere, neque se totos alienæ curæ industriæque committere: cur cum potuit per seipsum delere Amalechitas sicut deleuit funditus Ægyptios, noluit, & Hebræis rem pergēdam reliquit? quia sicut sub initium per se rem totam Angeli exequuntur, processu vero temporis nostram etiam operam exigunt. sub scribit Origenes, hom. 6 in Iudices, *Initiis nostris à principibus angelis adiuuamur, cæterum processu temporis oportet nos exire armatos ad prelia.* Psal 82. Isai 64. Origenes.

*Deus non vult suos in opprobrium prolabi.*

*Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis,* Pugnent ipsi saltem in pœnā suæ detractionis & diffidentiæ de tuo auxilio, ad quid enim tot bellatores, nisi vt prælientur, & victoriam de aduersis referant? non permittit tamen Deus in certamen cum Ægyptiis descendere, ne minus eis animosiores superarentur in contumeliam in opprobrium sui populi. mens est Oleast, *Non sinit eos præliari* (inquit) *quoniam nouit eorum imbecillitatem, & ideo possent ab aduersariis ignominiose superari.* 92 Oleaster.

*Deus prompte & facile suum elargitur auxilium.*

*Dominus pugnabit pro vobis.* Ecce Dei auxilium Israeli populo pollicetur: sed in quo digni sunt illius liberalitate? clamauerunt ad Dominum inquit textus, cur ilico misericordiam Dei suo propulsarunt clamore, accipiunt à Moyse præsentem esse Dei opem? quia Deus prompte & facile suum elargitur auxilium. ita annotat S. Chrysost. in Psalm. 103. *Facilitatem eam qua Deus bona subministrat his verbis indicauit, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate: quemadmodum enim digitos contractos ostendere facile est, eodem quoque modo Dei bona omnia dono dare promptum, & procliue est, & sane* 93 Chrysost.

Dominus

Dominus sibi esse Deus, mali non videtur, nisi A suorum protector esset: Psal. 117. Dominus mihi adiutor non timebo quid faciat mihi homo, in Hebræo pro Dominus est mihi adiutor, est tantum יהוה לי Dominus mihi, seu vt vertit Hieron. Dominus mecum, ac si adeo annexa protectio Domino sit vt Dominum dicens, & adiutorem esse, recte significetur.

Psal. 117.

D. Hieron.

*Qui in deserto sunt, iam de suorum hostium deiectione quasi certi triumphant.*

94 *Deus pugnabit pro vobis.* Et ideo nemini dubium, quin aduersariis superiores euadent; si enim Deus pro illis quis contra eos? sed vbinam Deus pollicetur pro illis certamen inire & præliari? cum essent in deserto, dixerunt enim superius, melius erat seruire Ægyptiis quam mori in solitudine: nec miror, nam qui in deserto sunt, iam de suorum hostium deiectione quasi certi triumphant: sic enim Cardinalis Damian opusc. 11. c. 19. quod est de laude vitæ Eremiticæ. *Tu munitio fortium,* inquit, *tu præsidium cedere nescientium pugnatorum, fremat hostium circumfusa barbaries, missilia iaculentur, vibrantium gladium sylua densescat qui in te sunt lorica fidei præmuniti sub imperatoris sui inuicta protectione tripudiant, & de suorum hostium deiectione iam certi triumphant, quibus nimirum dicitur Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.*

S. Petrus Damian.

*Inæstimabilis est Dei etiam erga peccatores misericordia & bonitas.*

95 *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* Cur non ait & vos orabitis, dum in certamen pro vestra defensione descendo? quale quæso beneficium pro se Deum pugnantem habere? sed cur dum pugna committitur solum eis indicitur silentium, non pugna vel saltem oratio? sed quid amplius? cum Moysi detrahunt, cum aduersus eum indigna proferunt, tunc Deus pro eis pugnaturum se pollicetur, vt nobis innotescat inæstimabilis & inæstimabilis Dei aduersus peccatores misericordia & bonitas: quod ponderat Seraphinus conclus. 5. *Misericordia qua Deus nunc liberauit eos fuit misericordia plusquam magna, nonne beneficia dare roganti magnam misericordiam arguit? vtique, nonne maiorem si beneficia des non roganti? certè, at si beneficiis dones insultantem contra te, hoc verè inæstimabilis misericordia est, & inter misericordiam supremum locum tenet, hac vsus erga populum Israel, nam reuera non tantum legitur quod populus hic Deum pro sui saluatione rogauerit, sed legitur etiam contrarium, quod contrarium? populi murmuratio, populi diffidentia, non recognitio beneficij, imo beneficij pro maleficio, acceptio.*

Seraphin. Poncet.

*In pugna Dei pro nobis silendum, & attente quid pro nobis fiat, attendendum.*

96 *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* Cur Deo pugnante pro nobis tacendum est? nonne cum exercitus cum alio in certamen descendit, tubæ personant, clamoribus cœlum repletur, vt militum accendatur animus? ita equidem, Deus tamen cum in defensionem nostram præliatur, silentium imponit, vult enim vt attentè contemplemur quid pro nobis operetur, nescio si ad id alludens B. Chrysost. serm. quod

D. Chrysost.

A nulla apud nos resideat vitiorum & malorum memoria, ait. *Nec non fugit, præcipue per omne certaminis tempus, diem noctemque vinum, ac nihil aliud eniti, nihil curare, cogitatione & studio contendere, nisi vt certaturi magno animo in agone prodeant, quia ergo certator hic ipsis assistunt hi certatorem nihil monent nisi vt sileat,* adde & ad silentium, coniunge tempus & ... *si igitur apud eos qui humanum certamen sunt inituri, tantum cura impenditur, longè magis nobis quibus omnis hæc vita certamen est prospicere rebus nostris sedulo conueniet?* & idem S. Doctor hom. de baptismo Christi *nonne videtis,* inquit, *in certaminibus olympicis dum capite coronam gestans, amictus stola, virgam manu tenens Agonotheta per forum incedit, quanta sit tranquillitas & modestia, dum præco voce de-* B *nunciat vt omnes sileant ac decenter quiescant, cur non igitur absurdum videatur vt vbi triumphat diabolus, tranquillitas tanta sit & silentium, vbi vero Christus ad se vocat tumultus plurimus audiatur? in foro silentium, in Ecclesia clamor, in pelago tranquillitas & in portu tempestas.*

D. Chrysost.

*Cum Deus pugnat pro nobis eum maximè veneremur.*

*Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* 97
Quis nexus pugnæ & silentij, vt cum Deus pugnaturus est, teneantur Hebræi silere? id non miraberis, cum compertum tibi fuerit silentium, & subiectionem siue reuerentiam esse: vbi enim legimus apud Prophetam Regium Psalm. 61. nonne Deo subiecta erit anima mea? in Hebræo ad C litteram legitur, attamen ad Deum silebit anima mea; sic vertit etiam S. Hieron. qualiter ad Deum silentium animæ meæ: hunc sensum firmat ex aliis locis Agellius; sic enim ille in hunc Psalm. *Scribit Jeremias in Lamentationibus bonum est expectare cum silentio salutare Domini, cum silentio hoc est humiliter, patienter solet enim silentium subiectionis esse signum, nam qui subiectus est iussis Domini non repugnat, neque de eo conqueritur. itaque etiam Apostolus silentium fœminis indixit, vt subiectionis indicium mulieres inquit in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse: cum enim consequens esset vt diceret, sed tacere, dixit quod ferè idem valet subditas esse, docens ad subiectionem pertinere silentium & Habac. 2. sileat à facie eius omnis terra, Sept. reuereatur à facie eius* D *omnis terra,* ne mireris igitur silentium imponi à Deo cum pro nobis præliaturus est? nam tunc maximè ei subijci & eum reuereri debemus.

Psal. 61.

Agellius.

Threa. 3.

Habac. 2.

*Pluris aliquando penditur principis & gubernatoris eloquentia à suis, quam descendere cum hostibus in palæstram.*

*Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* Et 98 plura alia antea eis proposuerat, nolite timere, state, & videte magnalia Dei, quæ facturus est hodie. cur cum animo concidisse, omnino timore perculsos, omni spe abiecta in desperationem prolapsos sensisti, solum verbis demulces & promissis recreas? nonne tu, qui tot mirabilia operatus pro eorum liberatione ab Ægypto solus cum aliquibus in certamen descendere cum hostibus debuisti, non autem cum tempus adesset pugnæ, verba profundere? sedne Moysem arguamus,

prud. etissimi enim gubernatoris plurimos aliquan- A do pendunt eloquentia à bus, quam si in certa- men cum hostibus descenderet. vnde refert Phi- Philo. lo lib. 1. de vita Moysis, quanta efficacia fuerat illius eloquentia ad recreandos suorum animos. *Confirmabat* (inquit) *solabaturque tumultuantes, nolite animo concidere, aliud est humanum, aliud diuinum auxilium, cur tantum credibilibus sermonibus fidem accommodatis: noster adiutor nullis opus habet apparatibus, exitum inuenire in rebus dubiis est Deo proprium, solus ille plusquam vniuersa creatura potest. exercitus iste instructissimus, vt videtis, armis virisque, non terrebit vos, postea internecione totus delebitur submergeturque, vt ne reliquiæ quidem eius in terra maneant, idque non post longum tempus, sed nocte proxima &c.*

*Militi magnanimo magis placet victoria suo labore parta, sed imbecilli inexperto, alieno sudore adepta.*

99 *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* Nonne in maximum decus & honorem cedit manus cum hostibus conserere, in palæstram descendere, cum eis animosè præliari & trophæum gloriosum referre? cur ergo suorum animos recreans, & ad spem reuocans pollicetur Deum pugnaturum, ipsos vero pugnæ inspectores? quia licet militi generoso & magnanimo grata sit sibi pugna & victoria suo labore parta, timido tamen & imbecilli, qualis tunc erat Iudæus, alieno sudore adepta, & alterius pugna obtenta, iucundissima est.

*Armis accinctissimus est ille gubernator, qui secum strenuos habet milites.*

100 *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* Sic recreat & solatur, eorumque animos reuocat à timore quo nimium perculsi penè conciderant: sed cum omnis eius exercitus ita metu concepto prosternitur & decidit, quomodo constans & infractus animo permanet Moyses? sanè tanquam quid prodigiosum mirari debemus, nam quilibet alius rector & gubernator animo frangeretur, suos sentiens effœminatos, & penè præ metu nullius rationis compotes: nam vt optimè noster Franciscus Panigarola Episcop. in lib. cuius titulus speculum bellorum quæ in sacra continentur scriptura loco 11. num. 6. *Optimis armis instructus est princeps, qui fortissimis cingitur militibus, econtra inermatus, qui molles & effœminatos habet.* Noster Panigarola.

*Aliquando Deus nec in commodum nostram, laborem nostrum exigit.*

101 *Deus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Quid ad pugnam refert silentium? imo officere videtur, mutus enim non aptus certamini censetur, cum voce & aliquo clamore excitare se debeat, vel alios ad pugnam: hic per silentium non intelligit non loqui, sed non laborare, non operari, non agere: aliquando enim Deus nec laborem nostrum in propriam postulat commodum. annuit Agellius in Psalm. 27. *Dicitur filiis Israel Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, neque tamen adeo dixit vos tacebitis quasi illi muti futuri essent, sed quia nihil laboraturi, nihil facturi.* idem habet Gislerius in cap. 8 Ierem. vers. 14. addens, *nam verbis tacendi & silendi sæpe in sacris litteris præter cessationem à locutione significatur, pariter & cessatio à labore.* Agellius. Gislerius.

*Populus Dei etiam in media pugna securus erit.*

*Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* 102
B Quid confert ad pugnam taciturnitas? cur eam Deus exigit à populo suo? cur ergo dum Deus cum infensissimis & fortissimis militibus pugnaturus est, Israelitæ tacere debent? aduerte ex B. Thoma in cap. 8. Ierem. in illa verba sileamus ibi quia Dominus silere nos fecit, dicente, multiplex est silentium scilicet stuporis Amos. 8. in omni loco proiicietur silentium, longanimitatis Thren. 3. bonum est præstolari cum silentio, salutare Domini, quietis Ecclesi. 8. verba sapientium sicut stimuli & quasi claui in altum defixi, & securitatis, Isai. 32. eritque opus iustitiæ pax & cultus iustitiæ silentium & securitas vsque in sempiternum. dic ergo rectè sequi ex pugna Dei pro populo illius silentium, quis enim Deo pugnante in defensionem suam, securus non manebit? D. Thomas. Amos 8. Thren. 3. Eccles. 8. Isai 32.

C *Gubernator latissimo sit corde in difficillimis superandis.*

*Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* 103 Vidimus populum ita ex viso Ægyptiorum exercitu, timore perculsum, vt animo omnino concidisset, omni spe salutis abiecta: montibus enim & mari interclusus, nulla fugiendi occasio supererat. quomodo ergo cum ad aures Moysis non solum illius timor, sed & odium in eum perueniret, ita vt parum abfuerat, quin lapidibus obrutus periret, quomodo ergo non coarctatur illius animus? quomodo non consternitur, tum ex Ægyptiorum exercitu, tum ex suorum in se odio & detractione, sed omnia paruipendens, D animat, recreat, cōsolatur, imo populo victoriam pollicetur? quia decet gubernatorem maximo animo & latissimo corde esse in difficillimis superandis. vnde 3. Reg. 4. de Salomone dicitur, quod dedit Deus ei sapientiam, & prudentiam multam nimis & latitudinem cordis, sicut arenam quæ est in littore maris. quæ verba sic exponens Abulens. ait. *Dicuntur habere cordis latitudinem, qui ad multa se extendunt tam in expendendo quam in agendo. cor autem strictum habent qui se ad pauca extendunt. Salomon autem habebat cordis latitudinem huiusmodi.* 3. Reg 4. Abulens.



## *VARIETAS LECT. Verſ. 15.*

V*Ulg.* Dixitque Dominus ad Moyſen, quid A clamas ad me? loquere filiis Iſrael, vt proficiſcantur.
*Sept.* Loquere filiis Iſrael & diſiungant.
*Cald.* Suſcepi orationem tuam, loquere filiis Iſrael, vt proficiſcantur.
*Arias Mont.* Quid clamabis ad me?
*Procop.* Quid vociferaris ad me?
*Scholias Samariticus.* Tollite caſtra, & abite.

## *CONCORDIA.*

IN Hebræo eſt תצעק אלי quod eſt futuri temporis, & ſic vertit Arias Mont, tamen rectè de præſenti redditum eſt ab aliis. porro verbum צעק ſignificat fortiter clamare, & ideo per vociferari benè enuntiat Procopius. Septuag. habent ἀναζευξάτωσαν & diſiungant, militare verbum eſt, & ſignificat diſſoluere tentoria, Samariticus ἵνα ἀπάρωσιν quod item ſignificat tollere caſtra.

## EXPOSITIO.

QVid clamas ad me? Non ceſſabat Moyſes B intentiſſima ſupplicatione Deum orare, vt populo ſuo in ipſo vltimo deſperationis cardine conſtituto, ferret opem: quam orationem & vehemens animi deſiderium Deus clamorem vocat: & ſi nonnullis viſum eſt, Deum de populi clamore loqui, quod Moyſes populi perſonam ſuſtineret coacta vtique interpretatione: an autem fuerit oratio cordis vel oris, Ioſephus videtur ſentire fuiſſe oris, ſancti autem potius fuiſſe cordis arbitrantur. cum autem ait quid clamas ad me? non reprehendens eius orationem dicit, ſed blandiendo eum conſolans, docens & excitans ad miraculi ſequentis putà tranſitus maris rubri ſpem & agreſſum. hanc enim vim ſæpe apud Hebræos habet interrogatio, vti illa Chriſti ad matrem, quid mihi & tibi mulier? non caſtigatio ſed probatio ſpei eam exacuens, *loquere filiis Iſrael vt proficiſcantur* vlterius, ſemoto omnium timore, progrediantur.

## CONCEPTVS.

***Bonum publicum magna voce, priuatum voce C ſubmiſſa petitur.***

104 QVid clamas ad me? Ecce non legimus Moyſem nec aperuiſſe labia vt aliquid à Deo peteret, & tamen dicitur ad Deum clamaſſe: & Anna licet ad Deum ſuas preces dirigeret, non
1. Reg. 1. dicitur clamaſſe, ſed ait ſacer textus 1. Reg. cap. 1. Anna loquebatur in corde ſuo, tantumque illius labia mouebantur, & non penitus audiebatur. cur non dicitur clamaſſe, ſed tantum loqui, cum tamen maximo animi feruore Deum deprecabatur, & Moyſes clamare, & vt vertit Procop. vociferari, cum tamẽ nihil diceret? quid petebat? bonũ publicum ſalutẽ populi, quid autem Anna? bonum priuatum nempe filios & ſic non miror, quod ſolum diceretur loquuta, non autem clamans, quaſi quodammodo erubeſceret vocem attollere, quia priuatum & temporale bonũ petebat, Moyſes autem clamaſſe & vociferari dicitur, quaſi tantum bonum publicum ſit dignum quod magna voce poſtuletur, inculcat Ambroſ. ſerm. 19. in Pſalm. 118. *Anna non clamabat ſicut*
D. Ambroſ. *Moyſes in corde ſuo, ſed loquebatur fortaſſe quia filios poſtulabat, hoc eſt bona quidem ſed priuata, non publica. clamabat autẽ Moyſes quia non pro ſe, ſed pro omni populo precabatur.* ſic enim expendit orationem Moyſis Ioſeph lib. 2. antiq. lib. 2. c. vlt. *tu Domine ſcis ipſe, quod nec viribus nec artibus vllum hinc nobis patet effugium, ſupereſt vt ipſe hinc ſalutem populo expedias, qui Ægypto relicta huc eſt delatus ad te ſolum omni alia ſpe, omni auxilio deſtituti confugimus ad tuam tantum prouidentiam quæ ſola nos iratis Ægyptiis eripere, poteſt curre igitur properè & populum iam conclamata ſalutis ad fiduciam & ſpem excita.*

***Qui ſpiritualia & digna Deo petit, dicitur clamare ad Deum.***

*Quid clamas ad me?* Tacuit Moyſes, cum 105
enim ſolum populo non tibi loquentem audiui, qui iam tacet, quomodo clamare dicendus? audiui populum ad te clamantem præ timore, cur ergo non ais ei: quid clamas ad me? quid quæſo poſtulabat in corde ſuo Moyſes? à Deo ſuæ D potentiæ & prouidentiæ virtutem omnibus notam fieri, ſuum ſanctiſſimum nomen in operatione mirabilium omnibus compertum fieri. ne ſciſciteris ergo cur Moyſes clamare dicitur licet labia non moueat quidem quia qui ſpiritualia & digna Deo petit licet mutus ore, clamare cenſendus eſt. hoc ex calamo eiuſdem Ambroſ. deprompſi qui cit. loco ſic ait. *Clamabat populus*
*& non audiebatur, tacebat Moyſes & audiebatur: non enim ad Deum clamabat populus qui iniuſta viris & indigna clamabat, ſed Moyſi dictum eſt quid clamas ad me? hoc eſt tu ſolus ad me clamas qui de me ſperas, tu ſolus ad me clamas* S. Epiſcop. Mediol.

*qui virtutem meam excitas, tu solus ad me clamas qui per vniuersam terram annunciari nomen meum expectas.* Et paulo post inquiens, cur dicatur Christus D. clamasse, si quis sitit, veniat ad me & bibat, Ioann. 7. respondet, *voce inquit verè magna clamabat qui vocabat homines ad regna cælorum.* & iterum, *tu cum oras magna ora, idest ea ora quæ æterna sunt non quæ caduca, noli orare pro pecunia, ærugo est, noli orare pro metallo, quia aurum est, noli orare pro possessione quia terra, ista oratio ad Dominum non peruenit, non audit Deus nisi quod dignum suis ducit esse beneficiis,* quasi ea tantum res quæ ad bona spiritualia pertinet digna sit quæ magnis à Domino clamoribus postuletur & exaudiatur.

*Summo orandum silentio.*

106 *Quid clamas ad me?* Merito obiicere potuit Moyses, nequidem labia aperui, vt loquerer: quomodo ergo me clamasse dicis? ex quo inferunt sancti patres, clamasse corde ad Deum silentio, vnde non immerito auditus imo & exauditus, & sic Cald. habet, suscepi orationem tuam, quæ digna est vt admittatur, si debite & cum silentio fiat. accedat Cassianus hoc docens collat. 9. de orat. c. 34. vbi hoc veterũ monachorũ consilium inculcat. *Summo*, inquit, *orandum est silentio ne fratres astantes susurris vel clamoribus anocemus & orantium sensibus obstrepamus.* hanc eandem rationem inculcat Cæsarius Arelat. hom. 3. *Ante omnia fratres charissimi quoties orationi incumbimus cum silentio & quiete supplicare debemus, nam quicumque voluerit cum alta voce orare, omnibus iuxta se stantibus orationis fructum videtur auferre: rugitus tantum & suspiria, vel gemitus audiantur.*

Cassianus. Cæsarius Arelat. S. Cæsarius.

*Orationes hypocritarum non exaudiuntur.*

107 *Quid clamas ad me?* Cald. suscepi orationem tuam, ad Deum clamasse scimus Israelitas, dicitur enim de eis superius, videntes Ægyptios timuerunt valde, & clamauerunt ad Dominum. an eis dicitur cur clamatis ad me siue suscepi orationem vestram? nequaquam: nonne in periculis constitutos clamantes ad se exaudit Dominus? audiamus quid de eorum clamore dixerit Caiet. quantum subiuncta innuunt, fuit clamor vocis potiusquam cordis; & Lippom. de eis loquens ait, fragilis hypocritarum fides: non inquirendum igitur cur non dixit eis Deus, cur ad me clamatis? hypocritarum enim oratio ab eo minimè exauditur. subscribit B. Chromatius Epis. Aquileiens. cap. 5 Matthæi in illa verba, tu autem cum oraueris intra in cubiculum. *Prohibemur hypocritarum more orationes nostras ostendere, ne meritum gratiæ amittamus: Dominus enim non simulatam ac iactantem, sed simplicem ac fidelem orationem requirit, intra cordis & conscientiæ ipsius secretum à Domino iubemur orare, vt ab eo qui secretorum & occultorum est cognitor, recipiamus orationis occultæ mercedem. religiosæ enim mentis est Deum non clamore vel sono vocis, sed deuotione animi & fide cordis orare.* quod deinceps pluribus illustrat exẽplis. *Sic Danieli cum tribus pueris occultè semper orantibus interpretationes somnij & reuelationum secreta Dominus scire cõcessit, Daniel 2. Cornelius quoque nec dum præceptis Euangelicis eruditus, dum in cubiculo suo secretè & fideliter orat meruit vocem S. Angeli loquentis audire, Actuum 10. Quid de Iona dicã qui non modo cubiculo sed vtero belluæ inclusus in tãtum orans meruit exaudiri, vt de profundo maris, & de ventre tam immanis belluæ, incolumis & viuus euaderet, Jonæ 2. exauditus autem à Deo non quia voce sed quia fide clamabat.*

D. Chroma. Matth.

*Humana necessitas impetrat instar orationis.*

*Quid clamas ad me?* Quomodo clamat cum nulla vox eius vt diximus audiatur? vis scire? tunc sancti clamant cum opera & necessitas eorum muto ore vociferantur: calamitas ipsa sine voce vocalis est, angustia & vrgentior necessitas, clamor est & grãdis clamor, ore muto silet Moyses, sed humana necessitas, & ærumnosa calamitas orat, precatur & deprecatur auxilium, & præsto adest Deus clamosis miseriæ miseriæ vocibus. vnde Cald. suscepi orationem tuam. quod confirmatur ex Ioann. 2. vers. 4. adest Christus nuptiis Cana Galileæ, adest & Christi mater; quæ præsagit vinũ defuturum conuiuis; & præmature pia, supplex accurrit ad filium, aiens: vinũ non habent: cui respondet filius: quid mihi & tibi est mulier? nõdum venit hora mea. cur non annuit Christus piis piæ matris precibus? quid expectat Saluator ad patrationem miraculi? quid quæso extorquebit miraculum, si supplicatio Deiparæ illud non impetrat? Inculenter Chrysost. hom. 20. in Ioannem aiens. *Quid mihi & tibi mulier? alia præterea causa afferri potest non minus necessaria, ne qua in miraculo suspicio oriretur,* (pende verba quæ sundit) *ab indigentibus enim, non à matre id quærendũ erat.* nẽpe tantum miraculum impetrandum erat à Christo, non tam matris quam indigẽtiæ precibus: itaque Iesu mater rogat miraculum, neque tunc annuit Dei filius matris precibus. quis audeat impetrare, quod matri negatur? quæ omnipotentior oratio, quam Mariæ? nulla profecto. at cum Maria postulat, nondum vrget necessitas: nondum venit hora mea. expectat igitur Christus Deus, vt oratio fiat ab vrgenti necessitate: ab indigentibus enim, non à matre id quærendum erat. vt quod non impetrauit Maria, impetraret necessitas, quid exaggeratius?

Chrysost. hom. 20.

*Non magnum vocis clamorem sed inflammati cordis amorem requirit Deus.*

*Quid clamas ad me?* Cald. *suscepi orationem tuã.* Quid? an idem est clamare & exaudiri? ita videtur confirmare Dauid cum ait Psal. 140. Domine clamaui ad te, exaudi me. quid ais Dauid? an quia clamasti, vis exaudiri, & eam affers causam, cur exaudiaris? quid peccauit qui est paruæ & exilis vocis tardæque & impeditioris linguæ? an nõ exaudietur? nonne Iudæi clamabant plusquã omnes & Deus eorum precibus non annuit? magna enim aut exili voce esse præditum sunt naturæ incõmoda vel dona: ea autẽ non faciũt vel vt audiamur, vel vt nõ audiamur. cur ergo dicis clamaui ad te, & exaudisti me? rectè B. Chrysost. in hũc Psal. *Clamorem hîc dicit internum quem cor inflammatũ peperit, & contritus animus quemadmodũ enim qui clamat, omnes vires suas exerit, & exinanit, ita etiam qui corde clamat totam mentem suam conuertit, talem enim clamorem requirit Deus qui non sinat oscitare & eum qui canis ad alia diuertere,* & addit, *Moyses exili voce præditus exaudiebatur.* 108

Psal. 140. B. Chrysost.

*Tacita oratio apud Deum pluries intensius orat.*

*Quid clamas ad me?* Proximi erant Iudæi, & 109

tamen eum non solum clamantem, sed ne loquentem audierunt: an ita surdi vt hominis sibi propinqui non quamcumque vocem sed clamorosam non perceperint? quomodo ergo ad te clamasse asseris? audiamus quid dicat regius Vates Psalm. 118. clamaui in toto corde meo; in quæ verba D. Ambros. *Clamat cor nostrum non sono corporis, sed cogitationum sublimitate concentuque virtutum*: en ergo cur exaudiatur Moyses: tacita enim oratio apud Deú intensius deprecatur: sic loquitur præfatus doctor alibi, *clamat os tuum & cum taces sicut & Moyses cum taceret voce, clamabat spiritu, ab hominibus non audiebatur, apud Deum personabat est enim interioris clamor affectus qui auditur è cœlo, cum effectu redit, quæ cum silentio precabatur obtinet, quia clamabat in eo spiritus Dei, qui etiam tacentibus nobis, clamat Abba Pater.*

Psal. 118. S.Ambros.

*Cor suos clamores habet in oratione.*

110 *Quid clamas ad me?* Si dicendus est clamare, qui tacet, non est dubium quin clamauerit, & vociferatus fuerit vt ait Procopius. sed cum tacere simul & vociferari contrarietatem inuoluere videatur; cur tacente Moyse dicitur tamen clamasse? non clamat voce sed corde, cor enim etiam suos clamores & voces, quibus à Deo exaudiatur, habet; quærit D. Ambros. in Psalm. 40. quam appellet propheta vocem suam, cum ait, clamaui ad te. respondet hanc esse cordis internam. *Quæ nostra est vox, nisi ista quæ est melior, quæ nescit errare: quæ ad Deum peruenit, quæ tacente Moyse clamauit ad Dominum?* vnde Tertullian. *sonos vocis subiectos esse oportet, Deus non vocis sed cordis est auditor sicut conspector.* consentit Philo Carpathius in 4. Cant. Cant. vers. 1. *Aliam pulchritudinem & speciem quamdam interiorem ex taciturnitate huic sponsæ inesse testatur; sæpè enim multi piorum ore quidem tacent, corde vero clamant: gratias Deo preces offerentes, vt B. Moysi tacenti dictum est quid clamas ad me?*

S. Ambros. Tertull. Philo Carp.

*Solus ad Deum clamat qui in Deum sperat.*

111 *Quid clamas ad me?* Nunquid solus inter copiosam populi multitudinem orabat? clamabat Moyses, an solus clamasse dicitur, cum populus omnis clamauerit? clamauit, sed cum diuini auxilij diffidentia, at Moyses solus in Deum spem suam coniecerat, & sic solus clamasse & orasse dicendus. ita calculum suum adijcit Ambros. in Psalm. 118. Octog. 19. dum ait. *Moysi dictum est quid clamas ad me? hoc est quid à me speras? tu solus ad me clamas.* & sane adeo annexa est spes orationi, vt vix spes ab oratione discriminetur, Iob 13. *etiamsi occiderit me in ipso sperabo.* Cald. hoc postremum sic effert, *coram eo orabo*, ac si spes in orationem migret.

S. Episcop. Mediol. Iob 13.

*Oratio etiam ducis strennos & magnanimos efficit milites.*

112 *Quid clamas ad me? loquere filiis Israel vt proficiscantur.* Quomodo proficiscentur, si mente & animo consternati, si à spe alieni, si in desperationem delapsi? dic eis inquit Deus, vt proficiscantur. sunt enim armis instructissimi, & strenui effecti. vnde tam subita mutatio? quid ait Deus Moysi? quid clamas ad me? Cald. suscepi orationem tuam. en vt strenui effecti: oratio enim ducis ex effœminatis magnanimos efficit milites. nescio si ad hoc respiciens S. Ephrem. tract. de oratione dixit. *Oratio corporis robur trophæum atque vexillum belli.* Et sane sancti patres armorum similitudine orationis vim nobis commendauere. S. Nilus instit. ad Monachum, *qui puræ orationis præsidio munitus non est, is in bello armis caret.* ad hanc mentem S. Thomas de Ætrare solitum legimus, animam sine oratione similem militi nudo, qui prœliatur sine armis.

S.Ephrem. S.Nilus.

*Qui proximo detrahit & male operatur, in oratione non exauditur.*

113 *Quid clamas ad me?* Cald. *suscepi orationem tuam.* Clamauerunt ad Deum Israelitæ, an legimus acceptas fuisse eorum preces? an grata fuit eorum deprecatio? nulla mentio fit clamoris eorum, sed solum solius Moysis, vnde hoc? quid in Moysem non dixerunt? in quo ei non detraxerunt? nonne mentiti, hanc mentem fuisse famuli Dei asseruerunt, quod eos eduxisset ex Ægypto, vt miseri in solitudine occumberent? ne mireris ergo, si nulla fit mentio clamoris eorum, qui enim proximo suo detrahit, & malè operatur, minimè in oratione exauditur. ad hanc mentem ita loquitur Tertul. lib. de oratione cap. 11. qui videns aliquos qui solum lotis manibus Deum accedebant precaturi, nulla sordium animæ habita ratione, sic ait. *Cæterum quæ ratio est manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente orationem obire? quando & ipsis manibus spiritales munditiæ sint necessariæ, vt à falso, à cæde, à sæuitia, à veneficiis, ab idololatria, cæterisque maculis, quæ spiritu concepta, manuum opera transfiguntur, puræ allenentur, hæ sunt veræ munditiæ, non quas plerique superstitiose curant ad omnem orationem, etiã cum lauacro totius corporis aquam sumentes.* Vitiorum maculas absterge, fuge detractionem, & cætera vitia, & tunc si ad Deum clamaueris, tuæ admittentur preces.

Tertullian.

*Humilitate & charitate in cœlum oratio vehitur.*

114 *Quid clamas ad me?* Arias Mont. *quid clamabis ad me?* Cald. *suscepi orationem tuam.* Si de futuro clamabit, per cuius clamorem intelligitur deprecatio sua, quomodo Cald. vertit de præterito suscepi orationem tuam? forte vt denotaret ita celeriter ad cœlum peruenisse, vt antequam corde deprecatus fuisset, iam exaudita erat sua oratio. sed quomodo tanta celeritate ad cœlum peruenire potuit? sane duabus alis, nempe humilitate, quis enim humilior Moyse? & charitate, pro populi enim salute & incolumitate deprecabatur. has duas alas requirit in oratione B. Laurentius Iustinian. in tract. de casto connub. cap. 22. *Humilitas & charitas spirituales orationis sunt alæ, quarum remigio vsque ad interiora ingreditur velaminis, vbi verbum in sinu residens paterno, æterna virtute generatur, his alis oratio destituta erigere mentem orantis minimè poterit, neque sciet in sublimia subuolare.*

D. Laurent. Iustin.

A

*In oratione requiritur etiam cooperatio eorum pro quibus deprecamur.*

115 *Quid clamas ad me? loquere filiis Israel vt proficiscantur.* In hoc quod dicis quid clamas ad me? nonne denotas orationem illius gratam & acceptam habuisse? sic enim Cald. habet, suscepi orationem tuam. si ergo illius preces suscepisti pro populi salute, cur præcipis vt proficiscatur? maneat quietus, & in eodem loco otiosus, imo proficiscatur, nam licet Moysis grata Deo fuerit deprecatio, tamen ad hoc vt suum sortiatur effectũ, necessaria est cooperatio eorum pro quibus preces funduntur. quod D. Chrysost. hom. 1. in proœmium ad Thessalonic. rectè expendens ait. *Si nos in virtutis studio seduli fuerimus efficaces erunt & aliorum preces in nobis. si vero desides fuerimus, nemo nos iuuare poterit.* & statim variis exemplis rem illustrat, *profuit quidẽ Iobi oratio amicis suis, iuxta illud Iob. seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam vt non vobis imputetur stultitia, Iob 42. eadem nihilominus oratio Iudæis minimè profutura dicitur iuxta illud Ezech. 14. si fuerint tres viri isti in medio eius Noë, Daniel & Iob, viuo ego dicit Dominus quia nec filios nec filias liberabunt,* qua de causa? quia illi de peccato suo doluerant, hi vero in suo perseuerabant: & deinde concludit, *his itaque cognitis ne sanctorum preces contemnamus, neque totum in illas proiiciamus, hoc quidem ne desideamus, ac temerè insidiis opprimamur, illud vero ne extra multum lucrum & profectum excidamus.*

D Chryso.

Iob c. 42.

Ezech. 14.

B

*Rectores aliorum non satis est vt solum orationi vacent, nisi & eos ad profectum stimulent.*

116 *Quid clamas ad me? loquere filiis Israel vt proficiscantur.* Videris orationem Moysis non approbare, nisi proficiscatur populus, videris orantem quasi arguere ut iubeat populi profectionem, cur si in tanto discrimine populus sit constitutus, si nullũ fugiendi subter fugium apparebat, cur indesinenter pro illius incolumitate non deprecabitur? cur continuo ad te cordis affectu non clamabit? quia rectores aliorum non satis est vt orationi vacent, nisi & eos etiam ad profectum stimulent: quo spectans S. Greg. Naz. oratione 1. de prælatorum munere aduersus occurrentia mala locutus ait. *Ergo aduersus ista iam magna perfectaque fide opus est, tum maiori Dei auxilio, nec parua, vt mihi quidem persuadeo, contentione nostra, quæ partim sermone, partim opere spectatur, atque etiam adhibeatur: siquidem id nobis propositum est, vt animæ probè purgentur. iã quo ad vtriusque medicinæ, corporalis & spiritualis fines attinet, illa nil aliud spectat, quam vt sanitatem conseruet, absentem reuocet huic contra scopus est animæ pennas addere, ac mundam eam eripere Deoque dare.* Ecce tibi quo tendere debet studium rectorum, nimirum vt stimulent per se alios ad Deum, illosque à mundo fugere doceant, non solum verbo, non solum orationi insistendo, sed opere.

S. Gre. Naz.

*Gemitus & lachrymæ cordis in oratione Deum compellunt ad exaudiendum.*

117 *Quid clamas ad me?* Sonum eius non audio, vocem eius agnosco, silentium eius lego, clamorem eius deprehendo. quid est hoc? tacet Moyses, & dicitur vociferari? & non solum vociferari, sed exaudiri, suscepi, inquit Cald. orationem tuam, gemebat Moyses, populi discrimen, lachrymabatur, includebatur enim, persequentibus Ægyptiis, inter mare, & hostes, vndas & gladios; hinc mare spumabat, inde arma coruscabant, hinc aquarum, inde armorum strepitu ne mireris igitur si gemitum hunc, clamorem Deus dixerit & susceperit, gemitus enim & lachrymæ cordis Deum compellunt ad exaudiendum. subscribit B. Hieronym. in Psalm. 5. *Ad Moysem dicitur quid clamas ad me? cum Moyses ante non clamasset: intellige clamorem meum, Apost. ad Galat. 4. clamãtes in cordibus nostris Abba Pater, vtique qui clamat non in lingua clamat, sed in corde. Et quomodo dicit Apostolus clamantes in cordibus nostris? quando igitur gemitus noster deprecatur, illum clamorem intelligit Deus, vnde dicit & Ierem. Thren. non sileat pupilla oculi mei. videte quid dicat non taceat pupilla oculi mei. & aliquando pupilla oculi clamat ad Deum, vtique si clamat lingua clamat, non pupilla oculi. sed quomodo clamamus in cordibus nostris? quando cum gemitu Deum deprecamur, sic quando lachrymas ad Deum fundimus eo tempore pupilla oculi nostri ad Deũ clamat.* Et in c. 4. Epist. ad Galat. *compunctum cor & pro populo lachrymabiliter ingemiscens scriptura clamorem vocauit.*

S. Hieron.

Galat. 4.

Thren. 11

*Cum Deum deprecamur, nihil aliud cogitare debemus.*

118 *Quid clamas ad me?* Ad te clamat, non equidẽ, sed ad populum cum suæ diffidentiæ eum arguit, cum consulit vt omni metu deposito, stent visuri magnalia Dei: verè dixit Deus ad eum quid clamas? & merito, quia qui nihil aliud cogitat deprecans Deum, quam ipsum, ille vere ad eum clamare dicendus est. *Est clamor cordis,* inquit B. August. in Psalm. 118. *magna cogitationis intentio, quæ cum est in oratione, magnum exprimit desiderantis & appetentis affectum, vt non desperet effectum: tunc porro in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur, tales orationes raræ sunt multis, crebræ autem paucis, omnia vero vtrum cuiquam, nescio, talem suam commemorat orationem, qui cantat hunc Psal. dicens, clamaui in toto corde meo exaudi me Domine.*

C

S. August.

*In omni loco verè ad Deum clama, & exaudieris.*

D

119 *Quid clamas ad me?* Cald. *suscepi orationem tuã.* Vbinam deprecatus es? in eremo, cum à tergo persequerentur Ægyptii, & ex altera parte intumesceret mare. an tum ex loco deserto & inuio eius orationem suscepisti? quidni? cum verè ad Deũ preces fuderit, in omni enim loco quicumque sit, vere ad Deum clama, & exaudieris. subscribit B. Chrysost. hom. de muliere Chananæa. *Non quæritur locus ad petendam Dei misericordiam, sed deuotio mentis. Ieremias in lacu cœni demersus erat, fideliter orans Deum promeruit: Daniel in lacum leonum missus, ad se Dei misericordiam inclinauit: tres pueri in camino ardenti erant, & Deo placuerunt: latro in cruce erat & exauditus est fideliter postulando. & nihil obfuit crux sed confessio fidei paradisum aperuit: Iob in sterquilinio erat, & per patientiam suam Deum propitiabatur:*

D. Chrysost.

*quid si & in balneis es, ora, vbicumque fueris ora, templum Dei es tu, & Spiritus sanctus habitat in vobis: voluntas solummodo diuinæ mentis opus, quod si in iudicio assistis ora, & cum irascitur rex, vtique Deus est, non clauditur loco: inuocanti dicit adsum. nam cum eduxisset Moyses populum de Ægypto, & per desertum ad mare rubrum venisset, Ægyptij post tergum insequebantur populum, ante mare fremebant fluctus: Moyses in angustiis erat, tacebat, sed mente grandia cogitabat, in medio tribulationis erat inde Ægyptij insequentes, hinc mare intumescens, ad Dominum igitur mente clamabat, & vox penitus non audiebatur, ideo Dominus dicit ad eum, quid clamas ad me, cum ore quidem non clamaret sed corde, Deus non includitur loco, sed semper in proximo est, & qui in loco non clauditur, fide tenetur.*

*Qui sine fide orat, licet maximè clamet, non exauditur.*

120 *Quid clamas ad me?* Cald. *suscepi orationem tuam.* Vidimus silentem Moysem, & nihilominus dici clamantem, & exauditum, populum autem clamoribus confusis omnia replentem, tamen omnino mutum censeri: an Deus personarum acceptor qui clamorem vnius negligit, silentium alterius acceptat? si populus nullius fide auxilij diuini clamauerit, quid mirum est licet clamauerit non exaudiri? qui enim sine fide orat, licet omnia clamoribus repleat, non exauditur, imo contemnitur eius deprecatio. fauet Rupert. *Hoc planè magnæ gratiæ, hoc dignæ & gratiosæ acceptationis est, dixisse Dominū ad vnum Moysem in tali tempore, quid clamas ad me? quid enim? nonne & Ægyptij clamabant? nonne & antè paulo dictū est qui leuantes oculos suos filij Israel, viderunt Ægyptios post se & timuerūt valde, & clamauerūt ad Dominum clamabant planè? & isti grandemque turbam faciebant vocibus confusis, sed quid sequitur? forsitan inquiunt non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine: ergo clamabant quidem, sed non clamabant digne vt merito diceret eis Deus, quid clamatis ad me? clamabant enim sine fide, qui clamor vanus & indignus creditur Dei auribus.* Rupert.

*Oratio eius efficacissima, qui se conformat Deo quem exorat.*

121 *Quid clamas ad me?* Vniuersi clamabant & vnius clamorem Moysis Deus meminit, & cur inter omnium clamores, solus Moysis clamor exaudiebatur? quid faciebat Moyses tunc, vt eius clamor præ cæteris valeret apud Dominum? Moyses stabilitatem & fortitudinem populis clamabat aiens, state & videte, eo tēpore quo Deus columnæ insidens, populum ducebat. & ideo vox clamantis stabilitatem non potuit non exaudiri præ cæteris à Deo, quando & ipse in columna stabili versabatur: Rupert. *Moyses clamabat nolite timere, state & videte magnalia Dei, rectè igitur solū hunc audiuit, illa columna nubis, illa columna ignis.* quando Deus sub colūna nubis, aut ignis aspectu visebatur, nullius vox citius ab eo auditur, quam ea quæ stabilitatem & firmitudinem clamat, nunquam enim non est efficacissima apud Deum oratio eius qui se ad Dei formam procurat comparare. Rupert.

*Pij de virtutum profectu curare debent, potiusquam de hostibus spiritualibus.*

*Quid clamas ad me? loquere filiis Israel vt proficiscantur.* Quomodo proficiscentur? habent à tergo insequentes Ægyptios, habent & mare quo accinguntur, habent & montes asperrimos & inuios, quos impossibile est ascendere: quomodo ergo proficiscentur? nonne potentissimi hostes sibi metum incutient? proficiscātur, inquit, Deus hoc enim piis vnum cūrandum est, vt in virtutibus proficiant, parum aut nihil curantes hostes spirituales: sic Oleast. *Hoc solum cura esse debet piis, vt proficiscantur, & properent ad virtutes, & non curent prælia quæ aduersus eos excitat sathanas, mundus, aut caro, quoniam habent qui pro eis hostes conterat & debellare studeat.* 122 Oleast.

*Conscientia pura, omnibus aduersus hominem personantibus, secura permanet.*

*Quid clamas ad me?* Illius clamor nihil aliud fuit quam suauissimum cum Deo colloquium, intensissimum cordis desiderium pro salute populi. sed sanctissime vates, nonne vndequaque circumcluderis, mari, rupibus, & Pharaonis copiis sæuientibus, imo & tibi detrahentibus Israelitis? quomodo ergo ò Moyses nihil attonitus, nō timidus, pacifice cum Deo loqueris, aliis vociferantibus & penè in desperationem prolapsis? quia nihil procellosum videtur iis qui sunt puræ conscientiæ, qualis erat Moyses. verum etenim quod dixit Bernard ser. 2. in Festo Omnium Sanctorū, cum stratum componit quiescenti ac iustæ animæ *Hæc est,* inquit, *anima suauissima & saluberrima requies, conscientia munda, quieta, secura; sit ergo Beata animæ culcitra conscientiæ suæ puritas, sit capitale tranquillitas, sit opertorium eius securitas, in hoc dormiat delectabiliter strato, fœliciter requiescat.* 123 D. Bernard.

*Maximè simus etiam apud aduersarios nostros charitatis.*

*Quid clamas ad me?* D. Bernard. serm. 16. in Psal. Qui habitat, Merito non exauditur (inquit) qui clamare dissimulat, aut omnino non postulans, aut trepide postulans, & remisse: siquidem in Dei auribus desiderium vehemens, clamor magnus, è regione autem remissa intentio, vox submissa, quando illa penetrabit nubes? quando audietur in cœlis? nempe vt clamandum sibi nouerit homo, inter primordia suæ orationis, ipsum quem oraturus est patrem in cœlis esse protinus non admonetur. quod videlicet impetu quodam spiritus, illo sibi iaculandam esse meminerit orationem: spiritus est Deus, & in spiritu clamet necesse est, quisquis clamorem suum ad Deum desiderat peruenire: sicut enim non faciem hominis respicit, tanquam homo, sed magis intuetur cor, sic cordis potius vocem quam corporis aures eius, cui merito dicitur, Deus cordis mei. hinc est quod Moyses tacēs intus auditur dicēte Domino, quid clamas ad me? deprecatur ergo Moyses pro populi salute. si conspexit populum sibi infestum & ad conuitia pronum sibique detraxisse, quomodo Deum ei propitium reddere precibus effusis satagit? quis non decet summam erga eum 124 D. Bernard.

oſtendiſſe charitatem, licet ea indignum ſe præbuerit, licet populi murmuratione laceſſitus. hinc B. Paſchaſ. *Clamabat Moyſes magno affectu charitatis pro populo.*

*Licet aliquid ſciamus infallibiliter euenturum, oratio tamen ad illud obtinendum non eſt ſuperflua.*

125 *Quid clamas ad me?* Scilicet deprecans pro populi incolumitate, deſiderium maximum eſt, inquit noſter Seraphicus Doctor lib. de vita Chriſti cap. 62. & magna oratio eſt, & ideo dicit Propheta Pſalm. 9. deſiderium pauperum exau- A diuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua: & Moyſi dixit Dominus, quid clamas ad me? cum ore tunc non clamaret, ſed corde loqueretur; orauit ergo. ſed ô Moyſes, nonne pollicitus eſt Deus qui nec fallere nec falli poteſt, ſe introducturum populum in terram Chanaam? imo nonne ipſe dixit ante quod glorificabitur in Pharaone & in exercitu eius? nonne hoc infallibile? cur ergo orat, ſi certo id eueniet? rectè Gerardus Lorichius. *Moyſes ſecurus de promiſſione non ceſſabat ab oratione, quia ſic oratur ad meritum.* Licet oratio tibi aliquando videatur ſuperflua, tamen meritoria eſt.

Seraph. Doctor. — Gerar. Lori.



## *VARIETAS LECT. Verſ. 16.*

*Vulg.* Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & diuide illud, vt gradiantur filij Iſrael in medio mari per ſiccum.

*Sept.* Finde mare, & ingrediantur filij Iſrael in medium maris per ſiccum.

*Cald.* Tolle virgam tuam, & eleua manum tuam B ſuper mare, & diuide illud.

*Pagn.* Tu erige manum tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & ingredientur filij Iſrael in medium maris per aridam.

*Vatab.* Ingrediantur filij Iſrael intra mare per aridam.

*Schol. Samarit.* in ſolum terræ in ſiccum.

## CONCORDIA.

VErbum Hebræum בקע findere, diuidere, & ſeparare &c. interpretatur. בתוך aliquando medium ſignificat, vt hic exponit Vulg. & C Septuag. aliquando vel intra, vt aliqui Hebraizantes ſic Vatablus qui legit ingrediantur filij Iſrael intra mare.

## EXPOSITIO.

*TV autem eleua virgam tuam, & diuide illud.* Hoc eſt virga illud percute, quaſi aquas diuidere volens. & morali efficacia totum mare in duas partes ſeca, *vt gradiantur filij Iſrael in medio mari*, per ipſum mare altum & vaſtum, medium ergo hic non præciſe ſignificat, ſed medium interpoſitionis. *per ſiccum*, non ſiccum ſolum dumtaxat ſed germinantem quoque maris fundum deſcribit ſapiens.

## CONCEPTVS.

*Diuinæ voluntati famulantur elementa inanimata.*

126 *TV autem eleua virgam & extende manum tuam, & diuide illud.* Quod virga percuſſum mare paulutum diuidatur non miror, ſed quod per illud diuiſum, tanquã ſiccũ & per aridam gradiantur filij Iſrael, hoc opus hic labor eſt. nam quis fluidum elementum coercebit, ne in ſinum ſuum rediens Iſraelitas inuoluat & ſubmergat? ſane diuina omnipotentia, cui etiam elementa inanimata famulantur. accipe Origenem ita ſcribentem. *Iubetur Moyſes virga percutere mare, vt ingrediente populo dehiſcat ac cedat, ac diuinæ voluntati elementorum famulentur obſequia, & aquæ quæ timebantur dexterâ læuaque famulis Dei murus effectæ, perniciem neſciant, ſed & munimen exhibeant.* (Origen.)

*Deo aliquid præcipiente, nihil tibi impoſſibile videri debet.*

127 *Tu autem eleua virgam & extende manum* D *tuam, & diuide illud.* Ad quid? vt gradiantur filij Iſrael in medio mari per ſiccum: quis vnquam audiuit? exercitum qui præ multitudine numerari non poterat, ſiccis pedibus mare tranſiturũ? quis diuiſum mare iter præbuiſſe tranſeuntibus memoria proditum accepit? quomodo ergo Moyſes, Deo dicente, vt extendens manum ſuper mare, vt illo diuiſo gradiantur filij Iſrael per illud ſiccis veſtigijs, fidem adhibet, & quod iubet deinde exequitur? quia Deo aliquid præcipiẽte nihil tibi impoſſibile videri debet. *Iubetur ſcindere baculo mare*, ait Lippom. *quid magis inexpectatum & mirabilius, & tantum credenti impenditur? nihil ergo tam arduum à Domino mandari poteſt etiam introitus in mare pedeſtris, quod fidelis detractet Domini bonitatem cum omnipotentia perpendens vt Moyſes.* (Lippom.)

*Iuſſa ſuperiorũ etiã difficillima, nõ diſcutiẽda.*

*Tu autem eleua virgam & extende manum tuam & diuide illud, vt gradiantur filij Iſrael in medio mari.* Quomodo ô Moyſes, hoc poſſit 128

fieri non inquiris? nonne discutiendum est huiusmodi præceptum, quod tibi imponitur? sensus enim illud renuit, nec possibile indicat ratio: inquire à Deo quomodo fieri potest, vt mare scindatur, & iter per illud tanquam per siccum, faciant Israelitæ? quomodo aquis non submergentur, & si eos non sunt insecuturi Ægyptij? abeunt ab illius mente hæ cogitationes, iussa Dei discutere nescit, non hæret ad ea quæ sibi iubentur, falsæ enim obedientiæ censor, & veræ cultor & amator, iussa superiorum discutere non debet; quod expendit D. Basilius in constitutionibus Monasticis cap. 20. & 23. cuius verba ad lectoris fructum subnectam *Monachi libentissime obtemperent suo Preposito, nec ab illis eorum quæ sibi imponuntur, rationem exposcant.* S. Basil.

*Excipit Deus orationem nostram, si nos suam sequamur voluntatem.*

129 *Tu autem eleua virgam & extende manum tuam, & diuide illud.* Sed cur ante dictū est Moysi immediatè à Deo, quid clamas ad me? Cald. suscepi orationem tuam, & illico illi præcipit, vt virgæ eleuatione mare diuidat? quia excipit Deus orationem nostram, cum scit nos suam executuros voluntatem. *Quæ ratio*, verba sunt Saluiani lib. 3. de gubernatione, *vt doleamus nos non audiri à Deo, cum ipsi Deum non audiamus, vt molestum sit despici à Deo preces nostras cum præcepta eius despiciantur à nobis: excipit Deus orationem nostrā si nos exequamur voluntatem suam*, aliàs minimè. Isaiæ 48. hæc dicit Dominus in tempore placito exaudiui te, Cald. ad nostram mentem vertit in tempore quo vos facitis voluntatem meam, ego suscipio orationes vestras. Saluian. Isai. 48.

*Vult Deus, vt sui agnoscantur miraculorum patratores.*

*Tu autem eleua virgam & extende manum tuam, & diuide mare.* Nonne sicut vnico verbo cœlū & terram creasti, eodem diuidere potes mare, vt per illud incolumes gradiantur Hebræi? quæ virtus in virga, vt tantum possit miraculum operari? ita ministerio virgæ vult diuidi mare, non vt probet fidem prophetæ, sed vt Hebræi videntes illum extendere manum super mare, & illud virga percutientem, sciant & omnis posteritas miraculorum patratorem. non dissentit Abulensis cum ait. *Ista eleuatio virgæ & extensio manus secundum se nihil proderat, quia nullius potentiæ ad hoc agendum erat manus Moysi aut virga eius, sed ista fiebant ad signandum quod Deus mare rubrum diuidebat ad preces Moysi in vtilitatem Hebræorum.* 130



## *VARIETAS LECT. Vers. 17. & 18.*

*Vulg.* Ego autem indurabo cor Ægyptiorum, vt persequantur vos & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus, & in equitibus illius.

*Septuag.* Et ecce indurabo cor Pharaonis, & Ægyptiorum omnium, & ingredientur post eos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius.

*Pag.* Et ecce ego roboro cor Ægyptiorum, & ingredientur post eos.

*Arias Mont.* Et ego ecce roborans cor Ægyptiorum, & ingredientur post eos, & glorificabor in Pharaone, & in omni virtute eius, & in equitibus eius.

*Vulg.* Et scient Ægyptij, quia ego sum Dominus cum glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus, & in equitibus eius.

*Septuag.* Et cognoscent omnes Ægyptij, quia ego sum Dominus & glorificor in Pharaone.

## *CONCORDIA.*

Verum est Vulgatum non posuisse nomen Pharaonis cum loquitur de induratione Ægyptiorū, sed nec in Heb. & Cald. reperitur, licet Septuaginta illud expresserint, sed quod expresserunt ab aliis subintellectum est. vbi Hebraice habetur ויבאו אחריהם veiabou achareem & ingredientur post vos, Vulg. autem legit vt persequantur eos, sed sensus non immutatur, si enim post eos ingressi sunt sane eo fine vt eos persequerentur.

## EXPOSITIO.

Ego autem indurabo cor Ægyptiorum. Obiiciam enim oculis & menti eorum vestra vestigia, quæ ipsi fidenter & audacter insequentur, nescientes sibi laqueum parari, *& persequentur vos*, Deus enim ademit Ægyptiis apprehensionem & timorem incedendi per alueum maris rubri. vnde per illum æque ac per terram animosè ingressi sunt, vt persequerentur Hebræos. sic ergo obcæcauit & obdurauit eos Deus, vt in hanc muscipulam illiceret, caperet & opprimeret. *Et glorificabor in Pharaone*, nomen enim meum celebre in hoc per vniuersum orbem reddetur, *& scient Ægyptij*, qui in Ægypto remanserunt, *quia ego sum Dominus*, solus enim tam stupendum miraculum possum operari, & non alius.



## VARIETAS LECT. Vers. 14.

A Vulg. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.

Arias. Dominus pugnabit vobis, & tacebitis.

## CONCORDIA.

HÆbraica dictio לכם lachem, id est vobis sumitur pro vobis, & ideo recte ita transtulit interpres. nam apud, Ariam Montanum supponenda est illa præpositio.

## EXPOSITIO.

*Dominus pugnabit pro vobis*, Dominus ipse suscipiet pugnam vestram, *& vos tacebitis* id est, quiescetis seu non pugnabitis, ita enim latinum tacere hic & græcum σιγᾶν accipitur pro nihil agere non pro nihil loqui, hic enim plus spondet Moyses & parum erat saluari sine locutione: multum vero erat saluari, sine repugnantia vel defectione, similis acceptio verbi tacere est apud Dauid in psalm. 27. ad te Domine clamabo Deus meus, ne sileas à me, nequando taceas à me & Psalm. 82. Deus quis erit similis tibi, ne taceas, neque compescaris Deus, & apud Isaiam c. 64. vbi cum pius propheta Deum pro populo interpellasset, proposita simul totius populi miseria, Et nunc Domine pater noster es, &c. tandem concludens orationem suam subiungit per interrogationem, nunquid super his continebis te Domine tacebis? id est non auxiliaberi & affliges, seu affligi permittes nos vehementer?

Psalm. 17. — B

## CONCEPTVS.

*Qui nondum in virtute fortis, non pugnat, sed Deus pro eo.*

90 *Dominus pugnabit pro vobis. Quid?* nonne fere sunt sexcenta millia bellatorum? nonne plures ex his armis sunt instructi? ascenderunt enim armati ex Ægypto, inquit sacer contextus, cur ergo ipsi non præliabuntur? cur manus cum hostibus non conferent vt trophæum ex eis referant? clare patet ex præcedentibus quod exiguæ virtutis erant Hebræi, & ideo non mirum eos Deum noluisse in certamen descendere sed pro eis præliari voluisse: arbitror ad hoc respexisse Origen. hom. 11. in Exod. cum ait, *Antequam Israel manducaret panem de cælo & biberet aquam de petra, non refertur populus pugnasse sed dicitur ad eum Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* — Origenes.

*Angeli etiam nostrum exigunt studium.*

91 *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* Integrã populi curam sibi reseruat Deus, neque Hebræos aliquid moliri contra hostes patitur, sed tantum modo spectatores adesse sibi mandat: cæterum post quam Ægypto excessit, post quam pane cælesti pastus est, tandem postquam inuictus processerat, vide quid inclamet Angelus qui Dei iussu populum ductitabat Exod. 17. dixit Moyses ad Iosue, elige viros & egressus pugna contra Amalech non iam spectatores belli exigit, sed milites iam mandat gladium exerere, clypeum obiicere, manus conserere, neque se totos alienæ curæ industriæque committere: cur cum potuit per seipsum delere Amalechitas sicut deleuit funditus Ægyptios, noluit, & Hebræis rem peragendam reliquit? quia sicut sub initium per se rem totam Angeli exequuntur, processu vero temporis nostram etiam operam exigunt. sub scribit Origenes, hom. 6 in Iudices, *Initiis nostris à principibus angelis adiuuamur, cæterum processu temporis oportet nos exire armatos ad prelia.* — D — Psal 82. — Isai 64. — C — Origenes.

*Deus non vult suos in opprobrium prolabi.*

*Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis*, Pugnent ipsi saltem in pœnã suæ detractionis & diffidentiæ de tuo auxilio, ad quid enim tot bellatores, nisi vt prælientur, & victoriam de aduersis referant? non permittit tamen Deus in certamen cum Ægyptus descendere, ne minus eis animosiores superarentur in contumeliam in opprobrium sui populi. mens est Oleast, *Non finit eos præliari* (inquit) *quoniam nouit eorum imbecillitatem, & ideo possent ab aduersariis ignominiose superari.* 92 — Oleaster.

*Deus prompte & facile suum elargitur auxilium.*

*Dominus pugnabit pro vobis.* Ecce Dei auxilium Israeli populo pollicetur: sed in quo digni sunt illius liberalitate? clamauerunt ad Dominum inquit textus, cur ut illico misericordiam Dei suo propulsarunt clamore, accipiunt à Moyse præsentem esse Dei opem? quia Deus prompte & facile suum elargitur auxilium. ita annotat S. Chrysost. in Psalm. 103. *Facilitatem cum qua Deus bona subministrat his verbis indicauit, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate: quemadmodum enim digitos contractos ostendere facile est, eodem quoque modo Deo bona omnia dono dare promptum, & procliue est, & sane* 93 — D — S. Chrysost.

Dominus

Dominus sibi esse Deus non videretur, nisi suorum protector esset: Psal. 117. Dominus mihi adiutor non timebo quid faciat mihi homo, in Hebræo pro Dominus est mihi adiutor, est tantum לי יהוה Dominus mihi, seu vt vertit Hieron. Dominus mecum, ac si adeo annexa protectio Domino sit: Dominum dicens, & adiutorem esse, recte significetur.

Psal. 117.

D. Hieron.

*Qui in deserto sunt, iam de suorum hostium deiectione quasi certi triumphant.*

94 *Deus pugnabit pro vobis.* Et ideo nemini dubium, quin aduersarius superiores euaderent; si enim Deus pro illis quis contra eos? sed vbinam Deus pollicetur pro illis certamen inire & præliari? cum essent in deserto, dixerunt enim superius, melius erat seruire Ægyptiis quam mori in solitudine: nec mirum, nam qui in deserto sunt, iam de suorum hostium deiectione quasi certi triumphant. hic enim Cardinalis Damian opusc. 11. c. 19. quod est de laude vitæ Eremiticæ. *Tu munitio fortium*, inquit, *tu præsidium cedere nescientium pugnatorum. fremat hostium circumfusa barbaries, missilia iaculentur, vibrantium gladium sylua densescat qui in te sunt lorica fidei præmuniti sub imperatoris sui inuicta protectione tripudiant, & de suorum hostium deiectione iam certi triumphant, quibus nimirum dicitur Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.*

S. Petrus Damian.

*Inæstimabilis est Dei etiam erga peccatores misericordia & bonitas.*

95 *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* Cur non ais & vos orabitis, dum in certamen pro vestra defensione descendo? quale quæso beneficium pro se Deum pugnantem habere? sed cur dum pugna committitur solum eis indicitur silentium, non pugna vel saltem oratio? sed quid amplius? cum Moysi detrahunt, cum aduersus eum indigna proferunt, tunc Deus pro eis pugnaturum se pollicetur, vt nobis innotescat ineffabilis & inæstimabilis Dei aduersus peccatores misericordia & bonitas: quod ponderat Seraphinus conclus. 5. *Misericordia qua Deus nunc liberauit eos fuit misericordia plusquam magna, nonne beneficia dare roganti magnam misericordiam arguit? vtique, nonne maiorem si beneficia des non roganti? certè, at si beneficiis dones insultantem contra te hoc verè inæstimabilis misericordia est, & inter misericordiam supremum locum tenet, hac vsus erga populum Israel, nam reuera non tantum legitur quod populus hic Deum pro sui saluatione rogauerit, sed legitur etiam contrarium. quod contrarium? populi murmuratio, populi diffidentia, non recognitio beneficij, imo beneficij pro maleficio, acceptio.*

Seraphin. Porrect.

*In pugna Dei pro nobis silendum, & attente quid pro nobis fiat, attendendum.*

96 *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* Cur Deo pugnante pro nobis tacendum est? nonne cum exercitus cum alio in certamen descendit, tubæ personant, clamoribus cœlum repletur, vt militum accendatur animus? ita equidem, Deus tamen cum in defensionem nostram præliatur, silentium imponit, vult enim vt attentè contemplemur quid pro nobis operetur, nescio si ad id alludens B. Chrysost. serm. quod nulla apud nos recluderet vitiorum & malorum memoria, ait: *Nec non fecit, præcipitur per id omne certaminis tempus, diem noctemque vniuersum nihil aliud exiti, nihil curare, cogitatione & studio contendere, nisi vt certaturi magno animo in agone prodeant, qui vero certatoribus ipsis assistunt, mediatorem nihil manent nisi vt sileat,* adhuc & ... silentium imponat: semper iniungit. *si igitur apud eos qui humanum certamen sunt inituri, tantum cura impenditur, longè magis nobis quibus omnis hæc vita certamen est prospicere rebus nostris sedulo conuenict?* & idem S. Doctor hom. de baptismo Christi *nonne videtis*, inquit, *in certaminibus olympicis dum capite coronam gestans, amictus stola, virgam manu tenens, Agonotheta per forum incedit, quanta sit tranquillitas & modestia dum præco voce denunciat vt omnes sileant ac decenter quiescant; cur non igitur absurdum videatur vt vbi triumphat diabolus tranquillitas tanta sit & silentium, vbi vero Christus ad se vocat tumultus plurimus audiatur? in foro silentium, in Ecclesia clamor, in pelago tranquillitas & in portu tempestas.*

D. Chrysost.

D. Chrysost.

*Cum Deus pugnat pro nobis eum maximè veneremur.*

*Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* 97
Quis nexus pugnæ & silentij, vt cum Deus pugnaturus est, teneantur Hebræi silere? id non miraberis, cum compertum tibi fuerit silentium, & subiectionem siue reuerentiam esse: vbi enim legimus apud Prophetam Regium Psalm. 61. nonne Deo subiecta erat anima mea? in Hebræo ad litteram legitur, attamen ad Deum silebit anima mea; sic vertit etiam S. Hieron. qualiter ad Deum silentium animæ meæ: hunc sensum firmat ex aliis locis Agellius; sic enim ille in hunc Psalm. *Scribit Jeremias in Lamentationibus bonum est expectare cum silentio salutaria Domini, cum silentio hoc est humiliter, patienter solet enim silentium subiectionis esse signum, nam qui subiectus est iussis Domini non repugnat, neque de eo conqueritur. itaque etiam Apostolus silentium fœminis indixit, vt subiectionis indicium. mulieres inquit in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse: cum enim consequens esset vt diceret, sed tacere, dixit quod ferè idem valet subditas esse, docens ad subiectionem pertinere silentium & Habac. 2. sileat à facie eius omnis terra, Sept. reuereatur à facie eius omnis terra,* ne mireris igitur silentium imponi à Deo cum pro nobis præliaturus est; nam tunc maximè ei subiici & eum reuereri debemus.

Psal. 61.

Agellius.

Timot. 2.

Habac. 2.

*Pluris aliquando penditur principis & gubernatoris eloquentia à suis, quam descendere cum hostibus in palæstram.*

*Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* Et 98
plura alia antea eis proposuerat, nolite timere, state, & videte magnalia Dei, quæ facturus est hodie. cur cum animo concidisse, omnino timore perculsos, omni spe abiecta in desperationem prolapsos sensisti, solum verbis demulces & promissis recreas? nonne tu, qui tot mirabilia operatus pro eorum liberatione ab Ægypto solus cum aliquibus in certamen descendere cum hostibus debuisti, non autem cum tempus adesset pugnæ, verba profundere? sed ne Moysem arguamus,

prudentissimi enim gubernatoris plurivs aliquando pendium eloquentia à suis, quam si in certamen cum hostibus descenderet. vnde refert Philo lib. 1. de vita Moysis, quantæ efficaciæ fuerat illius eloquentia ad recreandos suorum animos. *Confirmabat* (inquit) *solabaturque tumultuantes, nolite animo concidere, aliud est humanum, aliud diuinum auxilium. cur tantum credibilibus sermonibus fidem accommodatis? noster adiutor nullis opus habet apparatibus, exitum inuenire in rebus dubiis est Deo proprium. solus ille plusquam vniuersa creatura potest. exercitus iste instructissimus, vt videtis, armis virisque, non terrebit vos, postea internecione totus delebitur submergeturque. vt ne reliquiæ quidem eius in terra maneant, idque non post longum tempus, sed nocte proxima &c.* Philo.

*Militi magnanimo magis placet victoria suo labore parta, sed imbecilli inexperto, alieno sudore adepta.*

99 *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* Nonne in maximum decus & honorem cedit manus cum hostibus conserere, in palæstram descendere, cum eis animosè præliari & trophæum gloriosum referre? cur ergo suorum animos recreans, & ad spem reuocans pollicetur Deum pugnaturum, ipsos vero pugnæ inspectores? quia licet militi generoso & magnanimo grata sit sibi pugna & victoria suo labore parta, timido tamen & imbecilli, qualis tunc erat Iudæus, alieno sudore adepta, & alterius pugna obtenta, iucundissima est.

*Armis accinctissimus est ille gubernator, qui secum strenuos habet milites.*

100 *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* Sic recreat & solatur, eorumque animos reuocat à timore quo nimium perculsi penè conciderant: sed cum omnis eius exercitus ita metu concepto prosternitur & decidit, quomodo constans & infractus animo permanet Moyses? sanè tanquam quid prodigiosum mirari debemus, nam quilibet alius rector & gubernator animo frangeretur, suos sentiens effœminatos, & penè præ metu nullius rationis compotes: nam vt optimè noster Franciscus Panigarola Episcop. in lib. cuius titulus speculum bellorum quæ in sacra continentur scriptura loco 11. num. 6. *Optimis armis instructus est princeps, qui fortissimis cingitur militibus, econtra inarmatus, qui molles & effœminatos habet.* Noster Panigarola.

*Aliquando Deus nec incommodum nostram, laborem nostrum exigit.*

101 *Deus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Quid ad pugnam refert silentium? imo officere videtur, mutus enim non aptus certamini censetur, cum voce & aliquo clamore excitare se debeat, vel alios ad pugnam: hic per silentium non intelligit non loqui, sed non laborare, non operari, non agere: aliquando enim Deus nec laborem nostrum in proprium postulat commodum. annotat Agellius in Psalm. 27. *Dicitur filiis Israel Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, neque tamen ideo dixit vos tacebitis quasi illi muti futuri essent, sed quia nihil laboraturi, nihil facturi*, idem habet Gislerius in cap. 8 Ierem. vers. 14. addens, *nam verbis tacendi & silendi sæpe in sacris litteris præter cessationem à locutione significatur, pariter & cessatio à labore.* Agellius. Gisletius.

*Populus Dei etiam in media pugna securus erit.*

*Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* 102
Quid confert ad pugnam taciturnitas? cur eam Deus exigit à populo suo? cur ergo, dum Deus cum infensissimis & fortissimis militibus pugnaturus est, Israelitæ tacere debent? aduerte ex B. Thoma in cap. 8. Ierem. in illa verba sileamus ibi quia Dominus silere nos fecit, dicente, multiplex est silentium scilicet stuporis Amos. 8. in omni loco proiicietur silentium, longanimitatis Thren. 3. bonum est præstolari cum silentio, salutare Domini, quietis Ecclesi. 8. verba sapientium sicut stimuli & quasi claui in altum defixi, & securitatis, Isai. 32. eritque opus iustitiæ pax & cultus iustitiæ silentium & securitas vsque in sempiternum. dic ergo rectè sequi ex pugna Dei pro populo illius silentium, quis enim Deo pugnante in defensionem suam, securus non manebit? D. Thomas. Amos 8. Thren. 3. Ecclesi. 8. Isai 32.

*Gubernator latissimo sit corde in difficillimis superandis.*

*Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* 103 Vidimus populum ita ex viso Ægyptiorum exercitu, timore perculsum, vt animo omnino concidisset, omni spe salutis abiecta: montibus enim & mari interclusus, nulla fugiendi occasio supererat. quomodo ergo cum ad aures Moysis non solū illius timor, sed & odium in eum perueniret, ita vt parum abfuerat, quin lapidibus obrutus periret, quomodo ergo non coarctatur illius animus? quomodo non consternitur, tum ex Ægyptiorum exercitu, tum ex suorum in se odio & detractione, sed omnia paruipendens, animat, recreat, cōsolatur, imo populo victoriam pollicetur? quia decet gubernatorem maximo animo & latissimo corde esse in difficillimis superandis. vnde 3. Reg. 4. de Salomone dicitur, quod dedit Deus ei sapientiam, & prudentiam multam nimis & latitudinem cordis, sicut arenam quæ est in littore maris. quæ verba sic exponens Abulens. ait. *Dicuntur habere cordis latitudinem, qui ad multa se extendunt tam in expendendo quam in agendo. cor autem strictum habent qui se ad pauca extendunt, Salomon autem habebat cordis latitudinem huiusmodi.* 3. Reg 4. Abulens.



## VARIETAS LECT. Verſ. 15.

**V***Vlg.* Dixitque Dominus ad Moyſen, quid A clamas ad me? loquere filiis Iſrael, vt proficiſcantur.
*Sept.* Loquere filiis Iſrael & diſiungant.
*Cald.* Suſcepi orationem tuam, loquere filiis Iſrael, vt proficiſcantur.
*Arias Mont.* Quid clamabis ad me?
*Procop.* Quid vociferaris ad me?
*Scholias Samariticus.* Tollite caſtra, & abite.

## CONCORDIA.

IN Hebræo eſt אלי תצעק quod eſt futuri temporis, & ſic vertit Arias Mont, tamen rectè de præſenti redditum eſt ab aliis. porro verbum צעק ſignificat fortiter clamare, & ideo per vociferari benè enuntiat Procopius. Septuag. habent ἀναζευξάτωσαν & diſiungant, militare verbum eſt, & ſignificat diſſoluere tentoria, Samariticus ἵνα ἀπάρωσιν quod item ſignificat tollere caſtra.

## EXPOSITIO.

QVid clamas ad me? Non ceſſabat Moyſes B intentiſſima ſupplicatione Deum orare, vt populo ſuo in ipſo vltimo deſperationis cardine conſtituto, ferret opem: quam orationem & vehemens animi deſiderium Deus clamorem vocat: & ſi nonnullis viſum eſt, Deum de populi clamore loqui, quod Moyſes populi perſonam ſuſtineret coacta vtique interpretatione: an autem fuerit oratio cordis vel oris, Ioſephus videtur ſentire fuiſſe oris, ſancti autem potius fuiſſe cordis arbitrantur. cum autem ait quid clamas ad me? non reprehendens eius orationem dicit, ſed blandiendo eum conſolans, docens & excitans ad miraculi ſequentis puta tranſitus maris rubri ſpem & agreſſum. hanc enim vim ſæpe apud Hebræos habet interrogatio, vti illa Chriſti ad matrem, quid mihi & tibi mulier? non caſtigatio ſed probatio ſpei eam exacuens, *loquere filiis Iſrael vt proficiſcantur* vlterius, ſemoto omnium timore, progrediantur.

## CONCEPTVS.

*Bonum publicum magna voce, priuatum voce ſubmiſſa petitur.* C

104 QVid clamas ad me? Ecce non legimus Moyſem nec aperuiſſe labia vt aliquid à Deo peteret, & tamen dicitur ad Deum clamaſſe: & Anna licet ad Deum ſuas preces dirigeret, non dicitur clamaſſe, ſed ait ſacer textus 1. Reg. cap. 1. (1. Reg. 1.) Anna loquebatur in corde ſuo, tantumque illius labia mouebantur, & non penitus audiebatur. cur non dicitur clamaſſe, ſed tantum loqui, cum tamen maximo animi feruore Deum deprecabatur, & Moyſes clamare, & vt vertit Procop. vociferari, cum tamē nihil diceret? quid petebat? bonū publicum ſalutē populi; quid autem Anna? bonum priuatum nempe filios & ſic non miror, quod ſolum diceretur loquuta, non autem clamans, quaſi quodammodo erubeſceret vocem attollere, quia priuatum & temporale bonū petebat, Moyſes autem clamaſſe & vociferari dicitur, quaſi tantum bonum publicum ſit dignum quod magna voce poſtuletur, inculcat Ambroſ. ſerm. 19. in Pſalm. 118. (D. Ambroſ.) *Anna non clamabat ſicut Moyſes in corde ſuo, ſed loquebatur fortaſſe quia filios poſtulabat, hoc eſt bona quidem ſed priuata, non publica, clamabat autē Moyſes quia non pro ſe, ſed pro omni populo precabatur.* ſic enim expendit orationem Moyſis Ioſeph lib. 2. antiq. lib. 2. c. vlt. *tu Domine ſcis ipſe, quod nec viribus nec artibus vllum hinc nobis patet effugium, ſupereſt vt ipſe hinc ſalutem populo expedias, qui Ægypto relictâ huc eſt delatus ad te ſolum omni alia ſpe. omni auxilio deſtituti confugimus ad tuam tantum prouidentiam quæ ſola nos iratis Ægyptiis eripere, poteſt curre igitur properè & populum iam conclamatæ ſalutis ad fiduciam & ſpem excita.*

*Qui ſpiritualia & digna Deo petit, dicitur clamare ad Deum.*

*Quid clamas ad me?* Tacuit Moyſes, cum 105
enim ſolum populo non tibi loquentem audiui, qui iam tacet, quomodo clamare dicendus? audiui populum ad te clamantem præ timore, cur ergo non ais ei, quid clamas ad me? quid quæſo poſtulabat in corde ſuo Moyſes? à Deo ſuæ D potentiæ & prouidentiæ virtutem omnibus notam fieri, ſuum ſanctiſſimum nomen in operatione mirabilium omnibus compertum fieri. ne ſciſciteris ergo cur Moyſes clamare dicitur licet labra non moueat quidem quia qui ſpiritualia & digna Deo petit licet mutus ore, clamare cenſendus eſt. hoc ex calamo eiuſdem Ambroſ. deprompſi qui cit loco ſic ait. (S. Epiſcop. Mediol.) *Clamabat populus & non audiebatur, tacebat Moyſes & audiebatur: non enim ad Deum clamabat populus qui iniuſta viris & indigna clamabat, ſed Moyſi dictum eſt quid clamas ad me? hoc eſt tu ſolus ad me clamas qui de me ſperas, tu ſolus ad me clamas*

*qui virtutem meam excitas, tu solus ad me clamas qui per vniuersam terram annunciari nomen meum expectas.* Et paulo post inquirens, cur dicatur Christus D. clamasse, si quis sitit, veniat ad me & bibat, Ioann. 7. respondet, *voce* inquit *verè magna clamabat qui vocabat homines ad regna cœlorum.* & iterum, *tu cum oras magna ora, idest ea ora quæ æterna sunt non quæ caduca, noli orare pro pecunia, ærugo est, noli orare pro metallo, quia aurum est, noli orare pro possessione quia terra, ista oratio ad Dominum non peruenit, non audit Deus nisi quod dignum suis ducit esse beneficiis*, quasi ea tantum res quæ ad bona spiritualia pertinet digna sit quæ magnis à Domino clamoribus postuletur & exaudiatur.

*Summo orandum silentio.*

106 *Quid clamas ad me?* Merito obiicere potuit Moyses, nequidem labia aperui, vt loquerer: quomodo ergo me clamasse dicis? ex quo inferũt sancti patres, clamasse corde ad Deum silentio, vnde non immerito auditus imo & exauditus, & sic Cald. habet, suscepi orationem tuam, quæ digna est vt admittatur, si debite & cum silentio fiat. accedat Cassianus hoc docens collat. 9. de orat. c. 34. vbi hoc veterũ monachorũ consilium inculcat. *Summo*, inquit, *orandum est silentio ne fratres astantes susurris vel clamoribus a noce-mus & orantium sensibus obstrepamus.* hanc eandem rationem inculcat Cæsarius Arelat. hom. 3. *Ante omnia fratres charissimi quoties orationi incumbimus cum silentio & quiete supplicare debemus, nam quicumque voluerit cum alta voce orare, omnibus iuxta se stantibus orationis fructum videtur auferre: rugitus tantum & suspiria, vel gemitus audiantur*

Cassianus.

Cæsarius Arelat.

S. Cæsarius.

*Orationes hypocritarum non exaudiuntur.*

107 *Quid clamas ad me?* Cald. suscepi orationem tuam, ad Deum clamasse scimus Israelitas, dicitur enim de eis superius, videntes Ægyptios timuerunt valde, & clamauerunt ad Dominum. an eis dicitur cur clamatis ad me siue suscepi orationem vestram? nequaquam: nonne in periculis constitutos clamantes ad se exaudit Dominus? audiamus quid de eorum clamore dixerit Caiet. quantum subiuncta innuunt, fuit clamor vocis potiusquam cordis; & Lippom. de eis loquens ait, fragilis hypocritarum fides: non inquirendum igitur cur non dixit eis Deus, cur ad me clamatis? hypocritarum enim oratio ab eo minimè exauditur. subscribit B. Chromatius Epis. Aquileien. cap. 5 Matthæi in illa verba, tu autem cum oraueris intra in cubiculum *Prohibemur hypocritarum more orationes nostras ostendere, ne meritum gratiæ amittamus: Dominus enim non simulatam ac iactantem, sed simplicem ac fidelem orationem requirit, intra cordis & conscientiæ ipsius secretum à Domino iubemur orare, vt ab eo qui secretorum & occultorum est cognitor, recipiamus orationis occultæ mercedem, religiosæ enim mentis est Deum non clamore vel sono vocis, sed deuotione animi & fide cordis orare.* quod deinceps pluribus illustrat exẽplis, *Sic Danieli cum tribus pueris occultè semper orantibus interpretationes somnij & reuelationum secreta Dominus scire cõcessit, Daniel 2. Cornelius quoque nec dum præceptis Euangelicis eruditus, dum in cubiculo suo, secretè & fideliter orat meruit vocem S. Angeli loquentis audire, Actuum 10. Quid de Iona dicã qui non modo cubiculo sed vtero belluæ inclusus in tãtum orans meruit exaudiri, vt de profundo maris, & de ventre tam immanis belluæ, incolumis & viuus euaderet, Ionæ 2. exauditus autem à Deo non quia voce sed quia fide clamabat.*

D. Chroma. Matth.

*Humana necessitas impetrat instar orationis.*

*Quid clamas ad me?* Quomodo clamat cum nulla vox eius vt diximus audiatur? vis scire? tunc sancti clamant cum opera & necessitas eorum muto ore vociferantur: calamitas ipsa sine voce vocalis est, angustia & vrgentior necessitas, clamor est & grãdis clamor, ore muto silet Moyses, sed humana necessitas, & ærumnosa calamitas orat, precatur & deprecatur auxilium, & præsto adest Deus clamosis mutæ miseriæ vocibus. vnde Cald. suscepi orationem tuam. quod confirmatur ex Ioann. 2. vers. 4. adest Christus nuptiis Cana Galileæ, adest & Christi mater; quæ præsagit vinũ defuturum conuiuis; & præmature pia, supplex accurrit ad filium, aiens: vinũ non habent: cui respondet filius: quid mihi & tibi est mulier? nõdum venit hora mea. cur non annuit Christus piis piæ matris precibus? quid expectat Saluator ad patrationem miraculi? quid quæso extorquebit miraculum, si supplicatio Deiparæ illud non impetrat? luculenter Chrysost. hom. 20. in Ioannem aiens. *Quid mihi & tibi mulier? alia præterea causa afferri potest non minus necessaria, ne qua in miraculo suspicio oriretur,* (pende verba, quæ sequuntur) *ab indigentibus enim, non à matre id quærendũ erat.* nẽpe tantum miraculum impetrandum erat à Christo, non tam matris quam indigẽtiæ precibus: itaque Iesu mater rogat miraculum, neque tunc annuit Dei filius matris precibus. quis audeat impetrare, quod matri negatur? quæ omnipotentior oratio, quam Mariæ? nulla profecto. at cum Maria postulat, nondum vrget necessitas: nondum venit hora mea. expectat igitur Christus Deus, vt oratio fiat ab vrgenti necessitate: ab indigentibus enim, non à matre id quærendum erat. vt quod non impetrauit Maria, impetraret necessitas, quid exaggeratius?

Chrysost. hom. 20.

*Non magnum vocis clamorem sed inflammati cordis amorem requirit Deus.*

108 *Quid clamas ad me?* Cald. *suscepi orationem tuã.* Quid? an idem est clamare & exaudiri? ita videtur confirmare Dauid cum ait Psal. 140. Domine clamaui ad te, exaudi me. quid ais Dauid? an quia clamasti, vis exaudiri, & eam affers causam, cur exaudiaris? quid peccauit qui est paruæ & exilis vocis tardæque & impeditioris linguæ? an nõ exaudietur? nonne Iudæi clamabant plusquã omnes & Deus eorum precibus non annuit? magna enim aut exili voce esse præditum sunt naturæ incõmoda vel dona: ea autẽ non faciũt vel vt audiamur, vel vt nõ audiamur. cur ergo dicis clamaui ad te, & exaudisti me? recte B. Chrysost. in hũc Psal. *Clamorem hîc dicit internum quem cor inflammatũ peperit, & contritus animus quemadmodũ enim qui clamat, omnes vires suas exerit, & exinanit, ita etiam qui corde clamat totam mentem suam conuertit, talem enim clamorem requirit Deus qui non sinat oscitare & eum qui canit ad alia diuertere*, & addit, *Moyses exili voce præditus exaudiebatur.*

Psal. 140.

B. Chrysost.

*Tacita oratio apud Deum pluries intensius orat.*

109 *Quid clamas ad me?* Proximi erant Iudæi, &

tamen eum non solum clamantem, sed ne loquentem audierunt: an ita surdi vt hominis sibi propinqui non quamcumque vocem sed clamorosam non perceperint? quomodo ergo ad te clamasse asseris? audiamus quid dicat regius Vates Psalm. 118. clamaui in toto corde meo; in quæ verba D. Ambros. *Clamat cor nostrum non sono corporis, sed cogitationum sublimitate concentuque virtutum*: en ergo cur exauditur Moyses? tacita enim oratio apud Deũ intensius deprecatur: sic loquitur præfatus doctor alibi, *clamat os tuum & cum tacet sicut & Moyses cum taceret voce, clamabat spiritu, ab hominibus non audiebatur, apud Deum personabat. est enim interioris clamor affectus qui auditur è cælo cum effectu redit, quæ cum silentio precabatur obtinet, quia clamabat in eo spiritus Dei, qui etiam tacentibus nobis, clamat Abba Pater.*

Psal. 118. S. Ambros.

A B

*Cor suos clamores habet in oratione.*

110 *Quid clamas ad me?* Si dicendus est clamare, qui tacet, non est dubium quin clamauerit, & vociferatus fuerit vt ait Procopius. sed cum tacere simul & vociferari contrarietatem inuoluere videatur; cur tacente Moyse dicitur tamen clamasse? non clamat voce sed corde, cor enim etiam suos clamores & voces, quibus à Deo exauditur, habet; quærit D. Ambros. in Psalm. 40. quam appellet propheta vocem suam, cum ait, clamaui ad te. respondet hanc esse cordis internam. *Quæ nostra est vox, nisi ista quæ est melior, quæ nescit errare: quæ ad Deum peruenit, quæ tacente Moyse clamauit ad Dominum?* vnde Tertullian. *sonos vocis subiectos esse oportet, Deus non vocis sed cordis est auditor sicut conspector.* consentit Philo Carpathius in 4. Cant. Cant. vers. 1. *Aliam pulchritudinem & speciem quamdam interiorem ex taciturnitate huic sponsæ inesse testatur, sæpè enim multi piorum ore quidem tacent, corde vero clamant gratis Deo preces offerentes, vt B. Moysi tacenti dictum est quid clamas ad me?*

S. Ambros. Tertull. Philo Carp.

C

*Solus ad Deum clamat qui in Deum sperat.*

111 *Quid clamas ad me?* Nunquid solus inter copiosam populi multitudinem orabat? clamabat Moyses, an solus clamasse dicitur, cum populus omnis clamauerit? clamauit, sed cum diuini auxilij diffidentia, at Moyses solus in Deum spem suam coniecerat, & sic solus clamasse & orasse dicendus. ita calculum suum adijcit Ambros. in Psalm. 118. Octog. 19. dum ait. *Moysi dictum est quid clamas ad me? hoc est quid à me speras? tu solus ad me clamas.* & sane adeo annexa est spes orationi, vt vix spes ab oratione discriminetur, Iob 13. *etiamsi occiderit me in ipso sperabo.* Cald. hoc postremum sic effert, *coram eo orabo,* ac si spes in orationem migret.

S. Episcop. Mediol. Iob 13.

D

*Oratio etiam ducis strenuos & magnanimos efficit milites.*

112 *Quid clamas ad me? loquere filiis Israel vt proficiscantur.* Quomodo proficiscentur, si mente & animo consternati, si à spe alieni, si in desperationem delapsi? dic eis inquit Deus, vt proficiscantur. sunt enim armis instructissimi, & strenui effecti. vnde tam subita mutatio? quid ait Deus Moysi: quid clamas ad me? Cald. suscepi orationem tuam. en vt strenui effecti: oratio enim ducis ex effœminatis magnanimos efficit milites. nescio si ad hoc respiciens S. Ephrem. tract. de oratione dixit. *Oratio corporis robur trophæum atque vexillum belli.* Et sane sancti patres armorum similitudine orationis vim nobis commendauere. S. Nilus instit. ad Monachum, *qui pura orationis præsidio munitus non est, is in bello armis caret*, ad hanc mentem S. Thomas de Villanueva ... solitum legimus, animam sine oratione similem militi nudo, qui præliatur sine armis.

S. Ephrem. S. Nilus.

*Qui proximo detrahit & male operatur, in oratione non exauditur.*

*Quid clamas ad me?* Cald. *suscepi orationem tuam.* Clamauerunt ad Deum Israelitæ, an legimus acceptas fuisse eorum preces? an grata fuit eorum deprecatio? nulla mentio fit clamoris eorum, sed solum solius Moysis, vnde hoc? quid in Moysem non dixerunt? in quo ei non detraxerunt? nonne mentiti, hanc mentem fuisse famuli Dei asseruerunt, quod eos eduxisset ex Ægypto, vt miseri in solitudine occumberent? ne mireris ergo, si nulla fit mentio clamoris eorum, qui enim proximo suo detrahit, & malè operatur, minimè in oratione exauditur. ad hanc mentem ita loquitur Tertul. lib. de oratione cap. 11. qui videns aliquos qui solum lotis manibus Deum accedebant precaturi, nulla sordium animæ habita ratione, sic ait. *Cæterum quæ ratio est manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente orationem obire? quando & ipsis manibus spiritales munditiæ sint necessariæ, vt à falso, à cæde, à sæuitia, à veneficiis, ab idololatria, cæterisque maculis, quæ spiritu concepta, manuum opera transfiguntur, pura alleuentur. hæ sunt veræ munditiæ, non quas plerique superstitiose curant ad omnem orationem, etiã cum lauacro totius corporis aquam sumentes.* Vitiorum maculas absterge, fuge detractionem, & cætera vitia, & tunc si ad Deum clamaueris, tuæ admittentur preces. 113

Tertullian.

*Humilitate & charitate in cælum oratio vehitur.*

*Quid clamas ad me?* Arias Mont. *quid clamabis ad me?* Cald. *suscepi orationem tuam.* Si de futuro clamabit, per cuius clamorem intelligitur deprecatio sua, quomodo Cald. vertit de præterito suscepi orationem tuam? forte vt denotaret ita celeriter ad cælum peruenisse, vt antequam corde deprecatus fuisset, iam exaudita erat sua oratio. sed quomodo tanta celeritate ad cælum peruenire potuit? sane duabus alis, nempe humilitate, quis enim humilior Moyse? & charitate, pro populi enim salute & incolumitate deprecabatur. has duas alas requirit in oratione B. Laurentius Iustinian. in tract. de casto connub. cap. 22. *Humilitas & charitas spirituales orationis sunt alæ, quarum remigio vsque ad interiora ingreditur velaminis, vbi verbum in sinu residens paterno, æterna virtute generatur, his alis oratio destituta erigere mentem orantis minimè poterit, neque sciet in sublimia subuolare.* 114

D. Laurent. Iustin.

*In oratione requiritur etiam cooperatio eorum pro quibus deprecamur.* A

115 *Quid clamas ad me? loquere filiis Israel vt proficiscantur.* In hoc quod dicis quid clamas ad me? nonne denotas orationem illius gratam & acceptam habuisse? sic enim Cald. habet, suscepi orationem tuam. si ergo illius preces suscepisti pro populi salute, cur præcipis vt proficiscatur? maneat quietus, & in eodem loco otiosus, imo proficiscatur, nam licet Moysis grata Deo fuerit deprecatio, tamen ad hoc vt suum sortiatur effectũ, necessaria est cooperatio eorum pro quibus preces funduntur. quod D. Chrysost. hom. 1. in priorem ad Thessalonic. rectè expendens ait. (D Chryso.) *Si nos in in virtutis studio seduli fuerimus efficaces erunt & aliorum preces in nobis. si vero desides fuerimus, nemo nos iuuare poterit.* & statim variis exemplis rem illustrat, *profuit quidẽ Jobi oratio amicis suis,* B *iuxta illud Iob seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam vt non vobis imputetur stultitia, Iob* (Iob c. 42.) *42. eadem nihilominus oratio Iudæis minimè profutura dicitur iuxta illud Ezech 14.* (Ezech. 14.) *si fuerint tres viri isti in medio eius Noë, Daniel & Iob, viuo ego dicit Dominus quia nec filios nec filias liberabunt,* qua de causa? quia illi de peccato suo doluerant, hi vero in suo perseuerabant: & deinde concludit, *his itaque cognitis ne sanctorum preces contemnamus, neque totum in illas proiiciamus, hoc quidem ne desideamus, ac temerè insidiis opprimamur, illud vero ne extra multum lucrum & profectum excidamus.*

*Rectores aliorum non satis est vt solum orationi vacent, nisi & eos ad profectum stimulent.* C

*Quid clamas ad me? loquere filiis Israel vt proficiscantur.* 116 Videtis orationem Moysis non approbare, nisi proficiscatur populus, videtis orantem quasi arguere ni iubeat populi profectionem, cur si in tanto discrimine populus sit constitutus, si nullũ fugiendi subter fugium appareat, cur indesinenter pro illius incolumitate non deprecabitur? cur continuo ad te cordis affectu non clamabit? quia rectores aliorum non satis est vt orationi vacent, nisi & eos etiam ad profectum (S.Gre.Naz.) stimulent: quo spectans S. Greg. Naz. oratione 1. de prælatorum munere aduersus occurrentia mala locutus ait. *Ergo aduersus ista iam magna perfectaque fide opus est, tum maiori Dei auxilio, nec parua, vt mihi quidem persuadeo, contentione* D *nostra, quæ partim sermone, partim opere spectatur, atque etiam adhibeatur: siquidem id nobis propositum est, vt animæ probè purgentur. iã quo ad vtriusque medicinæ, corporalis & spiritualis fines attinet, illa nil aliud spectat, quam vt sanitatem conseruet, absentem reuocet huic contra scopus est animæ pennas addere, ac mundam eam eripere Deoque dare.* Ecce tibi quo tendere debet studium rectorum, nimirum vt stimulent per se alios ad Deum, illosque à mundo fugere doceant, non solum verbo, non solum orationi insistendo, sed opere.

*Gemitus & lachrymæ cordis in oratione Deum compellunt ad exaudiendum.*

117 *Quid clamas ad me?* Sonum eius non audio, vocem eius agnosco, silentium eius lego, clamorem eius deprehendo. quid est hoc? tacet Moyses, & dicitur vociferari? & non solum vociferari, sed exaudiri, suscepi, inquit Cald. orationem tuam, gemebat Moyses, populi discrimen, lachrymabatur, includebatur enim, persequentibus Ægyptiis, inter mare, & hostes, vndas & gladios; hinc mare spumabat, inde arma coruscabant, hinc aquarum, inde armorum strepitus: ne mireris igitur si gemitum hunc, clamorem Deus dixerit & susceperit, gemitus enim & lachrymæ cordis Deum compellunt ad exaudiendum. subscribit B. Hieronym. in Psalm. 5. (S. Hieron.) *Ad Moysem dicitur quid clamas ad me? cum Moyses ante non clamasset: intellige clamorem meum, Apost. ad Galat. 4. clamãtes in cordibus nostris Abba Pater,* (Galat. 4) *vtique qui clamat non in lingua clamat, sed in corde. Et quomodo dicit Apostolus clamantes in cordibus nostris? quando igitur gemitus noster deprecatur, illum clamorem intelligit Deus, vnde dicit & Ierem. Thren. non sileat pupilla oculi mei videte quid* (Thren. 2) *dicat non taceat pupilla oculi mei, & aliquando pupilla oculi clamat ad Deum, vtique si clamat lingua clamat, non pupilla oculi, sed quomodo clamamus in cordibus nostris? quando cum gemitu Deum deprecamur, sic quando lachrymas ad Deum fundimus eo tempore pupilla oculi nostri ad Deũ clamat.* Et in c. 4. Epist. ad Galat. *compunctum cor & pro populo lachrymabiliter ingemiscens scriptura clamorem vocauit.*

*Cum Deum deprecamur, nihil aliud cogitare debemus.*

*Quid clamas ad me?* Ad te clamat, non equidẽ, sed ad populum cum suæ diffidentiæ eum arguit, 118 C cum consulit vt omni metu deposito, stent visuri magnalia Dei: verè dixit Deus ad eum quid clamas? & merito, quia qui nihil aliud cogitat deprecans Deum, quam ipsum, ille vere ad eum clamare dicendus est. *Est clamor cordis,* inquit B. (S. August.) August. in Psalm. 118. *magna cogitationis intentio, quæ cum est in oratione, magnum exprimit desiderantis & appetentis affectum, vt non desperet effectum: tunc porro in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur, tales orationes raræ sunt multis, crebræ autem paucis, omnia vero vtrum cuiquam, nescio, talem suam commemorat orationem, qui cantat hunc Psal. dicens, clamaui in toto corde meo exaudi me Domine.*

*In omni loco verè ad Deum clama, & exaudieris.* D

*Quid clamas ad me?* Cald. *suscepi orationem tuã.* 119 Vbinam deprecatus es? in eremo, cum à tergo persequerentur Ægyptii, & ex altera parte intumesceret mare. an tum ex loco deserto & inuio eius orationem suscepisti? quidni? cum verè ad Deũ preces fuderit, in omni enim loco quicumque sit, vere ad Deum clama, & exaudieris subscribit B. Chrysost. hom. de muliere Chananæa. *Non quæritur locus ad petendam Dei misericor-* (D. Chrysost.) *diam sed deuotio mentis. Jeremias in lacu cœni demersus erat, fideliter orans Deum promeruit: Daniel in lacum leonum missus, ad se Dei misericordiam inclinauit: tres pueri in camino ardenti erant, & Deo placuerunt: latro in cruce erat & exauditus est fideliter postulando, & nihil obfuit crux sed confessio fidei paradisum aperuit: Iob in sterquilinio erat, & per patientiam suam Deum propitiabatur:*

*quid si & in balneis es. ora, vbicumque fueris ora, templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis: voluntas solummodo diuinæ mentis opus. quod si in iudicio assistis ora, & cum irascitur rex, vtique Deus est, non clauditur loco: inuocanti dicit adsum. nam cum eduxisset Moyses populum de Ægypto, & per desertum ad mare rubrum venisset. Ægyptij post tergum insequebantur populum, ante mare fremebant fluctus: Moyses in angustiis erat, tacebat, sed mente grandia cogitabat, in medio tribulationis erat inde Ægyptij insequentes, hinc mare intumescens, ad Dominum igitur mente clamabat, & vox penitus non audiebatur, ideo Dominus dicit ad eum, quid clamas ad me, cum ore quidem non clamaret sed corde, Deus non includitur loco, sed semper in proximo est. & qui in loco non clauditur, fide tenetur.*

*Qui sine fide orat, licet maximè clamet, non exauditur.*

120 *Quid clamas ad me?* Cald. *suscepi orationem tuam.* Vidimus silentem Moysem, & nihilominus dici clamantem, & exauditum, populum autem clamoribus confusis omnia replentem, tamen omnino mutum censeri: an Deus personarum acceptor qui clamorem vnius negligit, silentium alterius acceptat? si populus nullius fide auxilij diuini clamauerit, quid mirum est licet clamauerit non exauditi? qui enim sine fide orat, licet omnia clamoribus repleat, non exauditur, imo contemnitur eius deprecatio fauet Rupert. *Hoc planè magnæ gratiæ, hoc dignæ & gratiosæ acceptationis est, dixisse Dominū ad vnum Moysem in tali tempore, quid clamas ad me? quid enim? nonne & Ægyptij clamabant? nonne & antè paulo dictū est quod leuantes oculos suos filij Israel, viderunt Ægyptios post se & timuerūt valde. & clamauerūt ad Dominum clamabant planè? & isti grandemque turbam faciebant vocibus confusis, sed quid sequitur? forsitan inquiunt non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine: ergo clamabant quidem, sed non clamabant digne vt merito diceret eis Deus, quid clamatis ad me? clamabant enim sine fide, qui clamor vanus & indignus creditur Dei auribus.* Rupert.

*Oratio eius efficacißima, qui se conformat Deo quem exorat.*

121 *Quid clamas ad me?* Vniuersi clamabant & vnius clamorem Moysis Deus meminit, & cur inter omnium clamores, solus Moysis clamor exaudiebatur? quid faciebat Moyses tunc, vt eius clamor præ cæteris valeret apud Dominum? Moyses stabilitatem & fortitudinem populis clamabat aiens, state & videte, eo tēpore quo Deus columnæ insidens, populum ducebat. & ideo vox clamantis stabilitatem non potuit non exaudiri præ cæteris à Deo, quando & ipse in columna stabili versabatur: Rupert. *Moyses clamabat nolite timere, state & videte magnalia Dei, rectè igitur solū hunc audiuit, illa columna nubis, illa columna ignis.* quando Deus sub colūna nubis, aut ignis aspectu visebatur, nullius vox citius ab eo auditus, quam ea quæ stabilitatem & firmitudinem clamat, nunquam enim non est efficacissima apud Deum oratio eius qui se ad Dei formam procurat comparare. Rupert.

*Pij de virtutum profectu curare debent, potiusquam de hostibus spiritualibus.*

*Quid clamas ad me? loquere filiis Israel vt proficiscantur.* Quomodo proficiscentur? habent à tergo insequentes Ægyptios, habent & mare quo accinguntur, habent & montes asperrimos & inuios, quos impossibile est ascendere: quomodo ergo proficiscentur? nonne potentissimi hostes sibi metum incutient? proficiscātur, inquit, Deus hoc enim piis vnum curandum est, vt in virtutibus proficiant, parum aut nihil curantes hostes spirituales: sic Oleast. *Hoc solum curæ esse debet piis, vt proficiscantur, & properent ad virtutes, & non curent prælia quæ aduersus eos excitat sathanas mundus, aut caro, quoniam habent qui pro eis hostes conterat & debellare studeat.* 122 Oleast.

*Conscientia pura, omnibus aduersus hominem personantibus, secura permanet.*

*Quid clamas ad me?* Illius clamor nihil aliud fuit quam suauissimum cum Deo colloquium, 123 intensissimum cordis desiderium pro salute populi. sed sanctissime vates, nonne vndequaque circumcluderis, mari, rupibus, & Pharaonis copiis sæuientibus, imo & tibi detrahentibus Israelitis? quomodo ergo ô Moyses nihil attonitus, nō timidus, pacifice cum Deo loqueris, aliis vociferantibus & penè in desperationem prolapsis? quia nihil procellosum videtur iis qui sunt puræ conscientiæ, qualis erat Moyses. verum etenim quod dixit Bernard ser. 2. in Festo Omnium Sanctorū, cum stratum componit quiescenti ac iustæ animæ *Hæc est,* inquit, *animæ suauissima & saluberrima requies, conscientia munda, quieta, secura; sit ergo B. animæ culcitra conscientiæ suæ puritas, sit capitale tranquillitas, sit opertorium eius securitas, in hoc dormiat delectabiliter strato, fœliciter requiescat.* D. Bernard.

*Maxima simus etiam apud aduersarios nostros charitatis.*

*Quid clamas ad me?* D. Bernard. serm 16. in Psal. Qui habitat, Merito non exauditur (inquit) 124 D. Bernard. qui clamare dissimulat, aut omnino non postulans, aut trepide postulans, & remisse: siquidem in Dei auribus desiderium vehemens, clamor magnus, è regione autem remissa intentio, vox submissa, quando illa penetrabit nubes? quando audietur in cœlis? nempe vt clamandum sibi nouerit homo, inter primordia suæ orationis, ipsum quem oraturus est patrem in cœlis esse protinus non admonetur, quod videlicet impetu quodam spiritus, illo sibi iaculandam esse meminerit orationem: spiritus est Deus, & in spiritu clamet necesse est, quisquis clamorem suum ad Deum desiderat peruenire: sicut enim non faciem hominis respicit, tanquam homo, sed magis intuetur cor, sic cordis potius vocem quam corporis aures eius, cui merito dicitur, Deus cordis mei. hinc est quod Moyses tacēs intus auditur dicēte Domino, quid clamas ad me? deprecatur ergo Moyses pro populi salute. si conspexit populum sibi infestum & ad conuitia pronum sibique detraxisse, quomodo Deum ei propitium reddere precibus effusis satagit? quis non decet summam erga eum

fieri non inquiris? nonne discutiendum est huiusmodi præceptum, quod tibi imponitur? sensus enim illud renuit, nec possibile iudicat ratio: inquire à Deo quomodo fieri potest, vt mare scindatur, & iter per illud tanquam per siccum, faciant Israelitæ? quomodo aquis non submergentur, & si eos non sunt insecuturi Ægyptij? absunt ab illius mente hæ cogitationes, iussa Dei discutere nescit, non hæret ad ea quæ sibi iubentur, falsæ enim obedientiæ censor, & veræ cultor & amator, iussa superiorum discutere non debet; quod expendit D. Basilius in constitutionibus Monasticis cap. 20. & 23. cuius verba ad lectoris fructum subijciam *Monachi libentissime obtemperent suo Præposito, nec ab illis eorum quæ sibi imponuntur, rationem exposcant.*

S. Basil.

*Excipit Deus orationem nostram, si nos suam sequamur voluntatem.*

129 *Tu autem eleua virgam & extende manum tuam, & diuide illud.* Sed cur ante dictũ est Moysi immediatè à Deo quid clamas ad me? Cald. suscepi orationem tuam, & illico illi præcipit, vt virgæ eleuatione mare diuidat? quia excipit Deus orationem nostram, cum scit nos suam executuros voluntatem. *Quæ ratio*, verba sunt Saluiani lib. 3. de gubernatione, *vt doleamus nos non audiri à Deo, cum ipsi Deum non audiamus, vt molestum sit despici à Deo preces nostras cum præcepta eius despiciantur à nobis: excipit Deus orationem nostrã si nos exequamur voluntatem suam*, aliàs minimè Isaiæ 48. hæc dicit Dominus in tempore placito exaudiui te, Cald. ad nostram mentem vertit in tempore quo vos facitis voluntatem meam, ego suscipio orationes vestras.

Saluian.

Isai. 48.

*Vult Deus, vt sui agnoscantur miraculorum patratores.*

*Tu autem eleua virgam & extende manum tuam,* 130
*& diuide mare.* Nonne sicut vnico verbo cœlũ & terram creasti, eodem diuidere potes mare, vt per illud incolumes gradiantur Hebræi? quæ virtus in virga, vt tantum possit miraculum operari? ita ministerio virgæ vult diuidi mare, non vt probet fidem prophetæ, sed vt Hebræi videntes illum extendere manum super mare, & illud virga percutientem, sciant & omnis posteritas miraculorum patratorem. non dissentit Abulẽsis qui ait. *Ista eleuatio virgæ & extensio manus secundum se nihil proderat, quia nullius potentiæ ad hoc agendum erat manus Moysi aut virga eius, sed ista fiebant ad signandum quod Deus mare rubrum diuidebat ad preces Moysi in vtilitatem Hebræorum.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 17. & 18.*

**V**Vlg. Ego autem indurabo cor Ægyptiorum, vt persequantur vos & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus, & in equitibus illius.

*Septuag.* Et ecce indurabo cor Pharaonis, & Ægyptiorum omnium, & ingredientur post eos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius.

*Pag.* Et ecce ego roboro cor Ægyptiorum, & ingredientur post eos.

*Arias Mont.* Et ego ecce roborans cor Ægyptiorum, & ingredientur post eos, & glorificabor in Pharaone, & in omni virtute eius, & in equitibus eius.

*Vulg.* Et scient Ægyptij, quia ego sum Dominus cum glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus, & in equitibus eius.

*Septuag.* Et cognoscent omnes Ægyptij, quia ego sum Dominus & glorificor in Pharaone.

## *CONCORDIA.*

**V**Erum est Vulgatum non posuisse nomen Pharaonis cum loquitur de induratione Ægyptiorũ, sed nec in Heb. & Cald. reperitur, licet Septuaginta illud expresserint, sed quod expresserunt ab aliis subintellectum est. vbi Hebraice habetur ויבאו אחריהם veiabou acharehem & ingredientur post vos, Vulg. autem legit vt persequantur eos, sed sensus non immutatur, si enim post eos ingressi sunt sane eo fine vt eos persequerentur.

## EXPOSITIO.

**E**Go autem indurabo cor Ægyptiorum. Obijciam enim oculis & menti eorum vestra vestigia, quæ ipsi fidenter & audacter insequentur, nescientes sibi laqueum parari, *& persequentur vos*, Deus enim ademit Ægyptiis apprehensionem & timorem incedendi per alueum maris rubri. vnde per illum æque ac per terram animosè ingressi sunt, vt persequerentur Hebræos. sic ergo obcæcauit & obdurauit eos Deus, vt in hanc muscipulam illiceret, caperet & opprimeret. *Et glorificabor in Pharaone*, nomen enim meum celebre in hoc per vniuersum orbem reddetur, *& scient Ægyptij*, qui in Ægypto remanserunt, *quia ego sum Dominus*, solus enim tam stupendum miraculum possum operari, & non alius.

## CONCEPTVS.

*Qui impiis obsecuti sunt in malo, cum eis malè pereunt.*

131 *EGo autem indurabo cor Ægyptiorum & persequētur vos*, quid inde? *& glorificabor in Pharaone & in omni exercitu eius*. Cum omnes fluctibus maris oppressero, nonne satis erat regem Ægyptiorum submergi? sic enim exercitus eius tanto miraculo conspecto ad meliorē frugem reuocaretur: merito non solum rex Ægyptiorū & exercitus eius suffocatur, qui enim impiis obsecuti sunt in malo, æquum est vt cum iis malè pereāt, suffragatur auctor, Catenæ aureæ. *Dominus se prodit & testatur auctorem obstinationis impij cordis Pharaonis quem omnes serui sequentur & obsequentur ad iudicium mortis, qui illi dudum obedierant sponte impiorum hominum oppressione, & innocentis sanguinis effusione.* Lippom.

*Non solum celebre redditur nomen Dei in iustorum protectione, sed etiam in impiorum punitione.*

132 *Ego autem indurabo cor Ægyptiorum & persequētur vos, & glorificabor in Pharaone & in exercitu eius.* In quo glorificaberis? in submersione eorum. nonne principis gloria elucescit, cum scit condonare non autem cum exigat grauissimas ab iis qui deliquerunt, pœnas? cur ergo Deus in tot hominum suffocatione glorificabitur? si impij & in malo obstinati, cur non glorificabitur in exigendo ab eis grauissimo supplicio? non enim solum redditur celebre nomē eius in iustorum protectione, sed in impiorum punitione. suffragatur Epis. Metonēsis. *Gloriosus apparebit propter mortem Pharaonis, subuersionem curruum & exercitus eius: & profectò ita fuit, nam ex hoc mirabili interitu glorificatum & celebratum est nomen Domini in toto orbe terrarum, primum quod sit clementissimus & potentissimus adiutor suorum in necessitatibus: deinde quod sit seuerissimus vltor in eos qui non solum à vitiis non resipiscunt, sed etiam Dei mandata & populum eius persequuntur, sic glorificatur Dominus iudicia faciens, & innotescit iustitia eius cum omnipotentia, sic reges, currus, equites, & milites à Domino vincuntur.* Auctor Catenæ aureæ.

*Iustorum gloria & Domini splendor à cruce.*

133 *Ego autem indurabo cor Pharaonis, & glorificabor in omni exercitu eius.* Cur vt Deus glorificaretur in Pharaone & in omni milite eius, necessarium fuit præmitti eleuationem Mosaicæ virgæ? in præcedenti enim versu dictum est Moysi, tu autem eleua virgam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud. nonne poterat diuidi, & Deus glorificari in Pharaone, nec non in omni exercitu eius, quin prius virgam eleuaret Moyses? cur ergo ad hanc glorificationē non accedit Deus quin extendatur potius virga eleuata? diximus in virga Moysis, crucem sanctissimā adumbrari, sic & B. August. serm. 90. de tempore. quid ergo mirum si prius eleuatur virga, deinde glorificatur Deus nec non Israelitæ in submersione Pharaonis & exercitus eius? quia iustorum gloria & splendor Domini in cruce qua Pharao tartareus, & omnes aëreæ potestates superātur, iudicio verba August. *In virga mysterium sanctæ crucis agnoscite, & verum est fratres, attendite enim & videte, quod nisi virga supra mare eleuetur, populus Dei de Pharaonis potestate non tollitur sic est fratres charissimi, si sancta crux eleuata non esset, christianus populus in æternum perisset. eleuata vero virga, id est, cruce erecta, cedit mare cedunt & fluctus eius hoc est vincitur mundus, & mundi istius potestates.* D. August.

*Pij & impij diuersimode Deum agnoscunt.*

*Ego indurabo cor Ægyptiorum & glorificabor in Pharaone, & scient Ægyptij quia ego Dominus.* 134
Si Ægyptij & Israelitæ cognoscunt te Deū omnipotentem, qui tot operatus es mirabilia, quod inter vtrosque discrimen? maximum equidem, nam coactè primi, alij liberè non solum in bonis, sed etiam in malis fatentur ac reuerentur. *Hoc interest*, inquit Oleast. *inter bonos & malos, quod mali cognoscunt Deum in malis, boni in bonis, & malis, cum illis malefacit isti cum sibi benefacit Deus, in domibus eius cognoscetur ait Psalm. cum susceperit eam Psal. 47. scilicet sion, de reprobis vero erubescant & conturbentur in sæculum sæculi & confundantur, & pereant, & cognoscant quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra.* Oleast. Psal. 47.

*Pœna inflicta mœrenti, aliis vtilissima.*

*Ego indurabo cor Ægyptiorum & glorificabor in Pharaone*, ab eo pœnas indurationis suæ meritas exigens: *& scient Ægyptij quia ego Dominus:* 135
quinam Ægyptij? an illi qui fluctibus maris violenter suffocati misere perierunt? non inquam, sed qui remanserunt in Ægypto incolumes. sic enim Deus etiam ex flagellis, mœroribus, inflictis, emendationem elicit. annuit B. August. lib. 2. in Exod. c. 18. *Vt tale haberet cor Pharao vt patientiā Dei non moueretur ad pietatem, sed potius ad impietatem vitij proprij fuit, quod vero facta sunt ea quibus cor suo vitio tam malignum resisteret iussionibus Dei, hoc est enim quod dicitur induratum, quia non flexibiliter resistebat dispensationis fuit diuinæ, qua tali cordi non solum iusta, sed euidenter iusta pœna parabatur, qua timentes Deum corrigerentur.*



## *VARIETAS LECT. Vers.* 19.

*VVlg.* Tollensque se Angelus Dei qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, & cum eo pariter columna nubis priora dimittens.

*Septuag.* Promouit autem Angelus Dei, qui præibat castra filiorum Israel, & iuit à tergo, promouit autem & columna nubis à facie eorum, & stetit à tergo eorum.

*Onk.* Et procedens Angelus Domini, qui præcedebat Israel abiit post eos.

*Pag.* Et profectus est Angelus Dei, qui ibat ante

turmam Israel, & iuit à tergo eorum, & profecta est columna nubis ante eos, & stetit ante eos.

*Arias Mont.* Et profectus est Angelus Dei, A qui ibat antè turmam Israel, & iuit à tergo eorũ, & profecta est columna nubis à facie eorum, & stetit à tergo eorum.

*CONCORDIA.*

NVllum discrimen est in omnibus lectionibus, nisi quoad verba, sensus enim inuariatus manet, nempe tam Angelum quam columnam præcedentem castra Israelitarum, recessisse post terga eorum, vt impediret ne Israelitæ ab Ægyptiis conspicerentur eos insequentibus.

EXPOSITIO.

TOllensque se *Angelus Dei qui præcedebat.* Scilicet in columna nubis delitescens in eaque se ostendens (licet non desint qui asserant Angelum illum qui præcedebat Israel, alterum fuisse ab eo qui in specie columnæ nubis per diem, & in specie columnæ ignis per noctem eadem Israelitica castra antecedebat & præibat) hunc autem Angelum verosimiliter credunt fuisse Archangelum Michaelem *abiit post eos* vt se interponeret inter castra Ægyptiorum & Hebræorum vt eos ab Ægyptiis tutaretur: adde quod ibi magis necessarius erat, quam in principio castrorum, ipsum enim iter nouum vtrimque aquis in altum surgentibus instar gemini parietis præparatum, alium vitæ ducem non requi- B rebat, cum non possent ad sinistram aut dextram dirigi: *& cum eo pariter columna nubis*, quæ licet ad castrorum finem recessetit, tamen vsque ad eorum initium lumen sudit, quo viam ostenderet quo pergerent ad mare rubrum: proficiscebantur enim continuo Hebræi vt Deus iusserat. ex hoc colligi potest (vt antea iam diximus) columnam nubis & ignis vnicam fuisse, tum quia si fuissent duæ, potuisset earum altera semper manere in principio, altera in fine castrorum, tum quia de hac columna statim subditur, eam simul administrasse officium nubis tenebrosæ versus Ægyptios, & lucis versus Hebræos: nihil autem opus fuisset, eam Hebræis lucem spargere, si habuissẽt aliam columnam illuminationi eorum destinatã.

CONCEPTVS.

*Amantissimus suorum Deus pro eis se periculis quasi obiiciens.*

136 TOllens se *Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel abiit post eos.* Interponens se inter Ægyptium insequentem & Hebræum quasi fugientem: nonne præcedebas eos? sic enim superius vidimus & adhuc Deuteron. 1. ita scriptum est, præcessit vos in via & metatus est locum in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, & die per columnam nubis; cur igitur nunc eorum ducatum deserens, post tergum eos sequeris? nonne vides Ægyptios hostiliter insequentes Israelem? & ideo subsequor castra Hebræorum, tanto enim in eos amoris affectu feror, vt non timeam me insequentium D hostium indignationi & furori obiicere. *Expende* (inquit Oleast.) *qualiter Deus iustos diligat, quod se se primum propter eos hostibus obiicit, quapropter Abraha dicebat, ego scutum tuum, merces magna nimis.* Oleast.

C betur in contextu, sed verosimillimum est fuisse Archangelum Michaelem. verisimilitudo autem consistit in hoc, quod id Dionysius Areopagita lib. de cælesti Hierarch. & B. Hierony. in c. 10. Danielis, testantur ipsum esse cui commissa erat cura populi Israelitici, sic enim Dionysius, theologia Hierarchiam nostram Angelis tribuit, cum populi Iudæorum principem Michaelem appellet, aliosque aliarum nationum. sed licet non dubium sit quin eos aduersus Sycophantias dæmonum protegat, cur nunc constituitur inter medium agmen Ægyptiorum & Israelitarum? vt aduersus Ægyptiorum insultus & furorem, Israelitas suæ curæ commissos, tueatur & defendat, nec non omnem populum fidelem: sic de eo scribit Pantaleon Diaconus & Cartophilax magnæ Ecclesiæ in Encomio S. Michaelis apud Simeonem Metaphrastem. *Vt Iudæorum gentem custodiret Dominus, constitutus est Michael magnus militiæ Dei princeps, quod in eum credidissent.* Pantaleon Diaconus.

*B. Michael fidelis populi protector aduersus infidelem.*

137 *Tollens se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel abiit per eos.* Noster Ioannes Nodinus hic sic loquitur, docet hic contextus Angelum illum qui præcedebat castra Israel, alterum fuisse ab eo qui præcedebat & præibat castra Israelitica in specie columnæ nubis, per diem, & in specie columnæ ignis per noctem, quis autem fuerit iste Angelus non expresse ha-

*B. Michael licet protector populi fidelis sit, tamen seuerissimus iniquitatum illius vltor est.*

*Tollens se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel abiit post eos.* Præter Angelum assistentem columnæ diximus Archangelum Michaelem specialiter eis præfuisse tanquam protectorem & defensorem eorum, teste etiam B. Hieronymo qui exponens hæc verba ex cap. 3. Habac. ficus non florebit & non præcis 138 Habac.

germen in vineis, hæc est ficus inquit ad quam tertio venit pater familias, & quasi non facientem fructum, vult subuertere, pro qua agricola cui commissa erat deprecatur, vt det ei spatium: & dicit Domine dimitte eam, & istum adhuc annum, donec fodiam circa eam, & mittam stercus, & siquidem fecerit fructum, sin autem tunc succides eam. agricola iste Michael, cui commissus est populus Iudæorum qui deprecatur Dominum in passione, & dicit Domine da eis spiritum pœnitentiæ, & non eos subuerte, & siquidem fecerint fructum seruabis, sin autem tunc subuertes eos: sed si ita est, quomodo eos grauiter punit, eos acerbe castigat grauissimas ab eis pœnas exposcens? quia quorum est protector magnanimus, eorum si deliquerint seuerissimus erit vltor. nobis suffragatur Remigius Altissiod. Episc. qui exponens illa Zachariæ verba c. 1. ecce vir ascendens super equum rufum & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo. *Equi rufi* (inquit) *ascensorem Hebrai ad litteram, Michaelem Archangelum intelligunt; rufus erat, quia ipse vltor erat illius populi, cui specialiter præest, iniquitatum myrteta quæ erant in profundo Prophetas dicunt & sanctos qui in profundo, id est medio captiuitatis versabantur.*

Remigius Altissiod. Zacha. 1.

139 *Singulis regnis dantur Angeli custodes.*

*Tollens se Angelus Dei qui pracedebat castra Israel abiit post eos.* Vidimus genti Iudæorum præfuisse tanquam protectorem & custodē Michaelem Archangelum. sed sicut huic populo fideli & noso datur Angelus custos, an aliis mundi regnis barbaris concessi sunt protectores & custodes qui & ad bonum incitent, aut pro eis deprecentur? videtur quod eis non sint dati, cur enim æqualis gratia concedetur infideli ac fideli populo? nonne infidelitate sua meretur à Deo in huiusmodi protectione & custodia deseri? tanta est in homines Dei propensio, vt non solum fidelibus sed & infidelibus, spiritus beatos dederit, qui eos protegant, custodiant & tueantur. missas facio probationes ex Daniele, qui non tantum meminit Michaelis Synagogæ principis, sed etiā Angeli Græcorum & Persarum, ex Luca dicente Paulum nocturna visione vidisse virum Macedonem stantem & deprecantem, & dicentem ei, transiens in Macedoniam adiuua nos, procul dubio erat Angelus illius regionis, protector salutis Macedonum sibi commissorum amator: nam vt Græci & Persæ tempore Danielis, ita & Macedones tunc temporis erant idololatræ, pro quibus tamen Angeli eorum custodes orant, & de eorum salute tanto zelo sunt solliciti, vt inter se dissidere videantur, sicut D. Greg. lib. 17. Moral. c. 7. disputat, exponens cap. 10. Danielis vbi habetur, quomodo Angelus custos regni Persarum obsistebat Gabrieli offerenti preces Danielis Deum pro liberatione Israelitarum deprecantis. sed in medium adducamus aliquorum sanctorum Patrum testimonia S. Clemens Romanus lib. 2. recogn. ad fratrem Domini qui inducit principem Apostolorum sic dicentem Simoni Mago *Est enim cuiusque gentis Angelus cui credita est ipsius gentis dispensatio à Deo, qui tamen cum apparuerit quamuis dicatur ab his quibus præest Deus, tamen interrogatus non sibi dabit ipse tale testimonium.* Et B. Dionys. Areopagita cap. 9. de cæl. Hierarch. qui postquam dixit theologia nostra Hierarchiam Angelis tribuit, cum Iudæorum populi principem Michaelem appellet, addit, *aliosque aliarum nationum, statuit enim Altissimus terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei.* addamus & Origen. hom. 12. in Lucam, *magnum gaudium fuit Angelis quibus hominum & prouinciarum cura commissa erat, Christum venisse in mundum.*

Actu. 16.

D Greg.

S. Clemens Roman.

Dionys. Areop.

Origen.

*Angelus vnicuique nostrum datus est in custodem.*

*Tollens se Angelus Dei qui pracedebat castra Israel, abiit post eos.* Iam vidimus non solum Michaelem Archangelum destinatum esse populo Iudæorum in protectorem, sed etiam omnibus aliis Prouinciis suos assignatos esse Angelos tutelares: si ita res se habet, cur vnicuique nostrum commissus est Angelus, cum ille qui assignatur vnicuique prouinciæ sufficere videatur ad singulorum protectionem? tanta est Dei in singulos homines misericordia, vt non contentus omnibus Prouinciis & regnis spiritus beatos dedisse, cuilibet nostrum etiam in particulari custodem Angelum assignauerit. quod late ostendit Origen. homil. 20. super Numer. *Aduerte diligentius si possis, & aperto cordis oculo interiore mecum considera mysteria, & videbis quanto maior in secretis salutis nostra cura geratur quam facultas ad decipiendum prabeatur, adest vnicuique nostrum etiam in minimis qui sunt in Ecclesia Dei Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus exposcendis quotidie videat faciem patris qui in cælis est Matth. 18.* Et B. Basilius lib. 3. contra Eunom. *quod singulis fidelium adsit Angelus vt pædagogus quidam & pastor ad vitam dirigendam, nemo contradicit, qui verborum Domini recordatur dicentis, ne cōtemnatis vnum ex his pusillis, dico enim vobis quod Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei.* 140

Origen.

S. Basilius

*Angelus vt nos protegat vndique nos circumcingit.*

*Tollens se Angelus Dei qui pracedebat castra Israel abiit post eos,* Arias Mont. *abiit à tergo eorum.* Præcedebat tunc vt eos dirigeret, & iter quo eundum esset in terram Chanaan, ostenderet; cur nunc à tergo eorum assistit? cur eos circumuallat? cur vndique eos circumdat? vt quanta cura teneatur, ad quemcumque nostrum custodiendum, innotescat. religio esset silentio obuoluere quæ D. Basilius in hunc Vers. Psalm. 33. immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos, ad nostram mentem ita scribit. *Omni in Christum credenti Angelus assistit; nisi illum à nobis per improbas affectiones profligauerimus, velut enim fumus apes fugat & fœdus odor columbas expellit: sic Angelum vitæ nostræ custodem abigit multa lachrymarum aspergine dignum, & graueolens peccatum.* Et aliquibus interiectis sic prosequitur, *considera quanta sit Angelorum natura, quoniam vniuerso* 141

S. Basilius Psal. 33.

*uerse exercitus & castris numerosa hominum multitudinis, vnus assimilatur. Angelus ob magnitudinem, itaque eius qui te custodit castra tibi munitionesque praebe: Deus propter vere Angeli virtutem veluti circumuallat te vndique securitate quae est per illum; hoc namque in circuitu significat, sicut enim muri ciuitatis circumuallati omni ex parte abarcent propulsantque hostiles incursus & insultus, sic & Angelus te praemunit à fronte & à tergo te custodit, & nihil incustoditum relinquit.*

### *Primas cedant Praelati cum agitur de subditorum salute.*

142 *Tollens se Angelus Dei qui praecedebat castra Israel, abiit post eos.* Quid ô Angele castra Israelitarũ praecedebas, prius omniũ iter dirigebas, nunc tanquã vltimus & seruus cunctos subsequeris? cur priorẽ locũ deserens, posteriorẽ seligis? si per huiusmodi Angelũ intelligere volumus praelatũ, qui priorẽ locũ inter subditos tenet, non mirabimur cur Angelus qui praecedebat castra Israel, recesserit, eos post tergũ insecutus, quia praelatus primas cedere debet cũ de subditorũ salute agitur, sic enim monebat S. Chrysost. hom. 8. in Epist. ad Ephes. Nõ (S. Chrysost.) *enim propterea te Dominus praefecit hominibus, vt mancipia acquiras obsequium, aut famulatum, sed vt neglectis rebus tuis quicquid illorum est rite dispensetur & aedificetur, talis erat B. Paulus, qui nidem omni fastu liber non aliter erat affectus quam vulgaris quispiam, imo & minimus etiam istorum, propterea & seruum eorũ se ipsum vocat:* praelatus enim sua postponere debet subditorum commodis, haec quae dicta confirmare videtur Strabus cum ait, (Strabus) *Angelus Dei qui praecedebat castra Israel & abiit post eos doctores significat,* adde & Praelatos, *qui nobis vitae praecepta annunciant, & cum nube id est scientia scripturarum castra Israel id est Ecclesiam praecedunt, quia cum scientia scripturarum praesident. superuenientibus vero Aegyptiis retrorsum abiit, quia tempore persecutionis opponunt se pro subiectis.*

### *Praelatus vndique inuigilet subditorum incolumitati.*

*Tollens se Angelus Dei qui praecedebat castra Israel*
143 *abiit post eos.* Nonne est Praelati Angelo adumbrati semper in omnibus suos praecedere, cum eius vita vitae subditorũ debeat in omnibus esse forma? sicut ait S. Petrus 1. Can. 5. forma facti gregis (1. Petr. 5.) ex animo, & Paul. 2. ad Thess. ipsi scitis qualiter (2. ad Thess.) oportet vos imitari nos, quoniã nõ inquieti fuimus, & sequitur, nõ quasi nõ habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos daremus vobis formã ad imitandum nos. & ad Philip. 3. imitatores mei estote, (Philipp. 3.) & obseruate eos qui ita ambulant, sicuti habetis formam nostram, & ad Rom. 2. confidis te esse ducem caecorum, magistrum infantium, habentẽ formam scientiae & veritatis in lege, cur ergo cum eos praecedere debeat Praelatus, hic eos subsequitur? quia vndique inuigilare debet eorum conseruationi, mens est nostri Seraphici Doctoris c. 3. de Eccles. Hierarchia, qui conferens Praelatos (S. Bonauen.) cum caelis, ait. *Caelum mobile & inquietum, cuius motus est reuolubilis super media, id est, super axem, in quo ostenditur bonorum praelatorum diligentia & solicitudo circa curam & salutem suorum subditorum, qui more caeli praedicando mouentur, iuxta illud Eccles. 6. ecce caelũ & caeli caelorum abyssi & vniuersa terra, & quae in eis sunt in conspectu illius cõmouebuntur, virtus enim motiua caeli rapit firmamentũ ab Oriente in Occidẽ-* (Eccles. 6.) *tem, & iterũ redit de Occidẽte in Orientẽ: sic Praelatus.*

### *Christus Dominus omnes sequitur custodiae beneficio.* 145

*Tollens se Angelus Dei qui praecedebat castra Israel abiit post eos.* Quis ille Angelus, qui priorem deserens locum, posteriorem seligit? non est dubium quin Angelus, qui metaphoricè ad significandũ diuersa in sacra scriptura est transumptus, quia vt optime S. Greg. lib. 24. moral. & ho. 6. in Euang. nomine Angeli nunc Christus, nunc iustus, nunc gratia seu virtus figuraliter nuncupatur; intelligo igitur per Angelũ Christũ, qui ratione assumptae (S. Greg.) humanitatis, dicitur Angelus, nã sicut Angelus (Nis.) mittit & mittitur, sic Christus à patre in mundũ (Math. 15.) missus est, sic Matt. 15. non sũ missus nisi ad oues (Ioan. 8.) Israel, & Ioann. 8. honorifico eum qui misit me, (Luc. 10.) mittit etiã Matt. 10. Ecce ego mitto vos, Luc. 10. rogate Dominũ messis vt mittat operarios: tũ etiã quia sicut Angelus illuminat & illuminatur, sic Christus diuinitatis lumine repletus ad illuminã- (Ioan. 1.) dũ sedentes in tenebris & vmbra mortis mũdo est (Isai. 49.) datus, vt dicit Ioan. 1. lux in tenebris lucet, & Isai. (Apocal. 18.) 49. dedi te in lucem gentiũ, vt sis salus, & Apocal. 18. vidi alium Angelũ descendentẽ de caelo habentem potestatẽ magnã & terra illuminata est à gloria eius: sed si Angelo Christus adũbratur, cur cum praecederet castra Israelitarum, nunc ea subsequitur? respondeat nobis noster Seraph. Bon. Opusc. de Eccles. Hierarchia cap. 1. *Quia Christus qui omnes praecessit doctrina & exemplo, omnes sequitur custodiae beneficio.*

### *Deus homines omnino custodiens.* 146

*Tollens se Angelus Dei qui praecedebat castra Israel abiit post eos.* Cur Deus vel Angelus stat medius inter agmen Aegyptiorum & Israelitarum? dices, vt suos protegat, vt hostium tela ab ipsorum corporibus depellat: sed nonne etiam quamuis eos praecederet potuit eadem facilitate ipsos ab aduersariorum incursibus defendere? potuit, sed priori loco derelicto, subsequitur castra suorum, vt innotesceret, quod omnino suos sciret custodire, sic hunc locũ explicat Episc. Acernensis Agellius in c. 32. Deut. vers. 11. (Agellius.) *Sic Dominus quamuis ille nihil à quoquam timeret insequentibus Aegyptiis interposuit inter vtrumque agmen, qui hostium tela ab illorum corporibus depelleret, tollens se Angelus Domini, &c. sed verius dici potest his similitudinibus nihil aliud agere Prophetam nisi vt praesidium ac tutelam Dei indicet, qua suum populum complectebatur.*

### *Deus suos non solũ verbis, sed & opere consolans.* 147

*Tollens se Angelus Dei qui praecedebat castra Israel abiit post eos.* Praecedebat Angelus Israelitas, velut eorum praeses & dux, vbi autẽ periculũ vidit, post tergum Israelitarũ stetit, hostibusque se opposuit velut murum fortissimũ, siue turrim munitissimã: nonne eorum animos prius recrearat verbis & promissis Prophetae, cum dixit state & videte magnalia Dei, Dominus pugnabit pro vobis, & vos silebitis? nonne huiusmodi promissis omnis timor ab eorum mentibus expellebatur? nonne satis spes eorum erigebatur? cur igitur adhuc Angelum mittit eos insequentem qui à furore hostium tanquam murus fortissimus protegat? quia nescit Deus nos solum verbis consolari, opera simul adiungit, ne in solis verbis haesitemus, vnde Isaiae (Isai. 40.) 40. *Consolamini, consolamini popule meus,* bis repetit verbũ consolari, quia & verbis, & factis subleuat.



## VARIETAS LECT. Vers. 20.

A

*Vulg.* Stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israel, & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.

*Septuag.* Et intrauit inter castra Ægyptiorum & castra Israel, & stetit, & factæ sunt tenebræ & caligo, & venit nox & non commiscuerunt se inuicem totam noctem.

*Aquila.* Et nubes facta est tenebra, & illuminauit noctem, & non appropinquauit hic ad illum.

*Symmach.* Et erat nubes, inde quidem tenebræ, hinc vero apparens & lucens.

*Schol. Samarit.* Et erat nubes & tenebræ, & apparebat nocte.

*Cald.* Et ingressa est inter castra Ægyptiorum & castra Israel, & erat nubes, & obscuritas Ægyptiis, Israel autem erat lux tota nocte, & non accesserunt ad se inuicem tota nocte.

*OnK.* Et ingressus, & fuit nubes & caligo Ægyptiis, Israeli autem erat lux tota nocte.

*Pagni.* Et fuit nubes, & tenebræ, & illuminauit noctem, & non appropinquauit alter alteri tota nocte.

*Arias Mont.* Et venit inter turmam Ægyptiorum, & inter turmam Israel, & fuit nubes & obscuritas, & illuminauit noctem, & non appropinquauit hic ad illum.

## CONCORDIA.

Caldæus legit *& ingressa est*, hoc est nubes, alii *ingressus*, id est Angelus, licet Septuaginta nullam faciat mentionem nubis, sed solum tenebrarum & caliginis, tamen eos interpretati sunt Aquila & Symmachus, qui nubem posuerunt simul & caliginem: addere potes Septuag. solum B loquutos fuisse de tenebris respectu Ægyptiorũ, ita vt erepta fuerit ab eis omnis serenitas, & Sydera condita, & formidabilior nox eis appareret. sed omnem difficultatem soluit Cal. cum ait, erat nubes, & obscuritas Ægyptiis, Israeli autem erat lux tota nocte.

## EXPOSITIO.

Et stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israel. Stetit nubes, qua castra Hebræorum proficiscebantur, alia autem nempe Ægyptiorum sequebantur, dicitur autem stetisse, idest, venisse vel fuisse, *& erat nubes tenebrosa & illuminans noctem*, non significat de die solummodò tenebrosam & de nocte lucidam fuisse, quod erat columnæ huic ordinarium, sed etiam eodem tempore nocturno tenebrosam fuisse versus Ægyptios, & lucidam versus Hebræos. sed dices potuerunt fal- C tem videri castra Hebræorum ab Ægyptiis media luce, quam diffundebat nubes super Israelitas: sed dicendum quod columna nubis, qua parte spectabat Ægyptios, ea ita se dilatauit, vt tota Hebræorum castra ex opposito ad Ægyptios caligine densissima tegeret, ex quo factum vt radii à columna nubis in Hebræorum castra incidentes, ab Ægyptiis non cernerentur, licet desiderarent Hebræos comprehendere, sed minime ad eorum castra accedere potuerunt.

## CONCEPTVS.

### *Non se iactent Hebræi plura à Deo quam nos obtinuisse.*

Et stetit inter castra Ægyptiorũ, & castra Israel.
148 Quæ antea præcedebat ostendens viam in inuio, quod sane maximum censeri debet beneficium & eximia Hebræis gratia, quod Angelum ducem in exercitus haberent, qui eos etiam à persequentibus tutaretur hostibus. an Hebræi nobis exprobrare possunt tam eximium à Deo collatum beneficium? nequaquam, nam simili modo Angelus etiam deduxit in terra sancta acies christianorum in inuio errantes, & in summo constitutas periculo, anno enim Domini 1144. cum exercitus Christianorum insidiis circumuentus & in extremas angustias coniectus, ab obsidendo Bost. a metropoli Arabum recederet, duce cœlesti nuntio incolumes omnes ad propria redierunt. cum ergo in ineuitabilia incidissent discrimina, & errarent omnes in inuio, & non in via, & angustiis D locorum interclusi essent ab ingruentibus hostibus cædendi, nec haberẽt ducẽ qui præiret agmina, nec locorum, per quæ transituri erant, haberẽt peritiam, ecce subito apparet Angelus, qui incolumes deduxit Hierosolimã sic autẽ Guillel. Tyrius Archiepisc. lib. 16. de bello sacro c. 12. testatur. *Cum ducẽ non haberent, qui agmina præiret, nec locorũ per quæ transituri erant haberet peritiã, ecce subito cohortes præcedens miles quidã ignotus albi sessor equi rubri coloris vexillum baiulans, lorica indutus, curtis vsque ad cubitos manicis, antecedebat exercitum: hic tanquam Angelus Domini exercituũ viarum sequens cõpendia, & ad aquas primus ducẽs incognitas, congruis & commodis stationibus castrametari docebat: sic igitur cũ quinque, diebus vsque ad prædictã cauernam vix peruenissent expeditiores, tribus postea sub iã dicto duce & itineris præambulo iter agentes Gadarã vsque peruenerũt:* addit Card. Baron. ad ann. 1144. *Cœlesti nuntio securè deductus est Hierosolymã vsque, qui & admirabili perfunctus ministerio, ab omniũ mox euanuit oculis.*

Guillel. Archiepisc.

Cardin. Baron.

*Quod uni utile, alteri nocivum est.*

*Stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israel, &*
149 *erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem.* Cald. erat nubes & obscuritas Ægyptiis, Israeli autem erat lux tota nocte: si inter vtrumque populi exercitũ stabat illa nubes, quomodo non vtrinque tenebrosa, vel vtrique lucida? quomodo caligine offundẽs Ægyptiũ, lumine perfundẽs Hebræũ? nubes enim
Philo. inquit Philo lib. 1. de vita Moysis quæ hactenus viæ dux solita erat præcedere, tunc retrograda in extremo visa est agmine, quasi ad eius custodiam obiectu suo fugientes à persequentibus dirimens, illis muniens iter tutius, hos retardans, & infringens eorum accelerantem impetum: quid ergo dicemus? nisi quod noster Episc. Astensis Panigarola.
Panigarol. in speculo bellorum sacræ scrip. *Quod uni utile alteri nocivum est?*

*Nihil hostis potest contra pios, Deo nolente.*

*Stetit inter castra Ægyptiorũ & castra Israel.* Licet
150 steterit inter vtrũque exercitũ, nõne Ægyptii potentes viribus, armis instructi, & bellicosi potuerunt inuadere castra Hebræorum imbelliũ, molliũ? erat nubes & obscuritas Ægyptiis, Israeli autẽ erat lux tota nocte, columna enim nubis ea parte qua Ægyptios respiciebat, ita densabatur & instar cratis nubis se expandebat, vt Ægyptii Hebræos neque cernere neque accedere possent: ea autem columna ex parte qua Hebræos respiciebat, habebat vim illuminatiuã, vt possent versus mare rubrũ proficisci: en igitur vt nihil potuere cõtra Hebræos Ægyptii? Deo enim nolẽte hostis aduersus pios non præualet: sic autem disserit
S. Greg. Niss. Greg. Niss. lib. de vita Moysis. *Nubes quæ iussu Dei præcedebat, non natura, nõ presso aere vaporibus constipata, sed aliud quiddã diuinius atque altius quã humana mens percipere valeat, quæ in die solis ardores temperabat, & noctu in ignem versa, noctis & frigora temperabat & tenebras remouebat hæc inquam nubes, quam veluti ducem sequebantur priore omisso itinere in rubrum mare ducebat.*

*Magnificentia & fortitudo simul in gubernatore.*

*Stetit inter castra Ægyptiorum & castra Hebræorũ,*
151 *& erat nubes tenebrosa & illuminans noctem.* Tenebrosa inimicis, lucida amicis, obscuram reddens noctem Ægyptiis, lucidam Israelitis, terrificans inimicos, lætificans amicos, ignem & lucem continens, ignem malis, lucem bonis, fortitudinem continens, simul & magnificentiam; fortitudinẽ in quantum Hebræos protegit à suorum iaculis hostium & furore, magnificentiam, radios suæ lucis diffundens super castra Israelitarum. quidni, cum Angelus in illa columna adumbraret gubernatores qui fortitudine & magnificentia de-
Philo. bent esse prædıti? vnde rectè Philo lib. de præmiis & pœnis, tria necessaria esse ad ornatum & meritum principis docet, maiestatem, grauitatem & beneficentiam, *nam maiestas,* inquit, *parit reuerentiam, grauitas timorem, beneficentia vero amorem & beneuolentiam*, virtutes ita principi necessariæ vt vna sine altera languescat prorsus & euanescat, si princeps tantum munificentissimus sit, & nullomodo fortis, diligetur, sed simul contemnetur, si autem tantum fortis, & non munificus, timebitur sed non diligetur: nam vt ait Abbas Tuitensis lib. 8. in Genes. c. 37. vbi totum punitur regia seueritas, crudelitate polluitur, vbi vero totum remittitur, facies maiestatis sine metu disciplinæ contemnetur.

*Sacra scriptura nubes, ex qua pugnant Catholici aduersus quoscumque Ægyptios.*

*Stetit inter castra Ægyptiorum & castra Hebræ-* 152
*rum, & erat nubes tenebrosa & illuminans noctem.* Glossa ord.
Glossa ord. *nubes,* inquit, *adumbrat scientiam scripturarum.* Sed quid commune nubis cum sacra scriptura? nubes enim cito dilabitur & resoluitur, verbum autẽ Dei permanet in æternum: dic tamẽ recte nube diuinam adumbrari scripturam, quia quẽadmodũ ex nube Angelus aduersus Ægyptios fulminibus dimicauit, sic etiã scriptura dimicant Prælati & Doctores aduersus stygios hostes, & hæreticos & aduersus omnia vitia, sic Abbas Tui- Rupert.
tensis lib. 2. de victoria verbi c. 16. *Quid enim* (inquit ille) *continetur aut agitur in scripturis sacris, nisi bellum & certamen verbi Dei ad destructionem peccati & mortis?* Quod rectè expẽdit Philo Carpath. explicans illa sponsę verba ex 5. Cant. Cant. ocu- Cant. 5.
li eius sicut columbæ super riuulos aquarum, ait. *Cum columbæ super volantium rapacissimarum auium umbram in aquis inspicientes, lethales vngues effugiant, debent & viri sancti præsertim & pastores ita* Philo Carpath.
*in sacrarum litterarum lucidissimis vndis inspicere, vt superuenientes fallacissimorum dæmonum rapinas, insidias, & fraudes ex sanctissimis præceptis scripturarum atque consiliis fœlicissime declinent.*

*Sacra scriptura indignis obscura & tenebrosa.*

*Stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israel, &* 153
*erat nubes tenebrosa,* Septuag. *facta sunt tenebræ & caligo.* Si nube diximus sacram adumbrari scripturam, quomodo ita tenebrosa? imo quomodo tenebræ, & caligo? verbum enim Domini illuminans oculos: tenebrosa quidem indignis & Ægyptiis, S. Greg.
sic censuit S. Greg. in c. 5. Cant. *Cur dicitur ille fons signatus?* (loquitur de sacra scriptura,) *nisi quia sensus spiritalis mentibus indignis abscõditur, infideli enim homini à Domino dicitur, spiritus vbi vult spirat, & vocẽ eius audis, & nescis vnde veniat, aut quo vadat,* & S. August. lib. 2. contra Cresconium c. S. August.
14. *ad hunc fontem nullus accedat extraneus. sicut enim indignis non reseratur ille fons signatus, ita nec etiam extraneis & Ægyptiis fit lucida nubes sacræ scripturæ.*

*Ad sacræ scripturæ intelligentiam diuina illustratio necessaria.*

*Stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israel, nu-* 154
*bes tenebrosa & illuminans noctem.* Cald. erat nubes & obscuritas Ægyptiis, Israeli autẽ erat lux: nubes autem quæ nunc inter vtrumque exercitum stat, antea præcedebat Israelitas, vt iter eis ostenderet, sed cur lucida? quia sicut Israelita ad terræ promissæ amœnitates, non ibat solus, nisi nubis columna præiret quæ iter in deserto ostenderit, sic nobis necessaria lux dum pergimus ad delicias terræ sanctæ, nempe sacram scripturam; hinc S. S. Prosper.
Prosper. in sentent. Nemo, inquit, *tam eruditus, nemo tam doctus qui superna illustratione non egeat,* maxime cæcus est qui superno se lumine non indigere putat in sacrarum litterarum studiis, hinc prudenter Cassiodorus præf. in lib. de diuina le- Cassiodor.
ctione. *Oremus vt nobis aperiantur illa quæ clausa sunt, & à studio legendi nullatenus discedamus, nam & Dauid cum esset in lege Domini, iugiter occupatus auxilium Dei postulabat.*



## VARIETAS LECT. Verſ. 21.

VVlg. Cumque extendiſſet Moſes manum A ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte & vertit in ſiccum & diuiſa eſt aqua.

*Sept.* Subduxit Dominus mare in vento au- ſtro violento totam noctem, & fecit mare ſic- cum, & ſciſſa eſt aqua.

*Pagni.* Abire fecit Dominus mare Spiritu Orientali vehementi, tota nocte, & poſuit mare in ſiccum, & ſciſſæ ſunt aquæ.

*Arias Mont.* Et poſuit mare in ſiccitatem.

*Caiet.* Duxit illud Dominus.

## CONCORDIA.

LEgit Vulgatus flante vento vehementi & vrente, Hebraice eſt ברוח קדים עזה beruah kadim hozim vento Orientali vehementiſſimo Septuag. ἐν ἀνέμῳ νότῳ βιαίῳ in vento auſtro violento, ſed omnium idem eſt ſenſus, ventus enim ille vehemens & vrens Orientalis & Auſter eſt, vide concordiam verſ. 13 capitis decimi.

## EXPOSITIO.

CVmque extendiſſet Moſes manum ſuper mare, vt B ſibi anteà à Deo iuſſum fuerat, *abſtulit illud Dominus*, non intelligas mare abſtuliſſe, ſed ſolum remouiſſe, & à dextris & ſiniſtris coacerualle, vt per medium pateret via Iſraelitis. *flante vento vehementi & vrente* poſſunt hi ablatiui vel abſolute poni, & ſic tantum notant, eodem tempore quo Moyſes virga mare percuſſit, ventum ſpiraſſe nõ tamen à vento diuiſum aut ablatum eſſe mare, ſed à Domino, ſine miniſterio venti. vel poſſunt hi ablatiui non abſolutè ſumi ſed inſtrumentaliter, ita vt Deus ad maris diuiſionem & aquarum congregationem huiuſmodi vento tanquam inſtrumento vſus fuerit, vterque modus hic dicendi non improbabilis, ſed vtrumque quaſi conciliare poſſumus, ſi dixerimus Deum vel Angelum initio diuiſionis vſum fuiſſe vento vehementi ad impellendum hinc inde aquas. non vero hunc C ventum adhibitum ad maris diuiſionem, nulla enim vis venti potuit eſſe, quæ mare vtrimque ita ſolidaret ac detineret, vt non deflueret, & diuerſæ partes eleuatæ inter ſe non conuenirent.

*Et vertit in ſiccum.* Cum enim fundum maris aquis arenoſum, fortaſſe certe ex humore perpetuo, imo moleſtum futurum erat Hebræis in littore ſubſiſtentibus. vſus eſt Dominus illo vento vehementi, & vrente, qui arenoſum ſolum facilè ſiccum & calcabile redderet. & ſic ſaltem ab hoc vento effectum eſt, vt ſiccaret ſolum, & daret idoneam ſiccitatem ſabulo *tota nocte*, id eſt magna parte noctis, ſcilicet vſque ad ingreſſum Hebræorum, qui factus eſt circa mediam noctem, *diuiſaque eſt aqua*, non ſeruatur idem ordo in narratione ac in facto, prius enim diuiſa eſt aqua, deinde vento vehementi flante vertit Dominus in ſiccũ. D

Sed difficultas eſt an vna diuiſione vel pluribus. ſententiam ſequor eorum qui aſſerunt mare diuiſum fuiſſe in duodecim diſtinctas ſciſſiones ſeu varias iuxta numerum duodecim tribuum, ita vt harum ſingulæ ſingulos vt ita dicam, ſulcos præeuntibus tribuum ducibus, tranſierint iuxta illud Pſalm. 135. qui diuiſit mare rubrum in diuiſiones, alij, incidit in partes, &c. quod autem fuerint duodecim, ſic Sanctus Epiphanius qui enu- S. Epiphan. merans mirifica Moyſis opera, clare ſcribit hæreſi 64 quod mare diuiſerit in duodecim itinera, S. S.Chryſol. Chryſ. in dictum Pſal. non ſcindebatur tantum in vnam partem, ſed pro numero omnium tribuũ. S. Hiero. idem ſupponit, cum ait in multis enim gra- S Hierony. dibus ſcanditur per huius ſæculi fluctus. Caſſiod. Caſſiod. priſcę authoritatis vir, mare rubrũ in duodecim diuiſiones dixerunt eſſe diuiſum, quantas tribus cõſtat fuiſſe Iudęorũ, in eo enim hic plurali numero poſitũ eſt, ne putaremus mare rubrũ vno itinere Origen. tranſmiſſũ, Orig. hom. 5. in Exod. id expreſſe ha- Lombard. bet, Lõbardus magiſter ſentent. in cit. Pſal. ad litterã, in diuiſiones duodecim pro numero tribuũ, vt ſingulę tribus vias ſuas meandi haberẽt: Ludol- Epiſ Parif. Ludolphus. phus Chart. diuiſit mare in diuiſiones ſcilicet duodecim, S. Haymo in diuiſiones, ad litterã ideo pluraliter dicit, quia duodecim viæ fuerũt, ex neotericis, Genebrard. & ſic miror, quod noſtri neoterici Genebrard. relictis tot ſãctis Patribus, vnũ vel alterum interpretem contrariè ſentientem ſequuntur, cum fundamenta eorum nullius ſint ferè roboris.

Primum eſt, quia ſi diuiſi fuiſſent Hebręorum exercitus etiam columna nubis debuiſſet eſſe diuiſa in columnas duodecim, ſed quis non videat hoc argumentũ infirmum eſſe, cum potuerit vna columna omnibus vijs prælucere non minus quã in illa ſententia prę luxerit vni viæ latiſſimę & ampliſſimæ? neceſſum eſt enim in omni ſententia ponere vaſtiſſimum maris hiatum, per quẽ tot centena hominum, & iumentorum millia tam breui ſpatio tranſierint quando autẽ corpus quod lucet, fertur ſupra ſpatiũ in quo lucet, nihil refert ad luminis dilatationẽ ſiue in eo ſpatio ſint quædã corpora non diaphana à ſe mutuo diuiſa, ſiue non, vt patet in diffuſione luminis ſolaris.

Secund. eſt vnica diuiſio admittenda quę ad cõmode tranſeundũ ſufficiebat, & maiore facilitate tunc multitudo per eandem viã vnam tranſire poterat patefactam, quam ſe ſe in ſuas tribus recipiendo, nec Moyſen communẽ antiſignanũ ſequendo, quemad ſuam tribum Leui vel in principem Iudã tranſire oportuiſſet, ſed nec hoc argumentum ſufficit ad euertendam priorem ſententiam, nam tot diuiſiones ita faciles erant ad iter

agendum, sicut vna licet latissima, nec inconueniens, quod Moyses licet Angelignanus se rece- perit in suam tribum, quia non vix dux erat praecipuus sed Angelus.

## CONCEPTVS.

### *Lingua maximè obest aliquando saluti.*

155 *CVm extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus.* Ecce totum mare obsistere non valuit Moysi gradienti ad terram promissam, at postmodum Num. 20. dum eleuat manum, vt percutiat petram ad extrahendas aquas, statim se diuina sententia impeditum sentit, ne terram promissionis ingrediatur: cur modo paruus fons aquae impedit, quem vastissimum non impediuit mare? hic tacitus Moyses eleuabat manum & fugiebat mare, illic eleuat etiam manum cũ virga simul aiens, audite rebelles & increduli, & inordinata locutio illi obstitit, ne terram ingrediatur: quod non valuit mare: pulchra sunt ad nostram mentem S. Ephrem. verba de linguae malo, vbi inquit. *Pluribus licèt signis claruisset Moyses, vbi modice lingua lapsus est, è terra promissionis excidit, magnum & horrendum mare, & viam praecludere non potuit, sed verbum vnicum inique prolatum, velut murus aliquis illi obstitit, ne vlterius progredi posset, cui mare cessit, quem vastissima eremus non potuit impedire quominus in terram pergeret promissam vbi iam proximior erat regioni Num. 20. irritatur aduersus populum ait, audite rebelles & increduli, numquid de petra hac vobis aquam poterimus elicere? quid plura? ecce propter haec audit diuinam sententiam, non introducetis hos populos in terram quã dabo eis.* Sic lingua, quod facere non potuit fremens mare, ingressum in terram promissionis tantis viris impediuit, sic linguae lapsus deiecit Moysen, quod vastissimae Eremi tractus nequiuit impedire.

S. Ephrem.

### *Etiam inanimata sub flagello Dei erubescunt.*

156 *Cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus.* Et subito mare fugam arripuit, teste regio vate Psalm. 113. quid est es tibi mare, quod fugisti? cur fugis ô mare? nonne potius Moysem reuereri debes propter eximiam, quae in eo elucet, sanctitatem? nonne Moyses virga percussit mare? en ergo vt Moysis manum experitur, & vbi virgae flagellum in se sensit, eo se se affecit pudore, quo oculos spectantiũ vereretur, id quod notans D. Cyrill. Hierosol. Cathec. 3. ait. *Mare tempore Moysis videns virgam erubuit eam qua percussum est.* Nos magis insensibiles quam ipsamet inanimata, cum dum sub flagellis Dei sumus propter peccata nostra nullo pudore suffundimur.

S. Cyrill. Hierosol.

### *Si Deo obedis, etiam elementa tibi obedient.*

157 *Cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus & vertit in siccum.* Ita vt elementũ fluidum & humidum, & in fundo arenosum, non solum consistens redderetur, sed solidum, firmum & siccum, ita vt nullo cum discrimine tot centena hominum millia per illud siccis transirent vestigiis vnde in mari tanta obedientia, vt extendente super illud manum Moyse ilico diuidatur, aquae illius in vnum coaceruentur & vt ex fluidis stabiles efficiantur? quia Deo obediuit Moyses praecipienti vt illud virga percuteret; si enim, Dei iussa nõ detrectaueris, senties inanimata etiam tibi subdita, testem do Orig. hom. 5. *Mira Dei potentia, cogitur fluctus in cumulum, & vnda in semetipsam repressa curuatur, soliditatem recipit, liquor & solum maris arescit in puluerem, vt sicca planta populus Dei transiret, bonitatem Dei creatoris intellige, si voluntati eius obtemperes, si legem eius sequaris ipse tibi elementa etiam contra sui naturam seruire compellet.*

### *Deficiente humano remedio, adest diuinum.*

158 *Cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus & vertit in siccum.* Quando nam? cum persequebantur Aegyptii Israelitas, cum iam in vltimo vitae discrimine constituti esse viderentur: nam vel aquarum fluctibus submergendi, vel gladiis Aegyptiorum occidendi, vel iterum seruitutis iugo intolerabiliori subiiciẽdi: sic equidem fateor, tunc mare diuisum, tunc siccum & solidum effectum, omni enim deficiente humano consilio, & remedio, adest diuinum: sic hanc veritatem expendit S. Greg. Niss. lib. de vita Moysis. *Deuenerunt ducem sequuti Hebraei vsque ad litus, quos Aegyptii persecuti, ita vndique concludũt, vt nulla iam fuga humano consilio possit excogitari, ante ipsos mare rubrum erat, post ipsos validissimus atque instructissimus Aegyptiorum exercitus, tunc summus ille vir omnium, diuinitus motus ad litus descendit, mareque rubrum virga percussit, & subito vt in vitro facta scissura facile ex altera parte in alteram peruenit, sic ictu Mosayca virgae in oppositam vsque ripam hinc cedentibus aquis, scissura peruenit.*

S. Greg. Niss.

### *Deus vt suos liberet, si necesse est, cœlum & terram mouebit.*

159 *Cum extendisset manum Moyses super mare Dominus abstulit illud & vertit in siccum.* Nonne deduxeras eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt illuminarentur? cur nunc in aridam, mare conuertis, calcabile reddis fluidum elementum, terra solida inter fluctus apparet? quia Deus vt suos liberet, si necesse est, cœlum ipsum & terram ipsam commouebit. audiamus Ambros. lib. 1. Epist. 12. ita scribentem. *Cum de Aegypto liberaret Dominus populum suum mouet cœlum & terram, quando in cœlo columna erat ignis, terra inter fluctus, murus in mari, via in aqua, in deserto messis quotidiana frugum cœlestium multiplicabatur, petra soluebatur in fontes aquarum.*

S. Ambros.

### *Reges ministris suis, sed praecipue suorum ducibus exercituum sua munia obeunda relinquant, vt in pretio apud milites habeantur.*

160 *Cum extendisset manum Moyses super mare abstulit illud Dominus, & diuisa est aqua.* Nonne tu cœlum, terram, mare & quae in eis continentur, vnico verbo creasti? dixisti enim & facta sunt omnia: cur similiter vnico verbo mare non diuisisti, & mare intransibile & inuadibile sine nauigio pedibus calcabile non reddidisti? necesse fuit manum super illud extendisse & virgam illud

verberasse; quia Reges qui Deo adumbrantur, A suis ministris & præcipuè suorum exercituum ducibus, sua munia obeunda relinquere debent, vt in pretio apud milites habeantur. *Debent principes*, inquit Oleast. *sinere suos ministros munia sua perficere, neque omnia facere per se ipsos licet possint.* (Oleast.)

*Gentiles & hæretici miracula à Deo facta illudere volunt, sed illuduntur.*

161 *Cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, & diuisa est aqua.* Diodorus Tarsensis ait, vestigia miraculi illius à Deo facti adhuc ostenduntur. mari se se reciprocante ac littora destituente: si ergo hæc videntur ab Ethnicis & Paganis, quid inde possunt inferre hæretici? littora sua mare solitum destituere; sicque nullum miraculum quod per illud siccis vestigiis B transirent Israelitæ, sed citatum Tarsensem audiamus. *Hoc illis dandum ac concedendum esset, si per reciprocationem fieri posset, vt in medio maris latissima via ac transitus, (quod Israelitis datum est) efficeretur. itemque si mare diuisum à dexteris & à sinistris natum aptumque est vt solidus murus consisteret at licet concedi potest mare rubrum alicubi ad littus vndas repellere, alicubi vero reciprocando resilire: verum cum Israelitæ transirent, mare illud reciprocando locum dedisse nulla ratione intelligi potest, qui enim fieri potest vt mare reciprocando in muri modum solidum hinc atque hinc transeuntem populum circumsteterit?* Vnde rectè S. Irenæus lib. 4. aduers. hæres. cap. 48. concludit mare rubrum naturaliter se diuisisse, & non ex virtute Dei, credere errorem esse. (Diodorus Tarsensis. — Irenæus.)

*Viros tentationibus agitatos humanissimè excipiunt omnes creaturæ.*

162 *Cum extendisset Moyses manum super mare abstulit illud Dominus, & diuisa est aqua.* De hac diuisione loquens regius vates, Psalm. 113. ait, quid est tibi mare quod fugisti? fugit mare licet procellosum, fugit visis Hebræis, & ex amaro factus est campus germinans, vt suauius per illud transirent Hebræi, & è contra, iordanis conuersus est retrorsum; non refugit, sed stat, eo vsque conglomerat fluctus retro stantes vsque ad cœlum redundant, quod dulci stilo expendit Richard. Victori. opusc. de extermin. mali & promotione boni c. 1. pulchrum spectaculum, satisque iucundum, videre aquam maris fugientem, videre iordanis redundantem, amaram recedere, dulcem refluere, amaritudinum deficere, dulcedinem redundare, quisquis hæc vides, miror si non exclames, quid est tibi mare quod fugisti, & tu iordanis quod conuersus es retrorsum? nunquam fieri solent huiusmodi miracula, nisi ante veros Hebræos: quomodo ergo mare ita calcabile reddit Israelitis, cum antea ita procellosum? quia viros tentationibus agitatos quales erant Israelitę, humanissimè excipiunt vniuersæ creaturæ, quod benè animaduertit S. Zeno. serm. 5. loquens de pueris in fornacem missis. *Pueri vbi iactati sunt in fornacem, hos deuote cupidus ignis excepit, lambunt roscidos flammæ blandientes*; quod etiam nostris Israelitis similiter contigit teste Sapiente c. 19. *omnis creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deseruiens tuis præceptis vt pueri tui custodirentur illæsi.* (Richard. Victor. — S. Zeno. — Sapien. 19.)

A *Gressus Domini non fugam, sed magis accessum persuadent.*

*Cum extendisset Moyses manum super mare abstulit illud Dominus. Et diuisa est aqua*, regius Vates, 163
ait Psalmo 113. quid est tibi mare quod fugisti? non ferens Domini faciem aufugit. sed Matth. 14. dicitur de Iesu, quarta autem vigilia noctis ad eos venit, ambulans super mare. ibi fugit mare ad solam Dei faciem, in præsenti autem & Deum videt, & minimè fugit mare, sed sub plantis eius duratur: & cur in præsenti non fugit? nisi quia & si vidit Deum, illum videt ambulantem, nec gressus Dei potest fugam causare, ait S. Cyrill. Hierosol. Cathe. 12. *Venit Christus, vt Baptizaretur, & sanctificaret baptismo, venit vt miracula operaretur, ambulans super aquas Dominus,* B *vt mare videns sustineret, & iordanis sine timore illum susciperet.* ambulat Iesus super mare, vt mari auferat fugiendi necessitatem, dum enim Deus cernitur ambulans, non est cur quis fugiat, quin potius ad illum accedatur, quando ideo ambulat, vt dona impartiatur. (S. Cyrill.)

*Vana Iudæorum credulitas in falsis.*

*Cum extendisset Moyses manum super mare.* Greg.
Turonensis lib. 1. ait virgā super mare proiecisse, 164
& abstulit illud Dominus & diuisa est aqua, sicq; illęsi & siccis vestigiis mare transierunt, digni encomio, quod Moysi iidem adhærentes pelago se commiserunt, in terram promissionis peruenturi: sed an encomiis celebrari debent eorum posteri, qui nescio cui Pseudomoysi cretensi tempore Theodosii Imperatoris, sub annum Domini C 433. credentes, mari se commiserunt? imo ridenda eorum credulitas & stultitia, quam sic refert Socrates lib. 7. histor. c. 37. *Iudæus quidam veterator*, inquit, *se Mosen esse simulauit, deque cælo demissum se dixit vt Iudæos qui cretam insulam incolebant per mare, incontinentem in terram promissionis traduceret, se namque eumdem esse, qui olim Israelem per mare rubrum ducens, conseruasset: vbi dies ab eo præstituta aduenit, ille præcedere, subsequi omnes cæperunt, eos ergo ad promontorium maris imminens deducit, ex eo se in mare præcipitare iubet; primi ita faciunt, ac pars præcipitio obiriit, pars aqua demersi perierunt, ac multo plures interiissent, nisi christiani peccatores & mercatores eos extraxissent, & alios se præcipitare volentes prohibuissent, Pseudomoses requisitus non comparuit, vnde opinio fuit eum Dæmonem esse, inde multi Iudæi ad Christum conuersi sunt.* (Greg. Turon. — Socrates.)

D *Aqua baptismatis, medio Spiritu Sancto, ducuntur fideles in veram promissionis terram.*

*Cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi & vrente.* 165
Spiritus Sanctus ventus est vehemens & vrens, quia inenarrabili efficacia, flagrantissimo ardore corda adurit, & exsiccat, propterea in linguis igneis descendit super Apostolos, notificans declarānsque per linguas Apostolicas igneas, cū ipse ignis sit, fore se exhalandum, vt corda hominum exureret, & in siccum verteret submotis arefactisque impiarum doctrinarumque aquis, sed quid hoc, quod medio huiusmodi vento vehementi & vrente, pelagus aperitur, meabile

Arel. epis. Singulat. redditur & per illud Israelitæ siccis pedibus illud A transeunt? Ibi ... Arelatensis ... sic dicentem, *Abstulit Dominus mare flante vento vehementi & urente tota nocte, & vertit in siccum, cum per omne tempus illius vitæ quod nox significat, Spiritus sancti gratia aquas lapsi maris meabiles credentibus facit, vt illi per easdem transeunt, de spirituali Ægypto in terram promissionis, hostium in eodem elemento subsequens ... exercitus.*

***Deo miracula sunt tribuenda, non incantationibus & præstigiis.***

166 *Cum extendisset Moyses manum super mare abstulit illud Dominus*, Ex Heb. recedere fecit Iehouah mare: cur cum mare calcandum pedibus datur, cum diuiditur vt siccis vestigiis, illud populus fidelis transeat, cur inquam dicitur quod Iehoua illud operatus fuerit? merito quidem vt in solum Deum tanquam causam principalem tantum miraculum refunderetur, non autem causæ naturali vel incantationibus tribueretur, *attribuitur hoc miraculum Domino* inquit Card. Cajet. *vt summi Dei operatio, etiam in maris contra naturam aquarum manifestetur.*

***Diuersis itineribus ad Deum tendimus.***

*Cum extendisset Moyses manum super mare abstulit* 167 *illud Dominus, & diuisa est aqua.* Regius Vates de hac diuisione loquens ait Psalm. 135. qui diuisit mare rubrum in diuisiones, in quot? duas dices cum Theodo. sic scribente, nonnulli tradunt mare rubrũ in duodecim diuisiones, diuisum atque vnamquamque tribum separatim transiuisse, idque Beatum Dauid. cecinisse cum ait qui diuisit mare in diuisiones. ego autem duas in partes mare diuisum fuisse puto, nam id enim & diuina nos docet historia, dicens, erat aqua quasi murus eorum à dextra & à sinistra. viam vero latam fuisse pro proportione transeuntium: sed in expositione vidimus diuisum mare in duodecim diuisiones, iuxta numerũ tribuum Israel. sed cum spiritualiter hæc etiam intelligenda veniant, cur mare in tot partes diuiditur, vt Israel in terram B promissionis perueniat? benè Cassiod. *Rubrum mare est sæculi istius permixta profunditas, quam multis diuisionibus transimus, quando conuersi ad terram viuentium Domini venire festinamus; alter enim per eleemosynas, alter per arduam supplicationem, alter per virginitatem, alter per excellentissimam charitatem, &c. sic multis diuisionibus per sæculi huius mare transitur ad Dominum.*

Psalm. 135. Cassiodor. Cardin. Cajetan.

## *VARIETAS LECT. Vers. 22.*

**V***Vlg.* Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris, erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & læua.

*Sept.* Ingressi sunt filii Israel in medium maris, C per siccum.

*Pagni.* Et egressi sunt filii Israel per medium maris per aridam, & aquæ eis erant murus à dextra eorum & à sinistra.

## EXPOSITIO.

**I***Ngressi sunt filii Israel per medium sicci maris*, Siccato alueo & cessante vento, Hebræi post mediam noctem, in tertia vigilia ingressi sunt maris alueum; sed quisnam ingressus fuerit primus Hebræorum: traditio est tribum iuda, ducemque eius Aminadab, cæteris trepidantibus, & hortante Moyse primum ingressum esse mare; sed quia nimis breuiter recenset Moses quæ in illa diuisione maris & in illo transitu contigerunt, ideo lectoris gratia petemus ea ex 19. Sapiẽt. & ea aperiemus, sic autem ait, Populus quidem transiret, omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, præceptis tuis, vt tui pueri custodirentur illæsi, nam nubes castra eorum obumbrabat, & ex aqua quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio, per quem omnis natio transiuit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia & monstra.

Sapient. 19.

Sic autem hanc auctoritatem aperiemus, *omnis creatura ad suum genus ab initio refigurabatur.* Vniuersa enim propemodum creatura in suo quæque genere permanens, & natura subsistens, ita in Hebræorum gratiam est transmutata, vt rursus videri posset à Deo reformata, à quo in principio formata, factaque fuerat, cum autem ait, *omnem creaturam*, hoc simpliciter non ita intelligendum est, sed loqui de elementis & iis rebus quas adhibuit Deus ad Hebræorum beneficium, & supplicium Ægyptiorum, noster Seraphicus Doctor in eo refigurationem spectauit, quod iterum similitudinem recuperauerint creaturæ & veluti conditionem ne nocerent hominibus vt in innocentiæ statu v.g. aquæ submergendo, spinæ pungendo, ignis comburendo.

Seraph. Doctor.

*Ex aqua quæ ante erat terra apparuit, & in mari Rubro via sine impedimento.* Aduertendum quid ait B. Hierony. Epist. 4. ad Rusticum, Mare rubrum inquit latentibus saxis vadisque durissimis plenum est, vt in nauigando speculator doctus in summa mali arboris sedeat, & inde regendæ & circumflectendæ nauis dictata præbeat, quod si D tot saxa sub aquis latent, & profundis cincta verticibus, hiatu abyssorum reddunt mare intransibile & inuadibile, neque enim voragines illæ molliter descendunt, sed sæpe altissima habent præcipitia, tanquam balænarum aliorumque monstrorum marinorum cubilia, mare autem rubrum balænis cætisque maximis abundat: in hoc mari etiam syluæ virent laurus maximè & oliua ferens baccas, & cum pluit, fungos qui sole tacti mutantur in puniceum fruticum, ipsorum magnitudo ternorum est cubitorum; ex quibus patet non sine causa additum esse à sapiẽte, viam sine impedimento, necesse enim fuit etiã frutices istos euulsos fuisse, aut quod non est probabile ea via ductos Hebræos, qua non excreuerant fruti-

ces, oportuit etiam à Deo ſaxa euulſa & abyſ- A ſos complanatas, viamque æquatam, nam quod aliqui putant Iudæos iſtac viam tenuiſſe, vbi nec ante ſaxa, nec abyſſi fuerant, non eſt probabile. quomodo enim tantus virorum, puerorum, fœminarum, famulorum, ancillarum & pecorum numerus, tam breui ſpatio tranſire potuiſſet?

*Et campus germinans de profundo nimio*, Fundum enim maris manſit planum, ſuccedente in abyſſis impletis germinatione noui graminis & alijs in locis gramine priori permanente: fuit autem hoc gramen Iudæis datum non ſolum ad exhilarationem, ſed penè ad neceſſitatem; nam in via ſicca nec gramine veſtita, neceſſe eſt magnas puluerum nubes excitari ſi homines & pecora per eam præſertim in magno numero tranſeant, vt quotidie videmus; à quo incommodo gramen B terra continens cōmodiſſime Iudæos præſeruabat, & tanquam campus germinans exhilarabat: ut velis dicere, Deum vti miraculo ſiccauit & cōplanauit Hebræis alueum maris rubri, ita & miraculo effeciſſe vt idem alueus ſubito vbique germinaret & vernaret inſtar amœniſſimi campi ad Hebræorum conſolationem & oblectationem: celebrat enim ibi ſapiens opera non naturæ ſed miraculoſa Dei.

*Per quem omnis natio tranſiuit*, Omnis natio, vniuerſus populus Iſrael, *videntes tua mirabilia & monſtra.* Quod referri poteſt, non ſolum ad miraculum diuiſi maris & demerſi Pharaonis, ſed etiam ad apparitiones piſcium qui ex aquis blandientes Iudæis, neque aquas more ſuo commouerunt, neque quemquam læſerunt: in vno ergo miraculo illius diuiſionis maris, & illius tranſitus, plura particularia continentur, abſuit enim ab eorum via impedimentum luti per exſiccationem, arborum fruticum per euulſionem, ſaxorum per tranſlationem, abyſſorum per impletionem. an tranſierint ex vno littore in aliud oppoſitum, vel an quaſi facto ſemicirculo redierint in idem littus, à quo deſcenderant in mare, & ſi non in eundem ſpecialem locum, dicemus verſu. 29. huius capitis.

---

## CONCEPTVS.

### *Qui ſecum Deum habet, inter furentes fluctus ſecurus & tranquillus ibit.*

168 INgreſsi ſunt filij Iſrael per medium ſicci maris, Quem tranſitum ſic pulchrè deſcribit Prudentius in hymno ad incenſum cerei Paſchalis. Prud. ar. Poeta.

*Hoſtis durus adeſt, cum duce perfido.*
*Infert & validis prælia viribus.*
*Moſes porro ſuos in mare præcipit.*
*Conſtans intrepidis tendere greſsibus.*
*Præbent rupta locum, ſtagna viantibus.*
*Riparum in faciem peruia ſiſtitur.*
*Circumſtans vitreis vnda liquoribus,*
*Dum plebs ſub bifido permeat æquore.*

Et Sedulius Antiſtes lib. 1. in paſchale opus.

*Peruia diuiſi patuerunt cærula ponti.*
*In geminum reuoluta latus, vndataque tellus*
*Cognatis ſpoliatur aquis, ac turba pedeſtris*
*Intrat in abſentis pelagi mare, perque profundum*
*Sicca peregrinas ſtupuerunt marmora plantas.*
*Mutauit natura viam, mediumque per æquor*
*Ingrediens populus.*

Sed omnes præiuit Ezechielus Poëta tragicus, hunc inuenies in bibl. to patrum tomo D octauo. Ezechielus. Poeta,

*Deinde illorum dux Moſes accipiens*
*Virgam Dei, quâ prius Ægypto mala,*
*Monſtra, & ſigna machinatus fuerat.*
*Verberauit rubri terga, ipſi vero omnes fortiter*
*Ruebant celeres per ſalſum vadum.*

Ecce ergo vt per furentes fluctus coaceruatos ex vna & altera parte, iter faciunt: nonne itidem ſunt Iſraelitæ, qui conſpectis Ægyptijs fere animo exciderant? quomodo de eis ingreſſis non ait Moyſes, quod adhuc timidi incedebant? fluctus enim coaceruati laxari potuerunt: cur timore percellerentur? qui enim ſecum habet Deum vel Ieſum viæ ducem, inter furentes fluctus ſecurus & tranquillus erit. ita canit cit. Sedulius.

*Cui dux Chriſtus erat clamat, nam lectio multas*
*Vox Domini ſuper extat aquas, vox denique verbum eſt.*
*Verbum Chriſtus adeſt, gemina qui conſcia legis*
*Teſtamenta gerens, veterem patefecit abyſſum.*
*Vt doctrina ſequens planis incederet aruis.*

Ad mentem noſtram S. Macharius hom. 17. S. Machar. *Quod ſi bellum etiam ingruit exterius, ferit ſathanas, ipſi vero intus ſunt interius potentia Domini, nec Sathanam curant, ſicut tentauit ille Dominum, quid illi nocuit quod exterius aggreſſus eſt, corpus eius? intus enim Deus erat.* Ad hunc modum Chriſtiani licet exterius tentationem patiantur, nihilominus interius ſunt pleni diuinitate, & ideo nec damni quicquam ſentiunt.

### *Creaturæ omnes diræ ſunt in peccatores, quorum mala longiſsime à probis abſunt.*

*Ingreſsi ſunt filij Iſrael per medium ſicci maris*, Quid tunc? perſequentes Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos, 169 mare hinc inde ſcinditur, vt Dei ſeruis pandat iter, & nihilominus etiam Ægyptiis perſequentibus viam præbet: Ecce tibi ô mare per te tranſit peccatorum exercitus, an ſecurus tranſibit? an innocuus peccator intra te aget? cur non vniuerſos inuadis? argute Saluian lib. 1. de gubernat. Dei populum Iſraeliticum miratur aiens, *Pharao ad fugientes peruenit, caſtris iungitur; ſiccatur pelagus, Iſrael graditur, officioſa vndarum patientia liberatur.* Expende argutum illud verbum, *officioſa vndarum patientia*, quippe vbi per mare tranſibat etiam Pharao patientiam eamque maximam præ ſe tulerant vndæ ne ſæuirent, ne omnia peruerterent vt peccatorum ruinam accelerarent. ſed magis officium ſeruis Dei præſtarent patientiæ inuſitatæ opus fuit, illudque exhibitum Iſraelitis, quod vndæ vel vnum gradum tutum per ſe facere permitterent Dei hoſtibus quin illos ſubmerſos alliderent ad cautes, quod tandem effectum eſt.

*Iudæi difficile semper Deo obedientes nisi formidine compulsi.*

170 *Ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris.* Quæ sane via facillima erat, tum quia tuta aquarum muris hinc inde contingentibus, tum quia expedita vento humidum & lubricum solum exsiccante, tum quia herbarum florumque varietate, non sine miraculo picturata, iuxta illud Sapient. 19. in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo maris: ac si illa arenaria infæcunda, in rosaria iucundissima verterentur: & nihilominus Israelitæ adduci vix poterant vt viam illam non tam lapidibus quam floribus constratam capessere auderent, vnde illa est in eos regii vatis obiurgatio Psalm. 5. & irritauerunt ascendentes in mare rubrum. cur Deum dicuntur irritasse? nisi quod hæsitarunt & dubitarunt, an viam arriperent, veriti ne fortasse fluctibus obruerentur, & nisi à tergo instarent hostes, eodem forte in vestigio immobiles hærerent, sic Hebræi teste Genebrardo, *Postquam enim dissiluerunt maris aquæ, in spatium illud aquis discooperium timuerunt intrare.* (Genebrard.)

*Iudæi solum per tutam viam, Christiani per difficilem viam quærunt Deum.*

171 *Ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris.* Expectauere Iudæi, vt germinaret campus in vndis ad faciliorem transitum, audentior sane S. Petrus qui vt ad Christum Dominum veniret, non expectauit facilem & virentem viam sibi sterni inter vndas, sed intumentes fluctus se conicit, vt diuinæ vocationi obtemperaret. Matth. 14. descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum: sed cur Hebræis mare in cōtrarias partes recedens, inter currendū diuiditur, D. tamen Petro in vnum coalescens, ei subiicitur? nempe quia Iudaicus populus nonnisi facili ac tuta via ad Deum gradiebatur, Christianus etiam difficili ac periculosa ad Deum fertur, ille per terrenas opes ad beatitudinem serpebat, hic per cælestem inopiam ac beatitudinem contendit. vnde D. Bernard. in suis declamationibus. *Longè aliud, inquit est in luto aquarum multarum in fundo diuisi maris iter carpere, terrena licite possidendo; aliud ipsam quoque nouis gressibus vndam calcare omnia relinquendo, sed tempori gratiæ hæc prærogatiua debebatur, Petro nouum iter & noui typus itineris seruabatur; antiquorum patrum diebus non erat euangelica forma perfectionis.* (Matth. 14. — S Bernard.)

*Impii audaciores in suam perniciem, quam pii aliquando in suam salutem.*

172 *Ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris.* Nihilominus cum vidissent mare diuisum, viam inter aquarum cumulos stratam, nec dubitarent tam insolitam viam in sui fauorē diuinitus apertam, tamen eam arripere trepidarunt, & sua hac trepidatione Deum irritarunt de illius patrocinio diffidentes, qui se illis tam singularem patronum exhibebat, sed quid ait textus de Ægyptiis? quod ingressi sunt post eos: nonne idem periculosum incubabant ac Hebræi, nec existimantes tantum miraculum in sui gratiam diuinitus effectum? cur igitur in illud intrepidi irruerunt? cur vt suum in Hebræos explerent odium, hoc adire periculum non dubitarunt? quid obstinatius ac pertinacius quā proprio exitio se exponere voluisse vt extremum suis aduersariis exitium machinarentur? ita sane, vt videas impios audaciores in suam perniciem, quam pios aliquando in suam salutem. qua de re D. August. serm. 89. de tempore, *Ægyptiorum* (inquit) *turmæ inter maritimos fluctus alienum iter ingressæ, aqua vindice merguntur, quos in medium maris alueo sinum desperata traxit malitia.* Igitur efficacius mouet Ægyptios in sui perniciem insana contumacia, quam germana obedientia Hebræos in suam salutem. hæc enim in mortis periculo Hebræos non omnino impellebat in quod illa Ægyptios temerè præcipitabat. (S August.)

*Tribulationibus, egregii in virtute fiunt profectus.*

173 *Ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris.* Quo referes, quæ de transitu huius maris rubri dixit Sapiens c. 19. ex aqua quæ antea erat terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento & campus germinans de profundo nimio: quæ verba extrema non accepi in expositione quasi per hyperbolen dicta vel figuratè, nempe quod illa in mari rubro fuerit Hebræis loco campi germinantis, quoniam cum summa alacritate & lætitia per illa transibant, sume ergo illa dicta vt & diuinam beneficentiam in Israeliticam plebem per historiæ seriem & tribulationem mirificos profectus per allegoriam nobis atestantia: sed quid est quod in rubro amarissimo, campus germinans inuenitur? si mare rubrum tribulationum symbolum esse diximus, merito campus germinans quo suauissimi omnium virtutum flores, segesque feracissima, intelligitur, inde pullulat, quia mediis tribulationibus, egregii in virtute fiunt profectus, quod doctissime ponderat B. Chrysost. hom. 3. de Iob. qui cum variis tribulationum generibus probatus fuisset, tunc surrexit inquit textus, sic autem ait sanctus doctor, *Bonum verbum, surrexit, non enim decidit plaga, sed surrexit pietatis virtute, surrexit, & adorauit, merces calamitatum adoratio, pulsatus ærumnis benedicit, oppressus gratias agit:* Et hom. 5 *nosti quale tribulationis sit lucrum, bonum quidem erat salute vigere, multo tamen pretiosius vel vulneribus concisum, quoniam vero & vulnera pulchra quidem etiam dum illota perdurant; cum vero lauacris opera extersa fuerint, incomparabilem pulchritudinem decoremque suscipiunt.* Et post pauca dum de dæmone in patientissimum virum turbines ciente agit, sic subdit, *at eo modo nusquam inclamauit: sed & per eas quas tetendit insidias splendidiorem reddidit, totque & tanta diripiens, maiores sibi virtutes diuitias cumulauit.* (S. Chryso)

*Dei & seruorum suorum præceptis obedientes, regnum merentur.*

174 *Ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris.* Sed quis eorum primus? nam vt vidimus ex regio vate Psal. 105. irritauerunt eum ascendentes in mare rubrum, nolebant enim præ timore, etiamsi diuisum mare, etiam si à dextris & à sinistris aqua esset quasi murus, illud ingredi: quis ergo primus viam sicci maris tentabit? Aminadab ex tribu Iuda, quid ex hac magnanimitate Deo obediens consequitur? regnum super populum Israel,

Petrus Comestor. ſubſcribit Petrus Comeſtor in Hiſt.Schol.c.33. *Aduocans Moyſes ſingulas tribus ſecundum ordinem natiuitatis ſuæ, hortabatur eos vt ipſum præeuntem ſequerentur, cumque timuiſſent intrare Simeon, Ruben & Leui, Iudas primus aggreſſus eſt iter poſt eum, vnde & ibi meruit regnum.* Et Lombardus Epiſc. Pariſiens. in Pſalm. 105. (Lombard. Pſalm. 105.) *Diuiſum eſt mare in duodecim diuiſiones, ait, nulla tribus eſt auſa intrare prius niſi tribus Iuda, vnde meruit inter alias priuilegium vel principatum obtinere.*

*Pii etiam ab aduerſariis ſubſidium & obſequium accipiunt.*

175 *Ingreßi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris,* Quomodo vndis non obuoluuntur? quia aqua murus erat à dextris & à ſiniſtris: quis aqueos muros vnquam conſpexit? nonne proprium aquarũ eſt fluctibus obruere? quomodo tanquã muri cõſiſtunt à dextris & à ſiniſtris, Iſraelita tranſeunte? quia pii etiam ab aduerſariis ſubſidium accipiunt & obſequium. annuit Oleaſt. (Oleaſter.) *Hoc bonum habent qui Deo miniſtrant, quòd ab inimicis miniſterium ſumunt, & quæ eos impugnare ſolebant defendunt eos. non ſatis æſtimat Dominus vt pacificos eis hoſtes reddat, niſi etiam miniſtros faciat & ſubiiciat, percutiam ait Dominus Oſeæ 2.* (Oſe. 2.) *cum eis fœdus in die illa, cum beſtiis agri, & cum volucribus cæli & reptilibus terræ donec ponam inimicos ſcabellum pedum tuorum Pſalm 109.* (Pſalm 110.)

*Deus præuenit malitiam detractorum.*

176. *Ingreßi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris,* Sed aqua erat ipſis murus à dextris & à ſiniſtris: nonne ſatis erat dixiſſe filios Iſrael, rubrum mare ingreſſos, & in eo fluctibus ſubmerſum Pharaonẽ cum exercitu ſuo? cur annotat aquam tanquam murum à dextris & à ſiniſtris ſubſtitiſſe ne ſuffocaretur Iſraelita? conſulamus reſponſionem Procopii, (Procop.) *Eleganti præoccupatione tuetur Deus veritatem, haud ignarus perfidorum aſtutiæ, qui docent ſinũ Arabicum naturaliter nunc exhauriri, nunc repleri aqua, quod ſi ſinus ille Arabicus ita natura comparatus erat, an non veroſimile eſt loci naturam magis compertam & perſpectam fuiſſe Ægyptiis quam Iudæis fugientibus?*

*Orationis virtus maxima.*

177 *Ingreßi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris.* In cuius profundo campus erat germinans, vt mollius & delicatius per illud iter facerent: quis hoc à Deo obtinuit? non Iſraelitæ, tum quia Moyſi detraxerunt, tum quia Deum irritauerunt aſcendentes in mare rubrum, ſcilicet præ puſillanimitate & nimia diuini auxilii diffidentia. quis ergo à Deo tam eximium conſecutus eſt beneficium? ſane Moyſes; quandonam? cum Deum pro ſalute populi deprecatus eſt, teſtem profero cit. (Gazæus.) Procopium, *Quamuis pateat Moyſen non clamaſſe, attamen teſtatur Deus manifeſtè ipſum vociferari, ſed mente; talis enim vox ſeu vociferatio exauditur facillimè, & penetrat ad aures Dei cum bona conſcientia nullo clamore adiuta, hanc vocem vbi exaudiuit Deus, ſicco vado traducit Hebræos per mare rubrum.*

*Omnibus modis Deus ſuorum confirmat animos ne titubent.*

178 *Ingreßi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris,* Quod abſtulerat Dominus vento flante vehementi & vrente, quid? an ſolum abſtulit Dominus? nihilne aliud interceſſit, quam maris remotio? Abacuc & Dauid prolixè notant grauem (Abacuc cap. 3.) quoque interueniſſe tempeſtatem, increbuit mare rubrum & exſiccatum eſt, & deduxit eos in abyſſis, ſicut in deſerto: neque enim placide ait Antonius Gueuaram 3. caput Abac. (Antonius Gueuara.) aut blandè Deus mare rubrum diuiſiſſe narratur, ſed tumultuoſe, potius cum magnis clamoribus, & perturbatione, qualia irati, & indignabundi excire, atque commouere conſueuerunt. Dauid hunc tumultum atque fragorem, quo mare rubrum diuiſum graphice deſcribit in hæc verba, viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ & timuerunt, & turbatæ ſunt abyſſi, multitudo ſonitus aquarum vocem dederunt nubes, &c. ergo quod dicitur ſimpliciter in Exod. abſtulit Dominus maro flante vento vehementi & vrente tota nocte, procelloſum ventum ſignificat, negotiumque iſtud vt declarat Pſalmographus (Pſalm. 105.) coactis horrificis nubibus, tonitrua & pluuias, atque grandines eiaculantibus, inſtarque rotarum curribus ſtridentibus peractum eſt, idque ſubindicat Habac. dicens, *Numquid in fluminibus iratus es Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua? qui aſcendis ſuper equos tuos, quadrigæ tuæ ſaluatio:* Sed cur ita grauis tempeſtas eſt orta? cur tot Deus iaculatur fulmina? cur tot cælum coruſcationibus replicetur, cum ſcindendum eſt mare? ſane ad maiorem populi Hebræi confirmationem vt præditã tempeſtate inſolitum illud iter ingrederentur, vt ſic eſſet ipſis recogitandi occaſio, quemadmodum in Ægypto quoque grandine, tonitru, fulmine Deus pro eis ita pugnaſſet aduerſus Ægyptios, vt his grauiſſimè læſis ipſi tamen permanerent illæſi, atque ita ex præteritorum commemoratione, acciperent ſpem nunc etiam ita futurum.

*Deus increpat elementa, quia aliquando ſuis famulis obſtant.*

*Ingreßi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris.* 179
Quod fugiſſe à facie Dei teſtatur regius Vates Pſalm. 105. cum ait, quid eſt tibi mare quod fugiſti? cur aufugis? nonne ſerui Dei tranſituri ſunt alueum tuum? ſi tranſirent impii, aufugere deberes, ne pollutum redderetis ex eorum contactu; cur ſic fugerit rationem reddit cit. Antonius Gueuara in c. 3. Habacuc. verſ. 8. (Antonius Gueuara.) *Deus quaſi iratus & furibundus aquas increpaſſe deſcribitur, quod aut germinatione tellurem aut tranſitu populum prohiberent.*

*Principum exemplum facile ſequuntur ſubditi.*

*Ingreßi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris.* 180
Quomodo mare ingredimini? an eius inconſtantiæ ſpes aliqua, eſt habenda? ecce à ſiniſtris & à dextris nunc cõſiſtit, vt vos fluctibus ſuis obruat. quis prior ingreſſus eſt illud? ait Ioſephus lib. 2. antiq. c. 7. Moyſes videns adeſſe Deum, & mare de ſolo ſuo ceſſiſſe, primus progreditur: quid mirum igitur ſi omnes etiam mare ingrediuntur Iſraelitæ? principum enim exemplum facilè ſequuntur ſubditi, ſubdit Ioſephus. (Ioſeph. Chriſtian Druthmar.) *Illi impigrè ſubſequuntur diuina ope freti,* vnde recte Chriſtia-

nus Drutmarus in c. 27. Matth. annotans quam propensi sunt subditi in principibus sequendis ait, *Tales sunt populi, qui habet potentiam facile* A *conuertit infirmiores ad voluntatem suam non recogitant, quis iustior sit, sed quod principem suum intelligunt velle, ad hoc conuertuntur.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 22.*

V*Vlg.* Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris.

*Septuag.* Ingressi sunt ascensores in medium maris.

*Pag.* Et secuti sunt eos Ægyptii, eos omnes equi Pharaonis.

## EXPOSITIO.

P*Ersequentesque Ægyptii*, licet Hebræos præ nube tenebrosa non viderent, tamen in lumine stellatum, hanc nubem intuebantur ad B motum castrorum se mouentem, nec non strepitum eorum præsentientes, secuti sunt per alueum maris diuisi.

## CONCEPTVS.

### *Obduratio ita obcæcat vt imminens pernicies non attendatur.*

181 P*Ersequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos per medium maris.* Quo ingredimini? mare diuisum, nonne vobis imminet præsentissimum discrimen? nam satis est vobis compertum Deum Hebræorum esse infensum, nec vestri gratia hoc mare diuisum: gradum reuocate, & in littore maris sistite. nesciunt optimo acquiescere consi- C lio, cum enim obduratū erat cor eorum, tanta cæcitate tenebantur, vt imminens periculum non

Abulens. viderent, *Magna Ægyptiorum audacia*, inquit Abulens. *imo maxima dementia, tanto se periculo exponere, vt mare intrare non formidarent quod ad eorum internecionem apertum fuerat, quod Hebræi ad suam euasionem paratum ingredi extimuerant, sed ista non ex eorum impauiditate veniebat audacia, sed magis ex eorum culpa, cum eos Deus permitteret indurari.*

### *Iniusta cædes ad perniciem reos incitat & agitat.*

*Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos*, An

182 creditis mare diuisum vestri gratia? an aquam tanquam murum consistere à dextris & à sinistris vt liber transitus vobis concedatur? cur ergo ante oculos positum discrimē non fugitis? nonne plures infantes aquis suffocauerāt? en ergo vt iniusta cædes eos ad propriam perniciem agitat & in- D citat? fauet Eusebius Emiss. apud Lippom *Stabat*

Eusebius Emissenus. *aqua eleuata quidem, sed tamen quasi fræno cohibita; ac populus quidem Deum sequebatur, Pharao vero obdurescit ac simul aduersus Deum & terram, pugnam gerit, post decem plagas, post Israelis emissionem, imo post excussionem, nimirum sanguis atque iniusta infantium cædes illum agitabat, & sic quotquot Ægyptii egressi erant perierunt.*

### *Impii etiam insensibiliter in mortem præcipites se deiiciunt.*

*Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos*, Si

183 Israelitas propter nubē interpositam non conspiciebant, & tempus noctis aderat, quomodo eos insequuntur? aut si tantum miraculum, quale erat diuisio maris, sibi compertum erat, quomodo tam perfricatæ frontis & mentis vt eos persequi non vereātur? ait Hugo Victori. *Non poterant* inquit, *eos perfectè videre, & tamen quia abire eos sentiebant, per aliam viam pedetētim eos insequebantur, nescientes se vel illos mare ingredi.* En vt impii etiam insensibiliter in mortem se deuoluunt, spiritu vertiginis adducti! Hugo. Victorinus. hic.

### *Quæ piis sunt munimini, impiis sunt exitio.*

C *Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos per medium maris*, Quid, ô Deus bone, nonne Israelitarum gratia mare diuisisti, aquasque illius tanquam murum à dextris & sinistris consistere iussisti, vt transirent incolumes? imo ad eorum consolationem. & faciliorem viam profundum illius germinare fecisti? quomodo ergo in vtilitatem Ægyptiorum hæc omnia cedunt? Ecce enim per mediū maris incedunt, tuos persequuntur famulos? paulisper subsiste, & scies ea quæ erāt Israelitis munimini, qualis erat aqueus murus, vt libere transirent, eadem futura in perniciem & exitium Ægyptiorum. rectè Eusebius cit. *Per virgam miracula fiebant, Ægyptii percutiebantur, Israel expellebatur, Deus cognoscebatur, mare scindebatur, & vt ita dicam consuebatur, & his quidem erat via, illis vero interitus.* 184 Cit Euseb.

### *Tribulatio bonos eleuat, malos deprimit.*

D *Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos per medium maris.* Quo suffocati miserè periere, & quo transacto, incolumes euasere Israelitæ, in quo Ægyptii infælicem exitū inuenere, Israelitæ autem refugiū & munimen: quid ex eodem mari tam diuersi exitus? si vt diximus illud est Symbolum tribulationum, non miraberis in eo peruersos perisse, iustos autem animosiores euasisse. tribulatio enim bonos eleuat, malos deprimit. rectè ad nostram mentem B. August. lib. de mirab. c. 19. *Sicut iis, inquit in quos Deus punire voluit omnis creatura irascitur, sic & illis quibus auxilium præbuit omnis creatura suffragatur, etenim ad hos ambos populos mare rubrum diuisit, vbi eorum alteri totius pressuræ finis, initium alteri cunctæ fælicitatis fuit.* 185 B. August.

*corpore sopita sunt, sedequis Dei mare turbatum est, quia missis sanctis prædicatoribus, omne cor* A *quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expauit.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 24.*

*Vulg.* Iamque venerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum, per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum.

*Sept.* Factum est autem in vigilia matutina, & inspexit Dominus super castra Ægyptiorum & conturbauit castra Ægyptiorum.

*Abul.* Vulnerauit exercitum eius.

*Arias Mont.* Et respexit Dominus ad turmam Ægyptiorum in custodia diluculi, & conteruit turmam Ægyptiorum.

*Cajetan.* Et effecit attonitum exercitum eorum.

## *CONCORDIA.*

IN Hebreo est ויהם vaiaham quod est interfecit, & conturbauit, seu perturbauit, vel attriuit verti potest, & est futururum à verbo המם, in- B terpres autem habuit respectum ad finem totius negotij, cum ait in e. fecit, vel loquitur de parte exercitus occisa fulminibus.

## EXPOSITIO.

IAmque aduenerat vigilia matutina. Diuidebant enim tam Romani quam Hebræi vnamquamque noctem in quatuor partes æquales, quarum singulę ternarum erant horarum inæqualium, easque ab excubus militaribus, quę nocte quater mutari erant solitæ vocabantur vigiliæ, eademque ordine, vigilia prima, vigilia secunda, &c. censebatur: erat ergo vigilia matutina, quarta, & vltima noctis vigilia, sub auroram & diluculum, *& ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum,* per columnā ignis, quæ sic apparuit vt Angelus in ea latens, per lumen coruscum ostenderet, ac mox C ex ea iacularetur fulmina, lapides, aut ignita tela, simul enim infremuere tonitrua in densa illa ac caliginosa nube crebris ignibus intermicante, omnia damnis & confusione miscebantur, cōsentit Ioseph lib. 2. c. 7. accesserunt (inquit,) & imbres de cœlo, & aspera tonitrua fulguribus simul intermicantibus, fulminaquoque deferebantur, & nihil omnino deerat corū, quæ irata à Deo, hominibus ad perniciē immitti solent: Artapanus quoque apud Euseb. ait superuenientibus Ægyptiis, & persequentibus, ignē ex anteriori parte effulsisse, mare rursum viam suam inundasse: hanc eamdem præuiam supremę calamitatis tempestatem, ab Angelo ex ignea nube contra Ægyptios pugnāte effusam agnoscunt omnes interpretes, quam iam pridem videtur etiam cecinisse regius vates, cū ait vt multitudo sonitus aquarū vocem dederunt nubes, etenim sagittæ tuę transeunt, vox tonitrui tui ita illuxerūt in rota coruscationes tuæ, orbi terræ; quasi dicat, magnus tunc erat sonitus aquarū, sese diuidentiū pro transitu populi tui, & rursus cōcurrentiū pro submersione hostiū, magnus itē sonitus erat aquarū, & nubium copiosè decurrētium, nubes dederunt grauem tonitrui sonū, sed & grādines in morē sagittarum, āte ex alto copiosè deuolantium, sonitus tonitrui in ipsas curruum & quadrigarum rotas, impetū fecit excutiens ac subuertens eas, atque in maris profundū deturbans.

## CONCEPTVS.

### *Aliquando Deus videtur dormire, sed tamen semper pro pijs vigilat.*

190 IAmque aduenerat vigilia matutina & ipse respiciens Dominus per columnam ignis. Ecce ingressi D sunt Ægyptii alueū maris geminantē, ecce persequuntur Israelitas, cur ab eo instanti, quo eos persequuntur, omnes currus eorum non contriuit? quid ait textus? respiciens Dominus per columnam ignis: ne Deum arguamus, quod ab ingressu eorum in mare currus non contriuerit, equites nō interfecerit, quia licet aliquando Deus videatur dormire, tamen semper tempore opportuno pro piorum salute vigilat, sic Anselm. Laudunensis. *Cum vigilaret Dominus Deus ad custodiam populi sui, qui ante dormire videbatur, respexit in quarta custodia super castra Ægyptiorum.* Anselm. Laudunens.

### *Deus vult vt impij suum videant & sentiant supplicium.*

*Iamque aduenerat vigilia matutina & ecce respiciens Dominus per columnam ignis.* Quid est, inquit, Hugo Victorinus, quod per nubem dicitur Deus respicere super castra? nisi hoc scilicet quod nubes quæ prius tenebras faciebat Ægyptus, lumen præbuit eis; quid? an tam eximio Dei beneficio, quale est illuminari nocturno tempore, digni effecti sunt? quid? lumen deficiebat eis ne persequerentur Israelitas, ecce nunc illustrati lumine animabuntur ad eorum internecionem? illustrentur quidem lumine non vt seruentur vt Israelitæ, sed vt suum videant & sentiant supplicium, ita cit. Victori. *Ad confusionem eorum totum hoc factum est, scilicet, vt viderent se in arcto.* Hugo Vict. 191

### *Licet aliquid Deus suis præcipiat perficiendum, tamen ipsemet semper præsens adest.*

*Iamque aduenerat vigilia matutina & ecce respiciens Dominus per columnam ignis super castra Ægy-* 192

*videat si est intelligens & requirens Deum*, in græco est διέκυψε à verbo διακύπτω quod propriè est per clatros, per rimas, per cancellos prospicere, vt colligeremus Deum adesse omnia explorantem, licet adesse impij non cogitent, subsignat hunc menti Agellius (Agellius.) *Sic enim scribit διέκυψε autem in Græco quasi per, cancellos, & transennas prospexit, & dum illum adesse, & videre non putant homines, & abscondita omnia, contemplatur & uidet.*

*Christus resurgens, de omni aduersario refert triumphum.*

198 *Iamque aduenerat vigilia matutina, ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum.* Et quid inde? interfecit exercitum eorum, Rabanus Maurus: ergo vigilia matutina quando Saluator noster ab inferis resurrexit in gloria, sed licet ita hæc vigilia matutina possit mysticè interpretari, quomodo verificari poterit, quod Dominus respexerit super castra Ægyptiorum, & interfecerit exercitum eorum, nam vbi castra tum Ægyptia? dicit. Archiepiscopum audiamus. (Archiep. Moguntin.) *Benè dictum est, quod in vigilia matutina Dominus aspiciens super castra Ægyptiorum, interfecit exercitum eorum, interficit quippe exercitum spiritualium Ægyptiorum, cum vero Pharaone, quando Diabolum & satellites eius cum tota spirituali nequitia, & multitudine peccatorum in aquis spiritualibus, vbi credentes per similitudinem mortis eius baptizati, à morte peccatorum resurgunt, submersit, & æterno damnauit interitu, nec eis veros Israelitas qui prædestinati sunt ad vitam æternam sub sua potestate vlterius habere licebit, quia quos præsentia diuina prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, illos & iustificauit.*



## *VARIETAS LECT. Vers. 25.*

VVlg. Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum, dixerunt ergo Ægyptij, fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.

*Sept.* Et colligauit axes curruum eorum, & egit eos cum violentia, & dixerunt Ægyptij, fugiamus à facie Israel, Dominus enim oppugnabit pro eis Ægyptios.

*Symmach.* Transtulit rotas curruum.

*Aquila.* Impediuit curruum rotas.

*Theodotion.* Peruertit rotas curruum.

*Cald.* Et abstulit rotas curruum, & ducebant eos grauiter, dixeruntque Ægyptij, fugiamus à facie Israel quia hæc est potentia Domini, quæ pugnabat pro eis in Ægypto.

*Onk.* Abstulit rotas curruum eorum, vt difficulter eos ducerent, & dixerunt Ægyptij fugiamus à facie Israel, quoniam hæc est potentia Domini, quę fecit pro eis bella in Ægypto.

*Pagni.* Et remouit rotas curruum eius, & duxit eos in grauitatem.

*Vatab.* Et ducebant currus cum grauitate.

*Rabi. Salom Paraph.* Propter vim ignis accensæ sunt rotæ, & currus implicati sunt, & qui sedebant super eos, excutiebantur.

*Oleast.* Et recedere fecit rotas curruum, *addit, potest etiam verti* & fecit tumultum in castris Ægyptiorum.

## *CONCORDIA.*

VAria est lectio, Septuaginta enim ϗ συνέδησε & colligauit nempe axes curruum, quod interpretatus est Aquila impediuit eos, ne rotæ volui possent, forte pro ויסר vaiasar, quod est remouit, recedere fecit subuertit, legerunt ויאסר vaiatser hoc enim significat colligari, ferebanturque in profundum, Septuaginta habent ϗ ἤγαγεν αὐτοὺς μετὰ βίας & deiecerit eos in vi, vel cũ violẽtia, Hebraica autẽ lectio וינהגהו בכבדת vaina hage hubikbeduth & deiecit eum, vel axẽ, vel rotam curruum, in grauitate, quorum omniũ eadem sententia est, quod rotas curruum Deus impulit cum vi & vehementer, vt eos grauiter præcipitaret, Cald. habet ducebant eos grauiter, ad aurigas enim hoc refert, qui confractis rotis, iam difficulter currus agere poterant.

## EXPOSITIO.

SVbuertit rotas curruum. Vel fulmine, vel ignibus immissis, vel colligatione, & earum fractione, vel ablatione earum, vel earum subuersione, vt quotidie videmus, cum in aliquem lapidem offendunt vel in viam difficilem & montuosam, aliqui ita sentiunt, quod non rotæ omnes in singulis curribus fractę ita vt currus statim rectà deciderint, sed tantũ quædam, atque ita currus obliquarint in latus vt cum impetu suos sessores eiecerint. vnde subditur, *ferebanturque in profundum* currus enim prius elati per rotas, iam rotis excussis vel ablatis, vel aliquã eorum fracta, simul cum eis deprimebantur in profundum, idest in ipsum maris alueum iam aquis euacuatum, sed mox iis cursus replendum: hoc enim non ita intelligendum quasi iam emergerentur, aut fluctibus obruerentur, non enim adhuc extenderat Moyses manum super mare, vt aquæ eos inuoluerent, *vnde dixerunt Ægyptii fugiamus Israelem*, iam rotis curruum vel confractis, vel quomodocumque impeditis. *Dominus enim pugnat pro eis contra nos* fulmine, tempestate, curruum subuersione, aurigarum præcipitatione equitum excussione.

## CONCEPTVS.

*Tantus fuit etiam Dei Israelis apud paganos timor vt & ipsum venerarentur.*

199 SVbuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum, & dixerunt fugiamus Israelē, Qua de causa? Dominus enim pugnat pro eis. quid, nonne antea dixeras ô Pharao, te non cognoscere Deum Hebræorum? quomodo ergo & eum potentissimum & pro Israelitis tanquam Deum eorum pugnantem, fateris & ideo proclamas fugiamus? times ergo eum cum vniuerso exercitu suo. ita equidem, tantus enim fuit Dei Israelis veri & solius numinis, etiā apud paganos timor & reuerentia, vt & ipsum timerent, & plures reuerentur: Nabuchodonosor Deum timuit, ac multis nominibus prædicauit, Daniel 3. Cyrus Persarum Rex non solum præcepit templum extrui Deo Israelis, sed sumptus impendit, sed etiam quæ ad sacrificia necessaria erant, in singulos dies erogauit, Esd. 6 Eunuchus Reginę Candacis, Hierosolymam venit adoraturus, tandem gentiles ascendebant in templum, vt adorarent in die festo. Ioann. 12. vnde Tertul. lib. Apolo. c. 26. locutus cū Romanis de populo Israelis. *Cuius, inquit, & Deum* (Tertul.) *vt honus, inclytum dicis, & gentem fœderibus aliquando Romani honorastis? nunquam dominaturi eius si diuina non deliquisset vltimo in Christum*: sed & Philo Iudæus de vit. & legatione, ad Caium loquutus de Cæsare Augusto ait, (Philo. Iudæus.) *Tam sancte inquit, sacra nostra habuit, vt pene omnium suis domesticorum donariis exornaret templum, iussit mandauit quotidianas mactari victimas suis sumptibus Deo vota altissimo quæ sacra inibi ... durabantque perpetuo in monumentum virtutis imperatoriarum, &c.* En vt ipsi Pagani, & deorum cultores, ipsum Deum Israelis verentur & reuerentur?

*Dominus pro suis aduersus Ecclesiæ persecutores pugnat, & eos oppugnat.*

200 *Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum, & dixerunt fugiamus Israelem.* Nonne antea persequebaris Israelem quasi fugientem? quomodo vice versa iam fugis nullo persequente Israelita? Dominus inquiunt pugnat pro eis, & merito fatentur, quando enim Deus non pugnauit contra suorum aduersarios? quando non debellauit suorum persecutores? quis maiori tyrannide & immanitate persecutus est Dei Ecclesiam, quam impiissimus, & crudelissimus Maxentius? quo fine quieuit? imo quem infœlicem exitum nō habuit? cum post dira scelera in veros Israelitas & immanem persecutionem, aquis cum exercitu suo in profundum detrusus, suffocatus miserrimè occubuit. sic Euseb. in vita Constant. lib. 1. c. 32. & (Eusebius.) hist. lib. 9. c. 8. quemadmodum & ipsius Moy-„ sis, & antiquorum & piorum Hebræorum tem-„ poribus, currus Pharaonis eiusq; copias deiecit in „ altum, & delectos ascensores, satellitesque re-„ gios in mari rubro demersit, sic Maxentius quo-„ que cum eo erant armati & stipatores, velut la-„ pis in profundum Tyberis gurgitem præcipites „ deciderunt, cum tyrannus Dei virtute Constanti-„ no opem ferente, terga dedisset & in fuga flumen, „ ex aduerso obiectum, in quo lintribus coniunctis „ & ponte artificiosè fabricato, machinā qua Con-„ stantinum adeo charum Deo è medio sublaturum „ sperauit, ad suum ipsius interitum construxerat, „ traiicere cœpisset, Deusque Constantino beni-„ gnus præsto tulisset auxilium & tyrannus eius ope „ destitutus, clandestinas & occultas machinas „ miser contra seipsum fabricasset, adeo vt illud „ commodè in ipsum dici possit: lacum aperuit, & „ effodit eum, & incidit in foueam quam fecit: con-„ uertatur labor eius in caput eius, & in verticem „ ipsius iniquitas eius descendat: tum Dei nutu „ machinarum in pontis iunctione collocatarum, „ & fraudis in eisdem latitantis transitus, tempore „ minimè sperato subsidit, mitque ac de improuiso „ lintres cum ipsis viris in altum gurgitem præci-„ pitati sunt: ipseque infœlix primus, deinde eius „ satellites & stipatores (sicut diuina loquuntur „ oracula, in rapidum flumen tanquam plumbū „ delapsi: vt Constantinus cum suo exercitu Dei „ præsidio victoriam assecutus; merito sane licet „ non verbis, re tamen ipsa similiter cum Israelitis „ & egregio Dei famulo Moyse eadem ipsa, quæ „ ille olim contra impium tyrannum Pharaonem „ cecinisset, sic quodammodo suaui concentu, fu-„ derit dixeritque: Cantemus Domino, gloriose „ enim magnificatus est, equum & ascensorē deiecit in mare: adiutor & protector factus est mihi „ in salutem & quis similis tibi in diis, Domine, quis similis tibi? gloriosus in sanctis, admirabilis, & præclare faciens prodigia. (Psal. 7.)

*Tandem impij sed malo suo Deum verum agnoscunt.*

201 *Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum & dixerunt fugiamus Israelem.* An te persequitur? an te superior viribus, an animo & fortitudine te vincit? cur ergo fugis fugientem Israelem? Dominus inquit pugnat pro eis, cur nominas Dominum cum cor talia deorum adores simulachra? cur Dominum inquam nominas pro Israele pugnantem, cum arti magicæ mirabilia quæ facta sunt in Ægypto tribueris? ita sanè, sed tandem impius & malo suo. *Deum verum agnoscit in eis* (inquit Cardinal. Cajet.) *quod dixerat Deus & scient Ægyptij quod ego Dominus, nunc enim confitentur quod non magica arte sed ipse Dominus est qui pugnat pro Israelitis contra Ægyptios. & ex hac confessione insinuatur quod ex illa columna nubis quæ erat in aere inter Israel & Ægyptios sensibilis actio emanabat contra Ægyptios persequentes Israelem, alioquin non dixissent fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro eis contra nos sed putassent casu accidisse sibi huiusmodi impedimenta.* (Cardin. Cajetan.)

*Impij cum Dei vindictam fugere desiderant, tunc nequeunt.*

202 *Subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum & dixerunt, fugiamus Israelem*, Nec sine ratione fugæ se committere volunt, Dominus enim pugnabat contra eos, nec dubium quod licet fugi

A meditati sunt, sic etiam fugere voluerunt, at an desideria eorum adimpleta? cur imminentem exitum non fugiunt? subuertit Dominus rotas curruum, ferebanturque in profundum, impij enim cum Dei vindictam fugere desiderant, tunc nequeunt. Lippom. *Vide*, inquit Lippom. *quomodo audacia impiorum vertitur in conturbationem, persecutio ad fugam, perfidia indurata ad pœnitentiam intempestiuam, & infructuosam, tardè nimiũ sapiunt impii, quod Dominus pugnat pro fidelibus: qui tempestiuè sapit sibi temperandum ab oppressione amicorum Dei, sicut à tactu pupillæ oculi Domini, verum quamuis dicerent Ægyptij fugiamus, vehementia signorum admoniti, non tamen fugere potuerunt.*

### *Misericors Dominus. sed cum eius misericordia abutimur, seuerissimus vindex.*

203 *Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum & dixerunt fugiamus Israelem.* Si Deus iam B subuertit rotas curruum, si feruntur in profundum, quomodo fuga salutem quærent? nam contritis rotis curruum, hominibus in profundum præcipitatis, quæ spes salutis? nulla, cur adhuc spatium correctionis & emendationis non tribuis? quia licet Deus sit misericors, cum tamen eius misericordia abutimur seuerissimus vindex Eccles. 5. est: vnde Eccles. 5. non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim veniet ira eius, & in tempore vindictę perdet te, quia Altissimus patiens est redditor. ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim & ira ab illo proximant, & in peccatores respi- S. August. cit ira illius. & vt rectè annotauit August. tract. 33. in Ioann. *Mansuetus Dominus, misericors Dominus, sed & iustus & verax Dominus largitur tibi spatium correctionis, sed tu plus amas dilationem quam emendationem, malus fuisti heri, hodie bonus esto, cum nescis quid pariat futura dies: nullus ergo hominum*, inquit cit. Doctor libro de fide. cap. 3. *debet sub spe misericordiæ Dei diutius in peccatis suis remanere, cum etiam nemo in ipso corpore velit sub spe salutis ægrotare, tales enim qui ab iniquitatibus recedere negligunt, & sibi de Deo indulgenti repromittunt, nonunquam ita præueniuntur repentino Dei furore, vt nec conuersionis tempus, nec beneficium remissionis accipiant.*

### *Iusto Dei iudicio impij in sua manent obcæcatione.*

204 *Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum.* Non miror contritis curruum rotis, in profundũ præcipitatos: quis enim in curru consistere potest nullas rotas habente? nonne vt prodigiũ maiori esset admiratione, maiorique percellerentur timore, debuerunt prius præcipitari, deinde Oleaster. curruum rotas confringi? ita sane, sed vt benè Oleast. *Solet sic principio inimicos suos punire subtrahendo illis ea quibus innituntur, sed taliter vt arbitrentur sibi naturali modo subtrahi, ne conuertantur & sanet eos.*

### *Impij minora aliquando euadunt pericula, vt maioribus inuoluantur.*

205 *Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum, & dixerunt fugiamus Israelem.* Cur permittis A fugæ se committere? illico reuoluantur aquæ maris, & misere fluctibus suffocentur, illico debitas suis sceleribus pœnas soluãt, cur nũc solum rotas curruum infringis, vt adhuc liberè valeãt fugere? fugiunt equidem sed paululum, nec quidquam illis hoc prodest, impii enim aliquando minora euadunt pericula, vt maioribus inuoluantur. *Dum mali*, inquit cit. Lusit. *aliud periculum fugere volunt in aliud grauius incidunt, & ob hoc euadunt minora, vt maiora incurrant.* Oleast.

### *Tanta aliquando sunt hominum peccata, vt verecundentur pro eis veniam petere.*

*Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum, & dixerunt fugiamus Israelem.* Cur Pharao & 206 Ægyptii, qui antea, quando illis plagæ inferebantur, totiesque aderant repetitæ, ad Deum pro eis auferendis reuertebantur, nunc Deum minime B precantur, cum contractas curruum rotas, cum venientes super se marinos vortices sentiunt, sed sola fuga sibi consulendum arbitrantur, & solum Dominum inflictorẽ & punitorem arbitrantur? quia is qui persecutionem proclamauerat, & contra innocentes indixerat inferenda mala illis quibus potius beneficia deberet inferre, obmutescere debuit in postulanda venia de tanto crimine, verecundia vel desperatione pœne obrutus: quod in impiis hominibus certissimum esse solet, in maiorem ipsorum confusionem & pœnam, quod patet ex 2. Reg. 10. nempe cum mortuo 2. Reg. 10. Ammonitarum rege, hannon filius eius regnaret pro eo, dixit Dauid faciam misericordiam cum hannon filio, sicut fecit pater tuus mecum misericordiam, misit ergo Dauid consolans eum per seruos suos, super patris interitu, tulit vero C hannon seruos Dauid, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præscidit vestes eorum medias vsque ad nates, & dimisit eos: addit vero sacer textus, videntes filii Amon, quod iniuriam fecissent Dauid, conduxerũt mercede syrum, &c. cur Ammonitarum Rex videns quod iniuriam fecisset Dauid, non pro venia legatos mittit? cur facti non pœnitet? cur indulgentiam non precatur maxime cum Dauid fuerit secundum cor Dei, qui precibus quam citissimè placari poterit, & pœnitudine quam facillimè flecteretur? scio sic respondere Abulens. q. 6 *Quia ista iniuria non facta erat sine* Abulens. *causa, imo quod amplius est pro misericordia reddebatur contumelia*, sed adde, tam criminosum fuisse scelus, quod puderet pro eo veniam precari.

### *Persecutor sibimet damnum infert.*

*Subuertit rotas curruum ferebanturque in profun-* 207 D *dum, & dixerunt fugiamus Israelem.* Cur fugitis quem tot contumeliis, imo & verberibus persecuti estis? quia Dominus pugnat pro eis, nos enim confractis nostrorum curruum rotis, præcipitat in profundum: nonne populum Israelem internecione delere, vel certè ad duriorem seruitutem reducere cogitastis? quomodo Deum pugnatorem & vindicem experimini? quia persecutores iustorum: non eis sed sibimet ipsis damnum inferunt, nam sicut dixit Chrysost. ho- S. Chrysost. milia de Iosepho vendito. *Iniuria iniuriosi est non innocentis, pœna lædentis non læsi est supplicium: si merui patior, si non merui patitur qui irrogauit:*

*gaude innocentia, quia vbique illæsa es, vbique secura, si tentaris, proficis, si humiliaris erigeris, si pugnas vincis, si occideris coronaris: tu in seruitute libera es, in periculo tuta, in custodia læta, tibi boni parent, mali inuident, velant æmuli, inimici succumbunt, nec poteris vnquam victrix non esse, etiamsi tibi inter hostes iudex iustus defuerit.* Proinde tu qui persequeris fugies, sed non effugies, qui videris comprehendere, non vinculis aut funiculis non comprehenderis, sed vndis vndique congestis obrueris, nec vnquam euadere possis, qui spolia diuidenda promittis, spoliandus & exuendus ad littus proiicieris, & tandem qui dicis interficiet eos manus mea, senties magnam manum quam super te exercebit Dominus, & ipsi potius videbunt Ægyptios mortuos super littus maris, & magnam manum Dei contra eos.

*Christus Dominus vir pro suis pugnator contra spirituales nequitias.*

208 *Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum, & dixerunt fugiamus Israelem.* An fortis imbecillem, armatus inarmatum, audax timidum fugiet? quidni? Dominus enim inquiunt pugnat pro eis, sicut Deum pro se pugnantem sentiunt Israelitæ, ita etiam postea putarunt venturum pugnatorem, & cum acerrimis hostibus prælia facturum, præclarissimos reportaturum triumphos: à Dauide enim dicitur Psalm. 23. Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, & Psalm. 44. rogat, vt aduersus hostes gladio accingatur, sagittasque illius prædicat, accingere gladio tuo super fæmur tuum potentissime. sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis, & Psalm. 109. ingentem prosequitur inimicorum ruinam & stragem, ne dixeris tamen virum pugnatorem pro rerum temporalium defensione, pro regibus à suis solijs expellendis, qui rex pacificus futurus erat, & mansuetissimus agnus, qui pacem secum attulit recenter natus, canentibus Angelis, gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, & eam suis commendat veluti legatum quoddam, sicut dixit Nazianz. oratione 14. cum excessurus, dixit pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, &c. tamen eum crede virum pugnatorem contra carnem & sanguinem, nec non aduersus spirituales nequitias, de quo D. Bernard. serm. 39. in Cant. verba illa, equitatui meo in Pharaonis curribus exponens, ait. *Eam scilicet Ecclesiam assimilauit equitatui suo in curribus Pharaonis, liberando vtrque à iugo peccati, mortificatis vniuersis operibus carnis, quemadmodum ille populus liberatus est à seruitute Ægypti, subuersis & submersis curribus Pharaonis: an non tibi multo fortius longeque gloriosius tibi esse videtur Diabolum prosternere, quam Pharaonem atque aereas debellare potestates quam currus Pharaonis subuertere? ibi pugnatum est aduersus carnem & sanguinem, hic aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus Ephes. 6. ibi populus de Ægypto, hic homo de sæculo, ibi prosternitur Pharao, hic Diabolus, ibi subuertuntur currus Pharaonis, hic carnalia & sæcularia desideria quæ militant aduersus animam; submerguntur illi fluctibus, isti in fletibus, marinis illi, amaris isti; puto & nunc clamitant dæmonia, si forte contingat incidere talem animam, fugiamus Israelem quia Dominus pugnat pro ea.*

Psalm. 23. Psal. 44. Psalm. 109. S. Bernard. Ephes. 6. 1. Pet. 2.

*Quasi miraculosum est diuinæ potestatis facinus quod suos malis grauissimis permittat.*

*Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum & dixerunt fugiamus Israelem.* Vnde hæc imbecillitatis vestræ agnitio? quia Dominus pugnat pro eis contra nos: vnde hæc diuinitatis notitia, quod Dominus stet pro amicis & fidelissimis seruis? quid magis commune Deo suorum amantissimo quam pro suorum defensione pugnare? pro suis in certamine stare? furorem & impetum aduersariorum repellere, & eos omnino defendere? sed si ita se res habet, quomodo aliquando dormire videtur, vel non attendere cum suis grauissimis vrgentur calamitatibus? cum tyrannide intolerabili opprimuntur? cum aquis suffocantur, & cum diris necantur cruciatibus? sanè id quasi extra congenitam diuinitatis est operationem, & opus quasi miraculosum: quod rectè animaduertit Cyrill. Alex. lib. 7. in Ioan. c. 14. qui expendens cur Christus Dominus Lazarũ diligens, eum mori tamen permiserit, ait. *Inter omnia miracula quæ Dei filius, vt suam panderet diuinitatem operatus, est supereminet hoc, & quasi quemdam obtinet principatum, quod erga Lazarũ fecit, equidem singula opera eius admiratione dignissima sunt, quis enim non magnopere miretur, quod Christi iussu & virtute claudi rectis gressibus incesserunt? quod muti linguarum claustra soluta sunt? quod cæcorum diu clausa lumina tactu manus eius facta reserata sunt? sed hæc omnia parua ad ingentem Christi potentiam, & maiestatem videbantur nisi amicus eius Lazarus moreretur.* Preme hæc vltima verba omni digna ponderatione, quibus annuit maximum miraculum fuisse, quod dilectum Lazarum mori permitteret. 209

Cyrill. Alexand.

*In solo Deo spes nostra ponenda.*

*Subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum & dixerunt, fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis.* Ecce superat Israelita, vincitur Ægyptius, ferturque in profundum, dum alius transit incolumis, quid hoc est? quod fortior vincitur, imbecillis superior euadit? nisi quia Israelita, dum se tradens fluctibus, in solum Deum spem suam iaciebat, Ægyptius autem suis curribus confidebat, & ideo hic delusus, ille autem expectatione sua non fraudatur: optimè ergo Sanctus Ambros. lib. 5. Epist. 22. ad Horant. *Pulchrè dicunt, spes quæ videtur non est spes, de potestatibus istius sæculi, de dignitatibus, de diuitijs, vides nescio quem fascibus præeminentem & curribus, nihil habet spei in curribus qui videntur, nec Caldæus in stellis spem habet, quas obseruat; nec diues in possessionibus, nec auarus in vsuris, sed ille spem habet qui in eum spem suam ponit quem non videt, id est in Domino Iesu, qui medius nostrum stat & non videtur.* 210

S. Ambros.



## *VARIETAS LECT. Vers. 26. & 27.*

VVlg. Et ait Dominus ad Moysem, extende manum tuam super mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios super currus, & equites eorum.

*Sept.* Extende manum tuam super mare, & restituatur aqua, & cooperiat Ægyptios, & super currus & ascensores.

*Cald.* Leua manum tuam super mare, & reuertantur aquæ super Ægyptios.

*Vulg.* Cumque extendisset Moyses manum cõtra mare reuersum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibusque Ægyptiis, occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus. B

*Sept.* Extendit Moyses manum super mare, & rediit aqua diem versus super locum; Ægyptii autem fugerunt sub aquam, & excussit Domi- A nus Ægyptios medium maris.

*Aquila.* Rediit aqua ad pristinum locum, & coxit siue suffocauit Ægyptios in medio maris.

*Cald.* Et leuauit Moyses manum super mare & reuersum est mare in tempore matutino ad vigorem suum, Ægyptii autem fugiebant in occursum eius, & suffocauit Dominus Ægyptios in medio maris.

*Pag.* Reuersum est mare respiciente mane.

*Oleast.* Cum respiceret mane, reuersum est mare ad cursum suum.

*Vatab.* Reuersum est mare appetente mane.

*Arias Mont.* Et reuersum est mare ad respiciendum mane.

*Caiet.* In reuolutione mane.

*Alii.* Reuersum est mare ad vehementiam suam, vel ad robur suum.

## *CONCORDIA.*

REcte Vulg. expressit Idiotismum Hebræorum obscurum, לפנות בקר ad respiciendum manè, per hæc verba primo diluculo: potest autem explicari ille idiotismus vel actiue cũ mane respiceret, & aurora quasi inciperet aperire oculos; vel passiuè cum iam dilucesceret, & lux respiceretur, vel inciperet apparere; vbi vulg. legit ad priorẽ locum, Hebraice est לאיתנו de quo sic Oleast. dicunt tam Hebræi quam nostri Ethan, quod hic ponitur, significare forte, durum, as-
Numer. 24. perum, ad quod probandum citant illud Numer. 24. Ethan, id est robustum est habitaculum tuum, Deuter. vero 21. vertunt ad vallem Ethan, id est asperam. sed meo iudicio Ethan non est per se radix, sed est à radice atan, quod est currere & velociter venire. vnde mea sententia Ethan si-
Amos 5. gnificat cursum transitumque velocem, Amos 5. iustitia sicut torrens Ethan, id est fortis aut ve-
Ierem. 5. lociter currens seu impetuosus: illud etiam Ierem. 5. gens Ethan, id est robusta est. posset etiam
Prouerb. 15. verti gens velox, & Prouerb. 15. etiam habes, via D C contentorum Ethan, id est dura: videtur melius verti lubrica & fluens seu fluxa: item Psalm. 74. Psalm 74.
tu siccasti fluuios Ethan, id est fortitudinis, aut si mauis veloces seu fluentes cum impetu: quod vero ex Numeris citatum est verti posset mobile seu velox est habitaculum tuũ. & quod ex Deut. citatum est, posset verti ad vallem fluentem seu decliuem, aut per quam aqua fluat, rem tamen nondum definio quia coniectura agor, admittens significationem communem: hæc Oleast. quiquidem licet vertat reuersum est mare ad cursum suum, non immutat sensum: legit interpres fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ, sed Hebr. ita habet, fugiebant in occursum eius quod non discrepat à latina editione: sensus est enim quod aquæ occurrerunt Ægyptiis versus littus, nisi dixeris eos ita attonitos fuisse, vt præ consternatione in ipsas aquas medii maris ruerent dum fugere debuissent ad littus, vt viderentur aquis ipsis exire obuiam, & ipsæ aquæ illis.

## EXPOSITIO.

EXtende manum tuam super mare. Extensio manus fiebat in signum, quod exaudita fuerat oratio Moysis, *Et reuersum est mare primo diluculo*, in aurora, *ad primum locum*, ad eum inquam antequam diuideretur, *fugientibus Ægyptiis ad littus*, per quod ingressi fuerant, *super mare occurrerunt aquæ*, ne illud attingerent, *& inuoluit eos in mediis fluctibus*, Deus enim aquas concurrere ab illa parte fecerat, ideo ipse eos inuoluere dicebatur.

## CONCEPTVS.

*Concordia & vnio obruit exercitum tartareum.*

211 *CVm extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum, occurreruntque aquæ & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.* Antea diuisio facta fuit in mari, diuisa est aqua (inquit textus) vt per illam filii Israel euaderent Ægyptios: an consecuti sunt salutem filii Israel per diuisionem maris ambulantes

minimè, quin potius tunc audacior Ægyptiorum A impudentia fit, tunc eorum rabies ostenditur maior medioque scissa mari, tunc insultant armati, vt potuerunt, tunc timeri amplius, persequentes enim Ægyptii insecuti sunt post eos quid ergo agendum? reuertatur mare ad locum suum, adunentur aquæ antea diuisæ, nam Ægyptii qui in diuisione aquarum insultabant, misere vnitis fluctibus obruentur, & qui inter diuisiones adhuc trepidabant filii Israel, in concordia aquarum exultantes, triumphant cum intuerentur exercitum Ægyptium periisse: hinc

Tertullian. aiebat Tertul lib. 4. in Marcionem *Aspice mari rubro virgam Moysis imperantem vt funditus prosecissum, & pari vtriusque stupore discriminis fixum sicco populi pede intestino itinere transmitteret, rursus sub eiusdem virga nutum, redeunte natura,* B *Ægyptium exercitum vndarum concordia obrueret,* Expende quæ res perimat exercitum iniustitiæ, nimirum vndarum concordia, dum dabatur diuisio non poterat non timeri, malignitas adhuc florebat, & timebatur impietatis furia, quæ funditus perit, vbi in concordiam rediere vndæ diuisæ.

*Quod debile & infirmum, fortitudinem mutuat ad perdendos impios.*

212 *Cum extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est ad priorem locum.* Ex Heb. ad fortitudinem suam, alij ad robur suum. Quid imbecillius aqua? quid mari debilius? quid enim magis vitreum? quomodo ergo dicitur quod fortitudinem habuerit? quod robur illi non defuerit? in quos agebat? in impios Ægyptios, C nec mirum quod robustum sit, imo & fortissimum, quod enim debile & infirmum, fortitudinem induit ad perdendos impios, *Impedita fuerat diuinitus* (inquit Card. Cajet)

Cajetan. *vis naturalis aquarum maris, dum in forma muri tenerentur, & propterea reuersum est mare ad fortitudinem suam, scilicet vt fluctibus impium Ægyptiorum exercitum obrueret.*

*Opera & mirabilia quæ efficimus, nihil essent nisi Deus operaretur.*

213 *Cum extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est ad priorem locum,* Quid inde? inuoluti sunt Ægyptii maris fluctibus, an solius extentione manus tam stupendum miraculum operatus est Moyses ita vt illi soli tribuendum sit? quid ait textus? inuoluit eos Dominus, in Heb. Iehoua in mediis fluctibus. en vt ipsemet Dominus D operatur, licet ad manus Moysis extensionem? opera enim & mirabilia quæ efficimus nihil essent nisi Deus nobiscum operaretur. annuit B. Chrysost. hom. 56. in Matth. cum inquitit cur

B. Chrysost. Deus manus ac labores nostros exigat, cum per se posset palmam & coronam nobis tribuere, sic in persona Christi loquitur *Et si facile ipse queam, quia filius Dei sum omnium te periculorum expertem facere, tui tamen gratia volo vt ipse nonnihil afferas,* Quasi diceret, licet per se Deus omnia operari possit, vult tamen nobiscum operari, alias opera nostra nullius essent valoris.

*Meditatio passionis Christi ædificat in nobis* A *virtutes, est bonorum consolatio, & dæmonum terror.*

*Cum extendisset Moyses manum contra mare reuersum est mare,* Per idem medium, id est per manus Moysis, duo effectus diuersi producuntur, quinam? aperitur via salutis Israelitico populo, & paratur via interitus aduersariis filiorum Israel. quid est illa manus extensio? iuxta figuram est mentis eleuatio, nam & in orando, manuum eleuatio, mentis eleuationem significat, super quid eleuat manum? super mare rubrum, quo denotatur passio Christi Domini. eleua ergo & tu mentem super passione Christi Domini considetanda, & tunc eleuasti manum super mare rubrum, quid tunc fiet? quis ex illa meditatione, B prouentus? virtutes confortabuntur, vitia pessumdabuntur, boni consolationem accipient, mali desolationem magnam inuenient: nam Ægyptii vitia, & malos quoscumque, Israelitæ autem virtutes & bonos quoslibet designant à quo non longe B. Prosper 1. p. c. 36. *Est vindex aqua sacrata verbo, rubrata sanguine, ligno crucis in mysterio virgæ percussa, salutem ad saluatorem venienti ministrauit, peccata vero cum auctore Diabolo, aut Ægyptios cum suo rege in profundum detrusit.* 214 B. Prosp.

*Dei iustitia eo magis timenda, quo magis eam differt.*

*Cum extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.* 215 Nonne hi sunt Ægyptii, quos pluribus flagellis C ad emendationem Deus reuocare studuit? quos pluries per famulos suos Moysen & Aron optimis consiliis monuit, vt à persecutione Israelitarum cessarent? quomodo ergo qui toties admoniti, tandem fluctibus maris obruuntur? quomodo tam seuera in eos exercetur iustitia? quia eo magis rigorosa quo magis differtur. menti nostræ respondet Isai c. 10. cum ait, quid Isai. 10. facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis? cur grauem hanc insinuat comminationem iis verbis *de longè venientis*, cum his omissis, maiorem timorem incussura hæc sententia videatur? torpebunt enim cum audient de longe venire calamitatem & afflictionem, & expectabunt donec proxima sit, tunc auxilium quærent, vt minas effugiant: sed falleris non emollit calamitatis dilatio sententiam istam, non verborum grauitatē eneruat, D non timorem minuit, auget potius, cum supplicium istud ad modum ictus qui virga sit futurus, & eo grauior percussio fiat, quo magis virga retrahitur: vnde subdit propheta, super his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta, væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. audis virgam, grauiorem plagam time, dum elongatur supplicium, & retro trahi videtur. hanc mentem innuit Olcast. *Solent homines visitationem & castigationem non timere, quam adhuc longè distare putant. Dominus vero dicit tanto magis esse timendam, quāto adhuc longius abest dies visitationis: tanto enim quis grauius percutitur, quanto magis virgam elongat ab eo quem percutit,* Differt Deus Olcaster.

punire, grauiorem diuinæ animaduersionis A ictum expecta, timidis Dei iustitia fungitur officio, magis time, maiores daturus pœnas: quid igitur noxia securitate corruperis? extentam Dei manum non cogitas, te cito eius flagello ac virga percussum iri, Deum retrahentem virgam times, & supplicia inferre, in diem differre cogitas, & ab hac Dei tarditate parum securam securitatem colligis, cum potius magis timere deberes: nam grauior ictus est cum virga longius ab eo retrahitur, qui virga percuti debet, idem in Deo supplicia differente cogita, & magis eum timebis, quo tardior virga videtur esse, eo magis cauendum, nam grauius peccator percutietur, cum seueræ punitionis virgam ab eo elongat seuerus Iudex.

*Admodum Leonis Deus de peccatoribus vlciscitur.*

216 *Cum extendisset Moyses manum contra mare reuersum est & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus;* Quid tot minæ vt hanc vniuersi exercitus multitudinem tandem fluctibus obruas? vt ad modum Leonis Deum se habere credas in vlciscendis peccatoribus, Leo enim prius rugit vt terreat, deinde aggreditur vt laniet; ita & Deus terret dum ensem appendit, dum supplicia comminatur, sed tandem seueram de peccatoribus sumit vltionem, vnde rectè Procop. in c. 31. Isai. *Leonem* inquit *feruut postquam rugitu greges & pastores terruerit, eosdem aggredi: ad hunc modum & Dominus ipse postquam minas proposuit, non pænitentes vlciscitur,* Qui rugitum timet agnum sentiet, qui non timet Leonem. Procop.

*Aliquando ita obcæcantur impii, vt ipsimet in supplicium se præcipites proiiciant.*

*Cum extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est ad priorem locum, fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ.* 217
Cald. *Ægyptii autem fugiebant in occursum eius,* Quid occurritis obuiam fluctibus maris? nonne eis obuoluemini? versus ergo littus ex B quo discessistis fugite, salutis vestræ consulendæ gratia: ita obcæcantur Ægyptii, vt ipsimet sese præcipites dederint in ipsamet supplicia. suffragatur Lippom. *Alii dicunt* (inquit) *eos ita fuisse* Lippom. *attonitos vt præ consternatione in ipsas aquas medii maris se proiecerint dum fugere debuissent ad littus, vt viderentur ipsi aquis exire obuiam, & ipsæ aquæ illis*

## *VARIETAS LECT. Vers. 28.*

VVlg. Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec vnus quidem superfuit ex eis.

*Sept.* Reuersa aqua operuit currus & ascen- B sores, & omnem virtutem Pharaonis, eos qui ingrediebantur post ipsos in mare & non remansit de eis ne vnus quidem.

*Vnk.* Vt ne vnus quidem ex eis residuus maneret.

## *CONCORDIA.*

Diximus dictionem חיל chail fortitudinem, exercitum &c. significare, & ex consequenti virtutem in exercitu, hinc virtus militaris: quidam reducunt ad חול quod erat dolere, & eniti, quod strenuitatem & virtutem significet, quæ labore præclare acta enititur: sumitur collectiue pro cœtu, & exercitu, generaliter pro robore etiam non militari, hinc חיל iod quiescitt vel sine חל propugnaculum, munitio: vnde strenuè pugnatur, & quod roboti est, ac præsidio, vertunt autem antemurale.

## EXPOSITIO.

*Reuersæ sunt aquæ in priorem locum & operuerunt currus & equites Pharaonis,* Plaga omnino grauissima, quæ & regem ipsum denique sustulit, vt hanc postremam cladem, cum incredibili luctu suo videret, & sentiret ipse, & insuper omnes Ægypti principes, duces, bellatores ipsumque regni florem ac propugnaculum cum omni bellico apparatu pene momento extinxit, & quidem tanto numero, quantum tota Ægyptus fundere potuit, quantus satis erat vt sexcentis millibus non formidabilis appareret, hæc est funestissima catastrophe Ægyptiacæ tragœdiæ, quæ decem grauissimis plagis quasi totidem actibus celebratur, *nec remansit vnus quidem ex eis,* sic non historiæ sed poëticæ narrationi tribuendum est, quid fingit Ezechielus poëta, elapsum D è clade nuncium, qui referret deleti exercitus modum, nec minus accusãdus Manetho apud Iosephum lib. 1. contra Apionem, asserẽs Pharaonem huic cladi superstitem, cum scriptura dicat, eum cum suis persecutum in mare Israelitas, & nemineẽ euasisse, confirmat, & caput sequens, ingressus est eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris; & regius Vates Psalm. 135. excussit Pharaonem & virtutẽ eius in mari rubro: nec æquum erat omnium nocentissimum cuius peruicacia toti regioni vastitatem attulerat, & lectissimæ primo genitorum iuuentuti, & cuius nunc improbissima & inconsultissima temeritate res in Ægypto videbantur perditæ, meritissimam mortẽ euadere, qui vnus omniũ perire dignus erat, numerum Ægy- Psalm. 135.

Ægyptiorum qui in ea clade fuerunt fluctibus involuti facit Ioseph. lib. 2. antiq. præter sexcẽtos currus, quinquaginta millia equitum, & viginti myriades seu ducenta millia peditum armatorum.

## CONCEPTVS.

*Inter ipsas iras accessibilis est Deus vt bona faciat.*

217 *REuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cunctis exercitus Pharaonis, nec vnus quidem remansit.* Ecce omnes Ægyptios, nullo dempto in profundum maris deiecit, quis Dei iram non verebitur, qui nec vnum quidem saluum & incolumem redire voluit, qui saltem suos certiores redderet de omnium perditione? paulo post quid dicat textus obserua, filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris. Iratus Deus maria in illos reuoluit, ne qua salutis via pateat, & simul in hos suauis & benignus latissimos aperit in mari salutis campos, salutis viam obstruebant impiis fluctus iram Dei portantes, & simul salutare & securum iter præbebant sanctis: D. Hilarius in Psalm. 144. *Terribilis fuit virtus Dei cũ ingressis in maris iter impiis, vbi fuerat salus religiosorum, ibi pœnam constituit impiorum, circumstant alios firmitate muri solidatæ vndæ, alios refusæ ipsæ quæ cõstiterãt absorbent, ad istos pelagus naturam suam nescit, hos per naturam suam punit.* Non sic irascitur in illos vt non suauis sit illis & blandus aliis, nescit enim Dei ira exardescere, quin misericordiæ venæ scaturiant. — B. Hilarius.

*Ingratus in summam labitur calamitatem.*

218 *Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cunctis exercitus Pharaonis, nec vnus quidem remansit,* Et quæ causa fuit tam diræ & extremæ cladis? alias Ægyptii persecuti fuerant Israelitas, & in illos extremã sæuitiam exercuerãt, propter quod variis plagis vapularunt. sed nunquam sic atrociter nunquam sic funditus perierunt, quæ igitur causa fuit tam miserandæ & extremæ ruinæ? illam optime insinuat Greg. Turonens. lib. 1. hist. sic inquiens, *Super ripam Nili, non Babylonia de qua supra meminimus, sed Babylonia ciuitas collocatur, in qua Ioseph horrea miro opere de lapidibus quadris, & cæmento ædificauit, ita vt ad fundũ capaciora, ad summum vero constricta sint, vt per paruulum foramen ibidem triticum iaceretur, quæ horrea vsque hodie cernuntur, de hac ciuitate Rex ad persequendos Hebræos cum exercitibus curruum ac multa pedestri manu directus est,* Nec miror, quid inde in tantam delapsus fuerit calamitatem, qui enim visis horreis frumenti accepti ab Hebræo iuuene, quo tamdiu & vixit & floruit Ægypti regnum, nullam animi gratitudinem inde concepit in Hebræos, sed prior & acrior persecutor illorum est factus, non potuit non in summam calamitatẽ præcipitari, horrea illa eadẽ frumenta quæ sustentarũt Ægyptios in Ioseph gratos, vbi acceperũt eos ingratos, & confectoris sui persecutores. similiter fecerunt vt extremam incurrerent calamitatem. — Gregor. Turon.

*Qui in promissis suis mendax est, supplicio hoc denotante punitur.*

219 *Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cunctis exercitus Pharaonis, nec vnus quidem remãsit,* Nec Pharao qui similiter fluctibus maris inuolutus submergitur. sed cur hoc supplicio punitur cum suo exercitu? nonne antequam mare ingrederetur, Israelitas persecuturus, potuit terra aperiri, & in ea viuens in infernum descendere, vel fulmine vibrato de cælo interfici? nonne Pharao inconstantissimus fuit in promissis suis, qui toties discessum liberũ Israelitis promiserat, & tamen semper mendax & fallax? quid etiam mari inconstantius, quod nesciat nec breui temporis momento, in eodem statu manere? puniatur ergo elemento inconstantissimo & infidelissimo, qui toties in suis promissis inconstans & infidelis extitit, obseruatio est Theophilacti exprimentis illud, Oseæ. 5. facti sunt principes Iuda assumentes terminum, effundam sicut aquam iram meam super eos. iuxta Septũag. sic legit, facti sunt principes transponentes terminos, sic autem ait, *Quando vero quisquam princeps Iuda existens confessus fuerit ac promiserit se non iisdem prauis studiis admoturum mentem, idque secum decreuerit, & iterum transmouerit tales fines atque decretum suum fecerit irritum, & reuersus fuerit instar canis ad proprium vomitum, ira Dei supra talem prorsus effunditur perinde ac maris rubri aqua super Pharaonẽ, qui sæpius mentitus erat iuxta cor suum permutationis in melius expers.* Preme vltima verba plurics mẽtitus fuerat Pharao, promissis suis infidus. — Oseæ 5. Theophil.

*Reseruamur aliquando vltimi puniendi vt seuerius sentiamus cruciatus.*

*Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cunctis exercitus Pharaonis nec vnus quidem remansit* Et sic nescio cur quidam garriunt asserentes saltem Pharaonẽ liberum euasisse; sed hoc falsissimum vidimus in expositione, & addidimus Psalm. 135: excussit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro; sed non desunt credentes Pharaonem vltimum aquis suffocatum periisse: cur omnium nefandus & impius prior supplicium non expertus? cur posterior, qui aliorum duxerat in tyrannide, castigatur? non vt lenius puniatur, sed vt grauiores cruciatus experiaturitum ex suorum submersione, tũ ex imminenti morte sibi futura, suffragatur Abulens. sic scribens, *de Pharaone potest dici vt volũt aliqui Iudæi quod ipse, qui plus omnibus peccauerat, vt omnibus infelicior plura dolorum genera experiretur, fuit vltimus eorum qui suffocatus est & vidit suos aquis suffocari, & dolore quidem tunc magno de perditione suorum & timore vehementissimo de morte sibi vicina angebatur, ad vltimum vero cum cæteris periit,* quod cecinit Alcimus Auitus Archiepis. lib. 5. 220 — Alcimus.

*Ergo exaltatis pendens sustollitur vndis.*
*Confestim mergenda phalanx Ægyptia, & ipso*
*Pondere telorum premitur, fundoque tenaci*
*Succinctum retinebunt morientia corpora ferrum.*
*Pars exarmatis cum primum libera membris,*
*Implicuit nantes morientum amplexibus artus*
*Auxilio decepta perit pariterque tenentes*
*Alterno sub face ruunt, nexique necantur*
*Atque alii lassata diu dum brachia iactant*

*Incurrunt [illegible], ia [illegible] hærent.*
*Concolor & [illegible]*
*Qui & [illegible] Memphiticus aula.*
*Candentes [illegible] nigro rectore iugales.*
*Inspector cladis propriæ, gentisque superstes.*
*Vltimus ingressus per currum naufragat vndis.*

*Qui peccatum dimittit inuoluntariè, non prodest ei ad salutem.*

221 *Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis*, Nonne Deum agnouerant; cum dixerunt fugiamus Israelem, Dominus enim pugnabit pro eis? & non est dubium quin cum in tanto constituti essent discrimine, pœnitentia ducti, voluissent Israelitis damnum non intulisse: cur ergo cum cessent ab eorum persecutione, non euadunt incolumes, sed aquis obruuntur? quia qui peccatum coactus dimittit & inuoluntariè, non prodest ei ad salutem. quod dictus Archiepis. Viennens. rectè cecinit.

Archiepisc. Viennens.

*Post quam clausa via est, fluctusque rebellat euntis.*
*Pœnitet intrasse iam gurgitis, & fusa ferunt*
*Molitur reditum, trepidæ dant terga cohortes,*
*Armaque proiiciunt, pontus fugientibus instat,*
*Occurritque sequens peris vndique circumseptus,*
*Decurrentis aquæ laxatis murus habenis,*
*Ille ferox semper, mitis iam morte sub ipsa,*
*Non hæc humanis agitur victoria bellis.*
*Expugnamur ait, cœloque euertimur hoste.*
*Effuge si liceat, victusque euade satelles,*
*Nec iam tela Deo conatibus ingere cassis.*
*O si compunctas humana superbia mentes,*
*Ante obitum mutare, nec expectare suprema,*
*Fata velit, quanto infelix fælicior esset.*
*Pœnitet, ambiguè quem sero pœnitet, ergo*
*Præsentis spatium nobis dum creditor aui,*
*Dum patulant cunctis Christi clementia se se*
*Præbet, præteritæ plangamus crimina vitæ,*
*Pœniteatque olim negligenter temporis acti.*
*Dum licet, & sano ingenioque animoque valemus:*
*Nam qui peccatum moriens dimittere & ipse*
*In serum tempus differt peccata fateri,*
*Non tam dimittit quam dimittatur ab illis.*

*Vsque ad aquam baptismatis salutarem, nos tartarei Aegyptis peccata persequuntur.*

222 *Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis*, Et quid tum? liber euasit Israelita, & Ægyptii cum peruenerunt ad aquam cessauerunt ab Israelitarum persecutione, quid hoc est quod cum in eos animaduertisset Dominus diuerso suppliciorum genere, tamen cohibere non potuit, quin semper Israelitas persequerentur? sed omnis persecutio finem accepit in mari: *Aduerte mare illud* inquit B. Cyrill Epist. 7. *Sacramentum baptismi fuisse, sic declarat B. Apost. dicens 1. Corint. 10. nolo vos ignorare fratres quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & addit dicens, hæc autem omnia figuræ nostræ fuerunt, quod hodie etiam geritur, vt perterritus voce humana & potestate diuina, flagelletur, & vratur & torqueatur Diabolus, & cum exire se & homines sæpe dimittere dicat, in eo tamen quod dixerit fallat, & id quod per Pharaonem prius gestum est eodem mendacio obstinationis & fraudis*

S. Cyrill.
1. Corint. 10.

A *exerceat. cum tamen ad aquam salutarem atque ad baptismi sanctificationem venitur scire debemus & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus diuina indulgentia liberatur.* Et B. August. in Psal. 80. *Nihil aliud significat transitus per mare nisi sacramentum baptizatorum, nihil aliud insequentes Ægyptii nisi abundantiam præteritorum delictorum*: & tract. 11. in Ioann. idem habet: audiendus est Petrus riga presbiter in suo de aurora libro.

S. August.

*Virga crucem notat, hic baptismum sanguine Christi*
*Perfusum rubri denotat vnda maris.*
*Rex Pharao Sathanam, sua plebs peccata figurat.*
*Inque mari rubro perdit vterque suos.*
*Regem cum populo vorat & sepelit vnda marina.*
*Omnia delentur crimina fonte sacro.*

B *Datur baptizatis lex, vt sciant quomodo viuere debeant.*

*Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis*, Incolumi nihilominus 223
reddito Israelita deinde mari transacto, data est lex vt quid obseruare, & à quo cauere deberet sibi compertum esset. sed cur antequam discessissent ab Ægypto Israelitæ legem quam seruare tenerentur, non promulgauit Moyses? cur expectauit Deus mari transacto? si superiori capite diximus per huiusmodi mare, baptismum adumbrari, qua Ægyptii tartarei & eorum exercitus nempe peccata suffocantur, ex cōsequenti rectè asseremus cum B. August. mari transacto datam fuisse eis legem, quia baptizatis lex datur vt sciāt quomodo viuere debeāt. sic præfatus doctor lib. de fide & operib. c. 11 *Sicut populo Israel baptizato* C *in Moyse & in nube & in mari, data est lex quemadmodum viueret, ita baptizatis datur symbolum vt discant quomodo viuant.*

S. August.

*Nullum vitium baptizatus, ne leue quidem retineat.*

*Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, nec vnus quidem ex eis remansit.* Cur saltem aliquis ex eis mare rubrum cum Israelitis non transiit? quid enim vnus inter tantos? quod discrimen incurrerent Israelitæ, licet aliquis simul ex Ægyptiorum exercitu euaderet incolumis? si per Ægyptios peccata intelleximus, quæ in mari nempe in baptismo delentur merito nec vnus ex eis remanere debet, sed omnes omnino immergi. quia baptizatus nullum vitium ne leue quidem retinere debet. hoc doctè disserentem audiamus Greg. Niss. lib. de vita Moys. *Hæc qui audit aquæ sacramentum* D *non ignorabit, in quam fideles cum vniuerso nostri hostis descendens exercitu, solus mergit, inde hostibus detentis atque oppressis aqua, quis enim non videt Ægyptiorum sagittarios funditores, armatos equites, ac pedites, currus, vniuersamque ipsorum potentiam, varias esse animi passiones, quibus seruituti homo subiicitur? quid enim ab illo Ægyptiorum exercitu ira effusa, voluptas effrænata, dolor immoderatus, auaritia fœditas differt? nonne quasi hasta tremens iræ impetus est? nonne quasi effrænati equi huc & illuc currum trahentes nimiæ voluptates animum vexant? erant enim tristatæ tres, scilicet in singulis bellatores quibus tripartitam animi potestatem intelligi credimus, rationalem scilicet, concupiscibilē & irascibilem: has tres potentias deprauatas, quæ omnia eorumque assistat cum duce suo vna scilicet cum fideli in aquam*

224

S. Greg. Nissen.

*baptismatis incidunt, natura vero aqua præcedente virga fidei, & potestate illuminantis ducentisque nebula spiritus videlicet sancti fidelibus qui ad eam refugiunt vitam præstat, persecutoribus autem mortem infert, quare illud quoque ab historia discimus, quales nos post aquæ transitum esse debeamus; nihil enim ab exercitu hostis, qui nobiscum in aquam incidit nobiscum attrahendum, cum emergimus: nam qui cum hoste egressus ab aqua simul est, is quoniam in aqua hostem non submersit, sed viuum inde secum eduxit, etiam post aquam in seruitute remansit; id tale quid est, vt latius explicetur, quod oporteat omnes qui sacramentalem baptismatis aquam transeunt, vniuersum vitiorum exercitum in aqua occidere, vt auaritiam, rapacē mentem, luxuriam, superbiam, libidinem, elationem animi, inuidiam, cuncta hæc & similia, nec solum effectus vitiorū, sed ipsos animi motus, & perturbationes quæ hominū naturam quomodocunque consequūtur in quantum possibile est in aqua submersos relinquere debemus, &c.*

### *Qui non concedit Deo aliquid iubenti cedere tenebitur punienti.*

225 *Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis*, Nonne ille est Pharao qui nesciebat Deum Hebræorum? qui solum falsorum cultor erat simulachrorum? quomodo cum subuerterentur eius currus, equites excuterentur, & omnis exercitus præceps in profundum daretur, exclamauit Deus pugnat pro Hebræis? cur non agnosceret? qui enim Deo aliquid iubenti cedere noluit obediens, Deo cedere punienti & agnoscere tenebitur, supplicia suæ inobedientiæ & ignorantiæ debita experiens. Consule Paulum Orosium sic lib. 1. histo. c. 10. dicentem. *Protector depressorum & vltor contumacium Deus diuisit subito mare rubrum ac dilatatis vtrinque marginibus rigentium vndarum in montis faciem latera crecta suspendit, vt inoffensi spe limitis prouocati pii, viam desperatæ salutis, impii foueam insperatæ mortis intrarent*, Et sic Ægyptij qui iubenti Deo non cessérant cessere punienti. — Paulus Orosius.

### *Iustissimæ Dei vindictæ vestigia relinquuntur, vt iis viis simus cautiores.*

226 *Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites Pharaonis*, Plures referunt tractus curruum & vestigia rotarum remansisse, non solum in littore sed etiam in ipso mari, quæ ab omnibus videri possent, ad quid huiusmodi vestigia tātæ Dei vindictæ relicta in ipso mari? vt iis viis simus cautiores, & à Dei offensis reuocemur. fauet cit. Oros. *Tractus curruū rotarumque orbitæ non solum in littore sed etiam in profundo quousque visus admittitur, peruidentur, & si forte ad tempus vel casu vel curiositate turbantur, continuo diuinitus in pristinam faciem ventis fluctibusque reparantur, vt quisquis non docetur timore Dei, vel propalatæ religionis studio, ira eius transactæ vltionis terreatur exemplo.* — Orosius.

### *Vanitas regnorum pomparumque mundi.*

*Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, nec vnus ex eis remansit,* 227
Quisnam potentissimum exercitum ita prostrauit? quis regem fortissimum & quinquaginta millia equitum non solum superauit, sed excussit, sed interfecit? vbi nūc Pharao tua sceptra, tui currus, tua castra? vbi tuus fastus draco magne, qui habitabas in medio fluminum tuorum, & deuorabas alias gentes? vbi tua vox? nō cognosco Dominū, meum est regnū, & ego feci memetipsum, quomodo cecidisti lucifer qui manè oriebaris? quid ex tanto fastu superest? quid residuū est tui certaminis? nihil sane, vt sciant reges & principes fastū & omnē elationem deponendam nec fœlicitatis genis nec fronti credendum esse; sed alta culmina multos fefellisse, plures ad dignitates euectos, vt infælicius morerentur, denique nihil celerius trāsire quam regna, eorumque pompas: acutè B. Ambros. expendens Luc. 4. cum sathanas duxisset Christum in montem excelsum ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, & non abs re in momento ostendit, quæ in momento abeunt & prætereunt, talia enim sunt terrena omnia, honores & dignitates, sic autem ait S. Doctor *Bene in momento temporis & sæcularia & terrena demonstrātur, non enim tam conspectus celeritas inditatur quam caducæ fragilitas potestatis exprimitur, in momento enim cuncta illa prætereunt & sæpe honor sæculi prius abiit, quam venerit.* Vnde opportune monet omnes Reges, principes & in aliquo culmine dignitatis constitutos B. Chrys. Epist. ad Eutropium vt omnium rerum vanitatem & volubilitatē mente voluant, sic autem ait: *Hunc versiculum si saperent qui in potentia versantur, in parietibus & in vestibus suis scriberent, in foro, domo, in ingressibus, quoniam quidem multæ sunt rerum facies, multæ imagines falsæ qua decipiunt incautos, istud oportet quotidie salutare carmen & in prandiis & in cænis, & in omni cōuentu vnumquemque suo proximo canere & à proximo suo libenter audire, quia vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Et Phil. lib. quod Deus est immut. ait *Ægyptiorum perampla & magnifica potentia, sed nubis in modum fælicitas eius periit.* — B. Ambros. — B. Chrysost. — Phil.



## *VARIETAS LECT. Vers. 29.*

V*ulg.* Filii tem Israel perrexeruunt per medium sicci maris, & aquæ eis erant quasi pro muro à dextris & à sinistris.

*Sept.* Filii Israel ierūt per siccū in medio maris.

*Cald.* Filii autem Israel ambulabant per siccum in medio maris.

## EXPOSITIO.

F*ilii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris*, Hæc per recapitulationem dicta antequam Ægyptii cooperirentur fluctibus, perrexerant filii Israelitæ per mediū maris. sed non leuis est

est difficultas, vtrum Hebræi mare directo itinere transierint ex vno littore ad aliud oppositum, vel vtrum per modum cuiusdam circuli, illud transierint, ita vt redierint in idē littus à quo discesserant, etsi non in eumdem specialem locum, quasi facto semicirculo ad extrema maris rubri littora versus Ægyptum redierint, cum à locis superioribus eiusdem littoris prius illud essent ingressi.

Prior sententia est Hebræos transisse mare rubrum vsque in littus oppositum, cuius fundamenta partim auctoritati, partim rationi innituntur. rationes autem perpaucæ sunt, nec vlla conuincens, vna pro omnibus est illa, vt ex Ægypto perueniatur in Sina transiri debet mare rubrum, hoc enim interiacet inter Sina & Ægyptum. sed hæc ratio nulla, quia ex Ramesse in Sina, & magis in Chanaan pedestris est via directa, quæ ad littus relinquit mare rubrum.

B Auctoritates sunt vel sacræ scripturæ, in quibus dicuntur Hebræi transisse mare, transierunt equidem non directè, sed circulariter. auctores ergo qui pro hac stant sententia quique dicunt de littore in aliud oppositum transisse, sunt B. Greg. Nis. Philo & Iosephus. sed benigne exponendi, nempe quod hoc dixerunt secundum modum loquendi, nempe cum quis per aliquam viam transit, creditur directè de loco in oppositū transisse non circulariter. sed licet concedamus S. Greg. id tenuisse, quis prohibebit dicere opinatiuè locutum? sed sanctum deinde sancto opponemus. si autem alij sint qui asserant recto limite transisse, non intelligendi sunt de ripa in ripam oppositam sed rectè vsque ad punctum circuli, vel quasi circuli.

C Probabilior mihi videtur fuisse sententia illa, quæ asserit filios Israel aliquanta maris parte directo transmissa postea retrocedentes redisse in idem littus, vnde ingressi fuerant mare. primo probatur auctoritate sacræ scripturæ, vel saltem ex ea deducitur, nam num. 33. dicitur de Socoth venerunt in Ethan, quæ est in extremis finibus solitudinis, & transierunt per medium mare in solitudinem, & ambulantes tribus diebus per desertū Ethā, castrametati sunt in Mara, ex quibus sic. cap. præcedenti scriptū est Hebræos castrametatos esse in extremitate solitudinis Ethan, & inde venisse ad mare rubrū; mari autem traiecto eamdem solitudinem rursus intrasse & per eam tribus diebus iter fecisse quoad venerunt ad locum dictū Mara, vt ex cit. loco vidimus: intrarunt igitur per Ethan in mare & ex mari egressi rursus iter fecerunt per Ethan, ergo redierunt ad eumdem locum ex quo mare intrauerunt.

D 2 Hebræi traditione acceperunt à patribus (quibus potius credendum est quam aliis) retrocedētes rediisse ad idem littus. sic enim ait Genebr. in Chronol. Hebræi negant maiores suos tranasse mare rubrum totum, siue à littore Ægyptio ad littus Arabicum, sed quod grandius est miraculum, ad idem littus ducto intra mare longo circuitu, & quasi semicirculo, vnde ingressi fuerant, reuertisse. sed vnde id acceperunt Hebræi nisi à patribus per traditionē, qui à maioribus suis edocti de hac veritate eamdem filiis retulerant; nec verisimile in re tanti momenti hallucinatos fuisse. — Genebrard.

3 Natura maris est eiicere mortuos in littus propinquius, vt experientia cōstat, sed Ægyptiis propinquius erat littus per quod ingressi sunt in mare ipsi & Hebræi, quos insequebantur, in illud igitur littus cadauera eorum delata sunt: ea porro cadauera non potuissent ab Hebræis ex mari iā egressis videri & expectari, sicut vidisse eos & spectasse narrat scriptura versu vltimo huius capitis, nisi & ipsi ad idem littus fuissent regressi. confugiunt aduersarij ad miraculum scilicet Angelum siue per se, siue per mare, siue per ventum Ægyptios ad littus aduersum in quo erant Hebræi impulisse, sed licet hoc diuinæ possibile esset naturæ, an illud tacuisset Moyses. ad quid tot miraculorum multiplicationes cum plura non sint necessaria?

4 Vastissimum & latissimum est mare rubrum, teste Adrichomio, ita vt ad minus sex leucas habeat latitudinis, non potuerunt ergo illud peruadere Hebræi tantillo tēpore, puta tribus vel quatuor horis penetrare ex vno littore in aduersum peruadendo, præsertim cum inter eos essent pueri senes, oues, aliaque impedimenta plurima; iterum recurrunt ad miraculum aduersarij fatentes tam celerem transitum tot millionum hominū & animalium, tam breui tempore naturaliter fieri non potuisse, sed solum miraculosè, & sic Angelum eos roborasse & incitasse ad accelerandum. sed in quo consistit vis huius miraculi? an tot senes & pueri nec non mulieres delicatæ celeri cursu illud perfecerunt? hoc non innuit textus, imo contrarium, ait enim perrexerunt filij Israel per medium sicci maris nō ergo currerunt. Cald. ambulabant per siccum in medio maris, Pag. ambulauerunt, qui autem ambulat, nequaquam celeriter iter conficere censetur.

Auctoritas est S. Thomæ Angelici doctoris Lect. 1. in cap. 10. primæ ad Corinth. exponens enim hæc verba, omnes sub nube fuerunt & omnes mare transierunt; ait, omnes mare submersis hostibus transierunt, non de vna ripa ad ripam oppositam, sed ad eamdem vnde transierunt, quemdam sinum maris. Gregor. Turonens. lib. 1. hist. asserit plures fuisse huius sententiæ, dicunt alij (inquit) quod ad ipsam ripam facto modico per mare circuitu vnde ingressi fuerant sint regressi. idem habet Petrus Comestor cap. 31. Abulens. expressè & mordicus hanc sententiam deffendit. — 1. Corin. 10. D. Thomas. Greg. Turo. Petrus Comestor. Abulens.

---

## CONCEPTVS.

*Væ qui auertunt homines à virtutum sequela celeri vindicta afficientur.*

148 F*ilij Israel perrexerunt per medium sicci maris.* Ecce tibi adhuc Israelitæ erant ingressi per mare rubrum, & iam à tergo sentiunt Ægyptios, reuertentibus aquis, submergi; reuersæ enim sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, nec vnus quidem superfuit ex eis. cur Deus non expectauit

## CONCEPTVS.

*Timus fuit etiam Dei Israelis apud paganos timor vt & ipsum venerarentur.* A

199 S*Vbuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum, & dixerunt fugiamus Israelẽ.* Qua de causa? Dominus enim pugnat pro eis. quid, nonne antea dixeras ô Pharao, te non cognoscere Deum Hebræorum? quomodo ergo & eum potentissimum & pro Israelitis tanquam Deum eorum pugnantem, fateris & ideo proclamas fugiamus? times ergo eum cum vniuerso exercitu suo. ita equidem, tantus enim fuit Dei Israelis veri & solius numinis, etiã apud paganos timor & reuerentia, vt & ipsum timerent, & plures reuerentur: Nabuchodonosor Deum timuit, ac multis nominibus prædicauit, Daniel 3. Cyrus Persarum Rex non solum præcepit templum extrui Deo Israelis, sed sumptus impendit, sed etiam quæ ad sacrificia necessaria erant, in singulos dies erogauit, Esd. 6 Eunuchus Reginæ Candacis, Hierosolymam venit adoraturus, tandem gentiles ascendebant in templum, vt adorarent in die festo. Ioann. 12. vnde Tertul. lib. Apolo. c. 26. locutus cũ Romanis de populo Israelis. *Cuius, inquit, & Deum victimis, ante templum donis, & gentem fœderibus aliquando Romani honorastis? nunquam dominaturi eius si deo non deliquisset vltimo in Christum:* sed & Philo Iudæus de virt. & legatione, ad Caium loquutus de Cæsare Augusto ait, *Tam sancte, inquit sacra nostra habuit, vt pene omnium eius domesticorum dona extent in templo nostro, in quo mandauit quotidianas mactari victimas suis sumptibus Deo votas altissimo quæ sacra in hodiernum diem per ... atque perpetuum monumentum virtutis ... &c.* En vt ipsi Pagani, & deorum cultores, ipsum Deum Israelis verentur & reuerentur? B

Tertul.

Philo. Iudæus.

*Dominus pro suis aduersus Ecclesiæ persecutores pugnat, & eos oppugnat.* C

200 *Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum, & dixerunt fugiamus Israelem.* Nonne antea persequebaris Israelem quasi fugientem? quomodo vice versa iam fugis nullo persequente Israelita? Dominus inquiunt pugnat pro eis, & merito fatentur, quando enim Deus non pugnauit contra suorum aduersarios? quando non debellauit suorum persecutores? quis maiori tyrannide & immanitate persecutus est Dei Ecclesiam, quam impiissimus & crudelissimus Maxentius? quo fine quieuit? imo quem infœlicem exitum nõ habuit? cum post dira scelera in veros Israelitas & immanem persecutionem, aquis cum exercitu suo in profundum detrusus, suffocatus miserrimè occubuit: sic Euseb. in vita Constant. lib. 1. c. 32. & hist. lib. 9. c. 8. quemadmodum & ipsius Moysis, & antiquorum & piorum Hebræorum temporibus, currus Pharaonis eiusq; copias deiecit in altum, & delectos ascensores, satellitesque regios in mari rubro demersit, sic Maxentius quoque cum eo erant armati & stipatores, velut lapis in profundum Tyberis gurgitem præcipites deciderunt, cum tyrannus Dei virtute Constantino opem ferente, terga dedisset & in fuga flumen, ex aduerso obiectum, in quo lintribus coniunctis & ponte artificiosè fabricato, machinã qua Constantinum adeo charum Deo è medio subiaturum sperauit, ad suum ipsius interitum construxerat, trancere cæpisset, Deinque Constantino benignus præsto tulisset auxilium & tyrannus eius ope destitutus, clandestinas & occultas machinas miser contra seipsum fabricasset, adeo vt illud commodè in ipsum dici possit: lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit: conuertatur labor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendat: tum Dei nutu machinarum in pontis iunctione collocatarum, & fraudis in eisdem latitantis transitus, tempore minimè sperato subsidit, ruitque, ac de improuiso lintres cum ipsis viris in altum gurgitem præcipitati sunt: ipseque infœlix primus, deinde eius satellites & stipatores (sicut diuina loquuntur oracula,) in rapidum flumen tanquam plumbũ delapsi: vt Constantinus cum suo exercitu Dei præsidio victoriam assecutus; merito sane licet non verbis, re tamen ipsa similiter cum Israelitis & egregio Dei famulo Moyse eadem ipsa, quæ ille olim contra impium tyrannum Pharaonem cecinisset, sic quodammodo suaui concentu, fuderit dixeritque: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorẽ deiecit in mare: adiutor & protector factus est mihi in salutem & quis similis tibi in diis, Domine, quis similis tibi? gloriosus in sanctis, admirabilis, & præclare faciens prodigia.

Eusebius.

Psal. 7.

*Tandem impij sed malo suo Deum verum agnoscunt.*

201 *Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum & dixerunt fugiamus Israelem.* An te persequitur? an te superior viribus, an animo & fortitudine te vincit? cur ergo fugis fugientem Israelem? Dominus inquit pugnat pro eis, cur nominas Dominum cum tot falsa deorum adores simulachra? cur Dominum inquam nominas pro Israele pugnantem, cum arti magicæ mirabilia quæ facta sunt in Ægypto tribueris? ita sanè, sed tandem impius & malo suo. *Deum verum agnoscit in eis* (inquit Cardinal. Caiet.) *quod dixerat Deus & scient Ægyptij quod ego Dominus, nunc enim confitentur quod non magica arte sed ipse Dominus est qui pugnat pro Israelitis contra Ægyptios. & ex hac confessione insinuatur quod ex illa columna nubis quæ erat in aere inter Israel & Ægyptios sensibilis actio emanabat contra Ægyptios persequentes Israelem, alioquin non dixissent fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro eis contra nos sed putassent casu accidisse sibi huiusmodi impedimenta.* D

Cardinal. Caietan.

*Impij cum Dei vindictam fugere desiderant, tunc nequeunt.*

202 *Subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum & dixerunt, fugiamus Israelem*, Nec sine ratione fugæ se cõmittere volunt, Dominus enim pugnabat contra eos, nec dubium quod licut fugã

meditati sunt, sic etiam fugere voluerunt, at an desideria eorum adimpleta? cur imminentem exitum non fugiunt? subuertit Dominus rotas curruum, ferebanturque in profundum, impij enim cum Dei vindictam fugere desiderant, tunc nequeunt. *Vide*, inquit Lippom. *quomodo audacia impiorum vertitur in conturbationem, persecutio ad fugam, perfidia indurata ad pœnitentiam intempestiuam, & infructuosam, tardè nimiũ sapiunt impij, quod Dominus pugnat pro fidelibus, qui tempestiuè sapit sibi temperandum ab oppressione amicorum Dei, sicut à tactu pupillæ oculi Domini, verum quamuis dicerent Ægyptij fugiamus, vehementia signorum admoniti, non tamen fugere potuerunt.*

Lippom.

### *Misericors Dominus. sed cum eius misericordia abutimur, seuerissimus vindex.*

203 *Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum & dixerunt fugiamus Israelem.* Si Deus iam subuertit rotas curruum, si feruntur in profundum, quomodo fuga salutem quærent? nam contritis rotis curruum, hominibus in profundum præcipitatis, quæ spes salutis? nulla, cur adhuc spatium correctionis & emendationis non tribuis? quia licet Deus sit misericors, cum tamen eius misericordia abutimur seuerissimus vindex est: vnde Eccles. 5. non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim veniet ira eius, & in tempore vindictę perdet te, quia Altissimus patiens est redditor. ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim & ira ab illo proximant, & in peccatores respicit ira illius. & vt rectè annotauit August. tract. 33. in Ioann. *Mansuetus Dominus, misericors Dominus sed & iustus & verax Dominus largitur tibi spatium correctionis, sed tu plus amas dilationem quam emendationem, malus fuisti heri, hodie bonus esto, cum nescis quid pariat futura dies: nullu ergo hominum*, inquit cit. Doctor libro de fide. cap. 3. *debet sub spe misericordiæ Dei diutius in peccatis suis remanere, cum etiam nemo in ipso corpore velit sub spe salutis ægrotare, tales enim qui ab iniquitatibus recedere negligunt, & sibi de Deo indulgentiã repromittunt, nonnunquam ita præueniuntur repentino Dei furore, vt nec conuersionis tempus, nec beneficium remissionis accipiant.*

Eccles. 5.

S. August.

### *Iusto Dei iudicio impij in sua manent obcæcatione.*

204 *Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum.* Non miror contritis curruum rotis, in profundũ præcipitatos: quis enim in curru consistere potest nullas rotas habente? nonne vt prodigiũ maiori esset admiratione, maiorique percellerentur timore, debuerunt prius præcipitari, deinde curruum rotas confringi? ita sane, sed vt benè Oleast. *Solet sic principio inimicos suos punire subtrahendo illis ea quibus innitantur, sed taliter vt arbitrentur sibi naturali modo subtrahi, ne conuertantur & sanet eos.*

Oleaster.

### *Impij minora aliquando euadunt pericula, vt maioribus inuoluantur.*

205 *Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum, & dixerunt fugiamus Israelem.* Cur permittis fugæ se committere? illico reuoluantur aquæ maris, & misere fluctibus suffocentur, illico debitas suis sceleribus pœnas soluãt, cur nũc solum rotas curruum infringis, vt adhuc liberè valeãt fugere? fugiunt equidem sed paululum, nec quicquam illis hoc prodest, impij enim aliquando minora euadunt pericula, vt maioribus inuoluantur. *Dum mali*, inquit cit. Lusit. *aliud periculum fugere volunt in aliud grauius incidunt, & ob hoc euadunt minora, vt maiora incurrant.*

Oleast.

### *Tanta aliquando sunt hominum peccata, vt verecundentur pro eis veniam petere.*

*Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum, & dixerunt fugiamus Israelem.* Cur Pharao & Ægyptij, qui antea, quando illis plagæ inferebantur, totiesque aderant repetitæ, ad Deum pro eis auferendis referebantur, nunc Deum minime precantur, cum confractas curruum rotas, cum venientes super se marinos vortices sentiunt, sed sola fuga sibi consulendum arbitrantur, & solum Dominum inflictorẽ & punitorem arbitrantur? quia is qui persecutionem proclamauerat, & contra innocentes indixerat inferenda mala illis quibus potius beneficia deberet inferre, obmutescere debuit in postulanda venia de tanto crimine, verecundia vel desperatione pœne obrutus: quod in impiis hominibus certissimum esse solet, in maiorem ipsorum confusionem & pœnam, quod patet ex 2. Reg. 10. nempe cum mortuo Ammonitarum rege, hannon filius eius regnaret pro eo, dixit Dauid faciam misericordiam cum hannon filio, sicut fecit pater tuus mecum misericordiam, misit ergo Dauid consolans eum per seruos suos, super patris interitũ, tulit vero hannon seruos Dauid, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præscidit vestes eorum medias vsque ad nates, & dimisit eos: addit vero sacer textus, videntes filij Amon, quod iniuriam fecissent Dauid, conduxerũt mercede Syrum, &c. cur Ammonitarum Rex videns quod iniuriam fecisset Dauid, non pro venia legatos mittit? cur facti non pœnitet? cur indulgentiam non precatur maxime cum Dauid fuerit secundum cor Dei, qui precibus quam citissimè placari poterit, & pœnitudine quam facillimè flecteretur? scio sic respondere Abulens. q. 6. *Quia ista iniuria non facta erat sine causa, imo quod amplius est pro misericordia reddebatur contumelia*, sed adde, tam criminosum fuisse scelus, quod puderet pro eo veniam precari.

206

2. Reg. 10.

Abulens.

### *Persecutor sibimet damnum infert.*

207 *Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum, & dixerunt fugiamus Israelem.* Cur fugitis quem tot contumeliis, imo & verberibus persecuti estis? quia Dominus pugnat pro eis, nos enim confractis nostrorum curruum rotis, præcipitat in profundum: nonne populum Israelem internecione delere, vel certè ad duriorem seruitutem reducere cogitastis? quomodo Deum pugnatorem & vindicem experimini? quia persecutores iustorum: non eis sed sibimet ipsis damnum inferunt: nam sicut dixit Chrysost. homilia de Iosepho vendito. *Iniuria iniuriosi est non innocentis, pœna lædentis non læsi est supplicium; si merui patior, si non merui patitur qui irrogauit.*

S. Chrysost.

*gaude innocentia, quia vbique illæsa es, vbique secura, si tentaris, proficis, si humiliaris erigeris, si pugnas vincis, si occideris coronaris: tu in seruitute libera es, in periculo tuta, in custodia læta, tibi boni parent, mali inuident, velant æmuli, inimici succumbunt, nec poteris vnquam victrix non esse, etiamsi tibi inter hostes index iustus defuerit,.* Proinde tu qui persequeris fugies, sed non effugies, qui videris comprehendere, non vinculis aut funiculis non comprehenderis, sed vndis vndique congestis obrueris, nec vnquam euadere possis, qui spolia diuidenda promittis, spoliandus & exuendus ad littus proijcieris, & tandem qui dicis interficiet eos manus mea, senties magnam manum quam super te exercebit Dominus, & ipsi potius videbunt Ægyptios mortuos super littus maris, & magnam manum Dei contra eos.

*Christus Dominus vir pro suis pugnator contra spirituales nequitias.*

208 *Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum, & dixerunt fugiamus Israelem.* An fortis imbecillem, armatus inarmatum, audax timidum fugiet? quidni? Dominus enim inquiunt pugnat pro eis, sicut Deum pro se pugnantem sentiunt Israelitæ, ita etiam postea putarunt venturum pugnatorem, & cum acerrimis hostibus prælia facturum, præclarissimos reportaturum triumphos: à Dauide enim dicitur Psalm. 23. Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, & Psalm. 44. rogat, vt aduersus hostes gladio accingatur, sagittasque illius prædicat, accingere gladio tuo super fæmur tuum potentissime. sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis, & Psalm. 109. ingentem prosequitur inimicorum ruinam & stragem, ne dixeris tamen virum pugnatorem pro rerum temporalium defensione, pro regibus à suis solijs expellendis, qui rex pacificus futurus erat, & mansuetissimus agnus, qui pacem secum attulit recenter natus, canentibus Angelis, gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, & eam suis commendat velut legatum quoddam, sicut dixit Nazianz. oratione 14. cum excessurus, dixit pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, &c. tamen cum crede virum pugnatorem contra carnem & sanguinem, nec non aduersus spirituales nequitias, de quo D. Bernard. serm. 39. in Cant. verba illa, equitatui meo in Pharaonis curribus exponens, ait. *Eam scilicet Ecclesiam assimilauit equitatui suo in curribus Pharaonis, liberando vtique à iugo peccati, mortificatis vniuersis operibus carnis, quemadmodum ille populus liberatus est à seruitute Ægypti, subuersis & submersis curribus Pharaonis: tamen tibi multo fortius longeque gloriosius videtur Diabolum prosternere, quam Pharaonem atque aereas debellare potestates quam currus Pharaonis subuertere? ibi pugnatum est aduersus carnem & sanguinem, hic aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus Ephes. 6. ibi populus de Ægypto, hic homo de sæculo, ibi prosternitur Pharao, hic Diabolus, ibi subuertuntur currus Pharaonis, hic carnalia & sæcularia desideria quæ militant aduersus animam; subruuntur illi fluctibus, isti in fletibus, marinis illi, amaris isti puto & nunc clamitant dæmonia, si forte contingat incidere talem animam, fugiamus Israelem quia Dominus pugnat pro eo.*

Psalm. 23.
Psal. 44.
Psalm. 109.
S. Bernard.
Ephes. 6.
1. Pet. 2.

*Quasi miraculosum est diuinæ potestatis facinus quod suos malis grauissimis permittat.*

209 *Subuertit rotas curruum ferebanturque in profundum & dixerunt fugiamus Israelem.* Vnde hæc imbecillitatis vestræ agnitio? quia Dominus pugnat pro eis contra nos: vnde hæc diuinitatis notitia, quod Dominus stet pro amicis & fidelissimis seruis? quid magis commune Deo suorum amantissimo quam pro suorum defensione pugnare? pro suis in certamine stare? furorem & impetum aduersariorum repellere, & eos omnino defendere? sed si ita se res habet, quomodo aliquando dormire videtur, vel non attendere cum suis grauissimis vrgentur calamitatibus? cum tyrannide intolerabili opprimuntur? cum aquis suffocantur, & cum diris necantur cruciatibus? sanè id quasi extra congenitam diuinitatis est operationem, & opus quasi miraculosum: quod rectè animaduertit Cyrill. Alex. lib. 7. in Ioan. c. 14. qui expendens cur Christus Dominus Lazarũ diligens, eum mori tamen permiserit, ait. *Inter omnia miracula quæ Dei filius, vt suam panderet diuinitatem operatus, est supereminet hoc, & quasi quemdam obtinet principatum, quod erga Lazarũ fecit, equidem singula opera eius admiratione dignissima sunt, quis enim non magnopere miretur, quod Christi iussu & virtute claudi rectis gressibus incesserunt? quod mutis linguarum claustra soluta sunt? quod cæcorum duo clausa lumina tactu manus eius sacræ reserata sunt? sed hæc omnia parua ad ingentem Christi potentiam, & maiestatem videbantur nisi amicus eius Lazarus moreretur.* Preme hæc vltima verba omni digna ponderatione, quibus annuit maximum miraculum fuisse, quod dilectum Lazarum mori permitteret.

Cyrill. Alexand.

*In solo Deo spes nostra ponenda.*

210 *Subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum & dixerunt, fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis.* Ecce superat Israelita, vincitur Ægyptius, ferturque in profundum, dum alius transit incolumis, quid hoc est? quod fortior vincitur, imbecillis superior euadit? nisi quia Israelita, dum se tradens fluctibus, in solum Deum spem suam iaciebat, Ægyptius autem suis curribus confidebat, & ideo iure delusus, ille autem expectatione sua non fraudatur: optimè ergo Sanctus Ambros. lib. 5. Epist. 22. ad Horant. *Pulchrè dicunt, spes quæ videtur non est spes, de potestatibus istius sæculi, de dignitatibus, de diuitijs, vides nescio quem fascibus præeminentem & curribus, nihil habet spei in curribus qui videntur, nec Caldæus in stellis spem habet, quas obseruat, nec diues in possessionibus, nec auarus in vsuris, sed ille spem habet qui in eum spem suam ponit quem non videt, id est in Domino Iesu, qui medius nostrum stat & non videtur.*

S. Ambros.



## *VARIETAS LECT. Vers. 26. & 27.*

*Vulg.* Et ait Dominus ad Moysem, extende manum tuam super mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios super currus, & equites eorum.

*Sept.* Extende manum tuam super mare, & restituatur aqua, & cooperiat Ægyptios, & super currus & ascensores.

*Cald.* Leua manum tuam super mare, & reuertantur aquæ super Ægyptios.

*Vulg.* Cumque extendisset Moyses manum cōtra mare reuersum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibusque Ægyptiis, occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.

*Sept.* Extendit Moyses manum super mare, & redit aqua diem versus super locum, Ægyptii autem fugerunt sub aquam, & excussit Dominus Ægyptios medium maris.

*Aquila.* Redit aqua ad pristinum locum, & coxit sine suffocauit Ægyptios in medio maris.

*Cald.* Et leuauit Moyses manum super mare, & reuersum est mare in tempore matutino ad vigorem suum, Ægyptii autem fugiebant in occursum eius, & suffocauit Dominus Ægyptios in medio maris.

*Pag.* Reuersum est mare respiciente mane.

*Oleast.* Cum respiceret mane, reuersum est mare ad cursum suum.

*Vatab.* Reuersum est mare appetente mane.

*Arias Mont.* Et reuersum est mare ad respiciendum mane.

*Caiet.* In reuolutione mane.

*Alii.* Reuersum est mare ad vehementiam suam, vel ad robur suum.

## *CONCORDIA.*

Recte Vulg. expressit Idiotismum Hebræorum obscurum, לפנות בקר ad respiciendum manè, per hæc verba primo diluculo: potest autem explicari ille idiotismus vel actiue cū mane respiceret, & aurora quasi inciperet aperire oculos; vel passiuè cum iam dilucesceret, & lux respiceretur, vel inciperet apparere; vbi vulg. legit ad priorē locum, Hebraice est לאיתנו de quo sic Oleast. dicunt tam Hebræi quam nostri Ethan, quod hic ponitur, significare forte, durum, asperum, ad quod probandum citant illud Numer. Numer. 24. 24. Ethan, id est robustum est habitaculum tuum, Deuter. vero 21. vertunt ad vallem Ethan, id est asperam. sed meo iudicio Ethan non est per se radix, sed est à radice atan, quod est currere & velociter venire. vnde mea sententia Ethan significat cursum transitumque velocem, Amos Amos 5. 5. iustitia sicut torrens Ethan, id est fortis aut velociter currens seu impetuosus: illud etiam Ierem. 5. Ierem. 5. gens Ethan, id est robusta est. posset etiam verti gens velox, & Prouerb. 13. Prouerb. 13. etiam habes, via contentorum Ethan, id est dura; videtur melius verti lubrica & fluens seu fluxa; item Psalm. 74. Psalm 74. tu siccasti fluuios Ethan, id est fortitudinis, aut si mauis veloces seu fluentes cum impetu: quod vero ex Numeris citatum est verti posset mobile seu velox est habitaculum tuū. & quod ex Deut. citatum est, posset verti ad vallem fluentem seu decliuem, aut per quam aqua fluat, rem tamen nondum definio quia coniectura agor, admittens significationem communem: hæc Oleast. quiquidem licet vertat reuersum est mare ad cursum suum, non immutat sensum: legit interpres fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ, sed Hebr. ita habet, fugiebant in occursum eius quod non discrepat à latina editione: sensus est enim quod aquæ occurrerunt Ægyptiis versus littus, nisi dixeris eos ita attonitos fuisse, vt præ consternatione in ipsas aquas medii maris ruerent dum fugere debuissent ad littus, vt viderentur aquis ipsis exire obuiam, & ipsæ aquæ illis.

## EXPOSITIO.

*Extende manum tuam super. mare* Extensio manus fiebat in signum, quod exaudita fuerat oratio Moysis, *Et reuersum est mare primo diluculo*, in aurora, *ad primum locum*, ad eum inquam antequam diuideretur, *fugientibus Ægyptiis ad littus*, per quod ingressi fuerant, *super mare occurrerunt aquæ*, ne illud attingerent, *& inuoluit eos in mediis fluctibus*, Deus enim aquas concurrere ab illa parte fecerat, ideo ipse eos inuoluere dicebatur.

## CONCEPTVS.

*Concordia & vnio obruit exercitum tartareum.*

211 *Cum extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum, occurreruntque aquæ & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.* Antea diuisio facta fuit in mari, diuisa est aqua (inquit textus) vt per illam filii Israel euaderent Ægyptios: an consecuti sunt salutem filii Israel per diuisionem maris ambulantes

minimè, quin potius tunc audacior Ægyptiorum A impudentia fit, tunc eorum rabies ostenditur maior medioque scissa mari, tunc insultant armati, vt potuerunt, tunc timeri amplius, persequentes enim Ægyptii insecuti sunt post eos quid ergo agendum? reuertatur mare ad locum suum, adunentur aquæ antea diuisæ, nam Ægyptii qui in diuisione aquarum insultabant, misere vnitis fluctibus obruentur, & qui inter diuisiones adhuc trepidabant filii Israel, in concordia aquarum exultantes, triumphant cum intuerentur exercitum Ægyptium periisse: hinc

Tertullian. aiebat Tertul lib. 4. in Marcionem *Aspice mari rubro virgam Moysis imperantem vt funditus prosecissum, & pars vtriusque stupore discriminis fixum sicco populi pede intestino itinere transmitteret, rursus subeiusdem virga nutum, redeunte natura, Ægyptium exercitum vndarum concordia obrueret*, Expende quæ tes perimat exercitum iniustitiæ, nimirum vndarum concordia, dum dabatur diuisio non poterat non timeri, malignitas adhuc florebat, & timebatur impietatis furia, quæ funditus perit, vbi in concordiam rediere vndæ diuisæ.

*Quod debile & infirmum, fortitudinem mutuat ad perdendos impios.*

212 *Cum extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est ad priorem locum.* Ex Heb. ad fortitudinem suam, alij ad robur suum. Quid imbecillius aqua? quid mari debilius? quid enim magis vitreum? quomodo ergo dicitur quod fortitudinem habuerit? quod robur illi non defuerit? in quos agebat? in impios Ægyptios, nec mirum quod robustum sit, imo & fortissimum, quod enim debile & infirmum, fortitudinem induit ad perdendos impios, *Impedita fuerat diuinitus* (inquit Card. Cajet) *vis na-*

Cajetan. *turalis aquarum maris, dum in forma muri tenerentur, & propterea reuersum est mare ad fortitudinem suam, scilicet vi fluctibus impium Ægyptiorum exercitum obrueret.*

*Opera & mirabilia quæ efficimus, nihil essent nisi Deus operaretur.*

213 *Cum extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est ad priorem locum*, Quid inde? inuoluti sunt Ægyptii maris fluctibus, an solius extensione manus tam stupendum miraculum operatus est Moyses ita vt illi soli tribuendum sit? quid ait textus? inuoluit eos Dominus, in Heb. Iehoua in mediis fluctibus. en vt ipsemet Dominus operatur, licet ad manus Moysis extensionem? opera enim & mirabilia quæ efficimus nihil essent nisi Deus nobiscum operaretur. annuit B.

S. Chrysost. Chrysost hom. 56. in Matth. cum inquirit cur Deus manus ac labores nostros exigat, cum per se posset palmam & coronam nobis tribuere, sic in persona Christi loquitur *Et si facile ipse queam, quia filius Dei sum omnium te periculorum expertem facere, tui tamen gratia volo vt ipse nonnihil afferas*, Quasi diceret, licet per se Deus omnia operari possit, vult tamen nobiscum operari, alias opera nostra nullius essent valoris.

*Meditatio passionis Christi ædificat in nobis virtutes, est bonorum consolatio, & dæmonum terror.*

*Cum extendisset Moyses manum contra mare reuersum est mare*, Per idem medium, id est per manus 214 Moysis, duo effectus diuersi producuntur, quinam? aperitur via salutis Israelitico populo, & paratur via interitus aduersariis filiorum Israel. quid est illa manus extensio? iuxta figuram est mentis eleuatio, nam & in orando, manuum eleuatio, mentis eleuationem significat, super quid eleuat manum? super mare rubrum, quo denotatur passio Christi Domini. eleua ergo & tu mentem super passione Christi Domini consideranda, & tunc eleuasti manum super mare rubrum, quid tunc fiet? quis ex illa meditatione, B prouentus? virtutes confortabuntur, vitia persuadebuntur, boni consolationem accipient, mali desolationem magnam inuenient: nam Ægyptii vitia, & malos quoscumque, Israelitæ autem virtutes & bonos quoslibet designant à quo non longe B. Prosper 1. p. c. 36. *Est vindex aqua* B. Prosp. *sacrata verbo, rubrata sanguine, ligno crucis in mysterio virgæ percussa, salutem ad saluatorem venienti ministrauit, peccata vero cum auctore Diabolo, aut Ægyptios cum suo rege in profundum detrusit.*

*Dei iustitia eo magis timenda, quo magis eam differt.*

*Cum extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.* 215 Nonne hi sunt Ægyptii, quos pluribus flagellis C ad emendationem Deus reuocare studuit? quos pluries per famulos suos Moysen & Aron optimis consiliis monuit, vt à persecutione Israelitarum cessarent? quomodo ergo qui toties admoniti, tandem fluctibus maris obruuntur? quomodo tam seuera in eos exercetur iustitia? quia eo magis rigorosa quo magis differtur. menti nostræ respondet Isai c. 10. cum ait, quid Isai. 10. facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis? cur grauem hanc insinuat comminationem iis verbis *de longè venientis*, cum his omissis, maiorem timorem incussura hæc sententia videatur? torpebunt enim cum audient de longe venire calamitatem & afflictionem, & expectabunt donec proxima sit, tunc auxilium quærent, vt minas effugiant: sed fallens non emolliri calamitatis dilatio sententiam istam, non verborum grauitatē eneruat, D non timorem minuit, auget potius, cum supplicium istud ad modum ictus qui virga sit futurus, & eo grauior percussio fiat, quo magis virga retrahitur: vnde subdit propheta, super his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta, væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. audis virgam, grauiorem plagam time, dum elongatur supplicium, & retro trahi videtur. hanc mentem innuit Oleast. *Solent homines visitatio-* Oleaster. *nem & castigationem non timere, quam adhuc longè distare putant. Dominus vero dicit tanto magis esse timendam, quãto adhuc longius abest dies visitationis: tanto enim quis grauius percutitur, quanto magis virgam elongat ab eo quem percutit*, Differt Deus

punire, grauiorem dementiæ animaduersionis iccum expecta, tardat Dei iustitia fungi suo officio, magis time, maiores daturus pœnas: quid igitur noua securitate corripens? extentam Dei manum non cogitas, te cito eius flagello ac virga percussum iri. Deum retrahentem virgam times, & supplicia inferre, in diem differre cogitas, & ab hac Dei tarditate parum seueram securitatem colligis, cum potius magis timere deberes: nam grauior ictus est cum virga longius ab eo retrahitur, qui virga percuti debet, idem in Deo supplicia differente cogita, & magis eum timebis, quo tardior virga videtur esse, eo magis cauendum, nam grauius peccator percutietur, cum seueræ punitionis virgam ab eo elongat seuerus Iudex.

*Admodum Leonis Deus de peccatoribus vlciscitur.*

216 *Cum extendisset Moyses manum contra mare reuersum est & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus;* Quid tot minæ vt hanc vniuersi exercitus multitudinem tandem fluctibus obruas? vt ad modum Leonis Deum se habere credas in vlciscendis peccatoribus, Leo enim prius rugit vt terreat,

A deinde aggreditur vt laniet; ita & Deus terret dum ensem appendit, dum supplicia comminatur, sed tandem seueram de peccatoribus sumit vltionem, vnde rectè Procop. in c. 31. Isai. *Leonem* inquit *ferunt postquam rugiens greges & pastores terruerit, eosdem aggredi: ad hunc modum & Dominus ipse postquam minas proposuit, non pænitentes vlciscitur,* Quin rugitum timet signum sentiet, qui non timet Leonem. Procop.

*Aliquando ita obcæcantur impii, vt ipsimet in supplicium se præcipites proiiciant.*

*Cum extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est ad priorem locum, fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ.* Cald. *Ægyptii autem fugiebant in occursum eius,* Quid occurritis obuiam fluctibus maris? nonne eis obuoluemini? versus ergo littus ex 217
B quo discessistis fugite, salutis vestræ consulendæ gratia: ita obcæcantur Ægyptii, vt ipsimet sese præcipites dederint in ipsamet supplicia. suffragatur Lippom, *Alii dicunt* (inquit) *eos ita fuisse attonitos vt præ consternatione in ipsas aquas medii maris se proiecerint dum fugere debuissent ad littus, vt viderentur ipsis aquis exire obuiam, & ipsæ aquæ illis* Lippom.



## VARIETAS LECT. Vers. 28.

Vulg. Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec vnus quidem superfuit ex eis.

*Sept.* Reuersa aqua operuit currus & ascen-B sores, & omnem virtutem Pharaonis, eos qui ingrediebantur post ipsos in mare & non remansit de eis ne vnus quidem.

*Vnk.* Vt ne vnus quidem ex eis residuus maneret.

## CONCORDIA.

Diximus dictionem חיל chail fortitudinem, exercitum &c. significare, & ex consequenti virtutem in exercitu, hinc virtus militaris: quidam reducunt ad חול quod erat dolere, & eniti, quod strenuitatem & virtutem significet, quæ labore præclare acta enititur: sumitur collectiue pro cœtu, & exercitu, generaliter pro robore etiam non militari, hinc חיל iod quiescit vel sine חל propugnaculum, munitio: vnde strenuè pugnatur, & quod roboti est, ac præsidio, vertunt autem antemurale.

## EXPOSITIO.

*Reuersæ sunt aquæ in priorem locum & operuerunt currus & equites Pharaonis,* Plaga omnino grauissima, quæ & regem ipsum denique sustulit, vt hanc postremam cladem cum incredibili luctu suo videret, & sentiret ipse, & insuper omnes Ægypti principes, duces, bellatores ipsumque regni florem ac propugnaculum cum omni bellico apparatu pene momento extinxit, & quidem tanto numero, quantum tota Ægyptus fundere potuit, quantus sat erat vt sexcentis millibus non formidabilis appareret, hæc est funestissima catastrophe Ægyptiacæ tragœdiæ, quæ decem grauissimis plagis quasi totidem actibus celebratur, *nec remansit vnus quidem ex eis,* sic non historiæ sed poëticæ narrationi tribuendum est, quid fingit Ezechielus poëta, elapsum

D è clade nuncium, qui referret deleti exercitus modum, nec minus accusandus Manethо apud Ioseph. lib. 1. contra Apionem, asserens Pharaonem huic cladi superstitem, cum scriptura dicat, eum cum suis persecutum in mare Israelitas, & neminem euasisse, confirmat & caput sequens, ingressus est eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris; & regius Vates Psalm. 135. excussit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro: nec æquum erat omnium nocentissimum cuius peruicacia toti regioni vastitatem attulerat, & lectissimæ primo genitorum iuuentuti, & cuius nunc improbissima & inconsultissima temeritate res in Ægypto videbantur perditæ, meritissimam mortem euadere, qui vnus omnium perire dignus erat, numerum Ægy- Psalm. 135.

Ægyptiorum qui in ea clade fuerunt fluctibus in- A uoluti facit Ioseph. lib. 2. antiq. præter sexcetos curtus, quinquaginta millia equitum, & viginti myriades seu ducentamillia peditum armatorum.

## CONCEPTVS.

*Inter ipsas iras accessibilis est Deus vt bona faciat.*

217 R*Euersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, nec vnus quidem remansit.* Ecce omnes Ægyptios, nullo dempto in profundum maris deiecit, quis Dei iram non verebitur, qui nec vnum quidem saluum & incolumem redire voluit, qui saltem suos certiores redderet de omnium perditione? B paulo post quid dicat textus obserua, filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris. Iratus Deus maria in illos reuoluit, ne qua salutis via pateat, & simul in hos suauis & benignus latissimos aperit in mari salutis campos, salutis viam obstruebant impiis fluctus iram Dei portantes, & simul salutare & securum iter præbebant sanctis: D. Hilarius in Psalm. 144. *Terribilis fuit virtus Dei cũ ingressis in maris iter impiis, vbi fuerat salus religiosorum, ibi pœnam constituit impiorum, circumstant alios firmitate muri solidatæ vndæ, illos refusæ ipsæ quæ cõstiterãt absorbent, ad istos pelagus naturam suam nescit, hos per naturam suam punit.* Non sic irascitur in illos vt non suauis sit illis & blandus aliis, nescit enim Dei ira exardescere, quin misericordiæ venæ scaturiant. B. Hilarius.

*Ingratus in summam labitur calamitatem.* C

218 *Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, nec vnus quidem remansit,* Et quæ causa fuit tam diræ & extremæ cladis? alias Ægyptii persecuti fuerant Israelitas, & in illos extremã sæuitiam exercuerãt, propter quod variis plagis vapularunt. sed nunquam sic atrociter nunquam sic funditus perierunt, quæ igitur causa fuit tam miserandæ & extremæ ruinæ? illam optime insinuat Greg. Turonens. lib. 1. hist. sic inquiens, *Super ripam Nili, non Babylonia de qua supra meminimus, sed Babylonia ciuitas collocatur, in qua Ioseph horrea miro opere de lapidibus quadris, & cæmento ædificauit, ita vt ad fundũ capaciora, ad summum vero constricta sint, vt per paruulum foramen ibidem triticum iaceretur, quæ horrea vsque hodie cernuntur, de hac ciuitate Rex ad persequendos Hebræos cum exercitibus curruum ac multa pedestri manu directus est,* Nec miror, quid inde in tantam delapsus fuerit calamitatem, qui enim visis horreis frumenti accepti ab Hebræo iuuene, quo tamdiu & vixit & floruit Ægypti regnum, nullam animi gratitudinem inde concepit in Hebræos, sed prior & acrior persecutor illorum est factus, non potuit non in summam calamitatẽ præcipitari, horrea illa eadẽ frumenta quæ sustentarant Ægyptios in Ioseph gratos, vbi acceperũt eos ingratos, & confectoris sui persecutores. similiter fecerunt vt extremam incurrerent calamitatem. Gregor. Turon. D

*Qui in promissis suis mendax est, supplicio hoc denotante punitur.*

219 *Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, nec vnus quidem remãsit,* Nec Pharao qui similiter fluctibus maris inuolutus submergitur, sed cur hoc supplicio punitur cum suo exercitu? nonne antequam mare ingrederetur, Israelitas persecuturus, potuit terra aperiri, & in ea viuens in infernum descendere, vel fulmine vibrato de cælo interfici? nonne Pharao inconstantissimus fuit in promissis suis, qui toties discessum liberũ Israelitis promiserat, & tamen semper mendax & fallax? quid etiam mari inconstantius, quod nesciat nec breui temporis momento, in eodem statu manere? puniatur ergo elemento inconstantissimo & infidelissimo, qui toties in suis promissis inconstans & infidelis extitit, obseruatio est Theophilacti exprimentis illud Oseæ. 5. facti sunt principes Iuda assumentes terminum, effundam sicut aquam iram meam super eos. iuxta Septũag. sic legit, facti sunt principes transponentes terminos, sic autem ait, *Quando vero quisquam princeps Iuda existens confessus fuerit ac promiserit se non iisdem prauis studiis admoturum mentem, id que secum decreuerit, & iterum transmouerit tales fines atque decretum suum fecerit irritum, & reuersus fuerit instar canis ad proprium vomitum, ira Dei supra talem prorsus effunditur per inde ac maris rubri aqua super Pharaonẽ, qui sæpius mentitus erat iuxta cor suum permutationis in melius expers* Preme vltima verba pluries mẽtitus fuerat Pharao, promissis suis infidus. Oseæ 5. Theophil.

*Reseruamur aliquando vltimi puniendi vt seuerius sentiamus cruciatus.*

*Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis nec vnus quidem remansit* Et sic nescio cur quidam garriunt asserentes saltem Pharaonẽ liberum euasisse; sed hoc falsissimum vidimus in expositione, & addidimus Psalm. 135: excussit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro; sed non desunt credentes Pharaonem vltimum aquis suffocatum periisse: cur omnium nefandus & impius prior supplicium non experitur? cur posterior, qui aliorum duxerat in tyrannide, castigatur? non vt lenius puniatur, sed vt grauiores cruciatus experiatur, tum ex suorum submersione, tũ ex imminenti morte sibi futura, suffragatur Abulens. sic scribens, *de Pharaone potest dici vt voluit aliqui Iudæi quod ipse, qui plus omnibus peccauerat, vt omnibus infælicior plura dolorum genera experiretur, fuit vltimus eorum qui suffocatus est & vidit suos aquis suffocari, & dolore quidem tunc magno de perditione suorum & timore vehementissimo de morte sibi vicina angebatur, ad vltimum vero cum cæteris periit,* quod cecinit Alcimus Auitus Archiepis. lib. 5. 220 Alcimus.

*Ergo exaltatis pendens sustollitur vndis.*
*Confestim mergenda phalanx Ægyptia, & ipso*
*Pondere telorum premitur, fundoque tenaci*
*Succinctum reuehunt morientia corpora ferrum.*
*Pars exarmatis cum primum libera membris,*
*Implicuit nantes morientium amplexibus artus*
*Auxilio decepta periit pariterque tenentes*
*Alterno sub fasce ruunt, nexique necantur*
*Atque alii lassata diu dum brachia iactant*

*Incurrunt [illegible], [illegible] hærent.*
*Concolor & [illegible]*
*Qui & [illegible] Memphi [illegible] aula*
*[illegible] ducens nigro rectore iugales.*
*Inspector cladis propriæ, gentisque superstes.*
*Vltimus ingressis per currum naufragat vndis.*

## *Qui peccatum dimittit inuoluntariè, non prodest ei ad salutem.*

221 *Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cunctis exercitus Pharaonis*, Nonne Deum agnouerant; cum dixerunt fugiamus Israelem, Dominus enim pugnabit pro eis? & non est dubium quin cum in tanto constituti essent discrimine, pœnitentia ducti, voluissent Israelitis damnum non intulisse: cur ergo cum cessent ab eorum persecutione, non euadunt incolumes, sed aquis obruuntur? quia qui peccatum coactus dimittit & inuoluntariè, non prodest ei ad salutem. quod dictus Archiepis. Viennens. rectè cecinit. Archiepis. Viennens.

*Post quam clausa via est, fluctusque rebelles ennis.*
*Pœnitet intrasse iam gurgitis, & sua serum*
*Molitur reditum, trepidæ dant ter[illegible] cohortes,*
*Armaque proiiciunt, pontus fugientibus instat.*
*Occurritque sequens perit vndique circumsectus,*
*Decurrentis aquæ laxatis murus habenis,*
*Ille ferox semper, mitis iam morte sub ipsa,*
*Non hæc humanis agitur victoria bellis.*
*Expugnamur ait, cœloque euertimur hoste.*
*Effuge si liceat, victusque euade satelles,*
*Nec iam tela Deo conatibus ingere cassis.*
*O si compunctæ humana superbia mentes,*
*Ante [illegible]itum mutare, nec expectare suprema,*
*Fata velit, quanto infelix felicior esset.*
*Pœnitet, ambiguè quem sera pœnitet, ergo*
*Præsentis spatium nobis dum creditur æui,*
*Dum patulant cunctis Christi clementia se se*
*Præbet, præteritæ plangamus crimina vitæ,*
*Pœniteatque olim negligenter temporis acti.*
*Dum licet, & sano ingenioque animoque valemus:*
*Nam qui peccatum moriens dimittere & ipse*
*In serum tempus differt peccata fateri,*
*Non tam dimittit quam dimittatur ab illis.*

## *Vsque ad aquam baptismatis salutarem, nos tartarei Aegyptii peccata persequuntur.*

222 *Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis*, Et quid tum? liber euasit Israelita, & Ægyptii cum peruenerunt ad aquam cessauerunt ab Israelitarum persecutione, quid hoc est quod cum in eos animaduertisset Dominus diuerso suppliciorum genere, tamen cohibere non potuit, quin semper Israelitas persequerentur? sed omnis persecutio finem accepit in mari. *Aduerte mare illud* inquit B. Cyrill Epist. 75 *Sacramentum baptismi fuisse, sic declarat B. Apost. dicens 1. Corint. 10. nolo vos ignorare fratres quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & addit dicens, hæc autem omnia figuræ nostræ fuerunt, quod hodie etiam geritur, vt pertertitus voce humana & potestate diuina, flagelletur, & vratur & torquatur Diabolus, & cum exire se & homines sæpe dimittere dicat, in eo tamen quod dixerit fallat, & id quod per Pharaonem prius gestum est eodem mendacio obstinationis & fraudis* S. Cyrill. 1. Corint. 10.

A *exerceat, cum tamen ad aquam salutarem atque ad baptismi sanctificationem venitur scire debemus & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus diuina indulgentia liberatur.* Et B. August in Psal. 80. *Nihil aliud significat transitus per mare nisi sacramentum baptizatorum, nihil aliud insequentes Ægyptii nisi abundantiam præteritorum delictorum*: & tract. 11. in Ioann. idem habet: audiendus est Petrus tigs presbiter in suo de aurora libro. S. August.

*Virga crucem notat, hic baptismum sanguine Christi*
*Perfusum rubri denotat vnda maris.*
*Rex Pharao Sathanam, sua plebs peccata figurat.*
*Inque mari rubro perdit vterque suos.*
*Regem cum populo vorat & sepelit vnda marina.*
*Omnia delentur crimina fonte sacro.*

B
## *Datur baptizatis lex, vt sciant quomodo viuere debeant.*

*Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cunctis exercitus Pharaonis*, Incolumi nihilominus reddito Israelita deinde mari trasancto, data est lex vt quid obseruare, & à quo cauere deberet sibi compertum esset. sed cur antequam discesserunt ab Ægypto Israelitæ legem quam seruare tenerentur, non promulgauit Moyses? cur expectauit Deus mari transacto? si superiori conceptu diximus per huiusmodi mare, baptismum adumbrari, qua Ægyptii tartarei & eorum exercitus nempe peccata suffocantur, ex cōsequenti rectè asserenius cum B. August. mari translacto datam fuisse eis legem, quia baptizatis lex datur vt sciāt quomodo viuere debeāt. sic præfatus doctor lib. de fide & operib. c. 11 *Sicut populo Israel baptizato* C *in Mose & in nube & in mari, data est lex quemadmodum viueret, ita baptizatis datur symbolum vt discant quomodo viuant.* 223 S. August.

## *Nullum vitium baptizatus, ne leue quidem retineat.*

*Reuersæ sunt aquæ & operuerunt currus & equites cunctis exercitus Pharaonis, nec vnus quidem ex eis remansit.* Cur saltem aliquis ex eis mare rubrum cum Israelitis non transiit? quid enim vnus inter tantos? quod discrimen incurrerent Israelitæ, licet aliquis simul ex Ægyptiorum exercitu euaderet incolumis? si per Ægyptios peccata intelleximus, quæ in mari nempe in baptismo delentur: merito nec vnus ex eis remanere debet, sed omnes omnino immergi. quia baptizatus nullum vitium ne leue quidem retinere debet. hoc doctè disserentem audiamus Greg. Niss. lib. de vita Moy. *Hæc qui audit aquæ sacramentum* D *non ignorabit, in quam fideles cum vniuerso nostri hostis descendens exercitu, solus mergit, inde hostibus detentis atque oppressis aqua, quis enim non videt Ægyptiorum sagittarios funditores, armatos equites, ac pedites, currus, vniuersamque ipsorum potentiam, varias esse animi passiones, quibus seruituti homo subiicitur? quid enim ab illo Ægyptiorum exercitu ira effusa, voluptas effrænata, dolor immoderatus, auaritia fœditas differt? nonne quasi hasta tremens iræ impetus est? nonne quasi effrænati equi huc & illuc currum trahentes nimiæ voluptates animum vexant? erant enim tristatæ tres, scilicet in singulis bellatores quibus tripartitam animi potestatem intelligi credimus, rationalem scilicet, concupiscibilē & irascibilem: has tres potentias deprauatas, quæ omnia eorumque assiuia cum duce suo vna scilicet cum fideli in aquam* 224 S. Greg. Nissen.

est difficultas, vtrum Hebræi mare directo itinere transierint ex vno littore ad aliud oppositum, vel vtrum per modum cuiusdā circuli, illud transierint, ita vt redierint in idē littus à quo discesserant, etsi non in eundem specialem locum, quasi facto semicirculo ad extrema maris rubri littora versus Ægyptum redierint, cum à locis superioribus eiusdem littoris prius illud essent ingressi.

Prior sententia est Hebræos transiisse mare rubrum vsque in littus oppositum, cuius fundamenta partim auctoritati, partim rationi innituntur. rationes autem perpaucæ sunt, nec vlla conuincens, vna pro omnibus est illa, vt ex Ægypto perueniatur in Sina transiri debet mare rubrum, hoc enim interiacet inter Sina & Ægyptum. sed hæc ratio nulla, quia ex Ramesse in Sina, & magis in Chanaan pedestris est via directa, quæ ad littus relinquit mare rubrum.

Auctoritates sunt vel sacræ scripturæ, in quibus dicuntur Hebræi transiisse mare, transierunt equidem non directè, sed circulariter. auctores ergo qui pro hac stant sententia quique dicunt de littore in aliud oppositum transiisse, sunt B. Greg. Niss. Philo & Iosephus. sed benigne exponendi, nempe quod hoc dixerunt secundum modum loquendi, nempe cum quis per aliquam viam transit, creditur directè de loco in oppositū transiisse non circulariter. sed licet concedamus S. Greg. id tenuisse, quis prohibebit dicere opinatiuè locutum? sed sanctum deinde sancto opponemus. si autem alij sint qui asserant recto limite transiisse, non intelligendi sunt de ripa in ripam oppositam sed rectè vsque ad punctum circuli, vel quasi circuli.

Probabilior mihi videtur fuisse sententia illa, quæ asserit filios Israel aliquanta maris parte directo transmissa postea retrocedentes rediisse in idem littus, vnde ingressi fuerant mare. primo probatur auctoritate sacræ scripturæ, vel saltem ex ea deducitur, nam num. 33. dicitur de Socoth venerunt in Ethan, quæ est in extremis finibus solitudinis, & transierunt per medium mare in solitudinem, & ambulantes tribus diebus per desertū Ethā, castrametati sunt in Mara, ex quibus sic. cap. præcedenti scriptū est Hebræos castrametatos esse in extremitate solitudinis Ethan, & inde venisse ad mare rubrū; mari autem traiecto eamdem solitudinem rursus intrasse & per eam tribus diebus iter fecisse quoad venerunt ad locum dictū Mara, vt ex cit. loco vidimus: intrarunt igitur per Ethan in mare & ex mari egressi rursus iter fecerunt per Ethan, ergo redierunt ad eundem locum ex quo mare intrauerunt.

2 Hebræi traditione acceperunt à patribus (quibus potius credendum est quam aliis) retrocedētes rediisse ad idem littus. sic enim ait Genebr. in Chronol. Hebræi negant maiores suos transisse mare rubrum totum, siue à littore Ægyptio ad littus Arabicum, sed quod grandius est miraculum, ad idem littus ducto intra mare longo circuitu, & quasi semicirculo, vnde ingressi fuerant, reuertisse. sed vnde id acceperunt Hebræi nisi à patribus per traditionē, qui à maioribus suis edocti de hac veritate eamdem filiis retulerunt, nec verisimile in re tanti momenti hallucinatos fuisse. (Genebrard.)

3 Natura maris est eiicere mortuos in littus propinquius, vt experientia cōstat, sed Ægyptiis propinquius erat littus per quod ingressi sunt in mare ipsi & Hebræi, quos insequebantur, in illud igitur littus cadauera eorum delata sunt: ea porro cadauera non potuissent ab Hebræis ex mari iā egressis videri & expectari, sicut vidisse eos & spectasse narrat scriptura versu vltimo huius capitis, nisi & ipsi ad idem littus fuissent regressi. confugiunt aduersarij ad miraculum scilicet Angelum siue per se, siue per mare, siue per vētum Ægyptios ad littus aduersum in quo erant Hebræi impulisse, sed licet hoc diuinæ possibile esset naturæ, an illud tacuisset Moyses, ad quid tot miraculorum multiplicationes cum plura non sint necessaria?

4 Vastissimum & latissimum est mare rubrum, teste Adrichomio, ita vt ad minus sex leucas habeat latitudinis, non potuerunt ergo illud peruadere Hebræi tantillo tēpore, puta tribus vel quatuor horis penetrare ex vno littore in aduersum peruadendo, præsertim cum inter eos essent pueri senes, oues, aliaque impedimenta plurima; iterum recurrunt ad miraculum aduersarij fatentes tam celerem transitum tot millionum hominū & animalium, tam breui tempore naturaliter fieri non potuisse, sed solum miraculosè, & sic Angelum eos roborasse & incitasse ad accelerandum. sed in quo consistit vis huius miraculi? an tot senes & pueri nec non mulieres delicatæ celeri cursu illud perfecerunt? hoc non innuit textus, imo contrarium, ait enim perrexerunt filij Israel per medium sicci maris nō ergo curreruntt. Cald. ambulabant per siccum in medio maris, Pag. ambulauerunt, qui autem ambulat, nequaquam celeriter iter conficere censetur.

Auctoritas est S. Thomæ Angelici doctoris Lect. 1. in cap. 10. primæ ad Corinth. exponens enim hæc verba, omnes sub nube fuerunt & omnes mare transierunt; ait, omnes mare submersis hostibus transierunt, non de vna ripa ad ripam oppositam, sed ad eamdem vnde transierunt, quemdam sinum maris. Gregor. Turonens. lib. 1. hist. asserit plures fuisse huius sententiæ, dicunt alij (inquit) quod ad ipsam ripam facto modico per mare circuitu vnde ingressi fuerant sint regressi. idem habet Petrus Comestor cap. 31. Abulens. expressè & mordicus hanc sententiam deffendit. (1. Corin. 10. D. Thomas. Greg. Turo. Petrus Comestor. Abulens.)

---

## CONCEPTVS.

*Væ qui auertunt homines à virtutum sequela celeri vindicta afficientur.*

12 *Filij Israel perrexerunt per medium sicci maris.* Ecce tibi adhuc Israelitæ erant ingressi per mare rubrum, & iam à tergo sentiunt Ægyptios, reuertentibus aquis, submergi: reuersæ enim sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, nec vnus quidem superfuit ex eis. cur Deus non expectauit

*Bonorum & malorum aliquando est bene incipere, bonorum autem perseuerare.*

*Filij autem Israel perrexerunt per medium sicci*
232 *maris.* Nonne idem ante dixerat? cur ergo id denuo repetit? superflua enim videtur esse repetitio: aduerte etiam Ægyptios mare siccum ingressos fuisse, sicut & Israelitas. non superflue igitur sed merito dictum denuo quod filij Israel perrexerunt per medium sicci maris, ad denotandam eorum perseuerantiam. ingressi sunt quidem Ægyptij mare, sed vlterius non perrexerunt, fluctibus aquarum obruti. non enim omnium est bonum opus inceptum perficere, non malorum, sed solum bonorum, innuit Caiet. Cardin. *Repetitur hæc sententia de filiis Israel non superfluè sed ad*
Card. Caie. *significandum perseuerantiam itineris vsque ad intentū finem ire enim per siccum inter aquas vsque ad reuolutionem maris, commune fuit Israelitis & Ægyptiis peruenire autem ad littus fuit Israelitis, & ad hoc insinuandum quod cum Ægyptij inciperent operiri aquis, Israelitæ adhuc exibant & aquæ erant eis tanquam murus: ad hanc disparitatem narrandam adiungit Moyses suffocationi Ægyptiorum in mari, quod filij Israel iuerunt in sicco, & habuerint aquas pro muris.*

*Virtute baptismi non tantum sanantur animæ à peccatis, sed aliquando ab ægritudine corporali baptizandi curantur.*

233 *Filij autem Israel perrexerunt per medium sicci maris.* De quibus dictum fuit, non erat in tribubus eorum infirmus, quid est hoc? quod transacto mari, de Israelitis efferatur non fuisse in tribubus eorum ne vnum quidem malè habentem? diximus ex sanctis patribus, mare rubrum figuram baptismi fuisse, quibus addere possumus
S. Greg. Mag. D. Greg. lib. 9. Epist. 39. qui arguens affirmantes, non omnia peccata baptismo deleri, ait certè maris rubri transitus, figura fuit sancti baptismatis, in quo hostes à tergo sunt mortui, sed alij contra faciem in eremo sunt inuenti. sic quippe omnes qui in baptismate tinguntur, eorum peccata præterita omnia laxantur, quia in eis veluti à tergo hostes moriuntur, qui ergo dicit peccata in baptismate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos; si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur, necesse est peccata in baptismate funditus mori, quia nimirum plus valet in absolutionem nostra veritas, quam vmbra veritatis. adde & Damascenum lib. 4. Orthod. fidei cap. 10. & lib. 1. parall. cap. 55. vt Israel (inquit) nisi mare traiecisset à Pharaone disiunctus non fuisset, ita tu quoque nisi per aquam transieris, ab amarulenta diaboli tyrannide non te remouebis: quid mirum igitur si transacto mari non solum Ægyptij suffocantur, sed in tribubus Israelitarum nullus ægritudine tenebatur? quia etiam virtute baptismi (quem mare rubrum adumbrabat) non tãtum sanantur animæ à peccatis, sed aliquando ab ægritudine corporali liberantur suffragatur Abdias Episcopus Babyloniæ lib. 3. vit. Apost. sic dicens. *Hinc dum apud Patras faceret signa D. Andreas abduxit eum quidam ad littus vbi nauta quispiam quinquaginta annis debilitate nimia prouectus, in cœno iacebat, vlceribus scatens & vermibus, cui nullius medici cura potuit mederi. hic cum aspexisset Apostolum, forsitan inquit tu es discipulus Dei illius qui solus saluare potest cui sanctus Apostolus ait, ego sum qui in nomine Dei meis te sanitati restituo, & adiecit. in nomine Jesu surge & sequere me. at ille relictis pannis purulentis, in quibus tabes defluxerat, sequebatur eum, profluente pure cum vermibus à corpore eius: cumque venissent ad mare, ingressus est vterque aquam abluensque eum Apostolus in nomine Trinitatis ita sanū reddidit vt nullum penitus infirmitatis huius corporeæ resedisset indicium.* idem testatur August. lib. 4. confess. c. 4. idem lib. 22. de ciuitate Dei c. 8. Tria mirabilia narrat exempla suo tempore virtute baptismi facta, quantum ad corporum sanitatem baptizatorum: primum est de Innocentia nobilissima Carthaginis matrona, quæ in mamilla cancrum habens immedicabilem, statim vt appropinquante Paschate baptizata esset, signo crucis munita, sanata est: secundum est, de quodam Medico podagrico in eadem Carthagine, qui cum dedisset nomen ad baptismum, & baptizatus fuisset, omni podagra non solum, sed etiam dolore quo vltra solitum à pueris nigris id est dæmonibus cum baptizari impedientibus, cruciabatur, caruit. tertium est de quodam Curubitano, qui non solum paralysi, verum etiam ab informi pondere genitalium, cum baptizaretur, saluus effectus est & liberatus vtraque molestia, tanquam nihil mali habuisset in corpore de fonte repurgationis ascendit.

(Margin: S. Ioann. Damasc. — Abdias. — D. August.)

## VARIETAS LECT. Vers. 30.

*Vulg.* Liberauit Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum.

*Sept.* Et eruit Dominus Israel.
*Pag.* Et seruauit Dominus Israel.

## EXPOSITIO.

*Liberauit Dominus in die illa Israel.* Post plurimorum annorum seruitutem, qua oppressi ab Ægyptiis fuerant tandem Deo volente, & duce Moyse, cum aduersariorum suorum suffocatione in mari rubro, libertatem sunt adepti.

## CONCEPTVS.

*Dei beneficia vota nostra superans.*

234 *Liberauit Dominus Israel in illa die de manu Ægyptiorum.* Nec non eorum arma, supellectilem, & plura ornamenta detrahit eis Deus, cum hæc omnia ad littus Israelitarum eiecit vt omnibus frueretur populus suus electus, tum ad ornamentum, tum ad necessitatem. audio populum & Moysem ad Deum clamasse, vt ab Ægyptiis insequentibus liberarentur, & nihilominus Deus & eos liberauit, mare diuisit, viam in mari fecit, Ægyptios submersit, submersos & mortuos fecit in maris littore apparere, vt inde & plurima spolia, & aureos ornatus, & validissima arma acciperent, en plura concessit quam petierint? quia Dei beneficia nostra superant vota. sic de generalibus beneficiis disserit Saluian. lib. 2. ad Eccle. Catho. *Ac primum vt de beneficiis generalibus dicam, id est, quod quisquis vel sanctorum est ille, vel diuitū accepit primum beneuolentia ac dono Dei & matris & altus & educatus es, quod rebus necessariis ad vitam communitus, quod etiam non necessariis locupletatus, quod plus ad vsum Dominus tuus tribuit quam modus vsuum postulauit; quod extendit denique spes tuas munera sua, & quod est maximum & rarissimum, dona illius etiam tua vota vicerunt. addo autem post ista omnia quod idem Dominus, qui te primum munere suo genuit, postea etiam passione saluauit.* Saluian.

*Beneficia præstita, benefactorem trahunt in alia noua.*

235 *Liberauit Dominus in illa die Israel de manu Ægyptiorum.* Quod eximium Israelitico populo beneficium collatum expendens Isaias ait Angelus faciei eius saluauit eos in dilectione sua, ipse redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus sæculi. Septuag. ad mentem nostram expressius posuerunt, non legatus neque Angelus, sed ipse Dominus saluauit eos, eo quod diligeret eos, & parceret eis, ipse redemit eos, suscepit, euexit, expende ab illis verbis eo quod diligeret eos, &c quippe eo quod semel se gratiosum exhibuit, quasi inde non potuit non illos redimere à malis, non illos portare brachiis, nouisque beneficiis cumulare. sic Oleast. in annotatione morali super idem caput Isaiæ. *Vide piam & à nostra longe distantem mentem, benefecisse alicui, seu memoria præstitorum munerum nos prohibet, & retrahit à beneficiis faciendis, dicimus iam multa illi exhibui, quid illi plura volo facere? non sic autem Deus tuus, sed collatorum bonorum memoria eum incitat ad plura & maiora conferenda, recordatur etiam præteritorum vt illa nouis excedat, quia talem animum vobis daret vt in ministeriis eius semper priora superaremus quemadmodum ipse in beneficiis collatis & conferendis facere solet.* Isaias. 63. Oleast.

*Deus ita suos exaltat, vt eos efficiat brachia fortitudinis suæ.*

236 *Liberauit Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum.* De qua libertate sermonem habens Euangelicus vates c. citato ait, qui eduxit ad dexteram Moysem brachio maiestatis suæ, quasi diceret teste Forerio qui brachio suo diuino apprehendens dexteram Moysis, eduxit eum cum populo ex Ægypto. nominat autem dexteram, tum quia dextera est symbolum felicitatis ac roboris, quæ duo Moyses accepit à Deo, iisque Pharaonem superauit & populum eduxit. tum quia Moyses gestabat in dextera virgam Dei per quam scilicet Deus plagas inflixit Ægypto, mare diuisit, aliaque miracula patrauit. sed vbi legimus cum Vulg. qui eduxit ad dexteram Moysem brachio maiestatis suæ, habet ex Heb. Oleast. qui ambulare fecit ad dexteram Mosech brachiū gloriæ suæ. quid? nonne Deus satis eximiæ potentiæ suæ, vt et brachia ad denotandam fortitudinem suam tribui possent? quomodo ergo Isaias dicit Moysem brachium gloriæ Domini? quia Deus ita seruos suos exaltat, vt eos efficiat brachia fortitudinis suæ, obseruatio est præfati Lusitani. *Extollit Dominus* (inquit) *valde sanctos suos, vt etiam faciat eos brachium fortitudinis suæ, per quos stupenda operatur.* Isai. et. Forerius. Lusitanus.

*Deus per seruos suos nobis bona largitur.*

*Liberauit Dominus in illa die Israel de manu Ægyptiorum.* Quod etiam confirmans Isaias dicit, qui eduxit ad dexteram Moysem brachio maiestatis suæ; ex Hebræo, qui ambulare fecit ad dexteram Mosech brachium fortitudinis suæ, scilicet vt mirabilia operaretur, vt mare diuideret, vt populum ex Ægypto educeret. sed cur Moysem brachium fortitudinis suæ ad tot mirabilium operationem Deus assumit? vt in pretio eum haberent Israelitæ, cum tot ab eo beneficia acciperent. *Admonemur etiam,* inquit cit. Lusitanus, *quanti eos facere debemus postquam sunt manus & brachia Dei per quos nobis ipse bona & mala largitur.* 237 Oleast.

*In quo alij laborant, serui Dei delitiantur.*

*Liberauit Dominus in illa die Israel de manu Ægyptiorum.* Quomodo eduxit? ait Isaias c. 63. vers. 13. qui eduxit eos quasi equum in desertum non impingentem, quasi diceret sicut equus in deserto, vt potè terra quasi æqua & firma, non solet impingere & labi. sic Hebræi etiam imbecilles pueri & fœminæ, in fundo maris rubri vt pote siccato & complanato à vento per Deum immisso, non hæserunt in salo, non impegerunt, non corruerunt in luto: prosequitur Isai. quasi animal in campo (Forerius & Vatab. vertunt per vallem) descendens, id est sicut iumentum per vallem placidè & facile descendit & incedit, cum è contrario ascendendo montem, laboret & anhelet. sic Spiritus Domini ductor huius fuit, hoc est sic Spiritus Domini placidè & facilè deduxit eos per mare rubrum. vnde hic Moyses ait, perrexerunt filij Israel per medium sicci maris, & in Hebræo ambulauerunt; qui autem ambulat, non laborat sed delitiatur, quis non dixisset insudasse, laborasse in transitu maris rubri, cum à tergo insequentes haberent Ægyptios? ita sane, si non serui Dei essent, sed in quo laborant alij, serui Dei delitiantur, non alienus est ab hoc sensu Osorius Episcopus Syluens. in sua paraphrasi. 238 Osor. Episc.

*Qui per vastam maris ipsius profunditatem ita populum suum perduxit, vt quasi equus in loci deserti & inculti planitie susceptum iter tuto atque sine offensione confecit, vt enim iumentum per campum late patentem liberè graditur, ita se in medias aquas homines illi demiserunt, vt per eas securi & incolumes ad littus deducerent, spiritus enim Domini eos deducebat.* Sed Athanasius expressius lib. de cōmuni essentia Patris & Filij & Spiritus sancti ad mentem nostram sic ait *duxit eos per abyssum, & non sunt fatigati*, pende, *non sunt fatigati, sed delitiabantur in hoc transitu.* D.Athan.

*Spiritus sanctus Deus est, educens Israelem ex Ægypto.*

239 *Liberauit Dominus in illa die Israel de manu Ægyptiorum.* In Hebræo liberauit Iehoua Israel. sed Isaias ait, qui eduxit eos per abyssos quasi equum in deserto, quasi animal in campo descendens Spiritus Domini ductor eius fuit. quis ille Spiritus Domini? sane Spiritus sanctus, de quo Moyses, liberauit Iehoua, vt ex vtroque constaret Spiritum Domini nempe Spiritum sanctum. Iehoua esse, nempe Deum, sicut Patrem & Filium, do testem S. Athan. lib. 2. de proprietatibus personarum, qui citans hunc locum ait. *Vides ergo nomen Patris & Filij, & Spiritum sanctum esse hunc, qui dicitur eduxisse filios Israel de terra Ægypti.* Et de Spiritu sancto lib. 1. *quis ex hæreticis non perspicit veritatem? cum enim Deus se promisisset ductorem, ecce non iam Angelum promittit se missurum, sed spiritum suum qui est super omnes Angelos, ipse enim Deus per verbum suum in vniuersa scriptura deducit populum.* Hoc eodem testimonio vtitur lib. de natura humana suscepta contra Appollinarium vt diuinitatem Spiritus sancti probet, & Euthymius in panoplia parte 1. titulo 2. ait, *quod alibi scriptura ait Deum fecisse, hoc loco Isaias tribuit Spiritui sancto.* Isaias c. 63. D.Athan. Euthym.

*Spiritus sanctus à Deo procedens.*

240 *Liberauit Dominus in illa die Israel de manu Ægyptiorum.* Isaias, quasi animal in campo descendens Spiritus Domini ductor eius fuit, Sept. vertunt descendens Spiritus à Domino dux eius fuit, cur non ait Isaias Spiritus Dominus, & non Spiritus Domini vel à Domino? vt denotaret Spiritum sanctum qui verè Deus est, non à se ipso esse, sed à Deo procedere, sic explicat Leo Castrensis, *his verbis significatur processio Spiritus sancti à Deo.* Isai. c. 63. Leo Castr.

*Non solum Deus nobis conciliat bona, sed ex eis sibi parat gloriam.*

241 *Liberauit Dominus in illa die Israel de manu Ægyptiorum.* An solum tam eximium beneficiū in hoc sistebat, vt à seruitute Ægypti populus suus eriperetur, nec non à tyrannide qua à Pharaone opprimebatur, liberaretur? hoc solum enim innuere videtur Moyses, sed cōsule cit. Euangelicū Vatem vers. 14. dicentem, sic adduxisti populum tuum vt faceres tibi nomen gloriæ. non solū enim Deus nobis bona largitur, sed ex eis parat sibi nominis gloriā. *Duo sunt facta eodem tēpore,* inquit Cyrill. Alex. lib. 5. in Isaiam c. 3. *non enim modo seruatus est Israel, & è manu opprimentium liberatus est, sed etiam rerum admirabiliter gestarum finis vniuersorum dominatori Deo gloriam conuenientem peperit.* Isai. c. 63. D. Cyrill. Alex.

*Longè maiora nobis collata quam Iudeis, & ideo magis Deo obstricti.*

242 *Liberauit Dominus in illa die Israel de manu Ægyptiorum.* Quomodo Deus libertatem sui populi operatus fuerit, supponens Propheta Habac. c. 3 ait, nūquid in fluminibus iratus es Domine, aut in mari furor tuus, vel in mari indignatio tua? qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio. alludit iuxta S. Hieron. ad mare rubrum, in quo submersi sunt Ægyptij, quod fuit quodammodo increpare aquas, & irasci eis, cum eas vēto siccabat. ac si diceret, olim ostendisti Domine irā tuam in aquis, num ita facturus es in fine sæculi cum ascendes super equos tuos, pro tuis pugnaturus? nequaquam, sed lōgè maiora post incarnationem tuam tuis conferes quam antè data Israëlitis; hunc sensum habet cit. Patriarcha Alexan. in hoc caput Habac. *Consilium prophetæ est œconomia veteri, secundam siue nouam meliorem illustriorem, vt in bonis absque comparatione maioribus factam ostendere, olim quippe trāsformatis Ægyptiorum fluminibus signisque & portentis editis, mari rubro diuiso & Ægyptiorum bellicosissimis aqua præfocatis Israelem Deus è seruitute carnali eduxit: postquam autem vnigenitum Dei verbum humanam naturam induit, totum qui sub cœlo est orbem diabolico iuri subiugatum eripuit, non quidem fluuiis in sanguinem conuersis, non in aquis ira sua effusa, non maris fluctibus diuisis, non hominibus pernicie illata sed occiso potius dracone cruento & peccato, quod ab ipso & propter ipsum conualuerat exciso. & mortis imperio destructo, & per sanctos Apostolos ad Dei cognitionem vocatis omnibus, qui totum orbem percursantes, Christique nomen circumferentes, iure optimo admirationem habuerunt. ait ergo, ô Domine auditione dignissima sunt, quæ tu ipse operatus es, & multò præstantiora quam quæ nihilominus abs te per Mosem benè gesta sunt, &c. impetum enim facies non in fluminibus aut in mari, sed dæmonum potius sceptra subuertes.* Habac. c. 3. D. Cyrill.



## *VARIETAS LECT. Vers. 31.*

*Vulg.* Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius.

*Septuag.* Et vidit Israel Ægyptios mortuos iuxta labium maris.

*Cald.* Viderunt Israelitæ Ægyptios mortuos in littore maris, viditque Israel potentiam manus magnæ, quam fecit Dominus in Ægyptios, & timuit populus à facie Domini, & crediderunt in verbum Domini, & prophetæ Moysi serui eius.

*Arias Mont.* Et vidit Israel Ægyptium mortuum iuxta labium maris, & credidit in Dominum, & in Mosem seruum eius.

*Oleast.* Super ripam maris, & vidit manum excelsam quam fecit Dominus.

## *CONCORDIA.*

IN Hebræo est שפת הים sephat haiam quod alij littus vel ripam vel labium vertere, שפה autem est propriè labium oris, extremitas, vnde figurate est cuiusuis rei ora, fimbria &c.

## EXPOSITIO.

VIderunt *Ægyptios mortuos super littus maris.* Intelligendum est de illo littore ad quod filij Israel redierant, mare enim non ad oppositum, sed ad id à quo egressi fuerant, tanquam propinquius, deiecerat. *Et manum magnam quam exercuerat Dominus*, id est potentiam magnam, qua in Ægyptios punitionem exercuerat, *timuitque Dominum populus*, recogitans quam magna potentia eius, qui tot bellicosos homines in momento, fluctibus obruerat. *Et crediderunt Domino* verba eius verissima esse non dubitantes, quod in terram Chanaan eos deduceret, *& seruo eius Moysi* qui ex parte Dei hæc omnia eis prædixerat. ideo sicut non crediderunt Deo firmiter, donec quæ dicta fuerant rebus ipsis sunt comprobata, ita non crediderant Moysi prophetæ, nunc autem vtrique fidem adhibuerunt.

## CONCEPTVS.

### *Dei beneficia ad maiorem illius reuerentiam nos vocant.*

143 VIderunt *Ægyptios mortuos super littus maris. timuitque populus Dominum.* Cur timuit, cum timorem potius deponere deberet, videns Dominum hostes suos tam ingenti miraculo in aquis sepelinisse? timere debebat cum hostes aduentantes viderat, non cum suffocatos vidit. quid nos iste timor edocet? nisi quod Dei beneficia ad maiorem illius reuerentiã nos vocant, adeo vt quo maiora dona accipimus maioribus timoris reuerentiæque stimulis erga Deum vrgeamur. vnde etiam Abraham victis hostibus timuit & illi dicitur, *noli timere Abraham* Genes. 14. ob eandem causam. Genes. 14.

### *Timor tibi sit ex aliorum pœnis.*

*Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris. timuitque populus Dominum.* Quis videns aduersarium suum humi prostratum, exanimem, & fortissimum se protectorem habere, timore percelleretur? nullus equidem. cum ablata causa timoris, etiam & ipse auferatur. cur ergo videntes Ægyptios, qui viui tantum incusserant timorem, fluctibus suffocatos formidine replentur? deponant. nonne propter crimina quæ in Deum & populum suum electum commiserant, ita misere perierunt? cur ergo non timerent, ne in simulia laberentur, & grauissimè à Deo plecterentur? sane Oleast. *Qui propter nos destruit inimicos, nos etiam suffocabit, si ex amicis inimici fiamus*, hæc eadem sit omnium mens, vt scilicet ex aliorum pœnis ac suppliciis discamus, nos quoque eisdem premi posse si paria committamus. Oleast.

### *Gratitudinem à nobis exigit Deus.*

144 *Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris. & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos.* Dignum est, vt quæratur cur Ægyptiorum cadauera videri ab Hebræis Deus voluerit? nam ad miraculi prodigiique magnitudinem, referri non videtur. hoc istuc Deus præstitit, vt dum populus ille hostes aquis iam sepultos in littore vidit, tam ingens Dei beneficium oblivionis sepulchro non sepeliret, & ingratitudinis fouea non conderet. ita censeo, calculum quoque adijcit Oleast. ita scribens. *Ostendere solet Dominus beneficia sua suis & mala à quibus eos liberauit, vt cognoscant ea, & grati sint: hac etiam de causa eos ostendit mortuos Ægyptios, vt viderent à quibus eos liberauit periculis.* Proh quam cæci qui inter diuina beneficia positi, quibus ab omni parte sepiuntur, ea non vident, aut videre negligunt, altaque obliuione sepeliunt, vt sæpe necesse sit, vt illa oculis nostris exhibeat, qui illa præstitit. Oleast.

### *Assiduè Dei beneficia cogitanda.*

*Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris.* 145
Vt his visis ad referendas gratias Deo immortales, quod à potentissimis hostibus eripuerit, mouerentur. verum an solum tunc, cum cadauera Ægyptiorum in littore intuerentur, gratias pro tam singulari beneficio reddere tenebantur? nequaquam, non solum semel cum ab hoste liberamur, beneficium repetendum, sed semper & assiduè cogitandum. rectè D. Chrysost. hom. 38. in Acta Apostolorũ. *Recogitemus*, inquit, *singuli quid sibi peculiariter datum est, recogitemus autem & quotidie igitur, quod magnam hoc habeat vim, vnusquisque nostrum apud se recogitet & diligenter scrutetur, num aliquando in periculum prolapsus hostium manus effugerit &c. vt beneficia Dei, quæ conscribi præ multitudine nequeant, tanquam in libro habeat.* D. Chrysost.

### *Princeps & gubernator populi, in hoc se maximè seruum Dei ostendit, si proteruos & rebelles etiam capitali supplicio plectat.*

*Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris. timuitque populus Dominum & crediderunt Domino & Moysi seruo eius.* Cald. & prophetæ Moysi, serui eius, cur credunt etiam seruo eius Moysi? nam si legatus Dei erat, vicesque illius apud populum gerebat, certo certius est, quod si 146

Deo fidem adhibuerunt, quod etiam famulo eius fidelis crediturus erant, non superfluè tamen : i additum, sed vt denotaretur quod ex tunc indubitanter putarunt Moysem verum Dei seruum & ministrum, & sic Caietan. Moysem Dei famulum admirantur & colunt, & propterea omnipotentis Dei esse persuasissimum habent. & cur cadaueribus Ægyptiorum visis indubitanter sibi persuadent Moysem Dei famulum & ministrum esse? quia vident per illum tot rebelles & proteruos peccatores extremæ datos ruinæ : in nullo enim magis claret minister Dei, quam in proteruis peccatoribus exterminandis : vnde recte Aug. Epist. 50. sic ait *Quomodo reges Deo seruiunt* S. August. *in timore nisi ea quæ contra Dominum iussa fiunt religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? aliter enim seruit qui homo est, aliter qui Rex est. quia homo est, ei seruit viuendo fideliter, quia vero etiam Rex est seruit leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo. sic seruiuit Ezechias, lucos & templa Deorum destruendo, sic seruiuit Darius, idolum frangendum in potestatē Danielis dando, & inimicos eius leonibus ingerendo*, in hoc maximè principes & gubernatores se Dei seruos ostendunt, si impios & rebelles quales fuerunt Ægyptij, viuere non consentiunt.

*Nimium timorem & inordinatum à mentibus nostris auellit Deus, iustum & legitimum inducens.*

247 *Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, timuitque populus.* Quid times? cadauera vides, homines exanimes intueris, cur ergo timens non reprehenditur, imo quasi laudatur? sed cum paulò antea vidissent Ægyptios se insequentes, timuerunt inquit textus valde, & clamauerunt ad Dominum, sane non eadem causa timoris, nam cadauera persequi mortem inferre non possunt, sicut Ægyptij viuentes, cur ergo adhuc aliquis eis adhæret timor? quia nimium timorem & inordinatum à mentibus eorum iam resecerat Deus, relicto tantum legitimo nempe reuerentiali. sic ait Oleast. Lusitanus. *Solent matres cum puellis suis metum incutere volunt, laruas ostendere, quos si viderint plus iusto timere phantasma, ostendunt facta sua & coram illis laniāt sic Dominus mala aspectu terribilia offert, sed post quam viderit timore percussos mortua esse ostendit, neque mala esse sed malorum figuras.*

*Si Deo credideris, & fidem seruis eius adhibere tibi necesse est.*

248 *Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, timuitque populus, credideruntque Deo & Moysi seruo eius* Quid? an eadem fides quæ in Deum, in sanctos est? non video, quomodo quis eamdem fidē in vtrumque adhibere possit. verum est quidem, eam qua in Deum credimus in seruos eius non habere. non enim est eadem ratio in vtroque sub qua ad credendum, moueamur. qui enim credit in Deum, credit in eum tanquam in vltimum finem, quæ ratio creaturæ minimè conuenire potest. sed non ait textus, quod credidit populus in Deum, & in seruum eius, sed Deo & seruo eius, quod equidem verum est, si enim Deo credideris, & fidem eius seruis adhibere tibi necesse est. D. D.Hieron. Hieron. in Epist. ad Philem audiamus sic dicentem *Vna atque eadem credulitas in Moysem refertur & in Deum, vt populus qui credebat Dominum, à quo credidisse dicatur in seruum hæc autem non solum in Moyse sed in omnibus sanctis eius est, vt quicumque credidit Deo, aliter eius fidē recipere nō queat nisi credat & in sanctos eius, non est enim in Deū perfecta dilectio & fides, quæ in ministros odio & infidelitate tennatur quod autē dico tale est. credidit quispiam in conditorem Deum, non potest credere nisi prius crediderit de sanctis eius vera esse quæ scripta sunt, Adam à Deo plasmatum, Euam ex costa illius, & latere fabricatam, Enoch translatum, Noe naufrago solum orbe seruatum, quod primus Abraham de terra sua & cognatione iussus exire, circumcisionem quam in signum futuræ prolis acceperat, posteris dereliquit, quòd Isaac oblatus victima sit, & pro illo aries immolatus coronatusque sentibus, passionē Domini desformarit, quod Moyses & Aaron decem plagis Ægyptū afflixerint, quod ad vocem Iesu filij Naue precesque steterit sol in Gabaō, & luna in valle Alon. lōgum est diuersa Iudicum gesta percurrere, & totam Samson fabulam, ad veri solis (hoc nomē eius sonat) trahere sacramētum. ad libros regum veniā quando in tēpore messis obsecrante Samuele, pluuiæ de cœlo & flumina repente manarunt, & Dauid vnctus in regē est, & Nathan & Gad prophetauerunt mysteria, cum Elias igneo raptus est curru, & Eliseus spiritu duplici, mortuus mortuum suscitauit. hæc & cætera quæ de sanctis scripta sunt. nisi quis vniuersa crediderit, in Deum sanctorum credere non valebit, nec adduci ad fidem veteris testamenti, nisi quæcūque de Patriarchis & Prophetis & aliis insignibus viris narrat historia comprobarit, vt ex fide legis, ad fidem veniat Euangelij, & iustitia Dei in eo reueletur, de fide in fidem, sicut scriptum est, iustus autem ex fide viuit.*

*Vbi non timetur homo, timendus Deus.*

*Viderunt mortuos Ægyptios super littus maris,* 246 *timuitque populus Dominum.* Timor hic intempestiuus mihi videtur, nam timuisse, cum hastati hostes vrgebant, mirum non fuit, quis enim non timeret inermis, hostes potentissimos & bellicosissimos? at vero timuisse, cum exanimati iacebant; res plane inaudita. dices Israelitas non timuisse quidem Ægyptios, sed Dominum, vt ipsa littera exprimit. optime quidem, quasi timere tunc Deū inceperint, quando homines timere desierunt, vt enim qui nimium timent homines non timent Deum, ita qui ab humano timore liberantur, diuino arctius constringuntur.

*Plures sunt quos timor corrigit.*

*Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris,* 250 *timuitque populus Dominum.* Ante timuisse legimus, cum enim eleuatis oculis vidissent Ægyptios armis instructos, odio agitatos, suam meditari perniciem, timuerunt valde. cur non dicitur quod tunc timuerunt Dominum, sed solum cum suffocatos aduersarios intuentur? nonne diximus ex Oleastro, ex pœna & supplicio sibi timuisse, ne simili plecterentur, si in eadem delicta vel alia laberentur? nam vt optimè Cypria. ser. 5. de lapsis post medium loquutus de suppliciis, quæ in hac D.Cyprian. vita inferuntur ait. *Plectuntur interim quidam vt cæteri corrigantur, exempla sint omnium, tormenta paucorum*, quid mirum igitur si nunc timeant Dominū? quia plures sunt quos timor corrigit, testis S. Aug. Epist. 5. ad Bonif. *Sūt*, inquit, *meliores quos* D.August. *dirigit amor, ita plures sunt quos corrigit timor.*

*Peccatorum pondus armorum pondere grauius.*

*Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris.*
251 Ecce mortui ex vndis emergunt, prodeuntque in littus: viui tamen, vt habetur cap. sequenti, descenderunt in profundum sicut lapis, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. quid? an viuorum corpora grauiora erant quam mortuorum, ita vt tanquam lapis descenderent in profundum, nunc autem inanimata emergant, & in littus prodeant? ita planè, quia Ægyptij mortui solis armis ponderosi erant, viui autem peccatis grauissimi. sic Hieron. in c. 2. Nahum vers. 9. *Iniquitas in Zacharia cap. 5. super talentum plumbi sedet, & Ægyptij qui erant peccatis graues demersi sunt in mare vt plumbum, & ex persona peccatoris dicitur Psalm. 37. quasi onus graue aggrauata sunt super me, & Petrus qui ante leuis pendulo gressu calcabat undas, postquam infidelitate aggrauatus vorabatur à fluctibus manu Domini subleuatur. D. enim Petrus antequam dubitaret, leuis super aquas ambulabat, cum dubitare cæpit, grauis sub aquis mergebatur.*

Hieron.

Psal. 37.

*Perfectissima sunt Dei opera.*

252 *Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris.* Nonne satis ad deponendum timorem, compertum sibi habere & experiri nusquam apparere Ægyptios, vestigia sua prementes vt vel internecione delerent, vel ad seruitutem reducerent? cur necesse fuit ab eis conspici cadauera hostium, à quibus persecutionem patiebantur? aduerte quod si ea sibi obiecta non fuissent in littore, arbitrati fuissent adhuc viuos superstites esse, qui tandem sibi mortem inferre molirētur, sicque omnē metum non deposuissent. en ergo vt non solum fluctibus marinis obruuntur Ægyptij, sed eorum cadauera obiiciuntur Hebræis in littore. *Vt nobis* A *innotescat*, inquit noster Episc. Astensis loco 10. speculi bellorum, *perfectissima esse Dei opera.*

Noster Panigarolius.

*Mortis spectaculum timore percellit & Deo coniungit.*

*Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, timuitque populus Dominum.* Quid? cum omnis metus deponendus esset, hunc assumitis? an iaculatur cœlū fulmina? an coruscationibus aër fulgurat? an terra motibus quatitur? an mare tempestate nimia agitatur? an hostes armati irruunt? nequaquam, quis ergo timor vos apprehendit? viderunt Ægyptios mortuos: mortis spectaculum sibi obiicitur, & sic desine mirari cur timeant, imo cur Deo nunc firmiter credunt, mortis enim memoria, quem timorem non infert, quos Deo non coniungit? 253

*Ita admiranda sunt Dei opera, vt incredulitatem & malam auferant opinionem.*

B *Viderunt mortuos Ægyptios super littus, timuitque populus Dominū & crediderunt Deo & Moysi seruo eius.* Non ergo perfectè antea Deo crediderant nec fidem iis quæ antea Moyses sibi promiserat, præstiterūt: quomodo igitur omni incredulitate seposita, Deum nec non seruum eius agnoscunt in suis fidelē promissis? viderunt mare diuisum, incolumes per alueum illius transisse, Ægyptios autem in eo periisse, & sic eximia huiusmodi opera non mouere eos non potuerunt, quin omni deposita erronea opinione, Deo & seruo eius firmiter adhærerent: annuit Cardinal. Caiet. *Sensus est quod tunc crediderunt certa & indubitata fide opera vniuersa tot mirabilium quæ in Ægypto, & vsque ad illam horam, visa fuerunt facta esse in Iehoua summo Deo & in Moyse quatenus erat seruus Dei, & non in scientia aut arte aliqua secreta.* 254

Card. Caiet.



SYNOPSIS



# COMMENTARII LITERALES ET CONCEPTVALES IN EXODVM.

## *CAPVT DECIMVM-QVINTVM.*

### SYNOPSIS.

Traducto mirabiliter per mare rubrum Hebræo populo, & hostibus eius, eodem mari ad vnum demersis, Moses carmen fundit Epinicion simul & Eucharisticum, & id tum ipse cum filiis Israel, tum etiam seorsim Maria eius soror cum mulieribus Dei laudes & gratiarum actionem continens decantant: aquæ in Mara dulcescunt, & tandem narratur aduentus Israelitarum in Elim.



### *VARIETAS LECT. Verſ.* 1.



*VLG*: Tunc cecinit Moyſes & filii Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt, cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem eius deiecit in mare. A

*Sept.* Tunc cantauit Moyſes & filii Iſrael canticum hoc Deo, & dixerunt dicentes cantemus Domino, glorioſè enim glorificatus eſt.

*Cald* Dixerunt, cantemus & laudemus coram Domino, qui magnificatus eſt ſuper magnificos, & magnificentia illius eſt, equum & aſcenſorem eius proiecit in mare.

*OnK.* Tunc cecinit Moſes & filij Iſrael carmen hoc coram Domino, & dicendo dixerunt, cantemus & confiteamur coram Domino quoniam magnificè exaltatus eſt ſuper elatos, & magnificentia ſua, ipſe equum & aſcenſorem eius proiecit in mare.

*Pagni.* Tunc cecinerunt Moyſes & filii Iſrael canticum hoc Domino, & dixerunt dicendo cantabo Domino, quia magnificando magnificatus eſt.

*Oleaſt.* Quoniam eleuando eleuauit ſe, equum & ſeſſorem eius iecit in mare.

*Cajet.* Cantauit Moyſes & filii Iſrael, & dixerunt cantabo Iehoua, quia ſuperbiendo ſuperbiuit.

*Eugub.* Tunc cantabat.

*Alij.* Triumphando magnificè fecit.

*Alij.* Magnificatione magnificatus eſt.

## CONCORDIA.

PRo cecinit in Hebræo est ישיר canet aut cantabit, sed satis intellexerunt Vulg. & Septuaginta, qui etiam habent ᾄσει futurum positum pro præterito, & vt alias sæpe, Eugubinus autem ait futurum esse pro imperfecto: & vbi Vulg. vertit cantemus in Hebręo est אשירה cantabo sed Vulg. & Septuaginta nec non Cald. iudicarunt aptius per pluralem numerum vertere, cum cecinerint Moyses & filij Israel, nisi velimus Moysem primum cecinisse, & per primam personam dixisse אשירה aschira cantabo, ac deinde cæteros eius exemplo idem repetiisse: alij dicunt probabile esse Sept. & Cald. parua immutatione pro אשירה legisse שירו. gloriosè magnificatus est vetus interpres, Septuag. ὅτι ἐνδόξως δεδόξασται quia gloriosè glorificatus est, sed in Hebræo est כי גאה גאה ki gao gaa quod alii verterunt magnificando magnificatus est, alii eleuando eleuatus est, alii superbiendo superbiuit, quia dictio גאה gao altum, excelsum significat, vnde verbale גוה geua pro superbia ponitur, א mutato in ו & גאון gaon pro excellenti, Prouerbio 8. vnde & posterioribus temporibus promoti inter Iudæos solent appellari גאונים geonim quasi excellentes præ reliquis, & quia Hebræum גאה gaa etiam significat eleuare reddidit Oleast. eleuando eleuauit se, atque ita vel metaphorice, eleuari ponitur pro gloriosum agnosci, & magnificari, quæ acceptio in scriptura frequens est: Cajetan. autem vertit superbiendo superbiuit, & addit, ne horreas superbiæ vocabulum in diuinis actionibus, quoniam Deo maximè congruit, & in sacra scriptura pluries habetur in bonum, cur autem vbi habemus proiecit, legat ipse Oleast. dolose iecit, sic ait, dicunt Hebræi verbum ramah significare proiicere & fraudare Psalm. 18. filii Ephraim armati, Romia idest, proiicientes arcum, & Psalm. 51. sicut nouacula acuta faciens remiah idest dolosum aut dolose. significationes tamen non sunt vsquequaque certæ, licet verbum sit frequens in scripturis, posset tamen dici verbum significare dolose quid agere, scilicet mittendo sagittas aut deiiciendo, tamen hic & dicitur Dominus dolosè deiecisse quoniam latenter abstulit rotas curruum quasi dolose faceret Ægyptios cadere, accipiendo dolum non vt malum sonat, sed vt idem quod latenter agere aut arte, nam vt in iure habetur etiam est bonus dolus sicut dolus malus, est enim dictio amphibologica.

## EXPOSITIO.

TVnc cecinit Moses. Particula *tunc* refert historiam præcedentem quasi dicat sacer textus post, submersos Ægyptios in mare & commorationem Hebræorum in littore, tunc cecinit Moyses. dubitari solet, an canticum hoc soluta oratione an vero carmine conscriptum sit, & missis hæreticis id impudenter negantibus, statuendũ est pro certo neminem qui eruditus sit aut bonis litteris unctus inficiari nostrum canticum metro constare, eoque Hexametro, testis est Sanctus Hiero. pręfatione in Iob. si cui videtur incredulũ, inquit, metra scilicet esse apud Hebræos, & in morem nostri Flacci, græcique Pindari & Alcæi, & Saphus, vel psalterium vel lamentationes Ierem. vel omnia ferme scripturarum cantica comprehendi, legat Philonem, Iosephum, Origenem, & Eusebium Cæsariensem, & eorum testimonio me verum dicere comprobabit, Iosephus autẽ de nostro cantico id expresse affirmat, atuero Mechilta hoc est vetus commentarius in Exodum scriptus est, in explicatione huius capitis, hymnos seu cantationes ex sacra historia decem enumerat, & inter eas secundo loco hoc Mosis carmen, quod tamen primum esse litteris commendatum non inficiatur, adscribam ipsa verba prout à Masio in c. 10. Iosue recitantur, Primam inquit, canebant Israelitæ in Ægypto cantilenam, quod Isaias abscõdite significauit, cum diceret & canticum erit vobis sicut in nocte, qua consecratur festum & gaudium animi: secundã canebant iidem transmisso mari rubro: tertiam ad puteum cuius est in numeris mentio, quartam condidit Moses paulo ante suum excessum, quintam cecinit Iosue, quando solem fecit stare, sextam cantabant Debora & Barac. septimam Dauid cum eũ ab omnibus hostibus atque etiã à Saulo liberasset Dominus, octauam Salomon dedicata ęde sacra: nonam vniuersus cantorum ordo cum eum Iosaphat recens instituisset: decimã cantabunt beati, erit quę ea qualis illa Isai. 42. cantate Domino canticum nouũ, laus ipsius inde ab vltimis finibus terræ, vel illa altera Isai. 48. dicite redemit Dominus seruum suũ Iacob, & superiores quidem omnes illas nouæ eę que grauissimę insecutæ sunt calamitates ac postrema ista nullo per omnẽ æternitatem malo interpellabitur: sed si carmen non esset sed soluta oratio, cur diceret sacer contextus tunc cecinit Moyses carmen hoc Domino? hinc deduces Hebræos ante cęteros mortales carminum fuisse inuentores. vel hoc carmen Mosaicũ probat, quis enim producere potest aliquem auctorem ante ingressum filiorum Israel in terram promissam versu aut soluta oratione, si Mosem excipias, qui quicquam litteris consignarit?

*Cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino.* Aliqui existimãt Moysẽ & mares omnes canticũ incepisse, fœminas vero tanquã ex altero choro respondisse, ita scilicet vt Moses aut solus, aut cũ maribus canticum sit prosecutus, hoc autem perspicuum esse arbitrantur ex fine cantici, vbi illius initium à Maria repetitur, & sic iuxta hanc sentẽtiam, postquam Moses & viri qui cum illo erant exorsi sunt cantemus Domino, & absoluerunt totum carmen, fœminæ pręeunte Maria repetierunt idem exordium, atque hac varietate à choro virorum ad chorum fœminarum perducta est cantio: alii arbitrantur alternis versibus canticum cecinisse choros hinc virorum præeunte Moyse, inde fœminarum præeunte Maria, sicque alternatione frequenti ad finem vsque perductum ab vtroque choro fuisse canticum, in re tamen incerta nihil statuendum

certi, potuit enim vterque ordo apte seruari, nec quicquam sacræ scripturæ affirmatur contrarium.

*Cantemus Domino*, rationem addens ait, *gloriose enim magnificatus est*, hoc autem verbum magnificatus est in significatione Deo accommoda accipiendum, nam ex primæua impositione valet idem, quod magnus factus est, & in hac accipitur cum tribuitur rebus, aut personis quæ augescere possunt, quocirca minime potest in hac proprietate Deo conuenire, quia vero solum possunt illi de nouo adiici respectus rationis A vel denominationes extrinsecæ cum per alicuius eximiæ operationem, quod eius attributum insigniter denotescit & agnoscitur, tunc potest, sed in sensu accommodo dici magnificatus, idest magnus, siue magnificus demonstratus. *Equum & ascensorem eius*, meminit equi & equitis, eo quod de eorum multitudine ac robore magna superbia soleat gloriari & insolescere Pharao, ponitur autem singulare pro plurali per synecdochen *deiecit in mare*, non dixit demersit aut labi permisit, sed deiecit in mare, quasi sublimem raptum impetu summo iaculatus.

## CONCEPTVS.

*Animorum sit concordia in reddendis gratiarum actionibus.*

1 *TVnc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc dicentes cantemus Domino.* In Hebræo non est cantemus, sed cantabo, cur quod vni Hebræa lectio, pluribus Latina tribuit? nonne plures cecinere? nam non solum Moyses sed etiam filij Israel carmen hoc dixere; ita equidem, sed tamen vni tribuitur hæc gratiarum actio, quia plurium erat vna, (vt ita dicam) anima, adeo concordes eorum animi erant, vt verè dici potuerit, vnum cecinisse, licet plures extiterint, quia plurium vna mens erat & vnus animus, subsignat huic sensui, Cajetanus. *Parum refert*, (inquit) *quod iuxta Hebræos habetur cantabo Iehoua ad significandum vnitatem populi, dicit in singulari numero cantabo Iehoua.* igitur gratiarum actiones referentium animi discordes esse non debent, plures gratias referunt, ac si vnus esset, ad concordiam & pacem.

Cardin. Cajetan.

*Gratiarum actiones pro acceptis beneficiis referenda.*

2 *Tunc cecinit Moyses & filij Israel canticum hoc Domino.* Eucharisticum est hoc canticum, cur detinentur in canticis? cur vlterius non progrediuntur iter versus terram sibi promissam facientes? nonne maximum à Deo acceperant beneficium quale erat ab hostibus persequentibus liberari? ne sciscitetis ergo cur hoc carmen Deo Eucharisticū cecinerint? pro beneficiis enim acceptis gratiarum actiones referendæ. sic Gregorius Nissenus lib. de vita Moys. *Hebræi tum de sua salute, tum inimicorum supplicio læti magis quam vlli antea homines in hymnis & hilaritate totam noctem exegerunt: Moses vero carmen laudis Dei & ob præsentem fauorem gratiarum actiones continens hexametro versu composuit.*

Greg. Niss.

*Non rudis sed suauis debet esse Deo reddita gratiarum actio.*

3 *Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino.* Quod alternis vocibus idem prosecutæ sunt fœminæ, cur chorus virorum & fœminarum in hoc cantico adhibetur? nonne satis est quod à solis viris decantetur? aduerte suauiorem concentum efficere simul viros & mulieres, cum virorum voces sint graues, fœminarum vero acutæ, ex quibus suauissima componitur melodia: en B cur Moyses voluerit chorum mulierum & virorum ad hoc carmen Deo persoluēdum, non enim rudis & aspera debet esse musica Eucharistica Deo reddita, annuit Philo lib. de vita Moys. *Ob tantam victoriam Propheta celebrauit auctorē tanti beneficij, distributa enim omni gente in duos choros, alterū virorum & alterum mulierum, ipse viris carmen præcinit, sororem autem dedit præcentricem fœminis, vt illud in parentem omnium conditorem Deum alternis canerent versibus, non discrepante à maioribus carmine, dum certatim canunt suis vocibus, & carmen miscetur ex sonis acutis atque grauibus, virorum enim voces graues sunt, acutæ mulierum, vnde temperamentum fit commensuratæ suauiterque coaptata melodiæ.* Philo.

*Ingratus est qui expectat, vt à se pro beneficijs gratiarum actiones exigantur.*

C *Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino.* Moyses reddit gratiarum actiones pro beneficio recens accepto, in se & in populum collatum agnoscēns, canit carmen Eucharisticum 4 vt non solum beneficij memoria conseruetur, sed vt posteritas ad idem agendum prouocetur, sed quomodo ait sacer contextus, quod Moyses & Israelitæ visis in littore Ægyptiorum cadaueribus illico in laudem Dei, & in gratiarum actionē rependendam carmen hoc Eucharisticum cecinere, cur Moyses qui Deo obedientissimus fuit, non expectat à Deo imperium vt has grates rependat? quia ingratus censeri debet, qui solū habito iussu expectat gratiarum actiones reddere: suffragatur nobis B. Ambrosius lib. de Noe & arca c. 22. *Qui debitum gratiæ vt à se exigatur, expectat, ingratus est.* S. Ambros.

D *Non solum gratiarum actiones referendæ, sed illico & sine mora.*

*Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino.* Cum sit initium capitis, cur ab hac particula *tunc* ducitur initium? inelegans enim videtur esse in principio orationis & capitis; emphaticè posita est, vt exprimeretur quanta cum diligentia, & quam impigrè illico vt liberi & incolumes mare rubrum transierunt, illico vt cadauera Ægyptiorum super littus iacere intuiti sunt, tunc sine vlla dilatione, tunc nulla mora interposita, Deo gratias reddidere, hunc rectè Philo lib. de plantatione Noe, *vnum illud opus* (loquitur de gratiarum actione 5

Philo.

referenda,) *summa cura & diligentia exequi debes in Dei cultum.* Et Diuus Bernardus serm. 51. in Cant. *disce in referendo gratiam non esse tardus aut segnis, disce ad singula dona gratias agere.*

*Deus miraculosè linguas hominum facit esse disertas.*

6 *Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino.* Sane de hoc cantico & carmine nihil antea cogitarunt, quomodo ergo illico vt filij Israel de mari rubro exierunt, in eumdem subito concentum eruperunt, non solum senes, sed & pueri? quia Deus miraculosè linguas Israelitarum fecit esse disertas, rem obseruat D. August. aut quisquis ille est Auctor de mirabilibus sacræ scripturæ lib. 1. cap. 21. *Admirare (inquit) dignum miraculum vt cuncti pariter senes cum pueris, & omnes ætates eodem inspirati flamine vno quasi ex ore nulla præmonitione edocti, easdem continenter litteras decantauerint in vnum, vbi non consuetudine humani ingenij, sed diuino spiritu cantorum pectora & ora inspirantur, Dominus qui paulo ante in profundo coram eis apparuerat, ipse post modum in tali cantico linguas & ingenia gubernabat.* S. August.

*Potens est superioris exemplum, ad commouendos subditorum animos ad idem.*

7 *Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino.* Quis cecinit prior? Moyses inquit Philo, quomodo alij qui ex immodico timore, quem ex Ægyptiorum inopinato aduentu conceperant, nondum recreati, in laudibus Deo dicendis idem canticum prosequuntur? quia potens est superioris exemplum ad subditorum animos licet consternatos ad aliquid agendum commouendos, vnde cit. Philo lib. 2. de vita Moysis sic ait. *Propheta gaudens vna cum gaudente populo & lætitiam intra se non continens exorsus est canticum, id vero audiens populus in duos choros secessit, & canere item imitatus est,* preme, & *canentem imitatus est,* cantet superior subditos licet mœrore confectos ad cantum commouebit. Philo.

*Non in militaribus præsidiis, sed in Deo spes nostra locanda.*

8 *Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino.* Quæ materia huius carminis? equum & ascensorem eius proiecit in mare, an tanto elogio Deus dignus, quod equum proiecerit in mare? an digna iubilationis materia quod equus aquis suffocatus fuerit? non est dubium quin equo intelligendus veniat omnis equitatus hostilis, in quo maxime confidebat superbissimus Pharao: non Deo refertur gratiarum actio, quod equum suffocauerit, sed quod deleuerit equestrem copiam, in qua maiorem spem victoriæ posuerat Ægyptus, nec non omnes in ea sperantes: hinc recte obseruat Diuus Basilius in cap. 2. Isaiæ super illa verba, repleta est terra equis eius, & innumerabiles quadrigæ eius. *Nullo non scripturæ loco obseruabimus sanctos viros deuitasse vsum equorum, quia enim iubebat Deus vt toti penderent à suo præsidio; nec in medio conflictu consistentes spem suam reponerent in suo militari apparatu, idcirco sibi vetuit multiplicari equos.* S. Basil. Isai. 2.

A *Non est dignum numero, quod contra Deum aut suos ministros pugnat.*

*Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino, equum & ascensorem proiecit in mare.* Quid? nonne secundum aliquos quinquaginta erant millia equorum non numeratis iis qui curribus vehendis erant idonei? quomodo ergo ad exaltandam Dei potentiam, non numerantur imo deprimi videntur cum de Dei fortitudine dicitur, quod equum in mare deiecerit? non numeratur equorum Pharaonis multitudo, quia indignum est numero, quod contra Deum aut suos pugnat ministros, sensus est Sancti Hieronymi in citata verba Isaiæ & innumerabiles quadrigæ eius, *dicit, sine numero fuisse quadrigas, quia non est dignum numero quod contra Dei imperium possidetur;* adde & quod in eum pugnat; vnde in Psalm. 32, *fallax equus ad salutem, & in Exod. equum & ascensorem deiecit in mare, & in Psalm. 19. hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus.* 9 S. Hiero. Psal. 32. Psal. 19.

B

*Gratus animus vlteriora promeretur.*

*Tunc cecinit Moyses & filij eius.* Cur citissime properat Moyses ad gratias referendas? cur illico ex tunc quod accepit beneficium illud recolit, illud poëmati Eucharistico concinit? sane tum vt securum redderet populum à persecutione impiorum, tum vt futuram bonorum copiam infallibilem decantaret, vnde non solum profligatum prædicat Pharaonem, sed victorias futuras & fœlicem possessionem in hoc cantico prædicit, & cur non prædiceret, cum gratus animus semper vlteriora mereatur? per gratitudinem enim capacior redditur ad ea accipienda, id testatur S. Bernard. serm. contra vitium ingratitu. *Fælix (inquit) qui in singula dona gratiæ redit ad eum in quo est plenitudo gratiarum, qui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc recipere mereamur,* vnde recte S. Irenæus lib. 4. c. 14. ait, *exceptorium bonitatis Dei est homo, gratus ei qui se fecit.* Videtur enim obiectiuam bonitatem prouocasse dum inuocat, vt effusam iam recognoscat, neque vacuam patietur supernaturalis auctor eam latitudinem animæ, easque manus tuas pro gratiis reddendis, ad eum extendi, cum & natura vacuum sic abhorreat, imo donis replebit illum, qui præteritorum sic meminit. 10 S. Bernard. S. Irenæus.

C

*Verum gaudium à Deo accipiendum.*

D *Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino.* Nec non in simul Maria tympanum accipiens, & insultans totus populus canticum alternis vocibus cecinerunt, quamdiu captiui detinebantur sub duro Pharaonis imperio, quamdiu in Ægypto, in seruitute morabantur, an aliquem eorum exultantem audiuimus? an gaudio affectum carmen cecinisse? nequaquam, sed solum cum ab Ægypto liberi sunt & incolumes, vnde hoc? nisi quod in Ægypto huius sæculi nequaquam perfectum inuenitur gaudium, nisi à Deo accipiatur, sed post huius Ægypti discessum, perfecta erit lætitia nostra; hoc confirmat Diuus Bernard. Epist. 114. cum ait, 11 S. Bernard.

*illud verum & solum est gaudium quod non de creatura sed de creatore concipitur, & quod cum possederis nemo tollet, cui comparata omnis iucunditas, mœror, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremum quodcumque aliud delectare posset, molestum.* Religio esset silentio obuoluere quæ ad nostram mentem ait Sanctus Augustinus in illa verba Psalm. 85. lætifica animam serui tui. *Solus enim*, inquit, *tu es iucunditas, amaritudine plenus est mundus, quia tu Domine suauis & mitis es, tanquam tædio affectus ex amaritudine terrenorum indulcari voluit, & quæsiuit fontem dulcedinis, & in terra non inuenit, in terra erat & in terra amaritudinem sentiebat, leuauit eam ad te, iucundare eam ad te, solus enim tu es iucunditas, in quo homine securitas? de quo certum gaudium? nec de seipso vtique, quanto magis de alio?*

S. August. Psal. 85.

### *Deus nostram salutem, cæteraque bona, propriæ gloriæ magnificentiam reputat.*

12 *Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino, gloriose enim magnificatus est.* Quid? nonne Deus altissimus, quo nihil magnificentius excogitari potest? cur ergo ait Moyses, magnificatus est gloriosè? hoc loco non intelligendus est Deus instar earum rerum quæ è paruis in magnas possunt abire, vt magnificatus est puer Samuel 1. Reg. 2; creuit Iosaphat, & magnificatus vsque in sublime 2 Paral. quia cum sit infinitus nequit augescere, & cum sit purissimus actus, ad nihil intrinsecum est in potentia, quid ergo sibi vult quod gloriosè magnificatus est? nisi quod tanto miraculo edito, magnificus declaratus est, quod magnus declarari voluit, dum extreme periclitantibus Hebræis subuenit, euertens pœnitus Ægyptiorum exercitum: vnde rectè infertur Deum propriæ gloriæ magnificentiæque suæ ostentationem, in beneficentia erga homines collocasse, seque tunc dici gloriosè magnificatum, cum hominibus laborantibus adest, periclitantibus auxiliatur, & indigentibus, se se liberaliter effundit, hanc veritatem ostendit locus ille Psalm. 97. vbi Dauid Christum Dominum celebrans ait, saluabit sibi dextera eius, quæ verba de nostra salute interpretatur Basil. *Hominum salutem virtutis ipsius opus esse dicit, immensa vero benignitate vsus mortalium vitam suam dicit esse emolumentum, propterea non saluabit, sed saluabit sibi.* Basilio accedit Theodoret; *immensa benignitate vtens suum quæstum hominum vitam esse duxit, propterea non dixit saluabit ipsum dextera eius, sed saluabit ipse sibi.* Et rectè præsenti instituto annotarunt Cajet. & Geneb. particulam *sibi* idem valere atque gloriam suam, & tunc sensus erit, homines à potestate Pharaonis spiritualis Draconis scilicet liberabit dextera Dei sibi, idest in honorem & magnificentiam eius, qui gloriosè magnificatur, in detectione inimicorum nostrorum.

1. Reg. 2. 2. Paral.

S. Basilius. Theodoret.

Cajet. Genebrar.

### *Non de alienis malis lætari debemus.*

13 *Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino.* Qui canit, lætitia exultat, gaudio afficitur, quid? an lætantur de Ægyptiorum infœlici interitu? an ita in alieno complacent supplicio, vt in cantilenas animi eorum gestientes erumpant? nequaquam, hoc enim alienissimum est à sanctissimo mitissimoque animo Moysis, de quo legimus Numero 12. quod erat mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra, sciebat enim non lætandum esse de aliorum malis & miserijs, vnde Propheta Amos multa criminatus aduersus Israel hæc tandem adiungit cap. 6. non passi sunt aliquid in contritione Ioseph. & luctus non exiuit ex domicilio suo ad plangendam vnam domum coniunctam ei, in quæ Chrysost. hom. 80. in Matth. ait *Quamuis Ioseph & tribus ex eo vicini eius ex Dei sententia punirentur, sed etiam his condolere vult, nam si nos qui nequam sumus, quando in seruum nostrum animaduertimus; conseruorumque aliquem ridentem conspicimus, adeo irritamur, vt ad deridentem iram deriuemus; quanto magis Deus supplicijs aliorum lætantes torquebit?*

Num. 12. Amos 6. S. Chrysost.

### *Quantumcumque Deum laudemus, in laude tamen semper superest materia.*

*Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino, gloriose enim magnificatus est*, Cald. *quia magnificatus est super magnificos*, ex Hebræo, *glorificando glorificatus est.* Cur ingeminatur eius magnificentia? cur duplicatur eius gloria? nonne satis erat dixisse magnificatus est, cum in mare equum & ascensorem eius proiecit in mare? rectè ingeminatur eius gloria in cantico, quia licet in æternitatem vsque decantaretur, semper in laude eius materia laudandi superesset. sic Agellius in explicatione huius versus. *Quid illud est quod ait gloriose magnificatus est? nihil timendum ne plus laudemus quam dignum sit quantumcumque laudemus, nunquam eius gloriam atque magnificentiam quam in hac re tam admirabiliter gesta ostendit, æquare poterimus cum hoc factum omnem laudem excedat.* 14

Agellius.

### *Nihil ita exosum habet Deus quam superbum animum.*

*Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino, gloriose enim magnificatus est.* In quo magnificentia eius elucescit? in quo gloria eius apparet, & fortitudo declaratur? in hoc quod equum & ascensorem eius deiecit in mare: cur non ait in mare demersit, aut in profundum delabi permisit? sic enim eius intelligeretur finis infœlicissimus: cur ergo hac voce vtitur *proiecit*, non quomodocumque, sed cum violentia & impetu? vox enim Hebræa ramaid significat. aduerte quod cum aliquid maxime inuisum habemus, si perire volumus, & hoc in nostra situm sit libertate, id cum impetu quasi cum furore in terram proijcimus: quid mirum igitur si Moyses dicat, Deum non demersisse, sed in mare proiecisse equum & ascensorem eius, nempe superbissimum Pharaonem? nihil enim tam exosum habet quam animam arrogantem, & præ vanitate inflatam. suffragatur cit. Episc. Acernensis. *Equum superbissimum animal, quo nihil fortius & confidentius ad speciem videri potest, non dicit demersit aut labi permisit, sed proiecit in mare quasi sublimem raptum impetu summo iaculatus: his autem in verbis indicat Deo nihil ita exosum esse quam superbiam, & animas sibi fidentes, nihil æque diligere quam humilem, sui sensum, ac de sola ei potentia ac pietate sperantem.* 15

Episcop. Acernens.

### *Abstinendum à carmine faciendo & canendo, nisi prius mores composueris vitiis abiectis.*

16 *Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino.* Nonne cum antiqui patres gratias Deo rependere solebant, altaria ædificabant? holocausta Deo offerebant? cur ergo primus inuenitur Moses aliorum exemplum non secutus, non victimas offert, sed carmen in rependenda gratiarum actione pro Ægyptiorum submersione cecinit? nonne ouibus abundabat populus Israel pro sacrificio offerendo? cur ergo iis præter missis canticum personat? non est dubium quin in Ægyptiorum submersione, ostendatur omnium abolitio vitiorum, & virtutum triumphus, nunquam ergo tempus magis idoneum fuit condendis carminibus, iisque dicendis, quam vbi vitiorum dissonantia ablata, ad concentum virtutum currebatur: absurdum enim esset, dum dissoni adhuc Ægyptiorum mores vigerent in carminibus componendis & dicendis occupari, ex quo lepidè D. August. Epist. 39. mouebat Licentium nobilem iuuenem hoc modo, *si versus tuus momentis inordinatis peruersus esset, suis legibus non staret, si mensuris imparibus aures auditoris offenderet, puderet te certe; nec differres, nec desisteres donec ordinares, corrigeres, statueres, æquares versum tuum, discendo & agendo artem metricam acerrimo studio & labore quolibet, quod cum inordinatus ipse peruerteris, cum legibus Dei tui ipse non stas, neque in agenda vita honestis tuorum votis & huic ipsi eruditioni tuæ continuis abiiciendum post tergum putas & negligendum, quasi præ sono linguæ tuæ sis tibi, & voce vilior & incompositis moribus, quod offendis aures Dei leuius sit, quam si incompositis tuis syllabis grammatica succenseret auctoritas.* S. August.

### *Deus maximè gratum habet laudis sacrificium.*

17 *Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino.* Nonne cum postulasti, discessum tuum ex Ægypto à Pharaone, dixisti viam trium dierum ibimus vt sacrificemus Domino? tum si priora tempora in memoriam reuocare velimus, reperiemus antiquos patres semper sacrificia Deo persoluisse. cur ergo cum oues sint innumeræ, & alia ad oblationem pecora plurima, cur ab eis abstines & in solas Dei laudes prorumpis? quia Deus maxime gratum habet laudis & gratiarum actionis sacrificium, quod ipsemet testatur per regium Vatem Psalm. 49. non accipiam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos, &c. immola Deo sacrificium laudis; in quæ verba sic noster Titelm. *Vis scire quam oblationem ego Deus tuus à te requiram, & quid sit quod oblectet, maximè confessio laudis ex corde grato & fideli oblata, laudatio recti cordis & gratiarum actio à bona voluntate procedens gratissimum mihi sacrificium est, quod immolatum à te mihi volo: & ne hoc elaberetur è memoria in eodem Psalmo conclusit, sacrificium laudis honorificabit me:* in quę & similiter Titelm. *quomodo iam ante monstraui, ita & nunc repetens ad conclusionem eruditionis meæ dico, quod gratiarum laudis & actionis sacrificium est quo ego honorari opto & quod ego postulo à seruientes.* Psal. 49. Noster Titelmanus.

### *Materia laudis sit Deo grata.*

18 *Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino.* Quænam huius carminis materia? diuinæ omnipotentiæ exaltatio, quod liberauerit populum suum à persequentibus Ægyptiis, quod à captiuitate Pharaonis eripuerit: & merito in hoc laudatur, in hoc commendatur eius fortitudo, & celebratur potentia, quia materia canticorum Domini debet ei esse gratissima, quid autem gratius auribus eius esse potest, quam celebrare magnitudinem suam in suorum protectione? *Debemus Deum laudare,* (inquit Oleaster in cap. 6. Isai.) *de his quibus maximè delectatur, nam quemadmodum milites commendantur de præclarioribus suis gestis, ita Deus de separatione à malis,* populum suum separat non à malo vno sed à pluribus, & ideo canticum hanc separationem celebrans non potest esse nisi Deo gratissimum. Oleast.

### *Dei eximia opera nulli hominum sint ignota.*

19 *Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Si cum maxima gloria exercitum Ægyptiorum potentissimum superans, populum suum liberauit, an solum hoc notum erit apud populum Israel? vel saltem hoc etiam compertum erit Ægyptiis, qui de Dei potentia dubitare non potuerunt, cum suos fluctibus maris obrutos & Israelitas incolumes euasisse cognouerunt? consule cap. 12. Isaiæ vers. 7. vbi Propheta, cantate Domino Isai. 12. quoniam magnificè fecit, annuntiate hoc in vniuersa terra, ea inferes eximia Dei opera nulli hominum debere esse ignota, sic interpretatur Agellius in citatum Isaiæ Cantic. *Non vicit tantum hostem, sed cum magna gloria vicit, ideo perficite vt nulla pars orbis terrarum tantæ rei gestæ sit ignara, tantæ victoriæ fama vbique celebretur.* Agellius.

### *Victoria nulla illustrior quam qua vincitur vitiorum exercitus.*

20 *Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare.* In quo magnificus Deus declaratur? in hoc quod equum & ascensorem in mare proiecerit? non diuinæ potentię hæc actio videtur, sed etiam humanæ. verũ ad sensum mysticum recurramus, Philo lib. de agricultura sic ait: Equi sunt furor & concupiscentia, ille mas, hæc fœmina, ille vt mas gestit elata ceruice libertatem appetens, hæc vero callidior & seruilior, domum depascit, & deuorat vt fœmina, & denique reliquo exercitu Ægyptiorum cætus omnis adumbratur vitiorum; quid mirum igitur si Moyses simul cum populo Dei, hoc celebre concinit Eucharisticum carmen de proiectione equi & ascensoris eius in mare? victoria enim nulla illustrior quam quâ vincitur Dei supernaturali auxilio, vitiorum exercitus. fauet etc. Philo qui postquam dixit, exercitus Dei virtutes sunt pugnatrices prauarum animarum, quas vbi deuictum hostem viderint conuenit pulcherrimum hymnum canere datori Philo. victoriæ Deo, concludit, *Hymnus à choris ambobus canitur epodon mirabilem habens quem decantari*

*pulcherrimum est, sic autem se habet, cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare, meliori enim preconio victoriam inuenisse non licet quam qua vincitur petulantium quadrupedum agmen validum, hoc est afflictum.*

*Diabolum superbissimum in cælum conscendere volentem in profunda inferni deiecit Deus.*

21 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc equum & ascensorem eius proiecit in mare*, Plures è patribus tenent ipso ascensore Angelum reprobum adumbrari, sed nonne ille est qui dicebat ascendam in cœlum, super astra cœli ponam sedem meam? quomodo ergo in mare non solum deiicitur, sed in profundum illius? nam paulo post dicitur, descendit in profundum quasi lapis: quia quo quis est arrogantior & superbior, eo magis à Deo deprimitur vsque ad inferni profunda: doctrina est Ruperti c. 37. lib. 2. in Exod. *Cantemus Domino, quare? gloriose enim magnificatus est, in quo? equum & ascensorem eius proiecit in mare, hic mundus per equum, Diabolus per ascensorem significatur, ascensorem illum in cœlum ascendam dicentem, supra astra Dei exaltabo solium meum Isai. 14. detraxit & proiecit in istum aerem caliginosum, nunc autem sedentem super equum, id est super infrænatam stultitiam superbientium, & à se deceptorum hominum deiecit in profundum laci, in barathrum ardentis inferni, verumtamen inquit propheta cit. ad infernum detraheris in profundum laci.*

Rupert. Isai. 14.

*Deo eximia opera tribuunt sancti.*

22 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino.* Cur non dicitur Moysen cecinisse carmen sine additione particulæ *Domino?* potuit enim sic huiusmodi cantici exordium duci, cantemus quia deiectus est non solum equus, sed ascensor eius in mare: cur ergo non solum semel sed bis repetitur nomen Domini in initio huius cantici? quia Deo eximia vult sibi tribui opera: subscribit Orig. hom. 6. *Multa quidem cantica fieri legimus in diuinis scripturis, horum tamen omnium primum istud est canticum quod Ægyptiis & Pharaone submersis populus Dei post victoriam cecinit, moris quippe sanctorum est vbi aduersarius vincitur tanquam qui sciant non sua virtute sed Dei gratia factam victoriam, hymnum Deo gratulationis offerre,* Et Lippom. *Victoriam tam illustrem non sua etiam fidei sed diuinæ bonitati refert acceptam.*

Origines. Lippom.

*In recolendis Dei beneficiis, speciales gratiarum actiones referendas deberemus adinuenire.*

23 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino gloriose enim magnificatus est.* Nonne communi gratiarum genere potuit tam eximium recolere beneficium? cur igitur speciale carmen Eucharisticum cecinit? quia in recolendis Dei beneficiis, speciales gratiarum actiones Dei referendas deberemus adinuenire ad maiorem nostræ gratitudinis declarationem, consentit Oleast. *Solebant inquit olim sancti & populus Domini quotiescumque Deus sibi beneficium aliquod præstitisset dictare nouum canticum, quo non solum beneficii substantiam, sed circumstantias omnes complectebantur, & decantabant non solum cum magna, sed etiam cum par-*

Oleaster.

A *ua præstabat, quemadmodum sanctissima illa Anna Mater Samuelis pie impetrata à Domino prole præclarum illud canticum edidit.* O quot quotidie nobis à Deo conferuntur beneficia, & ita ingrati, vt non solum noua non adinueniamus cantica, sed etiam veterum immemores, tanquam si nulla nobis forent præstita, & recolere contemnimus.

*Bonum publicum particulari præferendum est.*

*Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino*, Chori erant duo virorum alter, cuius præcentor erat & dux Moyses, alter mulierum, quem 24
B gubernabat & moderabatur soror Mosis Maria pulsans tympanum. sed quomodo Maria, quæ nullum extrinsecum lætitiæ signum præbuit, cum incolumis frater suus Moses ex aquis euasit, aliis infantibus in iis suffocatis, nunc canticum laudis cum tympano exultabunda cecinit? quia bonum publicum (quale erat salus totius populi) præferendum & in maiori pretio habendum quam priuatum, quale erat fratris incolumitas. non alienus ab hac mente Procop. cum ait, *Maria quæ non gaudia testabatur, nec saltationem cum frater incolumis: item erat nactus ex flumine tractus nunc saltat vbi videt populum euasisse crudeles hostium manus.*

Procopius

*Recordatio de peccati ereptione gloriosa.*

*Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino*, Quid hoc cantico lætamini? quia equum & 25
C ascensorem proiecit in mare, synecdoche equi enim & ascensoris nomine omnis equitatus, imo & omnis exercitus Pharaonis intelligitur, quo omnium vitiorum multitudo adumbratur: quid? Deo laudes canitis ob recordationem peccatorum? ita equidem. sed non delectantem, sed gloriosam, qualis est illa quæ in perfectis reperitur qui deuicto peccato laudes Domino concinunt: tres enim sunt recordationes peccati, inquit B. Damianus serm. 79. qui est secundus in dedicatione Eccles. *Prima afficiens & delectans qua mala est, secunda exasperans & pungitans, quæ vtilis est, tertia gloriosa est, quæ perfectorum est, afficiens qua afficitur homo recogitans ad ollas Ægyptiorum quam delitiose, & suauiter vixerit, & quam sit arduum iter quod ingressurus est: recordatio pungitans est quod reminiscitur quam sordide & flagitiose vixerit, non*
D *vt ad priora redeat, sed vt digne defleat, & coram se statuat, vnde Dauid Psalm. 50. peccatum meum coram me est semper: tertia recordatio quæ dicitur gloriosa, est quando homo remedium fuerit & qua gratia de lacu miseriæ, & de luto fæcis liberatus sit, gratias agit dicens, non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo dans gloriam Psalm. 113. & cum Israelitis de Ægypti seruitute liberatus gratulabunde decantat dicens, cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare.*

B. Petrus Damianus. Psalm. 50. Psalm. 113.

*Qui voluptatibus indulget, in innumera labitur delicta.*

*Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino equum & ascensorem eius proiecit in mare*, At per equum non est dubium quin carnis libido & illecebræ voluptatum intelligantur iuxta illud Ierem. 3. equi & amatores & emissarii facti Ierem. 5.

sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat: per ascensorem huiusmodi equi, eum qui voluptatibus indulget, qui nescit tenere passionum suarum habenas, & quid agit Deus? proiecit in mare, an vt extinguatur illius ardor? nuquaquam, sed vt permittatur in innumera deinde labi delicta: testis Clemens Alexand. lib. 5. stromatum (Clemens Alexand.) *Gloriosè magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare: multiplex & belluinũ est quod appetitionis impetu fertur, vitam vnacum auriga qui ascenderat, & habenas laxat at voluptatibus in mare proiecit, in mundi deiiciens tumultus & perturbationes.*

*Dies resurrectionis Domini præ omnibus gloriosa.*

27 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, gloriose enim magnificatus est.* Ecce Hæbrei obrutis Ægyptiis eximio sunt affecti gaudio, nõne satis erat dixisse, magnificatum fuisse Dominum? cur addiderunt gloriosè, vel vt habet Onk magnificè elatus est? aduerte quod in vigilia matutina omnes Ægyptij submersi sunt, vt vidimus c. præcedenti, quæ explicans Rupert. ait, vigilia matutina ipsa est resurrectio Dominica, matutino namque tempore sedit Angelus ad sepulchrum Domini, & post profundam tristitiæ noctem, magni gaudii diem mulieribus & per illas fugientibus Apostolis, nobisque omnibus euangelizauit, hinc Psalm. 129. (Psal. 129.) à vigilia matutina vsque ad noctẽ speret Israel in Domino, quia ipse redimet Israel, quemadmodum filios Israel ex Ægypto, non magnificatum solum dixerunt, sed cur etiã gloriosè? quia licet in die natiuitatis suæ Christus Dominus magnificatus fuerit, & in die passionis suæ cum exaltatus fuit à terra, & cum dixit clarifica me Pater, at in die Resurrectionis suæ & gloriosissime clarificatus & magnificatus, quod Orig. (Origenes.) hic doctè expendit, *Quasi non sufficeret dicere magnificatus est, addit gloriosè magnificatus est, etenim aliud est magnificari, aliud gloriosè magnificari, nam cum Dominus meus Iesus cum carnem ex Virgine Maria pro nostra salute suscepit, magnificatus est quidem, quia venit quærere quod perierat, non tamen gloriose magnificatus est: magnificatus etiam est cum ad crucem venit & pertulit mortem. pater iam hora est & clarifica filium tuum vt filius tuus clarificet te; erat enim ei gloria ipsa passio crucis, verum gloria hæc non erat gloriosa, quando resurrexit certe tunc gloriosè magnificatus est, quia tunc & fœminæ exultant & viri ad lætitiam exultantur, & totus orbis tripudiare iubetur.*

*Sacra scriptura etiam & versuum dulcedine gaudet.*

28 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino.* An stricte recipiendum est carmen quod suis metricis pedibus constat? negat Scaliger in animaduersione in prologum Hieronymi dicens, in Hebræo, Syriaco, Arabico, & Abyssino idiomate, nulla metri species concipi potest, quia id natura sermonis non patitur: sed nimis inuerecundè & stolidè patribus asserentibus in sacro contextu vera esse carmina se opponit: carminum enim etiam dulcedo in eo reperiri debuit. subiiciamus auctores grauissimos ad huius veritatis confirmationem, Ioseph (Iosephus) lib. 2. antiq. cap. vlt. de nostro cantico scribens ait, Moyses carmen laudem Dei & ob præsentem fauorem gratiarum actiones continens hexametro versu composuit. Euseb. (Euseb.) lib. 11. de Præp. euangelica c. 3. sunt etiam apud eos (nempe Iudæos) artificiosissima carmina vt Moysi cantus ille magnus & centesimus decimus octauus Psalm. Dauid heroico metro quod hexametrum dicitur communiter, alia sunt quoque trimetra & tetrametra, sed quæ ad dictionem pertinent elegantissime, grauissimè, iucundissimè composita sunt. Et B. Hierony (B. Hierony.) sic ait Epist. 155. ad Paulam. Scire debes *inquit* in prioribus Psalmis singulis litteris singulos versiculos, qui trimetro iambico constant esse subnexos, inferiores vero tetrametro iambico constare, & alibi pluries, vnde in præfatione in Iob sic concludit, quod si cui videtur incredulum metra scilicet esse apud Hebræos, in morem nostri Flacci, græcique Pindari, & Alcæi, & Sapphus, vel Psalterium vel lamentiones Ieremiæ vel omnia fermè scripturarũ cantica comprehendi, legat Philonem, Iosephum, Euseb. Cæsariens. & eorum testimonio meè verum dicere comprobabit: legatur & Dauid Iachiaza in libello de hac re edito, quem Genebrard. latinum fecit, in quo decem & octo metrorum genera recensentur. (Dauid Iachaza.)

*Impius iumentum est Diaboli.*

*Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, equum & ascensorem eius proiecit in mare,* 29
Per ascensorem, non pauci ex sanctis patribus Diabolum intelligunt; quomodo hæc allegorica interpretatio stare potest? nam cum Diabolus sit velocissimus, nec in eundo fatigatur, cur equos habere dicetur? ad quid enim equos habet? imo & iumẽta habet quibus vehatur, nempe impios qui iniecto sibi cupiditatis & mali desiderii fræno, ab eo trahuntur ad illicitas voluptates, sic B. Hierony. (B. Hieron.) in Psal. 15. *Si te impius persequitur, scito quia equus est, sed eques est Diabolus, iste currit, hic lanceas superegerit: iste ducitur calcaribus & inuitus sæpe insanit, hic agit & stimulat.* Et Rich. Pampolit. (Richard. Pampolit.) in hoc cant. *Reprobus Diaboli vehiculum est.*

*Gratiarum actio magis Deo placet cum ab omnibus exhibetur qui beneficia receperunt.*

*Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino.* Et inferius etiam dicitur, quod Maria cum mulieribus idem canticum prosecutæ sunt. 30
nonne satis erat pro omnibus vnicum Moysem gratias rependere? cum enim esset omnium dux & gubernator, huiusmodi gratiarum actionem acceptã habuisset Deus, nõne à minimo ad maximum omnes liberati sunt ab Ægyptiorum tyrannide? nonne omnes siccis vestigiis mare transierunt? merito ergo non solus Moyses, sed vterque illius populi sexus, dicitur carmen Eucharisticum Deo cecinisse, quia gratiarum actio magis Deo placet cum ab omnibus exhibetur, qui beneficia receperunt, obseruatio est B. August. (S. August.) c. 21. de mirab. Scrip. tom. 3. *Cuncti simul pariter cũ fletis & omnes ætates eodem inspirati flamine vno quasi ex ore easdem continentes litteras, conspirarunt in vnum,* Quasi in hoc esset decus gratiarum si nec paruulus desideraretur eorum qui beneficia receperunt.

*Non auriga prudens, sed ascensor equorum imperitus, qui voluptates suas nescit coercere.*

31 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, equum & ascensorem proiecit in mare.* Cur non ait equum & equitem eius siue agitatorem? nam eques propriè est, qui equo insidet, agitator est qui calcaribus equum agitat: dicat igitur equitem eius siue agitatorem deiecit in mare. S. Ambros. discrimen agnoscit inter equitem & ascensorem, quod agitator siue eques cum disciplina & arte pro arbitrio equos mouet & agitat, ascensor vero proprium equum nescit gubernare. ne mireris ergo si Moyses non dixerit Deum, equũ & equitem vel agitatorem, sed ascensorem in mare proiecisse, quia non auriga prudens, non eques peritus, sed imperitus ascensor qui nescit suos affectus comprimere, suas voluptates coërcere, & ideo in mare præcipitandus. subiicio verba cit. Doctoris, Legimus alibi dicentem Ecclesiam, siue animam, posuit me currus Aminadab Cant. 6. si ergo anima currus sit, vide ne equus caro sit, agitator autem vigor mentis, qui regit carnem & motus eius velut quosdam equos prudentiæ habenis coercet. dormitauerunt ergo qui ascenderunt equos, corporis voluptates nullo eas moderamine gubernantes, vnde & ascensores eos quam equites vel agitatores maluit nuncupare: agitator enim cum disciplina & arte, pro arbitrio suo equos agitat, vel currentes incitat, reflectit indomitos, vel reuocat fatigatos, vel mansuetos pro sua voluntate conuertit: vnde cum reciperetur Elias, & curru quasi ad cœlum ferretur, clamauit ad eum Elisæus: pater agitator Israel, & eques eius, hoc est qui populum Domini bono ductu regebas constantiæ merito hos accepisti currus, hos equos ad diuina currentes, qui moderatorem te humanarum mentium Dominus comprobauit, ideo tanquam boni auriga certaminis victor æterno præmio coronaris. de equite autem lectum est, & eques cadet retrorsum, expectans salutem à Domino, etenim quia nemo sine lapsu est: etiam si quis ceciderit, & terrenis aliquibus vitiis fuerit implexus, si tamen non abiiciat spem resurgendi, fretus miseratione diuina, perueniet ad salutem: de ascensore vero manifestum est indicium, quod reprehensibilis habeatur, quando Moyses ipse ait in cantico Exodi: equum, & ascensorem proiecit in mare: & in Zacharia locutus est Dominus, dicens: percutiam omnem equum in amentia, & ascensorem eius in insipientia, non dixit solum equum, sed & ascensorem, quomodo & in Exodo habes, equum & ascensorem; vbi est enim ascensor, qui non potest equum proprium gubernare, equus fertur in præceps, & indomito furore in prærupta & periculosa raptatur.

S. Ambros. lib. de Nabuthe. — Cant. 6. — Psal. 75. — 4. Reg. 2. — Genes. 4. 9. — Zachar. 1.

*Voluptatibus illicitis deditus in mare barathri præcipitatur.*

32 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, equum & ascensorẽ eius proiecit in mare.* Cur in mare proiicitur? nonne lapidi illidere potuit caput ascensoris, vel terra obruere? potuit, vel aliquo punire supplicio, per equum non solum Hierony. sed Amb. cit. voluptates illicitas, & per ascensorẽ libidinosos intelligũt: sic enim secundus ait loco cit. nolite amare adhinnientes, nolite fremitu libidinis excitari, terribilis est Dominus & cui nemo possit resistere, iudicium cæleste iaculatur, en ergo vt vterque tam equus quam ascensor eius in mare deiicitur? quid enim aliud sperare potest libidinosus, quam tartaream abyssũ? fauet cit. Hieronym. in Psal. 32. *Audio equos hinnientes & non possumus præterire, scriptum est enim, equum & ascensorem proiecit in mare, præcipitur & Israel ne equos nutriant, denique Salomon quia quadrigas adducebat ex Ægypto, voluptate superatus est, non in fortitudine equi voluntatem habebit, equum & ascensorem eius deiecit in mare, insanientes in fæminas facti sunt mihi vnusquisque in vxorem proximi sui hinniebat loquitur Ierem. ergo super tales equos voluntatem Deus non habet.*

S. Hierony.

*Victoria Christi Domini in cruce de potestate tartarei Pharaonis.*

33 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, equum & ascensorem eius proiecit in mare,* Sed si ascensore Diabolus intelligitur quandonam victoria ab eo reportata? nam non tunc, cum submersi sunt in mari rubro Ægyptii, ab hac enim submersione & post eam dominabatur vniuerso: quandonam ergo eum in mare præcipitem dedit? & à quo tempore triumphus ab eo reportatus? respondet Abbas. Tuicensis, *Talem equum & ascensorem eius tunc proiecit in mare, tunc videlicet quãdo dixit, nunc iudicium est mundi, nunc princeps mũdi eiicietur foras Ioann. 12. & subsequenter protinus exponens actu quid dixerit, accepit cornua crucis in manibus Abac. 3. & ibi absconditá est fortitudo eius, & obreperit ausa mors deinceps victatrix ante faciem eius, & egrederetur Diabolus ante pedes eius, tunc proiecit, & ex tunc proiicere non desinit illum in mare, nobis quidem vitreum & spiritus sancti igne mixtum; illi autem piceum, igneumque sulphureumque: nam illud quidem mare quo transierunt filii Israel, vnum idemque illos emisit & illos absorbuit, verum mare nostrum quo baptizamur in nomine patris & filii & spiritus sancti, equum istum & ascensorem eius nequaquam admittit, sed dum nos per illud mare vitreum transit, ille in profundum inferni proiicitur.*

Rupert. Abbas. — Abac. 3.

*Obstinatus, præ aliis reprobis, equus Diaboli est.*

34 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, equum & ascensorem eius deiecit in mare.* Diximus ex sententia patrum equo adumbrari impios, quibus consensit Richardus Eremita, sed cum plures reproborum species quibusnam præcipuè tanquam equis vehitur ascensor eius nempe Diabolus? vel potius quinam sunt præcipuè peccatores quos tanquam equos Diabolus ad libitum suum regit & quocumque vult pertrahit? respondit Christopolitanus Episcopus: *Omnis peccator obstinatus dicitur equus Diaboli, eo quod cum fræno peccati præcipue tenet ipsum Diabolus ligatum, vertens ipsum ad omne scelus vnde per fræna superbiæ mouet hominem ad inuidiã & homicidium, per auaritiam mouet ipsum ad vsuram, rapinam & furtum, per luxuriam tanquam per frænum, & hamum ducit hominem ad adulterium, & stuprum, fornicationem, ad sacrilegia & ad maleficia.*

Richard. Eremit. in hoc cant. — Iacobus de Valent.

*Quo quis plura à Deo beneficia accepit, eo præ cæteris grates ei rependere tenetur.*

35 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino & dixerunt cantemus Domino*, in Hebræo, *cantabo Domino*. Cur Moyses prior cecinit? nonne & alii tenebantur ex victoria ab Ægyptiis reportata, & quod salui & incolumes euasissent Deo laudes decantare? cur ergo hic obseruatur quod prior Moyses illas intonet? vel cur non expectat Moyses quod ipsi referant grates debitas? aduerte Moysem plura à Deo beneficia in ipso transitu maris accepisse quam quemlibet è populo Israel: nam personale beneficium accepit sicut & quilibet alius nēpe liberari ab Ægyptiis, accepit & aliud tanquam dux, nempe quod sibi nullus è subditis perit, sed omnes sibi salui facti sunt. ne sciscitaris ergo cur prior laudem Dei decantet Moyses, quo enim quis plura à Deo accepit beneficia, tanto cumulatius gratias ei rependere tenetur. quod prosequitur Abulens. in hoc cant. *Monebat Moysem vt istud canticum inciperet, quia erat gratiarum actio pro beneficio accepto, qui ergo magis de beneficio recepit magis benefactori tenetur: quilibet autem de Israelitis beneficiū susceperat, quia liberatus fuerat à morte: maius tamen receperat Moyses quolibet aliorum, nam quilibet de populo suo, beneficium acceperat solum, Moyses autem non solum personale beneficium, scilicet sui ipsius, sed totius populi receperat, nam quicunque de populo perit sibi perit & alteri non perit, qui tamen omnes de populo duci subiecti sunt si pereunt non solum sibi pereunt, sed etiam duci regenti pereunt: sic dicitur ad Rom. 14. suo Domino stat seruus aut cadit, cum ergo Moyses totius populi dux esset, quod populus saluaretur ei saluabatur, quod populus periret ei peribat, ideo ipse super omnes & ante de redempto populo gratias agere tenebatur.*

Abul.

Roman. 14.

*Licet semper agendæ sint Deo gratiæ, sed præcipue cum omnium Dominum sese demonstrat.*

36 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino.* O Moyses nonne ingratus censeberis, quod cum Deus plura operatus fuerit mirabilia, vt Pharaonem induceret libertatem populo suo concedere, nullum tamen canticum Deo persoluisti? nonne omnium primogenitorum Ægyptiorum interitum vidisti? vbinam grates relatæ? cur ergo cum suffocatur omnis Ægyptius exercitus, & populus Israel mare siccis transit vestigiis, canticum hoc Deo persoluis? non est dubium quin in hoc miraculo præcipue se omnium Dominum demōstrauerit, ita vt ipsimet Ægyptii idolorū cultores & obstinatissimi nec non occæcati, exclamauerint Deū pugnare pro Israel. ne mireris ergo tunc Moysem carmen hoc Domino cecinisse, quia licet semper sint agendæ Deo gratiæ, sed præcipuè cum clarissimè se Dominum omnium creaturarum esse demonstret. consentit B. Cyrill. Alexand. in caten. apud Theodor. super hoc cant. *Visibile* inquit *miraculum hoc edidit vniuersitatis Deus, etenim cum in Ægypto quamplurima signa, & admodum admiratione digna ei ostendisset, addidit etiam hoc honoris sui agendi causa, vt qui in sua essent tutela ipsum mare pertransire possent: vt etiam piam deinceps & firmam*

Cyrill. Alexand.

A *mentem in se ipsis haberent, & iam crederent ipsum minime ex falsis Diis esse nimirum humana artis inuentum aliquod: sed vt intelligerent, cum Dominus totius vniuersitatis sit, ipsum omni creaturæ illius pedibus subiectæ imperare, & quodcumque voluerit facile perficere: an non omnem sensibilem & humilem hominum opinionem superat ille qui pro suo arbitratu creatura vtitur, & qui illius nutibus paret, ac inimicos qui suis propugnatoribus molestiam inferunt, subuertit non equidem natura aliquodam impetu id mare facit, sed & præter naturam, coactum voluntati paruit, nonne hic præstans est supra humanam opinionem qui fecit, vt suus populus per medium maris transiret, & veluti per continentem ambulans pelagus*
B *traiceret & qui sine labore omnes de medio sustulit & in fugam vertit, iniustum & impium Ægyptiorum populum festinantem eadem ingredi viam, vt à tergo ipsos caderet, & exclamantem contra fontes & hospites?* Et Euseb. Cæsar. in eadem catena, *Hoc primum canticum cecinerunt filii Israel cum sicco pede mare rubrum transiuissent, cumque insequentes Ægyptios vndis obrutos & demersos factos simul cum curribus & equis spectassent, inexpugnabilem enim Dei potentiam ante ipsos certantem & eos protegentem conspexerunt.*

Euseb. Cæsarien.

*Licet pro beneficio creationis & conseruationis agendæ sint gratiæ, sed præcipue pro lauacro regenerationis quo a peccatis redimimur.*

*Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino*, Cur tunc cum toties in quolibet miracu- 37
C lo perpetrato agere gratiarum actionem teneretur? nam nonne euasit incolumis in Madian quæsitus ad mortem à Pharaone? nōne omnes Israelitæ in innumeram aucti sunt multitudinem, licet diram tolerarent persecutionem? si ergo à Deo conseruati, vbinam est tanti memoria beneficii? cur ergo extunc nempe ex submersione Ægyptiorum in mari rubro laudes Deo decantant? diximus per transitum maris rubri in quo suffocati sunt Ægyptii, significari baptismatis sacramentum, Ægyptios vero insequentes abundantiam peccatorum, quæ vsque ad fontem baptismatis instant, vrgent, & premunt, sed tandem in eo suffocantur: non immerito igitur tunc Israelitæ Deo laudes decantant & concinunt, quia licet pro beneficio creationis & conseruationis agendæ sunt Deo gratiæ, sed præcipuè
D post lauacrum regenerationis cum à peccatis redimimur, *Post transitum maris rubri* inquit Isid. Hispal. *canit canticum populus Deo, & Ægyptiis & Pharaone submerso: non aliter & fideles, postquam de lauacro descendunt, extinctis peccatis hymnum in voce gratulationis emittunt, dicentes cantemus Domino.*

Isid. Hisp.

*Cum fontes puniuntur, maxime Deus exaltatur.*

*Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, gloriose enim magnificatus est.* Sept. *gloriose glorificatus est*, Onk. *gloriose exaltatus est*, In quo? 38
& qua de causa? equum & ascensorem eius proiecit in mare: si diceres qui populum suum dilectum primogenitum misericorditer liberauit, tacerem equidem, quia cum Dei sit proprium

miſereri & parcere, merito glorioſè magnificandus quod tantam in populum ſuum miſericordiam expendiſſet, cum eũ ab hoſtium perſecutione liberaſſet. ita vix capere poſſum quomodo in hoc quod equum & aſcenſorem vel vt habet Euthymius, quemcumque equum & quemcumque A aſcenſorem proiecit in mare, glorioſè magnificatus ſit: ſed mirari deſine, & firmiter tene cum impii & inſontes puniuntur, tunc Deum glorioſè exaltari. *Cæterum hoc carmen* (inquit Procop.) *extulit Deum, qui naturam rerum pro arbitrio mouet & nutu ad puniendos impios.* * Procopius.



## *VARIETAS LECT. Verſ. 2.*

V*Vlg.* Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem, iſte Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum.

*Sept.* Adiutor & protector factus eſt mihi in ſalutem.

*Cald.* Fortitudo mea & canticum meum Dominus terribilis, dixit in verbo ſuo, & fuit mihi in redemptorem, hic eſt Deus meus, & ædificabo ei ſanctuarium, Deus patrum meorum, & ſeruiam coram eo.

*Okn.* Fortitudo mea & canticum meum, timendus eſt Dominus.

*Pag.* Fortitudo mea & laus Dominus, & fuit mihi in ſalutem, iſte Deus meus, & tabernaculum faciam ei.

*Vatab.* Dominus eſt robur, & carmen meum, B qui fuit ſeruator meus, iſte eſt Deus meus, hunc decorabo, Deus patris mei, hunc extollam.

*Oleaſt.* Canticum eſt Iah, ſaluauit me, tugurium faciam ei.

*Cajet.* Fortitudo mea & cantus Iah, iſte el meus, habitabo cum elohe patris mei.

## *CONCORDIA.*

IN Hebræo pro laus non eſt תהלה tehilah quod propriè laudem ſignificat ſed זמרה zimerah, id eſt canticum vel cantatio, & ſanè verbum זמר zamar ſignificat apud Hebræos pſallere, ſed cum fragore vocis, vnde zomirat inuenitur ſignificare ſonitum, qui cum fragore fit. Amos 5. zimrah id eſt cantum ſeu canticum nablorum tuorum non audiam, conſtat autem ſonitum nablorum cum fragore fieri; & vbi habemus Dominus, in Hebræo eſt יה iah quod nomen putat Theod. eſſe idem cum nomine tetragrammaton, atque hoc à Iudæis quaſi per abbreuiationem pronuntiari: noſter autem Galatinus lib. 2. cap. 18 ſcribit à Iudæis nomen tetragrammaton יהוה reſolui in tria verba quæ reſpondeant tribus diuerſis litteris ex quibus hoc nomen conſtat nempe, יה ia הו hu והו vehu, primum ex prima & ſecunda componitur litera, ſcilicet ex iod & he hoc modo יה iah, quod idem eſt quod Deus & patrem deſignat, qui totius diuinitatis fons eſt, ſecundum vero nomen ex ſecunda & tertia littera ſic הו hu quod ipſe interpretatur & ſignificat filium, quia ipſe profectò eſt quem prophetæ ad ſaluandum genus humanum prædixerunt, & digito quandoque monſtrarunt, iuxta illud Iſaiæ 35. Deus ipſe C veniet & ſaluabit nos. tertium quoque nomen ex tertia & quarta componitur littera ſcilicet vau et he, ſic והו vehu, & idem ſonat quod & ipſe, & Spiritum ſanctum denotat, quia & ipſe quoque poſt filium mirabiliter mitti debuit, licet non eodem modo: in hoc autem quod ſecundum nomen deſcendit à primo, & tertium à ſecundo (nam littera he communis eſt primo & ſecundo nomini, vau vero commune eſt ſecundo & tertio) oſtenditur planè Filium eſſe conſubſtantialem Patri à quo genitus eſt, & Spiritum ſanctum & conſubſtantialem eſſe Filio qui conſubſtantialis eſt Patri, vt palam liqueat, & Filium eſſe in Patre, & Patrem in Filio, & Spiritum ſanctum in vtroque. *Iſte Deus meus*, in Hebræo, el, Hieron. ad Marcellã ait primùm nomen Dei eſt el, quod Septuag. θεὸς id eſt Deum, Aquila ethimologiam eius exprimens, fortem interpretatus eſt, noſter interpres rectè vertit Hebraicum verbum ואנוהו veanuehu & glorificabo, licet alii dixerint tabernaculum extruam ei, verum eſt tamen quod verbum naua etiam habitare ſignificat, & cum hic ſcribatur in hiphil, verterunt faciam ei tabernaculum vel habitaculum vel tugurium, eſt enim tugurium commorandi locus ei aptus, qui iter facit per deſertum: aduerte inquam noſtrum interpretem rectè vertiſſe & glorificabo, reſpexit enim ad radicem נאה vaa quæ ſignificat decorum, pulchrum, glorioſum eſſe, & propter affinitatem & commutationem litterarum vau & א ſæpe pro נוה naua ponitur, vnde & Septuag. ſic habent οὗτός μου θεὸς, καὶ δοξάσω αὐτὸν, vt tamen hanc rationem tabernaculandi Deo cum noſtro Vulg. qui verbo glorificandi vtitur, cohærere oſten- D damus, illud neceſſario aduertendum, quod erigere Deo tabernaculum ſeu domicilium, in quo habitet, ipſum glorificare eſt: quia de diuinitate illius teſtamur, qui tale operatur, ſiquidem templum ſoli Deo ponitur, & etiam ſi interdum ſub alicuius ſancti memoria, & inuocatione ponatur id fit ſecundario, primario tamen ad Deum refertur, cui in illo ſacrificium offertur, ſicut videre eſt apud Suar. tom. 2, 3. part. diſp. 53. quæſt. 3. qua de re videndus eſt Bellarmi. lib. de cultu ſanctor. c. 5. to. 1. vbi proſequitur diſcrimen inter baſilicas & templa quæ ſoli Deo ædificantur, ideoque theologi ex eo quod Apo- Suarez.

stolus 1. Corint. 6. Spiritui sancto templum tribuit, membra nostra templum sunt Spiritus Sancti, diuinitatem merito colligunt. hinc possumus etiam dicere ad sensum potius quam ad verbum transtulisse, tamen optime vt sæpe aliàs facere solent, cuius rei vnum modo afferam exemplum, licet plura suppetant v. g. cant. 1. iuxta Hebræam proprietatem habetur & digiti mei pleni myrrha transeunte seu transmittente, vulg. tamen vertit Myrrha probatissima, id est electissima seu optima, nimirum quia cuius Myrrhæ odor est transiens sine longè lateque transmittens & fundens, illa probatissima est etiam hoc in loco, quia proprium est Dei templa habere & in eius solius gloriam & honorem eriguntur & extruuntur, ideo dum textus Hebræus promittit Deo erigendum tabernaculum, vulg. promittit ei gloriam & honorem.

## EXPOSITIO.

*Fortitudo mea Dominus*, Quasi diceret, Ægyptiorum fortitudo in equis ac militum robore tota sita erat, at fortitudo mea & laus mea Dominus. aduerte quod licet nomina abstracta magis placeant sanctis patribus quam concreta cũ de Deo prædicantur, vt videre est apud Dionys. Areop c. 4. & 5. de diuinis nominibus, vbi ait Deum non tam esse bonum, pulchrum, & sapientem, quam pulchritudinem & sapientiam, tamen hoc loco sicut & in aliis pluribus accipitur fortitudo pro concreto, idque actiuè seu in sensu causali seu formali, vt sit sensus, Deus qui fortis profligauit hostes Israelitarum, fortem & constantem reddidit Moysen, & licet in his verbis, *laus mea*, abstractum sit etiam pro concreto, non tamen actiuè sed passiuè, sicut legimus in Psalmis, tu es patientia mea, spes mea, expectatio mea, id est in quo spero, quem sustineo quem expecto.

*Et factus est mihi in salutem.* Particula & significat quia, sic enim sæpè particula hæc sumenda vt causam reddat: itaque idcirco laus mea suple erit, hoc est ipsum laudabo, quia mihi & contribulibus meis omnibus salutem attulit. *iste* quasi diceret, non dii aliarum gentium aut Ægyptiorum, sed hic solus qui vos ita gloriose protexit, iste inquam Deus meus, natura sua semper & omnibus Deus, nunc autem merito suo, & data mihi fœlicitate dignus vt à me pro Deo vero colatur.

*Et glorificabo eum*, Cultum ei soli Deo debitum exhibendo, sed quia in Hebræo est *faciam ei tabernaculum*, sic etiam explicabimus tabernaculum faciam, non quod cumque sed humile, & sanè tale quale est pastorum, nempe tugurium vel casulam, domunculamque campestrem, videbat enim populus Dominum in columna illa habitare & indignum sibi videbatur ei, qui sibi tot beneficia contulerat non ædificare aliquam ædem aut tabernaculum, sicut postea Dauidi indignum est visum, vt ipse habitaret domum cedrinam arca vero Dei sui sub pellibus. nec inurbanum videri debet, quod Moyses & populus polliceantur se facturos Deo tugurium pastoritium, & tabernaculum humile, tempori namque & loco inseruiunt, est enim tugurium seu tabernaculum commorandi locus ei aptus, qui iter faciens per loca deserta non habet stabilem mansionem.

*Deus patris mei*, Addit hoc Epitheton Moyses, primo, vt indicet se agnoscere quod incipiat Deus complere ea quæ patribus promiserat, adeoque etiam maiora sperare, imo & ipsius Palæstinæ possessionem, quia hanc patribus non solum pollicitus fuerat, sed etiam tempus quo sua promissa impleturus esset dignatus fuerat significare, atque id sciebat Moyses iam esse completum. posset secundo etiam esse illa ratio huius epitheti quia voluit Moses Iudæos (quos per experientiam sciebat esse in veri Dei cognitione & cultu admodum rudes) hac ratione excitare ad constantiam, in maiorum suorum religione & pietate, atque in eiusdem Dei cultu; sed mihi etiam videtur quod nomine patris mei intelligit Abraham, qui præcipuè vocatur pater Hebræorum, tum quia in eo cœpit electio populi, quando scilicet Deus ei & semini eius benedixit, quia circumcisionem accepit tanquam signum distinctiuum populi Dei ab aliis populis: deinde propter merita ipsius Abrahæ, Deus benefaciebat populo, & adimplebat promissiones Abrahæ factas, sicut loquitur scriptura Genes. 18. vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ei Deus. (Genes. 18.) cum ergo apertum sibi diuinitus per mare rubrum viderint Hebræi iter ad promissam Abrahæ terram, rectè illius meminere, cui Deus sponsionem iam pridem fecerat, cuiusque meritũ in adimpletione respiciebat: si autem velis recurrere ad synecdochen singularis numeri pro plurali, dices nomine Patris mei, alios duces Patriarchas Isaac & Iacob intellexisse, qui etiam patres populi Hebræi in scriptura nuncupantur.

*Et exaltabo eum*, Metaphoricè quidem, sed valdè conuenienter, multiplicem Moyses Deo altitudinem tribuit, qua super omnia excellit, primum enim excellit omnibus rebus altitudine substantiæ, qua quicquid in rebus sparsum est, ipsa cum quadam infinita eminentia continet, deinde excellit altitudine scientiæ, omnem intelligentiam creatam, siue illa sit humana siue Angelica; tertio altitudine potestatis, cui nemo potest resistere, quarto altitudine maiestatis, qua ad sui obedientiam & adorationem omnia subiicit, *vel exaltabo eum*, idest altissimum prædicabo.

## CONCEPTVS.

*Illud in primis agnosci debet beneficium, quo quis à Deo in salutem erigitur, quando innumeri alij permittuntur perire.*

39 F*Ortitudo mea & laus mea Dominus & factus est mihi in salutem.* Merito Moyses, vt se incolumem vidit in communi Ægyptiorum naufragio, tanti beneficii memor totus exurgit in diuinas laudes. sed expende, quam lætabundius laudet Dominum, & quid præcipue miretur in eo laudando: non solum enim laudat Deum sibi propitium, & salutarem absolutè, sed etiam cum respectu ad præsentem circumstantiam, quod vbi validissimi Ægyptiorum exercitus, potentissimi principes perditioni dabantur, ipse ex Deo, salute potiretur: magnum fuerat ab Ægypto demitti, magnum etiam tantam ab Ægyptiis accipere gratiam, vt aureis ditarentur vasis, sed nunquam in his Moyses canticum cecinit Domino, vbi autem submersis Ægyptiis vidit se sanum, statim exurgit in Dei laudes, cur modo potius quam antea? nisi quia nullum beneficium debemus sic celebrare & recognoscere, vt illud quo cæteris perditis, nos saluamur, cecinit D. Alcimus. lib. 5. qui postquam descripsit interitum infœlicissimum Pharaonis & totius sui exercitus adhuc canit.

Alcimus.

*Et vacat hos inter plebs Hebræa tumultus,*
*Interea pugnante salo, victique quietus*
*Israel, solo peragens certamina visu,*
*Dum vallis coniecta perit fluctuque reverso.*
*Dicitur extentum planati gurgitis æquor,*
*Exponitque suum pelagus super arua triumphum,*
*Ergo Deo dignas isto certamine laudes*
*Atque rependurus memori tot munera mente,*
*Inclytus egregium solemni carmine ductor*
*Describit toto, quod psallitur orbe, trophæum.*

Merito vobis dux curat laudes æternare beneficii illius quo se videt liberum inter tot ruinas perditorum, & ducum, id quod amplius extollit Orig. hom 5. fatus, equum & ascensorem proiecit in mare, adiutor & protector factus est mihi in salutem, sunt etiam equi qui ascensorem habent Diabolum, & Angelos eius, nec non alii Patres, per equos reprobos intelligunt: cõsiderat Orig. innumeram multitudinem equorum id est hominum bestialiter viuentium, simul & ingentes Angelorum copias, qui omnes miserè pereunt inter tantam hominum, & Angelorum perditionem, quod vnus saluetur populus, siue vnus homo. qualis ergo tam fœlix homo erit ad liberatorem suum?

### *Vero Deo vera debetur adoratio.*

40 *Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem iste Deus meus & glorificabo eum.* Cur non prætermisit pronomen demonstratiuum *iste*? nam nonne satis erat dixisse, Dominus factus est mihi in salutem, & deinde subiicere, Deus meus glorificabo eum, nempe cultu & obsequio sibi debito? cur postquam dixit iste Deus meus, subiunxit glorificabo eum? non sine emphasi, pronomen demonstratiuum sibi proposuit, *iste*, sed vt referret Dominum, in quem omnem suam spem coniecerat, hunc inquam verum esse Deum, & ideo se eum glorificaturum, id est tanquam vero Deo cultum latriæ daturum, consentit Sanctus Basilius apud Lippom. *Demonstratiuo pronomine* iste *nomen illud, quod cum aliis verè communicari non potest declarauit perinde quasi diceret, populus Hebræus, hic est vnus Deus nõ falso nomine non mentita diuinitate, Deus nuncupatus, quales erant quos in Ægypto colebamus, idcirco hunc glorifico, illum adorabo, illi soli seruiam, hunc enim Patrum nostrorum colemus nihil humile abiectum de illo cogitatione formantes, sed illum verum Deum esse agnoscentes.*

S. Basilius.

### *Iusti ex beneficijs peculiariter Deum sibi nominant.*

41 *Fortitudo mea & laus mea Dominus.* Cum tot constet Deus nominibus, cur eum vocat hic fortitudinem suam? quia iusti ex beneficiis peculiariter acceptis Deum nominare solent, quemadmodum ab eo qui in bello consecutus est victoriam Deo auxiliante, sic inuocatur Psalm. 17. diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus, fuit enim ille Psalmus à Dauide conditus, quando liberatus est de manu Saulis & de omnibus inimicis suis, vt titulus, eidem Psalmo præfixus denotat, quando vero à mentis caligine & cæcitate ne in hostium manus incideret liberatus est, sic Deũ inuocat Psalm. 26. Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo? & Apostolus ab insigni Dei misericordia quam in se fuerat expertus 2. Corinth. & à magnis consolationibus quas in periculis positus per Paracletum acceperat, Deum vocat Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: quam veritatem confirmat Dionysius Areopag. cap. 1. de diuinis nominibus, dicens *Inuenies omnem vt ita dixerim theologorum laudationem ad beneficos diuinitatis progressus exponendos atque laudandos, diuina effingere nomina.* & infertius, *quoniam vero vt bonitatis subsistentia ipso esse suo est subsistentium causa, boni auctorem, summæ diuinitatis prouidentiam ex omnibus creatis laudare conueniet,* cui subscribit Oecumen. in cap. 1. Epist. ad Ephes. *Deum, inquit, semper iuxta subiectam materiam appellat, Deum misericordiarum vocans, & Deum pacis & Deum virtutum, vnum autem ipsum Patrem gloriæ vocat, maximam enim gloriam & honorem donauit generi humano, quæ omnia vobis tradita generali appellat nomine gloriam per vocabulum apud nos magnificentiæ:* hæc igitur fuit causa cur Moyses qui Deum omnipotentem in sui ac suorum liberatione fuerat expertus, & à quo salutem & libertatem fuerat consecutus, eumdem appellauerit & fortitudinem suam, & laudem suam sibique in salutem factum prædicauerit.

Psal. 17.
Psal. 26.
Dionysius Areopag.
Oecumen.

*Non proprias laudes sed Dei gloriam in recte factis quæramus.*

42 *Fortitudo mea & laus mea Dominus.* Quid ais ô Moyses? Deo videris adulari, nonne in te fuit maxima fortitudo quam pluries ostentasti? nonne iussu regis Pharaonis bellum gessisti aduersus Æthiopes depopulantes Ægyptum, eosque fugitos & profligatos compulisti in sabas eius gentis regiam recipi? nonne tuam exercuisti fortitudinem, dum Ægyptum percutientem quemdam ex fratribus tuis Hebræis occidisti? nonne iuxta eam operatus es, dum septem filias sacerdotis Madian à pastoribus, qui eas deiecerant ab adaquatione, defendisti, imo & liberasti? nonne eamdem testatus es, dum audacter Regem adiisti tibi obstinatissimè repugnantem, B & contempsisti tibi ferocissimè comminantem? nonne incredibili fortitudine omnis pœnitus periculi securus, munus tibi à Deo iniunctum liberandi populum intrepidè & animosè persecuti? vnde Paulus tuam celebrans fortitudinem ad Hebræ. 11. Moyses relinquens Ægyptum, non veritus animositatem Regis, vbi vox Græca iracundiam, indignationẽ, & ferociam significat, & Syriacè habetur, neque reformidauit Regis furorem, cum igitur constet de propria Moysis fortitudine, quomodo inclamat, fortitudo mea & laus mea Dominus? quia licet aliquid laude dignum gesserimus, non tamen proprium encomium, sed Dei, à quo omne bonum est, gloriam quærere debemus, ipsique omnia tribuere, sic explicat hunc versum noster Titelmanus. *Omnem hanc victoriam cum laude & cantico ascribo ego Domino Deo nostro qui est fortitudo mea, illa tota per quam tam præclara mihi contigit de inimicis meis victoria, quam meis propriis viribus spes nunquam fuisset, consequendi.* C

Hebr. 11.

Titelman.

*Salus nostra Deo tribuenda, & propter hanc solus celebrandus,*

43 *Fortitudo mea & laus mea Dominus, factus est mihi in salutẽ.* Nonne cuilibet bono operi sua quæque laus tribuitur? suæ autẽ animi constantiæ debetur hæc victoria, quam ab omnibus hostibus retulit, nam non exhorruit regem ipsum cum validissimo exercitu insequentem, licet antè mari rubro, à tergo autem exercitu Ægyptiorum circumuallatus, & circumclusus teneretur, dixit populo quasi desperato, nolite timere: cur ergo hanc omnem gloriam & victoriæ & salutis suæ laudem non aliquomodo prædicat suam? quia salus nostra & victoria ab hostibus nostris, soli Deo tribuenda, & propter hanc solus ille celebrandus laudibus nostris, quod ab illis viginti quatuor senioribus viuentem in sæcula sæculorum adorantibus coronas suas ante thronum mittentibus significatum est, cumque dicerent, dignus es Domine accipere gloriam, & honorem & virtutem: in quæ Hugo Cardin. *Mittebant coronas suas, victorias scilicet quas de Diabolo & peccato per ipsum obtinuerant, ipsi attribuendo, & quicquid boni habent ad ipsum retorquendo, vtrumque enim significatum per coronam scilicet victoria, quia corona non datur nisi victoriæ*, interpretatur autem id quod dicebant dignus es Domine, *tu es qui dignos nos facis, &c.* Et Andreas Cæsari, *tu Domine coronarum victoriæ auctor & subministrator fuisti*, cui consonat Aretas dicens qui coronas ante thronum obijciunt, quid aliud quam certum ac verum regnum & victoriam aduersus omnes deos, per omnia referunt? quod paucis comprehendit Richardus Pampolitanus, *fortitudo mea, per quem fortis sum, laus mea Dominus, per quem laudabilis sum.*

Apocalyp. cap. 1.

Hugo Card.

Andreas Cæsar.

Aretas in Apocal.

Richardus Hermhic.

*Gratus animus beneficia communia tanquam propria ducere debet.*

44 *Fortitudo mea & laus mea Dominus factus est mihi in salutem.* Quid ais Moyses? nonne omni populo Hebræorum factus est Dominus in salutem, cùm non solum eum à tyrannide Pharaonis in Ægypto, nec non ab infesta eiusdem persecutione extra Ægyptum liberauit? nonne liberum per mare transitum ei concessit, sicut & tibi? cur ergo communem gratiam, specialem tuam esse asseris? cur non dicis sicut tibi sic etiam omni populo factum esse in salutem? quia gratus animus communia beneficia tanquam propria ducit, vt se magis obnoxium prædicet, sic annotat Dionys. Carthus. *Hoc ad seruum Deo specialiter gratum, deuotum, fidelemque pertinet, vt de generalibus beneficiis creatoris speciales laudes & grates referas Domino, quasi sint sibi soli condonata ab illo.*

Dionys. Carthus.

*Optimus princeps suorum & bona & mala tanquam propria ducit.*

45 *Fortitudo mea & laus mea Dominus, factus est mihi in salutem.* Nonne diximus in præcedenti conceptu, non solum Moysem, sed etiam vniuersum Israel, hoc à Deo beneficium consecutum, vt saluus & incolumis per mare, in quo omnes Ægyptii periere, transiret? cur ergo hanc gratiam omnibus concessam, hanc omnem redemptionem, sibi tanquam specialiter factam prædicat? quia optimus princeps & gubernator populi, qualis erat Moyses, subditorum bona & mala tanquam propria debet ducere. *Idoneus enim*, inquit Sanctus Bernardus sermone 30. in Cant. *Et dignus plane qui paratur custos in vineis quem propria cura vineæ à commissarum diligentia & solitudine non impedit aut retardat, dum non quærit quæ sua sunt, neque quod sibi vtile est sed quod multis, propterea sancto Petro cura ista credita est in tam multis vineis, quæ erant de circumcisione, quia paratus erat, & in carcerem & in mortem ire, vsque adeo sua vinea, idest sua anima non detinebatur affectu, quominus curæ intenderet creditarum.* D

S. Bernard.

*Quos Deus æstimat, eos charissimos habere, eos venerari debemus.*

46 *Fortitudo mea & laus mea Dominus factus es mihi in salutem, Deus patris mei & glorificabo eum*, Quis est Deus patris tui, quem exaltaturus es? cur non ais absolute, tu es Deus meus & glorificabo

eum? diximus Deum patris sui intellexisse Abraham, aduerte ipsum Deum qui apparuit Isaac, dixisse, ego sum Deus Abraham patris tui, quæ declarans Chrysost. hom. 52. in Genes. ait, *Ostendit quomodo sibi vendicarit & proprium fecerit Abrahamum, & ita dignatus se Abrahæ Deum vocare Dominus & conditor orbis, vnius hominis Deum se dicens, non concludit & abbreuiat cum Patriarchæ appellatione Dominum suum, sed magnam in illum suam beneuolentiam monstrat, ita eum inquam mihi feci proprium, vt apud me reputetur tantus, quanti alii omnes.* En quomodo Deus maximo in pretio habet Abrahamum! quid ergo mirum si ipse Deus tantopere de Abrahamo gloriatur vt cæteris hominibus imo & rebus omnibus omissis, solius Abrahæ se Deum prædicet? ipsum Moysem & Hebræum populũ ab Abrahamo prognatum de eo tantopere gloriari cum videant rerum omnium creatorem vnius Abrahami Deum se dicere?

S. Chrysost.

*Parentum religio, probitas, & nobilitas, multum conducit in filiis, ad virtutum imitamentum.*

47 *Fortitudo mea & laus mea Dominus, Deus patris mei, & glorificabo eum,* cur Deum patris sui nempe Abrahæ nominat? cur ante oculos populi sui communem parentem obiicit? obiicit merito parentis obedientissimi, Deo fidelissimi virtutem, probitatem, nobilitatem, vt illius contemplatione eam imitarentur & amplecterentur, maxime enim parentum religio & nobilitas filios inducit ad virtutes amplectendas. vnde iusta est querela quam nobilitas generis proponit apud Philon. lib. de nobilit. vbi illa sic loquitur ad posteros degeneres, *Gentilitas non solum sanguine æstimatur apud veritatem iudicem, sed factis studiisque similibus, at in contrariũ vos contenditis, quæ odi, amatis, quæ probo, improbatis, & aduersamini, apud me honor est pudoris, veritatis, moderationis, modestiæ, innocentiæ, apud vos in nullo pretio habetis, cum tamen domestica exempla habeatis ad virtutem, obscuri in familiis sanctatis maiorem splendorem, atque gloriam: & cum abundetis domesticis exemplis, nulla vobis insunt maiorum decora, propter vestram negligentiam:* Hinc est quod tres pueri nobiles ex semine regio quãtumcumque viderint cæteros homines, statuam Nabuchodonosoris adorare, ipsi minimè eandem adorarunt, quod Theodor. oratione in Danielem ad nobilitatis, quam à parentibus acceperãt, contemplationem refert, sic enim ait, *videbant omnes imperata facientes, qui & metu & voluptate seruire consueuerant, soli autem beatissimi illi adolescentes patria nobilitate incorrupta, in ipsa etiam seruitute, retenta, renuerunt adorare, Vera enim nobilitas etiam in captiua nobilitate captiuos detinet nobiles ne à nobilitate sua in seruitute degenerent, & religione deficiant,* Si semel parentum religionem, & veram attente consideremus nobilitatem, ad virtutum eorum imitationem incitabimur, sed clarius Oleast. *Quemadmodum homo sequitur in moribus parentes suos, & eos referre conatur, ita & in religione & cultu Dei, vnde Deus de Iudæis conqueritur Deuter. 32. quid eos sequuti sunt deos quos non coluerunt?*

Philo lib. de nobilit.

Theodoret.

Deuter. 32.

*Non sat est Deum laudare, nisi etiam & externe seruias in templi sui cultu aut effectu aut affectu.*

*Fortitudo mea & laus mea Dominus.* Nam quemadmodum ipse est fortitudo nostra, ita debet ipse esse quem solum laudare debemus: deinde prosequitur, *iste Deus meus, & glorificabo eum,* Oleast. *tugurium faciam ei,* Alij, *tabernaculum,* Cald. *sanctuarium extruam ei.* Quid? nonne satis est eum laudibus extollere? sua beneficia canticis celebrare? fortitudinem suam prædicare? denique omnia sibi tribuere? cur ergo pollicetur adhuc tabernaculum vel sanctuarium ei ædificaturum? non equidem satis, nisi etiam ei seruias externe in templi sui cultu, vel effectu vel affectu: suffragatur Oleast. *Non est laudibus Deum extollere nisi etiam templum facias aut ornes, volo dicere nisi etiam externus ei seruias, ornanda sunt altaria, templa construenda, & omnia quæ ad eius cultum pertinent, multiplicanda & decoranda; quæ si præstare nequeas, bonus Deus tuum animum faciendi libenter acceptat: de hac re mirabile exemplum audite ex scripturis cogitabat semel Rex Dauid de constituendo templo Deo suo, tractans cum Nathan Propheta; quàm indignum esset in domo cedrina habitare, arcam vero Dei sub pellibus esse, voluitque ei domum ædificare, laudauit Dominus serui sui Dauidis animum quo ædificare domum disposuisset & admonuit dicens non ædificabis mihi domum vt filius Salomon de ea refert fuit inquit 2. Paralip. in corde Patris mei ædificare domum nomini meo, benefecisti, quia fuit in corde tuo, vbi vides quanti faciat Deus voluntatem ædificandi domum in Dauide, pro qua domum illi ædificauit stabilem.* 48

Oleaster.

2. Paralyp. 6

*Deus ita suorum amator, vt velit eorum esse fortitudo.*

*Fortitudo mea & laus mea Dominus.* Non solum ipse Moyses cecinit, sed etiam id omnis populus cum eo, cur ô Deus ita eximiam fortitudinem populo tuo non concessisti, vt grates rependens diceret fortitudinem nobis dedisti ad debellandos inimicos, tibi obstrictissimi manemus? Deus nequaquam eos fortes, sed potius imbelles voluit esse, quia eos tanto affectu diligebat, vt eorum vellet esse fortitudo, testem do cit. Oleastrum. *Ista est causa quam populus iste licet fuerit numerosus, fuit tamen imbellis & ineptus ad arma, quia Dominus voluit esse fortitudo eius.* 49

Lusitan.

*In maiorum sancta religione, stare debemus immobiles.*

*Fortitudo mea & laus mea Dominus, iste Deus meus & glorificabo eum Deus Patris mei & exaltabo eum.* Cald. Sanctuarium extruam ei, vt ipsi semper seruiam, & quis ille Deus tuus, cui tanto affectu cultum exhibiturus es? iste Deus Patris mei, & deinde: iste Dominus regnabit in æternum, Deus est non quicumque, sed Patrum meorum, qui regnat & regnaturus est in æternũ, & ideo illi sẽper honorẽ exhibebo, iustũ est enim vt in sancta Patrum meorum religione perseuerans maneã, sic paraphrasticè loquitur noster Titelm. *Iste est Deus meus viuus & verus, & extra eum alius nemo, quem vnum colere & adorare volo, quẽ solum pro Deo* 50

Noster Titelman.

*vt est, propono agnoscere, & illi vni vt dignum est dabo honorem & gloriam diuinitati debitam, ipsum solum adorabo, ipsum inuocabo, non Deus recens est, iste meus Saluator, sed est ipse idem Deus meus quem coluerunt patres mei Abraham, Isaac, & Iacob, ac cæteri, quique etiam illis fuit protector & Saluator, eum magnificabo quantum potero in laudibus & canticis.*

A

## *In se confidentes superbia præcipitat, in Deo fidentes ab ipso saluantur.*

51 *Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Sed cum de aduersariorum condemnatione, de Ægyptiorum submersione loquitur, postquã de Deo sermonem instituit eius decãtaus præconia, cantemus Domino glorificè magnificatus est, non addidit coniunctionẽ, &, dicẽs *& equum & ascensorem eius deiecit in mare*, cur hic non addita, additur in hoc versu cum de Deo est sermo, fortitudo mea Dominus & factus est mihi in salutem? emphaticè quidem, quasi Moyses diceret ascensor ille, qui in viribus suis confidebat, præcipitatus est in mare, sed à quo? à tumore, ab arrogantia sua, à superbia enim à qua eriguntur, ab eadem deprimuntur. sed qui in solo Deo confidunt, qui non aliam fortitudinem quã ipsius Dei fatentur, ipse Deus est eorum salus & redemptio. hunc sensum habet Epis. Acernensis. *Illorum fortitudo in equis ac militum robore sita est, fortitudo mea & laus mea Dominus, illos superbia & vanus tumor vel potius furor deiecit in mare, at vero mihi ille Dominus in cuius fortitudine tota spes mihi pendet, de cuius magnitudine glorior, factus est in salutem.* Agellius.

## *Deridetur tandem ab humilibus impiorum superbia.*

52 *Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem, iste Deus meus glorificabo eum.* Cur pronomen demonstratiuum *iste* addidit? nam oratio facilior esset, si tantum dixisset, Dominus factus est mihi in salutem, glorificabo eum: cur ergo postquam eum saluatorem suum agnouit, subiungit, iste Deus meus? in memoriam reuocate quæ superbè & impudenter Pharao respondit Moysi dicenti, Deus Hebræorum vocauit nos, ipse autem, quis est Dominus vt audiam vocem eius? merito igitur hoc pronomen demonstratiuum *iste* hic positum est, ad illudendum arrogantiam Pharaonis dicentis quis est Dominus? nunc autem Moyses quasi ei satisfaciens, ait iste Deus est, qui te in mare præcipitem dedit. *Hæc verba* (inquit Agellius) *quasi ob improperantem Pharaonis perfidiam referuntur, nam quia ille Moysi Domini iussu nuntianti vt dimitteret filios Israel, superbè dixerat, quis est Dominus vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? nescio Dominum & Israel non dimittam, deridens hic superbiam eius, reddit, iste Deus meus & glorificabo eum, quis est Dominus quæris, non tam verbis edoctus quam tuo maximo malo eius potentiam disce, iste Deus meus quem te nescire professus es, at vide nunc magna sua potestatis indicia, & ex factis intellige quis sit Dominus.* Episcop. Acernensis.

## *Deus ita suorum amator, vt secum eos velit habitare.*

*Fortitudo mea, & laus mea Dominus, iste Deus meus glorificabo eum,* Cald. *sanctuarium faciam ei,* Cajet. *habitabo eum, vel cum eo.* Quid? ita ne præsumptuosus est Iudæus, vt audeat regi suo dicere, habitabo tecum, sub eodem tecto manebo? quomodo ergo ait Moyses de Deo sermonem instituens, habitabo cum eo? quia Deus ita suorum amator, vt secum eos velit habere idem habitaculum, & vt habet Oleast. tugurium, mens est Card. Cajet. *Sensus idem est nos habitare cum Deo & Deum, non enim aliter habitamus ipsum, quam cum ipso existentes, mente, votis, affectibus atque operibus, & apte, quia Deus est fortis meus: subditur quod non habitabo eum cum alio, sed cum ipso, imo ipsum, hoc est habitaculum eius, vt se curus habitem.* 53 Cardin. Cajet.

B

## *Deus ita suos efficaciter adiuuat, vt sibi eum præsentem cernere videantur.*

*Fortitudo mea & laus mea Dominus iste Deus meus, & glorificabo eum.* Quisnam iste? an aliquem intuemini præsentem? respondent Iudæi à suis prædecessoribus tunc visum fuisse clarius, quam à Prophetis. sed cum istius assertionis nullum sit fundamentum: dicemus, licet visibiliter ab eis non sit cõspectus, tamẽ ita efficaciter eos in suo discrimine adiuuabat, vt quasi dicere possent, se Deũ præsentem cernere: sic explicat Agellius *Tanta fuit in re adeo diuinæ virtutis ostensio & euidentia, vt pæne oculis illum præsentem atque propitium hostibus infensum cernere viderentur.* 54 Agellius.

## *Christus Dominus gloriam suam ducit in præsepio pro nobis iacere.*

C

*Fortitudo mea & laus mea Dominus, iste Deus meus & glorificabo eum.* Iste (inquit Richardus eremita) Christus est largitor tantæ gratiæ, sed ô Moyses in quo hunc Dominum glorificabis? quę enim est omnium tam hominum quam Angelorum gloria? in quo glorificabitur? quis ei gloriam tribuere potest? versionẽ Oleast. pendamus *tugurium faciam ei*, in hoc eum glorificabis in construendo illi tuguriolo? si diceres magnificum, sumptuosum illi templum ædificabo, in aliquo eum glorificares, sed qui regi potentissimo, tuguriolum præparare sibi in habitaculum polliceretur, nonne imprudens censeretur? quomodo ergo Moyses vt Deum glorificet, dicit tugurium se ei præparaturum? considerabat eum in loco præsepij futurum, & dixit quod in tuguriolo ædificando eum glorificaret, sciebat enim Christum Dominum suam gloriam ducere sub tuguriolo in quo erat præsepe pro nobis habitaturum, cuius loci gloriam, & magnificentiam describens ex Christo, qui in eo iacebat, Cypria. de natiuit. Domini dixit. *Ornamenta quæ aderant etiam si adessent non haberẽt oculos inspectores, quia præsentia paruuli sic eorũ qui aderãt oculos occupauerat, sic corda illexerat vt in summo bono omnium bonorum vnita collectio videretur, nec opus erat euagari per partes, quod simul in se vno fidelibus omnipotens infantia præsentabat.* 55 S. Cyprian.

D

## *Laudes Deo dictæ sint cum humilitate & deuotione.*

*Fortitudo mea & laus mea Dominus, iste Deus meus, & glorificabo eum.* Quis dicet has Deo laudes à Moyse solutas non fuisse perfectissimas? sed cur ita acce- 56

piæ? nonne coniunctæ sunt cum humilitate? quid enim ait Moyses? fortitudo mea & laus mea Dominus? non se fortem iactat, sed fortitudinem suã à solo Deo esse gloriatur, imo Deum suam fortitudinem esse humiliter fatetur: cur ergo Deo huiusmodi laudes decantatæ non essent acceptissimæ? nam vt optime Lactant. lib. 6. diuin. instit. c. vlt. *Summus colendi Dei ritus est iusti hominis ad Deum directa laudatio, quæ tamen ipsa vt Deo sit accepta, humilitate & timore, & deuotione maxima opus est.* (Lactant.)

57 *Non minus vita pia quam voce laudatur Deus.*

*Fortitudo mea & laus mea Dominus, iste Deus meus & glorificabo eum.* Gratum dicimus hunc hymnum Deo fuisse decantatum à Moyse, ore enim humili & deuoto illum cecinit, sed si quis mutus esset, quomodo Deo laudes gratas decantaret? si piè & iustè viueret, non enim minus vita pia quam ore Deus celebratur, hoc monet August. in Psal. quadragesimumquartũ, vers. 28. *Suggero*, inquit, *remedium, vnde tota die laudes demus, si vis, quicquid egeris benè age, & laudasti Deum, nunquam à diuinis cessabis laudibus, si semper benè operatus fueris.* (S. August.)

58 *Qui falsis deorum simulachris seruierunt, tandem Dei veri visis miraculis eum adorant.*

*Fortitudo & laus mea Dominus & factus est mihi in salutẽ, iste Deus meus.* Non solũ Moyses sed etiam populus Israel hunc hymnũ concinit, sed cur ait, *iste Deus meus?* an alius est Deus præter hunc vnicum Deum quem colis ô Israel? cur ergo hoc pronomine demonstratiuo vteris? an aliquis alius supponitur esse? Deum istum dicit, vt faciat discrimen à falsis deorum simulachris, quæ in Ægypto coluerant, quibus relictis, visis tot Dei veri mirabilibus, verum solum Deum se colere fatentur, sic Cyrill. Alexand. in Caten. explanationum veterum Patrum. (Cyrill. Alexand.) *Demonstratiuo pronomine eius naturam minime communicare posse cum his diis, qui non sunt ostendit: hic Deus meus, non falsi, non ij qui olim in Ægypto à nobis sunt culti, huic & gloriam dabo, nam Dominum meum adorabo, & illi soli seruiam, etsi enim nos in Ægypto errantes dæmonibus & non Deo immolabamus, tamen nunc dicamus Deum patris nostri Iacob nos fore vt colamus, & in altum extollamus, nihil abiectum vel humile de ipso sentientes, sed cognoscentes ipsum Deum verum esse, non opus vel figmentum, sed totius vniuersitatis opificem, & supra totum mundum qui cernitur & non cernitur, non recentem sed sempiternum, hunc enim qui est, nouit Iacob noster Patriarcha, & nunquam de ipso alias alio nomine habuit opiniones, propterea & dicimus huic ipsi qui nos liberauit & patris nostri fuit Deus, nos gloriam dare, eius beneficia narrantes & annunciantes opera eius.*

*Non erubescas prædicare Christum Dominum Crucifixum.*

59 *Fortitudo mea & laus mea, factus est mihi in salutem, iste Deus meus & glorificabo illum.* Non solum Richardus Eremita, sed plures ex patribus hunc, qui populo Israel factus est in salutem, intelligunt Christum Dominum: sic enim Orig. hic Deus meus & honorificabo eum, Deus Patris mei & exaltabo eum, hic ergo meus est Deus, & Patris mei: Pater noster qui nos fecit, & genuit, Christus est & ipse dicit, vade ad patrẽ meum & Patrẽ vestrum, Deum meum, & Deum vestrum, ego agnoscã, quod Deus meus, si Deus, glorificabo eum, si verè etiam illum agnoscam quomodo Patris mei Christi sit Deus exaltabo eum. sed ô Moyses si ita despectus vt nouissimus omnium virorum secundum Isaiam dicatur quomodo à te exaltatur & glorificatur? nonne scandalum est Iudæis, stultitia gentibus eum prædicare? ita equidem, sed non vero Israelitæ & fideli, qui nunquam erubescet Christum Dominum prædicare etiam Crucifixum, audiendus est Rupertus. *Iste quondam despectus & nouissimus virorum, vir dolorum, & sciens infirmitatem, & qui moriendo, talem equum, talem ascensorem sic proiecit, Deus meus est, & homo est, & Deus meus est, glorificabo eum, non erubescam eum, sed dicunt mihi aduersarij populi, qui ascenderunt & irati sunt, quos dolores obtinuerunt scilicet synagogæ populorum, conciliabula hæreticorum, si Deus tuus iste est, ergo recens Deus, Deus alienus est in te & non facies secundum naturæ præceptum, sed contra scripturam dicentem, Israel si me audieris non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum: dicam ad hæc, & cantabo confidenter, iste Deus meus & glorificabo eum, Deus Patris mei & exaltabo eum, Abraham inquit exultauit vt videret diẽ meum, & vidit & gauisus est: item, amen dico vobis antequam Abraham fieret ego sum, igitur Deus recens non est, neque adoro Deum alienum, sed Deum Patris mei, Deum antiquum, nam & si filius est, & si genitus est, vel natus, nec vno tantum puncto vel atomo iunior patre suo, est antiquus dierum, istum glorificabo, istum exaltabo.*

(Richardus Hampolit. in hoc Cant. — Origenes. — Rupert.)



*VARIETAS LECT. Vers. 3.*

*Vulg.* Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius.

*Sept.* Dominus conterens bella, Dominus nomen illi.

*Cald.* Dominus est victor bellorum, Dominus nomen eius.

*OnK.* Adonai nomen est eius.

*Pag.* Dominus vir bellator.

*Oleast.* Dominus vir belli, Dominus nomen eius.

*Vatab.* Iehoua Vir belli, Iehoua nomen eius.

*Cajet.* Iehoua Vir Prælij, Iehoua nomen eius.

sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat: per ascensorem huiusmodi equi, cum qui voluptatibus indulget, qui nescit tenere passionum suarum habenas, & quid agit Deus? proiecit in mare, an vt extinguatur illius ardor? nequaquam, sed vt permittatur in innumera deinde labi delicta: testis Clemens Alexand. lib. 5. stromatum
Clemens. Alexand. *Gloriosè magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare: multiplex & beluinũ est quod appetitionis impetu fertur, vitam vna cum auriga qui ascenderat, & habenas laxarat voluptatibus in mare proiecit, in mundi deiiciens tumultus & perturbationes.*

*Dies resurrectionis Domini præ omnibus gloriosa.*

27 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Ecce Hæbrei obrutis Ægyptiis eximio sunt affecti gaudio, nõne satis erat dixisse, magnificatum fuisse Dominum? cur addiderunt gloriosè, vel vt habet Onk. magnificè elatus est? aduerte quod in vigilia matutina omnes Ægyptij submersi sunt, vt vidimus c. præcedenti, quæ explicans Rupert. ait, vigilia matutina ipsa est resurrectio Dominica, matutino namque tempore sedit Angelus ad sepulchrum Domini, & post profundam tristitiæ noctem, magni gaudii diem mulieribus & per illas fugientibus Apostolis, nobisque omnibus euangelizauit, hinc
Psal. 129. Psalm. 129. à vigilia matutina vsque ad noctẽ speret Israel in Domino, quia ipse redimet Israel, quemadmodum filios Israel ex Ægypto, non magnificatum solum dixerunt, sed cur etiã gloriosè? quia licet in die natiuitatis suæ Christus Dominus magnificatus fuerit, & in die passionis suæ cum exaltatus fuit à terra, & cum dixit clarifica me Pater, at in die Resurrectionis suæ & gloriosissime clarificatus & magnificatus, quod
Origenes. Orig. hic doctè expendit, *Quasi non sufficeret dicere magnificatus est, addit gloriosè magnificatus est, etenim aliud est magnificari, aliud gloriosè magnificari, nam cum Dominus meus Iesus cum carnem ex Virgine Maria pro nostra salute suscepit, magnificatus est quidem, quia venit quærere quod perierat, non tamen gloriosè magnificatus est; magnificatus etiam est cum ad crucem venit & pertulit mortem. pater iam hora est & clarifica filium tuum vt filius tuus clarificet te; erat enim et gloria ipsa passio crucis, verum gloria hæc non erat gloriosa, quando resurrexit certe tunc gloriosè magnificatus est, quia tunc & fœminæ exultant & viri ad lætitiam exultantur, & totus orbis tripudiare iubetur.*

*Sacra scriptura etiam & versuum dulcedine gaudet.*

28 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino.* An strictè recipiendum est carmen quod suis metricis pedibus constat? negat Scaliger in animaduersione in prologum Hieronymi dicens, in Hebræo, Syriaco, Arabico, & Abyssino idiomate, nulla metri species concipi potest, quia id natura sermonis non patitur: sed nimis inuerecundè & stolidè patribus asserentibus in sacro contextu vera esse carmina se opponit: carminum enim etiam dulcedo in eo reperiri debuit.
Iosephus subiiciamus auctores grauissimos ad huius veritatis confirmationem, Ioseph lib. 2. antiq. cap. vlt. de nostro cantico scribens ait, Moyses carmen laudem Dei & ob præsentem fauorem gratiarum actiones continens hexametro versu composuit
Euseb. Euseb. lib. 11. de Præp. euangelica c. 3. sunt etiam apud eos (nempe Iudæos) artificiosissima carmina vt Moysi cantus ille magnus & centesimus decimus octauus Psalm. Dauid heroico metro quod hexametrum dicitur communiter, alia sunt quoque trimetra & tetrametra, sed quæ ad dictionem pertinent elegantissime, grauissimè, iucundissimè composita sunt. Et B. Hierony sic ait Epist. 155. ad Paulam. Scire B. Hierony.
debes *inquit* in prioribus Psalmis singulis litteris singulos versiculos, qui trimetro iambico constant esse subnexos, inferiores vero tetrametro iambico constare, & alibi pluries, vnde in præfatione in Iob sic concludit, quod si cui videtur incredulum metra scilicet esse apud Hebræos, in morem nostri Flacci, græcique Pindari, & Alcæi, & Sapphus, vel Psalterium vel lamentationes Ieremiæ vel omnia fermè scripturarũ cãtica comprehendi, legat Philonem, Iosephum, Euseb. Cæsariens. & eorum testimonio mẽ verum dicere comprobabit: legatur & Dauid Iachaza in libello de hac re edito, quem Genebrard. latinum fecit, in quo decem & octo metrorum genera recensentur. David Iachaza.

*Impius iumentum est Diaboli.*

*Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, equum & ascensorem eius proiecit in mare.* 29
Per ascensorem, non pauci ex sanctis patribus Diabolum intelligunt, quomodo hæc allegorica interpretatio stare potest? nam cum Diabolus sit velocissimus, nec in eundo fatigatur, cur equos habere dicetur? ad quid enim equos habet? imo & iumẽta habet quibus vehatur, nempe impios qui iniecto sibi cupiditatis & mali desiderii fræno, ab eo trahuntur ad illicitas voluptates, sic B. Hierony. in Psal. 15. *Sic impius persequitur, scito quia equus est, sed eques est Diabolus, iste currit, hic lanceas superponit: iste ducitur calcaribus & inuitus sæpe insanit, hic agit & stimulat.* Et Rich. Pampolit. in hoc cant. *Reprobus Diaboli vehiculum est.* B. Hieron. Richard. Pampolit.

*Gratiarum actio magis Deo placet cum ab omnibus exhibetur qui beneficia receperunt.*

*Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino.* Et inferius etiam dicitur, quod Maria cum mulieribus idem canticum prosecutæ sunt. 30
nonne satis erat pro omnibus vnicum Moysem gratias rependere? cum enim esset omnium dux & gubernator, huiusmodi gratiarum actionem acceptã habuisset Deus. nõne à minimo ad maximum omnes liberati sunt ab Ægyptiorum tyrannide? nonne omnes siccis vestigiis mare transierunt? merito ergo non solus Moyses, sed vterque illius populi sexus, dicitur carmen Eucharisticum Deo cecinisse; quia gratiarum actio magis Deo placet cum ab omnibus exhibetur, qui beneficia receperunt, obseruatio est B. August. c. 21. de mirab. Scriptur. *Cuncti simul pariter cũ pueris & omnes ætates eodem inspirati flamine vno quasi ex ore easdem concinentes litteras, conspirarunt in vnum,* S. August.
Quasi in hoc esset decus gratiarum si nec paruulus desideraretur eorum qui beneficia receperunt.

*Non auriga prudens, sed ascensor equorum imperitus, qui voluptates suas nescit coercere.*

31 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, equum & ascensorem proiecit in mare*, Cur non ait equum & equitem eius siue agitatorem? nam eques propriè est, qui equo insidet, agitator est qui calcaribus equum agitat: dicat igitur equitem eius siue agitatorem deiecit in mare. S. Ambros. discrimen agnoscit inter equitem & ascensorem, quod agitator siue eques cum disciplina & arte pro arbitrio equos mouet & agitat, ascensor vero proprium equum nescit gubernare. ne mireris ergo si Moyses non dixerit Deum, equũ & equitem vel agitatorem, sed ascensorem in mare proiecisse, quia non auriga prudens, non eques peritus, sed imperitus ascensor qui nescit suos affectus comprimere, suas voluptates coërcere, & ideo in mare præcipitandus. subiicio verba cit. Doctoris, Legimus alibi dicentem Ecclesiam, siue animam, posuit me currus Aminadab Cant. 6. si ergo anima currus sit, vide ne equus caro sit, agitator autem vigor mentis, qui regit carnem & motus eius velut quosdam equos prudentiæ habenis coercet. dormitauerunt ergo qui ascenderunt equos, corporis voluptates nullo eas moderamine gubernantes, vnde & ascensores eos quam equites vel agitatores maluit nuncupare: agitator enim cum disciplina & arte, pro arbitrio suo equos agitat, vel currentes incitat, reflectit indomitos, vel reuocat fatigatos, vel mansuetos pro sua voluntate conuertit: vnde cum reciperetur Elias, & curru quasi ad cœlum ferretur, clamauit ad eum Elisæus: pater agitator Israel, & eques eius, hoc est qui populum Domini bono ductu regebas constantiæ merito hos accepisti currus, hos equos ad diuina currentes, qui moderatorem te humanarum mentium Dominus comprobauit, ideo tanquam boni auriga certaminis victor æterno præmio coronaris. de equite autem lectum est, & eques cadet retrorsum, expectans salutem à Domino, etenim quia nemo sine lapsu est: etiam si quis ceciderit, & terrenis aliquibus vitiis fuerit implexus, si tamen non abiiciat spem resurgendi, iterum miseratione diuina, perueniet ad salutem: de ascensore vero manifestum est indicium, quod reprehensibilis habeatur, quando Moyses ipse ait in cantico Exodi: equum, & ascensorem proiecit in mare: & in Zacharia locutus est Dominus, dicens: percutiam omnem equum in amentia, & ascensorem eius in insipientia, non dixit solum equum, sed & ascensorem, quomodo & in Exodo habes, æquum & ascensorem: vbi est enim ascensor, qui non potest equum proprium gubernare, equus fertur in præceps, & indomito furore in prærupta & periculosa raptatur.

S. Ambros. lib. de Nabuthe. — Cant. 6. — Psal. 75. — 4. Reg. 2. — Genes. 49. — Zachar. 1.

*Voluptatibus illicitis deditus in mare barathri præcipitatur.*

32 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, equum & ascensorẽ eius proiecit in mare.* Cur in mare proiicitur? nonne lapidi illidere potuit caput ascensoris, vel terra obruere? potuit, vel aliquo punire supplicio, per equum non solum Hierony. sed Amb. cit. voluptates illicitas, & per ascensorẽ libidinosos intelligũt: sic enim secundus ait loco cit. nolite amare adhinnientes, nolite fremitu libidinis excitari, terribilis est Dominus & cui nemo possit resistere, iudicium cæleste iaculatur, en ergo vt vterque tam equus quam ascensor eius in mare deiicitur? quid enim aliud sperare potest libidinosus, quam tartaream abyssũ? fauet cit. Hieronym. in Psal. 32. *Audio equos hinnientes & non possumus præterire, scriptum est enim, equum & ascensorem proiecit in mare, præcipitur & Israel ne equos nutriant, denique Salomon quia quadrigas adducebat ex Ægypto, voluptate superatus est, non in fortitudine equi voluntatem habebit, equum & ascensorem eius deiecit in mare, insanientes in fæminas facti sunt mihi vnusquisque in vxorem proximi sui hinniebat loquitur Ierem. ergo super tales equos voluntatem Deus non habet.*

S. Hierony.

*Victoria Christi Domini in cruce de potestate tartarei Pharaonis.*

33 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, equum & ascensorem eius proiecit in mare*, Sed si ascensore Diabolus intelligitur quandonam victoria ab eo reportata? nam non tunc, cum submersi sunt in mari rubro Ægyptii, ab hac enim submersione & post eam dominabatur vniuerso: quandonam ergo eum in mare præcipitem dedit? & à quo tempore triumphus ab eo reportatus? respondet Abbas. Tuicensis, *Talem equum & ascensorem eius tunc proiecit in mare, tunc videlicet quãdo dixit, nunc iudicium est mundi, nunc princeps mũdi eiicietur foras Ioan. 12. & subsequenter protinus exponens actu quid dixerit, accepit cornua crucis in manibus Abac. 3. & ibi abscondita est fortitudo eius, & obreperit ausa mors deinceps victa iret ante faciem eius, & egrederetur Diabolus ante pedes eius, tunc proiecit, & ex tunc proiicere non desinit illum in mare, nobis quidem vitreum & spiritus sancti igne mixtum; illi autem piceum, igneumque sulphureumque: nam illud quidem mare quo transierunt filii Israel, vnum idemque illos emisit & illos absorbuit, verum mare nostrum quo baptizamur in nomine patris & filii & spiritus sancti, equum istum & ascensorem eius nequaquam admittit, sed dum nos per illud mare vitreum transit, ille in profundum inferni proiicitur.*

Rupert. Abbas. — Abac. 3.

*Obstinatus, præ aliis reprobis, equus Diabli est.*

34 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, equum & ascensorem eius deiecit in mare.* Diximus ex sententia patrum equo adumbrari impios, quibus consentit Richardus Eremita, sed cum plures reproborum species quibusnam præcipuè tanquam equis vehitur ascensor eius nempe Diabolus? vel potius quinam sunt præcipuè peccatores quos tanquam equos Diabolus ad libitum suum regit & quocumque vult pertrahit? respondit Christopolitanus Episcopus: *Omnis peccator obstinatus dicitur equus Diaboli, eo quod cum freno peccati præcipue tenet ipsum Diabolus ligatum, vertens ipsum ad omne scelus vnde per frena superbiæ monet hominem ad inuidiã & homicidium, per auaritiam monet ipsum ad vsuram, rapinam & furtum, per luxuriam tanquam per frænum, & chamum ducit hominem ad adulterium, & stuprum, fornicationem, ad sacrilegia & ad maleficia.*

Richard. Eremit. in hoc cant. — Iacobus de Valent.

*Quo quis plura à Deo beneficia accepit, eo præ cæteris grates ei rependere tenetur.*

35 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino & dixerunt cantemus Domino*, in Hebræo, *cantabo Domino.* Cur Moyses prior cecinit? nonne & alii tenebantur ex victoria ab Ægyptiis reportata, & quod salui & incolumes euasissent Deo laudes decantare? cur ergo hic obseruatur quod prior Moyses illas inconet? vel cur non expectat Moyses quod ipsi referant grates debitas? aduerte Moysem plura à Deo beneficia in ipso transitu maris accepisse quam quemlibet è populo Israel: nam personale beneficium accepit sicut & quilibet alius nempe liberari ab Ægyptiis, accepit & aliud tanquam dux, nempe quod sibi nullus è subditis perit, sed omnes sibi salui facti sunt. ne sciscitaris ergo cur prior laudem Dei decantet Moyses, quo enim quis plura à Deo accepit beneficia, tanto cumulatius gratias ei rependere tenetur. quod prosequitur Abulens. in hoc cant. (Abul.) *Monebat Moysem ut istud canticum inciperet, quia erat gratiarum actio pro beneficio accepto, qui ergo magis de beneficio recepit magis benefactori tenetur: quilibet autem de Israelitis beneficiũ susceperat, quia liberatus fuerat à morte: maius tamen receperat Moyses quilibet aliorum, nam quilibet de populo suo, beneficium acceperat solum, Moyses autem non solum personale beneficium, scilicet sui ipsius, sed totius populi receperat, nam quicumque de populo perit sibi perit & alteri non perit, qui tamen omnes de populo duci subiecti sunt si pereunt non solum sibi pereunt, sed etiam duci regenti pereunt: sic dicitur ad Rom. 14.* (Roman. 14.) *suo Domino stat seruus aut cadit, cum ergo Moyses totius populi dux esset, quod populus saluaretur ei saluabatur, quod populus periret ei peribat, ideo ipse super omnes & ante de redempto populo gratias agere tenebatur.*

*Licet semper agendæ sint Deo gratiæ, sed præcipue cum omnium Dominum sese demonstrat.*

36 *Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino.* O Moyses nonne ingratus censeberis, quod cum Deus plura operatus fuerit mirabilia, vt Pharaonem induceret libertatem populo suo concedere, nullum tamen canticum Deo persoluisti? nonne omnium primogenitorum Ægyptiorum interitum vidisti? vbinam grates relatæ? cur ergo cum suffocatur omnis Ægyptius exercitus, & populus Israel mare siccis transit vestigiis, canticum hoc Deo persoluis? non est dubium quin in hoc miraculo præcipue se omnium Dominum demonstrauit, ita vt ipsimet Ægyptii idolorũ cultores & obstinatissimi nec non obcæcati, exclamauerint Deũ pugnare pro Israel. ne mireris ergo tunc Moysem carmen hoc Domino cecinisse, quia licet semper sint agendæ Deo gratiæ, sed præcipuè cum clarissimè se Dominum omnium creaturarum esse demonstret. consentit B. Cyrill. Alexand. in caten. apud Theodor. super hoc cant. (Cyrill. Alexand.) *Vniuersaliter* inquit *miraculum hoc edidit vniuersitatis Deus, etenim cum in Ægypto quamplurima signa, & admodum admiratione digna eis ostendisset, addidit etiam hoc honoris sui agendi causa, vt qui in sua essent tutela ipsum mare pertransire possent: vt etiam piam deinceps & firmam mentem in seipsis haberent, & iam crederent ipsum minime ex falsis Diis esse nimirum humanæ artis inuentum aliquod: sed vt intelligerent, cum Dominus totius vniuersitatis sit, ipsum omni creaturæ illius pedibus subiectæ imperare, & quodcumque voluerit facile perficere: an non omnem sensibilem & humilem hominum opinionem superat ille, qui pro suo arbitratu creatura vtitur, & qui illius nutibus paret, ac inimicos qui suis propugnatoribus molestiam inferunt, subuertit: non equidem naturali quodam impetu id mare facit, sed & præter naturam, coactum voluntati paruit, nonne hic præstans est supra humanam opinionem qui fecit, vt suus populus per medium maris transiret, & veluti per continentem ambulans pelagus trasiceret & qui sine labore omnes de medio sustulit & in fugam vertit, iniustum & impium Ægyptiorum populum festinantem eadem ingredi viam, vt à tergo ipsos caderet, & exclamantem contra sontes & hospites?* Et Euseb. Cæsar. in eadem catena, (Euseb. Cæsarien.) *Hoc primum canticum cecinerunt filii Israel cum sicco pede mare rubrum transiuissent, cumque insequentes Ægyptios vndis obrutos & demersos factos simul cum curribus & equis spectassent, inexpugnabilem enim Dei potentiam ante ipsos certantem & eos protegentem conspexerunt.*

*Licet pro beneficio creationis & conseruationis agendæ sint gratiæ, sed præcipue pro lauacro regenerationis quo à peccatis redimimur.*

*Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino*, Cur tunc cum toties in quolibet miraculo perpetrato agere gratiarum actionem tenere- 37
tur? nam nonne euasit incolumis in Madian quæsitus ad mortem à Pharaone? nõne omnes Israelitæ in innumeram aucti sunt multitudinem, licet diram tolerarent persecutionem? si ergo à Deo conseruati, vbinam est tanti memoria beneficii? cur ergo ex tunc nempe ex submersione Ægyptiorum in mari rubro laudes Deo decantant? diximus per transitum maris rubri in quo suffocati sunt Ægyptii, significari baptismatis sacramentum, Ægyptios vero insequentes abundantiam peccatorum, quæ vsque ad fontem baptismatis instant, vrgent, & premunt, sed tandem in eo suffocantur: non immerito igitur tunc Israelitæ Deo laudes decantant & concinunt, quia licet pro beneficio creationis & conseruationis agendæ sunt Deo gratiæ, sed præcipuè post lauacrum regenerationis cum à peccatis redimimur, *Post transitum maris rubri* inquit Isid. Hispal. (Isid. Hispal.) *canit canticum populus Dei, & Ægyptio & Pharaone submerso: non aliter & fideles, postquam de lauacro descendunt, extinctis peccatis hymnum in voce gratulationis emittunt, dicentes cantemus Domino.*

*Cum sontes puniuntur, maxime Deus exaltatur.*

*Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, gloriose enim magnificatus est.* Sept. *gloriose* 38
*glorificatus est.* Onk. *gloriose exaltatus est*, In quo? & qua de causa? equum & ascensorem eius proiecit in mare: si diceres qui populum suum dilectum primogenitum misericorditer liberauit, tacerem equidem, quia cum Dei sit proprium

miſereri & parcere, merito glorioſè magnificandus quod tamen in populum ſuum miſericordiam expendiſſet, cum ab hoſtium perſecutione liberaſſet. ſed vix capere poſſum quomodo in hoc quod equum & aſcenſorem vel vt habet Eutymius, quemcumque equum & quemcumque A aſcenſorem proiecit in mare, glorioſè magnificatus ſit: ſed mirari deſine, & firmiter tene cum impii & inſontes puniuntur, tunc Deum glorioſè exaltari. *Cæterum hoc carmen* (inquit Procop.) *extulit Deum, qui naturam rerum pro arbitrio mouet & nutu ad puniendos impios.* Procopius.



## VARIETAS LECT. Verſ. 2.

VVlg. Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem, iſte Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum.

*Sept.* Adiutor & protector factus eſt mihi in ſalutem.

*Cald.* Fortitudo mea & canticum meum Dominus terribilis, dixit in verbo ſuo, & fuit mihi in redemptorem, hic eſt Deus meus, & ædificabo ei ſanctuarium; Deus patrum meorum, & ſeruiam coram eo.

*Okn.* Fortitudo mea & canticum meum, timendus eſt Dominus.

*Pag.* Fortitudo mea & laus Dominus, & fuit mihi in ſalutem, iſte Deus meus, & tabernaculum faciam ei.

*Vatab.* Dominus eſt robur, & carmen meum, B qui fuit ſeruator meus, iſte eſt Deus meus, hunc decorabo, Deus patris mei, hunc extollam.

*Oleaſ.* Canticum eſt Iah, ſaluauit me, tugurium faciam ei.

*Cajet.* Fortitudo mea & cantus Iah, iſte el meus, habitabo cum elohe patris mei.

## CONCORDIA.

IN Hebræo pro laus non eſt תהלה tehilah quod propriè laudem ſignificat ſed זמרה zimerah, id eſt canticum vel cantatio, & ſanè verbum זמר zamar ſignificat apud Hebræos pſallere, ſed cum fragore vocis, vnde zomitat inuenitur ſignificare ſonitum, qui cum fragore fit. Amos 5. zimrah id eſt cantum ſeu canticum nablorum tuorum non audiam, conſtat autem ſonitum C nablorum cum fragore fieri; & vbi habemus Dominus, in Hebræo eſt יה iah quod nomen putat Theod. eſſe idem cum nomine tetragrammaton, atque hoc à Iudæis quaſi per abreuiationem pronuntiari: noſter autem Galatinus lib. 2. cap. 18 ſcribit à Iudæis nomen tetragrammaton יהוה reſolui in tria verba quæ reſpondeant tribus diuerſis litteris ex quibus hoc nomen conſtat nempe, יה ia הו hu והו vehu, primum ex prima & ſecunda componitur litera, ſcilicet ex iod & he hoc modo יה iah, quod idem eſt quod Deus & patrem deſignat, qui totius diuinitatis fons eſt, ſecundum vero nomen ex ſecunda & tertia littera ſic הו hu quod ipſe interpretatur & ſignificat filium, quia ipſe profecto eſt quem prophetæ ad ſaluandum genus humanum prædixerunt, & digito quandoque monſtrarunt, iuxta illud Iſaiæ 35. Deus ipſe D veniet & ſaluabit nos. tertium quoque nomen ex tertia & quarta componitur littera ſcilicet vau et he, ſic והו vehu, & idem ſonat quod & ipſe, & Spiritum ſanctum denotat, quia & ipſe quoque poſt filium mirabiliter mitti debuit, licet non eodem modo: in hoc autem quod ſecundum nomen deſcendit à primo, & tertium à ſecundo (nam littera he communis eſt primo & ſecundo nomini, vau vero commune eſt ſecundo & tertio) oſtenditur planè Filium eſſe conſubſtantialem Patri à quo genitus eſt, & Spiritum ſanctum & conſubſtantialem eſſe Filio qui conſubſtantialis eſt Patri, vt palam liqueat, & Filium eſſe in Patre, & Patrem in Filio, & Spiritum ſanctum in vtroque. *Iſte Deus meus*, in Hebræo, el. Hieron. ad Marcellā ait primum nomen Dei eſt el, quod Septuag. θεὸς id eſt Deum, Aquila ethimologiam eius exprimens, fortem interpretatus eſt, noſter interpres rectè vertit Hebraicum verbum ואנוהו veanuehu & glorificabo, licet alii dixerint tabernaculum extruam ei; verum eſt tamen quod verbum naua etiam habitare ſignificat, & cum hic ſcribatur in hiphil, verterunt faciam ei tabernaculum vel habitaculum vel tugurium, eſt enim tugurium commorandi locus ei aptus, qui iter facit per deſertum: aduerte inquam noſtrum interpretem rectè vertiſſe & glorificabo, reſpexit enim ad radicem נאה vaa quæ ſignificat decorum, pulchrum, glorioſum eſſe, & propter affinitatem & commutationem litterarum vau & א ſæpe pro נוה naua ponitur, vnde & Septuag. ſic habent οὗτος μου θεὸς, καὶ δοξάσω αὐτόν, vt tamen hanc rationem tabernaculandi Deo cum noſtro Vulg. qui verbo glorificandi vtitur, cohærere oſtendamus, illud neceſſario aduertendum, quod erigere Deo tabernaculum ſeu domicilium, in quo habitet, ipſum glorificare eſt: quia de diuinitate illius teſtamur, qui talo operatur, ſiquidem templum ſoli Deo ponitur, & etiam ſi interdum ſub alicuius ſancti memoria, & inuocatione ponatur id fit ſecundario, primario tamen ad Deum refertur, cui in illo ſacrificium offertur, ſicut videre eſt apud Suar. tom. 2. 3. part. diſp. 53. quæſ. 3. qua de re videndus eſt Bellarmi. lib. de cultu ſanctor. c. 5. to. 1. vbi proſequitur diſcrimen inter baſilicas & templa quæ ſoli Deo ædificantur, ideoque theologi ex eo quod Apo- Suarius.

stolus 1. Corint. 6. Spiritui sancto templum tribuit, membra nostra templum sunt Spiritus Sancti, diuinitatem merito colligunt. hinc possumus etiam dicere ad sensum potius quam ad verbum transtulisse, tamen optime vt sæpe aliàs facere solent, cuius rei vnum modo afferam exemplum, licet plura suppetant v. g. cant. 1. iuxta Hebræam proprietatem habetur & digiti mei pleni myrcha transeunte seu transmittente, vulg. tamen vertit Myrrha probatissima, id est electissima seu optima, minimum quia cuius Myrrhæ odor est transiens siue longè lateque transmittens & fundens, illa probatissima est etiam hoc in loco, quia proprium est Dei templa habere & in eius solius gloriam & honorem eriguntur & extruuntur, ideo dum textus Hebræus promittit Deo erigendum tabernaculum, vulg. promittit ei gloriam & honorem.

## EXPOSITIO.

*Fortitudo mea Dominus*, Quasi diceret, Ægyptiorum fortitudo in equis ac militum robore tota sita erat, at fortitudo mea & laus mea Dominus. aduerte quod licet nomina abstracta magis placeant sanctis patribus quam concreta cū de Deo prædicantur, vt videre est apud Dionys. Areop c. 4. & 5 de diuinis nominibus, vbi ait Deum non tam esse bonum, pulchrum, & sapientem, quam pulchritudinem & sapientiam, tamen hoc loco sicut & in aliis pluribus accipitur fortitudo pro concreto, idque actiuè seu in sensu causali seu formali, vt sit sensus, Deus qui fortis profligauit hostes Israelitarum, fortem & constantem reddidit Moysen, & licet in his verbis, *laus mea*, abstractum sit etiam pro concreto, non tamen actiuè sed passiuè, sicut legimus in Psalmis, tu es patientia mea, spes mea, expectatio mea, id est in quo spero, quem sustineo quem expecto.

*Et factus est mihi in salutem.* Particula & significat quia, sic enim sæpè particula hæc sumenda vt causam reddat: itaque idcirco laus mea suple erit, hoc est ipsum laudabo, quia mihi & contribulibus meis omnibus salutem attulit. *iste* quasi diceret, non dii aliarum gentium aut Ægyptiorum, sed hic solus qui vos ita gloriose protexit, iste inquam Deus meus, natura sua semper & omnibus Deus, nunc autem merito suo, & data mihi fœlicitate dignus vt à me pro Deo vero colatur.

*Et glorificabo eum*, Cultum ei soli Deo debitum exhibendo, sed quia in Hebræo est *faciam ei tabernaculum*, sic etiam explicabimus tabernaculum faciam, non quodcumque sed humile, & sanè tale quale est pastorum, nempe tugurium vel casulam, domunculamque campestrem, videbat enim populus Dominum in columna illa habitare & indignum sibi videbatur ei, qui sibi tot beneficia contulerat non ædificare aliquam ædem aut tabernaculum, sicut postea Dauidi indignum est visum, vt ipse habitaret domum cedrinam arca vero Dei sui sub pellibus. nec inurbanum videri debet, quod Moyses & populus polliceantur se facturos Deo tugurium pastoritium, & tabernaculum humile, tempori namque & loco inseruiunt, est enim tugurium seu tabernaculum commorandi locus ei aptus, qui iter faciens per loca deserta non habet stabilem mansionem.

*Deus patris mei*, Addit hoc Epitheton Moyses, primo, vt indicet se agnoscere quod incipiat Deus complere ea quæ patribus promiserat, adeoque etiam maiora sperare, imo & ipsius Palæstinæ possessionem, quia hanc patribus non solum pollicitus fuerat, sed etiam tempus quo sua promissa impleturus esset dignatus fuerat significare, atque id sciebat Moyses iam esse completum. posset secundo etiam esse illa ratio huius epitheti quia voluit Moses Iudæos (quos per experientiam sciebat esse in veri Dei cognitione & cultu admodum rudes) hac ratione excitare ad constantiam, in maiorum suorum religione & pietate, atque in eiusdem Dei cultu; sed mihi etiam videtur quod nomine patris mei intelligit Abraham, qui præcipuè vocatur pater Hebræorum, tum quia in eo cæpit electio populi, quando scilicet Deus ei & semini eius benedixit, quia circumcisionem accepit tanquam signum distinctiuum populi Dei ab aliis populis: deinde propter merita ipsius Abrahæ, Deus benefaciebat populo, & adimplebat promissiones Abrahæ factas, sicut loquitur scriptura Genes. 18. vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ei Deus. cum ergo apertum sibi diuinitus per mare rubrum viderint Hebræi iter ad promissam Abrahæ terram, rectè illius meminere, cui Deus sponsionem iam pridem fecerat, cuiusque meritū in adimpletione respiciebat: si autem velis recurrere ad synecdochen singularis numeri pro plurali, dices nomine Patris mei, alios duces Patriarchas Isaac & Iacob intellexisse, qui etiam patres populi Hebræi in scriptura nuncupantur.

Genes. 18.

*Et exaltabo eum*, Metaphoricè quidem, sed valdè conuenienter, multiplicem Moyses Deo altitudinem tribuit, qua super omnia excellit, primum enim excellit omnibus rebus altitudine substantiæ, qua quicquid in rebus sparsum est, ipsa cum quadam infinita eminentia continet, deinde excellit altitudine scientiæ, omnem intelligentiam creatam, siue illa sit humana siue Angelica; tertio altitudine potestatis, cui nemo potest resistere, quarto altitudine maiestatis, qua ad sui obedientiam & adorationem omnia subiicit, *vel exaltabo eum*, idest altissimum prædicabo.

CONCEPTVS.

## CONCEPTVS.

*Illud in primis agnosci debet beneficium, à quo quis à Deo in salutem erigitur, quando innumeri alij permittuntur perire.*

59 F*Ortitudo mea & laus mea Dominus & factus est mihi in salutem.* Merito Moyses, vt se incolumem vidit in communi Ægyptiorum naufragio, tanti beneficii memor totus exurgit in diuinas laudes. sed expende, quam lætabundus laudet Dominum, & quid præcipue intuetur in eo laudando: non solum enim laudat Deum sibi propitium, & salutarem absolutè, sed etiam cum respectu ad præsentem circumstantiam, quod vbi validissimi Ægyptiorum exercitus, potentissimi principes perditioni dabantur, ipse ex Deo, salute potiretur: magnum fuerat ab Ægypto dimitti, magnum etiam tantam ab Ægyptiis accipere gratiam, vt aureis ditarentur vasis, sed nunquam in his Moyses canticum cecinit Domino, vbi autem submersis Ægyptiis vidit se sanum, statim exurgit in Dei laudes, cur modo potius quam antea? nisi quia nullum beneficium debemus sic celebrare & recognoscere, vt illud quo cæteris perditis, nos saluamur, cecinit D. Alcimus. lib. 5. qui postquam descripsit interitum infœlicissimum Pharaonis & totius sui exercitus adhuc canit.

*Et vacat hos inter plebs Hebræa tumultus,*
*Interea pugnante salo, victeque quietus*
*Israel, solo peragens certamina visu,*
*Dum vallis completa perit fluctuque reuerso.*
*Dicitur extentum planati gurgitis æquor,*
*Exponitque suum pelagus super aruatrumphum,*
*Ergo Deo dignas isto certamine laudes*
*Atque repensurus memor tot muneri mente,*
*Inclytus egregium solemni carmine ductor*
*Describit toto, quod psallitur orbe, trophæum.*

Alcimus.

Merito vobis dux curat laudes æternare beneficii illius quo se videt liberum inter tot ruinas perditorum, & ducum, id quod amplius extollit Orig. hom. 5. fatus, equum & ascensorem proiecit in mare, adiutor & protector factus est mihi in salutem, sunt etiam equi qui ascensorem habent Diabolum, & Angelos eius, nec non alii Patres, per equos reprobos intelligunt: cõsiderat Orig. innumeram multitudinem equorum id est hominum bestialiter viuentium, simul & ingentes Angelorum copias, qui omnes miserè pereunt inter tantam hominum, & Angelorum perditionem, quod vnus saluetur populus, siue vnus homo. qualis ergo tam fœlix homo erit ad liberatorem suum?

### *Vero Deo vera debetur adoratio.*

40 *Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem iste Deus meus & glorificabo eum.* Cur non prætermisit pronomen demonstratiuum *iste*? nam nonne satis erat dixisse, Dominus factus est mihi in salutem, & deinde subiicere, Deus meus glorificabo eum, nempe cultu & obsequio sibi debito? cur postquam dixit iste Deus meus, subiungit glorificabo eum? non sine emphasi, pronomen demonstratiuum sibi proposuit, *iste*, sed vt referret Dominum, in quem omnem suam spem coniecerat, hunc inquam verum esse Deum, & ideo secum glorificaturum, id est tanquam vero Deo cultum latriæ daturum, consentit Sanctus Basilius apud Lippom. *Demonstratiuo pronomine* iste *nomen illud, quod cum aliis verè communicari non potest declarauit perinde quasi diceret, populus Hebræus, hic est vnus Deus nõ falso nomine non mentita diuinitate, Deus nuncupatus, quales erant quos in Ægypto colebamus, idcirco hunc glorifico, illum adorabo, illi soli seruiam, hunc enim Patrum nostrorum colemus nihil humile abiectum de illo cogitatione formantes, sed illum verum Deum esse agnoscentes.*

S. Basilius.

### *Iusti ex beneficijs peculiariter Deum sibi nominant.*

*Fortitudo mea & laus mea Dominus.* Cum tot constet Deus nominibus, cur eum vocat hic fortitudinem suam? quia iusti ex beneficiis peculiariter acceptis Deum nominare solent, quemadmodum ab eo qui in bello consecutus est victoriam Deo auxiliante, sic inuocatur Psalm. 17. diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus, fuit enim ille Psalmus à Dauide conditus, quando liberatus est de manu Saulis & de omnibus inimicis suis, vt titulus, eidem Psalmo præfixus denotat, quando vero à mentis caligine & cæcitate ne in hostium manus incideret liberatus est, sic Deũ inuocat Psalm. 20. Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo? & Apostolus ab insigni Dei misericordia quam in se fuerat expertus 2. Corinth. & à magnis consolationibus quas in periculis positus per Paracletum acceperat, Deum vocat Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: quam veritatem confirmat Dionysius Areopag. cap. 1. de diuinis nominibus, dicens *Inuenies omnem vt ita dixerim theologorum laudationem ad beneficos diuinitatis progressus exponendos atque laudandos, diuina effingere nomina.* & inferius, *quoniam vero vt bonitatis sui sistentia ipsa esse suo est subsistentium causa, boni auctorem, summæ diuinitatis prouidentiam ex omnibus creatis laudare conuenies*, cui subscribit Oecumen. in cap. 1. Epist. ad Ephes. *Deum, inquit, semper iuxta subiectam materiam appellat, Deum misericordiarum vocans, & Deum pacis & Deum virtutum, vnum autem ipsum Patrem gloriæ vocat, maximam enim gloriam & honorem donauit generi humano, quæ omnia vobis tradita generali appellat nomine gloriam per vocabulum apud nos magnificentius*: hæc igitur fuit causa cur Moyses qui Deum omnipotentem in sui ac suorum liberatione fuerat expertus, & à quo salutem & libertatem fuerat consecutus, eumdem appellauerit & fortitudinem suam, & laudem suam sibique in salutem factum prædicauerit. 41

Psal. 17.
Psal. 20.
Dionysius Areopag.
Oecumen.

*Non proprias laudes sed Dei gloriam in rectè factis quæramus.*

42 *Fortitudo mea & laus mea Dominus.* Quid ais ô Moyses? Deo videris adulari, nonne in te fuit maxima fortitudo quam pluries ostentasti? nonne iussu regis Pharaonis bellum gessisti aduersus Æthiopes depopulantes Ægyptum, eosque fugitos & profligatos compulisti in sabas eius gentis regiam recipi? nonne tuam exercuisti fortitudinem, dum Ægyptum percutientem quemdam ex fratribus tuis Hebræis occidisti? nonne iuxta eam operatus es, dum septem filias sacerdotis Madian à pastoribus, qui eas detecerant ab adaquatione, defendisti, imo & liberasti? nonne eamdem testatus es, dum audacter Regem adijsti tibi obstinatissimè repugnantem, & contempsisti tibi ferocissimè comminantem? nonne incredibili fortitudine omnis pœnitus periculi securus, munus tibi à Deo iniunctum liberandi populum intrepidè & animosè perfecisti? vnde Paulus tuam celebrans fortitudinem ad Hebr. 11. Moyses relinquens Ægyptum, non veritus animositatem Regis, vbi vox Græca iracundiam, indignationem, & ferociam significat, & Syriacè habetur, neque reformidauit Regis furorem, cum igitur constet de propria Moysis fortitudine, quomodo inclamat, fortitudo mea & laus mea Dominus? quia licet aliquid laude dignum gesserimus, non tamen proprium encomium, sed Dei, à quo omne bonum est, gloriam quærere debemus, ipsique omnia tribuere, sic explicat hunc versum noster Titelmanus. *Omnem hanc victoriam cum laude & cantico ascribo ego Domino Deo nostro qui est fortitudo mea, illa tota per quantam præclara mihi contigit de inimicis meis victoria, quam meis proprijs viribus spes nunquam fuisset, consequendi.*

Hebr. 11.

Titelman.

*Salus nostra Deo tribuenda, & propter hanc solus celebrandus,*

43 *Fortitudo mea & laus mea Dominus, factus est mibi in saluté.* Nonne cuilibet bono operi sua quæque laus tribuitur? suæ auté animi constantiæ debetur hæc victoria, quam ab omnibus hostibus retulit, nam non exhorruit regem ipsum cum validissimo exercitu insequentem, licet antè mari rubro, à tergo autem exercitu Ægyptiorum circumuallatus, & circumclusus teneretur, dixit populo quasi desperato, nolite timere: cur ergo hanc omnem gloriam & victoriæ & salutis suæ laudem non aliquomodo prædicat suam? quia salus nostra & victoria ab hostibus nostris, soli Deo tribuenda, & propter hanc solus ille celebrandus laudibus nostris, quod ab illis viginti quatuor senioribus viuentem in sæcula sæculorum adorantibus coronas suas ante thronum mittentibus significatum est, cumque dicerent, dignus es Domine accipere gloriam, & honorem & virtutem: in quæ Hugo Cardin. *Mittebant coronas suas, victorias scilicet quas de Diabolo & peccato per ipsum obtinuerant, ipsi attribuendo, & quicquid boni habent ad ipsum retorquendo, vtrumque enim significatum per coronam scilicet victoria, quia corona non datur nisi victoria,* interpretatur autem id quod dicebant dignus es Domine, *tu es qui dignos nos facis, &c.* Et Andreas Cæsari, *tu Domine coronarum victoriæ auctor & subministrator fuisti,* cui consonat Aretas dicens qui coronas ante thronum obijciunt, quid aliud quam certum ac verum regnum & victoriam aduersus omnes deos, per omnia referunt? quod paucis comprehendit Richardus Pampolitanus, *fortitudo mea, per quem fortis sum, laus mea Dominus, per quem laudabilis sum.*

Apocalyps cap. 1. Hugo Card.

Andreas Cæsar. Aretas in Apocal. Richardus Brem. hic.

*Gratus animus beneficia communia tanquam propria ducere debet.*

*Fortitudo mea & laus mea Dominus factus est mibi in salutem.* Quid ais Moyses? nonne omni populo Hebræorum factus est Dominus in salutem, cum non solum eum à tyrannide Pharaonis in Ægypto, nec non ab infesta eiusdem persecutione extra Ægyptum liberauit? nonne liberum per mare transitum ei concessit; sicut & tibi? cur ergo communem gratiam, specialem tuam esse asseris? cur non dicis sicut tibi sic etiam omni populo factum esse in salutem? quia gratus animus communia beneficia tanquam propria ducit, vt se magis obnoxium prædicet. sic annotat Dionys. Carthus. *Hoc ad seruum Deo specialiter gratum, deuotum, fidelemque pertinet, vt de generalibus beneficijs creatoris speciales laudes & grates referas Domino, quasi sint sibi soli condonata ab illo.* 44

Dionys. Carthus.

*Optimus princeps suorum & bona & mala tanquam propria ducit.*

*Fortitudo mea & laus mea Dominus, factus est mibi in salutem.* Nonne diximus in præcedenti conceptu, non solum Moysem, sed etiam vniuersum Israel, hoc à Deo beneficium consecutum, vt saluus & incolumis per mare, in quo omnes Ægyptii periere, transiret? cur ergo hanc gratiam omnibus concessam, hanc omnem redemptionem, sibi tanquam specialiter factam prædicat? quia optimus princeps & gubernator populi, qualis erat Moyses, subditorum bona & mala tanquam propria debet ducere. *Idoneus enim,* inquit Sanctus Bernardus sermone 30. in Cant. *Et dignus plane qui paratur custos in vineis quem propria cura vineæ à commissarum diligentia & solitudine non impedit aut retardat, dum non quærit quæ sua sunt, neque quod sibi vtile est sed quod multis, propterea sancto Petro cura ista credita est in tam multis vineis, quæ erant de circumcisione, quia paratus erat, & in carcerem & in mortem ire, vsque adeo sua vinea, idest suæ animæ non detinebatur affectu, quominus curam intenderet creditarum.* 45

S. Bernard.

*Quos Deus æstimat, eos charissimos habere, eos venerari debemus.*

*Fortitudo mea & laus mea Dominus, factus est mihi in salutem, Deus patris mei & glorificabo eum,* Quis est Deus patris tui, quem exaltaturus es? cur non ais absolute, tu es Deus meus & glorificabo 46

enim? diximus Deum patris sui intellexisse Abraham, aduerte ipsum Deum qui apparuit Isaac, dixisse, ego sum Deus Abraham patris tui, quæ declarans Chrysost. hom. 52. in Genes. ait, *Ostendit quomodo sibi vendicarit & proprium fecerit Abrahamum, & ita dignatus se Abrahæ Deum vocare Dominus & conditor orbis, vnius hominis Deum se dicens, non concludit & abbreuiat cum Patriarchæ appellatione Dominum suum, sed magnam in illum suam beneuolentiam monstrat, ita eum inquam mihi feci proprium, vt apud me reputetur tantus, quanti alii omnes.* En quomodo Deus maximo in pretio habet Abrahamum! quid ergo mirum si ipse Deus tantopere de Abrahamo gloriatur vt cæteris hominibus imo & rebus omnibus omissis, solius Abrahæ se Deum prædicet? ipsum Moysem & Hebræum populũ ab Abrahamo prognatum de eo tantopere gloriari: cum videant rerum omnium creatorem vnius Abrahami Deum se dicere?

S. Chrysost.

### *Parentum religio, probitas, & nobilitas, multum conducit in filiis, ad virtutum incitamentum.*

47 *Fortitudo mea & laus mea Dominus, Deus patris mei, & glorificabo eum*, cur Deum patris sui nempe Abrahæ nominat? cur ante oculos populi sui communem parentem obiicit? obiicit merito parentis obedientissimi, Deo fidelissimi virtutem, probitatem, nobilitatem, vt illius contemplatione eam imitarentur & amplecterentur, maxime enim parentum religio & nobilitas filios inducit ad virtutes amplectendas. vnde iusta est querela quam nobilitas generis proponit apud Philon. lib. de nobilit. vbi illa sic loquitur ad posteros degeneres, *Gentilitas non solum sanguine æstimatur apud veritatem iudicem, sed factis studiisque similibus, at in contrariũ vos contenditis, quæ odi, amastis, quæ probo, improbatis, & aduersamini, apud me honor est pudoris, veritatis, moderationis, modestiæ, innocentiæ, apud vos in nullo pretio habetis, cum tamen domestica exempla habeatis ad virtutem, obscuris in familiis iactatis maiorem splendorem, atque gloriam: & cum abundetis domesticis exemplis, nulla vobis insunt maiorum decora, propter vestram negligentiam:* Hinc est quod tres pueri nobiles ex semine regio quãtumcumque viderint cæteros homines, statuam Nabuchodonosoris adorare, ipsi minimè eandem adorarunt, quod Theodor. oratione in Danielem ad nobilitatis, quam à parentibus acceperãt, contemplationem refert, sic enim ait, *videbant omnes imperata facientes, qui & metu & voluptate seruire consueuerant, soli autem beatissimi illi adolescentes patria nobilitate incorrupta, in ipsa etiam seruitute, retenta, renuerunt adorare, Vera enim nobilitas etiam in captiua nobilitate captiuos detinet nobiles ne à nobilitate sua in seruitute degenerent, & religione deficiant*, Si semel parentum religionem, & veram attente consideremus nobilitatem, ad virtutum eorum imitationem incitabimur, sed clarius Oleast. *Quemadmodum homo sequitur in moribus parentes suos, & eos referre conatur, ita & in religione & cultu Dei, vnde Deus de Iudæis conqueritur Deuter. 32. quid eos sequuti sunt deos quos non coluerunt?*

Philo lib. de nobilit.

Theodoret.

Deuter. 32.

### *Non sat est Deum laudare, nisi etiam & externe seruias in templi sui cultu aut effectu aut affectu.*

*Fortitudo mea & laus mea Dominus.* Nam quemadmodum ipse est fortitudo nostra, ita debet ipse esse quem solum laudare debemus: deinde prosequitur, *iste Deus meus, & glorificabo eum*, Oleast. *tugurium faciam ei*, Alij, *tabernaculum*, Cald. *sanctuarium extruam ei*. Quid? nonne satis est eum laudibus extollere? sua beneficia canticis celebrare? fortitudinem suam prædicare? denique omnia tribuere? cur ergo polliceris adhuc tabernaculum vel sanctuarium ei ædificaturum? non equidem satis, nisi etiam ei seruias externe in templi sui cultu, vel effectu vel affectu: suffragatur Oleast. *Non est laudibus Deum extollere nisi etiam templum facias aut ornes, volo dicere nisi etiam exterius ei seruias, ornanda sunt altaria, templa construenda, & omnia quæ ad eius cultum pertinent, multiplicanda & decoranda; quæ si præstare nequeas, bonus Deus tuum animum faciendi libenter acceptat: de hac re mirabile exemplum audite ex scripturis cogitabat semel Rex Dauid de constituendo templo Deo suo, tractans cum Nathan Propheta, quàm indignum esset in domo cedrina habitare, arcam vero Dei sub pellibus esse, voluitque ei domum ædificare, laudauit Dominus serui sui Dauidis animum quo ædificare domum disposuisset & admonuit dicens non ædificabis mihi domum vt filius Salomon de eo refert fuit inquit 2. Paralip. in corde Patris mei ædificare domum nomini meo, benefecisti, quia fuit in corde tuo, vbi vides quanti faciat Deus voluntatem ædificandi domum in Dauide, pro qua domum illi ædificauit stabilem.* 48

Oleaster.

2. Paraly. 6

### *Deus ita suorum amator, vt velit eorum esse fortitudo.*

*Fortitudo mea & laus mea Dominus.* Non solum ipse Moyses cecinit; sed etiam id omnis populus cum eo, cur ô Deus ita eximiam fortitudinem populo tuo non concessisti, vt grates rependens diceret fortitudinem nobis dedisti ad debellandos inimicos, tibi obstrictissimi manemus? Deus nequaquam eos fortes, sed potius imbelles voluit esse, quia eos tanto affectu diligebat, vt eorum vellet esse fortitudo, testem do cit. Oleastrum. *Ista est causa quam populus iste licet fuerit numerosus, fuit tamen imbellis & ineptus ad arma, quia Dominus voluit esse fortitudo eius.* 49

Lusitan.

### *In maiorum sancta religione, stare debemus immobiles.*

*Fortitudo mea & laus mea Dominus, iste Deus meus & glorificabo eum Deus Patris mei & exaltabo eum.* Cald. Sanctuarium extruam ei, vt ipsi semper seruiam, & quis ille Deus tuus, cui tanto affectu cultum exhibiturus es? iste Deus Patris mei, & deinde: iste Dominus regnabit in æternum, Deus est non quicumque, sed Patrum meorum, qui regnat & regnaturus est in æternũ, & ideo illi sẽper honorẽ exhibebo, iustũ est enim vt in sancta Patrum meorum religione perseuerans maneã, sic paraphrasticè loquitur noster Titelm. *Iste est Deus meus viuus & verus, & extra eum alius nemo, quem vnum colere & adorare volo, quẽ solum pro Deo* 50

Noster Titelman.

piæ? nonne coniunctæ sunt cum humilitate? quid A enim ait Moyses? fortitudo mea & laus mea Dominus? non se fortem iactat, sed fortitudinem suã à solo Deo esse venientem, imo Deum suam fortitudinem esse humiliter fatetur: cur ergo Deo huiusmodi laudes decantatæ non essent acceptissimæ? Lactant. nam vt optime Lactant. lib. 6. diuin. instit. c. vlt. *Summus colendi Dei ritus est iusti hominis ad Deum directa laudatio, quæ tamen ipsa vt Deo sit accepta, humilitate & timore, & deuotione maxima opus est.*

*Non minus vita pia quam voce laudatur Deus.*

57 *Fortitudo mea & laus mea Dominus, iste Deus meus & glorificabo eum.* Gratum dicimus hunc hymnum Deo fuisse decantatum à Moyse, ore enim humili & deuoto illum cecinit, sed si quis mutus esset, quomodo Deo laudes gratas decantaret? si S. August. piè & iustè viueret, non enim minus vita pia quam B ore Deus celebratur, hoc monet August. in Psal. quadragesimumquartũ, vers. 18. *Suggero,* inquit, *remedium, vnde tota die laudes demus, si vis, quicquid egeris bene age, & laudasti Deum, nunquam à diuinis cessabis laudibus, si semper benè operatus fueris.*

*Qui falsis deorum simulachris seruierunt, tandem Dei veri visis miraculis eum adorant.*

58 *Fortitudo & laus mea Dominus & factus est mihi in salutẽ, iste Deus meus.* Non solũ Moyses sed etiam populus Israel hunc hymnũ concinit, sed cur ait, *iste Deus meus?* an alius est Deus præter hunc vnicum Deum quem colis ô Israel? cur ergo hoc pronomine demonstratiuo vteris? an aliquis alius supponitur esse? Deum istum dicit, vt faciat discrimen à falsis deorum simulachris, quæ in Ægypto C Cyrill. Alexand. coluerant, quibus relictis, visis tot Dei veri mirabilibus, verum solum Deum se colere fatentur, sic Cyrill. Alexand. in Caen. explanationum veterum Patrum. *Demonstratiuo pronomine eius naturam minime communicare posse cum his diis, qui non sunt ostendit: hic Deus meus, non falsi, non ij qui olim in Ægypto à nobis sunt culti, huic & gloriam dabo, nam Dominum meum adorabo, & illi soli seruiam, etsi enim nos in Ægypto errantes dæmonibus & non Deo immolabamus, tamen nunc dicamus Deum patris nostri Iacob nos fore vt colamus, & in altum extollamus, nihil abiectum vel humile de ipso sentientes, sed cognoscentes ipsum Deum verum esse, non opus vel figmentum, sed totius vniuersitatis opificem, & supra totum mundum qui cernitur & non cernitur, non recentem sed sempiternum, hunc enim qui est, nouit Iacob noster Patriarcha, & nunquam de ipso alias alio nomine habuit opiniones, propterea & dicimus huic ipsi qui nos liberauit & patris nostri fuit Deus, nos gloriam dare, eius beneficia narrantes & annunciantes opera eius.*

*Non erubescas prædicare Christum Dominum Crucifixum.*

*Fortitudo mea & laus mea, factus est mihi in salutem, iste Deus meus & glorificabo illum.* Non solum Richardus Eremita, sed plures ex patribus hunc, qui populo Israel factus est in salutem, intelligunt Christum Dominum: sic enim Orig. hic Deus meus & honorificabo eum, Deus Patris mei & exaltabo eum, hic ergo meus est Deus, & Patris mei: Pater noster qui nos fecit, & genuit, Christus est & ipse dicit, vade ad patrẽ meum & Patrẽ vestrum, Deum meum, & Deum vestrum, ergo agnoscã, quod Deus meus, si Deus, glorificabo eum, si vere etiam illum agnoscam quomodo Patris mei Christi sit Deus exaltabo eum. sed ò Moyses si ita despectus vt nouissimus omnium virorum secundum Isaiam dicatur quomodo à te exaltatur & glorificatur? nonne scandalum est Iudæis, stultitia gentibus eum prædicare? ita equidem, sed non vero Israelitæ & fideli, qui nunquam erubescet Christum Dominum prædicare etiam Crucifixum. audiendus est Rupertus. *Iste quondam despectus & nouissimus virorum, vir dolorum, & sciens infirmitatem, & qui moriendo, talem equum, talem ascensorem sic proiecit, Deus meus est, & homo est, & Deus meus est, glorificabo eum, non erubescam eum, sed dicunt mihi aduersarij populi, qui ascenderunt & irati sunt, quos dolores obtinuerunt scilicet synagogæ populorum, conciliabula hæreticorum, si Deus tuus iste est, ergo recens Deus, Deus alienus est in te & non facies secundum naturæ præceptum, sed contra scripturam dicentem, Israel si me audieris non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum: dicam ad hæc, & cantabo confidenter, iste Deus meus & glorificabo eum, Deus Patris mei & exaltabo eum, Abraham inquit exultauit vt videret diẽ meum, & vidit & gauisus est: item, amen dico vobis antequam Abraham fieret ego sum, igitur Deus recens non est, neque adoro Deum alienum, sed Deum Patris mei, Deum antiquum, nam & si filius est, & si genitus est, vel natus, nec vno tantum puncto vel atomo iunior patre suo, est antiquus dierum, istum glorificabo, istum exaltabo.*

59 (margin: Richardus Hampol. in hoc Cant. — Origenes. — Rupert.)

## VARIETAS LECT. Vers. 3.

Vulg. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius.

*Sept.* Dominus conterens bella, Dominus nomen illi.

*Cald.* Dominus est victor bellorum, Dominus nomen eius.

D *OnK.* Adonai nomen est eius.

*Pag.* Dominus vir bellator.

*Oleast.* Dominus vir belli, Dominus nomen eius.

*Vatab.* Iehoua Vir belli, Iehoua nomen eius.

*Cajet.* Iehoua Vir Prælij, Iehoua nomen eius.

## *CONCORDIA.*

VBi legimus, *quasi vir pugnator*, Septuag. A vertere χόρτας συντρίβων πολέμους Dominus conterens vel confringens bella, atque ita legunt sancti Patres Græci. videntur autem Sept. hac translatione respexisse ad nomen Iehoua quod hic ponitur, perinde ac si etymon eius esset חתת idest confregit, seu contriuit, posuerunt cōterens bella, ne Græcis fabulis occasionem præberent, in quibus dii ita inducuntur bellatores, vt etiam aduersus se mutuo pugnent, se mutuo vulnerent, imo dii non solum diis, sed etiam quasi hominibus succumbant, quæ omnia à vero Deo longè absunt. in Hebræo deest illa particula similitudinis *quasi*, quā omisit Pagnin. idiotismo autē Hebræo vir belli ponitur pro bellicoso, sed quia apud nos minus bene sonaret, si Deus diceretur absolutè vir pugnator vel bellicosus, addidit noster Vulg. particulam illam similitudinis: *quasi*, qui dixerant vir belli ex Hebræo איש מלחמה is milhamach, vbi genitiuus substātiui ponitur, pro nominatiuo adiectiuo, ideo est quia Hebræi habentes pauca adiectiua, coguntur ob inopiam adiectiuorum vti hac circuitione, quod noster interpres scite aduertens Hebraismo relicto, dixit Dominus vir pugnator.

## EXPOSITIO.

DOminus quasi vir pugnator. Supplendum est B verbum substantiuum, quod deest, & vsu omnium linguarū suppletur, vt sit sensus. Dominus quasi vir pugnator, subintelligi etiam debet sic, vt vicerit, Vulgatus tantum modum pugnandi scilicet expressit, vt enim pugnator ab arce in hostes iacula mittit, & in bello, inimicorum cursus subnectere solet, vt in pugnantes excutiantur, simile fulguribus & tonitruis à Deo immissis experti Ægyptii, dixisse legimus, fugiamus Israel quia Dominus pugnat pro eis. non ergo dicitur Dominus vir pugnator à substantia, sed à proprietate. *Omnipotens nomen eius*, hanc vocem omnipotentis accipio hic positam tanquam signum veri Dei, vt idem sit Iehoua vel omnipotens nomē eius, quod ipse est verè Iehoua vel vere Deus, & interpres noster propterea vertit *omnipotens*, cum tamen vox Iehoua non significet omnipotentem, quia primo per potentiam Dei deuenimus in cognitionem diuinitatis eius, vnde Deus per Isaiam quoties impugnat idolorum diuinitatem, suamque confirmat, semper vtitur argumento potentiæ, vel sapientię suæ vel impotentiæ idolorum, 2. quia Epitheton non optimè respondebat antecedentibus in quibus Dominus vocatur vir bellator, militaribus enim expeditionibus omnipotentia semper certam adfert victoriam, voluit interim Moses significare Deum quem laudat, & cuius beneficio fatetur se euasisse, solum esse verum Deum.

## CONCEPTVS.

*Deus ita suos diligit, vt ad modum ducis strenuissimi in eorum defensionem decertet.* C

60 DOminus quasi vir pugnator. Cur Deus pugnator siue bellator dicitur? cur tanquam vir prælii pro Israele contra Pharaonem & Ægyptios decertare videtur? nonne Deus pacis amantissimus, cum pacificus nomine eius? aduerte Deum non communibus dumtaxat omnium nationum beneficiis Israelem affecisse, sed vt peculium & gentem sanctam selegisse, & super alas aquilarum portasse, necnon amore præcipuo ac pene singulari semper fouisse, atque diuitiis amplissimis cumulasse, vnde Deus Isai 19. Israelem opus
Isai 19. suum vocat, hæc inquit dixit Dominus ad domum Iacob, qui redemit Abrahā, non modo cō- D fundetur Iacob, nec modo vultus eius erubescet, sed cum viderit filios suos opera manuum mearū
Isai. 45. in medio sui, sanctificantes nomē meum: & idem c. 45. hæc dicit Dominus sanctus Israel, plastes eius, ventura interrogate me super filios meos, & super opus manuum mearum mandate mihi, quid opus est multis? nulla est frequentior in sacris litteris metaphora illa quæ populum Hebræum Dei vineam, Dei ædificationem, agriculturam, & plantationem appellat. fuere reliquæ nationes creationis beneficio Dei opus; verum cum syluestribus labruscis & vitibus erraticis, horridè & inordinatè dispersis, populus autem Israel in exitu de Ægypto quasi vinea fuit & selectis à Deo surculis depangenda, & plantanda, in cornu Filii olei, hoc est in montosa Palestinę regione, lac & mel fluente in qua oculi Dei sunt à principio anni vsque ad finem eius, hanc vineam statuit sepe circumdare, & lapidibus electis ædificatam, in medio, turri communire, &c. quis ergo mirari potest induci Deum à Mose instar bellatoris, qui pro Israele populo nimirum sibi peculiariter addicto, vt circumcisione quasi stigmate sui peculii facto, decerteret? opus Dei erat tunc populus, cui vt artifices solent, tanquam absolutissimo manuum suarum operi, & suum nomen inscripserat, & notam ferro inusserat, idcirco cum in exitu de Ægypto ineluctabile imminere exitium operi manuum suarum videret quasi Vir pugnator scuto & armis suę virtutis cōtra Hebręorum hostes, in terra & in mari, & vbique strenuè prętiatus est, atque in signes attecutus victorias. *Mira sunt*, inquit Oleast. *quæ pro suis Deus facit, & quæ eos nomina sortitur vt fiat Vir* Oleast.
*bellator ad eos tuendos.*

*Deus à cultu idololatriæ reuocat.*

61 *Dominus quasi vir pugnator*, Non est in Hebræo hæc particula similitudinis *quasi*, cur igitur vulgatus interpres illam addidit, cum etiam alii habeant Iehoua, vir prælii vel Dominus vir bellator? prudenter equidem hanc addidit, ne gentes fortassis dudum ad fidem conuersæ, admirarentur Deum vocari virum bellatorem, ne Martem fortassis cogitarent, Deum bellorum à paganis æstimatum, eique cultum indebitum exhiberent. ne eis ergo hæc occasio Idololatriæ daretur, particulam quasi addidit, vt similitudinem non proprietatem indicaret.

*Deus varias formas induit vt hominibus benefaciat.*

62 *Dominus quasi vir pugnator.* Vatab. Iehouah vir belli, Cajet. vir prælii, Pag. Dominus vir bellator. quid? an vt dux strenuissimus & magnanimus clypeo galeaque munitus, ense & aliis instructus armis descendis in prælium? nequaquam hoc de Deo credendum, vnico enim nutu omnes potentissimorum principum exercitus in nihilum redigere potest, cur ergo voluit nomen viri bellatoris habere? quia varias videtur induere, imo aliquando formas induit, vt hominibus benefaciat: aliquando vt igneus resplendet in rubo vt perfidia te frigidum fidei calore succendat, elucescit flammeus in columna, vt remotis ignorantiæ, tuæ tenebris, per solitudines huius mundi possis viam scientiæ percurrere salutaris, tunc te vt aquila protegit pennis, suos à persecutione aduersariorum suis potentiæ armis defendens, quod docet B. August. in illa verba Psal. 34. vbi Dauid sic Deum inuocat, apprehende arma & scutum & exurge in adiutorium mihi, ait, *Spectaculum est videre Deum armatum pro te.* Cum vero Deus armatus procedat in salutem populi sui, quid mirum si vt eum ab Ægyptiorum manibus eripiat, virum bellatorem ac fortem agat? itaque totum te & propter te homo patitur, quia te nimis diligit.

B August. Psalm. 34.

*Deus superat omnem sermonem nec perfectè nomine comprehendi potest.*

63 *Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen eius*, Quid? an nomine limitare potest? cur ergo asseris, o Moyses quod omnipotens nomen est eius? nam quid dicat B. Dionys. Areopag. de diuinis nominibus vbi cum explicuisset prius cognitionem quam de Deo sumus habituri in cælis, statim subdit, Nunc autem quãtum possibile vobis est in rebus diuinis, vtimur signis propriis, atque ex iis rursum ad simplicem & coniunctam intelligibilium contemplationem, proportionaliter assurgimus. & post omnem quam habemus rerum deiformium cognitionem, cohibentes omnem mentis nostræ laborem, in supersubstantialem illum radium, quantum fas contendimus, in quo omnes omnium cognitionum termini ineffabiliter præextiterunt, qui nec cogitari intelligique potest, nec dici, quod ineffabili modo ab omnibus rebus secretus sit, nec penitus vllo modo videri, supra modum incognitus: & cognitionum quidẽ quæ essentiarũ sunt atque facultatum fines simul vniuersos singulari modo anticipauerit. potestate autem quæ comprehendi

Dionysius. Areopag. cap. 1.

A non potest, supra omnes etiam cælestes mentes sit locatus: si enim cognitiones sciẽtiæque omnes in iis quæ sunt versãtur, & in ea quæ sunt, desinũt, qui omni essentia superior est, ab omni etiam cognitione solutus est & liber. sed ò Dionysi, quid de Deo dicturi sumus, si nec nominari possit? nonne Moysi contradicis dicenti, quod omnipotens est nomen eius? respondet Areop. quod si ipse omni sermone superior est, omnique scientia & cognitione, si mentem omnino essentiamque superat, cum omnia quidem comprehendat & connectat & amplectatur, atque anticipet, à nulla autem re prorsus comprehendi potest: neque enim sensus est vllus neque imaginatio, nec opinio, neque nomen, neque oratio, neque tactus, nec scientia, quonam modo à nobis suscepta de diuinis nominibus disputatio tractabitur, cum diuinitas appellari neque nominari posse demonstretur? deinde subiungit, laudari & describi Deus potest omnium quæ sunt detractione, scilicet quando post omnis intellectualis generationis cessationem, fit connexio intellectus cum Deo, id est quando intellectus postquam cognoscit omnes creaturas, & videt ipsas non esse Deum, assurgens inde ad Deum, dicit Deum neque id esse, neque tale, quod & quale, &c. ergo Deus non est compositus, finitus, creatus &c. alium ponit modum cognoscendi & nominandi positiuum, sed imperfectum.

B

*A nomine Iesu sacratissimo salus nostra pendet.*

C *Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen eius*, Cajet. Iehoua Vir belli, Iehoua nomen eius, cur in liberatione populi, per apertum & exsiccatum mare, toties sanctissimum Iehoua nomen apparet? nonne semel dixisse sufficeret Deum populũ suum Israelem electum liberasse? non solũ sed pluries id Deus inculcat, vt à sanctissimo nomine Iesu omnẽ suam salutem pẽdere intelligerent, nec aliud sub cælo nomen esse in quo salus haberi possit. obseruatio est Christopolitani Episc. *Notanter dicitur omnipotens nomen eius, quod Iesus quod est nomen Dei est nomen omnipotentiæ & summæ sapientiæ, & iustitiæ, & misericordiæ, in cuius virtute, & ad cuius inuocationem Moyses fecit omnia miracula, & ideo dicit quod nomen Dei est omnipotens quod est Iesus, quia proiecit primo currus Pharaonis & exercitum eius in mare.* & Agellius, *cuius nomen solum inuocatum & exoratum fundit hostes, & victoriam inuocantibus* D *tribuit.* 64

Iacob. de valent.

Agellius.

*Tanta est impiorum vnio in male agendo, vt innumeri vnus esse censeantur.*

*Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen eius.* In quo omnipotentia eius eluxit? equum & ascensorem eius proiecit in mare: an omnipotentiæ facinus est vnum hominem in maris profundum præcipitem dare? dices nomine ascensoris vnus quinquaginta millia equitum, non numerata infinita peditum multitudine, intelligi. sed cur tot hominum millia non nominat vt magis virtus eius omnipotens elucescat? dices cum B. Athanas. tractat. de communi essentia Patris, Filii & Spiritus sancti, tantas hominũ copias appel- 65

B. Athanas.

lasse hominem vnum, & tantum equorum numerum vnum equum, ob communionem naturæ. rectè quidem, sed addere liceat, tantam fuisse tot impiorum hominum concordiā in Israelitarum oppressione vt pæne innumera hominum multitudo, vnus homo censeri videatur.

*Timeri magis Deus debet quo magis pius & patiens.*

676 *Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen eius*. Omnipotens non solum quia maris fluctibus suffocauit Ægyptios, in quo iustissimus fuit, sed quia vos ô Israelitæ mari transacto, ab omni discrimine eripuit, in quo vobis fuit misericors, & pius redemptor, Licet tamen omnipotens, quia huiusmodi attributum eitam ita parcendo & in suis à periculo liberandis declarat. verum an quia semel in vos ita pius & misericors & in vestros, aduersarios iustissimus Iudex vobis contemptum pariet? imo quia Deus indulgentior, quia magis pius & in nos misericors, timorem benignitas ingenerare nobis debet, at omnipotens est etiam vt in nos seuerissimè animaduertat si deliquerimus. S.Paulin. præclarè hac in re Paulinus Epist. 13 *Deum* (inquit) *magis diligas & timeas, quo melior est & indulgentior, magnam tibi talis formido mercedem pariet, vt hinc sollicitior sis vnde potes esse securior.* Id est tunc magis metuas Deum offendere, quanto promptius dignatur ignoscere, quæ veritas ex his confirmari potest, quæ habet Ioann. Apoca. 15. quis non timebit te Domine & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es, ac Dei pietas, & in nos misericordia maiorem nobis timorem incutere deberet. Apocal. 15.



## *VARIETAS LECT. Vers. 4.*

VVlg. Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare, electi principes eius submersi sunt in mari rubro.

*Sept.* Proiecit in mare electos ascensores tristatas.

*Orig.* Electos ascensores ternos statores deiecit in mare.

*Cald.* Electi fortes eius submersi sunt in mari rubro.

*Pag.* Submersi sunt in mari Suph.

*Arias Mon.* Currus Pharaoh & virtutem eius deiecit in mare, & electi ducum eius submersi sunt in mari Suph.

*Oleast.* Submersi sunt in mari termini seu finis.

*Alij.* Iaculatus est in mare.

## *CONCORDIA.*

CVr Septuaginta dixerint tristatas, vbi habemus principes eius, satis abunde diximus in præcedenti capite: vbi legimus, electi, in Hebræo est ומבחר vmibchar & electio, sed non est discrimen, nam Hebræi solent ad aliquid expressius denotandum in abstracto vocitare; verbum ירה non solum proiicere, sed & iaculari significat, mare rubrū nō solum hic sed & alibi dicitur mare Suph, quod est carectosum siue iuncosum, vbi iunci rubri apparent, sed quia Soph finē vel terminum significat, ideo Oleast. ita esse vertendum censuit.

## EXPOSITIO.

CVrrus Pharaonis, Non solum simplices sed & falcatos, *Et exercitum eius*, nequidem vno dempto, imo nec Pharaone, qui omnium nocentissimus erat, *Proiecit in mare*, violenter & cum impetu, *Electi principes eius*, secundum Phrasim linguæ Hebraicæ frequenter vocantur electa in qualibet re, quæ in eo genere pretiosa sunt & præcipua, proindeque merito omnibus alijs illius generis præferenda, & hoc in loco dicuntur electi principes, id est strenui, fortissimi, bellicosissimi, *submersi sunt*, non quomodocumque sed quasi grauissimo pondere degrauati, infixi sūt in mari rubro, nā quod vulg. ait submersi sunt, si attentè cōsideretur vox Hebræa טבע est quodāmodo defixum descendere, vt in lutum vt in limum in quo demersa corpora supernatare non possunt, vt dictum est Psal. 68. infixus sum in limo profundi, sic autem infixos in limo profundi, reuersæ & coadunatæ aquæ operuerunt in mari.

## CONCEPTVS.

*Facillimè Deus impios perdit.*

677 CVrrus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare, alij, iaculatus est, Quid? tot centena hominum millia, tanquam sagittam vnam, ex arcu iaculatus est? quid? nonne tot hominum millia grauissima & ponderosissima erant? quomodo ergo tanquam leuissimam sagittam in mare iaculatus est? vt scias quanta cum facilitate innumeram reproborum multitudinem perdere sciat, non minori quam cum ex arcu mittitur sagitta: firmat hunc conceptum Agellius Agellius. *Hebraicum verbum quod B. Hieronym. vertit proiecit de sagittarum iactu dici solet, igitur pugna*

*perimus cui omnipotens nomen eius quod fecerit exponit, currus Pharaonis magna mole graues & exercitum eius sua magnitudine & armis impeditum, tanquam leuissimam sagittam & telum proiecit in mare.*

### *Circumstantias beneficii accepti pensemus, vt magis obstrictos nos censeamus.*

67 *Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare, electi principes eius submersi sunt in mare.* Nonne dixerat antea equum & ascensorem eius in mare proiecisse, ne vno quidem incolumi manēte, quo intelligitur submersio totius Pharaonis exercitus? quomodo ergo adhuc repetit in particulari, & currus & exercitum eius, nec non electos principes proiecisse? nam si dixit exercitum eius, cur electos principes nominat? nonne nomine exercitus comprehēdebātur? non beneficium in communi, sed omnes eius circumstantias expendit, vt maiorem inde testaretur gratitudinem,

Oleast.

*Omnia hæc*, inquit Oleast. *pertinent ad gratitudinem, qua docente, enumerant omnia peculiaria in beneficio præstita.*

### *Impii in Deum quasi amaricantes, traduntur potestati Sathanæ.*

68 *Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare* Si nomine Pharaonis, Diabolus intelligitur, sicut & exercitu eius reproba militia, cur proiicitur in mare? quid enim, an mare terra deterius vt in suo sinu tartareum Pharaonem suscipiat? mittatur in locum sibi & angelis suis destinatum, nempe infernum. per mare non pauci intelligunt reprobos, qui sunt in amaritudine animæ propter peccata, quibus irretiti tenentur: ne mireris ergo Pharaonem & exercitum eius in mare proiectum, quia impii & quasi Deum amaricantes, potestati Pharaonis tartarei traduntur.

Richardus. Pampol. in hoc cant.

mens est Richardi Pampol. *Potentatum Diaboli, & militiam Sathanæ, cui etiam militant omnes iniusti proiecit in mare, vt non habeat potestatem, nisi in mari, id est in amaricantibus Deum.*

### *Voluptas illicita in magno pretio habita à Sathana.*

69 *Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare*, S. Greg Niss. in lib. de vita Moysis ait, exercitus Pharaonis est cætus absurdorum studiorum, & dedecoris affectuum, quæ in vnum cogens, excitat bella timentibus Dominum: cur non alia congregat quam illicita vitia voluptatis vt Deum timentibus bella inferat? quia hoc vitium maximo in pretio habet Sathanas, cum eo innumera hominum millia seducat & perdat, vnde sic prosequitur Nisse.

S. Greg. Nissen.

*Electos dicit qui tales aliis esse videntur, & breui voluptate stultos allicientes, vt ipsis adhæreant, & à Sathana magnificant.* Vides quem locum habeant apud principem inferni scilicet electi & principes in eius regia honorantur, qui voluptatum turpitudini dediti, alios in eamdem voraginem impellunt, fungentes officio serpentis incautos seducentis.

### *Vir, nomen fortitudinis est.*

70 *Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare.* Quis tam eximium edidit miraculum? Dominus quasi vir pugnator, cur non ait dominus quasi homo pugnator? nam nullum discrimen inter vtrumque videtur constitui: aduerte esse nomina quæ in sacro contextu hominem significant, primum est Adam, secūdum est Enos, tertium Isih, quartum Heber. primum est speciei sicut & quartum: secundum vero fragilitatem significat, tertium fortitudinem, primum licet non sit proprium, per antonomasiam tamen tribuitur primo homini, secundum nomen Enos valet idem quod miser desperatæque salutis, tertium nomen est Isih, id est vir non solum à sexu, & virtute sed etiam à præstantia & dominatione deducitur. non inquiras ergo cur non nomen hominis sed viri posuit, quia huiusmodi nomē est fortitudinis quæ in submersione Pharaonis & exercitus eius declaratur:

S. Greg. Iob. 38.

vnde S. Greg. in illa verba Iob 38. accinge sicut vir lumbos tuos ait lib. 18. moral cap. 4.

Psalm. Sapi. 8.

*Scriptura sacra Viros vocare consueuit, qui nimirum vias Domini fortibus & non dissolutis gressibus sequuntur, vnde per Psalm. dicitur, viriliter agite & confortetur cor vestrum & sapiens cap. 8. Prou. dicit, ô viri ad vos clamito, ac si aperte diceret ego non fœminis sed viris loquor, quia hi qui fluxa mente sunt nequaquam verba mea percipere possunt.*

### *Qui diuinæ bonitatis & patientiæ contemptor, tandem miserrimè perit.*

*Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in ma-* 71
*re*, Nonne Deus potius quærit emendationem in suppliciis quam vindictam? sic enim D. Chrysost. hom. 7. ad populum Antioch. inter alia sic ait,

S. Chrysost.

Deus cum aliquem cæperit peccatorem, considerat quomodo ipsum corrigat, & meliorem faciat, atque ita iudex pariter, & medicus & pater est. item appellatur medicus in suppliciis à D. Basil. de constitutione monast. c. 35. & per allusionem ad medicos dum punit dicitur visitare, medicus vero salutem intendit non interitum.

D. Basilius Mag.

vnde dicitur Deus vulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt, imo quod mirabilius est, vulnerando sanat, & ideo illius sagittæ, salutis sunt: quod prosequitur S. August. in Psalm. 50. vbi ait, illa vox est Domini percutiam & ego sanabo, Deuter. 32. percutit putredinem facinoris, sanat dolorem vulneris, faciunt hoc medici, secant, percutiunt & sanant, armant se vt feriant, ferrum gestant, & curare veniunt.

S. August. Deuter. 32.

videndus Hierony. ad illa verba Sophoniæ. 1. disperdam homines à facie terræ, vbi 70. habent, infirmabuntur impii & tollentur à facie terræ, ait ergo Hierony.

S. Hieron. Sophon. 1.

Tollentur iniqui, non dixit occidentur, vt ad meliora de impietate & iniquitate, ad pietatem iustitiamque translati, incipiant esse quod non fuerant; hoc enim maxime curat Deus tollere vitia, non homines perire: quod aperte cernere est in suppliciis, quæ cautiores & puriores reddidere homines, etenim sacerdotes & Leuitæ qui ante captiuitatem Babylonicam in suis ministeriis fuerant negligentes post captiuitatem diligentissimi extiterunt: & constat ex 1. Esd. c. 3. vbi dicitur, cæperunt Zorobabel & reliqui de fratribus eorum sacer-

1. Esd. 3.

dotes & Leuitæ, & constituerunt Leuitas à viginti annis & supra, vt vrgerent opus Domini. quo in loco Venerabilis Beda ait, Notandum quantum boni malum captiuitatis attulit, de quo eruere omnes tanta intentione, quanta nunquam antea, cælestibus obsequiis instant: quæ cum ita sint, cur Dominus supplicium vltimum irrogauit Pharaoni nulla mistum venia, nulla conditum euasione? nonne Deus multa signa per manus Moysis operatus quibus suam bonitatem ad meliorem frugem inuitantem cognoscere potuit? nonne diuina lenitate eum ad pœnitentiàm expectante, debuit emolliri? sed quia omnia monita habuit contemptui, diuinam omnino indignationem debuit incurrere, hoc D. Basil. Mag. oratione quod Deus non est auctor malorum strictim quidem sed luculenter exposuit dicens, *Cum per longam Dei patientiam & supplicii procrastinationem, Pharaonis supplicia augescerent, vt tandem vbi ad vltimum terminum excreuissent eius peccata, illustrius fieret diuinum, quo perituruserat, iudicium, idcirco plagas modice quidem ab initio infligens, ac paulatim adaugens, eius duritiem minimè flexit: qui reperit eum vt initio Dei contemptorem, & illatas post pœnas ex consuetudine tolerantem: & ne sic quidem initio illum morti tradidit, donec ipse se præcipitem dedit dum cordis arrogantia fretus, iter iustorum ausus est ingredi, ac existimauit quemadmodum populo Dei, sic & sibi mare rubrum permeabile fore.*

Venerab. Beda.

S. Basil. Mag.

## *VARIETAS LECT. Vers. 5.*

**V**Vlg. Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum sicut lapis.

*Sept.* Ponto operuerunt eos.

*Pag.* Gurgites operuerunt eos, descenderunt in profunda quasi lapis

*Onk.* Abyssi cooperuerunt eos, descenderunt in profunditates.

*Arias Mont.* Abyssi operient eos.

*Oleast.* Descenderunt in vmbrosa, seu obscura quasi lapis.

## CONCORDIA.

**V**Bi vulg. habet, descenderunt in profundū, in Hebræo est ירדו במצולת quod Oleaster vertit in obscura, seu vmbrosa, rationem reddit quia sul & salat eiusdem sunt significationis: solet enim aqua in profundo esse obscura, & quasi vmbrosa, quoniam non penetrant illuc radii solares.

## EXPOSITIO.

**A**Byssi operuerunt eos, Abyssus est copiosa aqua ad cuius fundum non facile penetrari potest deorsum versus, abyssus nomen græcum de formali solum dicit voraginem aliquam ingentem, siue profunditatem fundo carentem, nam græce byssus inter alia significat fundum, addita vero A particula priuatiua valet absque fundo, sic autem August. in Psal. 41. de Abysso loquitur abyssus est profunditas quædam impenetrabilis, & incomprehensibilis, & maxime solet dici in aquarum multitudine, vbi enim altitudo, ibi profunditas, quæ penetrari vsque ad fundum non possit, *Descenderunt in profundum sicut lapis*, Prouerbialis locutio est, etenim lapis durus & grauis cum sit, sua sponte in imum tendit, proiectus maiori impetu deorsum fertur, & sic vt indicaret sacer textus, impetum quo veluti iactati in profundum maris sunt, dicit fuisse quasi lapides.

## CONCEPTVS.

### *Lapides sunt qui lapidibus simulachrorum seruiunt.*

72 **A**Byssi operuerunt eos, descēderunt in profundum sicut lapis; An ita graues & ponderosi sicut lapides? nequaquam, quomodo ergo sicut lapides in ima descenderunt? nonne deorum cultores erant? lapides ergo erant, sic enim B. Ambros. lib. 2. in Luc. in hæc verba Luc. 2. potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, ait, *Quid aliud quam lapides habebantur qui lapidibus seruiebant? similes vtique iis, qui fecerunt eos*, & paulo post addit, *Non immerito comparari lapidibus eos homines, qui ita inquit humanæ sensum naturæ amiserant, vt dum lapidibus putant diuinitatis alicuius inesse rationem, ipsi in naturam lapidum non vsu corporis, sed mentis habitu verterentur*, Concinit D. Greg. Niss. oratione 5. in Cant, vbi discrimen constituens inter Dei & dæmonis adoratores, *Vt* (inquit) *qui veram ad diuinitatem respiciunt, proprietates diuinæ naturæ in se percipiunt, ita qui animum ad simulachrorum vanitatem adiicit, in illud ipsum transformatur, quod oculis est expositum, & ex homine fit lapis, necesse est enim vt abominabilium idolorum adoratores fiant abominabiles, sicut ea quæ dilexerūt, Oseæ 9. & lapidū amatores lapides fiant.* En ergo cur sicut lapides in ima descendunt? quid mirum enim si sicut lapides in ima voluantur, qui propter lapidum adorationem in lapidis rigorem obduruerant?

S. Ambros. Luc. 2.

S. Greg. Niss.

*Qui oblatam occasionem pœnitendi negligunt, postea subito pereunt, vt pœnitere vix possint.*

73 *Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum sicut lapis.* Cur hoc mortis genus sustinuit? cur obruitur fluctibus? nemini dubium, quin multis Deus Pharaonem afflixerit, vt resipisceret, sicut quod qui fluctibus submergitur, vocem & mentem ei præripi, ne aut auxilium petere aut peccata confiteri valeat: iustè ergo abyssus operuit eum, & exercitum eius, iustissimè descenderunt in profundum sicut lapis, quia qui oblatam pœnitendi occasionem paruipendit, postea ita subito perit, vt pœnitere non possit, hoc in Pharaone & in populo Iudæorum pulchrè annotauit Chrysost. hom. 4. de Pœnit. *Nam cum quis* inquit *continuo peccans Dei consequitur indulgentiam, si postea nihil ab ea æquanimitate lucrum facit ad malitiæ fugam hunc præparat*, Deinde. *Deus & cor perueniens ad ipsum malorum culmen, funditus conterit, neque iam dat pænitentiæ locum, quod in Pharaone contigit, vbi enim priori & secunda & tertia & quarta alijsque post illas, plagis à Deo longanimitatis plurimum consequutus est, idque sibi nulli accessit vsui, contriuit eum reliquum atque cum ipso exercitu simul perdidit.* Ad hoc idem expendit Chrysost. ibidem illud Christi Domini Ierusalem Ierusalem qui occidis Prophetas & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti? [Matth. 23.] se gallinam Deus dicit, cum multis conatur homines ad pœnitentiam traducere, illi vero qui monitis non acquiescunt, sed occasiones pœnitendi parui pendunt, pulli dicuntur, cur hæc hinc similitudo sumpta est? pulli subito & nihil minus cogitantes, dum tuti degunt, & cibos quærunt, insidiantis Milui aduncis vnguibus rapiuntur, qui cùm omnino sint imbelles, facile præda fiunt raptoris, neque vllomodo se tutari valent; quod maxime in eos cadit, qui monita Dei ad pœnitentiam vocantis contemnunt, hi quidem frequenter subito diem suum obeunt, vel inimicorum insidiis patēt, vel apoplexia vitam abrumpunt, vel aliquomodo, vel difficile, vel nullomodo possunt pecca confiteri, aut pœnitere.

*Qui corde lapideo est, quid sperat nisi ad instar lapidis in profundum emergi?*

74 *Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum sicut lapis.* Descendant sicut homines, cum vere sint, non autem sicut lapides: non est dubium quin sit prouerbialis locutio, vt enim celerem descensum & subitam immersionem denotemus dicimus, descendit in profundum sicut lapis: & cur Ægyptios hæc prouerbialis locutio comprehendit? quid mirum? quia qui corde obstinato & lapideo est, quid sperat nisi ad instar lapidis demergi? *Indurarant cor suum*, inquit Martinus Del Rio adagio 79. veter. testa, [Martinus de Rio.] *Et anima poros omnes, ne diuina Misericordia, posset eos ingredi & eleuare, obturarant, ideo nequiuerunt vndis vltionis supernatare.* Imo digni erant vt qui infantes sine misericordia aquis submerserant & in coctura laterum tyrannice cruciarant ex aquis laterum instar non emergerent.

*Sancti vt nubes vel aquilæ volant, impii in infernum sicut lapides descendunt.*

*Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum sicut lapis.* Nonne de quibusdam ait Isaias, qui sunt hi, qui vt nubes volant? si ergo aliqui instar nubium volant, imò vt aquilæ, quomodo alii non enatāt non solū in aquarū superficie sed sicut lapides mole grauissimi ad ima descendunt? quia sicut inter homines impii & probi, quorum primi præ malitia & impietate graues effecti, tanquam lapides in profundum dantur præcipites, ita posteriores quia solum cælestibus intenti, nihil nisi diuina meditantur, sunt nubes leuissimæ & volare dicuntur. mens est Greg. Niss. *Nam lapidibus erant stolidiores & grauiores, nihil leue & sublime habebant, vel vt aerem penetrare possit, sicut enim onus graue grauatæ sunt, & non in maris superficie, sed in profundo aquæ ipsius; quoniam & isti in malorum profundum peruenerunt, pro nihilo ducentes Deum, sed non huiusmodi sunt sancti, vt nubes enim volant inquit Isaias c. 40. & vt aquilæ per aerem.* Similia ferè habet Procopius, *Illi minus quam lapis sentiebant plumboque grauiores erant, nihil enim distabant ab onere graui & importabili: nunquam ad leuia & sublimia contendentes, & ita haud immerito demergebantur in profundum maris: siquidem deuenerant in profunditatem peccatorum contemnentes Deum contumaciter, at sancti & pii ad instar nubium volitant & vt aquila suo volatu superant aereum elementum.* 75 [Greg. Niss. lib. de vita Moy.] [Isai. 40.] [Procop.]

*Qui transitoria diligunt, in profundum præcipitantur.*

*Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum sicut lapis*, Cur in profundum maris præcipitantur? quid mare denotat, nisi amaras huius vitæ transitoriæ cupiditates? cur ergo in ima maris non descenderentur? qui enim transitoria diligunt, hoc supplicii genere puniri debent, sic enim eamdem proponit quæstionem, & respondet, *Quia non erant tales lapides de quibus suscitari possent filii Abrahæ, sed tales qui amarent profundum & liquidum diligerent elementum, id est qui amaram & fluxam præsentium rerum caperent voluptatem.* 76 [Origenes.]

*Lætitiam continere vix possumus.*

*Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum sicut lapis*, Nonne eiusdem rei repetitio fastidit causatque nauseam? quoties autem dixisti, fluctibus suffocatos Ægyptios? aquas maris eos obruisse, nemine quidem saluo & incolumi manente? cur ergo denuo repetis abyssos eos operuisse, & sicut lapides in profundum descendisse? ait Hugo à Sancto Victore, *Ex nimia lætitia sæpe idem aliter, & aliter replicatur*, Et merito, quis enim taceret? quis pluries signa lætitiæ suæ non declararet? 76 [Hugo Victorinus.]

*In morte ducum magis dolendum quam in aliorum interitu.*

*Abyssi operuerunt eos*, Quosnam operuerunt? sanè non solum totius exercitus milites, sed & duces, sic enim dicitur, electi principes eius submersi sunt, cur nominantur electi principes eius? cur de eis specialiter dicitur quod submersi sunt? nam si antea dixerat, quod aquæ, nullo manente

vniuersum exercitum operuerant, facile subintelligebantur electi principes submersi, cur ergo peculiariter elatis nominantur? quia in morte principum, magis dolendum quam in interitu plebeiorum, *Non solum principes*, inquit Abulens. (Abulens.) A *electi submersi sunt, sed etiam totus exercitus curruum & equitum, ita quod nec vnus exeis remansit, sed fit mentio specialis de principibus electis, quia de istis magis dolendum erat cum essent capita populi*; intellige dummodo fuerint viri probi.



## *VARIETAS LECT. Vers. 6.*

VVlg. Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum.

*Sept.* Dextera tua Domine glorificata est in fortitudine, dextera tuæ manus confregit inimicos.

*Cald.* Dextera tua Domine fortissima est in virtute.

*Onk.* Dextera tua Domine celebris est in virtute.

*Vatab.* Dextera tua Iehoua insignis robore B admodum.

*Oleast.* Dextera tua Domine roborata est in fortitudine.

*Caiet.* Dextera tua Iehoua fuit roborata in robore, dextera tua franget inimicum.

*Niss.* Vulnerauit inimicum.

*Pag.* Magnificata est in potentia.

## *CONCORDIA.*

OLeast. hic non est audiendus qui asserit verbum אדר adar sine causa redditum fuisse per magnificare, sed longe eo doctior vulg. ita reddidit, nec non linguæ Hebrææ peritissimus Arias Mon. ita etiam vertit, sed audiendus Pag. in suo thesauro אדר adar in coniugatione nifhal נאדרי magnificatus fuit aut roboratus fuit, vel roborauit vel magnificauit seipsum, dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, deinde plura alia profert in medium testimonia & subiicit nomen אדיר magnificus, magnus, robustus, fortis, hoc nomẽ significat prægrandem, amplum, præualidum, sic quæcumque ex hac radice sunt insigne quidpiam denotant, hinc varietas lectionum, verbum תרעץ tirhal non solum percutere, C sed confringere & frangere significat, verbum quidem tantum in scriptura, nam solum hic & 10. Iudic. inuenitur.

## EXPOSITIO.

DExtera tua Domine magnificata est in fortitudine, Omnipotentia, tua demonstrata est, tum cum eduxisti Israelitas liberos ab Ægypto, tum cum percussisti vltimo supplicio Ægyptios, vel hæc repetitio facta est ad amplificandum, non ad significandum res diuersas, qualis est illa repetitio, eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam Psalm. 92. (Psal. 9.) & cum huc vsque veluti de absente Deo locutus fuerit in tertia persona Moyses, iamsi oculis videret eius maiestatem, atque potentiam in conspectu haberet, apertè ex rei gestæ magnitudine perspectam, tanquam præsentem appellat & compellat, ex hoc mirabili facto manifestissima reddita est potentia manus tuæ, neque enim humana virtute incolumis euasit populus Israel, nec humana potentia submersus & profligatus est Pharao, sed immensâ illâ quæ potentissimam manum tumescentibus fluctibus ligauit, superauit & confregit.

## CONCEPTVS.

### *Multa in scriptura sancta metaphorice intelligenda.*

78 DExtera tua Domine magnificata est in fortitudine dextera tua Domine percussit inimicum, An Deus corporeus vt ei dextera & sinistra tribuatur? nonne spiritus purus est, qui sicut carne & ossibus caret, ita & membris non gaudet? cur ergo in gratiarum actione referenda, ait Moyses dextera tua Domine magnificata est? Deus quidem spiritus, & propterea membris proprie sumptis carens, nec proprie dextera ei tribuitur, quapropter non solum hic sed alibi sæpe, plura metaphorice sumenda, legendus est B. Chrysost. (Chrysost.) hom 14. in Ioan. vbi hic ait, *Sacra scriptura verbanon vult Deus vt simpliciter, sed multa cum pru-* D *dentia intelligantur, ideo B. David sæpenumero in Psalmis ad doctrinam nostram, reuela, inquit, oculos meos vt intelligam mirabilia de lege tua Psal. 118* (Psal. 118.) *item & eius filius quod oportet tanquam argentum exquirere sapientiam, & tanquam thesaurum perscrutari, & propterea Iudæos Dominus admonuit Ioann. 5. scrutamini scripturas*, (Ioann. 5.) *quod non vtique dixisset superficiere & prima tantum lectione possent intelligi, quod enim in medio & in promptu positum est nemo fane perscrutatur, sed quod obscurum est & latens magna indiget inquisitione, vt inueniatur, idcirco thesaurum absconditum scripturas appellat, vt ad earum inquisitionem nos excitaret; & hæc autem nobis data sũt, ne simpliciter temere, sed sũma cum attētione scripturam audiamus, namsi quis ipsa dumtaxat verba nuda, & vt dicuntur, acciperet, multa absurda de Deo necesse*

*necesse est suspicari etenim hominem eum esse pœnitentia corripi, iracundum, furibundum, aliaque de eo his peiora intelliget. verum si reconditam verbis sententiam comprehenderit, omnia purgabuntur: nam proposita nobis lectio sinum Deum habere dicit quod est proprium corporis, sed nemo tam insipiens qui incorporeum corpus habere arbitretur.*

*Dextra prosperitatis impios plerumque deiicit.*

79 *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum.* Sept. confregit inimicos. Si in bonam partem Dei dextera sumitur, quomodo percutere, quomodo confringere potest? nemini dubium quin dextera prosperitas & fœlicitas, nec non temporalium abundantia intelligatur, vt videre est apud Hieronym. Epist. ad Principiam Aug. lib. de essentia diuinitatis. (D. Hieron. D. August.) quid ergo mirum, si dextera Dei percutit & confringit inimicos? quia præsens prosperitas & fœlicitas temporalium, impios vt plurimum deiicit, fatetur B. Gregor. Mag. 3. p. pastor. admon. 27. (S. Gre. Mag.) *Hostes Dei, inquit, & si in sinistra proficiunt in dextra franguntur; quia plerumque prauos vita præsens eleuat, sed aduentus beatitudinis æternæ damnat: admonendi sunt igitur qui in hoc mundo prosperantur, vt solerter considerent, quia præsentis vitæ prosperitas aliquando idcirco datur, vt ad meliorem vitam prouocet, aliquando vero in æternum vt plenius damnet. scriptum est enim dextera manus tua confregit inimicos.*

*Aduersitas pios non frangit, sed eleuat.*

80 *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum.* Cur non dixit dextera tua Domine populum electum, in terram Chanaan deduxit? si dictum est dextera prosperitatem designari, certum erit, quod sinistra adumbrabitur aduersitas. non ergo dextera Domini deduxit populum Israelem in terram promissionis, sed sinistra, quot enim ærumnis huius sæculi? quot calamitatibus? quot miseriis, tyrannicè oppressi, in eam hæreditatem lacteam & melleam peruenere? hinc rectè ibidem S. Doctor. *Admonendi sunt qui ea quidem quæ mundi sunt concupiscunt, sed tamen aduersitatis labore fatigantur, vt, solicita consideratione perpendant, creator dispensatorque cunctorum quanta super eos gratia vigilat, quos in sua desideria non relaxat, ægro quippe quem medicus desperat, concedit vt cuncta quæ concupierit accipiat. nam qui sanari posse creditur, à multis quæ appetit, prohibetur pueris nummos subtrahimus, quibus tota simul patrimonia hæredibus reseruamus. hinc ergo de spe æternæ hæreditatis gaudium sumat, quos aduersitas vitæ temporalis humiliat. quia nisi saluando eos ne in perpetuum cerneret erudiendos, sub disciplinæ regimine diuina dispensatio non frænaret.*

*Vnigenitus Dei filius hostes electorum suorum confringit.*

81 *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua percussit inimicum,* Cald. *dextera tua Domine fortissima est in virtute,* quænam est illa dextera quæ tantis polleat viribus? vel vt habet Vatab. *dextera Iehoua insignis robore admodum,* quæ non quemcumque inimicum, sed potentissimum, imo innumeros domare potuit? an vnius hominis dextera talem à bellicosissimis hostibus victoriam retulit? non hominis sed vnigeniti Dei filij, qui electorum suorum hostes facilè superat, domat, imo & confringit. non dissentit B. Ambros. lib. 3. de Spiritu S. c. 2. (D. Ambr.) *Digitus Dei appellatus est Spiritus sanctus, eo quod sit Patri & Filio & Spiritui sancto indiuidua & inseparabilis communio, nam sicut Filium Dei, dexteram Dei scriptura dixit sicut lectum est dextera tua Domine glorificata est in virtute &c.* sed clarius S. Hieron. c. 2. in Hab. (Hieron.) *quod Filius Dei patris dextera & brachium appellaretur multa sunt testimonia ex quibus pauca dicimus saluabit sibi dextera eius & brachium sanctum eius Psal. 92. & Isai. 51 in brachio meo gentes sperabunt &c. hoc brachio eduxit Dominus populum Israel de terra Ægypti.* (Psal. 92. Isai. 51.) quibus subscribit Procop. (Procop.) *Dextera nimirum filius est, qui etiam virtus Dei nuncupatur, illa dextra tum temporis profligauit Pharaonem, nunc domat & contundit Sathanam.*

*Dextera Domini maximæ efficaciæ & virtutis.*

82 *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua percussit inimicum,* Cald. *fortissima in virtute* Vatab. *insignis robore admodum.* Cur hæc epitheta Dei dextera sortitur? cur fortissima in virtute nuncupatur? tantane virtus vel fortitudo requiritur ad percutiendum inimicum? quot è suis aduersariis vindictam exigunt? exigunt equidem, sed nec de multitudine quasi innumera, nec cum aliorum libertate, quod vtrumque præstat Dei dextera. sic enim aliqui apud Agellium. (Agellius) *Quod apud homines fieri non posset, vt dextera simul duo opera efficiat, id tua dextera effecit, namque magnificata est in fortitudine, hoc est magna atque admirabili fortitudine prædita apparuit, dum Israelitas eripuit eademque percussit Ægyptios ac perdidit.*

*Christus Dominus de quibus aduersariis victoriam non referet?*

83 *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine dextera tua percussit inimicum* Niss. *vulnerauit* Sept. *confregit inimicos.* Quos inimicos? nam solum sermo est de Pharaone & exercitu eius, qui vnius inimici nomine comprehenditur. (S. Gre. Niss.) quæ nam est igitur illa dextera tam insignis, quæ non solum vulnerauit, sed & confregit inimicos? sanè Christus Dominus, qui de omnibus aduersariis victoriam retulit celebrem. *Christus Dei potentia & sapientia est* (inquit Niss.) *ipsa igitur gloriosa effecta est cum inexpugnabilis Patris potentia illuxit, cumque Pharaonem & omnem illius contriuit exercitum.* sed apertius Moguntinus Episc. (Rabanus Maurus. Psal. 117.) *quæ est ista dextera, nisi illa de qua in Psal. 117 scriptum est, dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, quæ inimicum verum & antiquum hostem interfecit per crucis mysterium, & per mortem detraxit eum qui habebat mortis imperium id est diabolum, alligans fortem & vasa eius diripiens, atque draconem serpentem videlicet antiquum, qui cauda sua detraxit tertiam partem syderum, & misit in stagnum ignis ardentis qui paratus est sibi & Angelis eius.*



## VARIETAS LECT. Vers. 7.

**V**Vlg. Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos, misisti iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam.

*Sept.* In multitudine gloriæ tuæ contriuisti aduersarios, misisti iram tuam, deuorauit eos sicut stipula.

*Cald.* Et in multitudine fortitudinis tuæ confregisti eos, qui consurrexerunt contra populum tuum, misisti iram tuam, & consumpsit eos sicut ignis stipulam.

*Onk.* Eo quod insurrexerunt.

*Pag.* Et in multitudine magnificentiæ tuæ, diruisti inimicos tuos.

*Arias Mont.* Et multitudine celsitudinis tuæ, diruis consurgentes tuos, mittes iram tuam, deuorabis eos sicut stipulam.

*Oleast.* In multitudine eleuationis tuæ, destrues insurgentes in te, mittes iram tuam.

*Caiet.* Et in multitudine superbiæ, diruisti insurgentes in te.

*Vatab.* Misisti furorem tuum, qui deuorauit eos sicut stipulam.

*Richard. Pampo.* Deposuisti aduersarios meos.

## CONCORDIA.

IN Hebræo est וברב גאונך vbrob geonacha, gana autem pro gloria, maiestate, magnificentia, eleuatione, superbia ponitur: verbum הרס haras destruere, dissipare, conterere, & deponere interpretatur. קמיך kamim significat insurgentes contra aliquem, siue aduersarios, hostes & inimicos, legit Vulg. misisti, in Hebræo est תשלח mittes, sed plerumque futurum pro præterito & contra apud Hebræos ponitur.

## EXPOSITIO.

IN *multitudine gloriæ tuæ.* In, præpositio more Hebræo habet vim præpositionis *per*, vt Psal. 88. semel iuraui in sancto meo, id est per sanctitatem meam, & Psal. 62. laudabuntur omnes qui iurant in eo, id est per eum, siue eius nomen. habet & vim præpositionis *cum* vnde dupliciter intelligitur, primo per magnam & gloriosam virtutem tuam, tuos aduersarios debellasti, vel cum multa gloria & præclara nominis tui fama deposuisti aduersarios tuos, deposuisti inquam de sede eius potentiæ, qua antea dominabantur, *deposuisti aduersarios tuos*, Pharaonem cum suis, elatos enim animo, & altos sensu, ac excedentes cogitatu, & efferentes se super alios sibi inimicos reputat Deus. cui expositioni suffragatur verbum illud *deposuisti*, quod hunc sensum facit, è sublimi, quo se extulerant, loco, deiecisti eos, & quantum illi in altum se tollere conati sunt, tantum illos omnibus viribus eiicere ac euertere constituisti, *Misisti iram tuam quæ deuorauit eos sicut stipulam*, hic ira diuina fingitur à Moyse, quasi ignis quidam omnia in quæ incurrit, perinde ac stipulam, hoc est facillimè & nullo negotio consumens & deuorans, & forte sic ignea ira eius emicuit quando respexit Dominus in vigilia matutina per columnam nubis & ignis, multique Ægyptiorum non solùm aqua, sed etiam elisis in nube ignibus sunt deuorati, & licet ita res non se haberet, nihil mirum esset iram diuinam ad modum ignis accipi & fingi, cum ira etiam humana sit & dicitur ignis metaphoricus, hinc dicimus quempiã ira accendi, excandescere ira: ira autem cum sit humana affectio, & ascensio sanguinis circa cor hoc modo Deo relegãda est, vel eius imperfectio de medio tollenda, sed solum eius effectus ei tribuendi nempe supplicia illata, appositè iram siue ignem iungit stipulæ, hanc enim facillime consumit ignis.

## CONCEPTVS.

*Deus mansuetissimus, nostris peccatis ad iracundiam prouocatur.*

IN *multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos, misisti iram tuam.* Quid est quod iram ... Deus misit? quis modus hic loquendi? an ... ira sicut ab arcu sagitta? ita intelligit D. ...on. & sicut sagitta non est posita, & innata ... sed extrinsecus adiuncta, sic ira Deo ... est innata, cum sit benignus & mansuetissi... d peccatis nostris ad iracundiam prouoca... Doct. verba in cap. 16. Ezech. ... *coniunctum* (inquit) *est & in vno corpore co*... *um mitti non potest, sed illud quod extra corpus est, verbi gratia lancea, telum, sagitta, gladius, ex quo perspicuum est non esse naturalem iram Dei, sed nostris vitiis clementissimum & mansuetissimum Deum, ad iracundiam prouocari.*

*Impiorum consilia in eorum perniciem relabuntur.*

*In multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos.* Quid est deposuisti? nonne Pharao cum suis Israelem è libertate quam Dei beneficio adeptus fuerat, deponere molitus est, imo & ei vitam adimere? quomodo igitur Israel non solum libertatem suam non amittunt, sed Ægyptij è libertate, imo & è vita deponuntur? quia impiorum 93

D. Ambrof. Pfal. 36.

consilia in eorum perniciem relabuntur, quod D. Amb. in illa verba Psalm. 36. animaduertit, gladius eorum intret in corda ipsorum, sic autem ait. *Quemadmodum reuertitur pax in Dei seruulos ab iis qui non receperint benedicentium pacem, ita etiam malitia peccatorum, qua iusto nocere conantur in eorum perniciem reuertitur, quo suis vulneribus & telis cruciantur.*

*Deus sontes punit non ex ira aut odio, sed ex iustitia.*

94 *In multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos misisti iram tuam.* An ira aliis mittitur? non equidem, sed eius effectus nempe punitio; ira enim est motus animi, quo homo ad inferendum malum commouetur, vnde ira mitti seu inferri non potest. immittit autem homo supplicium commotus ab ira, vnde dicendum erat intulisse seu immisisse Deum supplicium non iram, cur ergo dicit iram immisisse? qui aliquid extra se mittit, illud habere non potest? ne mireris ergo hac phrasi vsum fuisse Moysem, *misisti iram tuam,* denotat enim Deum non ex ira & odio sontes Ægyptios punisse, sed solum ex iustitia. mens est S. Chrysost. in illa verba Psal. 7. Deus index, iustus, fortis & patiens, nunquid irascitur per singulos dies? sic autem legit, iram inferens per singulos dies & ait. *Vide etiam quomodo hic ostendit Deum à molestia alienum & iram appellat punitionem, nemo enim iram infert aliis, sed ipse quidem habet iram, supplicium autem infert aliis: nihil ergo significat aliud quam punitionem cum dicit & non inferet iram per singulos dies.*

D. Chrysost. Psal. 7.

*Ira ignis est omnia consumens.*

95. *In multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos, misisti iram tuam quæ deuorauit eos sicut stipulam,* Cald. *misisti iram tuam quæ consumpsit eos sicut ignis stipulam.* Cur iram Dei igni comparat? dices ex collatione ad iram hominis, cum igne confertur. scio quod in corpore humor biliosus, qui si in copia sit, disponit ad iram, inflammat iecur, & sanguinem igneæ naturæ, ignisque qualitates habet, nempe calorem & siccitatem. sed & adde iram ignem dici metaphoricè, quia ad instar illius omnia dissipat & consumit. sic appellatur à Clem. Alexand. lib. 6. Strom. *Puto quod satis dignas habeat is iracundiæ causas, ex quibus iste iustissimus ignis coalescat,* & D. Chrysost. hom. in Matth. 18 *Ira debet vinci patientia ignis enim est, verum ignis non extinguitur igne, sed aqua.*

Clemens Alexand. D. Chryso.

*Aduersarios electorum vt suos reputat Deus.*

96 *In multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos,* Oleast. *destrues insurgentes in te.* Quid? nonne debuisti dicere ò Moyses, nostros aduersarios deposuisti, vel in populum tuum electum insurgentes, vt habet Cald? cur inimicos Dei nominasti? sciebat Deum in tanto habere pretio suos, vt eorum aduersarios suos esse censeret. *Cum consentaneum esset* (inquit Agellius) *aduersarios populi tui dicere, vertit orationem, ac dixit. deposuisti aduersarios tuos, tanta namque prudentia ac cura populum suum prosequi significare voluit, vt illorum hostes suos esse aduersarios putet, vt alibi nempe Psalm. 82. dixit, quoniam ecce inimici tui sonuerunt & qui oderunt te extulerunt caput, & quasi exponeret, quinam illi eius inimici essent adiunxit, super populum tuum malignauerunt consilium, & cogitauerunt aduersus sanctos tuos.*

Agellius.

Psal. 82.

*Deus præcipue superbos quasi suos aduersarios reputat.*

*In multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersa-* 97
*rios tuos.* An Deum persequuntur? an in eum insurgunt, vt aduersarios Dei nominet Ægyptios? preme verbum deposuisti, quod propriè de iis dicitur qui propter animi arrogantiam à sede potentiæ suæ deiiciuntur. quid miraris ergo si Ægyptios dixerit Dei inimicos? nam inter eos qui vitiis sunt dediti, præcipuè & specialiter superbos suos esse censet hostes infensissimos, mens est Carth. Episc. *Propriè superbos, & alto sensu elatisque animis se se supra cæteros efferentes, hos sibi inimicos esse deputat, hanc vero sententiam esse verbum deposuisti indicat, quasi è sublimi quo se extulerant loco deiecisti, quam illi in altum se tollere conati sunt, tam illos omnibus viribus deiicere atque euertere molitus es, bellum aduersus te suscipere eos existimas, qui superbiunt ideo in multitudine gloriæ tuæ & omnibus viribus aduersus eos decertas, eosque subruis & è sublimi fastigio deiicis.*

Episcop. Aceincuf.

*Celerrimè & in integrum superbos destruit Deus.*

*In multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersa-* 98
*rios tuos, misisti iram tuam qua deuorauit eos sicut stipulam.* Caiet. consumpsit eos sicut ignis stipulam. cur sicut ignis stipulam sic eos consumpsit? cur non ait sicut lignum aut stipitem consumpsit aut deuorauit? aduerte quod nihil celerius consumitur stipula, & quod ex ea consumpta, nihil ferè remanet, at ex stipite consumpto, carbones supersunt, & difficile ab igne vincitur: quam benè ergo dixit, quod sicut stipulam ignis, sic eos consumpserit ira diuina; quia celerrimè & in integrum superbos Deus destruit, non arborum truncum dixit ac radicem, sed vt consumptionis celeritatem ac facilitatem magis ostenderet ait, iram quasi ignem efflasti, qui deuorauit eos, non vt crassiorem stipitem ac truncum, sed vt leuissimam & aridam stipulam, neque solum facilitatem & velocitatem consumptionis hac similitudine significauit, verum etiam omnifarium interitum, nam de lignis si comburantur carbones relinquuntur, at stipulæ consumptæ in fauillas abeunt. ita noster Titelmanus. *Misisti iram indignationis tuæ quæ deuorauit eos & penitus consumpsit, extendere & exercere voluisti vltionem tuam contra eos quæ eos consumpsit & penitus ad nihilum redegit absque vlla difficultate, ad eum modum quo stipula sicca consumitur à facie flammæ vorantis.*

Noster Titelmanus.

*Angelus aliquando ira furoris Dei.*

*In multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersa-* 99
*rios tuos, misisti iram tuam.* Quis iram suam in alium mittit? ira enim est animi affectio vel appetitus sensitiui motus, quis autem in alium suam animi affectionem potest transferre? quænam est ergo illa ira Domini in Ægyptios missa, eosque consumens? respondet Euthymius. *Per iram à Deo immissam intelligit Moyses etiam ipsum Angelum pœnarum ministrum,* à qua mente non alienus D. Greg. *Iram vocat Dei sacra scriptura motum ad puniendos peccatores animaduersione dignos, vel Angelos huic subseruientes, ira quippe & furor quomodo mitti potest?*

Euthym. in hoc cant.

Greg. Nisse. lib. de vita Moy.

*Vitia hominibus contraria.*

100 *In multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos.* Richard. Pampo. legit deposuisti aduersarios meos. quinam ô Moyses, sunt tui aduersarij? dices Ægyptios. sed in sensu mystico quoinam censes inimicos tuos? an homines qui te crudeliter persequuntur, qui tibi detrahunt &c? vitia arbitratur, quid enim maiori odio prosequi deberemus? quid autem nobis magis infensum quam peccatum? sic explicat eit. Eremita. *Ad commendandam gloriam tuam, deposuisti ab antiqua possessione vitia aduersantia mihi, vel malos homines nequiter aduersantes.*

Richardus Eremita in hoc cant.

*In puniendis sontibus gloria principum consistit.*

101 *In multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos.* Sept. contriuisti aduersarios tuos Pagn. in multitudine magnificētiæ tuæ diruisti aduersarios tuos: an magnitudinem gloriæ Dei vel magnificentiæ eius consistere arbitraris, in conterendis hominibus? nonne principis gloria potius in suorum salute, quam in aliorum perditione declaratur? nonne ô Moyses Deum tuum & meum sibi persuasum habebunt ethnici idolorumque cultores crudelem esse, cum magnitudo gloriæ in eo sit posita quod aduersarios suos deprimat, destruat, & consumat? nonne gloriosius est condonare? ne dixeris crudelem Deum cum in sontes qui minis & punitionibus quotidie fiunt deteriores, seuerè animaduertit, hoc enim ad gloriam illius, & ad bonum totius vniuersitatis pertinet, fauet D. Amb. 2 offic. c. 27. *Cum dolore amputatur etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur. si potest sanari medicamentis si non potest tunc à medico bono abscinditur. sic Episcopi effectus boni est vt optet sanare infirmos, serpentia auferre, vlcera adurere, aliqua non abscindere, postremo quod sanari non potest, cum dolore abscindere.* pertinet ad perfectum iudicem ac rectorem, extremis malis extrema itidem inferre supplicia, extremum autem malum est plagis illatis meliorem non fieri. vnde D. Greg. Nazianz. orat. 15. ait, *est paterna beneuolentia vt cum peccamus in nos animaduertatur, neque graue est plagis affici. sed plaga meliorem non fieri, grauissimum est.*

D. Amb.

*Deus puniens quasi ex se ipso egreditur.*

102 *In multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos,* Sept. contriuisti aduersarios tuos, *misisti iram tuam.* Quid? nonne Deus benignissimus & misericordia eius super omnia opera eius? nonne ipsi naturale est miseris parcere, eis benefacere? quomodo ergo aliam personam induit, quam Dei misericordis, & benigni? quia Deus puniens quasi ex seipso egreditur & velut extra se fertur mittens iram suam extra. sic D. Hieronym. in illa verba Michææ, ecce Dominus egreditur de loco sancto suo. sic autem ait. *Dominus qui natura benignus est, vestris peccatis cogitur personam quam non habet crudelitatis assumere, ecce enim egreditur de loco sancto suo.* Et sic ostendit sanctus Doctor adeo naturale esse Deo misereri & parcere, vt cū mala alicui etiamsi iustissimè inferat sunt, dicitur egredi de loco sibi connaturali, & veluti extra se ferri.

D Hieron. Mich.

A *Quasi Deum pænitet aliquem punisse, & sic ei deinde benefacit.*

*In multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos,* scilicet Pharaonem & Ægyptios sibi rebelles, *misisti iram tuam quæ deuorauit eos sicut stipulam.* Ita vt quasi in fauillam omnes redigerentur, quot & his grauissimis Ægyptum affecit plagis? & tandem sicut stipulam ignis, sic eos in spiritu furoris consumpsit, vltimo eos afficiens supplicio, & hoc iustissimè propter eorum induratam in malis mentem. sed si iustissimè in eos animaduertit, quomodo in eamdem Ægyptum misit filium suum vnigenitum? cur Christus Dominus deinde eam petiit, suaque diuina visitatione dignatus est? vt miseram eam prouinciam (quasi pœniteret eum sic grauiter illam castigatam) per benignitatem ad se traheret, quam nunimè flectere potuit olim multis adhibitis signis B & repetitis suppliciis; quod eleganter prosequitur S. Chrysost. hom. 2. ex variis in Matth. vbi ait. *Post Ægypti olim graue delictum, post multiplices in eam plagas diuinitus irrogatas, Deus pater omnipotens pietate commotus, filium suum misit ad Ægyptum, vt quæ iamdudum sub Moyse debitas sceleris sui pœnas expenderat, nunc suscipiendo Christum, spem salutis acciperet, quanta est Dei misericordia, quæ per aduentum filij eius ostensa est: hæc Ægyptus quæ olim sub Pharaone in Deum contumax, & rebellis extiterat, nunc susceptaculum, & habitatio fit Christi. talis misericordia Domini circa Ægyptum.* Cui addendus Author operis imperfect. in Matth. homil. 2. vbi agens de fuga Christi in Ægyptum ait. *quare vadit in* C *Ægyptum? nunquid alia terra defecit? semper enim aduersus populum eius Ægyptus extitit inimica Psalm. 84. sed etiam recordatus Dominus qui non in finem irascitur, nec in æternum indignatur, quanta mala fecerit super Ægyptum: ideo mittit filium suum in eam & dat ei magna reconciliationis signum, & perpetuæ amicitiæ, vt decem plagas Ægypti vna medicina sanaret. ô commutatio dextra Excelsi? Psalm. 76. vt populus qui ante fuerat persecutor populi primogeniti, postea fieret custos vnigeniti filij, vt qui illi populo violenter dominati sunt, isti cum deuotione seruirent. vt iam non irent ad mare rubrum demergendi, sed vocarentur ad aquas baptismatis viuificandi.*

103

D. Chrysost.

Auctor operis imperf.

D *Etiam seuera Dei punitio, plena misericordiâ est.*

*In multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos, misisti iram tuam quæ deuorauit eos sicut stipulam.* Cum per tot annorum curricula Israelitas oppressērint, cur ita breui consumpti sunt, partim igne, partim fluctibus maris? quid enim celerius comburitur quam stipula ab igne? cur per multos annos non cruciātur aliqua graui infirmitate, vel fœtido vlcere vt suppliciū culpæ responderet, & vt easdem pœnas quas aliis intulere, subirent? cur breui consumuntur? vt in hac etiam seuera Dei punitione, maxima misericordia eius elucesceret. *Aduerte*, inquit B. Chrysost. hom. 18. in Genes. *Quod Dominus noster in singulis operibus misericordiæ argumentū ostendit, & singula pœnarum species benignitate plenæ sunt.* addere liceat B. Petrum Chrysol. serm. 24. sic scribentem, *Re vera fratres periisset* 104

D. Petrus Chrysol.

*totum quod Deus fecerat nisi misericordia subuenisset, culpa & vltio quicquid in hunc mundum venerat antecebant, quia & singulos sæpe tendebat in lapsum & cogebatur ad victimam semper censura iudicantis: hæc est Christi magna & larga misericordia, quæ iudicium omne in vnum seruauit diem, & Domini totum tempus ad pœnitentiæ deputauit* A *inducias, vt quod ignitiis infantia suscipit rapit adolescentia inuasit iuuentus, corrigat vel senectus & de peccato vel tunc pœniteat, quando sentit iam tunc non posse peccare & tunc peccatum deserat, quando illum reliquerit iam reatus faciat Dei necessitate virtutem, moriatur innocens, qui totus vixit in crimine.*



## *VARIETAS LECT. Vers.* 8.

V*Vlg.* Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ, stetit vnda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.

*Sept.* Et per spiritum indignationis tuæ, diuisa est aqua: compactæ sunt tanquam murus, aquæ, compactæ sunt vndæ in medio mari, *sic Euthym*

*Aquila, Symm. Theodot.* Coaceruata est aqua.

*Chald.* Et in verbo oris tui sapienter congregatæ sunt aquæ, steterunt fluentes sicut murus, coagulatæ sunt abyssi in corde maris.

*Onk.* Steterunt sicut murus fluenta, coagulatæ sunt abyssi in corde maris.

*Pag.* Et per spiritum furoris tui coaceruatæ sunt aquæ, steterunt sicuti aceruus fluenta, coagulati sunt sicut gurgites in corde maris.

B *Vatab.* Spiritu naris tui coaceruatæ sunt aquæ, co[illegible]atæ sunt voragines in corde maris.

*Arias Mont.* Et in spiritu nasi tui, coagulatæ sunt aquæ.

*Caiet.* In spiritu narium tuarum, sunt aquæ coaceruatæ, fuerunt stantes sicut aceruus, colantes, fluentes coagulatæ sunt abyssi.

*Oleast.* In spiritu furoris tui inuolutæ sunt aquæ, steterunt sicut commotio fluenta, condensatæ sunt voragines in corde maris.

## *CONCORDIA.*

QVia dictio אף aph & furorem & nares significat, hinc est quod Hebraica verba וברוח אפיך vb ruah appecha per flatum siue spiritum naris tui vel narium redduntur, Hebræi autem iram & furorem nares vocant, vnde sermo hic accipitur per anthropologiam, vnde Deo loquamur quasi de irato homine, qui naribus spirat: vbi Vulg. legit congregatæ sunt aquæ, Sept. vertunt διέσχη τὸ ὕδωρ diuisa est aqua, sed nulla est contrarietas, hoc enim in loco congregare significat factam diuisionem & scissuram aquarum antea vnitarum, ita vt vna pars ad dexteram, altera vero ad sinistram congregata staret, & quæ ad dexteram erat pars congregata est illius aquæ quæ ibi ante diuisionem erit, & congregata est aquæ etiam ibidem præexistenti, & quæ etiam erat pars aquæ ad sinistram, congregata est illi aquæ, quæ ante diuisionem erat ad sinistram, relicta in medio intercapedine quadam aqua nudata quæ iter transituris Israelitis præberet, quod quomodo factum sit, hac similitudine intelligitur, vt si quis in vas aliquid vehementius intulisset, cedunt aquæ, & hinc inde colliguntur ac medium locum aperiunt, ita profunda maris ex vtraque parte dissilientibus aquis nudata sunt, vt per ea iter fieri posset, qua explicatione dicta facile C conciliantur versiones illæ quarum altera diuisam, altera congregatam aquam significat, vt diuisio significet apertionem & diuisionem in aquis factam quæ vt iter aperiret colligebantur & congregabantur & in se & in aquas præexistentes; altera vero aquarum ex vtraque parte collecta, in Hebraico idiomate figurate coaceruatio dicitur, ac si in duos aceruos vt fruges solent, sic aquæ congestæ essent, contra naturam labentis ac fluentis elementi, ideoque propriè in hoc sensu verterũt Aquila. Theod. cum Symmacho, coaceruata est aqua vbi Vulg. legit, congregatæ sunt abyssi in Hebræo quod verti benè potest sicut factum est à Vatablo & Montano, coagulatæ vel constrictæ instar glaciei aut coaguli lactis, de hac enim coagulatione vsurpauit hoc verbum Iob capite decimo, & sicut lac תקפיני takphini coagulasti & verbale קפאון kephaon Zachariæ cap. 14. vsurpauit pro niue, gelu & D frigore.

## EXPOSITIO.

IN *spiritu furoris tui.* Cum furor distinguatur ab ira, furor enim incipiens est ira, & feruescens in animo indignatio, ira vero est cum furore resincto desideramus vltionem & eum quem nobis nocuisse putamus, lædere volumus: qua supposita distinctione constabit Moysem hoc in loco per prosopopœiã, vel potius anthropopathiã locutum fuisse, cum non habenti has affectiones eas tribuit, & cum ex superiori versu constet, irã à Deo longe lateque relegandam, maiori cum ratione relegandus est furor, cum imperfectior sit affectus, eius tamen datur effectus, quia Deus ea sine furore facit quæ homines furore correpti & ira perciti: in spiritu igitur furoris tui, id est in impetu vel impulsu indignationis, sic enim spiritus aliquando sumitur, vt Psalm. 138. *Psal. 138.* quo ibo à spiritu tuo? Isaiæ 30. spiritus *Isai 30.* tuus velut spiritus inundans, & Zachariæ *Zach. 6.* cap. sexto requiescere faciam spiritum meum, id est indignationem. spiritus ergo furoris est

indignatio furibunda, in hac Phrasi grauem & acrem Dei iram, id est vlciscendi iustissimam voluntatem significat, ideo enim Deus diuisit & in cumulũ collegit siue congregauit aquas maris, vt Hebreis trãsgressis, Ægyptios iis mõtibus aquarũ obrueret, alij per spiritũ contendunt ventũ significari, secũdum illud dictum superius, cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum, diuisa est aqua; qui ventus furoris Dei appellatur, vt intelligatur missus ab irato Deo, nõ naturaliter missus; mos enim est scripturæ, cum rem quampiam naturæ veluti terminos excedentem vult significare, eam titulo Dei insignire, vt multitudinem & excellentiam significet, sicut dicitur mons Dei, cedrus Dei, &c.

*Congregatæ sunt aquæ*, satis manet hoc expositum in concordia, addere tamen liceat diuisione facta, nam ad extensionem virgæ, mare continuum erat, cum autem Moyses manum suam extendit, vt Israelitis transitum iter daretur, aquæ quæ antea congregatæ erant in vnũ diuisæ factæ sunt, at cum Ægyptij mare sunt ingressi, persequentes Israelem, tunc redeuntes ad vnionem & continuitatem, congregatæ sunt.

*Stetit vnda fluens*, vt videlicet iam erecta non defluxerit, sed ad modum solidi muri in altum sublata constiterit, prout Septuag. expresserunt, compactæ sunt tanquam murus aquæ, nisi enim à Deo detentæ fuissent, in declinorem alueum ex natura sua defluxissent: cuius rei rationem nempe quod steterit vnda fluens, reddunt verba sequentia, licet non additur particula causalis, congregatæ sunt abyssi in medio mari, vox autem *congregatæ* hîc non est sicut superior, vt vidimus in concordia, sed hîc dicunt coagulationem vel quasi congelationem, ita enim steterunt ac si cõgelatæ fuissent, sic enim cõgregatæ sunt abyssi, vt quasi cõglaciatas & cõgelatas fuisse intelligamus.

## CONCEPTVS.

### *Si quid imperfectum secundum modum loquendi Deo tribuitur, id fit nostra vtilitatis gratia.*

105 IN *spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ.* Si nec Deo propriè tribuenda est ira, quanto minus furoris spiritus, cum maiorem imperfectionẽ denotet? quomodo ergo asseris Deum furibundum? quis hæc audiens de Deo scandalum non patitur? cum enim furor alienus sit ab homine cordato & sapiente, quanto magis à Deo? sed ne scandalum patiaris, si enim quid imperfectũ Deo tribuimus secundum modum loquẽdi, non secundum rei veritatem id fit nostræ vtilitatis gratia. testatur D. August. lib. 15. de ciuit. Dei c. 25. *Ira Dei non perturbatio animi eius est, sed iudiciũ, quia irrogatur pœna peccato cogitatio vero eius & recogitatio mutandarum rerum est immutabilis ratio: neque enim sicut hominẽ ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius est de omnibus rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia, sed si non vtatur scriptura talibus verbis, non se quodammodo familiarius insinuabit omni generi hominũ, quibus vult esse consultum, & perterreat superbientes, & excitet negligentes, & exerceat quærentes, & alat diligentes, quod non faceret si se non prius inclinaret & quodammodo iaceret ad descendentes.* D. August.

### *Diuisio impiorum vtilis congregationi iustorũ.*

106 *In spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ.* Sept. diuisa est aqua, cur aqua diuiditur vt Israelitis transitum in terram Chanaam iter præberetur? quid, nonne licet congregatæ essent in vnũ, transitus eis non daretur? non equidem. quid hoc denotat? nonne aquæ maris impios amarissimos propter peccatum denotare possunt? en vt necessaria fuit aquarum maris ad transitum Israelitarum diuisio! nisi enim impij inter se diuidantur, difficilè iter ad æternam beatitudinem piis concedetur, impij enim simul congregati ita iustis molestias inferent, vt plures in impatientiam detrahant. fauet B. Greg. Mag. lib. 34. mor. c. 4. *Sicut superius diximus vt perniciosum est si vnitas desit bonis, ita perniciosum est si non desit malis, reproborum quippe vnitas bonorum vitam tanto durius præpedit, quanto ei se per collectionem durior opponitur, hanc vnitatem reproborum sibi perniciosam conspexerat Paulus, cum in medio Sadducæorum, Pharisæorumque deprehensus dicebat Actu. 23. de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. quanimirum voce percussi protinus contra se vicissim audientium turba dissiluit, cumque in duas partes tumultuantium turba diuiditur, Paulo via exceptionis aperitur, quia quem turba persequentiũ vnita constrinxerat, diuisa laxabat: eripiuntur ergo iusti dum diuiduntur iniusti, & electorum vota ad perfectum perueniunt dum reproborum agmina per discordiam confunduntur: quod bene etiam maris rubri scissione designatur, dum enim in duas partes vnda diuiditur ab electo populo ad terram promissionis tenditur via, quia dum malorum vnitas scinditur, bonæ mentes ad hoc quod appetunt perducuntur. si malorum vnitas noxia non fuisset, nequaquã diuina prouidentia superbientium linguas in tanta diuersitate dissipasset, nisi malorum vnitas noxia non fuisset, de sanctæ Ecclesiæ hostibus Propheta non diceret Psal. 54. præcipita Domine & diuide linguas eorum.* S. Gre. Mag. Actu. 23. Psal. 54.

### *Quod iustis ex amore Dei fit, ex ira fit impiis.*

*In spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ, stetit vnda fluens.* Sept. per spiritum indignationis tuæ, quomodo hic statio aquæ dicitur à spiritu furoris eius vel ab illius indignatione facta? cum potius maximum fuerit erga Iudæos beneficium & eximij amoris signum eis exhibitum? dic iræ diuinæ & indignationi tribui, quia & si fuerit ab amore Dei erga Hebræos, fuit tamen ab ira eiusdem contra Ægyptios, tanquã stratagema & laqueus, quo eosdem quasi decepit, & inuoluit, in quo videre est impiorum miseriam, nempe quomodo iustis ex Dei amore, impiis ex ira fiat. mens est Abulens. *Deus fecit diuisionem maris ad duo, primo ad hoc quod pertransiret populus Dei scilicet Israel, & quantum ad hoc spiritus pietatis fuit, quia ex pietate Deus ista egit, secundo egit ad pœnam* 107 Abulens.

*Ægyptiorum, nam Ægyptij tantum autem taliter peccauerunt, vt Deus illos vltimo supplicio dignos iudicarit: aperuit ergo mare rubrum, vt eos ibi puniret, & quantum ad hoc ibi sunt spiritus furoris, quia videbatur Deus punire Ægyptios tanquam iratus eis.*

*Deus multiplicat miracula in gratiam iustorū.*

108 *In spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ, stetit vnda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio maris.* Coagulatæ sunt abyssi non in superficie, sed in corde maris: nonne satis ad transitum populi Israel, vt aqua maris miraculosè diuideretur? vt unde fluens miraculosè erecta consisteret? cur ergo coagulantur vel quasi congelantur aquæ, non in superficie solum sed in medio corde maris? quia Deus nescit non multiplicare miracula in iustorum gratiam, subscribit Caiet. *Stetit vnda fluēs miraculum explanatur, quod aquæ quæ suapte natura sunt fluentes fuerunt stantes solidæ, sicut stat aceruus rerum nō fluidarum. congregatæ sunt abyssi in medio mari, in Hebræo coagulatæ sunt abyssi in maris corde: hinc apparet manifestè quod ventus à Deo immissus non solum fuit ad exsiccandam terram, sed etiam ad coagulandam aquam hinc inde, per modum itaque congelationis aquæ steterunt tanquam muri & acerui aquarum effecti sunt hinc inde super mare, & ad exaggerationem miraculi dicitur in corde maris, quia coagulatio maris in superficie & infra paruum terræ ambitum contenti, naturaliter fieri potest, sed in corde hoc est in profundo ac medio maris fieri vt tunc accidit, miraculum est.* (Caiet.)

*Impiorum consortia maximè fugienda.*

109 *In spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ, stetit vnda fluens*, Sept. *diuisa est aqua.* Quam maris diuisionem necessariam fuisse Israelitis ad transitū diximus eamque obumbrare impiorum discordiam iustis maximè vtilem, qui ab eis vnitis, supra modum persecutiones subire coguntur, & quid ex hoc colligere possumus? nisi cum inter se vniti impij sint periculosissimi, eorum consortia summa cum diligentia, & pro viribus fugere debemus, ne eorum malitia nec non eorum supplicijs inuoluamur. (D. Chrysost.) licet enim plerumque soleat diuina bonitas se se effundere vsque ad malos permistos malis, sicut obseruauit Auctor imper. ad illa verba Christi D. Matth. 5. qui solem suum oriri facit super iustos & iniustos, in quæ ait, non dat Deus propter omnes homines omnia bona, sed propter paucos sanctos, contentus est enim magis, vt peccatores contra meritum suum bonis fruantur, quam vt iusti contra meritum suum à bonis fraudentur. (Auctor operis imperf. Matth. 5.) & Chrysost. hom. 8. ad populum ait. Deum plerumque parcere malis, propter bonos, sic diuo Paulo donauit Deus omnes vectores, qui pariter cum eo in eadem naui vehebantur, perituri enim essent omnes, nisi Paulus inter ipsos foret, id enim aperte insinuasse videtur Angelus eum allocutus, ait c. 27. ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum: licet ergo plerumque diuina bonitas soleat in hac vita parcere iniquis, ne pariter cum eis electi & iusti pereant in flagellis, attamen pro posse & viribus debent ij consortia iniquorum effugere, ne eorum malitia imo & eorū supplicijs inuoluantur: ad nostram mentem sic recte loquitur D. Greg. Mag. hom. 9. in Ezech. *Vnum est inquit pro quo vitari debet societas malorum ne si forte corrigi non valent ad imitationem trahant & cum ipsi à sua malitia non mutantur, eos qui sibi coniuncti fuerint peruertunt Paulus ait corrumpunt bonos mores colloquia praua, 1. Corint. 15. & sicut per Salomonem dicitur noli esse amicus homini iracundo, nec ambules cum viro furioso Prouerb. 22. ne forte discas semitas eius & sumas scandalum animæ tuæ sicut ergo perfecti viri peruersos proximos non debent fugere, quia sæpe eos ad rectitudinem trahunt & ipsi ad peruersitatem nunquam trahuntur, ita infirmi quique societatem declinare debent prauorum, ne mala quæ frequenter aspiciunt & corrigere non valent, delectentur imitari: sic enim verba proximorum audiendo quotidie sumimus in mente, sicut flando atque respirando aerem trahimus corpore & sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit corpus, ita peruersa locutio assiduè audita informatiuum efficit animum, vt tabescat delectatione praui operis assidui iniquitate sermonis.* (S. Greg. Mag.; 1. Corin. 15.; Prouerb. 22.)

*Nulla adeo ineuitabilis tentatio impedit hominem, per quam non possit patere aditus incolumitati.*

*In conspectu furoris tui congregatæ sunt aquæ*, Sept. *diuisa est aqua.* Vt per medium eius alueum siccis vestigijs transiret Israelita, nonne antea tumentes maris fluctus Israelem strictissime arctabant, illosque hostilibus gladiis expositos tenebant inclusos? quomodo per medios maris fluctus apparet via? stetit vnda fluens? Sept. compactæ sunt aquæ tanquam murus? Cald. coagulatæ sunt abyssi in medio mari? quid mirabilius? in tentationis deuenerat antrum, vt hinc fluctibus cingentibus, illinc hostibus clamantibus, nihil citius quam mortem liceret spectare. quid tunc? diuisa maris aqua, coagulatis instar muri voraginibus, subita salutis via apparuit, quæ nunquam nō patuit iustorum incolumitati; item sic exprimit S. Zeno lib. 2. serm. 12. in Exod. *Vt inter duo elementa peruenit populus, ibidem præsentaneæ mortis exitum expauit. hinc enim persequentium Ægyptiorum infestis mucronibus premebatur, illinc maris magno clausus obice impediebatur. cū subitò diuinâ prouidentia scinditur mare, aquæ gelido stupore frenantur, vitreos dirigūntur in muros, præstolantes transitum Dei populi.* Et quidem nunquam sic hominem Dei fluctus tentationum arctant quin clarissima euasionis via vel inter fluctus pateat. (S. Zeno) 110



## *VARIETAS LECT. Vers. 9.*

**V***ulg.* Dixit inimicus persequar & comprehendam, diuidam spolia implebitur anima mea, euaginabo gladium, interficiet eos manus mea.

*Sept.* Dixit inimicus prosequens comprehendam, diuidam spolia implebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea.

*Cald.* Saturabitur ex eis anima mea, euaginabo gladium meum, consumet eos manus mea. A

*Onk.* Delebit eos manus mea.

*Arias Mont.* Euaginabo gladium meum, depauperabit eos manus mea.

*Oleast.* Partiar spolium, hæreditate accipiet eos manus mea.

## CONCORDIA.

IMplebitur anima mea, Hebraicè תמלאמו נפשי timlahemo napsi implebitur ab eis anima mea, vel explebitur eis desiderium meum, vnde Cald. saturabitur ex eis anima mea, & Vatab. explebitur eis, interficiet eos manus mea, sed quia verbum ירש iaras etiam exhæredare & depauperare denotat, ideo verterunt aliqui, depauperabit eos manus mea, paupertate conficiet, alij hæreditate eos capiet manus mea, Sept. legunt κυριεύσει ἡ χείρ μου dominabitur manus mea, ambiguo quidem verbo, & ad vtrumque sensum apto, nam & dominatur gladius qui cædit, & qui in seruitutem subigit, & mens Pharaonis vtrumque spectabat, vel in seruitutem redigere si posset, vel si non posset, internecione delere. B

## EXPOSITIO.

DIxit inimicus. Vel Pharao tyrannus, vel Ægyptij qui exercitum conflauerant contra Israelitas, idque per synecdochen, qua singularis numerus ponitur pro plurali: non inficior tamen posse sumi inimicum antonomasticè significando Pharaonem ducem & principem exercitus, etenim ducibus solent attribui plerumque voces & orationes exhortatoriæ ad milites commouendos ad prælium. *persequar & comprehendam*, canit victoriam ante congressum, & triumphum ante victoriam, quæ duo inconsideratæ cuiusdam arrogantiæ manifesta sunt indicia; *diuidam spolia*, qui sibi victoriam & triumphum promiserat, quid mirum si militibus suis spolia polliceatur diuidenda, vt eos ad inimicorum insecutionem magis alliciat? deferebant Hebræi & sua propria bona insuperque Ægyptiorum. vnde magna ea potuit reputare spolia Pharao, & sibi suisque quasi magnum aliquid promittere spoliorum collectionem. *implebitur anima mea*, hoc est, ego bonis & rapina implebor, vel anima hic pro animi voto & desiderio sumitur, direptis spoliis desiderium meum adimplebitur. *interficiet eos manus mea*, vulgaris modus loquendi, vt quod per C manus exercitus fit, regis vel ducis manu factum censeatur.

## CONCEPTVS.

### *Peccator sibi ipsi malum parat.*

111 DIxit inimicus persequar & comprehendam & diuidam spolia &c. Et dum hoc secum Pharao tractat inconsideratè, in alueum se conicit, cuius fluctibus obrutus perit. quærit Chrysost. in Psalm. 136. quam ob causam, cum multa præcessissent mala, quibus ferme tota afflicta est Ægyptus, Pharao tamen nulla plaga interemptus sit, donec maris fluctibus perit obrutus? cui dubio ipse respondet; quia reliquæ plagæ quibus attrita est Ægyptus, à Moyse immissæ sunt, nihil omninò agentibus Ægyptiis, imo eorum seueritatem dolentibus, at vero Pharao ipse se immisit in mare, ipse ausus est alueum intrare, vnde sibipsi pœnam & cladem asciuit. est autem Pharao symbolum peccatoris: qui à nullo alio malum patitur, sed sibi ipsi malum scalpit, perit ergo Pharao dum aliis mala parauit. subiicio verba D. Chrysost. *Tu autem considera quomodo cum potentia & ira patientiam quoque ostenderit vt qui non prius eos de medio sustulerit, licet adeo imprudentes essent & contentiosi quam ipsi labentes & volentes seipsos præcipitauerint* & Oleast. *Multa sibi promittunt mali aduersus bonos sed in malum eorum vertuntur.*

S. Chrysost.

Oleast.

### *Nihil sic in superbiam euehit quam principatus.*

112 Dixit inimicus persequar & comprehendam, & *diuidam spolia*. Tum in Hebræorum punitione, tum in diuisione spoliorum accensam desiderij mei explebo cupiditatem, comprehensis autem eis, iniuriam mihi factam haudquaquam condonabo, districto in eos gladio animaduertam, proindeque efficiam, vt nullus eis locus subsidio esse possit, pauperes ex diuitibus efficiam eos, & tandem conficiet eos manus mea. quis arrogantius vnquam locutus est? quis maiori cum animi elatione victoriam ante congressum & triumphum ante victoriam pollicitus est? vnde tibi tantus tumor, qui tot præmissis calamitatibus humiliari sub manu Dei potentis debueras? quis erat qui sic D loquebatur? nonne erat Rex Pharao? ne mireris ergo ita superbum & arrogantem? quia vt plurimum nihil ita in superbiam euehit sicut principatus & primi consessus, à quibus ad furiosam gloriæ cupiditatem, & hinc ad impietatem delabuntur superbi, sicut Pharaoni contigit.

### *Superbus, cupidus alienorum bonorum insatiabilis.*

Dixit inimicus persequar & comprehendam, & *diuidam spolia*. Nonne indignum est rege magnanimo, qui in nullo deliquerunt, persequi, & eorum bona dilapidare? cur ouans bona detrahes aliis, tanquam spolia distribuenda? nonne tibi sunt facultates tum auri, tum argenti maximæ? siste ergo gradum, & noli Israelem persequi, vt eius bonis 113

potiaris? nescit superbus, (qualis erat Pharao) sistere, insatiabiliter enim aliena bona appetit, fatet Chrysost. homil. 41. ad populum Antioch. *Elatus semper in doloribus viuit, semper indignatur, semper maret, nihil est quod eius possit explere libidinem, sicut enim auari quanto plura acceperint, tanto pluribus egent sic superbi.* Qui vt suum nutriant fastum plura semper appetunt.

D. Chryso.

## *Superbus vere fatuus.*

114 *Dixit inimicus persequar & comprehendam & diuidam spolia.* Nonne ille à mente alienus, qui ante certamen victoriam & triumphum decantat? qui de spoliis ab hostibus detractis securus ea se distributurum iactat? quomodo ergo Pharao de eodem glorificatur? se comprehensurum dicit Israelem, & nondum decertauit? spolia diuisurum, & nondum victor euasit? ne mireris, tumore arrogátiæ elatus erat, & ideo stultissimus, sic verè est. Chrysost. hom. 39. ad Antioch. populum *Non potest esse superbus quin fatuus non sit, stultitia vere plenus est superbus.* & hom. 56. in Matth. *nihil certè arrogantia & superbia peius, quæ mentis quoque vires natura hominibus concessas ita deiicit, vt amentes ex prudentia, & animo stolidos efficere videatur.*

D. Chryso.

## *Superbus in cædem propensissimus.*

115 *Dixit inimicus persequar & comprehendam & diuidam spolia.* An victoria contentus & spoliis ab Israele detractis? Euaginabo gladium, quid an vt timorem incutias? interficiet eos manus mea. an vitam vis adimere iis quos tanta cum immanitate oppressisti? in seruitutem iterum redige, sed vitæ eorum parce, interficiet inquit eos manus mea: nec mirum cum sit arrogantissimus, & ideo in cædes & in homicidium propensissimus. *Nullum malū par elationi,* ait. Chrysost. hom. 43 ad populum *hominem reddit dæmonem, blasphemum, contumeliosum, periurum, cupidum cædium & homicidiorum.*

D. Chryso.

## *Auaritia nunquam satiatur.*

116 *Dixit inimicus persequar & comprehendam & diuidam spolia.* Non miror quin debellato Israele, & obtenta victoria, spolia eius militibus diuidas, *implebitur anima mea,* Vatab. explebitur eis anima mea, bonis ab Israele ablatis non solū impleberis, sed ad satietatem vsque expleberis, an tuæ cupiditati & auaritiæ frænum impones? interficiet eos manus mea, Arias Mont. *Depauperabit eos manus mea.* Oleast. *hæreditate eos accipiet manus mea,* nonne eorum spoliis & facultatibus ab eis detractis impleta imo expleta est anima tua? cur ergo eos exhæredare & ad vltimam miseriam & inopiam conaris redigere? quia auarus omnino insatiabilis est, auaritia enim est ignis semper egens alimento, & omnia depascens omnia absumens, rectè S. Basil. hom. in lacizis habita quæ est 21. ex 29. *Ne adaugeas* (inquit) *tibi peccatum auaritiæ, namque malum stare nescit, aut quiescere, sed ignis naturæ simile, ignis enim postquā incendium attigit omnem properat absumere materiam, nec prius desistere poterit, quam materia defecerit auarum autem quid retinere poterit? igne vehementior est, & omnia continuando finibus suis occupat, & quæ sunt vicini sibi aufert, mox vbi alium sortitur vicinum, & quæ illius sunt de se rapit, non ea quæ retro sunt attendit, sed quæ his desunt, quæ ue ante prospicit, à vicinis possessa desideras.*

S. Basil.

## *Subtrahendæ opes, vt auaritiæ ignis extinguatur, non augendæ.*

*Dixit inimicus persequar & comprehendam, diuidam spolia implebitur anima mea* Cald. saturabitur eis anima mea, ecce satiatus. finem ergo cupiditati tuæ impones, cum enim famelicus ad satietatem vsque comedit, à cibis abstinet. an tu similiter bonorum spoliis satiatus, ab eorum facultatibus, si quæ supersunt, temperabis? quomodo temperabit, si spolia eorum detrahit? si bona eorum depopulatur? ignis vt extinguatur non ligna adiicienda sunt, sed subtrahenda. idem in cupiditate, non augendæ sunt opes sed minuendæ. à probo calamo hoc monitum est S. Isidori Pelus. lib. 5. Epist. 113. *Qui extinguere volunt ignē, non aridam aliquam materiam imponunt, neque aliud fomentum præbent, quo ignis augescat fiatque indomabilis. sed quæ extinguere nata sint flammam adiiciunt. si itaque & ipse extinguere auaritiæ desideras satietatem non adiectis aliis, facile te posse perficere speres, sed detrahendo.* 117

Isidorus Pelus.

## *Iratus hominis nomine indignus.*

*Dixit inimicus persequar & comprehendam, diuidam spolia, euaginabo gladium.* Cur ô Moyses hominis nomine non cohonestas Pharaonem? cur non ais dixit Pharao vel homo, sed inimicus? videamus quomodò Ambro. de condit. human. c. 3. describat hominem, Deus creator inquit, qui hominem ad similitudinem suam creauit, est charitas, est bonus, est iustus, est patiens, atque mitis, mundus & misericors, creatus est vt charitatem haberet, vt bonus esset, iustus & patiens atque mitis, mundus & misericors foret: quid ergo mirum si non dicatur homo Pharao sed inimicus? qui enim irâ tumet, qui alteri cum furore irascitur, nomine hominis indignus censetur vnde rectè B. Greg. orius Nazi. in deploratione calamitatum animæ suæ sic ait. *Ira si vehementius inflammetur, hominem de mentis gradu deiicit, atque deturbat,* & B. Chrysost. hom. 47. in cant. *ira fera est vehemens.* 118

S. Gre. Naz.

## *Indignus nomine principis qui vt latrunculus innocentes eos spoliaturus persequitur.*

*Dixit inimicus persequar & comprehendam, diuidam spolia, euaginabo gladium meum.* Quid ô Moyses! nonne Pharao Rex est totius Ægypti? cur adempto ei nomine regio, solum inimicum eum appellas? quis sit Rex, audiamus à rege Epiri apud Cassiod. lib. 4. vari. Ep. 41. propositum regale est, pressis labe fortunæ, pietatis remedio subuenire, & acerbos casus iniuriæ melioris forte mutare: an pressis subuenit? imo persequitur. an meliore fortuna adauget Israelitas? euaginabo gladium meum, interficiet manus mea. an ergo eum regem dices, qui tanquam latrunculus innocentes spoliaturus insequitur? merito à regis nomine deficit, & solum vt infensissimus hostis habendus. hinc rectè Ægidius Archiep. Bituricensis de regimine principis dixit. *Principis officium ac munus est ita regnum gubernare ac præsidere, sicut corpori præsidet anima: qui autem ita se gerit vt* 119

Ægidius Archiep.

*in ipso animus iaceat, corpus autem principetur, præstantissima administrationis optimo exemplari caret. & tyrannidis exemplum præsto habet, nam corporis in animam principatus tyrannis est atque exemplar tyrannidis.* Nonne corpus in illo dominatur & non animus qui innocentes eos deprædaturus persequitur? adijcio nobilis auctoris nobile dictum sic enim Synesius de regis moribus censuit tract. de regno *Istud profecto summarium ac summe regium est suiipsius regem esse mentemque domestica belluæ quasi moderatricem proficere, neque cum infinitis propemodum hominibus dominari velis, ipsum turpissimis dominis seruiri voluptati, dolori, iræ &c & quodcumque his affines belluæ suũ in animal domicilium habens,* qui ergo turpissimis dominis seruit, sicut Pharao crudelitati, auaritiæ, prædæ innocentium, persecutioni, is rex non dicitur à Moyse, sed inimicus. (Synesius.)

## *Qui crudelis, non homo sed fera.*

119 *Dixit inimicus persequar & comprehendam.* Nonne etiamsi rex impius maxima colendus reuerentia & honore suspiciendus? cur ergo Pharaonem saltem aut regem aut hominem non nominas sed inimicum? verba sequentia inspice, euaginabo gladium meum & interficiet eos manus mea, en vt crudelissimus & immanissimus qui propria manu minatur Israelitas interficere? cur ergo homo nuncupabitur? qui enim in alios immitis & inhumanus, non hominis sed belluæ insensissimæ nomenclatura donari debet. hinc Chrysost. in c. 4. Genes. *Sicut magnum & venerandum est rationale animal quando in virtutis viã contendit. at quando in malum declinat truculentarum bestiarum imitatur crudelitatem, quin & multis nominibus illarum superat ferocitatem.* (D. Chrysost.)

## *Propriè inimicorum est, alios persequi.*

120 *Dixit inimicus persequar & comprehendam.* Cur ante illud verbum *persequar* præposuit nomen inimici? nonne eo omisso potuit sic loquentem inducere Pharaonem, persequar & comprehendam? rectè verbo *persequar* præposuit nomen inimici, quia proprium inimicorũ est alios persecutione infectari, hoc asseritur à D. Athanas. in apologia pro sua fuga sic dicente. *Persequi diabolicum inuentum est, & ab omnibus ille hoc nomine accusatur hinc est quod apud Zachariam 3. cum Deus propheta ostenderet Iesum sacerdotem magnũ stantem coram angelo Dei, stabat inquit sathan à dextris eius vt aduersaretur ei. quod certè est persequi. nam stare vt aduersetur persecutionem denotat, & non transitum ire, vnde & sathan dicitur, quæ vox aduersarium indicat, vt patet ex 3. Reg. 5. nunc autem requiem dedit Deus meus mihi per circuitum, & non est sathan neque occursus malus.* (D. Athanas. Zachar. 3. 3. Reg. 5.)

## *Impius non in vno sistit peccato, sed ad deteriora dilabitur.*

121 *Dixit inimicus persequar.* Magna armatorum congregata manu, validissimo prolato exercitu, an sistes in persecutione? comprehensionem minitatur, comprehendam inquit, tunc sistes qui enim persequens aduersarium comprehendit, nihil superest agendum, deprædationem tamen prædicit, *diuidam spolia*, ubi spolia sufficiunt, minas intentat, timorem incutit, *euaginabo gladium meum*, sufficiet timor mortis incussus, *interficiet eos manus mea*, internecionem intentat, nec itaque non sistere nec in persecutione nec in cõprehensione, nec in spoliorum diuisione gladij euaginatione, sed vsque ad internecionẽ peruenit. nescit enim impius in vno sistere peccato, sed dilabitur ex vno gradatim, ad aliud deterius progreditur seu potius præceps ruit, ita vt grauioribus in dies peccatis se implicet: quod prosequitur Philo lib. de confus. linguarum dicens. *Ita est profecto insipiens non aliunde accipit, sed ipse sibi quærendo mala inuenit, non contentus his per quæ misera natura vltra incedit, sed cumulans ex malis artibus & exercitiis.* Et D. Hieron. in illa verba c. 16. Ezech. & fornicata es in filiis Assyr. *de aliis peccatis ad alia sæpe transimus, cumque non egerimus priorum peccatorum pœnitentiam, augemus delicta delictis, & nullo errore satiamur, sed quasi fune longo & corrigia iugi vitulæ trahimus peccata.* (Philo. D. Hieron. Ezech. 16.)

## *Stultus omnino est, qui animam bonis temporalibus saturari putat.*

*Dixit inimicus persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea* Chald. et saturabitur anima mea, quid ais Pharao? an temporalibus bonis anima spiritualis impletur? an transitoriis, quæ est futura æterna, saturatur? similem alium Pharaoni Luc. 12. audiamus dicentem, anima habes multa bona posita in annos plurimos, sed quid ei dictum? stultè hac nocte animã tuam repetent à te, merito sanè stultus ac demens nuncupatur, qui credit animam bonis temporalibus impleri, audiendus D. Basil. hom. in diuites auar. *O verba stultissima,* inquit, *ô dementiam! nam si porcinam habuisses animam, quid aliud ipse enumerare potuisses? itane pecuniarum? itane bonorum animæ ignarus eam vt exceptes carnalibus epulis, & quæ alui secessus recipit anima destinasses, siquidem illa virtutem habet, si plena est operibus bonis. si Dei gratiam conciliauit, ac familiariter accinit, tũc sanè multa bona habet, tunc lætari poterit bona lætitia, cum vero terrena sapias, & Deum habeas ventrem, in omnibus appetitum carnis sequens, vtique hæc vox non à mente, sed à ventre profecta est.* 122 (Luc. 12. D. Basil. Mag.)

## *Misera sors auarorum.*

*Dixit inimicus persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea.* Nonne potius tua diuidentur bona? nam te submerso, cuius tua erunt spolia? nec extra institutum hîc obseruat Oleaster verbum salal à quo salal nomen id est spolium, significare videtur contraria, scilicet spoliare, & spolium dimittere seu spoliari. cur non dicemus igitur ita miserum auarum Pharaonem, vt cum spoliare alios molitur, ipse expoliatus inuenitur, & quæ bona sibi aggregare credit, sua tamen cedent in aduersariorum vtilitatem & emolumentum. quod obseruat Anonymus in hæc verba Luc. 12. quæ autem parasti cuius erunt? sic autem ait. *Cuinam parasti? si quidem tibi ipsi exactores cernis qui te partis frui non sinant; si vero omnia alteri alicui sicut incerta vt significatur per illud cuius erunt, si autem sint futura alicuius qui te odit etiam irridebit. sin vero propinquorum & vicinorum increpabunt tuam ferinam immanitatem. En* 123 (Anonymus.)

vt quomodocumque sumatur misera sors auarorum, videre est etiam in Pharaone qui cum se spolijs Israelitarum ditescere credidit, suamet bona cesserunt in eorum ditentium vtilitatem.

*Periret innocentia si semper nequitia iuncta esset potentia.*

124 *Dixit inimicus persequar, & comprehendam, diuidam spolia mea, euaginabo gladium, interficiet eos manus mea.* Quosnam? illos vtique qui proficiscebantur à Deo vocati, qui ipsi Pharaoni multis annis contra ius & rationem seruierant, illi quos operibus duris luti & lateris oppresserat, quorum plurimi descendebant à Iosepho liberatore Ægypti, & pro quorum libertate tot perpessus fuerat plagas, tot senserat supplicia, tot viderat diuinitus edita miracula. sed qua de causa non euaginat gladium, sed solum ait euaginabo? cur non interficit eos manus sua, sed solum ait interficiet eos manus mea? quia pluries periret innocentia, si semper nequitiæ iuncta esset sicut voluntas, sic potentia. fauet D. Hieron. Apolog. contra Ruff. lib. 1. (D. Hieron.) *Benè quidem malitia non habet tantas vires quantos conatus, perierat innocentia, si semper nequitiæ iuncta esset potentia, & totum quod cupit, nequitia praualeret*, sin minus conijce oculos, admoue aures ad ea quæ Pharaò Israelitico populo minabatur, & videbis quid de illis tandem actum esset, nisi diuina omnipotentia gladium è manu furentis detraheret.

*Politici mali non in bonum sed in malum subditorum suam obtinent potestatem.*

125 *Dixit inimicus persequar, & comprehendam, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Nonne tu ipsi dimiseras quos iniustè retinebas, imo ad egrediendum impuleras? nonne liberi erant non serui? cur ergo persequi, comprehendere, spoliare, & insuper propria manu vis interficere? & potestate non in bonum sed in malum vti? (D. Bernard.) nunquid vt inquit Bernard. in Epist. *Potestatem habes tantum persequi, comprehendere, euaginare gladium, percutere, occidere, nequaquam sanare, parcere, beneficia largiri & pereuntibus subuenire?* ne mireris, prudentia vtebatur carnali, politicam imbuerat rationem, sua tantum quærens suumque tantum prospiciens emolumentum, & dum hoc consequatur, siue iure siue iniuria, iussit vt in armis cõprehendatur, diuidatur, occidatur.

*Impius concipit quisquilias, & parit stipulam.*

126 *Dixit inimicus persequar & comprehendam, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Quis non diceret, minas potentissimi regis futur[illegible] vanas? armis enim erat instructissimus, Is[illegible] verè imbellis, odium in eum inueteratum, ve[illegible] flauit spiritus & operuit eum mare, ecce qui [illegible] videbatur magna moliri, quisquilias solum concipit, & parit sibi stipulam, obseruatio est Oleast. in c. 33. Isai. in elucidatione morali. (Oleast.) *Quãto concipiunt apud se impij vana & inutilia, quot mala sperant se iustis illaturos? quam pulchrè ea penes se depingant, & tamen in his omnibus quisquilias concipiant & stipulas pariunt. audi quid de Antiocho rege narret Machabæorum historia, superbè inquit locutus est se venturum Ierusalem & congeriem sepulchri Iudæorum se facturum: &c. nonne quisquilias concepit & stipulam peperit? sed qui vniuersa conspicit Deus Israel percussit eum insanabili & inuisibili plaga. sic in Exod. dixit inimicus persequar & comprehendam & implebitur anima mea, non spolia diuisere inimicorum, sed flauit spiritus tuus & operuit eos mare.* (Machab. cap. 9.)

*Dæmonis tunc maximè accenditur ira, cum extinguitur.*

*Dixit inimicus persequar, & comprehendam, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Nunquam sic furentem audiuimus, ita tumentem, vt propria manu innocentes interficere minetur. vnde tantus furor? tanta animi rabies? nonne per inimicum diabolus intelligitur? quid mirum igitur si tanta stimulatur ira, tanto furore accenditur? quia vt optimè D. Gaudent. tract. 6. in Exod. (D. Gaudent.) *Tum maximè diabolus accenditur cum extinguitur, tunc enim sæuit in Dei famulos quando prima virtus eius in primogenitis occiditur, dum vel idololatriam vel superstitionem vel cæteros principales errores dæmonum Deus disperdet. ex nobis dicit enim nequissimus murmurans contra Dominum, tu propter Hebræos tuos percutis Ægyptios meos, & ego propter Ægyptios persequar & interficiam Hebræos tuos, dixit inimicus &c.* 127

*Si Deus pro nobis, qui contra nos?*

*Dixit inimicus persequar, & comprehendam, diuidam spolia, euaginabo gladium, interficiet eos manus mea.* Quis non diceret actum esse de fortuna Hebræorum? nullam salutis spem eis esse? conclusam esse eorum vitam? sed econtra fortunati & incolumes euasere, Ægyptiis miserè pereuntibus. nec mirum, Deus enim à parte Israelitarum stabat; si autem Deus pro aliquo, quis contra eũ? *Frustratur*, inquit cit. Brixiens. Episc. (Brixiens. Episcop.) *Pharaonis minacitas, si præcepto Domini, quo nos tuti esse possimus, granitèr pareamus.* 128

*Miles verè christianus, superior duce tartareo euadet.*

*Dixit inimicus persequar & comprehendam, diuidam spolia, euaginabo gladium meũ.* Quantus ingreditur ad certamen Pharao? qualia gerit arma, quam fortia? qua dexteritate gladium euaginat? sed eum armatum oculis tuis præbeamus, habet hastam delectationis, obdurationis clypeum, desperationis loricam, gladium occisionis, armigerum superbiam quæ antecedit eum, & exprobrat Israeli exercitui Dei viuentis, dicens euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. quis ergo cum principe tartareo fortissimo, & omnibus armis instructissimo in certamen descendet? quis ei resistere & quis eum superare sibi pollicebitur? audi quid verè christianus miles apud Regium Prophetam Psal. 40. ait, persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & nec conuertar donec deficiant: quid tanti animi es, vt inimicum tuum comprehendere & de eo victoriã referre præsumas? armis verè militis Christiani instructus quidni? ita sentit S. Petrus Damian. serm. 56. de S. Mart. Episc. *Tu autem quid? assume* (Psal. 40.) (D. Petr. D.) 129

*apostolicam armaturam, scutum fidei, loricam iustitiæ, gladium spiritus, circumspectionis hastam & præcedat te humilitas & dic, persequar inimicos &c. ô Domine Iesu nunquid æqua pugna est hominis & dæmonis? duplicis & simplicis? fortis & imbecillis? inuoca me in die tribulationis ait Dominus & eruam te, Psal. 81. & honorificabis me, inuoco te saluator,* Psal. 81. *apprehende arma & scutum vt videam contra fortem armatum fortiorem armatum, & conteras Assyrium in terra sua facta ergo congressione inimicos tuos comminuet vt puluerem ante faciem venti, & vt paleare lutum delebit eos.*

## *Magna pollicetur diabolus, sed promissis stare non potest.*

129 *Dixit inimicus persequar & comprehendam, & diuidam spolia.* Quibus? meis Ægyptiis? quorum? Israelitarum? sed quandonam ea distribuisti, quibus ea diuisisti? nemini sane, nec miror, magna enim pollicetur diabolus inimicus generis humani, sed promissis suis nequaquam stare potest. D. Hieron. sic Hieron. in vitis sanctorum patrum lib. 1. *Princeps dæmonum ingentia sæpè promittens impietatis suæ desurrit linguâ magniloquâ, arbitratur enim ferrum vt paleas, æramentum vt lignum putridum, maria vt terram abyssum vt deambulatorium per prophetam quoque ait, persequens comprehendam, sic iniquus funereas euomens voces, bene viuentium aliquos frequenter illaqueat, sed nos nec eius pollicitationes credere, nec minas formidare debemus, fallit enim frequenter, nihilque verum promittit nam si non mendacia cuncta loqueretur, quomodo talia & tam infinita promitteret?*

## *Nimia passio mentem obcæcat.*

130 *Dixit inimicus persequar, & comprehendam, diuidam spolia, euaginabo gladium, interficiet eos manus mea.* Sed ô Pharao, nonne ingressurus es mare, quod siccis vestigiis transierunt Israelitæ? tu incolumis minimè transfretabis, non enim tui gratia sed illorum diuisum est, consistentibus instar murorum aquis hinc inde: quomodo ergo de futuro magna polliceris, plura minaris, nec præsens periculum quod tibi imminet, conspicis? quia nimia furoris passio mentem eius obcæcauerat. Agellius *Quanta stultitia est* (inquit Agellius) *de tanta re deliberantibus fingere sibi commoda, quæ inde consecutura putarent? de præsenti quod erat ante oculos periculo, quomodo mare ingredi sine salutis dispendio, possent, nihil cogitare? obcæcauerat enim eos sua cupiditas, & Deo permittente traditi erant in reprobum sensum.*

## *Impius nonnisi sanguine innocentium vult satiari.*

131 Dixit *inimicus persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea,* Cald. *satiabitur eis anima mea.* Quo satiabitur? an solùm spoliis aduersariorum? etiam sanguine satiari desiderat, ita immanis est impius, & tantæ inhumanitatis, vt non in sola deprædatione bonorũ innocentis insistere velit, nisi etiam eius sanguine impleatur vsque ad satietatem. sic noster Ticelm in Noster Ticelm. sua paraph. in hoc cant. explicat. *Videns Pharao* (inquit) *quod transiret populus tuus per siccum mare, hortati sunt semutuo, vt sequerentur transeuntem, intrarentque & ipsi siccatum alueum, sic putantes facile se posse comprehendere quos quærebant: dixeruntque se inuicem exhortantes, persequemur illos & facile prædabimus in fortitudine nostra, quibus comprehensis auferemus spolia eorum, & saturabitur desiderium nostrum tam in spoliorum diuisionibus, quam in punitione Israel fugitiuorum nostrorum.*

## *Nihil ita ardenter desiderat diabolus ac hominum perditionem.*

*Dixit inimicus.* Diabolus, per antonomasiam 132
enim hostis est humani generis, *persequar* fideles de Ægypto exeuntes, & ad pœnitentiam festinantes, *& comprehendam* laqueis diuersarum tentationum, & errorum & phantasmatum, *diuidam spolia,* idest substractos à mundicia & charitate diuersis vitiis, & crudelitatibus mancipabo, *euaginabo* apertè proferam *gladium meum* persuasiones mortiferas, & per eas interficiet eos spiritualiter *manus mea,* id est potestas mea vel & sic *implebitur* anima mea. cur vlterius non progrederis cum insatiabilis sis? bene Richard. Pampolit. *Quia satisfactum erit voluntati meæ, quia nihil amplius cupit diabolus, quàm perditionem hominum.* Richard. Pampol. in hoc cant.

## *Dum persequitur inimicus, sibi nocet, & tibi proficit.*

*Dixit inimicus, &c.* Nempè diabolus, & quid 133
mirum si hoc dixit, habens fiduciam, quod influat Iordanis in cor eius, quique dixit, in cœlum conscendam, affectans similis esse Altissimo? quid inquam mirum si de cordibus renascentium in Christo iam exclusus, sic dicit, & loquitur, qui de cœlo proiectus cum angelis suis, adhuc aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Christus, aut quod colitur. *Persequar*, inquit, *& comprehendam*, sed persequatur quantũ licet, nam de his qui mare ingressi sunt, neminem comprehendit nisi fictum aliquem, aut hypocritam, in quo habet fiduciam, vt dicat *diuidam spolia*, implebitur *anima mea.* sed cum sit potentissimus, nonne euaginans gladium poterit quemlibet Israelitam interficere? nequaquam, imo potius sibi nocebit & tibi in persecutione proficiet. faueat nobis Rupert. lib. 2. in Exod. 34. *Qui fecit eum, ait, ad beatũ Iob Dominus, Iob. 4 applicabis gladium eius idest non quantum volet, sed quantum vtile est sæuire, aut interficere permittetur, non ergo timeat victoriosus populus Dei festinans ad hæreditatem quam promisit Deus, etenim inimicus iste dum occidit, dum persequitur, proposito magis illorum proficit, vt citius ad patriam perueniant peregrini. inde fatuus esse conuincitur, quia dum per se contra Deum vel contra Dei populum agere nititur, contra se potiùs agit & Dei propositum adiuuat, vt perficiatur.* Rupert. Iob 4.

## *Mentitur qui bonis huius sæculi credit se posse satiari.*

*Dixit inimicus persequar, & comprehendam* 134
*& diuidam spolia, replebitur anima mea,* Cald. *saturabitur eis anima mea.* Sed in hoc mentitur ait Abulens. cur mendacium protulisse asseritur si tot diripit spolia, & tot diuitias adimit Hebræis, nonne potuit anima eius vsque ad satietatem repleri?

Abulens. plerisque negauit. Episcop. & ait. *Diuitiæ non satiant* A *sed potius augent appetitum*. Sed ne diuitias solas dixeris non satiare, nullum enim bonum apparens quodlibet sit adimplere potest cupidi-
S. Bernard. tatem, hoc rectè declarat S. Bernard. in illud ecce nos reliquimus omnia. *Cæterum nec amator pecuniæ dicet aliquando sufficit, nec libidinosus satiabitur voluptate, & crudelis quisque semper sanguinem sitit, & ambitiosus nec cupidus laudis humanæ adeptis dignitatum titulis seu fauoribus, nullum exinde capit omnino remedium, sed desiderio æstuat ampliori*, & serm. de primord. *sic se habent vniuersa sub sole, vt nihil sit in eis verè iucundum, sed ab vno semper transire velit homo ad aliud, solaque vicissitudine releuatur vtrumque, ac si prosiliat ab aqua in ignem, & rursus inde in aquam resiliat, vt pote qui neutrum ferre possit, omnis siquidem laboris remedium alterius laboris initiũ est*, quod luculentissimè etiã differit tract. de diligẽdo B Deũ *Videas*, inquit, *tam multos prædiisque & possessionibus amplissimos adhuc tamen in dies agrũ agro copulare atque infinita cupiditate dilatare terminos suos: videas & qui regalibus domibus amplisque habitant palatiis nihilominus quotidie domũ ad domũ cõiungere, & inquieta curiositate ædificare, diruere, mutare quadrata rotundis, quid homines sublimatos honoribus tã nõ insatiabili ambitione magis ac magis totis viribus conari ad altiora videmus? & horum omnium idcirco non est finis, quia nihil in eis summum singulariter reperitur vel optimum*. Et quid mirum si inferioribus, & deterioribus contentus non sit, qui citra summũ vel optimum quiescere non potest? sed hoc stultũ & extremæ dementiæ est, ea semper appetere quę nunquam non dico satient, sed nec temperent appetitum, dum quidquid talium habueris, nihilominus non habita concupiscas, & ad quæ si defuerint semper inquietus anheles: ita enim fit, vt per varia & fallacia mundi oblectamenta vagabundus animus inani labore discurrens, fatigetur, non satietur, dum quicquid famelicus inglutierit, parum reperit ad id quod superest deuorandum, semperque non minus anxiè cupiat, quæ desunt, quam quę adsunt lętè possideat.



## *VARIETAS LECT: Vers.* 10.

*V*ulg. Flauit spiritus tuus, operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

*Sept.* Misisti spiritum tuum, cooperuit eos mare, demersi sunt quasi plumbum in vehementi aqua.

*Cald.* Dixisti in verbo tuo, & cooperuit eos mare, submersi sunt sicut plumbum in aquis va- C lidis.

*Onk.* Dixisti tu quoque in verbo tuo, submersi sunt in aquis fortibus.

*Pag.* Flauisti spiritu tuo, absorpti sunt, *sic Vatab. Mont.*

*Oleast.* Sufflasti spiritu tuo, adumbrare fecisti eos, vel obscurare, sicut plumbum in aquis fortibus.

*Sic etiam vertit idem Oleast.* Operti sunt quasi plumbum, vel profundum, facti sunt quasi plumbum, vel adumbrati sunt quasi cænum.

*Procop.* Ventos conciuisti.

## CONCORDIA.

VT iudicium ferre possimus de significatione verbi צלל salal, antea quid dicat Oleast. audiamus, verbum salal significat propriè obũbrare, vnde silsal id est inumbrans, & verti posset hic adumbrare fecisti eos, aut obscurari sicut plũbum in aquis fortibus, est enim plumbum obscurum, & dum mergitur obscuratur si abscondi-tur in aquis, non audeo cum cæteris vertere absorpti sunt, aut demersi, quoniam nusquam in sacris litteris inuenio verbum in hac significatione, & licet magis conuenire videatur, non tamẽ pro- D pterea mutanda est propria verbi significatio, & illud Habac. 3. ad vocem salalu, id est tinnierunt labia mea, vt nostri vertunt, vertendum puto adũbrata sunt labia mea pro territa sunt, obumbrare pro terrere, eo quod vmbra soleat terrere, & si quis verteret, operti sunt quasi plumbum, quoniam allusionem aliquam habet operire ad adumbrare, quoniam vmbra operire nos solet, non ineptè verteret, inuenio tamen sal significare profundum esse, quod si verum est benè vertitur profundi facti sunt quasi plumbum, quod videlicet ima quærit: & etiam si opheret cætum profundi significaret, ab aphar quod significat puluerẽ, tunc optimè verteretur obumbrati sunt quasi cænum in aquis vehementibus. sed inter alia quæ asserit Oleast. admittendum minime est, quod ait se non audere cum cæteris vertere absorpti sunt aut demersi aut submersi sunt, quid? an peritior in lingua Hebræa Hieronymo aut doctior Caldæo, vel Septuaginta qui sic reddiderunt cum Vatab. Monta. Pagnino? & quis non videt hanc significationem rectè conuenire, alias autem minime?

## EXPOSITIO.

F*Lauit spiritus tuus*. Non ineptè sumitur spiritus pro iussu Dei, quo vrgente & quasi flante, deciderint ex aggeribus, quibus subsistebant aquæ congelatæ, & ad pristinum locum redactæ Ægyptios per siccum gradientes alueum, depresserunt: nam licet ventus vehemens etiam in hac congregatione aquarum fuerit adhibitus, tamen non credendum tantæ fuisse efficaciæ & virtutis, vt se- re momento aquas coagulatas & congelatas emolliret, & fluidas redderet. hoc autem intelligendum, non quasi ad descensum vndarum earumque reditum & adunationem, quę naturalis erat, non sufficeret naturæ aquarũ grauitas suo nutui naturæque relicta, sed quod ad dissipandam vndarũ congelationem, necessariũ fuit imperium Dei: vnde rectè Cald. dixisti in verbo tuo, id est iussisti, sed flauit ventus, ad hoc vt reditus fieret, cũ

maiori impetu & strepitu horribiliori, ex quo sequeretur Ægyptiorum submersio celerior & sævior; *& operuit eos mare*, omnes nullo dempto, *submersi sunt quasi plumbum*, quod prouerbialiter A dictum censeo, ad denotandam submersionis celeritatem, vel hæc verba priora explicant, scilicet nullum emersisse sicut nec plumbum immissum in profundum pelagus.

## CONCEPTVS.

### *Imperceptibili celeritate superbos & elatos apprimis Deus.*

135 Flauit spiritus & operuit eos mare. Cur superbis, arrogantibus & plenis immanitate verbis solū opponit Moyses Dei flatum, ventum, seu halitum? nam flatus sufficit ne ad minas potentissimi regis soluendas? maximè flatus Dei, quo vtitur Moyses, vt ostendat, qua facilitate diuina omnipotentia magnificum apparatum Pharaonis, & in eius exitium, verba illa verterit elationemque eius in mare deiecerit, quod Regius Vates Psal. 135. non obscurè indicat, cum ait, *excussit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro*, preme verbum excussit, desumpta metaphora à frondibus arborum, quas excutit autumnus, eo enim aduentante folia arborum decidunt, & nullo impellente & nullo mouente cadunt, vel leui admodum aura ventilante: non aliter Pharao cum eadem celeritate aquis suffocatus miserè periit, fauet Chrysost. in præf. Psal. *Excussit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro, volens significare facilitatem eius demersionis.*

Psal. 135.

S. Chrysost.

### *Impius credit Deum suorum scelerum rationem non petiturum.*

136 Flauit spiritus tuus & operuit eos mare. Quid postea? Habac. c. 3. sic enarrat, maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad dispergendum me, exultatio eorum sicut eius, qui deuorat pauperem in abscondito, illud relatiuum eius denotat Pharaonem, non solū autē sceptris eius & tribubus maledixit, verū etiā præcipuis eius bellatoribus ac strenuis viris, aut capiti hoc est aciei & ordini bellatorū eius, qui ad populum tuū dispergendum, & tanquam paleā ex area ventilandū ac dissipandū, & in diuersas oras captiuū ducendum veniebat, qui suis viribus freti, superbè iactabant se toto ore pauperē Israelis populū deuoraturos: sed quomodo ita sui immemor Deique oblitus, vt non aduerteret Deū non impune laturum, quę aduersus populū suum moliebatur? impius ita obcæcatur, vt suorū scelerū rationem Deum non petiturum arbitretur, obseruatio est Episc. Acernensis in cit. verba Cant. Habac. *Iactabat se pauperem Israelis populum deuoraturum se non vidente, neque rationes admissi sceleris reposcente, hoc namque animo Pharaonem, & eius exercitum venisse idque de se insolenter iactasse in Moysi cantico describitur, dixit inimicus persequar & comprehendam, &c.*

Habac. cap. 3.

Agellius.

### *Omni plumbo grauius est onus auaritiæ.*

137 Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in medio mari. Cur statim atque sacer textus, nobis proposuit Pharaonem sitientem & exoptantem diuitias Israelitarum, dum ait: diuidam spolia mea, implebitur anima mea, statim eum cum suis dicit submersum quasi plumbū in aquis vehementibus? nonne sedes auri & argēti est profundum terræ? teste Chrysologo dicente homo mitte & præmitte thesaurū tuum in cœlos, ne cœlestem animam demergas in terram, aurum de profundo terræ, anima ab excellis cœli, melius proinde est ad sedem animæ deferri aurum quam in sepulchro auri anima demergatur: quid mirum igitur qui bona Israelitarum ita ardenter sitiebat, tam celeriter eo velut plumbum in profundum, in sedem auri descendisse, quod satis clarè annotat D. Hieron. in c. 2. Naum. super illa verba, diripite argentum, diripite aurum, & non est finis diuitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus, Sept. legunt aggrauatum est super omnia vasa concupiscentiæ cū ait. *Quanto plùs habebat multam auri & argenti possessionem, & variam suppellectilem quæ erat grauis, tanto magis aggrauabatur quæ grauia diligebat*, & noster sanctus Antonius Paduanus ser. 5. de Martyr. *non est anima aurum per charitatem, sed plumbum, quod ponderosum, & vile contaminansque, quæ amorem suum deprimit in terrenis per auaritiam.*

Petrus Chrysol.

S. Hieron. Naum. 2.

B

Noster Anton. Paduanus.

### *Aliquando elementa celeriorem præstant Deo obedientiam, quam rationales creaturæ.*

Flauit spiritus tuus & operuit eos mare. Quid? flāte solum spiritu Dei sic mare fluctibus suis operit impios? Cald. *dixit verbo suo*, quid? solum protulit Deus verbum & ecce mare obedit? ita sane vt nos pudeat, cum elementa videamus celeriorem Deo præstare obedientiam quam ratione prædita, suffragatur Philipp. Abb. de silent. cleric. c. 39. *Quid flatus iste? nisi irascentis & iubentis Dei loquutur voluntatem puniri disponentis Ægyptiorum persequentium prauitatē, & mare statim velut intelligens signū ira, festinat incredulos aquis vehementibus operire.* 138

C

Philipp. Ab.

### *Tandem impio nulla spes datur salutis.*

Flauit spiritus tuus & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbū. Nonne satis erat dixisse submersum fuisse Pharaonis exercitum simul cum ipso, vt intelligeremus omnes in aquis periisse? cur ergo ad instar plumbi dicit aquis absorptos fuisse? aduerte plures qui natando deficiunt, vel ramū arboris vel quidlibet obuiū apprehendere, vt discrimen euadere possint, at plumbū in aquam immissum, imo in profundum ruit: responde ergo non quomodocuque submersos, sed sicut plumbum, ad denotandum tandem impio nullam dari spem salutis: annuit Agellius. *Submersi sunt libratopondere ruentes, vt ne modicum quidem sustinere se & aquis supernatare valerent.* Abul. *sicut plumbum valde ruit est, & immediatè vi in aquam iacitur fundum petit, ita Ægyptii licet venientibus ventis super eos conati essent se attollere, & enatare, tamen Deus depressit eos tanquam plumbum.* 139

D

Agellius.

### *Qui iniquitati studet, quid mirum si miserrime pereat?*

Flauit spiritus tuus & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis. Cur quasi plumbum? dices quia sicut plumbum in aquam iniectum, propter nimiā grauitatē terreā subito deprimitur, & quasi momēto temporis ima petit, & tenet: sic Pharao 140

& sui naturalem veluti locum petentes scilicet infectos, ad vsque profundum maris secum pariter corpora detulerunt, anima illius quidem depressa atque illorum petentes ignem, accommodatum vtrique supplicium culpæ Pharaonis, vt pote quia eleuatus in sede maiestatis suæ deprimere conabatur Israelitas, & in multitudine curruum & quadrigarum ac multa exercitus copia efferebatur, dignum proinde erat vt deiiceretur in profundum cum suis, à quibus comitatus fuerat in culpa, vt eosdem etiam comites haberet in pœna: sed videamus quid dicitur apud Zachar. 5. ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ dixit, hæc est impietas, sicut impii toti plumbei vixerant Ægyptii, nec mirum igitur si vt plumbum in maris profundum ruant præcipites, qui enim iniquitati studet miserrimè perire necesse est. suffragatur Procop. *Cathedra iniquitatis est plumbum, vt patet testimonio Zachariæ dicentis, vidi mulierem sedentem super talento plumbi, hanc esse iniquitatem postea interpretatur, præterea nunc Ægyptii forent cathedra iniquitatis haud abs re leguntur, quasi plumbum delapsi esse in ima pelagi.*

Zachar 5.

Procop.

*Vnus & idem spiritus, sed plures habens operationes.*

141 Iansonius. *Flauit spiritus tuus & operuit eos mare.* Iansonius per hunc Spiritum, Spiritū SS. interpretatur, sequens in hac sententia S. August. q. 55. in Exod. sed cum spiritus Dei sit benignus & misericors, quomodo hic contrarium cernimus, nempe seuerissimum, non condonantem? flante enim hoc spiritu Dei, operuit omnes eos mare: quia licet vnus idem Dei spiritus sit, plures tamen habet operationes: audiendus est pręclarus sacræ Doctor. *Ecce iam quinto commemoratur spiritus Dei, vt in hoc numero accipiamus, & quid dictum est, spiritus Dei ferebatur super aquas, digitus Dei est hic, primo vbi scriptum est spiritus Dei ferebatur super aquas Gen. 1. secundo vbi dicitur non permanebit in istis hominibus spiritus meus, quoniam caro sunt 3. vbi Pharao dicit ad Ioseph. Genes. 41. quoniam spiritus Dei est in te, 4. vbi incantatores Ægyptiorū dicunt digitus Dei est 5. in hoc cantico misit spiritum suum, cooperuit eos mare: meminerimus autem spiritum Dei non solum ad beneficia, verum etiam ad vindictam commemorari, nam quid aliud etiam dixit supra per spiritum iræ tuæ diuisa est aqua: iste itaque spiritus iræ Dei in Ægyptios, nam spiritus iræ eis quibus nocuit aquarum diuisio, vt intrantes possent aquis redeuntibus obrui, filiis vero Israel quibus profuit, quod aqua diuisa est, non fuit ille spiritus iræ Dei, vnde significatur propter diuersas operationes & effectus Dei, spiritus dissimiliter appellari, cum sit vnus atque idem ille dumtaxat, qui etiam Spiritus Sanctus in vnitate Trinitatis accipitur, proinde non arbitror alium quam eumdem significari, vbi dicit Apostolus, non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba pater, quia eodem spiritu Dei, id est digito Dei, quo lex in tabulis lapideis conscripta est, timor incussus est eis qui gratiam nondum intelligebant, de sua infirmitate atque peccatis per legem conuincerentur & lex illis fieret pædogogus quo perducerentur ad gratiam, quæ est in fide Iesu-Christi.*

Genes. 1. Genes. 6. Genes. 41. Exod. 5.

*VARIETAS LECT. Vers. 11.*

*Vulg.* Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis faciens mirabilia.

*Sept.* Quis similis tibi in diis Domine? quis similis tibi? glorificatus in sanctis, mirabilis in maiestatibus, & faciens prodigia.

*Complut. editio.* Mirabiliter gloriosè faciens prodigia.

*Symm.* Neque in potentatu neque in sanctitate æqualis.

*Aquila.* Quis similis in magistratibus & potentatibus?

*Cald.* Non est absque te, quoniam tu es Deus Dominus, nullus est præter te Deus fortis, in sanctitate terribilis, laudabilis, faciens prodigia.

*OnK.* Tu es magnificus in sanctitate, terribilis, laudabilis, faciens miracula.

*Pag.* Quis sicut tu in diis Domine? quis sicut tu? magnificus in sanctitate, terribilis in laudibus, *sic Ari. Mont.*

*Oleast.* Quis sicut tu roboratus in sanctitate? terribilis laudibus? faciens separata, *addet potest etiam verti*, timendus es eleuatione.

*Eugub.* Deus laudum.

*Cajet.* Formidatus laudum factor mirabilium.

*Euthym.* Glorificatus in sanctificationibus.

*CONCORDIA.*

Septuag. pro in fortibus, habent ἐν θεοῖς & Hebræi באלים quod etiā Deos significat, optimè tamen noster Vulg. vertit in fortibus, quia etiam dii gentium seu idola sibi fortitudinem vindicant, atque potentię suę adscribunt, si aliquid præter naturæ cursum cōtingat, imo hoc fine mirabilia quędam exhibent corā hominibus, vt quasi omnipotentes dii censeantur. *magnificus in sanctitate*, ita etiam Hebræus נאדר בקדש sed Septuag. vertunt δεδοξασμένος ἐν ἁγίοις glorificatus in sanctis, quod idem cum Vulg. est, licet possint ita accipi, vt vox ἁγίοις ponatur in masculino, & referatur ad homines sanctos, in quibus etiā Deus mirabilis, qui cum ipsorum & aduersariorum eorum stupore deducit eos inter pericula illæsos & inter vulnera sanos, & in morte ipsa conseruat viuos, imo ad meliorem vitam resuscitat Symmachus habet ἐν δυνάμει in potentia. Vulg. terribilis atque laudabilis, Hebræus habet נורא תהלת nora tehilot, terribilis laudibus, vel vt habet Cajet. formidatus laudum, quod etiam dici potest, quia vt ait Cajet. laudes eius sunt formidini, non solum hominibus, sed etiam Angelis, vel quia à laudantibus est timendus: faciens separata ait Oleast. quia quæ ab aliis diis fieri nequeant ipse fecit.

## EXPOSITIO.

A *Qvis similis tui in fortibus Domine?* Interrogatio in sacris litteris multis fit de causis, interdũ enim vim habet optatiui, præsertim si fiat per dictionẽ quis cũ verbo dandi aut tribuendi vt Psal. 13. quis dabit ex Sion salutare Israel? interdum interrogatio fit vt ea quæ certa sunt, affirmemus, vt Psal. 43. nonne Deus requiret ista? interdũ non dubitationis sed admirationis nota est, vt Genes. 17. putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet? & hîc hæc interrogatio, quis similis tui? admiratiua plane est, & rem indicat prorsus impossibilem, sensus igitur fit, cum in hoc facto magnum tuæ pietatis specimen dederis, æquum est vt omnibus regibus, diis, Angelis te præferendum esse, gentes quæ illos tanquã Deos & potentes venerantur, agnoscãt, nihilque illos esse, nihil habere virtũ, si tecũ conferantur, intelligant. *quis similis tui?* lingua Hebræa licet multis repetitionibus gaudeat, hoc in loco tamen additur repetitionis figura, non tantum ad orationis ornamentũ, sed etiam ad maius quoddã sententię firmamentum, certitudinem, & energiã, quis ergo similis tui in fortibus Domine? hic nomen *fortes* in amplissima significatione accipiendum est, vt indicet nihil omnino forte & potens reperiri posse, neque in cœlo & in terra, neque subtus terram, quod cum fortissimo Deo possit comparari, quanto minus Pharaonis & suorum fortitudo qui, in populum Dei insurrexerant.

Psal. 13. Psal. 43. Genes. 17.

*Magnificus in sanctitate.* Quamuis sanctitas multis modis sumatur, tamen hic præstat accipere, vt significet perfectionem & attributum Dei, quo is omnem creaturam superat, & sit explicatio superioris interrogationis admiratiuæ, qua exclamarat Moyses, quis similis tui in fortibus Domine, quasi diceret, cæterorum enim fortitudo imperfecta & quasi hac imperfectione polluta est, tua vero sancta, & segregata ab omni imperfectione, si autem posuerunt Septuag. *in sanctis*, sermo erat de filiis Israel, quos sanctos id est Dei seruos eiusque cultui dicatos appellat, in quorum liberatione magnificum se ostendit omnipotens Deus.

*Laudabilis atque terribilis.* Adeo laudabilis es, vt B tuæ laudes nos terreant, cum tantæ sint, vt eas pro merito commemorare desperemus, vel laudes virtutesque tuæ non eiusmodi sunt, vt commemoratæ ad cui amorem solum accendant animos, verum etiam ad sui admirationem & venerationem tuæ maiestatis, terribile enim, hoc est timendum siue cum reuerentia & timore tractandum, *& faciens mirabilia*, quæ potentiam hominum & Angelorum superant.

## CONCEPTVS.

### *Deus punit amore iustitiæ, non vindictæ.*

142 *Qvis similis tui in fortibus Domine?* Et ilico subiungit, *magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis.* Cur præponitur magnificus in sanctitate cum eum terribilem asserit? sed qua de causa cum terribilem esse dixit subiungit laudabilem? nam quæ in terrore incutiendo laus potest esse, cum potius eos auersamur qui nobis terrorem vel horrorem inferunt? merito hoc ordine huiusmodi expressit epitheta, quia cum punit sanctus est, non iniquus, imo etiam cum terret & punit laudibus efferendus, non enim punit amore vindictę, sed illo iustitię, quod mihi videtur significasse Cajet. dicens *Deum per laudabilia opera timeri*, cum tamen alij principes ac reges cum terrent ac puniunt multorum odium vituperationemque incurrunt, quod non debita iustitia sed tyrannica licentia ad puniendum moueantur.

Cajetan.

### *Dominus vtpote sanctissimus, sanctissimè debet coli & obseruari.*

143 *Quis similis tui in fortibus Domine? magnificus in sanctitate.* Cur magnificum in sanctitate prædicat coram Israel? non enim sanctissimum, alium & in sanctitate ei similem agnoscebat: sic eum prædicat vt ignoraret quanta sit difficultas in diuino obsequio pro dignitate exercendo: nam sanctissimus Dominus sanctissime coli obseruarique non immerito exposcit, quæ igitur tanta potest esse in homine sanctitas, vt diuinæ sanctitati, non dico cum perfecta adæquatione, sed nec debita quidem proportione accommodetur? vnde Iosue audiens ex populo, seruiemus Domino, quis ipse est Deus noster? subdidit. *Non poteritis seruire Domino, Deus enim sanctus & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis.* Iosue 24. Iosue 24.
C quasi diceret ne vobis nimium tribuatis, quia quantumcumque vires atque animos intendatis nunquam ad eam seruitutem quę diuinæ sanctitati debetur, peruenietis, quod etiam confessus Eliphas Iob. 4. *nunquid homo Deo comparatus iustificabitur aut factore suo purior erit vir: ecce qui seruiũt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem, quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea?* Vbi difficultatem huius seruitutis & exẽplo & ratione confirmat, ratione quidem, quia creatura sicut in infinitum abest à perfectione sui creatoris, ita à seruitute quæ illi debetur, longissimè recedit: exemplo, quia si Angeli qui inter cæteras creaturas diuinam perfectionem proximè imitantur, à debita seruitute corruerunt, qualem homines suapte natura labiles, Deo deferent seruitutem? qui fragiles sunt, integritatem retinebunt? Iob. 4.
D

### *Deus quis sit, explicari non potest.*

144 *Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui?* Satisfacere videtur regius Vates Psalm. 85. non est similis tibi in fortibus Domine, sed qua de causa cum interrogaret Moyses quis similis esset Deo in fortibus, seu vt habet Pag. in diis, regius Propheta in arcanis fidei nostrę maxime illustratus, non respondit dicens assertiue, quis esset Deus? & quis ei similis? merito obmutescit, quis enim exprimere potest, quis & qualis sit Psal. 85.

S. August. Deus, *Intendat charitas vestra* inquit, B. August. in eit Psal. *Deus ineffabilis est, facilius dicimus quid non sit quam quid sit, terram cogitas, non est hoc Deus: omnia quæ sunt in mari, quæ volant per aerem, non est hoc Deus, quidquid lucet in cælo, stellæ scilicet, luna, non est hoc Deus, angelos cogita, thronos, sedes, dominationes, non est hoc Deus, & quid est hoc? solum potui dicere quid non sit, quæris quid sit, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quid quæris, vt ascendat in linguam quod in cor non ascendit? non est similis tibi in diis Domine.*

***Qui appetit inordinate Dei similitudinē, corruit.***

145 *Quis similis tui in fortibus Domine?* Nullus, nonne supremus Angelorum credidit aliquem Deo similem meuasurum, cum ait apud Isaiam 14. ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo? nonne hoc idem promisit ille Angelus primis hominibus, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii? ergò Moyses, quomodo quis erit Deo similis? ita sane, sed imaginariè, sed falsè, sed præsumptuose, & ideo vterque misere periit, quod sic

S. Greg. Mag. expendit B. Greg. lib. 29. moral. c. 6. dicens, *Diabolus vel homo à statu conditionis propriæ, elata mente corruerunt, vt vel ille diceret ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo: vel iste, credentes aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii: ideirco ergo vterque cecidit, quia esse Deo similis non per iustitiam sed per potentiam concupiuit: sed homo per gratiam liberatus qui Dei similitudinem peruerse appetendo ceciderat, in reatu criminis sui, longè se Deo*

Psal. 88. *imparem agnoscens clamat Psal. 88. Domine quis similis tibi?*

***Deus nunquam laudari satis potest.***

146 *Quis similis tui in fortibus Domine? laudabilis,* Cur non exprimit in quo laudem meretur, vel quibus extollendus præconiis? cur diceret? cum impossibile sit satis laudari posse: hinc B. August. ad illa

S. August. verba Psalm. 45. laudabo Dominum in vita mea ait. *Quid est in vita mea? quia modo in mea morte sum, laudo quantum possum, tenuiter & exiliter, infirmiter,* &

Oleast. Oleast. *expendant hoc iusti & sancti & sciant se non satis laudare Deum, etiam si multum laudauerint, & quod maior sit omni laude, neque laudare sufficiamus.*

***Deus quam in se mirabilis.***

147 *Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate,* alii, *fortis in sanctitate* Sept. *magnificus in sanctis,* per magnificum non desunt

Psal. 76. intelligentes mirabilem, secundum illud Psal 67. mirabilis in sanctis tuis, cur Deum solum mirabilem in sanctis suis prædicat? vt si in creaturis

S. Maxim. suis se mirabilē ostendit, quanto in se ipso mirabilior sit ostēdat, & declaret, teste S. Maximo hom. 1. in natali Domini, *Mirabilis Deus in sanctis suis si in sanctis suis mirabilis* Deus, *quomodo non in se ipso mirabilis?*

***Solus adorari vult verus Deus, falsorum deorum consortium non admittens.***

148 *Quis similis tui in fortibus Domine?* Pag. *quis similis tui in diis Domine?* Nullus, quid inde colligere debemus? nisi quod licet Ægyptii & postea romani variorum deorum cultui addicti essent, vt ea quoque numina venerarentur quæ ab illis gētibus celebrantur, quas deuicerant, noluit tamen simul cum eis adorari, cum enim esset solus verus Deus solus cultum verum sibi requirit aliorum consortium nequaquam admittens. præclarè de hac re

August. asserit August. lib. 1. de cons. euang. *Quemnam putant* inquit *esse Deum Israeliticum cum colendum non receperint sicut aliarum gentium Deos, quas Romanum subiecit imperium? præsertim cum eorum sententia sit omnes Deos colendos esse, à sapientibus cur ergo à numero cæterorum reiectus est? nihil ergo restat vt dicam, cur huius Dei sacra recipere noluerint, nisi quia solum se coli voluerit, illos autem Deos gentium quos illi iam colebant coli prohibuerit, Socratis enim sententia est, vnumquemque Deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum esse præceperit proinde illa summa necessitas facta est non colendi Deum Hebræorum, quia si alio modo eum colere vellent quam se colendum ipse dixisset, non vtique illum colerent, sed quod ipsi finxissent, si autem illo modo vellent quo ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant, quos ipse coli prohibebat, ac per hoc respuerunt vnius veri Dei cultum, ne multos falsos offenderent.*

***Deus quatenus laudabilis, amandus; quatenus terribilis, timendus.***

*Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? terribilis & laudabilis?* Cur duo hæc epitheta quasi non simul satis conuenientia cōiungit? auspicaturne alterius laudes à terrore? in quo enim quis laudandus quod terrorem incutiat? ne Moysem hæc duo simul coniungentem arguas, vtrumque enim rectè Deo conuenit, quatenus enim laudabilis toto nostri affectus amore dignus, quatenus terribilis maximè timendus, audiendus hac in re S. August. in Psal. 65. ad illa verba timuit omnis homo. *Eum debet timere homo à quo est homo, quod supra est time, & homines te non terrebunt, mortē sempiternam time & præsentem nō curabis, illam voluptatem, illam incorruptam, & quietem sine labore concupisces, & promittentem dona ista temporalia & totum mundum deridebis, ama ergo & time, ama quod promittit Deus, time quod minatur Deus, nec corrumperis ex eo quod promittit, nec terreberis ex eo quod minatur homo timuit omnis homo, qui non timuerunt nec homines timuerunt, illi qui non timuerunt, pecora potius nominandi sunt, bestiæ potius immanes & truces, &c.* quæ August. doctrina optime cohæret cum his duobus epithetis, sicut enim ipse iubet amari Deum pariter & timeri, sic & Moyses laudabilem prædicat & terribilem, vt quatenus laudabilis est, super omnia diligatur, quatenus vero terribilis præ omnibus timeatur, hoc enim modo sicut Deus diligetur, sicut iubet, timebitur. 149

Psal. 65. S. August.

***A timore incipiendū vt ad amorem perueniatur.***

*Quis similis tui in fortibus Domine, &c. terribilis, atque laudabilis.* Diximus quod quatenus laudabilis diligendus, quatenus vero terribilis, timendus: sed cum æque potuerit dicere, laudabilis & terribilis, cur non præmisit epitheton *laudabilis*, alteri nempe *terribilis*: quia à timore incipiendū, vt ad amorē perueniatur, consulendus præfatus S. Doctor in illa verba Psal. 149. ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. *Quare ergo ait ille vincula ferrea & non aurea? ferrea sunt quādiu timent, ament & aurea erunt; attendat charitas vestra, quid loquar audistis modo Apostolum Ioan. 1. 4. timor non est in charitate, sed perfecta charitas mittit timorem, quia timor tormentum habet hoc vinculum ferreum, & tamen nisi timere incipiat homo Deum colere, non perueniet ad amorem, initium Sapientiæ timor Domini Prouerb. 1. incipit ergo à vinculis ferreis, finitur ad torquem auream, di-* 150

Psal. 149. S. August. 1. Ioan. 4. Prouerb. 1.

*ctum est enim de Sapientia Eccles. 6. & torquem auream circa tuam ceruicem, non tibi imponeret quidem torquem auream, nisi primum in compedibus ferreis te alligasset, sed cæpisti à timore, consumatis sapientia.*

***Creatura qualibet quantumuis perfecta, nihil est Deo aut Christo D. comparata.***

152 *Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui?* Pagn. *quis similis tui in diis Domine?* Quid? cur cum simulachra deorum non solum sint vana, sed etiam abominatione omni digna, dixit nullum ei simile? quis enim id in dubium reuocat? in quo Deus laudatur quod non sit ei similis in vanis deorum simulachris? aduerte nomine deorum secundum Origenem, ij intelliguntur qui secundum gratiam dii nuncupantur, ego dixi dii estis, quantumcumque hi dij præstent gratia, virtutibus condecorentur, quis inter eos illi reperiri potest similis? nullus, ab eo enim quilibet infinitè distat. subiicio verba Orig. *Cum dicit quis similis tibi in diis? non simulachris gentium comparat, nec dæmonibus qui sibi falsò nomen deorum adsciscunt, sed Deos illos dicit, qui per gratiam & participationem Dei dij appellantur, de quibus & alibi scriptura dicit, ego dixi dii estis: & iterum, Deus stetit in congregatione deorum, si hi quamuis sint capaces Dei, & hoc nomine donati per gratiam videantur, nullus tamen Deo similis inuenitur, vel in potentia, vel in natura, & licet Ioannes Apostolus dicat, filioli nondum scimus quid futuri erimus, si autem reuelatum nobis fuerit de Domino scilicet dicens similes ei erimus: similitudo tamen hæc non ad naturam sed ad gratiam reuocatur, vt dicamus picturam similem esse ei cuius imago in figura videtur expressa, quantum ad gratiam pertinet visus, similis dicitur, quantum ad substantiam longè dissimilis, illa enim species carnis est & decor corporis viui, ista colorum fucus est, & cera tabulis sensu carentibus superposita, nullus ergo in diis similis Domino, nullus enim inuisibilis, nullus incorporeus, nullus immutabilis, nullus sine initio & sine fine, nullus creator omnium nisi Pater cum Filio & Spiritu Sancto.*

Origen. hic. Psalm. 81. 1. Ioan. 3.

***Quæ Deus operatur, in admirationem rapiunt.***

152 *Quis similis tui in fortibus Domine? terribilis & laudabilis & faciens mirabilia.* O Moyses, nonne plura ad extensionem virgæ tuæ operatus es? cur ergo absolutè Deum mirabilem & facientem prodigia prędicas? nonne satis erat dixisse Deum facientem prodigia? cur & mirabilem addidisti? quia quæ Deus operatur, in admirationem rapiunt. subscribit Greg. Mag. in lib. 1. Reg. c. 14. *Perfecti quique in omnibus quæ facta sunt sine fiunt, omnipotentis Dei virtutem & sapientiam mirari non desinunt, vnde & Psalmista diuinis laudibus insistens ait, mirabilis Deus in sanctis Deus Israel, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus, hinc Moyses eidem Domino confitetur dicens quis similis tui in diis Domine, quis similis tui in sanctis? gloriosus mirabilis in maiestate, in sanctis quidem mirabilis dicitur, quia quo altius diuina conspiciunt eo & mirabilius obstupescunt, quia nimirum altissima contemplatione vident, quibus stupeant, non quæ ratione comprehendant.*

S. Greg. Mag.

***Deus in quocumque etiam difficillimo opere exercendo non fatigatur.***

153 *Quis similis tui in fortibus Domine? magnificus in sanctitate,* Cajet. *robustus in sanctitate.* Cur Deum robustum prædicat? in quo enim laudibus efferendus Deus quod sit potens in viribus? nam hoc elogium potius respicit hominem quam Deum, à viribus enim hominem extollimus, quod sit robore excellens: meritò etiam Deus à robore laudatur, quia Deus in quocumque difficillimo opere exercendo non fatigatur, vnde rectè Cardin. Cajet. *Magnificus in sanctitate, aliter robustus in sanctitate, rationem reddit ex apparentibus, quod nullus est Deus sicut Dominus, tam enim homines quam dij exercendo robur suum, aliquam inquietationem incurrunt, & homines quidem lassitudinem in corpore & commotionem in animo saltem incurrunt, spirituales autem substantiæ suapte natura animi commotionem, & in viribus laborem propter inclinationem corporis quod mouent ad oppositum patiuntur, solus autem Deus, cui omne corpus obedit ad nutum, exercet robur suum, vtendo corporibus sensibilibus, ad quocumque vult, absque aliqua contractione immunditiæ qualiscumque.*

Cardin. Cajet.

***Deus in laudibus timendus etiam ab angelis.***

*Quis similis tui in fortibus Domine? terribilis atque laudabilis,* Cajet. formidatus laudum, Pag. terribilis in laudibus: à quo formidandus, cum præconiis extollitur? cur non dicit ab hominibus vel ab Angelis? absolutè dicit formidandum, quia ab omnibus etiam cum laudibus extollitur, omnino timendus est. *Formidatus laudum,* inquit cit. Cardin. *tum quia laudes eius sunt formidini non solum hominibus, sed etiam Angelis, eo quod excedunt vires omnium laudantium, tum quia à laudantibus est timendus, non enim Deo placet laudari sine timore, demum quia per sola laudabilia opera metuendus est, alij siquidem timentur, quia possunt nocere sine laudabiliter sine vituperabiliter, Deo autem proprium est per sola laudabilia opera timeri.* 154

Cit. Card.

***Magnificentia & fortitudo simul sint in rege.***

*Quis similis tui in fortibus* Domine? *magnificus in sanctitate.* Cur hæc duo coniungit magnificentiam & fortitudinem, cum Deum simul cum omni populo laudauit? quia in rege magnificentia & fortitudo simul coniungi debent, magnificus Deus cum populo suo & sanctus aperiens illi iter liberans eum ab inimicis, & tamen fortis debellans inimicos, occidens eos, & in ipsum mare demergens, *patientiæ enim fuit Dei*, inquit Saluian. lib. 1. de gubernat. *quod Ægyptij rebellantes sæpè percussi sunt, iudicij quod contumaciæ pertinaces, morte damnati.* Quomodo ergo non amabilis talis Dominus, quomodo non terribilis? amabilis quia magnificus, terribilis quia hostes debellabat, amabilis quia sanctus, & mitis beneficia largitur effundens, imo prodige distribuens, vt prę claré testatur S. Irinæus lib. 4. c. 24. dum ait, *nec Deus cessat aliquando in beneficiendo & locupletando hominem, nec homo cessat benefactum accipere & ditari à Deo,* hinc amabilis, sed ob hoc ipsum magis timendus, nam si benefactor & prodigus sic dona tribuit, vt non ea perdere intendat, distribuit sed non profundit, confert sed non iactat, rationem dati exigens, & accepti, ob hoc amandus & in ipsamet sua timendus pietate. 155

S. Irinæus. Saluian.

***Aliquando in verbis non exigua virtus, dummodo absit superstitio & sint approbata.***

*Quis similis tui in fortibus Domine?* Nullus ô Domine, tibi in fortitudine comparari potest. 156

verum an in hoc versiculo aliquid obtectum & mysteriose velatum reperiri poterit? quid nisi cum non solum in fortitudine quolibet superet Deus, sed quod in virtute huius versiculi, confidenter & piè prolati, eximios retulere Machabæi ab hostibus triumphos: tradunt enim Hebræi Machabæos hunc versiculum vsurpasse quasi insigne belli & victoriæ, eumque castris & præliis in vexillis prætulisse, eoque hostes fortissimos & numerosissimos parua manu prostrasse, indeque eos dictos esse Hebraice מכבי machabi, id est Machabæos, nimirum à litteris Hebraicis, quæ sunt initiales singularum dictionum huius versiculi qui in Hebræo sic habet מי כמך באלים יהוה mi camocha baelim iehoua; si enim à prima dictione M. capias primam litteram mi à secunda primam ch. à tertia primam b. à quarta i. easque coniunges, facies Machabi, id est Machabæus:

2. Mach. 8. Agellius. subiicio verba Agellii, *Ex hoc Hebræo versu initialibus dictionum litteris sibi Iudas nomen Machabæi adsciuit, & titulum ac symbolum militibus suis dedit, vt est 2. lib. Machab. c. 8. vers. 23. & dato inquit signo adiutorii Dei in prima acie ipse dux commisit cum Nicanore σύνθημα θεοῦ βοήθεος signũ erat nimirũ quod symbolũ etiã dicitur græcè, & latinè tessera quo milites internoscerentur: sunt autem initiales in hoc Hebræo versu* מכבי

Sixtus Senensis. Suffragatur & Sixtus Senensis lib. 1. bibl. sacræ, *Iudas Mathathiæ filius cum aduersus Antiochum Iudæorum hostem esset prælium initurus, dedit militibus suis seu belli tesseram sententiam illam Mosis, mi chamocha baelim Iehoua, quis sicut tu in fortibus Domine? iussitque eam singulis ordinum vexillis tanquam certæ victoriæ omen inscribi per quatuor has litteras* מכבי *hoc est M. C. B. I. quæ initiales sunt prædictarum quatuor dictionum, & earum sensum ex integro significant: sed cum vulgus militum quatuor has litteras breuitatis gratia pronunciare cœpisset, non integram quam referunt sententiam, sed secundum vnicam dumtaxat dictionem, quæ primum ex earum combinatione resultat, videlicet Machabæi, paulatim militaris consuetudo obtinuit, vt huius tesseræ auctor Iudas & eorum posteri Machabæi cognomine appellaretur.*

*Deus piis amabilis, impiis autem terribilis.*

157 *Quis similis tui in fortibus Domine? magnificus in sanctitate terribilis atque laudabilis*; Amorem inferens, terrorem incutiens, vult amari: an timeri desiderat? nonne charitas expellit timorem? Deus sanè vtroque modo se gerit erga homines. nam piis amabilis est, impiis autem terribilis, sensus est nostri Titelmi. *Merito terribilis omnibus, impiis etiam regibus terræ, vt potè qui habeat potestatem auferendi spiritum etiam principũ & regum terræ, econtrario amabilis atque laudabilis piis omnibus, quibus tam benignum & fidelissimum te exhibes defensorem, quippe qui facis aduersus impios pro bonis mirabilia signa atque prodigia, quemadmodum pro nobis fecisti aduersus Ægyptios.* Titelm.

*A quibus excellentius agnoscitur Deus, ab iis perfectius glorificatur.*

*Quis similis tui in fortibus Domine? magnificus in sanctitate*, Pag. *quis similis sicut tu in diis Domine?* Sep. *glorificatus in sanctis*. Non pauci sentiunt per Deos & sanctos, spiritus beatos intelligi. sed cur glorificatur potius in huiusmodi Angelis quam in hominibus? quia à quibus perfectius agnoscitur Deus, ab iis perfectius glorificatur. *Possumus* (inquit Euthymi.) *intelligere quod Deus magis glorificatur inter Angelos quã inter homines, illi etenim diuinam potentiam atque eius vires nouerunt, & quod Deus supra omnium opinionem est incomparabilis.* 158 Euthym.

*Similis Christo Domino, seraphicus Franciscus videtur.*

*Quis similis tui in fortibus Domine?* Id est inter alios sanctos, inquit noster sanctus Bernardinus ser. de stigmatibus nostri beatissimi Patriarchæ, nullus, quis enim inter sanctos Deo vel in fortitudine comparari, vel in sanctitate, vel in quocumque alio attributo, vel perfectione conferri poterit? nullus, sed falleris nam beatus seraphicus Franciscus similis videbitur Christo Domino in stigmatibus, licet non quo ad modum, sic autem loquitur præfatus Bernardus. *Quis similis tui scilicet in dolore mentali, & pœna corporali, & stigmatibus sacris, scilicet tuis? gloriosus Franciscus qui est magnificus in sanctitate, terribilis scilicet dæmonibus propter stigmata sua, atque laudabilis Angelis & hominibus & faciens mirabilia.* 159 Noster. Bernard.



## *VARIETAS LECT. Vers. 12.*

*Vulg.* Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra.

*Cald.* Leuasti dexterã tuam, deuorauit eos terra.

*Pag.* Extendisti dexteram tuam, deuorauit eos terra.

*Oleast.* Absorbuit eos terra.

## *CONCORDIA.*

Verbum בלע in coniugatione Kal est absorbere, deglutire, abscondere, operire: sed in Pihel est perdere, dissipare imo teste R. Dauid & aliis grammaticis ingurgitare, metaphorice præcipitare, latinè quoque dicitur deuorare, pro perderet à deiectione præcipiti cibi in ventrem & locum corruptionis transfertur hoc verbum ad æternam rei perditionem & præcipitem deiectionem, maximè in niphal & pihel.

## EXPOSITIO.

Sophon. 1. *Extendisti manum tuam*, B. Hierony. in illud Sophoniæ 1. extendam manum super Iudam, ait, manum extendere est irati & gestum percutientis, quod probat ex variis scripturæ locis sed hic

non quem proponit Hierony. non vniuersalis censendus est, sed solum tanquam frequens & ad intelligenda sacræ scripturæ loca aptissimus, etenim aliquando oppositum eius quod dictum est, significat, nēpe magnificentiā & beneficentiam Psalm. 54. extendisti manum tuam in retribuendo, & Isai. 65. tota die expandi manus meas ad populum non credentem, hic autem extensio manus Dei significat supplicium illatum Ægyptiis in malo obstinatis, *Deuorauit eos terra*, Non credendum cum aliquibus à terra deuoratos fuisse hiatu quodam eos absorbente, nam à solo mari fuisse absorptos constat ex Exod. 14. vbi dicitur, occurrerūt aquæ & inuoluit eos Dominus, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis: & infra in eodē cap. viderunt Ægyptios mortuos super littus, vnde apparet Ægyptiorum cadauera non fuisse absorpta à terra, cum inhumata derelicta fuerint diripienda feris ac Barbaris, iuxta illud Psal. 73. tu confregisti capita Draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum.

Psal 58. Isa. 65.

Aduerte pro huius locutionis explicatione partem illam extremam vel infimam mundi nomine A terræ censeri, secundum id quod dicitur Genes. 1. creauit Deus cælum & terram, vsitatum est enim in scriptura, vt terræ vocabulo, significetur totus hic mundus inferior & sublunaris, sicut etiam celi nomine superior & cælestis pars intelligitur, & in hoc sensu deuorauit Ægyptios terra, id est mundi pars inferior, quæ ex aqua & terra potissimū constat. sed ne aliquis scrupulus hac in re remaneat, aduertendum est terræ nomine hoc in loco appellari ipsum mare secundum phrasim sacræ scripturæ, quæ terræ nomine mare plerumque intelligitur: vt constat ex illo Ionæ 2. terræ vectes concluserunt me: nomine terræ ipsū mare appellantis, & sicut aliquādo scriptores sacri phrasi Hebræa vectes ciuitatis pro ciuitate forti dicunt, sic dictum est vectes terræ id est maris pro mari forti, pro magno & profundo; nam forte vocant Hebræi quod magnum est in genere suo, & excel- B lens: alij intelligunt per terram, profundum seu maris fundum, in quo Ægyptiorum cadauera obruta & absorpta iacuerunt, vt quia sub aquis terra eos in profundo receperit & sustentarit, dicantur à terra deuorari.

Genesi. Ionæ 2.

## CONCEPTVS.

### *Deus suam cum iustitia misericordiam coniungit.*

160 EXtendisti manum tuam & deuorauit eos terra, Quod regius vates iterum repetens ait Psal. 135 excussit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro, quoniam in æternum misericordia eius, qui sane versiculus aliter terminandus videbatur, nempe quoniam in æternum iustitia illius, siqui- C dem illud supplicium grauissimum quo absorpti sunt Ægyptij, potius à iustitia quam à misericordia procedebat, cur igitur solum ad misericordiam reuocatur? dices quia in peccatoribus puniendis diuina misericordia elucet, ne si diutius viuant grauiora scelera committant, ob quæ grauiores pœnas patiantur, vnde S. Bernard. serm. contra ingratit. *Dei Clementia esse videtur ingratis negare quod postulant, ne contingat nobis vt tanto grauius de ingratitudine iudicemur, quanto magis cumulatis beneficiis ingrati probabimur extitisse, ergo misericordiæ res est in hac parte subtrahere misericordiam, & antecedenter misericordiæ quoque est punitionem maturare, ne punienda augeātur.* misericordia igitur diuina fuit, quæ Ægyptios hostes Hebræorum clementius punuit, ne diuina iustitia seuerius punirentur, hinc recte Orig. hom. 1. in Ierem. D *Bonitatis Dei istud est indicium, inimica cælesti regni regno destruere, & bellantes cum sua gente euertere nationes.* Optima quidem ratio, sed addere liceat Deum cum sua iustitia suam coniunxisse misericordiam, quia licet hæc supplicia comparata cū Ægyptiis quibus infligebantur ex iustitia procederent, tamen cōparata cum Hebræis in quorū fauorem inducebantur ex misericordia procedebant, mens est Theodor. in præfatum Psal. 135. fort assis aliquis ambigere posset, quomodo per misericordiam mors efficitur? consideret igitur finem præsentium verborum, *Iniuria affectos miserarās, iniuria afficientes plectis, misericordia erga hunc populum illis pœnā inflixit.* Quasi diceret misericordia erga miseros imperat, vt iusta iniustis supplicia infligantur.

Psal. 135. S. Bernard. Origen. Theodor.

### *Auari licet viuentes iam absorpti sunt à terra.*

161 *Extendisti manum tuam & deuorauit eos terra*, Pagni. & *deglutiuit eos terra.* Quinam a terra degluttiuntur & absorbentur? nam sicut terra ore simul & gutture caret, minimè aliquid potest deglutire, sed falleris, nam eos profecto qui toti terræ adhærent nihil aliud nisi terrena sapiunt, solum de terrenis cogitant, verè absorpti licet adhuc viuentes à terra censendi sunt: mens est Adamantij hom. 6. in Exod. *Impios quidem & hodie deuorat terra, an non tibi videtur terram deuorare illum qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet affectus, qui de terra loquitur, terram desiderat, de terra litigat, & omnem spem suam ponit in terra, qui ad cælum non respicit, qui summa non cogitat, qui iudicium Dei non timet, nec beata eius promissa desiderat sed semper de præsentibus cogitat, & terrena suspirat talem? cum videris, dicito quia deuorauit eum terra.* Eadē est censio Alexand. oratione ad gentes cum ait, *Ne porcis efficiamur similes, sed vt germani filij lucis intueamur lucem & sursum aspiciamus. ne nos esse adulterinos deprehendat Dominus, quemadmodum sol Aquilas.* qui enim semper de terra cogitat, eamque desiderat, terræ se ingurgitat velut porcus, & luto volutatur, vt nec etiam oculos ad cœlum leuare valeat.

Adamant. Clemens. Alexand.

### *Ingens crimen cum à Deo beneficia accipis, solum terrenis intendere.*

162 *Extendisti manum tuam & deuorauit eos terra.* Diximus extensionem manus Dei non solum punitionem sed & beneficiorum ab eo collationem denotare: si ergo hoc posteriori modo sumamus illam dexteræ diuinæ extensionem, quomodo verū erit, quod eos deuorauerit terra, cū hoc graue supplicium denotet? Orig. cit. per huiusmodi extēsionem dexteræ Dei, intelligit eam qua Christus Dominus in cruce, vt omnes ad se attraheret,

Origen.

extendit; sed quid tunc? an Iudæi cælestium memores, eum tanquam Deum agnouerunt? imo ingens piaculum admisere, ita terrenis tunc dediti, vt de eis dici potuerit quod à terra fuerint absorpti. fauet Orig. *Si consideres quomodo Deus exaltatus in cruce, extendit manus suas ad populum non credentem, sed contradicentem, & qualiter infidelem populum qui clamauit crucifige, crucifige eum, mors admissi sceleris presserit, inuenies quo modo extendit manum suam & deuorauit eos terra.*

*Luxuria ignis, igne suffocatur tartareo.*

163 *Extendisti manum tuam & deuorauit eos terra.* Ad supplicium hominũ carnalium id transfert Orig. si quem videris, inquit, luxuriæ carnis, & voluptatibus corporis deditum, in quo animus nihil valet, sed totum libido carnis obtinuit, dicito & de hoc quod deuorauit eos terra nempe infernus: sed quod medicamen salutare conficietur pro salute voluptuosorum, qui à terra deuorantur nempe igne luxuriei, aliũ ignem nempe tartareum attente considerẽt, quo fructu aditus omnino patebit, vt ab exitiali barathro egrediãtur, sicut Ionas in ventre ceti, seu in corde terræ constitutus liber ascendit: *Non enim desperandum est*, adiicit Orig. *possibile namque est vt rursum possit euomi sicut Ionas si æternas, luxuriosus præparatas sibi flammas obiecerit*, Nam vt optime Chrysost. hom. 3. de verbis Isaiæ vidi Dominum ait, *Ne spectes temporariam illam quæ ex aspectu proficiscitur, voluptatem, sed perpetuum dolorem considera, qui nascitur ex cõcupiscentia. nam illa inflicto vulnere, auolat, at vulnus non auolat, sed manet & interficit.* Origen. S. Chrysost.

*Facillime Deus sibi rebelles vltimo punit supplicio.*

164 *Extendisti manum tuam & deuorauit eos terra*, Ecce in mediis fluctibus obruuntur non pauci ex Ægyptiis, sed vniuersus eorum exercitus: quomodo tanta multitudo hominum demergitur? sola manus extensione, ita facile ac si sola manus moueretur, tam facile miraculum fecit, ac si duntaxat manum extẽdisset: sed cur mare terra hoc in loco nominatur? nam non impropriè dicere potuit, absorbuit eos mare: aduerte quod qui in profundum descendit submergẽdus, pluries ad illius superficiem reuertitur cum aliqua spe salutis, qui à terra absorbetur nulla spes ei euadendi superesse potest: vt ergo denotet quod facillimè & sine remedio Deus vltimo impios punit supplicio, ait Deum manum suam extendisse, & tunc non à mari, sed à terra absorptos.

*Deus maxime iratus peccatoribus declaratur.*

165 *Extendisti manum tuam & deuorauit eos terra.* Scimus fluctibus maris obuolutos misere periisse suffocatos. si ergo exanimes etiam ad maris littus eiecti, & ab Hebræis spoliati, cur adhuc à terra deuorantur? nonne satis erat vltimũ dedisse supplicium? etiam post suffocationem in aquis, secundum Euthymium, à terra deglutiuntur, ad maiorem iræ diuinæ in peccatores declarationem, sic autem Euthym. *Illi tam demersi fuerant & postmodum emissi sunt in terram, vt Israelitæ eos viderẽt, vt certiores fierẽt de miraculo, atque vt eos spoliarent, deinde facto terræ hiatu ad diuinæ iræ demonstrationem absorpti sunt*, Quem præiuit Greg. Nisse. *Postquam à filiis Israel spoliati: cum vellet Deus fidem facere, funditus illos perditos esse ideoque in eorum conspectum cadauera eorum iactasset, & non ad speciem tantummodo rem illam gestam fuisse, fecit vt ab illis spoliarentur, quo facto iterũ illa ex omnibus subtraxit, & ante illorum oculos terræ hiatu absorberi curauit.* Euthymius. Gregor. Nyss.

*Grauissimum pondus peccati.*

166 *Extendisti manum tuam & deuorauit eos terra.* Quid? nonne satis fuerat in punitionem suæ rebellionis, fluctibus maris obrui? cur igitur adhuc à terra absorbentur ad ima tartari descensuri? tantum pondus fuit eorum peccatum, vt non solum descenderent ad profundissimas maris partes, vt Ionas, sed etiã rupta terra ad illius medullitium, ad ima tartari loca omnino eorum corpora deuoluta fuerint: non tulit empyreum olim hoc pondus in lucifero & Angelis apostatis. peccati namque pondere deorsum ruentibus ad imas Erebi lacunas illis patefecit, non tulit paradisus voluptatis primos parentes, hoc onere diu locum amænitatis premere, in exilium enim aguntur, aperientur in iudicii generalis extremo die cauernæ, per quas rupta terra pondere peccatorum deuorentur, qui hoc onerosi inuenientur, tunc aspectum iudicis quem reuereri in vita noluerunt, formidãtes dicent montibus cadite super nos & collibus operite nos, nec tamen à collibus aut montibus audientur, sed à terra, Deo iubente, in voragines hiante deuocabuntur.

*Læsa patientia fit rigor.*

167 *Extendisti manum tuam & deuorauit eos terra*, Nonne semper manus habet extensas? an aliquando eas contrahit? ita sane cum patientissimè tolerat hominum peccata, cum sustinet eorum iniquitates, expectans ad meliorem frugem eos reuocari, sed cum ab eis contemptui haberi animaduertit, tunc patientia eius in rigorem vertitur, & manus contracta ad supplicium extẽditur grauissimum. *Nam manũ* (inquit Procop.) *quæ antea fuerat ad puniendum propter bonitatẽ & patiẽtiam contracta, nunc extendit aduersus contemptores vt subdantur pœnis.* Procop.



## *VARIETAS LECT. Vers. 6.*

V*Vlg.* Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti, & portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum.

*Sept.* Deduxisti iustitia tua populum hunc quem redemisti, aduocasti fortitudine tua ad diuersorium sanctum tuum.

*Interpres Orig.* Consolatus es in virtute tua, in requie sancta tua.

*Calda.* Deduxisti in bonitate tua populum tuum hunc, quem redemisti, portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctitatis tuæ.

*Vatab.* Duces per misericordiam tuam populum hunc quem redemisti, duces in fortitudine tua, ad habitaculum sanctitatis tuæ.

*Oleast.* Sustentasti eos in fortitudine tua, vsque A ad habitaculum sanctitatis tuæ.

*Procop.* Adhortatus es eos fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum.

*CONCORDIA.*

CElebre est apud Sept. vt ponant δικαιοσύνῃ vbi noster vulg. habet misericordiam vel ἐλεημοσύνῃ: verti etiam potest cum Oleast. sustentasti, verbum enim נהג nacha significat deducere instar pastoris, aut sicut pater puerum deducit ad manum, qui non tantum dirigit, sed sæpè etiam fulcit & portat, verè enim Deus Israelitas iam pusillanimes, & de salute sua desperatos peculiariter sustentauit, & per nouam B viam eleuatos traduxit. vbi habet vulg. portasti. Vatab. legit duces, forte secundum consuetudinem linguæ Hebraicæ, quæ in permutandis temporibus est liberalissima, & præterita pro futuris, & èconrra sæpè sumit, sed adde de præterito vertisse vulg. portasti, ad denotandam certitudinem futuri euentus, licet de futuro loqueretur, vt patet ex veritate & versione Vatabli.

EXPOSITIO.

DVx fuisti in misericordia tua, Magna enim Dei misericordia fuit populo quem paulo ante redemerat & de durissima Pharaonis seruitute eripuerat hostibus à tergo prementibus, omnique salutis spe interclusa, admirabili modo viam per mare aperire, & in tenebris per ignis columnam ipsis viam ostendere, eodemque mari quod Israelitis saluti fuerat, eorum hostes ad vnũ omnes in eorũ cõspectu obruere. Deus autẽ vere dux fuit populi sui, nam ex eo tempore, quo populum eduxit ex Ægypto, ducis & imperatoris fortissimi personã sustinuit. Sept. vt vidimus habent deduxisti in iustitia populum tuũ; quod oppositum videtur iis quæ legit Vulg. dux fuisti in C misericordia, videntur enim se se opponi misericordia & iustitia in effectu, quanquam eadem sint realiter in Deo, sed non contrariantur, nam misericordia eluxit & iustitia in deducendo populo Israel, insignis enim misericordia exprimitur, dũ Deus paterno affectu & magisterio dux fuisse describitur populo suo ab Ægypto liberato per solitudinem vsque ad montem, in quo illi ædificatum est templũ, deducens magna itidem iustitia, cuius opus est hospites quales erãt Israelitæ, in Ægypto iniuria lacessitos seruare, in seruitutem abductos patriæ restituere, pios denique impiorum insidiis circumuentos eripere.

*Portasti enim*, præteritum more prophetico positum pro futuro: sumitur autem metaphora à matribus & nutricibus quæ tenellos infantes nondum præ imbecillitate pedibus suis valentes insistere, atque alio progredi, vlnis captãt, & comple- D xis brachiorum sustentatos, quo commigrandum est, eos transferunt: tam indulgenter igitur toto istius commigrationis tempore se Deus gessit cũ populo, quod dicitur illis verbis Deutero. 1. portauit te Dominus, vt solet homo gestare paruulũ suum, in omni via per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum: *in fortitudine* per operationem mirabilium, eduxisti eos ex Ægypto.

*Ad habitaculum sanctum tuum*, Vel terram promissionis quæ habitaculum sanctũ Dei nuncupari potest, eo quod habitauerat ibidem Deus in primis patriarchis Abraham, Isaac & Iacob, & habitaturum se promisit in semine eorum; vel locum in quo postea constructum est templum, vel ipsum met templum quod vocatur templum Dei, quia voluit ipse tam familiariter habitare & tam domestice conuiuere cum hominibus, quam familiariter habitat, ac quam domestice conuiuit is qui alicubi habet lares suos.

Sed ratio dubitandi apparet, nam quomodo portauit Deus ad habitaculum sanctum suum populum Israel, quem redemerat, si eumdem pene occidit in deserto? huic obiectioni sicut & aliis pluribus respondẽdum est ex illa regula S. Chrysost. hom. 8. in Matth. vbi ait, Autumo hunc esse prophetiæ morem vt multa sæpe in aliis dicantur quidem, sed in aliis adimpleantur, vnde licet propheta Moyses videatur loqui de illis quos Deus eduxit & redemit ex Ægypto, quibusque mare aperuit, tamen portare eos ad habitaculum sanctum Dei & introducere in promissam terram non contigit, nisi posteris eorum.

CONCEPTVS.

*Qui Dei ducatum sequitur tutus pericula euadit.*

168 DVx fuisti in misericordia tua populo quem redemisti. Ad quid hoc encomium, cum nullus ambigendi locus superesset ex speciali Dei misericordia populum Israel incolumem euasisse? nihilominus dicendum his verbis Mosem respondisse his qui mirabantur quod Hebræi sicco vestigio mare transierunt, Ægyptii vero eiusdem maris vorticibus fuerint obruti, nẽpe dux fuit eis in misericordia, id est ideo tuti profundum maris ingressi sunt Hebræi, quia Dei ducatum sequebantur, Ægyptii vero quia temere & sine Dei iussu idem iter arripuerunt ad vnum omnes deleti sunt: etenim qui Dei iussa sequuntur, difficultates omnes superant, tuto se periculis obiiciunt, qui vero temerè & sua sponte se difficultatibus offerunt, labuntur, & pereunt. hæc est mens Orig. hom. 6. in Exod, *Et tu si filius Israel es, potes ambulare per medium in medio maris si fueris in medio nationis prauæ atque peruersæ, si eius tamen solis verbum vitæ continens ad gloriam potest fieri vt in medio peccatorum incedentem et non confundat humor peccati: qui vero sequitur Christum & sicut ipse ambulauit ita & ipse ambulat, aquæ ei muris sunt dextera* Origen.

*lenaque, ipse vero media via incedit per siccum.*

### *Ita certum iniuste & misere oppressos liberandos, vt quasi ex iustitia Deus teneatur. illis subuenire.*

169 *Dux fuisti in misericordia populo quem redemisti,*
Sept. Deduxisti in iustitia tua populũ hũc. Nõne
eximia fuit Dei misericordia populo à se redem-
pto ducem se præbere, deduxisse siccis per mare
vestigiis, & libertati pristinæ restituisse? quomo-
do ergo reddidere Sept. in iustitia populũ Israel
deduxisse? vt denotarent ita certum oppressos
Euthymi. tandem liberandos, vt quasi ex iustitia teneatur
illis Deus subuenire. fauet Euthym. *Ideo dixit iu-*
*stitia tua, quia summa fuit iustitia oppressum ab Ægy-*
*ptiis populum liberare, & grauia patientis incommoda*
Græcus. *opem ferre, eripereque eum à tyrannide* & Græcus, *ve-*
Anonymus. *ra iustitia opus est, hospites & aduenas insidiis obses-*
*sos, liberos in seruitutem redactos liberare, errantes*
*conuertere, pios è tentationibus eripere.*

### *Deus pater misericordiarum.*

178 *Dux fuisti in misericordia populo quem redemisti,*
Cur misericordem eum appellat cum tot iusti-
tiæ suæ & seueritatis argumenta præbuerit, vt co-
geret Ægyptios liberum concedere exitum He-
bræis? nonne opus iustitiæ cum omne primoge-
nitum in terra Ægypti interfecit? nonne opus iu-
stitiæ, cum Pharaonem vniuersumque eius exer-
citum fluctibus maris obruit? cur ergo ait ducem
fuisse in misericordia non autem in iustitia? quia
Bernard. licet sit iustissimus, tamen misericordia eius super
omnia opera eius: vnde rectè Bernard. ser. 5. in vi-
gilia Natiu. *Rectè non pater iudiciorum & vltionum*
*Deus dicitur, sed pater misericordiarum, non modo*
*quod pater videatur misereri potius quam indignari,*
*& quemadmodum Pater filiorum misereatur timen-*
B. Ambr. *tium se, sed eo magis quod miserandi causam & origi-*
S. Chrys. *nem sumat ex proprio, iudicandi vel vlciscendi ex*
*nostro*, similia habet, Amb. lib. de parad. c. 15. &
Chrysost. hom. 54. in Matth.

### *Ita sunt certa quæ prophetæ enuntiant, vt iam de eis quasi de re præterita loquantur.*

171 *Dux fuisti in misericordia populo quẽ redemisti por-*
*tasti eum ad habitaculum sanctũ tuum.* Cur de præ-
terito asserit Moyses Deũ portasse populum suũ
Israel? ad habitaculum sanctũ suũ, scilicet vsque
ad Ierusalem aut vsque ad templum? cũ ex tota
illa multitudine quæ egressa est cum Moyse, so-
lus Iosue & Caleb ingressi fuerint terram pro-
Numer. 14. missionis, iuxta illud Numer. 14. in solitudine hac
iacebunt cadauera vestra, omnes qui numerati
estis à viginti annis & supra, & murmurastis
contra me, non intrabitis terram super quam le-
uaui manum meam vt habitare vos facerẽ, præ-
ter Caleb filium Iephone & Iosue filium Nun:
cur ergo cum vix vnus aut alter ex eis quos rede-
merat ex Ægypto ingressi fuerint in terram pro-
missionis, asserit Moyses eos portasse ad sãctum
suum habitaculum? dices quia ita sunt certa ea
quæ prophetæ enuntiant, vt iam de eis quasi de
Chrysost. re præterita loquantur. consule S. Chrysost. hom.
12. in Ioann. paulo post medium, *Mos est Prophe-*
*tarum* (inquit) *vt sæpenumero quæ futura sunt tan-*
*quam facta enarrent, nam & Isaias de Christi morte lo-*
*cutus, non inquit ouis ad occisionem ducetur quod fu-*
*turum erat sed ducitur, atqui nondũ carnem induerat,*

A *verumtamen quod futurum erat Propheta tanquam fa-*
*ctum enarrat: & Dauid crucem significans non ait*
*Psal. 21 fodient manus meas, sed foderunt & diuise-* Psalm. 21.
*runt sibi vestimenta sua, & de proditore verba faciens* Psal. 40.
*qui nondum fuerat, qui manducat inquit Psal 40.*
*panes leuauit contra me calcaneum suum.* Ad hunc
igitur modum locutus est Moyses dicens porta-
sti eum.

### *Ita suos Deus diligit vt tanquam nutricius eos in suis portet vlnis.*

*Dux fuisti in misericordia populo quem redemisti* 172
*portasti eum ad habitaculum sanctum tuum.* Quid?
nonne pedibus suis egressi sunt è terra Ægypti?
nonne eisdem in terram promissionis proficis-
centur? cur ergo ait Moyses Deum eos portatu-
rum? quia Deus ita suos diligit, vt tanquam nu-
B tricius eos non solum in suis humeris, sed in suis
ferat manibus, fauet B. Hierony. explicans illud Hierony.
Oseæ. 11. puer Israel erat, & dilexi eum & ex Oseæ. 11.
Ægypto vocaui filium, & ego quasi nutricius
Ephraim, id est Israelis, à parte enim maxime
numerosa qualis erat tribus Ephraim, intelligitur
dictus populus per synecdochen. ait igitur cit.
doctor, *Ego pater eram, nutritius factus sum, & par-*
*uulum meum in vlnis meis ipse portabam ne lædere-*
*tur in solitudine, & ne vel æstu vel tenebris tenere-*
*tur, die nubes eram & in nocte ignis columna*, Et
Rupert. *Sicut nutrix infantiles ineptias perfert &* Rupert.
*nunc verberat nunc blanditur, ita ego feci.*

### *Deus etiam nostra portat peccata.*

*Dux fuisti in misericordia populo quẽ redemisti, por-* 173
*tasti eum ad habitaculum sanctum tuum.* Quid eum
C portasti? nonne plures ex eis erant insignes pecca-
tores? cur ergo eos à te non proiicis tanquam tuis
manibus & contactu indignos? quis ita miseri-
cors in populum licet peccatorem, vt eius por-
tet etiam onus grauissimum nempe peccata? op-
timè exposuit Chrysost. cum expendit illud Isai. Isai 53.
53. iuxta versionem 70. interp. ipse peccata no- B. Chrys.
stra portauit, & illud Psal. 6. conuerte Domine
& libera animã meã, sic vero habet, *Homo peccat*
*& Deus conuertitur, fratres, quia iuxta prophetã iste*
*peccata nostra portat, conuertere Domine, vnde? de Do-*
*mino in seruum, de Iudice in patrẽ, vt per hanc te conuer-*
*sio demonstret, quem potestas terribilem comminatur.*

### *Deus etiam à se fugientes retinet & reducit.*

*Dux fuisti in misericordia populo quem redemisti,*
*portasti eum ad habitaculum sanctum tuum.* Quomo-
D do duxisti? quomodò portasti? cũ plures ex eis in
Ægyptum regredi tentauerunt, dicentes in soli-
tudine perituros, vitam in Ægypto eligibiliorem
esse ea quam in deserto, licet pane cælesti vesce-
rentur, transfigebant: quia Deus ita misericors vt
etiam à se fugientes retineat, & reducat, quod Clem. Alex.
eleganter confirmat Clemens Alex. oratione
exhort. ad gentes, *Hominem retinet Deus & com-*
*plectitur, sicut cum pullus è nido excidit mater auis è*
*nido aduolat, si serpens pullos deuoraturus, inhiet, ma-*
*ter circũuolat natos deflens, Deus autem pater & suum*
*quærit figmentum, & ei quod lapsum est, medetur, &*
*feram persequitur, & pullum rursus in nidum recepit.*
Singulare hoc beneficium misericordis ductoris
in quærendis & redimendis nobis perditis. testatur ad Philip.
Paulus cum ait ad Philip. 3. comprehensus sum à cap. 3.

B. Chrysost. Christo Iesu, hoc est me fugiente tartareum barathrum misericors Deus insecutus comprehendit, vbi Chrysost. eleganti similitudine rem explicat, *Expereuntibus, inquit, eram, suffocabar, eram periturus, apprehendit me Deus, nam & ipse nos cum eum fugeremus magno studio persecutus est.* Quæ prosequitur, vbi ostendit eodem modo se erga nos habuisse Dominum, ac solet se habere amicus cum alius in mare incidit, iamque pene mergitur & suffocatur; statim enim cum eum apprehendit, subleuat, & à periculo eripit.

*Deus in omni tempore nobis præstat misericordiam indiscriminatim omnibus.*

175 *Dux fuisti in misericordia populo quem redemisti,* Quandonamne hoc scisciteris, omni enim tempore benignitatis suæ gratiam in eos effundit; quibusnam similiter hoc inquiras, nulli enim eam vere petenti denegat, nullum præscribit numerum, neminem excipit, nullam excludit ætatem, nullum terminat tempus, aut præfinit: sed omnibus misericorditer se præbet communicandum: notauit hoc D. Fulgent Epis. 7. ad Verantiam de pœnit. vbi inter alia sic ait, *Si aliquam ætatem iudicaret Dominus conuersionis remedio ineptam, non diuersis temporibus operarios vocaret ad vineam, in diuersitate quippe horarum non incongruè sumitur ætatum diuersitas,* Quod vero nullum terminet tempus ostendit idem Fulgent. c. 9. vbi sic ait, *Semper delectatur conuersione nostra, nec tempus huiusmodi quandiu in hac vita est, posuit, quo propitiatus conuerso non possit.* Et D. Chrysost. hom. 2. in Psal. 50. *Occidisti, pœnitere, vulneratus es, adhibe tibi curam dum viuis, dum spiras, etiam in ipso lecto positus, etiam, si dici potest exanimatus, vt iam de hoc mundo exeas, vt de compede libereris, pœnitere, non impeditur temporis angustia misericordia Dei, noli dicere, quomodo? admirare & glorifica, vbi misericordia Dei imploratur, quæstio non expeditur: quid est peccatum ad Domini misericordiam? tela aranea, quæ flante vento nusquam apparet.* Et quod ad numerũ attinet peccatorum videndus Arnoldus tract. de 7. verbis Domini vbi ait, *Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas diuina clementia, sit qui inuocet, erit qui exaudiat, sit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat.*

(B. Fulgent. — S. Chrysost.)

*Templum sanctum, Dei habitaculum.*

176 *Dux fuisti in misericordia populo quem redemisti, portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum.* Deus in nullo commoratur loco, cum nullo possit circumscribi, domus namque vel habitaculum ipsum habitatorem circumscribit, Deus autem qui infinitus est secundum essentiam vbique est, nec vniuersus orbis eum comprehendere potest: cælum enim & terram impleo, dicit Dominus Ierem. 23. quid ergo dicitur habitaculum Dei templum? quia in eo speciales effectus benignitatis suæ quam alibi, abundantiori manu gratiarum copiam distribuit, &c. sanctũ est, Deus enim omnis sanctitatis auctor in eo specialiter inest, homines sanctificaturus: sed quid inde colligere debemus? in eo maxima cum sanctitate commorandum, eximia cum veneratione recolendum: vnde B. Nilus in capite paræ. *Ecclesiam vt cælum adi, nec in ea aut loquere aut age quod terram sapiat.*

(Ierem. 23. — B. Nilus.)

*Beatitudo, non propria, sed Dei fortitudine comparanda.*

*Dux fuisti in misericordia populo quem redemisti, portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum.* Rupert. inquirens quodnã est habitaculum Dei sanctum? ait, Numquid terra Chananæorum? fuit quidem illic habitaculum sanctũ, id est ciuitas illa sancta Hierusalem vel templum & sancta sanctorum; verum non propter se illa sancta fuere, sed propterea quia cælestium erant exemplaria sanctorum: ergo non tam locum illum terrenum quam terram viuentium cuius ille fuit vmbra significat. sed cur non ait, quod in fortitudine populi ad tãtæ sanctitatis portauit habitaculũ quia non in propria sed Dei fortitudine beatitudo comparanda est, mens est Richardi Pampoli. *Portasti populum redemptum in fortitudine tua a non sua, ad templum sanctum, id est cælum.* 177

(Rupert. — Richard. Pampoli.)

*Virtutibus non pretio emitur beatitudo.*

*Dux fuisti in misericordia populo quẽ redemisti, portasti eum in fortitudine tua ad habitaculũ sanctũ tuũ,* Populum redemptum legis deductum ad habitaculum Dei ipsiusmet fortitudine: si per huiusmodi habitaculum beatitudinem intelligi volumus, an satis est vt eam quis sibi comparet quod ex populo redempto sit? quod Dei sentiat auxilium? non equidem, virtutibus enim adhuc comparatur, & in adultis omnino sunt necessariæ ad eius consecutionẽ, quam doctè & mellifluè hãc veritatẽ confirmat Bernard. ser. 1. de sancto Victore. *Non erectè, inquit planè, sed peruersi animi est ante quærere gloriam quam exercere virtutem, & velle coronari, qui legitime non certauerit: vanũ vobis est inquit ante lucem surgere; ita est, frustra ad celsitudinem innititur gloriæ qui prius non claruit virtute, frustra fatuæ virgines sponso obuiam surgunt quarum lampades extinguuntur, & ideo fatuæ, quia vacuis gloriantur lampadibus virtutis oleum non habentes: absit mihi gloriari nisi in gloria illorũ quibus propheta congratulans ait Psal. 88. in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die & in iustitia tua exaltabuntur quoniam gloria virtutis eorum tu es. pulchre non eorum, sed virtus eorum gloria commemoratur, quæ enim sine virtute est gloria profectò indebita venit, præpropere affectatur, periculosè captatur, virtus gradus ad gloriam, virtus mater gloriæ est, fallax gloria & vana est pulchritudo quam illa non parturiuit.* 178

(B. Bernard.)



VARIETAS LECT. Vers. 14.

Vulg. Ascenderunt populi & irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philistiim.

Sept. Audierunt gentes, & iratæ sunt, dolores apprehenderunt habitatores Philistiim.

*Symmac.* Audierunt gentes & turbatæ sunt.

A *Sep.* Audierunt populi, commoti sunt, terror apprehendit omnes qui habitant in Palæstina.

*Arias Mont.* Audierunt populi contremiscent.

*Onk.* Audierunt populi commoti sunt, metus comprehendit eos, præsertim qui habitabant in Palæstina.

*Vatab.* Audient populi, & commouebuntur.

*Procop.* Audierunt gentes & indignatæ sunt.

*Aquila.* Audierunt gentes & conturbatæ sunt.

*Caiet.* Audient populi, trement, tremor apprehendit habitatores pelaseth.

## CONCORDIA.

INterpres legit ascenderunt, tamen in Hebræo est שמעו audierunt, & similiter apud Septuag. ἤκουσαν recte tamen interpres transtulit effectū indicantem causam, etenim populi qui vicinam illam regionem incolebant, non interfuere mira- B culo transitus maris, sed fama & auditione perceperunt, eaque auditione permoti & excitati, ascenderunt aduersus Hebræum populum, & ideo interlinealis habet, *insurgentes*, propterea ergo positum est à nostro interprete, verbum ascenderunt, vt indicaret effectum quem in audientium populorum animis illa tam noui miraculi & insolitæ victoriæ auditio peperit, vox Hebræa quæ hic ponitur ta'iagaz trepidationem & pauorem & aliam quamuis animi perturbationem significat, similiter & vox quam Cald. hic vsurpat זוע zuah commoueri ac pertubari significat, Vulg. septuaginta secutus est.

## EXPOSITIO.

ASeenderunt, ascendent, audita enim populi Iudæorum egressione, fœdus vnanimi consensu & arma contra hos parauere, quos autem nomine populorum Moyses intelligit speciatim exponit, nempe Madianitas, Idumæos, Moabitas, Palæstinos, *& irati sunt*, nempe quod tam prospere omnia Hebræis cederent, potest etiam ira poni præ inuidia quæ nascebatur partim ex indignatione fœlicitatis Hebræorum, partim ex metu amissionis bonorum, & regnorum propriorum, nam & si gentes finitimæ quæ hic recensentur, nihil vnquam intellexissent de promissionibus, quibus Deus pollicitus fuerat Hebræis introducturum se eos in Palæstinam & Chananæam, quod tamen non est probabile, habebant nihilominus singuli occasionem metuēdi regno suo, quia in tanta tam numerosi populi emigratione necessum erat ab eis aliquas sedes occupari, prout solet in coloniis & gentium commigrationibus contingere.

*Dolores obtinuerunt*, irrepsit hoc ex Septuag. teste Agellio; nam correctiores codices D. Hieron. habent dolor obtinuit habitatores Philistiim, hic enim dolor ex inuidia ortus est, ægre enim ferebant, quod tentarent talem terram occupare, habitant enim hi terram Palæstinæ & C locaterræ promissionis finitima, *habitatores Philistiim* mos vsitatissimus apud sacros & profanos auctores vt regiones & vrbes nuncupent nominibus eorū hominū, qui primi ea loca habitarūt, vel qui ibi regnarunt, vel qui vltimum diem ibi obiere, quorum multa suppetunt exempla. sed quod ad præsens attinet institutum, Chan Noe filius vt constat ex Genes. 10. filium habuit Mesraim, hic genuit Phetrusim, & Chasset, de quibus egressi sunt Philistiim à Philistiim dicta est eodem nomine terra vt in nostro contextu cernimus, prius igitur appellati sunt Philistiim, deinde Philistæi, postea corrupto vocabulo Palæstini dicti sunt.

## CONCEPTVS.

### *Infœlicissima inuidorum conditio.*

AScenderunt populi & irati sunt. Scilicet vt diximus ex inuidia, audita enim fœlicitate
179 illius populi, & quod Deus pugnaret pro eis contra Ægyptios, viamque aperuerit per medium sicci maris rubri, inuidia tabescebant: dolores obtinuerunt habitatores Philistiim, Cald. terror apprehendit omnes qui habitant in Palæstina. cur terror vos apprehendit? an vobis damnum infertur, ex eo quod Deus pro suis pugnauerit? imo occasionem inde sumere debetis Deo obsequendi, qui pro suorum defensione cum aduersariis decertat, & ab eis gloriosissimos refert trophæos: inuident nihilominus, & ex liuore dolores eos obtinent, timore percellūtur nimio vt quā infœlix sit & misera inuidorum conditio compertum
S. Chrysost. habeas, audias D. Chrysost. hom. 41. in cap. 12. Matth. *Tale certe malum est inuidia, quā nulla* D *vnquam malignitas peior inuenitur: inuidi autem & multo ante seipsos, quam quibus inuident, perturbant & cruciant: alierum fœlicitatem, miseriam suam arbitrantur. nonne tales homines lapidibus petendi? nonne omni cruciatu torquendi sunt? non aliter profecto quam rabie concitat: canesque perniciosi, dæmonesque atrocis furiæ. alij quidem homines, si animantes rationis expertes crudeliter cædi & dilaniari viderint, aliquantulum commiserantur, tu vero cum salutis beneficium conferri hominibus cernas, expalles & tremis, & in ferocitatem cædendi benefactoris conspiras? & quid hac insania furiosius vnquam reperietur?*

### *Magnæ fortunæ aduersatrix inuidia.*

*Ascenderunt populi & irati sunt.* Cur aduersus populū vobis nō infensū, iamjam à captiuitate liberū, suo restitutum iuri irascimini? ex liuore? sed cur aduersus Israelē inuidia tabescitis? nonne fœlicissimi dicēdi sūt Israelitæ qui Dei auxilio mare 180

fictis vestigiis transeuntes, insignem retulerunt ab hostibus victoriam? nonne fortunatissimi cum Deum habeant & sentiant protectorem, & sui ducem itineris? qui terram lacte & melle manantem pollicitus est? quid miraris igitur si inuidiam ab aliis patiantur? magnæ enim fortunæ aduersatrix est inuidia. adstipulatur Philo lib. de agricultura *In virtute*, inquit *si non datur tenere fastigium vel in medio vtilitatis capitur, & sunt qui hanc possessionem potiorem existiment inuidiæ excelsum potentis minus obnoxiam.* similia habet D. August. lib. 3. de ciuitate c. 10 *postquam res Romanorum legibus, moribus, agris aucta satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, inuidia ex opulentia orta est.*

Philo. D. August.

*Inuidus, voto quo aliis vult nocere, seipsum cruciat.*

181 *Ascenderunt populi & irati sunt & dolores obtinuerunt* Rupert. dolor est inuidia. quid vobis profuit in populum Israel ferri liuore? nam licet aduersus eum bellum gesturi ascendatis, quid vtilitatis? an dolorem ei inferetis? imo legimus dolores vos obtinuisse. an timorem eis incutietis? imo vos tremor apprehendit. & merito, nam inuidus, voto quo aliis vult nocere, seipsum cruciat & offendit, teste D. August. ser. 81. de temp. *Quid infœlici viro præstat inuidia quem in secreto conscientiæ quibusdam vngulis liuor ipse discerpit? quam inquam mercedem ex odio suo recipit nisi confusa mentis horrorem qui vultu semper omnique mœrente voto, quo vult aliis nocere seipsum cruciat? hoc malum lædit partim eos in quos intenditur, grauius tamen & perniciosius eos à quibus procedit, affligit. sicut ærugo ferrum, ita inuidia animum in quo est, consumit.*

D. August.

*In inuidia sicut in inferno, tormentum sine refrigerio.*

18 *Ascenderunt populi & irati sunt, & dolores obtinuerunt.* Ecce iracundiam, perturbationem animi, dolores non desunt, adest timor, quid? nonne cum huiusmodi metu aliqua spes affulget? nonne dolores aliquo gaudent subleuamine? cur gauderent in inuidis enim quales erant huiusmodi populi, sicut in damnatis, perpetuum adest sine refrigerio tormentum. subscribit auctor serm. ad fratres in eremo serm. 18. *O inuide quam paucos habes amicos? merito omni amico priuari debes, eo quod de nullo amicorum bono gaudere probaris? an ignoras quod omnis malitia habet aliquam fœlicitatis vmbram. sed in ipsa inuidia tormentum sine refrigerio, laborem sine respiratione, pœnam sine intermissione, famem sine saturitate habere videris.*

*Nihil terribilius iniustis, quam pij.*

183 *Ascenderunt populi & irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim* Symm. *audierunt gentes & conturbatæ sunt*, Caiet. *tremor apprehendit eos.* Vbi legimus ascenderunt populi alij habent, audierunt, quid solum relatione acceperunt Deum mirabilia in populo suo operantem, liberum per medium maris abducentem. deinde ille? quomodo ergo commouentur, perturbantur? quomodo [illegible]gram dolore afficiuntur? quomodo tanto dolore percelluntur? quid ni percellerentur si eum non commouerentur? nihil enim impiis & iniustis terribilius quam pius. ita sentit Oleast. *Audis*, inquit, *quales Deus reddat inimicos in[illegible]orum. similiter disce nihil iustis esse malis terribilius.*

Oleast.

*Fama seueritatis diuinæ ita efficax vt impios timore maximo concutiat.*

*Ascenderunt populi & irati sunt*, Sept. *audierunt gentes & iratæ sunt &c.* Quid audierunt? Deum vltimo affecisse Ægyptios supplicio, exercitum eorum fluctibus obruisse: licet audierint illud, tamen supplicium minime experti sunt. cur ergo commouentur seu ita anxie dolent? quia sola seueritatis fama ita efficax est vt impios timore concutiat. adest Lippom. *Quod in cant eo hoc fiendum prophetatur, pertinet tam ad seueritatem quam ad clementiam Dei commendandam. seueritatis diuinæ est, quod sola fama gentes aduersarias ita deterreat vt animum de salute despondeant, clementiæ, quod populum suum ita defendat vt propter ipsum potentissimas gentes exterreat, vt aduersus populum suum vel hiscere audeant.* 184

Lippom.

*Constantissimi animi, audientes mirabilia Dei, timore corripiuntur.*

*Ascenderunt populi & irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim*, Arias. *terror apprehendit eos.* Considera populos ascendisse aduersus vnicum Israelem populum, qui si conferatur cum septem populis terram promissionis incolentibus, exiguus numero est: quomodo ergo si toti populi numero si & viribus præualerent non ad conspectum, sed solum illius audita fama contremiscunt? quia constantissimi auditis Dei mirabilibus percelluntur. *Audient mirabilia*, inquit Euthym. *prodigia tua, quæcumque fecisti pro populo aduersus Ægyptios & irascentur, hoc est turbabuntur & formidabunt.* 185

Euthym.

*Quod tanquam certum auditur, quasi videtur.*

*Ascenderunt populi & irati sunt*, Sept. *audierunt gentes & iratæ sunt.* Quid? tantane cum celeritate ad aures populorum rumor eorum quæ gesta sunt, & in terra Ægypti, & illius exitu, vt asserat Moyses quod ilico vt egressi fuit Israelitæ, iam audiisse populos Palestinæ Dei opera eximia? quidni cum fama citissimè volet & vires acquirat eundo? *Statim*, inquit Episcop. Acernens. *Atque populus ille Israeliticus in terram Chananæorum Deo deducente ingredi cœpit, mirabilia illa gesta per omnes tractus & vias fama ferebat, ita vt statim post ingressum res illa admirabiliter gestæ sermone omnium celebrari vulgarique cœpta sint.* 186

Agell.



*VARIETAS LECT. Vers. 15.*

*Vulg.* Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

*Sept.* Tunc festinauerunt duces Edom, & prin-

cipes Moabitarum, apprehendit illos timor, tabuerunt omnes inhabitantes Chanaan.

*Cald.* Tunc conturbati sunt principes Edom, robusti Moab apprehendit eos tremor, fractis animis fuerant omnes, qui habitabant in Chanaan.

*Pag.* Tunc territi sunt principes Edom, robustos Moab. apprehendit timor, defluxerunt omnes habitatores Chanaan.

A

*Vatab.* Tunc turbabuntur principes Edom, dissoluentur omnes habitatores Chanaan.

*Eugub.* Resoluti sunt vel timore extabuerunt omne habitatores Chanaan.

*Arias Mont.* Tűc territi sunt millenarij Edom, robustos Moab. apprehendet eos tremor, dissoluti sunt omnes habitantes Chanaan.

*Caiet.* Tunc fuerunt attoniti principes Edom.

*Targum Hiero.* Arietes apprehendit eos timor.

## CONCORDIA.

VErbum בהל inuenitur in coniugatione pichel, hiphil & niphal, & significat secundum R. Dauid lib. radicum terrere, festinari, accelerare, propter subito terrore percellere, vel in niphal percelli, vel conturbari, vt hic נבהלו hinc fit, quod rectè verterunt Sept. τότε ἔσπευσαν tunc B festinarűt: verbum item מוג est liquescere, dissolui, quando est intransitiuum, aut liquefacere, dissoluere quando est transitiuum, sunt qui conferant cum פוג pug quod est remitti, significat autem resolui & obrigere.

## EXPOSITIO.

TVnc scilicet audito transitu filiorum Israel per mare rubrum mortifero infecti odio, commoti, perterrefacti, attoniti sunt. Sept. festinauerunt supple ad oppugnandos & repellendos vos, facilius enim est principiis obsistere, populosque, ingressum in regna aliena quærentes arcere in limine, quam semel intra viscera admissos eiicere. *principes Edom*, Esau vocatus est Edom, idest rufus, hinc regio quam incoluit ipse Esau, dicta Edő; hostili quoad vixit odio, insectatus est Iacob; Idumæi ab Edom propagati, quasi paternum odium cum ipso sanguine hauserant, & iure plusquam hæreditario acquisierant, pessimè semper oderunt Hebræos à Iacob editos.

C

*Robustos Moab.* Moab filius fuit Loth susceptus à patre ebrio & inscio, & ex filia natu maiori. ponitur autem hoc loco Moab, non solum pro regione quam incolebat, tum ipse, tum posteri, qui ab eo dicti sunt. sed potius pro incolis Moabitidis regionis, quos robustos fuisse scriptura innuit, quorum principes cum audissent quæ facta fuerant Amorrhæo & Chananæo obtinuit magnus timor adeo vt ipse rex eorű Bilach prophetа Balaam vt populo illi malediceret petierit Numer. 21. dicens maioribus populi Madian. ita delebit hic populus vniuersos qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere. Num. 22.

*Obriguerunt*, interpres phrasim suam ex natura metus desumpsit, qui quia sanguinem spiritibus exhaurit, adeoque reddit corpus debile & dissolutum, vsque dum præ frigore & neruorum constrictione, quasi mortuum obrigescat: Sept. vbi habemus obriguerunt; vertere liquefacti sunt vel tabuerunt, qua metaphora sumpta à rebus quæ liquefiunt significatur exanimatio Chananæorum, licet enim ferreo ac duro animo fuerint Chananæi, tamen hoc nuntio ita percussi sunt, vt eorum duritia liquesceret, atque contabesceret, *omnes habitatores Chanaan* vox Chanaan regionem hoc loco significat sic appellatam à Chanaan maledicto filio Cham, & nepote Noe primo illius regionis habitatore.

## CONCEPTVS.

*A peccatis nostris diuina impediuntur beneficia.*

188 TVnc conturbati sunt principes Edom, obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Quomodo obriguerunt, si plura aduersus Israelitas moliti sunt, si plurimum negotij iis facesserunt, & transeuntibus per viam & promissam terram iam possidentibus? nonne bella aduersus eos gesserunt? certum est enim mansisse eos ad ipsa Dauidis tempora multos in Chananæa veteres colonos, quorum manus non obriguerunt ad bella, nec animo ad pugnam defecerunt: Deus quidem adimpleuit ea quæ hic Moyses illo dictante & promittente prædicit, cumulatius tamē ea præstitisset, nisi peccatis offensus auxilium ac fauorem populo substraxisset. ad hæc Cardinal. Caiet. *Si quæris* (inquit) *quare hæc non sunt adimpleta, in promptu est causa, peccatum scilicet populi* Cardinal. Caiet.

D

*Israel toties in Deum commissum post hoc canticum, impediunt enim intercedentia peccata executionem prophetiæ quæ fit secundum præsentem iustitiam qualis est hæc.*

*Principum defectus manifestissimi.*

*Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor.* Cur potius turbatio principum Edom & tremor robustorum Moab veluti digito notatur quam aliorum qui sub eorum ditione degebant? nam cum maioris animi sint communiter principes, quam subditi, etiam horű notari metus deberet; cur ergo solum illorű formido notatur? quia maiorum defectus nullatenus occultari nec vllo modo possunt reticeri. obseruatio est D. Chrysost. lib. 3. de sacerdotio dicētis. *Non possunt Episcoporű vitia dissimulari, sed vel parua atque exigua confestim manifesta fiűt, quādo & Athleta tātisper dű domi se continet, cum nomine* 189 D. Chrysost.

*manus conferens, imbecillitatem infirmitatemque suam occultare aliis potest, ubi vero nudato corpore in arenam, decertaturus descenderit, tum facile apparet quid ille possit.: eadem ratione qui priuatam hanc & quietam vitam viuunt homines idem rursus cum in medium prodierint, solitudinem illam sicut vestem exuerunt ac per externos aduentitiosque motus suos animos omnibus nudos exhibere coguntur.*

*Timor quasi annexus dignitatibus supremis.*

190 *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor.* Sed cur in huiusmodi principibus & robustis timor ac metus statim proponitur? nonne potius odium quo aduersus Israelitas æstuabat, prius subnotandum erat in huiusmodi magnatibus? obseruatur formido, quia supremam quamlibet dignitatē statim timor comitatur. obseruatio est D. Cypria. Epist. 2. ad Cornelium Papam. *Nec interest*, inquit, *Episcopo an terror aut periculum veniat qui terroribus & periculis viuit obnoxius, & tamen fit de ipsis terroribus & periculis gloriosior.* quod argumentum prosequitur auctor operis imperf. hom. 2. in Matth. vbi ponderat timorem & perturbationem Herodis audito noui Regis Iudæorum ortu. *Audiens Herodes* ait Matth. c. 2. *rex turbatus est, semper grandis potestas maiori timori subiecta est, sicut cacumen arborum in excelso positarum etiam si leuis aura flauerit mouetur, sic sublimes homines in culmine dignitatum existentes etiam leuis nuntij fama conturbat, humiles autem sicut in conualle plerumque in tranquillitate existunt.* similia habet hom. 30. *Paupertas semper secura est, summa autem potestas sine timore periculi nunquam est.*

S. Cyprian. Auctor operis imp. Matth. 2.

*Timent princeps non iacturam animæ, sed dignitatum.*

191 *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor.* Qua de causa tanto timore concussi quasi exanimes iacetis? quare ita fractis animis cor vestrum obriguit? quia audierant Israelitas mare rubrum transiisse & in Palæstinam descendere. nonne satius esset ob infidelitatem & idololatriam à tot annis contractam, iacturā animæ timere? ita sane, sed principes vt implurimum plus dolent, plus cōturbantur & maiori metu cōcutiuntur de dignitatum amissione, quam de animarum iactura, has nihili pēdunt, dummodo culmen honoris semper possideant & coronā de capite non deponant. vnde perturbationis Herodianæ occasionem explicans Caiet in illa verba turbatus est Herodes, ait. *Idumæus erat & propterea audita natiuitate regis tam desiderati à Iudæis timuit perdere regnum.*

Matth. 2. Caietanus.

*Omnia membra seu subditi instar capitis afficiuntur.*

192 *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab apprehendit tremor.* Cur timor subditorum obuoluitur silentio? cur cōturbatio eorum in medium non producitur? nonne cōturbati sunt principes? nonne robustos Moab obtinuit timor? satis est ergo, vt intelligamus etiam subditos eorum timore concussos, omnia enim membra seu subditi instar capitis afficiuntur, omne caput languidum ait Isai. c. 1. à planta pedis vsque ad verticē capitis non est in eo sanitas, quænam capita ista? reges, principes, prælati, quibus contigit regimen Israelis. sed Hugo Cardinal. particulam illam vniuersalem *omne caput languidum* etiam ad omnes extendit subditos, vnde capitis verticem appellat principem, præsulem, iudicem, reliquum vero capitis, subditos esse quis dubitet? *Omne caput languidum, non est in eo sanitas, capite lāguido scilicet a planta pedis, capitis vsque ad ipsum verticē*, quare etiam ciues subditos capita sicut præsules appellauit? quia membra omnia ita sunt frequenter circa bonos prauosque affectus suo similia capiti, vt illa quodammodo capita existant. *Cum caput dolet*, (inquit Hugo) *cætera membra dolent, ita quia principes infirmi sunt, ablata est à populo medicina & hoc est omne caput languidum*, ac si diceret, dolent membra, sed in morem capitis, quia ita capiti assimilantur membra vt capitis appellatione designentur.

Isai. c. 1. Hugo Card.

*Rex in alto constitutus debet alligari ne turbato capite excidat.*

193 *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab apprehendit tremor.* In loco excelso quis collocatus, in principū dignitate quis constitutus & cōtremiscet, & turbabitur? indiget ergo funibus illigari ne corruat; comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus dicitur Cant. 5. transferunt 70. comæ capitis tui purpura rex ligatus in transcursibus. vt sit sensus, reges capillorum in morem supremum in capite reipublicæ locum obtinent, si autem quæras cur Rex ligatus in rerum vertice appareat? ratio est in promptu quia eo ipso quod celsum teneat locum, indiget funibus illigari, ne leuis eum aura conturbet. *Sublimes enim homines* (dixit superius Chryso.) *etiam leuis nuntij fama conturbat.*

Cant. 5. Chrysost.

*Peruersi principes, accepto nuncio veritatis, timent iudicium terribile.*

194 *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab apprehendit tremor.* Cur perturbantur? cur confractis animis languescunt? audierunt gentes, vertunt Sept. & iratæ sunt; si solum audistis populum Israeliticum, Dei speciali gratia fauente, mare siccis transiisse vestigiis, & incolumes ex Ægypto discessisse, cur turbamini? quia peruersi principes accepto nuntio veritatis, timent iudicium terribile. dixerat Deus nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum & Chananæorum, sed cum transiissent Israelitæ, iam complebantur eorum scelera, vltorem scelerum vindicem timebant. non dissimile est illud de turbatione Regis Herodis cuius causam assignans Albert. Mag. ait. *Magi bonum nuntium appertantes, læta putabant nūciare regi personantes nouitatem noui regis, malignitas autem Herodis in malo accipiebat auditum, ideo timuit Herodes quia nunquam non veritatis præconium sequitur Dei iudicaturi aduentus.* Abul. *Hoc congruebat ad significandum Christi iudiciariam potestatem, de qua Herodes tanquam terrenus timebat auctoritatem.*

Albert. Mag. Abulens.

*Auctoritas potentium alios timore concutit.*

195 *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab apprehendit tremor.* Vnde ita subito obortus est vobis timor? quia si robusti, si fortes cur ad aduentum Israelitarū formido vos apprehendit? nonne pudet magnanimos in conspectu populi, qui tot annis addictus fuit seruituti, metu corripi? potentissimus erat populus Israel, Dei fretus auxilio: ne mireris igitur Ammonitas

obrigere attonitos, auctoritas enim potentium alios maxime perterrefacit. Ita Euthym. *Dolores ceperunt habitatores Philisthiim dolores hoc est labores eos comprehendant ob Iudæorum videlicet timorem.*

*Nimius timor quasi corpus exanime reddit.*

196 *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab apprehendit timor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Qui obriget, quasi exanimis efficitur & exanguis, vnde nam tam subita in viris mutatio? sane ex nimio timore, quo correpti quasi exanimes dissoluti sunt, obrigere est infrigidari, siue gelari, vel durescere, quod fit in magno pauore, talis autem euenit in omnibus Chananæis cum audierunt quod faceret Deus pro Hebræis vt patet Iosue 2. cum dicitur, noui quod tradiderit vobis Dominus terram: etenim irruit in nos terror vester & elanguerunt omnes habitatores terræ. audiuimus quod siccauerit Dominus aquas maris rubri ad introitum vestrum, cum egressi estis ex Ægypto, & quod feceritis duobus Amorrhæorum regibus, hæc audientes pertimuimus, elanguit cor nostrum & non remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum, & Carthus. *Timor cordis causauit tremorem in corpore & membra eorum obrigescere fecit.*

*Cum Deus a nobis faciem auertit, corporis & animi vigore dissoluimur.*

197 *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab apprehendit timor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Quid ita conturbantur principes magnanimi, cur obriguere sine viribus & animo? iam Deus auerterat faciem suam ab eis, iam subtraxerat auxilium quo in regione sua seruabantur: quid mirum igitur si omnino conturbentur, si deficiant? cum enim à nobis Deus faciem suam auertit corporis & animi vigore dissoluimur. ita testatur Agell. in illud Psalm. 29. auertisti faciem tuam à me & factus sum conturbatus. *Faciem tuam & respectum illum oculorum tuorum auertisti, & factus sum conturbatus, omnis decor periit, & euanuit, & salus corporis, & decora in summum adducta sunt discrimen, & dissoluto omni animi & corporis vigore, palpitatione quadam ad mortem tetendi, id enim proprie est conturbari, iuxta illud de Exod. tunc conturbati sunt principes Edom.*

Euthym. — Iosue. — Dionys. Carthus. — Agellius, Psal. 29.

## *VARIETAS LECT. Vers. 16.*

**V***ulg.* Irruat super eos formido & pauor in magnitudine brachij tui, fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus Domine, donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti.

*Sept.* Irruat super eos tremor & timor magnitudine brachij tui, fiant sicut lapis, *aly*: lapidescant.

*Cald.* In multitudine fortitudinis tuæ taceant sicut lapis, donec transeat populus hic quem redemisti.

*Onk.* Propter multam fortitudinem tuam taceant sicut lapis.

*Pag.* Cecidit super eos pauor & terror in magnitudine brachij tui, tacuerunt tanquam lapis, donec transiret populus tuus Domine.

*Vatab.* Tacebunt tanquam lapis, donec transierit populus tuus iste, ô Iehoua, donec transierit populus tuus quem acquisisti.

*Interp Orig.* Veniat ergo supra eos timor magnitudinis brachij tui.

## *CONCORDIA.*

**F**Ormido & pauor Sept. φόβον καὶ τρόμον coniungunt idest metum & tremorem, Hebræus autem אימתה ופחד emata pachad, est autem proprie emata terror, qui nascitur ex consideratione aut apprehensione virium aduersarij, vnde Cant. 6. sponsa Salomonis Ecclesia dicitur emata idest terribilis vt castrorum acies: gigantes olim eadem de causa dicti sunt אמים emim eo quod sola præsentia perterrefaciebant: vox autem ופחד pachad generalis est ad quemlibet metum, fiant immobiles sicut lapis Sept. interp. eleganter vna voce habent ἀπολιθωθήτωσαν lapidescant, verbum קנא kana possidere, acquirere significat Cald. etiam vertit redemisti.

## EXPOSITIO.

**I***Rruat super eos.* Quod propheticum est, non autem tantum deprecatur quum simul gratias agat, neque enim dubitabat Moyses quin ita futurum esset, sed ex plenitudine & vbertate gaudij simul optat & Deo gratias agit, prodiderunt hunc metum ciuitas Iericho & Gabaonitæ, de illa enim legimus Iosue 6. Iericho clausa erat atque munita timore filiorū Israel, Gabaonitas quoque metus ad fraudem induxit, & pacta qualiacumque, etiā hoste non viso: verbum autem *irruere* emphasim habet, pertinet enim hæc vox propriè ad id quod pondere suo ita cadit in alium, vt eum simul superet & deprimat, simul quoque indicat Moyses petere se, vt hostes Israelitarum non tam ab armis ac fortitudine ipsorum, quam etiam ante experimentum virtutis eorum, & solo timore, fugiant atque ita seipsos fugent.

*In magnitudine brachij tui.* Idest magna potentia tua fac vt timore vehementi percellantur, vt *in*, ponatur pro propter, & notet rem adhuc faciendam à Deo: si autem ponatur pro propter & notet miracula à Deo iam facta, sensus esse potest, Domine fac, vt hi audientes magnitudinem brachij tui quam ostendisti in percutiendis, mergendisque Ægyptiis, metu percellantur, atque hic posterior sensus conuenit cum his quæ ante ex libro Iosue dicta sunt, vterque tamen hic adhiberi potest.

*Fiant immobiles sicut lapis*, scilicet vt nullo modo moueantur in bellum contra nos, licet autem sic rogauisset Moyses, tamen postea non sic totaliter complectum est, vt patet de bello Amalechitarum quod paulo post surrexit contra eos, vt patet infra cap. 17. & iterum cum Chananæis, vt cõstat Num. 21. fiebant autem hæc pro tentatione Hebræorũ, vt appareret vtrũ diligerẽt Deũ vt & nota fierent quæ in eorum cordibus versabantur vt patet Deuteronom. 8. maxime quia hæc A fiebant pro peccatis Hebræorum, vt traherentur in manus hostium, *donec pertranseat populus tuus iste*, quasi dicat, nunc nobis periculum est cum transimus inter has gentes, ne insurgant aduersũ nos: postquam autem fuerimus in terra possessionis nostræ non timebimus eos, *donec pertranseat populus tuus iste*, ista replicatio verborum est cum identitate, pertinens ad solum ornatum, quem possedisti quem tibi acquisisti, & tuum fieri voluisti.

---

## CONCEPTVS.

*Diuinæ & sanctorum comminationes ad emendationem diriguntur.*

198 IRruat *super eos formido & pauor, fiant immobiles quasi lapis*. Ecce comminatur pauorem & timorem hostibus populi sui superuenturum? cur tot comminationes in sacra scriptura? nam si attentè legatur non solum in veteri sed etiam in nouo testamento, plures inuenientur quàm promissiones. vnde Ezechiel 2. vidit librum inuolutum qui erat scriptus intus & foris, & scriptæ erãt in eo lamentationes, & carmen & væ, duplici vocabulo tristes comminationes, vnico tantum eoque singularis numeri lætæ promissiones explicantur; qua de causa cum plures deberent esse promissiones quam comminationes? reddit optimam huius rei rationem Chrysost. in Psal. 7. *In Euangeliis plura dicuntur de supplicio quam de regno. quia in iis qui minus sentiunt non tam bonorũ promissio, quam tormentorum metus adducit ad virtutem, & abducti à vitio ex quo licet diuinam misericordiam intueri, qui etiam dum minatur miseretur, nam ideo terret vt emendet.* Chrysost.

*Diuina comminatio subsecuta emendatione reuocatur, non subsecuta augetur.*

199 *Irruat super eos formido & pauor, fiant immobiles sicut lapis* Ecce comminatur eis pauorem & formidinem, reuocaretur ne huiusmodi comminatio, si Deo obedientes melioris frugi se darent, si morem gerere vellent Israelitis? quis dubitat? vnde rectè clemens Alexand. exhort. ad gentes, vbi ostendens Deum multipliciter comminando præmonere peccatores vt resipiscant, concludit. *An non absurdum*, inquit, *Deum quidem semper nos adhortari ad virtutem, nos autem recusare ad vtilitatem?* certe absurdissimum, & vtinam non periculosissimum, nam quemadmodum supplicia quæ nobis à Deo intenduntur, si ad frugem recipimur, omnino reuocantur; ita si malo adhæremus, amplius augentur. quod doctè prosequitur D. Greg. Mag. 1. Reg. 2. *Si bona promissa reuocat omnipotens Deus, quia ij quibus promiserat, male permutantur, quanto magis minarum effectus retrahit, cum eos benè conuersos respicit, quibus pro admissis iniquitatibus, pœnas animaduersionis intimauit?* quibus verbis ostendit Deum, sicut promtior ostenditur ad conferenda bona quã inferenda mala, ita planè proniorem se præbere ad comminationes de malis quam ad promissiones de bonis reuocandas, vtrasque sane reuocat cum oportet, promissiones ne de illis præsuma- B mus, comminationes ne propter illas desperemus. sed has quidem libens reuocat, ne puniat, illas quodammodo inuitus ne benefacere desistat. quare optima est illa D. Chrysost. admonitio in Psal. 131. *Non simus*, inquit, *propter promissa socordes ne pereamus, nec propter minas desperemus sed mutemur.* Clem. Alex. S. Greg. Mag. Chrysost.

*Promissiones Dei non per eum stat quin adimpleantur.*

*Irruat super eos formido & pauor, fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus*, alij, *fient immobiles sicut lapis*. Sed quis ignorat promissionem illam totaliter non esse completam? vt patet de bello Amalechitarum quod paulo post surrexit contra eos, vt infra cap. 17. si Deus id promiserat Moysesque prædixerat, quomodo contrarium experimur? non enim fiunt immobiles sicut lapides in transitu populi Dei, imo armis instructi ei occurrunt deinde, rogans enim populus Israel vicinus Idumeæ Regem Edom, vt sibi liceret solum transire per regnum suum, omnino renuit, ait enim non transibis, statimque egressus est obuius cum infinita multitudine & manu forti, nec voluit acquiescere deprecanti, vt concederet transitum per fines suos Num. 20. ne mireris, cum enim promissiones plurimæ (in quarum numero hæc censenda) conditionales fuerunt, exigentibus populi peccatis, non sunt adimpletæ in integrum: quod pluribus fit manifestum sacræ scripturæ testimoniis, vt patet in Heli cui promissum est summum sacerdotium vsque in sempiternum 1. Reg. 2. in quo tamen eius posteri non permanserunt; in Saule cui datum est regnum in perpetuum duraturum 1. Reg. 13. quod ipse nihilominus amisit: in Iuda, cui sedes inter cæteros Apostolos ad iudicandas duodecim tribus Israel promissa est, ad quam tamen ille non ascendit. vnde D. Chrysost. in Psal. 127. *Non sufficit*, inquit, *ad conseruandos nos sola promissio, nam Iuda quoque pollicitus est eum esse sessurum super thronum cum vndecim discipulis, nec tamen sedit, id causa autem non fuit ille qui promisit, sed is qui promisso indignus visus est.* 200 C Num. 20. D D. Chrysost.

*Magnitudo malorum, luctus, & querelarum, facultatem soles opprimere.*

*Irruit super eos formido & pauor, fiant immobiles sicut lapis*. Sep: *fiant lapides vel lapidescant*, Cald. *taceant sicut lapis*. Non equidem petit illud telum à Dei brachio contorqueri in hostes quod illos gemere & clamare faciat, sed illud quod omnem locum gemitibus auferat, quod sic inter- 201

na viscera conterat, vt externa rigere faciat, quasi omni sensu doloris careant; quid hoc est, quod tanta multitudo malorum eis superuentura erit, vt luctus & quetelarum facultatem eripiat, quod sæpè contingit in doloribus, maximis, quod videre est in dolore sanctissimæ Virginis: de mulieribus sequentibus ad crucem Christũ Luc. 23. dicitur sequebatur autẽ illum multa turba populi
Luc. 23. Ioann. c.19. & mulierum quæ plangebant & lamentabantur eum, at de matre eius Ioannes ait c. 19. stabat autẽ iuxta crucem eius, nullum dicitur ploratum aut lamentum edere Maria, & quando cæteræ plorabant & lamenta edebant, cur mater nihil egit? an quia minor dolor erat in matre quam in cæteris? absit, imo quia Mariæ dolor erat super dolores omnium, sic omnia concutiebat interna, vt externa apparerent quasi nihil paterentur, ait
Eualdus. Eualdus apud alleg. Tilm. *Pectus maternum immanitate doloris arctatur, suspirat intrinsecus & erumpentes reuocat lachrymas, & eo amplius anxietas intumescit, quo egredi prohibetur, denique formido imperabat dolori silentium, & vrgentium Iudæorum torui oculi illos turbines suffocabant. ver-m illa tantarum procellarum salsuginem imbibebat, & clauso tanti doloris tormento, intrinsecus alium vultum exhibebat.*

*Prophetæ non semper in eodem tenore loquuntur subtilissime quidem, & vobis & illis.*

202 *Irruat super eos formido & pauor, fiant immobiles quasi lapis.* Nonne mirum tibi videbitur, si tam cito Moyses præterito tempore collocutus est superiori versu, cum dixit portasti eum in fortitudine sua, modo iam de futuro optet, & loquatur deinceps & in sequenti versu de futuro dicat, introduces eos? cur Moyses nunc à præterito ad futurum sermonem conuertit, nunc à futuro ad præteritum dilabitur? dices aut prophetam non satis sibi constare, vt patet ex varietate loquendi, aut de vna tantum & eadem re sacrum vatem sermonem non habere: sed fallitur quisquis tale cogitat: nam vt certum tibi statuendum non casu aut temerè talem loquendi mutationem occurrisse, sed diuina Spiritus sancti prouidentia, qui locutus est per prophetas, & quo inspirante & dictante locuti sunt: sed si hoc casu non factum, cur talis mutatio sermonis in Moyse & in aliis reperitur vatibus? aduerte nihil esse futuris contingentibus incertius, præteritum vero hoc habere vt certissimum sit, vt igitur Spiritus sanctus qui omni tempore præest, & qui suauiter omnia disponit, & temporum differentiis & vicissitudinibus gaudere nos nouit, sapienter nos præsentis, præteriti & futuri temporis sermonibus erudire, & ad se nos trahere voluit. cum enim hæc mistio præteriti, cum futuro, incertam & dubiam reddat orationem; consilium eius fuit, vt hac ratione infidelibus populis, imo & Iudæis verba sua celaret, ne margaritas ante porcos proiicere videretur, & ne impij reges, aut populi audientes quæ sibi non placebant, in prophetas insurgerent, & necem illis machinarentur, & inferrent, vel sacros Prophetarum libros exurerent, vt interdum fecerunt, sicut patet Ierem. 36. ad quos restituendos, & restitutos seruandos nouo esset opus miraculo: insuper vt prophetia ipsa inuoluta, & perplexa, lectores cogeret vaticiniorum omnium auctorem Deum adire, & ad illum humiles preces fundere vel ad Ecclesiam confugere, & ad illustres viros & se doctiores pro eorum accipiendo intellectu, qui sane ingens est fructus: & certe si prophetæ perpetuo vterentur verbis præteriti temporis, non tam propheticam hoc est futurã, sed rerum gestarum gloriam contexere viderentur: rursus, si verbis futuri temporis semper agerent, earum prophetiarum euentum, & prædictionum effectum nunquam cogitarent homines suo tempore euenturum; sed semper esse sibi exitum expectandum, & ad venturos tantum prophetias spectare: vt ergo certitudinem, infallibilitatem & propinquitatem rerum quas prædicit inculcet Moyses, præteritis vtitur in nostro cantico, & vt prophetiam esse ostendat, futurum tempus sibi assumit ad loquendum.

*Prophetæ non mala hominibus desiderant, sed vaticinantur.*

*Irruat super eos formido & pauor, fiant immobiles quasi lapis.* 203
Anabaptistæ plures sacræ scripturæ libros non ab aliquo sancto diuinitus scriptos esse dixerunt, sed à barbaro quodam & inhumanæ cædis, vltionis & sanguinis auido, cum pluries quippe aduersus hostes suos diras imprecationes & execrationes admittant, vt apud Dauidem Psal. 34. effunde frameam & conclude aduersus eos, qui persequuntur me. fiant viæ illorũ tenebræ & lubricum, veniat mors super illos, & descendant in infernum viuente: & hic Moyses hostibus suis videtur diras imprecari, vt fiant immobiles sicut lapis, vt concutiantur timore & pauore &c. quod contrarium videtur esse præcepto de diligendis inimicis: sed ne tale sentias de vatibus Spiritus sancti organis, verba enim illorum quæ sunt imperatiui modi prædictionem & prophetiam potius continent, quã imprecationem: vnde D. August. lib. 1. de serm. Domini in monte c. 35. & 42. versat hanc quæstionem, vtrum liceat & quatenus malum alicui precari, & vtrum hoc sit contrarium legi dilectionis, qua iubemur inimicos diligere, ibi non vult concedere propriè & formaliter fas esse malum alicui precari, nisi forte S. August.
impropriè & abusiuè, sic enim inter alia ait. *Prophetæ autem maximè solent futura imprecantes prædicere, sicut etiam figura præteriti temporis, ea quæ ventura erant sæpe cecinerunt*, & in Psal. 68. Psal. 68.
cum explicat illa verba, fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. *Conuenienter*, inquit, *non optantis est sed prophetantis, non vt fiat sed quia fiet hoc sæpe commendauimus, & meminisse debetis, ne quod præsaga mens in spiritu Dei dicit, maleuolè imprecari videatur: fiet ergo, neque potest aliter fieri, nisi vt ista eueniant.* His habet consentanea D. Hieron. in c. 1. Threnor. in fine ibi, vindemia eos si- D. Hieron.
cut vindemiasti me &c. sic enim habet, *quando* Thren. 1.
*viri sancti deprecario modo contra hostes suos rogant, non vero malitia sed prophetiæ spiritu, hoc quod præsciunt futurum prædicunt.* Aduerte tamẽ imprecationes quibus scriptura vtitur aduersus iniquos, quadrifariam intelligi posse, vel enim hoc facit futura prædicendo, vel vt significet temporalia quædam mala & supplicia Deum malis inferre vt corrigantur & resipiscant: vel vt postuletur, malos pœnis & suppliciis vexari quo possint prauos suos mores corrigere, vel postre-

mo vt doceatur conformandam esse voluntatem nostram ad voluntatem, iustitiam & prouidentiã diuinam super damnatione impiorum, præsertim qui vsque ad mortem perseuerant.

*Deus populi electi peculiariter Deus.*

204 *Irruat super eos formido & pauor, fiant immobiles donec pertranseat populus tuus iste.* Nonne satis esset dixisse, donec pertranseat populus tuus? cur ergo addidit *populus iste*? nam superfluũ hoc esse videtur, cum nulla creatura ipsius Dei non sit, omnis enim populus Dei est, cur ergo populum Israelem suum appellat? hoc idem proponit Euthy. ad illa verba Zach. Luc. 1. benedictus Dominus Deus Israel, quomodo dicitur Deus solus Israel, cum non tantum Israelitarum Deus sit, sed & omnium hominum vt pote omnium creator? respondet. *Quoniam cæterorum quidem hominum Deus erat ipsis etiam nolentibus, solorum autem Israelitarum vltroneorum, & per cognitionem.*

Luc. 1. Euthym.

*Filij Dei non dicuntur qui Deum habent contemptui.*

205 *Irruat super eos formido & pauor, fiant immobiles donec pertranseat populus tuus iste.* Suum vocat nec immerito, cum filium suum esse dixerit Exod. 4. filius meus primogenitus Israel, at Deut. 14. filij estote Domini nostri, & Matth. 15. non est bonum sumere panem filiorum: quæ nomenclatura durauit vsque ad Christi & Apostolorum prædicationem, teste Zach. apud Luc. visitauit & fecit redemptionem plebis suæ, licet enim redemptio & visitatio Christi fuerit vtriusque populi, Iudæorum scilicet & gentium, nam per Christum vterque populus redemptus est, & in vnam Ecclesiam & populum Dei congregatus, soluta illa lege antiqua, quæ erat quasi maceries diuidens, vt habetur Ephes. 2. tamen quia Christus inter Iudæos natus est, & cum eis conuersatus, & apud eos mortuus & ipsis promissio facta est de Messia Seruatore, & salus illis prius annuntiata est, propterea redemptio dicitur facta plebi suæ, nempe quam promisit plebi suæ, & ad quam implendam, præsentiam suã populo illi exhibuit: cur ergo hanc insignem filiorum Dei appellationem amisere? quia Dei filium in carne summo habuere contemptui, imo & vsque ad mortem infensissimo prosecuti sunt odio. quod subtiliter expendit Chrysol. serm. 35. vbi explicat ea verba Christi D. Luc. 11. quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? eaque in reprobos intorquet Iudæos, scilicet qui cum panem de cælo præsentium hiante ore veluti famelici filij de manu parentis cœlestis deberent accipere, potius mordere & lædere voluerunt vt canes rabidi: ait ergo Chrysol. *Negat patrem qui de patris suspectus est largitate, totum quod est pietatis excludit, qui salutare non credit quidquid dederit pater, aut quomodo pater poterit filiis dare mala pro bonis qui mala semper pro filiis paratus est sustinere? qui pro filiis mortem non refugit pericula non declinat. sed Christus venerat, filiis idest Iudæis quos genuisse tali clamore querebatur, filios genui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me Isa. 1. venerat ergo filiis, venerat panis de cœlo qui dixerat Ioann. 6. ego sum panis qui de cœlo descendi, sed Iudæis est conuersus in*

Exod. 4. Deut. 14. Luc. 1. Luc. 11. Petrus Rauenn. Isai. 1. Ioann. 6.

A C D

*lapidem offensionis & petram scandali, dicente Domino, ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petrã scandali Isa. 8. quare petram? quia mordere petrã non panem à patre quærere gestiebant. circundederunt me inquit canes multi Psal. 21. denique postea quam illi ex hominibus in canes probantur esse conuersi, cælestis illis in petram conuersus panis est, non dantis vitio sed accipientis nequitia, qui illos non reficeret sed necaret, nec in fundamento positus promoueret ad culmen, sed eos qui sui patris tendebant ad necem, in profundam daret & volueret ruinam.*

Isai. 8. Psal. 21.

*Maximum supplicium dignitate Filiorum Dei priuari.*

*Irruat super eos formido & pauor, fiant immobiles donec pertranseat populus tuus iste.* Diximus suum dixisse specialiter populum Israel, nec non filium suum primogenitum propter singularem, quo eum prosequebatur, amorem, quam tamen honorificam Filij Dei nomenclaturam tum ex contemptu, tum ex scelerum iteratione miserè perdiderunt. sed si voluntarie illius iacturam fecere quo digni censeri debent supplicio? B. Chrysost. hom. 9. in c. 1. Ioann. inquirit, cur Euangelista Ioannes præmium illis collatum, qui Filium Dei in carne animis suis susceperunt, referens, nõ itidem retulit pœnam, quam illis inflixit, qui non receperunt? quid inquit, non dicis nobis Ioannes eorum etiam supplicium qui eum non receperũt, sed tantum quod sui erant, & in propria veniens à suis minimè receptus est? quod autem ex hoc eis supplicium maneat, silẽtio præteriisti? ita enim maiorem in modum eos perterrere & duritiẽ illã ingratitudinis mollire poteras, quãnam gratiã igitur id subticuisti? propositæ interrogationi sic satisfacit. *Quodnam maius supplicium esse posset, quam si vt eorum ponatur arbitrio, filios Dei fieri, & nolint, sed sponte sua tanta se nobilitate, tanto honore indignos efficiant*, & sic summa Iudæorum pœna est, priuatio dignitatis filiorum Dei. 206

D. Chrys.

*Deus nos peccatis venditos denuo acquisiuit.*

*Irruat super eos formido & pauor, fiant immobiles donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti*, Cald. *quem redemisti*, Vatab. *quem acquisisti.* Nonne si suum vocauerat hunc populum, (quod autem alicuius est non acquiritur sed acquisitum præsuponitur,) quomodo ergo dicitur Deus illũ acquisiuisse cum iure solius creationis merito suus esset? hoc vidit Orig. & ait, Si Dominus est creator omnium quomodo dicitur acquisiuisse quæ sua sunt? videtur enim vnusquisque illud acquirere, quod suum non est: cui dubio optimè satisfaciens, sic ait. *Audi quid dicat propheta, peccatis vestris venundati estis, & pro iniquitatibus vestris dimisi matrem vestram, ergo quia creatura Dei quidem omnes sumus, vnusquisque vero peccatis suis venundatur, & pro iniquitatibus suis à proprio creatore discedit*, Dei *igitur sumus secundum quod ab eo creati sumus, effecti autem sumus diaboli serui secundum quod peccatis nostris venundati sumus; veniens autem Christus redemit nos cum seruiremus illi, qui nosmetipsos peccato vendidimus, & ita videtur tanquam suos recepisse, quos creauerat, tanquam alienos autem acquisiuisse, quia alienum sibi Dominum siue errando siue peccando quæsierant.* 207

Origen.

*Diabolus homines suos peccatis afficit, & mercatur.*

208 *Irruat super eos formido & pauor, fiant immobiles quasi lapis donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti*, Vatab *quem acquisiuisti* A quo acquisiuit? vel quomodo? an alienus erat? ita equidem, sed cuius? diaboli, quod Dei erat. quomodo illum comparauit vt suum faceret? Hanc
Adamant. peccatis. mens est citati Adamantij. *Homicidium pecunia diaboli est, ille enim in initio homicida est, fecisti homicidium pecuniam diaboli, suscepisti adulterium diaboli pecunia est, diaboli enim in eo imago est & superscriptio, commisisti adulterium, accepisti diaboli numisma. furtum, falsum testimonium, rapacitas violentia, hæc omnia diaboli census est, & diaboli thesaurus, talis enim pecunia de eius moneta procedit, hac igitur pecunia emit ille quos emit, & efficit sibi seruos omnes, qui de huiusmodi censu eius quantumcumque susceperunt.*

*Cruce Christi Domini tremore concutiuntur tartarea legiones.*

209 *Irruat super eos formido & pauor, in magnitudine brachij tui.* Id est in extensione brachij tui, super quos irruet pauor & formido? super eos qui superius enumerati sunt, nempe Philistijm, id est cadentes populi, & Edom qui interpretatur terrenus, Chanaan commotio, Moab qui interpretatur ex patre nempe ebrio & incestuoso: & horum omnium principes, cursitant & pauent constricti doloribus, cum vident regna sua, quæ C in inferno posita, penetrata ab eo qui descendit ad inferiora terræ, vt eriperet eos qui possidebantur à morte. hinc eos comprehendit timor & tremor, quia senserunt magnitudinem brachij eius, hinc etiam tabuerunt omnes inhabitantes Chanaan, qui mutabiles interpretantur, & mobiles, cum vident moueri regna sua, illigari fortē & vasa eius diripi: veniat ergo super eos timor & tremor magnitudinis brachij tui. sed quid timent
Origenes. dæmones? quid tremunt cum in summa sint infœlicitate? respondet præfatus Adamantius. *Timent sine dubio crucem Christi in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum, & potestates, timor ergo & tremor cadat super eos, cum signū in nobis viderint crucis fideliter fixum, & magnitudinem brachij illius quod Dominus expandit in cruce, sicut dicit, tota die expandi manus meas ad* D *populum non credentem & contradicentem mihi: non te ergo aliter timebunt, nec aliter tremor tuus veniet super illos, nisi videant in te crucem Christi tui, nisi & tu potueris dicere, mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo.*

*Desiderium iustorum est vt nobis ad virtutem currentibus non noceant hostes fidei.*

210 *Irruat super eos formido & pauor, fiant immobiles sicut lapis.* Cur immobiles, cum populus tuus pertransit? nonne satis esset, vt cum comita- A tetur Angelus ne periculis in itinere inuolueretur? desiderat toto affectu Moyses vt maneat immobilis, donec pertranseat populus Israel, quia desiderium iustorum est, vt nobis ad virtutem currētibus, fidei hostes impedimentum non afferant
Rupert. consentit Abbas Tuicensis *Fiant immobiles quasi lapis, videlicet vt mobilibus & bene ad Deum currentibus fidei hostes nocere non possint*, idem habet
Richardus Eremita. Richardus Eremita.

*Non solum populus Iudæorum sed gentium sanguine Christi redemptus.*

*Irruat super eos formido & pauor, fiant immobiles donec pertranseat populus tuus Domine, donec pertranseat populus tuus quem possedisti.* 211
Cald. *quem redemisti* Cur non solum semel, sed iterum de populo suo loquitur? sufficeret enim dicere, donec pertranseat populus iste quem possedisti, sine alia repetitione eiusdem populi transeuntis: dices ornatus sermonis gratia iterum repetisse: sed non errabimus si dixerimus, per repetitionem populi, vtrumque nempe gentilem & Iudæum Christi pretioso sanguine redemptum
Abbas Tuicensis. intelligi: sensus est Ruperti. *In mysterio placet magis si post priorem Hebræorum sequentem quoque gentium populum intelligere velis, quem suo sanguine emptum ductor Christus possedit, patre*
Psal. *dicente, postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ.*

*Qui prælatorum iussui resistunt, lapidescunt.*

*Irruat super eos formido & pauor, fiant immobiles quasi lapis.* Quinam sunt qui sicut lapides immobiles fiunt, vel vt habent Septuag. lapidescunt? si dixeris inobedientes prælatorum 212
S. Bonau. suorum mandatis, rectè senties cum nostro Seraphico doctore in lib. de diæta salutis tit. 4. de consilijs cap. 1 *Religiosus, inquit, debet obedire prælato & non resistere, sicut enim membra iudicantur paralytica quæ non mouentur ad imperium voluntatis, ita peruersus est religiosus subditus qui non sentit metum & imperium patris spiritualis, de talibus dicitur in Exodo fiant immobiles quasi lapis.*

*Sancti precantur, vt aduersariorum Dei potentia ad nihilum redigatur.*

213 *Irruat super eos formido & pauor, fiant immobiles quasi lapis.* Sept. *lapidescant.* nonne aduersarij potentissimi poterunt tibi esse formidini? quomodo ergo populus tuus incolumis pacifice transitum per eorum regnum poterit habere? irruat super eos inquit timor & formido. quia sanctorum oratio est, vt aduersariorum Dei
S. Lucifer. potentia ad nihilum redigatur. fauet sanctus Lucifer. Episcopus de non parcendo in Deum delinq. *Conspice quomodo Dei homines neque aduersarios timuerint, neque contra inimicos Dei domus precem fundendo desinerint, vt videlicet vires Dei religionis aduersariorum fuissent deducta ad nihilum sic etenim sanctissimus Moyses dicit in cant. ad Deum. decidat super eos timor & tremor magnitudinis brachij tui.*

## *VARIETAS LECT. Vers. 17.*

*Vulg.* Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine, sanctuarium tuum Domine quod firmauerunt manus tuæ.

*Sept.* Introduces, planta eos in montem hæreditatis tuæ in paratum habitaculum tuum quod perfecisti Domine, sanctuarium Domine quæ parauerunt manus tuæ.

*Cald.* Introduces eos & collocabis eos in monte hæreditatis tuæ, locum domus maiestatis tuæ, præparasti sanctuarium Domini, præparauerunt manus tuæ.

*Onk.* Vbi est locus qui paratus est pro domi- A cilio quietis tuæ.

*Pag.* In loco habitationis quem operatus es Domine.

*Vatab.* Deduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ loco quem præparasti, ô Iehoua, vt illic sedeas, nam sanctuarium Domine firmabunt manus tuæ.

*Orig.* In præparata habitatione tua quam præparasti Domine sanctimonium Domine quod præparauerunt manus tuæ.

*Alij.* Habitaculum mansioni tuæ fecisti Domine.

*Alij.* Stabilitate habitaculi tui, quod tu parasti Domine.

## *CONCORDIA.*

INtroduces eos, & plantabis Septuag. vertere planta, & recte, Cald. autem collocabit, intellige tamen firma habitatione, מכון machon habitationem, firmitatem, basim, sedem significat, B hinc aliquarum varietas lectionum: מקדש sanctuarium & sanctimonium interpretatur, in aliis conuenientia est, cum Vulg. interprete.

## EXPOSITIO.

I*Ntroduces eos & plantabis eos.* Introdue & planta eos, plantatio autem hæc ponitur pro firmissima habitatione, vnde sensus est, quæso Domine, vt populum tuum ab omni hostium insultu protegas, eosque introducas fœliciter in terram illam quam spopondisti, atque ibi constanter facias habitare, vt nemo eos inde in captiuitatem euellat sed sit tanquam firmissimum habitaculum tuum: *in monte hæreditatis tuæ*, Hebraismus satis notus pro in mõte hæreditario tuo, C idest in monte quem tibi ex omnibus terræ tractibus quasi peculiarem hæreditatem dilexisti, appellatur autem mons hæreditatis tuæ, quia est terra electa à Deo pro habitatione populi Israel asciti in hæreditatem Dei, vt pote adoptati in primogenitum. nomine autem montis non ipsa tantummodo Hierusalem venit intelligenda, sed tota terra ipsa promissionis, quæ à montibus mons denominatur, eo quod illustrior pars montana est. alij per montem hæreditatis tuæ intelligunt montem Moria, vbi extructum postea templum, ac per habitaculum & sanctuarium ipsum templum, dicitur autem habitaculum illud firmissimum & sanctuarium manibus Dei fabricatum, vel ad indicandam eamdem habitationem ad diuturnum tempus in terra promissionis stante simul templo Dei, vel ad differentiam illius templi à tabernaculo fœderis, quod etiam Dei domus fuit, sed portatilis & nullo loco fixa. porro illa vltima verba, sanctuarium tuum &c. vt recte cohæreant cum præcedentibus, sic sunt explicanda quod idem habitaculum sanctuarium tuum est Domine, quod firmauerunt manus tuæ, hoc est firmabunt vel firmare decreuisti.

## CONCEPTVS.

### *Mille verbum diuinum formas subit pro hominum vtilitate.*

214 I*Ntroduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ.* An Deus plantator? plantabit inquit Moyses populum suum dilectum in monte hæreditatis suæ, nonne potuit Moysi præcipere vt illius plantator esset? plantat ipse, vt quas non subeat formas in hominum vtilitatem, nobis foret compertum. *Vnicuique*, inquit Cyrill. Hierosol. cath. 10. *varius fit saluator ad vtilitatem, qui enim indigent recreatione & lætitia, illis fit vinea, qui opus habent vt ingrediatur, his constituitur ostium, qui cuperent offerre orationes, illis fit mediator summusque sacerdos, rursus habentibus peccata fit ouis* D *vt pro ipsis mactetur, & omnibus fit omnia ipse idem natura permanens qui est.*

(Cyrill. Hierosol.)

### *Idem conceptus confirmatur.*

*Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ &c. sanctuarium tuum quod firmauerunt manus tuæ.* Quid? an manus tuæ sanctissimæ occupantur in firmando sanctuario tuo? nonne illius constructor curabit firmari? quid enim habitaculum proderit nisi firmitate stabiliatur? illud firmãt manus Domini imo ædificant, vt scias ad hominum vtilitatem varias indui formis. ad hæc Orig. hom. 7. in Exod. *Hoc non dicit manu hominis factum sed Dei, quid ergo propter te & Deus plantat & ædificat, agricola efficitur, structor efficitur ne aliquid tibi desit.* 215

(Origen.)

*Verbum diuinum secundum dispensationis suæ causas variè conspicitur.*

216 *Introduces eos & plantabis eos in monte hereditatis tuæ.* Plantator ergo Deus, sed cum Deus sit immutabilis, idem semper manens, cur non eodẽ modo semper videtur, sed aliquando, vt plantator, aliquando vt ædificator, vt agricola & cæteris id scilicet is, cum iuxta dispensationis suæ causas id efficiat, testem adhibeo S. Irenæum lib. 4. c. 37

D. Irenæus. *Et ipse vnigenitus Dei vt pote diues & multus existens non in vna figura neque in vno charactere videbatur videntibus eum, sed secundum dispensationis eius causas & efficaciam, sicut in Daniele scriptum est:* Daniel. cap. 3. *aliquando enim cum his qui erant circa Ananiam, Azariam Missael videbatur assistens eis in fornace ignis. & visio inquit quarti similis filio Dei. aliquando autem lapis à monte abscissus sine manibus & percutiens temporalia regna, & ipse replens vniuersam terram: rursus videbitur vt filius hominis in nubibus cæli veniens ad veterem dierum, & sumens ab eo vniuersam potestatem & gloriam.*

*Non est humani laboris gloriosum tabernaculum facere, sed illud absque labore suo factũ non absque opere homo iustus accipit.*

217 *Introduces eos & plantabis eos in monte hereditatis tuæ, firmissimo habitaculo quod operatus es Domine.* Orig. *in preparata habitatione tua quam præparasti Domine.* Cald. *locum maiestatis tuæ quẽ operatus es Domine* deinde Vulg. addit *sanctuariũ tuum Domine quod firmauerunt manus tuæ.* Cur nõ ais ô Moyses, ô Domine introduces eos in terram promissionis & in ea firmissimum habitaculum sibi efficient, sanctuarium sibi manus eorum construent cur tu illud operaberis? cur tuæmet manus illud firmabũt? respondet Orig. hom. 7 Orig. *Vide clementis Dei bonitatem, non vult te inducere ad laborem, non vult vt ipse tibi facias habitaculum iam te ad præparatã ducit habitationẽ. audi Deum dicentem in Euang. Joann. c. 9. alij laborauerunt, vos in labores eorum introistis,* laborent, sudent alij, bonus Deus ita amat nos vt nullo labore, nulla nostra vt difficultate elaboratum & præparatum ab eo habeamus in cælis tabernaculum, non cupit nos Dominus operi insudantes, vt diuinam habitationem laboribus & sudoribus efficiamus, adeo nobis bonus est vt omni labore leuatos ad præparatum regnum nos transferat. de fælici illo mendico dicitur Luc. 16. Luc. 16. factum est autem vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ, vbi acutè ponderat Chrysost. in caten. illud & portaretur ab Angelis, nec saltem ambulans laboraret portabatur ab Angelis, adeo sine labore nostro ducimur & reducimur ad patriam, vt & etiam labore paruo quo afficeremur ambulantes à Domino releuemur, operemur ergo bonum & ad habitaculum sine labore nostro constructum ducemur.

*Nescit Deus pauca suis largiri.*

218 *Introduces eos & plantabis eos in monte hereditatis tuæ, firmissimo habitaculo.* Quid nonne satis est eos in terram promissionis introduxisse, et ipsos etiam & non quomodocumque sed firmissimè plantasti, non in quacumque domo, sed manibus tuis ædificata? sane redolent hæc omnia eximiam Dei non solum charitatem, sed etiam liberalitatem, qui Israelitas non modo in libertatem ab Ægypto captiuitate asseruerat, verum etiã in adoptatam & promissam terrã adduxit, & introduxit, & ad similitudinẽ plantarũ fecit eos radices firmare, vt quamuis nõ essent inde oriundi, essent tamen naturales velut plantæ, & quasi in eodem suo domicilio ipse & eius populus versaretur, vt illi propemodum in conspectu Dei positi, illum diligere & colere discerent. & ille hoc facto demonstraret eximiam se illis curam & prouidentiam impendere.

*A Dei manibus quæ proficiscuntur bona non mobilia sunt sed firmissima.*

*Introduces eos & plantabis eos in monte hereditatis tuæ, firmissimo habitaculo,* ad quid addit illud 219 Epitheton *firmissimo?* Nonne ad maximum liberalitatis argumentum satis erat dicere introduxisse eos in montẽ hæreditatis suæ, et eos plãtat in monte firmissimo habitaculo? non est dubiũ quin verbum plantãdi dicat perpetuitatẽ & durationem huius gentis apud Palæstinam, sicut rectè notauit Vatab. nisi aliter à Deo promereretur, rectè igitur & verbo plantandi vtitur & habitaculo addit Epitheton *firmissimo*: bona enim quæ à manibus Dei proficiscuntur, non mobilia, sed stabilia sunt & permanentia, quod Tertull. lib. de resur. carnis obseruat in formatione hominis, sic enim ait. Tertullian. *Homo & sermone Dei constitit propter formã, ne quid sine sermone & amplius manu factũ esset propter prælationẽ,* manus suas applicuit Deus condendo homini ne quis auderet illum prorsus inter mobilia & corruptibilia numerare, quando diuinæ manus nesciant suis effectibus non tribuere stabilitatem & firmitatem.

*Angelica spiritualisque substantia sumi videtur ex virtute qua protegit alumnos suos.*

*Introduces eos & plantabis eos in monte hereditatis tuæ* Verbum *plantandi* habet celebrem metaphoram vineæ à Deo de Ægypto translatæ, & 220 in Palæstina plantandæ, quam metaphoram multis amplificat Regius vates Psal. 79. vbi ait vineã de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes & plantasti eam, dux itineris fuisti in conspectu eius, plãtasti radices eius, & impleuit terram, operuit mõtes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, extendit palmites suos vsque ad mare & vsque ad flumen propagines eius. Psal. 79. & Isai. 5. vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei, & sepiuit eam & lapides elegit ex ea, & plantauit eam electam, & Isai. 5. ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea; deinde addit quid est quod vltra debui vineæ meæ & non feci? sæpiui eam: vbi sepẽ vineæ circumdatam audiunt patres, & alij expositores, per illam intelligunt patrocinium hominibus exhibitum, Hieron. sepem circumdedit & auxilia Angelorum: nec putant indignum quod Angeli sepes vocentur vineæ, quando angelicæ spiritualisque naturæ præstantia, à virtute sumi videatur, qua protectionẽ & defensionẽ exhibeat hominibus, vnde cum in defensionem Israel iuberetur ire Barach, Iudicum 4. sic respondet Iudic. 4. Deboræ prophetidi, *Si veneris mecum vadã, si nolueris venire non pergã,* quibus verbis addũt Sept. apud S. August. q. 26. *nescio diem in qua prosperat Dominus Angelum mecũ,* expẽde illa verba, D. August. prosperat mecum Angelum, quasi Angeli prosperitas

& fidelitas inde etiam posset venire quod fugatis hostibus populares Israelitæ manerent & securi.

*Securissima sanctorum munitio, à cruce Christi Domini.*

221 *Introduces eos & plantabis eos in monte hereditatis tuæ.* Qua metaphora plantandi alludit ad vineã suam electam, nempe ad populum Israel dilectũ, hanc autem vineam non solum sepe circumdedit qua non solum Angelorum patrocinia, sed & sanctorum auxilia intelligenda veniunt, teste Chrysost. hom. 40. in opere imperf. per sepem inquit intellige custodiam patrum iustorum, qui tanquam murus facti sunt populo Israel, sed & torcular posuit in ea, quid per torcular intelligitur ait Simon Cassiensis lib. 6. c. 23. quod crux Dei sanctissima, crux Christi inquit est torcular, in qua & per quam electi à reprobis segregantur: sed cur torcular additur sepi vineæ? quia iugi debet crux Christi munitionibus fidelium, de qua viri sancti tutelam obtinent præstantissimam. mens est S. Isid. in 3. lib. Reg. c. 2. *Sub Dominica crucis tutela proteguntur omnes sancti, qui indisrupta pacis perseuerantia solidantur.*

Simon Cassiens.

Isidorus.

*Crux Christi in nobis virtutum exprimit facinora & diuitias.*

222 *Introduces eos & plantabis eos in monte hereditatis tuæ.* Plantabit inquam populum tuum sicut vineam electã, in qua torcular extruxit. cur torcular adhuc vineæ & sepis munitioni adiunxit? merito eam extruxit, quid enim vinea sine torculari? quid homo sine cruce Domini? de torcularis beneficio habet vinea quod dominos diuitiis impleat; sic homo à crucis potentia habet quod in re exprimantur virtutum facinora. de quo sic August. serm. 101. de temp. *Dedit hoc lignum fructum in tempore suo, dedit fructum interim Domini resurrectione, dabit & cum apparuerit de cælis ille qui visus est super terram, cum præcedente ipso crucis signo iam fulgido, venerit de superius, tunc resurgent corpora defunctorum, tunc exultabunt sancti in gloria, tunc in suis cubilibus lætabuntur. qui nonde sui regis ac Domini cruce non confunduntur, sed gloriantur.*

D. August.

*Tunc fructuosa sunt crucis mysteria, cum corda terrenis affectibus vacua intrant.*

223 *Introduces eos & plantabis eos in monte hereditatis tuæ.* Plantabit vt diximus in vineam electã, quam sepe circumdabit, & in ea torcular extruet, Matth. & in ea torcular fodiet: cur foditur? quia nunquam torcularis signum inducitur vt possit seruire, nisi prius lacunæ effodiantur in terra, & omni appareant vacuata puluere: quid hoc est? nisi vt etiam fructuosum tibi sit crucis mysterium, prius debent humana corda terreno affectu vacuari, & apparere prorsus munda: vnde non videtur in terra plantatum hoc lignum, sed in aquarum decursibus, quasi inde habeat viuificum lignum crucis suauissimos posse producere fructus si non inter affectus terrenos existat. rectè ait D. Petrus Damian. serm. de inuentione crucis. *Postquam crux à terreno cespite præcisa est, frondet, quia quisquis per amorem crucis à terrenis desideriis ipsam mentis radicem præcidit, ad hæreditatem immarcescibilem capessendam & semper virentia æternæ vitæ pascua conualescit.* Fallitur qui terrenis deditus, putat & ditissimos suauissimosque crucis fructus posse percipere, prius euellat necesse est à terra radices suas, affectus suos, & tunc currat ad crucem, ex qua conualescat in pascua æternæ vitæ.

Pet. Dami.

*Auarus homo Deum mallet perire dum ipse lucra non perdat.*

*Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ.* Prosequamur dictam metaphoram plantationis vineæ, Deus plantauit vineã electã, nempe populum suum in monte hæreditatis suæ, ad quam cum misisset seruos suos vt ab eis exigeret fructus. agricolæ apprehensis seruis male percusserunt, imo filium Dei ad eos similiter missum, eiectum extra vineam occiderunt: quomodo agnito Dei filio, & sæculorum hærede de eius interfectione agunt? vt sibi reseruent temporariam hæreditatem. quid non moliuntur homines auari in Deũm, ne ipsi suis careant lucris? quod doctè expendit Auctor oper. imperf. hom. 40. in Matth. *Postquam Iesus introiuit in templum, & omnes vendentes animalia quæ ad sacrificium vendebantur foras eiecit, in quibus sacerdotes auari tunc delectabantur. tunc præcipuè cogitauerunt eum occidere, dicentes intra se si populus istum habuerit Deum, necesse est vt dimittat consuetudinem bestiarum, quæ ad nostrum pertinent lucrũ. & sic iam non erit populus iste possessio nostra, sed Dei. videlicet non ad nostrũ quæstũ pertinens, sed Dei.* Ecce tibi cur vellent perdere Deum, quia nimirum putabant illus esse conditionis, qua ab aris suis & templis suis arceret occasiones lucrorum sacerdotum, vbi autem lucra necessum est perdi, magis volunt auari ministri quod perdatur Deus. 224

Auctor operis imp.

*Deus suis dat meliora.*

*Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ.* Per montem hæreditatis suæ terra promissionis intelligitur, siquidem multi erant in Iudæa montes, vt Sion notissimus, Thabor de quo Hierem. 46. mons Oliuarum, de quo Zacharias 14. mons Seir de quo Abdias, & ideo notum erat terram illam montibus plenam & supra colles eleuatam, terram esse promissionis: inde Deus Israelitarum secundum errorem appellabatur à gentilibus Deus montium. plura qui velit de hac re adeat Christianum Adrichomium in theatro terræ sanctæ. sed cum Deus sit cœli & terræ possessor, cur huiusmodi terram excelsam & montibus eleuatam suo dedit populo electo, & non aliam? quia Deus suis meliora concedit, nam montes terram faciunt habitabilem, in montibus tenui & puriori aura fruuntur homines, in montibus prius solares radios accipiunt habitantes, tripliciter sol exurit montes Eccles. 43. in ortu solis, & in meridie, & cum vergit ad occidentem. deinde fruges & fructus arborum in montibus citius maturescunt, pomaque sunt melioris saporis propter maiorem lucis participationem, & insipidi humoris deiectionem, vnde Deuter. 33. habetur de benedictione Domini terra eius de pomis cæli, & de pomis collium æternorum, per montium 225

Christianus Adrichom.

Eccles. 43.

Deuter. 33.

Psal. 103. montium decliuis puriores decurrunt aquæ Psal. 103. *Inter medium montium pertransibunt aquæ.*

*Deus Iudæis vt pote terrenis terram optimam concedit, vt saltem hoc modo ad sui amorem alliceret.*

226 *Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ.* Quo monte hæreditatis Iudæa venit intelligenda, quæ sane optima, ex qua lac & mel manabant. sed cur toties eis hanc optimam pollicetur regionẽ? vt eos tali promissione alliceret, & ad sui cultum adduceret, cum enim agnouisset terrenũ illius gentis animũ, voluit se accommodare eorũ ingenio, vt sensim mentibus illorum se insinuaret. Rupertus. quod rectè prosequitur Rupert. lib. 2. in Leuit. c. 38. vbi quærit, cur Deus excelsus possessor cœli & terræ, maris & omnium quæ in eis sunt, tãti fecerit vnicam terram Chanaan, eamque sub tot cõditionibus promiserit, & toties inculcauerit, *Videlicet*, inquit ille, *quia quibus loquitur, pueri sunt, paruuli sunt, amatores paruorum, cupidi rerum exilium, auidi bonorum terrestrium, vt pote nec dum cognitores bonorum cœlestium, ergo quantumcumque sit hoc bonum ante Dei magnum conspectum pro tempore non dedignatur eius magnificare commodum, neque curat quale vel quantum sit id quod dat Pater Sapiens, dummodo pro illo munere sibimet attentum obnoxium faciat puerum.* Et hæc lex magnus & Sapiens Pædagogus, sed paruum quidem est præmium quod pollicetur, vt prouocet pueri ingenium, & parua est virga quæ minatur vt eiusdem deterreat lasciuiam, quid enim pollicetur? si in præceptis meis ambulatis, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur, ea deinceps comedetis vetustissima veterum & vetera nouis superuenientibus proiicietis. hæc & similia his pollicetur, & de regno cœlorum nusquam palam loquitur, quia videlicet populus ille puer erat, nec dum quæ inuisibilia siue cœlestia sperare, siue amare nouerat.

*Nesciebat populus Hebræorum spiritualia timere.*

227 *Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ.* Quã diximus pluries promisisse, vt hoc modo ad sui cultũ eos alliceret, cũ essent ingenio terreni, sed vt eos deterreret à sceleribus & idololatria, an minabatur eis bonorum iacturam temporalium? Leuit. 26. ita sane, vt constat ex Leuit. 26. quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea visitabo vos velociter in egestate, & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras, frustra seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur, immittam in vos bestias agri, quæ consumant vos, & pecora vestra & ad paucitatem pauca redigam: hęc & similia comminabatur eis, cur non regni cœlestis cœlestia iacturam? cur non gehennam ignis, vt illius timore ad meliorem frugem redigerentur? non minatur, quia nesciebat populus Hebręorum vt pote puer spiritualia timere, de gehenna ignis prosequitur cit. Abbas. Cit. Abbas. *Vbi erit fletus & stridor dentium nusquam palam loquitur, quia videlicet populus ille puer erat, & mala inuisibilia timere non nouerat: itaque Deus non pro sua magnitudine, sed pro seruili sensu rem paruam quasi grãdi versat molimine, daturus tamen & cum illis bonis exiguis magna & æterna obedientibus præmia, & cum illis malis transitoriis sempiterna inobedientibus supplicia.*

*Ad fructus virtutum ferendos allicimur.*

*Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ.* Hæreditatem inquam terram Chananæorum frugiferam, opimam, quam eis daturus erat, sed cur in terra fœcundissima eos plantare voluit? vt cum terreni semper illam intuentes ab eadem veluti edocerentur, non steriles & infrugiferos Deo plantatori esse, sed maximos gratiarum & virtutum prouentus in dies reddere, cum viderent se sugere mel de petra, & oleum de saxo durissimo, hoc enim maximè vult Deus, quandoquidem enim cœlestes sumus plantę, non steriles remaneamus: hoc ostendit B. Hieronym. in illud Psalm. 131. *Ecce audiuimus eam in Ephrata inuenimus eam in campis syluæ, quod intelligit de Ecclesia collecta ex gentibus vbi animæ ex horrentibus nudæ, & sterilibus fructuosæ, ex cubilibus Dei requies effectæ sunt, gentes enim antea tanquam sylua Diaboli cubile fuerunt vt dicitur Psalm. 29. exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam*, concluditque in hunc modum cit. Doctor. *quia requiescit Dominus in iis qui fructus afferunt virtutum.* 228 Psal. 131. S. Hieron.

*Maxima Dei etiam erga impios benignitas & liberalitas.*

*Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ.* Frugiferæ & fœcundissimæ, in qua eos plantare voluit, vt eos magis excitaret ad proferendos bonorum operum prouentus, sed ipsi steriles omnino redditi cum ipsis mel petra proferret, creatori suo pro fructiferis lapidibus, duros lapides ad lapidandum assumunt, & pro melle, acetum cum felle mixtum potandum tribuunt, & pro dulcedinis oleo, omnem sæuitiam & inhumanitatem exerunt, vnde eis exprobratur sterilitas & supplicium apud Isai. c. 21. cum dicitur in saltu ad vesperum dormietis, vbi Hierony. ait non dormiunt in agris consitis, nec in pratis aut segetibus, sed in infructuosis saltibus, vbi vepres sunt, & bestiæ commorantur: sed cur eorum præuidens maximam ingratitudinem ad huc prosecutus est beneficiis, & ad se reiteratis vocationibus allicere conatus est? sane in hoc admirari licet eximiam Dei bonitatem, & benignitatem, qui tot impiis hominibus & ingratissimis, bona largitus est: quod argumentum prosequitur Clemens Alex. pędag. c. 9. & concludit, *Maximum signum est eius benignitatis quod licet aperte sciret impudentiam populi, qui recalcitrabat & resistebat, opere tamen adhortatur ad pœnitentiam & dicit per Ezech. 2. fili hominis in medio scorpionum tu habitas, verumtamen loquere ipsi si forte audierit.* 229 Isai. c. 21. Clemens Alexand.

*Deus suos allicit vt terrena despiciant.*

*Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ.* In terra excelsa & sublimi, sed cur eum in huiusmodi terra voluit constituere? nonne valles sunt amæniores imo & fertiliores? in mõtuosa terra, & excelsa plantare statuit, vt ab inferioribus 230

terrenis veluti abstraheret & propriis oculis quæ ipsi inhiabant, contemnenda despiceret, & sola excelsa & habitationes supernas promereri studeret: tanet B. Chrysost. orat. 3. contra Iudæos. *Vt ex sublimi situ (inquit) discerent sursum leuare terris & animi affectus & contemnere terrena*, in quo sensu exposuit noster Adamus Sasbouthus illud Isaiæ 58. sustollam te super altitudinem terræ, id est constituam te super montuosam & excelsam terram, *vt magno animo*, inquit Adamus, *terrena despicias*.

Chrysost. | Isai. 58. Noster Adamus Sasbouthus in Isaiam.

### *Vult Deus nostrum viuendi institutum sublime & excelsum.*

231 *Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ.* Cur quos educis ex Ægypto, in monte excelso vis constituere? nonne quis fatigatur in eius ascensu, cum sit difficilis? facilius est enim in humilibus locis iter facere quam per colles montuosos & asperos: merito quos Deus ex Ægypto educit, quos ex hoc mundo detrahit, non in deiectis & in humilibus locis vult plantare, sed in monte hæreditatis suæ, quia sic eductos de mundo vult sublime & excelsum vitæ institutum ducere, ad hec Adamant. hom. 7. *Aduerte quomodo plantat Deus & vbi plantat, non plantat in vallibus, sed in montibus excelsis & sublimibus locis, quos enim educit ex Ægypto quos ex Ægypto adducit ad fidem, non vult eos iterum in humilibus collocare, sed conuersationem eorum vult sublimem esse, vult nos in montibus habitare, sed in ipsis nihilominus montibus non vult nos super terram repere, nec vltra vult vineam suam humi deiectos habere fructus, sed vult palmites eius sursum duci, in alto collocari, traduces fieri, & traduces non in quibuscumque arboribus, sed in excelsis & altissimis cedris Dei, cedros Dei ergo Prophetas & Apostolos puto, quibus nos si adiungamur, vitis, quam de Ægypto transtulit Deus, per ramos eorum nostri palmites diffundantur, atque ipsis innixi traduces quædam efficiamur charitatis adinuicem vinculis connexi, fructum sine dubio plurimum afferemus.*

Adamant.

### *Beatitudo locus maiestatis diuinæ.*

232 *Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine, sanctuarium tuum quod operatus es*, Cald. habet, *collocabis eos in monte hæreditatis tuæ, locum domus maiestatis suæ præparasti.* Cur vbi sanctuarium legimus, vertit locum maiestatis diuinæ? quia sanctuarium Dei, quia beatitudo cœlestis est locus supremæ & incomprehensibilis maiestatis. *Significat mons iste*, inquit Lippom. *statum gloriæ beatorum, vbi hæreditas sola erit sanctorum, & propter maiestas & bonitas Dei, quam fruendam in æternum præbebit electis statum omnium bonorum aggregatione perfectum felicissimumque pende & propria maiestas Dei.*

Lippom.

### *Ecclesia à terrena cupiditate remotissima.*

233 *Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ.* Quosnam introductos plantas? egressos ab Ægypto, qui nimirum de amore sæculi tenebrosi educantur, sed in quonam loco? in monte, nonne valles aquarum riuulis qui irrigantur, pinguiores sunt & fertiliores? eos in conuallibus planta, nequaquam, sed in monte, sed quisnam ille mons? ait Richard. Pampo. Ecclesia est cum nomine montis designatur sed cur monstre dicit Eremita. *Quia à cupiditate terrena eleuatur.*

### *Gloria æterna est.*

*Introduces eos, & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ firmissimo habitaculo sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.* Per sanctuarium rectè beatitudo adumbratur, Dei enim sanctuarium est, & omnis receptaculum sanctitatis, sed certo certius eam electis suis præparasse, cut Moyses asserit manibus suis eam firmasse? vt perpetuitas illius denotaretur, teste cit. Richard. *Quod firmauerunt manus tuæ, id est vt firma cum à tanto artifice indeficienter perseueret.* 234

Richard.

### *Maximus Dei quondam in Iudæos amor.*

*Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ firmissimo habitaculo tuo.* Cur in monte hæreditatis tuæ? cur in habitaculo tuo? nonne rationi magis consentaneum esset vt in alio maneant habitaculo, quam tuo? quis enim tantæ dignitatis vt tecum commorari mereatur? in hoc maximus Dei amor erga Iudæos apparet, cum sub eodem tecto, cum eis habitare voluerit, & à se constructo, & manibus suis firmato, hoc agnouit Agellius in his verbis. *Eximia ergo illos Dei charitas apparet, qui eos non modo in libertatem ab Ægyptiis seruitute asseruerat, verum etiam quodammodo in domum suam perduxit, vt in eodem quasi domicilio & ipse & eius populus versaretur, vt illi propemodum in conspectu Dei positi, illum diligere & colere discerent, & ille hoc facto demonstraret eximiam illis curam impendere, & prouidentiam, eamque cæteris gentibus maiorem, quo domesticos magis quam hospites & aduenas & diligimus, & gubernamus.* 235

Agell.

### *Deus eradicatis prius impijs, virtuosos plantat & confirmat.*

*Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ.* Quid an eos sic in terram alienigenam introducturus es consulamus regiũ Prophetam Psal. 43. sic Deum alloquentem manus tua gentes disperdidit, plantasti eos, quosnam? Israelitas, nonne eis potuit montem hæreditatis suæ in habitaculum tradere, non eiectis prius illius terræ incolis nempe Chananæis? potuit sed noluit; Deus enim virtuosos non plantat nec firmat, nisi prius eiectis & expulsis impiis & sceleratis, ad it pulatur noster Titelm. *Tu Domine, inquit, in virtute omnipotentiæ tuæ, expulsis & eiectis ante faciem eorum impiis inhabitatoribus, introduces eos atque eradicatis illis malis & infidelibus incolis, quorum iam erant consumatæ iniquitates in locum horum, plantabis eos, & firmiter habitare facies*, S. Ambros. in it. Psalm. *Hoc est disperdere & plantare vt vitiosa eradicentur, meliora plantentur in pectoribus suis.* 236

Psal. 43. | Titelm. | Ambros. Psal. 80.

### *Mansuetorum est terra viuentium.*

*Introduces eos & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ.* Quomodo eos plantauerit, & in quo mõte, declarans Regius Vates ait, manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos, quoniam non in gladio possederunt terram, sed quænam est hæc terra quæ in brachio capiatur, non gladio possidetur? sanè terra promissionis, de qua ipsemet Propheta Psal. 26. credo videre bona Domini in terra viuentiũ: non immerito igitur eius tam præclara 237

Psal. 26.

possessio est, in qua non sæculi aduersa dominantur, sed Domini bona æterna fructificant, ideoque non gladio acquiritur, sed quomodo ergo? respondentem audiamus Ambrosium. *Mansuetudine possidetur, sicut Dominus Iesus testificatus est Matth. 5. dicens, beati mites, ipsi enim possidebunt terram, nemo ergo impatiens, nemo arrogans, aut superbus, sed mansuetus & humilis corde, qui sibi nihil arroget, sed totum ad gratiam referat, non in fortitudine sua glorietur.*

Ambros. Matth. 5.



## VARIETAS LECT. Vers. 18.

*Vulg.* Dominus regnabit in æternum & vltra.

*Sept.* Dominus regnans in sæculum & in sæculum & vltra.

*Cald.* Regnum Domini in sæculum, & in sæcula sæculorum.

*Onqe.* Regnum Domini regnat in sæcula.

*Pagni.* Dominus regnabit in sæculum & in perpetuum.

Vatab. Tunc Iehoua regnabit in perpetuum.

*Cajetan.* Iehoua regnabit in sæculum & vsque.

## CONCORDIA.

Dictionem לעלם leholam quidam in æternum, quidam in sæculum vertunt, quod apud Hebræos non eodem modo sumitur, sicut apud Latinos, sed ipsam æternitatem significat & aliquando mundum, aliquando etiam quinquaginta annos, pari modo dictionem ועד vahed alliqui & in æternum aliqui & in perpetuum siue perpetuo reddiderunt, sed vt omnis varietas concilietur, obseruatione digna proponentur: aduerte igitur his quatuor dictionibus Latinis in æternũ & vltra, haberi Hebraice alias quatuor leholam vel ghad aduerte similiter dictionem עד ghad plus significare quam עלם gholam, cum oratio crescit & orationis augmentum indicatur, nempe quando ghad ponitur post gholam, quemadmodum videre est hoc loco, & Psalm. 9 vbi enim nos legimus, nomen eorum delesti in æternũ & in sæculum sæculi, Hebraicè habetur leholam veghad, quod Pag. & Arias transferunt, idest in æternum & in perpetuũ, vnde potest in his locis & aliis similibus, ghad significare æternitatem strictè acceptam, & omni prorsus fine carentem, & hæc causa est quare cũ sacra scriptura geminet sæculum & sæculum, siue sæculum sæculi, siue sæculum sæculorum, veram & infinitam æternitatem, atque omnia quę excogitari possunt sæcula debemus accipere: dixi quando ghad ponitur post gholam, quia sic aliquando anteponitur, vt dicam scilicet puerum Samuelem vt appareat ante conspectum Domini & maneat ibi iugiter, Hebraicè ghad gholam vox ghad habet vim præpositionis vsque, ac si diceretur vt maneat ibi in æternũ: obserua similiter quod nemo proteruus negare potest gholam sumi & vsurpari in sacra scriptura sæpissime pro æternitate non rigorosa, neque natura sua finis experte, sed significante durationem quamdam longinquam, & cui finis aliquando possit siue citra initium siue exitum aduenire, non tamen est præfixus neque constitutus. in Ierem. 2. à sæculo confregisti iugum, Hebraicè me gholam & Genes 6. isti sunt potentes à sæculo viri famosi, Hebraicè megholam hoc est ab æternò, id est priscis temporibus, constat enim hæc omnia habuisse à parte ante suæ durationis initium, cum tamen dicantur æterna à parte post, siue versus exitum, suppetunt non pauciora exempla, nam 1. Reg. 27. dicebat Achis Rex Geth de Dauid ad se confugiente, erit mihi seruus sempiternus, ex quibus patet quo in sensu præfatæ dictiones sumendæ.

Psalm. 9.

## EXPOSITIO.

*Dominus regnabit.* Id est agnoscetur, coletur, adorabitur scilicet in templo Hierosolymitano, de hoc enim videtur immediatè præcessisse, & in hoc maximè colendus, & gratiæ ei agendæ ob beneficium illud transitus per mare rubrum, & Ægyptiorum deletionem, vnde & statim sequitur, ingressus est enim eques, particula enim illa causam reddit, cur regnaturus sit Deus, seu vt Rex laudandus & colendus, sicut & Hebræi particula כי chi & Græca apud Septuag. ὅτι eo quod, quoniam, quia scilicet Deus Pharaonem & Ægyptios deleuit, Israelitis autem transitum liberum per mare præbuit: sed dices si hæc explicatio vera esset, quomodo illud Dei regnum & cultus intelligi possit de eius regno &, cultu in templo Hierosolymitano, de vera æternitate & duratione interminabili? hoc enim non potest competere templo Hierosolymitano, aut diuino cultui in illo ei exhibito: sed responde Moysem id intellexisse de cultu Dei exhibendo in templo Hierosolymitano, at non tantum, sicuti enim beneficium illud transitus per mare rubrum extollens Moyses, animum etiam retulit ad id cuius hic transitus erat figura & typus, hoc est ad salutem nobis à Christo paratam, ita significans hic beneficium Israelitis præstitum, Deum Ierosolymis in templo tanquã in regio palatio regnaturũ, ibidemque summo honore colendum simul intellexit, & animũ retulit ad laudẽ & cultũ qui Deo & Christo hic in Ecclesia & post modum post totam æternitatẽ à sãctis in cœlo, & Ecclesia triũphante præfiguratæ per Ierosolymã & templũ, ob redemptionẽ per Christũ factã, esset exhibendus, ob idque addidit

Moyses in æternum & vltra, vtrumque tam typum quam veritatem, per typum illum significatam comprehendendo. A

*In æternum & vltra.* Sæpe vox Hebræa holam & Latina *æternum*, non durationem interminatam, sed longum aliquod temporis spatium quod occultum sit & incognitum significat, itaque potest hac voce significari dumtaxat tempus illud quo permansurum esset templum Hierosolymitanum, & in eo diuinus cultus, per vltra vero totum tempus quo permansura esset Ecclesia, hic & in cœlo, & in eo diuinæ laudes ob redemptionem per Christum factam decantandę vel per *æternum* possumus intelligere totum quod decurreret tempus vsque ad finem mundi, quo toto siue Ierosolymis siue in Ecclesia militante regnabit Deus in sanctis suis, & coletur ob beneficia supradicta; per *vltra* vero spatium illud quo post extremum iudicium Ecclesia triumphans stabit, & Dei laudes in æternum decantabit, sed si per æternum veram æternitatem intelligimus, dicere possumus, additum esse & vltra, ex affectus vehementia qua Moyses petit, vt Deus regnet & laudetur per totam æternitatem, & si fieri posset etiam vltra.

## CONCEPTVS.

### *Deus omnimodam habet à se æternitatem.* B

138 DOminus regnabit in æternum & vltra. Quid ais ô Moyses & vltra? verum est quod si cogitauerim centum millia annorum, nihil cogitaui respectu æterni, imo si cogitauerim centena millia annorum imo sæculorum, nihil adhuc ex æternitate decerpsi, cogitem mille milliones annorum, æque adhuc integra restat æternitas, sed cum cogitauerim æternitatem, quid amplius addere possum? quomodo ergo in efferendo Deum laudibus dicis regnaturum in æternum & vltra? aduerte quod aliqua dicuntur æterna saltem à parte post, vt Angelus & anima: merito ergo & non superfluè addidit æternitati *& vltra*, vt denotaret æternitatem sine principio & sine fine, eamque à se habere, totumque suum esse sine vlla successione, doctrina est Angelici Doctoris 1. par. q. 10. art. 2. ad 2. *Dicitur Deus vltra æternum regnare, quia licet aliquid aliud semper esset, sicut motum cœli quidam Philosophi faciunt æternum, nihilominus tamen Deus vltra regnat, quantum totum eius regnum est totum simul: similiter Auctor lib. de causis dixit Deum esse ante æternitatem intelligentias esse cum æternitate, animam vero nostram esse post æternitatem & supra tempus, nam licet poneremus intelligentias ab æterno, tamen, quia Deus habet in se omne & totum esse simul, intelligentiæ vero habent suum esse limitatum & participatum à Deo, idcirco verè Deus diceretur esse ante æternitatem participatam, videlicet à creaturis.* C

Angelicus Doctor.

### *Nostrum affectum in Dei maiorem gloriam significare debemus.*

*Dominus regnabit in æternum & vltra.* Sane nihil
139 esse aut fingi potest vltra æternitatem, cum nihil possit superaddi: dicat ergo Moyses Dominus regnabit, & nos subiiciat & vltra, addat & vltra, vt quo erga Deum affectu feratur ostendat, quasi diceret, opto vt Deus regnet in æternum, & si fingi aut dari posset vlterior duratio per illam vlterius semper, & sine fine regnet, non alienus ab hoc sensu Orig. *Putasne in sæculum sæculi Deum regnaturum? regnabit adhuc vel vltra, & quodcumque dixeris illud de regni eius spatiis semper tibi Propheta dicet & adhuc siue vltra.* sed Abulens. expressius, *sicut Moyses valde desiderabat durationem regni Dei cum Deum amore amicitiæ diligeret, proferebat illud per quædam verba signantia magnam affectionem.* D

Origenes.

Abulens.

### *Qui hyperbolicè loquitur in sacra scriptura, mentiri non censendus.*

D*ominus regnabit in æternum & vltra.* Si æternum pro vera æternitate, omnem siue realem, siue imaginariam durationem adęquatè complectente sumitur, vltra ergo eam nec esse potest nec vlla concipi duratio, quomodo ergo asserit Moyses quod regnaturus est Deus in ęternum & vltra? licet sic sumeretur æternitas, nihilominus adhuc non coactè potest exponi additio illa & vltra, quasi posita per hyperbolem, hoc sensu Dominus regnabit in omnem ęternitatem, & si fieri etiam potest vltra æternitatem, vsque adeo regnum eius finem non agnoscet: scriptura namque diuina cum scateat tropis, hyperbole quidem non caret, & quamuis hic tropus dici soleat à Rhetoribus ementiens superiectio, non tamen mentitur qui illa vtitur, qui hyperbolicam locutionem non sumit propriè in qua acceptione mentiretur, sed tropice seu vniuersè, hoc est in significatione illa quæ in gentem quandam vel valde etiam exiguam rei de qua agit quantitatem declarat, quod est verum. vnde August. lib. 16. de ciuit. c. 20. ait. *Hyperbole vt cæteris tropis vti solere scripturam nullus qui eam didicit, ambigit, ille autem tropus fit, quando id quod verbis dicitur longè est amplius quam quod eo dicto significatur*, sed quomodo quis hyperbolem loquens non mentitur? consulamus eit. Doctorem tract. 124. in Ioannem ad illam hyperbolem sunt autem & alia multa, quę fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum posse eos capere, qui scribendi sunt, libros Ioann. 21. vbi sic ait. *Non spatio locorum, credendum est mundum capere non posse, quæ in eo scribi quomodo possint, si scripta non ferret? sed capacitate legentium comprehendi fortasse non possent, quamuis saluareum fide, plerumque verba excedere videantur fidem, quod non fit, quando aliquid, quod erat obscurum vel dubium, causa & ratione reddita exponitur; sed quando id, quod apertum est, vel augetur, vel extenuatur, quoniam sic verba rem, quæ indicatur, excedunt, vt voluntas loquentis, nec fallentis appareat, qui nouit quousque credatur, à quo vltra, quam credendum est, vel minuitur loquendo aliquid, vel augetur, hinc loquendi modum græco sermone non solum Græcarum, verum etiam Latinarum litterarum Magistri hyperbolem vocant qui modus, sicut hoc loco, ita in nonnullis diuinis litteris inuenitur, vt est, posuerunt in cœlum os suum, Psalm. 72. &c.*

140 (beside the first line of this section)

S August.

Ioann. 21.

Psal. 72.

*Regna mundi facile euanescunt, Deo solo in æternum regnante.*

242 *Dominus regnabit in æternum & vltra.* Cur cum de regno Dei sermonem instituit Moyses, dicit illud futurum esse sempiternum? an quis ignorat Deum esse æternum? sic nemini dubium potest esse eum similiter regnum principium nec finem durationis habere posse: non immerito Dei regnum nullo fine claudendum asserit, vt ostendat quam diuersum sit à regnis huius mundi, quæ innumeris subiiciuntur vicissitudinibus, omni obnoxia mutationi. *Regnum eius,* inquit Abulens. *non est aliquid sicut regna terræ, quæ vicissitudinariè commutantur, & interdum totaliter ruunt, regnum autem Domini in æternum manet, regna autem terræ multos aduersantes habent, ipsa de se magna ruunt, quia quæ magna sunt in humanis diu consistere non possunt: ideo regna temporalia quemquam beatum efficere nequeunt vt ait Boetius de consol. lib. 3. prosa 7. cum dicit, an vero regna regumque familiaritas efficere potentem valeant, quidem quo eorū fœlicitas perpetuo vixit? atque plena est exemplorum vetustas, plena est præsens ætas, qui reges fœlicitatem calamitate mutauerint* & subiungit ironicè *ò præclara potentia, quæ nec ad conseruationem quidem sui satis efficax inuenitur! regnum autem Dei firmissimum est, quia nec de se labi potest cum æterna stabilitate firmatum sit, nec aduersarium quemquam habet cum quæcumque sunt ei directè libenterque subdantur.* Non prætermittam quæ habet Godinus Curopalata lib. 1. de officiis magnę Ecclesiæ Constantinopolitanæ cap. 6. Num. 37. qui obseruat quod Imperator Constantinop. consueuit in dextera crucem ferre, in sinistra vero inuolucrum quoddam mantili ligatum, vt huius intuitu imperij inconstantiam cogitaret, verba illius subiicio. *Imperator crucem in dextera semper portat, in sinistra vero inuolucrum codici simile mantili ligatum, habetque intus canitatem, & vocatur* ἀκακία *quasi dicat illud Imperatorem humilem esse, & mortalem, neque propter imperii sublimitatem efferri neque insolenter se iactare, per mantile significatur eiusdem imperij inconstantia & mos ab vno ad alium transeundi.*

*Fœlicitas sanctorum habere Christum Dominum pro rege & perpetuo.*

243 *Dominus regnabit in æternum & vltra.* Sic lætabundus concinit Moyses, nonne satis ingenti affectus es gaudio, cum cecinisti, cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem eius proiecit in mare? sed hac ne de causa solum lætaris? minimè; sed lætor amplius, quia fortitudo mea & laus mea Dominus & factus est mihi in salutem, quinimo quia iste Deus meus, & ob hoc glorificabo eum, & non solum glorificabo eum, quia Deus meus est, sed quia Deus patris mei, quasi dicat glorificabo eum Deum qui non heri Deus meus, sed à principio, & tempore at sufficeret ne tibi hoc, vt Deus sit Deus patris tui: non equidem, sed qua talis Deus, taleque regnum sempiternum erit, ita vt nunquam deficiat, vnde semper ipsius ero seruus famulusque, ideo lætabor, & lætamini omnes quia Dominus regnabit in æternū & vltra, velint nolint inimici eius, quem locum sic legit Orig. Domine qui regnas in sæculum & in sæculum & adhuc, quid est adhuc? plusquam in sæculum sæculi, non terminum, non finem significat. *Quoties dicitur in sæculum,* inquit, *longitudo quidem temporis, sed esse aliquis finis indicatur, etsi in aliud sæculum dicitur aliquid longius indicatur, sed tamen finis imponitur, & quoties sæcula sæculorum nominantur fortasse licet ignotus nobis, tamen à Deo statutus aliquis terminus indicatur, quod vero hic addit, & vltra nullum adhuc sensum termini siui aut finem relinquit.*

*Deo potius quam regibus seruiendum.*

244 *Dominus regnabit in æternum & vltra.* Si solum Dei regnum in æternum permanere debet, omne autem huius sæculi imperium mutabile & transitorium, de quo monebat Agapetus Diaconus Iustinianum Imperatorem dicens, circulus quidam humanarum rerum voluitur, qui modo sic, modo aliter agitat ipsas, & circumfert, atque his inæqualitas est, eo quod nihil ex præsentibus in eodem statu maneat: oportet igitur te potentissimum Imperatorē in hac rerum versatili mutatione immutabilem habere pietatis cognitionem, hoc totum argumentum luculentissimè versat S. Petrus Damianus Opus. 56. 7. quem præiuit Philo lib. quod Deus sit immutabilis, sed quid inde nobis licet inferre? nisi Deo potius quam regibus huius sæculi seruiendum, dominatus enim eorum volubilis & transitorius, regnum autem Dei in æternum permanet, & vltra, hac de causa Sanctus Paulinus Epistola. 34 ad militem quemdam scribens suadet, vt temporaneo Cæsare derelicto ad illum accedat, qui omnibus dominatur, qui Rex æternus, qui cum regno perenne consortium largitur, sic autem ait. *Neque enim quicumque terrenus rex totius terræ Dominus est, & Rex est & ipse Rex est regum & Dominus dominantium, & in terris, & in mari, & abyssis, omnia quæ vult facit: hunc igitur sequamur, huic militemus, cui coniunctus* (notanda verba) *nunquam disiungitur miles, qui militantibus, sibi gloriam vitæ æternæ honorem regni cœlestis, & diuitias hæreditatis suæ, & diuinæ cognitionis consortium perenne largitur.*

## VARIETAS LECT. Vers. 19.

Vulg. Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris, filii autem Israel ambulauerunt per siccum in medio eius.

*Sept.* Quoniam ingressus est equitatus Pharaonis cum curribus & ascensoribus in mare, & induxit super eos Dominus aquam maris; filii autem Israel ambulauerunt per arida in medio maris.

*Cald.* Quando ingressus est equitatus Pharaonis reduxit Dominus aquas maris.

*Pag.* Quia ingressi sunt equi Pharoch cum A curribus & equitibus suis in mare, & redire fecit super eos aquas maris.

## *CONCORDIA.*

VBi legimus ingressus est eques Pharao, Hebraicè est כי באסוס פרעה chi basus parho quoniam siue quando ingressus equus est siue equitatus Pharaonis, sed nulla discordia; sus enim sonat Hebræis tam ipsum animal, quam animal vnà cum ascensore, siue etiã equitatum, Septuag. quoque ἵππος Φαραὼ, id est, equus Pharao, siue equitatus, aduerte quid dicat Iansenius, Hebræa habent equus Pharaonis, & antiqui quidem nostri codices habent etiam equus Pharaoh, vt omnino sit verisimile hanc esse veram lectionem, quam aliquis deprauauit, putans absurdam esse eam lectionem, quod non intellexerit nomen Pharao esse genitiui casus, cum aut singularis numerus positus pro equitatu: legendum autem est equus non eques, etiam illud probat quod S. Hierony. verterit cum curribus & equitibus eius, cum alioqui vertendum erat pronomen reciprocum suis, hæc Iansenius, cæterum in biblijs Sixtianis, B iussu Xisti quinti correctis, habetur eques Pharao, non vero equus Pharao, aut equus Pharaonis & rectè] sanè, quidquid dicat Iansenius; nam si vt ille ait, equus positus est pro equitatu, cur eques pro eodem non accipietur?

## EXPOSITIO.

INgressus est enim eques Pharao. Viribus suis confidens, & in equitatu suo, sed vana eius spes, nam *reduxit super eos aquas maris*, quod opus fuit Dei punientis, quod que in extremam patientium punitionem redundauit, *filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio maris*, quod Dei beneficij opus fuit, & in eximiam Israelitarum vtilitatem, & quia de his duobus totum ferè canticum agit, iure optimo hic vltimus cantici versus epilogus siue orationis totius peroratio appellari potest, enumeratio enim quę propria perorationis est, hic palam elucet, siquidem summatim repetitur totum argumentum laudis dispersę per vniuersum canticum, nam argumentum duobus hisce capitibus constat, Ægyptiorũ submertione in mari, & Israelitarũ tum ex hostibus tũ ex maris sinu ereptione, quę duo capita breui & aliquantulum variata repetitione, numerata videmus.

## CONCEPTVS.

### *Dei perfecta sunt opera.*

245 INgressus est eques Pharao cum curribus & equitibus. & reduxit Dominus super eos aquas maris. Licet Deus varia in Ægyptios miserit flagella, tamen tria priora tribuuntur Aaroni, Septem autem Moysi, sed omnium vltimum, nempe Ægyptiorum interitus & submersio soli Deo, reduxit Dominus super eos aquas maris. cur Deus alia portenta quibus Ægyptum affecit sibi tribuenda non studet, cum virtute sua sint perpetrata? vel cur omnia vel Moysi vel Aaroni non curat assignanda? aduerte quod finis huiusmodi mirabilium & flagellorum, erat consecutio libertatis populi Ægyptiorum, quæ tamen comparata non est per ea quæ operatus est aut Aaro vel Moyses: veruntamen Israelitæ con- D secuti sunt omnimodam libertatem per hoc vltimum Ægyptijs illatum supplicium, en vt Deus non curat prima sibi attribui mirabilia, sed vltimum tanquam omnium complementum, & omnis operis perfectionem? obseruatio est nostri Lyrani in cap. 8. Exod. *Notandum quod plagæ inflictæ per Aaron sunt tres primæ attingentes ad conuincendos Magos, aut ad mollificationem cordis Pharaonis, aliæ vero plagæ subsequentes factæ per Moysen attigerunt, ad hoc vt deuincerent, seruos omnes Pharaonis, vltima plaga à Deo inflicta, attingit ad vltimum effectum, in quibus ordo diuinæ prouidentiæ relucet, qui per minores facit* (Noster Lyranus.)

C *minora, & per seipsum quod vltimum & perfectum est.* Pende, facit per se ipsum quod vltimum & perfectum est.

### *Talis est amor auarorum erga diuitias, vt qui ab illis eas ademerit, eos interficere dicitur.*

*Ingressus est eques Pharao cum curribus & equitibus; & reduxit Dominus super eos aquas maris.* Quid? 246
nonne ille est Pharao, qui tumens arrogantiâ, iactabat se Israelitas interfecturum? interficiet eos manus mea, sed ex Hebræo legi potest, depauperabit seu pauperes faciet eos manus meã, nam est verbum ירש quod est pauperem facere & exterminare, seu perdere, seu consumere ore gladij, quasi tunc Pharao se potentissimum ostendat, cum diuites suis opibus spoliet, & ad inopiam compellat, quid est ne idem aliquem interficere, & pauperem facere? non equidem, quot enim facultatibus suis spoliantur, & manent incolumes vitâ non ademptâ? nihilominus recte possumus dicere idem esse interficere & pauperem facere, vt enim si quis animal excordaret seu corde priuaret, illud necare diceretur, ita & qui alium diuitijs expoliaret, cum diuitię à suis amatoribus cordis loco habeantur, quod obseruat Cajet. explicans illa verba Genes. 31. quare ita egisti, inquit Laban Iacobo, vt clam me abigeres filias meas? quod ex Hebræo sic vertitur, quid fecisti & furatus es cor meum? idest vt inquit citat (Genes. 31.)

Cardin. Cajet.

Cardinal. *Paratus es meas diuitias quæ mihi erant cordi, seu instar cordis.*

*Confessionis currus ad veniæ littus nos deuehit.*

247 *Ingressus est eques Pharao cum curribus, & equitibus & reduxit Dominus super eos aquas maris.* Pharao cum suo exercitu dum curribus insideret, in mare demergitur & in eo sepelitur cum suis curribus, sed quomodo quis mare ingrediens peruenire potest ad littus, & non in eo demergi? sane qui confessionis insidet curribus, peccata ipsa suffocat, ipse vero in medio amaritudinum pelago, in medio discriminum maris, ad veniæ & misericordiæ littus feliciter perueniet. hoc S. Ambrosij fuit votum, cuius hæc sunt verba lib. de pœnitent. c. 33. *Curribus Pharaonis insidens tendis ad veniam, accipe me tecum in hac cogitatione consortem, vt adiuncto communi comitatu, ad metas indulgentiæ properemus.* Olim deuictis hostibus, imperator ingenti pompa & gloria curruum vehi in triumphum solebat, sed gloriosius triumphat, qui vitiorum hostibus deuictis, noxio pudore strato, sui ipsius victor factus, confessionis insidet curribus, & ad indulgentiæ diuinæ metas tendit.

S. Ambros.

*Homo facile sequitur mortis exitijque ductum.*

248 *Ingressus est eques Pharao cum curribus & equitibus, & reduxit super eos aquas maris.* Scissum mare apparuit, & Israelitæ gradientes per medium eius; nec mora vbi hos viderũt gradiẽtes per mediũ sicci maris Ægyptii, ingressi sũt: & cur Ægyptii adeo intrepide audent Israelitas sequi per viã adeo nouam & inusitatam? cur non magis suspectã habẽt viam, vsque tũc maris fluctibus clausam, & solis Israelitis apertã? cur non magis ad ingressum cunctantur? ait Eusebius Emiss. in glossa super c. 14. Exod *Sanguis atque iniusta infantium cædes illos agitabat*, qui interfecti erant ab illis infantes & aquis sepulti iacebant, mouebant ad lethalem ingressum eorum animos, imo vt ait Philo lib. 1. de vita Moysis, *Huc accessit impetus hostium inuehentium, & in suam perniciem ruentium*, Ad nihil enim facilior & impigrior homo paratur quam ad hoc vt ad mortem & exitium abeat.

Eusebius Emiss.

Philo.

*Vt Dominus regnaret in nobis, necesse fuit tartareum Pharaonem submergi.*

249 *Ingressus est eques Pharao cum curribus & equitibus, & reduxit super eos aquas maris.* Antecedenti versu dixerat, Dominus regnabit in æternum & vltra, & illico subiungit, ingressus est enim eques Pharao, &c. vel vt habent Septuag. quoniam ingressus est equitatus Pharaonis, &c. quasi quis quæreret, vnde scis quod Dominus regnaturus est in æternum & vltra? quod explicans Bruno in alleg. Tilmani ait, hoc est quam dici vel cogitari possit, si enim Dominus regnabit in æternum & vltra, quid dicam in æternum, dixi, quod vltra dicerem non habui; quasi quis inquam quæreret, vnde scis quod Dominus regnabit in æternum, & rationem redderet huiusmodi, ingressus est enim Pharao, &c. sed quid nisi ille Pharao ingressus fuisset mare, & nisi Dominus super eum aquas reduxisset, minime dominaretur? minime regnaret? audiamus Rupert. lib. 2. c. 37. respondentem, *Planè regnaret vtique potestate, sed non regnaret illa hominum possessione, quam Ieremias c. 26. suspirans inquit, & possederunt nos Domini absque te, nisi inquam oppressus ille fuisset Pharao spiritualis Dominus non regnaret in nobis, id est nisi fuisset eiectus princeps mundi, non possideret nos Christus filius Dei, non regnaret in nobis Saluator mundi.*

Bruno.

Rupert.

Ierem. 26.

*Maria, mare tartareis Ægyptiis amarum.*

250 *Ingressus est eques Pharao cum curribus & equitibus & reduxit super eos aquas maris.* Ecce quam amarum fuit Pharaoni & Ægyptiis eius mare rubrum, vt pote in illo submersis: quis tartareo Pharaoni amaritudinem parere potest? dices pœnas inferni intolerabiles, dices peccatum; ita equidem, sed dicam cum nostro Seraphi. Bonauentura in speculo B. Mariæ Virginis lect. 3. *Maria est mare amarum Diabolo & Angelis eius, per ipsam oppressis, quemadmodum mare rubrum fuit amarum Ægyptiis.* O quam amarum & timendum est hoc mare Ægyptiis! ô quam amara & timenda est hæc Maria dæmonibus! non sic timent hostes visibiles quasi castrorum multitudinem copiosam sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum, fluunt & pereunt sicut fluit cera à facie ignis, vbicumque crebram inueniunt huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, solicitam imitationem; & sic Maria est mare amarum per potentiam diabolicæ submersionis.

Seraphic Doctò.

*Quod arridet & gratum est, pluries libenter repetimus.*

251 *Ingressus est eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & reduxit Dominus super eos aquas maris.* Quoties aperuisti Deũ fluctibus maris Pharaonem & exercitum eius obruisse? nonne superfluum est pluries idem repetere? id ergo nunc premè silentio ad alia transiturus; nescit se continere, quin semel & iterum, imo multoties, submersionem Ægyptiorum celebret, quod enim arridet & gratum est non possumus quin pluries omnibus aperiamus. mens est nostri Titelm. in hoc cant. *Concludens Moyses canticum in gaudio peculiari ter placet illud repetere quod nobis impræsentiarum est causa nostri gaudij, videlicet quod ingresso Pharaone equite quo esset ad persequendum paratior & expeditior ad comprehendendum quos quærebat filios Israel, simul cum comitatu vniuersorum curruum & equitum suorum in medium maris dum insequerentur præeuntem Israelem, Dominus illum cum vniuerso comitatu suo fluctibus maris absorbuit, reducens super eos aquas.*

Titelm.



## VARIETAS LECT. Verſ. 20.

Vulg. Sumpſit ergo Maria propheteſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua, egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam, cum tympanis & choris.

Pag. Extulit Miriam Propheteſſa ſoror Aharon, tympanum in manu ſua.

## CONCORDIA.

IN Hebræo & Caldæo eſt מרים miriam, in qua voce eſt vltima littera ם ad nomen pertinens, ſed latini & græci Maria molliore ſono, vltimaque littera extrita proferunt, hoc nomen ſi & alii alias origines ſectentur videtur deducendum à מרר marar, quod amarum eſſe ſignificat, quia ſcilicet cum ea nata eſt, grauior & amarior eſſe cæpit ſeruitus Ægyptiaca.

## EXPOSITIO.

Sumpſit ergo. Ex hoc verſu & ſequenti conſtat fæminas illud idem canticum cecinisse, quod viri cum Moyſe concinebant, ſed an diuerſis, choris virorum & fæminarum, an viris fæminæ reſponſarent, ſiue eumdem verſum, quem viri dixerant, ſiue ſequentem, vel an eumdem verſum, puta primum illum cantemus Domino repetebant poſt ſingulos verſus, à viris decantatos, vide quæ diximus in principio huius capitis & cantici.

Maria propheteſſa. Hæc vox propheteſſa non videtur hic accipi proprie pro ea quæ futura prædixit, cum nullæ extent tales prophetiæ illius: ſed poſſet accipi ample pro ea religioſa & cultui diuino deuota, ſicut propheta aliquãdo accipitur pro viro religioſo, & pueri prophetarum antiquitus dicebantur pueri qui apud prophetas & ſub prophetarum inſtructione, ad pietatem educabantur: cunei quoque vel chori prophetarum non ſunt chori eorum qui futura prædicunt, ſed eorum qui Deum laudant, & Saul inter prophetas, non quia res futuras prædicebat, ſed quia Deum laudabat. dicebantur autem illi prophetæ quia C Deum laudabant, non quomodolibet, hoc enim nemo fuiſſet miratus in Saule, aut in alio quoquam, ſed quia amplexi erant genus vitæ, cuius inſtitutum & profeſſio erat laudare Deum, licet ſint aliqui aſſerentes aliquas Dei habuiſſe reuelationes.

Soror Aaron. Non quia non fuiſſet etiam ſoror B Moyſis, ſed ſcriptura vti voluit compendio, non vtrumque fratrem nominans, cum ſatis manifeſtum eſſet, ſi vnius eſſet ſoror, etiam alterius ſororem eſſe, an autem hæc Maria fuerit virgo matrimonio iuncta, adhuc ſub iudice lis eſt, vtrique ſententiæ tam affirmatiuæ quam negatiuæ fauent auctoritates & coniecturæ.

In Tympanis. Tympanum hoc Mariæ exiſtimo fuiſſe inſtrumentum rotundum & cauum, cuius vtrumque os pellibus obducitur, & percuſſum ſonitum edit: differebat autem hoc tympanum ab hodiernis, quod noſtra nihil habeãt ſonorum niſi pellem extenſam, illud vero ſicut & antiqua habebant præterea ſub pellibus tintinnabula, ita vt ex percuſſione pellis ſimul tintinnabula ſonitum darent ad artes & regulas muſicæ temperatum. Et Choris, Chorum aliquidicunt non eſſe nomen inſtrumenti muſici, ſed choreas ducentium: alii autem vt Hierony. Epiſt. ad Dardanum etiam genus inſtrumenti muſici chorum facit, ait enim, ſynagogæ antiquis temporibus chorus fuit ſimplex pellis cum duabus cicutis æreis, & per primam inſpiratur, & per ſecundam vocem emittit. S. Hieron.

## CONCEPTVS.

### In eos qui ſunt miſericordes, ſumus propenſiores.

252. Sumpſit Maria ſoror Aaron propheteſſa tympanum D Nonne erat ſoror Moyſis? quis dubitat? cur ergo non dicitur vtriuſque ſoror? an Moyſes ſororem Mariam non agnouit an eam contemptui habuit? cur ergo illius germana non nominatur? in medium profero reſponſionem Franciſci Mendocii annot. 12. in lib. 1. Reg. c. 4. num 11. Moyſes aliquando ad vindictam tanquam index, Aaron ſemper ad miſericordiam tanquam ſacerdos propendebat, nam Moyſes arripiebat gladium vt miſerandam in idololatras faceret lanienam. Exod. 32. at vero Aaron thuribulum arripiebat, vt plagam diuinitus infligi captam temperaret, tolle, inquit, Moyſes ad Aaronem thuribulũ & hauſto igne de altari mitte incenſum de ſuper pergens cito ad populum vt roges pro eis. Et paulo poſt, Stans inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit: igitur Maria non tanti gladium faciebat quanti thuribulum Aaronis, & propterea magis de fratre miti ac beneuolo, quam de rigido ac ſeuero gloriabatur. Licet aliàs omnium hominum mitiſſimo. Mendoz. Numer. 16.

### Quos familiariores habemus, hos noſtros ducimus.

Sumpſit Maria propheteſſa ſoror Aaron tympanum, 253. Sororem tuam appella ô Moyſes, licet enim ad populi ducatum ſis euectus, illiuſque clauum

teneas, non ita vilipendere Mariam debes, vt nec eam dignam nomine sororis censeas: non enim arbitror similem pluribus, qui ex vili sorte ad aliquem honoris gradum peruenientes ilico sanguine coniunctorum fiunt immemores, cur ergo eam Aaronis sororẽ nuncupas: quia prius illius fuit germana quam sua? hanc præbet rationem Oleast. *Soror Aaronis potius quam Moseh dicitur, quia illi magis familiaris vt ex murmure vtrisque constat aduersum Moseh.* Oleast.

### *Sancti sibi laudes non quærunt.*

254 *Sumpsit Maria soror Aaron tympanum.* Sororem Aaronis nominas, non tuam, an aliquid indignum tua illustri prosapia commisit? si ita res se habet, nec sororem Aaronis dicere debes, an in te aliquid deliquit? imo & memoria nondum excidit tibi fauisse in flumine exposito, cum positus esset in scirpea fiscella; ne dicamus Moysem tanti beneficii immemorem, ne dicamus eam in Mosem aliquid commisisse, & ideo nec germanam suam appellasse, sed ne laudem nomini suo videretur quærere, potius Aaronis sororem dicit quam suam, obseruatio est Leonardi Marii, *Maluit Moyses sororem suam describere per Aaronem fratrem quam per se, ne videretur laudem quærere nomini suo.* Leonardus. Marius.

### *A donis gratiæ non à diuitiis quis laudandus.*

255 *Sumpsit Maria Prophetissa soror Aaron tympanum,* Nonne nobilissima, opulentissima, imo forte pulcherrima? cur non ais ergo, sumpsit Maria illustris, vel speciosissima, vel diuitiis potens soror Aaron tympanum? nam mulieres vt plurimum de pulchritudine, diuitiis aut nobilitate solent gloriari, & de his gaudent celebrari: prophetissam dixit non nobilem, quamuis illustrissima esset, nec diuitem, quamuis opulentissima, quia non à diuitiis aut à nobilitate quis laudibus extollendus, sed potius à donis gratiæ, consentit Card. Caiet. *Commendatur ex prophetiæ dono Maria, non ex diuitiis aut nobilitate dicitur prophetissa.* Caietan.

### *Mortificatio necessaria, vt laudes Deo gratas persoluas.*

256 *Sumpsit Maria Prophetissa Aaron tympanum,* Et Deo cum aliis laudes cecinit, propter acceptam de Ægyptiis victoriam: Sed cur hoc instrumento vtitur? non enim illud aptum mulieribus, vt ab eis pulsetur, obseruat Origenes huiusmodi instrumentum significare carnis mortificationem, quia ex pellibus demortuorum animalium fit; quid ergo mirum si huiusmodi instrumento vtitur, cum Deo præcinit? mortificatio enim necessaria est, vt Deo grates persoluas debitas, hæc enim virtutes animæ inserit, hostes populi Dei vndis submergit, & stragem edit vitiorum. subiicio verba Adamantii. *Melius autem & dignius hæc dices, si fuerit tympanum in manu tua, id est, si carnem tuam crucifixeris cum vitiis & concupiscentiis, & si mortificaueritis membra sua quæ sunt super terram.* Eadem habet Rupert. *Pulchrè dicitur sumpsisse tympanum quod modulationis instrumentum corium est in ligno extensum, significatque carnis mortificationem sine qua nulla anima potest se exhibere cantatricem.* Adamant. Rupertus.

### *Viri mulieres præire debent in laudibus Deo reddendis.*

*Sumpsit Maria Prophetissa soror Aaron tympanum,* 257
vt victoriam à Deo de Ægyptiis obtentam celebraret. Sed quis prior cecinit, an Moyses vel soror eius Maria? Moyses sanè cum aliis Israelitis, Rupert.
sed cum deuotus sexus muliebris censeatur, cur non dicitur quod Maria simul cum aliis feminis in Dei laudes prior proruperit, quam Moyses? quia viri mulieres debent præire in actionibus gratiarum persoluendis, vnde rectè Abbas Tuicensis *Pulcher,* inquit, *narrationis ordo, prius Moyses cum viris deinde Maria cum mulieribus vnum idemque canticum canit.*

### *Vnanimes in charitate Deo laudes præcinamus.*

*Sumpsit Maria Prophetissa sor Aaron tympanum,* 258
An sola cecinit? egressæ sunt omnes mulieres in tympanis & choris, cur sicut illa solum sumpsit tympanum, aliæ Deo laudes concinunt, non solum in tympano sed etiam in choro? chorus plurium in vnum congregationẽ significat, quo charitas adumbratur: merito igitur non solum in tympano sed etiam in choro concinunt canticum eucharisticum, decet enim vt vnanimes in charitate Deo laudes præcinamus: fauet nobis Strabus, *Quia in choro æqualiter voces omnes resonant, per eum charitas significatur, qua omnes in Christo vnum sumus; quicumque ergo Deo in iubilum laudes reddit in choro, hoc est, in charitate hoc agat, & in tympano, id est, in mortificatione carnis, vt in Psalm. 150. dicitur, laudate eum in tympano & choro.* Psal. 150.

### *Ab omnibus & in omnibus vult Deus celebrari.*

*Sumpsit Maria Prophetissa soror Aaron tympanum.* 259
Secutæ sunt præeuntem aliæ mulieres, non solum in tympanis, sed etiam in choris, quid? nonne satis est à Moyse & ab aliis Israelitis canticum gratulatorium editum? nonne in iubilum satis est viros prorupisse deique encomia celebrasse? cur mulieres etiam carmen repetunt non solum in tympanis, sed etiam in choris? *Quia ab omnibus & in omnibus vult Deus celebrari* (inquit Oleast.) *& omnibus instrumentis à viris, à feminis, in tympano, & choro, in chordis, & organo.* Oleast.

### *Magis solliciti debemus esse de Deo laudibus persoluendis quam de superandis hostibus.*

*Sumpsit Maria Prophetissa soror Aaron tympanum,* 260
Vult enim Deus ab omnibus laudari, & omnibus instrumentis. sed vndenam Maria & cæteræ mulieres hæc instrumenta canendi sumpserunt? non enim extra Ægyptum ea sibi parauerunt, verum ex Ægypto secum detulerunt. sed cur potius aliis magis necessariis tum rei familiari tum etiam hostium impugnationi & propriæ defensioni consulunt? nonne magis rationi consentaneum quod arma pro viris curassent, quam tympana & alia instrumenta musica? sane & in hoc laudabiles, quod non tam curauerint de propria defensione, quam de Dei confessione & laude, & magis solicitæ fuerint de canendis Dei encomiis, quam de auertendis à se hostibus, huic

Lytanus. veritati suffragatur noster Lytanus. *Cum cognouerat per spiritum prophetiæ, antequam exiret de Ægypto quod Deus esset collaudandus probeneficiis exhibendis Israel, post exitum de Ægypto, ideo secum portauit tympanum de Ægypto, ad cantandas diuinas laudes, & fecit apportare similiter per alias mulieres.*

*Deus ita gratulatoriis carminibus lætatur, vt vberiora conferat beneficia.*

261 *Sumpsit Maria Prophetissa soror Aaron tympanum,* & cecinit cum aliis mulieribus canticum Deo gratulatorium, & ideo celebrantur Maria & frater eius Moyses, quod primi cecinere. sed an his laudibus & carminibus cũ gratiarum actiones agimus, magnificentior redditur Deus, aut victimis labiorum nostrorum ditatur? non equidem, sed ita gratulatoriis canticis gaudet, & lætatur, vt vberiora conferat beneficia, sic Clemens Alex. 3. Pædag c. 12. legit illud Eccles. 35. *Oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu altissimi,* hoc modo reddit, *odor suauitatis est cor, quod glorificat Deum.* Hæc sunt coronæ & sacrificia, & aromata, & flores, quos scilicet à nobis accipit, vt nos ipsos coronet, exornet, ac triumphatores constituat. (Clemens Alexand. Eccles. 35.)

*Ore & opere Deo canendum.*

262 *Sumpsit Maria Prophetissa soror Aaron tympanum,* pulsans illud manibus. Nonne satis erat Deo ore gratulari, hymnum voce melliflua canere? quid enim suauius audiri potest quam vox mulieris cum concentu & melodia? cur ergo applicat ma- A nus ad tympanum? manibus opera designantur. merito ergo non solum ore concinit, sed etiam manibus pulsat tympanum, quia lingua & opere Deo canendum est, debet enim vita respondere vocibus, vt consonæ reperiantur ad diuinarum laudum concentum, vt diuinis auribus acceptabiles inueniantur, vnde Albinus Flauius in Psalm, 101. post princip ait, *Tunc à Deo accepta est oratio canentis, si pura mens idem gerit quod explicat ore.* Quod docuisse videtur Regius vates ex mente August. cum omnes gentes ad laudandum Deum inuitans ait, *Omnes gentes plaudite manibus, sed quare manibus? quia bonis operibus nec gaudeatis ore & cessetis manibus, si gaudetis, plaudite manibus: manus gentium videas, quid est manus gentium? facta benè operantium, omnes gentes plaudite* B *manibus, iubilate Deo in voce exultationis & voce & manibus: si tantum voce non bene, quia pigræ sunt manus, si tantum manibus: nec hoc benè quia muta est lingua; concordent manus & lingua ista confiteatur, illa operentur,* Ecce quomodo consonare debeant voces & opera, vt veram harmoniam in diuinis laudibus efficiant, & acceptabilia Deo inueniantur. quibus subscribit B. Hilarius ad illa verba Psalm. 62. labia mea laudabunt te, sic benedicam te in vita mea & in nomine tuo leuabo manus, sic enim habet, *Et sermone suo & opere laudat Deum atque benedicit, nam in vita sua benedicens in nomine suo manus eleuabit, hic eleuationem & manuum non habitum orandi sed excelsi operis indictum significari frequenter docuimus.* (Albinus Flauius. August. S. Hilarius.)



## VARIETAS LECT. *Vers.* 21.

*Vulg.* Quibus præcinebat dicens, cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare.

*Sept.* Principium autem dedit illis Maria dicens, cantemus Domino, gloriose enim glorificatus est.

*Cald.* Et respondebat eis Maria, cantate & laudate coram Domino quoniam magnificatus est super magnificos & magnificentia eius est.

*Onk.* Et respondebat eis Miriam cantate & confitemini coram Domino, quoniam exaltatus est super omnes elatos.

*Pag.* Et cantauit eis Miriam cantemus Domino, quoniam magnificando magnificatus est, equos & ascensores eius proiecit in mare.

## CONCORDIA.

Noster vulg. legit quibus præcinebat, tamen in hæbr. est ותען להם מרים vatahan lahem miriam, & respondebat eis Miriam, verbum enim hana, & canere & respondere significat, tum quod huiusmodi verbum respondit, sumi potest pro similiter atque ipsi fecerant fecit, ita enim communiter sumitur verbum respondit, vt sensus sit cum cecinissent viri cum Mose etiam ipsa cecinit cum fæminis.

## EXPOSITIO.

*Quibus præcinebat dicens,* Ipsa enim ante omnes alias mulieres repetebat canticũ quod frater suus Moyses decantabat, *Gloriose enim magnificatus est.* Vide quæ diximus in expositione primi versus huius capitis, huc enim aduocanda, cum eandem habeant explicationem & sensum

## CONCEPTVS.

*Nihil Deo pretiosius offeri potest quam laudes gratulatoria.*

263 *Quibus præcinebat dicens cantemus Domino,* Miror nec Moysẽ nec Israelitas aliquid Deo obtulisse post trãsitũ maris rubri, sed solũ Deo cecinisse, miror etiam Mariam & alias mulieres in hoc eos solum imitatas, cur dona Deo non offerunt pretiosa? cur munera, cur victimas non

exhibet? laudes solum concinunt quia Deo nihil magis gratum, quam gratulatorii carminis sacrificium, quod rectè effatur Clemens Alex. lib. 7. Strom. cum ait, *Oportet Deo offerre sacrificia non sumptuosa & splendida, sed quæ sunt pia & accepta, & sufficium illum in lege compositum, qui constat ex multis linguis & vocibus in oratione, vel potius qui ex diversis gentibus & sexibus per donum testamentorum constituitur in unitatem fidei.* Et Theod. in illa verba Psalm. placebo Deo super vitulum nouellum ait, *Magis gratum sibi erit laudis sacrificium quam sacrificium vituli, amplius placebit Deo laus eius exiens ex ore meo, quam magna victima adducta ad aram ipsius.*

Clemens Alexand.

Psal. Theod.

### *Dum viuimus, debemus laudibus diuinis incumbere.*

264 *Quibus præcinebat dicens cantemus Domino*, Obseruat Petrus Comest. in historia Schol. c. 30. in Exod. quod moratus est Israel iuxta littus maris 7. diebus, & cum tympanis & musicis instrumentis, singulis diebus veniebant ad littus cantabantque Domino canticum Moysi. sed cur septem diebus has Deo laudes debitas persoluunt? nonne satis erat in die, quo mare rubrum siccis transierant vestigiis & submersi sunt Ægyptii cecinisse canticum illud gratulatorium? aduerte septenario numero totum vitæ spatium adumbrari: ne sciscitens ergo cur septem dierum spatio, ad littus regredientes Israelitæ encomia & magnalia Dei celebrarũt, dũ enim viuimus diuinis laudibus iugiter incumbere debemus, quod insinuasse videtur Regius vates cum Psal. 34. ait, lingua mea meditabitur iustitiam tuam totâ die laudem tuam, vbi August. *Quomodo fieri poterit vt lingua nostra tota die mediteur & loquatur laudem Dei? & cuius lingua tota die durat meditari laudem Dei? Ecce modo paulo longior sermo factus est, fatigamini tota die Deum laudare, quis durat? suggero remedium, vnde tota die laudes Deum, si vis quicquid egeris benè age & laudasti Deum, quando cantas hymnum, laudas Deum, lingua tua quid agit, nisi laudet conscientia tua? & quoties ta cessasti ab hymno cantando discedis vt reficiaris, noli inebriari, & laudasti Deum, negotia agis, noli fraudem facere, & laudasti Deum, in innocentia operum tuorum præpara te ad laudandum Deum tota die.*

Psal. 34. August.

### *Viri & feminæ non omnes omnino ludos vitare debent.*

265 *Quibus præcinebat dicens cantemus Domino*, non solum ore sed in tympanis & aliis instrumentis musicis. Nonne dedecet virum octuaginta annos natum canere, & mulierem vetulam, (qualis erat Maria) musica pulsare instrumenta? ne vitupetes huiusmodi musicorum instrumentorum pulsationem, præcipuè si recto fine agatur, imo nec tripudia saltantium aut canentium: fuerunt enim huiusmodi mores puellarum apud Hebræos in decantandis Dei laudibus, vt patet ex Psal. 67. præuenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum, imo neque dissimile cecinit non ignobilis illa Debbora carmen triumphale post partam diuinitus victoriam. Iudic. 5. filia etiam Iephte Iudicis Israel cum puellarum cætu cum tympanis & choris parentis victoriam celebrauit, Iudic. 11. item 1. Reg. 18. erecto capite Goliath à Dauido percussi tanquam trophæo in excelso atque aspectabili loco prope Hierosolymam, obuiæ ciuitates cum choris & tympanis & gratulatorio cantu prodierunt iuxta textum, qui sic habet, *Cum reuerteretur percusso Philistæo Dauid, egressæ sunt mulieres de diuersis vrbibus Israel cantantes chorisque ducentes in occursum Saul regis in tympanis, & in sistris, & præcinebant mulieres, &c.* idem pene fecerunt Machabæi lib. 1. c. 7. & lib. 2. cap. vltimo in fine, itaque vti hæc cantica & exercitia Deo grata fuerunt, sic de choreis publicis iudicandum est, quando ad decentem finem exercentur, v. g. ad animi laxamentum honestum, sic enim 1. Esd. 2. inter Hebræos à Babylone redeuntes fuerũt cantores & cantatrices ducenti, ad itineris videlicet molestiam superandam, & reducum captiuorum animos exhilarandos, &c.

Psal. 67.

1. Reg. 18.

### *Mulier à mollitie sua egrediatur vt viros in benefactis imitetur.*

*Quibus præcinebat dicens cantemus Domino.* Quænam tecum canere debent mulieres? illæ de quibus versu præcedenti dicitur, egressæ sunt omnes mulieres post eam: cur egrediuntur vt repetant canticum à Moyse prolatum? nam manentes in eodem loco laudes Deo debitas agere potuerunt: merito egrediuntur sed à mollitie sua, vt Moysem Deum encomiis celebrantem valeant imitari: mẽs Abbat. Tuicensis est, *Mulier à mollitie dicta est sed oportet à mollitie sua fidelem animam parumper egredi quatenus viros imitari & Deo dignè canere possit.* 266

Abbas Tuicens.

### *Nulla regnet in virginibus lascivia.*

*Quibus præcinebat dicens cantemus Domino.* Præcinebat autem tympanum manu tenens, & egressæ similiter sunt aliæ mulieres habentes etiam tympana: nonne potuerunt laudes Deo cantare nullo habito in manibus tympano? aduerte non paucos tenuisse hanc Mariam Aaronis sororem virginem fuisse, ita S. Greg. Nisſ. lib. de virg. c. 19. B. Ambros. lib. de virg. & in exhortatione ad virgines, & Epis. 82. Aponius in c. 6. cant. & tympanum similiter mortificationem quamlibet adumbrare cum ex pellibus animalis demortui conficiatur, en ergò vt quælibet mulier Israelitica ad imitationem Mariæ prophetissæ, tympanum gestat in manibus? quia omnis mortificatio regnare debet in virgine, & in ea nulla nec lasciuiæ vmbra adesse, sic B. Amb. in exhortatione ad Virgines, *Sumite ergo & vos sicut sumpsit Maria soror Moysi & Aaron tympanum in manibus vestris & exite dicentes, cantemus Domino, mortificate membra vestra, vt tympani modo, nulla in vos lasciuia carnis exæstuet, omnisque flagrantiæ corporalis sensus intereat, nesciat in vos nisi in mortuis corporis voluptatibus solus spiritus exultare, si enim mortuæ fueritis peccato viuetis Deo, viuetis autem si non regnet in corpore vestro vlla concupiscentia.* 267

Greg. Nisſ. Aponius. B. Ambros.

### *Maria Deipara mortificationem sequantur omnes.*

*Quibus præcinebat dicens cantemus Domino*, Cald. Respondebat eis Maria. Maria ergo 268

præcinebat gestans in manibus tympanum quam secutæ sunt omnes mulieres in laudibus Deo persoluendis, & in tympanorum gestatione & pulsatione: non est dubium, vt vidimus; quin carnis mortificationem tympanum in sacris litteris significet: egressæ sunt autem mulieres post eam tympanis, Mariæ scilicet exemplum secutæ, quid hoc nobis indicat? an ad Mariam Deiparam id flectere possumus? quid ni? hæc quippe ad mortificationem carnis alias mulieres imo & viros sui exemplo prouocat & allicit, quod insinuauit noster. Bernard. Senens. tom. 3. serm. 6. in festiuitat. B. Mariæ Virgi. in editione à nobis edita Parisiis, sic autem ait, *In huius mysterium sumpto tympano id est carnis mortificatione à Maria, egressæ sunt omnes mulieres post eam, cum tympanis: hunc fœmineus sexus mortificationi, ieiuniis & cæteris afflictationibus carni comprimendæ adeo procliuis est, quod Mariam suo sexui quasi inspirasse conijci potest.*

Noster. Bernard.

*Longè præclarius cecinit Maria Deipara canticum Deo, quam Maria soror Aaronis.*

269 *Quibus præcinebat dicens cantemus Domino*, Maria soror Moysis & Aaron inter mulieres quæ mare rubrum transierunt, celeberrima, nouum Moysis canticum cecinit pro liberatione filiorum Israel, de manu Pharaonis, & pro maris superato periculo, & libertate vindicata, celebre quidem canticum & maximè gratulatorium Deo persoluit. an alia Maria præclarius canere potuit? quis dubitat? illa enim sanctissima virgo soror & mater Christi æternum obtinentis sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, post inchoatam liberationem humani generis eximium canticum Deo cecinit magnificat anima mea Dominum, quodque inter vtrumque sit discrimen, consulamus nostrum Cardinalem Viguerium in suo decachordo Christiano chorda 1. c. 16 *Præcessit illa mulieres Hebræas, ista præcessit vniuersas fœminas, sed potissime Christianas, illa dixit, fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: hæc dixit, exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, illa se liberatam agnouit pro tempore ab Ægyptiacâ seruitute, dum dicit, iste Deus meus & exaltabo eum, Deus meus & honorificabo eum, &c. quæ plane temporaneam liberationem consequuntur. Maria nostra, nostri Moysi nostri Aaron mater salutis, viam per se in perpetuum apertam omnibus gentibus gloriatur, audite illam, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Maria prior dixerat, dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, pro temporanea liberatione; pro æterna Maria secunda decantat, quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius, & misericordia eius à progenie in progenies, non Hebræis tantum, sed timentibus eum: pro quibus omnibus, fecit potentiã in brachio suo non ad corpoream & temporaneam tantum liberationem, sed ad spiritualem & æternam, quando profliganda vitia inserendo virtutes, dispersit superbos mente cordis sui, deposuit potentes de sede & exaltauit humiles, esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes: quæ si bene examinauerimus & canticum Mariæ matris Domini cum cantico prioris Mariæ contulerimus inter se, suauissimè concinentia cognoscimus, illud nobis videbitur tenor, hoc quasi concentum vocis alacrioris sublimioris & dignioris ostendet.*

Noster Cardinalis Viguerius.

*Non satis est de hostibus victoriam retulisse, nisi obtenta fuerit gloriose.*

*Quibus præcinebat dicens cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est*, Cald. *quoniam magnificatus est super omnes magnificos, equum & ascensorem proiecit in mare*, Nonne satis erat dixisse Pharaonem & equites eius, fluctibus maris obruisse? cur additum quod gloriose magnificatus est, vel quod super omnes magnificos magnificatus est? hoc secundum addidit, quia Deo non sufficit victoriam de hostibus retulisse, nisi eam gloriose obtinuerit, quod obseruat Agellius in cant. Isaiæ c. 12. vers. 7. *Non vicit tantummodo hostem, sed cum magna gloria vicit.* 270

Agellius.

## *VARIETAS LECT. Vers. 22.*

VVlg. Tulit autem Moyses de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur, ambulaueruntque tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam.

*Sept.* Sustulit autem Moyses filios Israel à mari rubro, & eduxit eos in desertum Sur, & ibant tres dies in deserto & non inueniebant aquam vt biberent.

*Cald.* Tulit autem Moyses Israel de mari rubro, & ergressi sunt per desertum Agra.

*Pag.* Et proficisci fecit Moseh Israel à mari Suph, & perrexerunt tribus diebus per desertum.

## *CONCORDIA.*

TVlit autem Moyses Hebræum ויסע vaissa verti potest proficisci fecit, vt habet Cald. atque ita verbum tulit etiam acipi debet pro duxit, vti & Septuag. vertere ἔξηγε vbi habemus per desertum Sur, Cald. legit desertum Agra, sed in scriptura tamen Hebræa nusquam reperitur hoc nomen, & probabile est deflexũ esse ex nomine Agar ancillæ Abrahæ quæ in hoc desertum fugit; & ab Angelo reprehensa ad Dominam rediit, vocatur etiam desertum Ethan & Cades, non inuenerunt aquam, Septuag. addidere ὥστε πιεῖν vt biberent, aquam enim forte corruptam, & potui non idoneam repererunt.

EXPOSITIO.

## EXPOSITIO.

TVlit Israel de mari rubro. De littore maris in A quo castrametati sunt, & in quo per septem dies manserunt in decantandis Deo laudibus secundum Petrum Comest. quicquid autem sit de septem diebus, certum est per aliquod tempus ibi quieuisse, tum vt tumultuario maris traiectu turbatas res melius componerent, tum vt Ægyptios illuc appellentes viderent, & detractis spoliis de iis triumpharent: nam & si Dauid dicat Ægyptios datos esse escam idest: in directionem populis Æthiopũ, scilicet Madianitis, & Arabibus mari rubro vicinis, tamẽ non est dubium quin Israelitæ eorum quoque exuuias acceperint: imo propriè ad hos respexit Salomon Sapien. 10. cum ait, iustos tulisse spolia Ægyptiorum, subdit enim, & decantauerunt Domine nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam, de spoliis autem Ægypto eductis & mutuo petitis, paulo ante dixerat, reddidit Deus mercedem laborum sanctorum suorum.

Psal. 77. Sapient. cap. 10.

*Ambulaueruntque tribus diebus.* Quod non ita accipiendum quasi continuo iter fecerint, sed quod non explicuerint plenè tabernacula & supellectilem suam, nocturna solum quiete & diurna refectione, ac breui itineris intermissione contenti, *& non inueniebant aquam*, non quod nullam reperissent, sed quod non inuenerunt tanto exercitui & pecorum gregibus sufficientem, aut si nullam inuenisse dicamus, oportebit cum Iosepho ponere Iudeos ex monitu Mosis, cui ex quadraginta annorum habitatione, loca ista nota erant, ex fontibus ad mare repertis, aquam secum in iter assumpsisse, quæ ad priores dies sufficiebat, in his autem tribus diebus nec non noctibus columna nubis & ignis eis non defuit.

## CONCEPTVS.

### *Lætitia humana quam momentanea.*

271 TVlit Israel de mari rubro. Qui iter facientes per desertum Sur aquam ad bibendum non inuenerunt, quid quæso magis animum angit quã siti non posse satisfacere præ aquarum inopia? nonne in tympanis & choris tripudiabant ante vnum vel alterum diem? quomodo lætitia & iubilatio, quam ex tanta victoria de Ægyptiis relata acceperant, in maximam animi tristitiam & angorem ita cito mutatur? ne mireris iubilatio humana erat, quæ communiter ferme momentanea est, quod sic describit Ioseph. lib. 3. antiq. c. 1. *Recentem hanc lætitiam*, inquit, *ex insperato acceptæ salutis offuscauit nonnihil itineris molestia, qua per desertum in Sina montem ducebatur, quod emetienda esset regio difficilis propter ciborum & aquarum extremam inopiam, & ne brutis quidem alendis nedum hominibus idonea, erat enim tota squalida & nihil omnino humoris habens, vnde fructus prouenire solent, &c.*

Iosephus.

### *Prouidi debent esse populi gubernatores.*

272 *Tulit Moyses Israel de mari rubro.* Iterque per illud facientes, tribus diebus aquam non inuenerunt, quomodo æstatis tempore per desertum arenosum pedibus incedentes, potuere trium dierum sitim tolerare? famem quis tolerare potest, sed sitim per tot dies quis dicet, præcipuè tempore æstatis, & in terra arenosa? biberunt, sed vnde aquam habere potuerunt, cum nonnisi amaræ etiam in puteis inuenirentur? prouidi erant gubernatores populi Moyses & Aaron, qui cognita aquarum penuria, populo præceperant vt vnusquisque eam deferre curaret, ita refert cit. Iosephus. *deferebant secum aquam priusquam desertum intrarent haustam, duce ita præmonente, sciebant scilicet Moyses & Aaron qui hoc iter superiore anno confecerant, aquarum in illa regione penuriam, qua absumpta puteos magno labore propter duritiam terræ, fodientes, aquabantur.*

Citatus Iosep.

### *Auarus ditissimus, pauper est & pauperem se credit.*

*Tulit Moyses Israel de mari rubro.* Diximus ideo 273
tulisse cum quadam violentia, quia postquam Ægyptios mari rubro oppressos, fluctus ad terram euomuerunt, Hebræi ad eos diripiendos & denudandos conuolarunt, nisi quidem Moyses acriter obstitisset, nihil de capessenda via vlterius curaturi, nonne totas Ægypti diuitias vobiscum tulistis? cur ergo tendentes in terram promissionis, rerum copia spoliaque Ægyptiorum nondum saturauere? non miror equidem, quia auari etiam ditissimi, pauperes sunt seque tales arbitrantur: vnde D. Ambros. lib. de Nabuth. cap. 2. alloquens ditissimum Achab ait. *Et diues nescis quam pauper sis, quanto plus habueris plus requiris, inflammatur lucro auaritia non restinguitur, quasi quosdam gradus cupiditas habet quo plures ascenderit eo ad altiora festinat, vnde fit grauis lapsuro ruina,*

S. Ambros.

### *Auaritia sæuus tyrannus.*

*Tulit Moyses Israel de mari rubro.* Tulit inquam 274
cum violentia, quasi conglutinati essent ripæ fluminis, nec ab ea separari vllo modo possent, quis vos hic detinet? nonne tenditis in terram à Deo vobis promissam? quid ergo longiores hic trahitis moras? cur non à littore maris receditis? violenter detinentur, à quo quæso? à sæuo tyranno, nempe nimia habendi cupiditate, auaritia enim qualis erat illa quæ Iudæos detinebat, est tyrannus dure opprimens, S. Greg. hęc mens orat. 24. *Initio aurum est ocultus tyrannus per quem multa sursum deorsumque veluti in telorum ludo iactantur*, vbi Elias Cretens. tyrannum vocat, quod auri cupiditas vim affert, eosque veluti tyrannide opprimere fecit signate auri cupidos dixit, in hos enim solos suam aurum

S. Greg. Nazanz. Elias Cretens.

aurum tyrannidem exercet, non in eos qui illud negligunt & calcant, imo arbitror ipsam cupiditatem habendi, omni tyranno duriorem & sæuiorem, quod voluit Chrysost. hom. 58. in Ioan. ita loquens. *Omni tyranno grauior est pecuniarum cupiditas, nullam enim voluptatem habet, sed curas, inuidiam, insidias, odia, calumnias & innumera virtutis impedimenta*, adeo dura asperaque est hæc auaritiæ in suos tyrannis, vt nullam illi requiem permittat nullum refrigerium, semper nos exercet semper premit, quis adeo sæuus in suos seruos, vt vel paululum interquiescere eos non sinat? auaritia sæuitiam omnem tyranni superat, quę suis requiem omnem negat. S. Chrysost.

### *Auari latronibus sauiores.*

275 *Tulit Moyses Israel de mari rubro.* Tulit inquam cum violentia, in detrahendis enim spoliis Ægyptiorum nimium intenti detinebantur, ex nimia habendi cupiditate, nulla enim (vt credere est) indumenta etiam sale aspersa cadaueribus Ægyptiorum relinquentes, sed omnibus destituta nuda proiecerunt: nonne sicarii & latrones cum auro, iter facientes vel quoslibet alios spoliauere saltem vestimenta eis non detrahunt? si sunt aliqui omnium nefandissimi, qui secus se habeant, tamen ad hanc ferociam & inhumanitatem non perueniunt, vt omnino nudos deserant: quomodo ergo aliter se gerunt Israelitæ cum Ægyptiis? quia auaritiæ dediti, & tales etiam latronibus sæuiores. quod voluit Sanctus Cyprianus tract. 1. contra Demetrianum, vbi auaritiam latronibus & sicariis ita componit, vt eam præferat. *In latronibus*, inquit, *est vtcumque aliqua verecundia, antras, fauces & desertas solitudines deligunt, & sic illic delinquitur, at tamen delinquentium facinus, tenebris & nocte velatur, auaritia palam sæuit, & ipsa audacia sua tuta in fori luce obruta cupiditatis arma prostituit, inde falsarij, inde venefici, inde in media ciuitate sicarij, tam ad peccandum præcipites quam impunè peccantes.* S. Cyprian.

### *Maior in imperio, maior sit ad subditos ferendos.*

276 *Tulit Moyses Israel de mari rubro.* Mihi videtur verior versio Pag. ita legentis, proficisci fecit Israel, nam quomodo vnicus Moyses vniuersum populum Israel ferre potuit? hoc enim omnino impossibile videtur, ne dicat igitur Vulg. tulit sed proficisci fecit Israel: rectè transtulit, quod Moyses Israel tulerit populum, quia quo maior quis in imperio, (qualis erat Moyses) maior est & fortior ad subditos ferendos, hoc expendit Rupert. *Quam regi adnatum infantiles subditorum mores portare, cum primum eleuatum ad regnum, quod primum Moyses in se expertus dicit ad Dominum, numquid ego concepi multitudinem hanc vel genui eam, vt dicas mihi porta eos in sinu tuo?* Rupert.

### *Gubernatoris exemplum efficacissimum.*

277 *Tulit Moyses Israel de mari rubro.* Cum violentia tulit, si cupiditas habendi est insatiabilis, quomodo eos diuellere potuit à littore maris, cum in eo tot spoliis Ægyptiorum ditarentur? nonne præcepit vt ab eo recederent? proficisci fecit vertit Vatab. non solum autem imperat vt proficiscantur, sed ipse prior recedit à littore, & sic nec mirum licet in diuitiis quæ in littore inueniebantur, inhærerent, tamen ab eo discessisse, gubernatoris enim exemplum ad quodlibet agendum efficacissimum est, vnde rectè Egesippus lib. 2. de Excidio Hierosolym. cap. 5. *Sicut boni principis vita probitatis quædam præscriptio, & per vniuersos viuendi forma est, ita Imperatoris collauio lex flagitiorum est*, iure gubernatores & duces populi comparat fermento Basilius Imperator dum scribit ad Leonem filium, *Quia sicut fermentum totam conspersionem ad saporem suum conuertit, ita etiam principum & superiorum mores suo exemplo, ad se subditos transferunt seque conuertunt.* Egesippus. Basilius.

### *In mundi abnegatione maxima hominis fortitudo requiritur.*

278 *Tulit Moyses Israel de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur.* Quod quidem vt diximus in expositione Ethan desertum similiter nuncupatur, cur huiusmodi Ethan solitudo, egressos ab Ægypto suscipit? vacatne mysterio quod per aliam viam ingressi non fuerint? Ethan fortitudo interpretatur, & sic quid miraris, si cum egressi sunt ab Ægypto, per aliam viam non proficiscuntur, sed immediate excipiuntur ab huiusmodi deserto Ethan, fortitudinem denotante magna enim hominis fortitudo est, quod ab Ægypto recedat, quod se à mundo eximat, quod annotat Sanctus Hierony. Epist ad Fabiolam de mansionibus Israelitarum. *Ethan nobis sonat fortitudo atque perfectio, de qua vt Dauid canit tu dirupisti fluuios Ethan, id est fortes, grandis est fortitudo Ægyptum dimittere & in extrema solitudine commorari.* Ecce in quo vere Israelitarum fortitudo consistit & apparet, nimirum in eo quod quis Ægyptum dimittat, mundum deserat. & in remotiori loco à curis sæculi libero, mansionem faciat. S. Hieron. Psal. 73.

### *Cum à Deo quis singulari afficitur beneficio tentationi se præparet.*

279 *Tulit Moyses Israel de mari rubro.* Transeuntesque per desertum Sur, non inuenerunt aquam, vt siti, qua premebantur satisfacerent intolerabili, nonne à Deo singularissimo & eximio beneficio donati sunt, quod liberi & incolumes Pharaonis crudelem animum euaserint, quod mare siccis transierint vestigiis, quod hostem infensissimum debellarint, ex eius spoliis diuites effecti? quomodo ergo Deus ac si nullam eis gratiā contulisset disponit vt prę siti pereant in solitudine? vt laborent aquarum inopia, non per vnius sed per trium dierum spatium? quia cum quis à Deo singulari afficitur beneficio, tentationi se præparare debet. *Ostendit locus iste* (inquit Oleast.) *vt quamprimum à Domino donum aut beneficium acceperis, pares animam tuam ad tentationem.* Oleast.

### *Non satis est Deo laudes canere nisi & proficias.*

280 *Tulit Moyses Israel de mari rubro*, & Vatab. *& proficisci fecit.* Nonne satis est Deo canticum Eucharisticum decantasse per aliquot dies in littore maris, in animi gratissimi argumentum? cur adhuc proficisci iubentur? quia non satis est debitas laudes agere, cantica celebrare, nisi etiam

de virtute in virtutem profictas, nisi ad vlteriorem tendas perfectionem, plures toti sunt in Dei A laudibus decantandis in hymnis dicendis, virtutum aliarum immemores.



## *VARIETAS LECT. Vers. 23.*

VVlg. Et venerunt in mara, nec potuerunt bibere aquas de mara eo quod essent amaræ, vnde & congruum loco nomen imposuit, vocans illum mara id est amaritudinem.

*Septuag.* Venerunt autem in Merara & non potuerunt bibere de mara, amara enim erat, propter hoc cognominauit nomen loci illius amaritudo.

*Pag.* Et venerunt ad marach, & non potuerunt bibere aquas de marah.

*Lipp.* Propterea vocatum est nomen loci illius mara.

## *CONCORDIA.*

NOn sunt tot verba in Hebræo quot in nostro Vulgato interprete, qui habet & congruum nomen imposuit, quę tamen superflua censenda non sunt, cum ea posuerit pro clariori intelligentia, cum impersonalia autem siue acti- B uè siue passiue sumantur, hinc est quod Septuag. imo & Cald. dixere cognominauit nomen loci illius amaritudo, alii autem passiuè, vocatum est nomen illius mara.

## EXPOSITIO.

ET *venerunt in mara.* Qui locus per anticipationem sic dictus, non enim vocabatur mara cum ad eum peruenerunt Hebræi, sed à Mose, postquam amaras eius aquas gustauit, *nec poterant bibere aquas*, cum siti nimia vrgerentur, & multitudinem aquarum inuenirent, nihilominus eas nullomodo temperare potuerunt, cuius rationem subiungit textus *quia amaræ erant.*

## CONCEPTVS.

*Cum tibi aliquid prosperum contingit ne credas idem tibi semper euenturum.* C

281 V*Enerunt in mara nec bibere poterant aquas de mara, eo quod essent amaræ.* Nonne aquæ maris amarissimæ, & nihilominus omnibus Israelitis propitiæ, cum illis vitam seruarint & incolumitatem obtulerint? hæ autem quæ in deserto Sur reperiuntur, mortem præ amaritudine eis propinant? cur aquę eisdem non semper præstant beneficium? cur semper eis non fauorabiles? cur primum malum quod experiuntur post transitum maris rubri, fuit in natura aquarum? cur voluit Deus vt primas sentirent sibi malas aquas post mare superatum? vt ostenderetur quod cum in aliquo tibi aliquid prosperum contingit, non D credendum eumdem semper effectum habiturum, ecce aquæ maris fauent Israelitis, ecce aquæ deserti amarore plenæ, in discrimen vitæ eos coniiciunt.

*Id solet promptius homini esse quod magis conuenit cum eius prauis affectibus.*

282 *Venerunt in mara, nec bibere poterant aquas de mara, eo quod essent amaræ.* Nonne eorum ductor erat Angelus, vel per ipsum Deus? nonne eis affulgebat columna? cur ergo per illam viam ducuntur, in qua nihil prius inueniunt quam aquas potui omnino ineptas, vt pote amarissimas? certè dux Angelus illos per viam ducere debuit, in qua aquam tum hominibus tum iumentis potabilem reperirent: quis enim exercitus Imperator, sciens præ aquarum inopia, vel prę earum amaritudine, in discrimen adducendum, si per talem viam iter faceret, non est dubium quin alio deflecteret? cur ergo Angelus cui compertum erat ibi nullas aquas nisi amaras reperiri per huiusmodi desertum, ducere voluit vt nihil prius reperirent quam amaritudinē? sanè hæc est miserorum hominū conditio, quod nihil illis prius occurrat quā id quod eorum magis conuenit prauis affectibus. vt enim ij amaritudine pleni reiiciendi erant, sic illis in primis obueniunt amaræ & reiiciendę aquæ: à quo non dissentit Sedulius lib. 5. Pasch. c. 18. qui inquirens cur Christo Domino sitienti, nullus liquor fuit magis præ manibus Iudæorum, quam acetum, ait. *O quam Iudæorum genti nequissima fuit ille liquor cōueniens, sicut vina suauia cum fuerint in acetum triste conuersa, cunctis à mensarum poculis repulsa iactantur, ita gens ista feralis & impia, quæ priscis temporibus Deo placuerat, nunc odibilis ac nimis execranda.* Sedulius.

*Tunc nomen est congruum, quando rei proprietati conuenit.*

283 *Venerunt in mara, nec poterant bibere aquas de mara, eo quod essent amaræ, vnde & congruum loco nomen imposuit.* Aliæ lectiones non ita habent, sed solum quod cognominauit nomen illius loci amar.

itudo, cur ergo congruum nomen dixit esse Vulgatus, quod impositum fuit à Mose? merito hoc addidit, quia tunc nomen est congruum, quando rei proprietati conuenit. *Nomina,* inquit Abul. *sunt signa passionum quæ in anima sunt, signa autem in anima sunt quædam imagines naturales rerum ad extra, sicut ergo illæ imagines signant iuxta proprietatem rei, ita nomina vocalia tunc congrue imponuntur cum correspondent rei signatæ, sed nomen illud mara significat amaritudinem, & aquæ loci illius erant amaræ, ergo conuenienter ille locus mara appellatus est.* (Abulens.)

### *Beatitudo patienter expectanda.*

284 *Venerunt in mara nec bibere poterant aquas de mara.* Ad hunc locum peruenerunt iter facientes per desertum Sur; omnibus eis promissa fuerat terra Chanaan, recto tramite sine difficultatibus, seclusa omni calamitate & miseria ad eam non peruenerunt. cur per tot annorum curricula in deserto, variis tentati pressuris commorantur? si pluries à nobis dictum sit beatitudinem terra promissionis adumbrari, nonne tibi responsio facilis? non ilico attigisse terram sibi à Deo promissam, sed plurimos antea exantlasse labores etiã in mara vt nobis compertum esset, nonnisi post varias tribulationes patienter toleratas accessum fieri ad beatitudinem. *Dicitur,* (inquit Isidorus Hispal.) *populus per desertum tribus diebus, quia in fide & cognitione Trinitatis fidelibus ambulandum & per desertum baptizati scilicet omnes per mundum non perfruentes promissa patria, sed quod non vident sperando, per patientiam expectando tanquam in deserto sunt, & illic laboriosæ & periculosæ tentationes, ne reuertantur corde in Ægyptum.* (Isidorus Hispal.)

### *Afflictiones extrinsecus amaræ, sed patientia dulcescunt.*

285 *Venerunt in mara nec bibere poterant aquas de mara, eo quod essent amaræ.* Aqua erat sed amara & ideo potui non idonea & gustui omnino ingrata: at nonne ex ea tandem biberunt? ita equidem, sed amaritudine ablata, quid? quod amarum dulcescit? non solum aqua, sed quod ea denotantur nempe afflictiones, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, hæ enim licet amaræ videantur extrinsecus, tamen patientia dulcescunt, adstipulatur Hieronymus ad Fabiolam. *Habebat foris aquam & dulcedinem non habebat, non terrearis si post victoriam venias ad amaritudinem, quia verum Pascha facientes azyma cum amaritudinibus comedunt: & tentatio probationem, probatio spem, spes parit salutem: apud medicos quoque quædam antidotus noxios humores temperans ex amaritudine nuncupatur, quæ dulcis ostenditur restituens sanctitatem: sicut è contrario voluptas atque luxuria amaritudine terminantur, dicente scriptura quæ ad tempus pinguescit, fauces tuas, nouissimè vero amarius felle inuenies.* (S. Hierony.)

### *Præcepta Dei quæ tibi videntur amara, timore Dei dulcescunt.*

*Venerunt in mara nec poterant bibere aquas de mara quia amaræ erant.* Per amaritudinem aquarum præcepta Dei intelligit Petrus riga in suo de aurora libro. (Petrus Riga)

### *Aspera præcepta merito mare signat amarum.*

Grauia vero præcepta, quæ vel sui natura aspera sunt, vel pœnarum graue pondus secum ferunt, mare amarum, seu aquæ amaræ, his maximè qui in carnis illecebris tanquã pisces in aquis, dulcibus lasciuiunt, videntur. sed quid agendum, vt huiusmodi præcepta suauia sint, & videantur? si Dei timore condiantur. quid enim huiusmodi timor, non operatur? sane etiam amarissima & asperrima omni dulcedine perfundet: mens est Ascanii in glossa magna mystica in cap. 1. Genes. super illa verba, congregationes aquarum appellauit maria, sic enim ait. *Cum Israelitæ in marach profecti aquas amaritudine vehementer aspersas comperissent, maximaque siti incensi vociferari cœpissent, amaræ nimis sunt aquæ istæ ad bibendum, iniecto protinus à Mose in illas ligno, in dulcedinem eas versas nouimus, quid vero lignum istud censebitur? nisi Dei timor profecto, qui Dei timore afficientur, nullum erit eis asperum diuinum præceptum.* (Ascanius Abbas. Gen. 1.)

### *Dulcia non meruit qui non gustauit amara.*

*Venerunt in mara nec poterant bibere aquas quia amaræ erant.* Gustauerunt aquam, sed præ nimia eius amaritudine bibere non potuerunt, quid? an populum Israel in desertum deduxisti vt miserè siti consumatur? non equidem, nam in dulcedinem aquæ sunt commutatæ: cur prius amaritudinem aquæ quam dulcedinem senserunt? quia dulcia non meruit qui non gustauit amara, consentit S. Hierony. in Psal. 114. *Sanctus non quærit requiem sed tribulationẽ, nouit enim quoniã tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationẽ, probatio vero spem spes autem non confundit, tale quid & in Ierem. 6. dicitur, tribulationẽ inquit & miseriam inuocans, vt in futuro requiem habeam, & fœlicitatem, & propterea inquit nunc amaritudinem sustineo, vt postea dulcia promerear, & populus Domini de Ægypto egrediens venit in mara, quod interpretatur amaritudo,* premeamaritudinem *sustineo, vt postea dulcia promerear,* quis enim sibi dulcia debita esse credet, qui per tentationum amaritudinem transitum non fecerit? (S. Hierony.)

### *Christi dulcedine conditur omne virus inimicitiæ.*

*Venerunt in mara nec poterant bibere aquas quia amaræ sunt.* Quid amarius quam inueteratum in aduersarios odium? quid magis felleum quam virus inimicitiæ, cum de reconciliatione cum eis agitur, respuunt, & quasi aquæ essent amarissimæ, nolunt bibere, quid ergo agendum? dulcedinem Christi in memoriam eorum reuoca, qui cum ab ingratissimo populo dictu indigna & auditu incredibilia sustinuisset, libenter, eisque non petentibus condonauit, Christi enim dulcedinẽ cõsidera, & omne virus inimicitiæ dulcescet amarissimum, testatur S. Cypria. tract. de zelo & liuore. *Euelle de pectore tuo spinas & tribulos vt te dominicum semen fertili fruge locupletet, vt diuina & spiritalis seges in copiam fœcunda messis* 286 (S. Cyprian.)

*exuberet, venena fellis euome, discordiarum virus exclude, purgetur mens quam serpentinus liuor infecerat, amaritudo omnis, quæ intus insederat Christi dulcedine leniatur, ama eos quos ante oderas, dilige illos quibus iniustis obtrectationibus inuidebas.*

### *Affligimur, ne Dei simus immemores.*

287 *Venerunt in Mara nec poterant bibere aquas quia amaræ erant.* Quænam maior calamitas quam præ aquarum inopia siti laborare, & miserrime A petere eum in desertum deduci, vt tanta premantur inedia? non tamen extincti sunt, licet premuntur, hac probantur afflictione, vt Dei memoria semper eis vigeat. *Deus*, inquit Procopius, *nihil vel languidi vel remissi patitur in populo Israelitico, ne scilicet paulatim in otia inertia recedentes cupiant redire in Ægyptum, pericula enim & labores hanc præstant vtilitatem, vt arctius nos coniungant cum Deo, proinde quidam inquit in tribulatione seu in aduersis rebus, recordatus sum tui.* Procopius.



## *VARIETAS LECT. Vers. 24.*

*Vulg.* Et murmurauit populus contra Moysem dicens quid bibemus?

*Cald.* Et conquestus est populus contra Moysē.
*Oleast.* Et persliterunt contra Mosech.

## *CONCORDIA.*

Verbum לון lun variæ est, admodum significationis, interpretatur enim pernoctare, hospitari, manere, commorari, conqueri, murmurare, sumitur enim hoc verbum pro pernoctare, id est per noctem manere vt cum ליל noctis nomine affinitatem habeat, litteris eiusdem organi, vt sit, lamed & nun inter se permutatis, sumitur & pro peruigilare, & in re aliqua assiduum esse, quod noctu vacetur ab om- B nibus negotiis, vt somno & quieti locus detur, & sic vertit Oleast. & persliterunt, item quia noctu in locis desertis & vastis eiulant animalia feralia, maximè cum fame aut siti premuntur, & quod nox suapte natura sit tristis, pro eiulare & murmurare seu conqueri aut vocem querulam edere, sic noster Vulg. reddidit murmurauit, Cald. conquestus est.

## EXPOSITIO.

*Murmurauit populus.* Quod murmur arbitror non fuisse generale, quod etsi scriptura non indicet, probabile tamen facit tantorum miraculorum & beneficiorum recens memoria, C ex qua multi persliterint fidentes in Deum, nam & postmodum in publica vituli adoratione multi fuerunt insontes sceleris, nec non ab idololatria alieni, etsi scriptura Phrase communi significet fuisse etiam commune crimen; *quid bibemus?* aquam à Moyse cum stomacho postulabant, quam nec dare poterat nec tenebatur, ideo murmurare dicuntur; nam quis murmurare dicitur, cum aliqua loquitur quæ aduersus aliquem dicere non deberet, nunc autem certum est quod Moyses non tenebatur dare populo cibum aut potum, cum ergo conquereretur de Moyse populus quia penuriæ aquarum & siti suæ non satisfaciebat, aduersus Moysem murmurabat.

## CONCEPTVS.

### *Magis filiorum suorum vicem quam suam dolent parentes.*

288 *Murmurauit populus contra Moysem.* Quomodo conqueruntur de Moyse benefactore suo, qui è seruitute & tyrannide Ægyptiorum eripuerat, diuitiis cumulauerat innumeris? quia aqua illis deerat, qua siti suæ non satisfacere possent: quid nonne adhuc per vnum aut alterum ducem à nobis non tolerabitur? tolerare possumus, sed conquerimur non propter nostræ vitæ imminens discrimen, sed liberorum nostrorum, huc respexit Philo. lib. 1. de vita Moysis. *Conspectis fontibus,* (loquitur de fontibus amaris,) *accurrunt læti, decepti vana spe tanquam hausturi, amaræ enim erant aquæ quarum gustu offensi defecerant & animis* Philo. D *& corporibus, non tam suam quam puerorum vicem dolebant.*

### *Improbi serui est murmurare.*

*Murmurauit populus contra Moysem.* Quomodo vocabitur huiusmodi populus? an ingratus tanquam tot beneficiorum immemor acceptorum? cum enim patienter sitim tolerare deberet, Moysi cur detrahit? quia populus insensatus & improbus est, consule Sanctum Chrysostomum homil. 8. in Epist ad Philipp. in illa verba omnia facite sine murmuratione ad Philipp. 2. *Vides quod eos erudiat ne murmurent, est enim seruorum improborum & insensatorum murmurare, grauis enim grauis inquam murmurator & vicinus blasphemiæ, alioqui cuius gratia illi tantum supplicium dederunt?* S. Chrysost. Ad Philip. 2

*Pessimum & abominabile vitium murmurationis.*

290 *Murmurauit populus contra Moysem.* Dices leuiter deliquisse, cum ex aquarum inopia, & maxima siti murmurauit, sed quæso ne leue murmurationis crimen dixeris, vitium enim prorsus abominabile, cum in contemptum & odium, eos quibus detrahimus, adducat: sic enim Bernardus serm. 24. in Cantic. *Id præcipuè vitium, charitatem qua Deus est, & quidem cæteris acrius impugnare & persequi cognoscitur, omnis enim qui detrahit, primum quidem seipsum prodit vacuum charitate, deinde quid aliud detrahendo intendit? nisi vt is cui detrahitur veniat in contemptum vel odium ipsis apud quos detrahit.*

S. Bernard.

*Plurimi murmurationis vitio addicti.*

291 *Murmurauit populus contra Moysem.* Quisnam B est ille populus? an omnes Israelitæ? diximus in expositione nomine populi non omnes Israelitas comprehendi: dicamus ergo primarios & præcipuos non murmurasse: cur ergo soli plebeii detrahunt? quia inter murmurantium genera, præcipui sunt plebeii & rusticani, teste Steph. Tornac. Epist. 193. *Tria sunt murmurantia super terram, & quartum quod facile non quiescit, communitas rusticorum dominantium, cætus fœminarum litigantium, grex porcorum ad vnius clamorem grunnientium, capitulum diuersa vota sectantium, cum primo pugnamus, secundum irridemus, tertium contemnimus, quartum sustinemus, à primo & quarto libera nos Domine.*

Steph. Torna.

*Murmurator ingratissimus nescit aduersa tolerare.*

292 *Murmurauit populus contra Moysem.* Imo Deo C gratias referre tenebantur, non solum quia ab eo prospera acceperant, sed quia nunc aduersa sentiunt, in omnibus enim Deo referendæ gratiarum actiones, cur ergo pro gratitudine rependunt detractionem? quid mirum si murmurator sit ingratissimus, nec sciens aduersa tolerare? *Recta vita institutio,* inquit S. Antioch. hom. 28. *ac Deo cum primis accepta est eorum qui quæcumque de re non oblatrant, vt etiam referant gratiarum actionem, talis quæ nulla de re obmurmurat, imaginem refert aquæ limpidioris ac pellucidæ, è diuerso obstrepero murmurator, more turbulentus quotidianus intemperiis agitur, ille cum gratiarum actione viuit gratiosus, hic plane ingratus.*

S. Antioch.

*Murmuratio enascitur ex vita contaminata.*

293 *Murmurauit populus contra Moysem.* Populus quidem huic vitio addictissimus, nihil enim nisi illius murmurationem contra Deum & seruos eius audimus quomodo ita prauo affectui deditus? ne mireris quia cum vitæ esset contaminatæ, non potuit quin ex ea huiusmodi pullularet vitium. *Hæc affectio,* inquit citat. Antioch. *ex vita nascitur, plane impura ac flagitiis contaminata, & ex eo quod excusseris à te Dei timorem.*

Cit. Antioch.

*Murmurator cum Deo detrahere non audet, seruos eius aggreditur.*

294 *Murmurauit populus contra Moysem dicens quid bibemus?* Cur contra Moysem? an vobis pollicitus aqua dulci vestræ siti satisfacere? nequaquam, nonne dux itineris, vobis constitutus est nempe Angelus Dei vices gerens? ad eum ergo pertinet necessaria vobis consulere, & aquam potabilem prouidere: detrahite ipsi non autem Moysi, cui tale non incumbit: in Moysem solum murmurant, quia murmurator cum Deo detrahere non audet, seruos eius aggreditur. *Expende malitiam,* inquit Oleast. *cupiebant aduersus Dominum murmurare, sed non audebant, ideo murmura in seruum conuertunt.*

Oleast.

*Insipientium est murmurare.*

295 *Murmurauit populus contra Moysem.* Ita ne sui oblitus & Dei immemor vniuersus Israelitarum populus, vt murmurationis virus pestiferum euomat? an è memoria excidit libertas duce Moyse obtenta? verum est populum murmurasse, sed non omnem, quinam ergo? sane solum insipientes teste nostro Lyrano. *Murmurauit populus, id est vulgares homines qui non considerant nisi præsentia, sapientes vero qui considerabant Dei beneficia præterita patienter portabant, sperantes de diuino auxilio.*

Noster Lyranus.



*VARIETAS LECT. Vers. 25.*

Vulg. At ille clamauit ad Dominum, qui D ostendit ei lignum quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt, ibi constituit eis præcepta atque iudicia & ibi tentauit eum.

*Sept.* Ibi posuit & iustificationes & iudicia, ibi & eum tentauit.

*Cald.* Et orauit coram Domino, & Dominus ostendit ei lignum & proiecit in aquam & dulces factæ sunt aquę, ibi constituit ei pactum & iudicium, & ibi tentauit eum.

*Pag.* Docuit Dominus lignum, & proiecit in aquas, & dulcuerunt aquæ, ibi posuit ei statutum, & iudicium, & ibi tentauit eum.

*CONCORDIA.*

Verbum *moiarah* non solù ostendere sed & docere significat, imo & descendere, quod doctrina à magistro in discipulum descendat, ibi constituit ei præcepta & iudicia, Hebraicè

est חק ומשפט lo chok vmispat ei statutum & iudicium: Sept. vero legũ: δικαιώματα καὶ κρίσεις iustificationes & iudicia Cald. pactum & iudicium, alii statutum, quæ omnia prorsus sunt A idem cum nostra editione, chok enim pactum, præceptum, statutum legitimum, constitutum, ceremonias, & iussionem significat.

## EXPOSITIO.

*At ille clamauit ad Dominum*, corde feruido Deum deprecans, *qui ostendit ei lignum*, Singulare pro plurali lignorum multitudinem, quibus in aquas proiectis, in dulcedinem versæ sunt: disputatur hic an fuerit aliqua vis naturalis istius ligni, an vero Deus ad eius ligni præsentiam, & in aquas iniectionem, hanc dulcedinem effecerit. licet probabilis sit sententia hanc virtutem miraculo tribuens, tamen probabiliorem existimo, asserentem naturalem huius ligni fuisse hanc virtutem: quod satis clare significat Eccles. c. 38. Altissimus inquit creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam, nonne à ligno indulcata est aqua amara? hoc loco scilicet Exod. ad quem sine dubio alludit Eccles. nisi autẽ naturali aliqua ligni facultate id factum esset, quale quæso esset argumentum? sane tale, ac si diceres magna vis medicinæ est, quia infusio aquæ benedictæ & admotio crucis & reliquiarum sanctorum ad omnes morbos prodest, imo vero ob hoc ipsum dicent multi non opus esse medicinâ, quod videlicet vita & mors, sanitas & morbus pænes Dei voluntatem esse videantur, non pænes artem vllam: sane similiter si miraculó factũ fuisset scilicet quod mutatæ aquæ amaræ in dulcescerẽt, nulla esset vis argumenti ad commendandas res medicas, quæ enim esset illa vis argumẽti. Deus iniecto à Moyse in aquas amaras ligno, per miraculum eas dulces & potabiles effecit, ergo magnifacienda est medicina?

Sed dices cum aliis, Ecclesiasticum illud proferre exemplum, vt ex eo quod miraculose Deus fecit per lignum, indicaret omnia etiam illa quę naturaliter efficiuntur per creaturas ad Deum esse referenda: mihi vero videtur id exemplum indicare non solum à Deo tributas esse rebus virtutes naturales, sed suspicionem etiam illaturum nullas omnino naturales ipsarum rerum sed à Deo ipso effici quiduis, vt immisso ligno in aquas factæ sunt dulces; quapropter censendum est potius naturali aliqua ligni virtute effectum esse illud.

Quod confirmatur, si enim vna gutta olei vitrioli vel sulphuris, integrum vitrum aquæ acore & sapore suo inficit, quidni idem facere potuit in dulcorandis aquis hoc lignum efficacissimæ virtutis, nobis licet incognitum, Deo tamen notissimum?

Quid tum mirum huiusmodi naturalemque virtutem inditam fuisse huiusmodi ligno, quæ amaritudinem vel salsedinem ab aqua separaret? quandoquidem reperti sunt plures modi quibus ab aquis marinis salsedo vel amaritudo separetur.

Quæ autem fuerit naturalis huius ligni qualitas B ad aquã indulcorandã, dupliciter explicare possumus iuxta duplicem sententiam circa naturam huius ligni, primo vt dicamus fuisse secretionem exustionis, si fuit lignum dulce, aut secundo fuisse attractricem amararum partium, si ponamus cum Hebræis fuisse lignum amarum, vtroque enim modo potuit amaror iuuari, prior tamen est probabilior,

*Vbi constituit eis præcepta atque iudicia.* Et si nulla exprimantur hic præcepta, tamen hic locus videtur exigere vt aliqua præcepta ceremonialia & iudicialia sint data, & si in particulari, quæ illa fuerint non commemorentur, quod forte postea fusius, cum cæteris omnibus essent describenda; plurimorum opinio est hic datam fuisse legem de seruando sabbato, quandoquidem capite sequenti nulla prius facta huius legislatæ mentione, monentur eam omnes sedulo custodire.

*Ibi tentauit eum.* Id est Deus obedientiam & C constantiam experientia probauit, didicitque cum sibi parum constare, sed in aduersitatibus statim diffidere Deo, & in ministros eius insurgere, tentauit autem, non vt ipse populum cognosceret, sed vt is cognosceret se ipsum, neque vt induceret ad peccatum, quod proprium tentatoris est, sed vt perduceret ad correctionem: alij referunt hanc tentationem ad præcepta & iudicia, vt tentatio illa nihil aliud fuerit, quam ista certarum legum constitutio quibus inducebantur ad obedientiam Deo exibendam.

## CONCEPTVS.

### *Vbi magnitudo gratiæ, ibi magnitudo discriminis.*

196 *Clamauit ad Dominũ qui ostendit ei lignum.* Quod iniectum in aquam amaram dulcedinem ei indidit, sicque omnis Israel suæ potuit siti satisfacere, quod sane non exiguum fuit diuinæ misericordiæ argumentum: sed quid amplius eis contulerit, videamus, *Ibi constituit ei præcepta atque iudicia, & ibi tentauit eum.* Quid maximum eis beneficium confers in dandis legibus & præceptis constituendis? cur ergo post hunc singularem fauorem, ibi eum tentare diceris? cur in discri-D men eum adducis? cur leges populo datæ fuerint cum tentatione? D. Hierony. ad Fabiolam ait, *Vbi magnitudo gratiæ, ibi magnitudo discriminis,* Hierony.
Magnitudinem gratiæ nunquam non æmulatur magnitudo discriminis & tempestatis, quod pulchrè confirmat Gillib. Abbas. serm. 38. in Canti. *Cum spoponderat Spiritus sancti aduentum in Apostolos ipso die Pentecostes, inquit quando factus est spiritus vehemens in cœnaculo, vbi erant Apostoli, soluta est omnis congelata mentis frigiditas, sicut torrens in austro: & deinceps verbi, virtutumque fluxerunt aromata, sed numquid idcirco Aquilo quieuit? nonne multo vehementius persecutorum* Gilliber. Abbas.

*insurrexit procella, & impetus haretica tempestatis? unus quidnon aemulatione quadam tentationis Aquilo sese opposuit austro gratiae.* Numquid non aemulantur tentationes gratiarum & virtutum cumulos? quantum accrescit virtus, tantum exurgit maior tentatio.

***Miraculum est diuinae potestatis proprium quod à peruersa hominum indole nascatur opus salutis.***

297 *Clamauit ad Dominum & ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas in dulcedinem versae sunt,* Sane non exiguum fuisse hoc miraculum, vt ex huius iniectione ligni in aquas amarissimas, dulces fuerint redditae, plures aestimant, sed aliud operatum in aquis consideremus Exod 17. vbi ex percussa, petra aqua manauit abundans: compono modo miraculum cum miraculo, an non maius prodigium quod ex saxo deducantur aquae, quam quod amarae in dulcedinem conuertantur? sapienter id negat Eucherius Epis. de Eremo fatus non maiori miraculo è saxis aquas quam ex aquis alias aquas reddit, & quidem non minoris potestatis est & virtutis mutare in melius substātias quā de nihilo creari, quod verissimum est in mutationibus humanarum mentium pro quo dicebat Dauid Psalm. 50. cor mundum crea in me Deus, quasi ad cordis munditiam restaurandam, nulla alia virtus sufficeret nisi quae sufficeret ad producendum de nihilo cor humanum: hinc mutationem in melius mentium humanarum inter caetera miraculosa diuinae potestatis annumerat, D. Machar. hom. 44. *Quis enim naturam quinque panum (inquit) copiosam mutauit, & Asina naturae facultate loquendi destitutae vocē dedit, meretricemque conuertit ad temperantiam & ignis vstiuam naturam, ad irrigandos in camino existentes aptam reddidit? qui leonum agrestium naturam Danielis gratia mansuefecit, eis quoque potest animam in suam ipsius bonitatem, mansuetudinem, & pacem conuertere,* Quam miraculosum est & soli diuinae potestati aptandum, quod à flammis ros venia & à feris leonibus mansuetudo: tam miraculosum erit, quod mens humana prauae indolis, ad opera saluti apta conuertatur, vnus id potest efficere omnipotens creator.

Eucherius. S.Macha.

***Vnus Deus nouit ingratis hominibus bona tribuere.***

298 *Clamauit ad Dominum & ostendit ei lignum quod cum misisset in aquas, versa sunt in dulcedinem,* Nonne Moyses plura ediderat miracula in Israelitarum vtilitatem? cur ergo vt tolleretur aquarum amaritudo, eiusdem virgae ministerio non tribuitur? quando Moyses virgam ligneam habebat quā tanta etiam admiratione digna patrauerat, cur necessum fuit vt aliud lignum ostenderetur à Deo cuius beneficio aquae amarae dulcedinem acciperent? cur aliunde ostensum lignum proponitur virga praetermissa? rationem inuenies in illis verbis antecedentibus murmurum, *murmurauit populus*, quibus ingratitudo peruersae nationis ostenditur diuinam bonitatem expertae, & toties diuinam beneficentiam obliuiscentis: quid mirum igitur vbi tam ingrato populo paratur remedium, quod non Moyses, non virga non munus eius cōmittitur sed Deus sibiipsi afsumit, ostendens lignum quo aquae dulcescant: solius etiam fuit Dei est ingratis hominibus cōferre beneficia: quod in filio Dei videre est, qui inter frangendum panem gratias agebat accepit panē & gratias agens ait Paul. 1. Corint. 11. & cur inter frangendum gratias agebat? ait Theophil. in c. 26. Matt. *Gratias quoque agit fracturus panem, vt ostendat se cum gratitudine fractionem sui corporis, hoc est occisionem suscipere.* 1. Corint. 11

***Opera Dei semper perfectissima.***

299 *Clamauit ad Dominum & ostendit ei lignum quod cum misisset in aquas in dulcedinem versae sunt,* Cur non ait Moyses quod in dulces conuersae fuerunt, non autem in dulcedinem? nam vsitatus loquendi modus sic exposceret, maluit ostendere textus perfectam sic fuisse illam conuersionem aquarum, vt nec subiectum amaroris pristini, nec vestigium remaneret, sed apparerent ipsissima dulcedo factae, nescit enim Deus non operari perfectissime, ad haec Philo lib. 1. de vita Moys. *Ostendit lignum quod sublatum iussit in fontes immitti, quod vbi factum est fontes dulcedinem acceperant vt essent potabiles, ac si nunquam quicquam amari habuissent adeo nullum relictum fuerat vestigium vitii pristini.* Philo.

***Pennas orationi addit viri iusti vita.***

300 *Clamauit ad Dominum & ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas in dulcedinem versae sunt,* Quid? solum clamauit ad Dominum, vel vt habet Cald. orauit, & ilico exaudita est deprecatio eius? ex corde processit desiderium, & iam obtinet quod in votis habuerat? quomodo tanta cum celeritate in caelum potuit ascendere? quia pennas ei dederat vita Moysis innocens, efferri enim nequit oratio nisi orantis iustitia & innocentia veluti quibusdam alis efferatur: viri iusti vita pennas orationi adiicit quibus in caelum euolet: sic praeclare Euseb. apud Agellium in psalm. 118. *Pennis quibusdam,* inquit, *instruit orationem viri iusti vita, quam vt ratione instituit & prosequitur eam quoad in conspectum Dei veniat, quin etiam spiritus quo fit oratio, eam quodammodo leuat, & ad Deum perducit,* Hanc autem vitam iustam in deprecante necessariam vt citissimè ad thronum Dei perueniat orationis & iustitiae nexus probat, quem sic declarat Dauid cum diceret Psalm. 4. cum inuocarem exaudiuit me Deus iustitiae meae, iustitiae suae Deum dixit non orationis, vt ita colligeremus deprecantis iustitiam ita necessariam esse, vt sine illa ad Deum euolare nesciat, & cum illa in caelum celerrime tendat, sciitè Hesichius in catena patrum Graecorum in Psal. 4. *Non dixit Deus orationis meae sed iustitiae meae, vt scias iustitiam & mores precantium precationem facere, & opera supplicantium pro verbis orationis haberi.* Eusebius. Psal. 4. Hesichius.

***Germana oratio ex corde promenda.***

301 *Clamauit ad Dominum,* Cald. *orauit coram Domino,* Orationem lego imo & eius clamorem, & tamen vocē eius non audio nec quid in oratione locutus est: cur obuoluisti silentio quid à Deo petieris? clamat sed corde non ore, orat sed non labiis sed pectore, à quo germana omnis oratio

prodire debet, obseruatio est Theophil. in c. 18. Lucæ eum loquens de publicano percutiente pectus suum ait, *Docuit percutiendo pectus, quid in actione orandi præcipuè curandum, nimirum cordis affectus percutit ergo pectus quasi manu designans, vnde oratio germana procedit & vt cor ipsum excitet.* Theophil.

### *Vbi oratio ibi auxilium Dei.*

303 *Clamauit ad Dominum*, Cald. *orauit coram Domino, & ostendit ei lignum quod cum misisset in aquas in dulcedinem versæ sunt.* Quid in corde tuo ab omnium conditore petieras? vt aquæ amaræ potabiles redderentur, & ecce inquit textus, ostendit ei Deus lignum, cuius virtute aquæ dulcescunt: nec miror cum enim orauerit, cur auxilium non inueniret petitum? hoc enim ita certum, vt oratio & Dei auxilium connectantur, atrium enim quo conuenire ad orandum populus consueuerat in templo Salomonis עזרה dicebatur 2. Paral. 4. vers. 9. & Ezech. 43. vers. 14. non caret autem misterio nomen, significat quippe auxilium à verbo עזר cuius notio est auxiliari, opem ferre, adiuuare: rectè igitur templi atrium auxilium dictum, quia eo conuenirent Dei auxilium postulaturi, & vt statim colligeremus Dei auxilium ab iis non abesse, qui orationem Deo funderent.

### *Deus quasi oranti obedire videtur.*

303 *Clamauit ad Dominum*, Cald. *orauit coram Domino*, & ilico Dominus ostendit lignum quo dulcescerent aquæ: nonne potuisti differre paululum desiderii serui tui adimpletionem? nõne murmur populi tui dignum erat vt maiorem sitim toleraret? cur ergo solũ serui tui audita oratione quod petiit concessisti? quidni cum oranti quasi præcipienti & iubẽti Deus ilico obtẽperet? sic hac explicatione donat Saluianus lib. 2. de gubẽr. Dei verba regii vatis Psal. 33. oculi Domini super iustos & aures eius in preces eorum, sic enim ait, *Vide quia benignitate agere cum suis Deum dicit, in hoc siquidem quod ait oculos Domini super iustos esse effectus aspicientis ostenditur; in hoc autem quod aures in precibus semper paratas, exaudientis largitas demonstratur: quamuis id quod dicit diuinas aures in precibus semper iustorum esse, non audientia tantum Dei sed quadam quasi obedientia designetur.* Preme hæc vltima verba, & colliges Deum ad instar perfecti obedientis se habere in audiendis suorum petitionibus. Saluian. Psal. 33.

### *Orationis vis maxima.*

304 *Clamauit Moyses ad Dominum*, Cald. *orauit coram Domino*, Et ilico ostendit ei lignum quo coniecto in aquas amaras dulces factæ sunt, nec mirum quod orante Moyse exaudiatur eius oratio, quid enim hæc non consequitur? si enim cum Deus iubet vt oratio coram se non fundatur pro alicuius rei consecutione, & tamen non obediens & deprecans obtinet quod intendit: cur cum grata est oratio ab eo non admittetur, cũ talis ac tãta sit eius virtus & efficacitas? huius rẽ ita colligebat Petrus Abailardus cuius opera à censura vindicata prodierunt, sic enim ille scribit Epistol. 3. *Si orante vel oraturo dicitur dimitte me & ne obsistas mihi, præcepit Dominus ne oretur pro impiis, oras iustus, Domino prohibente, & ab ipso impetras quod postulas, & irati iudicis sententiam immutas; sic quippe de Moyse subinnuctum est & placatus factus est Dominus de malignitate quam dixit facere populo suo: scriptum est alibi, de vniuersis operibus Dei, dixit & facta sunt: hoc autem loco & dixisse memoratur quod de afflictione populus meruerat, & virtute orationis præuentus, non impleuisse quod dixerat, attende itaque quanta sit orationis virtus, si quod iubemur, oremus, quando id quod orare prophetam Deus prohibuit, orando tamen obtinuit, & ab eo quod dixerat Deum auertit.* Petrus. Abailard.

### *Talis est conditio rectorum populi, vt omnis necessitas in eos redundet.*

305 *Clamauit Moyses ad Dominum & ostendit ei lignum*, Cuius tanta virtus erat, vt amaritudinem in dulcedinem conuertere posset, sed antequam Moyses deprecaretur Dominũ, an aliquod opus dignum tanti viri oratione populus patrarat? imo inquit facet textus, quod murmurauit populus contra Moysem dicens quid bibemus? an vobis præstare tenetur aquas in deserto? tale vobis non est pollicitus, Deum conuenite: detrahũt Moysi, quia cum esset rector populi omnis in eum redundabat necessitas, *Talis est conditio ducum, & imperatorum*, ait Lippomanus, *vt omnis clamor, omnis necessitas in eos redundet, ipsius vnius caput si quid populo accidit, petitur.* Lippom.

### *Ars medicina honoranda.*

306 *Clamauit Moyses ad Dominum & ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* Quænam est tanta ligni virtus? an naturalis vel miraculosa? primum diximus probabilius, sed quomodo tam eximia virtus ligno concessa est à Deo, vt non solum aquas amaras dulces efficeret, sed in ipsammet conuerteret dulcedinem? vt Deo immortales gratias referres, qui talem virtutem medicam herbis & arboribus, & aliis etiam inanimatis in tuam vtilitatem indidit. quod attentè considerans Ecclesiast. c. 38. ait in laudem artis medicinæ, Altissimus creauit de terra medicinam & vir prudens non abhorrebit illam: nonne à ligno indulcorata est aqua amara? ad agnitionem hominum virtus illorum: inquæ Episcopus Gandauensis, *Dubitare merito nemo debet quin sapiens hic alludat ad factum quod describitur in Exodo, cum narratur in mara aquas amaras in dulcedinem versas per iniectionem ligni: sed ex hoc loco videri omnino potest auctorem nostrum sensisse illud lignum naturalem habuisse virtutem ad conuertendum amaritudinem aquarum in dulcedinem: id quod quidam non dubitant asserere non solum ex hoc moti loco, sed etiam ex verbis Exodi maxime secũdum textum Hebraicum, nam vbi nos legimus quod Dominus ostendit ei lignum quo intelligunt significatum quod Dominus docuit eam vim & naturam ligni.* Et quorsum alioqui Dominus ei certum aliquod lignum, vel arborem ostendisset, nisi illud singularem ex natura sua virtutem inditam habuisset? deinde explicans illa verba ad agnitionem hominum virtus illorum ait, *Relatiuum illorum referre debet ea quæ in nomine medicina, herbas scilicet & pharmaca quæ ad curationem hominum Deus è terra creauit, & est sensus, virtus & efficacia eorum quæ è terra Deus creauit peruenit de dono ad agnitionem hominum, hoc est Dei dono factum est vt homines inciperent agnoscere herbarum vires* Eccles. 38. Episcop. Gandauens.

*Cum aliquid naturaliter fieri potest, ne requiratur miraculum.*

306 *Clamauit Moyses ad Dominum & ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas in dulcedinem versæ sunt.* Cur clamas ad Dominum? nonne in manu tua est virga, qua tot edidisti prodigia, tot operatus es miracula? si mare rubrum initum eius extensione permeabile reddidisti, cur etiam similiter virtute illius, amaræ non dulcescent aquæ? cur Deus ei non præcipit, vt virga tangat aquas amaras, vt in dulcedinem commutentur? quia naturaliter fieri hoc poterat, iniectione scilicet ligni in eas, cum autem aliquid naturaliter potest fieri, non requirendum miraculum; vnde recte ait Iansenius, *Quorsum Dominus ei certum aliquod lignum ostendisset vel arborem, nisi illud naturalem ex natura sua virtutem inditam habuisset? nam alioqui virga eius quæ reliqua operabatur miracula ad miraculi operationem suffecisset.* Quasi diceret, cum naturaliter conuerti potuerunt medio ligno aquæ amaræ in dulces, noluit virga miraculosè id fieri.

Ianfenius.

*Quæ silet scriptura, nimis curiose non sunt indaganda.*

308 *Clamauit Moyses ad Dominum & ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas in dulcedinem versæ sunt,* Cum tanta virtute polleret huiusmodi lignum, quodque vtilissimum esset mare nauigantibus, deficiente enim aqua possent in aquam maris haustam illud proiicere, & tunc amaritudine derelicta, dulcedinem mutuare, indagandum igitur est, quomodo vocetur, vbinam inueniatur? sed in hoc oleum & operam non consumas, quia quæ scriptura silet, non curiose indaganda, *Multi quæsierunt* (inquit Theodoret.) *quodnam lignum fuerit per quod amaræ aquæ dulces factæ sunt, supernacaneum atque absurdum est, quæ à scriptura silentio prætermissa sunt, exquirere ex quo vere satis abundeque nobis sit didicisse, per lignum amaras aquas in dulces Deum commutasse.*

Theodor.

*Gubernator populi, propter illius murmur, non cesset ei benefacere.*

309 *Clamauit Moyses ad Dominum,* Cald *orauit coram Domino.* Cuius rei obtinendæ gratia? aquæ potabilis, sed ò Moyses an tibi è memoria excidit murmur in te populi, qui post eximia accepta beneficia, vice grati animi, rependit iniurias? cur ergo pro eius remedio Deum deprecaris? indignus sane quod pro eo preces fundas coram Domino, fundis tamē quia gubernator erat populi, qui propter illius ingratitudinē non cessare debet à cōferendis illi beneficiis, sic consulit Episcopus Metonens. *Murmurat populus, Moyses ad Dominum clamat, confugiunt ad orationem sancti quoties homo vel caro tentauerit spiritum, id nunquam inanitet, exemplum omnibus qui pi ajunt, vt omnibus in casibus recurrant ad Dominum, propriis non fidant viribus neque desperent, exemplum etiam quod rectores propter subditorum murmura cessare non debent à præstatione bonorum omnium.*

Episcopus Meton.

*Ita eximia & clara Dei miracula sunt, vt ea negari non possint.*

310 *Clamauit Moyses ad Dominum & ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas in dulcedinem versæ sunt.* Virtutem huius ligni non fuisse naturalem autumat B. August. de mirab. scrip. c. 21. cum ait: Moysi à Domino lignum ostenditur cuius tactu amara fluminis aqua indulcorata eiusque deinde dulci sapore populus sitis ardorem debriatus potuit, quem illucusque incessabiliter furor fatigauit: sed qualiter naturæ inuestigator, naturaliter esse tactū approbabit quod amaræ atque in momento ligni a tactu protinus indulcantur? cuius ergo naturæ, vt tantæ dulcedinis lignum fuisse videretur, quo semel intincta fluminis vnda amarissima, suauis & sapida erit? ex quo intelligitur, non tunc lignum contra naturam aquam effecisse dulcem, sed præcepto conditoris naturæ & gubernatoris lympham mutauit in saporem: nam & virga illa qua à Moyse mare rubrum percutitur, & flumen, & cælum & terra flagellantur, quando terra Ægypti diuersis plagis maceratur, non hanc in natura virtutem habuit, cum eam Moyses vel Aaron ad hæc facienda eleuauit, vel vt aquam fluminis in sanguinem verteret, vel etiam cyniphes de puluere suscitaret, vel tenebras duceret de cælo. sicut si aliquis præter Moysem, at non cum Dei præcepto mare iterū ex virga illa percussisset, pro certo eius percussioni Thetis nequaquam cederet, & si iterum aquas fortuito percuteret, profecto illas nunquam in sanguinem mutaret: sic & illam arborem perquā in marath aqua salsa indulcatur si in amarum liquorem aliquis intingeret, & non idem Deus, vt primitus imperaret, pro certo non illam salsuginē in suauem saporem commutaret, vnde peruidendum est, quod non ideo Deus hæc ligna vel etiam de fornace puluerem in his mirabilibus interesse præceperat, vt aliquid in illis per eorum naturam vel administrationem effectum fuisse quis credat, sed per hæc futurorum mysteria præsignata esse instituit, vt quid in his nunc mergere prouectibus illa faciant sapiens doctor figurali expositione decernat: En miraculo tribuit virtutem huius ligni aquas amaras in dulcedinem mutantis, sed vlterius sciscitemur, an huiusmodi lignum esset amarum vel dulce; Rabi Salomon arbitratur Adelpham fuisse nominatum huiusmodi lignum, quæ ex natura sua amarissima est, imo & mortifera: sed si amarissimum huiusmodi lignum, quomodo amaritudinem ab aquis adimere potuit? imo debuit adaugere, amaritudo enim amaro addita non potest quin id amarius efficiat: quomodo ergo iniecto ligno amarissimo in aquas amaras, dulces euadunt, imo in ipsam met vertuntur dulcedinem? sane vt conspecto tali miraculo nulla dubitandi nec minima relinqueretur suspicio, ita enim effectum vt nullo modo possit negari, *Hoc fuit,* inquit Abul. *ad magnificandum miraculum, scilicet cum vtrumque amarum esset per missionem ligni in aquam debuissent aquæ amaræ reddi, tamen non fuerunt ductæ in amaritudinem, sed potius fuerunt dulcoratæ, & satis rationabile est; nam eodem modo fecit Eliseus, vt patet 4. Reg. 2. cap. quando ad sanandum sterilitatem fontis & terræ, misit intra sal, dixerant enim sibi filii Prophetarum quod ciuitas Iericho erat bona habitationis, tamen aquæ erant pessimæ & propterea terra erat sterilis, & cum*

B. August.

Abulens.

*misit in ea sal; sed constat quod sal non sanat sterilitatem, sed magis eam efficit, ideo ad efficiendam aliquam terram sterilem ponitur sal in ea, quia sua caliditate, & siccitate virtutem germinatiuam terræ totaliter extinguit: ideo omnis terra, quæ salsuginosa est, sterilis est, ideo pro maledictione terra salsuginosa dicitur, vt patet Psal. 106. posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in siccum, terram fructiferam in salsuginem propter malitiam habitantium in ea, & sic terra salsuginosa repugnat fructiferæ, etiam quia quando aliquis Dominus vult aliquam terram propter malitiam habitantium perpetuo facere inhabitabilem, arat eam ponens sal in sulcis, & sic in* Indi. c.9. *perpetuum sterilis est, sic patet Iud. 9. cap. vbi Abimelech expugnans ciuitatem Sichem volens eam vsque ad radicem delere, omnibus occisis, ciuitateque deleta sal in ea dispersit: dicitur enim oppugnabat vrbem, quam cepit interfectis habitatoribus eius, ipsaque destructa ita vt sal in ea dispergeret: posuit enim ibi salis sparsionem pro vltimo malorum quæ fieri possunt alicui ciuitati: si ergo Elisæus ad magnificandum diuinum miraculum sal posuit ad sanandam sterilitatem quod tamen materia sterilitatis est effectiuum, ita rationabile satis est, quod ad ostendendam diuinam potentiam poneretur lignum amarum in aqua.*

### *Resurrectio nostræ amaritudinis mare in dulcedinem conuertit.*

311 *Clamauit Moyses ad Dominum & ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas in dulcedinem versæ sunt.* Nonne quæso sicut aqua amarissima, contritio vniuersi in morte Saluatoris? quænam vis huiusmodi maris amaritudinem conuertet in dulcedinem? an non resurrectionis dies? an lignum dulcissimum, mel salsis aquis immutens? adstipulatur Nissen. libro de vita Gregor. Nissen. Moy. *Lignum à Moyse in aqua immissum in dulcedinem, amaritudinem aquæ eius conuertit, lignum quoddam immissum, id est resurrectionis mysterium suauem reddit vitam omnibus quæ dulcedine sensum perfundunt iucundissime conditam,* Tanta profecto est huiusce iucunditas solemnitatis vt nulla sit malorum recordatio, huc tendens Sapiens ait in die bonorum nulla adsit recordatio malorum Eccles. 1. resurrectio Eccles. 1. Dominica nos omnibus cumulat bonis, vita donat, gratia perfundit, non igitur in mentem veniat præteritæ seu passionis Domini seu deuictæ mortis stimulus, sic enim ait Niss. oratione de Paschate. ait ad hunc locum, *Fuit sapientis dictum in die bonorum nulla sit recordatio malorum: hæc est dies illa qua sententia olim contra nos lata obliuionem, imo vero interitum & abolitionem, verius quam obliuionem fecit, oblitterata est enim omnis omnino condemnationis nostræ memoria.*

### *Lex litteraliter considerata amara, Dominicæ passionis mysterio copulata dulcescit.*

312 *Clamauit Moyses ad Dominum & ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas in dulcedinem versæ sunt,* Quid, amaræ illæ aquæ nisi occidentis litteræ & duræ atque insipidæ legis speciem tenent, nam hic scriptum, est constituit Dominus legem & iudicia & tentauit eum, & Ezec. Ezech. 13. 13. ergo dedi eis præcepta non bona & iudicia in quibus non viuent, si ergo lex ita amara, quomodo dulcescet? respondet B. Petrus Da- Petrus Damian. mian. serm. 18. qui est de inuentione sanctæ crucis, si legi confessio crucis & Dominicæ passionis mysterium copulatur, protinus quod amarum fuerat, in spiritalis intelligentiæ dulcedinem vertitur: sed hoc paulisper premamus cur Deus ostendit Moysi lignum quod mitteret in aquam vt dulcem redderet? efficere Deus aquam dulcem sine ligno nonne poterat solo virtutis suæ verbo? iam diximus quod si lex secundum litteram suscipiatur satis amara est, quid enim tam amarum quam vt puer octaua die circumcisionis vulnus accipiat, & rigorem ferri ætas tenera sustineat? amarum satis & peramarum est huiusmodi poculum legis, vt tantum populus Dei non ille qui baptizatus est in Moyse in mari & in nube, sed iste qui in spiritu & aqua baptizatus est non possit bibere de huiusmodi aqua, sed ne gustare quidem de circumcisionis amaritudine potest, neque hostiarum amaritudinē ferre, nec sabbathi obseruantiam, quid ergo agendum, vt huiusmodi lex in dulcedinem vertatur? sumendum est lignum à Deo ostensum, quod nam est illud? sic Origenes satisfacit, *Quod nam est li-* Oregin. Prouerb. 3. *gnum quod Dominus ostendit Moysi? Salomon edocet nos, cum dicit de sapientia Prouerb. 3. quia lignum est vitæ omnibus amplectentibus eam, si ergo lignum sapientiæ Christus missum fuerit in lege, & ostenderit nobis quomodo intelligi debeat circūcisio, quomodo sabbata, quomodo lex lepræ seruāda sit, qualiter mundi & immundi discrimen habeatur, tunc efficitur aqua myrrha dulcis, & amaritudo litteræ legis conuertitur in dulcedinem intelligentiæ spiritualis, & tunc potest bibere populus Dei; si enim non interpretentur hæc spiritaliter, populus qui idola reliquit & ad Deum confugit, si audiat legem de sacrificiis præcipientem, continuo refugit, & non potest bibere, amarum quippe hoc sentit & asperum, si enim apostolus inquit* 2. Corint. 6. *2. Corint. 6. quæ destruxi & iterum reædificabo præuaricatorem me constituo, & in hac ergo amaritudine myrrhæ id est in ista littera legis posuit Deus iustitias & testimonia, vt ergo possit bibi hæc aqua de myrrha, ostendit Deus lignum quod mittatur in aquam, vt qui biberit, non moriatur, non amaritudinem sentiat, vnde constat quod si quis sine ligno vitæ, id est sine crucis mysterio, sine intelligentia spiritali bibere voluerit de legis littera per amaritudinem nimiam morietur, hæc sciens Paulus Apostolus dicebat, Cor. 3. quia littera occidit, hoc est aperte dicere, quia aqua myrrhæ occidit, si non mutata bibatur, & in dulcedinem versa fuerit.*

### *Pœnitentiam ne amaram dixeris si eam ligno crucis condias.*

*Clamauit Moyses ad Dominum & ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas in dulcedinem sunt versæ.* Non pauci hac aqua amara pœnitentiam intelligunt, quæ quid amarum sapere nobis videtur, quid enim magis inuisum carni, quam eiusdem mortificatio, deliciis valedicere, concupiscentias coercere? quis ergo eam degustare 313

ipsius æstimationem præbeat & amorem, quo cunctæ amaritudines propellantur. sed quia duplex est amaritudo quæ animam valde torquet, vna culpæ, quæ ipsa morte est amarior, altera pœnæ, scilicet tribulationis & ærumnæ huius vitæ, vtraque & si non eodem modo tollitur per lignũ crucis, & per Christum crucifixum, & vtriusque ablatio fructus est de quo sponsa in canticis, fructus eius dulcis gutturi meo, ablatio culpæ est, fructus potissimus & dulcissimus, nam secum affert gratiam & charitatem, & dat ius ad gloriam, quis enim fructus dulcior esse potest in fructibus nostris, quam remissio peccatorum? ablatio autẽ pœnæ & tribulationis, non est fructus Christi crucifixi, sed ablatio amaritudinis, mœstitiæ & tædij, quæ illam comitatur, ita vt per Christum dulcis fiat, dicereque possumus cum apostolis, gloriamur in tribulationibus, & omne gaudium existimamus, cum inciderimus in varias tentationes.

## VARIETAS LECT. Vers. 26.

VVlg. Dicens si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum est coram eo feceris & obedieris mandatis eius, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorẽ quem posui in Ægypto, nõn inducam super te, ego enim Dominus sanator tuus.

*Sept.* Et dixit, si auditu audieris vocem Domini Dei tui, & quæ placent coram illo feceris, & auribus perceperis mandata eius, & custodieris omnes iustificationes eius, omnem infirmitatem quam intuli Ægyptiis, non inducam super te, ego enim sum Dominus Deus tuus sanans te.

*Cald.* Et ait, si obediens obedieris verbo Domini Dei tui, & quod rectum est coram eo feceris, & audieris præcepta eius & custodieris omnia pacta eius, omnes languores quos posui in Ægypto, non ponam eos super te, quia ego Dominus medicus tuus.

*Onk.* Si acquiescendo acquieueris verbo Domini Dei tui, & auscultaueris omnia præcepta eius, omnes morbos quos posui in Ægypto, non ponam eos super te.

*Pag.* Si rectum coram eius oculis feceris, & custodieris omnia statuta eius.

*Vatab.* Et aures præbueris præceptis eius.

*Caiet.* Ego enim Dominus saluator tuus, *alij*, fortificator tuus.

## CONCORDIA.

Exigua fere est discordia, nam dictio רפא rophe non solum saluatorem, sed medicum, & fortificatorem significat, sumitur enim nõ solum pro eo, qui vires cõseruat, sed etiã qui eas reparat.

## EXPOSITIO.

*Si audieris vocem Domini Dei tui.* Verba sunt Mosis ad populum, nomine Dei loquentis, hoc enim probabile est, neque videtur Deus locutus Israelitis per se, antequam Iudæi venerint in montem Sinai, *& quod rectum est coram eo feceris*, non solum rectum, sed cum recta intentione, *& obedieris mandatis eius, custodierisque omnia præcepta illius*, præcepta & mandata inter se distinguuntur, tanquam generale & speciale, quia præcepta extendunt se ad decalogum, mandata autem sunt ceremonialia, vel iudicialia, vel qualiacumque, *cunctum languorem quem posui in Ægypto non inducam super te*, id est omnes plagas & clades, quibus affeci Ægyptios abs te auertam, nam hæc de plagis Ægyptiorum esse intelligenda, non de plagis & morbis quibus aliquando tentati Israelitæ in Ægypto clare indicat versio Septuaginta, quæ habet omnem infirmitatem, quam intuli, Ægyptiis, *quia ego sanator tuus*, commodius accipitur præsenti loco sanator, pro eo qui auertit morbum, ne occupet, quam qui fugat iam præsentem, Deus autem huc vsque Iudæos præseruauerat à morbo, vnde & Psal. 104. Dauid loquitur non erat in tribubus eorum infirmus, & in plagis Ægyptiacis vt supra audiuimus ita afflictos fuisse Ægyptios, vt Hebræi non læderentur.

## CONCEPTVS.

*Deus tentat, vt quod ignotum aliis manifestum faciat.*

319 *Si audieris vocem Domini Dei tui & obedieris mandatis eius.* Sed in his præceptis ait Moyses quod Deus tentauit populum suum, nonne Deus intentator malorum est? tum si quis tentator ideo est vt experimentum de eo sumatur: nonne Deo sunt omnia cognita? cur ergo suum populũ quasi dubius tentat, in suorum custodia mandatorum? non tentat vt sibi aliquid fiat manifestum, sed vt aliis sit compertum Israelem sua custodire præcepta. sic explicat Angelicus doctor 2. sent. D. 21. q. 1. art. 1. *Ad perfectã rationẽ tẽtationis ait tria cõcurrũt: primo vt per tẽtationẽ alicuius dubij cognitio accipiatur, secundo vt hoc sit intentũ ab eo qui tẽtat, tertio vt ipsemet qui tentat cognitionẽ illius rei decipere velit, secundum hunc modũ inuenitur tentatio in hominibus, secundum quod homo hominem tentat,* Angelicus doctor.

*vt experimentum sumat scientiæ vel alterius quod ignorabat: alia vero dicitur tentatio in qua saluantur duo ex his, scilicet manifestatio ignoti et intentio eius: & hoc modo tentare dicitur Deus vt patet in tentatione Abrahæ, præceptum enim de immolatione filii tentatio eius dicitur, quia per hoc manifestabatur qualis esset in obedientia & fide. hanc enim manifestationem Deus intendebat, sed tertium prædictorum huic tentationi defuit, non enim ad hoc tentauit Deus Abraham vt fidei eius cognitionem acciperet, quam prius sciebat, sed vt aliis manifesta esset in exemplum: alia vero tentatio est, in qua saluatur vnum tantum dictorum, scilicet manifestatio tentati, & sic dicitur caro tentare vel mundus, quia in his cognoscitur manifeste virtus vel infirmitas mentis, sicut in bello cognoscitur virtus militis quamuis hostes non impugnent, vt cognoscant sed vt vincant, vnde ipsa impugnatio virtutis tentatio dicitur, hoc autem est vel à principio intrinseco, scilicet ex corruptione carnis, & sic dicitur tentatio à carne: vel à principio extrinseco & hoc dupliciter, quia illud quod exterius est, vel impugnat per modum obiecti. & sic est tentatio à mundo cuius rebus corda hominum alliciuntur ad peccatum vel per modum agentis, qui trahit ad peccatum persuadendo, terrendo, blandiendo & sic de aliis: & sic dicitur esse tentatio ab hoste scilicet diabolo & ab his qui sunt membra eius, non ergo Deus tentat, vt sibi aliquid ignotum manifestum fiat sed vt aliis manifestetur vt dictum est.*

*Amarum tibi est socordi, præcepta Dei seruare.*

*Si audieris vocem Domini Dei tui, & obedieris*
322 *mandatis eius.* Quandonam Deus sua præcipit custodire præcepta? cum peruenerunt in mara, vbi aquas amarissimas inuenere? cur tunc suam inculcat mandatorum obseruantiam? vt denotaret quod socordi populo, qualis erat Hebræus, amarum erat sua custodire præcepta: sauet Orig. *Vbi posuit Deus iustitias & iudicia ibi, vbi amari-*
Origen. Hom. 7. *tudo, vbi sitis, & quod est grauius, sitis in abundantia aquarum, ibi posuit Deus iudicia & iustitias, alius non erat locus dignior, aptior, vberior quam iste vbi amaritudo est.*

*Qui Dei obseruat mandata, languoribus huius sæculi vitiosis non inficitur.*

*Si audieris vocem Domini Dei tui, & obedieris*
32[illegible] *mandatis eius*, quod præmium illos manet? *languorem quem posui in Ægypto, non inducam super te, Seu omnem infirmitatem quam intuli Ægyptiis, non inducam super te.* Quid? nullam ægritudinem sentiet mandatorum Dei obseruator? nullo languore afficietur? id capere non possum, quot enim in populo Israel, qui Dei custodiere præcepta & tamen ab infirmitatibus liberi non fuere, quot graues ægritudines sustinuere? aduerte non dixisse, absolute non inducturum languorem, sed eum qui Ægyptiis infuit? quis autem fuit languor Ægyptius nisi variis detineri peccatis? idololatriæ studere? post concupiscentias suas abire? en vt verissime dicit, se in custodientes mandata sua non immissurum languorem, qui infuit Ægyptiis, qui enim vocem Domini audierit, quod rectum est coram eo fecerit languoribus huius sæculi vitiosis non inficietur. mens est cit. Adamantij. *Quid videtur dicere, si quis seruat mandata, nullam ægritudinem patiatur? hoc est neque febricitet, neque* Adamant.
*alios corporis dolores ferat? non puto quod hæc sint quæ promittantur diuina mandata obseruantibus, alioquin iudicio vobis est Iob iustissimus & totius populi obseruantissimus, qui à capite ad pedes repletur vlcere pessimo: non his carere dicuntur infirmitatibus qui mandata custodiunt, sed non subeunt illas infirmitates quas Ægyptij habent. Ægyptius namque mundus appellatur figuraliter diligere ergo mundum & ea quæ sunt in mundo Ægyptius languor est dies obseruare & menses & tempora, signa requirere, stellarum cursibus adhærere, Ægyptius languor est, deseruire carnis luxuriæ & voluptatibus operam dare, vacare deliciis Ægyptius languor est, caret ergo his infirmitatibus & languoribus is qui mandata seruat.*

*Non sufficit scire mandata Dei, sed ea operibus exercenda sunt.*

*Si audieris vocem Domini Dei tui & obedieris mandatis eius, custodierisque omnia præcepta eius.*
Nonne satis erat populum ea docuisse seruanda? 323
cur necesse est vt præcipiat ea custodiri? quia non sufficit ea scire, nisi etiam operibus exerceas, hinc recte regius vates Psal. 118. dicebat, benedictus
es Domine, doce me iustificationes tuas, quæ Psal. 118.
verba extrema sui superficie, iis quæ paulo ante protulerat, videntur aduersari, dixerat enim in corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi: qui igitur Dei legem atque præcepta in corde condita seruabat, cur prætera edoceri postulat? diuina eloquia probe didicerat, quæ in corde absconderat, quid necesse erat vt discere ea quæreret, quæ optime callebat? an quia propheta sciebat, quod quia memoriæ tantum libro scribuntur, delentur facile, nisi probæ operationis actibus tanquam characteribus exarentur, discere cupiebat moribus & vita, quæ nuda scientia tenebat. recte Euthymius hic. *Quæ omnia mandata*, inquit, *tametsi in diuinis litteris antea didicisset, optat tamen* Euthym.
*reipsa atque operationibus addiscere melius.*

*Præceptum Dei auditur vt fiat.*

*Si audieris vocem Domini Dei tui.* Cur præcepta Domini traditurus, dicit vt audiant vocem 324
illius? cur non ait vt obediant Domino, mandata eius seruaturi? recte dicit cum audieris, vt cum verba Dei audire præcipimur, opere complenda intelligamus. scite Oleast. in c. 3. Genes. *Audisti, id est obedisti vsurpat Hebraismus frequentissime audire pro obedire, quod præceptum audiatur vt* Oleast.
*fiat.* Idem itaque verbum significat audire & obtemperare, vt disceremus tunc vere nos Dei verba audire, quum quod auribus excepimus ostendemus opere, adeo vt præceptorum diuinorum fontes steriles non simus non salices, non infœcundi calami, ac papiri, sed pomiferæ arbores omni tempore sapidissima, bonorum operum poma ferentes.

*Præceptum Dei, viuificans animam.*

*Si audieris vocem Domini Dei tui & custodieris*
*præcepta eius.* Cur cum ex abundantia aquarum 325
& siti sua recreantur, præceptorum Dei quæ obseruari deberent, facit mentionem? nonne in aliam potuit differre temporis opportunitatem? apte quidem hic præcepta inculcantur, nam sicut illa aqua dulcis effecta corpus eorum

refingerabat, & quasi à morte reuocabat: sic præceptum Dei quod erat spiritualis, animas corporis ex gratia Dei viuificatura. sic monet Procop. *Scriptura sacra sermonem componit aquis, nō enim aqua solum viuificat, sed etiam sermo Dei elargitur vitam, hic animam viuifica virtute roborat, illa corpus siti pœne enectam refrigerat & refocillat. hinc exclamat Christus, si quis siti premitur, veniat ad me & bibat, compellat quoque Samaritanum in hunc modum, quicumque biberit ex illa aqua quam ego dabo ei nequaquam sitiet in aeternū.* (Procop.) A

*Peccatum pluries infirmitatum causa.*

324 *Si audieris vocem Domini Dei tui & custodieris præcepta eius, cunctum languorem quem posui in Ægypto non inducam super te.* Sept. *omnem infirmitatem quam intuli Ægyptiis non inducam super te.* Ergo si non custodierint, inducet super eos infirmitatem Ægyptiis illatam; hoc non ait Moyses, Deum loquentem inducens: sed vere asseremus nostrarū infirmitatum originem, pluries esse peccatum. hoc asseruit hîc Hieron. ab Oleastro. *Aduerte,* inquit, *causam infirmitatum nostrarum quas hîc patimur, esse causam peccatum,* D. autem Primasius in c. 11. 1. ad Corinth. triplex infirmitatum assignat principium, *tribus ex causis* (inquit) *infirmitates corporales eueniunt, aut ex tentatione vt Iob & Tobiæ, aut peccato sicut Iosaphat & qui in presenti arguuntur ab Apostolo, aut ex negligentia, vel aliqua intemperantia, vt Timotheo.* (B; Oleast.; Primasius.)

*Deus vere medicus.*

325 *Si audieris vocem Domini Dei tui cunctum languorem quem posui in Ægypto non inducam super te quia ego sanator tuus,* Cald. *quia ego Dominus medicus tuus.* Cur nomen medici sumit? nonne satis fuerat eum tot prodigiis è terra Ægypti eduxisse? liberū & immunem reddidisse à persequēte Pharaone? cur & medicum eorum infirmitatū te polliceris? sua curent vulnera, sibi asciscant medicos: ita suos diligit, vt dignetur eorum esse medicus: sic eum appellat S. Augu. serm. 1. de temp. dum ait. *Medicus noster omnipotens est, consueuit plagas nostras curare, vt nec cicatricum vestigium post ipsius medicamina remaneat,* sermonis ferro nostra vulnera secantem idem S. Pater describit in Psal. 93. in hæc verba, *vere medicus fidelis medicinali ferro sermonis instructus secuit omnia vulnera, ideo quia talis prædictus & prænuntiatus erat talis etiam inuentus est*: medicum habes Deum, tantum tua vulnera secari permitte, non tegas, non occultes, non à medici huius manu subducas, ne putrescant, & collecta sanie magis te crucient. (C; D. August.; D)

*Deus non solum vere medicus, sed omnes alios superans expertissimos.*

326 *Si audieris vocem Domini Dei tui cunctum languorem quem posui in Ægypto,* Sept. *cunctam infirmitatem non inducam super te, quia ego Dominus sanator tuus,* Cald. *ego Dominus medicus tuus.* Medicum diximus esse, sed ad instar ne medicorum huius temporis qui medicamenta nesciunt infirmis adhibere, nisi larga mercede conducti? si conueniunt ægrotos, pecunia soluitur: toto cœlo aberrant, qui Deum talem medicum arbitrantur, gratis enim sanat, certam spondet salutem, vltro se se offert nostra curaturus vulnera. quod Aug. erudite confirmat in Psal. 102. *Tantū sub manibus medici esto, odit enim repellentem manus suas, non fit hoc in medici hominis manibus, ligari se volunt homines & secari, daturi pro incerta sanitate certum dolorem magnam mercedem, Deus te quem fecit, & certus curat & gratis, ferto ergo manus eius ô anima quæ benedicis eum, non obliuiscens omnes retributiones eius, sanat enim omnes languores tuos qui redimit de corruptione vitam tuam.* Gratis Deus sanat, & certam salutem spondet, cur huius medici manum fugis? non vis sanari? hanc dementiam æternis lues cruciatibus, & qui medicum non recipis leuiter, leuiterque vulnera curantem, senties iudicem grauiter tua punientem vulnera. (A; cit. S. Doct.; B)

*Vtilissima calamitatum medicina.*

*Si audieris vocem Domini Dei tui, cunctum languorem quem posui in Ægypto non inducam super te,* Sept. *omnem infirmitatem quam intuli Ægyptiis non inducam super te.* Scilicet plagas quibus Ægyptios debite affeci, à te remouebo. cur absolute non polliceris, te nullum languorem super populum tuum inducturum? cur restringis ad eum solum qui Ægyptiis illatus est? quia id tantū populo suo electo minime conueniens alia autem tribulatio vtilissima est electis medicina. sisto verba D. Laurentij Iustini. qui hæc in rem nostram affert de patient. c. 3. *Tribulatio conseruat, electum enim suum tunc magis diuina gratia erudiendo custodit, cum quasi percutiendo deserit, & quo durius ex dispensatione flagellat, eo amplius ex pietate conseruat, si tamen ea sponte suscipiat, Altissimus enim ipsam contulit pro medicina & vir sapiens non abhorret eam, quia cessare facit multa peccata, & quis nesciat quod melius est affligi dolore tribulationum, quam ardore vitiorum? & tamen cum corripimur à Domino donum ipsius considerare negligimus, & de tribulatione murmuramus, hoc est signum diuini amoris,* vis audire prudens, amaram tribulationis medicinam nullus respuit, nullus euomit, Altissimus eam parauit, eam offert, satis est vt dulcissima videatur, probū illud est monitū Tertul. de patient. c. 11. *quin insuper gratulari & gaudere nos decet dignatione diuina castigationis.* 327 (S. Laurent. Iust.; C; Tertulian.)

*Pœnitentia medicina salutaris.*

*Si audieris vocem Domini Dei tui, cunctum languorem quem posui in Ægypto non inducam super te, ego enim sum Dominus sanator tuus.* Quasi diceret inquit noster Lyranus, si propter peccatum te percussero, propter pœnitentiam veram te sanabo, & cur non sanaret cum pœnitentia sit salutaris medicina, teste Chrisolog. serm. 117? *Ægris* (inquit) *illa qua non sanis, pœnitentia medicina salutaris.* imo quæ ita salutaris est, vt omnium infirmitatum nempe vitiorum maculas abstergat, & omnem sanitatem nempe omnigenam virtutem inducat, formet, & firmet: sic enim opportune accinit Chrisost. qui ser. de pœnitentia hæc habet, *ô pœnitentia rutilantior auro, splendidior sole, quam nō vincit peccatū, nec defectio superat nec desperatio* 328 (D; Lyranus; Chrisol.; D. Chrysost.)

*doles, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit inuidiam.*

### *Qui in vno offendit omnium factus est reus.*

*Si audieris nomen Domini Dei tui, custodie-*
329 *risque omnia præcepta illius*, cur dixit *omnia*? Nonne satis erat dixisse, si custodiens præcepta illius? merito addit *omnia*, quia qui in vno deliquerit,
Iacob 2. factus est omnius reus teste S. Iacobo c. 2. Episto. suæ canonicæ sed quomodo potest fieri vt sit omnium reus? quia qui delinquit contra charitatem, in qua comprehenduntur omnia præcepta Dei, A reus vtique fit omnium. quemadmodum pulchrè docet Auctor operis imperfect. in Matth. hom. 35 *Sicut*, inquit, *miles si toto corpore fuerit armis vestitus, & vnam partem habuerit nudam, nihil ei prodest quod reliquo corpore fuerit ferro vestitus, si per illam partem sagitta eum percusserit, sed sic cadit, quemadmodum si totus fuisset nudus. & sic Christianus si iustitiam fecerit & in vno peccauerit similiter peccator statuitur ac si semper peccasset.* quod confirmat Innocent. 3. serm. 1. in Dominica 2. post Pascha, *reus itaque fit omnium præceptorum qui peccat contra charitatem, ex qua pendent omnia Dei præcepta.*

Auctor operis imp.

Innocent. 3.

## *VARIETAS LECT. Vers. 27.*

V*VIg.* Venerunt autem in Elim filij Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas.

B *Sept.* Et venerunt in Elim, & ibi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta arbores palmarum.

*Onk.* Et manserunt ibi iuxta aquas.

## EXPOSITIO.

V*Enerunt autem in Elim.* Hæc est sexta mansio fœlicior cæteris & vberior, *vbi erant duodecim fontes aquarum*, scilicet dulcium, *& septuaginta palmæ* quarum fructu suauissimo reficilicebat, *& castrametati sunt iuxta aquas* vt sine labore eas haurirent.

## CONCEPTVS.

### *Diligenter Deus prouidet ne discordiæ inter suos oriantur.*

V*Enerunt in Elim filij Israel vbi erant duode-*
330 *cim fontes aquarum, &c & castrametati sunt iuxta aquas.* Sed cur tam multi fontes vni exercitui offeruntur, quem sine dubio pauciores satura-
Lyranus. rent? optime noster Lyranus. *Dantur duodecim fontes secundum numerum duodecim tribuum, & sic qualibet tribus habuit fontem suum per se, ne ex communi haustu dissentio inter tribus oriretur.* quasi Deus non magis de extinguenda siti, quam de conseruanda concordia illius populi cogitaret.

### *Deus maiori necessitati consulit & abunde.*

331 *Venerunt in Elim filij Israel vbi erant duodecim fontes aquarum.* Quid refert scire, vtrum fuerint fontes aquarum & in duodenario numero? nōne satis erat dixisse, castrametatos in Elim? non est dubium quin in deserto aqua eis deficeret: consulto igitur fontes aquarum nominat, & hos, duodecim, vt notum esset omnibus, Deum vrgentiori suorum necessitati consulere, & id abun-
Abulens. dantissime. *Nominauit hic fontes* (inquit Abulens.) *tanquam id quod erat principalissimum, nam Hebræi ambulantes per solitudinem frequenter patiebantur deffectum aquarum, ideo pretiosius quod ipsi existimabant aqua erat. & sic fontes præcipue hic nominati sunt.*

### *Commodo nostro studemus.*

332 *Venerunt in Elim filij Israel vbi erant duo-* C *decim fontes aquarum. & castrametati sunt iuxta aquas.* Cur iuxta eas cum non adeo sit salubre iuxta aquas manere? ne mireris iuxta fontes aquarum castrametatos fuisse, suo enim studebant commodo, vt sine labore aquas exinde possent haurire: sic enim ait cit. Episcopus. *Castrametati sunt iuxta aquas, vt sine labore eas haurirent manentes apud eas.* Tostatus.

### *Pietatis fluentis scateant populi, tanquam fontes perennes.*

*Venerunt in Elim filij Israel vbi erant duo-* 333
*decim fontes aquarum.* Extincta siti in aquis dulcibus, in dulces unitatis, ligno in eas cōiecto, voluptas geminata contingit. quandoquidem quoties præter spem incidit, maiorem affert voluptatem, D impletis deinde hydriis, discesserunt tanquam epulati, in festiuissimo conuiuio, ebrietate non temulenta ebrij; sed illa sobria, quam meracam hauserant, ex propinatione sui principis pietate deditissimi. atque ita peruenerunt in stationem ab Ægypto sextam, aquam habentem & arbores, cui nomen Elim, irriguam duodecim fontibus aquarum apud quos erant septuaginta palmæ virētissimæ; sed quid denotat hæc duodecim aquarum fontium inuentio? ait enim Philo. *Bonum omen erat illigenti, si quis perspicacibus oculis obseruet.* sed quodnam bene ominatur populo Israelitico? respondet *ea diuiditur in duodecim tribus, singula fonti similes vt quæ pietatis fluentis scateant, vnde indesinenter proficiscuntur præclara facinora*, pietatis fluentis scateant populi tanquam fontes perennes.

Philo lib. de vita Moy.

*Principes suauissimos fructus bonorum operum ferant.*

334 *Venerunt in Elim filij Israel vbi erant duodecim fontes aquarum*, quidnam amplius? *& septuaginta palmæ.* Hic palmarum numerus & palmæ potiusquam altæ arbores latenterne aliquid indicant dignum obseruatione? quidni? nonne septuaginta principes erant populi Israel? sed cur palmis denotantur? suauissimum fructum palmæ ferunt, principes igitur non sunt infœcundi, sed omnigeno virtutum fructu pollere debent, subscribit Philo. *Principes familiarum totius gentis fuerunt septuaginta merito assimilati palmæ arborum præstantissimæ, quæ aspectu pulcherrimum fructum quoque fert optimum & vitalem, vim habet non in radicibus defossam, vt cæteræ, sed in summo, quasi cor situm in ramorum medio, è quibus circumquaque stipatur seu princeps à suis satellitibus.*

Philo. lib. de vita Moy.

*Ad prælati conspectum alij informentur, & virtutum fœtus concipiant.*

335 *Venerunt in Elim filij Israel vbi erant septuaginta palmæ.* Noster Bartholomæus Anglic. de rerum proprietate lib. 17. cap. 116. sermonem instituens de palma, hæc de ea testatur, Palmarum duplex est species, masculus & fœmina, masculus primo floret, fœmina post in germen prorumpit, nec fructificat fœmina nisi ita sit propinqua masculo vt saltem mediante masculi vento, semina profundat, quid hoc est cum prælatus teste Philone palma denotetur, & fructum non proferat palma fœmina nisi in conspectu palmæ masculæ? nonne prælati sponsa est Ecclesia cui præficitur, vel congregatio cui dominatur? sicut ergo hæc non fœcundatur, nec frugifera est nisi in conspectu alterius, sic nisi ad prælati conspectum, grex difficile virtutum fœtus concipit. quod rectè obseruat Hugo Carens. ponderans illa verba 1. Petri 5. pascite qui in vobis est, gregem Domini, forma facti gregis. *Notandum,* inquit *quod dicit, forma non vtique substantialis sed accidentalis, & talis separata à subiecto nihil est, sic ergo prælatus separatus à grege suo nihil est Job 18. habitent in tabernaculo socij eius qui non est*, optimè quidem, frustra de superioris nomine blanditur qui abest à grege, cuius est forma, cuius est palma virilis, pergit Hugo. *Item forma dicit, vt ad eius aspectum alij informentur & concipiant fœtus similes sicut ad virgas Jacob concipiebant oues Genes. 30. sic fuerunt formæ gregis antiqui prælati Augustinus & cæteri confessores & martyres, qui non causa dominandi sed causa laborandi prælaturas susceperunt.* Abeunt ab hac nota, qui ab grege ab sunt, qui masculæ palmæ nomen nec proprietatem habent.

Noster Barth. Angl.

1. Petr. 5. Hugo Carens.

Iob 18.

*Prælatus non frangatur aduersitate, & pondere.*

336 *Venerunt in Elim filij Israel vbi erant septuaginta palmæ.* Quibus superiores & principes diximus ex Philone denotari. De palma autem hoc certum, quod diuturnis vestita frondibus, sine vlla successione conseruans folia sua tempore hyemis, quæque quo magis premitur aliquo onere, eo magis in altum fertur, nesciens cedere palma, quid hoc est? palma sit similiter prælatus fortis, inflexibilis non cedens tentationum & aduersitatum ponderi, bene Grego. Nazian. oratione in laudem Heronis, confert optimum prælatum adamanti, qui nullis ictibus potest labefactari. *Quemadmodum nec adamas (inquit) percutientium ictibus labefactatur, ita viriliter curemus vt alij per nos meliores efficiantur.* Abit ab adamantis duritie ac firmitate, qui passionum ictibus frangitur, & aduersitatum moli scit cedere.

Greg. Naz.

*Prælatus ab innocentia sua non decidat.*

337 *Venerunt in Elim filij Israel vbi erant septuaginta palmæ.* Quas, superiores adumbrare diximus, sed in eis speciale hoc annoto, quod diuturnis vestiantur frondibus, & folia sua sine successione conseruent, quid hoc est? an quod speciale est palmæ reperietur in superiore ei assimilato? quidni? si fieri potest, ab innocentia enim semel habita excidere non deberet. sic enim D. Ambr. lib. 3. hexam. cap. 17. eum alloquens ait. *Serua viriditatem pueritiæ tuæ, & illius innocentiæ naturalis quam à primordio recepisti, vt plantatus secus decursus aquarum fructum tuum in tempore tuo habeas præparatum & folium tuum non defluat.*

D. Ambro.

*Labores nostros & ærumnas corona triumphalis suscipit.*

338 *Venerunt in Elim filij Israel vbi erant septuaginta palmæ.* Cur post tot & innumeros labores in Ægypto toleratos, post difficultates transitus maris rubri, post solitudinis situm, post aquarum amaritudinem, palmas inueniunt? non est dubium quin palma sit arbor victoriæ, sic dicta teste Isidor. quod manus victricis sine obtinentis victoriam sit ornamentum; quid mirum nunc si palmas inuenerint? labores enim nostros & ærumnas victoria suscipit triumphalis; consentit S. Prosper 1. par. c. 38. *Post dura exilia, post ærumnas eremi ac maris rubri transitum Dei populum victrix palma suscipit.*

Isido. Hisp.

S. Prosper.

*Qui crucis mysterium animo voluunt, Christus vel crux ipsa possent nominari.*

339 *Veneruntin Elim filij Israel vbi erant duodecim fontes aquarum & septuaginta palmæ.* Communis est fere patrum sententia, tam fontibus quam palmis, Euangelij prædicatores adumbrari; sed cur palmæ dicuntur prædicatores? quid inter vtrumque commune? palma enim nisi centum annorum reuoluto tempore, fructum non emittit; prædicator autem quot fructus virtutum, in mentibus auditorum producit, & pluries breuissimo tempore? aduerte prædicationem Euangelij

crucis Dominicæ, Christi Domini enuntiationem esse, Christus autem vel ipsa crux, plures in scriptura palma nominatur; sic enim Sanctus Cyprianus in oratione passionis Christi, seu quisquis ille sit cuius oratio est inter opera Cypriani, dicens, ascendisti Domine palmam, quia illud crucis tuæ lignum portendebat triumphum de diabolo, vel de principatibus, vel nequitiis spiritualibus victoriam. hoc idem prosequuntur clarius Philo Carp. & Aponius: nomine autem palmæ, ascendam in palmā & apprehendā fructus eius cant. 7. intelligunt Christū Iustus Orgelit. & Hugo Victori lib. 1. instit. monas. c. 25. minuitur (inquit vltimus) ascendentis labor, dum fructus in arbore sentitur odor, difficultatem ascensus aufert dulcedo gustus, palma est Christus, fructus eius salus, spes salutis in ligno crucis, sic autem Thomas Cisterc. palmæ nomine, victoriosa crucis arbor designatur, arbor enim bona dat frondibus vmbraculum, floribus ornamentum, fructui alimentum, folia sunt verba, quæ protulit in cruce Christus, flores sunt, sanguis pro nobis in cruce effusus, fructus in cruce pendens Dominus: folia itaque sunt vmbraculum contra æstus vitiorū, sāguis præstat ornamentum spiritualium bonorum, fructus qui est Christus præstat alimentum; ne mireris ergo si cum toties nomine palmæ, crux & Christus designentur, & de vtroque continuo sermo instituatur, quod ex hoc tum crucis, tum crucifixi affectu, prædicatores palmæ nominentur? qui enim crucem diligit, Christum amat, de vtroque affectuose loquitur, crux & Christus appellari potest, cum vnusquisque sit, quod amat, quod veneratur: ex quo optime D. Petrus Damia. serm. de inuentione crucis. *Nec immerito plane prædicatores crucis palmarum videntur nomine figurari, dum & ista crux iure dicenda sit palma, quia in ea scilicet facta est de prostrato mundo hoste victoria, sicut de ipsa cruce sponsus ad sponsam dixit ascendam in palmam.* Vbi & mente & ore crucem, & crucifixum voluunt, merito ipsi effecti apparent & palmæ & crux, & Christus.

Cyprian. — Philo Carp. — Aponius. — Iustus Org. — Hugo Vict. — Thomas Cister. in cant. — Petr. Dam.

*Ab Apostolis vniuersus mundus non solum instruitur salutariter, sed triumphum ab hostibus refert.*

540 *Venerunt autem filij Israel in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum & septuaginta palmæ.* Cur fontes cum palmis coniunguntur? nam licet ad innuendum, Deum eorum siti abundantissime satisfecisse, Moyses mentionem fontium fecerit, ad quid palmas memorat? licet enim earum fructibus suauissimis potuerint recreari, tamen secum detulerant alimenta, sicque silentio eas obuoluere potuit, cum ad seriem historiæ, nec ad aliquam necessitatem requiri videatur earum memoria: aduerte duodenario fontium numero, duodecim Apostolos denotari: recte ergo fontes cum palmis connectuntur, quia ex Apostolorum fructibus, omnes gentes non solum salutarem doctrinæ aquam hauserunt, sed etiam suarum victoriarum palmas aduersus animæ hostes irrigarunt, quod annotat Origenes hom. 7. qui non solum in duodecim fontibus, duodecim Apostolos sed in septuaginta palmis septuaginta Discipulos significari existimat. *Nec enim*, inquit, *soli duodecim Apostoli fidem Christi prædicauerunt, sed etiam alij septuaginta missi ad prædicandum referuntur per quos palmas victoriæ Christi mundus cognosceres*, cum sequitur Petrus Damianus serm. de inuentione sanctæ crucis, *Quid duodecim fontes nisi duodecim Apostoli? quos Dominus ad hoc constituit vt arida & squalentia humani generis pectora suæ prædicationis inundationibus prædicationis irrigarent, quid vero septuaginta palmarum arbores? nisi totidem discipuli quos ante faciem suam idcirco misit vt per eos victoriæ suæ palmas mundus agnosceres.*

Origenes. — Petr. Dam.

*Ab amaritudine legis transiit populus ad Euangelij gratiam.*

541 *Venerunt filij Israel ad Elim vbi erant duodecim fontes aquarum.* Cur hic obseruatus ordo, vt prius peruenerit populus ad mara, vbi solum aquæ reperiuntur amaræ, quam fontes aquarum repererit? reuoca in memoriam per huiusmodi aquæ amaritudinem, legem litteraliter intellectam adumbrari, per fontem aquæ dulcis gratiam Euangelicam certum est intelligi, teste Christo Domino apud Ioann. 4. dicente, aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, in quæ verba Ammonius in cat. Græc. Spiritus sancti gratiam scripturæ quandoque quidem ignem, quandoque aquam vocant: quo posito sic respondet cit. Cardinal. Ostiensis. *Satis congruè videtur consequentium rerum ordo dispositus, vt primo populus duceretur ad litteram legis, à qua nimirum dum amara fuit, transire non potuit, & post quam per lignum vitæ dulcis effecta, & intelligi spiritualiter cœpit, ilico Dei populus de veteri testamento ad apostolicos fontes & palmarum arbores, id est ad Euangelij gratiam transiit.*

Ioan. 4. — Ammon. — Petr. Dam.

*Lex antiqua longissime superatur à lege gratiæ.*

542 *Venerunt filij Israel in Elim vbi erant duodecim fontes aquarum.* Diximus filios Israel venientes ad mara aquæ amaritudine laborasse, eamque non nisi ligni iniectione potare potuisse, typum in illa fuisse veteris testamenti. sed quomodo in mara solum vnus reperitur fons & hic amarissimus? hic autē non vnus vel alter, sed duodecim fontes, imo etiam & septuaginta palmæ? quidni reperirētur, cum his lex gratiæ denotetur, quæ in omnibus gratiarum donis eam longe superat? sisto verba sancti Ambr. serm. 38. quæ est de Dominica secunda quadragesimæ. *Videte mysterium Dei, quemadmodum post amaritudinem legis fluenta pietatis Euangelicæ exuberent ibi fons vnus austerus ad bibendum, hic plures & omnes dulces sunt ad potandum: ibi post fatigationem nulla refectio, hic post laborem refrigerium atque victoria, sitientibus enim fontes ministrantur, palmæ vincentibus offeruntur.*

D. Ambr.

*Adeo eximias vires præstat lex gratiæ, vt qui ad eam peruenerit iam ab omnibus victoriam retulisse videatur.*

*Venerunt filij Israel in Elim vbi erant* 543

*duodecim fontes aquarum & septuaginta palmæ.* A In fontibus aquarum dulcium legem Euangelij melleam denotari diximus; cur & ibidem palmæ reperiuntur: nam si palma victoriæ symbolum est, nonne cum in legem gratiæ peruenimus cum hoste spirituali pugnandum, teste S. Apostolo qui ait bonum certamen certaui, antequam corona triumphali donemur? *ad* enim, in reliquo scilicet post certamen, reposita est mihi corona iustitiæ: non appareant igitur ibi victoriales palmæ, imo cum fontibus eas reperere ũt, qua adeo eximias vires præstat lex gratiæ, vt qui ad eam peruenerit, iam ab omnibus victoriam retulisse videatur: mens est cit. S. Episc. Mediolan. *Palmæ offeruntur vincentibus, quia post legis duritiem ad Euangelij gratiam peruenisse, vicisse est, præmium enim quoddam victoris est, et viuo fonte diluere & dexteram triumphali palma munire, per fontem enim lingua confessoris purificatur, per palmam, dextera martyris coronatur illa quia Christi exaltauit gloriam, hæc quia aram sacrilegij recusauit, præmium enim quoddam est palma martyris, quæ confitenti linguæ fructum dulcem tribuit, & victrici dexteræ gloriosum præstat ornatum.* Cit Episc. Mediol.

Eodem ordine tum versionum, tum conceptuum stilo, alterum sequitur volumen prope diem promendum: vtinam in Dei gloriam, Immaculatæ semper Virginis & Seraphici nostri Patriarchæ honorem, nec non omnium vtilitatem.

FINIS.





# INDEX AMPLISSIMVS CONCEPTVVM ad conciones tum de tempore tum de sanctis conficiendas.

Primus numerus paginam, secundus conceptum denotat.

## Dominica prima Aduentus. Luc. 21.



*Ex aliis Euangelistis suppletur finalis iudicij narratio.*

## Dominica secunda Aduentus. Matth.11.

---

Dominica tertia Aduentus.
Ioann. 1.

## Dominica quarta Aduentus. Luc 3.



## Dominica infra octauam Epiphaniæ quæ est 1. post Epiph. Luc. 2.

## Dominica 2. post Epiphaniam.
### Ioann. 2.



Deficiente

*Deficiente vino.* Ecce necessitas & indigentia in ipso connubio, vt nulla est tenacitas humana, quæ commixta non sit æruminis, f. 164. c. 253. [illegible] f. 601. c. 598.

*Deficiente vino.* Ea quæ putas tibi esse felicitas, [illegible] deficient, f. 219. c. 175.

*Vinum non habent.* Aliorum necessitatibus compatiendum vt subueniamus, f. 57. c. 38. non solum autem verbis sed & opere si fieri potest, succurramus, f. 88. c. 183.

*Vinum non habent.* Nonne erant & discipuli Domini cum eo vt necessitatem ei aperire possent? cur ergo sola Maria eam indicat? quia mulieres vt in primum viros superant compassione, f. 35. c. 15.

*Deficiente vino dixit vinum non habent.* Quid modestius? quid humilius? quod illa cui subditus erat filius, tam paucis verbis vtatur, [illegible] quo enim quis sanctior eo humilior, f. 215. c. 147. f. 156. c. 144.

*Nondum venit hora mea.* Quænam est hora Christi ad patrandum miraculum? quam aptior [illegible] Maria petit? scilicet ex pectat [illegible] et necessitas appareat, miracula enim [illegible] nisi necessitate vel precibus legiti[illegible] f. 281. c. 46.

*Nondum venit hora mea.* Licet horam suam nondum [illegible] dixerit, nihilominus aquam in vinum commutauit: nec mirum, dixerat enim Deipara quasi orans, vinum non habent, illa enim oratio maxime proficua est, quæ proximorum agit negotia, f. 175. c. 123.

*Nondum venit hora mea.* Quid expectat Christus ad patrationem miraculi quod supplicat eius pia mater? num vt supplicatio à multis fiat? forte, cum ad aliquid impetrandum sit efficacissima de precatio, f. 435. c. 49.

*Dixit Iesus implete aqua hydrias & impleuerunt eas vsque ad summum.* S. Chrysost. hom. 22. editi. Angl. pag. 646. cur ipse aquam non attulit ac deinde vinum exhibuit, sed hoc ministris præcepit vt nimirum ipsos facti testes haberet, neque vllum præstigium fuisse comprobaret, nam si qui impudenter miraculum extenuassent ministri iis respondere potuissent, atque testari se aquam hausisse, ita sunt miracula vera Christi vt negari non possint, f. 407. c. 103.

*Et crediderunt in eum discipuli eius.* Orig. illud autem crediderunt in eum accipiendum pro firmiores facti sunt in fide] miracula enim non imponunt fidei necessitatem, f. 190. c. 6.

*Manifestauit gloriam suam.* Deus se gloriosum credit cum suis beneficiis, f. 28. c. 192.

## Dominica 3. post Epiphaniam.
### Matth. 8.

CVm descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Ac si diceret, cum descenderet ad humilitatis officia, tunc ascendit & ab hominibus cognitus & adoratus est, nimirū ab humilitate honor, dignitas, & excelsitas aduenit, f. 225. c. 190. f. 53. c. 90. f. 264. c. 81.

*Cum descendisset Iesus de monte secutæ sunt eum turbæ.* Cur non sequerentur eum? potius comitate & suauitate quam terrore & seueritate allicientur homines, folio 76. con. 123.

*Secutæ sunt eum turbæ.* Orig. hom. 5. quidam propter charitatē sequebantur, plerique propter Doctrinam, nonnulli propter admirationem, & curationem] felix ille qui Deo obsequuturus soli Deo propter ipsum seruiat, f. 230. c. 2.

*Secutæ sunt eum turbæ.* Idem Orig. descendente eo de monte turbæ sequutæ sunt eum, quæ in montem ascendere nequaquam poterant, quia quos delictorum sarcina deprimit, ad mysteriorum sublimia scandere non valent, f. 611. con. 671. f. 504. c. 476.

*Secutæ sunt eum turbæ.* Euthy. considera turbarum beneuolentiam, ipsi siquidem doctrinam sublimem auribus percipiebant, & admirabantur ac sequebantur; Principes autem ipsorum & scribæ promulgantibus quoque virtutum signis, offendebantur, nec credebant] nec mirum, principes enim vt in plurimum veritatibus audiendis sunt surdi, f. 262. c. 24.

*Secutæ sunt eum turbæ.* Haymo. demonstratur doctoribus vt in prædicatione sua sermonem habeant temperatum, & sicut viderint vnumquemque capere posse, ita & verbum Domini annuntient, ascendunt enim in montem doctores cum perfectioribus excellentiora præcepta ostentant, descendunt vero cum infirmioribus leuiora demonstrant] non enim statim omnibus Dei mysteria aperienda, f. 228. c. 208.

*Et ecce leprosus.* Chrysost. hom. 21. in Imperf. inter cæteros autem qui montem non ascenderunt, & leprosus sursum ascendere non valebat quasi peccatorum baiulans pondus] nihil enim peccato onerosius & grauius, f. 29. c. 104.

*Adorauit eum.* Idem Chrysostom. antequam peteret, adorauit eum, cultum ostendens;] Deus enim ab omnibus colendus quia dat omnibus esse, f. 388. c. 42.

*Domine si vis potes me mundare.* Non dixit munda me, in petitionibus nostris debemus esse prudentissimi. f. 427. c. 21.

*Si vis potes me mundare.* Origen. homil. 5. Domine per te omnia facta sunt tu ergo si vis, potes me mundare, voluntas tua opus est] imo operum Dei voluntas eius æquissima regula, fol. 419. c. 145.

*Domine si vis potes me mundare.* Chrysost. hom. 20. non dixit si rogaueris Deum, neque si oraueris, sed si volueris, potes me mundare neque dixit munda me, sed se totum ei concedit, & Dominum eum facere & potestatem ei vniuersorum tribuit] quidni? cum sit omnipotens, f. 277. c. 33.

*Si vis potes me mundare.* Deus enim ad modum medici se habet in curandis nostris infirmitatibus, f. 419. c. 26.

*Et extendens Iesus manum tetigit eum.* D. Damas. lib. 3. orthodoxæ fidei, c. 15. non enim Deus solum erat sed homo vnde per tactum, & per sermonem diuina signa operabatur, ] Dei enim potentia nullis mediis alligatur, f. 341. c. 67.

*Et extendens manum.* Bonam principis & superioris manum, quę ad dandum non ad accipiendum extenditur, vere enim princeps est qui ideo regnat non vt à subditis accipiat, sed vt eis benefaciat, f. 126. c. 71.

*Tetigit eum.* Origen. hom. 5. & quid est quod

## Dominica 4 post Epiphaniam.
### Matth. 8.



## Dominica 5. post Epiphaniam.
### Matth. 13.

fuerit triticum necesse est vt inueniatur illic & Zizania, sic vbicumque fuerit bonum Dei, illic erit & scandalum inimici, ecce proposuisti facere eleemosynam, sed ascendit super cor tuum velle hominibus apparere, en horreum triticis destinatum, in Zizania flammis tradenda commutatum, ergo nihil rectius, nihil magis necessarium quam rectam in omnibus intentionem habere, f. 623.c.678.

*Vis eamus & colligimus ea & ait.* Num ministrorum voces sunt ad vindictam properantium quas Dominus patienter retardat, non quod supplicium de malis sumendum non sit, sed quod in punitione cunctandum est, f.282.c.53.

*Et ait non.* Hierony. datur enim locus pœnitentiæ & monemur ne cito amputemus fratrem] Deus enim tarditate suplicij ad pœnitentiam vult prouocare, f.282.c.54.

*Sinite vtraque crescere.* Malis propter bonos beneficia Deus confert, f.311.c.43.

*Ne forte colligentes zizania, simul eradicetis & triticum.* Bene quidem, nam vt virtutis triticum radices mittat & robustius consurgat, excitatione malorum opus habet, f. 23.c.80.c.82.

*Ne forte colligentes zizania, &c.* Chrysost. hom. 47. hoc dixit Dominus prohibens occisiones fieri, qui enim alios occiderit sanguinem occisorum habebit carnificem & occisorem, fol. 43. con. 158.

*Colligite zizania & alligate in fasciculos ad comburendum.* Quo magis Deus supplicium differt eo grauius illud Deus infert, f.259.c.25.

*Colligite zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Et merito comburi debent in inferno hæretici, quia cum alios peruersis suis dogmatibus in infernum deiecerunt ipsi & etiam detrudendi sunt, f. 509.c.273.

---

## Dominica sexta post Epiphaniam. Matth. 13.

*Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* S. Greg. lib. 1. moral. c. 19 ipse quidem nempe Christus est granum sinapis, qui in horto sepulturæ plantatus, arbor magna surrexit, granum namque fuit, cum moreretur, arbor cum resurgeret, granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam majestatis] & recte quidem granum minimum fit arbor præcelsa, quia ab humilitate celsitudo, fol. 264. con. 81. quanto enim quis se deprimit maiorem consequetur exaltationem, f. 191.co.81.

*Simile est regnum cœlorum grano synapis.* S. Hilar. Can. 13. grano synapis seipsum Dominus comparauit acri semini, & omnium seminum minimo, cuius virtus pressuris accenditur,] & merito, nam pressuris & persecutionibus quilibet iustus accenditur & crescit, f. 23. c.80.

*Grano synapis.* Pulchrè cum synapi virtus componitur, quæ tribulationibus crescit, & perficitur, tribulatio eum iustos non minuit sed fœcundat, f. 1. con. 3. imo à pressuris magni character sumitur, f.71. c.104. his iusti non consumuntur, sed puriores euadunt, f.115.c.52.

*Grano synapis.* S. Paulinus Epist. 6. memento granum synapis, de quo semine sumus si conteratur accendi magis, & tum demum in vim suam excitari, quamobrem debemus, quasi naturæ nostræ in hoc respondere, vt aduersis sermonibus contriti inardescamus, & eos ipsos qui nos vt minimos hominum quasi granum synapis quod minimum est, frangere conantur, vramus,] egregius quidem Doctor tribulatio quæ hominem sui officij admonet & ad eum manu ducit, fol. 232. con. 10.

*Simile est regnum cœlorum fermento.* S. August. lib. 1. qq. Euang. c.12. fermentum dicit dilectionem eo quod feruescere facit & excitat, quia charitas in mente nostra recondita eousque crescere debet vt totam mentem in sui perfectionem commutet, nunquam enim in virtute cessandum, sed semper maiori perfectioni inuigilandum, f. 336. c. 137. f. 499. c.49. f 495.c.208.

*Simile est regnum cœlorũ fermento* Cyrill. lib. 4. in Ioann. c. 17. sicut parũ fermenti totam massam fermentat, sic tota benedictio totum hominem in seipsum attrahit, & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo] en quomodo Christus in Eucharistia est fermentum quo inferventemur dij effecti, f. 496.c.211.212.

*Simile est regnũ cœlorũ fermento, &c.* Isidorus Pelus. in Cat. Græca. sup. Luc. c. 13. cœlorũ regnum fermento comparatum est, hoc est Domini nostri Incarnationi peccati omnis experti, quæ vniuersum terrarum orbem conspersit & vnius corporis ex nostra substantia, atque à Dei genitrice Maria accepti, coagmentationi quæ homines omnes, qui ab orbe condito extiterunt, ad nouum ortum renouauit,] diuinitatis semina nobis infundens, f 459.c.71.

*Simile est regnum cœlorum fermento.* S. Hilar. Can. 13. fermento se Dominus comparauit fermentum enim de farina est quod virtutem acceptam aceruo sui generis reddit] Christus enim non solum immaculatus sed etiam nos tales efficit, f 457.c.64.

*Simile est regnum cœlorum fermento.* Cyrill. suscipiamus itaque corde & animo diuinum illud ac spiritale fermentum, vt tam pretiosi & sancti fermenti participes effecti, spiritualiter azymi inueniamur] morum enim synceritatem à nobis requirit Deus, f. 523.c.329.

---

## Dominica in Septuag. Matth. 20.

*Simile est regnum cœlorum patrifamilias qui exiit primo mane, &c.* Pater familias attẽdre debet vt nullus sit in domo qui Deo nõ seruiat, f.608.c.620

*Simile est regnum cœlorum patrifamilias.* Auctor operis Imp hom. 54. in Matth. homo Pater familias Christus est cui cœli & terra quasi vna est domus] Christus enim ita suorum amator vt non solum quasi Pater familias sed tanquã nutricius eos, in suis portet vlnis, f. 805.c.172.

*Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Licet pro nobis vigilet Deus, tamen nos obuoluti tenebris dormimus, f. 613.c.636.

*Exiit primo mane.* Orig. tract. 10. totum autem hoc sæculum præsens vnum diem dicere possumus] cur vnus dies dicetur? quia vita nostra si attente consideretur, tanquam transitus arctissimus est, fol. 499.c.231.

## Dominica Sexagesimæ.
## Luc 8.

quæ Dei mandata in corde suo descripsit vt ea custodiat, f. 644. c. 57.

*Aliud cecidit in terram bonam.* Cyrill. sunt autem terra pinguis & ferax animæ honestæ & bonæ quæ scilicet sæcularibus curis non adhærent, fol. 123. c. 81.

*Et fructum afferunt.* Totum enim vitæ nostræ curriculum bonis operibus impendendum, fol. 519. c. 356.

*Fructum afferunt in patientia.* quid enim non obtinet mirabilis sanctorum patientia? fol. 407. con. 104.

## Dominica in Quinquagesima. Luc 18.

ASsumpsit duodecim discipulos suos secreto. Omnes adsciscuntur, omittitur nemo, vt impleat boni Prælati munus qui potius præ alio non admittit acceptionem, f. 451. c. 57.

*Assumpsit Iesus discipulos suos secreto.* Cur secreto? quia indignus Dei donis est, qui sine secreto & delectu aliorum auribus ea committit, f. 52. c. 20.

*Ecce ascendimus Hierosolymā.* Pedibus suis ascendunt discipuli, & iubentur aduertere, scilicet se ipsa ascendere, scilicet in via ad virtutem semper incedendum non retrogrediendum, f. 336. c. 137. f. 499. c. 130.

*Ecce ascendimus Hierosolymam.* Ad cœlestem visionem, sed cur ascendere necesse? cur eos ab hoc labore ascēdendi nō eximit? dices, quia quod absque labore acquiritur, non æstimatur, f. 143. con. 178. sed addere liceat, quia nemo ad cœlestem Hierusalem sine maximo labore perueniturf, f. 240. c. 48.

*Ecce ascendimus Hierosolymam.* Via virtutis accliuis & aspera est, f. 36. c. 136. ad quam ascendendo sensim accedendum, f. 604. c. 610.

*Tradetur gentibus, & illudetur, flagellabitur, &c.* Christus enim figuratus, est per sanguinem suum principatum Diaboli destructurus, f. 281. c. 50.

*Tradetur gentibus & illudetur & occident eum.* Imo & ab iis pro quibus morietur, occidetur, qui eum vt benefactorem liberare deberent, fol. 463. c. 85.

*Tradetur illudetur, &c.* Christus vt nos liberaret seipsum obtulit in sacrificium, folio 450. con. 40.

*Tradetur gentibus.* Et licet sit innocentissimus, tamen ab impiis sceleratus reputatus interficietur, f. 458. c. 66.

*Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans.* Vere cæcus est mundus qui in mundialibus bonis veram voluptatem inuenire præsumit cum sint molestiis plena te voluptatis vacua, f. 495. c. 196.

*Cæcus quidam.* Vere cæcus est mundus, qui quæ in eo sunt non transitura arbitratur, sed fallitur, omnia enim quæ in orbe sunt in orbem incessanter voluuntur, f. 601. c. 597.

*Cæcus quidam.* Cæcitas generis humani temporibus legis, naturæ, & Prophetarum, f. 413. c. 122.

*Clamabat.* Clamor noster si iustus fuerit exauditur, f. 98. c. 224.

*Clamabat.* Oratio afflictorum refugium, f. 244. co. 79.

*Clamabat.* Licet omni tempore, sed maxime in afflictione Deus inuocandus, f. 314. con. 50.

*Quid vis vt tibi faciam?* Videtur loqui Christus tanquam si cogeretur & obsequium deberet orationi, misericors enim Dei oculus quasi paret supplicanti, f. 138. c. 155.

*Domine vt videam.* Puto non adeo bonam rem postulabat nam oculorum vaga licentia periculosissima est, f. 640. c. 44. c. 45. c. 46.

*Domine vt videam.* Potius cœlestia postulare deberet, f. 346. c. 28.

*Domine vt videam.* In petitionibus nostris simus prudentissimi ne repulsam pati velimus, f. 427. co. 21.

*Respice.* In oratione Domini percipitur auxilium, f. 48 c. 2.

*Respice.* Suorum Deus orationem promptissime exaudit, f. 375.

*Et confestim vidit.* Miracula Christi Domini negari non possunt f. 407. c. 3.

*Et sequebatur illum magnificans Deum.* Accepto à Deo beneficio ilico gratias impende, f. 636. c. 25. & pro quacumque re aduersa vel prospera grates referas Deo immortales, f. 629. c. 2.

*Magnificans Deum.* Laus Dei semper enarranda, f. 646. co. 69.

## Dominica prima Quadragesimæ. Matth. 4.

DVctus est Iesus à spiritu. Ducitur vt tentaretur, non dicitur quod seipsum duxerit, licet enim haberet voluntatem rectissimam, & ideo in nullo errare potuerit, sed in hoc quod duci voluerit, docuit periculosissimum esse propriam sequi voluntatem, pessima est enim magistra, f. 381. c. 14.

*Ductus est Iesus à spiritu.* Dei voluntatem in eius obsequio expectare debemus, f. 418. c. 142.

*Ductus est Iesus à spiritu vt tentaretur à Diabolo.* Quando autor operis imperf. hom. 5. postquam "baptizatus est Dominus à Ioanne, tunc scilicet "quando Pater clamauit de cœlo, hic est filius "meus dilectus] quo ad Deum propius accedis maiores sentis tentationum aculeos, f. 250. c. 85.

*Vt tentaretur à Diabolo.* Chrysost. hom. 13. in Matth. quisquis ergo post baptismum maiores "sustines tentationes, non turberis, etenim propter "hoc accepisti arma, vt non vaces, sed vt præliens] "qui enim virtutibus studet tentationibus variis probatur, f. 81. c. 151.

*Vt tentaretur à Diabolo.* Descendens in Ægyptum huius sæculi variis obnoxius tētationibus, f. 3. c. 6.

*Vt tentaretur à Diabolo.* Viderat Iesum humillimum in deserto iuste & pie viuentem, tentat vt de sede perfectionis eum deiiciat, in hoc enim laborat Diabolus, ne virtus augmentum accipiat, & ne studiosus faciat progressum, folio 31. con. 116.

*Cum ieiunasset.* Chrysost. hom. 13. vt discas "quam magnum bonum est ieiunium, & quali- "ter scutum est aduersus Diabolum, & quoniam "post baptismum non lasciuiæ sed ieiunio in- "tendere oportet, ipse ieiunauit, non eo indigens "sed nos instruens,] & ideo indigni quod Christiani vocentur qui superflua ciborum gula tenentur, quæ Dei obliuionem generat, fol. 602. con. 603.

*Et accedens tentator ait si filius Dei es.* Quid dubi-

Dominica 2. Quadragesimæ.
Matth. 17.

sicque ipsis inuiderent: aliorum enim fœlicitas vel prosperitas inuidiam excitat, f. 11. c. 44.

*Nemini dixeritis visionem hanc.* Bona opera celanda ne mani gloria petant, f. 269. c. 96.

---

## Dominica tertia Quadrag. Luc. 11.

*Erat Iesus eiiciens dæmonium.* Illud *erat* animosam & validam resistentiam denotat, quid opus fuit toto omnipotentiæ diuinæ conatu ad dæmonem expellendum? quia ad hominis iustificationem magna Dei virtus necessaria est, f. 519. c. 27.

*Erat Iesus eyciens dæmonium & admirata sunt turbæ*, compone hoc *erat* cum illo in principio erat verbum, erat enim verbum, & erat apud Deum & erat Deus, & tamen ab hominibus nec agnitus, nec dignus laudibus affectus est: modo autem erat eiiciens dæmonium, & homines in magnam sui admirationem rapuit, quare? quia diuinitas à beneficentia & benignitate apud homines commendatur, id enim præcipuum esse videtur in Deo omnipotente quod suis benefaciat, f. 255. c. 9.

*Erat Iesus eyciens dæmonium*, illud *erat eyciens.* Quasi laborem maximum indicat in illo eiiciendo, quasi resistentiam in dæmone reperiret, qui à vexatione illius hominis cessare nollet: nec mireris quia sicut maxima est Dei propensio in benefaciendo hominibus, sic maximum est diaboli studium in eis nocendo, f. 554. c. 449.

*Erat Iesus eyciens dæmonium.* Acre vtrimque bellum hæc verba denotat, nimirum omnes miseri illius hominis sensus dæmon occupauerat, Christus vero de industria paulatim illud eiiciebat, vt damni magnitudo melius appareret, atque inde homines adiscerent, quam grauis animæ hostis dæmon est, f. 554. c. 451.

*Illud erat mutum.* Dæmonium mutum, quia prauas conscientiæ latebras nec viris spiritualibus nec confessariis aperiebat, cum in confessione omnia sint aperienda, f. 131. c. 121.

*Et illud erat mutum.* Malum omen si abstineris à confessione quod à dæmone mutus sis effectus, f. 234. c. 24.

*Locutus est mutus.* Deus eorum qui recta loquuntur os aperit, diabolus vero qui mala, fol. 199. c. 98.

*Locutus est mutus.* Domini est nostram dirigere linguam, f. 208. c. 135. f. 200. c. 101.

*Et admirata sunt turbæ.* Qui à Christi Dei miraculo linguam habet, procul dubio bene loquebatur, forsitan admirantur turbæ hominem bene & bona loquentem, & ideo vt homo ad Dei gloriam loquatur Deus præbet auxilium; fol. 206. con. 100.

*Locutus est mutus.* Quid autem locutus sit, inquit Card. Tolet. Euangelista non explicat, probabile tamen est fuisse verba laudis & encomium illius, qui eum à tanto malo liberauerat] & optime, gratissimi enim esse debemus beneficiis à Deo acceptis, f. 502. c. 244. f. 523. c. 337. f. 380. con. 11. vide titulum de gratitudine.

*Locutus est mutus.* Spiritus sancti virtus potens est etiam de indispositis laudes elicere, fol. 121. con. 73.

*Quidam ex iis dixerunt in Beelzebut principe dæmoniorum eycit dæmonia.* Chrysost. hom. 8. in Hebræos, vt summatim dicam, tota Saluatoris vita plena fuit contumeliis, insanus enim vocatus fuit & seductor & præstigiator, præstigiarum enim & magicæ artis eum accusabant, dicentes in Beelzebut eiicit dæmonia, & quod insaniret, & haberet dæmonium & turbas seduceret, & hæc à Iudæis audiebat, cum eos beneficiis afficeret, miracula faceret, Dei opera ostenderet. nam si quidem nihil faciens hæc audiret, nihil adeo esset mirum, quod autem docens quæ pertinent ad veritatem, audiret se vocari seductorem, & dæmones eiiciens dæmonium habere diceretur, & quæcumque erant contraria euertens præstigiator vocaretur, quomodo non omnem excedat admirationem? de his enim eum assidue accusabant] Iudæus populus non solum erga Deum ingratus sed impius, cuius impietas per gradus diuinæ misericordiæ & beneficentiæ crescebat, f. 115. c. 54.

*In Beelzebut eycit dæmonia.* Grates impendere deberent pro liberatione conciuis sui à dæmone, & ecce benefactorem suum malefactorem appellunt, ingratissimi sane Iudæi, f. 112. c. 40. f. 519. c. 320. f. 592. c. 587.

*In Beelzebut eycit dæmonia.* Ecce turbæ viso miraculo admiratæ sunt Christum Dominum, idest inquit Cyrillus, miraculo peracto extollebat eum multitudo & gloria quæ eum decet, imo etiam locutus est mutus magnalia Dei] si ergo omnes Christum Dominum tanquam verum Deum glorificant, quomodo hi detrahunt suæ diuinitati virtutem & potentiam suam non credentes? quia mira fuit semper eorum incredulitas & obstinatio, fol. 154. c. 217. f. 379. c. 7. f. 557. c. 458. f. 656. con. 75.

*Alij tentantes de cælo signum quærebant ab eo.* Cyrill. alij partibus stimulati liuoris aculeis, petebant ab eo cœleste videre portentum] pende hæc verba partibus stimulati liuoris aculeis. impij enim ab aliorum beneficiis ad inuidiam surgunt; f. 12. c. 40.

*Alij tentantes de cælo signum quærebant.* Deus minime tentandus, fol. 56. c. 35. f. 310. c. 35. f. 591. con. 565.

*Ipse autem vt vidit cogitationes eorum.* Quid opus fuit cogitationes videre vt eos argueret, qui impia verba & facta intuebatur? sane quod non plene opus bonum siue malum dignoscitur dum intentio à qua procedit non innotescit, ab ea enim magna ex parte bonitas & malitia dependet, fol. 621. c. 978.

*Profecto si in digito Dei eycio dæmonia.* Non in Beelzebut vt dicitis non miror quod sic dixerint, ita enim aliquando peruersi peccatores, vt licet aliquid Dei esse agnoscant, dæmoni malunt tribuere. f. 521. c. 86.

*Si satanas in seipsum diuisus est quomodo stabit regnum eius?* Cum enim tartareæ potestates inter se pugnant, regnum illarum dissipatur, fol. 580. con. 529.

*Si ergo in Beelzebut eycio dæmonia filij vestri in quo eyciunt?* Non dicit teste Chrysost. hom. 42. discipuli mei sed filij vestri, volens eorum permulcere furorem] benignitas enim Christiana omnia quæcumque superat, fol. 505. con. 260.

*Si fortis armatus &c. fortior illo superueniens vicet.*

---

## Dominica quarta Quadragesimæ. Ioann. 6.

suam posuerant & ideo non confunduntur, fol. 449. con. 55. noli ergo in creaturis sperare ni velis earum vanitatem experiri, fol. 297. con. 86.

*Distribuit discumbentibus.* Nempe panes, nec mirum, Deus enim sibi fideliter ministrantibus nihil necessarium denegat, f. 655. c. 73.

*Distribuit discumbentibus.* Panis necessarius deerat, habendi opportunitas nō habetur triduanā famem populus sustinuerat & nihilominus panis adest sufficientissimus, suæ consulitur abundantissimeq; necessitati, quid hoc est? quod vbi humanum auxilium deficit adest diuinum, f. 51. c. 14. f. 182. c. 31.

*Et ex piscibus quantum volebant.* Munificus Deus, quantum homo exoptat ei largitur, quis enim eo liberalior? f. 207. c. 129.

*Et ex piscibus quantum volebant.* Sicut panes ita & pisces multiplicantur, Deo enim liberalissimo creaturæ se conformant, f. 636. c. 26.

*Et de piscibus quantum volebant.* Factu similiter pauperibus eleemosynam, & in necessitatibus tibi erit adiutrix, f. 452 c. 43.

*Colligite fragmenta ne pereant.* Hinc collige quam sollicitus de tuæ animæ salute Deus futurus sit, qui fragmenti panis, quia à suis manibus ortum habuit, talem curam duxerit, ne periret. num animæ æternum duraturæ ad ipsius imaginē efformatæ non erit maxime sollicitus? falleris, longe enim maior est illi cura animarum, quam corporum, f. 6.

*Colligite quæ superauerunt fragmenta.* Sane diuina prouidentia omnem nostram superat admirationem, f. 50. c. 12.

*Colligite quæ superauerunt fragmenta.* Nescit Deus abundantissime & cumulatissime dona sua non conferre, non enim solum necessaria tribuit sed cum excessu, f. 63. c. 68.

*Cum cognouisset quod venturi essent vt facerent eum Regem.* Hoc insignē miraculum ei tribuentes, in eum enim omne bonum refundendum, f. 337. c. 144. & illi omne eximium tribuendum, f. 312. c. 41.

*Cum cognouissent quod venturi essent vt facerent eum Regem.* Qui sibi consulere sciuerat ea via quam humana mens difficile attingere potest, f. 636. c. 79.

*Vt facerent eum Regem.* Et merito, regio enim honore dignus qui miseris & afflictis liberaliter subuenit. f. 68. c. 91.

*Fugit.* Scilicet cum cognouisset venturos vt raperent eum & facerent Regem, nolebat subito & quasi ex rapto ad regnum peruenire vt exemplo esset, quod nemo cito ad dignitatem esset euehendus, f. 55. c. 32.

*Fugit.* Regiam dignitatem vltro oblatam fugit Christus, quia qui Dei amore flagrat dignitates habet contemptui, f. 103. c. 2. ergo quæcumque subterfugia quære vt dignitates non admittas, f. 196. c. 87.

„ *Fugit.* Chrysost. hom. 40. fugit Christus „ erudiens nos mundana fugere] dignitatibus enim non fidendum tanquam perpetuis cum æstimandæ sint tanquam breui duraturæ, fol. 179. con. 14. & quam mortiferæ sint & venenatæ aliquando apparet cum deponuntur, fol. 179. con. 15.

---

## Dominica quinta Quadragesimæ quæ est in Passione.

### Ioann. 8.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Suam innocentiam omnium oculis exponit & merito, quis enim eo purior? quis innocentior? & tamen innocentissimus cum fuerit, nihilominus ab impiis facinorosus reputatus est, f. 458. c. 66.

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Non solum immunis ab eo & sine macula, sed etiam alios mundans & purificans, f. 457. c. 64.

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Origen. habet hoc verbum Christi magnam fiduciam, cum „ nullus hominum fiducialiter hoc dicere potuerit „ nisi solus Dominus, qui peccatum non fecit] imo non solum peccatum non fecit, sed nec à peccato vinci potuit, f. 622. c. 673.

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Præcipue cum peccatum occultari non possit, quin tandem in publicum prorumpat, f 297. c. 84.

*Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi?* Veritatem aliquando ignorant principes, quia eam audire nolunt, f. 12 c. 39. f. 262. c. 34.

*Si veritatem dico vobis.* Qui male viuit veritatem agnoscere non potest, f. 542. c. 543.

*Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi?* Veritatis notitia amara quidem pluribus & insipida, f 542. c. 409.

*Si veritatem dico vobis.* En optimum concionatorem, qui veritatem aperto ore & omnibus sine discrimine nihil timens prædicat, fol. 130. con. 115.

*Quare non creditis mihi?* Ita peruersi vt nec Deo fidem adhibere velimus, fol. 312. con. 45.

*Quare non creditis mihi?* Quid non agit Deus, vt fidem ei adhibeamus? f. 205. c. 120.

*Nonne benedicimus quia Samaritanus es tu & dæmonium habes?* Male erga alium affectus, quid ei non improperat? f. 646. c. 68.

*Nonne bene dicimus quod dæmonium habes?* In hoc cognoscimini impudentissimi & improbi, virum enim probum & sapientem dedecet, quod verbis contumeliosis vtatur, f. 87. c. 182.

*Dæmonium habes.* Iudei non solum erga Deum ingrati, sed etiam iniqui & impij, f. 115. c. 54.

*Samaritanus es tu & dæmonium habes.* Quid hactenus audistis & legistis quod dæmoniacum, aut samaritanum & non potius innocentem & sanctum & filium Dei sapiat? nimirum non humanis sed inuidiæ oculis qui transuersi & præposteri sunt, vident, ita de Saul scriptura, non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauidem: & Chrysol. ad „ rem, ô qualiter oculis claudis liuor! quod tunc „ iudicium rationis malitia præiudicata confundit] inuidus mendax & obcæcatus est, fol. 13. con. 42.

*Samaritanus es tu & dæmonium habes.* Quid Christo Domino detrahitis benefactori vestro? quinā erant hi? Scribæ & Pharisæi vitæ prauæ; ne mireris ergo, cur murmurent, murmuratio enim nascitur ex vita contaminata vide ver. 24. cap. 15.

*Ego dæmonium non habeo.* Ammonius, quando „ contumeliis afficitur æquo animo fert, docens „

---

## Dominica in Palmis. Matth.21.

[illegible] pleb[illegible] [illegible] 281.c.47.

*[illegible] vestimenta sua.* [illegible] Apostoli, tamen à Christo [illegible]

*Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua.* [illegible] humilitate vincit humilitatis magister, [illegible] turba vestimenta in Christi [illegible] obsequio [illegible] Christus sua quoque potius vestimenta cum [illegible] pedes lauat, admirandaq; prorsus Christi Domini humilitas, fol. 648.c.77.

*Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua.* Vestimenta quidem posuerunt turbæ in obsequium Christi, sed Christus sua deposuit [illegible] [illegible] exhibet [illegible] Deo [illegible] fol.418.con. 141.

*Cædebant ramos de arboribus & sternebant.* Non dubium quin de arboribus oliuarum quibus mons Oliueti consitus erat, et cum Domino parauerit viam quæ ipsi gratissima est nempe misericordia, cum ad eam impendendam [illegible] tione [illegible], f.342.c.14.

*Turba autem clamabat osanna filio Dauid.* Osanna vox obsecrantis est quasi diceret serua nos fili Dauid, & merito. Christus enim venerat vt libertatem & salutem omnibus tribueret, f.444.c.15. f.45[illegible].c.39.

*Osanna filio Dauid.* Probus honorem Christo deferendi modus; prius opere honorant Christum, vestes in via sternendo, & ramos de arboribus præcidendo, deinde vocis testimonium exhibent, nempe qui Christum plene laudare vult, laudet operibus, laudet vita, deinde vocibus & verbis; imperfecta laus est quæ ab ore tantum nascitur, [illegible] tantum profluit, fol.828. con. 281.

*Benedictus qui venit in nomine Domini.* Vt scilicet super nos regnet, regem petunt cum singulari virtute miraculorum fulgere conspicerent; quos enim Deus ad aliquam extollit dignitatem, euchit dono speciali insignit, f.30. c.11.f.63 c.[illegible].

*Benedictus qui venit.* Nempe rex tibi mansuetus in nomine Domini, imo & cum vestimenta contulerunt quia pergendum erat Christo tanquam summo Regi honorem & reuerentiam exhibent, nec mireris, cum enim esset humillimus & in hoc etiam cognitus quod asino non equo vehi voluerit, dignitates regias obtinere debuit f. 153.c.35.

*Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* S. Irenæus, Orig. Hilar. Ambro. sic verba hæc capiunt vt significent serua nos fili Dauid: ille enim est dignus regno qui miserorum causam tuetur, f.68. c.160. qui suorum libertatem requirit, f.237.c.36.

*Benedictus qui venit in nomine Domini.* Honorat Christum multitudo donec corrupta non fuit, vbi à Scribis & Pharisæis seducta, alias voces edidit dicens crucifige crucifige, alia præstitit, vt [illegible] quam facile [illegible] populi [illegible] [illegible].

---

## Dominica in Resurrectione.

**M**Aria Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata vt vngerent Iesum. Qui [illegible] huius sæculi laboribus summam non solum animæ requiem quæ nunquam ei [illegible] [illegible] corporis obtinebit, nemo enim ad eam peruenit sine maximo dolore, f.[illegible].c.48.

*Et vngerent Iesum.* Mulieribus quasi misericordiam [illegible], f.60.c.52.

*Et valde mane vna Sabbatorum.* A teneris Deus vult nos sibi seruire, f.45[illegible].c.68.

*Valde mane vna Sabbatorum.* Beda, magnus feruor charitatis ostenditur, [illegible] enim [illegible] virtuti & operibus misericordiæ insistendum, fol. 485. c.171.

*Valde mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum.* Flores virtutum emittamus cum primum redempti sumus à misera peccatorum seruitute, f.533.c.369.

*Valde mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum.* Quid nec Iudæorum sæuitiam, nec occursum latronum timetis? nequaquam, timor enim Domini quemlibet alium timorem superat, f.33. c. 124.f. 220.c.177.

*Valde mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum.* Fortis vt mors dilectio, f.[illegible] con.16.& ideo quid non operatur f.[illegible]4.c.11[illegible].

*Veniunt ad monumentum.* D. Euang. Matth. hoc recensens ait, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum, cur non dixit venerunt, cum duæ recenseantur & plures fuerint? plerisque placet hic significari Ecclesiam ex duobus populis vnam esse, vnoque duarum fœminarum nomine dictam & bene, Ecclesia enim vna est, f.619.c.655.& vnius cordis affectus, fol. 60. c.56.

*Et aspicientes viderunt reuolutum lapidem.* Quis hunc reuoluerit? ait Matthæus. Angelus Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem; Angelus enim piarum mulierum religioni defert, f.224. c.164.

*Et aspicientes viderunt reuolutum lapidem.* Scilicet ab Angelo, qui eis apparuit euntibus ad sepulchrum, iam enim incipit cum ciuibus cœlestibus amicitiam habere, qui cogitationis pede, ad sepulchrum it, sed ad suum se quæ cito moriturum sperat, qui ad sepulchrum tendit illi solus sapit Christus, omnia alia illi vilescunt, f.586.con. 548.f.601.c.59[illegible].

*Nolite expauescere.* Timere non debet qui Christum quærit, [illegible] cum eo est, fol.159.c. 237.

*Nolite expauescere.* Deus suos à terrore liberat, f.550.c.438.

*Nolite expauescere.* Erigit mulieres Angelus & à timore eas reuocat; non reuocat custodes, impius enim sine timore esse non potest, imo timor annexus nequitiæ grauissimum est impiis supplicium, f.411.c.116.

*Nolite expauescere.* Timor pellitur vt mente placida possint quæ dicuntur audiri [illegible]



INDEX



# INDEX

# CONCIONVM FESTIVITATVM decurrentium ab Aduentu vſque ad Reſurrectionem Domini.

## In Feſto Sancti Andreæ. Matth. 4.



*Mbulans Ieſus.* En Ieſum ſecundum nomen ſuum, totum ad ſalutem idum omnes ipſius a æ, omnia veſtigia omnibus ſalutaria, ſiue ambulat ſiue videt, ſiue quidquid aliud operetur, per ipſum enim omnimoda ſalus noſtra & à ſeruitute tartarea libertas, fol. 441. con. 15. imo tanto affectu omnium ſalutem deſiderabat, vt eum diem quo eam media paſſione ſua conſequi debebat, ſuum appellet, f. 491. c. 184.

*Ambulans Ieſus.* Quaſi cogitabundus, quomodo à Iudaiſmo ad veram ſui cognitionem eos deduceret, ipſius enim eſt proprium ſuos à diſcrimine liberare, f. 626. c. 687.

*Vidit duos fratres.* Vidit (Remigius) non tam corporaliter quam ſpiritualiter vt eis miſericordiam impertiret] miſericordes enim maxime ſunt eius oculi, f. 158. c. 154.

*Vidit duos fratres mittentes rete in mare.* Non vidit hos duos fratres otio torpentes, ſed in mare mittentes retia ſua, amat ſuos diſcipulos Chriſtus laboris amicos, non otij, cui indulgere neſciunt viri eximij, f. 69. c. 78.

*Vidit duos fratres Simonem & Andræam.* Simon obediens dicitur, Andræas frater Simonis eſt, quia virilitas & fortitudo obedientiæ cognata eſt, fortis enim Andræas interpretatur & fortes obedientia efficit, f. 524. c. 336.

*Venite post me.* Auguſt. ſerm. 49. de verbis Domini. non eligit Reges aut Senatores aut Philoſophos, aut oratores, imo elegit plebeios, pauperes, & indoctos piſcatores] Deus enim contemptibilia elegit vt confundat fortia, f. 214. con. 158.

*Venite poſt me.* Pende verborum ordinem, prius hi duo fratres iubentur Chriſtum ſequi, poſtea hominum piſcatores futuri dicuntur, vt intelligerent ipſi & qui idem munus obituri erant, ineptum piſcandis per prædicationem hominibus eſſe, qui non ſequitur Chriſtum, qui enim verbum Dei annuntiat cœleſtem debet vitam ſectari, f. 126. c. 96.

*Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Antea dixerat eis, venite poſt me, imitantes veſtigia mea, niſi enim opera præluceant in cõcionatore, verba ad piſcandos homines in vanum profunduntur, f. 207. c. 126.

*Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Hi duo fratres, primi à Chriſto vocantur & his verbis & hac promiſſione alliciuntur; non legimus hæc verba addidiſſe Chriſtum, Ioannem & Iacobum poſtea vocantem. ſed tantum dicitur vocauit eos, illi autem ſtatim relictis retibus & patre ſecuti ſunt eum, nihil his promittit; cur ita? quia primorum obedientia iis viam præparauerat & magnam ad bonum aliorum exempla vim habent vt abſque illa promiſſione, ſolo primorum fratrum exemplo & hi poſteriores Chriſtum ſequuti fuerint, f. 3. c. 3.

*At illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Vt digne munus ſuum obeat Euangelicus concionator retia relinquere debet rerum ſcilicet curas ſæcularium, diuitiarum amorem nihil capiet aut exiguum, prædicator niſi rete propriũ relinquat, commodum nempe ſuum & Chriſtum ſequatur, irritus fere inaniſque multorum prædicatorum labor eſt quia retia non relinquunt, rebus terrenis acquirendis ſtudent, mundanarum rerum curis occupantur, f. 506. c. 293.

*At illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt Dominum.* Dimittebant in mare ſua retia hi duo fratres, ſed à Chriſto vocati ſtatim retia relinquunt & ſequuntur Chriſtum, non enim legimus retia extraxiſſe, vt piſces caperent in medio operis conſtituti diſcipuli, non cuiuſlibet operis ſed piſcationis, quam auida res piſcatio quam curioſe ſinis expectatur ob dubium variumque euentum, cum audiſſet vocem Domini, nihil diſtulerunt, nec retia traxerunt, in perfectæ parentiæ notam, fol. 122. con. 77. f. 146. c. 187. f. 242. c. 55. fol. 499. c. 227. con. 228.

## In Festo Sancti Nicolai Episcopi. Matth. 25.

ingens hæc sit numinatum summa, quis Deo erga nos liberalior? f. 2.7. c. 129.

*Talenta alteri tradidit.* Bonis fortunæ, donis naturalibus & gratiæ abutentes mitte à Deo his priuantur, f. 502. c. 500.

*Traduce eis quibus est decem talenta.* Deus non solum bona his abutentibus adimit, sed & ea tradit illis bene vtentibus, f. 507.

*Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores.* Chrysost. hom. 79. in Matth. seruus autem ma-
» lus non solum damno punitur sed etiam into-
» lerabili pœna; qui enim beneficiis à Deo accep-
tis abutitur seuere & grauiter ab eo tractatur, f. 203. c. 72.

*Ibi erit fletus & stridor dentium.* Scilicet in inferno, omne supplicium præsentis vitæ licet sit grauissimum, si consideretur tamen cum pœna futuri sæculi, nullum est vel saltem leuissimum, fol. 425. con. 12.

## In Conceptione Beatissimæ Virginis. Matth. 1.

*Liber generationis Iesu Christi.* Messiæ statim meminit Euangelista, liber inquit generationis Iesu Christi. cur tam cito Christi mentio? cur non tantisper distulit donec aliorum patrum generationes præmisisset? noluit nec debuit, ad Hebræos scribebat, qui tanto desiderio Messiam expectabant statim eorum animos erigit tali nuncio. Messiam tanquam summum à malis liberatorem ardentissime veteres optauere, f. 201. c. 108. Messias desideratus à sanctis Patribus quo à lui purgatorium debebat, f. 550. c. 442.

*Liber generationis Iesu Christi.* Præponitur Patrum generationibus Iesu Christi nomen, sed illud etiam claudit in fine, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus. non immerito, nam ipse principium & finis est à quo incipere & in quem desinere debemus, f. 527. c. 346.

*Filij Dauid.* Licet audias filium Dauid non diuidendus tamen in Filium Dei naturalem & filium adoptiuum, f. 488. c. 181.

*Filij Dauid filij Abraham.* Tempore posterior præponitur priori. Dauid ante Abraham nominatur, qui post ipsum natus est. cur ita factum? an quia maior honor deferendus maiori dignitati? Rex Dauid fuit, non fuit Abraham ideo prius recensetur, qui prior in dignitate licet non tempore, disce honorem ac reuerentiam Regibus ac principibus exhibere: docuit hoc Euangelista dum Abrahamo Dauidem prætulit, fol. 170. con. 283.

*Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ.* Probus nexus Mariæ & Ioseph, Ioseph accrescens interpretatur. Maria amaritudo, qui amaritudinem in vxorem ducit, proficit, & semper crescit, quod monuit etiam Paulus crescamus, etiam in illo per omnia, qui est caput Christus etiam filij Israel in Ægypto seruitute oppressi creuerunt ac multiplicati fuerunt, f. 1. c. 3. f. 113. c. 47. f. 115. c. 52. f. 279. c. 38.

*Genuit Ioseph virum Mariæ.* Sponsus Mariæ Ioseph quia semper ipse in virtute creuit. quod vel sponsi nomine significabatur, semper de virtute in virtutem proficit; semper enim de bono in melius progrediebatur, fol. 336. con. 137. fol. 499. c. 230.

*De qua natus est Iesus.* Tamen in genealogia eius non solum recensentur iusti, sed etiam peccatores, & mixto ab vtrisque sanguinem trahit cum pro vtrisque mortuus est, fol. 458. con. 65.

*De qua natus est Iesus.* Et non de Ioseph, Christus enim vt homo sine patre est, fol. 49. c. 12.

*De qua natus est Iesus.* Virginitate & humilitate munitur Maria sanctissima, vt fiat digna Mater Dei, f. 59. c. 49.

*De qua natus est Iesus.* Virgo sanctissima à peccato originali immunis, fol. 121. c. 74. fol. 111. c. 57.

*De qua natus est Iesus.* Cur Mariæ encomia in medium non profert Euangelista? cur contentus solo nomine merita illius silentio obuoluit? quia nullus est qui nesciat Deiparam in omnibus esse maximam, f. 118. c. 64.

## In Festo D. Thomæ Apostoli. Ioann. 20.

*Non erat cum eis quando venit Iesus.* D. Greg.
hom. 26. in Euang. non casu gestum est, vt «
electus ille discipulus tunc deesset ] nec mirum cum nihil casu eueniat, sed Dei prouidentia, fol. 342. con. 12. & 13. deinde prosequitur cit. summus Pontifex. egit namque miræ superna clementia «
vt discipulus dubitans dum in magistro suo vul- «
nera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infi- «
delitatis ] Deus suis consulit via nobis incognita, f. 82. c. 116.

*Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum.* D. Chrysost. hom. 86. in Ioann. sicut simpliciter & qualitercumque credere facilitatis est, ita mul- «
tum inuestigare & curiosius inquirere crassissimæ «
mentis. ideo Thomas accusatur ] en vt Dei mysteria minime curiose perscrutanda sunt! fol 123. c. 80. f. 350. c. 44. non enim nimis curiosi sed humiles debemus esse mysteriorum indagatores vt eorum cognitionem consequamur, fol. 565. con. 479.

*Nisi videro.* Falleris ô Thoma nimium incredule, fides enim non sensibus, non argumentationi naturali innititur, f. 131. c. 122.

*Venit Iesus ianuis clausis &c.* Quid non agit Deus vt sibi fidem adhibeamus? f. 205. con. 120.

*Post dies octo venit Iesus.* Chrysost. hom.
86. non autem statim ei apparet, sed post dies «
octo, vt in medio à discipulis admonitus accen- «
datur in maius desiderium. ] gradatim ad fidem credendorum disponimur, f. 516. c. 308.

*Dixit eis pax vobis.* Necessaria est pax vt Christus videatur; qui enim veram pacem non habet, non permittitur ei visionem Dei habere, fol. 131. c. 123.

*Dixit eis pax vobis.* Cit. Chrysost. considera «
Dei clementiam qualiter pro vna anima osten- «
dit seipsum vulnera habentem. ] longe maior est Dei clementia quam nostra malitia, fol. 431. con. 35.

---

In Natiuitate Christi Domini. Luc. 2.

[illegible] voluptas corporis, bonum esse [illegible] illa [illegible] & [illegible] pre-[illegible] concl-[illegible] fol. [illegible] 66. [illegible] vide titul. de affli-ctione.

*Et reclinauit eum in præsepio.* D. August. in lib. de [illegible] considerans eum in præ-
" sepio [illegible] eius prouocaret
" [illegible] si in Christo esse volumus sicut sanctus
" Ioannes Apostolus dicit, quomodo ille ambula-
" [illegible] ambulemus. quid est am-
" bulare sicut Christus ambulauit? nisi contem-
" [illegible] & [illegible] huius sæculi &
" [illegible] aduersa pro nomine illius pati.] si ergo Christus adhuc paruulus multa tolerauit [illegible] aduersa non sustineo-[illegible] 30. 245.

*Et reclinauit eum in præsepio, quia non erat locus in diuersorio.* Græcus [illegible]
" [illegible] & [illegible], quam [illegible]
" [illegible] potuisset &
" [illegible] si venire voluisset
" [illegible] continuendo terram,
" [illegible] non autem ita processit, non
" [illegible] volebat ab ipsis primor-
" [illegible] superbiam, atque adeo
" non tantum homo fit, sed & homo pauper & [illegible] elegit] admiranda prorsus Christi Domini humilitas, f. 648. c. 77.

*[illegible] eum in præsepio.* Nudum quem solum [illegible], vt primæuam nostrã tolleret nuditatem, f. 45[illegible]. c. 62.

*Pastores erant in regione eadem vigilantes & custodientes [illegible].* Euthymius hanc reddit rationem, cur primum pastoribus apparuerit Angelus. ait,
" quia Christus voluit in omnibus nos docere pau-
" pertatem & humilitatem: pastores autem simpli-
" ces ac humiles magis placebãt Deo, quam mere-
" [illegible] Deus vt humilibus sua aperit arcana, f. 114. c. [illegible] vult nos maxime humiles, f. 162. c. [illegible]8. hominumque humilitate delectatur, fol. 19[illegible]. c. 97.

*Angelus Domini stetit iuxta eos.* Pulchre D. Bernard. serm. [illegible] natiuit. accedit ad consolationem
" ipsa quæ pastoribus vigilantibus exhibita est vi-
" sitatio, & allocutio Angelorum, væ vobis diuites,
" qui habetis consolationem vestram, vt iam non [illegible] habere cœlestem] sane attingit humilitas mysteria in quibus omnino cæcutit superbia, f. 48[illegible]. c. 109.

*Nolite timere.* Græcus, Angelus cum pauor in-
" [illegible] gata, [illegible]] timor nimius à nobis admo-
" [illegible] f. 1[illegible]. c. 164. nimius enim considerationem [illegible] f. 180. c. 23.

*Ecce Euang[illegible] gaudium magnum quod erit [illegible], quia natus est vobis hodie saluator.* Præ[illegible], *natus est vobis*, & illam, *omni populo*, princeps enim qualis erat Christus Dominus, non vni aut aliquibus sed omnibus membris reipublicæ consulere debet, f. [illegible]9. c. 43.

*Inuenietis infantem pannis inuolutum* quod-nam hoc est signum [illegible] infan-tes? bene S. M[illegible] in pannis fortas-
" sis tibi vile [illegible], Angelos collaudantes admirare
" si præsepe despicis, erige [illegible] & no-
" uam in cœlo stellam [illegible] mundo nati-
" uitatem Domini [illegible] crede

mirificas, si de his quæ humiliatis sunt disputas, " quia [illegible] & cœlestia [illegible] & ita de Christo Domino nihil carnale [illegible] debemus, f. 47[illegible]. c. 13[illegible].

*Gloria in altissimis Deo.* Vnde ex [illegible] exinanitione & humiliatione [illegible] ita equidem, tunc enim magis Deus ostenditur cum pro hominibus exinanitus est. videbis vers. 6. c. 16 in sequenti c.

---

## In Festo S. Stephani protomartyris. Matth. 23.

**E**cce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes. Cur ad eos ita viros [illegible] mittis? ecce enim ais & ex illis occidetis & crucifigetis. si ergo prophetas occidunt, si sapientes interficiunt, qui eorum conuersioni student, cur à te id eos mittuntur? [illegible] salute satagere non cessando, f. 292. c. 68.

• *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes.* Quos scit à Iudæis interficiendos, cur ergo mittit? quia in suorum salutem nescit pauca operari Deus, f. 681. c. 1[illegible]5.

*Ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes.* Amantissimus hominum Deus quippe eos etiam ad bona admittenda compellit, f. 29. c. 127. fol. 663. c. 96.

*Et persequemini de ciuitate in ciuitatem.* Sed vestris persecutionibus non minuentur sed multiplicabuntur, f. 23. c. 80. persecutio enim est quasi crassitudo Ecclesiæ eam impinguans & fœcundans, f. 23. c. 82.

*Persequemini de ciuitate in ciuitatem.* Sed tandem in vos seruorum meorum persecutores animaduertam, f. 254. c. 151.

*Persequemini de ciuitate in ciuitatem.* Sed mediis persecutionibus vestris quales sunt, agnoscentur, f. 402. c. 91.

*Hierusalem quæ occidis Prophetas & lapidas eos.* Homines hic non saxa plangit & lapidibus duriores Iudæi extiterunt, & semel ad pœnitentiam noluerunt. f. 376. c. 7. f. 557. c. 458.

*Hierusalem quæ occidis Prophetas & lapidas eos,* Et quæ Dominum Prophetarum tandem crucifiges, f. 477. c. 139. f. 500. c. 238.

*Quoties volui congregare filios tuos & noluisti?* Populus Iudæus non solum erga Deum ingratus, sed impius per gradus diuinæ misericordiæ crescebat, f. 115. c. 54.

*Quoties volui congregare filios tuos & noluisti?* Imo quod intolerabile est, eos qui ad te missi sunt, vt filios tuos ad ouile meum congregarent occidisti, [illegible] eorum fuit ingratitudo, vt ex maximis beneficiis maxima in Deum elicerent sacrilegia. f. 537. c. 587.

*Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos?* D. Chrysost. hom. 75. magni- "
tudinem amoris sui similitudinem gallinæ osten- "
dit] prorsus admirabilis est Dei in hominem dilectio, f. 219. c. 172. f. 39. c. 107.

*Sicut congregat gallina pullos suos.* Nonne satis erat dixisse quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? cur addidisti sicut gallina congregat pullos suos? recte hoc secundum adiecit, quia Deus celare non potest quanto amore populum suum diligat, f. 34[illegible].

## In Festo S. Ioannis Apostoli & Euangel. Ioann.23.



## De Christi Domini Circumcisione. Luc. 2.

*Vocavit [illegible] Iesus.* [illegible] Saluator, [illegible] ctorum [illegible] & [illegible] no omnium [illegible].

*Vocatum est nomen eius Iesus.* Orig. hom. 14.
" nomen eius [illegible]
" num, nomen [illegible] omne nomen, & ideo cui summa debetur reuerentia, fol. 155. con. 8.

*Vocatum est nomen eius Iesus.* Cyrill. quod in-
" terpretatur Saluator, [illegible] ad totius
" orbis salutem [illegible] eius enim sanguinis virtute salui sumus, f. 514. c. 301. & pro omnibus mortuus vt omnes saluos faciat, fol. 458. co. 65. f. 452. con. 54. f. 513. c. 295.

*Vocatum est nomen eius Iesus.* Merito nomen illius aperitur, nomina autem peccatorum obuoluuntur silentio, f. 9. c. 26.

*Vocatum est nomen eius Iesus.* De quo sponsa oleum effusum nomen tuum, nomen enim Dei quasi per homines [illegible], f. 55. c. 8.

*Vocatum est nomen eius Iesus.* Qui talis est [illegible] pices [illegible] debuerant, fol. 203. con. 110.

*Vocatum est nomen eius Iesus.* S. Ambr. lib. 3. de
" Virginib. [illegible] omnia [illegible] in Christo, & om-
" nia nobis Christus: si vis [illegible] curare desideras, me-
" dicus est, si febribus æstuas, fons est, si grauaris
" iniquitate iustitia est, si auxilio indiges, virtus est,
" si mortem times vita est, si cœlum desideras via
" est, si tenebras fugis lux est,] fol. 816. con. 214. & 215.

## In Epiphania Domini
## Matth. 2.

*Cum natus esset Iesus in Bethleem Iudæ.* Quid? in tam exigua ciuitate nullius nominis Iesus omnium Dominus nascitur? quid nisi locus enim natiuitatis non reuocat à virtutis studio, f. 2.

*Cum natus esset Iesus in diebus Regis Herodis.* In diebus Herodis nasci dicitur Christus, cur non in diebus Augusti Imperatoris, cum à digniori denominatio fieri debeat? Augusti Imperatoris non meminit, sed Herodis, vt statim proderetur prophetiam Iacobi esse completam Genes. 49. non auferetur sceptrum de Iuda & dux de fœmore eius donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium: iam ablatum erat sceptrum de Iuda, quia Herodes alienigena erat, vnde statim constat quod ille nascitur qui promissus in lege erat Deus enim in verbo suo infallibilis, f. 329. c. 129. f. 165. c. 85.

*Cum natus esset Iesus in diebus Regis Herodis.* Au-
" ctor operis Imperf. hom. 2. videamus quod ad
" vtilitatem respiciat, quod Euangelista tempus
" designat quo Christus nascitur, dicens, in diebus
" Herodis Regis, quia quandiu Iudaica gens sub
" Iudæis Regibus quamuis peccatoribus tenebatur, Prophetæ mittebantur ad remedium eius,
" nunc autem quando lex Dei sub potestate Regis
" iniqui tenebatur & iustitia Dei sub dominatione
" Romana premebatur, nascitur Christus, quia
" magna desperabilis infirmitas medicum artificiosiorem quærebat] ibi enim maius Dei auxilium sentitur vbi maius adest periculum, f. 182. con. 31.

*Ecce Magi ab Oriente venerunt.* [illegible] ecce [illegible] dignum [illegible] homines [illegible] Christum [illegible] veniens [illegible] Deus, f. 450. c. 68.

*Ecce magi ab Oriente venerunt.* [illegible] omnino Reges in suis regnis [illegible] cognouisse cum ea quæ [illegible] sunt [illegible] agnoscant, & tunc [illegible] audiendis sunt [illegible], f. 162. c. 54.

*Ecce magi ab Oriente venerunt.* A Propheta vocantur Reges, Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Euangelista magos vocat, tamen non aduersantur nam ille vere regnat qui sapientiæ famulatur, principibus enim & regibus multarum rerum agnitio & sapientia necessaria est, f. 103. c. 6.

*Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* An vobis ignotum quod in vrbe Ierusalem sit Rex Herodes? & licet non [illegible] in vrbe, non volunt dubium quin Rex Iudæorum appellatur, quomodo ergo coram omni populo alium Regem audetis proclamare? quia coram incredulis audacter veri Regis & Dei fieri debet confessio, fol. 254. c. 21.

*Ecce Magi ab Oriente venerunt.* Optimus modus quærendi Christum, Oriens terrenæ fœlicitatis ac mundanæ gloriæ signum est, ergo Bethleem pergit Christum adoraturus, qui omnia terrena ac mundana Christi amore post se relinquit; à mundanis enim secedere debemus, solum [illegible] æstimantes diuina, f. 119. c. 67.

*Ecce magi ab Oriente venerunt.* Venerunt ab Oriente Reges, [illegible] Christum [illegible], & longum iter celeriter absoluunt, vt non tam ambulasse quam euolasse videantur, de Cyro dictum est à Deo tanquam auem vocatum sic enim habet Isaias c. 46. vocans ab Oriente auem, ob celeritatem qua mouebatur ad Dei præceptum, auis nomine donat: etiam isti Reges hoc nomen merentur, ab Oriente vt aues aduolant, vt Christum inueniant, Christum adorent: non meretur inuenire, qui longas trahit moras, & testudineo mouetur incessu, inuenit qui velociter currit, & velociter volat, sane procrastinatio in via virtutis à malo prouenit, fol. 311. con. 39. & quia piger est in Dei obsequio punitione dignus est, f. 122. c. 189.

*Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Verum cur non timent in Herodis Regno nouum Regem quærere? inuidia & odij fomes hæc inquisitio, quis scui(s)simi Regis iram non timeat, sub eius ditione quærens alium Regem, qui sceptrum ei ablaturus sit? magi tamen non timent, adhuc non viderant Christum, & iā parati erant pro eo mori, Regij hæc pectoris fortitudo ac strenuitas est, nihil enim timere debet, qui ad Christum pergit, imo virtus eximia est pro Christo Domine quorumcumque tolerantia, f. 535. c. 377.

*Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Timere poterant, imminebat enim præsens periculum, sed viri sancti ad pericula subeunda propensi, fol. 85. con. 170. verum est quod cum in obsequio Dei maius nobis contingit periculum, tunc nobis Deus intimius subuenit, f. 227. c. 263.

DDd d iij

In festo sanctorum Fabiani & Sebastiani. Luc 6.



In die Purificationis B. Mariæ Virginis. Luc. 2.

In Festo S. Matthiæ Apostoli.
Matth.11.

sumus stupidi, vt oblatum ab eo respuamus, fol. 511. c. 40.

*Venite ad me omnes.* Cur omnes? nonne aliqui sufficiunt? venite ad me omnes inquit, quia nullum respuit ab admissione gratiæ suæ, f. 445. c. 18.

*Qui laboratis & ego reficiam vos.* Nemo enim ad requiem peruenire potest nisi post laborem.

*Venite ad me omnes qui laboratis & ego reficiã vos.* Quomodo reficies & onus leuabis? tollite iugum meum super vos inquit, itane lasso manum & opem porrigis, iugum illius ceruici imponens? ita omnino, Christi enim seruitus non onerat, sed honorat, f. 192. c. 69.

*Tollite iugum meum.* Hac illecebra ad suum iugum ferendum allicit Christus, quod suaue sit, vt suam à peccati seruitute longe discriminet, cum eius seruitus sit nimis onerosa & intolerabilis, f. 29. c. 104. fol. 239. c. 40. vide peccatum.

*Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Humilitatem à nobis requirit Christus D. tanquam sibi gratissimam, f. 162. c. 248. f. 199. c. 97.

*Discite à me quia mitis sum & humilis.* Et si eam didiceritis dij efficiemini, f. 272. c. 8.

*Quia mitis sum & humilis corde.* Nonne satis erat dixisse, discite à me quia humilis sum sine additione *corde*? rectè illa particula addita est, quia Deus non requirit quamlibet humilitatem, sed ex corde, veram, non fictam quæ Deo maxime inuisa, f. 367. c. 98.

*Et inuenietis requiem animabus vestris.* Quanta consequitur humilibus animus? f. 523. co. 90. fol. 223. c. 190.

*Inuenietis requiem animabus vestris.* Optata quies virtutem sequitur, f. 536. c. 178.

## In Annuntiatione B. Mariæ Virginis. Luc. 1.

*Missus est Angelus Gabriel.* Opportune Gabriel qui Dei fortitudo interpretatur, sed quare nunc? quod illum nunciare adueniat qui paruulus & exinanitus venturus est, ita omnino, tunc enim ipse Deum fortem Deumque gigantem sese ostendit & exhibuit, vide c. 15.

*Ad Virginem.* Cur ad hanc inter omnes, virginem, cum plures tunc essent? respondeat ipsa, quia respexit humilitatem ancillæ suæ: humilitate scilicet Virginis attractus quasi hæc Deum constrinxerit ad eam descendere, f. 156. c. 228.

*Ad Virginem.* Mittitur vt Mater Dei constitueretur, scilicet media humilitate, quam eximia à Deo dona consequitur humilitas? f. 223. co. 198. f. 323. c. 90.

*Ad Virginem.* Virtus Virginitatis perpetuæ vsque ad legem gratiæ fere incognita, f. 56. c. 38.

*Cui nomen Virginis Maria, desponsatam viro.* Diuinitatis consilio ex desponsata nasci Dominus elegit, vel vt proprio nominis sui splendore postposito, matris famæ atque existimationi consuleret, scit enim miro modo suorum honori & famæ consulere, fol. 286. c. 68. f. 688. c. 17.

*Et nomen Virginis Maria.* Cuius dignitatem si quis intelligere appetit, liber sit à curis sæcularibus, f. 127. c. 101. in ea enim quænam perfectiones non inueniuntur? f. 676. c. 145.

*Aue gratia plena.* Bene plena, quia nec etiam ei defuit gratia præseruans à labe peccati originalis, f. 111. c. 74. f. 606. c. 264.

*Aue gratia plena.* Quæ virtute sua ab omnibus nos protegit & obumbrat, f. 676. c. 141. quæ mundum fœnore peccatorum leuauit, fol. 676. con. 143. & cuius gratia mundus renouatur, con. 144.

*Turbata est & cogitabat qualis esset ista salutatio.* En humilis naturam, & ingenium, qui ea quæ altiora se sunt, non ambiat, vt eosdem etiam honoris & dignitatis delatos sibi gradus extimescat, tanquam illis sit maxime indignus: humiles ergo simus ad propria dona cognoscenda, fol. 148. con. 195.

*Benedicta tu in mulieribus.* S. Bernard. vtpote quæ generalem mulierum euasisti maledictionem, vt « nec sterilis maneas, nec cum dolore parias, con- « cipies quippe sine macula, grauida eris, sed non « grauata, paries sed non cum tristitia, nesciens « virum paries filium: Maria enim illæsa permansit in conceptu & partu filii, f. 110. c. 36.

*Ecce concipies & paries filium.* Pende discrimen inter hæc & Zachariæ ab Angelo dicta verba, illi siquidem ait, vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, virgini vero paries filium, nec addidit *tibi*, quod Ioannes seu priuatus patri suo signatè, Christus vero vt filius Dei ac princeps, non vni matri, sed toto mundo indiscriminatim nascebatur. Princeps enim qui omnibus natus, non vni vel alteri membro reipublicæ, sed vniuersis consulere debet, f. 389. c. 43.

*Hic erit magnus.* Cum nec sanctiores illi conferendi, omnes enim excedit, f. 67. c. 37. ita magnus in sanctitate, vt terra indigna sit omnino sustinere eius vestigia, f. 497. c. 219.

*Et filius Altissimi vocabitur.* Non enim solum homo, sed & Deus est, f. 484. c. 196.

*Regnabit in domo Iacob in æternum.* Christus iam fuerat sacerdos & Rex figuratus, f. 267. c. 92.

*Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Licet nimis curiose Dei mysteria inuestigare non debeamus, f. 118. c. 65. tamen omni cum humilitate ea sciscitari possumus, f. 350. c. 44.

*Spiritus Sanctus superueniet in te.* Et non curiosi sed humiles mysteriorum Dei scrutatores, cognitionem eorum consequuntur, f. 565. c. 479.

*Spiritus Sanctus superueniet in te.* Cum Incarnationis mysterium penetrare non possumus, Spiritui Sancto reseruandum, f. 485. c. 169.

*Spiritus Sanctus superueniet in te, &c.* Incarnationis verbi diuini vere magnum mysterium, f. 118. c. 62. f. 109. c. 50.

*Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.* Non enim humanæ non Angelicæ virtutis est, sed diuinæ Virginem Christum D. in vtero habere, f. 118. c. 63.

*Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Nec de hac veritate dubitandum, cum sit omnipotens, f. 277. c. 31.

*Ecce ancilla Domini.* Chrysol. quæ vocatur ab « Angelo Domina ipsa se cognoscit & confitetur « ancillam, quia deuotus animus in fulis benefi- « ciorum crescit ad obsequium, augetur ad gra- « tiam, non ad arrogantiam prosilit.] quanto enim quis maiora beneficia à Deo accipit tanto sit humilior, f. 215. c. 147.

*Ecce ancilla Domini.* Humilis miratur & obstupescit cum ad altiora vocatur, f. 150. c. 199.

Conciones quæ supersunt tum ex ferijs Quadragesimæ, tum ex Dominicis de tempore à Paschate ad aduentum, nec non ex Sanctorum solemnitatibus, in alterum volumen reponendas esse duximus.

FINIS.





# INDEX
# COPIOSISSIMVS CONCEPTVVM
## Ad instar locorum communium.

Benignitas. *Vide mitis.*



Bonum.



Bonum ſpirituale.



Bonum temporale.

C

## Calamitas vide labor, afflictio.



## Castitas.



## Cæcitas.



## Cæremoniæ.



## Charitas



## Christianus.



## Christus.

## Cicatrices.



## Cinis.



## Circumcisio.



## Clamor, *vide oratio.*



## Clementia, *vide misericordia.*



## Cogitatio.



## Cognitio.



## Cognitio Dei.



## Colloquium Dei.

## Exactor.



## Exaudio, *Vide oratio.*



## Exemplum.

## Fido.



## Filij. *Vide pater.*



## Fœlicitas, *Vide prosperitas.*



## Fœmina

## Fortitudo



## Fortuito.



## Fortuna.



## Franciscus.



## Fratres.



## Fraus.



## Furtum.



## Futurum.



## G

## Gaudium.



## Gemitus.



## Gentilis.



## Gloria.



Qui

## Gloria vana.



## Gratia.



## Gratiarum actio.



## Gratitudo.



## Gubernator, *Vide Prælatus, Princeps, Rex.*

# Conceptuum.



## Honor Dei & à Deo.



## Hospitalis.



## Humanitas.



## Humilitas.



## Hypocritæ.



## I

## Iactantia.



## Iactura.



## Idololatria.

## Inobedientia.



## Inspiratio.



## Intentio.



## Inuidia.



## Ira.

Locus.



Longanimitas.



Loqui.



Lucrum temporale.



Ludus.



Lux.



M

Magicus.



Malefici.



Malitia.



Malum.



Mandatum, *vide præceptum.*

Maria.

## Mater.



## Matrimonium.



## Medicina.



## Medium.



## Mendacium.



## Menſis.



## Mercenarius.



## Meritum.



## Meſſias.



## Michael.



## Miles.



## Minæ.



## Miniſter.



## Miracula.

## Miseria.



## Misericordia.



## Missio.



## Mitis, *vide benignitas.*



## Modestia.

## Murmuratio, *vide detractio*.

## Mysteria.



## N

## Natiuitas.



## Necessitas.



## Negotia.



## Nobilitas.



## Nomen

## Oratio, *vide petitio, clamor.*



## Otium.



## P

## Parcere.

## Perfidia.



## Periculum.



## Perſecutio.



## Perſeuerantia.



## Petitio, *Vide oratio clamor.*



## Pietas.



## Piger.



## Placere.

## Procraſtinatio.



## Profanus.



## Promiſſa.



Pro-

Q

## Querimoniæ.



R

## Ratio.



## Rebellis.



## Recuperare.



## Redemptio.

Seueritas.



Signa.



Silentium.



Similitudo.



Simplicitas.



Sobrietas.



Societas bona.



Societas mala.



Soror.



Spes.



Qui

## Timor & terror.



## Tonitru.



## Traditiones.



## Tribulatio, *vide afflictio, calamitas, pœna, supplicium, punitio, aduersitas.*



## Tristitia.



## Trinitas.



## Tumultus.



## Tyrannus.

V

## Vagatio.



## Vanitas.



## Vecordia.



## Verbum diuinum.



## Verecundia.



## Veritas.



## Vertigo.



## Victoria.

## Vita.



## Vitia, *vide peccatum.*



## Vnio ad malum.



## Vocatio.



## Voluptas., *Vide libido.*



## Voluntas.



## Vrbanitas.



## Vrbs.



## Vtilitas.

## Vulgus.



## Vultus.



## Vxor.



## Z

## Zelus.



FINIS.




*Errata quæ irrepserunt grauiora sic corrigantur, leuioribus condonetur.*

Primus numerus paginam, secundus conceptum denotat.

Fol. 37. c. 137 multo, leg. fere nullo
fol. 13 c. 21. adde cur amplius non abscondit.
fol. 31. delinitam l. deiuncta.
fol. 51. totus l. totius.
fol. 73. titulo conc. 113. qui l. cui.
fol. 106. vulgum l. animum.
fol. 216. gloria l. gloriæ.
fol. 109 dolorum l. dolorem.
fol. 283. sapientiæ diui. l. sapientia diuina;
fol. 300. c. 58. dele eam.
fol. 318 c. 67 pœnæ l. culpæ.
fol. 38. mitrho l. myro.
fol. 301. tit. conc. iniustis l. iustis.
fol. 173. litt. c. hunc l. hoc.
fol. 173. munditii l. mundiciei.
fol. 436. magnus l. agnus.
fol. 498. participes l. particeps.
fol. 369 olex 57 l. 13.
fol. 516. quantum l quarto.
fol. 448 mortis l. noctis.
fol. 555. hominum l. hominibus.
fol. 563 distinctius l. districtius.
fol. 744. meax l. mendax.
fol. 810. timent l. timet.

1-6-2



Digitized by Google